PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUA DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LIV.

S. LEONIS MAGNI TOMUS PRIMUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1846.

Digitized by Google

Digitized by Google

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUA DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LIV.

S. LEONIS MAGNI TOMUS PRIMUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1846.

Digitized by Google

C 5501

HARVARD COLLEGE LIBRARY
1875, March 22.
Bequest of
James Walker, D.D., L.L.D.
(H.U. 1814.)
President of Harv. Univ.

Digitized by Google

SANCTI

LEONIS MAGNI

ROMANI PONTIFICIS

OPERA OMNIA,

POST PASCHASII QUESNELLI RECENSIONEM

AD COMPLURES ET PRÆSTANTISSIMOS MSS. CODICES AB ILLO NON CONSULTOS EXACTA, EMENDATA, ET INEDITIS AUCTA : PRÆFATIONIBUS, ADMONITIONIBUS ET ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATA.

ACCEDUNT

QUÆCUMQUE IN QUESNELLIANA EDITIONE INVENIUNTUR EAQUE AD CRISIN REVOCANTUR :

CURANTIBUS

PETRO ET HIERONYMO FRATRIBUS BALLERINIIS,

PRESBYTERIS VERONENSIBUS ;

MANUM AUTEM ULTIMAM ADHIBENTE

J.-P. MIGNE,

QUI SUPERADDIDIT

EXERCITATIONES IN UNIVERSA OPERA S. LEONIS MAGNI

AUCTORE PETRO THOMA CACCIARI.

TOMUS PRIMUS

SINCERA S. PONTIFICIS OPERA CONTINENS, ID EST SERMONES ET EPISTOLAS CUM APPENDICIBUS.

3 VOL. PRIX : 24 FRANCS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,

IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER,

OU PETIT-MONTROUGE.

1846.

Digitized by Google

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. LEONIS MAGNI

Sermones et Epistolæ.

ERRATA.

Col. 824, in fine not. ° : (*Inferius* ⁵); lege : (*Col.* 822, ⁴).
Col. 1004, lin. 11 : ἀνανεωχθῆναι; lege : ἀνανεωσθῆναι.

732
1-32

Imprimerie de Bailly, place Sorbonne, 2, à Paris.

Digitized by Google

BENEDICTO XIV

PONTIFICI MAXIMO

PETRUS ET HIERONYMUS FRATRES BALLERINII

PRESBYTERI VERONENSES.

Hæc sanctissimi æque ac doctissimi summi pontificis LEONIS MAGNI *Opera, quæ ad præstantissimos codices, præsertim Romanos, exacta, emendatiora et auctiora nunc prodeunt, cui potius inscriberemus quam tibi, beatissime Pater, qui tanti pontificis in eadem Romana cathedra successor, iisdem zeli ipsius ac doctrinæ vestigiis insistens, idem* MAGNUS LEO *redivivus videris? Ille quidem ob plura et præclara diuturni pontificatus gesta, quibus, nulla temporum rerumque vicissitudine aut difficultate, perterritus, adversus contumaces ac subdolos fidei hostes, catholicæ Ecclesiæ dogmata defendit acerrime, et novitiis ac temerariis quorumdam ausibus sese objiciens, Ecclesiarum privilegia et apostolicæ sedis jura fortiter vindicavit, et pro custodia ac observantia ecclesiasticæ disciplinæ irrepentes corruptelas et abusus detegere, perstringere, emendare et exstinguere nisus est; ille, inquam, tantus pontifex ob tam præclara gesta* MAGNI *titulum jure promeruit; ejusque insignia Opera, quibus res tot ac tam graves promovit atque perfecit, in perennem posterorum memoriam ad nos transmissa, maximisque encomiis non solum a Latinis, verum etiam a Græcis tum antiquis, tum recentioribus, commendata, ejusdem tituli meritum ac justitiam demonstrant.*

Quid autem de te, beatissime Pater? Jam inde ab exordio pontificatus tui quot et quam implexæ causæ pro conditione istorum temporum concurrerunt, quibus nunc integritas fidei, nunc pontificia jura, nunc disciplina ecclesiastica sanaque doctrina morum impetitæ fuere? Tu vero nulli labori, nulli meditationi parcens, opportune omnibus providisti. Assiduæ curæ et vigiliæ tuæ, quibus parcissimo cibo brevique somno contentus, die noctuque pastorali officio et actionibus publicis indefessus vacas, et quod superest subcisivi temporis, in conscribendas pro rerum necessitate doctissimas et eruditissimas Institutiones atque Constitutiones confers, omnibus notissimæ sunt. Ipsa tua Opera quæ pluribus voluminibus digesta hactenus prodierunt in lucem, quæque in dies identidem prodeunt, ac in omni ecclesiastica materie non tam præsentibus, quam futuris temporibus prospiciunt, dum omnes cum voluptate et utilitate evolvunt, maximamque in iisdem non jam molem, sed eruditionem, rerum varietatem, methodum, perspicuitatem ac doctrinam admirantur, te cum antiquis præstantioribus pontificibus conferre, et MAGNUM *vere, seu potius* MAXIMUM *confiteri non dubitant.* MAGNI *igitur antiqui Romani antistitis Opera tibi præ cæteris successori ac æmulatori ejus* MAGNO *æquissime dicanda fuere.*

Huic autem congruentissimæ rationi alia gravior et fortior accedit. Cum enim ante paucos annos alter e nobis Romæ degeret, seque ante pedes tuos identidem sisteret; inter eos sermones, quos pro summa benignitate tua cum eodem habere, quibusque fere de optimis studiis et ecclesiasticis disciplinis non pauca solebas disserere, de ea S. Leonis editione incidit mentio, qua Paschasius Quesnellus sancti pontificis Opera non tam emendare ac illustrare, quam aliquot pravis notatiunculis, observationibus et dissertationibus non paucis in locis redarguere, pervertere et deturpare studuit. Hinc porro novæ editionis, quæ ad Vaticanos præsertim mss. codices ab eo inconsultos exigeretur, ejusdemque auduces conatus retunderet et infringeret, necessitatem memorasti. Cum vero hoc idem consilium quibusdam prædecessoribus tuis in mentem quidem venisset; at per eos, quibus id negotii demandatum fuit, numquam perfectum, nec perficiendum crederetur; tu minime ferens editionem tam necessariam diutius prorogari, hanc nobis imponendam censuisti. Non solum magnitudo operis, et magni adversarii eruditio ac ingenium, verum etiam et multo magis imbecillitas nostra, cujus nobismetipsis conscii sumus,

Digitized by Google

suspensos initio atque ancipites animo tenuit. At voluntati et auctoritati tuæ obsequendum fuit. Nos autem ut erigeres atque reficeres, non solis verbis usus es, sed tuum quoque auxilium in eamdem editionem contulisti. Cum enim in ejusmodi editionibus procurandis præstantiorum codicum subsidium potissimum requiratur; tu Vaticana exemplaria statim communicari jussisti, atque ut collatio facilior et expeditior fieret, raro privilegio ea, quibus indigeremus, domum afferri, et quamdiu opus esset retineri indulsisti: ac præterea ut aliis ex urbibus, ubi rari essent atque inconsulti codices, accuratæ collationes præstarentur, ipse pro humanitate tua effecisti, adeo ut etiam in hanc nostram urbem quorumdam antiquorum librorum variantes lectiones, quæ ob longinquitatem locorum isthuc serius pervenere, humanissimis litteris tuis sociatas transmiseris. Id autem penes æquos rerum æstimatores tantum est, ut hæc editio, cujus tu auctor et opitulator fuisti, tua quodammodo habenda sit; ac proinde in ea tuo nomini dedicanda non offeramus aliquid omnimo nostrum; sed veritas, quod beneficio tuo accepimus, reddamus. Hinc etiam confidimus fore ut ipsam editionem benigne suscipias ac tuearis quasi rem tuam: omnesque, qui tam a te præceptam, teque opem ferente perfectam intelligent, cum præclaram curam et singularem favorem tuum commendabunt; tum vero si quid per nos minus apte executioni mandatum invenient, nominis et patrocinii tui gratia condonaturos speramus

Antequam vero hujus epistolæ finem facimus, sine, quæsumus, Pater beatissime, ut quod S. LEONI *maxime congruum et gloriosum credimus, sapientissimo judicio tuo subjiciamus. De* DOCTORIS *titulo et cultu eidem sancto pontifici decernendo pauca quædam tibi, ut confidimus, non injucunda proponere libet. Qui* MAGNI *nomen obtinuit,* DOCTORIS *quoque titulum mereri nihil ambigimus. Si enim* DOCTORIS *appellatione et cultu ii digni sunt, qui una cum eximia sanctitate insignem pariter doctrinam jungentes, et dum in vivis essent, universam Ecclesiam docuere, et adhuc post mortem illam docent iis operibus relictis, quæ omni tempore pro fide ac disciplina Ecclesiæ usui futura sint: nonne* S. LEO, *cujus sanctimonia certissima est, et docuit, et docet, et semper docturus est universam Ecclesiam, cum et instituendis Christianorum moribus, et rectæ fidei conservandæ, confutandisque heterodoxorum erroribus optissima plurium sermonum et epistolarum monumenta vulgarit, quæ non tam in Occidentis, quam in Orientis Ecclesiis summo cum honore suscepta, celebrantur ab omnibus, maximoque auctoritatis pondere allegantur frequentissime, æque ac celebriorum doctorum opera allegari solent? Hinc autem non immerito* DOCTORIS *nomen ei olim tribuit Cassiodorus* (a), *et (qui maximi habendi sunt) duo summi pontifices Vigilius* (b) *et Hadrianus I* (c), *ac deinceps alii, ex quibus Usuardus et Vandelbertus eumdem titulum Martyrologio inseruerunt. Plures etiam Gallicanæ Ecclesiæ doctores honore eum in publicis officiis colere non dubitarunt, ut ex eorum liturgicis libris didicimus. Aliquot hic tantum exempli gratia attingemus testimonia, quæ eminentissimus cardinalis Philippus de Montibus huic nostro consilio maxime favens, paulo antequam e vivis excederet, ex sua lectissima bibliotheca nobis communicavit. Ex Breviario Lingonensi anni* MDCCXXXI, *die* XXI *Octobris :* LEONIS I *papæ et Ecclesiæ* DOCTORIS. *Ex Breviario Catalaunensi anni* MDCCXXXVI, *die* XX *Octobris :* LEONIS *Magni papæ et Ecclesiæ* DOCTORIS. *Eadem leguntur in Breviariis Cluniacensi anni* MDCCXXVI, *Rothomagensi anni* MDCCXXVIII, *et Claramontano anni* MDCCXXXIII, *die* XI *Aprilis; in Narbonensi anni* MDCCIX, *die* XXVIII *Junii; in Senonensi anni* MDCCXXVI *et Aurelianensi anni* MDCCXXII, *die* XXI *Octobris; in Parisiensi anni* MDCCXXXVI, *die* X *Novembris; ac in Bituricensi anni* MDCCXXXIV, *die* XXX *Novembris.*

Num vero tempus jam advenerit, in quo Romana quoque Ecclesia, quæ non minorem hujus sui sanctissimi doctissimique pontificis, quo maxime ornatur, amorem nutrit, hunc eumdem titulum et cultum eidem solemniter tribuat, generalique decreto in universum Christianum orbem extendat, tibi, beatissime Pater, dijudicandum atque constituendum relinquimus. Tu in eo celeberrimo Opere de Beatificatione et Canonizatione, *quod omnigena sacra eruditione refertum, circa ritus hujusmodi regula in posterum solemnis ac tutissima futurum est, tres*

(a) In ps. LXV.
(b) Constitut. n. 22, t. VI Concil. Ven. edit. col. 305.
(c) Epist. 97. Cod. Carolin.

Digitized by Google

conditiones ad constituendum Ecclesiæ doctorem necessarias *designasti* (*a*), eminentem scilicet doctrinam, insignem vitæ sanctitatem, et præterea summi pontificis aut concilii generalis legitime congregati declarationem. *Duas priores conditiones, in quibus ejus tituli decernendi radix et meritum continetur, in* LEONE *nostro inveniri ipsa Romana Ecclesia cum in aliis publicis tabulis, tum in Martyrologio satis testata est. Restat ut tertia conditio, qua idem titulus et cultus ipsi in universa Ecclesia legitima auctoritate constituatur, eidem accedat per te, qui ejus merita considerans, de eodem fortassis pronuntiabis, quod de S. Bernardo in eodem Opere scripsisti* (*b*) : Dolendum videtur, quod usque adhuc cogitatum non fuerit de Sancto tot meritis eximio cœlestique doctrina referto, colendo titulo DOCTORIS in universa Ecclesia. *Forte tibi, cui nihil jucundius quam sanctorum cultum promovere, quique peculiare tuum ergà sanctum* LEONEM *studium, dum esses Canonicus Archivista Basilicæ S. Petri, in novissima inventione* (*c*) *ejus corporis potissimum demonstrasti, tibi, inquam, hæc laus reservata est, ut qui magnus es magni* LEONIS *successor et æmulator, tantum pontificem* DOCTORIS *titulo exornes hujus editionis occasione, quæ dum ipsius Opera, jubente ac opitulante te, ad puriores codices exacta et illustrata tuoque nomini inscripta in lucem profert,* MAGNI *hujus* DOCTORIS *meritum etiam atque etiam confirmat. Sed hoc tuum judicium esto. Tibi interim dum volumen istud offerimus, sanctos tuos pedes humillime deosculantes, apostolicam benedictionem deprecamur.*

(*a*) Lib. IV, part. II, cap. 11, n. 13
(*b*) Ibi c. 12, n. 9.
(*c*) Hæc de re plura tom. II, in observat. ad Dissert. I Quesnelli ad an. 461.

BALLERINIORUM
PRÆFATIO GENERALIS
IN UNIVERSAM OPERUM SANCTI LEONIS EDITIONEM.

I. Cum de nova editione Operum sancti Leonis papæ ad mss. præsertim Romanos codices lucubranda, quæ editioni Quesnellianæ jam proscriptæ opponi et præferri posset, alteri ex nobis, dum Romæ esset, supremus antistes Benedictus XIV onus imposuit, non pauca primum nec levia momenta terruerunt. Quæ enim et quanti sit ea Leonis editio, quam summo studio curavit Paschasius Quesnellus, illi soli ignorare queunt, qui editionem ejus ignorant. Si textum expendas, qui in æstimandis veterum editionibus primum et potissimum spectandus est, et in quo quæritur num sit emendatus ac ineditis opusculis auctus, plures ille ac præstantissimos codices nactus est, quorum præsidio multa loca in anterioribus editionibus depravata feliciter correxit, et Epistolas pontificis, quæ inter ipsius Opera sacræ historiæ utiliores sunt, ex uno Grimanico ms. octo et viginti antea ineditis augere Epistolis potuit. Præterea alia quædam adjecit inedita, inter quæ maxime celebris est antiquissima illa Canonum et Epistolarum Romanorum pontificum collectio, quæ Dionysianæ nihilum cedit, vetustissimique canonici juris studiosis maximo adjumento est. Si vero ipsius editoris lucubrationes textui vel rebus illustrandis insertas consideres (id enim alterum est quod in editionibus quæritur), quænam editio Patrum tot unius editoris observationibus, admonitionibus, notis et dissertationibus locupletata invenietur, quot illa Leonis, quam Quesnellus typis impressit? Quæ enim ejusdem pontificis Opera parvo volumine formæ, uti vocant, octavæ vel quartæ in antiquis editionibus comprehendebantur, ob Quesnelli additamenta duos implent non exiguos tomos in-folio. Quem porro non moveat tantum studium in Leone edendo ab eo susceptum et naviter impensum, qui præstanti ingenio et multa eruditione ornatus, plurimum poterat, quique priorem editionem novis curis recognitam post viginti quinque annos recusit auctiorem, adeo ut limata et perfecta, quantum per eum fieri potuit, judicari debeat? Magnifica quidem elogia a quampluribus litteratis viris obtinuit ejusmodi

Digitized by Google

editio, quæ idcirco non tam primum impressa quam recusa, statim toto orbe dispersa atque suscepta, adhuc desideratur a pluribus; et licet ob censuras nonnullorum, ac præsertim Inquisitionis Romanæ anni 1676, apud catholicos non modicum detrimenti ceperit, eam nihilominus *eruditis ubique probatam* affirmare non dubitavit Joannes Albertus Fabricius. Hæc quidem heterodoxi viri laus, etsi Romanæ censuræ perperam omnino opponitur, pervulgatam tamen de eadem editione opinionem aliis etiam catholicorum testimoniis confirmatam ostendit.

II. Hisce animadversionibus, quæ metum ingerebant, opponebatur novæ adhuc post Quesnellianam editionis necessitas. Primo enim judicatum fuit interesse plurimum S. pontificis Opera ad Romanos præcipue codices exigere, qui etsi in Romani antistitis Operibus præstantiores atque puriores præsumendi sint, a Quesnello tamen irrito, ut in præfatione testatur, conatu quæsiti, prætermittendi fuerunt in prima editione; in secunda vero Barberinorum tantum manuscriptorum variantes lectiones accepit, ex quibus ipsis paucas admodum in solis Epistolis adhibuit. Tanto autem magis hæc Romanorum exemplarium recognitio necessaria visa est, quod ex una parte Quesnellus in usu codicum negligentiæ accusetur a quibusdam, ac præsertim a Baluzio et Coustantio, in antiquorum librorum studio peritissimis; ex alia vero nota ejus libertas in emendando identidem textu, nullo allegato codice, nonnullis suspicionem injecerit. Deinde plurima sunt in ejus lucubrationibus licentius inserta, quibus falsis doctrinis favet, et non tam Leonem quam Romanæ sedis prærogativas nunc palam, nunc latenter impetivit; adeo ut hæc editio, quæ Leonem potius deturpat quam illustrat, justissimam prohibitionem meruerit.

III. His de causis, ut primum eadem editio anno 1675 in lucem prodiit, statim novæ editionis Romæ adornandæ consilium ceptum fuisse, colligi posse credimus ex Italica epistola Laurentii Mari ad Franciscum Grisendum scripta die 30 Martii anni 1677; sibi enim significatum affirmat præceptum illustrissimi Brancatii de nova editione Operum S. Leonis. *Mi vengono comunicati i comandi di monsignor illustrissimo Brancaci mio signore sopra la nuova edizione di S. Leone;* et in hanc quæsitum subdit quidquid Jo. Baptista Marus ejus frater ex mss. Romanis paraverat. Hujus epistolæ, quam in codice Barberino invenimus, amplior notitia dabitur in præfatione sermonibus Leonis præmissa, § 7. Hæc eadem novæ editionis cogitatio iterum excitata est anno 1716, favente summo pontifice Clemente XI. Exploratum est testimonium Patrum Trivultianorum insertum *Mémoires Auril.*, 1716, pag. 722, ubi ex epistola Romæ scripta hæc traduntur: *On a formé le projet d'une nouvelle édition de S. Léon. Sa Sainteté, qui a une dévotion particulière à ce saint docteur, favorise ce dessein.* Sub Clemente autem XII, non modo revixit idem consilium, verum etiam hæc cura duobus clarissimis viris imposita fuit, collatisque istorum studiis, multisque hinc et hinc paratis, tanta hujus Romanæ editionis exspectatio increbuit, ut eminentissimus cardinalis Quirinus hac de causa scripserit anno 1740, in appendice subjecta Pauli II Vitæ, pag. 161, non solum *piorum atque eruditorum votum deposcere*, verum etiam *sperare saniorem ac fideliorem editionem ad Vaticanorum præsertim codicum fidem*

IV. Dum unus e nobis anno 1748 Romam alia de causa accessit, de hac nova editione plures sciscitatus est. At alii se jamdiu nihil audire, alii vero spem omnem evanuisse responderunt. Qua de re cum sermo fuisset coram summo pontifice Benedicto XIV, is, eamdem desperationem confirmante uno ex illis duobus, quibus ea editio sub Clemente XII commissa fuerat, hocce studium nobis imposuit. Etsi vero præter ea quæ initio memoravimus nostrarum etiam virium imbecillitas deterreret, diutius tamen auctoritati tantæ resistendum non fuit. Cumque de hac editione suscepta in Urbe divulgatum esset, accesserunt aliquot cardinalium, prælatorum et amicorum impulsus, qui etiam auxilium suum obtulere. Cum a codicibus exordiendum esset, laudatus summus pontifex, ut faciliorem expeditioremque collationem faceret, Vaticanæ bibliothecæ mss. libros, qui maximo usui forent, domum deferri peculiari privilegio concessit. Patuere etiam cæteræ bibliothecæ Romanæ, Barberina, Chigiana, Casanatensis, Vallicellana, Angelica, et illa Basilicæ S. Petri. Cum autem multi essent codices recolendi, quibus unus non sufficit, auxiliarii pretio accesserunt, alii etiam spontaneam et gratuitam operam contulere: inter quos potissimum laudandus est P. Brunus Toma, tunc lector, nunc prior Patrum Prædicatorum S. Sabinæ, qui alios e suis in collatio-

Digitized by Google

nibus sibi adjunxit. In hoc labore totum id temporis, quo alter e nobis Romæ versatus est, id est annum integrum cum dimidio, inter codices indesinenter consumpsit. Cumque is ex Urbe discedens nonnulla reliquisset conferenda, subsidium perhumaniter præstiterunt plures amici, P. magister Schiara, ordinis Prædicatorum, bibliothecæ Casanatensi præfectus, comes Joseph Garampus, canonicus basilicæ S. Petri et Vaticani archivi custos, concivis noster P. Franciscus a Puteo, presbyter Oratorii in Vallicella, Simon Ballarinus a bibliotheca Barberina, aliique nonnulli, qui variantes manuscriptorum quas desiderabamus, abs se diligenter descriptas Veronam miserunt.

V. In aliis quoque Italiæ bibliothecis a Quesnello intactis, quæ mss. exemplaribus celebriores sunt, Leoninos codices, quotquot alicujus pretii novimus, sive per nos, sive per amicos conferendos curavimus. Præter exemplaria aliquot præstantissima capituli cathedralis Veronensis, quæ ob insignem vetustatem nullis aliis cedunt, Venetiis in bibliotheca S. Marci, quæ pluribus Græcis Latinisque codicibus instructissima est, non paucos rei præsenti utiles invenire licuit, et Antonium Zanettum, ejusdem custodem, qui omnibus studiosis favorem præstat, in Græcis præsertim libris recolendis coadjutorem humanissimum experti sumus. Patavii in bibliotheca Patrum Eremitanorum P. magister Antonius Manentius, in S. Justinæ monachorum S. Benedicti P. D. Spiridion Peristianus, et in S. Antonii Patrum Conventualium S. Francisci P. magister Reginaldus Fischer codices et operam exhibuerunt. Ex insigni monasterio Padilironensi S. Benedicti in agro Mantuano P. D. Joannes Augustinus Gradonicus codicum variantes non exiguo labore collectas transmisit. Florentiæ tum in bibliotheca S. Marci, tum in Laurentiana Medicea multum debemus P. lectori Philippo Mariæ Sereno, qui alia contulit, alia etiam exscripsit. Fesulis, quæ opus erant, procuravit P. Alexander Chiappinus, abbas generalis canonicorum Lateranensium, qui nuperrime obiit. Quoad mss. Montis Casini, magnum patronum experti sumus eminentissimum cardinalem Tamburinum, de cujus mirifico plane favore peculiaris redibit mentio in præfatione ad sermones, num. 16. Lucanorum codicum collationem sponte obtulit P. Joannes Dominicus Mansius, in antiquis mss. versatissimus, et pluribus editis documentis ac tomis notus. Bergomi opem tulit amicissimus noster P. Hyacinthus Sala, ordinis Prædicatorum, in academia Taurinensi publicus theologiæ professor. Alia subsidia per alios Mediolani, Tridenti, Taurini et alibi præsto fuerunt.

VI. Extra Italiam etiam diligentiam extendimus, nimirum in bibliothecas Cæsaream Vindebonensem et Ratisponensem S. Emmerami. E bibliotheca Cæsarea, cujus mss. libros Gallus editor frustra quæsivit, duorum præstantissimorum exemplarium collectionis Hispanicæ et Quesnellianæ collationem quam diligentissimam nullo sumptui parcentes nobis comparavimus. In Ratisponensi vero servari eximium prorsus et singularem codicem Epistolarum S. Leonis, eidem bibliothecæ pro Tutone episcopo dono datum exeunte sæculo nono, vel decimo ineunte, prodiderat P. Bernardus Pez in dissertatione isagogica præmissa tomo I Thesauri Anecdotorum, num. 65. Hujus codicis desiderio is qui e nobis Romæ erat, adivit P. M. Thomam Ricchinium, ordinis Prædicatorum a secretis congregationis Indicis, eoque cooperante P. M. Emericus Langenuaeter, ejusdem ordinis provincialis Daciæ, ac generalis magistri socius, scripsit statim ad P. M. Antoninum Veichtner, qui mox, pro insigni sua in hisce studiis peritia, codicis præstantiam ac utilitatem agnoscens, favore non minus quam labore plane singulari ipsum codicem non conferendum, sed de verbo ad verbum quam accuratissime transcribendum putavit. Id autem ut commodius per eum fieret, a reverendissimo abbate ad S. Emmeramum sacri Romani imperii principe, viro in omni litterarum et scientiarum genere excultissimo, summa benignitate concessum fuit ut idem codex Landishutum in memorati P. Antonini conventum deferretur. Quæ peculiaris unius diligentia in exscribendo, et alterius humanitas in commodando tam eximio codice, de quo plura in præfatione ad Epistolas dicenda erunt, toto orbi testanda ac perenni memoriæ commendanda fuit. His autem subsidiis experti sumus ipsum S. Leonis textum adhuc post Quesnellum posse emendari non modicum, et novis etiam ineditis monumentis augeri.

VII. Sermonibus emendandis mss. exemplaria Romana potissimum contulere : inter quæ cum nonnulla ad basilicas Urbis certissime pertinuerint, certo Romana sunt, ac puriores lectiones nobis conservarunt. Quesnellus, etsi multa correxit, cum tamen hos codices non

Digitized by Google

adhibuerit, alia inemendata reliquit, alia etiam haud satis apte vel perperam mutavit. Nos tercenta circiter loca vel certa emendatione restituere, vel ad meliorem lectionem revocare potuimus. Præterea ex tot tantisque diversæ originis codicibus simul collatis, quorum distinctam notitiam dabimus in præfatione ad Sermones, deteximus corrigendum ordinem in nonnullis sermonibus perturbatum; dividendos duos sermones qui in unum coaluerant; amovendum sermonem Leoni perperam tributum ab omnibus, nec non alium eidem a Quesnello ex suo codice affictum; alium vero, quem iste Leoni detraxit, restituendum; aliaque plura manuscriptorum ope præstitimus, ut ex admonitionibus atque annotationibus patebit.

VIII. In Epistolis similia frequentius detegentur. Correctiones non paucæ nec leves identidem occurrent; et in his chronologia aliquot Epistolarum restituta, ordo omnium immutandus fuit. Quasdam Epistolas in dubium a Quesnello vocatas, et nonnulla ab eodem expuncta, adjuvantibus præsertim mss. libris, vindicare licuit.

IX. Non pauca ille tum in Sermonibus, tum in Epistolis mutavit nullo allegato codice, et ne indicata quidem veteri lectione; quod arbitrariæ correctionis vel corruptionis suspicionem nonnullis injecit. Hanc quidem censuram ut ille præcluderet, in generali præfatione, num. 7, factum ultro fateri non dubitans, hanc duplicem quasi rationem subjecit: *Sæpe hos* (codices) *omisi recensere, cum videlicet indubitatæ certitudinis est emendatio, et ad eam codices omnes conspirant.* Sed neutra satis idonea visa est. Cum enim de apertis erroribus amanuensium vel typographorum non agitur, uti plerumque in locis a Quesnello emendatis non agitur, tunc lectiones quæ antea vulgatis non malum sensum referentibus suppositæ fuere, indubitatæ certitudinis dici nequeunt. Generalis porro Quesnelli propositio de conspiratione omnium codicum, si fallax nonnumquam inventa est, cum de hac vel illa lectione abs se inducta scripsit, *Ita omnes codices;* quam fidem meretur in iis locis, in quibus emendandis nullam codicum mentionem facit? Neque vero idcirco affirmandum est eum, ubi nihil citat, vulgatum textum ex arbitrio mutasse vel corrupisse. Id videri potest iis qui solos codices contulerunt posteriorum collectionum, ex quibus vulgati prodierunt. Nos vero antiquiora et præstantiora exemplaria nacti, diligenti horum collatione discernere ac dijudicare potuimus, quæ ille loca non arbitrarie, nec perperam emendavit; unde emendationes ipsas retinentes, citatis manuscriptis firmabimus. Lectiones vero quas vel nullo antiquo libro probatas, vel satis inferioris notæ mss. suffultas invenimus, restituta veteri lectione, vel alia nova ex fide meliorum codicum, jure censuimus expungendas; in quo aliquando lectionem ab illo inductam, nullius antiqui libri facta mentione, libenter retinuissemus, si ille alicujus optimi codicis auctoritatem protulisset.

X. Cum autem in hac nostra editione omittenda non fuerint opera quæ Leoni Quesnellus attribuit, vel suæ editioni inserenda judicavit, in his quoque recolendis ad manuscriptorum fidem multa invenimus corrigenda, et nonnulla etiam supplenda, uti manifestum fiet præsertim in libris *de Vocatione omnium gentium*, et in Codice Canonum et Constitutionum apostolicæ sedis, in quo postremo edendo ille codicem recentiorem et mendosum plerumque secutus est.

XI. Quoad inedita non solum in nostris mss. exemplaribus eas fere omnes Epistolas, et multis in locis emendatiores invenimus, quas ex Grimanico Quesnellus vulgavit, verum etiam ex insigni codice Ratisponensi tres alias novas Leonis Epistolas proferemus in lucem, ex Vaticano autem unam Græcam Anatolii Constantinopolitani episcopi ad Leonem nostrum, quæ ad Eutychianam historiam illustrandam plurimum conferunt. Aliquot præterea Epistolas Græcæ interpretationis antiquæ ex eodem Vaticano codice eruimus, quas publici juris facere quantum intersit, in præfatione ad Epistolas ostendetur, num. 51. Integram actionem concilii Chalcedonensis, quæ in gratiam epistolæ 93 Leonis habita, nondum in lucem prodiit, nobis suppeditarunt duo Græci codices Veneti S. Marci, cum quibus etiam valde utiliter ad plura loca emendanda, Antonio Zanetto opitulante, contulimus Græcam editionem multarum Epistolarum, quæ licet versiones sint, nostræ tamen editioni inserendæ fuerunt. Alia actio ejusdem concilii in causa Domni Antiocheni, in qua pontificia Leonis auctoritas commendatur, ex ms. antiquissimo olim Veronensi, nunc autem Vaticano

Digitized by Google

erula edetur, et in suo lumine collocabitur tomo secundo. Plures ineditos sermones Leoni in mss. exemplaribus tributos excerpsimus, qui in appendice haud omittendi visi sunt.

XII. Aliquot Epistolarum hactenus incognitarum nostri pontificis, quæ in Vercellensi antiquo libro continerentur, spem injecerat R. Franciscus Antonius Zaccaria soc. Jesu in epistola inserta tom. XLI Opusculorum quæ a P. Angelo Calogera Venetiis edita sunt. Unum enim ex præstantissimæ capitularis Vercellensis bibliothecæ codicibus memorans, quem *incomparabilem et ineditam antiquissimorum conciliorum collectionem* vocat, hanc ex verbis celeberrimi editoris Evangeliarii Eusebiani testatur *di parecchie non per anco vedute lettere di S. Leone, e di altri pontefici dovizioſamente ornata*. Ut hæc tam insignia documenta nostræ editioni certius accederent, ipsius summi pontificis, qui editionem præceperat, auctoritatem postulavimus. Itaque expensi fuerunt codices laudati capituli quam diligentissime. At nulla ejusmodi collectio inveniri potuit, quæ vel unam ineditam Leonis epistolam promeret. Codicem autem qui aliquid inediti continere visus fuerat, ex documentis transcriptis et ad pontificem missis cum collatione cæterorum qui editi sunt, nec non ex aliis notitiis exinde acceptis, et ab eodem Evangeliarii Eusebiani editore certissime cognovimus, esse omnino similem aliis tribus mss. libris, quos Romæ invenire et conferre licuit, et complecti collectionem Dionysio-Hadrianeam cum additamentis peculiaribus, quæ indicabuntur in præfatione ad epistolas, et tomo tertio in tractatu *de antiquis Collectionibus* fusius describentur. Hæc præcipue monenda fuerant, ne nos in exquirendis ineditis quidquam diligentiæ prætermisisse videremur. Putamus autem ex hactenus dictis palam factum esse hanc editionem quoad textum Leonis Quesnelliana emendatiorem et auctiorem futuram; adde etiam quoad ipsa Leonis Opera, sinceriorem, quippe genuina illius opera secernet a suppositititiis, quæ ille plane arbitrarie et omnino perperam veluti Leonina traduxit.

XIII. Nunc de Quesnelli lucubrationibus, quæ editionem ejus maxime celebrem reddunt. Si initio eximium hominis ingenium et eruditio metum injecerant, postquam ipsas lucubrationes exactius ad calculos revocantes, magnum in plerisque ingenii et eruditionis abusum deteximus, animi erecti et confirmati fuerunt. Etsi enim ille multa subtiliter et erudite congerat, quæ non paucos nec infimi subsellii homines in ejus sententias rapuere, nihilo tamen minus diligenti singulorum examine deprehendimus sagacissimum hominem ingenio ac novitati indulgentem, et quarumdam studio partium abreptum, in conjectationes plerumque fallacissimas intemperanter excurrisse, quibus magno acumine et artificio implexis, magnaque eruditione fucatis, multa nova et falsa verisimilitudinem quamdam judicarent. Ne quid acerbius contrariarum partium favore, aut Italicis, uti appellant, præjudiciis affirmasse credamur, antequam ulterius progrediatur sermo, nonnulla celebrium quorumdam exterorum, qui ejusmodi favore aut præjudiciis accusari non poterunt, testimonia præmittenda sunt.

XIV. Enormem conjectandi abusum in ea dissertatione, qua Quesnellus Collectionem Canonum ab se editam Romanæ Ecclesiæ asserturus, *multa nisus est conjecturarum mole fulciri*, satis declaravit P. Coustantius in præfatione tomi I Epistolarum Romanorum pontificum, num. 79. *Dum ejusmodi conjecturis*, inquit, *plus æquo indulget vir clarissimus, suæ ipse magis magisque prodit inanitatem opinionis*. Et apertius num. 87, conjecturis fallacias adjectas notans: *Singula*, ait, *eruditi viri argumenta gradatim prosequi et ad examen vocare longum foret. Satis est præcipua refellisse, quæ si ex veritate æstimantur, aliud nihil sunt nisi vel conjecturæ acute quidem, ut vocant, et belle excogitatæ, sed meræ tamen conjecturæ; vel testimonia per vim detorta, quæ suo restituta loco quoque sensu intellecta robur amittunt; vel denique probationes ex certis ductæ locis, quæ Romani codicis proprii esse perperam existimavit*. Hinc sententiam, quam ille multo nisu defendit, *meram hypothesin* et *ingeniosum quidem, at minus firmum systema* vocavit num. 43 et 63, in quo miratus est nonnihilum, idem systema *ab acerrimi judicii viro non dico asseri, sed vel animo fingi potuisse*. Similem conjectandi imbecillitatem animadvertit etiam atque perstrinxit Stephanus Baluzius in observationibus ad dissertationem Quesnelli de concilio Telepteusi, ubi is eidem concilio suppositionis notam impingere multis contendit. *Post rem accurate discussam*, inquit Baluzius, *plane persuasus sum...: Quesnelli opinationes posse quidem oculorum aciem perstringere, certum nihil in illis esse solidi firmique*. Hæ observationes Baluzii insertæ leguntur *Concordiæ*

Digitized by Google

Petri de Marca editionis Parisiensis anni 1704, pag. 1341. Ibidem præterea, pag. 1347, *parum sincerum ac diligentem Quesnellum in hac editione* testatur, eumque reprehendit eo quod certo quodam loco secutus sit mendosam lectionem codicis Oxoniensis, cui Thuaneum exemplar cunctis nominibus erat anteferendum. Et in præfatione ad antiquam versionem Latinam concilii Chalcedonensis, num. 22, eamdem ejus negligentiam in alio argumento accusans : *Si ille,* inquit, *veteres codices accurate, ut nos fecimus, consuluisset, hanc opinionem mente sua non comprehendisset.* Eodem quoque numero 22 de quadam ejus conjectura ait : *Mera divinatio est, ut pace ejus dixerim, quæ ratione non constat.* P. Bernardus Montfauconius seu monachi Benedictini congregationis S. Mauri in diatriba in symbolum *Quicumque,* tom. II Operum S. Athanasii, pag. 724, de Quesnello, qui eumdem symbolum Vigilio Tapsensi ascripserat, pronuntiant : *Qui tamen, ut valet sagacitate et eruditione, non nisi conjectando loquitur :* Guillelmus Caveus ad annum 440, pag. 279, de Quesnelli dissertatione, qua libros de Vocatione omnium gentium Leoni adjudicandos suscepit, pariter scripsit : *Eos Leoni asserere conatur, idque longo conjecturarum potius quam argumentorum agmine.* His autem conjectationibus compendio recensitis subdit : *Pluribus hæc dicit vir eruditus, quæ cum pro cujusvis ingenio variare solent, et plus minusve in aliis reperiri possunt, haud satis firmum sententiæ huic fundamentum substruere videntur.* Et P. Guillelmus Cuperus in Actis sanctorum die 25 Augusti, pag. 133, de quodam argumento quo Quesnellus rejecit historiam miraculi S. Genesii, ait : *Hæc levis ratiuncula, vel temeraria Quesnelli conjectura corruere videtur ex chronologia.* Alia plura ejusdem generis testimonia prætermittimus : hæc enim proposito nostro videntur sufficere.

XV. Hactenus isti de peculiaribus Quesnelli disputationibus et argumentis, quippe qui peculiaria tantum ad examen vocarunt. Nos vero, qui universas ejus lucubrationes Leoninæ editioni insertas ex instituto expendendas et ad vivum resecandas suscepimus, idipsum affirmare possumus de plerisque, ne dicamus de omnibus : unde nulla fere erit ejus dissertatio, quæ subjectis nostris observationibus vel in præcipuo themate confutanda, vel in pluribus corrigenda non fuerit. Idipsum notis ejus quamplurimis accidit, quæ fusiori calamo vel appendit Leonis Sermonibus, vel in Epistolas ejusdem post dissertationes rejecit. Ne vero hæc ad jactantiam dicta credantur, vel suspicio sit, nos, dum Quesnellum impugnabimus, quædam ex ipso carpere, quæ a contextu ejus dissecta facile in invidiam et reprehensionem detorqueri queant, statuimus ipsas ejusdem lucubrationes integras nostræ editioni inserere, et suas cuique observationes subjicere, quibus ea quæ confutatione sunt digna impugnentur vel corrigantur. Ita scilicet causæ nostræ confidimus, ut adversarii faciem non refugiamus. Hinc etiam fiet ut necessaria amplius non sit Quesnelli editio, quæ nostræ in totum inserta invenietur ; et ut ipsius lucubrationes, quæ in editionibus ejus interdictæ sunt, in hac nostra cuique liceat legere et cum nostris animadversionibus atque censuris conferre ; ex quo speramus futurum ut et veritas facilius innotescat, et num nimium auserimus quisque perspiciat.

XVI. Id autem profiteri hoc loco fas est, hanc concertandi rationem cum adversario præsente et a fronte dimicante difficiliorem fuisse. Richardus Simon ex Elia Dupinio in Quesnelliana editione duo notavit, nimirum Quesnelli dissertationes nimium esse prolixas, et nonnullas ad Leonis Opera non nisi remotius pertinere. *Il* (Dupinius) *n'a pu cependant dissimuler que les dissertations sont trop longues, et que quelques-unes n'ont qu'un rapport éloigné aux OEuvres de saint Léon* (a). Hæc duo difficultatem potissimam facesserunt : et ut primum dicamus de postremo capite, cum editoris sit ea diligenter scrutari et evolvere quæ ad Auctorem ejusque Opera spectant, pauca admodum, quæ Leonis aut ejus Operum propria sunt, in Quesnello expendere et excutere opus fuisset; neque fuissemus coacti in ea digredi, in quæ ille longius et liberius excurrit ; sicque non pauca difficiliora prætierire licuisset. At inserentibus omnes dissertationes, admonitiones et annotationes Quesnelli, singula examini subjicienda fuere, sive quæ ad Leonem aut ejus Opera pertinent, sive quæ ex occasione inducta remotissime distrahunt ; nec quidquam, licet difficilius et implicatius, dissimulari aut transcurri potuit cum præsertim in ejusmodi disputationibus a Leonis edi-

(a) *Critique de la Bibliothèque*..... par M. Dupin, liv. II, c. 16.

Digitized by Google

tione valde remotis non pauca insint, quæ censuram non exiguam mereri visa sunt. Id cum pro varietate et difficultate rerum, in quæ Quesnellus excurrit, longiorem meditationem ac plures observationes postularet, id, inquam, potissimum in causa fuit ut hæc editio serius quam initio credebatur typis mandari potuerit.

XVII. Ad prolixitatem vero dissertationum Quesnelli a Dupinio notatam quod pertinet, eas multis protrahere ipsi plerumque necessarium fuit. Cum enim in permultis suis thesibus careret exploratis rationibus et documentis, quæ ubi adsunt, ad rem concludendam pauca sufficiunt, ad solas conjectationes easque imbecilles confugiendum fuit. Cum porro acutus homo intelligeret has, si paucæ sint et paucis proponantur, minimum posse, complures simul congerere studuit, easque ita invicem colligare, et eruditis identidem notitiis, dicendi arte ac subtilibus ratiociniis munire, ut lectores sensim et facilius illicerent, ac in ejus sententiam attraherent. Iisdem vestigiis principio nobis quoque insistendum, et omnia ac singula quæ censuram peterent refellenda videbantur. At hac methodo in eamdem nimiæ prolixitatis notam incidissemus. Ne vero hoc laboris aut difficultatis declinandæ credatur effugium, observamus veritatem propugnantibus satis esse si capitalia et fortiora argumenta convellant : his enim sublatis, cætera leviora, quæ iisdem fulciuntur, per se cadunt, ita ut nimium morosi hominis sit in his confutandis lectores diutius distinere. Verum in hac ipsa laboris, ut videtur, imminutione difficillimum nonnumquam fuit, inter multas conjectationes eas secernere, quæ capitales et præcipue refellendæ essent. Ita enim plura Quesnellus miro artificio jungit ac miscet, ut vix delegatur quid præstet. Cum proposuit quædam leviora, quibus facilis esset responsio, elabitur repente ut anguis, et ad alia transcurrit, quæ etsi forte sint pariter levia, graviora tamen ex antecedentibus videntur. Nunc quærendo potius quam affirmando conjectatur; nunc quæstioni alias interserit quæstiones, vel saltem dubia quædam inspergit, quibus longius et eloquenter subdoleque productis deceptio non facile discernitur, et conjecturas conjecturis adjiciens, quod paucis obtinere non potuit, multitudine se consecuturum confidit. In his omnibus exacte expendendis et ad certa pauciora ac potiora capita revocandis, ne longior confutatio procederet, et lectoribus fastidium ac ex multiplicitate confusionem etiam pareret, quanta attentione ac diligentia opus fuerit, quisque peritus intelliget. Quod si in his potioribus capitibus refellendis observationes nostræ longiores nonnumquam cuipiam videbuntur, is consideret plura sæpius desiderari ad revincendum quam ad proponendum errorem. Ea porro facili partitione ac methodo utemur, ut lector statim intelligat quid agatur, et cur prolixior disputatio necessaria fuerit in quibusdam capitibus, ex quibus cætera pendent. Speramus vero hac ratione cognitum iri, nos, ut brevitati, quantum fieri poterat, consuleremus, nihil præteriisse quod capitale esset; sola autem minutiora, quæ potioribus divulsis corruunt, jure neglexisse. Quod si quædam a Quesnello in dissertationibus inserta peculiarem censuram postulabunt, quæ in contextu nostrarum observationum ad singulas dissertationes opportunum locum non invenient, censuras ejusmodi, ne quid necessarium desit, in annotationibus, quæ iisdem locis affigentur, paucis indicabimus.

XVIII. Richardus Simon, cujus paulo ante meminimus, de Quesnelliana S. Leonis editione testimonium ponit, quod hoc loco haud prætermittendum putamus. Recitato elogio quo Dupinius Quesnelli dissertationes commendaverat, hæc subjicit : *L'édition des OEuvres de saint Léon publiée sous le nom du P. Quesnel mérite sans doute cette louange; mais le bibliothécaire n'a pas su que cet ouvrage est sorti de plusieurs mains. Le P. Quesnel en a ramassé durant plusieurs années les matériaux, qui lui furent fournis en partie par plusieurs personnes savantes de Paris; mais comme ce Père ne savait pas assez le latin pour composer son ouvrage en cette langue, il le composa d'abord en français, et il le donna à mettre en latin à un savant Hibernois, qui avait été auparavant de l'Oratoire, et qui professait alors la rhétorique dans le collége de Beauvais. Il composa aussi en français la Vie de S. Léon; et elle fut traduite en latin par le P. Gérard du Bois, qui était alors dans la maison des Pères de l'Oratoire rue Saint-Honoré avec le P. Quesnel. Le P. du Bois changea dans cette Vie quelques endroits, qui lui parurent trop durs contre Rome ; changements que le P. Quesnel ne put approuver; mais s'il avait profité des bons avis que son confrère lui donna, il n'aurait peut-être pas eu le déplaisir de voir son ouvrage flétri à Rome. Au reste, je n'avance rien ici dont je n'aie été bien instruit: en sorte*

Digitized by Google

qu'on peut dire de l'auteur de l'édition de S. Léon, publiée sous le nom du P. Quesnel : SUMUS LECTO (*a*). Hactenus Richardus Simon, qui in congregatione Oratorii una cum Quesnello diutius vixit usque ad Leoninæ editionis circiter tempora. In hoc autem testimonio illud præsertim observandum est, adeo acerbum et infensum in Romanam sedem fuisse Quesnellum, ut uni e suis quoque confratribus quædam loca displicuerint, qui idcirco in interpretatione Latina ea emollienda existimavit. Cum vero id Quesnellus respuerit, nihil hac in parte ab interpretibus additum vel exaggeratum dici potest; sed quidquid acerbius in ea editione legitur, totum ex ipsius Quesnelli mente atque sententia profectum agnoscitur.

XIX. Duo præcipua fuerunt præjudicia quibus hic laborabat, alterum in materia gratiæ, alterum vero adversus quasdam Romanæ sedis prærogativas. In materia gratiæ, quam male senserit palam faciunt ea quæ postea edidit, et solemni Constitutione proscripta fuerunt. Ex his nonnulla editioni Leonis inspersit, sed latenter et parcius : de quibus in aliquot observationibus ad Leonis Sermones et ad dissertationem secundam in libros de *Vocatione omnium gentium*, nonnihilum disseretur. In pontificias autem prærogativas apertius et latius divagatus est. In has vero male licet animatus, ut passionem omnem ac præjudicium occuleret, protestationes quasdam observantiæ, cultus et reverentiæ in apostolicam sedem magnificentissimis verbis identidem exposuit; re autem auctoritatem ejus quibuscumque rebus posset extenuare et imminuere nisus est. Tantum vero se supra cæteros ejusdem factionis homines hac in re præventum Quesnellus prodidit, ut documenta quæ Romanis prærogativis favere videbantur, licet omnino certa, ipse velut suppositilia vel saltem dubia traducere inanissimis conjectationibus studuerit. Hac, ut videtur, de causa expungenda, ex. gr., censuit concilium Teleptense cum epistola Siricii papæ, actionem Chalcedonensem de Domno, et vitam S. Romani, aut saltem textum, quem eidem insertum et intrusum comminiscitur. Alia plura, quæ hominem in Romanos pontifices non bene affectum detegent, in nostris observationibus atque etiam in nonnullis annotationibus identidem occurrent : quas quicumque æquo animo legerit, fatebitur, ni fallimur, necessarium fuisse aliquam editionem Quesnellianæ opponere, qua omnes hujus lucubrationes singillatim subjicerentur examini, ac justis censuris opportune notarentur. Solum displicet, id negotii iis fuisse impositum, qui et eruditione et scientia minus parati sunt. Id tamen veritatem magis magisque manifestam faciet. Si enim nos, qui modicum valemus, evicerimus, quam perperam Quesnellus in multis scripserit, id non ingenio, non arte, non ullo peculiari subsidio, sed veritate ipsa demonstrante factum patebit

XX. Nunc reliquum est ut nostræ editionis ordinem explicemus. Quesnelli editio duobus tomis continetur. Primus Leonis Opera non tam genuina quam suppositilia complectitur. Genuina sunt Sermones et Epistolæ. Libri autem duo de Vocatione omnium gentium, Capitula de gratia, et Epistola ad Demetriadem, seu liber de Humilitate, quos Leoni Quesnellus perperam tribuit, inter suppositilia referimus. In fine ejusdem tomi adjecit S. Hilarii Arelatensis Vitam, et nonnulla ejusdem Opuscula. Secundo tomo antiquissimam et præstantissimam Collectionem Canonum et Constitutionum apostolicæ sedis e codicibus edidit, quam *Codicem Canonum et Constitutionum Ecclesiæ Romanæ* inscribendam putavit, non quod hanc inscriptionem præferant codices, sed quia hanc Collectionem Romanæ Ecclesiæ propriam, Leonis ætate vigentem, et ab eodem pluribus auctam opinatus est. Tum subjecit sexdecim dissertationes in Leonis Opera et in laudatam antiquissimam Collectionem Canonum atque Constitutionum sedis apostolicæ. Tandem in Epistolas S. Pontificis varias lectiones, notas et observationes impressit. Notandum vero est Quesnellum in secunda editione Lugdunensi anni 1700 non pauca addidisse quæ deerant in prima editione Parisiensi anni 1675. Quædam enim monumenta quæ post primam editionem prodierunt in lucem, inseruit, nimirum duas Græcas Martiani epistolas ad Leonem ab Arnoldo editas, unam Eutychis ad eumdem pontificem vulgatam a P. Lupo, fragmentum Epistolæ Anatolii Constantinopolitani, et Græcum textum Epistolæ Flaviani, quæ typis dedit Cotelerius, ac dissertationem Joannis Ciampini *de vocis correctione in sermone* VII *S. Leonis de Nativitate Domini*. Præterea ex tribus mss. Barberinis Epistolarum variantes, quas postea accepit, in notis vel in postillis nonnum-

(*a*) *Critique de la Bibliothèque....* par M. Dupin, liv. II. c. 16.

Digitized by Google

quam adhibuit. Non pauca etiam in dissertationibus ac notis adjecit, quibus priores suas sententias a Lupo, Baluzio aliisque censoribus oppugnatas defendere et confirmare ut cum maxime nisus est.

XXI. Nostram editionem in tomos tres partiemur. Primus tomus exhibebit omnia genuina Leonis Opera, id est Sermones et Epistolas sinceras, in quibus recognoscendis et emendandis ita nostris codicibus usi sumus, ut Quesnelli etiam variantes expenderimus. Sic et nostra et Quesnelli exemplaria ad hanc editionem perficiendam contulerunt. Præfationes, et admonitiones, ubi opus fuit, præmisimus. Annotationes Sermonibus ac Epistolis subjectæ emendationum rationem reddent, et variantes lectiones tum nostrorum, tum Quesnelli codicum accurate designabunt, et ipsum pontificis textum, ubi indigere visus est, illustrabunt. In his etiam locum habebunt illæ notæ quas Quesnellus Sermonibus vel Epistolis ipsis quandoque apposuit, ut quidquid illius est non desideretur. Cum vero is Sermonibus quasdam notationes aut postillas affixerit, quæ longiorem disputationem postulant, harum causa post Sermones edemus *Observationes* nostras in quædam peculiaria loca eorumdem Sermonum; si in his insertæ inveniantur memoratæ Quesnelli notationes vel postillæ, sicut et laudata Ciampini dissertatio, quæ ad unum sermonem illustrandum pertinet. Sermones dubios, vel Leoni male afflictos partim editos, plerumque autem ineditos rejecimus in appendicem Sermonum, in cujus præfatione inter cætera notitia affertur aliorum Sermonum qui in nonnullis mss. exemplaribus Leoni perperam ascripti, et aliis atque aliis auctoribus in aliis codicibus attributi, cum inter aliorum Patrum Opera prodierint, repetendi non fuere: quibus autem in libris editi sint, indicavimus. Leonis Epistolas excipiet dissertatio *de epistolis deperditis tum S. Leonis ad alios, tum aliorum ad S. Leonem, ac de aliis monumentis ad epistolas pertinentibus, dispositis ordine chronologico;* ubi Leonina fragmenta quæ supersunt inserentur. Sequetur notitia decretorum quæ Leoni in Pontificali libro tribuuntur. Tandem appendix epistolarum S. Leonis Magni, aliquot litteras supposititias, aliaque documenta ad Epistolas pertinentia comprehendet, quæ inter ejus Epistolas collocanda non fuerunt

XXII. Tomus secundus exhibebit appendicem prolixiorum Operum quæ Leoni ascripta fuere. Primo edetur Sacramentarium omnium vetustissimum, *Leoninum* in vulgatis appellatum, eo quod Leoni tribuatur. Inter certa hujus pontificis Opera referri non potuit, cum nec omnia quæ in eo continentur Leonis sint, nec ipsius compingendi auctor idem pontifex appellari certo queat. At cum quædam Leonina in eo inserta legantur, ex quibus Leoni in editis adjudicatum fuit, omitti non debuit in appendice in qua edenda fuerunt alia Opera Leoni tributa, quæ nihil Leoninum certissime continent. Id autem multo magis erat faciendum, quia Quesnellus tres præfationes veluti Leoninas in calce Sermonum edidit, quarum duæ in ea ejusdem Sacramentarii parte quæ superest inveniuntur, tertiam vero in ea parte quæ intercidit, exstitisse probabiliter credimus. Secundo edemus duos libros de Vocatione omnium gentium, Capitula seu Auctoritates de Gratia et Libero Arbitrio, et Epistolam ad virginem Demetriadem, seu tractatum de Humilitate; quibus omnibus Quesnellus Leonis nomen præfixit. Hæc ad mss. codices recognovimus, quorum præsidio cum non pauca emendavimus, tum nonnulla etiam quæ alicubi deerant supplevimus. Subjicietur *Breviarium adversus hæreticos* (alias vocatum *Breviarium fidei adversus Arianos*), quod P. Sirmondus sine auctoris nomine edidit: Leoni enim assertum invenimus in duobus antiquis codicibus Patavino atque Mediolanensi, qui aliquot correctiones præbuere. Cur autem hunc non inter Leonis Opera, sed inter supposititia recensuerimus, ex præmissa admonitione patebit. Post hæc, ne quid desit quod Quesnellus suæ editioni inseruit, S. Hilarii Arelatensis Vita, et ejusdem Opuscula (duobus per nos adjectis) cum aliquot mss. exemplaribus collata et emendata prodibunt. Hic appendicis finis. Porro ut Quesnelli lucubrationes, quemadmodum spopondimus, nostræ editioni inserantur, ex sexdecim ejus dissertationibus undecim hoc tomo recudentur, quæ vel ad Leonem, vel ad præmissa Opera pertinent; cæteræ enim quinque reservantur tomo tertio, eo quod spectent ad Codicem Canonum et Constitutionum apostolicæ sedis, quem in tomum tertium rejecimus. Cuique dissertationi, cum præcipuum thema a Quesnello propositum refellendum erit, subjicientur observationes quæ dissertationis censoriæ vicem gerent. Ubi autem quædam tantum in dissertationibus corrigenda aut confirmanda erunt, notationes in calce paginarum ap-

Digitized by Google

ponendæ sufficient. Id præsertim servari debuit quoad primam dissertationem, quæ S. Leonis Vitam describit; ubi etsi non pauca castiganda, nonnulla etiam adjicienda erunt, plura tamen satis constant. Hunc tomum concludent ejusdem Quesnelli observationes et notæ in Leonis Epistolas, quas uti prolixiores ipse quoque post dissertationes vulgavit; easque, ubi opus erit, aliis nostris annotationibus distincte propositis emendabimus.

XXIII. Tertio tomo separatim edendo et ad justam molem compingendo occasionem dedit vetustissima Collectio Canonum et Constitutionum apostolicæ sedis, quam sub arbitrario et falso titulo *Codicis Canonum et Consttitutionum Romanæ Ecclesiæ* Quesnellus in lucem produxit initio tomi secundi. Hæc ab eodem ex ms. Oxoniensi libro recentiori et valde mendoso vulgata fuit: Thuaneo enim antiquiori et optimæ notæ exemplari, quod serius novit, modicum nec satis apte usus est. Nos multo plura ex hoc codice aliunde accepimus. Accesserunt autem quamplurima ex alio hactenus ignoto, at pervetusto bibliothecæ Cæsareæ libro ejusdem collectionis; et his subsidiis permulta menda corrigere, et ipsam collectionem meliori ac primigeniæ formæ restituere potuimus. Cum vero, ut huic collectioni seu corrigendæ seu illustrandæ ex aliis quoque collectionibus aliquid adjumenti quærentes Romæ et alibi expenderimus quotquot invenire licuit manuscripta aliarum veterum collectionum exemplaria, in quibus omnia vel fere omnia laudatæ collectionis documenta, licet sparsim inserta, reperire et recognoscere non inutiliter contigit, aliam ex hoc studio multo præstantiorem utilitatem collegimus. Nacti enim sumus in his codicibus non pauca rarissima, vel etiam omnino ignota antiquissimi canonici juris monumenta, quæ post memoratam Collectionem vel emendatiora proferre, vel primum edere gratum et utile futurum arbitramur. Hæc quæ et cujus usus atque præstantiæ sint, ex iis intelligetur quæ dicentur in præfatione ad tomum tertium. Hoc vero diligenti quamplurium manuscriptarum collectionum examine factum est, ut non solum aliquot ignotas et ineditas Collectiones Canonum deprehenderimus, sed plures etiam notitias nacti simus circa collectiones vulgatas, quæ novissimos quoque et eruditissimos harum rerum scriptores latuerunt, quibusque antiqui juris canonici historia illustrari maxime potest. Hinc tractatum *de antiquis tum editis, tum ineditis collectionibus et collectoribus Canonum ad Gratianum usque* Quesnellianæ collectioni præmittemus, quo hæc omnia fuse explicabuntur. Tandem post prisca documenta edentur quinque dissertationes Quesnelli, quas, cum ad Collectionem Canonum ab eo vulgatam pertineant, huc reservavimus nec non observationes nostræ, quæ eisdem confutandis, ubi perperam sensit, ex suscepto consilio necessariæ videbuntur

XXIV. Distinctam singularum editionum notitiam, quæ in generali præfatione æquum locum habuisset, omisimus: hæc enim exhibetur in præfatione Quesnelli, quam, ne quid Quesnellianæ editionis ex instituti nostri ratione desideretur, additis paucis annotationibus mox subjicimus. Illud sub finem monemus, quod cum Romæ et alibi studiosorum hominum querelas audierimus de hodiernis editionibus, quæ folio magno ad magnificentiam impressæ tractandi ac legendi usui, præsertim nocturno tempore, difficiles sunt, folii parvi, quod commode evolvi ac legi possit, formam eligendam putavimus.

P. QUESNELLI

PRÆFATIO GENERALIS

IN SUAM EDITIONEM OPERUM S. LEONIS MAGNI.

I. Sanctæ Ecclesiæ catholicæ fundamentum a Christo positum unum est, fides divina. Fidei porro fons unicus, verbum Dei, seu illud quod sacris litteris expressum legitur, seu quod apostolis viva voce creditum per sanctorum Patrum traditionem ad nos usque transmissum accepimus. Quamobrem hic labor, hæc opera homine ecclesiastico digna in primis censenda est, quæ in eo ponitur, ut geminus ille catholicæ fidei alveus ab adventitia colluvie purior semper evadat: ne, vivis illis ac cœlestibus veritatis divinæ aquis peregrinarum doctrinarum luto turbatis, inficiantur potius quam reficiantur fidelium mentes.

Secernendis eluendisque mendis quibus sacræ paginæ seu temporum ignorantia, seu malitia hæretico-

Digitized by Google

rum inspersæ fuerant, tam diligenti cura, tam felici successu laboratum est ab eruditis Ecclesiæ catholicæ alumnis, ut ab isto jam limpidissimo fonte scientiam salutis haurire cuique sine ulla erroris formidine liceat. At SS. Patrum scripta, per quæ velut per alterum alveum veritas a Christo capite ad nos usque volventibus sæculis traducitur, nondum ab erratorum et interpolationum fæce satis purgata sunt, nondum suæ puritati plene reddita: tametsi jam a centum quinquaginta et amplius annis hoc moliri cœperint haud mediocribus vigiliis viri impense docti, ut nobis sancti Patres toti quasi renascerentur. Ætati nostræ servata palma hæc videtur; in qua præcipuorum ex illis Opera accurata recensione, luculentisque eruditorum virorum commentariis illustrata vel prodierunt non ita pridem, vel brevi sunt proditura. Mihi pro mearum tenuitate virium hæc tam multiplicis laboris particula contigit, ut S. Leonis papæ Opera expurganda pristinoque, si possent, nitori restituenda susciperem: Leonis, inquam, scriptorum mole minimi, cognomine Magni, vitæ sanctimonia, gestisque juxta et scriptis rebus maximi; cujus scripta tanto sunt majoris in sacra traditione momenti, quanto et majores apostoli quibus successit, et Romana quam rexit Ecclesia, cæteris Occidentalibus antiquior, omnibus eminentior propter potentiorem, ut loquitur Irenæus, principalitatem semper est habita.

In eo autem, quem nobis sumpsimus, labore tot antecessores habuimus, ut vix inter sanctos Patres unus sit cujus scriptis medicam manum plures adhibuerint, nec alius tamen qui ea cura magis indigeret. Antequam igitur nostri in hac editione instituti ac laboris rationem reddamus, operæ pretium est brevi hic elencho repræsentare quid ab aliis præstitum in suis editionibus, tum ne sua cuiquam debita laus pereat, tum ut quid opella nostra huic accesserit, facilius quisque possit intelligere.

II. Johannes Andreas Aleriensis in Corsica insula episcopus primam Operum S. Leonis I editionem procuravit (*a*) Venetiis ann. 1485; typis Andreæ Parmensis socii artis impressoriæ. Hæc prima editio paucas admodum Epistolas continet Sermonibus adjectas.

Eadem editio ibidem repetita est an. 1505, in typographeio Bartholomæi de Zanis de Portesio, librariæ artis peritissimo, expensis hæredum nobilis viri Q. Domini Octaviani Scoti.

Prodiit Parisiis anno 1511 alia editio, in qua insertus habetur tractatus *de Conflictu virtutum et vitiorum*.

Jacobus Merlinus, theologiæ doctor Parisiensis, evulgavit Parisiis an. 1524 Isidorianam Conciliorum et Epistolarum pontificiarum Collectionem, in qua Epistolæ Leonis nonaginta quatuor habentur, multis quidem locis mendosæ, sed vicissim in aliquibus multo recentioribus emendatiores. Prelo hæc iterum subjecta Coloniæ an. 1530, et Parisiis 1535.

Petrus Crabbe, Minorita, Mechliniensis ampliorem Conciliorum editionem accuravit an. 1538, excuditque Coloniæ; in qua, ut monet ille, *Epistolarum Leonis papæ I magis propria et apta ordinatio; quæ enim*, addit idem, *prius confuse conscriptæ sunt, nunc secundum consulum (modo sciri possint) ac mensium debitum ordinem sunt constitutæ; quibus deficientibus ordo reliquarum Epistolarum, qui aptior visus est, servatur*. Prima igitur laus tentati Epistolarum istarum ordinis Crabbeo debetur, cujus editio denuo excusa est an. 1551.

Petrus Canisius Noviomagensis, clericus tunc Coloniensis diœcesis, qui postea societati Jesu nomen dedit, ac pietate doctrinaque insignis fuit, uberiorem Operum S. Leonis collectionem publicavit Coloniæ ann. 1546 et 1547: *Adminiculo*, ut scribit, *admodum vetustorum et emendatissimorum exemplariorum adjutus, quamquam haud sine gravi labore*. Laudanda viri adhuc tum junioris diligentia; non laudandus ubique successus: dum enim auctiorem vult promere Leonem, ejusdem scriptis inseruit libellum illum *De conflictu vitiorum et virtutum*, quem vel sola mentio Regulæ S. Benedicti non esse Leonis nostri persuadere debuerat. Plura etiam menda magnificasque aliquot epistolarum inscriptiones continet, quæ nec in anterioribus Canisiana editionibus, nec in codicibus mss. leguntur, ut suis locis annotabimus.

Laurentius Surius Carthusianus tota Ecclesia celebris operam suam in Leonis editione navavit an. 1561, in qua multum se temporis ac operæ posuisse profitetur in corrigendis illius operibus, licet ante annos aliquot, inquit, doctorum virorum studio emendata prodiissent. Fatetur tamen non se totum Leonem suæ ubique integritati ita restituisse, ut nihil jam reliquum esset castigatione dignum: *Nec mirum*, inquit, *cum ipse Leo fateatur etiam tum cum adhuc in humanis ageret, vitiatam fuisse epistolam illam suam, quæ est ad Flavianum*.

Idem Leonis Epistolas inseruit suæ conciliorum Collectioni, quæ anno 1567 Coloniæ prodiit et priorem editionem omnium illius Operum anno 1569 Coloniæ recudit.

Joannes Sichardus Clementis Romani Opera collegit, quibus et veterum pontificum pseudoepistolas adjecit. Hæc post plures editiones (*b*) in Germania emissas Parisiis etiam prodierunt anno 1568, cum plurium

(*a*) Dicendum est *Romæ ante annum* 1472, ut patebit ex dicendis in prælatione ad Sermones S. Leonis num. 22. Addenda est etiam altera ejusdem editionis repetitio Venetiis an. 1482, quæ præcessit Venetam anni 1485. Hoc loco memoranda pariter est interpretatio Italica Sermonum S. Leonis ex eadem Aleriensis editione Latina; ita ut et quinque epistolæ ejusdem pontificis, et ipsa Aleriensis nuncupatoria epistola Italice redditæ fuerint. Hujus autem rarissimæ editionis in-folio, quam apud cl. virum apostolum Zenum inspicere licuit, hic titulus est: *Corsini di Bartolomeo Fiorentino. Sermoni del Beato Leone papa di lingua Latina in lingua Toscana da lui tradotti adi* 21 *di Maggio* 1485.

(*b*) De Sincera Sichardi editione Basileensi an. 1536, vide præfationem ad Epistolas S. Leonis num. 28.

Digitized by Google

pontificiarum epistolarum præsertimque Leonis nostri accessione, quas ad fidem veterum exemplarium Victorinorum restitutas fuisse testatur editionis hujus procurator anonymus. Hæc ipsa est editio quam Sichardi nomine designavimus in notis et variis lectionibus.

JOANNES ULIMMERIUS prior S. Martini Lovaniensis, cæteriquè ejusdem cœnobii canonici regulares anno 1575 Leonis Opera cum mss. codicibus contulerunt, inter quos vetustum Epistolarum codicem Joannis Vuanesii J. U. doctoris laudat Ulimmerius. Hæc editio Lovanii annis 1575 et 1577, et Antuerpiæ 1583, prodit.

Insertæ quoque habentur Litteræ Leonis editioni Conciliorum Venetiis emissæ an. 1585, apud Dominicum Nicolinum, qui operam DOMINICI BOLANI ex ordine Prædicatorum in illorum recensione positam maxime commendat.

Successit his omnibus celebris illa Epistolarum Decretalium summorum pontificum Collectio, quæ Romæ prodiit ex Ædibus Populi Romani an. 1591, a doctissimo cardinale ANTONIO CARAFA sacrorum Bibliorum et sanctorum Patrum editionibus notissimo adornata, ope vetustissimorum codicum Vaticanæ bibliothecæ et aliorum ex diversis et longinquis regionibus undique conquisitorum. Id quidem in epistola ad Innocentium IX nuncupatoria testatum reliquit ANTONIUS DE AQUINO, qui rapto præmatura morte Caraffæ, quem incumbentem operi adjuverat, ejus in lucem emittendi provinciam suscepit.

SEVERINUS BINIUS, ineunte præsente sæculo, suam illam Conciliorum edit. Latinam an. 1606 in publicum emisit Coloniæ, quam altera Græco-Latina post duodecim fere annos subsecuta est, anno scilicet 1618. Quæ postrema Morellianis typis Parisiis excusa est anno 1638. His porro insertam habemus Epistolarum S. Leonis collectionem.

Integra Leonis opera Parisiis ante annum 1614 et 1618 edita fuisse non novi : illa autem una cum Maximi Taurinensis et Petri Chrysologi homiliis edita sunt tribus auctiora sermonibus ex veteri ms. Nicolai Fabri codice, quem nunc celeberrima Thuanorum bibliotheca Parisiensis servat charactere quasi Saxonico exaratum. Hæc postmodum prelis sæpe sæpius repetitis excusa tum Lugduni, tum etiam Lutetiæ Parisiorum annis 1623, 1633, 1651, 1661, 1671 et 1672. Demum postrema Parisiensis Conciliorum omnium congeries locum Epistolis S. Leonis PP. dedit tom. IV.

De Leone nostro optime etiam meriti sunt doctissimus cardinalis Baronius, qui plures sancti pontificis epistolas suis Annalibus inseruit ex codice Arelatensis Ecclesiæ, descriptas, et Gerardus Vossius Tongrensis præpositus, qui nonnullas ex mss. codicibus cardinalis Sirleti magni apud eruditos nominis publicavit suis notis illustratas. Immo spoponderat idem Vossius editurum se opera omnia S. Leonis in multis suo studio atque labore recognita, aucta, et illustrata. Ita profitebatur ad calcem Operum S. Ephrem a se editorum; sed morte prævertus, ut opinor fidem liberare non potuit.

Sua laus pariter hoc nomine debetur doctissimo Jacobo Sirmondo e S. J. quod Leonis Epistolas Gallicanam Ecclesiam attinentes ad mss. codices antiquos emendavit, unus additione auxit, et notis etiam suis exornavit, quas uberiores repræsentat appendix tomi IV Labbeanæ Conciliorum editionis.

Denique præcipuæ Leonis epistolæ ad Flavianum emendandæ et illustrandæ operam suam contulerunt, ac partim Latinam, partim Græco-Latinam ediderunt Josias Simlerus in Collectione Scriptorum de duabus in Christo naturis Tiguri an. 1571, et Joannes Leunclavius anno 1578, uterque extra Ecclesiæ castra positus : necnon et duo catholici doctique viri Gerardus Vossius jam laudatus, et Petrus Franciscus Chiffletius S. J. ad calcem Operum Vigilii Tapsensis

III. Post tot tantorumque virorum curam ac diligentiam in emendando Leone illustrandoque collocatam, aliquid operæ reliquum nobis fuisse nemo facile credet, nisi quid a nobis fuerit præstitum vel jam oculis ipse lustraverit, vel hic quæ pro reddenda consilii nostri ratione præfari tenemur, perlegerit.

TOTUM Opus in duos tomos partiti sumus : quorum primus quidquid Leonis est complectitur; in alterum quæ Leoni accedunt, vel appendicis nomine, vel illustrandi Scriptoris nostri gratia, non sine lectoris commodo conjecimus.

Libelli duo plane aurei (*a*), DE VOCATIONE OMNIUM GENTIUM cæteris Leonis Operibus præeunt : quoniam scripti ab eo videntur cum adhuc archidiaconi munere fungeretur in Ecclesia Romana. Jampridem editi fuerant, primum inter S. Ambrosii Opera, postmodum inter Prosperiana, ubique cum mendis longe plurimis ac gravissimis, quas ope præclari codicis ms. Thuaneæ Bibliothecæ eluimus, collatis etiam antiquis editionibus, quæ nonnumquam in dubiis subsidio fuerunt. Breviores Notas sparsimus, ubi lucem obscurior textus poscere visus est; ab uberioribus, quibus patebat celebris materies et diuturnis vexata disputationibus, consulto abstinuimus, ne contentioni studere magis videremur, quam illustrando Scriptori.

AUCTORITATES DE GRATIA ET LIBERO VOLUNTATIS ARBITRIO subsequuntur. In quibus recensendis minus a nobis laboratum : quia et jam olim ab omnibus Conciliorum et Epistolarum Pontificiarum editoribus emendatæ, et mss. earumdem codicibus abundant bibliothecarum foruli.

EPISTOLA seu LIBELLUS AD DEMETRIADEM VIRGINEM succedit utrique illi opusculo. Mss. porro codicum,

(*a*) Hi libelli et duo sequentes, utpote Leoni perperam afficti, inter supposititia opera in tomum secundum rejicientur, ubi et Quesnelli argumenta ac dissertationes ad eos Leonis asserendos lucubratæ confutabuntur.

Digitized by Google

qui illum contineant, tanta penuria est, ut ne unum quidem nancisci potuerimus, qui in locis obscuris depravatisque restituendis opem ferret. Sola exemplaria antiquitus edita adminiculo fuerunt, cum schoiiis perbrevibus Petri Nannii Alemariani in S. Ambrosii Opera Basileæ excusa an. 1531. Ubi hæc defuerunt, conjecturæ indulgendum fuit: an infelici successu, unusquisque judicabit.

Erunt fortasse non pauci, qui reum me poscant temeritatis ac non exspectati doctiorum judicii, quod tria opuscula proxime numerata Leonis operibus indubitanter accensuerim, ne uno quidem in Leonis gratiam clamante codice vel excuso vel ms. reclamante ab octingentis et amplius annis conciliorum scriptorumque plurium testimonio. Hoc unum in præsenti postulo, ut se paulisper ab omni præjudicio sustineant, qui ita sentiunt, usque dum dissertationes 2, 3 et 4 quibus consilii nostri rationes continentur, perlegerint. Interim temeritatis notam abs me deprecor doctissimorum virorum exemplo, qui scriptoribus celeberrimis nonnulla opuscula ex unius styli suffragio vindicare ac sub eorum nomine publicare non dubitarunt.

Sermones Pontificis nostri (*a*) excipiunt præmissos libellos: quæ pars Operum Leonis, quia magis in omnium usu omniumque teri solita manibus, magis etiam varietati lectionum, interpolationibus, mendisque fuit obnoxia. Quod ad eosdem spectat, duo sunt genera codicum mss. qui occurrunt in bibliothecis: alii continent omnes sermones Leonis in unum corpus collectos, et secundum solemnitatum anni seriem ordinatos, eo fere modo, qui in editis conspicitur; alii vero sunt Lectionarii libri ad usum Ecclesiarum descripti, qui variorum Patrum Leonisque imprimis sermones et homilias habent in nocturnis officiis recitandas. Id priores commodi habent, quod sub uno conspectu omnes Auctoris nostri sermones complectantur; incommodi vero, quod recentiores plerumque sint, et quia longius a fonte recedunt, minus emendandis erratis idonei. Posteriores antiquitate proculdubio præstant cæteris; at non uno laborant incommodo. Primum est quod non omnes continent sermones, et hi quidem aliquos, illi alios pro diverso Ecclesiarum more, quarum usui descripti sunt: adeo ut immensa et innumera plerumque evolvenda tibi sint volumina, ut paucos aliquos sermones ad illos codices recenseas. 2° Cum fidem variis propriisque locorum solemnitatibus accommodati sint, sæpe sæpius peregrinis quibusdam additamentis et ab auctoris mente prorsus alienis auctiores habentur: quibus nonnumquam discernendis vix sufficias. Insigne hujusmodi exemplum habes in sermone 41 qui quartus est de quadragesima. 3° Quia iis sermonibus describendis addicti sunt sæpissime rudiores monachi, nec satis linguæ Latinæ periti, hinc maculosi mendisque scatentes frequenter hujusmodi libri occurrunt. Iis igitur ex æquo et bono usi sumus, nec fidem cuiquam habuimus, nisi re pensiculatius examinata.

Sermones omnes sub una numerorum serie ordinavimus, non omissa tamen usitata prius numerandi ratione. Nulli suo loco moti sunt, tribus solummodo exceptis, scilicet quarto in anniversario assumptionis suæ, sexto de collectis et eleemosynis, et nono de jejunio decimi mensis: qui olim ex codice ms. v. cl. Nicolai Fabri ad calcem cæterorum adjecti erant; nunc vero suo loco jacent col. 19, 37 et 61. Numerum sermonum non auximus, immo vero minuimus, uno et altero in appendicem rejectis. Unicum sermonem 96 *in cathedra S. Petri* (*b*), ex Regio codice descriptum cæteris accensuimus, nec accensuisse pœnitet. Etsi enim hoc ipso præfationis loco primæ editionis nostram ipsi censuram castigassemus, re tamen iterum examinata styloque perpenso, ad priorem mentem redimus, hunc sermonem Leoni adjudicare non ausi.

Quid ex Pontificali Romano, quamque ob rationem Sermonibus attexuerimus, quid istorum appendicula contineat, admonitiones suis quæque locis præfixæ satis superque explicant.

IV. Epistolæ (*c*), quæ ultimam tomi primi partem occupant, primum merito locum inter Leonis Opera omnium sententia tenent, eo quod plurima habeant decreta, quæ ad totius ecclesiasticæ disciplinæ seu generalis seu sacramentalis notitiam conferant, ac præsertim pœnitentialis, in quam quasi fibulam, totius Ecclesiæ disciplinam coarctari jam olim Pacianus monuit. Nec disciplinam solam perdocent epistolæ, sed et quidquid rerum majoris momenti, ab anno 440, per viginti et amplius annos actum est in Ecclesia; id fere totum his epistolis vel continetur, vel illustratur.

Sed porro circa eas a nobis præstita sunt. 1° Rejectæ spuriæ ac subditiliæ. 2° A germanis abstersæ mendorum et interpolationum maculæ. 3° Mutatus ordo et ad genuinum quoad fieri potuit revocatus. 4° Auctus est plurium accessione earum numerus. 5° Suam cuique synopsim præfiximus, quod nec in Sermonibus est omissum. 6° Quotquot occurrerunt ad S. Leonem datæ ab aliis Epistolæ, relativis ejus litteris inseruimus, quibus intelligendis sæpe sunt necessariæ, nec legenti Leonem plerumque ad manum sunt.

Unam, quæ est ad Germaniarum et Galliarum episcopos, de chorepiscopis, omnino rejecimus: quia de ejus suppositione dubitari non potest; rejectionisque causas dissertatione 11, quæ tom. II habetur, exposuimus. Septimam (*d*), quæ ad Septimium scri-

(*a*) Confer nostram præfationem Sermonibus præmissam.

(*b*) Hic sermo suppletus et integer in appendice suppositititiorum sermonum edetur serm. 14. Admonitio eidem præfixa legenda erit.

(*c*) Vide præfationem Epistolis præmissam.

(*d*) Hanc, quæ in nostra editione est epist. 2, et sequentem ad episcopos Siculos, quæ nobis quoque est epist. 17, Leoni prorsus adjudicandas in peculiaribus admonitionibus demonstrabimus.

Digitized by Google

pta legitur, et decimam septimam, quæ ad universos Siciliæ episcopos, ex epistolarum Leonis nostri numero expungendas censuimus in notis, suum tamen eis locum servavimus, ne doctiorum judicio, quibus rationes nostras subjicimus, præjudicare videremur.

De genuinarum emendationibus abunde a nobis ratio reddita in notis, ad quas lectorem remittimus.

Immutatum epistolarum ordinem incusabit aliquis, tum quia molesta res videtur antiquo numero assuetis, novum menti velut inscribere, tum quod difficile futurum sit loca a Scriptoribus sub priori numero citata adire, epistolis scilicet novo notatis numero, et ignoto jam ordine collocatis. Verum omnem incommodi metum auferent indices præfationem secuturi, qui non posteriorum modo editionum ordinem repræsentabunt, sed et antiquiorum, quod in nullis aliis invenias. Jam vero quam necessario inemenda fuerit nova epistolarum ordinatio, facile intelliget quisquis recentiorem nostram cum antiqua contulerit, perpenderitque quantopere chronicus epistolarum historicarum ordo et memoriam adjuvet, et ad claram rerum notitiam conferat, et enodandis plerumque gravissimis difficultatibus prodesse consueverit. Innovandi ordinis necessitatem auxit, et earum accessio epistolarum quas primum publicamus, et veterum confusio: ut enim quæque secundum annorum ordinem positæ unam historiæ seriem constituunt; ita si triginta de novo additæ, et triginta ex antiquis, quæ nullo temporum ordine servato prius editæ sunt, promiscue collocarentur, informe omnino et inconditum epistolarum corpus conflarent. Tantum vero interest epistolas restituta genuina serie recenseri, ut Pelagius II PP. seu sub ejus nomine Gregorius Magnus, in epistola ad Eliam et cæteros Istriæ episcopos, hoc in eis arguat, quod fuci faciendi causa aliqua *ex S. Leonis epistolis ac encycliis testimonia sumpsissent permixto confusoque ordine.* Et statim recensens ipse testimonia ab Istricis episcopis prolata ex epistola ad Leonem Augustum, quæ antea 78 numerata, nunc vero 152 nostræ editionis est (*a*), hanc *ultimam* Leonis epistolam vocat; ultimam procul dubio codicis epistolarum, qui Romæ pontificum manibus volvebatur, qualis nullus (*b*), puto, ad hanc usque diem emersit e tenebris. In Thuaneo exemplari ms. Codicis Romani, huic adjicitur: Collectio triginta et trium epistolarum Leonis nostri, quæ antiquissima est et vix ab ipso Canonum et aliorum Constitutorum Codice divellenda: eamdem tamen esse, quam Pelagius II et Gregorius I præ manibus habebant, non ausim affirmare: quia licet epistola ultima ab illo appellata, ultima sit earum, quæ ad Leonem Augustum datæ sunt, in laudato Codice, non omnium tamen ultima est: duæ enim ad Anatolium, tertia ad episcopos qui Chalcedonensi concilio interfuerant, quarta ad Dorum Beneventanum, et post aliqua interjecta, quinta ad Theodoritum habentur in eo exemplari ms. An ei postmodum superadditæ fuerint, asseri vel negari a quoquam nisi divinando posse non existimo.

Jam de aucto epistolarum numero paulo fusius disserendum. Duas ex Collectione Romana Lucæ Holstenii viri doctissimi accepimus: tertiam enim ante ipsum non editam ex Grimanico Codice emendatiorem habemus. Unam ex Codice Bonævallensi descriptam subministravit Tomus I antiquorum Conciliorum Galliæ J. Sirmondi. Unicam etiam transcripsimus ex Bibliotheca Floriacensi; sed cujus fides plurimum vacillat.

V. Sed viginti et octo insignes epistolas debet Ecclesia Codici Cardinalis Dominici Grimani, quem bibliotheca domus Institutionis Oratorii D. Jesu in Parisiensi S. Michaelis suburbio nunc possidet dono acceptum a R. P. Andrea de Berziau Oratorii presbytero de eadem domo bene merito. Huic Codex, paternæ hæreditatis pars non ignobilis, obvenit a nobilissimo viro, parente suo, Theodoro de Berziau Classium Inquisitoriarum in curia Parisiensi præside, non avita solum nobilitate, sed propria etiam laude propter eximias animi dotes, litterarumque studium singulare clarissimo. Is porro Codicem Leoninum cum aliis optimæ notæ habuit a Vitrico suo illustrissimo Andrea Huralto Messæo Regibus Christianissimis Carolo IX, Henrico III et Henrico IV, a sanctioribus consiliis, viro in tractandis publicis rebus prudentiæ dexteritatisque non vulgaris, quem celeberrimus Huraltus Chevernius Franciæ cancellarius regii sigilli custodem etiam se vivente deligi peroptarat, quem denique gemina ad rempublicam Venetam legatio difficillimis temporibus feliciter obita clarum reddidit. Is cum ea occasione Venetiis ageret, ut erat litterarum studiosissimus, plurima selectorum librorum volumina, partim excusa, partim manuscripta diligenter conquisivit, pecunia redemit, inque Gallias exportata suæ intulit bibliothecæ. Ex hujus penu jam a septuaginta et quinque annis aliqua Synesii Opuscula Græca prodiere studio Frederici Morelli Regii tunc in Academia professoris, ope ms. codicis Græci, qui Epistolas et Tractatus aliquot continet, quo etiam usus est, mutuante eo-

(*a*) Nobis est epist. 162.

(*b*) Ratisponensem præstantissimam collectionem invenire nobis feliciter contigit: in qua quidem *ultima* Leonis epistola est illa, quæ a Pelagio II indicatur; eamque esse collectionem a Vigilio papa compactam et indicatam ab eodem Pelagio ostendemus in præfatione ad Epistolas numer. 42. Hinc Quesnelli inquisitio, num hæc collectio exhibeatur in Thuaneo codice, omnino superflua, et aliunde etiam inanis est. Cum enim in hoc codice continetur collectio 8 quam non Romanam sed Gallicanam tomo tertio probabimus; tum vero Leonis epistolæ 32 in eadem collect. 5 primitus descriptæ desinunt, non in epistola ad Leonem Augustum, sed in epistola ad Dorum; adeo ut ea solum, quæ huic epistolæ in Thuaneo codice subjiciuntur, additamenta sint, quæ in puris ejusdem collectionis manuscriptis desunt, nec indicantur in ipsa Thuanei codicis tabula, ubi primævæ originis monumenta recensentur.

Digitized by Google

dem Morello, doctissimus Petavius in sua omnium Synesii Operum editione anni 1612, annis 1631 et 1640 repetita. Servatur modo codex iste in Oratoriana eadem Sammichaelini suburbii bibliotheca.

Venetiis igitur asportatus in Galliας nostras codex Epistolarum S. Leonis, qui olim fuerat celebris illius Dominici Grimani cardinalis : ita enim codicem notatum num. 1124 propria, ut videtur, manu inscripserat : Liber Dominici Grimani cardinalis S. Marci. Is fuit Antonii Venetiarum ducis filius, Sabellici, Niphi, Erasmi, Pici Mirandulæ, aliorumque scriptis celebratissimus, episcopus Portuensis et patriarcha Aquileiensis, vir inculpatissimæ vitæ, raræ in patrem pietatis, omnium scientiarum peritissimus; qui instructissimam 8000 voluminum bibliothecam, omnijugis, ut de ea loquitur Erasmus, omnium linguarum libris refertam reliquit, quam nescio an eamdem illam esse recte crediderim bibliothecam, quam *in cœnobio D. Antonii Venetiarum idem Dominicus Grimanus cardinalis exstruxit, instruxitque marmoreis signis ac libris exquisitissimis publicæ commoditati, sumptu maximo :* quod ita testatur Joannes Dominicus Trajanus in præfatione Operum Guillelmi Alverni episcopi Parisiensis, quorum editionem Venetiis procuravit an. 1591, ope imprimis Grimanici hujus bibliothecæ codicis. Ex his libris manuscriptus unus fuit, quem laudamus, quemque ut eximiæ notæ codicem cardinali obtulerat quidam Antonius Bellonus Utinensis Tabellio (*a*), quod ejusdem epistola seu Donationis libellus codici præfixus testatur. Hunc describimus, posteris scilicet significaturum ex quo primum fonte, quem quidem noverimus, prodierint tot egregiæ Leoni Magni epistolæ.

Reverendissimo D. D. Dominico Grimano cardinali Sancti Marci Antonius Bellonus Utinensis Tabellio S. P. D.

Audio te Venetiis erigere bibliothecam, pulcherrimum Grimanæ virtutis atque munificentiæ monimentum, et maxime lætor : ipsa enim artes liberales, unde clarus honos, colentur in omne tempus. Debebunt et tibi plurimum studiosi, qui posteros omnes multorum participatione voluminum quæsiveris fieri sapientes. Nec mirum : quippe ille es, in quo sapientia cum liberalitate, liberalitas cum sapientia de principatu contendunt. Ut autem ipse quantulocumque possum munusculo tuam augeam istam bibliothecam (librorum namque vetustate, copia, delectu condecoratur) divi Leonis codicem hunc antiquitate venerabilem ad te do. Videbis, et si dignus visus fuerit, delectis inseres. Cæterum spero, si virtuti fortuna se subscribere dignata fuerit, te quemadmodum scientia et sanctitate, ita gradu et sede, quo nil sane bonis omnibus desideratius, relaturum quondam Leonem ipsum, decimo, qui sedet, si forsan majorem non licet dicere, in nihilo certe inferiorem. Vale.

E regione istius epistolæ habetur etiam nuncupatorium codicis ejusdem epigramma Germani Belloni, Antonii, ut promptum est credere, consanguinei. Et hoc lectori repræsento.

En, Grimane, Leo, veteri qui scriptus in Albo
Ad te cœlesti convolat e specula.
Cujus diva tibi fauste dat dextra Libellum,
Felicemque novo nuntiat ore senem;
Perpetuumque tibi tandem promittit honorem,
Qui celer a lævo Juppiter axe tonat.
Ergo cape, atque inter sacrata volumina Pallas
Condet, et in propriis hæc dabit esse locis.
Atque hunc dextra dedit, propria te sede reponet,
Et te felicem Juppiter usque dabit.

Leoninus iste Grimani codex annorum fere est nongentorum, continetque centum et septem Leonis epistolas, quarum viginti et octo antehac numquam editæ; quas authenticas germanasque esse et stylus, et materies, et codicis antiquitas, et quidquid optimæ notæ sinceritati fetus suffragari potest, manifestissime demonstrant. Earum præterea nonnullas indubitatæ fidei asserunt testes locupletissimi ex variis orbis Christiani regionibus, ex Africa, inquam, Italia, Gallia, et Anglia advocati, sedis apostolicæ pontifices Vigilius papa et Pelagius II, Facundus Hermianensis episcopus, Prudentius Tricassinus episcopus, et Beda presbyter, qui fragmenta earum aliqua protulerunt suis locis notanda. Leo ipse plures earumdem indicat in aliis ejusdem materiæ epistolis, ut in notis nostris observatum lector inveniet.

Nec hoc solum debemus Grimanico codici, quod plurimis magnique momenti epistolis auctiora Leonis scripta reddiderit, sed etiam quod longe emendatiora quam ante essent. Nullus enim codex occurrit ex quo plures insignioresque castigationes hauserimus.

Post epistolas habes aliarum aliquot fragmenta, ut et Commonitorii legatis ad Chalcedonense concilium proficiscentibus dati; quibus et unica adjicitur quæ restat Juliani episcopi Coensis ad Leonem Augustum epistola; cujus Juliani tot ad Leonem nostrum datæ ex legationis officio litteræ nisi temporum injuria excidissent, et Leonis nostri epistolæ, et rerum

(*a*) De hoc præstanti viro vide Muratorium *Rerum Italic.* tom. XVI, pag. 23 et 68. Alias vero ejusdem Bellonis litteras scriptas anno 1515, iis anteriores, quas Quesnellus huic præfationi inseruit, hic appendimus. Ex his enim inter cætera discimus, eximium hunc Leoninum codicem antequam in ipsius Belloni et cardinalis Grimani potestatem veniret, fuisse Petri Passerini, celebris Forojuliensis patriæ antiquarii, de quo idem Bellonus in epistola eodem anno data ad Jacobum Purlilianum comitem scripsit : *Nihil est in universa patria librorum vetustorum, nihil antiquæ sculpturæ, quod non accurate viderit, adamussim collegerit,* etc.

Antonius Bellonus Petro Passerino Sal.

Librum sanctissimi Leonis papæ, dono quamvis abs te mihi quondam datum, non ut meum, sed ut tuum adhuc reverenter custodivi. Ita enim accipere servareque nolui, ut de Leone tibi liceret non minus quam de me ipso disponere. Cupio nunc ad tui imitationem Angelum Gabrielem illius munere, si concedas, afficere. Poterit enim, cum sit patricius in republica Veneta et litteraria præstantissimus, et Leonem suæ dignitati restituere, et nobis prodesse plurimum. Tu vero de libro non amplius poteris, de me tamen ut semper disponere. Vale.

Hanc Belloni epistolam, sicut et recitatum alterius epistolæ fragmentum, nobis pro humanitate sua communicavit comes Franciscus Florius cathedralis Utinensis primicerius, qui de optimis studiis, ac de vetustis documentis rebus pluribus bene meritus est.

Digitized by Google

tunc in Ecclesia gestarum memoria maximam inde lucem mutuarentur.

Tomum primum fere claudit Vita S. Hilarii Arelatensis episcopi scriptore S. Honorato episcopo Massiliensi illius discipulo. Hæc ut Leonis Operibus subjiceretur, postulavit initum a nobis Apologiæ Hilarianæ conscribendæ consilium; cujus occasione cum plurima ex ejus Vita decerpserimus in dissertatione quinta lectori fontem ipsum adire cupienti commodum erit eum sub oculis invenire. Nec fas fuit ejus consanguinei, magistri, et in episcopatu Arelatensi prædecessoris Honorati Vitam ab ipso Hilario conscriptam ab hujus Vita sejungere, tum propter arctum utriusque nexum, tum ut quod reliquum habemus Opusculorum Hilarii si quis cum ejus Vita et Apologia conferre voluerit, ea ad manum habeat, et quidem castigatiora antiquis exemplaribus, quæ etiam rara sunt. Habes eodem loco Metrum de Genesi ad S. Leonem papam, quod sub Hilarii nomine circumfertur, et perbrevem ejusdem epistolam ad Eucherium Lugdunensem episcopum scriptam.

VI. Tomus alter hujus operis complectitur Appendicem seu Codicem canonum et constitutorum sedis apostolicæ ex codicibus mss. Thuaneo et Oxoniensi nunc primum editum, deinde Dissertationes tum in ipsum hunc Codicem, tum in Leonem nostrum; denique notas, varias lectiones et observationes nonnullas.

Codicem illum (*a*) amplissimum vetustissimumque inscripsi omnium qui huc usque editi sunt in lucem, nec contra aliquem dicturum confido. Certe si de codicibus canonum et constitutorum Romanæ Ecclesiæ loqui velimus, amplius aliquid audeo : nec enim vetustissimum modo et amplissimum, sed unicum dicere debueram. De Justelli prisco codice quid sentiendum, dissertatio nostra duodecima explicat. Dionysii vero Exigui uterque codex, unus canonum synodicorum, alter Epistolarum pontificiarum, numquam conditus est ad usum Ecclesiæ Romanæ vel episcoporum Romanorum seu mandato seu consilio; sed ille quidem instantia Stephani episcopi Salonitani, hic vero Juliani presbyteri Sanctæ Anastasiæ piis, ut ipse ait, studiis et sollicitudine; quos postmodum *usu celeberrimo Ecclesia Romana complexa est* : ita enim ex Cassiodoro (*Div. Lect. cap.* 3) asserunt vulgo scriptores rei canonicæ; licet de solo canonum ecclesiasticorum codice precibus Stephani adornato, non de altero, id Cassiodorus asseveret. Verum sit ita de utroque; hæc tamen una laus Codicis Dionysiani, quod privati hominis industria conditus, ab Ecclesia Romana meruerit adoptari, suisque deputari usibus sexto sæculo jam mediam partem elapso. At codex noster is ipse est quem sibi confecit Ecclesia Romana statim atque scripto jure et ipsa administrari cœpit et Ecclesias ad suam ordinationem pertinentes regere. Enimvero ante Nicænos Sardicensesque condi-

A tos canones sola consuetudine ecclesiastica, solis regulis partim a principibus apostolorum, partim a proximis eorum successoribus usu ipso vivæque traditionis manu acceptis jus ecclesiasticum dictum videtur in Ecclesia Romana; post Sardicensem vero synodum, de condendo canonum codice cogitari cœpit, qui ex Nicænis Sardicensibusque canonibus sub una numerorum serie colligatis conflatus, solus per aliquod tempus rerum ecclesiasticarum regendarum legem sanxit, ac variis per succedentes ætates accessionibus auctus eam formam induit, quam nunc habes præ oculis, quæque ducentorum beatioris illius ævi annorum disciplinam genuine repræsentat.

Vel ex hoc uno intelligit quisque cujus palato sapiunt antiquitas ecclesiastica et canonica disciplina B vetus, quo in pretio habendum egregium istud utriusque καυδιον, quo melius aliquid et ecclesiasticæ rei convenientius haud scio an præsente sæculo fuerit a tenebris vindicatum. Plura tamen adhuc sunt quæ codicem commendent. Quid enim quod exhibet antiquam illam canonum Orientalium versionem, quæ in usu fuit per plures Ecclesias Occidentales ante Dionysianam? Hanc quidem ex parte habemus in Isidoriana Collectione; sed nec hanc illam antiquam esse confidentius quis pronuntiare ausus esset, antequam id ex ejus collatione cum nostra appareret; nec sincera omnino habetur apud Isidorum, sed mendis, interpolationibus, aliisque corruptelis vitiata. Præterea antiqua Romanæ Ecclesiæ disciplina ex ista versione innotescit, dum aliquos C canones Orientales ab ea rejectos docet, alios mutatos suoque accommodatos usui : quod ex Dionysii versione obscurum manet, quippe qui canones ad fidem Græci textus transtulit, non habita ratione receptæ ab Ecclesia Romana disciplinæ. Mitto quod antiquas primasque habet versiones opusculorum sanctorum aliquot Patrum, qui sæculi quinti initio celebres fuere, et pontificum Romanorum conciliorumque usu consecratæ; quod Romanæ Africanæque disciplinæ nexum notiorem facit; quod plures fidei libellos qua editos, qua non antehac editos continet; quod aliqua Africanorum decreta in editis prætermissa redintegrat; quod epistolas aliquot Romanorum pontificum aliaque monumenta egregie interpolata sinceritati suæ restituit; quod non ea solum D exhibet quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, sed etiam quidquid fere pro fidei causa actum scriptumque est vel ab apostolica sede, vel ab aliis episcopis per illa tempora, id codex comprehendit; in quo præstat et Dionysiano et cæteris canonum constitutorumque codicibus, qui nihil de rebus fidei attingunt, si capitula de gratia et libero arbitrio Cœlestini epistolæ annexa excipias, quæ apud Dionysium habentur et desiderantur in nostro, et Gangrenses anathematismos.

(*a*) Hunc codicem vetustum quidem et eximium esse nemo inficiari potest. At nec amplissimum esse omnium collectionum, nec Romanam collectionem exhibere, patebit ex iis quæ tomo tertio de eodem codice ac de aliis incognitis collectionibus canonum et constitutionum apostolicæ sedis fuse disputabuntur; ubi etiam ea confutabimus quæ Paschasius Quesnellus ex eodem suo præjudicio subinde colligit.

Digitized by Google

Hæc et alia hujusmodi, quæ suis locis occurrent, præclara quidem sunt. Duo tamen præter illa sunt quæ Ecclesiæ Romanæ studiosos (ecquis porro hujus studiosus non sit, si catholicus?) et antiquitatis ecclesiasticæ amatores magis afficient. Unum, quod ope hujus codicis dignoscitur, quæ quove tempore Orientales synodi in usum receptæ fuerint in Ecclesia Romana, quo Antiocheni canones, Constantinopolitani, Africani, et si qui alii in controversiam vocantur.

Alterum est, ex eodem nostro codice repelli ac funditus convelli impudentem calumniam, quam famosi illi Magdeburgenses centuriatores adversus sanctissimos pontifices Romanos Zosimum, Bonifacium et Cœlestinum sceleratissime struxerunt, cum eos palam et publice traducunt velut Nicænorum canonum *adulteratores, falsatores, corruptores:* quasi *per immane scelus et impietatem, ac furiosam ambitionem* a Zosimo papa sciente ac volente supposiiti sint Sardicenses canones pro Nicænis, cum illos sub Nicænorum nomine Carthaginensi concilio per legatos suos obtulit in celebratissima illa Appiarii presbyteri causa: *In qua nefaria decretorum Nicænorum adulteratione pervicaciter perstiterit Bonifacius, homo ambitiosus,* inquiunt, *et impius,* ac *pertinaciter perseveraverit Cœlestinus: licet Africanam synodum veterum exemplaria Nicænorum canonum Constantinopoli et Alexandria accepisse, ac sceleratam fraudem falsatorum canonum detectam esse, probe sciret.* Certa erit deinceps ex codicis inspectione non dicam modo apud catholicos, sed et apud quosvis non desperatæ conscientiæ homines, et scelerata hominum mente corruptorum protervia, et sinceritas candorque episcoporum Romanorum, qui quod acceptum a majoribus in suo codice legebant, bona fide protulerunt; quos eam ob rem ignorantiæ accusare non possis, quin Africanos episcopos, Orientales, ac plerosque Occidentales pariter insimules, quibus vel nullatenus vel obscure admodum innotuerant Sardicenses canones ac Nicænorum numerus, de quo ad nostram usque ætatem perseveravit eruditorum controversia.

VII. Hæc quidem optime, dicet aliquis, ac probata manet utilitas sinceritasque codicis: sed quamobrem Leonis Operibus annexus, ut simul prodirent? si quidem ille una cum dissertationibus sibi propriis volumini seorsim excudendo sufficere poterat.

Non una profecto ratio id consilii persuasit. Non dicam per id temporis a me codicem inventum, cum Leoni edendo incubarem, et inde natam utrumque uno partu emittendi cogitationem; eodem codice usum esse Leonem nostrum; nonnullam lucem ex eo conciliari Leonis Operibus, ac præsertim eo loci ubi Sardicenses canones pro Nicænis ab eo laudantur: multa ejus ætate in codicem fuisse illata, magnam partem ab eodem illi insertam; maximam Eutychis sectatorumque ejus damnata dogmata attinere, quæ propria est et Leonis victoria et scriptorum ejus materies. Sed potior ratio fuit, quod Leonis Epistolæ quæ Operum ejus pars est insignior, sunt velut necessarium codicis supplementum; quo resecto, codex nobiliore sui parte minutus mancusque erit; quo adjecto, jam perfectus est, integramque exhibet juris canonici veteris Romani bibliothecam, ex qua ecclesiasticæ administrationis leges depromptæ per tot sæcula fuerunt ab apostolicæ sedis præsulibus.

Epistolas Leonis necessarium dixi codicis supplementum, quia nihil omnino quod Leonis sit codici insertum habemus (*a*): cum tamen omnium a Siricio papa usque ad Anastasium II præsulum Romanorum epistolas præcipuas complectatur, exceptis Anastasio I, cujus nihil superest, Sixto III, qui vix duas epistolas, et Hilaro PP., qui plures scripsit. Et tamen cujus potius epistolæ suum in codice locum obtinere debuerant, quam Leonis, qui et plura cæteris scripsit de disciplinæ ecclesiasticæ observantia, et in Pelagianis Eutychianisque damnandis (quæ hæreses reliquum fere codicis occupant) pars magna fuit, et in posteriori etiam præcipua? Istam omissionem non ex casu vel oblivione contigisse, multo minus ex contemptu natam quisquam dixerit. Ex industria igitur factum ab iis qui codicis capitibus 41 et 42 (quæ adversus Eutychen gesta continent et a Leone videntur inserta) satius duxerunt una serie subjungere, quæ adversus eosdem hæreticos acta erant Simplicio, Felice et Gelasio Romanis pontificibus, quam actorum filum interrumpere prolixis Leonis nostri de multiplici materia epistolis; ex quibus si tantum aliquid delibassent codici inserendum, rem minus utilem et commodam facturi essent, quam cum plerasque ejusdem epistolas in unum corpus collectas ad calcem codicis posuere, ut ego factum suspicor.

Conjecturæ huic nostræ suffragatur utrumque codicis exemplar ms. Thuaneum et Oxoniense, ad quorum calcem Leonis epistolæ instar supplementi descriptæ sunt; ut in dissertatione duodecima diximus, et in indice integro Thuanei, quem codici præfiximus, quisque cernere potest.

De cæteris hujus voluminis partibus vix aliquid hic habemus præfandum. Dissertationum materiem exhibet illarum index mox secuturus. Notæ, observationes lectionesque variæ per se claræ sunt. Plerumque codices mss. ex quibus istæ manant, vel quæ genuinam restituere, designavi; sæpe hos omisi recensere, cum videlicet indubitatæ certitudinis est emendatio et ad eam codices omnes conspirant. Earum aliquæ prolixiores fortassis videbuntur et aliquatenus alienæ: in hoc plurimorum eruditorumque scriptorum exemplo obsecutus sum, qui perspicuitati magis studuere quam brevitati, nefasque duxerunt non ea vel alieno loco illustrare, quæ illustranda quavis occasione occurrebant.

In his nonnumquam a doctissimorum virorum opinionibus recedimus, eas aliquando etiam impugnationibus ad dissertationem ejusdem duodecimam, quæ tomo tertio edetur.

(*a*) Leonis epistolas triginta duas huic collectioni fuisse insertas innuimus annot. 8. Quesnelli præjudicium unde originem duxerit, explicabimus in observ-

Digitized by Google

mus; non alio ducti quam veritatis aperiendæ studio. Hanc dum sincere quærimus, si ab ea quandoque aberrare contigit, quod sæpe accidisse mihi merito vereor, de errore a quolibet, sive amico animo, sive inimico admoneri, id laudis ac beneficii loco referam; eumdem agnoscere ac delere, victoriæ deputabo.

VIII. Præfari desinam, si prius præstitero ne litterarius orbis ignoret, quorum beneficio promota et adjuta sit nostra in expurgando Leone opera, dum codicum mss. copiam fecerunt, omnemque opem benevole contulerunt. Regia librorum mss. Gaza uti libentissime permisit vir clariss. D. Carcavi hujus gazophylacii vigilantissimus præfectus. Quidquid e celeberrima Sangermanensis cœnobii bibliotheca usui nobis esse potuit, qua excusum, qua manuscriptum, id omne liberalissime profudit R. P. Domnus Lucas Dacheri, cujus doctrinam et pietatem cum omnibus suspicio, cujus amicitia cum paucis glorior. Codicem Leonis manuscriptum perhumaniter communicavit ditissimæ S. Victoris bibliothecæ scientissimus custos D. le Tonnellier. Quantum debeam viro doctissimo Eduardo Bernardo astronomiæ in Oxoniensi academia Saviliano professori, dicere non valeo. Non tantum enim codicis Romani aurum contra æstimandi apographum cura sua descriptum ad me transmisit, sed et bibliothecas Oxonienses summa diligentia ipse scrutatus est, archiva Laudina, Bodleiana, Orielensia, Baliolensia, Pembrochiana, etc., excussit, edita cum mss. codicibus contulit, varias lectiones propria descripsit manu, ea cura, eo studio, ea humanitate, cui parem vix ac ne vix quidem invenias. Nec satis fuit viro liberalissimo sua profudisse, nisi et amicorum studium ac laborem impendisset, quorum oculis Cantabrigenses bibliothecas et codices mss. lustravit, indeque excerptas misit variantes lectiones. Humanissimo D. Thomæ Gale hanc me opem debere quando A Bernardus significat, ingratus sim, si viri nomen hoc loco reticeam. Neque tuum, Josephe mi Quesnelle, charissime agnate, vel silentio premere queam, vel sine grati animi significatione commemorare, qui ex ditissimo illo illustrissimi Thuani penu litterario, cujus fidissimus es promus condus, et codicis Romani exemplar ms. et tot Leonis mss. codices subministrasti, non singulari in me solum, sed et in litteras amore. Clarissimum virum D. Vion d'Herouval si pro collata codicum ope laudare omisero, solus ero omnium qui vel eruendæ vel illustrandæ antiquitati adlaborant, qui, nec si velint, se subtrahere queant beneficentissimo ejus erga litteras litteratosque studio. Cæteros, quibus aliquid officiosæ opis debemus, sua laus manet propriis locis commemoranda.

B Quod nec Cæsaream Viennæ bibliothecam (*a*), nec Romanas laudo, erit qui succenseat, quasi opulentissima illa ἀρχεῖα adire neglexerim. Non profecto peperci operæ, non amicis, quo ad illa litterarum adyta liceret penetrare; sed irrito conatu. Optassem in primis particeps fieri codicis Operum S. Leonis, quem a doctissimo viro Francisco Pegna cum Romanarum bibliothecarum mss. codicibus olim collatum didiceram a cl. viro Emerico Bigotio Rothomagensi eruditionis omnibus notissimæ. Codex ille mortuo Francisco Pegna ad Marium S. Angeli canonicum venerat, huncque in ejus bibliotheca præ manibus habuit Bigotius, qui post Marii mortem de codice per litteras sciscitans, aliud responsum non retulit, nisi quid de illo factum esset, ignorari. Forsan quæ primæ C huic editioni non adfuere, alteri adornandæ, si quando id contingat, suppeditabuntur : quod ut ab eruditis omnibus prompto animo præstetur, pro sua eos in sanctissimum apostolicæ sedis pontificem doctoremque Ecclesiæ reverentia, pro suo in Ecclesiam ipsam studio enixis precibus cohortamur.

(*a*) De Vindebonensis et Romanarum bibliothecarum codicibus, qui nobis usui fuerunt, in generali præfatione aliquid attigimus; sed in præfationibus peculiaribus ad Sermones et Epistolas plura. Codicem vero qui Joannis Baptistæ Mari canonici S. Angeli variantes, lectiones Sermonum S. Leonis tantummodo præfert, in bibliotheca Barberina invenimus. Vide hac super re præfationem ad Sermones, num. 27.

EJUSDEM QUESNELLI NUNCUPATORIA

SUÆ EDITIONI PRÆFIXA.

Sancto Leoni Magno Ecclesiæ Romanæ episcopo, nec tantæ sedis impari, viro apostolico (*a*), *Ecclesiæ luminari* (*b*), *orthodoxæ fidei columnæ* (*c*), *vocis Petri interpreti* (*d*), *apostolicorum dogmatum defensori* (*e*), *apostolis coæquando* (*f*), *angelis æquali* (*g*); *cujus sententiam quidquid ubique catholicum est* (*h*), *velut cœleste oraculum miratur, celebrat, veneratur; catholicæ veritatis assertori* (*i*), *sed pacifico; ecclesiasticæ pacis amatori, sed intrepido* (*j*); *evangelicæ legis interpreti, sed non ex suo* (*k*); *sacerdotalis sanctimoniæ præconi,*

(*a*) Hincm. Rem. l. de Prædest. c. 33
(*b*) Facund. l. v, cap. 5.
(*c*) Libell. episc. Oriental. ad Agapetum PP.
(*d*) Lib. ep. 2 Syriæ ad Justinianum imper.
(*e*) Relat. conc. Chalc. ad Leonem PP.
(*f*) Libell. synodicus c. 89.
(*g*) Idem, c. 94.
(*h*) Prat. Spirit. c. 149.
(*i*) Adrian. PP. II in concil. CP. IV.
(*j*) Ep. 20 (*nunc* 23) S. Leon. ad Flav. c. 2; ep. 69, 89 (*nunc* 89. 115), etc.
(*k*) Ep. 78, 79, 80, 81 (*nunc* 104, 105, 106, 107), etc.

Digitized by Google

sed non otioso (*a*); *Ecclesiæ catholicæ doctori, sed traditionis discipulo* (*b*); *canonicæ disciplinæ instauratori sapientissimo* (*c*), *exsecutori religiosissimo* (*d*), *vindici* (*e*) *fortissimo* (*f*); *fideli ac fidenti Ecclesiæ propugnatori* (*g*), *hæreticorum non ficto aut trepido impugnatori* (*h*): *cujus pro catholica fide sollicitudinem ac diligentiam, laborem et industriam, libertatem atque constantiam omnis Ecclesia prædicare non cessat* (*i*) : *qui mysterium sacrosanctæ Trinitatis contra Priscillianistas* (*j*), *Jesu Christi incarnationis necessitatem contra Judæos*(*k*), *eamdem cum Patre substantiam contra Arianos* (*l*), *humanæ proprietatem naturæ contra Eutychen* (*m*), *personæ singularitatem contra Nestorium* (*n*), *Ecclesiæ jura ac potestatem contra Novatianos* (*o*), *corporis mystici unitatem contra Donatistas* (*p*), *gratiæ* (*q*) *sanguine mediatoris partæ omnimodam necessitatem,* B *gratuitam largitionem, insuperabilem virtutem, contra Pelagianos Pelagianorumque reliquias* (*r*); *mysteriorum omnium veritatem, dignitatem, sanctitatem, contra Manichæos* (*s*) ; *sincerum religionis cultum contra impios et Pseudo-Christianos* (*t*), *cœlesti doctrina, pietate singulari, invicto animo, exemplo, sermonibus, scriptis ex ipso apostolorum corde prolatis explicuit, asseruit, propugnavit* (*u*). *Tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæ doctrinæ* (*v*), *pontifici, Ecclesiæ ad victoriam divinitus præparato* (*x*), *se ac suam hanc qualemcumque opellam in scriptis ejus colligendis, purgandis, illustrandis positam, e Gallicanæ Ecclesiæ sinu unde olim ad Petri cathedram ille quæsitus est* (*y*), *offert, dicat, consecrat, devotissimus cliens Paschasius Quesnel Parisinus, presbyter congregat. Oratorii D. Jesu.* IV *kalend. Julii Leonis Magni memoriæ sacro. A. R. S.* CIↃ IↃ C. LXXV (*z*).

(*a*) In Serm. et alibi passim.
(*b*) Vid. Dissert. 1, de Vita et Reb. gestis.
(*c*) Leo ep. 134, 135 (*nunc* 165, 166), etc. Et Simplic. PP. ep. ad Zenon. Aug.
(*d*) Facund. l. II, c. 6.
(*e*) Idem, ibid.
(*f*) Ep. decr. 1, 2, etc. Gelas. PP. ep. ad Dardan. et Marcian. August. ibid.
(*g*) Facund. l. v, p. 213, et diss. 1, de Vita.
(*h*) Facund. l. II, c. 5.
(*i*) Idem, ibid.
(*j*) Idem, l. v, c. 4.
(*k*) Epist. 15, ad Turrib., et Serm. de Pentecost.
(*l*) Serm. de Nat. et Epiph. Dom.
(*m*) Ibid. et in Epist.
(*n*) Ep. 24 (*nunc* 28), ad Flav., etc.
(*o*) Ep. 27, 46, 64, 77, 92, 96, 97 (*nunc* 31, 59, 84, 102, 119, 123, 124), et in Serm. Eulog. ep. C Alexand. in defens. S. Leonis PP.
(*p*) Ep. 14 (*nunc* 18), ad Januar. Aquil. et ep. 1 (*nunc* 12), ad Afr.
(*q*) Epist. 1 (*nunc* 12), ad Afr. et in Sermon.
(*r*) Lib. de Voc. gent. Ep. ad Demetr. capitul. de Grat. et Lib. Arb. Epist. 6, ad Aquileiens. episc., etc.
(*s*) Ep. 8 (*nunc* 7), ad episc. Ital. Ep. 15, ad Turribium. Serm. 8, 15, 23, 74 (*nunc* 9, 16, 24, 76), etc.
(*t*) In Sermon. passim, etc.
(*u*) Hormisdas PP. ep. ad. cler. et archimandr. 2 Syriæ.
(*v*) Ep. Episc. 44 Galliæ ad Leonem cap. 5 (*nunc* ep. 99).
(*x*) Allocutio concil. Chalc. ad Marcian. Aug.
(*y*) Prosper in Chronico.
(*z*) Vide tom. II, diss. 1, ad an. 461, num. 8 et seq

SCHOENEMANNI
NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA
IN S. LEONEM MAGNUM.

(Ex Schœn. Bibl. hist. litter. Patr. Lat., Lips. 1794, tom. II.)

CAPUT PRIMUM.
De Vita S. Leonis Magni.

Leo cognomento *Magnus*, patria Romanus fuit. De anno natali ejus in antiquis Ecclesiæ monumentis nihil traditum accepimus, nec ex iis quæ de vita ejus nobis supersunt, nec ex ætate, qua decessit, certi D quidquam conjicere licet. Patrem habuit Quintianum nomine, incertæ, sed proculdubio haud infimæ conditionis, quippe a quo filius tam maturæ indolis non vulgari ratione educari debuit; nisi mavis, eum inter sacerdotes demum, a quibus juvenis veteris Ecclesiæ more ad Ecclesiæ munia obeunda formatus est, et suimet ingenii felicitate id adeptum esse, quo postea tantopere excelluit, et inter pontifices Romanos *Magni* nomine meruit distingui, paratissimum scilicet ad quævis non solum Ecclesiæ, sed et alia quæ nec cum fide nec cum disciplina quidquam conjunctum habebant, negotia apte et decore administranda ingenium. Certe jam mature virtutis a natura insitæ et studii in officio documenta dedisse eum oportet, siquidem acolythus adhuc sub Zosimo papa a. 418 Carthaginem ad pontificis de Cœlestio sententiam Aurelio cæterisque Africæ episcopis perferendam adhibitus fuit (*a*). Cœlestini papæ temporibus diaco-

(*a*) Constant hæc testimonio *epistolæ* 104 *Augustini ad Sixtum* Romanæ Ecclesiæ tunc presbyterum, postea Cœlestini in episcopatu successorem, qui eadem occasione usus fuerat, ad Augustinum epistolas mittere. Nec alium ab hoc Leone fuisse memoratum acolythum, ex temporum congruentia maxime fit probabile.

Digitized by Google

num egit. Sed quæ de administratione rerum ecclesiasticarum ab eodem Cœlestino ei concredita Quesnellus disputat, alia desiderant, quam quibus ille nititur, argumenta (*a*). Attamen qua æstimatione Leo tunc Romæ fuerit, testatur luculentissime Cassiani epistola, qua an. 431 libros de *Incarnatione* contra *Nestorium* hortatu ipsius Leonis scriptos ei obtulit. Sed et alia adsunt hoc non inferiora documenta auctoritatis et gratiæ, qua non Romæ solum apud pontificem, sed in principum aula etiam valeret. Nam si Prospero credimus, Leonis maxime vigilantia et hortatu factum est, ut Sixtus papa Juliani Eclanensis artibus, quibus in communionem Ecclesiæ irrepere moliebatur, resisteret; legatio autem quam anno 440 jussu imperatoris ad conciliandos Aetii et Albini exercitus Romani in Gallia ducum, odio toti imperio timendo dissidentium, animos suscepit, ipsa ejus ad episcopatum Romanum electione notior est reddita. Dum enim Leo adhuc in negotio isto distinebatur, Sixtus papa diem obiit, cunctaque statim cleri ac populi Romani suffragia diaconum Leonem episcopum nominarunt. Accitus igitur legatione honorifica atque ordinatus, novum munus solemni gratiarum actione auspicatus est, eumdemque ordinationis suæ diem quotannis sermone celebravit.

Incidit quidem episcopatus ejus in funesta imperii Romani in Occidente tempora. Quippe in extrema principum socordia et stupore, undique barbarorum cohortes aut imperii finibus ingruebant, aut provincias incursionibus inundabant, easque aut devastabant ac depopulabantur, aut pulsis subactisve incolis sibi ipsis sedes faciebant. Calamitatem quam Ecclesia universa ex singularum provinciarum afflictione necesse sentiebat, intueri non licebat, quin metus ne similis Italiam ipsamque Romam fortuna maneret, suboriretur, a cujus oppressione, si duratura esset, gravissimum sedis apostolicæ dignitati, quæ nunc erat, damnum portendebatur. Quo accedebat barbarorum Arianismo imbutorum in Ecclesiæ catholicæ asseclas odium et graves passim persecutiones. Inter has ergo subsidentis tempestatis nubes animi sane robore opus erat episcopo Ecclesiæ gubernaculum suscipienti. Cæterum non item desperatus erat internus Ecclesiæ status; quin immo non carebat lætis auguriis, siquidem ex pontificis Romani commodis æstimandus erat. Hæreticorum enim qui tam crebri erant per ista sæcula motus non poterant sollicitare novum episcopum auctoritatis sedis suæ promovendæ et exemplorum priscorum non penitus ignarum, utpote qui nosse debebat, quanta incrementa ex singulis fere ejusmodi disceptationibus etiam per minus doctos et parum firmati animi episcopos Romanæ sedis auctoritas potestasque cepisset, quantisque amplificationibus per nuperas Orientis contentiones locus factus esset (*b*). Quanto vero majora Leo sperare debebat, qui præter cæteras animi ingeniique dotes eruditionis et eloquii auctoritatem ad hanc dignitatem afferebat, et in gravissimis ac subtilissimis de fide quæstionibus definiendis Græcis nedum par, sed etiam superior sibi videri poterat. Atque hæc taliave Leonem sensisse eventus comprobavit. Utut enim sincerum erat et strenuum ejus disciplinæ ecclesiasticæ regendæ fideique antiquitus acceptæ tuendæ studium, quod a primordiis muneris statim et numquam non deinceps per omne episcopatus sui tempus declaravit, et sane propria ipsi animi alacritate et firmitate plurimum adjuvabatur : non minus tamen eodem ad augendam sedis suæ dignitatem et auctoritatem usus est, et in hisce conaminibus insita ingenii vis in arrogantiam et pertinaciam intolerabilem sæpe et insanam degeneravit. Testis est concertatio ejus cum Hilario Arelatensi, plena superbiæ et affectuum tanto episcopo indignorum; tametsi minime Quesnello in excusando et defendendo Hilario assentiamur. Alia ejusdem animi documenta suppeditat historia causæ Eutychianæ, et quidem talia ut, si lubenter concedamus antecessores ejus in sede Romana nonnisi pro re nata auctoritati potestatique suæ promovendæ studuisse, hunc primum meditato consilio omnes cæteros episcopos suo imperio subjicere conatum esse, et vero hoc consilium non in ipso episcopatu demum fovere cœpisse, sed ad eumdem attulisse existimem. Referenda mihi huc in primis videtur illa ejus sollicitudo, qua doctrinam de dignitate potestateque Romanæ sedis in Petro fundata, et ab eo in successores transmissa stabilire, et cunctorum per Occidentem et Orientem animis inserere studuit.

Cœpit hæc doctrina in Innocentio, a cujus deinde successoribus numquam ea neglecta fuit, a Leone autem ita explicata et firmata est, ut non ipsi solum, sed omnibus deinceps Romanis episcopis pro fundamento machinationum evehendæ et amplificandæ dominationis esset, nec ulla monstris opinionum eidem faventium inveniretur feracior. Neque solum ea utebatur si quid auctoritate sua efficere vellet, sed coram populo peculiari studio tum alias sæpe, tum in anniversario ordinationis suæ tractare solebat. Ac primum quidem quæ Petro præ cæteris apostolis a Christo concessa fuerint dona atque privilegia adeo extollit atque exornat, ut jam profiteri ausus sit, huic viro *consortium suæ potentiæ tribuisse divinam dignationem, et si quid cum eo commune cæteris voluerit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedisse quidquid aliis non negaverit* (*c*). Mox dum ejusdem Petri vices sustinere se affirmat, eo omnem operam suam confert, ut persuadeat audientibus,

(*a*) *Quesnellus* in Vita Leonis ad an. 430-32, *num.* 3, apud *Ballerinios T. II, p.* 406 Sed confer horum notata ad *Epistolam* Leonis *ad Maximum Antiochenum* 119, *T.* I, *p.* 1216, *n.* 24.

(*b*) Quesnellus quo magis arduum describeret episcopatus Leonis initium, præter calamitosum imperii statum etiam Ecclesiam internis hostibus, hæreticis scilicet passim propullulantibus, misere vexatam ac quasi discerptam fingit; recte sane, si universe res æstimanda erit; non item, si ex Romani episcopi, et Leonis in primis persona, meo judicio.

(*c*) *Sermo* 4 apud *Ballerin.*, *p.* 16, n. 12, quem si ab initio lustraveris, intelliges, verbum *principes* non carere dolo.

Digitized by Google

Solidilatem illam quam e Petra Christo etiam ipse Petra factus acceperit, in suos quoque se transfudisse hæredes; eumdemque *sedi suæ præesse non desinere, ipsum salubribus consiliis, æquis judiciis præsidere, sequ non tam sedi ejus præsidere quam servire*, adeo ut si quid jam a Romano pontifice *recte agatur* et *disponatur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum.* Porro ex ejusdem Petri firmitate consurgere debuisse statuit sublimitatem Ecclesiæ, eaque de causa specialem a Domino Petri curam susceptam et pro fide Petri proprie supplicatum fuisse : *tamquam aliorum status certior esset futurus, si mens principis victa non fuisset.* Hac mente atque hoc ingenio Leo causam Eutychis tractare cœpit. Hic archimandrita Constantinopolitanus, dum nimis strenue Nestorianismi reliquias persequeretur, et quosdam episcopos Orientales injusta hæresis suspicione premeret, in alium eidem oppositum errorem incidit, atque *duas in Christo naturas post adunationem in unam coaluisse* statuere non est veritus. Diligens erat tam sacrarum Scripturarum quam expositionum sanctorum Patrum scrutator, quique aperte fatebatur se illas potiores habere et solas certas firmasque existimare. Sed ex eodem solitario studio et Nestorianismi metu religiosius verba curabat, nimiaque ancipitum locutionum fuga potius quam ulla alia de causa in errorem incidisse videtur (*a*). Nec vero pertinax erat, sapientiorumque et doctiorum respuebat correctiones; sed in ipsa synodo Constantinopolitana (ἐνδημούσῃ), in qua primum a. 448 causa ejus coram Flaviano agitata est, sententiam ejus lubens amplectebatur, modo aliter sentientes exsecrari, ut jussus erat, verebatur et aperte renuebat. Atque hac solum de causa ipse a synodo anathema tulit et ab officio simul et communione Ecclesiæ remotus est. Tum vero Eutyches acri suo contra Nestorianismum studio se pessumdatum sentiens, imperatorem adire, aliorumque episcoporum, in primis autem Alexandrinæ et Romanæ sedis antistitum auxilium implorare cœpit. Nec frustra. Imperator enim, qui Nestorianam hæresim peste quavis capitaliorem æstimabat, et suopte ingenio, et fortasse etiam amicorum quorumdam (Chrysaphium eunuchum indigitant acta hujus rei), qui vel ipsi minus Flaviano favebant, vel vere injuriam ab eo Eutychi illatam dolebant, studiis patrocinium ejus suscepit. Alexandrino autem episcopo, nisi perenne in Constantinopolitanos præsules odium fuisset, vel ob unius Cyrilli memoriam vir hujus animi præsidio suo dignus videri debebat, et vero Dioscuro nulla gratior animum in rivali explendi occasio obtingere potuisset. Tandem Leonis etiam pro causa ejus deplorata non obscura jam voluntas erat. Quippe cum Eutyches dudum ei studio suo contra Nestorianos per litteras olim ad eum directas commendatus, jam non ipse solum de injuria sibi facta apud eum questus esset, sed Theodosius etiam magnum perturbationis strepitum a Flaviano excitatum scripsisset, et ut laboranti Eutychi succurreret rogasset, vehementer cum Flaviano expostulare cœpit, mirari se significans, qui scandalum illud ipsi silere potuerit, nec potius procurarit, ut primitus insinuatione relationis ejus instrueretur, et poscens ut quam primum judicii ejus ratio omniaque quæ gesta essent, plenissime et lucide ad notitiam suam pervenirent. Mox autem cum de Eutychis hæresi per Flaviani epistolam edoctus esset, tam detestanda ipsi ejus opinionis visa est pravitas, tam late patens et multiplex errorum ex ea pullulantium propago, tantum periculum quod ex ea fidei puriori immineret, ut extemplo quidem assensum suum brevi epistola Flaviano declararet, simul autem pleniorem epistolam polliceretur, in qua Flavianum episcopum, quid de tota causa constitui deberet, instructurus esset. Hæc vero fuit celebris illa *ad Flavianum* epistola, qua totam de Incarnatione sententiam discussit atque definivit, Nestoriique et Eutychis erroribus proscriptis, catholicam doctrinam adeo accurate tum sententiis, tum sermone declarare studuit, ut *quidquid in ea scriptum est ex apostolica et evangelica probaretur sumptum esse doctrina.* Constantinopolim mittere decreverat per eumdem, qui priores Flaviani litteras apportaverat, clericum. Sed cum interea ab imperatore synodus generalis Ephesum in kalendas Augusti a. 449 indicta esset, legatis eodem destinatis dedit ut in synodo publice recitarent. At de synodi istius exitu constat. Latrocinalis nomine infamis est; solus imperitabat Dioscurus; prohibiti legati Romani a lectione litterarum Leonis ad Flavianum, et postquam factionis furor omnia miscuisset, in custodiam dati, solo Hilario per fugam elapso. Vani erant oppressorum clamores, vana omnium bonorum indignatio, vanæ Leonis apud Theodosium et Pulcheriam, ad clerum plebem et archimandritas Constantinopolitanos querelæ. Frustra gesta ejus synodus Romana reprobavit; frustra per Valentinianum et Placidiam Pulcheriamque Augustas concilium in partibus Occidentis a Theodosio impetrare nitebatur; cum subito morte Theodosii (die 28 Julii a. 450) tristis rerum facies in lætiorem, et quidem Romani pontificis auctoritati auspicatissimam conversa est. Etenim novus imperator Marcianus, Pulcheria ejus uxore adjuvante, ab initio imperii sui eo omnem curam atque cogitationem conferebat, ut damnum ab Eutyche fidei illatum resarciretur, studiumque suum de concilio quam citius cogendo Leoni per epistolam declaravit (*b*). Interim Eutyches ex Urbe egredi jussus, et synodus Constantinopoli præsentibus Romanis legatis coacta est, ibique lecta dogmatica Leonis epistola ad Flavianum, cui novus Constantinopolis episcopus Anatolius cum cæteris episcopis, archimandritis, presbyteris et diaconis subscripserunt (*c*), eamdemque omnibus qui ubique essent metropolitis subscribendam miserunt (*d*). Hue

(*a*) S. V. *Griesbach* in *Locis Theologicis ex Leone II. collectis, sect.* 3, § 18, *p.* 40, 41.

(*b*) *Ep.* 73 apud *Ballerin.*

(*c*) Vid. *Ep.* Leonis *ad Anatolium*, 80 apud *Ballerin.*

(*d*) *Conc. Chalced. act.* 4.

Digitized by Google

igitur rebus vergentibus, Leo, occasionem esse ratus judicii sui auctoritatem latius proferendi, novos spiritus sumere et, quasi ad se unum definitio tota pertineret, arrogantia sua aliorum moderationi illudere audet. Hujus fastidii plena est epistola modo laudata ad Anatolium, qua lætari se significat, quod epistolæ suæ ad Flavianum assensum præbuerit, seu, ut ipsius verbis utamur, gloriatur *quod sequacem se evangelicæ eruditionis ostendat et de confirmata apud se pace sedis apostolicæ* ei gratulatur. Sed plura et luculentiora documenta per legatos suos in concilio Chalcedonensi dedit. Ac primo quidem quam enixe poterat, studuit efficere, ut tota synodus differretur, præ exens aptius tempus esse exspectandum, quo plurimi etiam de longinquioribus provinciis episcopi evocari possent ; sed fortasse non aliam ob causam quam quia speraret fore ut sua unius epistola, cui omnes totius orbis episcopi nomina sua cum anathematizatione Nestorii et Eutychis errorumque eorum subsignaverant, et porro erant subsignaturi, hæresis confecta existimaretur, præsertim cum de restituendis episcopis in synodo Ephesina injuste a sedibus suis depulsis et Dioscuro cum asseclis a communione prohibendo jam in Constantinopolitana synodo ex suorum quoque legatorum præceptis (*a*) actum esset. Accedit quod haud difficulter intelligitur eum veritum esse ne Constantinopolitanus episcopus, cujus in Flaviano sedes per Dioscurum gravi ignominia affecta erat, repentina Alexandrini adversarii depressione elatus hac occasione et animorum affectione uteretur ad sedis suæ prærogativas augendas. Nec vero vanus iste metus fuit, ut ex sequentibus patebit. Enimvero cum nec hoc, nec ut in Italia haberetur impetrare potuisset, Paschasinum Lilybetanum episcopum et Bonifacium presbyterum Nicæam, quo primum indicta erat undeque post Chalcedonem traducta fuit synodus, legatos misit. Incœpit synodus Chalcedone octavo idus Octobris, absolutaque est kalendis Novembribus 16 actionibus (*b*), in quibus nihil plane a legatis Romani episcopi omissum est, quo auctoritatem ejus supra illam synodi tollerent. Tam parum etiam ab iisdem sive episcopis præsentibus, sive magistratibus qui cum potestate aderant, reverentiæ habitum fuit, ut non semel clamarent, *sic velle, sic jubere Leonem, id esse in mandatis suis*, et minitarentur adeo *se discessuros ni ita fieret*. Ac in plerisque quidem pacis studio causarumque disceptandarum urgente necessitate et erga imperatorem observantia, ita iis synodus obsecuta est, ut a Leonis nutu et moderamine pependisse videri possit. De ipsa autem, quæ prima tanti dissidii causa fuerat, Eutychis hæresi, quemadmodum et illa Nestorii, tantum abest ut novi aliquid congregati Patres decreverint, ut potius in tribus, quibus quæstio hæc partim legatorum Romanorum, partim aliorum episcoporum studio agitata fuit actionibus (*c*), eadem iterum iterumque ad Flavianum epistola, tamquam firmissimum contra istas pravitates præsidium inculcata unaque cum symbolo Nicæno, Constantinopolitano et duabus Cyrilli ad Nestorium epistolis (ex concilio Ephesino) pro unica et perpetua fidei norma ab omnibus sit approbata. Itaque nunc primum episcopi Romani definitio universæ Ecclesiæ fidei regulam constituit, ab eoque universæ quasi Ecclesiæ dictata est. Quo triumpho ille tamen non tamquam novo potitus esse videri voluit, sed vultu et sermone ad gravitatem composito nihil, nisi quod ex ordine et consuetudine Romanæ sedis esset, gessisse se simulavit. Sed quo lætior hic rerum successus fuit, tanto majorem ipsi attulit ægritudinem Anatolii episcopi, quam ipse vocare solebat, ambitio, seu, ut ille præ se tulit, cleri ejus, citra ipsius culpam, in sedem Constantinopolitanam studium. Scilicet, peractis omnibus quæ ad primariam synodi curam pertinere visa erant, actione 16 a clero Constantinopolitano et episcopis flagitari cœptum, ut in honorem sedis Constantinopolitanæ synodus aliquid statueret. Leoni id nequaquam improvisum atque inexspectatum fuit. Dederat enim legatis suis in mandatis, *ut si qui forte episcopi civitatum suarum splendore confisi tentaturi essent sibi usurpare, id qua dignum esset constantia retunderent.* Quapropter summa illi animi contentione hisce novationibus obnituntur, nec tamen impedire potuerunt quominus decerneretur ut Constantinopolitanus tamquam novæ Romæ episcopus primo post Romanum honore frueretur, et jus potestatemque in Thraciæ, Ponti et Asiæ diœceses earumque metropolitanos haberet, et barbarorum episcopos ordinaret. Exierant de synodo legati Romani cum de canonibus hac in re condendis agi cœpisset, sed ubi nihilosecius conditos acceperant, postridie redierunt, ac graviter et subdole de actis sese absentibus conquesti, tandem, ut mandato suo ex parte saltem satisfacerent, solemniter iis contradixerunt, aliaque ab humanitate ac sobrietate aliena egerunt, de quibus in epistola ad Leonem moderate dolet Anatolius (*d*). At multo impotentior animi Leo fuit. Spreta imperatorum humanissima voluntatis significatione, spretis episcoporum Orientalium precibus, continuo ille sævire in Anatolium, objurgare eum quod legatis suis parere detrectaverit, ambitum pravum et cupiditatem universæ Ecclesiæ perniciosam objicere, nihil probi, nihil fidi in eo existimare, quin ordinationis ejus initia culpare et jam communionis privationem minari. Ac tamdiu ipsi aliqua in Pulcheria et facillimi animi imperatore Marciano spes supererat, nihil artis ac verborum intentatum reliquit, quo eos sibi conciliaret et impelleret ut Anatolio assensum cohiberent et canones sibi invisi rescinderentur. Non solum enim Nicænæ synodi decreta istis violari contendebat, sed et Alexandrinæ et Antiochenæ sedis prærogativis offici, et multorum

(*a*) *Ep.* 80, *ad Anatolium.*
(*b*) Totidem scilicet in actis reperiuntur. Alias 25, ab aliis item 15 numerantur.
(*c*) In 2, 4 et 5.
(*d*) *Ep.* 101 apud *Baller. p.* 1134.

Digitized by Google

metropolitanorum jura imminui querebatur, majoraque Ecclesiæ ex importuno episcopi hujus honorum appetitu mala præsagiebat (*a*). Interim ad litteras episcoporum ex synodo Chalcedonensi ad eum directas, quibus quæcumque acta fuerant significaverant, nihil rescripsit; unde apud nonnullos decreta illius in suspicionem adducta sunt, et de orthodoxia eorum, utpote quibus episcopus Romanus refragaretur, ambigi cœpit. Sed ubi irrita hac ex parte sua studia vidit, et imperatores potius urgerent ne ultro decreta Chalcedonensia confirmare differret, in tantum illorum auctoritati cessit, ut ipsum obsequii sui non pœniteret, adeoque omnia, quæ fidei negotium concernerent, assensu suo confirmavit, illos autem de honore sedis Constantinopolitanæ canones penitus reprobavit. Quid quod ab omni cum Anatolio litterarum commercio abstinuit, ac novo prorsus exemplo tamquam minus fidei catholicæ intento custodem ex suis addidit, et gestorum ejus speculatorem Julianum episcopum Coensem (*b*)? Et licet postea instante Marciano, et Anatolio quoque flagitante, in gratiam cum eo redire se simularet, ipsa tamen ejus pacis declaratio adeo in opprobrium et injuriam Constantinopolitani episcopi spectabat, adeo captiosa erat et anceps, ut mirum non sit ab hoc inde tempore Ecclesiæ Orientalis episcopum primarium a Romana sede fuisse alienatum. Post partam de Eutyche victoriam suæque formulæ triumphum non alia re gesta clarior exstitit Leo, quam legatione ad Attilam eodem anno quo Chalcedonense concilium peractum est, suscepta. Nimirum Attila, redintegratis post acceptam in campis Catalaunicis cladem viribus, per Pannonias Italiam invaserat, summa imperatoris et Aetii ducis socordia ne levissimo quidem præsidio munitam. Quin tanta utriusque ignavia fuit, ut ipsi ex omni potius Italia discedere mallent, quam ad defendendam aliquid moliri. Patuere igitur nobilissimæ provinciæ omni hostilis rapacitatis ac libidinis furori, et primo velut impetu regiæ civitates, Aquileia, Ticinum et Mediolanum, captæ ac direptæ sunt, jamque Hunnus inopinato rerum successu superbus Romam properabat. Tum in extrema omnium trepidatione nullum salubrius principi senatui ac populo Romano consilium visum est, quam ut per legatos pax a truculentissimo rege expeteretur. Concreditum fuit paciscendi negotium Leoni, additis duobus viris consularis et præfectoriæ dignitatis, Avieno et Trigetio. Sed de partibus horum, sicut et de conditionibus quas offerre debebant, silet historia, unius pene Leonis memoriæ celebrandæ hac in re curiosa. Quid egerint et quomodo, pariter ignoramus; sed solus effecisse dicitur, ut ab hostili animo Attila abstineret et subito discessum pararet. *Tota legatione dignanter accepta, ita summi Sacerdotis præsentia rex gavisus est, ut bello abstineret, et ultra Danubium discederet*, Prosper narrat, innuens imperabat, incœpisse. Ad hoc autem Leonem commotum fuisse, quia in Anatolio non eum vigorem catholicum, quem circumstantiæ postularent perspexisset. Atque hæc sane tum historiæ, tum Leonis dictis consona sunt. Ad *Marcianum* enim scripsit (*Epist.* 111) : *Illud quoque clementiæ vestræ benevolentiam peto, ut venerabilem vestrum fratrem meum Julianum episcopum, in vestro, sicut facere dignamini, habeatis affectu; cujus obsequiis præsentiæ meæ vobis imago reddatur. Nam et de fidei ejus sinceritate confidens, vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi; atque propter Ecclesiarum pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset, exegi; cujus suggestiones, pro concordia catholicæ unitatis, tamquam meas audire dignemini, placentes Deo qui vobis præter regiam coronam etiam sacerdotalem conferat palmam.* Juliano autem mandat (*Epist.* 113) : *studeat dilectio tua, frater charissime, piam et necessariam curam sollicitudini apostolicæ sedis impendere, quæ tibi apud se nutrito catholicam contra Nestorianos et Eutychianos hæreticos actionem materno jure commendat, ut divino fultus auxilio, speculari de Constantinopolitanæ urbis opportunitate non desinas; ne prædictorum dogmatum impius usquam turbo consurgat. Et quia tanta est gloriosorum principum fides, ut confidenter eis possis quæ sunt insinuanda suggerere, pietate ipsorum ad utilitatem Ecclesiæ universalis utaris. Consulente autem dilectione tua de his in quibus putaveris ambigendum, non deerit relationibus tuis meæ responsionis instructio: ut sequestrata eorum actione causarum quæ in quibusque Ecclesiis præsulum suorum debent cognitione firmari, hanc specialem curam vice mea functus assumas, ne hæresis vel Nestoriana vel Eutychiana in aliqua parte revirescat, quia in episcopo Constantinopolitano catholicus vigor non est, nec multum aut pro sacramento salutis humanæ, aut pro sua æstimatione sollicitus: cum si quid illi inesset spiritualis industriæ, ita et a quibus ordinatus sit, et cui viro successerit, cogitare deberet, ut magis beatum Flavianum quam sui honoris sequeretur auctores.*

(*a*) Singulare Ballerinorum acumen est, contendentium, non idcirco a legatis Romanis canoni 28 contradictum eumdemque a Leone improbatum esse, quod proximus Constantinopolitano episcopo post Romanum honor (τὰ ἴσα πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν Ῥώμης ἐπίσκοπον) decretus, aut illi jus in tres novas Ponti, Asiæ et Thraciæ diœceses datum esset : quippe quo utroque nihil neque dignitatis, neque jurisdictionis primatui Romani pontificis derogatum sit, sed solummodo propterea quod privilegia Romanæ Ecclesiæ a Patribus *propter imperium concessa* dixisset atque episcopo CP. *ob novæ Romæ dignitatem* paria conferre præsumpsisset, cum tamen sedes Romana non a Patribus nec ob imperii dignitatem Urbi annexam, sed ab ipso Deo per Petrum apostolum primatum suum acceperit, adeoque sedes Constantinopolitana neque institutione divina neque jurisdictione cum ea comparari potuerit. Vid. *notæ* ad *diss. Quesn.* de Vita Leonis *T.* II, *p.* 514, 515. Sed hujus offensionis, quæ facile quidem tolli potuisset, ne verbo quidem mentio ab iracundo Leone injecta est.

(*b*) Vulgaris ea est opinio, in hoc Juliani Coensis officio primum apocrisiarii apostolici in aula principum exemplum exstitisse. Sed qui ubique summa cum religione honori sedis Romanæ student Ballerinii monuerunt, Leonem dum Juliano vicem suam in imperatoris comitatu committeret, non eo consilio commisisse, ut Alexandrini episcopi aut aliorum Orientalium insigniorum exemplum sequeretur, *sed hac solum de causa, ut is fidei integritati apostolico zelo prospiciens caveret ne quid a Nestorianis vel Eutychianis catholica fides detrimenti caperet; et ut in hanc rem, ubi opus esset, imperatoris patrocinium et opem poscere.* Neque enim tunc Romanam urbem, æque ac Orientales, imperatori Orientis subjectam fuisse observant, ut pro variis causis ac negotiis agendis aliquo ministro indigeret; totamque responsalium et apocrisiariorum Romanæ Ecclesiæ institutionem sub Justiniano demum, qui non minus Italiæ quam Orienti

Digitized by Google

quasi ab oris atque corporis Leonis augustiori specie id profectum esse, quod Attilæ animum frangeret. Alii eloquentiæ ejus hanc vim asserere maluerunt; et licet haud difficulter animadverti possit, ad Hunni animum movendum fortiores existere debuisse causas, nec desint etiam in historia expeditionis ejus quæ sat probabiles dici queant (*a*), fuere tamen quibus tota res a miraculo non aliena videretur, iidemque commentis suis effecerunt, ut et apud eos quibus tum ob longinquitatem, tum ob aciem hebetiorem virtutes ejus occulerentur, nomen illustre esset. Econtrario alia ejus ad Gensericum Vandalum occursio, multo licet utilior, parum inclaruit. Nam cum a. 455, Valentiniano imperatore perempto, Maximus imperium Occidentis invasisset, Eudoxiamque uxorem ejus parricidii nesciam matrimonio sibi junxisset, illa mox sceleris Maximi in marito perpetrati certior facta necem ulcisci statuit atque iræ nimio studio totam Urbem excidio devovit, Genserico Vandalorum rege ex Africa arcessito. Illico enim Vandalus ingenti cum exercitu in Italiam trajecit Urbemque ab omni præsidio vacuam aggressus occupavit jamque totus ad cædes atque incendia se dedisset, nisi Leo extra portas ei obviam factus supplicatione sua impetrasset, ut direptione contentus a cæde atque incendio abstineret. Certe hoc quidquid fuit miseræ opis, totum Leonis erat. Neque enim hic Attila erat superstitiosis terriculamentis vexatus inter eundum et redeundum fluctuans, aut attritis lue atque inopia copiis hostilem occursum metuens; sed hostis cuncta jam in potestate tenens, cui præter insitam ferociam ipsa religio iræ stimulos adderet, cujusque sævitiam adeo nulla nisi orationis vis frangere aut flectere potuit. Postremam ipsi sollicitudinem attulerunt turbæ in Alexandrina Ecclesia a Timotheo Æluro a. 457 excitatæ, per quas concilii Chalcedonensis auctoritas haud leve in discrimen adduci videbatur. Res omnis sub novo imperatore Orientis Leone et per Constantinopolitanum episcopum transacta, episcopi autem Romani studiis et prudentia plurimum adjuta est, qui postquam denuo causæ suæ victoriam et expulso Timotheo Æluro alium Timotheum (Solophaciolum) rite sedem Alexandrinam occupare viderat, non diu inter mortales versatus, ultimum curæ suæ pro Ecclesia monumentum, litteras ad novum episcopum, ejusque ordinatores et clericos Alexandrinos gratulatorias reliquit, nec integro anno post, die 10 Novembris 461 ad superos migravit.

CAPUT II.

De Scriptis S. Leonis.

Scripta Leonis M. *Sermonibus* et *Epistolis* constant. Utrumque genus juxta *Ballerinianorum* editionem enumerabimus, addito Quesnelli et anteriorum editionum ordine.

I. Sermones.

I — V. *De Natali ipsius*, habiti in die ordinationis suæ et anniversario ejusdem. Apud *Quesn.* I — IV. nam primus a Ballerinis in duos est divisus, quorum prior capite 1, posterior capitibus 2 et 3, constat.

VI — XI *De Collectis.* Apud *Quesn.* V — X.

XII — XX. *De jejunio decimi mensis.* Apud *Quesn.* XI — XIX.

XXI — XXX. *De Nativitate Domini.* Apud *Quesn.* XX — XXXVII.

XXXI — XXXVIII. *In Epiphania Domini.* Apud *Quesn.* XXX — XXXVII.

XXXIX — L. *De Quadragesima.* Apud *Quesn.* XXXVIII — XLIX.

LI. Homilia habita ante secundam Dominicam Quadragesimæ de Evangelio secundum Matthæum: *In illo temporis assumpsit Jesus Petrum*, etc. Apud *Quesn.* XCIV, inscr. *de Transfiguratione Domini.*

LII — LXX. *De Passione Domini*, apud *Quesn.* L — LXVIII.

LXXI — LXXII. *De Resurrectione Domini.* Apud *Quesn.* LXIX — LXX.

LXXIII — LXXIV. *De Ascensione Domini.* Apud *Quesn.* LXXI — II.

LXXV — LXXVII. *De Pentecoste.* Apud *Quesn.* LXXIII — V.

LXXVIII — LXXXI. *De Jejunio Pentecostes.* Apud *Quesn.* LXXVI — IX.

LXXXII. *In Natali apostolorum Petri et Pauli.* Apud *Quesn.* LXXX.

LXXXIII. *In Natali S. Petri apostoli.* In Appendice *Quesn.* sermo IV.

LXXXIV. *In Octavis apostolorum Petri et Pauli.* Apud *Quesn.* LXXXI.

LXXXV. *In Natali S. Laurentii martyris.* Apud *Quesn.* LXXXIII.

LXXXVI — XCIV. *De Jejunio septimi mensis.* Apud *Quesn.* LXXXIV — XCII.

XCV. *De Gradibus ascensionis ad beatitudinem.* Apud *Quesn.* XCV.

XCVI. *Tractatus contra hæresim Eutychis.* Apud *Quesn.* XCIII.

Ab his segregati sunt et in *Appendicem* rejecti tamquam *falso* Leoni tributi.

I. *Tractatus adversus errores Eutychetis et aliorum hæreticorum.* In Appendice *Quesnelliana* V.

II. *In Nativitate Domini.* In *eadem Appendice* II.

III. IV. *De Quadragesima.*

V. VI. *De Passione Domini.*

VII. *In Dominica Palmarum.*

VIII. — X. *De Resurrectione Domini.*

XI. *In Ascensione Domini.* In *eadem Append.* III.

XII. *De Sanctissima Trinitate.*

XIII. *In Natali S. Vincentii Martyris.* In *eadem Append.* I.

(*a*) Vid. Ill. *Heyne* d. de *Leone M. Attilæ et Genserico supplice facto* in *T.* III *Opusculor. Academicor.* p. 127 *sqq.*

Digitized by Google

XIV. *In Cathedra S. Petri* a Quesnello primum editus inter genuinos *num.* XCVI, sed ipsius postea judicio remotus. Suppletus est a Ballerinîis ex Vatt. codd.

XV. *In Annuntiatione B. Virginis Mariæ.*

XVI. *In Natali SS. apostolorum Petri et Pauli.*

XVII. *In Natali B. Pauli apostoli.*

XVIII. *De S. Petro, quomodo de carcere eductus est.*

XIX. *In Natali SS. septem fratrum Machabæorum*, nunc primum in Appendice collocatus et S. *Augustino* restitutus. Apud *Quesn.* Sermo LXXXII.

XX. *De Transfiguratione Domini.*

II. Epistolæ (*a*).

I. *Ad Aquileiensem episcopum* (Q. 6, A. 86). II. *Ad Septimum Altini ep.* (Q. 7, A. 85). (*b*) IV. *Ad episcopos per Campaniam, Picenum et Tusciam provincias constitutos* (Q. 3, A. 1). V. *Ad Metropolitanos per Illyricum* (Q. 5). VI. *Ad Anastasium Thessalonicensem* (Q. 4). VII. *Ad universos per Italiam episcopos* (Q. 8, A. 2). (*c*) IX. *Ad Dioscurum Alexandrinum episcopum* (Q. 11, A. 81). X. *Ad Viennensis provinciæ episcopos* (Q. 10, A. 89). (*d*) XII. *Ad episcopos Mauritaniæ Cæsareæ* (Q. 1, A. 87). XIII. *Ad Metropolitanos Illyrici* (Q. 13). XIV. *Ad Anastasium Thessalonicensem* (Q. 12, A. 84). XV. *Ad Turribium Asturicensem de Priscillianistis* (Q. 15, A. 93). XVI. *Ad episcopos Siciliæ* (Q. 16, A. 4). XVII. *Ad eosdem Siculos* (Q. 17, A. 104). XVIII. *Ad Januarium Aquileiensem* (Q. 14, A. 13). XIX. *Ad Dorum Beneventanum* (Q. 18, A. 5). XX. *Ad Eutychem CP. abbatem* (Q. 19, A. 6). (*e*) XXIII. *Ad Flavianum CP.* (Q. 20, A. 8). XXIV. *Ad Theodosium Aug.* (Q. 21, A. 7). (*f*) XXVII. *Ad Flavianum CP.* (Q. 22). XXVIII. *Ad eumdem* (Q. 24, A. 10). XXIX. *Ad Theodosium Aug.* (Q. 26, A. 12). XXX. *Ad Pulcheriam Augustam* (Q. 30, A. 18). XXXI. *Ad eamdem Pulcheriam* (Q. 27, A. 13). XXXII. *Ad Faustum, Martinum et alios archimandritas CP.* (Q. 28, A. 14). XXXIII. *Ad synodum Ephesinam* (Q. 29, A. 15). XXXIV. *Ad Julianum Coensem episcopum* (Q. 31, A. 19). XXXV. *Ad eumdem* (Q. 25, A. 11). XXXVI. *Ad Flavianum CP.* (Q. 32, A. 16). XXXVII. *Ad Theodosium Aug.* (Q. 33, A. 17). XXXVIII. *Ad Flavianum CP.* (Q. 34, A. 20). XXXIX. *Ad eumdem* (Q. 35, A. 21). XL. *Ad episcopos Arelatensis provinciæ* (Q. 36, A. 106). XLI. *Ad Ravennium Arelatensem* (Q. 37, A. 90). XLII. *Ad eumdem* (Q. 38, A. 107). XLIII. *Ad Theodosium Aug.* (Q. 39, A. 24). XLIV. *Ad eumdem* (Q. 40, A. 25). XLV. *Ad Pulcheriam Augustam* (Q. 41, A. 26). (*g*) XLVII. *Ad Anastasium Thessalonicensem* (Q. 43, A. 29). XLVIII. *Ad Julianum Coensem* (Q. 44, A. 30). XLIX. *Ad Flavianum CP.* (Q. 42, A. 27). L. *Ad clerum et plebem CP.* (Q. 45, A. 22). LI. *Ad Faustum et cæteros archimandritas CP.* (Q. 47, A. 28). (*h*) LIV. *Ad Theodosium Aug.* (Q. 23, A. 9). (*i*) LIX. *Ad clerum et plebem Constantinopolitanam* (Q. 46, A. 23). LX. *Ad Pulcheriam Augustam* (Q. 48, A. 31). LXI. *Ad Martinum et Faustum presbyteros* (Q. 49, A. 32). (*j*) LXVI. *Ad Gallicanos episcopos sedi Arelatensi faventes responsio* (Q. 50, A. 109). LXVII. *Ad Ravennium Arelatensem* (Q. 57, A. 110). (*k*) LXIX. *Ad Theodosium Augustum* (Q. 52, A. 33). LXX. *Ad Pulcheriam Augustam* (Q. 54, A. 35). LXXI. *Ad archimandritas CP.* (Q. 53, A. 34). LXXII. *Ad Faustum presbyterum* (Q. 57, A. 98). (*l*) LXXIV. *Ad Martinum presbyterum* (Q. 55, A. 36). LXXV. *Ad Martinum et Faustum presbyteros* (Q. 56). (*m*) LXXVIII. *Ad Marcianum Augustum* (Q. 58, A. 38). LXXIX. *Ad Pulcheriam Augustam* (Q. 59, A. 39). LXXX. *Ad Anatolium CP.* (Q. 60, A. 40). LXXXI. *Ad Julianum Coensem* (Q. 61, A. 41). LXXXII. *Ad Marcianum Augustum* (Q. 62, A. 42). LXXXIII. *Ad eumdem* (Q. 63, A. 44). LXXXIV. *Ad Pulcheriam Augustam* (Q. 64, A. 45). LXXXV. *Ad Anatolium CP.* (Q. 67, A. 48). LXXXVIII. *Ad Paschasinum Lilybetanum* (Q. 68). LXXXIX. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 69, A. 49). XC. *Ad eumdem* (Q. 73, A. 43). XCI. *Ad Anatolium CP.* (Q. 70). XCII. *Ad Julianum Coensem* (Q. 71). XCIII. *Ad synodum Nicænam, postea Chalcedonem translatani* (Q. 72, A. 47). XCIV. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 74, A. 50). XCV. *Ad Pulcheriam Augustam* (Q. 75, A. 51). XCVI. *Ad Ravennium Arelatensem* (Q. 76, A. 111).

(*a*) In numeris per parenthesim epistolarum titulis ascriptis littera Q significat ordinem Quesnellianum, A ordinem editionum anteriorum.

(*b*) III. *Est Paschasini Lilyb. Ep. ad Leonem* (Q. post. *ep.* 2, A. post. *ep.* 63).

(*c*) VIII. *Novella Valentiniani Augusti contra Manichæos* (Q. post. *ep.* 8).

(*d*) XI. *Novella Valentiniani Aug. adversus S. Hilarium* (Q. post *ep.* 10).

(*e*) XXI. *Eutychis ad S. Leonem epistola*, a Ballerinîis primum inserta. XXII. *Flaviani ep. CP. ad S. Leonem* (Q. post *ep.* 33, A. post *ep.* 8).

(*f*) XXV. *Petri Chrysologi ep. Ravennatis ad Eutychem* (Q. post *ep.* 23), XXVI. *Flaviani ep. CP. ad Leonem* (Q. post *ep.* 21, A. post *ep.* 6).

(*g*) XLVI. *Hilarii Diaconi* postea pontificis *Epistola ad Pulcheriam* (Q. post *ep.* 47).

(*h*) LII. *Theodoreti episc. Cyri ad Leonem epistola* (Q. post *ep.* 47). LIII. *Anatolii ep. CP. fragmentum epistolæ ad Leonem de ordinatione sua* (Q. post *ep.* 57).

(*i*) LV. *Valentiniani Aug. ad Theodosium Aug.* (Q. post *ep.* 47). LVI. *Placidiæ Augustæ ad eumdem Theodosium* (Q. ib.). LVII. *Eudoxiæ Aug. ad eumdem Theodosium* (Q. ib.). LVIII. *Placidiæ Aug. ad Pulcheriam Augustam* (Q. ib.).

(*j*) LXII. *Theodosii Aug. ad Valentinianum Aug.* LXIII. *Ej. ad Placidiam Augustam.* LXIV. *Ej. ad Eudoxiam Augustam* (Q. post *ep.* 47). LXV. *Episcoporum Arelatensi sedi faventium ad S. Leonem papam libellus seu preces* (Q. post *ep.* 49. A. 108).

(*k*) LXVIII. *Ceretii, Salonii et Verani Gallicanorum episcoporum ad S. Leonem epistola* (Q. post *ep.* 70, A. post *ep.* 98).

(*l*) LXXIII. *Marciani ad S. Leonem* (Q. post *ep.* 57).

(*m*) LXXVI. *Marciani Aug. ad S. Leonem* (Q. post *ep.* 61). LXXVII. *Pulcheriæ Augustæ ad S. Leonem* (Q. post *ep.* 58).

Digitized by Google

(*a*) CII. *Ad Ravennium Arelatensem aliosque episcopos Gallicanos* (Q. 77, A. 52). CIII. *Ad Rusticum aliosque episcopos Galliarum* (Q. 82, A. 94). CIV. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 78, A. 54). CV. *Ad Pulcheriam Augustam* (Q. 79, A. 55). CVI. *Ad Anatolium CP.* (Q. 80, A. 53). CVII. *Ad Julianum Coensem* (Q. 81, A. 105). CVIII. *Ad Theodorum Forojuliensem* (Q. 83, A. 91). CIX. *Ad Julianum Coensem* (Antea inedita). (*b*) CXI. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 84, A. 57). CXII. *Ad Pulcheriam Augustam* (Q. 85, A. 58). CXIII. *Ad Julianum Coensem* (Q. 86, A. 56). CXVI. *Ad episcopos, qui in synodo Chalcedonensi fuerant congregati.* CXVII. *Ad Julianum Coensem* (Q. 88). CXVIII. *Ad eumdem* (Q. 91, A. 80). CXIX. *Ad Maximum Antiochenum* (Q. 92, A. 62). CXX. *Ad Theodoretum Cyri episcopum* (Q. 93, A. 63). CXXI. *Ad Marcianum Augustum* (Q. 94, A. 64). CXXII. *Ad Julianum Coensem* (Q. 95, A. 66). CXXIII. *Ad Eudoxiam Augustam* (Q. 96, A. 66). CXXIV. *Ad monachos Palæstinos* (Q. 97, A. 83). CXXV. *Ad Julianum Coensem* (Q. 98, A. 67). CXXVI. *Ad Marcianum August.* (Q. 99). CXXVII. *Ad Julianum Coensem* (Q. 100, A. 68). CXXVIII. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 101). CXXIX. *Ad Proterium Alexandrinum* (Q. 103). CXXX. *Ad Marcianum Augustum* (Q. 104, A. 69). CXXXI. *Ad Julianum Coensem* (Q. 102). (*c*) CXXXIV. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 105, A. 70). CXXXV. *Ad Anatolium CP.* (Q. 106, A. 71). CXXXVI. *Ad Marcianum Augustum* (Q. 107). CXXXVII. *Ad eumdem* (Q. 108). CXXXVIII. *Ad episcopos Galliarum et Hispaniarum* (Q. 109, A. 95). CXXXIX. *Ad Juvenalem Hierosolymitanum* (Q. 110, A. 72). CXL. *Ad Julianum Coensem* (Q. 111). CXLI. *Ad eumdem* (Q. 113). CXLII. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 112). CXLIII. *Ad Anatolium CP.* (Q. 114). CXLIV. *Ad Julianum Coensem* (Antea inedita). CXLV. *Ad Leonem Aug.* (Q. 115, A. 73). CXLVI. *Ad Anatolium CP.* (Q. 116). CXLVII. *Ad Julianum Coensem* (Q. 117). CXLVIII. *Ad Leonem Aug.* (Q. 122, A. 74). CXLIX. *Ad Basilium Antiochenum* (Q. 118). CL. *Ad Euxitheum Thessalonicensem, Juvenalem Hierosolymitanum, Petrum Corinthium et Lucam Dyrrachenum* (Q. 119). CLI. *Ad Anatolium CP.* (Antea inedita). CLII. *Ad Julianum Coensem* (Q. 120). CLIII. *Ad Aetium presbyterum* (Q. 21). CLIV. *Ad Ægyptios episcopos apud Constantinopolim constitutos* (Q. 123). CLV. *Ad Anatolium CP.* (Q. 124, A. 76). CLVI. *Ad Leonem Aug.* (Q. 125, A. 75). CLVII. *Ad Anatolium CP.* (Q. 126). CLVIII. *Ad episcopos catholicos ex Ægypto constitutos apud Constantinopolim* (Q. 127). CLIX. *Ad Nicetam Aquileiensem* (Q. 129, A. 79). CLX. *Ad episcopos Ægyptios apud Constantinopolim constitutos* (Q. 130). CLXI. *Ad presbyteros, diaconos et clericos Ecclesiæ Constantinopolitanæ* (Q. 131). CLXII. *Ad Leonem Aug.* (Q. 133). CLXIII. *Ad Anatolium CP.* (Q. 128, A. 77). CLXIV. *Ad Leonem Aug.* (Q. 133). CLXV. *Ad eumdem* (Q. 134, A. 97). CLXVI. *Ad Neonem Ravennatem* (Q. 135, A. 37). CLXVII. *Ad Rusticum Narbonensem* (Q. 2, A. 92). CLXVIII. *Ad episcopos per Campaniam, Samnium et Tusciam constitutos* (Q. 136, A. 80). CLXIX. *Ad Leonem Aug.* (Q. 137, A. 99). CLXX. *Ad Gennadium CP.* (Q. 138, A. 100). CLXXI. *Ad Timotheum Alexandrinum* (Q. 139, A. 101). CLXXII. *Ad presbyteros et diaconos Alexandrinos* (Q. 140, A. 102). CLXXIII. *Ad Theophilum et alios episcopos Ægyptios* (Q. 141, A. 103).

Scriptæ sunt omnes intra annos 442 et 460, et quidem ex Balleriniorum computatione, hac serie: I, II, III, a. 442. IV, a. 443. V, VI, VII, a. 444. VIII—XI, a. 445. XII—XIV, a. 446. XV—XVIII, a. 447. XIX—XXI, a. 448. XXII, eodem exeunte, aut ineunte a. 449. XXIII—LIV, a. 449. LV—LXXVII, a. 450. LXXVIII—CI, a. 451. CII—CIX, a. 452. CX—CXXV, a. 453. CXXVI—CXL, a. 454. CXLI—CXLIII, a. 455. CXLIV—CLVIII, a. 457. CLIX—CLXVI, a. 458. CLXVII, eodem aut sequenti, CLXVIII, a. 459. CLXIX—CLXXIII, a. 460.

De *deperditis* tam *sermonibus* quam *epistolis* Leonis adeundi utique sunt Ballerinii. Novo exemplo *libros IV de Vocatione omnium gentium*, item *epistolam ad Demetriadem*, et *Auctoritates præteritorum apostolicæ sedis episcoporum de gratia*, quæ etiam Prospero, ut alios taceam, tribui solent, ad eum referre ausus est Quesnellus; sed paucos in hac sententia sibi astipulantes invenit. De *Antelmii* opinione vide quæ ad Prosperum traduntur.

CAPUT III.

§ I. *Editiones.*

Inter celeberrimi nominis pontifices Romanos nullus est, cujus scripta, quamvis clara, tanta celebritate gavisa sint, tantaque ab omni inde ævo veneratione et studio fuerint excepta, quam Leonis. Id non solum testatur multitudo impressorum exemplarium, quæ per tria abhinc sæcula per varias regiones provenerunt, sed multo magis declarat immensa mss. librorum copia ac varietas, per quos ab initio tot illius sermones et epistolæ ad nos deductæ sunt. Ac horum quidem mss. accurata exploratione et distinctione tantum jam per novissimos editores effectum est, ut historia Operum Leonis ab ipso pene auctore abs intercapedine repeti possit. Cumque hæc antiquior scriptorum historia tanto majoris momenti, immo apprime necessaria sit ad impressorum rationes perspiciendas editorumque merita ponderanda, in eo scilicet auctore qui splendorem suum non tam ingenio quam subsidiis eorum qui in eo perpoliendo occu-

(*a*) XCVII. *Epistola Eusebii et synodi Mediolanensis ad Leonem* (Q. post *ep.* 77, A. post *ep.* 52). XCVIII. *Synodi Chalcedonensis relatio ad S. Leonem Græce, cum versione Rustici.* Item *Alia versio antiquior cum subscriptionibus* (Q. post *ep.* 77). XCIX. *Ravennii Arelatensis et aliorum 43 episcoporum Galliarum ad S. Leonem* (Q. post *ep.* 76, A. post *ep.* 57). C. *Marciani Aug. ad S. Leonem*, Eadem *epistola Græce, cum nova versione* (Q. post *ep.* 77). CI. *Anatolii CP. ad S. Leonem* antea inedita.

(*b*) CX. *Marciani Aug. ad S. Leonem* (Q. post *ep.* 88).

(*c*) CXXXII. *Anatolii CP. ad S. Leonem* (Q. post *ep.* 105). CXXXIII. *Proterii Alexandrini ad S. Leonem* (Q. post *ep.* 103).

Digitized by Google

pantur, exspectat, nos equidem lubenter de manuscriptorum sermonum ac epistolarum Leonis vicissitudinibus, in quantum ad editionum notitiam collustrandam facerent, ex Ballerinii delibata hoc loco inseruissemus, si quam illi diuturno labore et indefesso studio pararunt doctrinam tam facili negotio et paucis verbis sine totius dispendio complecti licuisset, neque consultius videretur, universa illorum hac in re observata summatim et stylo quantum licet contractiori huic de Leonis scriptis et editionibus commentario appendere; id quod aptius tamen in sequentibus fiet, ubi de codicibus ab editoribus præcipuis consultis sermo institui debet. Ablegatis itaque eodem qui instrui cupiunt lectoribus, ad Operum pontificis hujus, ex quo typis mandari cœperunt, fortunam more nostro enarrandam progrediamur.

Prima itaque edendorum scriptorum Leonis auspicia dedit *Joannes Andreas* episcopus *Aleriensis* in *Sermonibus Romæ per Conr. Sweynheim et Ant. Pannartz* a. 1470 impressis, quos eodem aut sequenti anno ibidem, sed sine loci atque anni mentione recudit *Ulricus Han*, paulo post *Veneti* typographi 1482, 1485 et 1505, et *Joannes Parvus Parisiis* 1515, aliique, qui latere quam nomen profiteri maluerunt, quamquam ex innominatis editionibus illæ quas in sequenti indice a. 1475, et numero II prænotavimus, paulisper ab archetypo Aleriensi recedant, una autem num. III (IV) insignita plane diversa esse videatur. Per idem tempus varii Leonis sermones in diversis *Homiliarii doctorum* editionibus evulgari consueverunt. Sed *Epistolas* primus *Jacobus Merlinus* doctor theologiæ Parisiensis protulit in *Collectione conciliorum* et *epistolarum pontificiarum Parisiis* a. 1524, repetita ibidem a. 1530 et 1535. Quem mox secutus est *Sichardus* edita alia *quinquaginta epistolarum* collectione ad calcem *Clementis Romani* a. 1536, recusa *Parisiis* 1568. Jam vero *Petrus Crabbeus* Mechliniensis de ordinandis epistolis sollicitus fuit, epistolasque a Merlino editas *ad consulum ac mensium debitum ordinem constitutas* inseruit *Collectioni conciliorum Coloniæ* a. 1538, paratæ et recusæ a. 1551. *Petrus* autem *Canisius* Noviomagensis, clericus tunc Coloniensis diœcesis, qui postea societati Jesu nomen dedit, primum in conjungendo utroque scriptorum genere experimentum cepit, *epistolasque et sermones* duobus tomis *Coloniæ* a. 1546 et 47 imprimi curavit. Hunc exceperunt *Laurentius Surius* Vitarum sanctorum editione post celebrior, qui eadem *Leonis Opera* ad mss. exemplaria correcta et castigata edidit *Coloniæ* a. 1561, iterumque a. 1569, nec non epistolas Leonis concilliis a se editis inseruit, sicuti sermones aliquot cum *Homiliario doctorum* a se aucto denuo repræsentavit; quibuscum pari gressu incedit *Canonicorum Reg. S. Martinii Lovaniensis* editio e mss. itidem codicibus emendata, *Lovanii* a. 1575-77, et iterum *Antwerpiæ* 1583. Interea Epistolæ Leonis aliquod incrementum ceperunt ex *Collectione epistolarum decretalium* card. *Antonii Carafæ* quæ *Romæ* a. 1591, curante *Antonio de Aquino*, magna cum pompa prodiit, nec non *Cæsaris Baronii Annalibus* a. 1566, et *Gerardi Vossii*, Tungrensis præpositi *Miscellaneis Patrum*, Operibus Gregorii Thaumaturgi *Moguntiæ* a. 1604 adjectis; quæ omnia fere complectitur ordine justo disposita *Collectio conciliorum Severini Binii* a. 1606, iterumque et tertio deinde *Coloniæ* et *Parisiis* emissa. Epistolas etiam ad Ecclesiam Gallicanam pertinentes ad mss. codices emendatas et unius accessione auctas dedit *Jac. Sirmondus* in *Conciliis Galliæ* a. 1629. At Vossius ille, qui loco laudato epistolas e codd. mss. Vaticanis et card. Sirleti proposuit, integram Operum Leonis editionem e mss. eductam et illustratam meditabatur apud *Michaelem Sonnium* Parisiensem bibliopolam prodituram, de qua non semel in aliis lucubrationibus mentionem et promissa fecit (*a*). Sed hæc exspectatio morte viri (a. 1609) irrita facta Leonis studiosos aliam spem inchoare jussit, quæ iterato tamen concidit. Nam cum Parisienses quidam bibliopolæ instituissent *Leonis M.* Opera una cum *Maximo Taurinensi*, *Petro Chysologo* aliisque, in primis homiliarum auctoribus, quorum numerus sensim auctus est, privato consilio excudere, post plures eorum editiones a. 1614, 1618, 1623, in quibus Lovaniensis tantum non simpliciter recusa, sed tribus sermonibus ex veteri ms. Nicolai Fabri codice aucta fuit, tandem cura hæc ad *Theophilum Raynaudum* magni nominis theologum pervenit, qui *Heptadem* horum scriptorum complevit, in eaque Leonis in primis Opera ad germanam sententiam revocare studuit. Prodiit hæc ejus editio *Parisiis* a. 1633, denuoque prelo subjecta est annis (1651) 1661 et 1671. Sed cum non tam varietate codicum typis editorum et mss. antiquorum fide quam ingenio suo et doctrina niteretur, provinciam ab eo inchoatam suscepit

(*a*) Ad calcem *Operum S. Ephrem*, nec non in notis ad tr. *Leonis contra Eutychem* in laudatis Miscellaneis vulgatum, ubi *observata* sua in *recognitione Leonina* et *ad marginem Epistolarum annotata* excitat. Adde Nic. Fabrum in epistola ad eumdem (in *Opusculis* Fabri *p.* 113, 114), qua se audisse testatur *Michaelem Sonnium Parisiensem typographum exspectare quam citius ipsius Operum S. Leonis editionem*. Ac sane *Joannes Baptista Marus* nactus erat editionem Sermonum Leonis, in cujus marginibus Gerardus Vossius variantes lectiones notaverat, quibus ipse quoque usus est; et Ballerinii (in *præf. ad Sermones Leonis pag.* 81) suspicantur, *codicem Operum S. Leonis collatum a Francisco Pegna cum Romanarum bibliothecarum mss. codicibus*, quem Quesnellus (in fine *præf. gen.*) olim post Pegnæ mortem apud *Marium Sancti Angeli canonicum* vidisse scribit Emericum Bigotium, Vossianum fuisse. Ostendunt enim laudatum *Marium* nullum alium esse quam *Joannem Baptistam Marum*, quem alibi Quesnellus diserte *S. Angeli in foro Piscium canonicum* appellat, quemque codicem Leonis a Vossio variis mss. librorum lectionibus notatum penes se habuisse dictum est. Errore itaque Bigotii factum esse volunt, ut, quod Vossio esset adjudicandum, Pegnæ tribueretur, eo quod Vossii codex in hujus manus venisset, antequam in Mari bibliothecam transiret.

Digitized by Google

Joannes Baptista Marus canonicus Romanus, editis a. 1744 quibusdam Augustini sermonibus ex mss. Vaticanis et Barberinis, iterumque ex Vat. codice Desiderii Casinensis abbatis, postea Victoris III dialogis, et a. 1633 Petri diaconi de viris illustribus Casinensibus opusculo, notus. Et *sermones* quidem, codicibus mss. Vaticanis et basilicæ S. Petri, item aliis et Vossii variantibus suffultus, absolvit, sed mors repentina totum opus e manibus excussit, *Sermonumque ad plurium mss. fidem restitutorum* volumen per fratrem ejus cardinali *Michaeli Angelo Riccio* traditum, totum, præter præfationem, oblivione est sepultum.

Hactenus igitur virorum doctorum in Leone M. restituendo studium processerat. Nihil enim refert in hoc generali editionum censu commemorare varias impressiones *Epistolæ ad Flavianum* per plura diversi consilii opera hoc et superiori sæculo factas, aut *Sermones* in *Bibliothecis Patrum* et *Concionatoria* insertos, aut *Epistolas* in *conciliorum collectionibus* ex superioribus editionibus iterum descriptas. Illa autem respicientes fateri cogimur magnas quidem a prima inde Sermonum editione variis occasionibus Operum Leonis accessiones factas esse, sed quod textus emendationem atque explicationem attinet, virorum eruditorum studia atque ingenium, non quidem culpa omnium, ut vidimus, admodum desiderari. Sed quod per duo integra sæcula frustra exspectatum fuerat, dummodo ingenia copiis, quibus Leonis editor necesse instructus esse debebat, modo copiæ ingeniis defuerant, id unus subito, absque speciosa significatione, præstitit Paschasius Quesnellus, a quo tota editionum Leonis historia nova quasi auspicia capit.

Quesnellus enim insigni copia codicum mss., maxime Gallicanorum, qui, paucis exceptis, a nemine antea adhibiti fuerant, tam Sermones quam Epistolas innumeris in locis castigavit, novis auxit, nova ratione digessit ac disposuit, varietatisque lectione ubere, notis, amplioribus observationibus, dissertationibus doctissimis, variarumque et cum Leonis gestis remotius subinde conjunctarum rerum tractatione abundantibus adeo nobilitavit, ut qui modo tam jejune habitus fuerat, auctor jam ac causa novæ eruditionis, multarumque ac sane tum gravissimarum quæstionum atque disputationum fieret. Prodiit Quesnelliana editio 1675 *Parisiis*, quaternis, duobus splendidis voluminibus; sed non citius omnium admirationem atque acclamationes, quam severam pontificis Romani animadversionem in se excitavit. Nam cum novus editor liberius de nonnullis tam fidei quam disciplinæ veteris Ecclesiæ capitibus disseruisset, præcipueque pontificis Romani auctoritatem in multis usurpatam ostendere atque testimoniis consensuque tum Leonis sententiarum, tum aliorum scriptorum demonstrare ausus esset, sacræ inquisitionis vindictam effugere non potuit, sed anathemate percussus fuit in decreto anno 1676, tertio kalendas Maias proposito, omnibusque Ecclesiæ catholicæ filiis, *ne novas, peregrinas atque venenatas doctrinas imbiberent* (*a*), sub eadem anathematum pœna depravatorum a Quesnello Operum Leonis lectione interdictum, omniaque ejus in Leonem annotata disputataque in prohibitorum indicem (*b*) relata sunt. Sed cum bene esset perspectum in Romana curia omnem humanam naturam pronam esse in vetitum, facileque sentiebant hac sua obvallatione non posse ab omnium animis tam perniciosarum opinionum contagionem arceri ac defendi, remedium infectis exoptabant, quod omnem veneni vel imprudenter vel ex prava appetentia hausti vim statim retunderet et penitus exstingueret, editionem *Anti-Quesnellianam*. Nec sane vana ista sollicitudo fuit. Tot enim lectores atque amatores nova hæc editio invenit, ut anno hujus sæculi ultimo iterum typis tradi posset; id quod *Lugduni* forma maxima factum est; atque Quesnellus tam parum resipuit, ut nihil ex omnibus quæ tantopere Romanæ sedi displicuisse cognoverat, in Lugdunensi editione tolleret aut retractaret. Contra desiderio isti novæ editionis Leoninæ tardius satisfactum fuit. Non defuerunt quidem homines eruditi, qui imponi sibi hoc onus paterentur, aut sponte illud subirent; et erat utique quod causæ pondus addere et honoris cupidos invitare poterat, desiderata a nonnullis viris doctis in Quesnelli emendationibus cura vel etiam ingenuitas, et ex altera parte codicum Romanorum et quasi archetyporum ostentatio, unde Leo purior educi posse videbatur. Sed sive quod minus alii pensitassent cum suis viribus, aut in profligando opere difficultatibus obrepti destitissent, aut alio quovis impedimento spes certissimæ identidem evanuerunt. Interea privato bibliopolarum aliquot *Venetorum* instituto, *Augustini Savioli* a. 1741, et *Andreæ Poletti* a. 1748 Leonis Opera juxta Quesnellianam editionem, additis plus minus ex notis et dissertationibus ejus recusa et cito distracta sunt. Post eos *Petrus Thomas Cacciarius*, carmelita, theologiæ polemicæ in collegio Romano de Propaganda Fide lector, novam, ad codices mss. Romanos potissimum formatam et Quesnello oppositam, Romæ, tribus voluminibus in-folio, quorum primum *Exercitationes in Leonem*, reliqua duo opera ipsa complectuntur, a. 1751, 1753 et 1755, protrudit. Sed licet non deessent ipsi quotquot exoptari poterant manuscripto-

(*a*) *Cacciarii* verba sunt, ex *præf. t.* I, *pag.* 3, ubi *apostolicam* sedem divino Spiritu ductam, ac suorum filiorum pietati ac saluti præcaventem hanc sanctionem sanxisse ait. Quod si recte ab eo statutum fuit, non potuit non a malo quopiam spiritu profecta esse *sacræ* facultatis theologicæ Parisiensis censura (d. 14 mensis Junii 1670), qua *nihil se in hac editione nactos esse profitentur* isti theologi, *quod dogmatibus revelatis sit contrarium, moribus Christianis repugnans et a disciplina Ecclesiæ universæ alienum*; econtrario probarunt *editoris fortitudinem, qua Ecclesiæ Gallicanæ splendorem, Gallicanorum præsulum innocentiam et veras Ecclesiæ Gallicæ libertates animose ex occasione propugnaverit.*

(*b*) Anni 1682, *pag.* 277.

Digitized by Google

rum librorum copiæ, sola voluntate tamen, aut fiducia in vires ipsi non satis cognitas, efficere non potuit quod propositum, et vero insolentius promissum erat. Quo evenit sane ut cum eodem pene tempore præstantissima Balleriniorum opera *Venetiis* 1753-56-57 prodiissent, omnis ejus labor obscurari et oblivione mulctari inciperet, nec iis quidem quæ recens ex codicibus Vaticanis et Ratisbonensibus protulit, scilicet quod eadem omnia et aliquanto plura apud Ballerinios etiam deprehenderentur, gratiam ab eruditis inire posset. Quippe *Ballerinii* optimorum codicum mss. abundantia et peritia, usu critices, accurata doctrina ejusque commoda distributione, nec non totius methodo talem Leonis Operum editionem perfecerunt, quali post Coustantii Epistolas pontificum Romanorum nullus ex omnibus Latinis scriptoribus ecclesiasticis gavisus fuit; ne taceam Romanæ curiæ votis cumulate esse satisfactum, nec Benedictum XIV mandati sui pœnitere debuisse, quo tales huic negotio viros optavit, in quibus dubitare possis majorne doctrina atque dexteritas, an officiositas et studium erga sedem Romanam fuerit; quamquam aliter affecti haud paucis in sententiis ab iis jure suo dissidebunt.

Jam itaque omnis fatorum series scriptorum Leonis, ex quo prelo committi cœperunt, duabus conversionibus, quarum altera in *Quesnello* orditur, altera a *Ballerinii*s progreditur, constat. Posterior priori utique in omnibus quæ ad tractationem scriptoris pertinent, longissime præstat, modo ne obliviscaris Quesnellum suo specimine Ballerinii et omnibus omnino qui post eum ad retractandas scriptorum ecclesiasticorum editiones accesserunt, exemplum longe illustrissimum præivisse. Sequuntur *editionum singularum* Leonis *annales*.

Sæculo xv.

1470. *Romæ per Conr. Sweynheym et Arn. Pannartz, in-fol.* S. Leonis papæ Sermones et Epistolæ *ex recognitione et cum præfatione Jo. Andreæ ad Paulum II.* In calce :

Aspicis illustres, etc.

M. CCCC. LXX.

Complectitur hoc volumen *Sermones* 92, *Epistolas* vero 5, quarum prima *ad Flavianum episcopum Constantinop.* inserta est inter Sermones post decimum sextum, reliquæ 4, nempe 1° *ad Maximum episc. Antiochenum*, 2° *ad Anatolium episc. CP.*, 3° et 4° *ad Leonem Augustum*, post absolutos Sermones et *tractatum* ejusdem auctoris *contra hæresim Eutychetis, quem Romæ in basilica S. Anastasii habuit*, quique proxime Sermonibus succedit, adjiciuntur. Finem operi imponunt ad epistolæ ultimæ argumentum pertinentia *Symbolum Nicænum et testimonia excerpta de libris catholicorum Patrum a Leone papa collecta Leonique imperatori directa, quod Dominus noster Jesus Christus verus sit Deus et verus homo.* Cuncta vero hæc Sermonibus subjuncta, non excluso *tractatu contra Eutychetem*, foliis 14 constant. Ab initio occurrunt, tribus foliis, *Jo. Aleriensis præfatio ad* Paulum II, et *Rubricæ totius operis per ordinem.*

Hæc fere de prima *Leonis* editione tradidit *Audifredus* in libro sæpius nobis laudato p. 47, dictisque ut plurimum convenire deprehendimus habitum alterius editionis ex hac expressæ, quam statim commemorabimus. Hujus vero jam ante Audiffredum mentionem injecerat P. *Xav. Laire in specimine hist typogr. Rom.*, etc., p. 153, ab illo pro more et consilio libri sui ob leviuscula aliquot παραράματα acerbe castigatus. Exhibent eam Catalogi bibliothecarum *Smithianæ p.* 265, *ducis de la Val. t.* I, *p.* 178, *Nic. Rossii*, p. 47, *Crevennæ* novissim. (in-8°) *t.* I, *p.* 112, pluraque in Italia exemplaria evolvit Audiffredus, ut adeo mirum sit qui fieri potuerit ut cardinali Quirino ea non innotesceret, quippe qui in *Appendice* ad *Pauli II Vitam*, *de optimis editt. Rom.*, dum Aleriensis præfationem ex ed. Florentina recudi curat, *Mœttarii* de hac editione testimonium in dubium vocavit. Aliter se res habet cum editione Coloniensi 1470 *in-fol.*, quam idem *Mœttarius t.* I, *part.* I, *p.* 298, addito testimonio *Catalogi bibl. Noriberg. Sauberti*, *p.* 118, laudat, quam nulli umquam bibliographo visam novi.

Sine anno, loco et typogr. (*Romæ per Ulr. Han.*) *in-fol.* B. Leonis Sermones, etc., descriptione totius præcedenti per omnia similis. Character *Udalricum Gallum* prodit, eo quem in Quintiliano excudendo usus est plane conformis. Quam *P. Lairii* assertionem nos comparatione utriusque exemplaris veram deprehendimus. In utroque etiam libro paginæ lineas 35 comprehendunt, sed hoc differunt quod in Leone tituli sermonum maximam partem (*a*) litteris uncialibus exscripti sint, in Quintiliano contra omnino desint. Quod si igitur recte ad Ulricum Han. refertur hic typus, verisimile est quam maxime, vel eodem anno, vel sub initium sequentis statim ab eo fuisse elaboratum, quia ita invicem affectos novimus Romanos hosce typographos, ut si quid novi alter protulisset, alter extemplo prelo idem subjiceret. Præter *Lairium*, *Audiffredum* et *Quirinum*, qui omnes oculis hanc editionem usurparunt, laudant eamdem *Catal. bibl. Bunav. p.* 162, *ducis de la Val. p.* 179, *Nic. Rossii p.* 47, *Pinell. t.* I, *p.* 103. Nostrum exemplum jam notum fecit *Hambergerus* in *Zuverl. Nachr. t.* III, *p.* 203, qui tamen *principem* statuit, ut nuper etiam in Pinell. Cat. *Morellus*, quo jure, nescio.

(1475.) *Sine loco et typographo, in fol.* S. Leonis Sermones. *Ab initio : Liber Sermonum sancti Leonis primi papæ, doctoris floridissimi ac eloquentissimi incipit feliciter ;* deinde eadem linea : *Sermo primus de ordinatione sua in pontificem ;* in fine : *Expliciunt sermones Leonis papæ.*

(*a*) Deficientes numeravit Audiffredus, scilicet ut negligentiæ *Lairium* argueret, qui in genere titulos maiori charactere expressos esse dixerat.

Digitized by Google

Volumen est foliorum 124, impressum charactere gothico breviori et pingui, sed nitido, binis columnis, lineis per paginam 38. Chartæ sunt densæ, satis candidæ at paulo crudiores; margines et interstitia columnarum lata; distinctionis signa, colon et punctum; litteræ initiales, numeri, custodes et signaturæ desunt. Tituli sermonum vero omnes eodem charactere sunt impressi. Textum præcedunt folia tria *Jo. Aleriensis præfationem* et *rubricas sermonum* complexa; sed rubricæ non nisi in lineam 13 paginæ primæ folii tertii per utramque columnam protenduntur. Quamquam autem propter laudatam *Aleriensis episcopi* præfationem videri possit hunc typum plane Romanam editionem referre, revera tamen eam non refert, quippe qui una cum *tractatu contra hæresin Eutychetis*, qui ultimus est, sermones 95 numerat, et epistolis, quæ in superioribus exstabant, nec non quæ appendicis loco epistolis accesserant, symbolo Nicæno et testimoniis ex PP. scriptis a Leone collectis prorsus caret. Optandum igitur esset ut ab aliquo harum rerum curioso diligentius excuteretur num fortasse in singulis etiam lectionibus a Romanis differat. Sed jam quærentes ex me lectores audio, unde tandem, si ampliori subscriptione careat hoc Leoninorum Sermonum volumen, annum suprascriptum hauserim. Nimirum hæc est illa editio, cujus in *Mœttarianis* indicibus *t.* I, *part.* I, *p.* 351, fit mentio, cujus tamen præter illum nemo bibliographorum meminit. Quamobrem succinctam ac certam ejus notitiam lectoribus diutius non invidendam duximus. Videlicet uno eodemque charactere atque habitu simul cum Leonis Sermonibus excusæ sunt *Homiliæ Gregorii M.* atque *Origenis*, ita quidem ut cujusque auctoris opus ab alterius opere separari commode possit, posteriora duo tamen una eademque subscriptione ad calcem Homiliarum Origenis comprehensa sint (*a*). Hinc factum est ut sæpius invicem divellerentur et conjunctas cernere rarissime jam obtingat. Sic *Gregorii et Origenis Homiliæ*, Leone avulso, occurrunt in *Cat. bibl. ducis de la Val. t.* I, *p.* 180, *n.* 499, eamdemque, nisi forte solas Origenis, Vallarsium tractasse dixeris, dum in Hieronymianis subsidiis laudat homiliarum aliquot Origenis editionem Basileensem a. 1475, quam ignorare me in superioribus professus sum (*b*). Ego tamen diversam ab hac censeo. Certe si hæc ipsa fuit, quam fortasse conjectura ductus Basileensem dixerit, me assentientem non habet. Nam, nisi omnia me fallunt, in Italia hoc volumen excusum est. Ne quis vero hac nostra argumentatione contrarium potius quam quod intendimus effici existimet, cogique nos posse putet ut *absque loci* et *anni* nota, alio quovis tempore excusam scribamus hanc Leonis editionem, utpote nulla alia de causa anno 1475 prænotatam, quam quia cum opere simili hoc anno exscripto compacta sit, respondebimus, primo, nos, missa omnino de anno assignando quæstione, curare voluisse ut ab omnibus quam certissime dignosceretur. Quod futurum putavi, si non ultro editionum *absque anno* prolatarum numerum augerem et ad Mœttarianam illam, alias incognitam (*c*), digitum altius intenderem. Deinde vero nec magnopere me errasse existimo, quandoquidem tria illa opuscula et argumenti affinitate inter se connexa et preli exsecutione sibi simillima sunt, neque id ab antiquorum typographorum more valde abhorret, ut ex pluribus, quæ junctim excuderant operibus, solum ultimum anno et loco impressionis signarent.

1482. *Venetiis, per Lucam Venetum Dominici filium.* VII *id. August. in-fol.* S. Leonis papæ Sermones et Epistolæ cum præfatione Jo. Aleriensis. *Maitt. t.* I, part. II, 429. Occurrit in *Cat. bibl. ducis de la Val. t.* I, *p.* 180, *n.* 495.

1482. *Spiræ per Petrum Drach. in-fol.* Leonis Sermones *aliquot;* in *Homiliario doctorum vulgo Caroli Magni.* Sermones sunt 21. De ipsa hac rarissima editione supra occasione Sermonum Augustini egimus. Cf. Ballerinii in præf. Sermonibus Leonis præmissa, § 6, n. 26. Illi quidem non perfunctorie hac editione usi sunt, sed ut germanas Pauli diaconi lectiones cognoscerent, cum *Basileensi Nicolai Kessler* a. 1496 diligenter contenderunt.

1485. *Venetiis per Andream Parmensem, in-fol. min.* Divi Leonis Homiliæ (Sermones et Epistolæ) *Maitt. t.* I, part. II, *p.* 470. Erat in *Bibl. Crevennæ.* Vid. *Cat.* novissimus (in-8°) *t.* I, *p.* 112, *n.* 498.

1493. *Basileæ per Nicol. Kessler, in-fol.* Leonis Sermones *aliquot*; in *Homiliario doctorum*, juxta ordinem vetustissimum bibliothecæ Ecclesiæ Basiliensis impresso. Cf. Augustiniana.

1494. *Norimbergæ per Anth. Koburger, in-4°.* Leonis *aliquot* Sermones; *in eadem collectione.*

1496. *Basileæ per Nic. Kessler, in-fol.* Leonis *aliquot* Sermones; in *Homiliario doctorum* repetitæ editionis.

1498. *Basileæ..... in-fol.* Leonis Sermones; *in eadem collectione*, quam laudat *Maitt. t.* I, *part.* II, *p.* 675.

Sine anno et loco, in-fol. (II vel etiam III hujus generis) S. Leonis I papæ Sermones.

Incipit a præfatione Aleriensis, quæ similiter ac in editione a. 1475 inscribitur: *Joannis Andreæ episcopi aleriensis ad summum pontificem paulum secundum Venetum in laudem ipsius sancti Leonis pape.* Impressa vero cernitur in aversa folii primi pagina, et linea 28 absolvitur, proximeque succedentes habet *rubricas*, quæ prima folii tertii pagina linea 35 terminantur, aversa vacua relicta. Textus incipit eadem inscriptione ac ed. a. 1475. In fine pariter: *Expliciunt Sermones leonis pape.*

Constat opusculum foliis 152 impressum charactere gothico majusculo in charta alba mundaque,

(*a*) Sonat: *Expliciunt omelie beati gregorii pape et origenis presbyteri.* Addito *anno*, non item loco. Uberiorem descriptionem accipies inter editiones Gregorianas in tomo sequenti.

(*b*) Vid. *t.* I, *p.* 475.

(*c*) Vid. Denis. Garell. Bibl. *p.* 195.

Digitized by Google

lineis in integra pagina 34. Signaturæ, numeri, custodes et litteræ initiales absunt. Interpunctioni solum punctum inseruit. Hanc fere descriptionem editionis mihi incognitæ præbet P. *Placidus Braun* in *Not. Hist. Lit.* I, *p.* 56, eamque jam a *Bavero* in *Bibl. univers. T.* II, *p.* 275, notatam esse monet. Apparet autem eam ab illa quam sub anno 1475 recensui admodum esse diversam, tametsi ex titulis concludas unam ex altera fuisse expressam, atque adeo habere in quibus a Romanis archetypis differant. Optaverim igitur ut viro solertissimo placuisset contenta ejusdem diserte indicare. Hæsitavi aliquantulum, qui factum sit, ut tum *Braunius*, tum alii bibliographi in æstimanda editionum innominatarum ætate unam fere normam anni 1475 sequerentur. Jam *Braunius* addidit a. 1475, aliam editionem absque typographi et loci nota prodiisse. Cave vero ne supra a nobis descriptam cognitam ipsi existimes. Alia causa subest, Deburii nempe commentum, quasi editio Romana absque anni nota (Ulrici Galli), anno 1475 procusa fuerit. Hinc annus iste percrebuit. Sed hunc Deburii errorem P. Xav. *Laire* in *Specim. p.* 153 reprehendit.

Sine anno, *loco et typogr. in-fol.* (III vel IV). S. Leonis papæ Sermones. Ab initio : *Incipit liber beati Leonis papæ Sermonum, et sermo primus de ordinatione sua sequitur.* In fine : *Ihesus Christus Maria.* Insunt Sermones 94, quorum penultimus *tractatus contra heresin Eutychetis*, ultimus sermo de *Absalon* est suppositus. Tertia hæc est, vel si mavis, quarta editionum Leonis *locum* et *annum* haud præferentium, atque omnium omnino antiquarum rarissima. Notitia ejus debetur *Denisio* V. Cel. in *Memorabilib. Bibl. Garell. p.* 194, nec præter eum quisquam hactenus exemplum illius tractavit. Prodidit itaque folia hujus voluminis a se numerata esse 133, linearum 37, litteras esse gothicas, sed novi plane generis, majusculas nimirum, fluctuantes et asperas, quæ quasi scalpro exaratæ videantur. Mediis in vocibus tradit conspici passim litteras rotundas *a*, *st*, et *ct*, atque unciales etiam C, O, S, T, sæpius Romanam formam referre. Rara litterarum compendia. Distinctionis signa, punctum et colon. Absunt custodes, signaturæ, numeri, litteræque initiales. Singulis sermonibus tituli sui sunt ascripti; singulis in fine addita vox *Amen*, litteris late distantibus. Ascriptus erat exemplari Garelliano colore purpureo annus 1461, sed fraudulenter hoc factum esse suspicatur Denisius. Sibi ipsi conjecturam ferre coacto vel *Antonium Sorg*, *Augustanum*, vel *Conradum Finer*, *Esslingensem* artificem, videri pronuntiat. Illud vero ex contentis manifestum, non ex Romanis, earumque repetitionibus, Venetis, sed ex una reliquarum, quas ante recensuimus, omissis quibusdam et additis aliis, hanc editionem fuisse descriptam.

Sine anno, *Coloniæ per Conrad. de Homborch. in-fol.* Leonis Sermones *aliquot ;* in *Homiliario doctorum*, editione supra inter Augustiniana descripta.

SÆCULO XVI.

1505. *Venetiis* in *typographeio Bartholomæi de Zanis de Portesio librariæ artis peritissimo, expensis hæredum nobilis viri Q. Domini Octaviani Scoti, in-fol.* S. Leonis Sermones. Juxta editionem Parmensem. Commemorat *Quesnellus* in *Præfat. gen.*

1511. *Parisiis* per *Jo. Badium Ascensium*, *in-4°.* S. Leonis papæ Epistolæ catholicæ et sanctæ eruditionis plenissimæ. *Cat. Bibl. Reg. Paris.* it. *Bunav.* et *Bodlei.* Insertus est libellus de *Conflictu vitiorum et virtutum*, Leoni, ut tot aliis Patribus, perperam ascriptus.

1515. *Parisiis*, *in-4°.* Leonis pontificis maximi Sermones quam diligentissime nuperrime castigati et quantum anniti ars potuit feliciter impressi. *Venumdantur Parisius* (sic) *in vico divi Jacobi sub Lilio aureo* a *Joanne Parvo* (*Jean Petit*).

Exemplar juxta quod descripti sunt, editionis Romanæ fuit. Insunt igitur et epistolæ 5, eodem omnes ordine et appendices. In fine, absoluto plane reliquo opere, post paginam vacuam folii ultimi, id est, centesimi octavi, adeo ut separari possit, additus est *libellus Leonis papæ de Conflictu vitiorum.* Huic titulo, qui in summa pagina cernitur, subjungitur statim notula : *Leoni insuper quod sequitur ascribitur opusculum. Illud ergo* (*quod conducere videbatur*) *addidimus. Tuitaque quidquid et illud est, æquilector optime bonique, consulito.* Occupat folia 8, quæ numeris non signantur. In fine hæc clausula : *Explicit præclarus et insignis tractatus Leonis pape de conflictu vitiorum et virtutum ; vna cum sermonibus eiusdem. Parrhisiisque impressus in sole aureo vici diui Iacobi per magistrum Bertholdum rembolt. Anno dni. M. CCCCC. XV. die vero II. martii.* Characteres sunt gothici minuti, verba crebris compendiis concisa, in margine loca insigniora Leonis lemmate notantur, et biblicorum numeri sunt ascripti.

1516. *Lugduni per Johannem Clein. in-fol.* Leonis Sermones *aliquot*, in Homiliario doctorum f. Augustinus.

1524. *Parisiis..... in-fol.* Epistolæ Leonis papæ, *in Jacobi Merlini* Collectione *conciliorum cum generalium, tum provinc., et decretor. pontificiorum.*

Testis est *Quesnellus*, qui *nonaginta quatuor* epitolas Leonis, multis quidem locis mendosas, sed vicissim in aliquibus multo recentioribus emendatiores inesse scribit.

1525. *Lugduni per Joannem Crespin. in-fol.* Leonis Sermones *aliquot;* inter *Homilias* doctorum ecclesiasticorum, etc.

1525. *Moguntiæ apud Jo. Schœffer, in-fol.....* Decreta Leonis papæ 49, in ed. principe Collectionis *Concil. et Canon. Dionysii Exigui*, quem sæpe jam in superioribus allegavimus.

1530. *Coloniæ* ex *off. Petri Quentel. in fol.* Epistolæ Leonis papæ; in repetita ejusdem *Merlini* Collectione *conc. gen.*, etc. *T.* II, a *fol.* 188 ad 228 Epistolæ numerantur XCVII.

1530. *Coloniæ ex off. Eucharii Cervicorni, in-fol.*

Digitized by Google

Leonis Sermones *aliquot;* in *Homiliis præstantissimorum Ecclesiæ doctorum.*

1535. *Parisiis apud Franciscum Regnault, in-8°.* Epistolæ Leonis papæ; in iisdem *Conciliis* h. a. et l. denuo repetitis, a *folio* 202 ad 447.

1536. *Basileæ, in-fol.* Leonis papæ epistolæ quinquaginta; una cum aliis pontificum Rom. epistolis additæ *Clementis Romani Recognitionibus*, edente Jo. *Sichardo* a *pag.* 306 usque ad finem (id est 374).

Jam primæ suæ *Clementis Recognitionum* editioni, quæ a. 1526 Basileæ apud *Jo. Bebelium in-fol.* prodiit, addiderat Sichardus pontificum aliquot Romanorum Epistolas plerasque supposititias. Sed longe uberior accessio hæc tulit, *Leonis* simul non exiguam partem complexa. Diligenter eam consuluerunt fratres Ballerinii.

1538. *Coloniæ apud Petr. Quentel., in-fol.* Epistolæ Leonis papæ primi, et Decreta; in Collectione *conciliorum omnium*, auctore *Petro Crabbe* Mechliniensi *T.* I, a *fol.* 343 ad 392.

Pollicetur editor magis *propriam et aptam* Epistolarum Leonis *ordinationem.* Quæ enim, inquit, *prius confusæ conscriptæ sunt, nunc secundum consulum (modo sciri possint) ac mensium debitum ordinem sunt constitutæ, quibus deficientibus, ordo reliquarum Epistolarum, qui aptior visus est, servatur.* Cuique epistolæ præmittitur capitulorum indiculus. Notantur in margine loca Biblica, adjectæque sunt passim lectionis variantes.

1546—47. *Coloniæ, in-8°. Tomis* II. D. Leonis papæ, etc., Epistolæ decretales et familiares. Ejusdem Sermones et Homiliæ, edente *Petro Canisio* Noviomagensi, quem Quesnellus scribit professum, *adminiculo admodum vetustorum et emendatissimorum exemplariorum se adjutum fuisse.* Vide repetitionem hujus ed. a. 1566. Reprehendit autem Quesnellus quod librum de *Conflictu vitiorum et virtutum.* tamquam Leonis, addiderit.

1551. *Coloniæ apud Petr. Quentel., in-fol.* Epistolæ Leonis papæ primi et Decreta; in ejusd. *Petri Crabbe Conciliis* editionis repetitæ.

1551. *Ibidem, in-fol.* S. Leonis Sermones. Laudat hanc editionem, quid quod tractasse se scribit *Jo. Ciampinus* in *Epistola* ad *Erasm. Gattola a Caieta.* Attamen ne hac quidem professione omnem dubitationem nobis exemit, quippe quem in aliis, quas item versavisse videri vult, manifesto lapsum deprehendimus, laudando editiones Lovan. 1566 et Antuerp. 1585, *quaternis* excusas. Nec magnopere etiam doctrinam suam nobis approbavit, qui, Romanus ipse et Romæ degens Colonienſem hujus anni editionem *antiquissimam sermonum* dicere potuit.

1553. *Venetiis, in-fol.* S. Leonis Sermones, eodem *Ciampino* teste. In suspenso itaque sinamus, seorsim an in collectione aliqua editi sunt.

1555. *Basileæ* per *Henr. Petri, in-fol.* Leonis papæ primi Epistola ad Flavianum contra Eutychen; in *Orthodoxogr. Jo. Heroldi n.* 37.

1561. (*Coloniæ*). S. Leonis opera studio *Laurentii Surii.*

« *Laurentius Surius* Carthusianus in editione a. 1561 multum temporis ac operæ se posuisse profitetur in corrigendis Leonis Operibus, licet ante annos aliquot, inquit, doctorum virorum studio emendata prodiissent. Fatetur tamen non se totum Leonem suæ integritati ita restituisse, ut nihil jam reliquum esset castigatione dignum; nec mirum esse, ait, cum ipse Leo fateatur, etiam tum cum adhuc in humanis ageret, vitiatam fuisse Epistolam illam suam, quæ est ad Flavianum. » Hæc Quesnellus, ita ut loci ubi hæc editio expressa sit mentionem nullam faceret, qui tamen vix alius quam Colonia esse potest. Ego vero dubito an omnino hujus anni editio exstet. Certe *Harzheimius* in *Bibliotheca Coloniensi* (Coloniæ 1747, *in fol.*), *p.* 220, non nisi 1568 factam novit.

1566. *Lovanii apud Hieronymum Wellarum ex intersigne Diamantis, in 8°. Voll.* II. *Tomus* I inscribitur : *D. Leonis* papæ, hujus nominis primi, qui summo jure Magni cognomen jam olim obtinet, *Sermones et Homiliæ*, quæ quidem exstant omnes. Altera jam vice summa cum diligentia ad antiquissima exemplaria omnia castigata et aucta. Cum duplici indice. *Tomus alter* habet : *D. Leonis papæ Epistolæ decretales ac familiares*, quæ quidem hactenus reperiri potuerunt omnes. Altera jam vice summa cum providentia ad antiquissima exemplaria correctæ.

Uter prior posteriorve tomus sit, in titulo non significatum est. In eo vero exemplari, quod Bibliotheca Regia nobis suppeditavit, inverso ordine ac nos repræsentavimus compacti sunt. Sed anteponere visum est eum cui præfatio editoris et Leonis vita (ex prima ed. 1546-47) accedit, quique, si tempus spectetur quo primum Sermones aut Epistolæ in lucem editi fuerint, merito priorem sibi vindicat locum, quem in omnibus etiam deinceps insecutis editionibus semper obtinuit. *Canisii* præfatio ad *Joannem Lippiensem, episcopum Cirenensem, suffraganeum et ecclesiastem primarium Coloniæ* tendit. Incusat *furorem sæculi* ejusque causam, *immanem philautiæ rabiem*, unde perversa *studia novos scribendi libros, ambitiosa doctrinæ ostentatio, præfractaque quædam sapientiæ præsumptio*, item *effrenis libido comminiscendi nova dogmata, quibus vetera fastidire simul et antiquari documenta incipiant*, tamquam ex fonte oriantur. *Per hos demum sex gradus omnis impietatis* inquit, *huc jam . . .* inculcat. Jam Leonem haud benigniorem apud hosce tam reverandarum legum et institutorum majorum contemptores fortunam habiturum præsagit, quos tamen, modo legere velint, omnes ad suspiciendum viri animum et amplexanda quæ temerario ausu spreverint dogmata compulsum iri sperat. Epistolarum ordo ut nobis visum, ex Petri Crabbei editione repetitus est. Cæterum in utraque parte, ad superio-

Digitized by Google

rum editionum institutum, textus Biblici et varian- A gatæ; per *canonicos regulares Sancti Martini oppidi et academiæ Lovaniensis*. Epistolæ a. 1575, Sermones a. 1577 prodierunt. Ad manum est non nisi volumen prius, editioni *Petri Canisii* quoad externa persimile. Præfatio abest. Num alteri volumini addita sit, nescio. In secunda certe editione omnino desideratur. Inscripsit eam tamen *Joannes Ulimmerius* prior S. Martini, qui primas partes hujus recensionis sustinuisse videtur, *Arnoldo Ganthois* abbati monasterii Marcenensis, prædicans in epistola data Lovanii kalendis Augusti 1575 : Epistolarum librum ms. Johannis Wamesii, juris utriusque doctoris, et juris pontificii in Lovaniensi universitate professoris.

tes quædam in marginibus adjectæ sunt.

1567. *Coloniæ ex off. Jo. Quentel.*, *in-fol.* Epistolæ Leonis papæ primi et Decretalis, in *Concil. Collectione Suriana*.

1568. *Parisiis apud Mich. Sonnium*, *in-fol.* Epistolæ Leonis papæ, cum *Clementis Romani Operibus*, edente *Joanne Sichardo*.

Hanc adbibuit Quesnellus, atque hæc de ea in *Præf. gen.* monuit : « Joannes Sichardus Clementis Romani Opera collegit, quibus et veterum pontificum Pseudo-Epistolas adjecit. Hæ post plures editiones in Germania emissas Parisiis etiam prodierunt 1568, *cum plurium pontificiarum Epistolarum præsertimque Leonis nostri accessione, quas ad fidem veterum exemplarium Victorinorum restitutas fuisse testatur editionis hujus procurator anonymus.* » Crediderim equidem hæc ejus verba non ita esse accipienda, et hanc Parisiensem demum editionem Epistolis illis locupletatam esse voluerit, sed quæ de accessione scribit, ad Germanicas quoque editiones traxerim. Quatenus vero hoc valeat, in superioribus ad a. 1536 declaratum est. Quid quod fortassis nec Victorianorum codicum emendationibus prima gloriari possit hæc editio? Præcessit enim *Parisiensis* apud *Carolam Guillard viduam* 1544, *in-fol.*, quæ nescio an fons illius fuerit. Certe Epistolas Clementis ex Victorinis codicibus emendatas titulus profitetur, quem in Addendis ad Rufinum (ad p. 635 T. I) in tomo tertio dabimus.

1569. *Coloniæ* per *Martin. Cholinum*, *in-fol.* C Leonis Sermones *aliquot* (XXI); in *Homiliario doctorum catholicorum* selectis homiliis aucto et edito a *Laurentio Surio*. *Jo. Ciampinus* Leonis Sermones hoc anno et loco et hac forma editos, nulla addita collectionis, cui inserti essent, mentione laudat. Integram ideo editionem seorsim factam innui existimare aliquis posset, in primis cum non manet tantum tenuisse, sed accurata attentione legisse se affirmet. Sed hæc ut cæteræ viri illius promissiones vanæ sunt, quippe qui unius vocis cura occupatus, ad alia non nisi desultorie advertit.

1569. *Basileæ per Henric. Petri*, *in-fol.* Leonis papæ I Epistola ad Flavianum, contra Eutychen; in *Monum. Orthodoxgr. Jac. Grynæi*, *p.* 41.

1572. *Tiguri*, *in-fol.* Leonis episcopi Romani epi- D stolæ duæ, una ad Flavianum episc. Constantinop. contra Eutychen; altera ad Leonem Augustum contra Nestorii et Eutychetis blasphemias; inter *Scripta veterum Latina de una persona et duabus naturis Domini*, etc. ed. a *Josua Simlero*, *p.* 74.

1573. *Venetiis*, *in-fol.* S. Leonis Sermones. Auctor est *Ciampinus*, sed non significat, utrum seorsim an in collectione aliqua prodierint.

1575-77. *Lovanii* apud *Hieron. Wellæum ad intersigne Diamantis*, *excudente Joanne Masio*, *in-8°*, *tomis* II. D. Leonis papæ hujus nominis primi *Epistolæ decretales et familiares* (*Sermones* et *Homiliæ*), a mendis et maculis variis diligentius nunc repur-

1578. *Basileæ ex off. Henr. Petri*, *in-8°*. Leonis B Magni Epistola ad Flavianum Græco Latina, rectæ fidei columna; cum *Legatione imp. Cæs. Manuelis Comneni ad Armenios*, ed. a *Leunclavio* a. p. 169 ad 227.

1583. *Antuerpiæ apud Philippum Nutium*, *in-8°*, *tomis* II. Opera D. Leonis M. per canonicos reg. S. Martini, etc., ex manuscriptis codicibus emendata cum indicibus novis.

Hic est titulus tomi primi seu Sermonum; Epistolæ inscribuntur ut in prima. At charta atque characteres nitidiores sunt ac illius.

1585. *Venetiis apud Dominic. Nicolinum*, *in-fol.* Leonis Epistolæ decretales; in *Conciliorum omnium* Collectione per *catholicos* quosdam *theologos* (potissimum *Dominic. Polanum* Venet. ord. Prædic.).

1588. *Lugduni ex off. Iuntarum*, *in-fol.* Leonis Sermones *aliquot*; in *Bibliotheca homiliarum et sermonum priscorum PP. Laurentii Cumdii*, ed. et perfecta a *Ge. Mosano*.

1591. *Romæ ex ædibus Pop. Rom. exc. Ge. Ferrario*, *in-fol.* S. Leonis I Epistolæ decretales; in Collectione *Epistolarum decretalium summorum pontiff.*, adornante card. *Antonio Carafa*, quam publici juris fecit *Antonius de Aquino*.

Splendidi hujus operis vetustissimis et Vaticanæ bibliothecæ, et aliis permultis mss. codicibus perfecti, eoptam nobis deesse vehementer doleo. Sed vide infra quæ ad mentionem *Collectionis Bullarum Cocquelinianæ* docentur.

1569. *Romæ typis Congreg. Orat.*, *in-fol.* Leonis Epistolæ *aliquot antehac non editæ*; in *Baronii Annalibus T.* VI. Nimirum 1° *ad episcopos per Arelatensem Galliæ provinciam constitutos*, in sequentibus ed. *n.* 106, ad a. 449, *n.* 16, ex antiquo codice Ecclesiæ Arelatensis; 2° *ad Ravennium Arelatensem episc.*, ad a. 449, *n.* 62, ex eodem codice 207; 3° *Epistola comprovincialium episcoporum metropolis Arelatensis*, ad a. 450, *n.* 52, ex eodem fonte (108); 4° *Epistola Leonis ad episcopos comprovinciales metropolis Arelatensis*, ad a. 450, *n.* 57 (109); 5° *ad Ravennium Arelatensem archiepiscopum* (210), ex eodem ms. pariter utraque.

SÆCULO XVII.

1604. *Moguntiæ apud Balthas. Lippium sumpt.*

Digitized by Google

Ant. Heirat., *in*-4°. S. Leonis Papæ Epistolæ aliquot et *alia quædam*; in *Miscellaneis sanctorum aliquot Patrum Græcorum et Latinorum* collectis primum et editis appendicis loco ad *Gregorii Neocæs. Opera a doct.* Gerardo Vossio *Præp. Tungrensi.*

Insunt a *p.* 144 ad 238 sequentia : 1° *Epistola ad Flavianum* Gr. et Lat., cum argumento et subjunctis scholiis Vossii; 2° *Epistola ad Leonem imp. Augustum* Gr. et Lat., cum argum. et scholiis; 3° *Testimonia SS. Patrum*, etc., non solum Latine, ut antea edita erant, sed et Græce, sicut in antiquis mss. invenisse se testatur editor; 4° *Epistola Petri episc. Ravennatis ad Eutychen presb. contra errores ejus, pro Leone*, Gr. et Lat. ex Mss. Vatic. et Card. Sirleti; 5° *Tractatus S. Leonis adversus errores Eutychetis et aliorum hæreticorum*, incipiens : *Ad Ecclesiæ filios instruendos*, etc. (ex ms. Vatic. n. 2346), quem plenius in scholiis subjunctis ex styli sententiarumque similitudine Leoni asserit editor; 6° *Edictum S. Leonis ad universos episcopos per Siciliam constitutos;* 7° *Epistola ad Julianum Coensem episcopum.* Utramque antehac non editam ex ms. Card. Sirleti descripsit et vere Leonis esse ex dictione et historicis monumentis demonstrare nititur. Sed qui porro additi sunt; 8° *De Martyribus*, et 9° *de Absalone quando David patrem suum persequebatur*, qui in antiquis æque codicibus ac editis superioribus pro Leonianis vendebantur, eidem abjudicavit. Atque hæc omnia scholiis illustravit Vossius.

1606. *Coloniæ apud Jo. Gymnicum et Ant. Hierat.*, *in-fol.* Leonis papæ I Epistolæ et Decreta, præmissa Vita ejusdem; in *Collectione conciliorum Severini Binii T.* I, *p.* 935-1009. Insunt epistolæ 110 additis scilicet quæ a Baronio Vossioque recens vulgatæ erant.

1614. *Hamburgi typis Pauli Langii*, *in*-8°. Epistola Leonis Magni ad Flavianum Græco-Latina; ex manuscripto Græco anonymo, Byzantinæ urbis direptioni subtracto, *Græce primum*, Latine vero ipsius Leonis verbis seorsim edita, cum præfatione *M. Nicolai Glaseri.* Addita post præfationem ex eodem manuscripto *Gregorii Thaumaturgi de sancta Trinitate doctrina.*

Editor, scholæ tunc Verdensis rector, ex bibliotheca Philippi Sigismundi Ducis Brunov. et Luneb. episcopi Osnabrug et Verdensis nactus erat ms., in quo Græca hujus epistolæ versio cum aliis quibusdam opusculis exhibebatur. Erat illud, ut scribit, ex Byzantii incendio subtractum, ab Hebræo quodam in Ægyptum, inde in Melitam insulam, indeque a Rhodio equite in Germaniam transportatum, tandemque ab Henrico Schradæo I. D. Osnabrug. proconsule, bibliothecæ episcopali insertum. Sed cum primum eam in lucem emissurus sibi visus esset, ad finem jam perducta preli opera rescivit demum, a Leunclavio hunc honorem sibi ereptum. Contentus igitur fuit ex Leunclaviana editione variantes aliquot lectiones excerptas in calce addere.

1614. *Parisiis apud Claudium Morellum*, *in-fo.*, SS. Patrum *Leonis Magni* Romani pontificis, ejus nominis primi, *Maximi Taurinensis episcopi*, et *Petri Chrysologi Ravennatis episcopi*, Opera omnia quæ reperiri potuerunt. Vide editionis hujus repetitionem proxime sequentem.

1618. *Parisiis sumptibus Sebastiani Cramoisy*, *in-fol.* SS. Patrum Leonis M., etc., Opera omnia. *Editio nova, aucta et recognita.* Sic titulus; enimvero altera hæc editio non magis est recognita quam prima, sed utraque ad verbum est descripta ex Lovaniensi. Nec veriti sunt bibliopolæ, quorum solum hoc est institutum, *Ulimmerii* epistolam in fronte operis recusam dare. Mirum vero qui Quesnellus scribere poterat *integra Leonis Opera* ante annum 1614 edita se nescire, cum tamen *Ulimmerianam* operam probe noverit. Integriora dici poterant, si verum est, quod scribit, tribus Sermonibus ex veteri ms. Nicolai Fabri codice, in bibliotheca Thuanorum tunc servato, esse auctiora; nam nobis propter indicis defectum contendere eam cum præcedentibus non licuit. Epistolas habet 110 et tractatum a Vossio editum *adversus errores Eutychetis.*

1618. *Coloniæ Allobrog. sumpt. Ant Hierat.*, *in-fol.* Leonis... Epistolæ et Decreta (110); in *repetita Biniana Conciliorum editione.*

1618. *Ibidem per eumdem*, *in-fol.* Leonis M. pontif. Sermones de præcipuis solemnitatibus Domini et sanctorum; Epistolæ decretales et familiares, *ex ed. Lovaniensi;* in *Bibl. PP. T.* V, part. II.

1622. *Coloniæ Agr. sumpt. Ant. Hierati*, *in-fol.* S. Leonis papæ I tractatus adversus errores Eutychetis et aliorum hæreticorum; ejusdem Edictum de Bonis Ecclesiæ non alienandis; *it.* Epistola de auctoritate concilii Nicæni et de non ambiendis pluribus Ecclesiis, ex ed. et cum notis *Gerardi Vossii;* in *Supplem. ad Bibl. PP. Coloniens. p.* 157.

1623. *Lugduni sumpt. Claudii Landry*, *in-fol.* SS. PP. Leonis Magni ejus nominis primi, Maximi Taurinensis Petri Chrysologi Ravennatis, Fulgentii Ruspensis, Valeriani Cemeliensis et Asterii Amaseni Opera omnia, quæ reperiri potuerunt. Editio præter cæteras recognita auctiorque cum scholiis *Gerardi Vossii* ad S. Leonem, etc.

Satis commode exscriptum est volumen, quod bibliopola Dionysio Simoni de Marquemont archiepiscopo tunc Lugdunensi dedicavit. Præmittitur Sermonum Index, sed non Epistolarum. Indicem locorum Biblicorum Leo cum Maximo communem habet. Fallitur autem Quesnellus dum hanc quasi repetitionem ed. 1618 commemorat. Videlicet quod textum attinet, unius omnes sunt familiæ, at quoad bibliopolæ institutum valde differunt.

1633. *Lugduni*..... *in-fol.* SS. PP. *Leonis M.*, Maximi Taurinensis, etc. *Heptas præsulum christiana sapientia et facundia clarissimorum*, edente *Theophilo Reynaudo*, soc. Jesu.

Heptadem hanc scriptorum confecit editor inserendo collectioni, ante annos decem ibidem apud eumdem, ut opinor, bibliopolam publicatæ, *Amedeum*

Digitized by Google.

Lausanensem, qui proxime Asterium antecedit. Non igitur ad editionem a. 1618 conformata est, ut Quesnellus innuit.

1638. *Parisiis ex off. Morelliana, in-fol.* S. Leonis Vita, Epistolæ et Decreta; in *Concilior.* editione *Biniana*, postremæ repetitionis.

1642. *Parisiis sumpt. Cl. Sonnii et D. Bechet, in-fol.* S. Leonis Epistola ad Theodoretum, Lat.; in calce *Operum Theodoreti. T.* VI, *p.* 724.

1644. *Parisiis ex typogr. Regia, in-fol.* Leonis M. Vita, Epistolæ et Decreta; in *Conciliorum Collectione Regia. T.* VII, *p.* 49 272, et in *T.* VIII.

1651. *Parisiis..... in-fol.* Leonis Opera. Quesnellus tamquam iterationem ed. a. 1618 laudat; sed, si omnino exstat, tota Raynaudiana haud dubie in ea recusa est collectio.

1661. *Parisiis* apud *Simeonem Piget* (*Bibliopol. juratum via Jacobæa ad insigne Prudentiæ, in-fol. Leo Magnus* Romanus pontifex, *Maximus Taurin.*, Pet. *Chrysol. Ravenn.*, *Fulgent. Ruspens.*, *Valerian. Cemel.*, *Amedeus Lausan.*, *Asterius Amasen. Heptas præsulum Christiana sapientia et facundia clarissimorum.*

Theophilus Raynaudus soc. J. theol. priorem editionem, variis ad SS. Leonem et Fulgentium accessionibus instructam, *octoginta Fulgentii Sermonibus* ex ms. cumulavit. *Censuram inofficiosæ censuræ libri de Prædestinatione et Gratia*, S. Fulgentio vindicati, apposuit: *Valerianum Cemeliensem* accurata defensione texit, adversus *parcum charitatis* criminatorem. *Amedei Homilias* florentissimas de Deipara addidit. Hac postrema editione D. *Fulgentii* liber tertius de Veritate prædestinationis et gratiæ, antea mutilus, nunc primum prodit omnibus suis capitibus absolutus. Perinde atque D. *Asterii* Homiliæ. Quibus adjuncti sunt ejusdem auctoris *Sermones* viginti omnino longe elegantissimi.

Titulum plenum hoc loco proponere malui, ne in sequentibus per singulos auctores discerptum conquirere lectores oporteret.

1662. *Parisiis sumpt. Ant. Bertier, in-fol.* Leonis Sermo in Nativitatem Domini; in *Combefisii Bibl. concion. p.* 241.

1662. *Romæ typis Jacobi Dragondelli, in-8°.* Novem. Leonis et aliorum ad Leonem Epistolæ ex codice ms. Barberino editæ inter Acta synodi Romanæ sub Bonifacio II; in *Lucæ Holstenii Collectione Romana bipartita pagg.* 103-163.

Epistolæ sunt sequentes: 1. *Valentiniani et Marciani Augg. ad Leonem* (in ed. Ballerin. 100). 2. *Leonis ad Marcianum* (ib. 104). 3. *Ad Anatolium* (ib. 106). 4. *Ad Marcianum* (ib. 136). 5. *Anatolii ad Leonem* (ib. 132). 6. *Leonis ad Anatolium* (135). 7. *Ad Anastasium* (ib. 6). 8. *Ad metropolitanos Illyrici* (ib. 5). 9. *Ad metropolitanos Achaiæ* (ib. 13). Ex his *sex*, nimirum prima, quarta, quinta, septima et nona antea ineditæ, nusquam fere in aliis mss. occurrunt; si a duabus prima et quarta recesseris. *Quartam* enim *Quesnellus* in *Grimanico*, *Ballerinii* vero in *ms. Ratisponensi* deprehenderunt; *primam* autem Arnoldus Græce scriptam in Bodleiano codice reperit, sicuti Ballerinii in Vaticano Græco 1455. Cf. *Ballerinorum* de collectionibus Epistolarum Leonis, quæ infra excerpta damus, *observata* ad *collect.* 16.

1670. *Cygneæ typis et sumpt. Sam. Ebelii, in-8°.* S. Leonis M. Rom. pontif. ejus nominis I, Sermones in solemnitate Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, 2, 7 et 9, in *divorum PP. veterumque Ecclesiæ doctorum aliquot, qui oratione soluta scripserunt Homiliis ac Meditt. in festum Nativ. J. Chr.* e diversis ipsorum operibus collectæ et peculiariter editæ a *Christ. Daumio pagg.* 103-121.

1671. *Parisiis sumpt. Petri Variquet, via Jac. sub signo Craticulæ prope ædes S. Benedicti, in-fol.* SS. PP. Leonis M., etc., Opera per *Theoph. Raynaudum.* Accedunt huic postremæ editioni D. *Prosperi* Aqu. Opera, etc.

1675. *Lutetiæ Parisiorum sumptibus Joh. Bapt. Coignard via Iac. sub Bibliis aureis, in-4°. Tomis* II. S. Leonis Magni papæ primi *Opera omnia* nunc primum *epistolis* 30, tribusque de Gratia Christi opusculis auctiora, secundum exactam annorum seriem accurate ordinata, a suppositiliis, interpolationibusque, innumerisque mendis expurgata; appendicibus, dissertationibus, notis observationibusque illustrata. Accedunt *S. Hilarii Arelatensis episcopi* Opuscula, Vita et Apologia. Una prodit e tenebris geminus codex canonum et constitutorum sedis apostolicæ.

Ordo contentorum hic est. Agmen ducunt libri a Quesnello demum, ut supra vidimus, Leoni vindicati, videlicet, *de Vocatione omnium gentium* libri duo; *Auctoritates de Gratia et libero voluntatis Arbitrio; Libellus ad Demetriadem Virginem.* Hos excipiunt *Sermones* sub una numerorum serie ordinati nec tamen omissa prius usitata numerandi ratione. Fatetur autem nullum loco suo motum esse, præter *tres*, scilicet *quartum in Anniversario assumptionis suæ, sextum de Collectis et Eleemosynis*, et *nonum de jejunio decimi mensis*, qui olim ex cod. ms. Nic. Fabri ad calcem cæterorum erant adjecti, a Quesnello vero justis locis *p.* 110, 121 et 140 sunt ascripti. Unicum sermonem 96 in *Cathedra S. Petri*, inquit, ex regio cod. descriptum cæteris accensuimus et accensuisse pœnitet, quoniam, etsi tunc temporis ratio id non una suadebat, modo tamen stylo et in propria iterum et in aliena trutina suspenso, prius examen castigamus, illumque Leoni abjudicamus. Enimvero hoc quoque judicium in sequiore editione reformavit et in prima sua sententia se acquiescere fassus est. Huic Sermonum 96 seriei finem imponunt *præfationes* ex Pontificali Romano ob affinitatem dictionis cum cæteris Leonis huc repositæ et appendicula Sermonum, qui, ut ipsi visum fuit, falso Leonis nomen in codd. mss. gererent, nempe 1° *in Natali S. Vincentii martyris*, 2° *de Nativitate Domini*, 3° *in Ascensione Domini*, 4° *in Nativitate SS. Apostolorum, Petri et Pauli*, 5° Tractatus adversus *errores Eutychetis;* atque hæc appendicula minori quam reliqua chara-

Digitized by Google

ctere est expressa. Alteram quasi tomi primi partem conficiunt *Epistolæ* 141, in quibus quæ a se præstita sint ipse ad sex sequentia capita refert; 1° Rejecit spurias et subditilas; 2° a germanis mendorum et interpolationum maculas abstersit; 3° ordinem mutavit et ad genuinum revocavit; 4° auxit numerum plurium triginta trium accessione; 5° suam cuique, ut in Sermonibus quoque, synopsin præfixit; 6° quotquot ab aliis ad Leonem datæ sunt Epistolæ, quæ ipsius responsionibus intelligendis sæpe sunt necessariæ, locis suis inseruit, ita ut minori charactere facile a Leoninis discernantur. Commode vero fecit, quod numerum ipsis non addiderit. Peccatum est in hoc ab omnibus fere insignioribus Patrum editoribus, maximeque Benedictinis, ut continue cum scriptoris sui Epistolarum numero exhiberent eas quæ ab aliis ad illum datæ essent, quod sæpe evolventi ista volumina permolestum accidit, in primis cum indicibus præfixis, in quibus diversarum editionum ordines contenduntur, non occurri huic incommodo videas. Unam ex ante editis epistolam, *ad Germaniarum et Galliarum episcopos de Chorepiscopis*, tamquam supposititiam omnino rejecit: prætereaque septimam *ad Septimium* et decimam septimam *ad universos Siciliæ episcopos* ex reliquorum numero expungendos censuit, locum tamen eis servavit, ne doctorum judicio præjudicare videretur. Adjecta sunt fragmenta quædam Epistolarum et *Epistola Juliani episcopi Coensis*, unica quæ restat. Claudit denique hunc tomum *Vita S. Hilarii Arelatensis episcopi*, scriptore S. Honorato episcopo Massiliensi, illius discipulo, Hilarianæ Apologiæ causa addita, cui *metrum Hilarii in Genesin*, et *Epistola ad Eucherium* episcopum Lugdunensem subjiciuntur. In *præfatione*, quam *Johannis Cassiani ad S. Leonem Rom. Eccl. tunc archidiaconum epistola librorum suorum de Incarnatione Christi contra Nestorium nuncupatoria*, et testimonia quædam de Leone præcedunt, de superioribus Leonis editionibus, et de sua opera atque subsidiis, quibus suffultus eam aggressus sit, luculenter verba fecit. Præfationi subjunxit *indices*: 1° generalem contentorum utriusque tomi, 2° epistolarum chronicum, 3° epistolarum anteriores editiones cum nova contendentem, 4° alphabeticum epistolarum. Rerum index in Leonis scripta ad calcem exstat uberrimus.

Alter tomus inscribitur: *Ad Sancti Leonis Magni opera Appendix seu Codex Canonum et Constitutorum Sedis Apostolicæ. Dissertationes, Lectiones Variæ, Notæ, Observationes, Indices. Tomus II.* Singula eo ipso ordine, quo in titulo recensentur, se excipiunt, nisi quod lectiones variæ, notæ et observationes permistæ invicem proponantur. Jam de *Codice Canonum* alio loco dicetur. Dissertationes sunt XVI, quorum V posteriores ad *Codicem Canonum* spectant, reliquæ Leonem propius attingunt, quas enumerabimus. Disputatur igitur in I *De Vita et Rebus gestis Leonis*. II. *De Libris de Vocatione omnium gentium, qui Leoni vindicantur*. III. *De auctoritatibus de Gratia Dei et Libero voluntatis Arbitrio eidem asserendis*. IV. *De libello ad Demetriadem, quod ejusdem Leonis sit, non Prosperi*. V. *Apologetica est pro sancto Hilario Arelatensi episcopo*. VI. *De Jejunio Sabbati in Ecclesia Romana tempore S. Leonis præcipit*. VII. *De Causa Eutychis archimandritæ Cp. appellantis a sententia Concilii Cp. sub Flaviano episc. Cp. exponit*. In VIII. *De causa Flaviani episcopi Cp. appellantis a sententia Pseudosynodi Ephesinæ*. In IX. *de causa Domini episcopi Antiocheni depositi in eadem Pseudosynodo, et de Maximi in ejus locum ordinatione*. In X. *De causa Theodoriti episcopi Cyri appellantis ab ejusdem Pseudosynodi sententia* agitur. XI. *Epistolam de Privilegiis chorepiscoporum ad Germaniarum et Galliarum episcopos Leonis nomine confictam esse* contendit. Post dissertationes notasque, *addenda quædam in utroque tomo* et *notitia aliquot Epistolarum S. Leonis et aliorum monimentorum, quæ perierunt*, sequuntur.

Descriptio totius operis est elegantissima. Chartæ maximi moduli, densæ et pellucidæ tamen, characteres nitidissimi. Lectorum commoditati ubique prospectum est, in primis in Epistolis, appositis in summa paginæ ora chronologia, et ubique notatis in margine gravioris momenti, quæ quidem Pontificiis æstimari solent, sententiis, quibus passim lectiones variæ et loca biblica interspersa invenies. Singularis exempli est dedicatio operis, qua ipsi Leoni Magno illud consecratur, et raro sane acumine cuncta Leonis præconia, tum ex vita gestisque et scriptis ejus, tum ex coævorum et omnis posteritatis ipsiusque Quesnelli de eo judiciis collecta, ad formam inscriptionis lapidaris redacta sunt. Quatuor paginarum spatia exæquat, additis in margine locis singulis, unde quæque sint petita. Scilicet Quesnellus cum non posset non sentire, quantam invidiæ nubem, quantosque adversarios in se concitaturus esset libertate sua judicandi et inveteratos errores oppugnandi audacia, hac quasi fidei formula contra læsi numinis pontificii calumniam se tueri voluisse videtur.

Ex his autem, quæ hactenus de hujus editionis contentis atque instructione enarravimus, facile quidem, etiam absque monitore patet, quanto spatio ea omnes superiores post se relinquat, immo quantopere omnes omnium Patrum tam Græcorum, quam Latinorum, quæ ad hunc usque annum comparuerunt editiones, ingenii et doctrinæ copiis studiique impensa antecellat. Quapropter haud opus esse arbitramur speciosa testium inductione, ut probetur quam honorifice utriusque Ecclesiæ docti de eadem senserint ac judicarint. Nec sane catholicis scriptoribus religioni esse debet, justam ipsi, quamvis atro in Romana curia carbone notatæ, laudem tribuere, novissimorum editorum exemplo, qui digna meritorum Quesnelli commendatione et æqui et perfecti arbitri personam sustinuerunt, neque aliter quam ex justa adversarii virium æstimatione et majorum conscientia victoriam sperandam esse docuerunt.

Digitized by Google

Quod itaque instar omnium esse possit, Ballerinio- A rum de Quesnelliana judicium hoc loco apponere haud pœniteat. « Quæ quantaque sit ea Leonis editio, inquiunt in præfatione generali, p. 13, quam summo studio curavit Paschasius Quesnellus, illi soli ignorare queunt, qui editionem ejus ignorant. Si textum expendas, qui in æstimandis veterum editionibus primum et potissimum spectandus est, et in quo quæritur num sit emendatus ac ineditis opusculis auctus, plures ille ac præstantissimos codices nactus est, quorum præsidio multa loca in anterioribus editionibus depravata feliciter correxit, et Epistolas pontificis, quæ inter ipsius Opera sacræ historiæ utiliores sunt, ex uno Grimanico ms. octo et viginti antea ineditis augere Epistolis potuit. Præterea alia quædam adjecit inedita, inter quæ maxime celebris B est antiquissima illa Canonum et Epistolarum Romanorum pontificum collectio, quæ Dionysianæ nihilum cedit, vetustissimique canonici juris studiosis maximo adjumento est. Si vero ipsius editoris lucubrationes textui vel rebus illustrandis insertas consideres (id enim alterum est quod in editionibus quæritur, quænam editio Patrum tot *unius* (a) editoris observationibus, admonitionibus, notis et dissertationibus locupletata invenietur, quot illa Leonis quam Quesnellus typis impressit? Quæ enim ejusdem pontificis opera parvo volumine, formæ, uti vocant, octavæ vel quartæ, in antiquis editionibus comprehendebantur, ob Quesnelli additamenta duos implent non exiguos tomos in-fol. Quem porro non moveant tantum studium in Leone edendo ab eo susceptum et naviter impensum, *qui præstanti ingenio et multa eruditione ornatus, plurimum poterat*, C quique priorem editionem novis curis recognitam post viginti quinque annos recudit auctiorem, adeo ut limata et perfecta, quantum per eum fieri potuit, judicari debeat? » Quæ in eo reprehendi solent ad hæc tria fere redeunt capita : primo arguitur negligentiæ in usu codicum et quidem a summis viris et in antiquorum librorum studio peritissimis Baluzio et Coustantio; deinde accusant libertatem ejus, qua interdum textum nullo allegato codice emendat. Omnium vero gravissima reprehensio hæc est, quod minime veritus sit falsarum doctrinarum patronum se in istis suis lucubrationibus fateri, et non tam Leonem quam Romanæ sedis prærogativas, nunc D palam, nunc latenter impetere. Quod postremum tanto in ipso fuit invidiosius, qui non occultas jamjam odii sui in societatis Jesu asseclas significationes dederat, animumque vix a partium studio liberum gerere videbatur. Ac profecto nostræ etiam Ecclesiæ homines, qui acerrimum quemque Romani pontificis jurium impugnatorem prono fere semper studio amplexi sunt, inficiari non debuissent Quesnellum animo interdum indulsisse, et modo contendendi impetu abreptum, modo studiose nimis vulgatis opinionibus contraria sectantem, talia scripsisse quæ plus speciei quam soliditatis habent. Quod priora attinet, dubium quidem non est quin juste a summis viris Baluzio et Coustantio sit reprehensus, et vel illa, quam modo notavimus, argumentandi ejus ratio æstuans magis quam sobria, non diligentissimum ubique criticum arguit. Sed caveamus ne quod culpa ejus acciderit in fraudis et malevolentiæ statim suspicionem trahamus. Etenim in cognoscendis atque discernendis tot editionibus impressis, examinandisque et conferendis codicibus mss. in tam arduo de genuinis atque suppositiis scriptis judicandi, tam implicato circa annorum rationes constituendas negotio, tam multifario rerum quas attendere debebat minutarum nexu, quis errare potuisse mirabitur et quis delassato aut nimis subinde perspicaci veniam denegabit? Illud denique non celabimus, dissertationes Quesnelli esse fere prolixiores et per singula facta circumductas, sæpe etiam in causis Leonem remotius attingentibus distineri.

1677. *Lutetiæ Parisiorum apud Franc. Muguet, in-4°.* Leonis papæ Epistolæ quædam et aliorum ad eumdem antehac fere omnes ineditæ, *e codice ms. Regio* depromptæ a *Joh. Bapt. Cotelerio;* in *Monumentis Ecclesiæ Græcæ. T.* I, *pagg.* 50-65.

Insunt : 1° *Epistola Flaviani Cp. ad Leonem Rom.*, ex mss. Reg. 1026, 2614; 2° *Leonis papæ et Romanæ synodi Epistola ad Pulcheriam Augustam*, ex ms. Reg. 1026; 3° *Leonis Synodica ad Constantinopolitanos*, ex eodem codice; 4° *Hilarionis seu Hilari diaconi Epistola ad Pulcheriam*, ex eodem ms.; 5° *Gallæ Placidiæ Epistola ad Æliam Pulcheriam*, ex eodem ms.; 6° *Leonis Rom. Epistola ad archimandritas Constantinopolitanos*, ex eodem codice; 7° *Fragmentum Epistolæ Anatolii Cp. ad Leonem pontif. Romanum*, ex ms. Reg. 949.

1677. *Lugduni apud Anissonios, in-fol.* Leonis M. Sermones de præcipuis solemnitatibus Domini et sanctorum; ejusdem Epistolæ decretales et familiares ad diversos; item Tractatus adversus errores Eutychetis ut aliorum hæreticorum; *in Bibl. PP. Max. T.* VII.

1687. *Parisiis et typogr. Regia, in-fol.* Decreta Leonis papæ 49, in collectione Dionysii Exigui recusa in *vet. codice Canon. Ecclesiæ Rom. Francisci Pithœi* novæ editionis *pagg.* 228-249.

(a) Non legerunt itaque Ballerinii, aut si legerunt, tamquam fabulam contempserunt, quæ *Richardus Simonius* in *Critica Bibliothecæ Dupinianæ*, v. *Leo. T.* I, *p.* 190, *sq.*, de Quesnello ejusque hac opera serio, ut videtur, vultu refert, nimirum, non Quesnellum solum, sed plures, et in quos illud *Sumus legio* quadret, hujus editionis fuisse auctores. Quesnellum solummodo per multos annos ea quæ a pluribus intra Parisios viris doctis accepisset, collegisse, et quia Latine scribere nesciret, vernaculo sermone composuisse, deinde docto alicui Hiberno, qui olim fuerat oratorii ejus socius, tunc vero rhetoricam in collegio Bellovacensi docebat, in Latinum dedisse transfundenda. Vitam Leonis autem traduxisse *P. Gerardum Dubois*, eidem sodalitio tunc ascriptum, eumdemque invito Quesnello duriora nonnulla ejus in Romanam sedem enuntiata inter traducendum mutavisse.

Digitized by Google

1700. *Lugduni apud Joannem Certe bibliop. in vici Mercatorio sub signo Trinitatis, in-fol. T.* II. S. Leonis M. papæ I Opera omnia, nunc primum Epistolis triginta tribusque de Gratia Christi opusculis auctiora, etc.

Iteratio Quesnellianæ recensionis. Mutavit in levioribus quibusdam auctor sententiam suam, sed non in iis quæ impio furore contra sedem apostolicam debacchatus esse criminabatur. A pagina 195 ad 202 tomi primi insertum est : Opusculum de *vocis correctione* in *sermone* 7 *sancti Leonis Magni de Nativitate Domini* Γραμματίου Δωρημάτιον (sic) *sive litterulæ munusculum, quod reverentissimo patri Erasmo Gattola a Caieta, inclyti monasterii Casinensis monacho, ac Decano et Vic. Gen nec non a Bibliotheca, dono dat et offert* Joannes Clampinus *Romanus magister brevium gratiæ ac in utraque signatura referendarius Romæ M. DC. XCIII. ex typogr. Jo. Jac. Komarek Boemi apud S. Angelum custodem ;* in quo auctor vocem *aræ* in laudato sermone corruptam esse contendit, et ex codicibus mss. legendum demonstrat *areæ* ad significanda spatia quibus scalarum per quas ascensus in basilicam D. Petri detur, ordines distinguantur. Emendatio sane certissima ; quapropter a Quesnello absque ulla hæsitatione in textum pag. 81, addito auctoris elogio, est recepta. Ex hac epistola porro hausimus notitiam quarumdam Sermonum Leonis editionum, quas aliunde mihi innotescere haud memini. Sed lectores non celare debeo, id quod singulis in locis etiam ubi eas proponimus monui, fidem viri in hoc non satis mihi esse exploratam. Quod reliquas hujus repetitionis dotes attinet, indices paulo copiosiores nacta est, inque his novum *librorum, eorumque capitum, sermonum, Epistolarum, earumque synopseων*, et aliorum *omnium tomi primi titulorum*, quo prior editio ægre caret. Enimvero displicet, eosdem, qui tamen ex superiore maximam partem sunt repetiti, in utriusque tomi titulo magna cum pompa ostentari. Denique descriptio operis facta est luculento charactere, binis per paginam columnis, in charta neutiquam contemnenda.

Sæculo xviii.

1739. *Romæ typis S. Michaelis ad Ripam* sumpt. *Hieron. Mainardi, in-fol.* S. Leonis Epistolæ decretales ; in *Collectione amplissima Bullarum pontif. Rom. ed. Carolo Cocquelines. T.* I, a *pag.* 25 ad 47.

Numerus contentorum est XIX. Sunt vero, juxta Quesnelli ordinem, hæ : I, II, III, V, VIII, XII, XV, XVI, XVII, XIV, XCVII, XXIX, XLVII, L, CXXXV, LXXVII, LXXXVII, CXXIX, CXXXVI. Ab initio statim editor subjecta ad primam epistolam notula monet, se omnes ex *Antonii card. Carafæ Epistolis decret. summor. pontif. tomo* I deprompsisse, additque studio hujus cardinalis, qui scilicet codicibus Vaticanis adjutus fuit, admodum dissimiles esse redditas iis quas canonistæ et Operum S. Leonis collectores ediderint.

1741. *Venetiis apud Augustinum Savioli, in-fol.* S. Leonis Magni pontificis Opera omnia ad mss. codicum fidem emendata. Accedunt Opera *Maximi Taurinensis.*

Parum cognita editio, et cujus vix unum exemplar trans Alpes migravit. Merito quidem suo, si nostrates mutare bibliopolæ nequitias olfecerint, qui codices in titulo venditavit ad emptores frequenter alliciendos ; revera Opera Leonis, quæ in Quesnello exhibita sunt, additis ejusdem super tribus Leoni primum ab eo vindicatis opusculis dissertationibus, recudit, et, si *Cacciario* fides sit, quæ nobis non videtur ei deneganda, innumeris operarum vitiis fœdavit. Nec vero palam eum ferre putes Quesnelli diligentiam. Immo ipse contemnens lectorum judicium Quesnelli personam induit, et quæ ille scripserat *a se demum Leoni vindicata*, quasi sua (bibliopolæ scilicet) opera *nunc primum vindicata et ad manuscriptos codices denuo emendata* profert. Hac ipsa denique impudentia sua legentibus jocum dedit, dum elogio Leonis a Quesnello condito et hic pariter eadem pompa recuso in locum nominis Quesnelli substituit : *Devotissimus* et *obsequentissimus cliens Augustinus Savioli.* Cæterum meminerint lectores ab eodem bibliopola *Petri Chrysologi* Opera juxta editionem priscam esse recusa, quod *Fulgentio* pariter accidisse in sequentibus discent.

1748. *Venetiis* apud *Andream Poletti, in-fol. T.* II. S. Leonis Opera. Accedunt Codex Canonum Ecclesiæ Romanæ, et *Sermones* et *Homiliæ S. Maximi episcopi Taurenensis* ad mss. codices denuo castigati et aucti. Curator hujus editionis fuit *Andreas Polettus*, Venetus item typographus. Ex eo primum discimus priorem Augustini Savioli editionem, quamvis misere consarcinatam, tam frequenti tamen emptorum concursu esse distractam, ut exemplaria jam desiderarentur. Quocirca cum ex re sua existimaret denuo Leonis Opera prelo committere, ipse tamen nefas esse reputasset Savioli exemplar temere exscribere, doctorum virorum consiliis ductum se asseverat, ut aliud melioris notæ et accessionibus auctum exemplar repræsentari curaret, id quod non aliud quam ipsius Quesnelli editio Parisiensis fuit, demptis tamen aliquibus et additis invicem quæ in titulo significantur. Illud tamen scias, non Quesnellum, sed tantum Parisiensem editionem eum appellasse, justone metu an ut homines parce doctos, sed tanto religiosores simulatione hac falleret, non disceptaverim. *Tomus primus*, pariter ac Quesnellianæ editiones, continet Sermones in varia capita distinctos, præfixa singulis synopsi qua a Parisino editore primum instructi sunt ; Epistolas deinde totidem, eodemque ordine ac distributione, fontibus unde novæ illæ ductæ essent Quesnelli verbis indicatis. Nec tria illa opuscula, quæ in Parisina editione Leoni primum tributa sunt, repudiavit, in hoc solum ab ea recedens, quod non in fronte reliquorum, sed ad calcem potius addiderit, subjectis statim tribus quæ ad eadem spectant dissertationibus. Contra quæ ad primum tomum accesserant in Parisina, *Vita Hilarii auctore Honorato*, et

Digitized by Google

reliqua, hic in tomo altero post *Codicem Canonum* exhibentur, iisque denique ad voluminis complementum, quoniam reliquæ Quesnelli dissertationes omissæ sunt, *Maximi Sermones* succedunt.

Jam si quæratur quale nomen pretiumque operæ huic Poletti statuendum sit, ut lubet *expurgatam* seu *mutilatam Quesnelli editionem* recte appellaveris. Nam non ea solum quæ modo indicavimus de Parisina dempta sunt, sed multa etiam ex animadversionibus et admonitionibus ipsius frustra hic exspectes. Atque hoc præcipuum est, quod in laudibus illius ponit *Petrus Thomas Cacciari*, sequentis auctor, cui hujus æque ac præcedentis Venetæ notitiam unice debemus. Is universe quidem reprehensione summa et dixerim pene detestatione dignum censens, quod e Quesnello aliquid in suam derivare instituerit Polettus, tum eo magis ei succensendum arbitratur, quod famæ, quæ de suo (Cacciarii) molimine novæ editionis spargi cœpisset, nullam rationem habuerit; atque ea solum in meritis ejus ponit, quibus a Parisina editione recessit. « In primis illud minime possumus dissimulare, inquit, typographum Polettum aliquam ex eo laudem sibi comparasse, quod non præcedentem Savioli editionem exscripserit, quam innumeris typographiæ mendis scatere ipsi, et quotquot eam lustrarunt, jure meritoque conquesti sunt. Alia porro laus quam Polettus comparavit sibi, ea est, quod scilicet in suam Venetam editionem quam plurimas Quesnellianas animadversiones minime intulerit, et admonitiones quæ ut plurimum, aut Leoninis sensis, aut Ecclesiæ ritibus, aut ecclesiasticæ hierarchiæ ordinibus, vel demum etiam catholicæ fidei regulis repugnant, resecarit; cujus quidem generis observationes et monita, quæ in utraque Gallica Quesnelli editione legenda occurrunt, prorsus in illa desiderantur quam Polettus vulgavit; qui in suis novis typis et Quesnellianas dumtaxat synopses et Leonis textum attendens, prout ille in Galliis lucem aspexit, tantam sibi blanditus præ se ferre puritatem, ut castigatior atque limatior prodire minime possit. » Ob utrumque porro acrius in ipsum calamum diffusa Quesnelli confutatione stringit Cacciarius. Sed quod ex proprio magis instituto hoc facit, de eo post videbimus. Illud vero ejus de Poletto judicium incautius nobis visum est, quo reprehendit quod tres laudatas Quesnelli dissertationes suscipere non gravatus fuerit, *nulla interim mentione facta scriptorum illorum qui totis nervis Quesnello sese opposuerunt ad præjudicatas ejusdem opiniones refellendas*, et porro *quod Codicis Canonum auctoritatem ab aliis scriptoribus elevatam magni fieri dixerit a Petro Coustantio in præfatione ad Epistolas pontificum Romanorum, seque lectorum votis consuluisse professus sit, ut opus illud qualecumque alibi quærere non cogerentur*. Egregie scilicet rei suæ consuluisset bibliopola, si litium istarum commemoratione scrupulum hominibus superstitiosis injecisset. Gravior haud dubie reprehensio ea est, quod plurimis typorum erratis opera Poletti laboret, et manifesta nimiæ festinationis vestigia ostendat, cujus exemplum prodit admodum turpe, nempe *Tractatum S. Leonis adversus errores Eutychetis aliorumque hæreticorum* bis iisdem verbis et eadem epigraphe semel pagina 102, iterumque pagina 309 excusum.

1751. *Bononiæ apud Hieron. Corciolani et H.H. Colli, in-4°.* Sermo S. Leonis de Quadragesima, incipiens : *Dilectissimi nobis, fides nostra nos admonet*, cum annotationibus *Jo. Chrys. Trombelli*, cum aliis tribus *de Resurrectione Domini*, in *festivitate S. Pauli*, falso eidem ascriptis, et uno *de Abrahæ filio* incerti auctoris, forte Leonis ejusdem, ex codice Bononiensi; in *Opusculis vet. PP. Lat. s. Anecdotis a canonicis reg. S. Salvatoris Bononiæ evulgatis. T.* II, part. 1, *pagg.* 233-253. Nullus omnino, nec prior ille *de Quadragesima*, ut Trombellus inscripsit, Leonis est, docentibus Balleriniis in diss. *de Sermonibus Leoni M. suppositis.*

1751. *Romæ ex typographia Antonii Fulgonii apud S. Eustachium, in-fol.* Exercitationes in universa S. Leonis Magni Opera pertinentes ad historias hæresium Manichæorum, Priscillianistarum, Pelagianorum atque Eutychianorum, quas summo studio ac labore SS. pontifex evertit atque damnavit, et dicatæ sanctissimo patri Benedicto XIV, pontifici maximo a *fratre* Petro Thoma Cacciari, *Carmelita, in collegio Urbano Propagandæ Fidei sacræ theologiæ polemicæ lectore, et Romani cleri examinatore apostolico.*

Leonis Operum editionem Anti-Quesnellianam jampridem non intra animum solum volverat *Cacciarius*, sed exspectari etiam ex aliquo tempore jusserat. Attamen cum diutius protrahi illa videretur, quod ipse justis causis, muneris scilicet avocationi, et ipsius negotii gravitati tribuit, et jam cavillationibus ab iis quibus vel impar huic spartæ æstimaretur, vel totum consilium displiceret, peti cœptus esset; hisce tandem editis dissertationibus et invidos rumores dispellere et viam apud æquiores sibi præmunire studuit. Hoc ergo præ cæteris ratio postulat, ut quo in Quesnellum affectus sit animo ostendamus. Tria autem potissimum ab eo commissa graviter conquestus est: primum, quod plura a genuino textu abhorrentia intulerit; deinde, quod multa admiscuerit ecclesiastico agendi ordini ac rationi minus consona, et, quod gravius, a catholica regula plane aliena; adeo ut non tam medelam pontificiis scriptis adhibuisse, sed ea graviter vulnerasse videatur; tandem, quod non solum omnia monumenta non collegerit, sed alia de industria prætermiserit, alia vero, utpote adversa scopo quem forte sibi proposuerat, tamquam omnino suppositilia, vel certe, ut suppositionibus referta rejecerit vel mutilaverit. Ita summatim sese habent Cacciarii in Quesnello reprehensa, distinctius autem sic persequitur : *Quesnellus*, inquit, *acerrimo pollens ingenio, valde facilis ad contentiones et jurgia excitanda, omnino promptus ad æquivocationes et fallacias construendas, alium sibi scopum proposuit, præter illum quem catholici cuncti, et præcipue suæ gentis homines habuerunt, in ador-*

Digitized by Google

nandis castigandisque veterum PP. voluminibus. Ipse namque quandoque clariora sancti pontificis loca obscuris, æquivocis, falsisque annotationibus fœdavit; alia ad prorsus violentas interpretationes detorsit; veritatem fallaciis occuluit, oppressit, atque perpetuo prætextu antiquitatis inquirendæ et illustrandæ ea systemata sensim et ubique stabilire sategit, quæ hæreticorum partibus favent, et sacræ ecclesiasticæ hierarchiæ regimen deficiunt; pene quandoque etiam abolita, aut saltem imminuta Romanorum pontificum vera et legitima jurisdictione super omnes alias Ecclesias, etiam Orientis. Alium interim tamen se esse simulavit. Quandoquidem in suis scribendis operibus, et in Leoninis adornandis scriptis, multo artificioso conatu usus est, reverentiam, pietatem, cultumque erga Romanos pontifices et apostolicam sedem affectando, ut incautos deciperet, et occulti hostis quam sæpissime partes agendo, post splendidum verborum apparatum, illas veneno aspersas propositiones eructat, quæ erroneæ et in omnibus commentitia ejus systemata falso aliquo veritatis colore induere posse arbitrantur (a).

In hac ergo rerum conditione cum ingens laborum onus humeris suis impositum existimaret, cum textu a falsis et corruptis lectionibus purgando et ad pristinam integritatem restituendo, id quod synopses etiam a Quesnello studiose temeratas postulare affirmat; tum augendo aliqua genuinorum operum accessione eaque quæ non nisi prava et subdola mente ab eo Leoninis inserta essent (intelligit libros *de Vocatione gentium*, *auctoritates sedis apostolicæ de Gratia*, *et Epistolam ad Demetriadem*, item *Codicem Canonum Ecclesiæ Romanæ*) eliminando; neque tamen plene se consecuturum speraret quod cupiebat, nempe ut omnes Quesnelli venenatos aculeos retunderet, quorum plurimos et gravissimos in ejus dissertatione *de Vita et Rebus gestis Leonis M.* supersesse sibi persuaserat; huc præsertim selectissimas doctrinæ suæ copias convertere et ingenii nervis intentissimis contra ipsum in hoc exercitationum campo depræliari decrevit. Sed audi ipsum: *Inter illas dissertationes fucato colore ecclesiasticæ traditionis et Leoninæ doctrinæ illustrandæ, a Paschasio Quesnello conscriptas, principem locum habet illa:* De Vita et Rebus gestis S. Leonis Magni. *Multis fraudibus enim magis atque commentis totam hanc dissertationem et cæteras subsequentes esse refertas, vix intelligere potuissem, si in illis percurrendis semper ad ipsum Leoninum textum non provocassem, ut rerum veritatem inspicerem. At cum tanto artificio ipse uti soleat, ut sensim lectores etiam probos et optimos in pravas suas opiniones pertrahere possit, hosque multis præjudiciis imbuere, plurimum mihi laborandum fuisse præsens hoc opus indicabit. Vix enim enarrare possum, studium adhibitum in exaggeranda sua erga S. Leonem et apostolicam sedem devotione animique pietate, quam testari se simulat ornata quadam oratione vel in hujus laudes excurrendo, vel Leonina gesta atque statuta cum aliorum episcoporum doctrina, pietate, religione clarissimorum operibus simul comparando, vel in medium interim adducendo quarumdam particularium synodorum regulas, quæ ante Leonis ævum alicubi obtinuerunt, quibus subesse et insistere summum pontificem debuisse asseverat. Quid enim? Aliquando talem, tantumque eruditionis apparatum ad suos lectores delectandos construxit, sensim susque deque antiquas Ecclesiæ res vertit, perturbavit, miscuit, ut ne vix quidem appareant illicia quibus usus est ad prava sua systemata insinuanda atque firmanda; sibi forte blandiendo, in sacris et ecclesiasticis rebus pertractandis hominum ingenia, et diceudi arte et philosophicis conjecturis potius quam rerum veritate et rationum pondere persuaderi posse. Qualis autem quantaque diligentia, et animi attentio, ne deciperer, adhibenda mihi fuerit in percurrenda hac aliisque Quesnelli dissertationibus, nemo facile poterit intelligere, nisi ii forte qui in conscribendis eruditissimis Commentariis, ad ecclesiasticas res pertinentibus, me præcesserunt. Quemadmodum novissime factum fuisse a cl. viro Joanne Antonio Bianchinii norunt qui ejusdem sex volumina de Ecclesiæ potestate æstimarunt. Is enim in familiaribus colloquiis inter nos habitis, non semel testatus est alium numquam scriptorem legisse qui tot simulationibus et artificiis uteretur præter Quesnellium. Quippe qui cum aliquando se facile perstringi et jugulari posse persensit, statim quasi anguis elabitur, et ex una ad aliam vel plures quæstiones progrediens, vera incertis et æquivocis admiscuit; et rursus falsa et erronea dubiis et probabilibus interserit et implicat, ut ad sibi præfixum scopum perveniat. Non igitur ad eliminanda solum e Leonis Operibus tot commenta, fallacias atque nugas, et ad asserenda sedi apostolicæ sua legitima jura sufficere poterat illorum textum nudum et sincerum undequaque ab omnibus mendis, æquivocis et falsis interpretationibus expurgatum exhibere, verum etiam opus erat ordinata methodo quasdam exercitationes conscribere, quibus haud exiguum lumen Leonis gestis, apostolicæ sedis juribus et ecclesiasticæ regiminis formæ et ordini afferri possemus.*

Scilicet enarrandam sibi sumpsit earum hæresium, vel præcipuarum certe historiam, *quæ tempore quo S. Leo ad summum pontificatum fuit assumptus, ad vitæ ipsius exitum usque catholicæ religioni vim intulerunt, et Occidentem atque Orientem infestarunt. Propterea*, inquit, *ut suorum munerum partes impleret, et Christianam fidem custodiret, omne studium ac laborem eum impendere oportuit ad sedandas sævissimas*

(a) In præfatione ipsis Operibus præmissa eamdem querelam sic effert: *Tantum abest ut Quesnellus ecclesiasticæ et litterariæ reipublicæ hæc beneficia contulerit* (ut scilicet Leonis scriptis primigeniam integritatem et nitorem, quemadmodum professus est, redonaret), *ut ipsum potius textum compluribus in locis gravius vulneraverit, in aliis ad violentas omnino interpretationes distorserit, et in nonnullis denique eumdem minus catholice explicaverit; ita ut ejus studia et labores* nonnisi in S. Leonis *injuriam, Ecclesiæ catholicæ perniciem et in acatholicorum præsidium atque favorem redundaverint.*

Digitized by Google

tempestates quæ diabolico furore debacchante fidei exitium promovebant, Christi imperium et Romanam Ecclesiam vexabant, de quibus omnibus eas victorias ipse summus pontifex reportavit, quas divo Petro hujusque successoribus Christus Dominus in Scripturis promiserat. Igitur duobus libris *de Manichæorum*, uno de *Priscillianistarum*, libro uno *de Pelagiana*, libris itidem duobus *de Eutychiana* hæresi et historia, copiosum sermonem instituit. Ac Manichæismi historiam ab ovo inde pertexere cœpit, fortasse non ex primo consilio. Etenim jam absolutum sibi fuisse hoc pensum scribit, cum ab amico monitus, Belsobrii libellum in manus sumeret telamque jam prætextam denuo sibi retractandam esse intelligeret. Hinc Belsobrium magis quam Quesnellum in his libris debellat. Contra in Pelagiana historia ea solum quæ Leonem attingerent spectavit, omninoque in singulis quæ Leonis partes vel scriptis vel factis fuerint, insigni in loco ponit. Jam cum satis ingenium consiliumque viri hisce speciminibus declarata esse reor, ad ipsam Operum Leonis editionem progrediamur.

1753-55. *Romæ apud Josephum Collini, in-fol. T.* II. S. Leonis Magni papæ primi Opera omnia ad manuscriptos codices emendata, novis monumentis aucta, notis et observationibus adornata studio *F.* Petri Thomæ Cacciari, *Carmelitæ*.

Nimirum tria illa quæ in editore requirunt Ballerinii, juxta verba eorum supra producta, ut editionem præstet emaculatam, novis scriptis auctam et illustratam, Cacciarius quoque in hisce voluminibus effecisse sibi visus ac pollicitus est. Quippe emaculatam et locupletatam dedit ex codicibus maxime Vaticanis, quapropter *Romanam* appellari cupit, illustratam autem præterquam exercitationibus prævis, in notis jamjam textui subjectis, quæ cum fere omnes contra Quesnelli opiniones atque asserta diriguntur, idcirco *Anti-Quesnellianam* non immerito suam editionem audire prædicat. Rescissis igitur libris quos novo exemplo Leoni vindicatum iverat Quesnellus, rescisso quoque Codice Canonum et Constitutionum sedis apostolicæ, *primo tomo* Sermones, cum nonnullis aliis monumentis de re liturgica ex Missali et Ordine Romano et Codice Sacramentario desumptis, *altero* Epistolas solas complexus est. Ac in Sermonibus quidem non una profecto ratione Quesnellum deseruit, restituendo non solum superiorum editorum ordine, quem a veteribus quoque Collectoribus, in manu exaratis archetypis, servatum observarat, et synopses quas illi concinnaverant, sed textu passim ad mss. fidem immutato, et, ut sibi quidem persuasit, emendato. Et quod varias lectiones attinet in editis et mss. libris deprehensas, nusquam vulgatas ab aliis editoribus subduxisse et novas intulisse se affirmat, nisi tum cum ipsorum codicum summa consensio et Leoninæ orationis ratio id postulare videretur, vel quando manifesto antiquorum errore perspecto duorum saltem codicum subsidio easdem castigari posse et debere existimaret. In qua re, *inquit*, præsertim etiam ad consuetas et satis familiares sancti pontificis loquendi formulas alibi expressas attendentes, quædam corrupta loca ex alicubi repetitis supplevimus, admonitis tamen nostris lectoribus de causis quæ Leonis obscura et difficiliora quædam sensa aliis magis perspicuis et certis nos docebant oportere interpretari. Quæ quidem omnia non magis veritatis causa quam ut artibus adversarii sui Quesnelli, quam sæpissime vel Leonem accusantis, aut in præsidium suorum assertorum traducentis, occurreret, fieri debuisse significat. Hujus etiam causa se coactum fuisse scribit, textum codicum mss. subsidio ita restitutum, notis, observationibus et præmonitionibus adornare, ne forte totum illud, quantum esset, quod ex illa castigatione provenire posset utilitatis, aut penitus interiret, aut saltem occultaretur, adeoque nonnullorum opinio de Quesnellianæ editionis præ cæteris omnibus præstantia maneret, aut etiam notæ ejus et observationes tantum pondus habere viderentur, quasi a nemine de errore notari aut de falsitate possent convinci. « Necesse ergo fuit, *inquit*, hisce Quesnellianis notis et observationibus, novas, veriores atque magis sinceriores opponere, easque non ad calcem hujus nostri voluminis reservare, ut quandoque viri alias doctissimi fecerunt, sed easdem convenientibus sibique aptis locis distribuere, ut lector nullum prorsus laborem in evolvendis libri paginis subiret, ad ea intelligenda quæ hac Romana editione contra Quesnellianam conscripsimus. Quia vero tamdem (ut diximus) in suarum falsarum propositionum præsidium, Leoninum textum, perperam et violenter interpretatum, adducere consuevit, allaboravimus, ut in his typis majusculis characteribus ea loca excuderentur, quæ magis apta sunt ad arguendam ejusdem nostri adversarii falsitatem et ad evertenda tot asserta minus catholica, aut maxime impudenter ab eodem pronuntiata. » Jam quod ultimam hujus editionis dotem, augmenta in hoc tomo facta attinet, plures in tot diversis, quot manu versabat, mss. codicibus Sermones Leonis nomine inscriptos invenit, quorum alii magis, alii minus sinceri videbantur, alii manifesto mentiri se hoc nomen ostendebant, et ex sexcentis aliorum pannis consuti erant, in quibus omnibus rite et apte discernendis haud levem operam et plusculum temporis perdidit, unumque ex tot impedimentis fuisse conqueritur, cur opinato serius hanc editionem emittere potuerit. Addidit autem genuinis Leonis Sermonibus, quinque novos ex Vaticanis et Vallicellaneis cod. haustos, et postremam partem sermonis de festo Cathedræ S. Petri, quem mutilum et imperfectum primus evulgaverat Quesnellus. Sunt autem : I. *De Dominica Resurrectione*, idem, quem *Trombellus* dederat cujus de sinceritate ejus dubia prolixa præmonitione evertere noster studuit. II. *De festo Ascensionis Dominicæ*. III, IV. *In festum SS. fratrum Machabæorum. Romæ kalend. Augusti in Ecclesia S. Petri ad Vincula celebrari solitum.* Posteriores duo in vetustis codd. vel anonymos vel sub Augustini nomine offendit, sed suo aliorum-

Digitized by Google

que doctorum virorum post examen institutum arbitrio Leoni adjudicavit. V. *De Natali sancti Pauli Apostoli*, itidem a *Trombello* tamquam alius a pontifice Leonis editus, nunc autem ad antiquissimum cod. Vat. num. 3835 repræsentatus et Leoni M. assertus. Dubios deinde spuriosque et ex diversis Leonis fragmentis consarcinatos appendicibus Quesnelli et PP. Maurinorum, qui Augustini sermones ediderunt, more secrevit, ac in primam quidem eos solos quos Quesnelli appendicula continet, compegit, in altera vero, quam *novam Appendicem* inscripsit, novem sermones mutilos et imperfectos, dubios et apocryphos, qui in variis mss. Leonis nomen gerebant, exhibuit, postremoque loco posuit *Breviarium contra hæreticos et schismaticos* a *Sirmondo* et in *Bibl. PP.* pridem evulgatum, recens autem in bibliotheca FF. Eremitarum S. Augustini Patavii in ms. codice VII sæculi sub Leonis nomine inventum. Hactenus de *primo* hujus editionis *tomo*. *Alter tomus* Epistolas complectitur, in quo non minori codicum mss. imprimis Vaticanorum adjutus fuit auxilio, tantamque in iis messem sibi fecisse visus est, ut libere fateri ausus sit hanc editionem prorsus novam esse ac ex mss. fide unice eductam. Et cum Græcis juxta quam Latinis codicibus mss. bibliotheca Vaticana abundaret, nova quædam monumenta Græca offendere contigit, quorum alia quidem jam in Conciliorum Collectione edita medicam manum postulare videbantur; alia, Græce nusquam, Latine tantum evulgata, in majorem historiæ ecclesiasticæ fidem, alia denique, nec Græce, nec Latine antehac cognita, tamquam editionis suæ ornamenta adjicere constituit : In quo negotio, quoniam ipse nec in Græcis scriptoribus satis versatus, multo minus compendiosas manu exaratorum librorum notas legere posset, usus est opera docti cujusdam Græci Raphaelis Vernazza, Chio oriundi, presbyteri Romani, qui quadraginta septem epistolas Græcas exscripsit, easdemque ad alia exemplaria iterum relegit, aut cum editis ubi suppetebant diligenter contulit. Sed singula hic enumerare non refert; sufficiet indicasse quatuor epistolas, plane novas, quibus primus Quesnellianarum numerum 141 ad 145 amplificavit. Sunt illæ : 1° *num.* 27 : *Leonis ad Theodosium imperatorum de Verbi divini Incarnatione* epistola, seu fragmentum potius epistolæ Gr. Latinum ex cod. Vat. *num.* 720, *p.* 74, erutum : 2° *num.* 85 : *Ad Julianum episcopum de Monachis Eutycheti adhærentibus;* 3° *num.* 117 : *Ad eumdem de ejusdem contra Eutychianos industria;* 4° *num.* 126 : *Ad Anatolium episcopum super Attico ep. Cp.* : omnes ex codice ms. Ratisbonensi monasterii S. Emerani, de quo infra dicendi locus erit. Has igitur locis notatis inseruit; in cæteris sequitur Quesnelli ordinem, aliorumque ad Leonem Epistolis, illius more, nullos numeros ascripsit. Synopses quoque Quesnelli retinuit, ea licentia ut ubi sensibus Leonis easdem non omnino respondere existimaret, castigaret, suppleret, aut plane novas concinnaret, et ad calcem singularum fere epistolarum discrimen inter Quesnelli verba suaque notaret. Notas denique, monita ac marginalia adjecit, quibus partim de variantibus et emendationibus rationem reddit, partim et frequentissime quidem in Quesnellum gladium stringit. Nam cum in ejus annotationibus, quas magno lectorum incommodo ad calcem ab eo rejectas fuisse censet, nec veram semper, nec sanam doctrinam continere observasset, sed quam sæpissime fraudem, fallacias, malam fidem sensim in iisdem haberi detexisset, eas omnes (loquimur verbis ejus) convenientibus suis locis ad veritatis trutinam revocavit, et gravissimis rationibus insistens, eum aut hallucinatione defecisse, aut incautos lectores fallere quæsivisse demonstravit. In quo fungendo munere, *inquit*, non semper brevitati studuimus, cum multa quandoque et varie inter se admodum disparata objicerentur quæ paucis verbis indicare, eripere atque refellere cuique prorsus impossibile credebatur.

Restat nunc ut pauca de operis totius descriptione, specie ac norma adjiciamus. Singulis itaque tomis post dedicationem (prior inscriptus est *cardinali Nerio Corsinio*, alter *Benedicto XIV*, *P. S.*) subjicitur præfatio in qua de editionis consilio, editionibus superioribus, in primis Quesnelliana ejusque methodo et malis artibus, suoque denique studio et subsidiis verbosius fere disputat, et utramque indice mss. librorum, quibus usus fuit, claudit. In secundo tomo, antequam ad hæcce argumenta devenit, prolixam de iis, maxime catholicæ Ecclesiæ doctrinis; quas Quesnellus labefactare studuerat, sermocinationem orsus est, cui vix post quadraginta et amplius paginas finem imponit. Sequuntur deinde Sermonum Epistolarumve contentorum indices una cum synopsibus, quæ dupliciter adeo impressæ sunt, tandemque ipse textus binis columnis impressus, cui notæ in ima ora latis lineis exscriptæ subsunt. Ab intitio cujusque sermonis aut epistolæ ad marginem litteris minusculis editiones et codices mss. ex quibus desumptæ et castigatæ fuerint, sicut in cæteris marginalibus argumenta et sententiæ potiores indicantur. Monita vel admonitiones modo præmittuntur, modo ad calcem subjecta, interdum media inter duo, ad quæ pertinent scripta, collocata sunt. Tandem cuique volumini index rerum et nominum memorabilium satis copiosus additus est. Characteres ut plurimum rotundi sunt, grandiusculi, sed apti invicem pro loco suo et luculenti, et raro typothetarum vitia occurrunt.

Jam si de editore ejusque meritis sententiam requiras, satius ipsi fuisset, putaverim, si vires ponderatius ponderasset, antequam tale opus Leoninarum lucubrationum in primisque Epistolarum editionem post Quesnellum, nedum contra Quesnellum, aggrederetur. Enimvero sine ulla hæsitatione tanto immersit se oceano, etsi sentire debeat sibi multa eorum quæ in unoquoque editore necessaria, nedum ornamento sunt, deesse. Etenim præter doctrinam aliquam in theologia polemica, non elegantem illam, sed talem quæ fortasse muneri examinatoris apostolici cleri Romani sufficeret, omnis ejus eruditio, præ-

Digitized by Google

sertim in historia et jure ecclesiastico, non diuturna lectione et studio acquisita, sed pro præsente rei necessitate festinanter coacta fuit, adeo ut quæ modo immenso labore ab aliis addidicit, nisi a sensu ejus atque intelligentia nimis disjuncta fuerint, tamquam sua statim atque intra animum enata proferre atque alios docere audeat; id quod non solum ex Exercitationibus ejus manifestum fit, sed potissimum etiam in iis quæ de Quesnello sentit, declaratur: quippe quem vix semel laudabilem aliquam in Leonis editione operam fecisse agnoscit (*a*), doctum numquam fatetur, sed hominum ignavorum more adversarium quem inconsulto lacessendum sibi sumpsit, non virtute sua, sed fraude et astutia metuendum clamitat. Certe, si quidquam aliud tot lepidæ de Quesnelli artibus, fallaciis, simulationibus falsis et æquivocis interpretationibus exclamationes et querelæ, in singulis pene paginis repetitæ, demonstrant, quanta viri ingeniosissimi eruditio Cacciario inopi negotia facessiverit, præsertim dum ipse semper circumspectans ne anguis in herba lateat, lectoribus frequenter acclamat ne ipsum timidum reputent, aut Quesnellum vinci non posse credant. Hinc fit ut huic certamini plane impar, incertus etiam apertone campo aggredi debeat, an ubi occasio data fuerit hostem vellicare, neque conserto argumentorum robore totum ejus systema falsarum doctrinarum oppugnet, neque singulis semper aptissima quæque opponat, sed declamationibus fere utatur, et non raro pro refutatione se illum non intelligere objiciat. Cæterum hancce censuram unusquisque, cui editionem Cacciarii manu versandi facta fuerit copia, quemque operæ suæ non pœniteat, veram atque justam esse deprehendet. Sed jam antequam moliminis hujus successus hominis ingeniuni manifestaret, nemini magis quam sibi ipsi imbecillitatem virium incognitam fuisse, ab ipso iterum edocemur. Eo scilicet tendunt illæ ejus de invidis et obtrectatoribus, quorum irrisiones et adversa in se studia quotidie non sine editionis impedimento expertus sit, querimoniæ, quarum jam ad Exercitationum ejus commemorationem mentio injecta est, quasque in utriusque tomi præfatione ingeminat. Qui autem propius intuebantur, nosse poterant operam in alio quovis ecclesiastico scriptore bene ab eo collocatam in Leone perditum iri, unde poterant non aut palam aut occulto consilium illud improbare, et cum nimium diu protraheretur, opinari eum in medio opere defecisse.

1755-o.. *Venetiis apud Simonem Occhi, in-fol. Tomis* III. Sancti Leonis Magni Romani pontificis opera post *Paschasii Quesnelli* recensionem ad complures et præstantissimos mss. codices ab illo non consultos exacta, emendata, et ineditis aucta; præfationibus, annotationibus et admonitionibus illustrata. Adduntur etiam quæcumque in Quesnelliana editione inveniuntur, eaque ad crisin revocantur; curantibus Petro *et* Hieronymo Fratribus Ballerinis, *presbyteriis Veronensibus. Tomus primus*, sincera S. pontificis Opera continens, id est, Sermones et Epistolas cum suis appendicibus.

Tomus secundus, continens Opera S. Leoni attributa, quæ nec ad Sermones nec ad Epistolas pertinent. Accedunt S. Hilarii episcopi Arelatensis Opuscula, ad codd. exacta et aucta. Subjiciuntur dissertationes undecim Quesnelli in S. pontificis Opera, ejusque notæ in Epistolas, criticis observationibus appositis.

Tomus tertius, seu Appendix ad sancti Leonis Magni Opera, seu vetustissimus Codex Canonum ecclesiasticorum et Constitutorum sanctæ sedis apostolicæ, a Quesnello ejusdem pontificis Operibus adjectus, nunc autem ad præstantissima mss. exemplaria recognitus, et in meliorem multo formam restitutus; cui alia subjiciuntur rarissima, et quinque dissertationes Quesnelli in eumdem Canonum Codicem ad criticen revocatæ. Præmittitur tractatus de antiquis, tum editis, tum ineditis collectionibus et collectoribus canonum ad Gratianum usque.

Ita inscribitur editio, quacum præter Coustantii præclaram de Epistolis Romanorum pontificum operam vix alia in tota ecclesiastica litteratura comparari potest, quæque editoribus suis tertium merito inter studii hujus coryphæos, Baluzium et Coustantium dico, locum assignat. Quesnellum sane non solum subsidiorum, id est, mss. librorum copia ac præstantia, sed multo magis etiam peritia eorum et usu diligenti, tum vero eruditione prompta atque accurata superant. Nimirum codices mss. non solum ex Vaticana plurimos et præstantissimos, sed ex aliis etiam intra et extra Urbem et in omni pœne Italia Bibliothecis, qui in Germania etiam ex Vindobonensi, Cæsarea et Ratisbonensi S. Emerami admodum insignes habuit. Ex his sermonibus emendandis potissimum profuerunt exemplaria Romana, quorum nonnulla ad basilicas Urbis pertinuisse, certoque Romana esse cognoverunt, eorumque lectiones tamquam puriores sæpius vulgatis, quæ a Quesnello non emendatæ erant, aut a Quesnello non apte satis vel perperam mutatis substituerunt. Quippe tercenta circiter loca vel certa emendatione restituisse, vel ad meliorem lectionem revocasse se affirmant. Præterea ex tot diversæ originis codicibus simul collatis ordinem in nonnullis perturbatum esse detexerunt et correxerunt, duos sermones qui in unum coaluerant, diviserunt, sermonem Leoni perperam tributum, aliumque eidem a Quesnello ex suo codice affictum removerunt, alium denique quem ille Leoni detraxerat restituerunt, pluraque id genus, de quibus passim in annotationibus monent, præstiterunt. Similiter in Epistolis nec paucas nec leves correctiones intulerunt, chronologiam in aliquibus restitue-

(*a*) *Præf. ad T.* I, *p.* 21, ubi de ordine Epistolarum a Quesnello instituto, contra quem justissimis de causis nihil moliri audebat, ait non modicam auctorem exinde laudem retulisse.

Digitized by Google

runt totumque ordinem immutarunt, item quasdam a Quesnello in dubium vocatas et nonnullâ ab eodem expuncta adjuvantibus mss. libris vindicarunt. Quod inedita attinet, adjecerunt huic editioni tres novas Leonis epistolas ex codice Ratisbonensi (*a*), et unam Græcam Anatolii Constantinopolitani episcopi ad Leonem; item Epistolas aliquot Græcæ interpretationis antiquæ ex eodem Vaticano; porro ex codice Veneto S. Marci integram actionem concilii Chalcedonensis in gratiam epistolæ 93 Leonis habitam, nec non aliam actionem ejusdem concilii in causa Domni Antiocheni, in qua pontificia Leonis auctoritas commendatur ex ms. olim Veronensi, nunc Vaticano, tomo secundo; denique Sermones complures Leoni in mss. tributos, in appendice. Hic primus editorum labor fuit, nempe ut textus emendatior quam in Quesnelliana prodiret et auctior; alteram curam esse voluerunt, ut quoad ipsa Leonis Opera fieret sincerior, secernendo genuina a suppositiis, præsertim illis quæ arbitrario Quesnellus eidem tribuerat. Neque enim omittenda duxerunt, quæcumque ab eo huc semel collata essent, sed segregare maluerunt, iisdemque mss. librorum medelam ubi copia facta esset, adhibere. Restabat tertium, textus intelligentia, rerumque a Leone gestarum aut eum attinentium justa explicatio, id quod absque severo omnium Quesnelli annotationum et dissertationum examine fieri nequibat. Enimvero etsi in quibus ille offensam dedit, ad duo præcipue capita, de gratia divina scilicet et sedis Romanæ quibusdam prærogativis redeant, intelligebant tamen, universe iis non eo successu obviam iri posse, ut omnes ejus errores paterent et convincerentur, sed pedetentim se eum sequi oportere, omnesque ac singulas ejus assertiones et commenta ad vivum resecare. Statuerunt itaque ipsas ejusdem lucubrationes integras editioni suæ inserere, et suas cuique observationes subjicere, quibus ea quæ confutatione viderentur digna, impugnarent aut corrigerent. Quo simul illud sese consecuturos esse sperabant, ut Quesnelli editio, quæ huic ipsorum in totum inserta inveniretur, non amplius esset necessaria, et lucubrationes ipsius, quæ in editionibus ejus interdictæ essent, in hac et cum animadversionibus et censuris eorum legere liceret. Quibus ita pro consilio operis descriptis ordo atque distributio totius hæc exiit. *Primus tomus* exhibet omnia *genuina* Leonis *Opera*, id est, *Sermones* et *Epistolas* sinceras, in quibus emendandis tam suis codicibus mss. quam Quesnelli variantibus usi sunt. Constat ergo hic tomus duabus partibus, quarum cuique peculiaris, de fontibus mss. unde omnino tam Sermones quam Epistolæ prodierint, præfatio ad universam hujus scriptorum generis tractationem criticam apprime utilis præmittitur. Ipsis porro Sermonibus atque Epistolis *præfationes* et *admonitiones* ubi opus fuit præmiserunt; *annotationes* autem utrisque subjectæ partim emendationum rationem reddunt, et variantes lectiones, tum ipsorum, tum Quesnelli codicum designant, partim ipsius pontificis textum, ubi indigere visus est, illustrant. In his Balleriniorum annotationibus etiam locum habent illæ *notæ* quas Quesnellus Sermonibus vel Epistolis ipsis quandoque apposuit, ne scilicet quidquam illius desideraretur. Quoniam autem ille Sermonibus quasdam notationes aut postillas affixit, quæ longiorem disputationem postularent, idcirco post Sermones ediderunt *observationes* in quædam peculiaria loca eorumdem, iisque Quesnelli illas notationes aut postillas, sicut et *Ciampini* de vocis *areæ* in sermone 27 emendatione dissertationem inseruerunt. Optaverim vero ut simili instituto post Epistolas statim addidissent longiores Quesnelli in easdem observationes, quo concinnius omnia quæ ad Sermonum Epistolarumque elucidationem spectant, uno volumine fuissent comprehensa. Sed tomo secundo illas reservarunt eodem ordine ac apud Quesnellum post dissertationes edendas, haud dubio non aliam ob causam quam ut æqualis voluminum magnitudo evaderet. Proxime autem post Sermones sinceros sequitur *appendix dubiorum* aut *male ipsi tributorum*, maximam partem ineditorum. Præmittitur per præfationem notitia aliorum, qui in nonnullis mss. exemplaribus Leoni perperam ascripti, in aliis autem codicibus aliis auctoribus tributi, et quia inter aliorum Patrum Opera jam excusi essent, non repetendi videbantur. Epistolas porro excipit dissertatio *de Epistolis deperditis tum S. Leonis ad alios, tum aliorum ad S. Leonem, ac de aliis monumentis ad Epistolas pertinentibus, dispositis ordine chronologico*; ubi simul fragmenta Leonina quæ supersunt inseruntur. Sequitur eam *notitia decretorum* quæ Leoni in libro Pontificali tribuuntur, ac denique *appendix Epistolarum S. Leonis*, aliquot litteras suppositicias aliaque documenta ad Epistolas pertinentia, quæ inter Epistolas non collocanda erant, comprehendens.

Tomus secundus exhibet appendicem prolixiorem Operum quæ Leoni ascripta fuere, ac primo quidem editur *Sacramentarium* omnium vetustissimum, *Leonianum* in vulgatis appellatum ipsiusque creditum. Sed quoniam nec omnia quæ in eo continentur Leonis sunt, nec ipsius compingendi auctor idem pontifex certo appellari potest, quædam Leonina tamen in eo deprehenduntur, ex quibus eidem in editis adjudicatum est, jure suo in appendice locum postulare visum est. Idque eo magis faciendum fuisse editores monent, quod Quesnellus tres præfationes veluti Leoninas in calce Sermonum edidisset, quarum duæ in ea ejusdem Sacramentarii parte quæ superest inveniantur, tertiam vero in ea quæ intercidit parte exstitisse probabile sit. Sacramentarium excipiunt *libri duo de Vocatione omnium gentium, Capitula* seu *auctoritates de Gratia* et *Libero Arbitrio*, et *Epistola ad virginem Demetriadem, seu tractatus de Humilitate*; quæ omnia Leonis nomine Quesnellus ediderat, Ballerinii

(*a*) Easdem, quas hoc ipso fere tempore Cacciarius evulgavit.

Digitized by Google

autem ex mss. codicibus emendarunt et nonnullis in locis suppleverunt. Subjicitur *Breviarium adversus hæreticos*, seu, ut alibi inscribitur, *Breviarium fidei adversus Arianos*, quod Sirmondus olim sine auctoris nomine edidit. Leoni quippe assertum invenerunt in duobus antiquis codicibus, Patavino atque Mediolanensi, qui etiam correctiones aliquot præbuerunt. Licet autem in duobus aliis codicibus, a Sirmondo inventis inter ejusdem pontificis Opera insertum fuerit, ob manifestum tamen scriptoris discrimen ipsi pontifici attribui non posse, sed fortasse aliquid quod ad nostram notitiam non pervenerit, cum eodem conjunctum habuisse, ideoque appendice non indignum judicarunt. Post hæc, ne quid deesset quod Quesnellus suæ editioni inseruit, repræsentarunt *Hilarii Arelatensis Vitam et Opuscula*, duobus, *Sermone* scilicet *de miraculo Genesii Arelatensis martyris*, et *Carmine de Machabæis*, aucta et ex aliquot mss. exemplaribus emendata. Hactenus appendix. Dehinc in hoc tomo undecim ex Quesnelli dissertationibus, quæ vel ad Leonem, vel ad præmissa Opera spectarent, recusæ sunt. Cuique dissertationi subjiciuntur *observationes*, quæ, ut inquiunt, dissertationis censoriæ vicem gerere possint, et ad præcipuum quodque thema a Quesnello propositum refellendum tendunt. Ubi autem quædam tantum in dissertationibus corrigenda aut confirmanda essent, notationes in calce paginarum appositæ sunt; id, quod in prima præsertim, quæ Vitam Leonis describit, servari debuit, in qua etsi non pauca castiganda, nonnulla etiam adjicienda fuerint, plura tamen satis constare fatentur. Concludunt hunc tomum ejusdem Quesnelli observationes et notæ in Leonis Epistolas, quas uti prolixiores ipse quoque post dissertationes vulgavit, una cum annotationibus editorum in ima paginæ ora subjectis.

Tertius tomus, complectens *vetustissimam Collectionem Canonum et Constitutionum sedis apostolicæ aliaque antiquissimi juris canonici monumenta*, totus editoribus proprius et peculiaris, idemque amplissimæ utilitatis et maximo editioni huic ornamento est. Tametsi enim laudata collectio a Quesnello primum e duobus exemplaribus mss., Oxoniensi altero, recentiori ac valde mendoso, altero Thuaneo, antiquiori et optimæ notæ, sed quod, serius acceptum, non diligenter satis adhibere potuit, edita et quinque dissertationibus, quæ hic quoque subjiciuntur, illustrata fuerit; Ballerinii tamen, cum in ea non solum multo plura e Thuaneo codice aliunde, sed quam plurima etiam ex alio, hactenus ignoto, at pervetusto bibliothecæ Cæsareæ libro ejusdem collectionis accepissent; permulta menda corrigere ipsamque meliori et primigeniæ quasi formæ restituere potuerunt. Neque vero hoc contenti fuerunt; conquisitis enim, quæ ad hujus collectionis castigationem et illustrationem adjumenti aliquid conferre possent, subsidiis, præsertim aliarum veterum collectionum mss. exemplaribus, in quibus omnia, vel fere omnia hujus collectionis documenta, licet sparsim inserta, reperire et recognoscere contigit: aliam ex hoc studio eamque longe præstantiorem collegerunt utilitatem. Nacti enim sunt in iisdem codicibus non pauca rarissima juris antiquissimi canonici monumenta, quæ post laudatam Collectionem vel emendatiora, vel primum omnino edere ipsis licuit (*a*). Simul autem hoc ipso diligenti mss. librorum examine factum est, ut non solum aliquot ignotas et ineditas collectiones Canonum deprehenderent, sed tales circa vulgatas etiam collectiones notitias colligerent, quæ novissimos et eruditissimos harum rerum scriptores latuerunt, quibusque juris canonici antiqui historia eximie illustrata est. Quippe inde enatus est tractatus *de antiquis tum editis, tum ineditis collectionibus et collectoribus canonum ad Gratianum usque*, Quesnellianæ collectioni præmissus, quo quidquid ab aliis hactenus de eadem materia disputatum fuerat, vile seere statim et quasi sordere cœpit. Dispescitur ille in quatuor partes, quarum prima de *Græcis Canonum collectionibus*, secunda *de antiquioribus collectionibus Latinis, quæ vel sunt anteriores Dionysio, vel ex fontibus Dionysio anterioribus originem ducunt*, tertia, *de Collectionibus Dionysianis et cæteris, quæ a Dionysio profecerunt*, quarta denique, *de antiquis Canonum brevationibus, aliisque collectionibus Latinis in titulos et locos communes distributis, ad Gratianum usque*, exponit. Claudunt hunc tomum quinque dissertationes Quesnelli ex sexdecim reliquæ ad Codicem Canonum pertinentes cum prolixioribus ac valde utilibus Balleriniorum annotationibus et correctionibus. Enimvero tantum abest ut hac generali hujus editionis descriptione satis declaratum arbitremur quantum ingenii, doctrinæ ac studii illi sit impensum, ut potius, si quis omnes ejus dotes rite explicare velit, singulorum ei Sermonum atque Epistolarum tractationem enarrandam putemus. Tot sunt profecto tamque illustria artis atque sagacitatis horum virorum documenta, ut, si in aliis non sane vulgarium scri-

(*a*) Sunt ea quidem: 1° *Prisca Canonum editio Latina, complectens Canones conciliorum Ancyrani, Neocæsariensis, Nicæni, Sardicensis, Antiocheni, Constantinopolitani* primi et *Chalcedonensis*, quæ primum in lucem prodiit ex antiquissimo ms. Christophori Justelli, a Ballerinii autem cum aliis vetustis mss. collectionibus collata integra et emendatior exhibetur; 2° *Antiquissima interpretatio Latina Canonum Nicænorum*, nunc primum edita ex ms. Vat. Reginæ Sueorum 1997; 3° *Vetus interpretatio Latina Canonum Nicænorum, Sardicensium et Chalcedonensium, aliorumque documentorum ad Nicænam et Sardicensem synodum pertinentium*, nunc primum edita ex peranti quo ms. codice 55 capituli Veronensis. 4° *Documenta juris canonici antiqui*: 1. *Canones concilii Carthaginensis celebrati a.* 419, uti leguntur in antiquissimis collectionibus Italicis; 2. *Concilium Carthaginense a.* 421, sub Aurelio xviii, ex ms. cod. 55 cap. Veronensis nunc primum editum; 3. *Statuta Ecclesiæ antiqua* ex præstantissimis mss. collectionibus edita; 4. *Epistola canonica: Quæ debeant adimplere presbyteri, diaconi, seu subdiaconi*; 5. *Præcepta S. Petri de sacramentis conservandis*; 6. *Glycerii imp. Edictum contra ordinationes Simoniacas*, nunc erutum e ms. Vat. Reg. 1997.

Digitized by Google

ptorum operibus evenire soleat ut usu atque consuetudine diuturniori opinio ab initio concepta minuatur, aut etiam peccata et errores auctoris passim oculis retegantur, hoc opus contra, quo magis assiduo studio versaveris, tanto impensius admirere necesse est. Exemplo sit, cui exempla sufficiunt, *admonitio prima et secunda Epistolæ ad Aquileiensem episcopum et Septimum Altinatem* (quacum decima octava *ad Januarium Aquileiensem* conjuncta est), præmissa, nec non illa *in epistolam vigesimam octavam ad Flavianum*. Ne autem alterum hujus tam laudatæ operæ momentum taceam, in quo tam ob diuturnum, quod Romanæ sedis episcopi eorumque jurium et potestatis rigidiores defensores aluerant, ejusmodi editionis desiderium, quam ob speciale Benedicti XIV mandatum, pars longe gloriosissima laboris editorum posita esse debebat, *Quesnelli refutationem* dico : illud quidem haud inviti fatemur, doctrinam et methodum, qua singulis adversarii sui assertionibus et argumentationibus modo apertis modo tectis occurrere, easque innumeris in locis et tantum non in singulis paginis levitatis aut manifesti erroris, aut, quod magis est, fallaciæ et fraudis arguere calluerunt, tam arcte cum universa ingenii atque eruditionis eorum laude esse conjunctas, ut ab ea omnino divelli nequeant, nec crebro accidere possit ut criticam eorum facultatem et explicandi artem laudando hanc in Quesnelli disputata crisin reprehendas, quod autem universam quæstionum *de primatus pontificii vi ac potestate* enodationem attinet, de horum virorum hæresi, paucis, ut equidem arbitror, ignota (*a*), a nobis hoc loco haud refert judicium ferri, quod vel alienissimus a partium studio propter auctorum artificium periclitetur. Diligens hujus editionis recensio exstat in *Bibliotheca theologica* (vernacule scripta) *Jo. Aug. Ernesti*, *T.* IV, *fasc.* VII (1763), *pagg.* 579-614.

1761. *Florentiæ impensis Antonii Zatta Veneti, infol.* Vita, Epistolæ et Decreta Leonis papæ I; in *Jo. Dominici Mansi nova et ampliss. sacror. Conciliorum Collectione*, *T.* V, *col.* 1203-1430; *T.* VI, *col.* 1-432.

Etsi hic titulus Labbeanam et Binianam editionem sapit, nec umquam fere Mansius, et ne quidem in Constantii gratiam a Labbeo veluti in Veneta Coletiana repræsentatur, recedere ausus est, hoc loco tamen præcessorum suorum exempla deseruit et Balleriniorum editionem exprimere curavit, non tam ob insignem hujus operæ præstantiam, quam quia facilius sic negotium expediri posse videretur. Intelligebat enim, *post Quesnelli, Cacciarii et Balleriniorum editiones, multa sibi in Labbeo sarcienda ac supplenda fore*, et quia metuebat *ne in additionibus hisce locis suis inserendis sine ipsi interdum oscitanti aliquid mendi vel transpositum obreperet, cui malo in tanta a loco ubi editio præstabatur* (Venetiis), *distantia vix succurri potuisset, vel fucus aliquis fieret typographis, ut aliud pro alio folium assumerent et loco non suo nonnulla assignarent, Balleriniorum pro Labbeana assumendam* judicavit. *Hanc autem*, inquit, quasi veritus ne satis ingenium declarasset, *præferendam cæteris existimavi, non quod præstantiorem duxerim ea quam pater Cacciari Carmelita eodem fere tempore quo Ballerinii suam adornavit et Romanis typis produxit, sed quod Venetiis excusum opus, Veneto typographo paratior erat et ad manus.* Sic tota hujus immerito laudati hominis compilatio ne minimam quidem liberalitatis speciem præ se fert! Servavit ex Balleriniorum animadversionibus eas quas textui statim subjecerant, criticas fere et breviores ; fusiores autem, veluti admonitiones et dissertationes pro consilii sui a Balleriniorum fine discrepantia subduxit, aut subinde paucioribus verbis contraxit. Inseruit etiam Cacciarii additamenta, quæ apud Ballerinios desideraret et Sirmondi notas rariores ex appendice eius in Concilia, quemadmodum in Coletiana Conciliorum editione erant exhibita. De suo addidit *synopsin quarumdam* epistolarum Leonis vetustissimam ex codice Lucensi 190, Balleriniis non incognitam, et ne quid ex superioribus periret, vitam Leonis *ex libro Pontificali* cum Binii notis præmisit. Hic vero mihi aliquis objiciet fieri illud debuisse propter majorem cum cæteris partibus consonantiam. Audio equidem, neque id magnopere reprehendo, sed totam operam improbam et fama hujus viri indignam censeo. Quid enim referebat tanta cum pompa repetere quæ ante centum et amplius annos satis laudabiliter quidem conscripta essent, et alias atque alias eruditorum hominum annotationes et emendationes tam anxia sollicitudine assuere, cum longe fructuosius ipse studium suum tali operi consecrasset. Cæterum monitu non eget epistolas ad concilium Chalcedonense pertinentes non iterum in actis illius expressas esse, sed lectores ad hanc integram collectionem remitti.

1780. *Helmstadii litteris viduæ Schnorri, in-4°.* Leonis Magni episcopi Romani epistola contra Eutychen de vera incarnatione Domini ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum. E recensione Balleriniorum cum præcipua varietate lectionis, notulis et admonitione historica. Civibus academiæ Juliæ Carolinæ in religione solemni Christo incarnato sacranda a 1780 ; commendata (ab *Henrico Philippo Conrado Hencke* theologo Helmstadiensi).

Præclare editor celeberrimus hac solemni occasione usus est, ut juvenibus sedulo theologiæ operam navantibus libelli tam illustris argumenti copiam faceret. Quapropter in præmissa ipsi epistolæ admonitione historica primo loco, quanti illa in historia dogmatis de Christo momenti sit, ostendit, deinde de

(*a*) Notus est alter ex fratribus inter adversarios Febronii, edito opere *Veronæ* 1768 in-4° hoc titulo: *De Potestate summorum pontificum et conciliorum generalium liber, una cum vindiciis auctoritatis pontificiæ contra opus Justini Febronii, auctore* PETRO BALLERINIO, *presb. Veron. Accedit Appendix de infallibilitate eorumdem pontificum in definitionibus fidei.*

Digitized by Google

auctore, occasione, consilio, auctoritate et existimatione, qualem ab initio statim et postea semper auctiorem nacta fuerit, disputat. In subsidium stabiliendæ genuinæ lectionis ipsius epistolæ revocavit etiam versionem antiquam Græcam, eademque usus est ad difficiliores quasdam phrases Latinas explicandas. Cf. *Commentarii* Helmstad. *de reb. nov. lit.* 1781. *fasc.* I, *sc.* 5, *p.* 38 *sq.*

1789. *Parisiis sumptibus Petri Didot filii primog. in-fol.* S. Leonis papæ I Epistolæ XII ad Galliæ episcopos et Epistola ad Flavianum (dogmatica XXVIII), una ad Ravennium missa, cum notis, observationibus et annotationibus denuo illustratæ a *monachis Congreg. S. Mauri*; in *Collectione concilior. Galliæ* nuper ab ipsis inchoata, *t.* I, *pagg.* 442–568.

Sirmondi editio pro fundamento fuit. In emendationibus autem Quesnellum ita secuti sunt, ut ipsi non negligerent denuo mss. codices inspicere. Suppetebant præterea Coustantii schedæ, ex quibus haud pauca observationibus suis intulerunt.

§ II. *Versiones.*

Sermones Leonis adeo olim in deliciis habitos novimus, ut haud semel in linguam *Italicam* transfunderentur. *Gallicam* versionem non nisi unam deprehendere licuit, hoc indiculo teste.

1485. *Firenze, in-fol.* I Sermoni di S. Leoni tradotti da *Filippo di Bartolomeo Corsini*, in fine: *In Firenze a dì* 21 *di Maggio* 1485. Expressa est editio Andreæ Aleriensis, traducta simul ejus ad Paulum II S. P. Epistola, quam excipit brevis traductoris commendatio a Marsilio Ficino ascripta et deinceps rubricæ operis. Memorant hanc editionem *Ballerinii T.* I, *præf. p.* 30, *Bibl. degli aut. volg.* inserta in *Pacc. d'Opusc. scient. e filol. T.* XXXIV, *p.* 261, et *Argelati Bibl. degli volgarizz* (*in Milano* 1767). *T.* II, *p.* 300 *sq.*

1547. *In Venezia al segno de la Speranza, in-8°*, I divini Sermoni di san Leone papa primo nuovamente di Latino in volgar lingua tradotti per *Gabriel Foresto da Brescia. Raccolta* l. I et *Argelati p.* 301, *sq.*, ubi fuse admodum describitur, inserta epistola integra traductoris et contentorum tabula repræsentata. Ex hoc autem apparet duas esse hujus ejusdem anni, loci et typographi, haud parum tamen quoad contenta diversas Sermonum Leonis versiones.

1564. *In Venezia per Girolamo Scotto, in-4°.* Sermoni (III) di S. Leone papa I: Sermone V, del Digiuno del settimo mese; Sermone XI, del Digiuno della quattro tempora; Sermone nella festa di Tutti Santi; in *Sermoni de SS. Agostino, Crisostomo, Bernardo e Basilio. Parte* secunda Cf. *Argelati* l. I et *p.* 158, it. *t.* I, *p.* 14. Auctor versionis fuit *Galeatius Florimontius* (*Galeazzo Florimonzio*) episcopus.

1698. *Paris, chez Andr. Pralard, in-8°.* Sermons de S. Léon, pape, surnommé le Grand, traduits sur l'édition latine du P. Quesnel, par *Nicolas Fontaine. Cat. Bibl. Reg. Paris. t.* I, *p.* 385, *n.* 811.

§ III. *Codices.*

Quæ ante *Quesnellum* in subsidium vocata sunt ab editoribus Leonis mss. exemplaria haud operæ arbitramur sollicite circumspicere. Post Quesnellum *Cacciarius* plures illi haud visos codices contulit, sed longe plurimos et majori solertia *Ballerinii*, iique in iisdem examinandis, ordinandis et describendis tam egregiam posuerunt operam, ut ex hac de Leonis mss. codicibus notitia etiam ad aliorum scriptorum ecclesiasticorum, in primis vero pontificum Romanorum opera, non parum utilitatis proficisci possit; quapropter peculiari diligentia nobis hoc loco non indigna visa fuit.

I. CODICES QUESNELLI.

A) *Sermonum.*

1. *Corbeiensis.* Codices mss. tres olim monasterii S. Petri Corbeiensis jam *Bibl. monast. S. Germani a Pratis*, in quibus Sermones LX et amplius.

2. *Navarræus*, i. e. codex *Bibl. Regii collegii Navarræi in Acad. Paris.* Sermonum variorum, in quibus plures Leonis.

3. *Regii.* Lectionarii duo, in quibus plures Leonis Sermones.

4. *Sammaglorianus*, codex lectionarius ms. ad usum abbatiæ S. Maglorii Parisiensis, in *Bibl. Sammagloriana seminarii archiepiscopalis presbyterorum Oratorii D. Jesu ad muros Parisienses.*

5. *Thuanei*: 1° codex ms. qui fuerat olim *Nic. Fabri*, in quo Sermones aliquot Leonis; 2° liber lectionarius ad usum insignis Ecclesiæ Lugdunensis; 3° codex lectionarius S. Petri Fossatensis, in quo Sermones plures, scr. a. 1057.

B) *Epistolarum.*

1. *Barberiniani*, codices mss. tres Bibl. card. Franc. Barberinii, ex quibus varias lectiones plurimarum Epistolarum S. Leonis, jussu suo excerptas, ad Quesnellum post publicatam primam editionem transmisit. Signabantur *num.* 57, 77 et 2888. Tertius quoque codicem Canonum, quem Quesnellus Romanum dicit, continebat.

2. *Bellovacensis*, i. e. *Bibl. Ecclesiæ Bellovacensis* codex ms. Canonum et Decretorum pontificiorum, in quibus ex Leone plura.

3. *S. Germanensis*, codex Dionysianæ Canonum et Decretorum Collectionis ex *Bibl. monast. S. Germani a Pratis.*

4. *Grimanicus*, codex ms. *D. Grimani* card. S. Marci, nongentorum circiter annorum, in quo centum et septem Leonis epistolæ, quarum *viginti octo* ante Quesnellum non erant editæ, et plures aliæ pene novæ. Acceperat eum ex Bibl. domus institutionis Oratorii D. Jesu ad muros Parisienses. De hoc codice fuse disputat Quesnellus in præfatione § 5. Cf. *Observata Balleriniorum.*

5. *Corbeiensis*, codex Canonum antiquissimus, cujus collectionem amplissime descripserunt Ballerinii in diss. *de antiquis Canonum Collectionibus* inserta tomo III, Opp. Leonis. Ex *Bibl. monast. S. Germani a Pratis.*

6. *Herovallianus*, codex ms. Isidorianæ Collectionis, cui et Liberati Breviarium et alia quædam sub-

Digitized by Google

jiciuntur; quem, quia beneficio *D. Vion d'Heroval* acceperat, Herovallianum appellavit, antequam rescivisset illam esse ex Bibl. *Antonii Faure* D. th. facultatis Paris. Eccl. metrop. Remensis canonici et vicarii generalis episcopi Remensium.

7. *Oxoniensis*, codex ms. in quo *codex* quem appellat Quesnellus, *Canonum et Constitutorum sedis apostolicæ* cum variis Leonis, quæ eidem annectebantur, quorum indicem una cum apographo codicis ad Quesn. miserat E. Bernardus, astronomiæ tunc in academ. Ox. professor. Servabatur in *Bibl. Ox. collegii Crielensis*, *n.* 91, *B.*

8. *Remigianus*, codex ms. Epistolarum, cujus notitiam et varias lectiones ex Bibl. S. Remigii Remensis suppeditaverat D. Franc. Delfau, Benedictinus Sangermanensis.

9. *Thuanei* : 1° codex ms. Canonum et Const. sedis apost. cum triginta tribus Leonis Epistolis, *num.* 129; 2° codex ms. in quo plures Epistolæ ad synodum Chalcedonensem et ad Arelatensis Ecclesiæ privilegia pertinentes, item Epistolæ Flaviani ad S. Leonem versio antea non edita, aliaque primum e tenebris eruta, *num.* 780; 3° codex ms. librorum de Vocatione omnium gentium, et aliquot Epistolarum S. Leonis, *num.* 729; 4° codex ms. plurimarum Epistolarum S. Leonis notatus, *num.* 432; 5° codex ms. Canonum et Decretorum PP. Rom. collectore Dionysio Exiguo; 6°, 7°, 8°, codices mss. tres Isidorianæ Conciliorum et pontificiarum Epistolarum Collectionis; 9° codex ms. Can. et Decretorum pontificum Rom., qualis editus Moguntiæ a. 1525, qui fuit olim Claudii *Falcheti* (Fauchet); 10° codex ms., in quo pars actorum synodi Chalcedonensis.

10. *Treco-Pithœanus*, codex ms. continens Concilia plurima, Epistolas pontificias præsertimque Leonis, et alia monumenta ecclesiastica, qui olim ad celeberrimum Pithœum pertinuit, ex *Bibl. collegii Treco-Pithœani presbyterorum Oratorii D. Jesu.*

C) *Sermonum et Epistolarum.*

1. *Cisterciensis*, i. e. *Bibl. abbatiæ Cisterciensis Parisiis*; codex ms. cujus indicem et loca aliquot communicaverat D. Jacobus de Lannoy, ejusdem abbatiæ subprior.

2. *Claromaricensis*, i. e. *Bibl. monasterii Claromaricensis* prope *Audomaropolim*; codex ms. cujus Indicem per Jo. Mabillonium acceperat.

3. *S. Mariani et Regniacensis*, i. e. *Bibl. monasterii S. Mariani Autissiodorensis ord. Præmonstratensis*, codices mss. duo, quorum collatas lectiones una cum indice alterius, qui fuerat *Regniacensis monasterii* excerpsit et ad Quesnellum misit D. Chrestien Eccl. Autissiod. can. et theol. Par.

4. *Victorinus*, i. e. *Bibl. S. Victoris Parisiensis*; codex ms. Sermonum et Epistolarum fere omnium S. Leonis.

II. CODICES CACCIARII.

A) *Sermonum.*

1. *Vaticani.* — 1. *Codex num.* 7835. Prior pars antiqui pergameni lectionarii, continens quamplures homilias in nocturnis divinis officiis recitandas in Natali S. Leonis, Passione, Resurrectione, Ascensione Domini, et Pentecoste, atque de sanctorum apostolorum Petri et Pauli solemnitatibus. Scr. currente sæc. VIII, Romanis characteribus in duas columnas distinctis. Hujus et sequentis scripturæ specimina ære incisa proposuit Cacciarius in fide hujus recensus, tomi I præf. *p.* 29.

2. *Codex. num.* 3836, altera pars præcedentis lectionarii, continens Sermones in festo SS. septem fratrum Machabæorum, S. Laurentii, de Jejunio septimi mensis alias que homilias usque ad Nativitatem Domini recitandas, inter quas celebris Ep. XXIV ad Flavianum de Incarnatione Verbi.

3. *Codex num.* 3828, pergamenus, X sæculo exaratus, continens aliquot Sermones Leonis in variis anni solemnitatibus.

4. *Codex num.* 1195, pergamenus in-fol., præter quasdam sanctorum homilias, etiam Leonis nonnullas continens. Scr. circa XI sæc. Cacciario judice.

5. *Codex num.* 1267, ut præcedens forma majori in duabus columnis exaratus circa sæc. XI, *cont.* inter plurium veterum PP. Sermones, nonnullos Leonis M. de Nativitate et Epiphania et de S. Stephano.

6. *Codex num.* 1268; pars altera præcedentis lectionarii, *cont.* Sermones quamplurimos a dominica Septuagesimæ usque ad Nativitatem Domini legendos.

7. *Codex num.* 1269; postrema pars ejusdem, *cont.* præter Sermones de Tempore, orationes de Natali SS. apostolorum Petri et Pauli, de Natali SS. Laurentii et de S. Leonis Assumptione ad pontificatum.

8. *Codex num.* 1270, pergamenus in-folio magno, in quo varii Leonis Sermones. Cacciarius ejus subsidio potissimum sermonem de festo Cathedræ Petri, quem primus Quesnellus, sed mutilum et imperfectum, evulgarat, primigeniæ integritati reddidisse testatur.

9. *Codex num.* 1271, pergamenus in-fol., varios Leonis Sermones exhibens.

10. *Codex num.* 1272, pergamenus in quarto, sæculi X, *cont.* Sermones et Homilias quæ olim legebantur in singulis apostolorum festivitatibus. Præter quasdam Leonis orationes, habebat quoque antiquum quemdam Missæ Canonem, homiliæ de octo Beatitudinibus adjunctum, quem integrum Cacciarius una cum characterum specimine ipsi subjecto *pagg.* 297-304, *t.* I, excudi curavit.

11. *Codex num.* 4222, in-folio magno Longobardicis characteribus exaratus, sæc. IX, *cont.* quosdam Leonis Sermones secundum anni dies festos legendos.

12. *Codex num.* 5451, sæc. XII Romanis characteribus scriptus, *cont.* Leonis Sermones de solemnitate Paschæ, Pentecostes et de festis SS. apostolorum Petri et Pauli.

13. *Codex num.* 6450, pergamenus, XII sæculi,

Digitized by Google

cont. homilias in nocturnis officiis recitandas, interque eas plures Leonis et illam in festo Cathedræ Petri pariter ac in Quesnelli codicibus mutilam.

11. *Codex num.* 6451, præcedenti non absimilis, eodem sæc. et charactere scriptus, *cont.* sermonem tertium de Paschate, quo Cacciarius primum Leonem mactavit.

15. *Codex num.* 6452 duobus præcedentibus forma, figura, sæculo et charactere persimilis, *cont.* Leonis Sermones de Quadragesima, cum aliis nonnullis ad Domini Passionem pertinentibus.

16. *Codex num.* 6454, similis tribus præcedentibus in quo præter allos Patrum sermones, Leonis nomine tum plures ex vulgatis, tum alii nonnulli occurrebant, quos ille tamquam dubios in appendicem rejecit.

17. *Vaticano-Palatini num.* 442, 443. Lectionum et Homiliarum SS. PP. libri duo chartacei, *cont.* quamplures Sermones Leonis, quorum nonnulli mutili et imperfecti, accommodati ad usum alicujus particularis Ecclesiæ. Scriptura erat Germanica, in duas columnas distincta et notis compendiariis difficillimis referta, quem se ipsum legere nequivisse fatetur.

III. *Vallicellanus* vetustus liber, *cont.* varios Leonis Sermones, quem ipse tamen Cacciarius non vidit, sed a *P. Jos. Blanchinio* cum editis fuit exactus et quidam sermones inde exscripti sunt, de quibus suis ille locis monet.

IV. *Chisianus*, codex quondam ex Vat. archivo exscriptus, *cont.* varios Leonis Sermones, inter quos tres ex iis quos *Chrys. Trombellius* t. II, part. I *Anecdotorum* primus omnium adornavit.

B) *Epistolarum.*

a) Latini.

I. *Vaticani.* — 1. *Codex num.* 541, pergamenus in-folio magno, variis picturis auro et minio diligenter circa XIII sæc. ornatus, quo Nicolaus V papa utebatur, *cont.* omnes Leonis Epistolas in vulgatis ante Quesnellianam occurrentes.

2. *Codex num.* 542, pergamenus in-quarto, sæc. XII, easdem continens Epistolas.

3, 4, 5, 6, 7. *Codices num.* 543-547, similes omnes characterum forma, Epistolarum collectione et ætate præcedentibus. Nullus enim ante XII sæc. exaratus fuit. Lectionibus tamen inter se differebant.

8. *Codex num.* 630, pergamenus in folio magno, sæculi fere XIII, *cont.* Isidori Mercatoris collectionem Can. et Epp. pontiff. Rom., inter quas XXXIX Leonis.

9. *Codex num.* 631, collectionem similem præcedenti exhibens, labente sæc. XII exscriptam, sed quinque tantum Leonis Epistolas.

10. *Codex num.* 1319, in-quarto, sæculi XII, *cont.* acta syn. Chalced. cum variis Leonis Epistolis in Eutychetis et Eutychianorum causa exaratis.

11. *Codex num.* 1321, in-folio parvo, sæc. circiter XII, *cont.* libros Facundi Hermianensis pro syn. Chalced., inque iis non solum varia Epp. Leonis fragmenta, sed et illas Epistolas quæ Leo in illius synodi generalis confirmationem conscripsit.

12. *Codex num.* 1322, antiquissimus, ut ex characterum specimine, quod Cacciarius pag. 65 *præf.* ad t. II incudi curavit, apparet; *cont.* omnes et singulas Chalcedonensis synodi actiones, quas inter notat Cacciarius illam quæ ad Domni Antiocheni episcopi causam pertinet, quamque veluti suppositititiam, et a Latino impostore confictam Quesnellus rejiciendam esse censuit; tum quia (ut ipse aiebat) in Græcis exemplaribus non legitur, tum quia ex unico nullius auctoritatis antiquitatisve codice chartaceo ab ignotis scholaribus in lucem prodiisse affirmatur. Habet autem varias hic codex ad eamdem synodum pertinentes epistolas.

13. *Codex num.* 1342, pergamenus, sæc. IX labente aut ineunte X scriptus. Characterum formam et notas Cacciarius ibidem, ubi præcedentis, exscribi fecit; *cont.* antiquam Canonum Collectionem cum sexdecim Leonis Epistolis, quarum prima ad Rusticum Narbonensem.

14. *Codex num.* 1328, pergamenus, in-fol., sæc. circiter XII, *cont.* acta concilii sexti generalis et præter Epp. fragmenta in iisdem occurrentia alias quasdam Leonis Epistolas cum quibusdam Chalced. conc. actis.

15. *Codex num.* 1337, pergamenus, scr. ante sæc. XI, cont. *Canones diversorum conciliorum et epistolas decretales plurium summorum pontificum.* Incipit Collectio a Nicænis Canonibus, omnesque Leoninarum Epp. decretalium titulos cum iisdem Epp. repræsentat.

16. *Codex num.* 1338, collectionem præcedenti similem, sed serius, sæc. XIII, exaratam, continens. Recenset autem inter Leoninos Canones etiam Epistolam ad Afros Mauritanæ provinciæ in causa Lupicini episc. scriptam, quam Quesnellus suppositititiam dicere ausus fuit.

17. *Codex num.* 1340, pergamenus, sæc. XIII, *cont.* Isidori Collectionem et in ea omnes Epp. Leonis quæ in editis Surii, Lovaniensium et Raynaldi occurrunt. Hac Collectione sæpissime se usum esse testatur Cacciarius, quod inter recentiores magis castigatam deprehendisset.

18. *Codex num.* 1341, sæc. XI, a diligenti et perito amanuensi scriptus, *cont.* præter diversorum concil. Canones et plurium Rom. pontiff. Epp. quadraginta unam Leoninas.

19. *Codex num.* 1343, sæc. XI, Collectionem præcedenti plane similem continens.

20. *Codex num.* 1344, præcedentibus duobus forma et charactere prorsus similis, *cont.* acta Chalced. synodi cum Leonis Epp. ad eamdem spectantibus.

21. *Codex num.* 1345, sæc. XI, inscriptus *Collectio Cresconii*, quæ olim pertinebat ad celebre *monasterium S. Columbani de Bobio*, *cont.* nonnullas Leonis Epistolas.

22. *Codex num.* 1353, sæc. XII, optime scriptus, *cont.* plures Leonis Epistolas.

Digitized by Google

23. *Codex num.* 3791, sæc. XII, optimæ notæ, *cont.* Leonis Epistolas L.

24. *Codex num.* 3836, lectionarius, de quo supra in *Sermonibus* dictum est, *cont.* solam Epistolam ad Flavianum, quam sæculo VIII et IX in divinis officiis ante festum Nativitatis legere solebant.

25. *Codex num.* 3787, pergamenus, in-folio, sæc. XII, *cont.* Epp. VI de causa Eccl. Alexandrinæ et Timothei Æluri.

26. *Codex num.* 4661, præcedenti respondens, *cont.* totidem Epistolas.

27. *Codex num.* 5748, *cont.* Cresconii Concordiam Canonum cum nonnullis Leonis Epistolis decretalibus.

28. *Codex num.* 5750, scr. ante sæc. IX. Olim fuit monasterii S. Columbani Bobiensis. *Cont.* XXXI Leonis Epp. cum priore synodi Chalcedon. actione. Formam ac characterem Cacciarius ære incisam dedit *pag.* 65.

29. *Codex num.* 5845, antiquissimus et Cacciario plerumque Longobardicus dictus, *cont.* Collectionem Canonum et Epp. pontiff. Rom., inter quas XXIV Leonis.

II. *Vaticano-Palatinus* codex, *num.* 579, sæc. X, *cont.* IV tantum Leonis Epistolas.

III. *Vaticano-Urbinates.* — 1. *Codex num.* 65, pergamenus, optime sæc. XV scriptus, *cont.* omnes Epp. editionum ante Quesnellum vulgatarum.

2. *Codex num.* 179, recens, adeoque exigui usus, *cont.* Collectionem Isidori Mercatoris.

IV. *Vaticano-Alexandrini*, i. e. Vaticani, qui quondam fuerant reginæ Suecorum, Christinæ Alexandræ.

1. *Codex num.* 586, membranaceus in-4°, sæc. XII, inter cætera *cont.* Paschasini Lilyb. Epistolam ad Leonem.

2. *Codex num.* 755, membr. in-fol. parvo, sæc. XIII, *cont.* ejusdem Ep. de Paschæ observatione.

3. *Codex num.* 849, membr., sæc. XII, *cont.* Collectionem Canonum præcipue ex Africæ conciliis, quædam acta. conc. Chalced. et Ep. Leonis ad Anastasium episc. Thessalonicensem.

4. *Codex num.* 1038, membr. in-fol., sæc. XII, *cont.* Decreta pontiff. Rom. ex Isidori Collectione nec non Bedæ librum de Computo, etc.

5. *Codex num.* 1039, membr. in-fol., sæc. XIV, *cont.* Cresconii Concordiam discord. Canonum.

6. *Codex num.* 1040, in-fol., sæc. XI, *cont.* concilium generale VI.

7. *Codex num.* 1044, membr. in-fol., sæc. XIII, *cont.* Epp. Rom. pontiff. a Clemente ad Leonem.

8. *Codex num.* 1043, membr. in-fol., sæc. XIII, *cont.* Collectionem Canonum, forte Dionysianam inquit Cacciarius, cum adjectis Symmachi et Hormisdæ Decretis.

9. *Codex num.* 1127, membr. in-fol., sæc. X, *cont.* varia PP. opuscula et codicem Canonum, apostolorum et conciliorum Decreta et pontiff. Rom. Epistolas complectentem.

10. *Codex num.* 1997, pergamenus in-fol., sæc. X, *cont.* Collectionem Dionysianam, in qua V tantum Leonis Epistolæ.

V. *Taurinensis*, *Bibliothecæ regiæ* codex *num.* 29, D. IV, pergamenus in-folio, circa sæc. XIII optime exaratus, *cont.* LII Leonis Epistolas et nonnullas aliorum. Contulerat pro Cacciario P. Cyrillus Gubernatis Carmeli Taurinensis alumnus, a. 1739.

VI. *Florentinus*, *Bibliothecæ Mediceæ* codex pergamenus in-folio, sæc. XIII, *cont.* omnes Leonis Epp. editionum ante Quesnellum vulgatarum.

VII. *Grimanæus.* Celebris hujus codicis exemplar Cacciarius in chartaceo folio Parisiis exscribi fecit ad explorandam Quesnelli fidem, indeque in Vaticana Bibl. reposuit.

VIII. *Ratisbonensis*, *Bibliothecæ monasterii S. Emerami*, codex *num.* 113, DDAA. membraneus in-quarto, constans foliis 157, *cont.* Epistolas Leonis LXXII. Characterum formam ex delineatione Frobenii Forsteri tunc temporis apud S. Emeranum prioris et bibliothecarii, qui easdem Epistolas in usum editoris Romani diligentissime exscripserat, ære incidendam curavit Cacciarius *pag.* 62, *præf.* Ætatem ejus monente Forstero Bernardus Pezius in t. I Thes. Anecdot. p. 11, prope mille annorum æstimavit. Plura de eodem dabit Forsteri epistola (d. ad. S. Emeran. XII kal. Septembris a. 1752), pag. 61 sq. excusa.

b) Græci.

I. *Vaticani.* — 1. *Codex num.* 451, chart. in-folio, sæc. XIV, inter variorum PP. Græcorum scripta, fragmentum Epistolæ Flaviani ad Leonem de *Incarnatione D. N. J. Chr.* continebat.

2. *Codex num.* 730, chart. in-folio, sæc. circiter XV, *cont.* Theodoreti episc. Cyri Epistolas.

3. *Codex num.* 720, pergamenus in-folio, sæc. X; inter diversorum PP. Opera aliquas Leonis Epistolas continet.

4. *Codex num.* 712, in 8°, sæc. XIV, *cont.* diversorum PP. Epistolas, et præsertim quas Flavianus in Eutychetis causa ad Leonem scripsit, cum responsis illius.

5. *Codex num.* 1178, chartaceus in-folio, sæc. XV, *cont.* omnia Chalced. conc. acta cum Leonis Epistolis ad illud pertinentibus.

6. *Codex num.* 1431, pergamenus in-folio, sæc. XII, *cont.* inter diversorum Opera et Epistolas etiam Leonis cum Chalced. conc. Collectaneis.

7. *Codex num.* 1455, bombycinus, sæc. XIII, optime scriptus, *cont.* pontiff. Rom. et SS. PP. Epistolas, quas inter Epistolæ Flaviani, Theodoreti, Anatolii et Marciani ad Leonem, cum Leonis responsis.

II. *Regio-Vaticani.* — 1. *Codex num.* 44, chart. in-4°, sæc. XVI, *cont.* plurium SS. PP. aliorumque auctorum Homilias et Opera, tum ad Scripturam, tum ad ecclesiasticas res pertinentia, inque illis nonnullas Leonis Epistolas.

2. *Codex num.* 57, chart. in-folio, sæc. XIV, *cont.* conciliorum general. et partic. Canones et alia antiquorum PP. Opera, quæ inter Flaviani et Gennadii episc. CP. ad Leonem Epistolæ.

Digitized by Google

3. *Codex num.* 67, chart., sæc. XV, *cont.* unam dumtaxat Leonis Epistolam.

III. *Vaticano-Ottobonianus*, codex *num.* 29, non absimilis Vat. *num.* 1178, *cont.* omnia Chalced. conc. acta cum variis in iisdem Leonis Epistolis.

C) *Sermonum et Epistolarum.*

I. *Vaticani.* — 1. Codex *num.* 541, pergamenus, Nicolai V jussu auro et variis coloribus ornatus, *cont.* solummodo Leonis Sermones et Epistolas, et quidem eas quæ in editis ante Quesnellum vulgatæ sunt.

2. *Codex num.* 542, pergamenus in-quarto, sæc. XII labentis. Similis Collectio.

3. *Codex num.* 644, pergamenus in-folio, sæc. circiter XIII. Collectio non absimilis.

4. *Codex num.* 545, pergamenus in-4° scr. circa finem sæc. XII. Totidem Sermones et Epistolas complectitur.

5. *Codex num.* 546, membr. in-folio, sæc. XII. Collectio similis præcedenti.

6. *Codex num.* 547, membr. in-4°, ejusdem ætatis et conditionis.

7. *Codex num.* 548, membr. in-4°. Præter Sermones in superioribus contentos exhibebat etiam sermonem *de Absalon*, sed quem ad Leonem non pertinere judicavit, ideoque omisit Cacciarius.

8. *Codex num.* 549, membr. in-4°, præcedenti similis et eumdem de Absalone sermonem in fine præferens.

9. *Codex num.* 550, membr. in-4°, præcedentibus per omnia similis.

II. *Regio-Vaticanus*, *Bibliothecæ Alexandrinæ* codex *num.* 139, membr. in-4° optime exaratus, sæc. XII, solam Leonis Serm., Homil. et Epistolar. collectionem exhibens.

III. *Urbinas.* Codex *num.* 65, pergamenus in-fol. parvo, sæc. labentis XIV, eamdem collectionem præferens.

III. CODICES BALLERINIORUM.

A) *Sermonum.*

a) Lectionarii.

I. *Bergomenses*, codices duo, sæc. circiter XII, ex tabulario DD. Consortii Ecclesiæ S. Alexándri in Columna apud Jos. de Salvaneis de Roteriis patricium Bergomensem, *cont.* XII Leonis Sermones.

II. *Chigiani*, codices duo Bibl. Chigianæ *num.* 3 et 5, sæc. XII, *cont.* IV Leonis Sermones.

III. *Padilironenses*, codices tres monasterii Padilironensis S. Benedicti in agro Mantuano, *cont.* IX Leonis Sermones et Ep. ad Flavianum.

IV. *Patavinus*, codex PP. Conventualium S. Antonii *num.* 408, sæc. XIII, *cont.* Sermones XXX.

V. *Patavini Heremitanorum*, codices tres PP. Heremitanorum SS. Philippi et Jacobi, *num.* 111, 110, et 113, *cont.* XVI Sermones cum Ep. ad Flavianum.

VI. *Patavini S. Justinæ*, codices duo monachorum Casinensium S. Justinæ, sæc. XV, *cont.* XIV Sermones cum prædicta Epistola.

VII. *Basilicæ S. Petri in Vaticano*, codices tres *num.* 107, 105 et 106. Sed duo priores longe tertio præstantiores erant, qui sæc. licet XII exaratus, tamen non plures quam sex sinceros Leonis Sermones complectebatur, aliosque falso illi ascriptos.

VIII. *Tridentinus*, codex ms. capituli Tridentini sæculi XIV, *cont.* IV Leonis Sermones.

IX. Vallicellani, i. e. codices Bibliothecæ S. Mariæ in Vallicella Patrum Oratorii S. Philippi Nerii Romæ, quæ plures sæculi XI et XII codices Balleriniorum usui concessit, ex quibus enumerarunt *codices* 25 et 26, qui præter epistolam CLXV, ad Leonem Augustum lectam Adventus tempore (cujus loco in aliis lectionariis habetur Epistola XXVIII, ad Flavianum) continebat Sermones XXV; *codicem* 2, *cont.* Epistolam ad Flavianum et Sermones XXIV; *codicem* A. 6, *cont.* Sermones VII; *codicem* A. 7, *cont.* Sermones XIII; *codicem* A. 9, qui ad S. Euticii monasterium pertinuit, *cont.* Sermones X; *codicem* A. 10, *cont.* Sermones VII; *codices* 7, 20, 23, A. 16, *cont.* Sermones V, IV, vel III.

X. *Vaticani*, lectionaria omnium antiquissima, quæ inter in primis eminebant *num.* 3835 et 3836 vere Romana, quæ diligentissime recognoverunt. Alios plures autem lectionarios codices non quidem per omnia, sed ubi opus fuit, inspexerunt.

XI. *Veneti*, codices duo Bibliothecæ Venetæ S. Marci, lectionarii signati *num.* 153 et 154, sæc. circiter XIII, in quibus LI Sermones Leonis.

XII. *Vercellenses.* Ex lectionariis Eusebianæ Bibliothecæ Vercellensis capituli habuerunt collatas lectiones Sermonum XI Leonis.

XIII. *Veronenses Cap.* i. e. Biblithothecæ capituli Veronensis; codices lectionarios duos, qui XV Leonis Sermones præbuerunt, præterea *codex* 74, præcedentibus antiquior, *cont.* Sermones VIII, et recentior ms. liber *num.* 214, *cont.* Sermonem unum.

XIV. *Veronensis S. F.* i. e. codex PP. Conventualium S. Firmi Majoris; lectionarius sæc. circiter XIII, *cont.* unum Leonis Sermonem.

b) Collectiones.

Collectionum harum ms. quinque distinxerunt genera, ex quibus singulis maxime insignes codices tantum indicantur, videlicet, ex *Collectione* I, liber ms. *Casinensis* num. 126; ex *Coll.* II, *Barberinus*, num. 88, et *Casanatensis* C. III, 7; ex *Coll.* III, exempla primæ editionis, quam ex hujus collectionis ms. desumptam censuerunt; ex *Coll.* IV, *Vaticanus* num. 546, et qui aliquando adhibitus est 541; ex *Coll.* V denique *Vaticanus* num. 544.

B) *Epistolarum.*

De his in sequentibus Balleriniorum *observationibus* (*a*) tam luculenter ac copiose disputatum est, ut singulorum enumeratio supervacanea videretur.

(*a*) Sub titulo *Observationum* Balleriniorum Schœnemannus exhibet fragmenta præfationum quas fratres editores Sermonibus et Epistolis S. Leonis præmiserunt. Nos vero has præfationes suo loco exhibituri, eo lectorem remittimus. EDIT.

Digitized by Google

VETERUM PATRUM TESTIMONIA DE S. LEONE.

Epistola Joannis Cassiani presbyteri librorum suorum de Incarnatione Christi contra Nestorium Nuncupatoria.

Absolutis dudum Collationum spiritalium libellis sensu magis quam sermone insignibus (quia altis sanctorum virorum sensui sermo nostræ imperitiæ impar fuit), cogitaram, et propemodum constitueram post illum proditæ insaniæ pudorem, ita me in portu silentii collocare, ut excusarem, quantum in me esset, per taciturnitatis verecundiam, loquacitatis audaciam. Sed vicisti propositum ac sententiam meam laudabili studio et imperiosissimo affectu tuo, mi Leo, veneranda [*Al.* mi Leo venerande] ac suspicienda charitas mea, Romanæ Ecclesiæ ac divini ministerii decus, producens me ex illo præmeditati silentii recessu in publicum formidandumque judicium; et nova subire cogis adhuc de præteritis erubescentem: cumque etiam minoribus impar fuerim, par majoribus a te esse compellor. Ego enim ne in illis quidem opusculis quibus per ingenioli nostri oblatiunculam Domino sacrificavimus, moliri aliquid aut usurpare tentassem, nisi episcopali tractus imperio. Crevit itaque per te oris nostri et styli dignitas. Nam qui jussi antea de Dominicis studiis locuti sumus, nunc id exigis ut de ipsa Incarnatione Domini ac majestate dicamus: ita qui prius in sancta templi velut per sacerdotalem manum introducti sumus, nunc ductu tuo atque subsidio quasi in sanctorum sancta penetramus. Magnus honor, sed periculosa progressio [*Al.* professio]; quia obtineri sacrorum penetralium ac divini præmii palma non potest, nisi hoste superato. Exigis itaque ac jubes adversum recentem hæresim ac novum fidei hostem conserere imbecilles manus, et contra pestiferi serpentis graves hiatus aperto, ut aiunt, ore consistere: scilicet ut insurgentem in Ecclesias Dei sinuosis tractibus draconem vis prophetica et sermonis evangelici divina virtus, me quasi incantatore, irrumpat. Pareo obsecrationi tuæ, pareo jussioni; malo enim de me ipso tibi, quam mihi credere, maxime quia id tecum amor Jesu Christi Domini mei præcipit, qui hoc ipsum etiam in te jubet. Superest ut effectum imperati negotii ab ipso postules per quem imperasti. Tua enim jam hic magis causa quam mea vertitur, tuam magis judicium quam meum officium periclitatur. Me enim, sive par sim tuo imperio, sive non sim, ipsa aliquatenus obedientiæ ratio atque humilitatis excusat; nisi quod hoc plus meriti est in obsequio meo, si minus est in possibilitate. Facile enim cujuslibet jussioni ex abundantia satisfacimus: illius officium grande est et mirabile, qui etiam idem in voto habet quod in viribus non habet. Tua ergo hæc res, tuum negotium, tui pudoris opus est: ora et obsecra ne imperitia mea periclitetur electio tua; et opinioni tantæ nobis non respondentibus, etiamsi ego per obedientiæ veniam bene pareo, tu tamen per incon siderantiam judicii male imperasse videaris.

Theodoretus, episcopus Cyrensis, in epistola ad Abundiam episcopum, apud Baronium an. 450, n. 33.

Legimus quæ (S. Leo) ad sanctæ et beatæ memoriæ Flavianum scripsit; et gratias egimus Domino nostro humanissimo Leoni, quod advocatum et propugnatorem veritatis invenimus. His et ego litteris consensi .... cui etiam subscripsi; et ex hoc probavi quod regulas apostolicas, hoc est vera dogmata, servet.

In concilio Chalcedonensi act 2, post recitatam Leonis epistolam 28, ad Flavianum, Patres clamaverunt.

Petrus per Leonem ita locutus est .... Pie et vere Leo docuit.

Idem concilium in relatione ad Pulcheriam edita tom. IV Concil. Ven. edit. pag. 1334.

Ipsi naves suas in cursu repetere rectores, Christo ad intelligentiam prospere dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem; qui sicut sapiente Petro, ita et isto utitur assertore.

Idem concilium in allocutione ad Marcianum imperatorem, tom. IV Concil. pag. 1758.

Nobis impenetrabilem omni errore propugnatorem Deus providit, et Romanæ Ecclesiæ papam ad victoriam præparavit, et doctrinis eum per omnia veritatis astringens, ut quemadmodum Petrus, et hic affectu ferventiore decertans, omnem ad Deum sensum intelligentiamque perducat.

Leontius episcopus Arelatensis in epistola ad Hilarum papam Leonis successorem tom. V Concil. p. 63.

Quod Leonem sanctissimum prædecessorem tuum mors abstulerit, contra hæreses invigilantem, et lolium in agro Domini, heu! nimis fructificans eradicantem, dolemus.

Simplicius papa in epistola ad Leonem imperatorem, tom. V p. 98.

Leo papa ita plene atque dilucide sacramentum Dominicæ incarnationis exposuit, ut non modo catholicus, sed ne Christianus quidem valeat nuncupari, quisquis illic (*id est* in Leonis epistolis) et redemptionis suæ causas non evidenter agnoscat.

Gelasius papa in synodo Romana 70 episcoporum, in decreto de apocryphis libris, tom. V p. 387.

Epistolam (suscipimus) B. Leonis papæ ad Flavianum CP. episcopum destinatam, de cujus textu quispiam si usque ad unum iota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter acceperit, anathema sit.

Orientales episcopi in epistola ad Symmachum papam, tom. V p. 436.

Qui præcessit beatitudinem tuam, inter sanctos constitutus, Leo archiepiscopus, ad Attilam nunc erronem barbarum per se currere non duxit indi

Digitized by Google

gnum, ut captivitatem corrigeret corporalem. Et infra p. 437. Vera rectæ fidei confessio tradita nobis a papa Leone, inter sanctos constituto.

Cassiodorius in Expositione psalmi LXV.

Leo papa ad Flavianum scribens, Doctor apostolicus, dicit, etc.

Facundus Hermianensis, lib. XII *c.* 2.

Quis hujus Romani antistitis (Leonis) gravitatem non prædicet? Quis tantam constantiam non honoret? Movere hunc posset utlo modo sæcularis potestas a sententia non retractandi quæ divinitus fuerant constitnta (in concilio Chalcedonensi) quem corporaliter loco movere non potuit?

Vigilius papa in Constituto diei VII *kal. Martiarum anni* 554, *tom.* VI *Concil. Ven. edit. pag.* 305 *n.* 22.

Tam præclari pontificis atque doctoris, id est beati Leonis, epistolam aperte pia dogmata continentem, etc.

S. Gregorius papa in epist. 52 *libri* IX.

Sanctissimæ Orientis Ecclesiæ uno sensu, una doctrina, fidem ejusdem sanctæ memoriæ Leonis tenent.

S. Maximus Græcorum theologus in spiritali ac dogmatico tomo contra Heraclii imperatoris Ecthesin.

Magnæ Romanæ Ecclesiæ antistes, vir fortissimi pectoris sanctissimusque Leo.

Hadrianus I ad episcopos per universam Spaniam, epist. 97 *codicis Carolini.*

Sed et beatus Leo egregius papa atque præcipuus doctor ex sermone sanctæ Epiphaniæ ita nos docuit, etc.

Nicolaus I papa in epist. ad Michaelem imperatorem.

In Ephesino latrocinio cunctis præsulibus et ipsis quoque patriarchis proiabentibus, nisi Magnus Leo, imitator scilicet Leonis illius de quo scriptum est, *Vicit Leo de tribu Juda*, divinitus excitatus, os aperiens, totum orbem et Augustos ipsos concuteret, et ad pietatem commoveret; religio Christiana penitus corruisset.

Photius CP. in epist. ad Michaelem Bulgariæ principem.

Leonis sanctissimi papæ Romani gloria magna magnusque pietatis ac religionis zelus fuit et studium.

Menologium Græcorum Basilii imperatoris jussu digestum.

Leo admirabili virtute animi, sapientia et sanctitate præditus, Romanæ Ecclesiæ pontifex, præclarissimis monumentis virtutem suam, præcipue autem rectam fidem testatam reliquit.

Ado episcopus Viennensis in Chronico.

Leo urbis Romæ beatissimus episcopus doctrina fidei clarus habetur.

Libellus Synodicus c. 94.

Leo Romæ papa, apostolis æquandus.

Alia antiqua testimonia partim in epistolis ad Leonem scriptis, partim in admonitionibus, præsertim ad epist. 28, *inserta inveniuntur.*

SANCTI
LEONIS MAGNI
ROMANI PONTIFICIS
OPERUM GENUINORUM
PARS PRIMA,

CONTINENS

S. PATRIS SERMONES.

PRÆFATIO.

De mss. fontibus ex quibus prodierunt ac potissimum emendandi sunt sermones S. Leonis.

1. Duo universim sunt manuscripti fontes ex quibus sanctorum Patrum sermones attingere seu emendare licet, nimirum Ecclesiarum Lectionaria ex variorum sanctorum sermonibus compacta, et peculiares sermonum alicujus sancti collectiones.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

De Lectionariis mss., primo fonte sermonum S. Leonis.

§ I. De Lectionariorum antiquitate et præstantia. Quanta sollicitudine hos codices quæsierimus.

2. Lectionaria antiquioris originis esse solent. Paucis enim sanctis contigit quod SS. Zenoni, Gaudentio, et Petro Chrysologo, ut sermonum collectiones auctoribus æquales vel quasi æquales ad nos usque pervenerint; idque iis forte accidit quorum sermones in Lectionaria haudquaquam traducti, si peculiaribus collectionibus non fuissent custoditi, periissent. At cum non multo post auctoris mortem sermones tantæ auctoritatis ac celebritatis fuere, ut apud universas fere Ecclesias in Lectionaria relati, inter officia publica legerentur; tunc vel nullæ collectiones factæ, vel si quæ factæ fuerunt, sensim periere: cum enim omnes, aut fere omnes sermones in Ecclesiarum libris servarentur, horum collectionem separatim describere superfluum videbatur. Ita Augustini sermones, seu, uti vocabantur, tractatus, in bibliotheca Hipponensis Ecclesiæ aliqua fortassis serie dispositos exstitisse Possidius subindicat. In Augustini enim Vita c. 18 perinde loquens de tractatibus ac de cæteris S. doctoris operibus, quæ sane in distinctis codicibus continebantur, omnium indiculum se subjecisse affirmat, ut *sibi quisque voluerit ad legendum et cognoscendum eligat, et id ad describendum vel de bibliotheca Hipponensis Ecclesiæ petat, ubi emendatiora forte exemplaria poterunt inveniri, vel unde voluerit, inquirat, et inventa describat.* Vetustissima tamen ejusmodi exemplaria desiderantur. Tres enim antiquiores quæ supersunt collectiones sermonum S. Augustini *de Verbis Domini*, *de Verbis Apostoli*, *et homiliarum quinquaginta*, ut observarunt doctissimi Patres Maurini in præfat. ad tomum V, licet in mss. octingentorum annorum et amplius reperiantur, non tamen Augustino æquales credi queunt, non solum quia earum Possidius non meminit, sed præsertim quia suppositititis non carent. In Lectionaria nimirum ejus sermones sparsim traducti, collectionum describendarum laborem sustulere. Ex Lectionariis autem tres memoratæ collectiones posterius fuerunt digestæ, ac deinceps alii sermones ex aliis Lectionariis descripti Augustinianis adjecti fuerunt in editionibus quæ subinde apparuerunt; nec deerunt qui alios ejusdem doctoris sermones ex iisdem fontibus derivare queant, sicuti nos viginti et amplius genuinos in Anecdoctis Miscellaneis aliquando editurn sumus.

3. Simile quidpiam S. Leonis sermonibus accidisse arbitramur. Hunc sanctum pontificem multo studio sermones lucubrasse, et accurata eorum exempla apud se retinuisse illud indicio est, quod in suis dogmaticis epistolis, quæ ob sublimem difficilemque explicationem dogmatum de quibus disseruit, maximam non tam sententiarum quam verborum cautionem et delectum flagitabant, quædam ex sermonibus non exigua fragmenta inseruerit. Hæc autem sermonum autographa exemplaria in archivo apostolico diutius fuisse custodita, dubitare non licet. Cum vero pro auctoritate ac celebritate auctoris et cura peculiari in sermonibus lucubrandis hi, paulo post Leonis obitum, in Lectionariis Romanarum Ecclesiarum inter aliorum sanctorum sermones fuissent transcripti, et exinde transissent in similes codices aliarum Ecclesiarum totius Occidentis; hinc factum fuit ut eorumdem sermonum in aliquo separato volumine colligendorum cura antiquitus defuerit. Quare nihil mirum si Gennadius, qui memorat sermones S. Maximi Taurinensis, in Leone, c. 70, nullam ejusdem sermonum mentionem facit: aliquam enim Maximi sermonum vetustissimam collectionem, nullam autem Leonis invenit, nec ad Lectionaria in quæ hujus sermones traducti fuerant oculos ac mentem intendit.

4. Fontes igitur vetustiores ex quibus Leonis sermones ad nos pervenerunt, sunt antiqua Lectionaria. Ex his sane eos allegarunt noni sæculi scriptores, Hincmarus Remensis, Remigius Lugdunensis, Prudentius Tricassinus, ac præsertim Florus. Is nimirum, qui in mss. collectaneis ad Pauli epistolas, in Carthusia Majori custoditis, integrum duarum et sexaginta ingentium columnarum librum, compendiariis notis scriptum, ex Leonis testimoniis digessit, sermonum fragmenta ex Lectionariis manifestissime excerpsit, utitur enim iisdem ordine ac titulis quos in Lectionariis basilicæ S. Petri invenimus. Ante hos omnes iisdem Lectionariis usus est Paulus Diaconus in Homiliario, in quo plures Leonis sermones pro festorum ratione descripsit.

5. Plures id genus et præstantissimos codices, qui diversam originem præferunt, videre et consulere licuit in bibliothecis Romanis Vaticana, basilicæ S. Petri, Vallicellana, et Chigiana, in Venetis S. Marci, et S. Gregorii Majoris, in Patavinis monachorum S. Justinæ, conventualium S. Antonii, et eremitanorum SS. Philippi et Jacobi, in Vercellensi Eusebiana capituli cathedralis, in Regia Taurinensi, in Padilironensi Casinensium S. Benedicti, in Bergomensi S. Alexandri in columna, ac tandem in nostra capitulari Veronensi. Ex his mss. utpote antiquioribus sermonum fontibus lectiones, seu lectionum correctiones potissimum sumendæ erunt. Quesnellus, qui horum codicum præstantiam et antiquiorem originem supra mss. collectiones deprehendit (ut patet ex ejus præfatione generali, ante medium), in recolendis sermonibus Lectionariis plurimum deferendum agnovit; ac præcipuæ eorum emendationes, quas in textum induxit, his mss. debentur. At id incommodi in ejusmodi libris expertus, *quod non omnes contineant sermones, et hi quidem aliquos, illi alios pro diverso Ecclesiarum more, quarum usui descripti sunt; adeo ut immensa et innumera plerumque evolvenda tibi sint volumina, ut paucos aliquos sermones ad illos codices recenseas*: id, inquam, incom-

Digitized by Google

modi expertus, non multa Lectionaria recoluit, nec in iis quæ adhibuit omnes Leonis sermones nactus, non paucos, hoc subsidio desertus, cum posterioribus tantummodo collectionibus, quæ minus emendatæ sunt, conferre coactus fuit. Nos autem cum Lectionariis potissimum deferendum intellexerimus; nulli labori parcentes, quotquot potuimus diligenter exquisivimus, quoad felici successu omnes sermones in Lectionariis reperire et conferre utiliter licuit, quatuor tantum exceptis memorandis num. 9, quos in tam multiplici Lectionariorum copia frustra quæsivimus. Hic vero profitendum est, nec potuisse nos, nec necessarium putasse singulos sermones relegere cum omnibus ejusmodi mss., cum in permultis eos descriptos invenimus. Satis enim duximus, si conferrentur cum Lectionariis præstantioribus, cæteri vero hujusmodi codices expenderentur, ubi quædam loca varias hinc inde lectiones afferentia majorem difficultatem facesserent.

§ II. De mss. Lectionariis certe Romanis.

6. Sed ut de ejusmodi Lectionariis peculiaria quædam dicantur, non tam eorum multitudinem quam nonnullorum præstantiam plurimi facimus. Quesnellus nullos Romanos ejusmodi codices vidit, qui tamen semper in Romana Ecclesia diligenter custoditi, et ad posteros transmissi, cum ex originariis et autographis Leonis scriptis originem ducant, maximæ sunt auctoritatis. Nos autem quatuor mss. libros invenimus, quos certe Romanos possumus affirmare, eo quod in publicis Romanarum Ecclesiarum officiis olim adhibiti fuerint. Tales autem sunt primo duo codices Vaticani pergameni in-folio 3835 et 3836, qui Romanis, seu, ut aiunt, uncialibus litteris octavo circiter sæculo scripti ad basilicam SS. Philippi et Jacobi pertinebant, uti docet hæc antiquarii notatio in fine cod. 3835. *Qui legis, obsecro, ut ores pro scriptore, ut per apostolorum principum* (Leg. *principem*) *solvantur vincula Agiundi presbyteri peccatoris sicut inutilis scriptoris. Deo cœli grates. Basilica apostolorum Philippi et Jacobi.* Miram autem antiquitatem primi exscriptoris confirmant hæc verba sermonibus de Ascensione subjecta, quibus Leo nondum inter sanctos relatus *domni* titulo donatur. *Expliciunt sermones domni Leonis pape de Ascensione Domini nostri Jesu Christi numero duo. Deo gratias.* In hoc ms. 3835, qui a P. Josepho Blanchinio accurate describitur cum characteris specimine tom. II Evangel. quadrupl. pag. 602, exstant Leonis de Passione primi decem sermones, duo de Ascensione, tres de Pentecoste, et duo de S. Petro. Vaticanus 3836 exhibet tres sermones de jejunio decimi mensis, in editis primum, septimum, et octavum, tres item de natali ipsius, id est de assumptione. Leonis ad pontificatum, in editis primum, cui secundus annectitur, tertius, et quartus, novem de jejunio septimi mensis, et sermonem de S. Laurentio.

7. Alii porro duo sunt Lectionarii libri basilicæ S. Petri. Primus signatus num. 107, licet charactere posteriori exaratus, pluris tamen habendus est. Non solum enim descriptus fuit ex antiquiori Lectionario ejusdem basilicæ, longo usu detrito, aut fere consumpto, originem ducente ex iis autographis quæ Leo Romanæ Ecclesiæ reliquerat; verum etiam emendatior est multo quam cæteri : unde permultas et insignes ex hoc emendationes excerpsimus, quas nullis vel paucis aliis in libris reperimus. Hunc autem ad usum spectasse ipsius basilicæ, dubitare non sinit accurata quæ in fine legitur descriptio reditnum qui ex toto christiano orbe eidem basilicæ solvebantur. Continet autem sermones ab Adventu ad Passionem Domini, et cum omnes sermones Leonis nomine inscriptos sinceros, nullos autem supposititios exhibet : tum vero nulli ejus temporis sermones Leonis in hoc codice desiderantur, quatuor tantum exceptis : 20, de jejunio decimi mensis; 51, de Quadragesima, et 56 ac 60, de Passione : dum alii libri Lectionarii aliarum Ecclesiarum non paucos sermones prætereunt, et nonnullos plerumque Leoni tribuunt qui alios habent auctores. Huic codici similis plane est alter ejusdem basilicæ 105, nisi quod librarius in postremis aliquarum solemnitatum sermonibus describendis nonnumquam defecit. Ex eodem tamen exemplo prodit, cum sermones quos exhibet eodem ordine ac iisdem fere lectionibus præferat. Si superessent in eadem basilica exempla alterius partis, quæ a Paschate ad Adventum excurrit, nihil dubitamus quin cæteros omnes, aut fere omnes Leonis sermones pariter descriptos invenissemus, adeo ut ex hac una bibliotheca emendationes tutius peti potuissent. Sed cum hæc pars ibidem desideretur, quæ exactissima omnium fuisset magno ac potiori subsidio orbati fuimus.

§ III. De aliarum Ecclesiarum mss. Lectionariis, quantumque contulerint. Tres S. Leonis sermones ex unico Nicolai Fabri codice editi vindicantur. De Lectionariorum incommodis, et de ipsorum utilitate.

8. Cum vero Lectionaria aliarum Ecclesiarum jam memorata expenderimus, licet nulla ita universim sint accurata uti laudati basilicæ Vaticanæ codices, tamen non paucas lectiones optimas vel confirmarunt, vel præbuere, et sermonibus qui in illis deerant præsidium non modicum attulerunt. Quorumdam etiam sermonum exempla nemini inventa, multiplicitate codicum quos undequaque exquisivimus, reperire nobis feliciter contigit. Quatuor sermones de collectis, et unum de octavis apostolorum, quos ob causam peculiarem Leonis cæteris Lectionariis insertos desperabamus, invenimus in ms. Lectionario Vallicellano A. 6. Sermones ejusdem proprios de natali sui, quos nullis in Lectionariis Quesnellus nancisci potuit, in Vat. 3836, nec non in Vallicellano A. 7, inventi fuere, quinto excepto, qui ex singulari Fabri codice editus fuit.

9. Reliqui sunt sermones quatuor, quos in nullo Lectionario nancisci potuimus, nimirum sermo quintus de natali papæ, sextus de collectis, nonus de jejunio decimi mensis, et nonagesimus sextus, inscriptus :

Digitized by Google

Tractatus contra Eutychianos, habitus in templo S. Anastasiæ. Hic sermo contra Eutychianos cum conservatus fuerit in mss. collectionibus S. Leonis, quæ, ut videbimus, e Lectionariis dimanant, haud dubitamus quin in aliquo Lectionario libro contineatur, quem hactenus reperire nobis non contigit.

10. Id ipsum autem dici non posse credimus quoad alios tres sermones, videlicet quintum de natali papæ, sextum de collectis, et nonum de jejunio decimi mensis, qui ex ms. Nicolai Fabri editi sunt. Sicut enim desunt in collectionibus sermonum S. Leonis, quæ e Lectionariis manarunt; ita in nullis Lectionariis inventos aut inveniendos censemus. In uno igitur codice Nicolai Fabri hos tres sermones contineri putamus, nisi fortassis alius similis aliquando prodeat. Hic autem Fabri codex, qui in bibliothecam Thuanæam Quesnelli ætate transierat, unde Thuanæus ab eodem appellatur, postea vero in Colbertinam, postremo autem in Regiam Parisiensem migravit, varia Patrum opuscula continet. De hoc fuse agit Joseph Antelmius diss. 6, *De veris operibus SS. Leonis et Prosperi* n. 4 et seqq., eumque ante annos nongentos exaratum Mabillonii, Baluzii, aliorumque peritorum judicio testatur. Inter diversorum Patrum opuscula tres laudati Leonis sermones describuntur, quorum primus omnino erronee Prospero tribuitur hoc titulo : *Incipit sermo Prosperi de natale papæ;* alii autem duo sermones sic inscribuntur : *Incipit de collectarum die*, et : *Incipit de mensis decimi jejunio.* Omnes hos sermones Leonis esse, styli ratio ac argumenti sententiarumque consonantia cum aliis eorumdem titulorum sermonibus plane Leoninis omnino evincunt. Nicolaus Faber, qui ipsum codicem possidebat, in epistola ad Vossium præpositum Tungrensem opusculis inserta hoc idem pervidit. De primo enim sermone, qui Prosperum præfert, inquit : *Qui Prospero ascribitur, ejusdem esse auctoris cum reliquis, argumento sunt mihi similitudo, et quod auctor ipsius de se velut pontifice Romano loquitur. Quamvis enim opera Prosperi usum fuisse B. Leonem dicant, nemo tamen mihi persuadeat disertissimum pontificem aliena verba emendicasse, et pro suis ad populum pronuntiasse.* Idem Antelmius, qui in laudata dissertatione non tam hos tres quam omnes Leonis sermones Prospero aliqua ratione asserere visus fuerat, hujusque codicis inscriptionem ingesserat, mentem suam apertius explicans in epistola secunda Gallice scripta die 4 Novembris an. 1689, num. 35 et 40, communi sententiæ qua Leoni tribuuntur, suum quoque calculum addidit. Unde vero tres hi Leonis sermones hoc uno in codice, qui nihil præterea Leoninum habet, reperiantur, et cur primus saltem Prosperi nomen exhibeat, quis divinet : Nam Prosper, qui Leoni intimus fuit, et ab Adone notarius ejus dicitur, hos separatim sua manu descripserat, ac in Gallias miserat, ubi conservati nobis fuerunt; primus autem amanuensis qui eos codici inseruit, ex charactere sibi noto exscriptorem fecit auctorem? Simile quidpiam epistolis accidit. Quinque enim Leonis epistolæ inter alias aliorum conservatæ nobis fuerunt in solis exemplaribus mss. collectionis Avellanæ, de qua fusius agetur in præfatione ad epistolas Leonis; et solæ quidem illæ quinque epistolæ ex omnibus Leoninis in eadem collectione inveniuntur. Sicut autem ignotum est quatenus hæ epistolæ, quæ in omnibus aliis collectionibus desunt, separatim migrarint in eam collectionem; ita qua ratione tres illi sermones in Fabri codicem venerint, latet.

11. Ut autem ad Lectionarios codices revertamur, horum incommoda Quesnellus in præfatione recensens, peregrina additamenta potissimum urget. *Cum*, inquit, *iidem variis propriisque locorum solemnitatibus accommodati sint, sæpe sæpius peregrinis quibusdam additamentis, et ab auctoris mente prorsus alienis, auctiores habentur, quibus nonnumquam discernendis vix sufficias. Insigne hujusmodi exemplum habes in sermone* 41 (nobis 42) *qui quartus est de Quadragesima.* Aliqua additamenta in quibusdam Lectionariis, sicut etiam quidam saltus, atque mutilationes nonnumquam contingunt. *At sæpe sæpius* id evenire saltem in Leone, plures licet contulerimus id genus libros, falsissimum est. Immo ejusmodi defectus, quos in posterioribus collectionibus frequentius deprehendimus, ex Lectionariis feliciter deteximus et emendavimus; sicut idem Quesnellus ex quinque Lectionariis sustulit additamentum sermonis 4 de Quadragesima, quod ex posterioribus collectionibus Leoninis in editiones irrepserat. Quod porro idem Quesnellus queritur de frequentibus maculis et mendis quibus librariorum sive incuria sive ignorantia ejusmodi libri vitiantur, commune est omnibus mss. codicibus : sed alii aliis corriguntur, nobisque nonnulli codices optimæ notæ ac præsertim mss. basilicæ S. Petri maximo adjumento fuere, quibus quingenta circiter loca saniori lectioni restituere aut emendare licuit.

12. Antequam a Lectionariis ad collectiones transeamus, notandum est præcipuum inter Lectionarios libros discrimen. Non solum enim alii plures, alii pauciores Leonis sermones ad eamdem solemnitatem pertinentes præferunt; alii unius, alii alterius festivitatis sermones prætermittunt : sed ordo etiam eorumdem sermonum in diversis Lectionariis diversus est. Exempio sint insigniora Lectionaria Romana basilicarum S. Petri ac SS. Philippi et Jacobi. In Lectionariis S. Petri sermones, ex gr., de Passione diversum ordinem habent ac in Vaticano 3835 basilicæ SS. Philippi et Jacobi : ex quo cum alter liber ab altero non prodierit, verisimillimum est hos perantiquos Lectionarios codices Romanos ex autographis S. Leonis sermonibus diverso ordine primum descriptis profectos fuisse. Varius vero ordo qui in aliis Lectionariis aliarum Ecclesiarum deprehenditur, ex librariorum arbitrio dimanare potuit. De suppositiliis sermonibus qui in Lectionariis (non tamen Romanis paulo ante laudatis) passim Leoni tribuuntur, in præfatione ad appendicem dicemus non pauca.

Digitized by Google

CAPUT II.

De mss. collectionibus, altero fonte sermonum S. Leonis, ac de eorum distinctione et usu.

§ I. Manuscriptæ sermonum S. Leonis collectiones non excedunt sæculum XI. Distinguendæ invicem, et cautio in earum codicibus adhibenda.

13. Nunc ad collectiones sermonum S. Leonis accedamus. Prima quæ nobis occurrit harum collectionum apud scriptores mentio, non est anterior sæculo XI. Micrologus, de Ecclesiasticis Observationibus, c. 25, non solum Leonis sermones collectos innuit in codice, quem *librum Sermonum* appellat, sed probaturus *quarti mensis jejunium nonnisi hebdomada Pentecostes celebratum fuisse*, lectores ad eumdem librum evolvendum remittit hæc addens : *Neque hoc tantum in uno sermone, sed in pluribus, quos de Pentecoste in diversis annis fecisse legitur : quod illum subterfugere non poterit, quicumque eumdem librum diligenter perlegerit.* Inter codices quos Desiderius abbas montis Casini, postea Romanus pontifex Victor III, bibliothecæ ejus monasterii addidit, unus cum titulo *Sermones Leonis papæ* memoratur a Leone Hostiensi in Chronico Casinensi lib. III c. 63. Primus inter scriptores de viris illustribus seu de scriptoribus ecclesiasticis, qui sermonum Leonis meminerunt, est anonymus Mellicensis auctor XI sæculi, quem prius edidit P. Pez, dein Albertus Fabricius. Sic autem ille, c. 7 : *Leo Magnus apostolicus declamator egregius fuit, qui verbo et exemplo christianæ religioni plurimum profuit. Porro sermonum illius incertus est numerus, quorum tamen de Adventu Domini, de Nativitate, de Apparitione, de Jejunio, de Passione, de sancto Pentecoste plurimi habentur. In sanctorum quoque natalitiis nonnulli habiti inveniuntur.* Dum eam ferme sermonum seriem, quæ in collectionibus exstat, recenset, collectiones indicare videtur. Dum autem *incertum* affirmat numerum, in Lectionaria potius, quæ diverso numero sermones continent, intendisse credi potest. Hæc antiquiora sunt testimonia, quæ pro collectionibus sermonum Leonis afferri queunt, quod indicio est ejusmodi collectiones antiquiores multo non fuisse.

14. Enim vero inter quamplures mss. libros sermonum Leonis, quos in variis bibliothecis vidimus, nullum reperire licuit qui XI sæculum excedat, cum non pauca Lectionaria Leonis sermones exhibentia vetustioris ætatis deprehenderimus. Id autem evenisse credimus, eo quod circa sæculum XI S. pontificis sermones colligi cœperunt. Sane quinque collectiones diversæ originis nacti sumus, quarum vetustiores ad idem sæculum referuntur. E Lectionariis autem sumptæ fuerunt, non solum quod antiquior collectio nulla invenitur ex qua exscribi potuerint, verum etiam quia sermonum numero, ordine, vel saltem titulis, ac præterea variis lectionibus differunt, prout ex Lectionariis simili ratione diversis originem ducunt.

15. Plurimum vero interest singularum discrimen notare quam diligentissime; hinc enim non modo patebit diversa earumdem origo, sed cautio etiam in usu ejusmodi manuscriptorum adhibenda cognoscetur. Ubi nimirum plures ejusdem collectionis invenientur codices, cum ab eodem primo exemplari proficiscantur, eædem fere lectiones occurrent in omnibus, solis erroribus aut arbitrariis librariorum correctionibus exceptis; adeo ut qui unum codicem unius collectionis contulerit, omnes plerumque contulerit. Ex quo illud maxime animadvertendum sequitur, frustra ut plurimum allegari duodecim aut viginti codices, si unius ejusdemque collectionis omnes sint : duo siquidem vel tria exemplaria diversarum collectionum ad aliquam lectionem statuendam plus probare solent quam centum unius.

§ II. De prima collectione.

16. Primam collectionem illam credimus quæ reperitur in codice membranaceo sæculi XI, nunc signato num. 126 bibliothecæ Casinensis, cum titulo : *Leonis primi papæ pars prima, sermones.* Hic ille idem codex videtur quem, Desiderio abbate præcipiente, sæculo XI compactum innuimus testimonio Leonis Hostiensis, qui sane, cum alterum quoque librum epistolarum seu, uti vocat, *Registrum Leonis*, ab eodem abbate in eadem bibliotheca positum tradat, quid contineret secunda pars, quæ nunc desideratur, satis indigitat. In hoc codice XCI sermones leguntur, inter quos unus bis describitur, alter dubius est, decem vero supposititii sunt, ac propterea restant sinceri et certi sermones LXXIX. Ipsam sermonum seriem appendere juverit, ut cæterarum collectionum discrimen facilius innotescat.

DE JEJUNIO MENSIS DECIMI.

1. *Si fideliter.* In nostra editione sermo XII.
2. *Præsidia.* Serm. XVIII.
3. *Cum de adventu.* Sermo XIX.
4. *Sublimitas.* Sermo XVI.
5. *Evangelicis.* Sermo XVII.
6. *Quod temporis.* Sermo XIII.
7. *In Dominico agro.* Sermo XIV; cui eodem contextu in ms. annectitur sermo editionis nostræ XV, qui inscribi debuisset in hac serie sermo octavus, et incipit *Confidenter.* Hunc eumdem ordinem cum eadem unione duorum sermonum deprehendimus in ms. Lectionario basilicæ S. Petri 107.

DE NATALE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

8. *Exsultemus in Domino.* Serm. XXII.
9. *Festivitatis hodiernæ.* Serm. XXVII.
10. *Sæpe ut nostis.* Serm. XXX.
11. *Excedit.* Serm. XXIX.
12. *Dum semper.* Serm. XXVIII.
13. *Quamvis, dilectissimi.* Serm. XXV.
14. *Semper quidem.* Serm. XXIV.
15. *Omnibus quidem.* Serm. XXVI.
16. *Salvator noster.* Serm. XXI.
17. *Nota quidem.* Serm. XXIII. Idem ordo est in laudato codice 107 basilicæ S. Petri.
18. *Justissime, fratres, festivitatis præsentis diei*, etc. Sermo Leoni perperam affictus, est S. Maximi Taurinensis hom. 2 de Nativitate.

DE EPIPHANIA DOMINI.

19. *Celebrato.* Serm. XXXI.
20. *Gaudete in Domino.* Serm. XXXII.

Digitized by Google

21. *Quamvis sciam.* Serm. XXXIII.
22. *Justum et rationabile.* Serm. XXXIV.
23. *Causam, dilectissimi.* Serm. XXXVIII.
24. *Hodiernam festivitatem.* Serm. XXXV.
25. *Memoria rerum.* Serm. XXXVII.
26. *Dies, dilectissimi.* Serm. XXXVI.

DE JEJUNIO QUADRAGESIMÆ.

27. *Semper quidem, dilectissimi, sapienter.* Serm. XLI.
28. *Hebræorum quondam populus.* Serm. XXXIX.
29. *Apostolica, dilectissimi, doctrina.* Serm. XLIII.
30. *Licet nobis.* Serm. XL.
31. *Prædicaturus.* Serm. XLII.
32. *Semper quidem, dilectissimi, misericordia.* Serm. XLIV.
33. *Appropinquante.* Serm. L.
34. *Virtus, dilectissimi.* Serm. XLV.
35. *Devotionis.* Serm. XLVI.
36. *In omnibus, dilectissimi* Serm. XLVII.
37. *Inter omnes.* Serm. XLVIII.
38. *In omnibus quidem* Serm. XLIX.
39. *Jejunii tempora secundum Scripturas.* Est sermo supposititicus, excerptus ex libro de Ecclesiasticis Officiis S. Isidori Hispalensis cap. 37-40.
40. *Dilectissimi, nobis, fides nostra nos admonet.* Est pariter Leoni perperam affictus, et cum antecedenti sine Leonis nomine genuinis hujus sermonibus subjectus in Lectionariis codd. 105 et 107 basilicæ S. Petri, de quo in præfatione ad appendicem plura, ubi hic postremus sermo dabitur.

DE PASSIONE DOMINI.

41. *In omnibus quidem.* Est inepta repetitio antecedentis sermonis 38 de jejunio Quadragesimæ.
42. *Omnia quidem tempora.* Serm. LXIV.
43. *Evangelica lectio, dilectissimi, quæ sacratissimam.* Serm. LXVI.
44. *Magnitudo.* Serm. LXIX.
45. *Scio quidem, dilectissimi, paschale festum.* Serm. LVIII.
46. *Sacramentum, dilectissimi, Dominicæ Passionis.* Serm. LXX.
47. *Creator et Dominus.* Serm. LVI.
48. *Inter omnia, dilectissimi, opera misericordiæ.* Serm. LIV.
49. *Sponsionis nostræ.* Serm. LVII.
50. *Sermone proximo, dilectissimi, his quæ comprehensionem Domini præcessere, decursis.* Serm. LIX, qui alia verborum collocatione exorditur *Decursis, dilectissimi, sermone proximo iis quæ comprehensionem*, etc.
51. *Cum multis modis.* Serm. LXI.
52. *Exspectationi nostræ.* Serm. LV.
53. *Semper quidem, dilectissimi, fidelium mentes.* Serm. LXVII.

DE RESURRECTIONE DOMINI.

54. *Sermo proximus.* Serm. LXVIII.
55. *Sermone proximo, dilectissimi, non incongrue.* Serm LXXI.
56. *Sacram, dilectissimi, Dominicæ Passionis historiam.* Serm. LXX.
57. *Sacramentum, dilectissimi, Dominicæ Passionis quam Dominus Jesus Dei Filius.* Serm. LII.
58. *Sermonem, dilectissimi.* Serm. LXV.
59. *Gloria, dilectissimi.* Serm. LXIII.
60. *Desiderata nobis.* Serm. LXII.
61. *Totum quidem.* Serm. LXXII.

A 62. *Item de Resurrectione. Licet omnes solemnitates.* Inter dubios sermones in appendice edetur.

DE ASCENSIONE.

63. *Post beatam et gloriosam Resurrectionem.* Serm. LXXIII.
64. *Sacramentum, dilectissimi, salutis nostræ.* Serm. LXXIV.
65. Puncta subjiciuntur loco tituli, quæ sequens additamentum extra ordinem ipsi librario cognitum indicant. Additamentum autem incipit : *Et quando de cruce nostra processit oratio, foras civitatem solemnitatem celebravimus.* Reperitur in antiquis editionibus Latinis S. Joannis Chrysostomi.

IN DIE PENTECOSTES, *et in margine :* DE SANCTA PENTECOSTE S. LEONIS PAPÆ.

66. *Hodiernam solemnitatem.* Serm. LXV.
67. *Hodiernam, dilectissimi, festivitatem descensione sancti Spiritus consecratam.* Serm. LXXVIII.
B 68. *Plenissime.* Serm. LXXVI.
69. *Dubitandum.* Serm. LXXIX.
70. *Sanctorum solemnitate dierum.* Serm. LXXX.
71. *Inter omnia, dilectissimi, apostolicæ instituta doctrinæ.* Serm. LXXXI.

ITEM UNDE SUPRA. *In margine autem :* DE ORDINATIONE SUA.

72. *Honorabilem mihi, dilectissimi.* Serm. II.
73. *Quoties nobis.* Serm. III.
74. *Gaudeo, dilectissimi.* Serm. IV.
75. *Laudem Domini.* Serm. 1. Hic idem horum quatuor sermonum ordo, et ante S. Petri festum cernitur in Lectionario Vallicellano cod. A. 7.

SERMO EJUSDEM. *Ad marginem vero :* IN FESTO SANCTORUM PETRI ET PAULI.

76. *Apostolici natalis.*
77. *Beatissimorum apostolorum Petri et Pauli.*
78. *Beatissimorum apostolorum passio, fratres.* Tres isti sermones sunt hom. 2, 3 et 4 de eadem festivitate inter S. Maximi Opera.
C 79. *Omnium quidem sanctarum solemnitatum.* Serm. LXXII.
80. *Exsultemus in Domino.* Serm. LXXXIII.
81. *Gemina hodiernæ festivitatis.* In appendice prodibit.

IN NATALI S. LAURENTII.

82. *Sanctum est, fratres.*
83. *Sicut patrum nostrorum.* Sunt hom. 1 et 2 S. Maximi de S. Laurentio.

DE JEJUNIO SEPTIMI MENSIS.

84. *Observantiam quidem vestram.* Serm. LXXXVI.
85. *Deus humani generis.* Serm. LXXXVII.
86. *Apostolica institutio.* Serm. XCII.
87. *Omnis, delectissimi, divinorum eruditio.* Serm. XCIII.
88. *Scio quidem, dilectissimi, plurimos.* Serm. XCIV.

DE OCTO BEATITUDINIBUS.

D 89. *Prædicante.* Serm. XCV.

DE PENTECOSTE.

90. *Hodiernam solemnitatem, dilectissimi, toto terrarum orbe.* Serm. LXXVII.

DE ASCENSIONE DOMINI.

91. *Fratres charissimi, Ascensionis Dominicæ inclytum et regale mysterium.* Est in appendice Augustini serm. 179.

Hanc sermonum seriem, aliasque ex eodem codice notitias et collationes a Casinensi abbate procuravit eminentissimus cardinalis Tamburinus, qui cum omnibus sacrorum præsertim studiorum, in quibus maxime eminet, cultoribus favorem præstat, tum vero mihi, dum Romæ essem, et huic editioni a summo pontifice impositæ materias pararem, omnem opem, quibuscumque rebus posset, conferre non destitit. Cum vero in patriam reversus, in editione curanda alia plura ex eodem codice Casinensi desiderarem, quæ majorem laborem ac diligentiam postulabant, idem cardinalis ne quemquam monachorum Casinensium gravaret, codi-

Digitized by Google

cem Romam transmittendum curavit, et ipse per se eumdem conferre ac variantes notare et describere voluit: quod in tantæ dignitatis viro tot gravissimis curis distento plane mirificum, insignem ejus in hæc studia propensionem, in nos autem singularem humanitatem declarat.

17. Hanc collectionem e Lectionariis compactam indicant non modo supposititii sermones, qui in Lectionariis frequenter occurrunt, sed etiam ipsa series nonnullorum sermonum quam in iisdem libris observare licuit, ut superius innuimus. Neque mirum accidat, si cum aliquot suppositiii inserti fuerint, plures sinceri desiderentur. Id ex libris Lectionariis, qui collectori usui fuere, originem ducit; in his enim identidem alieni sermones uni auctori vindicantur, nec sinceri omnes continentur. Idipsum Augustino contigit, cujus sermones ex Lectionariis olim collecti, plures perperam ascriptos præferunt, multos autem sinceros prætermittunt.

§ III. De secunda collectione.

18. Secundam collectionem dicimus quam nacti sumus in tribus mss. libris Casanatensi G. III 7, basilicæ S Petri 210, et Barberino 88. Primi duo ad XII circiter sæculum pertinent. Casanatensis aliquot foliis mutilus est, et variantes ex collectionibus posterioribus a quopiam studioso ad marginem appositas et textui nonnumquam superadditas exhibet. Hæc collectio centum sermones continet. Incipit a Leonis epistola ad Flavianum, quam in pluribus et antiquis Lectionariis insertam vidimus. Sequuntur sermones septem de jejunio decimi mensis eodem ordine ac in prima collectione, conjunctis similiter in unum sermonibus XIV et XV. Subjiciuntur decem sermones de Nativitate Domini, et octo de Epiphania, qui exstant in prima collectione, sed ordo paululum immutatus aliam originem indicat. Inter sermones octavum et nonum de Nativitate, num. 16 inseritur sermo *de Absalon* perperam Leoni tributus, et in nonnullis mss. posteriorum quoque collectionum in fine adjectus, qui deest in prima collectione; et e contra non apparet sermo 18 primæ collectionis, qui S. Maximum habet auctorem. Sermones de Quadragesimæ jejunio, et de Passione, qui leguntur in prima collectione, ordine non parum diverso exstant etiam in hac secunda, iis duobus pariter comprehensis quos subditicios vidimus; ac præterea pro sermone 41 in prima collectione inaniter repetito hæc secunda addit, num. 56, unum Leonis sincerum de Domini Passione *Exigit fides*, in editione nostra serm. LIII, qui in collectione Casinensi desideratur. Sequitur sermo dubius de Resurrectione *Licet omnes solemnitates*, qui in utraque collectione est num. 62; tum duo genuini de Ascensione, 63 et 64, ordine eodem. Omittitur sermo 65 primæ collectionis plane suppositicius. Adduntur septem sermones de Pentecoste, qui sunt in prima collectione; sed in hac alio ordine simul ponuntur; dum in prima hoc loco præferuntur tantum sex, unus autem separatim in fine adjectus fuit Hucusque tribus sermonibus in secunda collectione insertis, et tribus prætermissis, sermonum numerus in utraque collectione tandem concurrit. Utrobique enim sunt sermones 71. Majus in sequentibus discrimen catalogum reliquorum apponendum suasit, cum præsertim peculiares tituli occurrant, quos ex tabula in fine ms. Casanatensis excerpsimus.

DE JEJUNIO SEPTIMI MENSIS.

72. *Devotionem.* In editione nostra sermo XCI. Deest in prima collectione.
73. *Observantiam.* Serm. LXXXVI.
74. *Apostolica.* Serm. XCII.
75. *Deus humani generis.* Serm LXXXVII.
76. *Omnis, dilectissimi, divinorum eruditio.* Serm. XCIII.
77. *Scio quidem plurimos.* Serm. XCIV. Hi quinque eodem ordine et suo loco in prima collectione describuntur.

IN DIE ORDINATIONIS SUÆ.

78. *Quoties nobis.* Serm. III.
79. *Laudem Domini.* Serm. I.

DE SANCTIS PETRO ET PAULO.

80. *Apostolici natalis.*
81. *Beatissimorum apostolorum Petri et Pauli.*
82. *Beatissimorum apostolorum passio.*
83. *Exsultemus in Domino.* Serm. LXXXIII.
84. *Gemina hodiernæ festivitatis.* Confer annotata superius in prima collectione.

DE DIE COLLECTARUM.

85. *Misericordia.* Serm. IX.
86. *Apostolicæ traditionis.* Serm. X.
87. *Multis divinarum* Serm. VI.
88. *Christianæ pietatis.* Serm. VIII.

DE NEGLECTA FESTIVITATE.

89. *Religiosam.* Serm. LXXXIV. Sex antecedentes sermones eodem ordine leguntur in ms. Lectionario Vallicell. A. 6, quinque autem ultimi in prima collectione non leguntur.

DE NATALITIIS PETRI ET PAULI APOSTOLORUM.

90. *Omnium quidem sanctarum solemnitatum.* Serm. LXXXII.

IN NATALITIO B. PETRI APOSTOLI.

91. *Gaudeo, dilectissimi.* Serm. IV.

DE B. LAURENTIO MARTYRE.

92. *Sanctum est, fratres.*
93. *Sicut patrum.* Hi duo sunt sancti Maximi, ut in superiori collectione notatum fuit.
94. *Cum omnium.* Serm. LXXXV. Deest in prima collectione.

IN FESTIVITATE OMNIUM SANCTORUM.

95. *Prædicante.* Serm. XCV.

IN JEJUNIO SABBATI MENSIS PRIMI.

96. *Evangelica lectio, quæ per aures.* Serm. LI.

DE MACHABÆIS.

97. *Gratias, dilectissimi, agamus.* Hunc in appendicem primi rejecimus.

DE JEJUNIO SEPTIMI MENSIS.

98. *Ad exorandum.* Serm. LXXXVIII.
99. *Prædicationem.* Serm. LXXXIX.
100. *Sacramentum, dilectissimi.* Serm. XC.

Digitized by Google

Postremi quinque sermones, qui desunt in prima collectione, extra propriam sedem positi sunt; nam primus collocandus erat inter sermones de Quadragesima, ut in Lectionariis et posterioribus collectionibus habetur; secundus de Machabæis ante sermones de S. Laurentio statuendus erat; cæteri autem tres de jejunio mensis septimi adjiciendi erant aliis sex ejusdem tituli sermonibus, a num. 72 usque ad 77, superius proprio loco descriptis. Id autem palam facit hanc collectionem prima cura lucubratam fuisse ex iis libris Lectionariis qui his sermonibus carebant : postea vero in collectoris manus venisse alios libros, qui cum hos sermones præferrent, eos in fine adjiciendos putavit.

19. In hac collectione inveniuntur omnes genuini Leonis sermones qui exstant in collectione prima, excepto serm. 2, de natali papæ, qui incipit *Honorabilem :* at duodecim alios germanos complectitur, qui in Casinensi desiderantur. Quamvis plures alieni sermones in his duabus collectionibus Leoni tribuantur, qui in tribus sequentibus non inveniuntur, unde hoc nomine illis postponendæ sint; cum tamen lectiones plerumque meliores præseferant, multum per se editoribus utiliores, ac pluris æstimandæ sunt. In ms. 210 basilicæ S. Petri, post centum sermones hactenus indicatos, exstant quædam S. Cypriani opera : hæc autem excipit epistola S. Leonis ad Leonem Augustum 165, quæ in Lectionario Vallicellano 26 inserta est, et dein quatuordecim alii sermones subduntur sine ullo auctoris nomine, qui fere in appendice Augustiniana recensentur. In codice autem Barberino 88 hæc sermonum additio subnectitur centum sermonibus memoratis, ita ut ejusdem Leonis videri possit. At deest omnino in ms. Casanatensi G. III 7, unde nec primi collectoris opus esse, nec ad hanc collectionem spectare cognoscitur. Petrus Mallius XII sæculi scriptor, in Historia basilicæ S. Petri a Bollandistis edita tom. VI Act. SS. part. II, cum cap. 5 num. 37, mentionem facit cujusdam collectionis sermonum S. Leonis, quæ præferebat etiam epistolam ad Flavianum ; tum vero c. 7 n. 134 allegat sermonem laudatæ appendicis, inquiens : *Est et castellum, quod fuit memoria Hadriani imperatoris, sicut legitur in sermone S. Leonis papæ de festivitate S. Petri ;* refert autem testimonium ex sermone 13 laudatæ appendici inserto, quem in appendice nostra edemus. Respicere videtur collectionis memoratæ exemplum, quod in archivo basilicæ S. Petri servatur.

§ IV. De tribus aliis collectionibus.

20. Tertiam collectionem appellamus eam quæ exstabat in ms. unde prima editio Romana a Joanne Andrea episcopo Aleriensi sumpta fuit. Hanc nos invenimus in Vaticano ms. 545, qui solos Leonis sermones continet. Ad hanc eamdem collectionem pertinere credimus codicem Bononiensem, cujus variantes notatas invenimus in ms. Barberino 3520, hæ enim cum lectionibus primæ editionis fere conveniunt. Continet autem hæc collectio Leonis sermones XCIII, omnes sinceros, nullos ascititios, si unum de Machabæis excipias, quem in appendice Augustino vindicabimus. Sermonibus de Natali Domini præmittit epistolam ad Flavianum, quæ hanc quoque collectionem ex Lectionariis derivatam innuit. Desunt ex sinceris tres soli sermones, qui ex ms. Nicolai Fabri editi sunt. Ordo autem sermonum XCIII idem est ac in vulgatis communioribus, qui his tribus sermonibus carent, hac una exceptione, quod sermo 51 in Evangelium Matthæi c. XVII describitur inter sermones de Quadragesima, uti in omnibus Lectionariis positus est sabbato quatuor temporum Quadragesimæ, editi autem in alium locum transtulerunt.

21. Hæc collectio, præter ordinem ab anterioribus longe diversum, duos sermones in iisdem omissos exhibet, unum de collectis, cui initium *Notum vobis*, in nostra editione serm. VII; alterum contra hæresim Eutychetis, qui incipit *Sicut peritorum*, nobis serm. XCVI. Titulos autem sermonum peculiares habet, quibus tam ab editis quam a cæteris collectionibus maxime discrepans, sicut et in lectionibus sæpe valde dissimilibus, alium omnino fontem apertissime prodit. Titulos diversos indicasse sufficiat. Duodecim sermones *de Quadragesima* hanc peculiarem divisionem et hos titulos præferunt : Quatuor primi inscribuntur *de Quadragesima ;* quintus, *de jejunio Quadragesimali sermo V ;* sextus, septimus et octavus, *de Passione et Resurrectione Domini sermo I, II et III ;* nonus, decimus et undecimus, *de Festo paschali sermo I, II et III ;* duodecimus autem, *de Passione Domini sermo quartus.* Dein subjecto sermone in Evangelium Matthæi c. XVII, sermones 19 vulgati *de Passione* et duo sequentes *de Resurrectione*, continuata numerorum serie sic efferuntur : Primus *In Parascevem Domini de Passione sermo primus ;* quinque sequentes, *de Passione Domini II, III, IV, V et VI ;* septimus, *de Pascha Domini sermo septimus ;* alii quatuor *de Passione VIII, IX, X et XI.* Cæteri editi octo de Passione et primus de Resurrectione hac inscriptione prænotantur : *De Passione et Resurrectione Domini XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX et XX.* Tandem postremus sermo, *de Resurrectione Domini sermo XXI.*

22. Cum vero quoad hanc collectionem usi simus frequentissime exemplo primæ Romanæ editionis, quæ rarissima est, et Quesnello ignota fuit, de hac non nihil dicendum videtur. Ille quidem in præfatione generali, n. 2, veluti primam traduxit sermonum editionem Venetam an. 1485, quæ Joannem Andream episcopum Aleriensem auctorem præfert, eamdemque alicubi, sed rarissime in variantibus adhibuit. Sed præterquam quod exstat alia editio Veneta Lucæ Veneti an. 1482, utræque hæ editiones recusæ fuerunt ex Romana, quam laudatus episcopus ex Vaticano codice Romæ vulgaverat, et Paulo II Romano pontifici inscripserat. Qui typographicos Annales edidere, hanc editionem Romanam assignant an. 1470, et in ejus

Digitized by Google

calce legi testantur versus *Aspicis illustres*, etc., qui typographorum in ædibus familiæ Maximæ laborantium nomina referunt. Quo autem fundamento hæc tradiderint, latet. Non solum enim omni temporis locique notatione, ac memoratis versibus carent duo quæ eminentissimus cardinalis Quirinus vidit ejus editionis exemplaria, verum etiam illa tria quæ nobismetipsis videre contigit, unum Romæ apud eminentissimum Passionеum, alterum Veronæ in bibliotheca Muselliana, tertium in suburbio Veronensi apud canonicos Lateranenses S. Leonardi emptum in *Urbe* a celeberrimo viro Celso Maffeio *anno* 1472, ut in manuscripta ejusdem Maffeii notatione traditur. In catalogo quidem librorum qui a Conrado Sweynheim et Arnoldo Pannartz Germanis typographis in ædibus Maximorum fuerant impressi usque ad diem 20 Martii an. 1472, et a supradicto Aleriensi recensentur initio tomi V Operum Nicolai de Lyra; in hoc, inquam, catalogo referuntur *Divi Leonis papæ Sermones*, et notantur edita *exemplaria* CCLXXV, quo factum est ut rarissima sit hæc prima editio, cum tam pauca exemplaria impressa fuerint. Ante annum vero 1472, typis subjectam fuisse liquet ex Aleriensis epistola ad Paulum II, qui supremum diem obiit XII kal. Augusti an. 1471 (*a*).

23. Quarta collectio frequentior in mss. occurrit. Eosdem autem omnino sermones eodem ordine præfert, ut in anteriori vidimus: titulis autem, qui idem sunt ac in vulgatis, ab illa discrepat, ac præterea variantibus nec modicis, nec infrequentibus, quæ diversæ origini, non librariorum lapsui vel arbitrio tribui queunt. Plerique codices annexam habent epistolarum collectionem, et hac de causa omittunt inter sermones epistolam ad Flavianum, cum in epistolis suo loco ponatur. Ejusmodi autem sunt tres mss. Vatt. 541, 546 et 547; Vat. Urbinas 65; unus Angelicæ Eremitarum S. Augustini; alius Venetus S. Marci 79; et Fesulanus canonicorum Lateranensium. Hanc eamdem collectionem cum epistola ad Flavianum, sed sine collectione epistolarum, invenimus in mss. Justinæ Patavinæ Cassinensium, nec non in alio Veneto monachorum S. Georgii majoris. Nullum exemplar sæculo XIV vetustius reperire licuit, unde collectionem valde recentem colligimus. Omnium certe vitiosissima est: cumque ex codice hujus collectionis profectæ videantur vulgatæ editiones sermonum per eos qui Aleriensis editionem ignorarunt, nihil mirum si pluribus mendis et corruptis lectionibus scateant.

24. Quintam collectionem sermonum ab epistolarum collectione in nullo codice separatam invenimus. Sicut autem epistolarum collectio quæ huic adjungitur diversa est a collectione epistolarum quæ cum quarta collectione sermonum copulantur, ita etiam sermonum collectio aliquot, etsi paucis at exploratis characteribus, distinguitur, et diversam originem promit. Mitto discrepantes lectiones, quibus etsi melior sit hæc quam duæ lectiones præcedentes, primæ tamen et secundæ collectionibus facile cedit. Præcipuum discrimen est in duobus sermonibus *Exsultemus* de SS. Petro et Paulo, et *Gratias, dilectissimi*, de Machabæis, qui in hac collectione non leguntur: primus autem in quatuor antecedentibus legitur, secundus vero exstat in secunda, tertia et quarta. Ordo autem in cæteris sermonibus idem est ac in collectionibus tertia et quarta, hoc uno discrimine, quod post sermones de jejunio Pentecostes habetur ordine inverso primum *In octavis apostolorum*, *Religiosam*, serm. LXXXIV; dein *In natali apostolorum Petri et Pauli*, *Omnium quidem*, serm. LXXXII, qui ordo horum sermonum est in collectione 2. At rectius in tertia et quarta inserto sermone *Exsultemus*, efferuntur sic: *In natali SS. apostolorum Petri et Pauli* serm. I; *Omnium quidem*, serm. II, *Exsultemus* et *In octavis apostolorum Petri et Pauli*, *Religiosam*. Hæc collectio, quæ est omnium purissima, cum nihil subditicium contineat, invenitur in Vat. 544 sæculi circiter XII, in Vat. Reginæ Suetiæ 139 sæculi XIII, vel XIV, et in uno Cæsenate Minorum Conventualium S. Francisci sæculi XV, nec non in Victorino, quem Quesnellus adhibuit.

§ V. De alia ms. Oxoniensi collectione a Quesnello laudata.

25. Has sunt collectiones quas vidimus. Porro Quesnellus codicem Oxoniensem sæculi XI, vel XII, laudat dissert. 12, cap. 2, in quo collectio quædam sermonum Leonis una cum ejusdem epistolis continetur, adeo ut primo intuitu credi possit alteutra ex duabus postremis collectionibus quæ sermones et epistolas pontificis jungunt. Sed aliam omnino esse quam hactenus invenire nequivimus, hoc Quesnelli indicium demonstrat. *Epistolis*, inquit, *inserta sunt constitutiones imperatorum Theodosii et Valentiniani adversus Manichæos et contra Hilarium Arelatensem. Sermonibus subjiciuntur duæ epistolæ Proterii Alexandrini, et Paschasini Lilybætani ad Leonem nostrum, et alia nonnulla ad vitam S. pontificis attinentia.* Sicut autem epistolarum collectio cum memoratis additamentis nullibi a nobis inventa fuit, ita collectio sermonum, ex indicatis additamentis, ab omnibus quas vidimus discrepat. Displicet Quesnellum exactiorem hujus collectionis notitiam

(*a*) Hic, in *Erratis* tomo suo II annexis, Balleriniі addenda indicant sequentia: « His *in prima editione* peractis, a P. Mentio bibliothecario S. Mariæ Gratiarum PP. Prædicatorum Mediolani monitі fuimus, in bibliotheca ejusdem ecclesiæ inveniri exemplum Romanæ editionis anni 1470, in cujus calce leguntur præter ann notationem indicati versus *Aspicis illustres*, etc., uti in Annalibus typographicis editi sunt. Hæc autem editio omnium rarissima differt ab ea pariter Romana cujus quinque exemplaria recensuimus. Non solum enim ista posterior versus memoratos annique notationem ignorat, verum etiam in lineis et singulis paginis discrepat; ac præterea prior illa caret iis quatuor Leonis epistolis, quibus secunda ditata fuit. Cum vero hæc altera quam recognovimus e prima editione omnino fuerit expressa, eumque codicem referat quem Aleriensis in priori editione exhibuit; allegationes primæ editionis, quas in notis attulimus, corrigendæ non sunt. » Edit.

Digitized by Google

non dedisse; ex ordine enim et quantitate sermonum speciale de eadem judicium ferre possemus. Hunc tantum peculiarem titulum ex eodem codice recitat in observatione ad primum sermonem, quam præmissæ admonitioni inseruimus. *In nomine Dei summi. Incipiunt tractatus quos a die ordinationis suæ per continuum quinquennium beatissimus papa Leo dixit ad populum.* Ex his autem verbis colligi posse credidit Quesnellus hanc sermonum collectionem derivare ex exemplo collectionis Leonis ævo exaratæ. Inquit enim : *Totus vetustatem spirat titulus iste, indicatque sermones, seu tractatus* (*quæ vox Leonis ævo familiaris*), *descriptos fuisse ex codice pontificis istius ætate exarato. Cum enim ex ipsis sermonibus nulla indicia prodeant quibus appareat quo quisque anno dictus fuerit, oportet ut statim fere post quinquennium illud descriptum sit primum codicis istius exemplar.* Vox quidem *tractatus* pro sermonibus usurpata antiquitatem redolet; at si codex editos sermones continet, titulus qui hos primo quinquennio pontificatus Leonis tribuit, id est inter annum 440 et 445, manifestum errorem prodit. Etenim sermones novem de jejunio mensis decimi, decem de Nativitate Domini, octo de Epiphania, unum et viginti, vel saltem decem et novem de Passione Domini, ex ipsa sermonum, qui diversis annis recitati fuerunt, computatione quinquennium excedunt; quemadmodum transcurrunt etiam nonnulli sermones de collectis, uti ex annorum characteribus in iisdem indicatis liquet. Sermones octavus de Nativitate, et sextus de jejunio septimi mensis, Eutychem veluti hæreticum expresse nominant, quod fieri debuit citius ann. 449, vel potius aliquanto post : hoc enim anno errorem quidem ejus Leo condemnavit; sed cum Eutychem correctum iri speraret, personæ pepercisse videtur. Sermo de octavis apostolorum, qui post direptionem Romanæ urbis habitus fuit, post an. 445 collocari debet. Tractatus contra hæresim Eutychetis (nobis sermo XCVI) recitatus fuit in basilica S. Anastasiæ post Proterii mortem, quæ incidit in annum 457. Ex his igitur confirmatur quod initio statuimus, nullum superesse codicem qui collectionem Leonis ætate exaratam contineat.

§ VI. De Homiliario Pauli Diaconi.

26. Restat ut de *Homiliario Doctorum* nonnulla dicamus, hoc enim pariter veluti codice utendum erit. Hujus Homiliarii auctor est Paulus Diaconus, qui jussu Caroli Magni varias Patrum homilias pro festorum ratione collegit exeunte sæculo VIII. Id liquet ex præfatione ejusdem Caroli præfixa rarissimæ editioni Spirensi an. 1482, et a Mabillonio recusa tom. I Analectorum pag. 25. Leonis sermones XX, ibidem inserti leguntur. Hæc autem collectio cum originem ducat ex mss. libris antiquioribus sæculo IX qui Paulo Diacono usui fuere, non minimi facienda fuit. Cum vero plures ejusdem Homiliarii editiones prodierint, Quesnellus aliquando hoc allegans adhibuit editionem valde posteriorem, in qua alii ex editis Leoninis non pauca mutarunt. Nos vero ut germanas Pauli Diaconi lectiones cognosceremus, contulimus editionem Basileensem Nicolai Kessler anni 1496, sumptam ex vetustissimo codice Ecclesiæ Basileensis; quæ licet non minus quam Spirensis nonnullos sermones auctorum posteriorum additicios præferat, genuinam tamen Pauli Diaconi editionem quoad cæteros et Leoninos exhibet : qui sane sine additiciis in duobus mss. Augiensibus inveniuntur, eodem Mabillonio teste tom. IV Analector. pag. 631 et 632.

§ VII De ms. Barberino continente varias lectiones sermonum S. Leonis.

27. Antequam ab hac præfatione manum submoveam, prænonendum est, me, dum Romæ versarer, in bibliotheca Barberina invenisse recentiorem codicem 3520, qui non paucas variantes sermonum S. Leonis editioni paratas exhibet. Præmittitur Italica epistola Laurentii Mari scripta die 30 Martii 1677. Cum eminentissimi cardinalis Francisci Barberini et Brancacii tum prælati nomine ab eo quæsitum fuisset quid Joannes Baptista Marus frater suus in editionem Leonis reliquisset, respondit ante aliquot annos in manus ejusdem fratris venisse editionem sermonum Leonis, in cujus marginibus Gerardus Vossius, præpositus Tungrensis, variantes lectiones notaverat : has autem exinde excerpsisse Joannem Baptistam, aliasque variantes ex aliis codicibus et editionibus addidisse eo consilio, ut novam sermonum editionem vulgaret cum titulo : *Sermones S. Leonis Magni restituti ad fidem plurium codicum mss.*, concluditque, editionem prædictam cum variantibus Vossii, et sui fratris lucubrationes se tradidisse Michaeli Angelo Riccio, postea cardinali, ex quo, quicumque velit, ea petere poterit. Sequitur præfatio Joannis Baptistæ Mari editioni præmittenda, quam hic subjicimus.

LECTORI JOAN. BAPTISTA MARUS.

« Prodit iterum in lucem divus Leo rebus omnibus magnus, ultima manu et accuratiore quam ante diligentia restitutus. Tanta est dignitas auctoris, eloquentiæ majestas, sanctitas vitæ, tanta devictarum hæresum, et frenati Attilæ, ac servatæ Romæ gloria, ut in ipsius scriptis ad germanam sententiam revocandis non possit sine uberrimo Ecclesiæ fructu et sine summa eruditorum voluptate elaborari. Fuit iste labor paucis ante annis P. Theophili Rainaudi soc. Jesu theologi, de cujus multiplici eruditione præclara monumenta ab eo typis edita abunde testantur. At quoniam non tam ex ingenio et doctrina quam ex varietate codicum typis editorum et fide antiquorum manuscriptorum opus susceptum pendebat; licet non sine laude et utilitate in eo desudarit, tamen cum plurima utriusque generis exempla ei defuerint, non potuit pro voto tanti pontificis scripta nativo nitori restituere : quo factum est ut et operi deesset optata absolutio et in sacri

Digitized by Google

officii lectionibus, quas sancta Ecclesia in præcipuis anni solemnitatibus ex magni Leonis divina eloquentia mutuari solet, menda non pauca residerent, quod in typis renovandis ad ultimam editionem velut emendatiorem soleat recurri. Quare cum diversa exempla typis edita, et fide digna manuscripta antiqua non pauca, quibus caruerat Theophilus Rainaudus, nacti essemus; lucem, quæ ex illis copiosa confici poterat, in honorem tanti pontificis scriptorumque ejus optatam restitutionem, et utilitatem Ecclesiæ, atque eruditorum voluptatem duximus conferendam. Vale, amice lector, et dum foveris labore nostro, fave, ac si quid melius nosti, prome. »

Hic Joan. Baptista Marus, qui hisce studiis delectabatur, an. 1644, ex mss. Vaticanis et Barberinis quosdam Augustini sermones, et ex Vat. cod. 1203 dialogos Desiderii abbatis Casinensis, postea Victoris III, ac tandem anno 1655 e ms. Barberino Petrum Diaconum de Viris Illustribus Casinensibus Romæ ediderat. Observamus autem in laudata præfatione nullam mentionem fieri variarum lectionum Vossii, quas Laurentius Marus memoravit. In codice autem Barberino subduntur plures variantes sermonum ordine nonnumquam perturbato. Pleræque sumptæ sunt ex codicibus basilicæ S. Petri, aliæ ex Vaticanis, nonnullæ ex cod. Bon., id est Bononiensi. Frequentiores sunt in iis sermonibus qui continentur in Lectionariis basilicæ S. Petri. Ubi autem hæc Lectionaria defuere, rarissimæ et quandoque nullæ variantes indicantur. Quæ sint variantes ex Vossio sumptæ, quæ autem additæ a Maro, discerni nequit. Vossium quidem, qui Romæ aliquando studuit Romanos codices, quoad Leonem contulisse colligitur ex Miscellaneis SS. Patrum subjectis editioni Moguntinæ an. 1604 Operum S. Gregorii Thaumaturgi, ubi aliqua Leonis ex Romanis mss. edidit. Plura tamen quam quæ innuuntur in epistola Laurentii Mari, eum parasse probant quæ idem Vossius tradit in calce Operum S. Ephrem, in qua non solos sermones, sed omnia S. pontificis Opera recognita et illustrata se editurum pollicetur: et in notatione ad tractatum S. Leonis in Eutychem vulgatum in laudata editione Moguntina testatur : *De pluribus per nos*, inquit, *in recognitione nostra Leonina observatis, ac ad marginem epistolarum annotatis*, ubi, præter sermones, epistolas pariter a se recognitas, et variantes ad marginem editionis epistolarum annotatas ostendit. Unde etiam Nicolaus Faber in epistola ad eumdem Vossium inter ejusdem Fabri Opuscula pag. 113 et 114 se audisse testatur Michaelem Sonnium Parisiensem typographum exspectare *quam citius ipsius editionem Operum S. Leonis*. Quesnellus in fine præfationis generalis memorat *codicem Operum S. Leonis*, quem collatum a doctissimo viro Francisco Pegna cum Romanarum bibliothecarum mss. codicibus, olim post Pegnæ mortem apud Marium Sancti Angeli canonicum viderat Emericus Bigotius. Cum Joannes Baptista Marus paulo ante memoratus *S. Angeli in foro piscium canonicus* in editis ejus Operibus appelletur, nihil dubium est quin Marius a Quesnello laudatus idem sit ac Joannes Baptista Marus. Quis autem fuerit codex quem Bigotius apud ipsum invenit ex Barberino ms. innotescit; et errore forte Bigotii, quod Vossio erat adjudicandum tributum fuit Pegnæ, eo quod Vossii codex in hujus manus venisset antequam in Mari bibliothecam transiret. Nos ipsum codicem seu editionem Leonis a Vossio cum mss. collatam non invenimus; sed Mari lucubrationem nacti sumus in codice Barberino, quæ Vossii et Marii variantes complectitur. Hujus vero Barberini manuscripti multa loca contulimus cum Lectionariis basilicæ S. Petri; cumque ea exacte notata deprehendimus, a fusiori collatione eorumdem levati fuimus; sicque aliis quampluribus tum ejusdem basilicæ, tum Vaticanis, tum aliarum Romanarum bibliothecarum mss. exemplaribus recognoscendis vacare commodius potuimus.

S. LEONIS MAGNI

PONTIFICIS ROMANI

SERMONES

IN PRÆCIPUIS TOTIUS ANNI FESTIVITATIBUS

AD ROMANAM PLEBEM HABITI.

ADMONITIO IN DUOS SEQUENTES SERMONES,

Qui in anteceedentibus editionibus, sicut et in non paucis mss. exemplaribus in unum perperam coaluerunt.

In anterioribus editionibus unus erat sermo qui nunc a nobis in duos divisus profertur. Hujus facti rationem ut, lector, intelligas, nonnulla præmonenda sunt. In vulgatis ante Quesnellum enitionibus primo sermoni ex duobus sequentibus compacto hic titulus præfigebatur : In anniversario de die assumptionis ejus ad summi

Digitized by Google

pontificis Romani culmen et onus. *At Quesnellus, qui in prima editione eumdem titulum receperat, in secunda mutandum censuit hoc modo :* In octava consecrationis ejus. *Id longa observatione probare studuit, quam hic integram subjicimus.*

Primum hunc S. Leonis sermonem, velut in anniversario die assumptionis dictum, sub eodem quo pridem gaudebat titulo veteres editiones omnes secutus in prima mea editione reliqui, tametsi scrupulus nonnullus remorderet. Ut rem iterato examini subjicerem, in causa fuere eruditorum e societate virorum Joannis Garnerii et Danielis Papebrokii nova in eumdem sermonem cogitata. Ille pagina 33 Libri Diurni Romanorum pontificum, hæc scribit : *S. Leo in ipso suæ assumptionis die sermonem huic concioni* (quam secundæ professioni fidei Gregorii PP. II insertam dicit) *similem fecit, nisi quod fidem sermoni non perinde subjunxit. Fortasse tunc nondum usu receptum erat alteram professionem edere, quam quæ ad corpus S. Petri fiebat. Fortasse, quod magis reor, fides omissa fuit a collectore sermonum Leonis, propterea quod forma communis erat, et a symbolo apostolico Romano non diversa.* Et in appendice pag. 172, scribit vocem *anniversario* in titulum irrepsisse, quod *sermo*, inquit, *ipse docet, seque habitum in ipso assumptionis die evidenter ostendit..... Enimvero si*, inquit pag. 174, *anniversarius dies significari debeat, et non ipsemet natalis, quorsum dicitur :* Obsequium consecrati pontificis inchoari? *Quorsum mentio* reditus a longa peregrinatione? *Quorsum actio gratiarum pro electione? Quorsum præsentis temporis verbum* provehit, *si jam unum saltem annum, totum in pontificali sede transegisset?* Dictus igitur sermo, ut putat, *recurrente electionis die, ut scilicet qui electus fuerat feria* 6, *quæ dies* 29 *Martii, ordinaretur eadem feria, quæ dies* 10 *Maii.*

Socii sui opinionem Daniel Papebrokius in suo conatu ad chronologiam summorum pontificum amplexus est quoad eam partem quæ sermonem ipsi consecrationis diei assignat; ad alteram vero quæ consecrationem ipsam feria 6 celebratam indicat, vidit vir doctissimus quam immanis hallucinatio; cum ex apostolorum doctrina et institutione veram asserat Leo ipse auctoritatem consuetudinis, qua semper observatum, ut his qui consecrandi sunt sacerdotali vel levitica ordinatione, numquam benedictio nisi in die Dominicæ Resurrectionis, hoc est die Dominica, tribuatur.

Certum est mihi pariter diei anniversario assignari non posse primum istum sermonem; sed nec ipsi consecrationis diei ascribi debere, manifestum faciunt vel hæc sola Leonis verba : *Recurrente igitur per suum ordinem die, quo me Dominus episcopalis officii voluit habere principium*, etc. Principium enim episcopalis officii ordinationem esse nemo non videt; recurrentem vero per suum ordinem hujus principii seu ordinationis diem, esse alteram Dominicam quæ ordinationem proxime secuta est, seu octavam ab ordinatione diem, necesse est asserere, ut Leo cum Leone concordet. In ipsa igitur ordinationis solemnitate, seu in die octava, quæ pars et clausula illius erat, dictum puto primum hunc S. Leonis sermonem, recurrente consecrationis die *per ordinem suum*, hoc est post elapsos septem hebdomadæ dies, primo seu Dominico die per ordinem dierum redeunte. Quod profecto in alium sensum trahi non potest, si semel constet de anniversario die explicari non posse, ut revera constat ex tota sermonis ipsius serie.

Novam hanc opinionem confirmat vetus codex bibliothecæ Bodleianæ, in academia Oxoniensi, ad quem Leonis nostri sermones et epistolas plures contulerat vir doctissimus Edmundus Bernardus in eadem academia Savilianus astronomiæ professor, collectasque ex illo codice varias lectiones ad me olim miserat. Codicis antiquitatem commendat hæc inscriptio in fronte conspicua : *In nomine Dei summi incipiunt tractatus, quos a die ordinationis suæ per continuum quinquennium beatissimus papa Leo dixit ad populum.* Totus vetustatem spirat titulus iste, indicatque sermones seu *tractatus* (quæ vox Leonis ævo familiaris) descriptos fuisse ex codice pontificis istius ætate exarato. Cum enim ex ipsis sermonibus nulla indicia prodeant quibus appareat quo quisque anno dictus fuerit, oportet ut statim fere post quinquennium illud descriptum sit primum codicis istius exemplar. In eo autem codice primi sermonis titulus est, non *In anniversario*, ut in consequentium capite habetur, sed *Sermo I de ordinatione sua;* qui solus *in die ordinationis*, ut prior titulus indicat, haberi potuit, nimirum *in die recurrente*, quemadmodum dixit Leo ipse, seu in octava die.

Porro recte post expletam solemnitatem ordinationis *obsequium consecrati pontificis inchoari* dicit : nam ipse quidem ordinationis dies *principium episcopalis officii* fuit, ut disertis verbis habet Leo; at non inchoatio obsequii, seu exercitium suscepti muneris, quod tam solemnis diei, diuturnis precibus ac prolixis cæremoniis occupatæ spatia non sinebant.

Cæterum hoc semel constituto, consuetudo celebratæ octava die consecratorum pontificum solemnitatis innotescit, quam aliunde notam haberi non memini. Sed ita fieri solitum facile persuadent et annua consecrationis festa religiose celebrata, et similis consuetudo celebratæ diei octavæ consecrationis baptismalis fidelium, immo et dedicationis sacrarum basilicarum, quæ postrema etiam hodie perseverat, etsi ordinatione pontificia longe inferior sit templorum dedicatio.

Hactenus Quesnellus. Itaque diem anniversarium primo sermoni, ut editus erat, ascribi non posse vidit, eo quod, observante Garnerio, in prima sermonis parte dicatur, obsequium consecrati pontificis inchoari, *et mentio fiat* reditus a longa peregrinatione, *quæ diei anniversario nequaquam congruunt. Hinc ipse ordinationis dies admittendus videbatur. Cum autem verba*, Recurrente igitur per suum ordinem die, *etc., diei ordinationis proprio non conveniant, diem* octavæ *huic sermoni præfigendam Quesnellus putavit. Verum diei octavæ solemnitas, in qua episcoporum congregatio haberetur, ut sermonis verba exigunt, toti antiquitati ignota est. Ipso autem non tam ordinationis die quam anniversario episcoporum conventus fieri consuevisse, patet ex Paulini epist.* 16, *ad Delphinum, Xysti III epist. ad Cyrillum, et Hilari papæ, qui Leoni successit, epist. ad Ascanium. Hinc Tillemontius in notatiuncula ad artic. Leonis tom.* XV, *pag.* 417, *de duplici sermone perperam juncto suspicatus est.*

Hunc vero nodum solverunt sex codices. In tribus scilicet mss. collectionis secundæ, id est Barber. 88, *basilicæ S. Petri* 210, *et Casanatensi G*, III, 7, *nec non in lectionario Vallicellano* 26 *præfertur sermo incipiens*, Laudem Domini, *qui concluditur verbis*, testimonium præstitistis, *et cum finali quidem clausula :* Per Christum Dominum nostrum. *Codex autem Casinensis* 126 *collectionis primæ, qui num.* 75 *exhibet eumdem sermonem cum eodem fine, num.* 72, *præmiserat uti distinctum sermonem incipientem* : Honorabilem mihi, dilectissimi, hodiernum diem fecit divina dignatio, *etc., qui alibi perperam, inserta post vocem* Honorabilem *particula* igitur, *assutus fuerat primo sermoni, efficiebatque caput secundum ac tertium. In ms. etiam lectionario Vallicellano A*, 7, *eadem utriusque sermonis distinctio deprehenditur, et eodem pariter ordine : prius enim occurrit sermo* Honorabilem *pag.* 185, *dein sermo* Laudem Domini, *pag.* 189.

Ex his optime conciliantur omnia. Nam primus sermo Laudem Domini, *qui formulas exhibet diei ordinationis proprias, habitus fuit ipso natalis seu ordinationis die; et prolixior fortassis ejus diei solemnitas ton-*

Digitized by Google

giorum sermonem non patiebatur. Secundus vero sermo Honorabilem *recitatus fuit in die anniversario*, recurrente, *uti Leo ait*, per suum ordinem die, quo me Dominus episcopalis officii voluit habere principium. *Difficultas quam Garnerius obtrudit ex voce sermonis apud nos secundi* provehit, *si S. Leo unum saltem annum in pontificali sede transegisset, levis est, quæ cum unius litteræ emendatione facile tollatur scribendo* provexit, *e librariorum oscitantia potuit proficisci. Forte etiam* provexit *in nonnullis emendatioribus codicibus legebatur; sed cum hic sermo junctus fuit cum priore, qui diem ipsum ordinationis respexit, in tempus præsens traducta fuit lectio, ut cohærentia cum antecedentibus servaretur. Eadem ratione scriptum fuisse videtur*, ipse mihi tiet, *quod pontificatus initio convenit, pro* ipse est, *quod in nonnullis mss. exemplaribus custoditum, uti anniversario diei magis conveniens, restituimus. Unionem vero duorum sermonum in unum nemo miretur : nam in ipsis Leonis codicibus alia ejusdem generis exempla reperimus. Sic in mss. libris collectionum primæ et secundæ, duo sermones de jejunio decimi mensis, tertius et quartus in unum coeunt. Forte cum primus sermo visus esset brevior quam usitatæ lectiones divini officii postularent, duos simul conjungere in aliquibus lectionariis etiam antiquioribus placuit, ex quibus eadem conjunctio in plerasque collectiones manavit.*

7 SERMO PRIMUS.

[a] *De Natali ipsius S. Leonis I; habitus in die ordinationis suæ.*

Synopsis.—*S. Leo absens electus gratias pro beneficio rependit, et Ecclesiæ suæ preces sollicite postulat.*

Laudem Domini loquatur os meum (*Ps.* CXLIV, 21), et nomen sanctum ejus anima mea ac spiritus, caro et lingua benedicat. Quia non verecundæ, sed ingratæ mentis [b] indicium est, beneficia tacere divina; et satis dignum est a sacrificiis Dominicæ laudis obsequium [c] consecrati pontificis inchoare. Quia *in humilitate nostra memor fuit nostri* (*Ps.* CXXXV, 24) Dominus, et benedixit nobis : quia *fecit mihi mirabilia magna solus* (*Ibid.*, 4), ut præsentem me [d] crederet vestræ sanctitatis affectio, quem fecerat necessitas longæ peregrinationis absentem. Ago igitur Deo nostro gratias, et semper acturus sum pro omnibus quæ [e] retribuit mihi. Vestri quoque favoris arbitrium debita gratiarum actione concelebro, evidenter intelligens, [f] quantum mihi possint reverentiæ, amoris et fidei studia vestræ dilectionis impendere, animarum vestrarum salutem pastorali sollicitudine cupienti, qui tam sanctum de me, nullis admodum præcedentibus meritis, judicium protulistis. Obsecro igitur [g] per misericordias Domini, juvate votis quem desideriis expetistis, ut et Spiritus gratiæ maneat in me, et judicia vestra non fluctuent. 8 Præstet in commune nobis omnibus pacis bonum, [h] qui vobis unanimitatis studia infudit : ut omnibus diebus vitæ meæ, in omnipotentis Dei servitium, et ad vestra paratus obsequia, cum fiducia possim Dominum deprecari : *Pater sancte, conserva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi* (*Joan.* XVII, 11) : semperque proficientibus vobis ad salutem, magnificet anima mea Dominum, et in futuri retributione judicii ita mihi apud justum Judicem sacerdotii mei ratio subsistat (I *Thess.* II, 19), ut vos mihi per bona opera vestra sitis gaudium, vos corona, qui bona voluntate sincerum præsentis vitæ testimonium præstitistis. [i] Per Christum Dominum nostrum.

SERMO II.

De Natali ejusdem II; habitus in anniversario ordinationis suæ.

Synopsis. — I. *Nemini vel de justitia sua præsumendum, vel de misericordia Dei diffidendum.*—II. *Conventus episcoporum in anniversaria die consecrationis Romani pontificis, quem Petri hæredem Ecclesia tamquam Petrum suscipit.*

[i] Cap. I. — Honorabilem mihi, dilectissimi, lo-

[a] Ita inscribitur in aliquot præstantioribus codicibus, ac præsertim in antiquissimo Vaticano 3836, nec non in alio perantiquo Vat. Longobardicis, ut vocant, litteris exarato. Concinit etiam hæc inscriptio cum antiqua appellatione diei ordinationis, quem *natalitium* vocat ipse S. Leo serm. 4, c. 4, et diem *natalem* nominant similiter Xystus III, epist. 3 Cyrillum num. 3, ac epist. 2, ad Joannem Antiochenum, Paulinus Nolanus epist. 20, ad Delphinum num. 2, nec non Hilarus papa epist. 2, ad Ascanium, cap. 2. In antiquis etiam sacramentariis, ac præsertim in vetustissimo ms. Veronensi 80, quod Romanum fuit, et Leonis ævum redolet, Missa diei anniversarii consecrationis pontificum hunc titulum præfert : *In Natali episcoporum.* In posterioribus autem codd. huic et sequentibus sermonibus inscriptio est : *De ordinatione sua*, vel *De assumptione sua;* in vulgatis vero, *In anniversario die assumptionis ejus.* Titulus peculiaris legitur in mss. tertiæ collectionis, ex quibus prima editio profecta est, nimirum : *In assumptione sua ad pontificatum gratiarum actionis sermo I.* In tabula ms. Casanatensis collectionis secundæ, *sermo B. Leonis papæ in die ordinationis suæ factus.* Tandem in cod. Vallicell. A, 7, *De laudibus apostolorum;* sequens vero sermo, *De Natali S. Petri apostoli.*

[b] Codex Vaticanus Longobard., *vitium.*

[c] Alias *consecrationis.* Post pauca duo codd. Vallicelli omittunt *mihi* ante vocem *mirabilia.*

[d] Editi cum aliquot codd. habebant *cerneret.* Substituimus *crederet* ex aliis mss., ac præcipue ex Vat. Longobard., nec non ex antiquissimo Vat. 3836, cum hæc lectio congruentior visa sit. Mox quidam codd. pro *fecerat* habent *fecit.*

[e] Sic plerique et vetustissimi Romani codices. Editi, *tribuit.*

[f] Prima editio : *Quantum mihi profuit et reverentiæ amoris et fidei studia vestræ dilectioni impendere.* Idem habetur in Vat. Longobard., ubi solum loco verbi *profuit* legitur *possent.*

[g] Alias, *per misericordiam.*

[h] Erat in editis : *Qui nobis unanimitatis studia infudit.* At Vat. 3836, *unanimitatis* vocem postponit voci *studia*, syntaxi plane Leonina. *Vobis* autem emendavimus non tam ex prima editione, quam ex codice Longobardico ac tribus aliis Vaticanis, eo quod eligentium unanimitatem Leo indicare videatur. In his tamen codd. habetur etiam *vobis* in anteriori membro : *Præstet in commune vobis omnibus pacis bonum;* ubi pacem tum sibi tum auditoribus communem Leonem præcari arbitramur. Idem mss. cum prima editione *humanitatis* pro *unanimitatis* præferunt. Lectionem nostram confirmat cod. Vallicel. 26.

[i] Hanc clausulam ex illis codicibus adjecimus, qui sermonem hoc loco finiunt, ut in præmissa admonitione diximus.

[j] Jungebatur hic sermo, inserta hoc loco particula *igitur*, cum sermone antecedenti. Cur separavimus, in admonitione, quam antecedenti sermoni præfi-

Digitized by Google

diernum diem fecit divina dignatio : quæ dum humilitatem meam in summum gradum [a] provexit, quod neminem suorum sperneret, demonstravit. Unde etsi necessarium est trepidare de merito, religiosum est tamen gaudere de dono : quoniam 9 qui mihi [b] oneris est auctor, ipse est administrationis adjutor; et ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. Recurrente igitur per suum ordinem die quo me Dominus [c] episcopalis officii voluit habere principium, vera mihi in gloriam Dei causa est lætandi : qui mihi, ut multum a me diligeretur, multa dimisit; et ut mirabilem faceret gratiam suam, in eum munera sua contulit, in quo meritorum suffragia non invenit. Quo opere suo Dominus, quid cordibus nostris insinuat, quid ve commendat, nisi ut de justitia sua nemo præsumat, et de ipsius misericordia nemo diffidat, quæ tunc [d] evidentius præeminet, quando peccator sanctificatur, et abjectus erigitur. Neque enim de qualitate nostrorum operum pendet cœlestium mensura donorum : aut in isto sæculo, in quo *tota vita tentatio est* (*Job.* VII, 1), hoc unicuique retribuitur, quod meretur : ubi si iniquitates Dominus observaret, nullus judicium [e] ipsius sustineret.

CAP. II. — *Magnificate* ergo, dilectissimi, *Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in invicem* (*Ps.* XXXIII, 4), ut tota ratio celebritatis hodiernæ ad laudem sui referatur auctoris. Nam quod proprie ad affectum animi mei pertinet, confiteor me plurimum de omnium vestrum devotione gaudere. Cumque hanc venerabilium consacerdotum meorum splendidissimam [f] frequentiam video, angelicum nobis in tot sanctis sentio interesse conventum. Nec dubito nos abundantiore hodie divinæ præsentiæ gratia visitari, quando simul adsunt, et uno lumine micant tot speciosissima tabernacula Dei, tot membra excellentissima corporis Christi. Nec abest, ut confido, ab hoc cœtu etiam beatissimi apostoli Petri pia dignatio et fida dilectio; nec vestrum devotionem ille deseruit, cujus [g] vos reverentia congregavit. De vestro itaque et ipse gaudet affectu, et in consortibus honoris sui observantiam Dominicæ institutionis amplectitur, probans ordinatissimam totius Ecclesiæ charitatem quæ in 10 Petri sede Petrum suscipit, et a tanti amore pastoris nec in persona tam imparis tepescit hæredis. Ut ergo hæc pietas, dilectissimi, quam erga humilitatem meam unanimiter exhibetis, fructum sui studii consequatur, [h] misericordissimam Dei nostri clementiam supplices obsecrate, ut in diebus nostris expugnet impugnantes nos, muniat fidem [i] nostram, augeat dilectionem, augeat pacem, meque servulum suum, quem ad ostendendas divitias gratiæ suæ gubernaculis Ecclesiæ voluit præsidere, sufficientem tanto operi, et utilem vestræ ædificationi dignetur efficere, et ad hoc tempora nostræ servitutis extendere, ut proficiat devotioni, quod fuerit largitus ætati, per Christum Dominum nostrum. Amen.

SERMO III [*Al.* II].

De Natali ipsius III ; habitus in anniversario die assumptionis ejusdem ad summi pontificii munus.

SYNOPSIS. — I. *Ad Deum referendus honor sacerdotii. Hujus figura in Melchisedech præcessit; utriusque discrimen.* — II. *Quam impar tanto oneri humana infirmitas. Christus Ecclesiam semper regit. Soliditas fidei Petri permanet.* — III. *Petri elogia, qui Ecclesiæ curam etiam nunc non deserit. Quo sensu petra et fundamentum.* — IV. *Petrus in successoribus honorandus : Primas omnium episcoporum. Profectus gregis, laus pastoris.*

CAP. I. — Quoties nobis misericordia Dei donorum suorum dies renovare dignatur, justa, dilectissimi, et rationabilis causa est lætandi, si officii origo suscepti ad laudem sui referatur auctoris. Hanc enim observantiam omnibus quidem sacerdotibus congruam, sed mihi necessariam maxime esse cognosco, [k] qui respiciens ad exiguitatis 11 meæ tenuitatem, et ad suscepti muneris magnitudinem, etiam ego illud propheticum debeo proclamare : *Domine, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua, et expavi.* Quid

ximus, dictum est. Mox pro *fecit* prima editio habet *facit*.

[a] Legebatur *provehit*. Emendationem unius litteræ mutatione necessariam, ut in admonitione ostendimus, nulli licet codices suffragentur, facere vel inviti debuimus.

[b] Sic antiquissimus Vat. 3836, et unus Vat. collect. 5. Lectionarium Vallicell. A 7, ms. Casin., *honoris auctor, ipse est.* Quesnellus, *oneris est auctor, ipse mihi fiet* ; in margine autem pro lectione *oneris* laudat cod. Reg., et Victor. notat vero in codice Regio legi, *ipse est*, pro *ipse mihi fiet*. Cæteri editi eamdem Quesnelli lectionem, exhibent, excepto *honoris* loco *oneris*.

[c] Cod. Vat. Longobard., *episcopatus*. Dein Massonus in Leonis Vita legit *principatum* pro *principium*, quod in nullis non solum editionibus, sed nostris etiam codicibus reperimus.

[d] Vat. 3836, *evidenter prominet*. Post pauca, *meritorum nostrorum*, pro *nostrorum operum* in cod. Vallicell.

[e] Sic ex Lectionario Vallicell. et ex ms. Longobard. alioque Vat. Al., *suum*.

[f] Codd. Reg. et Vict. Quesnelli, atque unus ex nostris Vat., *frequentationem*. Hoc porro loco Quesnellus et in synopsi hujus capitis, et in postilla ad marginem editionis secundæ notaverat, *episcoporum conventus in octava consecrationis Romani pontificis* propterea quod sermonem hunc in eadem octava habitum crederet. Sed et hunc sermonem, et conventum episcoporum in anniversario consecrationis die habitos, in admonitione ostendimus. Mox *esse* pro *interesse* in cod. Vallicell.

[g] Ita correximus ex mss. antiquissimo Vatic., Vallicell. et duobus aliis Vat., cum antea minus congrue in plerisque editis legeretur *nos*. Paulo post cod. Longobard., *in consortiis*, pro *in consortibus*.

[h] Prima editio, *misericordem*. Cod. Vallicell., *Domini nostri*. Mox *exorate*, pro *obsecrate* in tribus Vaticanis.

[i] Ita præstantiores codd. Vat. 3836, et Longobardicus, cum legeretur in editis : *Muniat fidem vestram, multiplicet devotionem ac dilectionem, augeat pacem*. Codd. Vallicell. et Casin. ac Vat. 541, collect. 4, nostram lectionem præferunt, hac una exceptione, *multiplicet dilectionem*.

[j] Ita omnes nostri novem codices et duo Quesnelli Regius et Gaudivall. Editi, *defensioni*.

[k] Al., *quoniam*. QUESN. — Ita etiam tres nostri codices Vaticani.

Digitized by Google

enim [a] tam insolitum, tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti? Et tamen non desperamus neque deficimus, quia non de nobis, sed de illo præsumimus, qui operatur in nobis. Unde et Davidicum psalmum, dilectissimi, non ad nostram elationem, sed ad Christi Domini gloriam consona voce cantavimus. Ipse est enim de quo prophetice [b] scriptum est: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Hebr.* VII, 11): hoc est, *non secundum ordinem Aaron*, cujus sacerdotium per propaginem sui seminis currens, temporalis ministerii fuit, et cum veteris Testamenti lege cessavit; sed *secundum ordinem Melchisedech*, in quo æterni Pontificis forma præcessit. Et dum quibus parentibus sit editus non refertur, in eo ille intelligitur ostendi, cujus generatio non potest enarrari. Denique cum hujus divini sacerdotii sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem [c] curritur, nec quod caro et sanguis creavit, eligitur; sed cessante privilegio patrum, et familiarum ordine prætermisso, eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus preparavit; ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas sacerdotalis atque regalis est, non prærogativa terrenæ originis [d] obtineat unctionem, sed dignatio cœlestis gratiæ dignat antistitem.

Cap. II. — Quamvis ergo, dilectissimi, nos ad explendam nostri officii servitutem, et infirmi inveniamur et segnes, dum si quid devote et strenue agere cupimus, ipsius nostræ conditionis fragilitate tardamur; habentes tamen incessabilem propitiationem omnipotentis et perpetui Sacerdotis, qui similis nostri, æqualis Patri, divinitatem usque ad humana submisit, humanitatem usque ad divina provexit, digne et pie de ipsius constitutione gaudemus: quoniam etsi multis pastoribus curam suarum ovium delegavit, **12** ipse tamen dilecti gregis custodiam non reliquit. De cujus principali æternoque præsidio, etiam [e] apostolicæ opis munimen accepimus, quod utique ab opere suo non vacat: et firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiæ superstruitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lacessit [F. *leg.* lassescit]. Soliditas enim illius fidei, quæ in apostolorum principe est laudata, [f] perpetua est; et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit. Cum enim, sicut evangelica lectione reseratum est, interrogasset Dominus discipulos, quem ipsum, multis diversa opinantibus, crederent, respondissetque beatus [g] Petrus, dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi:* Dominus ait: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et* [h] *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 16-19).

Cap. III. — Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine [i] petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris est ordinatus, ut dum Petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni cœlorum janitor constituitur, dum ligandorum solvendorumque arbiter, mansura etiam in cœlis [j] judiciorum suorum definitione, præficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum ejus mysteria nosceremus. Qui nunc plenius et potentius ea quæ sibi commissa sunt peragit, et omnes partes officiorum atque curarum in ipso et cum ipso, per quem est glorificatus, exsequitur. Si quid itaque a nobis recte agitur, recteque [k] discernitur, si quid a misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum atque meritorum, cujus in sede sua vivit potestas, et excellit auctoritas. Hoc enim obtinuit, dilectissimi, illa confessio, quæ a **13** Deo Patre apostolico inspirata cordi, omnia humanarum opinionum incerta transcendit, et firmitatem petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur, accepit. In universa namque Ecclesia, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, quotidie Petrus dicit, et omnis lingua, quæ confitetur Dominum, magisterio hujus vocis imbuitur. Hæc fides diabolum vincit, et captivorum ejus vincula dissolvit. Hæc erutos mundo inserit cœlo, et portæ inferi adversus eam prævalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam

[a] Codd. Bodleian. et Gaudiival. ad marginem, *sollicitum*. Quesn. — Ita quoque antiquissimus Vat. 3836.

[b] Duo mss. Vatt., *dictum est*.

[c] Alias, *currit*. Quesn.

[d] Manifestum est, ni fallor, ex hoc loco materialem episcoporum unctionem jam tum in usu fuisse in ordinatione episcopali, apud Romanam saltem Ecclesiam. Siquidem apud Leonem idem est *obtinere unctionem* ac fieri episcopum; quod de sola spiritali unctione si intelligeretur, valde ambiguum esset. Est et in sermone sequenti, cap. 1, non absimilis mentio, magis tamen obscura, materialis unctionis. Vide etiam serm. 8 de Passione Dom. cap. 7: *Nunc*, inquit, *et ordo clarior levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacratior est unctio sacerdotum*. Ad exteriorem etiam sacerdotum unctionem manifeste alludit in subsequenti sermone, cum de spiritali omnium baptizatorum seu fidelium unctione sermonem facit c. 1: *Omnes in Christo regeneratos sancti Spiritus unctio consecrat sacerdotes*. Et infra: *Effuso benedictionis unguento*, etc. Quesnellus.

[e] Editi ante Quesnellum, *apostolici operis*. Ille prætulit lectionem codd. Vict. et Gaudiival. Quibus quatuor nostri Vatt. suffragantur. Porro *accipimus* pro *accepimus* est in antiquissimo Vaticano.

[f] Idem cod. Vat., *perpetuat*. Quesnelli annotationem huic loco subjectam, in observationes quæ post Sermones edentur, rejecimus; ibique Leonis sententiam explicabimus.

[g] Duo mss. Vatt. addunt, *apostolus*.

[h] Ms. Vatt. 3836, *quæcumque ligaveris..... erunt ligata. Et quæcumque solveris..... erunt soluta*. Similis lectio occurrit etiam in sermone sequenti c. 3.

[i] In eodem cod. et in alio Vat. vox *petræ* deest. Post pauca iidem mss., *non relinquit*.

[j] Vetustissimus cod. Vat., *judiciorum definitione præfinitur*; alius Vat., *perficitur*.

[k] Idem antiquissimus codex, *decernitur*, et forte melius.

Digitized by Google

neque hæretica unquam [a] corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia.

Cap. IV. — His [b] itaque modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas, ut in persona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo et omnium pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, et [c] cujus dignitas etiam in indigno hærede non deficit. Unde venerabilium quoque fratrum et consacerdotum meorum desiderata mihi et honoranda præsentia hinc sacratior est atque devotior, si pietatem hujus officii in quo adesse dignati sunt, ei principaliter [d] deferunt, quem non solum hujus sedis præsulem, sed et omnium episcoporum noverunt esse primatem. Cum ergo cohortationes nostras auribus vestræ sanctitatis adhibemus, ipsum vobis, cujus [e] vice fungimur, loqui credite : quia et illius vos affectu monemus, et non aliud vobis, quam quod docuit, prædicamus : obsecrantes, ut succincti lumbos mentis vestræ castam et sobriam vitam in timore Dei ducatis, nec concupiscentiis carnis mens principatus sui oblita, consentiat. Brevia et caduca sunt terrenarum gaudia voluptatum, quæ ad æternitatem vocatos, [f] a semitis vitæ conantur avertere. Fidelis ergo et religiosus animus, ea quæ sunt cœlestia, concupiscat, et divinarum promissionum avidus, in amorem se incorruptibilis boni, et in spem veræ lucis attollat. Certi autem estote, dilectissimi, quod labor vester, quo vitiis resistitis, et carnalibus desideriis repugnatis, placens in conspectu Dei est atque
14 pretiosus, nec solum vobis, sed etiam mihi apud Dei misericordiam profuturus : quia de profectu [g] Dominici gregis gloriatur cura pastoris. *Corona enim mea*, sicut Apostolus ait, *et gaudium vos estis* (1 *Thess.* II, 19); si fides vestra, quæ ab initio Evangelii in universo mundo prædicata est (*Rom.* I, 8), in dilectione et sanctitate permanserit. Nam licet omnem Ecclesiam, quæ in toto est orbe terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus, vos tamen præcipue inter cæteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa apostolicæ petræ arce fundatos, et Dominus noster Jesus Christus cum omnibus redemit, et beatus apostolus Petrus præ omnibus erudivit. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

SERMO IV [*Al.* III].

[h] *De Natali ipsius IV; in anniversario die ejusdem assumptionis.*

Synopsis. — I. *Festivitatem hanc omnibus esse communem Christianis, qui et reges sunt et sacerdotes.* — II. *Quanta Petro præ cæteris sint collata : Ecclesiam in Petro, et in ejus fide fundatam.* — III. *Transivit in alios apostolos potestas clavium, quas Petrus accepit. Speciale privilegium Petri, cujus specialis cura a Domino suscipitur, et pro fide cujus proprie Christus oravit, ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur.* — IV. *Petri precibus et sollicitudini deberi quidquid boni a successoribus ejus agitur.*

Cap. I. — Gaudeo, dilectissimi, de religioso vestræ devotionis affectu, et Deo gratias ago, quod in vobis pietatem Christianæ unitatis agnosco. Sicut enim ipsa frequentia vestra testatur, intelligitis hujus diei recursum ad communem lætitiam pertinere, et honorem celebrari totius gregis per annua festa pastoris. Nam licet universa Ecclesia Dei distinctis ordinata sit gradibus, ut **15** ex diversis membris sacrati corporis subsistat integritas; *omnes* tamen, [i] sicut ait Apostolus, *in Christo unum sumus* (1 *Cor.* XII, 13); nec quisquam ab alterius ita est divisus officio, ut non ad connexionem pertineat capitis cujuslibet humilitas portionis. [j] In unitate igitur fidei atque baptismatis, indiscreta nobis societas, dilectissimi, et generalis est dignitas, secundum illud beatissimi Petri apostoli [k] sacratissima voce dicentis : *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini in domos spiritales, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum;* et infra : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (1 *Petr.* II,

[a] *Perrumpere* edidit Quesnellus, tametsi notarit editos codices et Gaudiival. habere *corrumpere*. Nos editorum lectionem restituimus, quippe quam antiquiores mss. approbant.

[b] Duo Vatt., *igitur* pro *itaque*.

[c] Ita restituimus ex vetustissimo Vaticano, cum alias editum esset, *cujus etiam dignitas in indigno*. In prima editione et in aliquot codd. deest *etiam*.

[d] Vat. 544, *referunt*, et forte melius, cum significetur honorem pontificibus delatum ad Petrum referri.

[e] *Vicem* alicujus gerere, et *vicarii* antiqua locutione dicuntur etiam successores, qui non minori quam præcessor dignitate et potestate funguntur, ut pluribus antiquis testibus demonstrare possemus. Romani autem pontifices speciali modo dicti sunt fungi vice, aut vicarii Petri, ut intelligantur non suimet propriam obtinuisse, sed eamdem accepisse, in omnes successores transfusam, dignitatem ac auctoritatem Petri, *cujus*, ut ait Leo hoc ipso in sermone c. 3, *in sua sede*, id est, in successoribus, *vivit potestas, et excellit auctoritas;* et cap. 4, *cujus dignitas etiam in indigno hærede non deficit*. Hæc notare libuit ob postillam quam hoc loco Quesnellus posuerat : *Primatus Petri, cujus Romani pontifices vicarii sunt.*

[f] Vat. 3836, *a cœlesti vita conantur avertere.*

[g] Vict. cod. delet *Dominici*. Quesn.

[h] In ms. 39 Casinensi, qui post alia aliorum Patrum Opera, duos tantum sermones S. Leonis continet, pag. 588, hic sermo profertur cum titulo : *Incipit sermo de Cathedra S. Petri apostoli, quæ celebratur* VIII *kal. Martii;* uti sane tertii nocturni lectiones, quæ hac die in Romano Breviario vel hodie leguntur, ex hoc sermone sumptæ sunt. In tabula autem Casanatensis ms. inscribitur : *In natalitio B. Petri apostoli.*

[i] Verba, *sicut ait Apostolus*, a Quesnello omissa, ex omnibus nostris codicibus et anterioribus editionibus revocavimus. Tres codd. Vatt. et editi ante Quesnellum habent : *Nos tamen omnes, sicut ait Apostolus, in Christo Jesu unum sumus.*

[j] Vat. 3836, *In unitatem.*

[k] Ita omnes editiones, et codices nostri, inter quos antiquissimus Vaticanus, et laudatus Casinensis, qui duo solum pro *secundum illud* habent *secundum Evangelium*. Quesnellus vero expunctis vocibus *sacratissima voce dicentis*, unius codicis, quem non designat, auctoritate alia substituens, hunc locum sic expressit : *Secundum illud beatissimi Petri apostoli, cui iste sermo debet famulari : Et ipsi tamquam lapides*, etc.

Digitized by Google

5, 9). Omnes enim in Christo regeneratos, crucis signum efficit reges, sancti [a] vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes : ut præter istum specialem nostri ministerii servitutem, universi spirituales [b] et rationabiles Christiani agnoscant se regii generis, et sacerdotalis officii esse consortes. Quid enim tam regium quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale quam vovere Domino conscientiam puram, et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre? Quod cum omnibus per Dei gratiam commune sit factum, religiosum tamen [c] vobis atque laudabile est, de die provectionis nostræ quasi de proprio honore gaudere; [d] ut unum celebretur in toto Ecclesiæ corpore pontificii sacramentum, quod, effuso benedictionis unguento, copiosius quidem in superiora profluxit, sed non paree etiam in inferiora descendit.

Cap. II. — Cum itaque, dilectissimi, de consortio fetius muneris magna sit nobis materia communium 16 gaudiorum, verior tamen nobis et excellentior erit causa lætandi, si non in nostræ humilitatis consideratione remoremini; cum multo utilius multoque sit dignius ad beatissimi Petri apostoli gloriam contemplandam aciem mentis attollere, et hunc diem in filius potissimum veneratione celebrare, qui ab ipso omnium charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine [e] ipsius participatione transierit. [f] Verbum caro factum jam habitabat in nobis (*Joan.* I, 14), et reparando humano generi totum se Christus impenderat. Nihil indispositum sapientiæ, nihil erat arduum potestati. Famulabantur elementa, [g] ministrabant spiritus, angeli serviebant, nec ullo modo poterat inefficax esse sacramentum, quod simul ipsius Deitatis unitas operabatur et Trinitas. Et tamen de toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur : ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint [h] multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio; et si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit. Omnes denique apostolos Dominus quid de se homines opinentur interrogat; et tamdiu sermo respondentium communis est, quamdiu [i] humanæ ignorantiæ ambiguitas explicatur. At ubi quid habeat sensus discipulorum exigitur, primus est in Domini confessione, qui primus [j] est 17 in apostolica dignitate. Qui cum dixisset : *Tu es Christus Filius Dei vivi*, respondit ei Jesus : *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est* (*Matth.* XVI, 16, 17); id est, ideo beatus es, [k] quia te Pater meus docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cœlestis instruxit : et non caro nec sanguis, sed ille me tibi, cujus sum unigenitus Filius, indicavit. *Et ego*, inquit, *dico tibi :* hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam : *Quia tu es Petrus :* id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego *lapis angularis, qui facio utraque unum*, ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere (*Ephes.* II, 14 *et* 20); tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI, 18). Super hanc, inquit, fortitudinem æternum exstruam templum, et Ecclesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget.

Cap. III. — Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt : vox enim ista, vox vitæ est. Et sicut confessores suos in cœlestia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter

[a] Particula *vero* deest in antiquissimo Vaticano, et in Casinensi, qui postremus pro *consecrat* habet *efficit*. Post pauca in Vat. laudato deest *nostri*.

[b] Sic tres præstantiores nostri codices et prima editio. Reliqui vulgati ante Quesnellum, et alii mss. cum cod. Gaudival., *et rationabiles :* quas voces Quesnellus expunxit, et margini apposuit.

[c] Ita tres mss. Vaticani et unus Bononiensis cum prima editione; et sane melius, cum S. Leo auditores laudet, qui de provectione seu ordinatione sua tamquam de proprio honore gaudebant. In cæteris editis et in nonnullis codd., *nobis;* in aliquibus mss. deest *tamen*.

[d] Vetustissimus Vaticanus omittit sequentia usque ad finem capitis. Paulo post *de effuso* in ms. Casinensi.

[e] Prætulimus lectionem præstantiorem codicum Vatt. et Cas. Aliqui mss. collectionis quartæ cum editis pro *ipsius* habent, *illius;* alii, *ejus*.

[f] Erat in editis : *Verbum enim caro factum fuerat, et habitabat jam in nobis, ut reparando humano generi totum se Christus impenderet*. Magis placuit lectio vetustissimi Vaticani et Casinensis, quam etiam confirmant mss. collectionum quartæ et quintæ quoad postremam partem *et reparando,.... impenderat*.

[g] Ita omnes editi et codices, excepto Casinensi, qui pro *ministrabant* habet *adorabant*. Quesnellus notavit sic legi non solum in editis, sed etiam in mss. Gaudival. At quo fultus codice hanc lectionem excluserit, et in textu ediderit : *Famulabantur elementa, spiritus angelici serviebant*, non docuit.

[h] Quesnellus expunxit voces, *multique pastores*, quæ legebantur in editis, quatuor mss. allegans, qui his verbis carent. Nos vero non tam editorum omnium quam Romanorum et præstantiorum Italiæ codicum auctoritate eas voces revocavimus.

[i] Ita Vaticanus antiquissimus et Casinensis. Alii Vaticani cum editis *intelligentiæ* pro *ignorantiæ;* sed *explicatur* constanter exhibent. Quesnellus ex quatuor mss. edidit, *humanæ intelligentiæ ambiguitas perstitit;* et notavit in Gaudival. æque ac in editis legi, *explicatur*. Si *ignorantiæ* pro *intelligentiæ* reperisset in antiquis codicibus, lectionem nostram facile antetulisset.

[j] Quesnellus cum mss. collectionis quintæ, *erat*. Ex cæteris pluribus et præstantioribus mss. libris *est* restituimus, quod retinetur etiam in sermone 83, cap. 1, cui hic locus ab ipso Leone insertus fuit.

[k] Secuti sumus præstantissimos codices Vat. et Casin. Vulgati cum aliquot mss. habebant, *quia Pater meus te docuit..... sed inspiratio cœlestis te instruxit; et non caro et sanguis*, etc.

Digitized by Google

quod dicitur beatissimo Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis; et quæcumque* **18** *solveris super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI 19). Transivit quidem etiam in alios apostolos [a] jus potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra uni [b] commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma [c] præponitur. [d] Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium. Nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut solverit aut ligaverit. Instante autem passione sua, Dominus, quæ discipulorum erat turbatura constantiam, • *Simon*, inquit, *Simon, ecce Satanas expostulavit vos, ut* [f] *cerneret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos,* [g] *ut non intretis in tentationem* (*Luc.* XXII, 31, 32). Commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur.

CAP. IV. — Cum itaque, dilectissimi, tantum nobis **19** videamus præsidium divinitus institutum, rationabiliter et juste in ducis nostri meritis et dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno Regi Redemptori nostro Domino Jesu Christo, [h] quod tantam potentiam dedit ei quem totius Ecclesiæ principem fecit, [i] ut si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur, recteque disponitur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: *Et tu conversus confirma fratres tuos;* et cui post resurrectionem suam Dominus [j] ad trinam æterni amoris professionem, mystica insinuatione ter dixit: *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17). Quod nunc quoque proculdubio facit, et mandatum Domini pius pastor exsequitur, confirmans nos cohortationibus suis, et pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione superemur. Si autem hanc pietatis suæ curam omni populo Dei, sicut credendum est, ubique prætendit, quanto magis nobis alumnis suis opem suam [k] dignabitur impendere, apud quos in sacro beatæ dormitionis toro eadem qua præsedit carne requiescit? Illi ergo hunc servitutis nostræ natalitium diem, illi ascribamus hoc festum, cujus patrocinio sedis ipsius [l] meruimus esse consortes, auxiliante nobis per omnia gratia Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat cum Deo Patre, et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[a] « Ita mss. codd. Hincmarus Remensis opusc. 55, adversus Hincmarum Laudun. c. 20, et in ep. Caroli Calvi nomine ad Adrianum PP. opusc. 43. Et in ep. ad Joannem VIII PP. nomine Caroli II imp. et cardin. Jacobatius in tract. de Concilio. In editis legitur *vis*. » Hactenus Quesnellus. *Jus* habent etiam Romani codices et Casinensis, quos contulimus. Facile autem fuit legere *vis* pro *jus*. In serm. 83, c. 2, quod hinc sumptum fuit, *jus* pariter legitur.

[b] Vat. 544, *commendavit*.

[c] Cod. Casinensis, *proponitur*.

[d] Prolixam annotationem Quesnelli huic loco subnexam, in observationibus post Sermones subjiciendis dabimus; eamque ad calculos revocantes, genuinam S. pontificis sententiam ex contextu exponemus. Post pauca pro *fertur* in antiquissimo Vat. legitur *refertur*.

[e] Sic prima editio, et codd. Casinenses 39 et 126, Concinit lectio serm. 83, c. 3. Quesnelli et Rainaldi editiones: *Simoni inquit: Simon, ecce*, etc.

[f] Ita cum mss. codd. legit Hincmarus opusc. 33, hunc locum referens. In editis, *cribraret*. QUESN. — Prima tamen editio habet, *cerneret*, et similiter tres mss. Vaticani ac duo Casinenses, qui solum habent *velut* pro *sicut*. Codices collectionis 4 habent *cribraret*, et ita etiam legitur in serm. 83, c. 3. Paulo post in editis et aliquot inferioris notæ codd., *ut non deficiat*. Prætulimus præstantiores mss. Vat. 3836, et duos Casinenses, cum quibus congruit lectio serm. 83, cap. 3, in alio vetustissimo Vaticano 3835, et in Casinensi. Tres priores mss. mox omittunt *aliquando;* non tamen delevimus, quia in alio sermone 83 hoc adverbium ex optimis codicibus retinetur.

[g] In sermone 83, c. 3, *ne intretis in tentationem*. Hæc autem verba apud Lucam XXII, 32, in Græco et Latino vulgato textu desunt; et solum post aliquanto leguntur v. 40. Olim vero lecta fuisse uno contextu etiam v. 32, non tantum liquet ex hoc Leonis loco, nec non etiam ex alio simili sermone 83, verum etiam ex auctore librorum de Vocatione omnium gentium lib. I, c. 24, et lib. II, c. 28, et ex Prospero in epist. ad Rufinum c. 10, qui tamen duo scriptores ante verba *ne intretis*, præmittunt, *et rogate*, vel, *et roga*. Enimvero in quatuor antiquissimis mss. Evangeliorum libris Vercellensi, Veronensi, Corbeiensi, et Vindebonensi a nostro P. Josepho Blanchinio nuperrime editis, qui priscam lectionem referunt, hæc additio pariter legitur: *Et rogate ne intretis in tentationem*. Hinc in Leonis textu adjicienda videntur hæc verba, *et rogate*, quæ tamen sine ullius Leoninæ editionis aut codicis auctoritate noluimus inserere. Immo eum non uno tantum in sermone, sed in duobus hæc verba constanter absint in omnibus editionibus omnibusque codicibus quos contulimus, ac præsertim in duobus antiquissimis Vaticanis ac certo Romanis unciali characiere exaratis, quorum unus hunc, alius alterum sermonem exhibet, Leonem sine iis verbis hunc evangelicum locum in suis libris legisse probabilissimum credimus.

[h] Ita Vat. et Casinens. mss. Similiter habetur serm. 83, c. 4, in quem S. Leo hæc traduxit. Al., *qui*.

[i] Ita omnes editi et codices quos vidimus. Nescimus autem qua auctoritate Quesnellus post verbum *fecit*, posito puncto et omissa particula *ut*, scripserit: *Si quid etiam nostris temporibus... illius est operibus deputandum;* nisi quia forte aliqui codices habent *est* pro *sit*, licet habeant, *ut si quid*.

[j] Al., *trini*. Mss. duo Quesnelli.

[k] Quatuor codices et editi ante Quesnellum, *dignatur*.

[l] Ms. Casin. 39, *meruimus habere consortem*.

Digitized by Google

SERMO V [*Al.* IV].

[a] *De Natali ipsius V, in anniversario assumptionis suæ ad pontificatum.*

Synopsis. — I. *Omnia in Deum esse referenda.* — II. *Quo quisque altiorem in Ecclesia tenet locum, eo magis illi timendum esse.* — III. *Christum verum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, et suæ semper adesse Ecclesiæ.* — IV. *Petrum Romanæ sedis semper curam gerere.* — V. *Illi potissimum honorem esse impendendum, cujus sedi successores ejus serviunt.*

Cap. I. — Sicut honor est filiorum, dilectissimi, dignitas patrum, ita lætitia est plebis, **20** gaudium sacerdotis. Quod quia ex divino venit munere: *omne enim*, sicut scriptum est, *datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17): gratias agere bonorum omnium debemus auctori, quoniam sive in naturalibus incrementis, sive in moralibus institutis, *ipse fecit nos, et non ipsi nos* (*Psal.* XCIX, 3); cumque hoc pie et fideliter confitemur, neque in nobis, sed in Domino gloriamur, fructuose in nobis renovantur vota cum tempore, et religiosa festa justa sunt gaudia, in quibus nec ingrati sumus tacendo de donis, nec superbi præsumendo de meritis. Omnem igitur, dilectissimi, causam et rationem solemnitatis hodiernæ ad originem suam caputque feramus; et illum debita gratiarum actione laudemus, in cujus manu et gradus officiorum, et momenta sunt temporum. Nam si ad nos et ad nostra respicimus, vix aliquid reperimus unde merito gaudeamus. Mortali etenim carne circumdati, et fragilitati corruptionis obnoxii, numquam ita liberi sumus, ut non aliqua impugnatione pulsemur; nec tam felix capitur in hoc agone victoria, ut non etiam post triumphos surgant rediviva certamina. Unde nemo tam perfectus est pontifex, tam immaculatus antistes, qui placationis hostias pro populi tantum delictis, non etiam pro suis debeat offerre peccatis.

Cap. II. — Quæ conditio si omnes sacerdotes generaliter tenet, quanto magis nos et onerat et obstringit; quibus ipsa suscepti operis magnitudo creberrima est offensionis occasio. Quamvis enim singuli quique pastores speciali sollicitudine gregibus suis præsint, sciantque se pro commissis sibi ovibus reddituros esse rationem, nobis tamen cum omnibus cura communis est; neque cujusquam administratio, non nostri laboris est portio: ut dum ad beati apostoli Petri sedem ex toto orbe concurritur, et illa universalis Ecclesiæ a Domino eidem commendata dilectio etiam ex nostra dispensatione deposcitur; tanto amplius nobis instare oneris sentiamus, quanto cunctis majora debemus. In hac ergo materia trepidationis, quæ nobis esset dependendæ fiducia servitutis, nisi non dormitaret, neque obdormiret qui custodit Israel, et qui discipulis suis ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20): nisi dignaretur **21** non solum custos ovium, sed ipsorum etiam pastor esse pastorum; qui corporeo quidem intuitu non videtur, sed spiritali corde sentitur; absens carne, qua potuit esse conspicuus; præsens deitate, qua ubique semper est totus. Quia enim *justus ex fide vivit* (*Habac.* II, 4), et hæc est justitia credentis, ut recipiat animo quod non cernit aspectu; *ascendens Dominus in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ps.* LXVII, 19), fidem scilicet, et spem, et charitatem, quæ inde magna sunt, inde fortia, inde pretiosa, quia quod carnis oculis non attingitur, id miro mentis affectu et creditur, et speratur, et amatur.

Cap. III. — Adest igitur, dilectissimi, quod non temere, sed fideliter confitemur, in medio credentium Dominus Jesus Christus: et quamvis ad dexteram Dei Patris sedeat, *donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum* (*Ps.* CIX, 3), non deest tamen Pontifex summus a suorum congregatione pontificum, meritoque illi totius Ecclesiæ et omnium sacerdotum ore cantatur: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Ibid.* 6). Ipse enim verus et æternus est Antistes, cujus administratio nec commutationem potest habere, nec finem. Ipse est cujus formam Melchisedech pontifex præferebat, non Judaicas hostias offerens Deo, sed illius sacramenti immolans sacrificium, quod Redemptor noster in suo corpore et sanguine consecravit. Ipse est cujus sacerdotium Pater *non secundum ordinem Aaron* cum legis tempore transiturum, sed *secundum ordinem Melchisedech* perenniter celebrandum cum firmamento insolubilis jurationis instituit. Nam quia jusjurandum inter homines iis definitionibus adhibetur, quæ perpetuis pactionibus sanciuntur, divini quoque juramenti testificatio in his invenitur promissis, quæ incommutabilibus sunt fixa decretis: et quia pœnitentia mutationem indicat voluntatis, in eo Deus non pœnitet, in quo secundum æternum placitum non potest aliud velle quam voluit.

Cap. IV. — Non est itaque nobis, dilectissimi, præsumptuosa festivitas, qua suscepti sacerdotii diem divini muneris memores honoramus; **22** quandoquidem pie et veraciter confitemur, quod opus ministerii nostri in omnibus quæ recte agimus, Christus exsequitur; et non in nobis, qui sine illo nihil possumus, sed in ipso, qui possibilitas nostra est, gloriamur. Subjungit autem se ad rationem solemnitatis

[a] Hic sermo ante annos aliquot editus ex ms. codice Nicolai Fabri, qui postea D. Thuani fuit, nunc in Colbertina bibliotheca servatur. Sic Quesnellus. Antelmius vero diss. 6, *de veris Operibus SS. Leonis, et Prosperi*, num. 4, pag. 348, monuit huic sermoni in eo codice prima manu Prosperi nomen fuisse præfixum hoc titulo: *Incipit sermo Prosperi de Natali papæ:* recentiori autem charactere abrasæ membranæ inscriptum fuisse Leonis nomen. Cum vero sermonis contextus auctorem præferat Romanum pontificem, stylus autem cum cæterorum Leonis sermonum stylo plane conveniat, multumque discrepet a stylo Prosperi, de genuino Leonis fetu dubitandum non est. De inscripto autem Prosperi nomine confer quæ conjecimus in præfatione num. 10.

Digitized by Google

nostræ, non solum apostolica, sed etiam episcopalis beatissimi dignitas Petri, qui sedi suæ præesse non desinit, et indeficiens obtinet cum æterno Sacerdote consortium. Soliditas enim illa quam de Petra Christo etiam ipse Petra factus accepit, in suos quoque se transfudit hæredes, et ubicumque aliquid ostenditur firmitatis, non dubie apparet fortitudo pastoris. Nam si omnibus fere ubique martyribus pro susceptarum tolerantia passionum, hoc ad merita ipsorum manifestanda donatum est, ut opem periclitantibus ferre, morbos abigere, immundos spiritus pellere, et innumeros possint curare languores; quis gloriæ beati Petri tam imperitus erit aut tam invidus æstimator, qui ullas Ecclesiæ partes non ipsius sollicitudine regi, non ipsius ope credat augeri? Viget prorsus et vivit in apostolorum principe illa Dei hominumque dilectio, quam non claustra carceris, non catenæ, non populares impetus, non minæ regiæ exterruerunt; et insuperabilis fides, quæ bellando non cessit, vincendo non tepuit.

A

B

Cap. V. — Cum ergo in diebus nostris mœstitudines in lætitiam, labores in requiem, discordiæ vertuntur in pacem, agnoscimus nos præsulis nostri meritis et precibus adjuvari, et documentis frequentibus experimur ipsum salubribus consiliis, ipsum æquis præsidere judiciis; ut manente apud nos jure ligandi atque solvendi, per moderamen beatissimi Petri et condemnatus ad pœnitentiam, et reconciliatus perducatur ad veniam. Et ideo quidquid in nobis hodie sive [a] dignatione fratrum, sive pietate filiorum detulistis officii, illi vos mecum religiosius et verius impendisse cognoscite, cujus sedi non tam præsidere quam servire gaudemus, sperantes orationibus ipsius esse præstandum, ut Deus misericordiarum ministerii nostri tempora benignus aspiciat, pastoremque ovium suarum custodire semper dignetur, et pascere.

[a] Officium quo fratres sibi aliquid *ex dignatione* detulisse S. Leo tradit, eos tantum respicit episcoporum conventus, ad quos isti ob celebrandum anniversarium diem ordinationis ejus invitati concurrerant. Lege serm. 2, c. 2. Hæc et his similia officia, ad quæ nulla lex, præceptum nullum cogeret, sicut *pietate filiorum*, ita *dignatione fratrum* pendebantur. Nihil ergo erat cur Quesnellus huic loco generalem propositionem in postilla apponeret: *Episcopi ex dignatione officia deferunt Romano pontifici.*

ADMONITIO IN SEQUENTES SERMONES DE COLLECTIS.

Celeberrimi sunt S. Leonis sermones de Collectis; *quippe peculiares quasdam collectas indicant, quæ etsi ex Leone memorentur a pluribus, eas tamen a quopiam explicatas reperire non licuit. Quesnellus in notatione ad primum de Collectis sermonem hoc unum subjecit:* De collectarum usu et antiquitate multa hic congerere esset actum agere. Consulat qui volet em. card. Baronium ad an. Ch. 44, n. 30, 31, et ad an. 58, num. 55. Illas non in sola Dominica fieri solitas Leonis tempore, patet ex sermone 2 et 3, ubi secundæ et tertiæ feriæ fit mentio. *Non tamen de communibus collectis, quæ in omnibus Ecclesiis olim fiebant, sed de extraordinaria ac præcipua eleemosynarum collectione S. Leonem his in sermonibus loqui credimus: quæ certo anni tempore, ac in certum primum diem indicta et incœpta, aliis consequentibus diebus perficiebatur.*

Patet indictio in certum diem ex unoquoque sermone: nam sermone primo in Dominicam, secundo in secundam feriam, tertio in feriam tertiam, quarto in quartam feriam, vel potius quintam, quinto iterum in primam Dominicam, ac sexto in diem sabbati collectæ indicuntur. Cum hi sermones diversis annis habiti fuerint, in hac dierum varietate certus procul dubio alicujus mensis dies innuitur, qui uno anno in Dominicam, alio in feriam secundam, alio in tertiam, etc., incideret, et annorum cursu iterum caderet in Dominicam. Dies autem in his sermonibus memoratus, non unicus sed primus collectarum dies *appellatur sermone 2, et serm. 5, c. 4 dicitur:* Die Dominica prima est futura collectio. *Igitur aliis diebus aliæ collectiones fiebant; ac perinde hæ collectæ in aliquot dies producebantur.*

His autem diebus Romani per Ecclesias suarum regionum debebant convenire ad eam eleemosynarum largitionem, quam et facultas et pietas suadebat, uti traditur serm. 3 et 4, c. 5, et serm. 6, c. 2. Erant vero Leonis tempore septem regiones ecclesiasticæ in Urbe, quarum singulæ suam diaconiam habebant, ubi nosocomia et pauperum diversoria erant, in quibus viduæ aliique egentes ecclesiastica stipe alebantur. Vide Mabillonium Comment. in Ordin. Roman. tom. II *Musei Italici, pag.* 17. *Ad has ergo diaconias deferendæ erant eleemosynæ,* quæ per præsidentium curam necessariis serviebant expensis: quia ad Ecclesiam maxime ab unoquoque opem quærente decurritur, *ut ait Leo serm.* 6, *c.* 2.

Nunc statuenda, si fieri poterit, harum collectarum institutio, nec non in quem mensem inciderent, et quo inchoarent mensis die, quotquæ diebus peragerentur. Institutionem subindicat S. pontifex serm. 3, 4 *et* 5, *ubi collectas ejusmodi olim a Patribus inductas prodit, ut eo die quo pagani superstitionibus suis diabolo serviebant, Christiani suas oblationes Deo sacratius offerrent. Sic enim serm.* 2: Ad destruendas antiqui hostis insidias in die quo impii sub idolorum suorum nomine diabolo serviebant, providentissime in sancta Ecclesia prima est instituta collectio. *Et apertius serm.* 4, *cap.* 3: Dies nos apostolicæ institutionis invitat, in quo sanctarum collationum prima collectio est prudenter a Patribus et utiliter ordinata, ut quia in hoc tempore gentilis quondam populus superstitiosius dæmonibus serviebat, contra profanas hostias impiorum sacratissima nostrarum eleemosynarum celebraretur oblatio. Quod quia incrementis Ecclesiæ fructuosissimum fuit, placuit esse perpetuum. *Et serm.* 5, *c.* 1, *testatur hanc institutionem antiquis profuisse* ad destructionem vanitatum. *Duo ex his colligenda. Primum ab antiquis Ecclesiæ Patribus, qui plures alios dies superstitionibus pollutos in pios cultus traduxerunt, celebrem aliquam paganorum superstitionem, qua* profanæ hostiæ, *seu oblationes aliquæ conferebantur celebri quodam die in impium idolorum cultum, in pias ejusmodi collectas fuisse conversam. Secundum adeo solemnem hanc institutionem fuisse, et Ecclesiæ utilem, ut iidem Patres* voluerint esse perpetuam; *et idcirco sublata licet ea veteri superstitione, Leonis adhuc ætate vigebat.*

Quæ porro hæc superstitio fuerit, unde ejusmodi collectæ originem sumpserint, et quem in mensem ac diem inciderint, unde collectarum mensis ac dies statuatur, cum S. Leo nihil prodat, aliunde colligendum est. In id autem juvat horum sermonum ordo quem in aliquot mss. reperimus. In Lectionario Vallicellano A, 6, *quatuor ex his sermonibus continentur. Describuntur autem post sermones diei SS. Petri et Pauli, et ante sermonem Leonis* 84, *qui in mss. collectionibus tertia, quarta, et quinta octavæ eorumdem apostolorum affigitur; idemque ordo deprehenditur in codicibus collectionis secundæ. Igitur in initium Julii et superstitiones jam memoratæ, et*

Digitized by Google

collectæ ejusmodi incurrisse videntur. Initio autem Julii superstitiosus fuerat dies pridie nonas, quo pagani præcipua solemnitate Apollinares ludos peragebant, in quos etiam celebrandos conferebant nummos. Post Cannensem quoque cladem instituti fuerunt ex Marcii clari vatis carmine, cujus in libris hæc inventa Livius recitat lib. XXV, *c.* 12. Hostes, Romani, si expellere vultis..... Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant, cum populus dederit ex publico partem, privati uti conferant pro se suisque; iis ludis faciendis præerit prætor. *Hoc carmine invento et ad senatum delato censuerunt Patres Apollini ludos vovendos, faciendosque a prætore Urbis. Hic autem in circo maximo cum facturus esset, edixit* ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret. *Initio nulla statuta die hi ludi edebantur. At A. U. C.* 546, *P. Varus prætor urbanus lege ad populum lata jussus est certum diem statuere.* Itaque ipse primus, *inquit Livius l.* XXVII, *ita vovit*, tecitque ante diem III nonas Quintiles. Is deinde solemnis servatus. *Ex duobus autem antiquis calendariis Maffeiano et Blanchiniano corrigendus Livii textus, et pro* III nonas *legendum est* II nonas Quintiles : *quod pariter confirmat tertium calendarium marmori insculptum et Amiterni repertum, a Muratorio editum tom.* I *Thesauri Inscript. pag.* 101. *Solum calendarium, non tamen ex marmore, sed ex manuscripto Cæsareo vulgatum a Lambecio, quod ætate etiam posterius; tribus laudatis præferendum non est,* III nonas *ponit. Id autem librariorum lapsu facile contingere potuit. Bollandistæ tom.* VI *Junii parte* II, *huic calendario, quod Lambecius primus ediderat, e regione apposuerunt aliud antea ineditum calendarium a Polemio Silvio Leonis nostri ætate conscriptum, in quo æque ac in calendariis marmoreis* II non. *memorati ludi assignantur. Una dies initio his ludis constituta, dein eosdem repetitos, sive continuatos in plures dies, ex aliquot veterum testimoniis, qui alios et alios dies memorant, collegit Norisius in Cenotaphiis Pisanis dissert.* 2. *cap.* 6, *et ante ipsum Manutius* de Legibus Romanorum, *et Comment. in ep.* 1, *lib.* XVI, *ad Atticum. Ex calendario autem Romano, quod primo Ecclesiæ sæculo insculptum in museo Capitolino servatur, et a Francisco Blanchinio editum fuit tom.* II *Anastasii pag.* 305 *tab.* C, *nec non ex Maffeiano sæpius recuso, discimus Apollinares ludos inchoasse* II non. Julias, *et continuasse usque ad* IV idus, *seu usque ad diem ejusdem mensis duodecimam. In calendario Lambeciano iidem ludi Apollinares notantur etiam* III idus *ejusdem mensis, id est die* 13. *Id explicatur ex Cicerone ep.* 4, *l.* XVI, *ad Atticum, ubi* venationem *memorat* postridie ludos Apollinares, *quæ velut appendix ludorum Apollinarium habebatur. Hinc calendarium Blanchinianum* III id. *habet* In Circo, *et Maffeianum cum Amiternino eodem die,* Ludi in Circo.

Hac ergo superstitione ab antiquis Patribus in pium usum conversa, primus collectarum dies fuisse videtur II *nonas Julii, qui est dies octavæ SS. Petri et Pauli; isque ante aliquanto erat indicendus, ut populus ad collectionem sese opportune pararet; ac proinde hos sermones inter diem natalem et octavam SS. apostolorum habitos fuisse verisimillimum est. Quod si tres ex his sermonibus in divinorum officiorum usum assumpti, diebus Dominicis* 2, 3 *et* 4 post natale apostolorum *assignati inveniuntur in laudato Lectionario Vallicellano, id posteriori tempore accidit, ut Dominicus dies singulis assignaretur; quemadmodum etiam sermo* 84, *qui ad octavam Apostolorum pertinet, in eodem Lectionario Dominica* 6 post *eorumdem* natale *legendus describitur.*

Ex his porro, quæ hactenus constituimus, facile est annum singulorum indicare. Cum enim S. pontifex Romanæ Ecclesiæ præfuerit ab an. 440 *usque ad an.* 461, *primus et quintus sermo annis distinctis recitati, in quibus indicitur prima collecta die Dominico, assignandi sunt an.* 441, *vel* 447, *vel* 452, *vel* 458; *his enim annis dies sexta Julii ex littera Dominicali E incidit in Dominicam. Secundus sermo, qui denuntiat primam collectam* feria secunda, *ascribendus est an.* 442, *vel* 453, *vel* 459, *in quibus dies* II *nonas Julias fuit feria secunda : similique ratione tertius sermo, qui designat* tertiam feriam *adjudicandus est an.* 443, *vel* 448, *vel* 454, *in quibus idem dies fuit feria tertia; ac sermo sextus, qui præfert diem* sabbati, *habitus fuit an.* 446, *vel* 457, *cum dies sextus Julii in sabbatum incidit.*

Unus dies feriæ quartæ, *qui sermone quarto designatur, cum alio charactere ejusdem sermonis non videtur congruere. Nam hic sermo manifeste habitus fuit cum sub initium detecti erroris Romæ ageretur adversus Manichæos, unde ad hos deferendos apud presbyteros S. pontifex auditores excitat cap.* 4. *Id autem mense Julio convenit soli anno* 444, *nam anno* 443 *Manichæi eo mense nondum detecti fuerant; serius vero hunc sermonem producere usque ad annum* 449, *vel* 455, *vel* 460, *in quibus dies sextus Julii concurrit cum feria quarta hoc sermone designata, Manichæismi Romæ detecti initia nequaquam sinunt. Hæc difficultas deindicata a Leone alia superstitiosa solemnitate, cujus prima dies, eidemque aliigata prima collectio anno* 444, *inciderit* in feriam quartam, *suspicionem injecerat. At cum nulla alia paganorum solemnitas, quæ perinde congrueret, inventa nobis fuerit, nulli autem ethnicæ superstitioni magis conveniant cæteri omnes horum sermonum characteres, quam ludis Apollinaribus, qui die sexta Julii inchoabantur; mendum* in feriæ quartæ *notationem sermone quarto irrepsisse arbitramur. Perfacile autem fuit amanuensium allucinatione* feriam quartam *legere, aut scribere pro* feria quinta; *quæ sane an.* 444 *concurrit cum die secundo nonas Julii.*

27 SERMO VI [*Al.* V].

De Collectis I.

Synopsis. — *Eleemosynæ commendatione præmissa, Dominicam collectarum adesse monet.*

Multis divinarum Scripturarum testimoniis edocemur quantum eleemosynarum meritum et quanta sit virtus. Certum est enim unumquemque nostrum animæ suæ benefacere, quoties misericordia sua inopiæ succurrit alienæ. Prompta ergo, dilectissimi, et facilis apud nos largitas esse debet, si credimus id sibi unumquemque præstare quod indigentibus tribuit. Thesaurum enim suum condit in cœlo qui Christum pascit in paupere. Benignitatem itaque in hoc et dispensationem divinæ pietatis agnosce. Idcirco A enim te abundare voluit, ut per te alius non egeret, et per ministerium operis tui pauperem ab egestatis labore, teque a peccatorum multitudine liberaret. O mira providentia [a] et bonitas Creatoris, ut uno facto duobus vellet esse succursum! Ventura igitur Dominica dies, collectarum futura est. Hortor et moneo sanctitatem vestram, ut singuli quique et pauperum memineritis et vestri, et pro possibilitate virium vestrarum intelligatis **28** in egentibus Christum, qui tantum nobis pauperes commendavit, ut se in ipsis vestiri ac suscipi [b] testaretur, et pasci Christus Dominus noster (*Matth.* XXV, 40), qui cum Patre, et sancto Spiritu vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Voces *et bonitas* desunt in prima editione.

[b] Ms. Vallic., *testetur*. Mox in eodem codice omittuntur voces, *cum Patre et Spiritu sancto*.

Digitized by Google

SERMO VII [*Al.* VII].

De Collectis II.

SYNOPSIS. — *Eleemosynam alterum esse lavacrum a peccatis, et opus maximæ charitatis.*

Notum vobis, dilectissimi, et familiare mandatum pastorali prædicamus hortatu, ut in opere misericordiæ studeatis esse devoti. Quod etiam si numquam a vestra sanctitate negligitur, nunc tamen promptius est et impensius exsequendum : quia primus collectarum dies saluberrime a sanctis Patribus institutus hoc exigit ut unusquisque, prout votivum atque possibile est, in usus atque [a] alimoniam pauperum de vestris facultatibus conferatis; scientes præter illud regenerationis lavacrum, in quo universorum ablutæ sunt maculæ peccatorum, hoc remedium infirmitati humanæ divinitus esse donatum, ut si quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur, eleemosynis **29** deleatur. Eleemosynæ enim opera charitatis sunt, et scimus quod *charitas operit multitudinem peccatorum* (I *Petr.* IV, 8; *Prov.* X, 12). Proinde, dilectissimi, in secundam feriam spontaneas [b] collectas vestras sollicite præparate, ut quidquid vobis de temporalibus substantiis desumpseritis, id multiplicatum in æterna retributione sumatis.

SERMO VIII [*Al.* VII].

De Collectis III.

SYNOPSIS. — *Collectas occasione paganarum superstitionum esse institutas, a quibus ne pauper quidem excluditur; eleemosyna cruciari dæmones; pauperes a collectarum fructu non esse alienos.*

Christianæ pietatis est, dilectissimi, ut quæ apostolicis sunt traditionibus instituta, perseveranti devotione serventur. Nam illi beatissimi discipuli veritatis, hoc divinitus inspirata commendavere doctrina, ut quoties cæcitas paganorum [c] superstitionibus suis esset intentior, tunc præcipue populus Dei orationibus et operibus pietatis instaret. Quoniam immundi spiritus, quantum gentilium errore lætantur, tantum veræ religionis observantia, [d] atteruntur et augmenta justitiæ urunt impietatis auctorem. Cujus impia et profana commenta, ne sacratis Deo vero cordibus aliquid pollutionis inferrent, beatus magister gentium præcavebat, cum voce apostolica diceret : *Nolite jugum cum infidelibus ducere. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras* (II *Cor.* VI, 14)? Et deinde vocem prophetici spiritus [e] addidit, dicens : *Exite, exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis* (*Ibid.*, 17; *Isai.* LII, 11). Unde quoniam ad destruendas antiqui hostis insidias in die quo impii sub idolorum suorum nomine diabolo serviebant, providentissime in sancta Ecclesia prima est instituta collectio : volumus dilectionem vestram tertia feria per omnes regionum vestrarum Ecclesias cum voluntariis oblationibus eleemosynarum convenire. In quo opere et si non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas : quoniam fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiæ quantitate. **30** Habeant [f] ergo in hoc misericordiæ commercio etiam pauperes lucrum, et ad sustentationem egentium de quantacumque substantia aliquid quod eos non contristet excerpant. Sit dives munere copiosior, dum pauper animo non sit inferior. Quam vis enim major speretur redditus de majore semente, potest tamen [g] etiam de exigua satione multus fructus provenire justitiæ. Justus enim est judex noster et verax, qui neminem fraudat mercede meritorum. Et ideo nos curam pauperum vult habere, ut in futuræ retributionis examine, misericordibus, quam promisit, misericordiam largiatur Christus Deus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IX [*Al.* VIII].

De Collectis IV.

SYNOPSIS. — I. *Evangelica luce gentilitiæ superstitionis tenebras repelli, a quibus omnia manant flagitia.* — II. *Ideo futurum judicium a Christo prædicitur, ut misericordiæ largitate peccata redimantur.* — III. *Collectas institutionis esse apostolicæ : occasione paganicæ superstitionis esse ordinatas; verecundos maxime pauperes esse sublevandos.* — IV. *Hæreticos prodere Deo imprimis gratum. Manichæorum dogmata.*

CAP. I. — Misericordia, dilectissimi, et justitia Dei formam retributionum suarum a mundi constitutione dispositam, per doctrinam Domini nostri Jesu Christi benignissima nobis expositione reseravit, ut acceptis rerum significationibus, quæ futura credimus, [h] jam quasi gesta nosceremus. Sciebat enim Redemptor noster atque Servator quantos fallacia diaboli per totum mundum sparsisset errores, et quam multis superstitionibus maximam sibi partem humani generis subdidisset. Sed ne ultra per ignorantiam veritatis creatura ad imaginem Dei condita in præcipitia perpetuæ mortis ageretur, evangelicis paginis judicii sui inseruit [i] qualitatem, quæ omnem hominem a callidissimi hostis revocaret insidiis : cum jam nulli esset incognitum quæ bonis speranda præmia, et quæ malis essent [j] timenda **31** supplicia. Incentor namque ille auctorque peccati primum superbus ut

[a] Prima editio, *eleemosynam.*

[b] Al., *collectiones.* Ita etiam ms. Gaudiival. apud Quesnellum, et tres nostri Vaticani, pro quo perperam alius Vat., *collationes.*

[c] Vulgati addunt præpositionem *in*, quam melius delevimus ex ms. Vallicell. Nonnulli codd. et vulgati ad marginem, *super institutionibus suis.* Prima editio, *in superstitionibus eorum.*

[d] Vat. collect. quintæ, *observantiam reverentur.* Cod. Vallicell. pro *atteruntur* habet *conteruntur.*

[e] Ita cum potioribus et plerisque nostris codd. editiones anteriores Quesnello, apud quem *adderet.*

[f] Addidimus *ergo*, quod desiderabatur, ex duobus mss. Vatic. et Lectionario Vallicellano.

[g] Ex iisdem mss. nec non ex editione Antuerp. an. 1583, adjecimus *etiam.*

[h] Unus Vat. et prima editio, *tamquam gesta.*

[i] Latinus Latinius, in Bibliotheca sacra et profana, p. 74, corrigendum censuit *æquitatem*, vel *æqualitatem.* In cod. Bon., *æqualitatem* habetur.

[j] Vulgati cum plerisque mss., *inferenda.* Melior visa est lectio codicis Vallicellani, cum vox *timenda* voci *speranda* Leonino more opponatur.

Digitized by Google

caderet, deinde invidus ut noceret, quia *in veritate* A *non stetit* (*Joan.* VIII, 44), totam vim suam in mendacio collocavit, omniaque deceptionum genera de hoc venenatissimo artis suæ fonte produxit : ut ab illo bono, quod ipse propria elatione perdiderat, spem humanæ devotionis excluderet, eosque in consortium damnationis suæ traheret, ad quorum ipse reconciliationem pertinere non posset. [a] Quisquis igitur hominum quibuslibet impietatibus Deum læsit, hujus fraude traductus, hujus est nequitia depravatus. Facile enim in omnia flagitia impulit, quos [b] religione decepit. Sciens autem Deum non solum verbis, sed etiam factis negari, multis quibus auferre non potuit fidem, sustulit charitatem; et agro cordis ipsorum avaritiæ radicibus occupato, spoliavit fructu operum quos non privavit confessione labiorum. B

Cap. II. — Propter has ergo, dilectissimi, versutias hostis antiqui, scire nos voluit ineffabilis benignitas Christi, quid in die retributionis de universitate hominum esset decernendum, ut dum in hoc tempore legitimorum remediorum medicina præbetur, dum elisis reparatio non negatur, et qui diu fuerunt steriles, possint tandem esse fecundi, præveniatur disposita censura justitiæ, et numquam a cordis oculis divinæ [c] discretionis imago discedat. Veniet enim in majestatis suæ gloria Dominus, sicut ipse prædixit (*Matth.* XXV, 31), aderitque cum eo radians in splendoribus suis innumerabilis angelicarum multitudo legionum. Congregabuntur ante thronum potentiæ ejus omnium gentium populi; et quidquid hominum universis sæculis toto orbe terrarum progenitum est, in conspectu judicantis astabit. Separabuntur ab iniustis justi, a nocentibus innocentes; et cum præparatum sibi regnum, recensitis misericordiæ operibus, filii pietatis acceperint, exprobrabitur duritia sterilitatis injustis; et nihil habentes sinistri commune cum dextris, in ignem ad diaboli et angelorum ejus tormenta dispositum, omnipotentis judicis damnatione mittentur, cum illo habituri pœnæ communionem, cujus elegerunt facere voluntatem. Quis igitur istam 32 sortem æternorum cruciatuum non pavescat? Quis mala numquam finienda non timeat? Sed cum ideo denuntiata sit severitas, D

ut misericordia quæreretur, in diebus præsentibus cum misericordiæ est largitate vivendum, ut homini post periculosam negligentiam, ad pietatis opera revertenti, possibile sit ab hac sententia liberari. Hoc enim agit potentia judicis, hoc gratia [d] Servatoris, ut relinquat impius vias suas, et ab iniquitatis suæ consuetudine peccator abscedat. Misereantur pauperum, qui sibi volunt parcere Christum. Faciles sint in alimenta miserorum, qui cupiunt ad societatem pervenire [e] felicium. Non sit vilis homini homo, nec in quoquam despiciatur illa natura, quam rerum conditor suam fecit. Cui enim laborantium licet negare quod Christus sibi profitetur impendi? Juvatur conservus, et gratiam refert Dominus. Cibus egeni, regni cœlestis est pretium; et largitor temporalium hæres efficitur æternorum. Unde autem exigua ista impendia tanta æstimari taxatione meruerunt, nisi quia pondera operum charitatis lance pensantur, et cum amatur ab homine quod Deus diligit, merito in ejus ascenditur regnum, in cujus transitur affectum?

Cap. III. — Ad horum ergo operum, dilectissimi, piam curam dies nos apostolicæ institutionis invitat, in quo sanctarum [f] collationum prima collectio est prudenter a Patribus et utiliter ordinata : ut quia in hoc tempore gentilis quondam populus superstitiosius dæmonibus serviebat, contra profanas hostias impiorum, [g] sacratissima nostrarum eleemosynarum celebraretur oblatio. Quod quia incrementis Ecclesiæ fructuosissimum fuit, placuit esse perpetuum. C Unde hortamur sanctitatem vestram ut per Ecclesias regionum vestrarum [h] quarta feria de facultatibus vestris, quantum suadet possibilitas et voluntas, [i] ad expensas misericordiæ conferatis, ut possitis illam beatitudinem promereri, in qua sine fine gaudebit *qui intelligit super egenum et pauperem* (*Ps.* XL, 1). Ad quem intelligendum, dilectissimi, sollicita benignitate vigilandum est, ut quem modestia tegit, et verecundia [j] præpedit, invenire possimus. Sunt enim 33 qui palam poscere ea quibus indigent erubescunt; et malunt [k] miseria tacitæ egestatis affligi quam publica petitione confundi. Intelligendi ergo isti sunt, et ab occulta necessitate [l] sublevandi, ut hoc ipso amplius gaudeant, cum et paupertati eorum consultum fuerit, et pudori. Recte [m] autem in egeno

[a] Emendavimus ex ms. Vallic. In cæteris nostris codd. et in omnibus editis legebatur : *Quidquid igitur hominum quibuslibet impietatibus Deum læsit, hujus fraude traductum, hujus est nequitiæ depravatum.*

[b] *In* addunt duo codd. collect. 4, et alius collect. 5, et edit. Antuerp. ms. Vallic., *in religione suscepit.*

[c] Cod. Bon. cum prima editione, *districtionis*, non male.

[d] Vallicell., *Salvatoris.*

[e] *Felicium* vocem oppositam voci *miserorum* substituimus loco vocis *fidelium*, quatuor mss. et edit. Antuerpiensis auctoritate futili. Pro *pervenire* legunt aliqui codd., *pertinere.*

[f] Editi cum plerisque mss., *collectionum.* Melius in Vallicellano, cum vox *collationum* optime respondeat, et referatur ad *eleemosynarum oblationem*, de qua post pauca fit mentio. In prima editione habetur, *sanctarum collectionum prima collatio;* non displicet.

[g] Secuti sumus lectionem primæ editionis, quam mss. collectionis 3 et Lectionar. Vallicell. confirmant. Aliæ editiones, *sacratissima a nobis nostrarum*, etc. Quesnellus, *sacratissime.*

[h] Legendum, *quinta feria*, ut in admonitione diximus; sed nullo codice opitulante, textum immutare noluimus.

[i] Ex Vallicellano et aliis duobus codicibus, nec non ex prima editione inseruimus præpositionem *ad*, quæ commode indicat quod traditur serm. 11, c. 2 : *Sancta collectio, quæ per præsidentium curam necessariis serviret expensis.*

[j] Prima editio, *impedit.*

[k] Cod. Vallic., *molestia.*

[l] Mss. collect. 4 et 5, *revelandi.*

[m] Sic Lectionar. Vallicell. et mss. collect. 5, cum Antuerpiensi editione. Alias, *enim in egeno.*

Digitized by Google

et paupere ipsius Jesu Christi Domini nostri persona sentitur, *qui cum esset dives,* [a] sicut ait B. apostolus, *pauper factus est, ut nos sua paupertate ditaret* (II *Cor.* VIII, 9). Et ne deesse nobis [b] sua præsentia videretur, ita humilitatis et gloriæ suæ temperavit mysterium, ut quem Regem et Dominum in majestate Patris adoramus, eumdem in suis pauperibus pasceremus, liberandi ob hoc in die mala a damnatione perpetua, et pro intellecti pauperis cura, regni cœlestis consortiis inserendi.

CAP. IV. — Ut autem in omnibus, dilectissimi, placeat Domino vestra devotio, etiam ad hanc vos hortamur industriam, ut Manichæos ubicumque latentes vestris presbyteris publicetis. Magna est enim pietas prodere latebras impiorum, et ipsum in eis, cui serviunt, diabolum debellare. Contra istos enim, dilectissimi, omnem quidem orbem terrarum, et totam ubique Ecclesiam decet fidei [c] arma arripere; sed vestra in hoc opere devotio debet excellere, qui in progenitoribus vestris Evangelium crucis Christi ab ipso beatissimorum apostolorum Petri et Pauli ore didicistis. Non sinantur latere homines, qui legem per Mosen datam, in qua Deus universitatis conditor ostenditur, recipiendam esse non credunt; prophetis, et sancto Spiritui contradicunt, psalmos Davidicos, qui per universalem Ecclesiam cum omni pietate cantantur, damnabili impietate ausi sunt refutare; Christi Domini nativitatem secundum carnem negant; passionem et resurrectionem ejus simulatam dicunt fuisse, non veram; baptismum regenerationis totius gratiæ virtute dispoliant. Nihil est apud eos sanctum, nihil integrum, nihil verum. Cavendi sunt, ne cuiquam noceant; prodendi sunt, ne [d] in aliqua civitatis nostræ parte consistant. Vobis, dilectissimi, ante tribunal Domini proderit, quod indicimus, quod rogamus. Dignum est enim, ut eleemosynarum sacrificio [e] etiam hujus operis palma jungatur, auxiliante vobis per omnia Domino Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

34 SERMO X [*Al.* IX].
De Collectis V.

SYNOPSIS. — I. *Collectarum consuetudine ab apostolis tradita juvari fideles. Opes non tam possidendæ quam dispensandæ a Deo traditæ sunt.* — II. *Quam miseri qui opes suas in proprium tantummodo usum, non in pauperes expendunt.* — III. *Sine misericordia in pauperes, cæteras virtutes non prodesse.* — IV. *Fidem sine operibus mortuam esse, per charitatem vivificari. Eleemosynæ ac temperantiæ bona quæ?*

CAP. I. — Apostolicæ traditionis, dilectissimi, instituta servantes, pastorali vos sollicitudine cohortamur, ut diem quem illi ab impiorum superstitione purgatum, misericordiæ operibus consecrarunt, devotione religiosæ consuetudinis celebremus, ostendentes apud nos auctoritatem Patrum vivere, eorumque doctrinam in nostra obedientia permanere. Quoniam [f] sancta tantæ constitutionis utilitas, non præterito tantum tempori, sed etiam nostræ prospexit ætati, ut quod illis ad destructionem profuit vanitatum, hoc nobis proficeret ad incrementa virtutum. Quid autem tam aptum fidei, quid tam conveniens pietati, quam egentium juvare [g] pauperiem, infirmorum curam recipere, fraternis necessitatibus subvenire, et conditionis propriæ in aliorum labore meminisse? In quo opere, quantum quis possit, [h] quantumque non possit, solus veraciter ille discernit, qui novit quid quibusque contulerit. Non solum enim spiritales opes et dona cœlestia Deo donante capiuntur, sed etiam terrenæ et corporeæ facultates ex ipsius largitate proveniunt, ut merito rationem eorum quæsiturus sit, [i] quæ non magis possidenda tradidit, quam dispensanda commisit. Muneribus igitur Dei juste et sapienter utendum est, ne materia boni operis fiat causa peccati. [j] Nam divitiæ, quod ad ipsas species earum atque substantias pertinet, bonæ sunt, et humanæ societati plurimum prosunt, cum a benevolis habentur et largis, nec illas aut luxuriosus **35** prodigit, aut avarus [k] abstrudit, ut tam pereant male conditæ, quam insipienter expensæ.

CAP. II.—Quamvis autem laudabile sit intemperantiam fugere, et turpium voluptatum damna vitare, multique magnifici facultates suas dedignentur occulere, et [l] in copia affluentes vilem atque sordentem horreant parcitatem, non est tamen talium aut felix abundantia, aut [m] probanda frugalitas, si ipsis tantum propriæ opes serviunt; si eorum bonis nulli juvantur pauperes, nulli foventur infirmi; si de magnarum abundantia facultatum non captivus redemptionem, non peregrinus solatium, non exsul sentit auxilium. Hujusmodi divites egentiores omnibus sunt egenis. Perdunt enim illos redditus quos [n] possent

[a] Ita Vallicell. et codd. collect. 4 et 5. Alias, *sicut dicit Apostolus, inops factus est.*

[b] Al., *sui præsentia.*

[c] Editio Antuerp. in margine, *scutum.* Vallic., *corripere.*

[d] Præpositionem *in*, a Rainaudo et Quesnello omissam, ex cæteris editionibus et omnibus nostris codicibus restituimus.

[e] Editi, *et hujus*, ac dein *nobis* pro *vobis*. Prætulimus lectionem codicis Vallicell., cum quo in voce *vobis* concinunt mss. collect. 5.

[f] Unus codex Vat., *tanta sanctæ devotionis utilitas.*

[g] Ita Vallic. cod. Alias, *paupertatem.*

[h] Verba, *quantumque non possit*, desiderantur in cod. mss. Victorino Quesnelli, nec non in aliis nostris collect. 5.

[i] Cod. Vallic., *qui eas non magis porrigendas tradidit, quam dispensandas commisit.* Sed in hanc lectionem paulo ante scribendum fuerat, *earum*, uti præfert editio Antuerp., quæ tamen in cæteris vulgatam lectionem sequitur.

[j] Sic cum Quesnello nostri codices. Anteriores editiones: *Nam divitiæ quidem, quantum ad ipsas species*, etc.

[k] Cod. Vallic., *obstruit.* Paulo post idem cod. *quam dissipentur expensæ.*

[l] Ms. Vallicell. et unus Vat., cum prima editione, *inter copias.*

[m] Cod. Victorin. apud Quesnellum et nostri collect. 5, *blanda frugalitas.*

[n] Ita ex Vallic. Alias, *possunt.* Paulo post pro *incu-*

Digitized by Google

habere perpetuos, et dum brevi nec semper libero incubant usui, nullo justitiæ cibo, [a] nulla misericordiæ suavitate pascuntur; foris splendidi, intus obscuri; [b] abundantes temporalium, inopes æternorum : quia ipsi animas suas fame afficiunt et nuditate dehonestant, [c] qui de iis quæ terrenis horreis commendarunt, nihil thesauris cœlestibus intulerunt.

Sed forte sunt aliqui divitum qui, licet nullis largitionibus pauperes Ecclesiæ soleant adjuvare, alia tamen Dei mandata custodiunt, et inter diversa fidei et probitatis merita, veniabiliter sibi æstimant unam deesse virtutem. Verum hæc tanta est [d], ut sine illa cæteræ, etsi sunt, prodesse non possint. Quamvis enim quis fidelis sit, et [e] castus, et sobrius, et aliis majoribus ornatus insignibus; si misericors tamen non est, misericordiam [f] non meretur : ait enim Dominus : *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus* (*Matth.* v, 7). Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et sederit in throno gloriæ suæ, et congregatis omnibus gentibus, bonorum et malorum fuerit facta discretio (*Matth.* xxv, 33), in quo laudabuntur qui ad dexteram stabunt, nisi in operibus benevolentiæ et charitatis officiis, quæ Jesus Christus sibi impensa reputabit? Quoniam qui naturam hominis suam fecit, in nullo se [g] ab humana humilitate discrevit. **36** Sinistris vero quid objicietur, nisi neglectus dilectionis, duritia inhumanitatis, et pauperibus misericordia denegata? quasi nec alias virtutes dexteri, nec alias offensiones habeant sinistri. Sed illo magno summoque judicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum, et pro summa omnium commissorum, et per unum bonum isti introducantur in regnum, et per unum malum illi in ignem mittantur æternum.

Nemo igitur, dilectissimi, de ullis sibi bonæ vitæ meritis blandiatur, si illi defuerint opera charitatis; nec de sui corporis [h] puritate securus sit, qui nulla eleemosynarum purificatione mundatur. Eleemosynæ enim peccata delent (*Eccli.* III, 33), mortem perimunt, et pœnam perpetui ignis exstinguunt. Sed qui ab earum fructu fuerit vacuus, erit ab indulgentia retribuentis alienus, dicente Salomone : *Qui obturat aures ne audiat imbecillum, et ipse* [i] *vocabit Dominum, et non erit qui exaudiat eum.* Unde et Tobias filium suum præceptis pietatis instituens : *Ex substantia*, inquit, *tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab illo paupere : ita fiet ut nec a te avertatur facies Dei* (*Tob.* IV, 7). Hæc virtus omnes facit utiles esse virtutes, quæ ipsam quoque fidem, ex qua justus vivit (*Habac.* II, 4; *Rom.* I, 17; *Galat.* III, 11), et quæ sine operibus mortua nominatur (*Jac.* II, 26), sui admixtione vivificat : quia sicut in fide est operum ratio, ita in operibus fidei fortitudo. *Dum ergo tempus habemus*, sicut ait Apostolus, *operemur quod bonum est ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Galat.* VI, 10). *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus* (*Ibid.*, 9). Præsens itaque vita tempus est sationis, et [j] dies retributionis tempus est messis, quando unusquisque seminum fructus secundum sationis suæ percipiet quantitatem. De proventu autem istius segetis nemo falletur, quia animorum ibi magis quam impendiorum mensura taxabitur; et tantum reddent exigua de exiguis, quantum magna de magnis. Et ideo, dilectissimi, satisfiat apostolicis institutis. Et quia [k] die Dominica prima est futura collectio, omnes vos **37** devotioni voluntariæ præparate, ut unusquisque secundum sufficientiam suam habeat in sacratissima oblatione consortium. Exorabunt pro vobis et ipsæ eleemosynæ, et ii qui vestris muneribus juvabuntur; ut ad omne opus bonum idonei semper esse possitis, in Christo Jesu Domino nostro, qui vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI [*Al.* X].

[1] *De Collectis VI.*

Synopsis. — I. *Quantum ultima sententia judicis nostri, misericordiæ commendet opera.* — II. *Unde collectarum consuetudo originem traxerit in Ecclesia.*

Cap. I. — Et divinis præceptis, dilectissimi, et apostolicis didicimus institutis, omni homini inter vitæ hujus discrimina constituto, misericordiam Dei miserendo esse quærendam. Nam quæ lapsos spes eri-

leat editiones post primam, et ante Quesnellum, *incumbant*.

[a] In ms. Vallic., *nullius misericordiæ*.

[b] Idem cod., *abundantes temporalibus, inopes æternis*.

[c] *Qui nihil omnino æternis horreis commendarunt, nihil thesauris*, etc., in eodem cod. Vallicell.

[d] Laudatus Vall., post verbum *est*, addit secunda manu, *virtus misericordiæ*. Est additamentum cujusquam studiosi, quod a cæteris mss. abest. Mox pro *nisi* in eodem cod. *etiamsi*.

[e] Alias in mss. collect. 5, *cautus*. Mox *aliis moribus* pro *aliis majoribus* in cod. Vallic. nec non in edit. prima et Rainaudi.

[f] Cod. Vallicell., *non merebitur; ait enim Dominus : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*.

[g] Idem ms., *ab humanitate discrevit*.

[h] Ita ex tribus codd. Vallic., Vat. et Bon., ac prima editione. Alias, *qualitate*.

[i] Editio Antuerpiensis cum ms. Vall., *invocabit*.

[j] Ex eodem codice adjecimus substantivum *dies* : quod desiderari videtur.

[k] Codex Victorianus Quesnelli et nostri collect. 5, cum ms. Vallic., *die illo*, pro *die Dominica*. Id autem in formulis frequens diem indicat, in quam pridie nonas Julias primus collectarum dies pro annorum varietate denuntiandus incideret. Retinuimus autem, *die dominica*, ut reliqui habent codices et omnes editiones, quia hæc dies a Leone indicta præsumitur, cum hunc sermonem certo anno pronuntiarit.

[1] Editus primum fuit Parisiis an. 1614, ex veteri Nicolai Fabri codice, qui postea Thuaneus, dein Colbertinus, nunc vero in Regia bibliotheca servatur. Inscribitur autem in eo codice : *De Collectarum die*. Porro notavit Antelmius diss. 6, de veris Oper. SS. Leonis et Prosperi num. 4, pag. 350, huic sermoni in eodem ms. Leonis nomen posteriori manu fuisse additum, quod prima manu abesset. Leoni autem jure tribuendum ostendimus in præfatione ad Sermones, num. 10.

Digitized by Google

geret, quæ vulneratos medicina sanaret, nisi eleemosynæ solverent culpas, et necessitates pauperum fierent remedia delictorum? Unde quia dixerat Dominus : *Beati misericordes, quia ipsorum miserebitur Deus* (*Matth.* v, 71) : omne illud examen quo majestate præsenti universum judicaturus est mundum, sub hac ostendit æquitate librandum, ut sola erga inopes operum qualitate discussa, et impiis ardere cum diabolo, et benignis paratum sit regnare cum Christo. Quæ ibi in medium facta non venient? quæ occulta non detegentur? quæ conscientiæ non patebunt? ubi vere nemo gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato (*Prov.* xx, 9). Sed quoniam exaltabitur super judicium misericordia, et omnem retributionem justitiæ transcendent dona clementiæ, omnis vita mortalium, et cunctarum diversitas actionum sub unius regulæ conditione taxabitur, ut nulla ibi commemoratio cujusquam facienda sit criminis, ubi confessione Creatoris opera fuerint inventa pietatis. Non ergo solum quod eis exprobrabitur fecerunt sinistri, nec quia humanitatis docebuntur **38** extranei, aliorum peccatorum invenientur alieni; sed in multis rei ob hoc maxime damnabuntur, quod crimina sua nullis eleemosynis redemerunt. Cum enim durissimi cordis sit quacumque laborantium miseria non moveri, et habens auxiliandi copiam tam iniquus sit qui non juvit afflictum, quam qui oppressit infirmum, quæ spes superest peccatori, qui nec ideo miseretur, ut misericordiam consequatur? Primitus itaque, dilectissimi, sibi malus est, qui alteri bonus non est, et animæ nocet suæ, qui ut potest non succurrerit alienæ. Una est divitum pauperumque natura, [a] et inter cætera fragilitatis humanæ, nulla est sanitatis tuta felicitas, quia quod aliqui possunt incidere, non est qui debeat non timere. Agnoscat se in quibuscumque hominibus mutabilis et caduca mortalitas, et pro conditione communi socialem generi suo reddat affectum; fleat cum flentibus, et cum dolentium gemitibus ingemiscat; communicet cum indigentibus copias suas; [b] bene valente corporis ministerio, ad male jacentem inclinet se ægrotum : inter cibos suos numeret esurientium portionem, et in pallenti trementium nuditate se credat algere. Qui enim relevat temporalem miseriam laborantis, evadit æternum supplicium peccatoris.

Cap. II. — Providenter igitur, dilectissimi, a sanctis Patribus pieque dispositum est, ut in diversis temporibus quidam essent dies qui devotionem fidelis populi ad collationem publicam provocarent; et quia ad ecclesiam maxime ab unoquoque opem quærente decurritur, fieret ex possibilitate multorum, voluntaria et sancta collectio, quæ per præsidentium curam necessariis serviret expensis. Ad cujus operis desideratum vobis, ut credimus, fructum dies vos vicinus invitat; accedentibus admonitionibus nostris, ut [c] ad ecclesias regionum vestrarum sabbato proxime futuro misericordiæ munera deferatis. Et quia *hilarem datorem diligit Deus* (II *Cor.* ix, 7), nemo sibi amplius quam substantia ejus permittit indicat. Inter se et pauperem æquus quisque sit judex. [d] Removeat diffidentiam læta et secura miseratio; et qui egeno subvenit, Deo se impendere quod largitur intelligat. De quibuslibet substantiis, quarum utique non una **39** mensura est, potest esse par meritum, si inter diversas conferentium quantitates non sit minor cujusquam pietas quam facultas. Deus enim, apud quem non est acceptio personarum, similiter recipit et divitis munus et pauperis : quoniam novit quid singulis dederit, quidve non dederit; et in die retributionis non modus judicabitur censuum, sed qualitas voluntatum. Per Christum Dominum nostrum.

SERMO XII [*Al.* XI].

[e] *De Jejunio decimi mensis I.*

Synopsis. — I. *Homo ideo conditus, ut suum imitetur auctorem; et hoc Dei donum est.* — II. *Charitatem non Deum solum, sed et proximum complecti, ipsosque inimicos; quæ Christianæ charitatis latitudo est.* — III. *Omnibus Dei judiciis subditus quisque debet esse, nec minus de inopia quam de abundantia gratias agere.* — IV *Jejunio, oratione et eleemosyna omnes virtutes comprehendi.*

Cap. I. — Si fideliter, dilectissimi, atque sapienter creationis nostræ [f] intelligamus exordium, invenienus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris; et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinæ benignitatis forma resplendeat. Ad quam utique nos quotidie reparat gratia Salvatoris, [g] dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in

[a] In editione Parisiensi an. 1671, quæ est repetitio primæ editionis hujus sermonis, sic legitur : *Et inter cætera fragilitatis humanæ mala, nulla est sanitatis tuta felicitas : quia quod alicui potest accidere, non est qui debeat non timere.* Quamvis hæc lectio sit melior, retinuimus tamen lectionem Quesnelli, quippe qui cum ipsum codicem consuluerit, lectionem ipsius codicis dedisse videtur, et rejecisse in marginem variantes editionum, quæ alieno arbitrio ad sensum aptius eliciendum in textum videntur inductæ. Ipse autem ne codicis lectionem in textu mutaret, satius duxit in margine annotare pro *inter cætera* legendum esse *inter incerta*, et pro *sanitatis* legendum forte *divitis*.

[b] Eadem editio Parisiensis, *bene valentis*, et melius.

[c] Intelliguntur ecclesiæ diaconales, ut in admonitione sermoni 6 præmissa observavimus. Hinc male Quesnellus in postilla huic loco apposuit, *ecclesiæ parochiales*, quibus titulares presbyteri, non autem diaconi præerant.

[d] In editione laudata, *remaneat diffidentia*.

[e] In prima editione et in codd. collect. 3 hic sermo inscribitur, *de Collectis sermo ejusdem VI, et de Jejunio decimi mensis I.* Titulus pariter *de Collectis* additur sermoni sequenti, et hinc in cæteras editiones manavit. Sed perperam : nulla enim in hoc vel sequenti sermone collectarum fit mentio, uti fit in sex præcedentibus, qui vere ad collectas pertinent. Hoc sane titulo *de Collectis* carent mss. cæterarum omnium collectionum, quæ cum codd. lectionariis omnes hos sermones inscribunt : *de Jejunio mensis decimi*.

[f] Ms. Casin. collect. 1, *intelligimus*.

[g] Duo mss. Lectionaria Basilicæ S. Petri, et Vat. 541, collect. 4, *ut quod cecidit in Adam primo, erigatur in secundo*. In antiquissimo Lection. Vat. 5856, *et* pro *dum*.

Digitized by Google

secundo. Causa autem reparationis nostræ non est nisi misericordia Dei : quem non diligeremus, [a] nisi nos prior ipse diligeret, et tenebras ignorantiæ nostræ, suæ veritatis luce discuteret. Quod per sanctum Isaiam Dominus [b] prænuntians, ait : *Adducam cæcos* [c] *in viam quam ignorabant, et semitas quas nesciebant faciam illos calcare. Faciam illis tenebras in lucem, et prava in directa. Hæc verba faciam illis, et* [d] *non relinquam eos* (*Isai.* XLII, 16). 40 Et iterum, *Inventus sum*, inquit, *a non quærentibus me, et palam apparui iis qui me non interrogabant* (*Isai.* LXV, 1). Quod quomodo impletum sit, Joannes apostolus [e] docet dicens : *Scimus, quoniam* [f] *Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum, et simus in vero Filio ejus* (I *Joan.* V, 2). Et iterum : *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos* (I *Joan.* IV, 19). Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem suam nos reparat, et ut in nobis formam suæ bonitatis inveniat, dat unde ipsi quoque quod operatur operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suæ charitatis [g] inflammans; ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit diligamus. Nam si inter homines ea demum firma amicitia est, quam morum similitudo sociarit, cum tamen paritas voluntatum sæpe in reprobos tendat affectus, quantum nobis optandum atque nitendum est ut in nullo ab iis quæ Deo sunt placita, discrepemus! De quo dicit propheta : *Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus* (*Ps.* XXIX, 6) : quia non aliter in nobis erit dignitas divinæ majestatis, nisi imitatio fuerit voluntatis.

CAP. II. — Dicente itaque Domino : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* XXII, 37) : suscipiat fidelis anima auctoris sui atque rectoris immarcescibilem charitatem, totamque se etiam ejus subjiciat voluntati, in cujus operibus atque judiciis nihil vacat a veritate justitiæ, nihil a miseratione clementiæ. Quoniam etsi magnis quis laboribus et multis fatigetur incommodis, bona est [h] illi causa tolerandi, qui se adversis vel corrigi intelligit, vel probari. Charitatis vero istius pietas perfecta esse non poterit, nisi diligatur et proximus. Quo nomine non ii tantum intelligendi sunt qui nobis amicitia aut propinquitate junguntur, sed omnes prorsus homines, cum quibus nobis [i] natura communis est, sive illi hostes sint, sive socii; sive liberi, sive servi. Unus enim nos Conditor finxit, unus nos Creator animavit; eodem cuncti cœlo et aere, iisdem [j] fruimur diebus et 41 noctibus; cumque alii sint boni, alii mali; alii justi, alii injusti; Deus tamen omnibus largitor, omnibus est benignus, sicut Lycaonlis a Paulo et Barnaba apostolis dicitur de providentia Dei : *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* [k] *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens eis, de cœlo dans pluviam et tempora fructifera, et implens cibo* [l] *et lætitia corda nostra* (*Act.* XIV, 15, 16). Dedit autem nobis majores diligendi proximi causas Christianæ gratiæ latitudo, quæ se per omnes partes totius orbis extendens, [m] dum neminem despectat, docet neminem negligendum. Et merito etiam inimicos diligi, et pro persecutoribus sibi præcipit supplicari (*Matth.* V, 44), qui ex omnibus quotidie gentibus, [n] sacris olivæ suæ ramis germen inserens oleastri (*Rom.* XI, 17), de inimicis reconciliatos, de alienis adoptivos, de impiis facit justos; *ut omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum : et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 10).

CAP. III. — Cum ergo Deus bonos nos esse velit, quia bonus est, nihil nobis debet de ejus judiciis displicere. Nam non per omnia illi gratias agere, quid est aliud quam ex quadam eum parte reprehendere? Audet [o] enim plerumque humana insipientia adversus Creatorem suum, non solum de inopia, sed etiam de copia murmurare; ut et cum aliquid non suppetit, querula, et cum quædam exuberant, sit ingrata. Multæ messis dominus, horreorum suorum plenitu-

[a] Plerique vulgati ante Quesnellum, *nisi prius nos ipse.*

[b] Ita duo codd. S. Petri et vetustissimus Vat. necnon Pauli Diaconi Homiliarium editionis Basileensis an. 1496. In editis ante Quesnellum erat *denuntians;* apud Quesn. vero cum mss. collect. 4 et 5. *pronuntians.* At ille correctionem optime conjiciens, notavit in margine, *forte prænuntians.*

[c] Prima editio cum mss. collect. 3, *per viam.*

[d] Vat. 3836, *non derelinquam.*

[e] Sic nostri codices et editi ante Quesnellum, qui pro *docet* posuit *commemorat*, uti est etiam in Homiliario Pauli Diaconi.

[f] Apud Paulum Diaconum, *jam Filius Dei.*

[g] Antiquissimus Vaticanus, et unus S. Petri, *inflammat.*

[h] Prima editio et ms. Bonon., *illa causa tolerandi, qua se adversis vel corrigi intelligat, vel probari.*

[i] Duo codd. S. Petri, *mensura atque natura.*

[j] Ita ex prima editione et duobus mss. Vat. et S. Petri. Alias, *utimur.*

[k] *Equidem* in Homiliar. Pauli Diac.

[l] Hanc lectionem textui Græco et Vulgato congruentem prætulimus ex antiquissimo Vaticano Lectionario, ex pervetusto Pauli Diaconi exemplo, nec non ex mss. collect. 4. Alias, *justitia.* Et mox tres nostri codd., *corda vestra.*

[m] Æquiorem credimus hanc lectionem primæ editionis et mss. collect. 3. In cæteris editis, *neminem despectat, dum docet.* Codd. Vict., Corb, Thuan. et Gaudiival. apud Quesnellum et noster Vat. 541, collect. 4, *neminem desperat, dum docet.* Alter Vat. 546 collect. 4, unus Vat. 544 collect. 5, duo S. Petri et Homiliar. Pauli Diac., *neminem hominem desperat, dum docet.* Tandem Vat. 3836, *neminem hominum desperat, dum docet.*

[n] Legebatur *fractis* pro *sacris* non solum in editis, verum etiam in plerisque codicibus; et videbatur convenire cum testimonio Pauli ad Rom. XI. 17 et 19, ubi rami *fracti* memorantur. Sed prætulimus tria Romanæ Ecclesiæ Lectionaria Vat. 3836, et duo basilicæ S. Petri; cum præsertim non in ramis fractis et abscisis, sed in ramis ex quibus isti abscisi fuerunt insitio fiat; hi autem rami olivæ *sancti* appellantur ab Apostolo v. 16, non minus quam radix. Paulo post in Pauli testimonio prima editio et duo mss. S. Petri omittunt vocem *Christus.*

[o] Supplevimus *enim* ex omnibus nostris codicibus, et ex Homil. Pauli Diaconi.

Digitized by Google

dinem fastidivit (*Luc.* XII, 16), et ad copiam vindemiæ affluentis ingemuit; nec de magnitudine fructuum gratulatus, sed de vilitate conquestus est. Si autem parcior fuerit in susceptis terra seminibus, et castigatiore proventu vites oleæque defluxerint, [a] accusantur anni, arguuntur elementa, et nec aeri parcitur, nec cœlo, cum fideles et [b] pios discipulos veritatis nihil magis commendet et muniat, 42 quam perseverans in Deum, et indefessa laudatio, dicente Apostolo: *Semper gaudete, sine intermissione orate; in omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas Dei est in Christo Jesu in omnibus* [c] *vobis* (I *Thess.* v, 16). Hujus autem devotionis quemadmodum poterimus esse participes, nisi rerum varietas constantiam mentis exerceat? ut amor directus in Deum nec inter secunda superbiat, nec inter adversa deficiat. Quod placet Deo, placeat [d] et nobis. De omni mensura munerum ejus gaudeamus. Qui bene usus est magnis, bene utatur et modicis. Tam nobis copia quam parcitate consulitur. Nec in spiritalibus lucris [e] angustia gravabimur fructuum, si fecunditas non arescat animorum. Oriatur de cordis agro, quod terra [f] non edidit. SEMPER ILLI, quod largiatur, occurrit, cui bene velle non deficit. Ad omnia igitur, dilectissimi, opera pietatis, omnium nobis qualitas prosit annorum, nec benevolentiam christianam difficultas temporalis impediat. Novit Dominus vasa hospitalis viduæ [g] in opus pietatis suæ vacuata complere (IV *Reg.* IV, 5); novit aquas in vina convertere (*Joan.* II, 9); novit de paucissimis panibus quinque millia esurientium saturare populorum (*Joan.* VI, 9). Et ille qui [h] in pauperibus suis pascitur, quæ potuit augere dando, potest multiplicare sumendo.

CAP. IV. — Tria vero sunt quæ maxime ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, jejunium, et eleemosyna, quibus exercendis omne quidem tempus [i] acceptum, sed illud est studiosius observandum, quod apostolicis accepimus traditionibus consecratum; sicut etiam decimus hic mensis morem refert veteris instituti, ut tria illa de quibus locutus sum diligentius exsequamur. Oratione enim propitiatio Dei quæritur, jejunio concupiscentia carnis exstinguitur, eleemosynis peccata redimuntur (*Dan.* IV, 24); simulque per omnia Dei in nobis imago renovatur, si et in laudem ejus semper parati, et ad 43 purificationem nostram sine cessatione solliciti, et ad sustentationem proximi indesinenter [j] simus intenti. Hæc triplex observantia, dilectissimi, omnium virtutum comprehendit effectus. Hæc ad imaginem et similitudinem Dei pervenit, et a Spiritu sancto inseparabiles facit. Quia in orationibus permanet fides recta, [k] in jejuniis innocens vita, in eleemosynis mens benigna. Quarta igitur et sexta feria jejunemus; sabbato autem apud beatissimum apostolum Petrum vigilias celebremus; qui et orationes, et jejunia, et eleemosynas nostras precibus suis dignabitur adjuvare [l]. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et sancto Spiritu vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIII [*Al.* XII].

De Jejunio decimi mensis II.

SYNOPSIS. — *Jejunium mensis decimi cur institutum; ejusdem et Christianæ erga pauperes misericordiæ laus.*

Quod temporis ratio et devotionis [m] nostræ admonet consuetudo, pastorali vobis, dilectissimi, sollicitudine prædicamus, decimi mensis celebrandum esse jejunium, quo pro consummata perceptione omnium fructuum, [n] dignissime largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur. Quid enim potest efficacius esse jejunio, cujus observantia appropinquamus Deo, et resistentes diabolo, vitia blanda superamus? SEMPER [o] enim virtuti cibus jejunium fuit. [p] De abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur. Sed quia non [q] solo jejunio animarum nostrarum salus acquiritur, jejunium nostrum misericordiis pauperum suppleamus. Impendamus virtuti, quod subtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis, abstinentia jejunantis. Studeamus viduarum defensioni, pupillorum utilitati, lugentium consolationi, dissidentium paci. Suscipiatur peregrinus, adjuvetur oppressus, vestiatur 44 nudus, foveatur ægrotus; ut quicumque nostrum de justis laboribus auctori bonorum omnium Deo sacrificium hujus pietatis obtulerit, ab eodem regni cœlestis præmium [r] percipere mereatur. Quarta igitur et sexta feria

[a] Duo mss. Vat. *et prima editio, arcusatur annus.*

[b] Vetustissimus Vat., *pacis discipulos.* In duobus autem mss. S. Petri: *Cumque fidelis et pacis discipulus et veritatis, nihil magis commendet et moneat quam ut perseverans sit in Deum et indefessa laudatio, dicens: Semper gaudete*, etc.

[c] Ita ex nostris mss. ac prima editione nec non ex Homiliario Pauli Diaconi. Similiter etiam apud S. Paulum. Aliæ editiones et Quesnellus, *nobis.*

[d] Sic nostri codices. Editi, *et omnibus nobis.*

[e] Vatic. 3836, *augusto gravabimur fructu.*

[f] Sic tria Lectionaria Romana laudata not. 17. Alias, *non dedit.*

[g] Homiliar. Pauli Diac., *copiis pietatis suæ vacuata.* Unus Vat. omittit *suæ.* In prima editione desunt, *in opus pietatis suæ.*

[h] Vocem *pauperibus* addidimus ex tribus memoratis Lectionariis.

[i] Homiliar. Pauli Diac., *promptum.*

[j] Ita plerique codices et editi ante Quesnellum, apud quem, *sumus intenti.*

[k] Sic melius ex Homiliario Pauli Diaconi plurali numero, æque ac omnes editi et codices eodem numero mox efferunt, *in eleemosynis;* unde paulo post *jejunia* S. pontifex repetit. Alias *in jejunio.*

[l] Post vocem *adjuvare* unus Vaticanus addit, *diligentius ut invigilemus.*

[m] Codices collect. 5, *vestræ.*

[n] Variant hoc loco libri editi et mss. Alii enim, quos Quesnellus secutus est, habent, *diligentissime;* alii, *dignissimo.* Melior visa est lectio editionis primæ et Rainaudi, quam alii codices confirmant.

[o] Addidimus *enim* ex nostris codd.

[p] Duo mss., *De abstinentia denique.*

[q] Unus ms. S. Petri, *in solo jejunio.*

[r] Idem codex, *recipere.*

Digitized by Google

jejunemus; sabbato autem apud beatum Petrum apostolum pariter vigilemus, cujus suffragantibus meritis, quæ poscimus, impetrare possimus, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et sancto Spiritu vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIV [*Al.* XIII].

[a] *De Jejunio decimi mensis III.*

Synopsis. — I. *Ager, cordis quibus modis colatur ac fecundetur.* — II. *Diabolum magis tunc in fideles sævire, cum bona opera vel indicuntur vel exercentur.*

Cap. I. — In Dominico agro, dilectissimi, cujus operarii sumus, oportet nos prudenter atque vigilanter spiritalem exercere culturam, ut perseveranti industria, quæ legitimis temporibus sunt exsequenda, curantes, de sanctorum operum fruge lætemur. Quæ si pigro otio et inerti desidia negligantur, terra nostra nihil generosi germinis pariet, et spinis ac tribulis [b] obsita, non producet quæ condenda sint horreis, sed quæ urenda sint flammis. Ager autem iste, dilectissimi, rorante desuper gratia Dei, fide munitur, jejuniis [c] exercetur, eleemosynis seritur, orationibus fecundatur, ut inter plantationes rigationesque nostras nullius amaritudinis radix pullulet, nec se incrementa cujusque noxiæ stirpis attollant; sed enecato [d] omnium semine vitiorum, convalescat seges læta virtutum. Ad quam diligentiam omni quidem nos tempore [e] pietas adhortatur, sed in his diebus qui huic operi sunt specialius præstituti, major animositas et cura est excitanda ferventior, ne quod pium est agere non indictum, impium sit negligere prædicatum.

Cap. II. — Decimi itaque mensis jejunium, ad quod charitatem vestram religioso proposito novimus 45 præparatam, unanimiter, auxiliante Christo, [f] celebrandum hortamur, monentes ut unusquisque secundum mensuram possibilitatis quam accepit a Deo, in bonis operibus enitescat. Quia et inimici nostri, qui nostra sanctificatione torquentur, in his diebus quos ad majorem observantiam nobis dispositos esse noverunt, vehementius sæviunt, et subtiliore insidiantur astutia; ut aliis immittendo metum inopiæ de largitatis expensis, aliis [g] injiciendo tristitiam de labore jejunii, quamplurimos a consortio hujus devotionis abducant. Contra quas tentationes, dilectissimi, vigilet in nobis pii cordis intentio, et a Christianis mentibus cogitationes diffidentiæ repellantur. Modicum est enim quod pauperi [h] satis est. Nec victus illius nec vestitus onerosus est. Vile [i] enim est quod esurit; vile est quod sitit, et nuditas [j] quæ indiget operiri poscit, non ornari. Et tamen Dominus noster tam pius operum nostrorum arbiter, tam benignus est æstimator, ut etiam pro calice aquæ frigidæ sit præmium redditurus. Et quia justus inspector est animorum, non impendium solum operis, sed etiam affectum est remuneraturus operantis, per Christum Dominum nostrum.

SERMO XV [*Al.* XIV].

[k] *De Jejunio decimi mensis IV.*

Synopsis. — I. *Triplex orationis, jejunii et eleemosynæ remedium adversus tentationes diaboli et vulnera peccati.* — II. *Jejunii præceptum, sicut et præceptum dilectionis, non esse novæ legis gratia abrogatum; eidem misericordiæ opera esse jungenda.*

Cap. I. — Confidenter vos, dilectissimi, ad opera pietatis hortamur, quia experimentis didicimus, libenter vos suscipere quod monemus. Scitis namque, et Deo docente cognoscitis, ad æternum vobis gaudium profuturam 46 divinorum observantiam mandatorum. In quibus exsequendis quia humana fragilitas plerumque lassescit, et in multis per lubricum suæ infirmitatis offendit, misericors et pius Dominus [l] remedia nobis et adjutoria dedit, per quæ veniam obtinere possimus. Quis enim tot illecebras mundi, tot insidias diaboli, tot denique pericula suæ mutabilitatis evaderet, nisi clementia æterni Regis mallet nos reparare quam perdere? Nam et qui jam redempti, jam regenerati, [m] filii lucis effecti sunt, quamdiu tamen in hoc mundo, qui *totus in maligno positus est* (I *Joan.* v, 19), [n] detinentur; quamdiu infirmitati carnis corruptibilia et temporalia blandiuntur, non possunt istos dies sine tentatione transire. Nec facile cuiquam provenit tam incruenta victoria, ut [o] inter multos hostes frequentesque conflictus, etiamsi sit liber a morte, sit quoque immunis a vulnere. Curan-

[a] In editis ex codd. collect. 3 titulus hujus et sequentium sermonum hic est: *De jejunio decimi mensis, et eleemosynis ejusdem.* Additamentum ex cæteris mss. sustulimus.

[b] Sic ex Lectionario S. Petri. Al., *subdita.*

[c] Idem ms., *exaratur.*

[d] Ita duo mss. Vat. et S. Petri. Al., *omni.* Ex iisdem mss. et alio Bon., *coalescat* reposuimus pro *convalescat.*

[e] Alias, *pietatis magister.* Quesn. — Et infra duo codd. et prima editio, *instituti* pro *præstituti.*

[f] Ita ms. Bonon. et prima editio. Al., *celebrantes.* In ms. S. Petri, *ut unanimiter auxiliante Christo celebremus, hortamur.* Paulo post ms. S. Petri, *in nostra sanctificatione.*

[g] Sic ex Lectionario S. Petri, et duobus aliis mss. Vat. Al., *immittendo.*

[h] Aliqui codd., *sat est.*

[i] In codice S. Petri omittitur *enim.*

[j] Sic melius ex ms. S. Petri. Alias, *quæ indiget operiri, non poscit ornari.*

[k] In mss. collect. 1 et 2, nec non in cod. Lectionario basilicæ S. Petri hic sermo cum antecedenti conjungitur; sed perperam, cum ex contextu distinctio satis eluceat, quæ ex aliis codicibus comprobatur. Forte cum antecedens sermo brevior aliquanto visus esset quam divinorum officiorum lectio olim postularet, hic alius adjectus fuit: uti accidisse pariter vidimus primo et secundo sermoni *de Natali suo*, qui eadem forte causa (repugnante licet contextu) in unum coaluerunt. Confer admonitionem primo sermoni præmissam.

[l] Al., *remedia nobis ad victoriam dedit.* Cod. Corb. Quesnelli.

[m] Tres codices, *jam filii.*

[n] Ms. Bon. et prima editio, *retinentur.* Et infra duo codd. cum prima edit., *sine trepidatione*, pro, *sine tentatione.*

[o] Ms. S. Petri, *inter multos frequentesque conflictus.*

Digitized by Google

dis igitur læsionibus quas sæpe incidunt qui cum invisibili hoste confligunt, trium maxime remediorum est adhibenda medicina : in orationis instantia, in castigatione jejunii, in eleemosynæ largitate : quæ cum pariter exercentur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentator eliditur. Et iis quidem præsidiis semper fidelis anima debet accingi, sed tunc studiosius præparari, cum ii adsunt dies qui proprie sunt ad hæc pietatis officia præstituti.

Cap. II. — De quorum [a] numero est etiam decimi hujus mensis solemne jejunium, quod non ideo negligendum est, quia de observantia veteris legis assumptum est, tamquam hoc de illis sit quæ inter discretiones ciborum, inter baptismatum differentias et avium pecudumque hostias [b] esse destiterunt. Illis enim quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis, quæ significaverunt finita sunt. Jejuniorum vero utilitatem novi Testamenti gratia non removit; et continentiam corpori atque animæ semper profuturam pia observatione suscepit. Quoniam sicut permanet apud intelligentiam Christianam : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV, 10); et, [c] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (*Matth.* XXII, 37); et, *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Ibid.*, 39), et cætera talium 47 mandatorum : ita quod in eisdem libris de jejuniorum sanctificatione et curatione præceptum est, nulla interpretatione vacuatur. In omni enim tempore, [d] omnibusque vitæ istius sæculi diebus, jejunia nos contra peccata faciunt fortiores, jejunia concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, et omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt; si tamen in societatem [e] sibi benevolentiam charitatis assumant, et in operibus misericordiæ se prudenter exerceant. Jejunium enim sine eleemosyna non tam purgatio animæ quam carnis afflictio est; magisque ad avaritiam quam ad continentiam referendum est, quando aliquis sic a cibo abstinet, ut etiam [f] a pietate jejunet. Nostra ergo jejunia, dilectissimi, abundent fructibus largitatis, et in pauperes Christi benignis sint fecunda muneribus. Nec tardentur in hoc opere mediocres, quia parum sit quod possint de sua facultate decerpere. Novit Dominus omnium vires, et scit justus inspector de qua mensura quisque quid tribuat. Dissimiles quidem substantiæ, similes erogationes habere non possunt : sed æquatur plerumque merito, quod distat impendio : quia potest esse par animus, etiam ubi impar est census. Hæc itaque ut adjuvante Deo pia devotione cōrerentur, quarta et sexta feria jejunemus; sabbato vero apud beatum Petrum apostolum vigilias celebremus, ut ejus orationibus adjuti, in omnibus misericordiam Dei mereamur.

SERMO XVI [*Al.* XV].

De Jejunio decimi mensis V.

Synopsis. — I. *Divites et Deo gratias agant, qui opes eis largitur, et has cum pauperibus communicent.* — II. *Cur institutum decimi mensis jejunium. Efficax oratio, cui eleemosyna suffragatur.* — III. *Hæreticos diabolo ad corrumpendos fideles famulari sub Christiano nomine.* — IV. *Manichæorum hæresis omnium sordium sentina. Quid in eos Leo gessit Romæ.* — V. *Eosdem esse et fugiendos, et prodendos.* — VI. *Zelo adversus hæreticos graviores fieri apud Deum orationes, jejunia, et eleemosynas.*

Cap. I. — Sublimitas quidem, dilectissimi, gratiæ Dei hoc quotidie operatur in cordibus 48 Christianis, ut omne desiderium nostrum a terrenis ad cœlestia transferatur. Sed etiam præsens vita per Creatoris opem ducitur, et per ipsius providentiam sustinetur : quia idem est largitor temporalium, qui promissor est æternorum. Sicut [g] ergo spe futuræ felicitatis, ad quam per fidem currimus, gratias Deo agere debemus quod ad perceptionem tantæ præparationis evehimur, ita pro iis quoque commodis quæ singulorum annorum revolutione consequimur, Deus a nobis [h] honorandus atque laudandus est, qui sic terræ fecunditatem ab initio dedit, sic pariendorum fructuum leges in quibusque germinibus et seminibus ordinavit, ut numquam sua instituta desereret, sed in rebus conditis benigna Conditoris administratio permaneret. Quidquid ergo ad usus hominum segetes, vineæ, oleæque [i] pepererint, totum hoc divinæ bonitatis largitate profluxit : quæ, elementorum qualitate variata, dubios agricolarum labores clementer adjuvit, ut utilitatibus nostris venti et imbres, frigora et æstus, dies noctesque servirent. Non enim sibi ad effectus operum suorum humana ratio sufficeret, nisi plantationibus et rigationibus solitis Deus incrementa præberet. Unde plenum pietatis atque justitiæ est, ut de his quæ nobis cœlestis Pater misericorditer contulit, nos quoque alios adjuvemus. Sunt enim plurimi qui nullam in agris, nullam in vineis, nullam habent in oleis portionem, quorum inopiæ de ea quam Dominus dedit copia consulendum est; ut et ipsi nobiscum Deo pro terræ fecunditate benedicant, et gaudeant possidentibus fuisse donata, quæ etiam pauperibus ac peregrinis fuerint facta communia.

[a] Ita mss. duo Vat. et S. Petri, ac prima editio. Alias, *ordine.*

[b] Verbum *esse* a Quesnello sicut et in ms. Padilir. expunctum ex cæteris omnibus editis nostrisque codicibus revocavimus. Et post pauca ms. Bon., *corporum animique.*

[c] Restituimus, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* ex mss. collect. 5, ex cod. Padiliron. et libro Lectionario S. Petri, qui postremus infra habet, *aliorum mandatorum* pro *talium mandatorum;* et *evacuatur* pro *vacuatur.*

[d] Ita ex codd. S. Petri et Padiliron., a quibus parum abest Quesnellus, *omnibusque diebus vitæ hujus sæculi.* Cæteræ editiones, *omnique vita hujus sæculi.* Similiter libri collect. 4 et 5, qui solum pro *hujus* habent *istius.*

[e] Al., *suam.* Quesnel.

[f] Sic mss. S. Petri et Padiliron. Quesnellus, *a pietate se subducat.* Alii editi cum codd. collect. 4 et 5, *a pietate abstineat.*

[g] *Enim* pro *ergo* erat in editis ante Quesnellum.

[h] Cod. S. Petri, *honorificandus.*

[i] Idem ms., *pepererunt;* et infra idem codex S. Petri et alius Bonon. ac prima editio, *nubes* pro *imbres;* et post pauca, *vegetationibus* pro *rigationibus* duo mss. Vatic. et prima editio.

Digitized by Google

Felix est illud horreum, et omnium fructuum multiplicatione dignissimum, de quo egentium et debilium saturatur esuries, [a] de quo relevatur peregrini necessitas, de quo desiderium fovetur infirmi. Quos ideo sub diversis molestiis justitia Dei laborare permisit, ut et miseros pro patientia, et misericordes pro benevolentia coronaret.

Cap. II. — Huic autem operi, dilectissimi, cum omnia opportuna sint tempora, hoc nunc præcipue aptum est atque conveniens, in quo sancti patres nostri divinitus inspirati decimi mensis sanxere jejunium, ut omnium fructuum collectione conclusa, rationabilis Deo abstinentia, dicaretur, et meminisset quisque ita uti abundantia, ut et circa se abstinentior, et circa pauperes esset effusior. Efficacissima enim pro peccatis deprecatio est in eleemosynis atque jejuniis, et velociter ad divinas conscendit aures talibus 49 oratio elevata suffragiis. Quoniam, sicut scriptum est, *animæ suæ benefacit vir misericors* (*Prov.* XII, 17), et nihil est uniuscujusque tam proprium quam quod impendit in proximum. Pars enim corporalium facultatum, quæ indigentibus ministratur, in divitias transit æternas, et illæ opes de hac largitate pariuntur, quæ nullo usu minui, nulla poterunt corruptione violari. *Beati* [b] namque *misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus* (*Matth.* V, 7); et ipse erit illis summa præmii, qui est forma præcepti.

Cap. III. — Inter hæc autem, dilectissimi, opera pietatis, quæ nos Deo magis magisque commendant, dubium non est quin hostis noster, nocendi cupidus et peritus, acrioribus invidiæ stimulis incitetur : ut quos apertis et cruentis persecutionibus impugnare non sinitur, sub falsa Christiani nominis professione corrumpat, habens hæreticos huic operi servientes, quos a catholica fide devios sibique subjectos militare in castris suis sub diversis erroribus fecit. Et sicut decipiendis primis hominibus ministerium sibi serpentis assumpsit (*Genes.* III, 1), ita horum linguas ad seducendos rectorum animos, veneno suæ falsitatis armavit. Sed iis insidiis, dilectissimi, pastorali sollicitudine, in quantum Dominus auxiliatur, occurrimus. Et ne quid de sancto grege pereat, præcaventes, paternis vos denuntiationibus admonemus, ut labia iniqua et linguam dolosam, a quibus animam suam propheta liberari postulat (*Ps.* CXIX, 2), declinetis : quoniam *sermo eorum*, sicut ait beatus Apostolus, *serpit ut cancer* (II *Tim.* II, 17). Humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt. *Veniunt enim*, sicut Salvator prædixit, *sub vestitu ovium, intus autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII, 15) : quia non possent veras et simplices oves fallere, nisi Christi nomine tegerent rabiem bestialem. In iis autem omnibus operatur [c] ille qui, cum sit veræ illuminationis inimicus, in lucis se angelum transfigurat. Hujus arte Basilides, hujus Marcion callet ingenio, hoc duce agitur Sabellius, hoc præcipitatur rectore Photinus, hujus potestati famulatur Arius, hujus spiritui servit Eunomius; tota denique [d] bestiarum talium cohors hoc præside ab Ecclesiæ unitate discessit, hoc magistro a veritate descivit.

Cap. IV. — Sed eum in cunctis perversitatibus multiformem teneat principatum, arcem tamen sibi in Manichæorum struxit insania, et latissimam in eis aulam, in qua se exsultantius jactaret, invenit; ubi non unius pravitatis 50 speciem, sed omnium simul errorum impietatumque mixturam generaliter possideret. Quod enim in paganis profanum, quod in Judæis carnalibus cæcum, quod in secretis magicæ artis illicitum, quod denique in omnibus hæresibus sacrilegum atque blasphemum est, hoc in istos, quasi in sentinam quamdam cum omnium sordium concretione confluxit. Unde universas eorum impietates ac turpitudines enarrare perlongum est; superat enim verborum copiam criminum multitudo. [e] Ex quibus ad indicandum pauca sufficiunt, ut de iis quæ audieritis, etiam illa quæ verecunde prætermittimus æstimetis. De sacris tamen eorum, quæ apud illos tam obscena sunt quam nefanda, quod inquisitioni nostræ Dominus manifestare voluit, non tacemus, ne quisquam putet nos de hac re dubiæ famæ et incertis opinionibus credidisse. Residentibus itaque mecum episcopis ac presbyteris, ac in eumdem [f] consessum Christianis viris ac nobilibus congregatis, Electos et Electas eorum jussimus præsentari. Qui cum de perversitate dogmatis sui, et de festivitatum suarum consuetudine multa [g] reserassent, illud quoque scelus, quod eloqui verecundum est, prodiderunt, quod tanta diligentia investigatum est, ut nihil [h] minus credulis, nihil obtrectatoribus relinqueretur ambiguum. Aderant enim omnes personæ, per quas [i] infandum facinus fuerat perpetratum, puella scilicet ut multum decennis, et duæ mulieres, quæ ipsam nutrierant, et huic sceleri præpararant. Præsto erat etiam adolescentulus vitiator puellæ, et episcopus ipsorum detestandi criminis ordinator. [j] Horum omnium par fuit et una confessio, et patefactum est exsecramentum quod aures nostræ vix ferre potuerunt. De quo ne apertius loquentes castos offendamus auditus, gestorum documenta sufficiunt, quibus plenissime docetur nullam in hac secta pudicitiam, nullam honestatem, nullam penitus reperiri castita-

[a] Ita omnes nostri codices et editi ante Quesnellum qui habet, *de quo relevatur necessitas peregrinorum, de quo desiderium fovetur infirmorum.*

[b] Erat in editis ante Quesn., *autem* pro *namque.*

[c] Addidimus vocem *ille* ex ms. S. Petri.

[d] Ms. S. Petri, *talium pestium cohors.*

[e] *Et* pro *Ex* legebatur in editionibus Rainaudi et Quesnelli. Correximus ex nostris codicibus et cæteris editis. Paulo post pro *manifestare*, alias *manifestari.*

[f] Ms. S. Petri, *conventum.* De hoc consessu ac judicio vide S. pontificis epistolas 7 et 15.

[g] Ex eodem ms. S. Petri correximus pro, *reserarent.*

[h] Idem ms., *incredulis.*

[i] Prima editio, *nefandum.*

[j] Ita ex ms. S. Petri syntaxi Leonina. Alias, *Omnium par fuit horum, et una confessio, et patefactum est exsecratum, quod*, etc.

Digitized by Google

tem; in qua lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo.

CAP. V. — Hos itaque [a] homines, dilectissimi, per omnia exsecrabiles atque pestiferos, quos [b] aliarum regionum perturbatio nobis intulit crebriores, ab amicitia vestra penitus abdicate; vosque præcipue, mulieres, a talium notitia et colloquiis abstinete: ne dum fabulosis narrationibus incautus delectatur auditus, in diaboli laqueos incidatis. Qui sciens quod primum virum mulieris ore 51 seduxerit, [c] perque femineam credulitatem omnes homines a paradisi felicitate dejecerit, [d] vestro nunc quoque sexui securiore insidiatur astutia, ut eas quas sibi potuerit per ministros suæ falsitatis illicere, et fide spoliet et pudore. Illud quoque vos, dilectissimi, obsecrans moneo, ut si cui vestrum innotuerit [e] ubi habitent, ubi doceant, quos frequentent, et in quorum societate requiescant, nostræ sollicitudini fideliter indicetis: quia parum prodest unicuique quod, protegente [f] Spiritu sancto, ab istis ipse non capitur, si cum alios capi intelligit non movetur. Contra communes hostes pro salute communi una omnium debet esse vigilantia, ne [g] de alicujus membri vulnere etiam alia possint membra corrumpi, et qui tales non prodendos putant, in judicio Christi inveniantur rei de silentio, etiam si non contaminantur assensu.

CAP. VI. — Assumite igitur religiosæ sollicitudinis pium zelum, et contra sævissimos animarum hostes omnium fidelium cura consurgat. [h] Ideo enim misericors Deus quamdam nobis partem prodidit hominum noxiorum, ut, manifestato periculo, excitaretur diligentia cautionis. Non sufficiat quod actum est, sed eadem inquisitio perseveret: quæ hoc, auxiliante Deo, [i] consequetur, ut non solum qui recti sunt incolumes perseverent, sed etiam multi qui diabolica seductione decepti sunt, ab errore revocentur. Vestræ autem orationes et eleemosynæ atque jejunia misericordi Deo per hanc ipsam devotionem sacratius offerentur, cum etiam hoc opus fidei ad omnia officia pietatis accesserit. Quarta igitur et sexta feria jejunemus; sabbato autem apud præsentem beatissimum apostolum Petrum vigilias celebremus; qui, sicut experimur et credimus, pro commendatis sibi a Domino ovibus indesinenter pastorales prætendit excubias: exoraturus deprecationibus suis ut Ecclesia Dei, quæ ipsius est prædicationibus instituta, ab omni errore sit libera. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

52 SERMO XVII [*Al.* XVI].

De Jejunio decimi mensis VI.

SYNOPSIS. — I. *Jejunium a lege veteri in novam translatum et Deo ex grati animi sensu deberi, et orationem efficaciorem efficere.* — II. *Pium fenus cum Deo exercendum; fenus vero quam injuste et impie ab hominibus exigatur.* — III. *Quilibet sequatur ex fenore evenius, semper mala est ratio fenerantis.* — IV. *Aliquorum abundantiam et aliorum inopiam ad hoc esse ordinatam, ut dives Dei bonitatem imitetur.*

CAP. I. — Evangelicis sanctionibus, dilectissimi, multum [j] auctoritatis præbet doctrina legalis, cum quædam de mandato veteri ad novam observantiam transferuntur, et ex ipsa ecclesiastica devotione demonstratur, quod Dominus Jesus Christus *non venit legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* v, 17). Cessantibus enim significationibus quibus Salvatoris nostri nuntiabatur adventus, et peractis figuris quas abstulit ipsa præsentia veritatis, ea quæ vel ad regulas morum vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma in qua sunt condita perseverant; et quæ utrique Testamento erant congrua, nulla sunt commutatione variata. Ex iis autem est etiam decimi mensis solemne jejunium, quod a nobis nunc annua est consuetudine celebrandum: [k] quia plenum justitiæ est atque pietatis, gratias divinæ agere largitati pro fructibus quos in usus hominum secundum summæ providentiæ temperamentum terra produxit. Quod ut prompto animo nos facere [l] monstremus, non solum continentiam jejunii, sed etiam eleemosynarum curam oportet assumi, ut de terra quoque cordis nostri germen justitiæ et fructus charitatis oriatur, et misericordiam Dei pauperum ipsius miserendo mereamur. Efficacissima enim est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur, quoniam qui suum ab inope non avertit animum, cito ad se Domini convertit auditum, dicente Domino: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est;* 53 *dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* VI, 36, 37). Quid hac justitia benignius? Quid hac retributione clementius, ubi sententia judicaturi in potestate ponitur judicandi? *Date*, inquit, *et dabitur vobis* (*Ibid.*, 38). Quam cito diffidentiæ sollicitudo et avaritiæ est amputata cunctatio, ut quod redditurum se promittit veritas, secura expendat [m] humanitas.

[a] *Homines* deest in ms. Bon. et prima editione, quæ etiam pro *itaque* habet *ideo*.

[b] Manichæos Romæ jamdiu antea delituisse liquet ex Augustini Confess. l. v, c. 10, sed aliarum regionum, ac præsertim Africæ perturbationes sub Genserico, qui anno 439 occupavit Carthaginem, crebriorem eorum numerum intulerunt.

[c] Ms. Bon. et prima editio, *et quod per femineam*.

[d] In ms. S. Petri, *vestro nostroque sexui securiore insidiatur astutia, ut eos quibus potuerit per ministros suæ falsitatis illudere, et fide spoliet et pudore*. Sed ut ad mulieres hæc potissimum referantur, antecedentia, *vosque præcipue mulieres*, videntur requirere.

Ms. Bon. et prima editio, *ubi habitent, vel ubi frequentent*, omissis, *ubi doceant*.

[f] Id. cod., *Spiritu Dei;* et infra, *non movetur*. Paulo post prima editio cum eodem ms., *Contra omnes hostes*.

[g] Præpositio *de* omittitur in mss. S. Petri et Bon., nec non in prima editione. Post pauca initio cap. 6, *itaque* pro *igitur* in ms. S. Petri.

[h] Editi, *ideoque*. Delevimus *que* ex nostris codicibus. Paulo post, *manifesto* pro *manifestato* in mss. S. Petri et Bon. ac prima editione.

[i] Ita ex nostris codicibus et prima editione. Al., *consequitur*.

[j] Al., *utilitatis*. Ita Gaudiival. Quesnelli, et duo nostri codd. Vat.

[k] Duo codd. Vat. et unus S. Petri cum prima editione, *quare plenum*.

[l] Ms. S. Petri, *demonstremus*.

[m] Idem codex, *humilitas*.

Digitized by Google

Cap. II. — Constans esto, Christiane largitor : da quod accipias, sere quod metas, sparge quod colligas. Noli metuere dispendium, noli de dubio suspirare proventu. Substantia tua cum bene erogatur, augetur. [a] Concupisce justum misericordiæ lucrum, et æterni quæstus sectare commercium. Munerator tuus vult te esse munificum, et qui dat ut habeas, mandat ut tribuas, dicens : *Date, et dabitur vobis.* Amplectenda est tibi promissionis istius gratulanda conditio. Quamvis enim non habeas nisi quod acceperis, non potes tamen non habere quod dederis. Qui ergo pecunias amat, et multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potius sanctum fenus exerceat, et hac usurarum arte ditescat, ut non hominum laborantium captet necessitates, [b] ne per dolosa beneficia laqueos injiciat insolubilium debitorum, sed illius sit creditor, illius fenerator, qui dicit : *Date, et dabitur vobis;* et *qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* Infidelis autem et iniquus est etiam sibi, qui quod æstimat diligendum non vult habere perpetuum. [c] Quantalibet adjiciat, quantalibet condat et congerat, inops de hoc mundo et egenus abscedet, dicente David propheta : *Quoniam cum interierit* [d] *non accipiet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus* (*Ps.* XLVIII, 18). Qui si benignus esset animæ suæ, illi bona sua crederet, qui et idoneus fidejussor est pauperum, et largissimus redditor usurarum. Sed injusta et impudens avaritia, quæ beneficium se dicit præstare cum decipit, non credit Deo veraciter promittenti, et credit homini [e] trepide paciscenti; dumque certiora existimat præsentia quam futura, merito in hoc frequenter incurrit, ut ei cupiditas injusti lucri non injusti causa sit damni.

Cap. III. — Unde quilibet sequatur eventus, [f] mala semper est ratio fenerantis, cui pecuniam et minuisse et auxisse peccatum est : ut aut miser sit amittendo quod dedit, aut miserior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorsus est iniquitas fenoris : et lucrum quod omni caret humanitate vitandum est. **54** Multiplicatur quidem facultas injustis et tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit : quoniam Fenus pecuniæ funus est animæ. Quid enim de hujusmodi hominibus sentiat Deus, sacratissimus propheta David manifestat : qui cum diceret, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo* (*Ps.* XIV, 1)? responso divinæ vocis instruitur, et eum ad æternam requiem pertinere cognoscit, *qui* inter alias piæ conversationis regulas, *pecuniam suam non dedit ad usuram;* et a tabernaculo Dei ostenditur alienus, et a sancto monte ejus extraneus, qui dolosum quæstum de pecuniæ suæ captat usuris; et dum per aliena cupit damna ditari, æterna dignus est egestate puniri.

Cap. IV. — Vos itaque, dilectissimi, qui ex toto corde promissionibus Domini credidistis, fugientes immundissimam avaritiæ lepram, donis Dei pie et sapienter utimini. Et quoniam [g] juste de ipsius largitate gaudetis, date operam ut possitis gaudiorum vestrorum habere consortes. Multis enim, quæ vobis suppetunt, desunt, et in quorumdam indigentia, materia vobis data est divinæ bonitatis imitandæ : ut per vos etiam in alios beneficia divina transirent, et bene dispensantes temporalia, acquireretis æterna. Quarta igitur et sexta feria jejunemus; sabbato autem [h] apud beatissimum Petrum apostolum vigilemus, cujus orationibus nobis per omnia obtineatur divina protectio, per Christum Dominum nostrum. Amen.

SERMO XVIII [*Al.* XVII].

De Jejunio decimi mensis VII.

Synopsis. — I. *Animam licet regeneratam, et ex se in deteriora declivem, et ex Dei benignitate pluribus munitam esse præsidiis.* — II. *Communem toti Ecclesiæ abstinentiam indici, ut et a parte et a soliditate diabolus superetur.* — III. *Sterilem arborem Christus damnavit, ut misericordiæ opera commendaret. Ut homo Christianus impugnetur assidue, quæque sint piorum arma contra invisibiles hostes.*

55 Cap. I. — Præsidia, [i] dilectissimi, sanctificandis mentibus nostris atque corporibus divinitus instituta, ideo cum dierum temporumque curriculis sine cessatione reparantur, ut infirmitatum nostrarum ipsa nos medicina commoneat. Natura quippe mutabilis, et de peccati labe mortalis, licet jam redempta, et sacro baptismate jam renata, in quantum est passibilis, in tantum est ad deteriora proclivis.

[a] Secuti sumus lectionem optimam codicis S. Petri. Al., *Et concupiscere justum misericordiæ lucrum, æterni quæstus est sectari commercium.*

[b] Ita emendavimus ex tribus mss. Vaticanis. Al., *ne per dolosa officia laqueos incidat.*

[c] *Quantalibet adjiciat* deerat in edit. Quesn. Restituimus ex aliis editionibus et ex omnibus nostris codicibus.

[d] Codex S. Petri, *non sumet.* Inferius, *gloria domus ejus*, pro *gloria ejus* in Vat. 544 collect. 5. Dein, pro *Qui si*, in prima editione, *Quia si.*

[e] Al., *tepide.* Quesnellus in margine.

[f] Prolixam Quesnelli notationem huic loco subjectam inter observationes quæ post Sermones proferentur descriptam invenies.

[g] Adjecimus adverbium *juste* ex Lectionario S. Petri.

[h] Ms. S. Petri et Vat. collect. 5, *ad beatissimum.*

[i] Addunt editi codices omnes et mss. aliqui, *militiæ Christianæ*, quæ verba desiderantur in mss. codd. Regiis tribus, Corb. et Vict., quod ideo moneo, ne quis illorum omissionem typographis ascribat. Quesnellus. — Similiter ea verba desiderantur in antiquissimo Lectionario Vat. 3836, in alio veteri Vat. 1267, in duobus Vallicellanis, in Patavino eremitarum S. Augustini, in Veronensi, in Veneto S. Marci aliisque Lectionariis, nec non in Homiliar. Pauli Diac. Desunt quoque in mss. collect. 1, 2 et 5. At leguntur in codd. collect 3 et 4, atque in collecta pervetusti Sacramentarii Veronensis a P. Blanchinio editi, ubi Leonina, uti videtur, formula habetur : *Præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare jejuniis.*

[j] Ita melius ex vetustissimo Vat. 3836, Patavino eremitarum 117, Veronensi 74, aliisque optimæ notæ Lectionariis, nec non in ms. Casinensi collect. 1. Erat in editis ex codd. collect. 3, 4 et 5, *licet etiam jam redempta et sacro baptismate sit renata, in quantum est passibilis, in tantum est ad deteriora proclivis, corrumpereturque carnali desiderio*, etc. In uno Vallicell., *Corrumperetur enim carnali*, etc.

Digitized by Google

Corrumperetur carnali desiderio, nisi spiritali muniretur auxilio : quia sicut illi numquam deest unde corruat, ita semper præsto est unde subsistat, dicente Apostolo : *Fidelis enim* [a] *Deus, qui vos non patietur tentari supra id quod potestis, sed faciet proventum, ut possitis sustinere* (I *Cor.* x, 13). Quamvis ergo Dominus protegat [b] bellatores, et milites suos ille, qui potens est in prælio (*Ps.* xxiii, 8), cohortetur, et dicat : *Nolite timere, quia ego vici mundum* (*Joan.* xvi, 33) : sciendum tamen est, dilectissimi, [c] hoc incitamento formidinem sublatam esse, non pugnam; et [d] retuso aculeo timoris, causam manere certaminis, quod ab hoste versuto, terribiliter quidem furore persecutionis **56** movetur, sed [e] nocentius specie pacis infertur. Ubi enim in aperto sunt pugnæ, in manifesto sunt et coronæ. Et hoc ipsum alit atque accendit patientiæ fortitudinem, quod sicut proxima est tribulatio, ita est et vicina promissio. Cessantibus vero publicis impugnationibus impiorum, et a cædibus [f] se ac suppliciis fidelium diabolo continente, ne pertinacia crudelitatum, multiplicatio nostrorum fieret triumphorum, [g] fremens adversarius cruentas inimicitias ad quietas convertit insidias : ut quos vincere fame et gelu, [h] flammis ferroque non poterat, otio tepefaceret, cupiditatibus irretiret, ambitione inflaret, voluptate corrumperet.

Cap. II. — Sed his [i] atque aliis omnibus destruendis habet acies Christiana potentes munitiones et arma victricia, [j] dum instruente milites suos Spiritu veritatis, mansuetudo iram, largitas avaritiam, benignitas exstinguit invidiam. Commutante [k] (enim dextera Excelsi corda multorum, rediit in novitatem vetustas, et de famulis iniquitatis ministri prodiere justitiæ. Subegit luxuriam continentia, humilitas arrogantiam propulsavit; et qui impudicitia sorduerant, castitate nituerunt. His autem conversionibus, dilectissimi, [l] per providentiam gratiæ Dei **57** addita sunt sancta jejunia, quæ in quibusdam diebus ab universa Ecclesia devotionem observantiæ generalis exigerent. Quamvis enim pulchrum sit atque laudabile ut singula quæque membra corporis Christi propriis ornentur officiis, excellentioris tamen est actionis sacratiorisque virtutis, cum in unum propositum piæ plebis corda concurrunt : ut [m] ille cui sanctificatio nostra supplicium est, non solum a parte, sed etiam a soliditate superetur. Cui nunc operi, dilectissimi, decimus mensis offertur, admonens quodammodo pro qualitate temporis sui ne quisquam frigore infidelitatis obtorpeat, sed potius charitatis spiritu [n] convalescat. Quoniam et per ipsa elementa mundi, tamquam per publicas paginas, significationem divinæ voluntatis accipimus; nec umquam cessat superna eruditio, quando etiam de iis quæ nobis famulantur imbuimur.

Cap. III. — Præter illam namque apostolicam sententiam qua homines fructu pietatis carentes vacuis arboribus comparantur, etiam illa ficus nobis cavenda est de suæ infecunditatis exemplo, quam Dominus Jesus, sicut [o] Evangelium refert, nihil habentem quod esuriens sumeret, perpetua sterilitate

[a] Codd. S. Petri et Veron., *Dominus*. Paulo post idem ms. Veronensis cum editione Rainaudi, *faciet cum tentatione proventum*.

[b] Codd. Victor. et Corb. Quesnelli cum nostro Vat. 544, *bellaturos*. Mox duo mss. S. Petri, *et ille, qui potens est*.

[c] Codex Veronensis, *per hæc incitamenta*.

[d] Codices Gaudiival., Vict. et Regii duo apud Quesnellum, tres nostri Vat. et Veron., *retunso* : Corb. Quesn., *reconso*.

[e] In editis et plerisque mss., *innocentibus*. Quidam codices errorem in hac voce indicantes, *monentibus*. Legendum credimus cum ms. Ver., *nocentius*, quod adverbium contrapositum anteriori adverbio *terribiliter*, indicat pacis tempore certamen esse perniciosius, licet non ita terribile sit, uti furente persecutione.

[f] Pronomen *se*, quod supplevit Quesnellus, invenimus in plerisque et præstantioribus nostris codicibus.

[g] Ita Quesnellus cum nostris præstantioribus codicibus et Homiliario Pauli Diaconi. Cæteri editi cum mss. collect. 3, 4 et 5, *fremit adversarius, et cruentas*.

[h] Vocem *flammis* a Quesnello omissam revocavimus ex cæteris editis omnibusque nostris mss. Solum Homiliar. Pauli Diaconi cum duobus Vat., *ferro flammisque*. Paulo post verbum *tepefaceret* a Quesnello receptum approbant mss. Lectionar. duo S. Petri, et vetustissimum Vaticanum cum Homiliar. Pauli Diaconi. Cæteri editi et nonnulli codices præsertim collectionum posteriorum habent, *tabefaceret*. Utrumque in ms. Quesnelli Gaudival.

[i] Editiones ante Quesnellum addunt *malis*, uti invenimus in codd. inferioris notæ collect. 3 et 4.

[j] Editiones Quesnello anteriores et mss. Vat. collect. 3, 4 et 5, *Deo scilicet instruente milites suos, ut Spiritu veritatis mansuetudo iram... benignitas exstinguat invidiam*. Sed antiquissimus Vaticanus, duo S. Petri, unus Veron. et exemplar Pauli Diaconi, ut in textu.

[k] Ita ex omnibus nostris mss. et editis ante Quesnellum, qui cum Homiliar. Pauli Diac. pro *enim* prætulit *ergo*.

[l] Editi ante Quesnellum cum mss. trium collectionum posteriorum, *providente gratia Dei*. Quod porro de aliquibus jejuniis additur, *quæ in quibusdam diebus ab universa Ecclesia devotionem observantiæ generalis exigerent*, a nonnullis perinde sumitur ac si jejunia quatuor temporum, ad quæ pertinet jejunium decimi mensis, *ab universa Ecclesia*, hoc tempore servaretur. Sed hoc loco, sicut etiam in alio simili serm. 89 seu quarti de jejunio septimi mensis cap. 2 (quod pariter testimonium pro eadem sententia allegatur), S. Leo generalem tantum doctrinam statuit, jejunia et alia pia opera publica, quæ a tota Ecclesia, seu ab omnibus fiunt, efficaciora esse quam privata : quod verum est, etiamsi a particulari tantum Ecclesia aliqui dies jejunio aut aliis piis operibus *generali observantia* addicantur. Jejunium decimi aut septimi mensis, quod hoc tempore Romana profecto Ecclesia servabat, non æque ab omnibus aliis Ecclesiis custoditum fuisse, late probat Ludovicus Muratorius in disquisitione *de Quatuor Temporum jejuniis*, tom. II Anecdot. Lat., pag. 248 et seqq. Confer annot. 4 in serm. 79.

[m] Perperam in editionibus post primam *illi*. Correximus ex antiquissimo Vaticano et duobus S. Petri ac Homil. Pauli Diaconi.

[n] Magis arrisit hæc lectio auctoritate duorum mss. S. Petri et Lectionarii Veronensis, nec non primæ editionis et Homiliar. Pauli Diac. Al., *concalescat*. Post pauca, *accepimus* pro *accipimus* legitur in duobus mss. S. Petri, in uno Bonon. et prima editione.

[o] Cod. Veron., *Evangelista*. Et infra post voces,

Digitized by Google

damnavit : ut intelligeremus quoniam qui esurientem non refovet, illi denegat cibum qui [a] quod pauperi est datum, sibi dixit impensum. Et hujus maledictionis arbores erunt, quibus a judicante dicetur : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere*, etc. (*Matth.* XXV, 41, 42). Quæ ideo singula recoluntur, ut advertamus non futurum extra misericordiam, qui vel partem horum operum fuerit exsecutus. Anima autem neminem juvans erit arbor non habens poma, cum totius [b] pietatis invenietur aliena. Decimi ergo mensis jejunium, quod hiemalis est temporis, ad agriculturam nos mysticam vocat, qua segetum et palmitum atque arborum vires, quibus humana sustentatur infirmitas, spiritalibus studiis excolantur : ut Dominicus ager suis ditetur [c] impendiis, et quem numquam expedit **58** esse sine fructu, de propria fiat ubertate fecundior. Quod utique intelligit sanctitas vestra, ad totius Ecclesiæ [d] profectus esse referendum, quorum in fide germen est, in spe incrementum, in charitate maturitas : quia castigatio corporis et instantia orationis tunc veram obtinent puritatem, cum eleemosynarum sanctificatione [e] nituntur, dicente Domino : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41). Quarta igitur et [f] sexta feria jejunemus ; sabbato autem apud beatissimum Petrum apostolum vigilias celebremus, [g] ipso præstante et adjuvante qui cum Patre et sancto Spiritu vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIX [*Al.* XVIII].

De Jejunio decimi mensis VIII.

SYNOPSIS. — I. *Abstinentia Domino viam parat, et mentem erigit ad cœlestia.* — II. *Cur Quatuor Temporum jejunia instituta, quibus et subjungendum jejunium a vitiis.* — III. *De cultu Dei, ac de usu bonorum temporalium. De duplici jejunio.*

CAP. I. — Cum de adventu regni Dei, [h] et de fine temporum mundi discipulos suos Salvator instrueret, totamque Ecclesiam suam in apostolis erudiret : A *Cavete*, inquit, *ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et cogitationibus sæcularibus* (*Luc.* XXI, 43). Quod utique præceptum, dilectissimi, ad nos specialius pertinere cognoscimus, quibus denuntiatus dies, etiam si est occultus, non dubitatur esse vicinus. Ad cujus adventum omnem hominem convenit præparari : [i] ne quem aut ventri deditum aut curis sæcularibus inveniat implicatum. Quotidiano enim, dilectissimi, experimento probatur [j] satietate carnis aciem mentis obtundi, et ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, ita ut delectatio edendi etiam corporum contraria sit saluti, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ, et quod futurum est **59** oneri, subtrahat voluptati. Quamvis enim sine anima nihil caro desideret, et inde accipiat sensus unde sumit et motus; ejusdem tamen est [k] animæ, quædam subdi.æ sibi negare substantiæ, et interiori judicio, ab inconvenientibus exteriora frenare, ut a corporeis cupiditatibus sæpius libera, in aula mentis possit divinæ vacare sapientiæ, ubi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis, et in deliciis lætetur æternis. Quod [l] etsi in hac vita difficile est continuari, potest tamen frequenter assumi, ut sæpius ac diutius spiritalibus potius quam carnalibus occupemur; et cum melioribus curis majores impendimus moras, [m] ad incorruptibiles divitias, etiam temporales transeant actiones.

CAP. II. — Hujus observantiæ utilitas, dilectissimi, in ecclesiasticis præcipue est constituta jejuniis, quæ ex doctrina sancti Spiritus ita per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit ascripta temporibus. Siquidem jejunium vernum in Quadragesima, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hiemale autem in hoc qui est decimus celebramus, intelligentes divinis nihil vacuum esse præceptis, et verbo Dei ad eruditionem nostram omnia elementa servire; dum per ipsius mundi cardines, quasi per quatuor Evangelia, [n] incessabiliter discimus quod et prædicemus et agamus. Dicente enim propheta : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera*

---

non refovet, aliquot mss. et editi ante Quesnellum addunt, *egenum*.

[a] Ms. Veronensis, *quidquid pauperi; et paulo post, a judice*, pro *a judicante*.

[b] Vulgati ante Quesnellum cum ms. Gaudiival. aliisque nostris recentiorum collectionum codd. inserunt vocem *fructu*, quam a nostris præstantissimis Lectionariis et ab exemplari Pauli Diaconi abesse deprehendimus. Solum quidam ex his habent, *invenitur*, pro *invenietur*.

[c] Exemplar Pauli Diaconi, *divitiis*.

[d] Ita ex nostris Lectionariis Vat., S. Petri et Veron., et melius quam in Vulg., *profectum*, ut liquet ex sequenti relativo, *quorum*.

[e] Sic ex iisdem Lectionariis. Al., *nitescunt*.

[f] Mss. duo S. Petri, duo Vat. collect. 4 et 5, et exemplar Pauli Diaconi, *sexta sabbati*.

[g] In Vat. 3836 desunt sequentia usque ad finem. In duobus vero S. Petri, post vocem *celebremus*, legitur, *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre*, etc.

[h] Prætulimus vetustiora et præstantiora Lectionaria Vat. 3836, duo basilicæ S. Petri, et Veronense 74. Alias, *et de mundi fine ac temporum*.

[i] Aliquot codd. Vat., ms. Veron. cum Homil. Pauli Diac, nec non prima edit., *ne quemquam*.

[j] Sic Lectionaria vetustissimum Vaticanum, S. Petri, et Veronen., nec non Homil. Pauli Diac., Al., *potus satietate*. Paulo post ms. Veronen., pro *corporum*, habet, *corporis*.

[k] In aliquibus mss. Vat. deest, *animæ*. Et infra, pro *ab inconvenientibus*, duo mss. S. Petri et duo Vat., *ab introeuntibus*, et pro *frenare*, in codd. S. Petri, *refrenare*.

[l] Melius *etsi* pro *si*, quod erat in editis, scripsimus ex antiquissimo Vatic. duobus S. Petri, et Homil. Pauli Diac. Post pauca in ms. Veron. et in Homil. Pauli Diac. omittitur adverbium *potius*.

[m] Unus codex Vat. et alius Veron., *in incorruptibiles*. Mox *transeunt* in duobus Vaticanis et prima editione.

[n] Codex Veron., Homil. Pauli Diac. et prima editio, *incessabili tuba*.

Digitized by Google

manuum ejus annuntiat firmamentum : dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam (*Ps.* XVIII, 1, 2); quid est per quod veritas nobis [a] non loquitur? Ipsius voces in die, ipsius audiuntur in nocte, et pulchritudo rerum unius Dei opificio conditarum, non desinit cordis auribus magistram insinuare rationem, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt [b] intellecta conspiciantur (*Rom.* I, 20), et non creaturis, sed Creatori omnium serviatur. Cum ergo universa vitia per continentiam destruantur, et quidquid avaritia sibi, quidquid superbia ambit, quidquid luxuria concupiscit, hujus virtutis soliditate 60 superetur; quis non intelligat quantum nobis [c] præsidii per jejunia conferatur? in quibus indicitur, ut non solum a cibis, sed etiam ab omnibus carnalibus desideriis temperetur. Alioqui superfluum est suscipere esuriem, et iniquam non deponere voluntatem; reciso affligi cibo, et a concepto [d] non resilire peccato. Carnale est, non spiritale jejunium, ubi soli corpori non parcitur, et in iis quæ omnibus delictis nocentiora sunt, permanetur. Quid prodest animæ foris agere [e] quasi dominam, et intus servire captivam, membris propriis imperare, et jus propriæ libertatis amittere? [f] Et merito plerumque patitur famulam rebellantem, quæ non reddit Domino debitam servitutem. [g] Jejunante ergo corpore ab escis, mens jejunet a vitiis, et curas cupiditatesque terrenas regis sui lege dijudicet.

CAP. III. — Meminerit primam dilectionem Deo, secundam [h] deberi proximo, omnesque affectus suos hac regula dirigendos, ut nec a cultu recedat Domini, nec ab utilitate conservi. Quomodo autem Deus colitur, nisi ut quod ipsi placet, placeat et nobis; nec ab ejus imperio noster umquam resultet affectus? Quoniam si hoc quod ille vult volumus, ab illo sumet infirmitas nostra virtutem, a quo ipsam accepimus voluntatem : *Deus est enim*, sicut ait Apostolus, *qui operatur in nobis et velle et perficere* [i] *pro bona voluntate* (*Philip.* II, 13). Nec superbia [j] itaque homo inflabitur, nec desperatione frangetur, si bonis divinitus datis in gloriam dantis utatur, et ab iis desideria sua revocet quæ sibi nocitura cognoscit. Abstinens enim ab invidiæ malignitate, a luxuriæ dissolutione, A a perturbatione iracundiæ, a cupiditate vindictæ, purificabitur veri sanctificatione jejunii, et incorruptibilium deliciarum voluptate pascetur, ut per usum spiritalem etiam terrenas copias in cœlestem noverit transferre substantiam, non sibi condendo quæ acceperit, sed magis magisque multiplicando quod dederit. Unde paternæ charitatis affectu dilectionem vestram 61 monemus, ut jejunium decimi mensis fructuosum vobis eleemosynarum largitate faciatis, gaudentes quod per vos Dominus pauperes suos pascit et vestit; quibus utique posset eas quas vobis contulit tribuere facultates, nisi pro ineffabili misericordia sua et illos [k] justificare vellet de patientia laboris, et vos de opere charitatis. Quarta igitur et [l] sexta feria jejunemus; sabbato autem apud beatissimum apostolum Petrum vigilias celebremus, [m] qui B et orationes, et jejunia, et eleemosynas nostras precibus suis dignabitur adjuvare, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et sancto Spiritu vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XX [*Al.* XIX].

[n] *De decimi mensis Jejunio IX.*

SYNOPSIS. — I. *Alia in lege pro tempore instituta, alia etiam in nova lege permansura. Quale jejunium, et omnia præcepta moralia.* — II. *Jejunium decimi mensis ecclesiasticis regulis præscriptum pro agendis Deo de perceptis terræ fructibus gratis. Terræ fecunditatem ubertas animorum æmuletur, ut Dei homo sit imitator.* — III. *Omnia præcepta continet charitas, qua homo a bestiis discernitur. Sic diligendus proximus a nobis, quomodo nos a Deo. A misericordiæ operibus ne pauper quidem excluditur.*

CAP. I. — Dispensationes misericordiæ Dei, quas Salvator noster pro humani generis reparatione suscepit, ita sunt, dilectissimi, divinitus ordinatæ, ut Evangelium gratiæ velamen legis tolleret, non instituta destrueret. Unde custodienda nobis est Dominica illa sententia, qua dixit se non venire legem solvere, sed implere, ut nos quoque huic regulæ, quantum donante Deo possumus, serviamus : scientes nihil esse de veteris Testamenti constitutionibus negligendum, si vigilanter studeamus agnoscere quid ibi transitura obumbratione velatum, quid permansura actione sit conditum. Nam [o] discretio cibo-

[a] Unus ms. S. Petri, alius Vat. ac prima editio, *non loquatur.*

[b] Homil. Pauli Diac., *intellectu conspiciantur.*

[c] Vocem *præsidii* supplevimus ex quatuor Lectionariis, nimirum antiquissimo Vat. duobus S. Petri et Veron Mox idem Vat. et Veron., atque Homil. Pauli. Diac., *discitur*, perperam pro *indicitur.*

[d] Secuti sumus primam editionem et Homil. Pauli Diaconi. Cæteræ editiones, *non desinere*, quod nullis nostris codicibus probatur : habent enim omnes corrupte, *non silere; silere* autem facile quidem ex *resilire* amanuensium lapsu irrepere potuit, non vero ex *desinere.*

[e] In Homil. Pauli Diaconi desunt *quasi*, et infra, *propriis.*

[f] Cod. Veronensis, *Ut merito plerumque ipatiatur.*

[g] Prima editio, *Jejunet ergo corpus ab escis.* Sequentes editiones, *Jejunans ergo corpus ab escis.* Quesnelli emendationem nostri codices confirmant. Solus D codex Veron., *Jejunans ergo corpore ab escis;* sed in hanc lectionem subjiciendum erat *mente*, non *mens.*

[h] Codex Veron., *debere se.*

[i] Codd. Vatic. collect. 4 et 5, *per bonam voluntatem.*

[j] *Itaque* pro *denique* libentius scripsimus ob auctoritatem plurium et præstantiorum nostrorum codicum nec non Homiliarii Pauli Diaconi.

[k] Vetustissimus Cod. Vat. et duo alii, *justificaret de patientia.*

[l] Idem antiquissimus ms. Vat. et Veron., *sexta sabbati.*

[m] In Homiliario Pauli Diaconi, *quoniam et orationes;* et post *adjuvare* subjicitur, *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, etc.

[n] Editus ex ms. hujus sermonis unico Nicolai Fabri, de quo vide quæ diximus in præfat. ad Sermones, n. 10.

[o] Editi ante Quesnellum ex eodem codice, *distri-*

Digitized by Google

rum et hostiarum, circumcisio carnis, differentia baptismatum, et observatio baptismorum, non adhuc sub figuratis significationibus sunt agenda, quæ etiam sunt rebus ipsis quæ significabantur impleta; mandata vero et præcepta moralia sicut sunt edita perseverant, quia non aliud insinuant quam loquuntur, et apud 62 Christianam devotionem augmento crescunt, non cessatione deficiunt. Diligere itaque Deum et proximum, honorare patrem et matrem, non adorare deos alienos, et cætera, quæ aut terribiliter sunt prohibita, aut salubriter imperata, non aliter ex legalibus institutis quam ex evangelicis veneramur edictis, ut quamvis multa accesserint ex novitate gratiæ, nihil tamen imminutum sit de antiquitate justitiæ. Unde merito disposuerunt apostolicæ sanctiones ut veterum jejuniorum utilitas permaneret, et licet Ecclesiæ consuetudo prolixioribus se castigationibus exercere didicisset, amplecteretur tamen continentiæ sanctificationem ex lege venientem: quibus enim donatum erat posse quod majus est, indecens fuit non celebrare quod minus est.

Cap. II. — Hac ergo ratione, dilectissimi, evidenter instructi, ecclesiasticis regulis jejunium decimi mensis adjungimus, idque devotioni vestræ, sicut est moris, indicimus: quoniam plenum pietatis plenumque justitiæ est ut terrenorum fructuum perceptione conclusa agantur Deo gratiæ, et sacrificium ei misericordiæ cum jejunii immolatione solvatur. Gaudeat quisque de copia sua, et multa se horreis suis intulisse lætetur, sed ita ut de abundantia ejus etiam a pauperibus gaudeatur. Fecunditatem segetum, fluenta vitium, partus arborum, ubertas imitetur animorum: quod dedit terra, dent corda; ut possimus dicere cum propheta: *Terra nostra dedit fructum suum* (*Ps.* LXI, 6). Deus namque verus et summus agricola non solum corporalium, sed etiam spiritualium auctor est fructuum, et utraque semina, utraque plantaria duplici novit exercere cultura: dans agris profectus germinum, dans animis incrementa virtutum, quæ sicut ab una providentia sumpsere principium, ita ad unius operis vocant effectum. Homo enim, ad imaginem et similitudinem Dei factus, nihil habet in naturæ suæ honore tam proprium quam ut bonitatem sui imitetur auctoris, qui donorum suorum, sicut misericors largitor est, ita est et justus exactor, volens nos operum suorum esse consortes: ut quamvis nullam nos valeamus creare naturam, possimus tamen acceptam per Dei gratiam exercere materiam: quia non ita usui nostro bona terrena collata sunt, ut carnalium tantum sensuum voluptati satietatique [a] servirent; alioquin nihil a pecudibus, nihil distaremus a bestiis, quæ alienis necessitatibus consulere nesciunt, et solam sui ac suorum fetuum curam habere noverunt.

Cap. III. — Animalia igitur, carentia intellectu, nullo sunt erudita mandato, nec acceperunt legem, 63 quæ non accepere rationem; ubi autem est illuminatio rationis, ibi est et disciplina pietatis, quæ dilectionem et Deo debet et proximo. Non enim aliter probatur homo amator esse sui, nisi appareat eum et supra se naturæ suæ auctorem, et secundum se naturæ suæ amare consortem. Merito in his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ; merito disputationum omnium latitudo sub paucorum brevitate verborum plenissimo est explicata compendio. Diligatur Deus, diligatur et proximus, ita ut formam diligendi proximi ab ea qua nos Deus diligit dilectione sumamus, qui etiam malis bonus est, et benignitatis suæ donis non solum cultores suos confovet, sed etiam negatores. Amentur propinqui, amentur extranei; et quod debetur amicis, supererogetur inimicis. Quamvis enim quorumdam malignitas nulla humanitate mitescat, non sunt tamen infructuosa opera pietatis, nec umquam perdit benevolentia quod præstat ingrato. Nemo se, dilectissimi, ab opere bono faciat alienum, nemo de sua tenuitate causetur, tamquam qui sibi vix sufficit, et alium juvare non possit. Magnum est quod proferat ex parvo, et in divinæ lance justitiæ non quantitate munerum, sed pondere pensatur animorum. Evangelica vidua duos nummos in gazophylacium misit (*Marc.* XII, 42), et omnium divitum dona transcendit. Nulla apud Deum vilis est pietas, nulla infructuosa miseratio. Diversos quidem hominibus dedit census, sed non diversos quærit affectus. Æstiment omnes substantias suas, et qui plus accepere, plus tribuant. Fiat abstinentia fidelium, cibus pauperum, et quod quisque subtrahit sibi, proficiat indigenti: quia licet multum et animis et corporibus conferant remedia parcitatis, parum tamen utilia sunt ipsa jejunia, nisi misericordiæ sanctificentur effectu. In eleemosynis enim virtus quædam est instituta baptismatis, quia sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna peccatum; et per eumdem [b] Christum dicitur, *Lavamini, mundi estote* (*Isai.* I, 16), per quem dicitur, *Date eleemosynam et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41); ut nemo ambigat, nemo diffidat regenerationis sibi nitorem etiam post multa peccata restitui, qui eleemosynarum studuerit purificatione mundari.

64 SERMO XXI [*Al.* XX].

In Nativitate Domini nostri Jesu Christi I.

Synopsis. — I. *Neminem extraneum esse a lætitia Nativitatis Domini, quæ sola sine sorde peccati est.* — II. *Miram esse hujus mysterii dispensationem.* — III. *Qui novum hominem vult induere, ei veterem esse deponendum.*

Cap. I. — Salvator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus. Neque enim locum fas est [c] ibi esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ; quæ consumpto mortalitatis timore, nobis ingerit de promissa æter-

ctio. Hanc lectionem Quesnellus indicavit in margine; utrum vero ex codice an ex ingenio correxerit ignoramus.

[a] Alias, *serviant.*

[b] Vox *Christum* videtur abundare, vel in ejus locum substituenda vox *spiritum.* Quesnellus.

[c] In aliquot mss. et in editis ante Quesnellum, nec non in exemplari Pauli Diaconi deest, *ibi*

Digitized by Google

nitate lætitiam. Nemo ab hujus alacritatis participatione secernitur, una cunctis lætitiæ communis est ratio: quia Dominus noster, peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita [a] liberandis omnibus venit. Exsultet sanctus, quia propinquat ad palmam. Gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam. Animetur gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei namque Filius secundum plenitudinem temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandum auctori suo naturam generis assumpsit humani, ut inventor mortis diabolus, [b] per ipsam quam vicerat vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito, magno et mirabili æquitatis jure certatum est: dum omnipotens Dominus cum sævissimo hoste, non in sua majestate, sed in nostra congreditur humilitate, objiciens [c] ei eamdem formam eamdemque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem. Alienum quippe ab hac nativitate est, quod de omnibus legitur: [d] *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram* (*Job.* XIV, 4, *sec. LXX*). Nihil ergo in istam singularem nativitatem de carnis concupiscentia transivit, nihil de peccati lege manavit. Virgo regi Davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fetu divinam humanamque prolem prius [e] conciperet mente quam corpore. Et ne superni ignara consilii ad insuetos paveret [f] effectus, **65** quod in ea operandum erat [g] a Spiritu sancto, colloquio discit angelico. Nec damnum credit pudoris, Dei genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novitate desperet, [h] cui efficientia de Altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam [i] præeuntis attestatione miraculi, donaturque Elizabeth inopinata fecunditas; ut qui conceptum dederat sterili, daturus non dubitaretur et virgini.

CAP. II. — Verbum igitur Dei Deus, Filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil (*Joan.* I, 1-3), propter liberandum ab æterna morte hominem, factus est homo: ita se ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutione suæ majestatis inclinans, ut manens quod erat, assumensque quod non erat, veram servi formam ei formæ in qua Deo Patri est æqualis uniret (*Philip.* II, 6), et tanto fœdere naturam utramque consereret, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. [j] Salva igitur proprietate utriusque substantiæ, et in unam coeunte personam, suscipitur a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: et [k] ad dependendum nostræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili, Deusque verus et homo verus, in unitatem Domini temperatur; ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei hominumque mediator (I *Tim.* II, 5), et mori posset ex uno, et resurgere posset ex altero. Merito igitur virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis: quia custodia fuit pudoris, editio veritatis. Talis igitur, dilectissimi, nativitas decuit Dei virtutem et Dei sapientiam Christum, qua nobis et [l] humanitate congrueret, et divinitate præcelleret. Nisi enim esset, Deus verus non afferret remedium; nisi esset homo verus, non præberet exemplum. Ab exsultantibus ergo angelis nascente Domino, *Gloria in excelsis Deo* canitur, et *pax in terra bonæ voluntatis hominibus* nuntiatur (*Luc.* II, 14). Vident enim cœlestem Jerusalem ex omnibus mundi gentibus fabricari: de quo inenarrabili divinæ pietatis opere, quantum lætari debet humilitas hominum, cum tantum gaudeat sublimitas angelorum?

CAP. III.—**66** Agamus ergo, dilectissimi, gratias Deo Patri, per Filium ejus, in Spiritu sancto, qui propter multam [m] misericordiam suam, qua dilexit nos, misertus est nostri; *et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo* (*Eph.* II, 5), ut essemus in ipso nova creatura, novumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus suis (*Eph.* IV, 22; *Colos.* III, 9); et adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus. Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione [n] redire. Memento cujus capitis

[a] Codex Vercellensis et Homiliar. Pauli Diac., cum prima editione, *pro liberandis*.

[b] Unus cod. S. Petri, et alius Bon., cum prima editione, *per ipsam qua vicerat naturam vinceretur*. Veron. cod. 74, *per ipsam qua vicerat vinceretur*.

[c] In mss. Bon. et prima editione omittitur *ei*.

[d] Codex Corbeiensis hunc locum ita habet, Quesnello teste: *Nemo mundus a sorde, nec infans unius diei, si sit vita ejus super terram*. In ms. S. Petri, *nec infans, cujus unius diei vita super terram*. In prima editione, *nec infans unius diei, cujus vita est super terram*. Paulo post omittitur *ergo* in mss. Vercel. et duobus Veron., nec non in Homil. Pauli Diaconi.

[e] Codex S. Petri, et prima editio, *concepit*.

[f] Ita codd. mss. tres et pleræque editiones ad marginem; quibus facile adjungi possunt alii duo Regii mss. codd., in quibus legitur *affectus*, errore librarii. Sed et sensus exigit ut, hac lectione retenta, alia rejiciatur, quæ in prioribus edit. habebat, *affatus*; non enim loquitur hic de colloquio angelico, cujus potius interventu, ut statim post legitur, exempta est Maria pavore illo quo ex insuetato conceptionis Verbi effectu affecta fuisset. QUESNELLUS. — Lectionem textus confirmant etiam cod. S. Petri, unus Veron. et exemplar. Pauli Diaconi.

[g] Ms. Veron., *de Spiritu sancto*. Mox in cod. S. Petri, *didicit*, pro *discit*.

[h] Codd. Vaticanus, S. Petri, et Bon. ac prima editio, *cujus*.

[i] Quidam vulgati, librariorum errore, *præ cunctis*.

[j] Eadem habentur epist. 28, cap. 3.

[k] Editi ante Quesnellum, cum aliquot posteriorum collectionum codicibus, *ad rependendum*. Cæteri præstantiores mss. ut in textu. Paulo post, *infusa est*, pro *unita est*, in codice Veronensi. In cod. autem Padiliron. et in alio Veron., *in unitate* pro *in unitatem*.

[l] Ita mss. septem Quesnelli et omnes nostri. Prius legebatur *humilitate* etiam in exemplari primæ editionis collect. 3.

[m] Ita mss. codd. quinque Quesnelli. Plerique tamen nostri et Gaudiival. ejusdem Quesnelli cum anterioribus editionibus, *charitatem suam*.

[n] Duo mss. Vaticani et unus S. Petri, *recidere*; Vercel., *retrocedere*; Padiliron., *recedere*.

Digitized by Google

et cujus corporis sis membrum. Reminiscere quia A erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum. Per baptismatis sacramentum Spiritus sancti factus es templum : noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, et diaboli te iterum subjicere servituti : quia pretium tuum sanguis est Christi ; quia in veritate te judicabit, [a] qui in misericordia te redemit, qui cum Patre et Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXII [*Al.* XXI].

[b] *In Nativitate Domini II.*

Synopsis.—I. *Incarnatione Verbi primam Dei erga homines dispositionem compleri, sed sacramento occultiore.*—II. *Novo ordine, nova nativitate Filium Dei esse generatum.*—III. *Cur ex Virgine nasci Christus elegerit.*—IV. *Illusum esse diabolum per incarnationem ex Virgine.*—V. *Ideo natum esse Christum in carne, ut renasceremur ex Spiritu.*—VI. *Non Hominis Dei, sed novi solis ortum Manichæos colere.*

Cap. I. — Exsultemus in Domino, dilectissimi, et spiritali jucunditate lætemur, quia illuxit **67** nobis dies redemptionis [c] novæ, præparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Reparatur enim nobis salutis nostræ annua revolutione sacramentum, ab initio promissum, in fine redditum, sine fine mansurum. In quo dignum est nos erectis sursum cordibus divinum adorare mysterium, ut quod magno Dei munere agitur, magnis Ecclesiæ gaudiis celebretur. [d] Deus enim omnipotens et clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, [e] præparata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit; denuntians serpenti futurum semen mulieris quod noxii capitis elationem sua virtute contereret (*Genes.* III, 2); Christum scilicet in carne venturum, Deum hominemque [f] significans, qui natus ex Virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta nativitate damnaret. [g] [Nam quia gloriabatur diabolus, hominem sua fraude deceptum divinis carnisse B muneribus, et immortalitatis dote nudatum [h] duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de prævaricatoris consortio invenisse solatium ; **68** Deum quoque, [i] justæ severitatis exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam : opus fuit, dilectissimi, [j] secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non potest sua benignitate privari, primam pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore compleret, et homo diamedium cap. 5, *obtineas per gratiam, quod non habebas per naturam.* Tum, prætermissis reliquis capitis 5, subditur caput 6 : *Habentes ergo tantæ spei*, et cætera usque ad finem periodi hac lectione, *quam de novi, ut dicunt, solis ortu videtur honorabilis ;* et omissis interjectis vocibus, transilitur ad verba, *qui etsi miran-* C *dam habent pulchritudinem, adorandam tamen non habent deitatem*, cum reliquis usque ad finem sermonis. Hæc tanta unius ejusdemque sermonis varietas in duobus tam vetustis exemplaribus a cæteris omnibus mss. et editionibus suspicionem injecit hunc sermonem forte diversa forma a Leone editum fuisse ; et ex forma quæ in his duobus codicibus continetur integrum testimonium continuata serie exscriptum, fuisse insertum epistola 28. Hoc indicasse sufficiat ; aliorum judicium esto.

[a] **Al.**, *qui misericorditer.* Ms. Vercellensis, *qui veritate te judicabit, qui misericordia te redemit.* Unus codex S. Petri, *quia misericordia te redemit Christus Dominus noster, qui vivit*, etc. Padiliron. similiter præfert ; et solum claudit sic, *qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

[b] In Homiliario Pauli Diaconi, nec non in Lectionario antiquo ms. Ecclesiæ Vercellensis, hic sermo alia exhibetur forma ac in editis et in aliis codicibus. Discrimen hoc loco accurate indicandum visum est. Caput primum cum editis concordat, et varietas incipit ab initio capitis secundi. Nam omissis verbis, *Advenientibus ergo temporibus, dilectissimi, quæ redemptioni hominum fuerant præstituta*, capitis initium est : *Ingreditur hæc mundi infirma Filius Dei*, et cætera usque ad verba, *mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate*, deinde sequitur, *generatus, quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, substantiam ministravit. Assumpta est de matre Domini, natura, non culpa* cum reliquis, quæ leguntur in fine capitis 3 usque ad illa, *vitium excluderet vetustatis.* Hinc autem in Homiliario Pauli Diaconi et ms. Vercellensi eadem lectio habetur, quæ continua serie continetur in epistola 28 S. Leonis ad Flavianum a fine capitis tertii ad medium caput quartum, id est, ab illis verbis, *Nam quia gloriabatur diabolus*, et cætera (quæ in præsenti sermone leguntur sub finem capitis primi) usque ad ea, *Assumpta est de matre Domini, natura, non culpa ;* quæ eodem contextu iisdemque verbis in epistola ad Flavianum recitantur. Post verba autem, *vitium excluderet vetustatis*, in prædictis Homiliariis non statim consequitur, ut in editis, caput 4 sermonis : *Cum igitur misericors omnipotensque Salvator ;* sed interseruntur tres periodi omissæ capitis tertii. Nam post verba *excluderet vetustatis*, hæc statim leguntur : *Verax namque misericordia Domini cum ad reparandum humanum genus*, etc., usque ad ea, *nisi de eo quod subegerat vinceretur.* Tum additur caput 4 : *Cum igitur misericors omnipotensque*, cum reliquis usque ad ea verba : *Solvitur itaque lethiferæ pactionis malesuasa conscriptio.* Deinde, omissis nonnullis, statim subjicitur : *Fortis ille nectitur vinculis suis, et ligato mundi principe* usque ad ea quæ habentur circa

[c] Codex S. Petri, et in margine edit. Colon. a. 1547, Petri Camsii, *nostræ.* At *novæ* exigunt cæteri codices, et oppositio vocis *antiquæ.* Vox *reparationis* erat in editis ante Quesn., uti in nonnullis mss. reperimus. Scribendum fuit, *præparationis*, non tam ex Quesnelii codd. quam ex accuratioribus nostris Lectionariis et ex Homiliario Pauli Diaconi, cum præsertim sensus id efflagitet. Temporibus enim ante Christi adventum plures prophetiæ et figuræ *præparatio* redemptionis seu reparationis, non autem *reparatio* dici potuerunt. D

[d] Cod. S. Petri, *Etenim Dei in nos benignitas, cujus natura*, etc.

[e] Editi ante Quesn. cum Gaudiival. et nostris duobus Vat. collect. 4 et 5, *prædestinata.* Codices Lectionarii cum Homiliario Pauli Diaconi, *præparata.*

[f] Ita Quesn. et nostri codd. Anteriores edit., *signans.*

[g] Uncinis inclusa eadem prorsus habentur in ep. 28, ad Flavian., c. 3 et 4.

[h] Mss. S. Petri, *diram.*

[i] Erat in editis, *juste*, sine diphtongo et cum commate, ita ut hoc adverbium referretur ad verbum *mutasse.* Correximus ex nostris codd. emendationemque confirmat lectio epistolæ 28, c. 3, *justitiæ exigente ratione.*

[j] Ms. Vercellensis, *secreta dispensatione.*

Digitized by Google

bolicæ iniquitatis versutia [a] actus in culpam, contra Dei propositum non periret.]

CAP. II. — Advenientibus ergo temporibus, dilectissimi, quæ redemptioni hominum fuerant præstituta, [ingreditur [b] hæc mundi infima Jesus Christus Filius Dei, de cœlesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris; incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tempora manens, esse cepit ex tempore; universitatis Dominus servilem formam, obumbrata majestatis suæ dignitate, suscepit; impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere]. Nova autem nativitate [c] genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis injuria: quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanæ substantiæ naturam, et humanæ carnis inquinamenta nesciret. Auctor enim [d] Deo in carne nascenti Deus est, testante archangelo ad beatam Virginem Mariam: Quia *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nascetur* [e] *ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Origo dissimilis, sed natura consimilis; humano usu et consuetudine [f] caret, sed divina potestate subnixum est, quod virgo conceperit, quod virgo pepererit, et virgo permanserit. Non hic cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo [g] natus est, ut volebat et poterat. Si veritatem quæris [h] naturæ, humanam cognosce materiam; si rationem scrutaris originis, virtutem confitere divinam. Venit enim Dominus Jesus Christus contagia nostra auferre, non perpeti; nec succumbere vitiis, sed mederi. Venit ut omnem languorem corruptionis et universa [i] ulcera sordentium curaret animarum: propter quod oportuit ut novo nasceretur ordine, qui novam impollutæ sinceritatis gratiam humanis corporibus inferebat. Oportuit enim [j] ut primam genitricis virginitatem nascentis incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium, divini Spiritus virtus infusa servaret, [k] qui statuerat dejecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiæ donare virtutem: ut virginitas, quæ in aliis non poterat salva esse generando, [l] fieret et in aliis imitabilis renascendo.

CAP. III. — Hoc ipsum autem, dilectissimi, quod Christus nasci elegit ex Virgine, nonne apparet altissimæ fuisse rationis? ut scilicet natam [m] humano generi salutem diabolus non ignoraret, et spiritali latente conceptu, quem non alium videret quam alios, non aliter crederet natum esse quam cæteros. Cujus enim similem cum universis advertit naturam, parem habere arbitratus est eum omnibus causam; nec intellexit a transgressionis vinculis liberum, quem ab infirmitate mortalitatis non invenit alienum. Verax namque misericordiæ Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli, non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ. Nam superbia hostis antiqui non immerito sibi in omnes homines jus tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu [n] tenebat, quos a mandato Dei spontaneos in obsequium suæ voluntatis illexerat. Non itaque juste amitteret originalem [o] humani generis servitutem, nisi de eo quod subegerat vinceretur. Quod ut fieret, sine virili semine [p] conceptus est Christus ex virgine, quam non humanus coitus, sed Spiritus sanctus fecundavit. Et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, hæc inde purgationem traxit, unde concepit. Quo enim paterni seminis transfusio non pervenit, peccati se illic origo non miscuit. Inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, substantiam ministravit. [Assumpta est [q] de matre Domini,

[a] Prima editio et mss. S. Petri, atque Bon., *coactus in culpam.*

[b] Editi, *hæc infima.* Inseruimus *mundi* auctoritate codicum S. Petri, Vercellensis, Patavini, S. Antonii, Veneti, et Homil. Pauli Diaconi. In ep. quidem 28, ad Flavianum, cap. 4, in quam hic locus a Leone traductus fuit, omnes codd. præferunt *mundi*. Nonnulli codd. in hoc sermone, sicut et in eadem epistola, pro *infima*, habent *infirma*. Mox editi ante Quesnellum cum quibusdam mss. habent, *Dominus noster*, vel, *Deus noster*, loco verborum, *Filius Dei.*

[c] Duo mss. Vat. et Bon., cum prima editione, *generatus, quia conceptus a Virgine.* Duo S. Petri, *generatus est, quia conceptus ex Virgine.*

[d] In editis ante Quesnellum et in codd. posteriorum collectionum abest *Deo.*

[e] Duo mss. S. Petri, *de te.*

[f] Editi inserunt, *quod credimus*, quæ verba non necessaria melius expunximus ope meliorum codd. S. Petri et primæ editionis. Dein unus ms. liber S. Petri et alius Venet., *ut virgo conceperit, et virgo pepererit*, etc. In uno Vat. deest secundo loco, *quod.*

[g] Tres mss. Vat., unus S. Petri, ac prima editio, *factus est.* Cæteri ut in textu.

[h] Ita edidit Quesnellus, cui suffragantur mss. S. Petri. Erat in editis et aliquot codd., *humanæ naturæ, cognosce materiam.*

[i] Editi ante Quesn. cum aliquot mss. posteriorum collectionum, *vulnera.* Tres Vat. et prima editio, *vitia.* Retinuimus *ulcera* auctoritate codd. S Petri. Paulo post, pro *inferebat*, Quesnellus in codice Corbeien. legit *inserebat.*

[j] Sic emendavimus ex duobus mss. S. Petri, et duobus Vat., nec non ex prima editione. Al., in vulgatis, *ut primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret.*

[k] Ita duo codd. S. Petri, unus Bon. et prima editio. Al., *quæ.*

[l] Emendationem suppeditarunt duo exemplaria S. Petri et duo Vat. ac prima editio. Al., *fieret in aliis imitabilis et conflendo et renascendo.*

[m] Recepimus lectionem nostrorum codicum, quæ est etiam editionum ante Quesnellum. Apud hunc, *humani generis.*

[n] Cod. Vercell., *e mandato.*

[o] Ita mss. quatuor Quesn. et aliquot nostri cum Homil. Pauli Diac. Editi anteriores cum mss. Victorino et Gandilival. Quesnelli et Vat. collect. 5, *dedititii.* Alius Vat. collect. 4, *debiti*, pro *humani generis.*

[p] Correximus ex mss. S. Petri et Bon. Al., *editus est.*

[q] Ita mss. Corb., Gaudilival., Vict. et Reg., non vero, *de matre, hominis natura*, ut antea. QUESN. — Prima tamen editio habet *Domini*, uti etiam plerique

Digitized by Google

natura, non culpa.] Creata est forma servi sine conditione [a] servili, quia novus homo sic contemperatus est veteri, ut et veritatem susciperet generis, et vitium excluderet vetustatis.

Cap. IV. — Cum igitur misericors omnipotensque Salvator ita susceptionis humanæ moderaretur exordia, ut virtutem inseparabilis a suo homine Deitatis per velamen nostræ infirmitatis absconderet, illusa est securi hostis astutia, qui nativitatem pueri in salutem generis humani procreati, non aliter sibi 71 quam omnium nascentium putavit obnoxiam. Vidit enim vagientem atque lacrymantem, vidit pannis [b] involutum (*Luc.* II, 12), circumcisioni subditum, et legalis sacrificii oblatione perfunctum. Agnovit deinceps solita pueritiæ incrementa, et usque [c] in viriles annos de naturalibus non dubitavit augmentis. Inter hæc intulit contumelias, multiplicavit injurias, adhibuit maledicta, opprobria, blasphemias, convicia, omnem postremo in ipsum vim furoris sui effudit, [d] omnia tentamentorum genera percurrit; et sciens quo humanam naturam infecisset veneno, nequaquam credidit primæ transgressionis exsortem, quem tot documentis didicit esse mortalem. Perstitit ergo improbus prædo et avarus exactor in eum qui nihil ipsius habebat insurgere, et dum vitiatæ originis præjudicium generale persequitur, chirographum quo [e] nitebatur excedit, ab illo iniquitatis exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam. Solvitur itaque lethiferæ pactionis [f] malesuasa conscriptio, et per injustitiam plus potendi, totius debiti summa vacuatur. Fortis ille nectitur suis vinculis, et omne commentum maligni in caput ipsius retorquetur. Ligato mundi principe, captivitatis vasa rapiuntur. Redit in honorem suum ab antiquis contagiis purgata natura, mors morte destruitur, nativitas nativitate reparatur: quoniam simul et redemptio aufert servitutem, et regeneratio mutat originem, et fides justificat peccatorem.

Cap. V. — Quisquis igitur Christiano nomine pie fideliter gloriaris, reconciliationis hujus gratiam juste perpende judicio. Tibi enim quondam abjecto, tibi extruso a paradisi sedibus, tibi per longa exsilia [g] morienti, tibi in pulverem et cinerem dissoluto, cui jam non erat spes ulla vivendi, per incarnationem Verbi potestas data est, ut de longinquo ad tuum revertaris auctorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex servo, de extraneo proveharis in filium; ut qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei Spiritu renascaris, et obtineas per gratiam quod non habebas per naturam; [h] ac si te Dei Filium per spiritum adoptionis agnoveris, Deum Patrem audeas nuncupare. Malæ conscientiæ reatu absolutus, ad cœlestia regna suspires, voluntatem Dei facias divino fultus auxilio, imiteris angelos super 72 terram, immortalis substantiæ virtute pascaris, securus adversus inimicas tentationes [i] pro pietate confligas, et si cœlestis militiæ sacramenta servaveris, non dubites te in castris triumphalibus regis æterni pro victoria coronandum, cum te resurrectio piis parata susceperit in regni cœlestis consortium provehendum.

Cap. VI. — Habentes ergo tantæ spei fiduciam, dilectissimi, in fide qua fundati estis, stabiles permanete; ne idem ille tentator, cujus jam [j] a vobis dominationem Christus exclusit, aliquibus vos iterum seducat insidiis, et hæc ipsa præsenti diei gaudia suæ fallaciæ arte corrumpat, illudens simplicioribus animis de quorumdam [k] persuasione pestifera, quibus hæc dies solemnitatis nostræ, non tam de nativitate Christi, quam de novi, ut dicunt, solis ortu honorabilis videatur. Quorum corda vastis tenebris obvoluta, [l] et ab omni incremento veræ lucis aliena sunt; trahuntur enim adhuc stultissimis gentilitatis erroribus, et quia supra id quod carnali intuentur aspectu, nequeunt aciem mentis erigere, ministra mundi luminaria divino honore venerantur. Absit ab animis Christianis impia superstitio prodigiosumque mendacium. Ultra omnem modum distant a sempiterno temporalia, ab incorporeo corporea, a dominatore subjecta: [m] quia etsi mirandam habent pulchritudinem, adorandam tamen non habent Deitatem. Illa ergo virtus, illa sapientia, illa est [n] colenda majestas, quæ universitatem mundi creavit ex nihilo, et in quas voluit formas atque mensuras terrenam cœlestemque substantiam omnipotenti ratione produxit. Sol, luna et sidera sint commoda utentibus, sint speciosa cernentibus; sed ita ut de illis gratiæ referantur auctori, et adoretur Deus, [o] qui condidit, non creatura, quæ servit. Laudate igitur Deum, dilectissimi, in omnibus operibus ejus atque

nostri codd., nec non exemplar Pauli Diaconi; et (quod multo plus faciendum est) idem legitur in omnibus mss. epistolæ 28, ad Flavianum, c. 4. Solus codex Vat. 544 collect. 5 hoc in sermone præfert, *hominis*; in epistola autem ad Flavianum, *Domini*.

[a] Ita mss. quatuor et Gandiival. In editis, *virili*. Quesn. — Nostri quoque codd., cum prima editione, *servili*. Mox in Vercell., *et novus*, pro *quia novus*.

[b] Tres mss. Vat. et S. Petri, *absolutum*.

[c] Homiliar. Pauli Diaconi, *ad viriles*.

[d] Idem Homil. Pauli, *omniaque*. Dein in tribus codd. Vat. S. Petri et Bonon. ac prima editione, *percucurrit*, pro *percurrit*, quod tamen præteritum significationem antecedenti cohærentem indigitat. Mox iidem codd. et prima editio, *sciens quod*.

[e] Duo mss. Vat., *tenebatur*; prima editio, *utebatur*. Dein, *excidit* pro *excedit* non tam habent editi ante Quesnellum, sed etiam aliqui codices; alii vero nostri, atque a Quesnello adhibiti, ut in textu.

[f] Homil. Pauli Diaconi et prima editio, *malesuada*.

[g] Idem Homil. Pauli, *moranti*.

[h] Sic ex duobus mss. Vaticanis, cod. Bon. et prima editione. Al., *ut si te*.

[i] Prima editio, *propria libertate*.

[j] Codd. Vercell. Bonon., et prima editio, *a nobis*; et dein, *nos iterum*. Quidam codd. Vat. collectionum posteriorum, pro *dominationem*, habent *damnationem*.

[k] Al., *præsumptione*. Quesn. in margine.

[l] In prima editione deest *et*.

[m] In eadem editione, *quæ*, pro *quia*.

[n] Homiliar. Pauli Diaconi, *adoranda sola majestas*.

[o] In eodem Homiliario, *qui hæc condidit*. Et paulo post, *Laudate igitur Dominum*, in prima editione et codice Bononiensi.

Digitized by Google

judiciis. Sit in vobis indubitata credulitas virgineæ integritatis et partus. Reformationis humanæ sacrum divinumque mysterium sancto atque sincero honorate servitio. Amplectimini Christum in nostra carne nascentem, ut eumdem Deum gloriæ videre mereamini in sua majestate regnantem, qui cum Patre et Spiritu sancto manet in unitate Deitatis in sæcula sæculorum. Amen.

73 SERMO XXIII [*Al.* XXII].

In Nativitate Domini III.

SYNOPSIS. — I. *Utraque Christi generationem esse inenarrabilem, et utramque naturam editam esse a Maria.* — II. *Error Arii unde? Incarnationis explicatur sacramentum.* — III. *Necessitas incarnationis, ut hominum errores et peccata auferrentur.* — IV. *Fidem et virtutem incarnationis unam semper et eamdem fuisse, quæ hodie.* — V. *Non carnali lætitia Dominicam Nativitatem, sed spiritali celebrandam. Quod Christus caro nostra fit nascendo, nos caro ejus renascendo.*

CAP. I. — Nota quidem sunt [a] vobis, dilectissimi, et frequenter audita, quæ ad sacramentum pertinent solemnitatis hodiernæ; sed sicut illæsis oculis voluptatem affert lux ista visibilis, ita cordibus sanis æternum dat gaudium nativitas Salvatoris, quæ a nobis numquam est [b] tacenda, licet non sit, ut dignum est, explicanda. Non enim ad illud tantummodo sacramentum, quo Filius Dei consempiternus est Patri, sed etiam ad hunc ortum, quo *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), credimus pertinere, quod dictum est: *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* LIII, 8)? Deus itaque Dei Filius par atque eadem de Patre et cum Patre natura, universitatis Creator et Dominus, totus ubique præsens, et [c] omnia totus excedens, in ordine temporum, quæ ipsius dispositione decurrunt, hunc sibi diem, quo in salutem mundi ex beata Virgine Maria nasceretur, elegit, integro per omnia pudore generantis. Cujus 74 virginitas [d] sicut non est violata partu, sic non fuerat temerata conceptu. *Ut impleretur*, sicut ait evangelista, *quod dictum est a Domino per Isaiam prophetam: Ecce virgo concipiet in utero, et pariet filium, et* [e] *vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14). Hic enim mirabilis sacræ Virginis partus, vere humanam [f] vereque divinam unam edidit prole personam, quia non ita proprietates suas tenuit utraque substantia, ut personarum in eis possit esse discretio; nec sic [g] creatura in societatem sui Creatoris est assumpta, ut ille habitator, et illa esset habitaculum; sed ita ut naturæ alteri altera [h] misceretur. Et quamvis alia sit quæ suscipitur, alia vero quæ suscipit in tantam tamen unitatem convenit utriusque diversitas, ut [i] unus idemque sit Filius, qui se, et secundum quod verus est homo, Patre dicit minorem (*Joan.* XIV, 28), et secundum quod verus est Deus, Patri profitetur æqualem (*Joan.* X, 30).

CAP. II. — Hanc unitatem, dilectissimi, qua Creatori creatura conseritur, intelligentiæ oculis cernere cæcitas Ariana non potuit, quæ Unigenitum Dei ejusdem cum Patre gloriæ atque substantiæ esse non credens, minorem [j] dixit Filii deitatem, de iis argumenta sumens quæ ad formam sunt referenda servilem, quam idem Filius Dei ut ostendat in se non discretæ, neque alterius esse personæ, sic cum eadem dicit: [k] *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28); quemadmodum dicit cum eadem: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). In forma enim servi, quam nostræ reparationis causa in fine sæculorum suscepit, minor est Patre; in forma autem Dei, in qua erat ante sæcula, æqualis est Patri. In humilitate humana factus est ex muliere, factus sub lege (*Galat.* IV, 4); in majestate divina [l] manens Dei Verbum, per quod facta sunt 75 omnia (*Joan.* I, 3). [m] Proinde qui in forma Dei fecit hominem, in forma servi factus est homo;

[a] Emendavimus ex plerisque nostris codicibus. Al., *nobis*. Mox, *ad sacramentum* scripsimus ex quatuor Vaticanis. Al., *ad sacramenta*.

[b] Septem sequentes voces, quæ a subjecta Leonis ratione exigi videntur, supplevimus ex ms. S Petri, ex quo etiam scripsimus, *tacenda*, pro *reticenda*, quod legebatur in editis et nonnullis aliis codd.

[c] Amplectendam credidimus laudati codicis S. Petri lectionem. Al., *universa excedens*. Mox *discurrunt* pro *decurrunt* in ms. Bon. et prima editione. Dein vox *Maria* ex mss. S. Petri addita.

[d] Ita melius ex mss. S. Petri, Bon. ac prima editione. Al., *sic non est violata partu, ut non fuerat*.

[e] Sic cum Quesnello plerique nostri codices. Al., *vocabitur*.

[f] Editi, *vere divinam una edidit prole naturam*. Præstulimus Lectionarium basilicæ S. Petri, cum præsertim hanc lectionem olim obtinuisse comprobet S. Petrus Damianus, qui opusc. I, c. 9, similiter in suo codice forte Romano legit, excepta voce *prole*, pro qua habet, *in prole*. Adde quod lectionem ejusmodi exigere videtur contextus. Ratio enim quam S. Leo subjicit, cum ad duplicem personam excludendam pertineat, *unam personam* in propositione assertam præsumit. Quoad sensum porro hujus loci, cum S. pontifex *unam profiteatur personam*, non ea mente hanc personam *vere humanam vereque divinam* appellavit, ut significaret personas duas, alteram humanam, divinam alteram (nam paulo post *personarum discretionem*, seu duas distinctas personas palam excludit), sed eam personam quam agnoscit *unam*, vere humanam vereque divinam significare voluit ratione diversa: *vere divinam* per se, quia vere divina est persona Verbi; *vere* autem *humanam*, si ita loqui liceat, *officio*, quia illa divina persona Verbi humanæ naturæ unita, est vera ejusdem hypostasis, quatenus humana natura Christi in persona Verbi *vere* subsistit, et ultimum complementum habet, quod veræ personæ proprium est. Id contra Nestorianos, qui duas personas in Christo, seu duos filios admittebant, dictum videtur.

[g] Ita ex nostris mss. ac prima editione. Similiter capite sequenti, *Creatori creatura conseritur*. Al. in editis, *natura in societatem*.

[h] Codex S. Petri, *uniretur*, forte *insereretur*, vel *consereretur*, ut infra c. 2 habetur, *conseritur*. Ad vocem autem *misceretur* prolixam Quesnelli annotationem in observationibus dabimus, ubi *misceretur* pro *uniretur* usurpatum videbimus.

[i] Ms. S. Petri, *idem unusque sit Dei Filius*.

[j] Idem codex, *sibi finxit*, pro *dixit*.

[k] Ita supplevimus ex ms. S. Petri, et codice Casinensi collect. 1, uti contextus etiam postulat, cum in editis et aliis mss. librariorum saltu deessent verba: *Pater major me est, quemadmodum dicit cum eadem*.

[l] In eodem ms. S. Petri, *manens Deus*.

[m] Eadem sunt in ep. 28, cap. 3.

Digitized by Google

sed utrumque Deus [a] de potentia suscipientis, utrumque homo de humilitate suscepti. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura : [b] et sicut formam servi forma Dei non adimit, ita formam Dei servi forma non minuit (*Philip.* II, 6). Sacramentum itaque unitæ cum infirmitate virtutis, [c] propter eamdem hominis naturam, minorem Patre dici Filium sinit : Deitas autem, quæ una est in Trinitate Patris, et Filii, et Spiritus sancti, omnem opinionem inæqualitatis excludit. Nihil enim ibi habet æternitas temporale, nihil natura dissimile ; una illic voluntas est, eadem substantia, par potestas, et non tres dii, sed unus est Deus ; quia vera et inseparabilis est unitas, ubi nulla potest esse diversitas. [d] In integra igitur veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, et quæ reparanda suscepit. Nam illa quæ deceptor invexit, et homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Salvatore vestigium ; nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam servi sine sorde peccati ; humana provehens, divina non minuens : exinanitio enim illa qua se invisibilis visibilem præbuit, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis.

Cap. III. — Ut ergo ad æternam beatitudinem, ab originalibus vinculis et a mundanis [e] revocaremur erroribus, ipse ad nos descendit, ad quem nos non poteramus ascendere, quia etsi multis inerat amor veri, incertarum tamen opinionum varietas fallentium dæmonum decipiebatur astutia, et falsi nominis scientia in diversas compugnantesque sententias humana ignorantia trahebatur. Ad auferendum autem hoc ludibrium, quo captivæ mentes superbienti diabolo serviebant, non sufficiebat doctrina legalis, nec per solas cohortationes propheticas poterat natura nostra reparari ; sed adjicienda erat 76 veritas redemptionis [f] moralibus institutis, et corruptam ab initio originem novis renasci oportebat exordiis. Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quæ et nostri generis socia, et nostræ contaminationis esset aliena : ut hoc propositum Dei, quo peccatum mundi in Jesu Christi placuit nativitate ac passione [g] deleri, ad omnium generationum sæcula pertineret ; nec turbarent nos, sed potius confirmarent mysteria, pro temporum ratione variata, cum fides, qua vivimus, nulla fuerit ætate diversa.

Cap. IV. — Cessent igitur illorum querelæ, qui impio murmure divinis dispensationibus obloquentes, de Dominicæ Nativitatis tarditate causantur, tamquam præteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima mundi ætate [h] sit gestum. Verbi enim incarnatio hoc contulit faciendum, quod factum ; et sacramentum salutis humanæ nulla umquam antiquitate cessavit. Quod prædicaverunt apostoli, hoc annuntiaverunt prophetæ ; nec sero est impletum, quod semper est creditum. Sapientia vero et benignitas Dei hac salutiferi operis mora, capaciores nos suæ vocationis effecit ; ut quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat sæcula prænuntiatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum : et [i] nativitas Salvatoris, quæ omnia miracula omnemque humanæ intelligentiæ erat excessura mensuram, tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio ejus et antiquior præcessisset et crebrior. Non itaque novo consilio Deus rebus humanis, nec sera miseratione consuluit ; sed a constitutione mundi unam eamdemque omnibus causam salutis instituit. Gratia [j] enim Dei, qua semper est universitas justificata sanctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta ; et hoc magnæ pietatis sacramentum, quo totus jam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint qui [k] illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum.

Cap. V. — Unde cum manifesta pietate, dilectissimi, [l] tantæ in nos divitiæ divinæ bonitatis 77 effusæ sint, quibus ad æternitatem vocandis, non solum præcedentium exemplorum utilitas ministravit, sed etiam ipsa veritas visibilis et corporalis apparuit, non segni, neque carnali [m] lætitia diem Dominicæ

[a] Cod. Bonon. et prima editio, *de majestate.*

[b] Duo mss. S. Petri, unus Vat. et alter Bononiensis : *Et sicut forma servi formam Dei non adimit, ita forma Dei servi formam non minuit.* Sed textus editus congruit cum lectione ep. 28, ad Flavianum, cap. 3. Simili formula ep. 33, c. 2 : *Quod Deitatis est, caro non minuit ; quod carnis est, Deitas non peremit.*

[c] Prima editio, *propter eamdem hominis personam ;* ms. S. Petri et editio Veneta an. 1485, *propter eamdem Dei hominisque personam.*

[d] Eadem leguntur in ep. ad Flavianum 28, cap. 3.

[e] Sic ex ms. S. Petri et alio Vat. Al., *revocemur.*

[f] Aliqui codd. et editi ante Quesnellum, *mortalibus*, corrupte.

[g] Ita ex ms. S. Petri. Al., *delere.*

[h] Editi, *est gestum.* Prætulimus mss. exemplaria S. Petri et duo Vat. Dein editiones ante Quesnellum, omissa particula *enim*, habebant : *Verbi incarnatio hæc contulit facienda, quæ facta.* Quesnellus vero, nulla allata auctoritate, emendavit : *Verbi enim incarnatio hoc contulit facienda, quod facta.* Hanc lectionem invenimus in mss. collect. 1 et 5. Magis placuit lectio codicum S. Petri nec non collect. 2, a qua parum discrepant tres alii codices, in quibus amanuensium lapsu scriptum fuit : *Verbi enim incarnatio hoc contulit faciendam, quod factam.* Mox ex iisdem mss. S. Petri delevimus præpositionem *in*, quæ præmittebatur vocibus, *nulla umquam antiquitate.*

[i] Sic melius ex præstantioribus S. Petri codd. Al., *nativitas, quæ omnia miracula omnemque intelligentiæ*, etc.

[j] Editi ante Quesnellum, *autem.* Nostri codd., *enim.*

[k] Delevimus *in* ante *illud*, auctoritate mss. S. Petri.

[l] Erat in editis ante Quesnellum et in nonnullis codicibus, *tantæ in nobis divinæ bonitatis effusæ sint gratiæ, quibus ad æternitatem vocandis non solum exemplum præcedentium utilitas*, etc. Emendationem Quesnellianam reperimus in ms. S. Petri, ex quo supplevimus, *divinæ*, quod Quesnellus omiserat.

[m] Cod. S. Petri, *gaudio.*

Digitized by Google

Nativitatis celebrare debemus. Quod digne ac [a] diligenter fiet a singulis, si meminerit quisque cujus corporis membrum sit, et cui capiti coaptatum; ne sacræ ædificationi discors compago non hæreat. Considerate, dilectissimi, et secundum illuminationem Spiritus sancti prudenter advertite, quis nos in se susceperit, et quem susceperimus in nobis: quoniam [b] sicut factus est Dominus Jesus caro nostra nascendo, ita et nos facti sumus corpus ipsius renascendo. Ideo et membra Christi, et templum sumus Spiritus sancti: et ob hoc B. Apostolus dicit, *Glorificate, et portate Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 20). Qui formam nobis suæ mansuetudinis et humilitatis insinuans, ea nos virtute imbuit qua redemit, ipso Domino pollicente: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 28, 29). Suscipiamus ergo regentis nos veritatis non grave nec asperum jugum, et simus ejus humilitati similes, cujus gloriæ volumus esse conformes: ipso auxiliante et perducente nos ad promissiones suas, qui secundum magnam misericordiam suam potens est [c] peccata nostra delere, et sua in nobis dona perficere, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIV [*Al.* XXIII].

In Nativitate Domini IV.

Synopsis. — I. *Per verbi incarnationem figuras et promissiones esse completas.* — II. *Nisi Deus fieret homo, nullum hominis vulneribus remedium superesse.* — III. *Christum verum Deum esse et verum hominem, peccati originalis expertem; cujus Nativitatis imago in baptismate.* — IV. *Ab hac alienos esse Manichæos Christum negantes corporaliter natum.* — V. *Alios hæreticos nonnihil habere sani, Manichæos nihil non impium.* — VI. *Ab illorum ficta pietate cavendum; unitati fidei, sine qua nihil verum, inhærendum esse.*

78 Cap. I. — Semper quidem, dilectissimi, diversis modis multisque mensuris humano generi [d] bonitas divina consuluit, et plurima providentiæ suæ munera omnibus retro sæculis clementer impertiit; sed in novissimis temporibus omnem abundantiam solitæ benignitatis excessit, quando in Christo, ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit: ut Verbum illud coæternum et coæquale genitori in unitatem Deitatis suæ [e] naturam nostræ humilitatis assumeret, et Deus de Deo natus, idem etiam homo de homine nasceretur. Promissum quidem hoc a constitutione mundi, et multis [f] significationibus rerum atque verborum semper fuerat prophetatum; sed quantam hominum portionem figuræ illæ et mysteria obumbrata salvarent! nisi longa et occulta promissa adventu suo Christus impleret; [g] et quod tunc paucis credentibus profuit faciendum, innumeris jam fidelibus prodesset effectum. Jam ergo nos non signis neque imaginibus ad fidem deducimur, sed evangelica historia confirmati, quod factum credimus, adoramus; accedentibus ad eruditionem nostram prophetici instrumentis, ut nullo modo habeamus ambiguum, quod tantis oraculis scimus esse prædictum. Hinc enim est quod Dominus Abrahæ ait: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Hinc David promissionem Dei prophetico spiritu cauit [h] dicens: *Juravit Dominus David, et non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Ps.* CXXXI, 11). Hinc idem Dominus per Isaiam, *Ecce virgo*, inquit, *in utero* [i] *accipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel: quod interpretatur, Nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14). Et iterum: *Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isai.* XI, 1). In qua virga [j] non dubie beata Virgo Maria prædicta est, quæ de Jesse et David stirpe progenita, et Spiritu sancto fecundata, novum florem carnis **79** humanæ, utero quidem materno, sed partu est enixa virgineo.

Cap. II. — Exsultent ergo [k] justi in Domino, et in laudem Dei corda credentium, et mirabilia ejus confiteantur filii hominum: quoniam in hoc præcipue [l] Dei opere humilitas nostra cognoscit, quanti eam suus conditor æstimarit. Qui cum origini humanæ multum dederit, quod nos ad imaginem suam fecit, reparationi nostræ longe amplius tribuit, cum servili formæ ipse se Dominus coaptavit. Quamvis enim ex una eademque pietate sit, quidquid creaturæ Creator impendit, minus tamen mirum est hominem ad divina proficere, quam Deum ad humana descendere.

[a] Sic ex mss. S. Petri et prima editione. Al., *intelligenter*.

[b] Ita codd. S. Petri, quibus congruunt mss. collect. 1 et 2. Solum enim omittunt vocem *nostra*, quam præferunt alii codices, et Leonino more exigere videtur subsequens vox *ipsius*. Antea legebatur in editis et aliquot mss.: *Sicut factus est Dominus caro nostra nascendo, ita et nos facti sumus ipsius renascendo*. Post pauca, *Spiritus Dei*, pro *Spiritus sancti*, est in nonnullis codicibus.

[c] Cod. S. Petri, *et nostra peccata delere, et sua in nos dona perficere*. Dein in aliquibus codd., *per infinita sæcula sæculorum*.

[d] Mss. S. Petri ac Bon., et prima editio, *veritas divina*.

[e] Aliqui codd. Vat. et Bon., ac prima editio, *materiam*.

[f] Duo S. Petri et unus Vat., *signationibus*.

[g] Unus ms. S. Petri et prima editio, *ut quod*.

[h] Supplevimus *dicens* ex aliquot mss. et editionibus. Dein prima editio: *Juravit Dominus veritatem David*. Cod. S. Petri, *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: De fructu ventris tui ponam super sedem meam*.

[i] Ms. Bon. et prima editio, *concipiet*. Mox in cod. S. Petri, *vocabunt* pro *vocabitur*; et in duobus ejusdem basilicæ, *quod est interpretatum*.

[j] In duobus Vat. et uno Bon., *non dubium quod*. Prima editio, *non dubie quod*. Duo mss. S. Petri et unus Vat., *non dubium, sine quod*.

[k] Retinuimus lectionem primæ editionis, quæ mss. Lectionariis S. Petri et codd. collect. 3 comprobatur. In cæteris editis et mss. desiderantur verba, *justi in Domino, et*.

[l] Quinque mss. et prima editio, *dici opere*; sed antea scribendum fuerat, *in hujus*.

Digitized by Google

Hoc autem nisi facere dignaretur omnipotens [a] Deus, A nulla quemquam species justitiæ, nulla forma sapientiæ a captivitate diaboli et a profundo æternæ mortis erueret. Condemnatio enim ex uno in omnes cum peccato transiens permaneret, et lethali vulnere [b] tabefacta natura nullum remedium reperiret, quia conditionem suam suis viribus mutare non posset. Primus namque homo carnis substantiam [c] accepit e terra, et rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est (*Gen.* II, 7) ut ad imaginem et similitudinem auctoris sui vivens, formam [d] Dei bonitatis atque justitiæ in splendore imitationis tamquam in speculi nitore servaret. Quam naturæ suæ speciosissimam dignitatem si per observantiam legis datæ perseveranter excoleret, ipsam illam terreni corporis qualitatem ad cœlestem gloriam mens incorrupta B perduceret. Sed quia invido [e] deceptori temere atque infeliciter credidit (*Gen.* III, 6), et superbiæ consiliis acquiescens, repositum honoris augmentum occupare maluit quam mereri, non solum ille homo, sed etiam universa in illo posteritas ejus audivit : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). *Qualis* ergo *terrenus*, *tales et terreni* (I *Cor.* XV, 49); et nemo immortalis, quia nemo cœlestis.

Cap. III. — [f] Ad hoc itaque peccati et mortis vinculum resolvendum, omnipotens Filius Dei, omnia implens, omnia continens, æqualis per omnia Patri, et [g] in una ex ipso et cum ipso consempiternus essentia, naturam in se suscepit humanam, et Creator ac Dominus omnium rerum, dignatus est 80 unus esse mortalium; electa sibi matre, quam fecerat; C quæ salva integritate virginea, corporeæ esset tantum ministra substantiæ, ut humani [h] seminis cessante contagio, novo homini et puritas inesset et veritas. Non ergo in Christo ex utero virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo [i] nostri est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo; et nullum est in utraque substantia mendacium. *Verbum caro factum est* provectione carnis, non defectione Deitatis : quæ sic potentiam suam bonitatemque moderata est, ut et nostra suscipiendo proveheret, et sua communicando [j] non perderet. In hac nativitate Christi secundum prophetiam David, *veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit* (*Ps.* LXXXIV, 12). In hac nativitate etiam Isaiæ sermo completus est dicentis : *Producat terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul* (*Isa.* XLV, 8). Terra enim carnis humanæ, quæ in primo fuerat prævaricatore maledicta, in hoc solo beatæ virginis partu germen edidit benedictum, et a vitio suæ stirpis alienum. Cujus spiritalem originem [k] in regeneratione quisque consequitur; et omni homini renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eodem Spiritu sancto replente fontem, qui replevit et virginem; ut peccatum quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio.

Cap. IV. — Ab hoc sacramento, dilectissimi, insanus Manichæorum error alienus est, nec ullum habent in Christi regeneratione consortium, qui eum de Maria Virgine negant corporaliter natum : ut cujus non credunt veram nativitatem, nec veram recipiant passionem; et quem non confiten ur vere sepultum, abnuant veraciter suscitatum. Ingressi enim præruptam exsecrandi dogmatis viam, in qua nihil non tenebrosum, nihilque non lubricum est, ruunt in profunda mortis per præcipitia falsitatis; nec aliquid solidum, cui innitantur, inveniunt, qui [l] præter omnia diabolici probra commenti, in ipso præcipuo observantiæ suæ festo, sicut proxima eorum confessione patefactum est, ut animi, ita et corporis pollutione lætantur,[m] nec fidei integritatem, nec pudorem servantes; ut et in dogmatibus 81 suis impii, et in sacris inveniantur obsceni.

Cap. V. — Aliæ hæreses, dilectissimi, licet merito omnes [n] in sui diversitate damnandæ sint, habent tamen singulæ in aliqua sui parte quod verum est. Arius Dei Filium minorem Patre et creaturam esse definiens, et ab eodem inter omnia creatum putans Spiritum sanctum, magna impietate se perdidit; sed sempiternam atque incommutabilem Deitatem, quam in Trinitatis unitate non vidit, in Patris essentia non negavit. Macedonius a lumine veritatis alienus, divinitatem sancti Spiritus non recepit, sed in Patre et Filio unam potentiam, et eamdem confessus est esse naturam. Sabellius [o] inexplicabili errore confusus, unitatem substantiæ in Patre, et Filio, et Spiritu sancto inseparabilem sentiens, quod æqualitati tribuere debuit, singularitati dedit. Et cum veram Trinitatem intelligere non valeret, unam eamdemque

[a] Vox *Deus* addita ex mss. S. Petri, Vat. et Bon. ac prima editione. Mox *specie* pro *species* in ms. S. Petri. D

[b] Duo mss. Vat., unus Bon., ac prima editio, *labefacta*. Cod. S. Petri, *labefactata*.

[c] Sic ex nostris mss. et editis ante Quesnellum, apud *quem*, *accipit*.

[d] *Dei* abest in prima editione.

[e] Editi ac nonnulli codd., *et deceptori*, vel *atque deceptori*. Delevimus conjunctionem ex duobus mss. S. Petri.

[f] Aliquot codd. et prima editio, *Ad hujus*.

[g] Duo mss. S. Petri ignorant *in*. Dein cod. Bon. et prima editio, *in ipso sempiternus*, pro *cum ipso consempiternus*. Infra : *Naturam suscepit nostram* in duobus mss. S. Petri, pro, *naturam in se suscepit humanam*.

Quatuor codd., in quibus duo S. Petri ac prima editio, *generis*; et, *Non enim*, pro, *Non ergo*.

[i] Addidimus *nostri* ex duobus mss. S. Petri, et confirmatur ex epistola 28. ad Flavianum, cap. 4.

[j] In duobus codd. S. Petri ac totidem Vat., uno Bon. ac prima editione, *non proderet*.

[k] Duo mss. S. Petri, *in regeneratione consequimur*.

[l] Ita Quesnellus cum prima editione et tribus nostris codicibus. Al., *propter*. Paulo post, *et animi et corporis* in codd. S. Petri.

[m] Ita emendavimus ex ms. S. Petri, et duobus Vat. atque uno Bon. Al., *neque in fide integritatem, nec in pudore servantes*. In prima editione et in alio ms. Bon., *nec in pudore, nec in fide integritatem servantes*.

[n] Editi, *in sua perversitate*. Correximus ex mss. S. Petri, cum discrimen cujusque S. pontifex notet. Paulo post iidem codd. S. Petri, et Bon., *verum sit*.

[o] Sic ex cod. S. Petri. Alias, *inexplanabili*.

Digitized by Google

credidit sub triplici appellatione personam. Photinus mentis cæcitate deceptus, in Christo verum et substantiæ nostræ confessus est hominem, sed eumdem Deum de Deo ante omnia sæcula genitum esse non credidit. Apollinaris, fidei soliditate privatus, Filium Dei ita veram humanæ carnis credidit suscepisse naturam, ut in illa carne diceret animam non fuisse, quia vicem ejus expleverit ipsa Divinitas. Hoc modo si omnes quos catholica fides [a] anathematizavit retractentur errores, in aliis atque aliis quiddam invenitur quod a damnabilibus possit abjungi. In Manichæorum autem scelestissimo dogmate prorsus nihil est quod ex ulla parte possit tolerabile judicari.

Cap. VI. — Sed vos, dilectissimi, quos nullis dignius quam beati Petri apostoli alloquor verbis, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (I *Petr.* II, 9), ædificati super inviolabilem petram Christum, ipsique Domino Salvatori nostro per veram susceptionem nostræ carnis inserti, permanete stabiles in ea fide quam confessi estis coram multis testibus, et in qua renati per aquam et Spiritum sanctum, accepistis [b] chrisma salutis et signaculum vitæ æternæ. Si quis autem vobis aliud annuntiaverit præter id quod didicistis, anathema sit. Nolite impias fabulas præponere lucidissimæ veritati, et quidquid contra regulam catholici et apostolici symboli aut legere, aut audire contigerit, id omnino mortiferum et diabolicum judicate. Non vos seducant deceptoriis artibus ficta et simulata jejunia, quæ non ad purificationem, sed ad perditionem **82** [c] proficiunt animarum. Speciem quidem sibi pietatis et castitatis assumunt, sed hoc dolo actuum suorum obscena circumtegunt, et [d] de profani cordis penetralibus jacula quibus simplices vulnerentur emittunt: ut, sicut ait propheta, *sagittent in obscuro rectos corde* (*Ps.* X, 3). Magnum præsidium est fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab ullo quidquam, nec minui potest: quia nisi una est, fides non est, dicente Apostolo: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma; unus Deus et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis* (*Ephes.* IV, 5). Huic unitati, dilectissimi, inconcussis mentibus inhærete, et in hac omnem *sectamini sanctitatem* (*Heb.* XII, 14), in hac præceptis Domini deservite, quia *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 6), et nihil sine illa sanctum, nihil castum est, nihil vivum: *justus enim ex fide vivit* (*Habac.* II, 4); quam qui diabolo decipiente perdiderit, vivens [e] mortuus est, quia sicut per fidem justitia, ita etiam per fidem veram vita obtinetur æterna, dicente Domino Salvatore: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3); [f] qui vos proficere et perseverare faciat usque in finem, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXV [*Al.* XXIV].

[g] *In Nativitate Domini V.*

Synopsis. — I. *Rudibus Ecclesiæ filiis debitorem se fatetur Leo. Non in sola mandatorum observantia, sed et in tramite fidei angustam esse viam* — II. *Verbum Patri æquale et consubstantiale, per incarnationem Patre minorem factum quoad humanam naturam.* — III. *Profundum incarnationis mysterium expenditur.* — IV. *Christum in veteri lege prænuntiatum, in nova missum, nonnisi Spiritu Dei cognosci posse.* — V. *Nisi Verbum caro fieret, mors regnaret ab Adam. Filius Dei homo factus, ut homines fierent filii Dei. Virtus baptismatis.* — VI. *Incarnationem et mysterium esse et exemplum.*

Cap. I. — Quamvis, dilectissimi, ineffabilis sit nativitas Domini nostri Jesu Christi, **83** qua se naturæ nostræ carne vestivit: audeo tamen non de facultate mea [h] fidere, sed de ipsius inspiratione præsumere, ut in die qui [i] in sacramentum humanæ restitutionis electus est, aliquid a nobis quod audientes possit ædificare promatur. Non enim quia major pars Ecclesiæ Dei quod credit intelligit, ideo necessarium non est etiam quæ dicta sunt dicere, cum utique nunc multis ad fidem primum venientibus oris nostri officium debeamus, meliusque sit doctos onerare jam notis, quam rudes fraudare discendis. Quod ergo Filius Dei, qui cum Patre et Spiritu sancto non unius personæ, sed unius essentiæ est, dignatus est j humilitatis nostræ particeps fieri, et unus passibilium, unus voluit esse mortalium, tam sacratum tamque mirabile est, ut ratio divini consilii sapientibus mundi patere non possit, nisi humanæ ignorantiæ tenebras lux vera discusserit. Non enim in solo opere virtutum, aut in sola observantia mandatorum, sed etiam in tramite fidei *angusta et ardua via est quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 14); et magni laboris est magnique discriminis, inter dubias imperitorum opiniones et verisimiles falsitates per unam [k] sanæ doctrinæ semitam inoffensis gressibus ambulare; et cum undique se laquei erroris opponant, omne periculum deceptionis evadere. Quis autem ad hæc idoneus, nisi qui spiritu Dei docetur et regitur? dicente Apostolo: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex*

[a] Ita mss. duo S. Petri, quibus concinit codex Casinensis collect. 1, ubi *anathemat*, forte pro *anathematizat*. Vulgati et alii codd., *damnat*.

[b] Ed., *charisma*. Ques. — Nos vero hanc lectionem in nulla editione, qua usi sumus, reperimus. Post pauca, *aliquid annuntiaverit*, pro *aliud annuntiaverit*, in mss. S. Petri et prima editione.

[c] Al., *proficient*, in uno ms. Vat.

[d] Mss. S. Petri, Bon. et prima editio, *de profanis*.

[e] Cod. Bon. et prima editio, *mortuus erit*.

[f] In eodem Bon. et prima editione, *nos*.

[g] In uno ms. S. Petri hic sermo inscribitur: *de Nativitate Domini contra hæreticos*; in alio, *contra Judæos et hæreticos*.

[h] In editis ante Quesnellum et in al quibus mss. deest *fidere*, quam vocem præsertim in mss. S. Petri et Casin. invenimus.

[i] Unus cod. S. Petri, *in sacramento humanæ restitutionis*. Alius S. Petri et quatuor Vat., *in sacramento humanæ restaurationis*.

[j] Ita duo codices S. Petri et sex Vaticani, uti pariter legitur cap. 3. Al., *humanitatis*. Promiscue tamen voces *humilitas* et *humanitas* a Leone usurpantur.

[k] Ms. S. Petri, *sanam*.

Digitized by Google

Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis (I Cor. II, 12); canente etiam David: *Beatus* [a] *homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (*Ps.* XCIII, 12).

CAP. II. — Habentes itaque, dilectissimi, inter pericula erroris præsidia veritatis, et non humanæ sapientiæ verbis, sed doctrina Spiritus sancti eruditi, quod didicimus [b] credimus, quod credimus prædicamus, Dei Filium ante sæcula a Patre genitum, et Patri sempiterna et consubstantiali æqualitate coæternum, venisse in hunc mundum per uterum Virginis [c] in hoc sacramentum pietatis electæ, in qua et ex qua *ædificavit sibi Sapientia domum* (*Prov.* IX, 1), et formam sibi servi in similitudinem carnis peccati, incommutabilis Verbi Deitas coaptavit (*Rom.* VIII, 3): in nullo apud se et Patrem et Spiritum sanctum minor gloria sua: quia diminutionem et **84** varietatem summæ et æternæ essentiæ natura non recipit. Propter nostram autem infirmitatem extenuavit se incapacibus sui, [d] et velamine corporis splendorem majestatis suæ, quem visus hominum non ferebat, obtexit. Unde etiam exinanisse se dicitur (*Philip.* II, 7), tamquam se propria virtute evacuaverit, dum in ea humilitate qua nobis consuluit, non solum Patre, sed etiam seipso factus est inferior. Nec aliquid illi hac inclinatione decessit, cui cum Patre et Spiritu sancto, hoc quod est [e] esse, commune est: ut hoc ipsum intelligamus ad omnipotentiam pertinere, quod qui secundum nostra minor est, secundum propria minor non est. Quia enim lux ad obcæcatos, virtus ad imbecilles, misericordia respexit ad miseros, de magna factum est [f] potestate, ut Dei Filius substantiam humanam causamque susceperit, qui et nostram naturam quam condidit reformaret, et mortem quam non fecit aboleret.

CAP. III. — Repudiatis igitur longeque rejectis omnibus opinionibus impiorum, quibus aut stultitia est [g] Christus aut scandalum, exsultet rectarum mentium fides, et verum unumque Dei Filium, non solum secundum Deitatem qua a Patre genitus, sed etiam secundum humanitatem qua de matre Virgine est natus, intelligat. Ipse est enim in humilitate nostra, qui est in majestate divina, verus homo et verus Deus: sempiternus in suis, temporalis in nostris; unum cum Patre in substantia, quæ numquam fuit minor Patre, unum cum matre in corpore quod creavit. In assumptione enim naturæ nostræ nobis tactus est gradus quo ad ipsum per ipsum possimus ascendere. Nam illa essentia quæ semper ubique tota est, locali descensione non eguit, et tam ei proprium fuit totam homini inseri, quam ei proprium est totam a Patre non dividi. Manet ergo, quod *in principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1), et non est ei accidens ut quod est aliquando non fuerit. Sempiterne enim Filius, Filius est; et sempiterne Pater, Pater est. Unde cum ipse Filius dicat: *Qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV, 9), excæcavit te, o hæretice, impietas tua, ut qui majestatem Filii non vidisti, Patris gloriam non videres: dicendo enim genitum esse qui non erat, Filium asseris temporalem; et dum Filium asseris temporalem, [h] credis Patrem esse mutabilem. **85** Mutabile enim est, non solum quod minuitur, sed etiam quidquid augetur; et si ideo Patri impar est Genitus, quia, ut tibi videtur, generando eum qui non erat genuit, imperfecta erat etiam generantis essentia, quæ [i] ad habendum quod non habuit, generando profecit. Sed hanc impiam perversitatem tuam fides catholica exsecratur et damnat; quæ in Deitate vera nihil temporalitatis agnoscit, sed unius sempiternitatis et Patrem confitetur, et Filium: quia splendor ex luce ortus non est luce posterior, et lux vera numquam est sui splendoris indiga, sic substantiale semper habens fulgere, sicut substantiale semper habet existere. Hujus autem splendoris manifestatio, missio dicitur, qua Christus mundo apparuit. [j] Qui cum omnia invisibili majestate sua semper impleret, tamen quasi de remotissimo altissimoque secreto, iis quibus erat ignotus advenit, cum cæcitatem ignorantiæ sustulit, et, sicut scriptum est, *sedentibus in tenebris et in umbra mortis, lux orta est eis* (*Isai.* IX, 2).

CAP. IV. — Quamvis enim etiam prioribus sæculis ad illuminationem sanctorum patrum et prophetarum lumen veritatis emissum sit, dicente David: *Emitte lucem tuam et veritatem tuam* (*Psal.* XLII, 3); et diversis modis multisque signis opera præsentiæ suæ Deitas Filii [k] declararit; omnes tamen illæ significationes, cunctaque miracula, testimonia fuerunt istius missionis de qua dicit Apostolus: *Cum ergo venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum,* [l] *factum ex muliere, factum sub lege* (*Galat.* IV, 4). Quid vero hoc est, nisi Verbum carnem fieri, Conditorem mundi per uterum Virginis nasci, Dominum majestatis hu-

[a] In prima editione deest *homo*.

[b] Mss. S. Petri et unus Vat., *credimus et prædicamus Dei Filium Deum ante sæcula a Patre genitum*. Prima editio addit *Deum*, et omittit *a Patre*.

[c] Codd. S. Petri, *in hoc sacramento*.

[d] In mss. S. Petri, et uno Vat. ac editione Veneta an. 1485, *et sui velamine*.

[e] Ita codd. Quesn. et plerique nostri; sed in antea vulgatis *esse* aberat.

[f] Al. in uno Vat., *pietate*. Mox duo Vat., *substantiam, humanamque causam susciperet*. In codice S. Petri similiter legitur *susciperet*. Dein in iisdem Vat. deest *nostram*.

[g] Editi ante Quesn. et plures nostri codices, *Crux Christi*. At *Christus* est in ms. S. Petri. Aliquanto post, *in humilitate* pro *in humanitate*, cum Quesnello retinuimus ex pluribus et potioribus nostris codd.

[h] Ita melius ex codd. S. Petri. Editi cum aliis mss., *credidisti*.

[i] Editiones posteriores prima et anteriores Quesnello, *adhibendo quod non habuit, generando perfecit*. Potiores codices lectionem textui insertam approbant.

[j] *Et cum omnia* in duobus mss. Vat. et prima editione. Dein *abstulit* pro *sustulit* in aliquibus nostris codd., qui etiam præferunt conjunctionem *et*, in editis ante Quesn. omissam.

[k] Ita ex duobus mss. S. Petri et uno Vat. collect. 5. Al., *declaravit*.

[l] Editi *natum*. Recepimus laudatorum codicum lectionem, quæ Vulgatæ congruit.

Digitized by Google

manis se coaptare primordiis, et licet conceptui spiritali nulla sint terreni seminis mixta contagia, ad suscipiendam tamen veræ carnis substantiam solam [a] sumere de matre naturam? Hac missione, qua Deus unitus est homini, Filius impar est Patri, non in eo quod ex Patre, sed in eo quod est factus ex homine. Æqualitatem enim, quam inviolabilem habet Deitas, non corrupit humanitas; et Creatoris ad creaturam descensio, credentium est ad æterna [b] provectio. *Nam quia*, sicut ait Apostolus, *in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (I *Cor.* I, 21). Mundo ergo, id est prudentibus mundi, sapientia sua cæcitas facta est, nec potuerunt per illam cognoscere Deum, ad **86** cujus notitiam non nisi in sapientia ejus acceditur. Et ideo quia mundus de vanitate suorum dogmatum superbiebat, in eo constituit Dominus salvandorum fidem, quod et indignum videretur et stultum, ut [c] deficientibus omnibus opinionum præsumptionibus, sola Dei gratia revelaret quod comprehendere humana intelligentia non valeret.

Cap. V.—Agnoscat igitur catholica fides in humilitate Domini gloriam suam, et de salutis suæ sacramentis gaudeat Ecclesia, quæ corpus est Christi: quia nisi Verbum Dei caro fieret et habitaret in nobis, nisi in communionem creaturæ Creator ipse descenderet, et vetustatem humanam ad novum principium sua nativitate revocaret, regnaret mors ab Adam (*Rom.* v, 14) usque in finem, et super omnes homines condemnatio insolubilis permaneret, cum de sola conditione nascendi, una cunctis esset causa perC eundi. Solus itaque inter filios hominum Dominus Jesus innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus. Factus est homo nostri generis, ut nos divinæ naturæ possimus esse consortes. Originem quam sumpsit in utero virginis, posuit in fonte baptismatis; dedit aquæ, quod dedit matri; virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus sancti (*Luc.* I, 35), quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem. Quid autem sanandis ægris, illuminandis cæcis, vivificandis mortuis aptius fuit, quam ut superbiæ vulnera humilitatis remediis curarentur? Adam præcepta Dei negligens, peccati induxit damnationem; Jesus factus sub lege reddidit justitiæ libertatem. Ille diabolo obtemperans usque ad prævaricationem, meD ruit ut in ipso omnes morerentur; hic Patri obediens usque ad crucem, fecit ut in ipso omnes vivificarentur. Ille cupidus honoris angelici, naturæ suæ perdidit dignitatem; hic infirmitatis nostræ suscipiens conditionem, propter quos ad inferna descendit, eosdem in cœlestibus collocavit. Postremo illi per elationem lapso dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (*Genes.* III, 19); huic per subjectionem exaltato dictum est: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Ps.* CIX, 1).

Cap. VI.—Hæc Domini nostri opera, dilectissimi, non solum sacramento nobis utilia sunt, sed etiam imitationis exemplo, si in disciplinam ipsa remedia transferantur, quodque impensum est [d] mysteriis, prosit et moribus: **87** ut meminerimus nobis in humilitate et mansuetudine Redemptoris nostri esse B vivendum: quoniam, sicut ait Apostolus, *si compatimur, et conregnabimus* (*Rom.* VIII, 17). Frustra [e] enim appellamur Christiani, si imitatores non simus Christi, qui ideo se viam dixit esse (*Joan.* XIV, 6), ut conversatio magistri [f] sit forma discipulis, et illam humilitatem eligat servus, quam sectatus est Dominus; qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXVI [*Al.* XXV].

[g] *In Nativitate Domini VI.*

Synopsis. — I. *Nativitatis et infantiæ Christi mysteria numquam non esse recolenda.* — II *Ecclesiam, dum Christi ortum veneratur, suum celebrare.* — III. *Quæ sit præ quam Christus sine semine nascens largitur.* — IV. *Qui filius Dei est, Deum imitetur, Dei gratiæ voluntatique serviat.* — V. *Natalis Domini, natalis est pacis. Pax mundi et electorum qualis.*

Cap. I. — Omnibus quidem diebus, dilectissimi, atque temporibus, animis fidelium divina meditantium Domini et Salvatoris nostri ex matre Virgine ortus occurrit, ut mens ad confessionem sui auctoris erecta, sive in gemitu supplicationis, sive [h] in exsultatione laudis, sive in sacrificii oblatione versetur, nihil crebrius, [i] nihilque fidentius spiritali attingat intuitu, quam quod Deus Dei Filius, genitus de Patre coæterno, idem etiam partu est natus humano. Sed hanc adorandam in cœlo et in terra nativitatem nullus nobis dies magis quam hodiernus insinuat, et nova etiam in elementis luce radiante, [j] coram sensibus nostris mirabilis sacramenti ingerit claritatem. Non solum enim in memoriam, sed in conspectum quoD dammodo redit angeli Gabrielis cum Maria stupenta colloquium, [k] et conceptio de Spiritu sancto tam mire

[a] Prima editio, *sumpsit*.

[b] Sic ex mss. S. Petri et prima editione. Al., *subvectio*. In uno cod. Vat., *subvectio: quia, sicut ait Apostolus, non cognovit hic mundus per sapientiam Deum*.

[c] Conjunctionem *et*, in editis insertam ante vocem *deficientibus*, delevimus auctoritate ms. S. Petri et codd. Vat. collect. 4 et 5.

[d] Codd. S. Petri, *mysterium*.

[e] Tres codd., *autem* pro *enim*; et dein, *sumus* pro *simus*.

[f] Ita ex mss. S. Petri. Item in ms. Vat. collect. 5 habetur *discipulis*. Erat in editis, *forma esset discipuli, et illam humilitatem eligeret servus*. Dein in mss. S. Petri: *Qui vivit et regnat cum Deo Patre omnipotente et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.* In codd. Vat. collect. 4 : *Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum*.

[g] Ms. S. Petri: *Sermo S. Leonis papæ contra hæreticos de Nativitate Domini*.

[h] Idem codex S. Petri, *in exultatione*.

[i] Ita cum Quesn. mss. S. Petri. Anteriores editiones, *nihilque magis fidenter*.

[j] Editi, *totam*. Magis placuit lectio mss. S. Petri et unius Vat.

[k] Ita emendavit Quesnellus, nullum ms. significans. Emendationem *et conceptio* invenimus in mss. S. Petri et aliis codd.; additio autem vocum *Hodie enim* est in mss. collect. 5. Erat in editis cum quibus-

Digitized by Google

promissa quam credita. Hodie enim auctor mundi editus est utero virginali, et qui omnes naturas condidit, ejus est factus Filius quam creavit. Hodie Verbum Dei 88 carne apparuit vestitum, et quod numquam fuit humanis oculis visibile, cœpit etiam manibus esse tractabile. Hodie [a] genitum in nostræ carnis animæque substantia Salvatorem angelicis vocibus didicere pastores; et apud Dominicorum præsules gregum hodie evangelizandi forma præcondita est: ut nos quoque cum cœlestis militiæ dicamus exercitu: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 4).

Cap. II. — Quamvis igitur illa infantia quam Filii Dei non est dedignata majestas, in virum perfectum ætatis adjectione provecta sit, et consummato passionis et resurrectionis triumpho, omnes susceptæ pro nobis humilitatis transierint actiones, renovat tamen nobis hodierna festivitas nati Jesu ex Maria Virgine sacra primordia; et dum Salvatoris nostri adoramus ortum, invenimur nos nostrum celebrare principium. Generatio enim Christi origo est populi Christiani, et natalis capitis natalis est corporis. Habeant licet singuli quique vocatorum ordinem suum, et omnes Ecclesiæ filii temporum sint successione distincti, universa tamen summa fidelium, fonte orta baptismatis, sicut cum Christo in passione crucifixi, in resurrectione resuscitati, in ascensione ad dexteram Patris collocati, ita cum ipso [b] sunt in hac nativitate congeniti. Quisquis enim hominum in quacumque mundi parte credentium regeneratur in Christo, interciso originalis tramite vetustatis, transit in novum hominem renascendo; nec jam in propagine habetur carnalis patris, sed in germine Salvatoris, qui ideo filius hominis est factus, ut nos filii Dei esse possimus. Nisi enim ille ad nos hac humilitate descenderet, nemo ad illum ullis suis meritis perveniret. Nihil hic vocatorum cordibus caliginis inferat terrena sapientia, nec se contra altitudinem gratiæ Dei, mox in ima rediturus, terrenarum cogitationum pulvis attollat. Impletum est in fine sæculorum quod erat ante tempora æterna dispositum; et sub præsentia rerum, signis cessantibus figurarum, lex et prophetia veritas facta est: ut Abraham fieret omnium gentium pater, et in semine ejus daretur mundo promissa benedictio; nec hi tantum essent [c] Israelitæ, quos sanguis et caro genuisset, sed in possessionem hæreditatis fidei filiis præparatæ, universitas adoptionis intraret. 89 [d] Nec obstrepant ineptarum calumniæ quæstionum, nec effectus divini operis ratiocinatio humana discutiat; nos cum Abraham credimus Deo, nec hæsitamus diffidentia (*Rom.* IV, 20), sed plenissime scimus quoniam quod promisit [e] Dominus, potens est et facere.

Cap. III. — Nascitur ergo, dilectissimi, non de carnis semine, sed de Spiritu sancto Salvator, quem primæ transgressionis condemnatio non teneret. Unde ipsa collati muneris magnitudo dignam a nobis exigit suo splendore reverentiam. Ideo enim, sicut beatus Apostolus [f] docet, *non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (I *Cor.* II, 12): Qui non aliter pie colitur, nisi id ei quod ipse tribuit offeratur. Quid [g] autem in thesauro Dominicæ largitatis ad honorem præsentis festi tam congruum possumus invenire, quam pacem, quæ in nativitate Domini prima est angelico prædicata concentu? Ipsa enim est quæ parit filios Dei, nutrix dilectionis et genitrix unitatis; requies beatorum, et æternitatis habitaculum; cujus hoc opus proprium et speciale beneficium est, ut jungat Deo quos secernit de mundo. Unde Apostolus ad hoc bonum nos incitat, dicens: *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum* (*Rom.* V, 1). Cujus sententiæ brevitate omnium fere mandatorum continetur effectus: quia ubi fuerit veritas pacis, nihil ibi potest deesse virtutis. Quid est, autem, dilectissimi, pacem habere ad Deum, nisi velle quod jubet, et nolle quod prohibet? Si enim humanæ amicitiæ pares animos et similes expetunt voluntates, nec umquam diversitas morum ad firmam potest pervenire concordiam, quomodo divinæ particeps erit pacis, cui ea placent quæ Deo displicent, et iis appetit delectari quibus illum novit offendi? Non est iste animus filiorum Dei, nec talem sapientiam recipit adoptiva nobilitas. Genus electum et regium, regenerationis suæ respondeat dignitati, diligat quod diligit pater, et in nullo ab auctore suo dissentiat, ne iterum dicat Dominus: *Filios genui et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus me non intellexit* (*Isai.* I, 2).

Cap. IV. — Magnum est, dilectissimi, hujus muneris sacramentum, et omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, et homo Deum nominet patrem: per has enim appellationes sentitur et discitur quis ad tantam altitudinem ascendat affectus. Nam si in progenie carnali et stirpe terrena 90 claris parentibus genitos vitia malæ conversationis obscurant, et ipso majorum suorum lumine soboles indigna confunditur; in quem exitum venient, qui propter amorem mundi a generatione Christi non metuunt abdicari? Si autem ad humanam pertinet laudem ut patrum decus in prole resplendeat, quanto magis gloriosum est ex Deo [h] natis in auctoris sui imaginem refulgere, et illum in se qui eos generavit ostendere, dicente Domino: *Sic*

dam mss., *et conceptione de Spiritu sancto tam mire promissa quam credita, auctor mundi editus est.*

[a] Vox *genitum* desideratur in ms. Vat. collect. 5.

[b] Editi, *sumus*. Antepondam credidimus lectionem duorum mss. S. Petri et unius Vat.

[c] Vulgati, *Israel*. Correximus ex mss. S. Petri.

[d] Aliqui codd., *Non obstrepant*.

[e] Mss. S. Petri, *Deus*.

[f] In ilsdem codd. S. Petri, *docuit*.

[g] Supposuimus *autem* pro *enim* ex mss. S. Petri et quibusdam Vat.

[h] Al., *natos*. Mox *eos* ex codd. S. Petri et Vat. scripsimus. Al., *illos*.

Digitized by Google

luceat [a] *lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et magnificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16). Scimus quidem quod, sicut Joannes apostolus dicit, *totus mundus in maligno positus est* (*Joan.* v, **19**) ; et insidiante diabolo et angelis ejus, hoc innumeris tentationibus laboratur, ut hominem ad superna nitentem, aut adversa terreant, aut secunda corrumpant ; sed major est qui in nobis est quam qui adversum nos est, et pacem cum Deo habentibus, ac semper Patri toto corde dicentibus, *Fiat voluntas tua* (*Matth.* vi, 10), nulla prævalere certamina, nulli possunt nocere conflictus. Accusantes enim nosmetipsos confessionibus nostris, et consensum animi carnis concupiscentiis denegantes, inimicitias quidem adversum nos ejus, qui peccati auctor est, commovemus, sed inexpugnabilem cum Deo pacem gratiæ ipsius serviendo firmamus, ut Regi nostro non solum obedientia subjiciamur, sed etiam judicio copulemur. Quoniam si in eadem sententia sumus, si quod vult volumus, et quod improbat improbamus, ipse jam pro nobis omnia bella conficiet, ipse qui dedit velle, donabit et posse : ut simus cooperatores operum ejus, et propheticum illud cum [b] fidei exsultatione dicamus : *Dominus illuminatio mea et salus mea ; quem timebo ? Dominus defensor vitæ meæ ; a quo trepidabo* (*Ps.* xxvi, 1) ?

Cap. V. — Qui ergo *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis,* [c] *neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* i, 13), offerant Patri pacificorum concordiam filiorum, [d] et in primogenitum novæ creaturæ, qui venit non suam, sed mittentis facere voluntatem, universa adoptionis membra concurrant : quoniam gratia Patris non discordes neque dissimiles, sed unum sentientes unumque amantes, adoptavit hæredes. Ad unam reformatos imaginem oportet animam habere conformem. Natalis Domini natalis est pacis : [e] sic enim ait Apostolus : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* ii. 14) ; quoniam sive Judæus, sive gentilis, *per ipsum habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem* (*Ib.*, 18) ; **91** qui ante passionis diem voluntaria dispositione prælectum, discipulos suos hac præcipue doctrina [f] informavit, ut diceret : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* xiv, 17). Et ne sub nomine generali pacis suæ qualitas lateret, adjecit : *Non quemadmodum mundus dat ego do vobis.* Habet, [g] inquit, mundus amicitias suas, et multos facit perverso amore concordes. Sunt etiam in vitiis pares animi, et similitudo desideriorum æqualitatem gignit affectuum. [h] Et si quidam forsitan reperiantur quibus prava et inhonesta non placeant, quique illicitas consensiones a fœdere suæ charitatis excludant, tamen etiam tales, si vel Judæi sint, vel hæretici, vel pagani, non de amicitia Dei, sed de pace sunt mundi. Pax autem spiritalium et catholicorum, a supernis [i] veniens, et ad superna perducens, cum amatoribus mundi nulla nos vult communione misceri, sed omnibus obstaculis resistere, et ad vera gaudia a perniciosis delectationibus evolare, dicente Domino : *Ubi fuerit thesaurus tuus,* [j] *ibi erit et cor tuum* (*Matth.* vi, **22**) : hoc est, si deorsum sunt quæ amas, ad ima descendes ; si sursum sunt quæ diligis, ad summa pervenies : quo nos unum volentes, unum sentientes, et in fide ac spe et in charitate concordes, Spiritus pacis agat atque perducat : quoniam *quicumque Spiritu Dei aguntur, ii filii sunt Dei* (*Rom.* viii, 14), qui regnat cum Filio, et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXVII [*Al.* XXVI].

[k] *In Nativitate Domini VII.*

Synopsis. — I. *Æqualis esse periculi alterutram in Christo negare naturam.* — II. Verbum caro factum est, *quomodo intelligendum ? Qui effectus ?* — III. *Diabolum varie homines tentare pro variis eorum offitiis et studiis.* — IV. *Quod soli orienti quidam Christiani se inclinant, ex superstitione esse.* — V. *Cœlestia corpora hominum utilitati servire.* — VI. *Quis rectus creaturarum usus. Homo ad præsentia natus, ad futura renatus.*

Cap. I. — Festivitatis hodiernæ, dilectissimi, verus venerator est et pius cultor qui **92** nec de incarnatione Domini aliquid falsum, nec de Deitate aliquid sentit indignum : paris enim periculi malum est, si illi aut naturæ nostræ veritas, aut paternæ gloriæ negatur æqualitas. Cum ergo ad intelligendum sacramentum Nativitatis Christi, qua de matre Virgine est ortus, accedimus, abigatur procul terrenarum caligo rationum, [l] et ab illuminatæ fidei oculis mundanæ sapientiæ fumus abscedat ; divina est enim auctoritas cui credimus, divina est doctrina quam sequimur. Quoniam sive legis testificationi, sive oraculis prophetarum, sive evangelicæ tubæ interiorem admoveamus auditum, verum est quod

[a] Quædam antiquæ editiones, *lux vestra.* Dein ex cod. S. Petri et uno Vat., *magnificent* scripsimus, pro *glorificent* ; similiter enim legitur serm. 38, cap. 3, et serm. 43, cap. 4.

[b] In ms. Vat. collect. 5 deest *fidei.*

[c] Ms. S. Petri, *nec ex voluptate carnis, nec ex voluptate viri.* Sic etiam apud Hilarium lib. i de Trinitate, n. 10, in vetustissimo codice ejusdem basilicæ S. Petri.

[d] In ms. Bonon. et Vat., ac prima editione, *etiam in primogenitum.*

[e] Ms. S. Petri et prima editio : *Sicut enim.*

[f] Editi et aliquot codd. addunt *sua*, quod delevimus ex ms. S. Petri et prima editione.

[g] *Enim* pro *inquit* supposuit Quesnellus ; qua auctoritate, iguoramus : omnes enim nostri mss. et editi habent, *inquit. Habet* autem sine *non* et vocem *suas* reperimus in duobus codd. S. Petri et in Casinensi. In anterioribus editis, et mss. trium posteriorum collectionum : *Non habet, inquit, mundus amicitias veras, et multos*, etc. In uno Vaticano, *quia multos*, pro *et multos.*

[h] In mss. S. Petri et Vat., *At si* ; in prima editione, *Ac si.*

[i] In cod. S. Petri, *est veniens . . . . quæ cum amatoribus.*

[j] Addidimus *et* ex nostris codd. In prima editione, *ibi est et cor tuum.*

[k] Unus codex S. Petri : *Sermo S. Leonis papæ contra hæreticos de Incarnatione Domini.*

[l] Sic ms. S. Petri. Al., *oculo.* Prima editio, *et illuminante fidei oculo.*

Digitized by Google

[a] beatus Joannes plenus Spiritu sancto intonuit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est, nihil* (*Joan.* I, 1-3). Et similiter verum est quod idem prædicator adjecit : *Verbum caro factum est et habitavit in nobis ; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre* [b] (*Ibid.*, 14). In utraque ergo natura idem est Dei Filius nostra suscipiens, et propria non amittens ; in homine hominem renovans, [c] in se incommutabilis perseverans. Deitas enim, quæ illi cum Patre communis est, nullum detrimentum omnipotentiæ subiit, nec Dei formam servi forma violavit, quia summa et sempiterna essentia, quæ se ad humani generis inclinavit salutem, nos quidem in suam gloriam transtulit, sed quod erat esse non destitit. Unde cum Unigenitus Dei minorem se Patre confitetur (*Joan.* XIV, 28), cui se dicit æqualem (*Joan.* X, 30), veritatem in se formæ utriusque demonstrat : ut et humanam probet imparilitas, et divinam declaret æqualitas.

CAP. II. — Majestati igitur Filii Dei corporea nativitas nihil abstulit, nihil contulit, quia substantia incommutabilis nec minui potuit, nec augeri. Quod enim *Verbum caro factum est*, non hoc significat, quod in carnem sit Dei natura mutata, sed quod a Verbo in unitatem personæ sit caro susceptæ ; in cujus utique nomine homo totus accipitur, cum quo intra Virginis viscera sancto Spiritu fecundata, et numquam virginitate caritura, tam inseparabiliter Dei Filius [d] est unitus, ut qui erat intemporaliter de essentia Patris genitus, ipse sit temporaliter de utero Virginis natus. Aliter enim ab æternæ mortis vinculis non possemus absolvi, nisi in nostris fieret humilis, qui omnipotens **93** [e] permanebat in suis. Nascens itaque Dominus noster Jesus Christus homo verus, qui numquam destitit esse Deus verus, novæ creaturæ in se fecit exordium, et [f] in ortus sui forma dedit humano generi spiritale principium, ut ad carnalis generationis abolenda contagia, esset regenerandis origo sine semine criminis, de quibus dicitur : *Qui non ex sanguinibus, neque* [g] *ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I, 13). Quæ hoc sacramentum mens comprehendere, quæ hanc gratiam valeat lingua narrare ? Redit in innocentiam iniquitas, et in novitatem vetustas ; in adoptionem veniunt alieni, et in hæreditatem ingrediuntur extranei. De impiis justi, de avaris benigni, de incontinentibus casti, de terrenis incipiunt esse cœlestes. Quæ autem est ista mutatio, nisi dexteræ Excelsi ? Quoniam venit Filius Dei dissolvere opera diaboli (I *Joan.*, III, 8), et ita se nobis, nosque [h] inseruit sibi, ut Dei ad humana descensio, fieret hominis ad divina projectio.

CAP. III. — In hac autem, dilectissimi, misericordia Dei, cujus erga nos magnitudinem explicare [i] non possumus, multa sollicitudine præcavendum est Christianis ne diabolicis iterum capiantur insidiis, et eisdem rursus, quibus [j] renuntiaverunt, erroribus implicentur. Non enim desinit hostis antiquus, transfigurans se in angelum lucis (II *Cor.* XI, 14), deceptionum laqueos ubique prætendere, et ut quoquo modo fidem credentium corrumpat, instare. Novit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat **94** incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ ; novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat ; omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur [k] affectus ; et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. Habet etenim multos ex eis quos tenacius obligavit, aptos artibus suis, quorum ad alios decipiendos et ingeniis utatur et linguis. Per istos remedia ægritudinum, indicia futurorum, placationes dæmonum, et depulsiones promittuntur umbrarum. [l] Addunt se et illi, qui totam humanæ vitæ conditionem de stellarum pendere effectibus mentiuntur, et quod est aut divinæ voluntatis, aut nostræ, indeclinabilium dicunt esse fatorum. Quæ tamen, ut cumulatius noceant, spondent posse mutari, si illis quæ adversantur sideribus supplicetur. Unde commentum impium [m] sua ratione destruitur, quia si prædicta non permanent, non sunt fata metuenda ; si permanent, non sunt astra veneranda.

CAP. IV. — De talibus institutis etiam illa generatur impietas, ut sol [n] in inchoatione diurnæ lucis exsurgens a quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur ; quod nonnulli etiam Christiani adeo se religiose facere putant, ut priusquam ad B. Petri apostoli basilicam, quæ uni Deo vivo et vero est dedicata, perveniant, superatis gradibus quibus ad suggestum [o] areæ superioris ascenditur,

[a] Addidimus *beatus* ex Lectionariis S. Petri et Veron.

[b] Prima editio addit, *plenum gratiæ et veritatis.* Dein, *In utraque enim natura* in duobus mss. S. Petri et Vat. ac prima editione.

[c] Codd. S. Petri, *ipse incommutabilis.* Postea *non desiit*, pro *non destitit*, in ms. Veronensi.

[d] Sic ex nostris codicibus et prima editione. Cæteri editi, *unitur.*

[e] Duo codd. S. Petri addunt, *et sublimis*, Paulo ante, *non poteramus*, pro *non possemus*, in ms. Veronensi.

[f] Præpositio *in* abest a prima editione.

[g] Ms. S. Petri, *ex voluptate*, uti etiam in superiori sermone, cap. 5.

[h] Cod. Bon. et prima editio, *inserit.*

[i] Ita ex mss. S. Petri et Veron. Al., *non valemus*

[j] Sic ex ms. Veron. et duobus Vat. Al., *renuntiaverant.*

[k] Mss. S. Petri, Bonon., ac prima editio, *effectus.*

[l] Editi ante Quesnellum, et aliqui codd., *Addunter et illi.* Emendationem confirmant mss. S. Petri, Veron. et Casin. Paulo post *effectibus* restituimus ex editis ante Quesn. et melioribus nostris codicibus. Quesnellus cum mss collect. 5, *affectibus* ; et in margine : Al., *effectibus.*

[m] Al., *hac.* QUESNELL. in margine.

[n] Præpositionem *in* reposuimus ex mss. S. Petri et tribus Vat. ac prima editione.

[o] Quesnellus in secunda editione hanc annotationem subjecit : « Antea legebatur *aræ*, etiam in prima nostra editione. Errorem primus deprehendit vir

Digitized by Google

converso corpore [a] ad nascentem se solem reflectant, et curvatis cervicibus, in honorem se splendidi orbis inclinent. 95 Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu, multum tabescimus et dolemus : quia etsi quidam forte Creatorem potius pulchri luminis quam ipsum lumen, quod est creatura, venerantur, abstinendum tamen est [b] ab ipsa specie hujus officii, quam cum in nostris invenit, qui deorum cultum reliquit, nonne hanc secum partem opinionis vetustæ tamquam probabilem retentabit, quam Christianis et impiis viderit esse communem?

Cap. V.—Abjiciatur ergo a consuetudine fidelium damnanda perversitas, nec honor uni Deo debitus, eorum ritibus qui creaturis deserviunt, misceatur. Dicit enim Scriptura divina : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV, 10). Et beatus Job, *homo sine querela*, ut ait Dominus, *et continens se ab omni re mala* (*Job.* I, 8), *Numquid vidi*, inquit, *solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et lætatum est cor meum in abscondito, et osculatus sum manum meam : quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum* (*Job.* XXXI, 26-28)? Quid autem est sol, vel quid est luna, nisi [c] visibilis creaturæ et corporeæ lucis elementa? quorum unum est majoris claritatis, et aliud minoris est luminis. Sicut enim alia diurna, alia nocturna sunt tempora, ita [d] diversam in luminaribus qualitatem Creator instituit, cum tamen priusquam hæc fierent, et dies sine solis officio, et nocles sine lunæ ministerio præcessissent. Sed [e] condebantur ista ad faciendi hominis utilitatem, ut rationale animal nec in distinctione mensium, nec in recursu annorum, nec in dinumeratione 96 temporum falleretur : cum per [f] inæqualium horarum impares moras, et dissimilium ortuum signa manifesta, et annos sol concluderet, et menses luna [g] renovaret. Quarto namque, ut legimus, die, dixit Deus : *Fiant luminaria in firmamento cœli, et luceant super terram, et dividant inter diem et noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos, et sint in firmamento cœli, ut luceant super terram* (*Gen.* I, 14, 15).

Cap. VI. — Expergiscere, o homo, et dignitatem tuæ cognosce naturæ. Recordare te factum ad imaginem Dei (*Gen.* I, 26); quæ, etsi in Adam corrupta, in Christo tamen est reformata. Utere quomodo utendum

clarissimus Joannes Ciampinus Romanus, magister Brevium gratiæ, ac in utraque signatura referendarius, veramque lectionem vindicavit scripto Romæ excuso, anno 1693, sub hac epigraphe : *De vocis correctione in sermone* 7 *S. Leonis Magni de Nativitate Domini*, etc. *Litterulæ munusculum*, etc. Nihil ex doctissimi viri dissertatione hoc loco excerpimus, quia integram eam repræsentamus ad calcem istorum sermonum. Hoc unum moneo, correctum esse hunc locum auctoritate codicis Vaticani num. 1277, a sexcentis circiter annis exarati. » Hactenus ille. Ciampini dissertationem in observationibus nostris insertam invenies. In numerum autem codicis Vaticani 1277, quem cum optima lectione Ciampinus nactus est, error irrepsit. Codex enim eo numero signatus nihil habet quod ad Leonem pertineat. Diligentia autem inquisitionis adhibita, reperimus eam lectionem in perantiquo Vaticano Lectionario 1267, et hunc codicem a Ciampino allegatum arbitramur. Huic autem duos alios mss. libros basilicæ S. Petri addimus signatos num. 105 et 107, et unum Vallic. A 10, qui lectionem *areæ* similiter præferunt. In alio vero ejusdem basilicæ cod. 106, qui tamen non ita antiquæ originis est, habetur *arcis* pro *areæ*; sicut etiam in ms. Veronensi. Forte aliquis antiquus librarius scriptum invenit *arcæ*, uti legitur in mss. Veneto 153, et Casin. collect. 1, et *arcis* potius scribendum putavit. In alio Vallicell. XXVI, *aereæ* habetur pro *areæ*.

[a] Consuetudinem istam usurpatam esse dicit auctor noster *partim ignorantiæ vitio*, *partim paganitatis spiritu*; natamque ex prava seu Manichæorum, seu Priscillianistarum erga sidera veneratione. Cum tamen asserat quosdam forte Creatorem potius pulchri luminis quam ipsum lumen esse veneratos, probabile admodum est ortum esse ritum illum ex antiquo Christianorum more, qui ad orientem solem versi orare consueverant; præsertimque cum baptizandi erant, conversi ad occidentem Satanæ nuntium remittebant, conversi autem postmodum ad orientem, Christum salutabant atque adorabant. Sed cur hoc in ingressu basilicæ S. Petri potius quam aliarum? Nimirum tunc temporis mos erat ut Christianorum templa solem orientem respicerent, eumque ingredientes adversum haberent; quamobrem opus non erat ut qui illa subibant, ad orientem solem corpus reflecterent. Cum autem basilica S. Petri, sicuti et aliæ quædam antiquæ Urbis basilicæ, solem occidentem ab introitu respiceret, hinc Christiani, qui orientem versus orare solliti erant, ne antiqua consuetudo a patribus accepta atque in ipso baptismate usurpata penitus obliteraretur, hunc ritum retinuerant, et quidem in ejus basilicæ unius introitu, in qua olim fons baptismalis erat, quo abluti fideles nomen dare Christo consueverant sub Romani pontificis manu. Quesn. — Confer quæ in hunc locum explicandum optime digessit Ciampinus loco allegato notatione præcedenti, ubi inter cætera ingressum seu faciem basilicæ S. Petri ad orientem spectasse ostendit, unde orientem solem veneraturi in suggestu areæ superioris, corpore *reflectere* debebant. Id autem *partim ignorantiæ vitio*, *partim paganitatis spiritu* fiebat a nonnullis Christianis, quia hi arripientes veterem Christianorum ritum orandi facie ad orientem versa, ignorantes vero hujus ritus rationem, qua non sol, sed Deus adorabatur, eumdem ritum ad solem nascentem veneranduin paganico spiritu traducebant. Hinc pravam ejusmodi consuetudinem in ili Christianis S. pontifex non e Manichæis vel Priscillianistis ortam indicat, sed ex antiquo ritu Christianorum paganico spiritu ad solem ignoranter traducto; nec reprehendit tamen ipsum ritum orandi ad Orientem, sed ejus abusum, quo vel sol colebatur, vel si non sol, sed Deus coleretur, scandalum ex circumstantiis oriri poterat.

[b] Sic ex mss. S. Petri et Veron. Al., *ab ipsa hujusmodi specie officii*.

[c] Forte, *visibiles*. Quesnellus in margine.

[d] Codex Veron., *diversas in luminaribus qualitates*. Cod. Bon. et prima editio, *in luminibus*.

[e] Prima editio et unus Vat., *concedebantur*. Alii editi ante Quesn., *condita sunt*. Quesnellianam emendationem reperimus in septem nostris codd., ad quam accedit ms. Casin., *cum debebantur*. Mox ex codd. S. Petri, Vat., Vallicell. et Casin. ac prima editione, *faciendi* reposuimus pro *faciendam*.

[f] Ita mss. Corb., Gaudiival. et Vict. Quesnelli. Similiter nostri codd. et nonnullæ editiones. Al., *æqualium*.

[g] Al., *determinaret* in ms. Corb. Quesnelli.

Digitized by Google

est visibilibus creaturis, sicut uteris terra, mari, A procul dubio ad spiritalem lætitiam copiosius incitamur, Nativitatis Dominicæ sacramento nobis clarius coruscante : ut recurrentes ad illam divinæ misericordiæ ineffabilem inclinationem, qua Creator hominum [b] homo fieri dignatus est, in ipsius nos inveniamur natura, quem adoramus in nostra. Deus enim Dei Filius, de sempiterno et ingenito Patre unigenitus, sempiternus manens in forma Dei, et incommutabiliter atque intemporaliter habens [i] non aliud esse quam Pater est, formam servi sine suæ detrimento majestatis 98 accepit, ut in sua nos proveheret, [i] non se in nostra dejiceret. Unde utrique naturæ in suis proprietatibus permanenti, tanta est unitatis facta communio, ut quidquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disjunctum; quidquid autem est hominis, B non sit a Deitate divisum.

CAP. II. — Celebrantes igitur, dilectissimi, natalem diem Domini Salvatoris, partum beatæ Virginis integre cogitemus, ut carni animæque conceptæ virtutem Verbi nullo temporis puncto defuisse credamus, nec prius formatum atque animatum templum corporis Christi, quod sibi superveniens vindicaret habitator, sed per ipsum et in ipso, novo homini datum esse principium : ut in uno Dei atque hominis filio, et sine matre Deitas, et sine patre esset humanitas. Simul enim per Spiritum sanctum fecundata virginitas, sine corruptionis vestigio edidit et sui generis sobolem, et suæ stirpis auctorem. Unde et idem Dominus, sicut evangelista commemorat, quæsivit a Judæis cujus filium Christum Scripturarum auctoritate didicissent; et eisdem respondentibus quod ex David venturus semine traderetur : *Quomodo*, inquit, *illum Dominum suum David in spiritu vocat, dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Matth.* XXII, 43, 44; *Ps.* CIX, 1)? Nec potuerunt Judæi propositam solvere quæstionem, quia non intelligebant in uno Christo et progeniem Davidicam, et naturam prophetatam esse divinam.

CAP. III. — Majestas autem Filii Dei æqualis Patri, vestiens se humilitate servili, nec metuebat minui, nec indigebat augeri; ipsumque effectum misericordiæ suæ, quem restitutioni impendebat humanæ, sola exsequi poterat virtute Deitatis; ut creaturam ad imaginem Dei conditam (*Genes.* I, 26) a jugo [k] diri

est visibilibus creaturis, sicut uteris terra, mari, coelo, aere, fontibus atque fluminibus; [a] et quidquid in eis pulchrum atque mirabile est, refer ad laudem et gloriam Conditoris. Noli esse deditus illi lumini quo volucres et serpentes, quo bestiæ et pecudes, quo muscæ delectantur et vermes. Lucem [b] corpoream sensu tange corporeo, et toto mentis affectu illud verum lumen amplectere quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9), et de quo dicit propheta : *Accedite ad eum, et illuminamini, [et vultus vestri non erubescent* (*Ps.* XXXIII, 6). Si enim templum Dei sumus, et Spiritus Dei habitat in nobis (I *Cor.* III, 16), PLUS EST quod fidelis quisque [c] in suo habet animo, quam quod miratur in coelo. Non itaque vobis, dilectissimi, hoc aut indicimus, aut suademus, ut despiciatis opera Dei, aut B contrarium aliquid fidei vestræ, in iis quæ Deus bonus bona condidit, æstimetis; sed ut [d] omni creaturarum specie, 97 et universo hujus mundi ornatu rationabiliter et temperanter utamini : *Quæ enim videntur*, sicut ait Apostolus, *temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna sunt* (II *Cor.* IV, 18). [e] Unde quia AD PRÆSENTIA sumus nati, ad futura autem renati, non temporalibus bonis dediti, sed æternis simus intenti; et ut spem nostram possimus propius intueri, in ipso sacramento Natalis Domini cogitemus quid naturæ nostræ gratia divina contulerit. Audiamus Apostolum dicentem : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 3, 4); qui vivit et re- C gnat cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXVIII [*Al.* XXVII].

[f] *In Nativitate Domini VIII.*

SYNOPSIS. — I. *Quanta lætitia mysterium Christi nascentis sit excipiendum.* — II. *A carne animaque in Christo humana nullo momento Verbum abfuisse.* — III. *In delendo peccato Adæ voluntario justitiam esse servatam.* — IV. *Varii errores circa incarnationem Domini* — V. *Nestorii et Eutychis impia dogmata.* — VI. *Veritatem utriusque naturæ in Christo, in unitatem personæ convenire.* — VII. *Quomodo plenitudo Divinitatis corporaliter in Christo inhabitat, et in Ecclesia.*

CAP. I. — Cum semper nos, dilectissimi, gaudere in Domino, omnia divina eloquia [g] exhortentur, hodie D

[a] Unus Vat., *ut quidquid . . . . referas.*

[b] Ita omnes nostri codd. et editi ante Quesnellum, qui testatur ita etiam legi in mss. Gaudiival.; at ipse edidit *incorpoream*, et post *incorporeo*, nec ullum ms. librum sic præferentem indicavit. Neque contextus Leonis id requirit. Lucem enim corpoream tangi corporeo sensu non vetat, qui præmiserat : *Utere, quomodo utendum est, visibilibus;* dum solo sensu tangantur, mente autem verum lumen amplectamur.

[c] Sic ex mss. S. Petri et Casin. Al., *habet in sua anima.* Mox, *utique* pro *itaque* in prima editione.

[d] Cod. Bon. et prima editio, *omnium;* et dein *temporaliter* pro *temperanter* in uno ms. S. Petri et alio Vat.

[e] *Quia autem ad præsentia sumus nati, ad futura sumus renati*, in ms. Bon. et prima edit.

[f] In uno ms. S. Petri, *De Nativitate Domini contra hæreticos.* In alio ejusdem basilicæ cod., *Contra Nestorium et alios hæreticos de Incarnatione Domini.*

[g] Tres Vat. codd. et prima editio, *cohortentur.*

[h] Cod. S. Petri, et Vat. 1267, *homo esse.*

[i] Codd. S. Petri, et Bon., *non aliter esse quam Pater est.* Unum verbum *est* lectioni vulgatæ adjecimus tum ex his codd., tum ex antiquo Lectionar. Vat. 1267.

[j] Editi, *non ipse in nostra deficeret.* Melius in cod. S. Petri. Paulo post in hoc codice, et in Vat. 1267, *non sit ab homine separatum, et quidquid est hominis.*

[k] Editi, *diræ dominationis.* Quesn. in margine, *diri dominatoris;* quod prætulimus auctoritate duorum codd. S. Petri, et Casinen., etc. In Vat. 1267,

Digitized by Google

dominatoris erueret. Sed quia non ita in primum hominem diabolus violentus exstiterat, ut eum in partes suas sine liberi arbitrii consensione transferret, sic destruendum peccatum [a] fuerat voluntarium et hostile consilium, ut dono gratiæ non obesset norma justitiæ. In totius igitur humani generis strage communi, unum solum [b] erat remedium sub divinæ rationis occulto, quod posset subvenire prostratis, si aliquis filiorum Adam originalis prævaricationis alienus atque innocens nasceretur, qui cæteris et exemplo 99 prodesset et merito. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat vitiatæ radicis propago esse sine semine, de quo Scriptura dicit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es* (*Job.* XIV, 4)? Dominus David factus est filius David, et de promissi [c] germinis fructu proles est orta sine vitio, in unam personam gemina conveniente natura: ut eodem conceptu eodemque partu gigneretur Dominus noster Jesus Christus, cui [d] et vera inesset Deitas ad miracula operum, et vera humanitas ad tolerantiam passionum.

CAP. IV. — Fides igitur catholica, dilectissimi, oblatrantium hæreticorum spernat errores, qui mundanæ sapientiæ vanitate decepti, a veritatis Evangelio recesserunt, et incarnationem Verbi intelligere non valentes, de causa illuminationis fecerunt sibi materiam cæcitatis. Nam omnium fere falsa credentium opinionibus, quæ etiam in sancti Spiritus negationem prorumpunt, retractatis, neminem pene deviasse cognoscimus, nisi qui duarum in Christo naturarum veritatem sub unius personæ confessione non credidit. Alii etenim Domino solam humanitatem, alii solam ascripsere Deitatem. Alii veram quidem in ipso Divinitatem, sed carnem dixerunt fuisse simulatam. Alii professi sunt veram eum suscepisse carnem, sed Dei Patris non habuisse naturam; et Deitati ejus, quæ erant humanæ substantiæ, deputantes, majorem sibi Deum minoremque finxerunt, cum gradus in vera Divinitate esse [e] non possit: quoniam quidquid Deo minus est, Deus non est. Alii cognoscentes Patris et Filii nullam esse distantiam, quia non potuerant [f] unitatem Deitatis intelligere nisi in unitate personæ, eumdem asseruerunt esse Patrem quem Filium; ut nasci et nutriri, pati et mori, sepelliri et resurgere, ad eumdem pertineret, qui per omnia et hominis personam impleret et Verbi. Quidam putaverunt Dominum Jesum Christum non nostræ substantiæ corpus habuisse, sed ab elementis superioribus ac subtilioribus 100 sumptum. Quidam autem æstimaverunt in carne Christi humanam animam [g] non fuisse, sed partes animæ ipsam Verbi implesse Deitatem. Quorum imprudentia in hoc transiit, ut animam quidem fuisse in Domino faterentur, sed eamdem dicerent mente caruisse, quia sufficeret homini sola Deitas ad omnia rationis officia. Postremo iidem asserere præsumpserunt, partem quamdam Verbi in carnem fuisse conversam, ut in unius dogmatis varietate multiplici, non carnis tantum animæque [h] natura, sed etiam ipsius Verbi solveretur essentia.

CAP. V. — Multa sunt et alia prodigia falsitatum, quibus enumerandis charitatis vestræ non est fatigandus auditus. Sed post diversas impietates, quæ sibi invicem sunt multiformium blasphemiarum cognatione connexæ, de his potissimum erroribus declinandis observantiam vestræ devotionis admoneo; quorum unus dudum Nestorio auctore consurgere non impune tentavit, alius nuper pari execratione damnandus, Eutyche assertore prorupit. Nam ille beatam Mariam Virginem hominis tantummodo ausus est prædicare genitricem, ut in conceptu ejus et partu nulla Verbi et carnis facta unitio crederetur: quia Dei Filius non ipse [i] factus sit hominis filius, sed creato homini sola se dignatione sociaverit. Quod catholicæ aures nequaquam tolerare potuerunt, quæ sic Evangelio veritatis imbutæ sunt, ut firmissime noverint nullam esse humano generi spem salutis, nisi ipse esset filius Virginis, qui creator est matris. Hic autem recentioris sacrilegii profanus assertor, unitionem quidem in Christo duarum confessus est naturarum, sed ipsa unitione id dixit effectum, ut ex duabus una remaneret, nullatenus alterius existente substantia, quæ utique [j] finiri, nisi aut consumptione,

duri dominatoris. Mox *exueret* pro *erueret* in ms. Bon. et prima editione, in quibus paulo ante *factam* pro *conditam*.

[a] Tres codd. Vat. et unus S. Petri, *fuit*. In Vat. 1267, *sic destruendum fuit voluntarium et hostile consilium*.

[b] Ita ex duobus mss. S. Petri et antiquo Vat. laudato. Al., *fuit*. Paulo post in illis, *cæteris et exemplo*, ad ecimus particulam *et* Leonis stylo maxime congruam ex eodem antiquo Vat.

[c] In editis ante Quesnellum et aliquibus mss., *generis*. Lectio autem *germinis*, quam in aliis mss. Vat. et S. Petri reperimus, magis congruit cum textu Jeremiæ XXIII, 5: *Suscitabo David germen justum;* et Isaiæ XI, 1: *Germen de radice ejus*.

[d] Particulam *et* supplevimus ex quinque mss. ac prima editione.

[e] Ms. Casin. et duo Vat., cum prima editione, *non possint*.

[f] Quatuor mss. et prima editio, *veritatem*. Retinuimus *unitatem*, quia similiter serm. 24, c. 5, de hac eadem Sabellii hæresi loquens S. pontifex, *unitatem substantiæ* appellat. Paulo post, *ut nasci .... pertineret*, cum Quesnello præferunt nostri codd. et prima editio. Aliæ editiones, *et nasci .... pertinere*.

[g] Aliquot codd. et editi ante Quesnellum, *non habitasse, nec fuisse*. Post pauca prima editio, pro *Quorum imprudentia*, habet *Quorumdam imprudentia;* et forte melius, cum aliqui ex Apollinaristis, in antecedenti periodo indicatis, ad hunc errorem declinaverint.

[h] Ita nostri codd. et editi ante Quesnellum, qui nullo indicato ms., et nulla etiam indicata diversa lectione, sic vulgavit: *Naturam, sed etiam ipsius verbi solverent essentiam*. In uno Vallicel. A 10, exiguo discrimine ab edita lectione sic habetur: *Ut in hujus dogmatis varietate multiplici, non carnis tantum animæque, sed etiam ipsius verbi solveretur essentia*. Mox initio capitis sequentis cod. Vat. 1267: *Multa sunt alia*.

[i] Al., *factus est*, et postea, *sociavit*.

[j] Ita Quesnellus, et prima editio cum mss. S. Petri

Digitized by Google

aut separatione non posset. Hæc vero tam inimica sunt sanæ fidei, ut nequeant recipi sine excidio nominis Christiani. Si enim Verbi incarnatio [a] unitio est divinæ humanæque naturæ, sed hoc ipso concursu **101** quod erat geminum, factum est singulare; sola Divinitas ex utero Virginis nata est, et per ludificatoriam speciem sola subiit nutrimenta et incrementa corporea; utque omnes mutabilitates humanæ conditionis omittam, sola Divinitas crucifixa, sola Divinitas mortua, sola Divinitas est sepulta; ut jam secundum talia sentientes sperandæ resurrectionis nulla sit ratio, nec sit *primogenitus ex mortuis* Christus (*Colos.* I, 18): quia non fuit qui deberet resuscitari, si [b] non fuisset qui posset occidi.

CAP. VI. — Absint a cordibus vestris, dilectissimi, diabolicarum inspirationum [c] virulenta mendacia, et scientes quod sempiterna Filii Deitas nullo apud Patrem crevit augmento, prudenter advertite quod cui naturæ in Adam dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19), eidem in Christo dicitur, *Sede a dextris meis* (*Ps.* CIX, 1). Secundum illam naturam qua Christus æqualis est Patri, numquam inferior fuit Unigenitus sublimitate Genitoris, nec temporalis est ei cum Patre gloria, [d] qui in ipsa Patris est dextera, de qua in Exodo dicitur: *Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute* (*Exod.* XV, 6); et in Isaia: *Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* LIII, 1; *Rom.* X, 17)? Assumptus igitur homo in Filium Dei, sic in unitatem personæ Christi ab ipsis corporalibus est receptus exordiis, ut nec sine Deitate conceptus sit, nec sine Deitate editus, nec sine Deitate nutritus. Idem erat in miraculis, idem in contumeliis; per humanam infirmitatem crucifixus mortuus et sepultus; per divinam virtutem die tertia resuscitatus, ascendit ad cœlos, [e] consedit ad dexteram Dei Patris, et in natura hominis accepit a Patre quod in natura Deitatis etiam ipse donavit.

CAP. VII. — Hæc, dilectissimi, pio corde meditantes, apostolici semper memores estote præcepti, qui universos admonet dicens: *Videte ne quis vos* [f] *decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, et non secundum Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, et estis repleti in illo* (*Colos.* II, 8, 10). Non dixit **102** *spiritaliter*, sed *corporaliter*, ut veram intelligamus substantiam carnis, ubi est plenitudinis Divinitatis inhabitatio corporalis (*Ephes.* I, 23): qua utique tota etiam repletur Ecclesia, quæ inhærens capiti, corpus est Christi (*Colos.* I, 24): qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto Deus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIX [*Al.* XXVIII].

[g] *In Nativitate Domini IX.*

SYNOPSIS. — I. *Quæ pax ab angelis nuntietur nascenti Christo.* — II *Mysteria quoad dispensationem solum corporalem transisse.* Dixit Dominus Domino meo *expenditur.* — III. *In adoptantis misericordia gloriandum. Infantium Christi esse honorandum.*

CAP. I. — Excedit quidem, dilectissimi, multumque supereminet humani eloquii facultatem divini operis magnitudo; et inde oritur difficultas fandi, unde adest ratio non tacendi: quia in Christo Jesu Filio Dei non solum ad divinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est per prophetam: *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isa.* LIII, 8)? Utramque enim substantiam in unam convenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat; et ideo numquam materia deficit laudis, quia numquam sufficit copia laudatoris. Gaudeamus igitur quod ad eloquendum [h] tantum misericordiæ sacramentum impares sumus, et cum salutis nostræ altitudinem non valemus explicare, sentiamus nobis bonum esse quod vincimur. Nemo enim ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui intelligit in rebus divinis, etiamsi multum proficiat, semper sibi superesse quod quærat. Nam [i] qui se ad id in quod tendit pervenisse præsumit, non quæsita reperit, sed in inquisitione defecit. Ne autem infirmitatis nostræ perturbemur angustiis, evangelicæ **103** nos et propheticæ adjuvant voces, quibus ita accendimur

et aliis Vat. Perperam in aliis editis et nonnullis posteriorum collectionum codd., *fieri*.

[a] Erat in editis et aliquot mss., *non unitio est*; sed particula *non* perperam inserta fuit: nam Eutyches, cujus errorem S. Leo impugnat, duarum naturarum unitionem non negavit, sed ita fatebatur ut post unitionem ex duabus unam remansisse diceret. Deest sane hæc particula in duobus mss. S. Petri, in Vallicel., in Casinensi, etc. In prima editione et in codice Bonon., non solum deest *non*, sed etiam *unitio*, sic: *Si enim Verbi incarnatio divinæ humanæque naturæ est*. Post pauca cum potioribus mss. inseruimus præpositionem *ex* ante vocem *utero*, quæ in nonnullis editionibus, et a Quesnello omittitur.

[b] Sic ex duobus mss. S. Petri et uno Vallicel. Al., *non fuit*. Cod. Casin., *non fuit qui possit*.

[c] Quatuor codd., *truculenta*.

[d] Ita emendavimus ex duobus mss. S. Petri, Vallicel. et Casin., cum antea legeretur, *quæ est ipsa Patris dextera*. Unus Vat. Collect. 5, *qui est ipsa Patris dextera*. Alius Vat., *quia ipse Patris est dextera*. Congruit emendatio cum illo psal. CIX, 1: *Sede a dextris meis*. Mox unus codex S. Petri, et Vallicel. *in Exodo canitur*.

[e] Sic mss. S. Petri, et antiquus Vat. 1267. Al., *sedet*. Mox initio capitis sequentis: *Hoc, dilectissimi*, pro *Hæc, dilectissimi*, in ms Bon. et prima editione.

[f] Ita nostri codices cum prima editione et Quesnelliana. Concinit cum lectione serm. 30, c. 3. In aliis editis, *seducat*. Postea scripsimus *inhabitat*, pro *habitat*, ex ms. S. Petri; cum hæc lectio magis congruat sequentibus. *Divinitatis inhabitatio corporalis*, nec non lectio laudati sermonis 30, c. 3.

[g] Unus codex S. Petri, *De Nativitate Domini contra hæreticos*. Alius ms. ejusdem basilicæ, *Contra Judæos et hæreticos de Incarnatione Domini*.

[h] Ita ex duobus mss. S. Petri, Bon. et prima editione. Al., *tantæ*. Mox ex iisdem S. Petri codd. et Padiliron., *non valemus explicare*, præ ullius lectioni vulgatæ, *promere non valeamus*. In Veronensi codice, *promere non valemus*. Mox in laudato ms. Padiliron., *magis appropinquat*.

[i] In mss. S. Petri, Bon., et prima editione, *si se*; et paulo post, in iisdem et in cod. Veron., *deficit*, pro *defecit*. *Quo tendit*, pro *in quod tendit* in Vat. collect. 5. Mox *non quæsitum*, in cod. Padiliron.

Digitized by Google

et docemur, ut [a] nobis Nativitatem Domini, qua *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), non tam præteritam recolere, quam præsentem videamur inspicere. Quod enim pastoribus pro gregum suorum custodia vigilantibus nuntiavit angelus [b] Domini, etiam nostrum implevit auditum; et ideo Dominicis ovibus præsumus, quia verba divinitus edita cordis aure [c] servamus, tamquam et in hodierna festivitate dicatur: *Ecce ego evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David* (*Luc.* II, 10). Cujus prædicationis summitati exsultatio innumerabilium jungitur angelorum (ut excellentius fieret testimonium, cui militiæ cœlestis multitudo concineret) in honorem Dei [d] una benedictione dicentium: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Dei ergo gloria est ex matre Virgine Christi nascentis infantia, et reparatio humani generis merito in laudem sui refertur auctoris: quia et [e] ipse beatæ Mariæ missus a Deo Gabriel angelus dixerat: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). In terra autem illa pax conceditur, quæ homines efficit bonæ voluntatis. Quo enim Spiritu de intemeratæ matris visceribus nascitur Christus, hoc de sanctæ Ecclesiæ utero renascitur Christianus, [f] cui vera pax est, a Dei voluntate non dividi, et in his solis quæ Deus diligit delectari.

CAP. II. — Natalem igitur, dilectissimi, diem Domini celebrantes, qui ex omnibus præteritorum temporum diebus electus est, licet dispensatio actionum corporalium, sicut æterno consilio fuerat præordinata, transierit, totaque Redemptoris humilitas in gloriam [g] paternæ majestatis evecta sit, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus* [h] *in gloria* 104 *est Dei Patris* (*Philipp.* II, 10, 11), indesinenter tamen ipsum partum salutiferæ Virginis adoramus, et illam Verbi et carnis indissolubilem copulam non minus [i] suspicimus in præsepe A jacentem, quam in throno paternæ altitudinis considentem. Immutabilis enim Deitas, quamvis intra semetipsam et claritatem suam et potentiam contineret, non ideo tamen non erat [j] inserta nascenti, quia humano aspectui non patebat: ut per veri hominis insuitata primordia ille agnosceretur genitus, qui regis David et Dominus esset et filius. Ipse enim prophetico spiritu cantat, dicens: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis* (*Ps.* CIX, 1). Quo testimonio, sicut Evangelium refert, confutata est impietas Judæorum. Nam cum Jesu interrogante Judæos, cujus filium dicerent Christum? respondissent, *David*, confestim Dominus cæcitatem illorum arguens ait: *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis* (*Matth.* XXII, 43)? Interclusistis vobis, o Judæi, intelligentiæ viam, et dum solam naturam carnis B [k] aspicitis, tota vos veritatis luce privastis. Exspectantes enim, secundum vestræ persuasionis fabulosa figmenta, David filium de sola stirpe corporea, dum spem vestram in homine tantum constituistis, Deum Dei Filium repulistis: ut quod nobis [l] profiteri gloriosum est, vobis prodesse non possit. Nam et nos interrogati cujus filius sit Christus, voce Apostoli confitemur quod *factus est ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 2); et de ipso initio evangelicæ prædicationis instruimur, legentes: *Liber generationis Jesu Christi, filii David* (*Matth.* I, 1). Sed ideo a vestra impietate discernimur, quia quem ex progenie David hominem novimus natum, [m] eumdem, secun- C dum quod *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), Deum Deo Patri credimus coæternum. Unde si teneres, o Israel, tui nominis dignitatem, et prophetica denuntiationes non obcæcato corde percurreres, Isaias tibi evangelicam panderet veritatem, et non surdus audires divina inspiratione dicentem: *Ecce Virgo* 105 [n] *accipiet in utero, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14; *Matth.* I, 23). Quem si in tanta proprietate sacri nominis non videbas, in Davidica saltem voce didicisses, ne contra testifica-

[a] Sic plerique nostri codd. et Quesn. Al. *nos*.

[b] Vocem *Domini* supplevimus ex duobus codd. S. Petri, et Veron. ac Padiliron.

[c] Aliqui codd. et prima editio *reservamus*. Dein *Ecce ego* adjecimus ex duobus mss. S. Petri, ex Bon. et prima editione. In alio codice S. Petri deest *ego*. Mox in tribus codd. et prima editione legitur *natus est nobis* pro *natus est vobis*; quæ postrema lectio a nobis retenta, evangelico textui congruit.

[d] Mss. S. Petri., Bon. et prima editio, *una voce*. Dein iidem S. Petri codd. et Veron. ac Padiliron., *gloria in altissimis*.

[e] In vulgatis, *ipse*. Emendavimus cum prima editione ex mss. S. Petri., Veron. et Bon. ac Padiliron. Post nonnulla, *conditur* pro *conceditur* est in mss. Vat. posteriorum collect. 4 et 5.

[f] In prima editione post vocem *Christianus* puncto apposito, sic legitur. *Cui vera pax est a Dei voluntate non dividi, non dubitet et iis solis quæ Deus diligit, delectari.* In ms. Padilir., *Cui vera pax est in Dei voluntate, si non dubitet his solis quæ*, etc.

[g] Tres codd. et prima editio, *æternæ majestatis*. At textus Scripturæ, qui subjicitur, habet *in gloria est Dei Patris*: et paulo post scribitur *paternæ altitudinis*.

[h] Mss. Veron. et Padiliron. addunt *Christus*, ut apud S. Paulum. D

[i] Editi, *suscipimus*. Quesnellus corruptionem suspicatus annotavit in margine: Forte *suspicimus*. Emendationem optimam ac textui inserendam probavere codices Casinensis et Padiliron.

[j] Sic plerique et potiores codices. Al., *conserta*.

[k] Quatuor codd., *inspicitis*.

[l] Sic duo mss. S. Petri, alius Padiliron. et Casinensis. Al., *confiteri*.

[m] Editionum Quesnello anteriorum syntaxim quæ item est nostrorum codicum, restituimus. Quesnellus delevit hoc loco *eumdem*, et transtulit ante vocem *Deum*. Aliquanto post in ms. Padiliron., *non surdis auribus audires*.

[n] Cod. Veron., *conciplet*; dein in editis ante Quesn. et in quibusdam mss., *vocabitur* pro *vocabunt*.

Digitized by Google

donem novi et veteris Testamenti Jesum Christum David filium denegares, quem David Dominum non [a] fateris.

CAP. III. — Quapropter, dilectissimi, quoniam per ineffabilem gratiam Dei Ecclesia [b] fidelium gentium consecuta est, quod carnalium Judæorum Synagoga non meruit, dicente David : *Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam* (*Ps.* XCVII, 2) ; et Isaia similiter prædicante : *Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam ; qui habitabant in regione umbræ mortis, lux orta est eis* (*Isai.* IX, 2) ; et iterum : *Gentes quæ te non noverunt invocabunt te, et populi qui te [c] nescierunt ad te confugient* (*Isai.* LV, 5) : exsultemus in die salutis nostræ, et per novum Testamentum in consortium ejus assumpti, cui dicitur a Patre per prophetam : *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Ps.* II, 7) ; in adoptantis nos misericordia gloriemur : quia, sicut Apostolus ait, *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 15). Dignum est enim atque conveniens, ut testantis Patris voluntas [d] ab adoptionis filiis impleatur ; et dicente Apostolo, *Si compatimur, et conglorificabimur* (*Ibid.*, 17), sint humilitatis Christi comparticipes, qui sunt [e] futuri gloriæ cohæredes (*Rom.* VIII, 5). Honoretur in infantia sua Dominus, nec ad Deitatis referantur injuriam exordia et incrementa corporea : quoniam naturæ incommutabili nec addidit aliquid nostra natura, nec minuit ; sed qui [f] in similitudine carnis peccati dignatus est hominibus esse conformis, in unitate Deitatis Patri permanet æqualis ; cum quo et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

106 SERMO XXX [*Al.* XXXI].

In Nativitate Domini X.

Synopsis. — I. *Utramque Christi generationem ineffabilem esse.* — II. *Diversi errores circa incarnationem Verbi.* — III. *Divinitatis plenitudinem corporaliter Christum inhabitasse.* — IV. *Conceptionem Christi inter omnes esse singularem.* — V. *Utriusque in Christo naturæ proprietates expenduntur.* — VI. *Christum Patri et matri consubstantialem, ex utroque nos salvare.* — VII. *Unam Christi fidem omnes omnium sæculorum fideles salvare. Genealogia Christi apud Matthæum et Lucam, cur diversa.*

CAP. I. — Sæpe, ut nostis, dilectissimi, [g] de excellentia festivitatis hodiernæ officium vobis sermonis salutaris impendimus ; nec ambigimus ita cordibus vestris divinæ pietatis resplendui[s]se virtutem, ut quod vobis fide est insitum, id sit etiam intelligentia comprehensum. Sed quia Domini Salvatorisque nostri nativitas, non solum secundum deitatem de Patre, sed etiam secundum carnem de matre, ita facultatem humani excedit eloquii, ut merito ad utrumque referatur, quod dictum est : *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* LIII, 8) ? in eo ipso quod digne non potest explicari, semper exuberat ratio disserendi : non quia liberum sit diversa sentire, sed quia dignitati materiæ nulla potest lingua sufficere. Magnitudo igitur sacramenti, in salutem humani generis ante sæcula æterna dispositi, in sæculorum fine reserati, integritati suæ nec auferri aliquid patitur, [h] nec inferri ; et sicut propria non amittit, ita aliena non recipit. Sed multi opinionum suarum sequaces, et quod nondum intellexerant, paratiores docere quam discere, sicut ait Apostolus, *circa fidem naufragaverunt* (I *Tim.* I, 19) ; quorum pravas compugnantesque sententias brevi significatione perstringam : ut errorum tenebris a veritatis luce discretis, et religiose honorentur beneficia divina, et scienter caveantur [i] humana mendacia.

CAP. II. — Quidam enim ex documentis nativitatis **107** Domini [j] nostri Jesu Christi quæ cum verum hominis filium demonstrabant, nihil ipsum amplius [k] quam hominis filium crediderunt, non putantes ipsi ascribendam esse deitatem, quem et primordia infantiæ, et incrementa corporea, et passionum usque ad crucem [l] mortemque conditio, non dissimilem cæteris mortalibus approbassent. Alii vero virtutum admiratione permoti, et originis novitatem, et dictorum factorumque potentiam, ad divinam intelligentes pertinere naturam, nihil illi putaverunt nostræ inesse substantiæ, totumque illud quod corporeæ fuit actionis et formæ, aut de sublimioris generis prodiisse materia, aut simulatam carnis speciem habuisse, ut videntium et tangentium sensus ludificatoria imagine fallerentur. Fuit autem in quibusdam errantibus etiam illa persuasio, qua conarentur asserere ex ipsa Verbi substantia quiddam in carnem fuisse conver-

[a] Idem ms. Veron., *fatereris*.
[b] In prima editione omittitur *fidelium*.
[c] Ita ex mss. S. Petri, et Bon. ac prima editione. Al., *nesciunt*.
[d] Codd. S. Petri, *ab adoptivis filiis*. Ms. Padilir., *ut tanti Patris voluntas adoptivis filiis impleatur*.
[e] Quesnellus cum Rainaudo, *futuræ*. Emendavimus ex cæteris editis, nostrisque codicibus, inter quos soli codd. posteriorum collect. 4 et 5 utrumque præferunt, *futuri, futuræ*.
[f] Sic ex ms. Padiliron. Vulg., *in similitudinem*.
[g] In duobus mss. S. Petri ac in prima editione, *de excellentissima festivitatis hodiernæ solemnitate*.
[h] Editi ante Quesnel., cum aliquot nostris codd., *nec augeri*. Quesnelli lectionem approbant duo mss. S. Petri.
[i] Sic emendavimus ex quinque codd. et prima editione. Al., *mundana*.
[j] Addidimus *nostri* ex quatuor codd. et prima editione.
[k] Unus ms. S. Petri, *quam hominem crediderunt*. Cod. Bon. et prima editio, *credebant*. Dein *ipsi* pro *illi* reposuimus ex tribus nostris codd. et prima editione. Porro notavit Quesnellus *dignitatem* pro *Deitatem* legi in editis. Sed prima editio cum nostris quoque mss. habet *Deitatem*.
[l] Al., *morti que conditio*. Quesn. in margine. — Mox *similem* pro *non dissimilem*, et *approbasset* pro *approbassent* in uno S. Petri et alio Vat.

Digitized by Google

sum, [a] natumque Jesum ex Maria Virgine, nihil maternæ habuisse naturæ; sed et quod erat Deus, et quod erat homo, utrumque ad id pertinuisse, quod Verbum est: ut scilicet in Christo et per diversitatem substantiæ falsa fuerit humanitas, et per defectum mutabilitatis non vera divinitas.

CAP. III. — Has ergo, dilectissimi, aliasque impietates diabolica inspiratione conceptas, et in multorum noxam per vasa perditionis effusas, olim catholica fides, [b] cujus Deus et magister est et auxiliator, obtrivit, exhortante et instruente nos Spiritu sancto per legis testificationem, per vaticinia prophetarum, et per evangelicam tubam apostolicamque doctrinam, ut constanter intelligenterque credamus quia, sicut ait beatus Joannes, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). In nobis utique, quos [c] sibi Verbi divinitas coaptavit, cujus caro de utero Virginis sumpta nos sumus. Quæ si de nostra, id est vere humana, non esset, Verbum caro factum non habitasset in nobis. In nobis autem habitavit, [d] quia naturam nostri corporis suam fecit, ædificante sibi Sapientia domum (*Prov.* IX, 1), non de quacumque materia, sed de substantia proprie **108** nostra, cujus assumptio est manifestata, cum dictum est: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. Huic autem sacratissimæ [e] prædicationi etiam beati Pauli apostoli doctrina concordat, dicentis: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum: [f] quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis repleti in illo* (*Coloss.* II, 8-10). Totum igitur corpus implet tota divinitas; et sicut nihil deest [g] illius majestatis, cujus habitatione repletur habitaculum, sic nihil deest corporis, quod non suo habitatore sit plenum. Quod autem dictum est, *Et estis repleti in illo*, nostra utique est significata natura, ad quos illa repletio non pertineret, nisi Dei Verbum nostri sibi generis et animam et corpus unisset.

CAP. IV. — Agnoscendum sane, dilectissimi, et toto corde est confitendum, quod hæc generatio qua et Verbum et caro, id est Deus et homo, unus Dei Filius unusque Christus efficitur, supra omnem originem humanæ creationis excellit. Nec enim aut Adæ de limo terræ formatio, aut Evæ de viri carne plasmatio (*Gen.* II, 22), aut cæterorum hominum de utriusque sexus permixtione conditio, Jesu Christi potest ortui comparari. Genuit Abraham senex divinæ promissionis hæredem, et transgressa fecunditatis annos sterilis Sara concepit (*Gen.* XXI, 2). Jacob dilectus est a Deo, antequam natus, et prævenientе gratia voluntarias actiones ab hispida congeniti fratris asperitate discretus (*Gen.* XXV, 25; *Malach.* I, 3; *Rom.* IX, 13). Jeremiæ dicitur: *Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de vulva, sanctificavi te* (*Jerem.* I, 5). Anna diu fecunditatis aliena, Samuelem prophetam, quem Deo offerret, enixa est (I *Reg.* I, 20), ut et partu clara esset et voto. Zacharias sacerdos de Elizabeth sterili sanctam suscepit prolem (*Luc.* I, 24), et præcursor Christi futurus Joannes, spiritum propheticum intra viscera matris [h] accepit, et nondum editus puer, genitricem Domini signo clausæ exsultationis ostendit (*Ibid.*, 44). Magna hæc omnia, et divinorum operum sunt plena miraculis; sed hoc ipso [i] moderatius stupenda, **109** quo plura. Nativitas autem Domini nostri Jesu Christi omnem intelligentiam superat, et cuncta exempla transcendit; nec potest [j] ulli esse comparabilis, quæ est inter omnia singularis. [k] Electæ Virgini, olimque de semine Abrahæ ac de radice Jesse per prophetica voces et per mystica signa promissæ, denuntiatur ab archangelo sine damno pudoris beata fecunditas, sacram virginitatem nec conceptu violatura nec partu. Superveniente quippe in eam Spiritu sancto, et Altissimi obumbrante virtute (*Luc.* I, 35), incommutabile Dei Verbum de incontaminato corpore habitum sibi humanæ carnis assumpsit: quæ et nullum contagium de concupiscentia carnis traheret, et nihil eorum quæ ad animæ corporisque naturam pertinent, non haberet.

CAP. V. — Recedant [l] itaque procul, atque in tenebras suas eant hæreticarum monstra opinionum, et insanarum sacrilegia falsitatum; nos exsultans in laudem Dei cœlestium multitudo, et instructi ab angelis docuere pastores; ut cognitis naturæ utriusque documentis, et Verbum in Christo homine, et Christum hominem adoremus in Verbo. Nam si, ut Apostolus ait, *qui adhæret Domino, unus spiritus est*

[a] Quædam editiones ante Quesnellum cum ms. Vat. collect. 5, *natoque Jesu ex Maria Virgine nihil maternæ fuisse naturæ*. Alii codd. et prima editio ut in textu.

[b] Sic emendavimus ex duobus mss. S. Petri, et alio Bon., ac prima editione. Al., *cui Deus*. Dein ex iisdem codd. et alio Vat. ac prima editione addidimus *nos* post vocem *instruente*.

[c] Unus cod. S. Petri, *sibi deitas cooptavit, cujus caro de utero Virginis sumpta nos fuimus. Coopavit* est etiam in uno cod. Vat. Dein *de nostro* pro *de nostra* in prima editione.

[d] Ita cum duobus mss. S. Petri. Al., *qui*.

[e] Prima editio, *assertioni*.

[f] Sic emendavimus ex duobus mss. S. Petri, et duobus Vat. collect. 4 et 5, et congruit lectioni serm. 28, c. 7. Editi, *in Christo habitat*.

[g] Duo codd. S. Petri, *illi majestati*, et postea, *corpori*.

[h] *Accepit* ex quatuor mss. et prima editione revocavimus pro *acceperat*, quod legebatur in cæteris editis et mss. collect. 5, illud enim magis congruit antecedentibus, *concepit, enixa est, suscepit*. Eadem ratione ex duobus mss. S. Petri et prima editione mox restituimus *ostendit* pro *ostenderat*.

[i] Editi ante Quesnellum, *immoderatius*.

[j] In Vat. mss. collectionum posteriorum et in editis ante Quesn., *ullis*. Anteposuimus *ulli* auctoritate duorum codd. S. Petri; ex quibus nec non ex aliis duobus Vat. ac prima editione dein scripsimus, *inter omnia*, id est exempla, pro *inter omnes*.

[k] Edit., *Electæ namque Virgini de semine*, etc. Meliorem credidimus lectionem mss. S. Petri; ad quam videtur accedere cod. Casin., *Electæ Virgineo jamque de semine*.

[l] Adverbium *itaque* restituimus ex aliquibus mss. et prima editione. Mox duo codd. S. Petri pro *eant* repetunt *recedant*.

Digitized by Google

(I *Cor.* VI, 17), quanto magis Verbum caro factum unus est Christus? ubi nihil est alterius naturæ, quod non sit utriusque. Non ergo infirmemur [a] in consilio misericordiæ Dei, quæ nos et innocentiæ reformat et vitæ; nec quia in Salvatore nostro manifesta cognoscimus geminæ signa naturæ, aut in gloria Dei de veritate carnis, aut in humilitate hominis de Deitatis majestate dubitemus. [b] Idem est in forma Dei, qui formam suscepit servi. Idem est incorporeus manens, et corpus assumens. Idem est in sua virtute inviolabilis, et in nostra infirmitate passibilis. Idem est a paterno non divisus throno, et ab impiis crucifixus in ligno. Idem est super cœlorum altitudines victor mortis ascendens, et usque ad consummationem sæculi universam Ecclesiam non relinquens. Idem postremo est, qui in eadem, qua ascendit, carne venturus, sicut judicium sustinuit impiorum, ita judicaturus est de omnium actione **110** mortalium. Unde ne plurimis testimoniis immoremur, unum sufficit ex Evangelio beati Joannis adhiberi, quo ipse Dominus noster [c] dicit : *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso; et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est* (*Joan.* V, 25). Ergo sub una sententia ostendit quia [d] idem Filius Dei atque filius hominis est. Unde apparet quemadmodum Christum Dominum in unitate personæ credere debeamus, [e] qui cum sit Filius Dei, per quem facti sumus, etiam filius hominis per assumptionem carnis est factus, ut moreretur, sicut ait Apostolus, *propter delicta nostra*, et resurgeret *propter justificationem nostram* (*Rom.* IV, 25).

A est unius substantiæ, idem homo verus et secundum carnem matri consubstantialis existeret; utroque gaudemus, quia non nisi utroque salvamur : in nullo dividentes visibilem ab invisibili, corporeum ab incorporeo, passibilem ab impassibili, palpabilem ab impalpabili, formam [h] servi a forma Dei; quia etsi unum manet ab æternitate, aliud cœpit a tempore; quæ tamen in unitatem convenerunt, nec separationem possunt habere, nec finem; dum exaltans et exaltatus, glorificans et glorificatus, ita sibimet [i] inhæserunt, ut sive in omnipotentia, sive in contumelia, nec divina in Christo careant humanis, nec humana divinis.

111 CAP. VII. — Hoc credentes, dilectissimi, [j] veri Christiani sumus, veri Israelitæ, et in consortium filiorum Dei veraciter adoptati : quia et omnes sancti qui Salvatoris nostri tempora præcesserunt, per hanc fidem justificati, et per hoc sacramentum Christi sunt corpus effecti, exspectantes universalem credentium redemptionem in semine Abrahæ, de quo dicit Apostolus : *Abrahæ dictæ sunt repromissiones, et semini ejus. Non dicit, Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, Et semini tuo,* [k] *qui est Christus* (*Galat.* III, 16). Propter quod Matthæus evangelista, ut promissionem ad Abraham factam ostenderet in Christo esse completam, generationum ordinem percurrit, et in quo omnibus gentibus disposita fuisset benedictio, demonstravit. Lucas quoque evangelista ab ipso Domini ortu seriem generis sui sursum versus retexuit (*Luc.* III, 23), ut etiam illa sæcula quæ diluvium [l] prævenerant, et huic sacramento doceret fuisse connexa, omnesque ab initio successionum gradus, ad eum in quo uno erat salus omnium, tetendisse. Non ergo dubitandum est quia præter Christum *non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat salvos fieri* (*Act.* IV, 5); qui cum Patre et Spiritu sancto æqualis in Trinitate vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

B

C

CAP. VI. — Hæc confessio, dilectissimi, nullas [f] metuit contradictiones, nullis cedit erroribus. Agnoscimus enim misericordiam Dei ab initio promissam, et ante sæcula præparatam, per quam [g] solam resolvi captivitatis humanæ vincula potuerunt, quibus primum hominem omnemque ejus posteritatem malesuadus peccati auctor obstrinxerat, et propaginem dedititiam originali sibi præjudicio vindicabat. Quia igitur justificandis hominibus hoc principaliter opitulatur, quod Unigenitus Dei etiam filius hominis esse dignatus est, ut ὁμούσιος Patri Deus, id

SERMO XXXI [*Al.* XXX].

In solemnitate Epiphaniæ Domini nostri Jesu Christi I.

SYNOPSIS. — I. *Christus natus ab omnibus vult agnosci, dat signum stellæ, simulque donum intelligendi et requirendi.* — II. *Frustra Herodes in Christum sævit. Magi fidem suam muneribus protestantur.* —

[a] Sic nostri codd. et Quesnellus. Alii editi, *in consiliis*. Paulo post pro *manifeste*, quod erat in editis, Quesnellus scripsit, *manifesta*, quod in nostris quoque mss. inventum retinuimus.

[b] Duo codd. S. Petri, *Idem homo est in forma Dei, qui formam recepit servi. Recepit* est etiam in duobus Vaticanis.

[c] Tres codd. addunt, *hæc*; prima editio cum ms. Bon., *hoc*.

[d] Quesnellus inseruit vocem *idem*, quam reperimus in prima editione et aliquibus mss.

[e] *Qui* pro *quia* revocavimus ex prima editione et duobus mss. S. Petri, nec non ex uno Vat. et Bon.

[f] In quatuor codd. et prima editione, *invenit*. Retinuimus lectionem vulgatam, quam in aliis mss. etiam antiquis deprehendimus, eo quod *confessio* fidei de Christo plures quidem contradictiones nacta est, at nullas metuit.

[g] Quesnellus addidit vocem *solam* ex mss. Corb. et Gaudiival. Eamdem in quatuor nostris mss. reperimus, nec non in prima editione. Dein *malesuadus*, in quibusdam mss. et prima editione a nobis inventum Quesnellus recepit. In aliis editis et in ms. S. Petri *malesuasor* legitur.

[h] Ms. S. Petri, *hominis*.

[i] Duo codd. S. Petri, *inhærent*.

[j] Adjectivum *veri* inseruimus ex mss. S. Petri, uno Bon. et prima editione.

[k] Tres codd. et prima editio, *quod est*. Paulo post *percucurrit* pro *percurrit* est in duobus nostris mss. et in prima editione.

[l] Sic duo mss. S. Petri. Al., *prævenerunt*. Dein in duobus codd. et prima editione, *esset salus*.

Digitized by Google

III. *Malitiam Herodis in infantium bonum Christus ordinat. Quas in Deo infante virtutes imitari debeamus.*

112 CAP. I. — Celebrato [a] proxime die quo intemerata virginitas humani generis [b] edidit Salvatorem, Epiphaniæ nobis, dilectissimi, veneranda [c] festivitas dat perseverantiam gaudiorum, ut inter cognatarum solemnitatum vicina sacramenta, exsultationis vigor et fervor fidei non tepescat. Ad omnium enim hominum [d] spectat salutem, quod infantia Mediatoris Dei et hominum jam universo declarabatur mundo, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo. Quamvis enim Israeliticam gentem, et ipsius gentis unam familiam delegisset, de qua naturam universæ humanitatis assumeret, noluit tamen intra maternæ habitationis angustias ortus sui latere primordia; sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est [e] pro omnibus nasci. Tribus igitur magis in regione Orientis stella novæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris pulchriorque sideribus, facile in se intuentium oculos animosque converteret: ut confestim adverteretur non esse otiosum, quod tam insolitum [f] videbatur. Dedit ergo aspicientibus intellectum, qui præstitit signum; et quod fecit intelligi, fecit inquiri, et se inveniendum obtulit inquisitus.

CAP. II. — Sequuntur [g] tres viri superni luminis ductum, et prævii fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis, gratiæ splendore ducuntur, qui humano sensu significatum sibi regis ortum æstimaverunt in civitate regia esse quærendum. Sed qui servi susceperat formam, et non judicare venerat, sed judicari, Bethleem prælegit nativitati, Jerosolymam passioni. Herodes vero audiens Judæorum principem natum, successorem suspicatus expavit; et molitus necem salutis auctori, falsum [h] spopondit obsequium. Quam felix foret, si magorum imitaretur fidem, et **113** converteret ad religionem quod disponebat ad fraudem! O cæca stultæ æmulationis impietas, [i] quæ perturbandum putas divinum tuo furore consilium! Dominus mundi temporale non quærit regnum, qui præstat æternum. Quid incommutabilem dispositarum rerum ordinem vertere, et [i] aliorum facinus præoccupare conaris? Mors Christi non est temporis tui. Ante condendum est Evangelium, ante prædicandum est Dei regnum, ante sanitates donandæ, ante sunt facienda miracula. Cur, quod alieni futurum est operis, tui vis esse criminis? et non habiturus effectum sceleris, in solum te reatum præcipitas voluntatis? Nihil hac molitione proficis, nihil peragis. Qui voluntate natus est, sui arbitrii potestate morietur. Consummant ergo magi desiderium suum, et ad puerum Dominum Jesum Christum eadem stella præeunte perveniunt. Adorant in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, et in hominis veritate Dominum majestatis; [k] atque ut sacramentum fidei suæ intelligentiæque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt regi, [l] scienter divinam humanamque naturam in unitate

[a] *Proximo* est in editis, ut in aliquot mss. *Proxime* in duobus mss. S. Petri, atque in codd. 1 et 2 collectionum; et hanc lectionem præferendam duximus. Festivitas enim Natalis Domini, quæ ab Epiphania duodecim diebus distat, *proxime* quidem, non autem *proximo die* celebrata dici potuisse videtur. Sermone sequenti Leo dixit cap. 1: *Brevi intervallo temporis post solemnitatem Nativitatis Christi festivitas declarationis ejus illuxit.* Emendationem confirmat Homiliarium Pauli Diaconi antiquæ editionis Basileensis, in quo habetur, *Proxime festivitatis die*, seu ex editione Surii, *Proxime celebrato die.* In hoc Homiliario mox præterea legitur *intemerata virginitas Mariæ*, ut in canone missæ Natalis Domini habetur, de qua in annotatione sequenti.

[b] In canone missæ Nativitatis Domini: *Communicantes et diem sacratissimum celebrantes quo beatæ Mariæ intemerata virginitas huic mundo edidit Salvatorem.* Eadem pene verba, et insuper vox *sacratissimum* Leoni perquam familiaris; qui c. 4 sermonis consequentis *sacratissimus dies* hic ipse dicitur; unde probabile evadit, quod et aliunde confirmatur, multa in ecclesiasticis officiis ac ritibus, ac præsertim in præfationibus et canone, esse a Leone nostro vel composita, vel in melius mutata. QUESNELLUS.

[c] Cod. S. Petri, *solemnitas.*

[d] Ms. Vercell., *spectabat.* Mox in prima editione, *infantia Salvatoris ac Mediatoris.*

[e] Præpositionem *pro* adjecimus ex mss. S. Petri et Vercell.

[f] Al., *videretur.* Dein, *inquisitus* (quæ vox respondet verbo antecedenti *inquiri*) prætulimus ex mss. S. Petri ac prima editione. Al., *requisitus.*

[g] Cod. Vercell. addit, *igitur.*

[h] Quesnellus, *spondet*, cum codicibus duarum collect. 4 et 5. Retinuimus lectionem anteriorum edit. quam Lectionaria S. Petri, Vercell. et antiquiores collectiones præferunt.

[i] Mss. quatuor Vat. Bon. et prima editio per interrogationem efferunt, *quid.* Vetustiorum codd. et editionum lectionem retinuimus.

[j] Prima editio, *alienum facinus.*

[k] Sic ex ms. S. Petri, cui concinit Homil. Pauli Diaconi, *et ut.* Al., *atque sacramentum.*

[l] Quatuor Lectionaria, duo S. Petri, unum Vercell. et aliud Venetum, nec non Homiliarium Pauli Diaconi, ac præterea exemplaria omnium quinque collectionum contulimus. *Scilicet* pro *scienter* exhibet editio prima cum mss. coll. 3 et 4. *Scientes* et *venerandam* non male in cod. Ven., in Homil. Pauli Diac. et in prima Quesn. edit. *Scientes* et *venerantes* perperam in ms. Vercel. Retinuimus *scienter* et *venerantes* cum cæteris editionibus atque codd. Dein pro *in unitate* duo codd. S. Petri et mss. collect. 2 habent, *in homine.* Aliorum codicum omniumque editionum lectionem haud deserendam putavimus, cum sensus mox explicandus vocibus *in unitate* optime congruat. Tandem editi cum solis mss. coll. 5 habebant, *in persona*, pro *in potestate*, quam lectionem ex omnibus Lectionariis cæterisque collectionibus, et Homil. Pauli Diac. inseruimus; id etiam approbante sensu totius contextus, qui est hujusmodi. Magi cum obtulerunt *thus Deo*, naturam divinam; cum *myrrham homini*, naturam humanam; cum vero *aurum regi*, utramque naturam simul *in unitate* venerati sunt: quia etsi suæ sunt cuique naturæ proprietates, regia tamen dignitas, seu *potestas* Christo uti Deo et uti homini competebat: unde *quod erat in substantiis* (id est naturis) *proprium, non erat in potestate diversum.* Hanc Leonis mentem explicant alia ejusdem testimonia. Nam serm. 21, c. 2: *Deus verus*, inquit, *et homo verus*, IN UNITATEM DOMINI *temperatur*; et serm.

Digitized by Google

venerantes : quia quod erat in substantiis proprium, non erat in potestate diversum.

Cap. III. — Reversis autem magis in regionem suam, translatoque Jesu in Ægyptum ex admonitione divina, exardescit [a] frustra in meditationibus suis Herodis insania. Necari omnes [b] in Bethleem parvulos jubet, et quoniam quem metuat nescit infantem, generalem [c] sententiam in suspectam sibi tendit ætatem. Sed quod rex impius eximit mundo, Christus inserit cœlo; et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem. Erigite igitur, dilectissimi, fideles animos **114** ad coruscantem gratiam luminis sempiterni, et [d] impensa humanæ salutis sacramenta venerantes, studium vestrum iis quæ pro vobis gesta sunt subdite. Diligite castimoniæ puritatem, quia Christus [e] virginitatis est filius. *Abstinete vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam* (I *Petr.* II, 11), quemadmodum nos præsens B. apostolus suis, ut legimus, verbis hortatur. *Malitia parvuli estote* (I *Cor.* XIV, 20), quia Dominus gloriæ mortalium se conformavit infantiæ. Sectamini humilitatem, quam Dei Filius discipulos suos docere dignatus est (*Matth.* XI, 29). Induite vos virtutem patientiæ, in qua animas vestras possitis acquirere : quoniam qui cunctorum est redemptio, ipse est omnium fortitudo. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Coloss.* III, 2). Per viam veritatis et vitæ constanter incedite; nec vos impediant terrena, quibus sunt parata cœlestia; per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. C

SERMO XXXII [*Al.* XXXI].

In Epiphaniæ solemnitate II.

Summaria. — I. *Herodes Christum natum mundo nuntiat, cum e mundo tentat auferre. Christus in Ægyptum exsulans, saluti Ægyptum præparat.* — II. *Quantum debeamus Deo, cæcitas Judæorum demonstrat, qui non agnoverunt, ut crucifigerent.* — III. *Felicior infantium ignorantia quam sacerdotum Judæorum scientia. Christus infantiam parvulorum de sua consecrat infantia.* — **115** VI. *Magorum vocatio, vocationis nostræ primordia. Eorum munera quisque debet æmulari, ut Christo salutem nostram operanti cooperemur.*

Cap. I. — *Gaudete in Domino*, dilectissimi, *iterum dico, gaudete* (*Philip.* IV, 4) : quoniam brevi intervallo temporis post solemnitatem nativitatis Christi, festivitas declarationis ejus illuxit; et quem in illo die virgo peperit, in hoc mundus agnovit. Verbum enim caro factum (*Joan.* I, 14) sic susceptionis nostræ temperavit exordia, ut natus Jesus, et credentibus manifestus, et persequentibus esset occultus. Jam tunc ergo cœli enarraverunt gloriam Dei (*Ps.* XVIII, 1), et in omnem terram sonus veritatis exivit (*Rom.* X, 18), quando et pastoribus exercitus angelorum Salvatoris editi annuntiator apparuit (*Luc.* II, 13), et magos ad eum adorandum prævia stella perduxit (*Matth.* II, 2) : ut a solis ortu usque ad occasum veri regis generatio coruscaret, cum rerum fidem et regna Orientis per magos discerent, et Romanum imperium non lateret. Nam et sævitia Herodis, volens primordia suspecti sibi regis exstinguere, huic dispensationi nesciens serviebat; ut dum atroci intentus facinori, ignotum sibi puerum indiscreta infantium cæde persequitur, annuntiatum cœlitus Dominatoris ortum insignior ubique fama loqueretur, quam promptiorem ad narrandum diligentioremque faciebat et supernæ [f] significationis novitas, et cruentissimi persecutoris impietas. Tunc autem [g] Ægypto Salvator illatus est, ut gens antiquis erroribus dedita, jam ad vicinam salutem per occultam gratiam [h] vocaretur; et quæ nondum ejecerat ab animo superstitionem, jam hospitio reciperet veritatem.

Cap. II. — Merito igitur, dilectissimi, dies iste manifestatione Domini consecratus specialem in toto mundo obtinuit dignitatem, quæ in cordibus nostris digno debet splendore clarescere, ut rerum gestarum ordinem non solum credendo, sed etiam intelligendo veneremur. Quantam enim gratiarum actionem debeamus Domino pro illuminatione gentium, probat [i] obcæcatio Judæorum. Quid enim tam cæcum, quid tam lucis alienum, quam illi sacerdotes et scribæ Israelitarum fuerunt? qui percontantibus magis, et Herode quærente, *ubi Christus* secundum Scripturarum testimonium *nasceretur* (*Matth.* II, 4), hoc responderunt de prophetico eloquio, **116** quod indicabat stella de cœlo. Quæ utique poterat magos Jerosolymis prætermissis usque ad cunabula pueri, sicut postmodum fecit, sua significatione perducere; nisi ad confutandam [j] Judæorum duritiam pertinuisset, ut non solum ductu sideris, sed etiam ipsorum professione innotesceret nativitas Salvatoris. Jam ergo ad eruditionem gentium propheticus sermo transibat, D

48, c. 1 : *Filius Dei idemque filius hominis* UNUS *est Dominus.*

[a] Editi cum mss. posteriorum collect., *frustrata.* Melior visa est lectio codd. S. Petri, Vercell. et Veneti.

[b] Præpositionem *in* adjecimus ex iisdem codd. S. Petri, et uno Vat.

[c] Sic ex duobus mss. S. Petri, prima editione atque codd. collect. 2, 3 et 4. Editi cum mss. collect. 1 et 5, ac Lectionar. Vercell. et Veneto, *sævitiam.* Mox *exemit* pro *eximit* in cod. Bon. et prima editione. Dein, *impertivit* pro *impendit* in Vercelli.

[d] Editi, *impensa saluti humanæ gratiæ sacramenta.* Codd. Vat. collect. 4 et 5 cum Lectionar. Veneto omittunt *gratiæ.* Secuti sumus mss. S. Petri, Vercell. et Homil. Pauli Diac.

[e] Quesnellus notavit in margine : Al., *Virginis;* et ita in cod. Veneto S. Marci.

[f] Mss. S. Petri et prima editio, *signationis.*

[g] Editi inserunt particulam *etiam*, quam delevimus ope mss. S. Petri, Bon., Veron. et primæ editionis.

[h] Ita mss. quinque Quesnelli et præstantiores nostri S. Petri, Casin., Veron., Casanat. et Barber. Al. in editis ante Quesn. et in nonnullis codd., *signaretur.* Prima editio pro, *jam ad vicinam salutem*, habet, *jam vicina ad salutem;* et similiter in cod. S. Petri, ubi solum omittitur *jam.* Paulo post, *susciperet* pro *reciperet*, in ms. S. Petri.

[i] Ms. S. Petri, *excæcatio;* et similiter cap. 4.

[j] In eodem cod., *eorum duritiam.* Paulo ante, *confundendam*, pro *confutandam*, in ms. Veron.

Digitized by Google

et prænuntiatum antiquis oraculis Christum alienigenarum corda discebant : cum Judæorum infidelitas veritatem ore proferret, et mendacium corde retineret. Noluerunt enim agnoscere oculis quem de sacris [a] indicaverant libris : ut quem non adorabant in infantiæ infirmitate humilem, postea crucifigerent in virtutum sublimitate fulgentem.

Cap. III.—Quæ ista, Judæi, tam imperita in vobis scientia est, et tam indocta doctrina ? Interrogati *ubi Christus nasceretur* (*Matth.* II, 4), veraciter et memoriter dicitis quod legistis : *In Bethleem Judæ* (*Ibid.*, 5). Sic enim scriptum est per prophetam : *Et tu, Bethleem terra Juda, non es minima* [b] *inter principes Juda. Ex te enim exiet princeps qui regat populum meum Israel* (*Mich.* V, 2). Hunc principem natum, et pastoribus angeli (*Luc.* II, 13), et vobis nuntiavere pastores (*Matth.* II, 2). Hunc principem natum longinquæ Orientalium gentium nationes insolito novi sideris splendore didicerunt. Et ne de loco editi regis ambigerent, vestra eruditio prodidit quod stella non docuit. Cur vobis viam quam aliis aperitis obstruitis ? Cur in vestra infidelitate resident dubium quod ex vestra fit responsione manifestum ? Locum nativitatis de Scripturarum testimonio demonstratis, præsentiam temporis de cœli et terræ attestatione cognoscitis ; et tamen ubi ad persequendum animus Herodis exarsit, ibi ad non credendum vester sensus obduruit. Felicior ergo ignorantia infantium quos persecutor occidit (*Matth.* II, 16), quam vestra scientia, quam in sua perturbatione consuluit. Vos noluistis regnum ejus recipere, cujus oppidum potuistis ostendere. Illi potuerunt pro eo mori, quem [c] nondum poterant confiteri. Ita Christus, ne ullum ei tempus esset absque miraculo, ante usum linguæ potestatem Verbi tacitus exerebat ; et quasi jam diceret : *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 14) : nova gloria coronabat infantes, et de initiis suis parvulorum primordia consecrabat : **117** ut discerctur neminem hominum divini incapacem esse sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ esset apta martyrii.

Cap. IV.—Agnoscamus ergo, dilectissimi, in magis [d] adoratoribus Christi, vocationis nostræ fideique primitias, et exsultantibus animis beatæ spei initia celebremus. Exinde enim in æternam hæreditatem cœpimus introire ; exinde nobis Christum loquentia Scripturarum arcana patuerunt ; et veritas, quam Judæorum obcæcatio non recipit, omnibus nationibus lumen suum invexit. Honoretur itaque a nobis saeratissimus dies, in quo salutis nostræ auctor apparuit ; et quem magi infantem venerati sunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in cœlis. Ac sicut illi de thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt, ita et nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna promamus. Quamvis enim omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostræ tamen fructum quærit industriæ : non enim dormientibus provenit regnum cœlorum, sed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus ; ut si dona [e] ipsius non irrita fecerimus, per ea quæ dedit mereamur accipere quod promisit. Unde cohortamur dilectionem vestram ut abstinentes vos ab omni opere malo, quæ sunt casta et justa sectemini (*Rom.* XIII, 22). Filii enim lucis abjicere debent opera tenebrarum. Itaque odia declinate, mendacia abjicite, superbiam humilitate destruite, [f] avaritiam projicite, largitatem diligite : decet enim ut capiti suo membra conveniant, ut promissarum beatitudinum mereamur esse consortes : per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXIII [*Al.* XXXII].

In Epiphaniæ solemnitate III

Synopsis. — I. *Tunc Christus mundum liberaturus venit, cum omnes conclusi erant sub peccato, ut nemo de suis meritis gloriaretur.* — II. *Cur sub Herode natus, cur stella demonstratus ? Gratia intus operabatur, ut signum intelligeretur, et Christus inquireretur.* — **118** III. *Quanta Judæorum cæcitas Christo nascente. Implet gentium vocatio promissionem Abrahæ factam.* — IV. *Cur magi, adorato Christo, per aliam viam revertuntur. Cur Christus in Ægyptum transferri voluit.*—V. *Gratiarum actione celebranda hæc festivitas, in qua vocationis gentium primitiæ. Quomodo stellam imitabimur*

Cap. I.—Quamvis sciam, dilectissimi, quod sanctitatem vestram hodiernæ festivitatis causa non lateat, eamque secundum consuetudinem evangelicus vobis sermo reseraverit, tamen ut [g] nihil vobis nostri desit officii, loqui de eadem quod Dominus donaverit audebo : ut in communi gaudio tanto religiosior sit omnium pietas, quanto magis [h] omnibus fuerit intellecta solemnitas. Providentia namque misericordiæ Dei dispositum habens pereunti mundo in novissimis temporibus subvenire, salvationem omnium gentium præfinivit in Christo ; ut quia et cunctas nationes a veri Dei cultu impius dudum

[a] Sic ex mss. S. Petri, ad quos accedit cod. Vat. collect. 5, ubi legitur, *indicaverunt*. Al., *indicabant*.

[b] Prima editio et cod. Veron., *in principibus*. Mox eadem editio cum mss. S. Petri, Veron. et Bon., *exiet dux*, pro *exiet princeps*.

[c] Duo mss. et prima editio, *non poterant*. Mox ex decem nostris codd. et prima editione, *Ita Christus* reposuimus, pro, *Itaque Christus*. Porro duo codd. Vat. et prima editio, *ut nullum*, loco *ne ullum*. Dein *exercebat*, pro *exerebat*, in mss. S. Petri, Bon., Veron. et prima editione.

[d] Cod. S. Petri, *adorantibus Christum*.

[e] Ita septem nostri codd. In editis, *illius irrita non fecerimus*. Mox, *quæ promisit* in ms. S. Petri et uno Vat.

[f] Editi ante Quesnellum, *avaritiam largitate delete*. Ita etiam nostri codd. collect. 3, 4 et 5. At lectionem a Quesnello textui insertam invenimus in duobus mss. S. Petri, in Lectionario Patavino PP. Eremitanorum, in Veron. nec non in codd. collect. 1 et 2. Dein, *benedictionum* pro *beatitudinum* in quatuor nostris codd. et prima editione. In ms. S. Petri, *mereantur* pro *mereamur*.

[g] Sic ex ms. S. Petri. Alias, *nostri nihil desit*.

[h] Addidimus *omnibus* ex cunctis nostris codd. et editis ante Quesnellum.

Digitized by Google

error averterat, et ipse peculiaris Dei populus Israel ab institutis legalibus pene totus exciderat, conclusis omnibus sub peccato (*Rom.* XI, 32), omnium misereretur. Deficiente enim ubique justitia, et toto mundo in vana et maligna prolapso, nisi judicium suum divina potestas differret, universitas hominum sententiam damnationis exciperet. Sed in indulgentiam ira translata est, et ut clarior fieret [a] exerendæ gratiæ magnitudo, tunc placuit abolendis peccatis hominum sacramentum remissionis afferri, quando nemo poterat de suis meritis gloriari.

CAP. II. — Hujus autem, [b] dilectissimi, ineffabilis misericordiæ manifestatio facta est Herode apud Judæos jus regium tenente, ubi legitima regum successione cessante, et pontificum potestate destructa, alienigena obtinuerat principatum : ut veri Regis ortus illius prophetiæ probaretur voce, quæ dixerat : *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est, et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). De quibus quondam beatissimo [c] patriarchæ Abrahæ innumerabilis fuerat promissa successio, non carnis semine, sed fidei fecunditate generanda; et ideo stellarum multitudini comparata, ut [d] ab omnium gentium patre, non terrena, sed cœlestis progenies speraretur. Ad creandam ergo **119** promissam posteritatem, hæredes in sideribus designati, ortu novi sideris excitantur, ut in quo cœli adhibitum fuerat testimonium, cœli famularetur obsequium. [e] Commovet magos remotioris Orientis habitatores stellis cæteris stella fulgentior, et de mirandi luminis claritate viri ad hæc spectanda non inscii, magnitudinem significationis intelligunt : agente hoc sine dubio in eorum cordibus inspiratione divina, ut eos tantæ visionis mysterium non lateret, et quod oculis ostendebatur insolitum, animis non esset obscurum. Denique officium suum cum religione disponunt, et his se instruunt donis, ut adoraturi unum tria se simul credidisse demonstrent : auro honorantes personam regiam, myrrha [f] humanam, thure divinam.

CAP. III. — Ingrediuntur itaque Judaici regni præcipuam civitatem, et in urbe regia ostendi sibi postulant [g] quem ad regnandum didicerant procreatum. Conturbatur Herodes, timet saluti suæ, metuit potestati, requirit a sacerdotibus et doctoribus legis quid de ortu Christi Scriptura prædixerit, in notitiam venit quod fuerat prophetatum; veritas illuminat magos, infidelitas obcæcat magistros; carnalis Israel non intelligit quod legit, non videt quod ostendit; utitur paginis quarum non credit eloquiis. *Ubi est*, Judæe, *gloriatio tua* (*Rom.* III, 27)? Ubi de Abraham patre ducta nobilitas? *Nonne circumcisio tua præputium facta est* (*Rom.* II, 25)? Ecce major servis minori (*Gen.* XXV, 23), et alienigenis in sortem hæreditatis tuæ intrantibus, ejus testamenti, quod in sola littera tenes, recitatione famularis. Intret, intret in patriarcharum familiam gentium plenitudo, et benedictionem in semine Abrahæ, qua se filii carnis **120** abdicant, filii promissionis accipiant. Adorent in tribus magis omnes populi universitatis auctorem; et non in Judæa tantum Deus, sed in toto orbe sit notus, ut ubique *in Israel sit magnum nomen ejus* (*Ps.* LXXV, 2). Quoniam [h] hanc electi generis dignitatem sicut infidelitas in suis posteris convincit esse degenerem, ita fides omnibus facit esse communem.

CAP. IV. — Adorato autem Domino, magi, et omni devotione completa, secundum admonitionem somnii non eodem quo venerant itinere revertuntur. Oportebat enim ut jam in Christum credentes non per [i] antiquæ conversationis semitas ambularent, sed novam ingressi viam a relictis erroribus abstinerent. Tum ut etiam Herodis vacuarentur insidiæ, qui in puerum Jesum impietatem doli per simulationem disponebat officii. Unde quia spes istius erat

[a] Al., *exercendæ*. Quesnellus, *exerendæ*, cum aliquot nostris mss. Postea, *de suo merito* in Lectionariis S. Petri.

[b] Vox *dilectissimi* a Quesnello adjecta, nobis inventa est in ms. S. Petri.

[c] Duo codd. S. Petri, *Petri Abrahæ*. Paulo ante *jam* pro *quondam* in Lectionario Patavino S. Antonii.

[d] Ita emendavimus ex omnibus nostris codd. et nonnullis editis. Prima editio et Quesn., *ab omni*. Paulo post in ms. Patav., *ut cui cœli*.

[e] Prima editio cum mss. S. Petri, *Commonet*. Laudatus cod. Patav., *Commovit . . . et in mirandi luminis claritate*. Dein, *magnitudinem sanctificationis*, in eadem editione et in mss. Bon. et tribus Vat.

[f] Cave ne quid his in verbis Nestoriano dogmati affine suspiceris, dum tam humanam quam divinam in Christo agnoscit personam Leo noster. Quemadmodum enim tertium in illo suppositum cogitari nemo dixerit, cum personam regiam ab utraque illa discretam appellare videtur, sic nec humanum suppositum a Verbo distinctum in Christo somniasse Leo est existimandus. Unicam ergo Christi personam intelligit, quæ simul et dignitate regia, et natura humana, et essentia divina per incarnationem Verbi prædita invenitur. QUESN. — *Personæ* quidem nomen veteres nonnumquam accepisse pro *tamquam*, aliquot exemplis ostendimus not. 71 in tract. 16, lib. I, S. Zenonis, p. 133. Ita hoc loco, *honorantes personam regiam, humanam* et *divinam*, idem est ac auro honorantes Christum tamquam regem, myrrha tamquam hominem, thure tamquam Deum; et in hanc quidem sententiam sermone sequenti, c. 3 : *Cui*, inquit, *in auro regius honor, in thure divina veneratio, in myrrha mortalitatis confessio deberetur*. Confer etiam serm. 36, c. 1. Porro in duplici natura Christi personæ unitatem pluribus in locis palam profitetur.

[g] Nonnulli codd. posteriorum collectionum addunt, *puerum*. Prima editio, *puerum quem ad regendum sibi didicerant procreatum*. Aliquanto post, *Ubi est, Judæe, glorificatio tua?* in mss. S. Petri, Bon. et prima editione.

[h] Duo codd. S. Petri, unus Vallicell. et alius Patavinus : *Hanc elegit generis dignitatem, ut sicut infidelitas in suis posteris fecit* (Patav., *convicit*, Vallic., *convincit*) *esse degenerem, ita fides omnibus fecit* (melius Patav. et Vallicell., *faciat*) *esse communem*.

[i] Prima editio, *antiquas*. Aliquanto post, *furiam* pro *furorem* in eadem editione et mss. S. Petri ac Bon.

Digitized by Google

soluta commenti, in majorem furorem iracundia regis ardescit. Nam recolens tempus quod indicaverant magi, in omnes Bethleem pueros rabiem crudelitatis effundit, [a] et cæde generali universæ civitatis illius in æternam gloriam transiturum trucidat infantiam; æstimans fore ut, nullo illic parvulo non occiso, occideretur et Christus. At ille, qui sanguinem suum pro mundi redemptione fundendum in aliam differret ætatem, Ægypto se parentum ministerio subvectus intulerat, repetens scilicet Hebrææ gentis antiqua cunabula, et principatum veri Joseph majoris providentiæ potestate disponens, ut illam [b] diriorem omni inedia famem qua Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cœlo panis vitæ (*Joan.* VI, 59) et cibus rationis auferret; nec sine illa regione pararetur singularis hostiæ sacramentum, in **121** qua primum occisione agni, salutiferum crucis signum et pascha Domini fuerat præformatum.

CAP. V. — His igitur, dilectissimi, divinæ gratiæ mysteriis eruditi, diem primitiarum nostrarum et inchoationem vocationis gentium, rationabili gaudio celebremus: gratias agentes misericordi Deo, *qui dignos nos fecit*, sicut ait Apostolus, *in partem sortis sanctorum in lumine; qui eripuit nos* [c] *de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ* (*Coloss.* I, 12, 13); quoniam, sicut prophetavit Isaias, *Gentium populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, et qui habitabant in regione umbræ mortis, lux orta est eis* (*Isai.* IX, 2). De quibus idem dicit ad Dominum: *Gentes quæ te* [d] *non noverunt, invocabunt te; et populi qui te nescierunt, ad te confugient* (*Isai.* LV, 5). Hunc diem Abraham vidit, et gavisus est (*Joan.* VIII, 56), cum benedicendos fidei suæ filios in semine suo, quod est Christus, agnovit, et omnium se futurum gentium patrem credendo prospexit (*Rom.* IV, 18), *dans gloriam Deo, et plenissime sciens quoniam quod promisit potens est et facere* (*Ibid.*, 21). Hunc diem David in psalmis canebat, dicens: *Omnes gentes,* [e] *quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum* (*Psal.* LXXXV, 9); et illud: *Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit justitiam suam* (*Psal.* XCVII, 2). Quod utique exinde fieri novimus, ex quo tres magos, de longinquitate suæ regionis [f] excitos, ad cognoscendum et adorandum Regem cœli et terræ stella perduxit [g]. Cujus utique famulatus ad formam nos sui hortatur obsequii: ut huic gratiæ, [h] quæ omnes invitat ad Christum, quantum possumus, serviamus. Quicumque enim in Ecclesia pie vivit et caste, qui ea quæ sursum sunt sapit (*Coloss.* III, 1), non quæ super terram, cœlestis quodammodo instar est luminis; et dum ipse sanctæ vitæ nitorem servat, multis viam ad Dominum quasi stella demonstrat. In quo studio, dilectissimi, omnes vobis invicem prodesse debetis, ut in regno **122** Dei, ad quod recta fide et bonis operibus pervenitur, sicut lucis filii splendeatis: per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXIV [*Al.* XXXIII].

[i] *In Epiphaniæ solemnitate IV.*

SYNOPSIS. — I. *Magi a longinqua regione vocati, ut Christiana fides roboraretur, quæ Deum et hominem Christum credit.* — II. *Magi prophetia Balaam edocti, Judæorum responso confirmati. Isti spe ducis temporalis decepti; Herodes timore consortis turbatus.* — III. *Magorum iter munerumque delectus gratiæ intus docentis opus fuere. Eorum diligentia fidei nostræ serviebat.* — IV. *Manichæorum impietas incarnationis fidem ac veritatem evertit.* — V. *Manichæi vitandi; eorum sacrilegia detecta. Pro iisdem aliisque hæreticis preces fundere, Ecclesiæ institutum.*

CAP. I. — Justum et rationabile, dilectissimi, veræ pietatis obsequium est, in diebus qui divinæ miseri-

[a] Quesnellus hac lectione, quæ erat anteriorum editionum, in notationem rejecta, ex tribus codd. id est duobus Thuan. et uno Corb., quibus concinunt nostri Patav., Venet. et Casin., hanc aliam inseruit: *Et cæde generali in beatam civitatis illius desævit infantiam.* Nos vero antea editorum lectionem restituendam putavimus, eo quod non solum reperiatur in mss. collectionum 3, 4 et 5, verum etiam in Lectionariis libris S. Petri, qui laudatis codicibus præferendi visi sunt: cum præsertim ad eamdem lectionem accedant mss. Casan. et Barb. collect. 2, in quibus legitur: *Et cæde generali in universam civitatis illius in æternam gloriam transituram desævit infantiam.* Concinit etiam Lectionarium Vallicel., in quo solum pro *trucidat*, est *trucidavit.* Post pauca: *At ille, quia sanguinem*, in ms. Patav.

[b] Unus cod. S. Petri et alius Vat., *duriorem.*

[c] Cod. S. Petri, *de tenebris et de potestate tenebrarum.*

[d] Ms. Casin., *non cognoverunt.* Mox, *qui te nescierunt*, ex eodem cod. scripsimus, cum idem legatur serm. 29, cap. 3. Al., *nesciebant.* Ms. Patav., *nesciunt.*

[e] Cod. Casin., *quas fecisti..... et honorificabunt nomen.* Patav. quoque habet, *et honorificabunt*, loco *et glorificabunt*; et dein, *in conspectu*, pro *ante conspectum.*

[f] In editis et aliquot codd., *excitatos.* Quesnellus in margine, *forte excitos*; quam lectionem cum nacti simus in duobus mss. S. Petri, et duobus Vat., ac uno Patav., textui inserere non dubitavimus.

[g] Post verbum *perduxit*, hæc alia addita leguntur in Codd. excusis: *Et recte intuentibus quotidie apparere non desinit. Et si potuit notum facere Christum in infantia latentem, quanto magis potest eumdem manifestare in majestate regnantem!* Quæ cum in omnibus quos vidi melioris notæ codd. mss. desiderentur, in duobus scilicet Thuaneis et uno Corbeinsi, dubium non est, ut mihi quidem videtur, quin ex annotatione marginali alicujus astrologiæ plus æquo dediti, in textum tandem irrepserint. Sed vel ipsa textus series expungenda esse illa verba manifeste demonstrat. QUESN. — Ista pariter verba absunt a codd. collect. 1 et 2, nec non a quibusdam nostris Lectionariis Patav., Veneto, etc. Quod si in mss. S. Petri leguntur nihil moveat: nam post vocem *regnantem* habent *cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen*; et mox subjicitur: *Cujus utique famulatus*, etc. Ea autem clausula, *cum Patre*, etc., ante finem sermonis inserta, eorum verborum intrusionem magis magisque confirmat.

[h] Prima editio, *qua omnes invitantur ad Christum.*

[i] Cod. S. Petri, *De Epiphania contra Manichæos.*

Digitized by Google

cordiæ opera protestantur, toto corde gaudere et honorifice ea quæ ad salutem nostram gesta sunt celebrare : vocante nos ad hanc devotionem ipsa recurrentium temporum lege, quæ nobis post [a] diem in quo coæternus Patri Filius Dei natus ex Virgine est, brevi intervallo Epiphaniæ intulit festum, ex apparitione Domini consecratum. In quo fidei nostræ magnum præsidium providentia divina constituit, ut dum solemni veneratione [b] recolitur adorata in exordiis suis Salvatoris infantia, per ipsa originalia documenta probaretur [c] veri in ipso hominis orta natura. **123** Hoc enim est quod justificat impios, hoc est quod ex peccatoribus facit sanctos, si in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo et vera Deitas, et vera credatur humanitas : Deitas, qua ante omnia sæcula in forma Dei æqualis est Patri ; humanitas, qua novissimis diebus in forma servi unitus est homini. Ad roborandam ergo hanc fidem, quæ contra omnes [d] præmuniebatur errores, ex magna gestum est divini pietate consilii, ut gens in longinqua Orientalis plagæ regione consistens, quæ spectandorum siderum arte pollebat, signum nati pueri qui supra omnem Israel esset regnaturus, acciperet. Nova etenim claritas apud magos stellæ illustrioris apparuit, et intuentium animos in admiratione sui splendoris implevit, ut nequaquam sibi crederent negligendum, quod tanto nuntiabatur [e] indicio. Præerat autem, sicut res docuit, huic miraculo gratia Dei ; et cum Christi nativitatem nec ipsa adhuc Bethleem tota didicisset, jam illam creditaris gentibus inferebat : et quod nondum poterat humano eloquio disseri, cœlo faciebat evangelizante cognosci.

Cap. II. — Quamvis autem divinæ dignationis esset hoc munus, ut agnoscibilis gentibus fieret nativitas Salvatoris, ad intelligendum tamen miraculum signi potuerunt magi etiam de antiquis Balaam prænuntiationibus commoneri, scientes olim esse prædictum et celebri memoria diffamatum : *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo ex Israel, et dominabitur gentium* (*Num.* xxiv, 17). Tres itaque viri, fulgore insoliti sideris divinitus incitati, prævium micantis luminis cursum sequuntur, existimantes se [f] significatum puerum Jerosolymis in civitate regia reperturos. Sed cum eos hæc opinio fefellisset, per Judæorum scribas atque doctores, quod sacra de ortu Christi prænuntiaverat Scriptura, didicerunt ; ut gemino testimonio confirmati, ardentiori fide expeterent quem et stellæ claritas et prophetiæ manifestabat auctoritas. Prolato autem divino oraculo per responsa pontificum, et declarata spiritus voce, quæ dicit : *Et tu, Bethleem, terra Juda, [g] non es minima inter principes Juda : ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel* (*Mich.* v, 2; *Matth.* ii, 6) : quam facile et quam consequens fuit ut Hebræorum proceres crederent **124** quod docebant. Sed apparet illos carnaliter cum Herode sapuisse, et regnum Christi commune cum hujus mundi potestatibus æstimasse : ut et isti temporalem sperarent ducem, et terrenum metueret ille consortem. Superfluo, Herodes, timore turbaris, et frustra in suspectum tibi puerum sævire moliris. Non capit Christum [h] regio tua, nec mundi Dominus potestatis tuæ sceptri est contentus angustiis. Quem in Judæa regnare non vis, ubique regnat ; et felicius ipse regnares, si ejus imperio ipse subdereris. Cur sincero officio non facis quod subdola falsitate promittis? Perge cum magis, et verum regem suppliciter adorando venerare. Sed tu, Judaicæ sequacior cæcitatis, non imitaris gentium fidem, corque perversum ad crudeles convertis insidias, nec illum occisurus quem metuis, nec illis nociturus quos perimis.

Cap. III. — Deducti igitur, dilectissimi, in Bethleem magi stellæ præcedentis obsequio, *gavisi sunt gaudio magno valde*, sicut evangelista narravit ; *et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus ; et procidentes adoraverunt eum ; et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham* (*Matth.* ii, 10, 11). O perfectæ scientiæ mirabilem fidem, quam non terrena sapientia erudivit, sed Spiritus sanctus instituit ! Unde enim hi viri, cum proficiscerentur de patria, qui nondum viderant Jesum, [i] nec aliquid contuitu ejus, quod tam ordinate venerarentur, adverterant, hanc deferendorum munerum servavere rationem? nisi quia præter illam stellæ speciem, quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit ; ut priusquam labores itineris inchoarent, eum sibi significari intelligerent, cui in auro regius honor, in thure divina veneratio, in myrrha mortalitatis con-

[a] Quesnellus hoc loco addidit, *istum*, quod et ab aliis editis, et a nostris mss. abest, et sensu ipso postulante expungendum fuit. Melius cum ms. Veron., *illum* legi posset.

[b] Sic restituimus ex nostris codd. et editis ante Quesnellum, apud quem, *colitur*.

[c] Ita duo codd. S. Petri et duo Vat., ac Veron. unus cum Quesnello. Alii editi, *veri hominis in Christo orta natura*.

[d] Editi ante Quesnellum, *pronuntiabatur*, ut in codd. collect. 3 et 4. Secuti sumus Quesnelli lectionem, quam mss. S. Petri et duo Vat. confirmant. Cod. Veron., *nuniebatur*. Mox, *factum est* pro *gestum est*, in uno Vat. collect. 5.

[e] In tribus nostris codd. ac prima editione, *judicio*. Paulo post, *dicere* pro *disseri* in duobus mss. S. Petri. Ms. Veron., *discere*.

[f] Prima editio et unus Vat., *signatum* : alius Vat., *significatum sibi puerum*.

[g] Ita quatuor Vat. et Veron. unus cum Quesnello, et similiter serm. 32, c. 3. Alii editi, *nequaquam minima es*. Duo codd. S. Petri, *non eris minima*.

[h] Prima editio, *regia tua*, cum ms. Veron.

[i] Prima editio cum ms. Veneto et codd. Vat. collect. 3, 4 et 5, *nec aliquo contuitu ejus, quod eum tam ordinate venerarentur*. Similiter cod. Veron., qui solum omittit *eum*. Editio Rainaudi pro *quod* habet *quo*. Cod. Casanat. collect. 2, *nec aliquod contuitu, quo tam ordinate venerarentur*. Quesnellus, licet nihil indicet, ex his variis lectionibus unam compegisse videtur, quam nullibi invenimus : *Nec aliquid contuitu ejus, quo eum tam ordinate venerarentur*. Lectionem duorum codd. S. Petri et ms. Casinen. collect. 1 exhibuimus. Paulo post, *signari sibi*, pro *sibi significari* legitur in prima editione.

Digitized by Google

fessio deberetur. Et hæc quidem, quantum ad illuminationem fidei pertinebat, potuerunt illis credita et intellecta sufficere, ut corporali intuitu non inquirerent quod plenissimo visu mentis inspexerant. Sed diligentia sagacis officii usque ad videndum puerum perseverans, futuri temporis populis et nostri sæculi hominibus serviebat : ut sicut omnibus [a] nobis profuit, quod post resurrectionem Domini vestigia vulnerum in carne ejus Thomæ apostoli **125** exploravit manus ; ita ad nostram utilitatem proficeret, quod [b] infantiam ipsius magorum probavit aspectus. Viderunt itaque magi, et adoraverunt puerum de tribu Juda, *de semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3), *factum ex muliere, factum sub lege* (*Galat.* IV, 4), quam non solvere venerat, sed adimplere (*Matth.* V, 17). Viderunt et adoraverunt puerum, quantitate [c] parvulum, alienæ opis indigum, fandi impotem, et in nullo ab humanæ infantiæ generalitate dissimilem. Quia sicut fidelia erant testimonia, quæ in eo majestatem invisibilis Deitatis assererent, ita probatissimum esse [d] debebat Verbum carnem factum, et sempiternam illam essentiam Filii Dei, hominis veram suscepisse naturam : ne vel ineffabilium operum secutura miracula, vel suscipiendarum supplicia passionum, sacramentum fidei ex rerum diversitate turbarent ; cum justificari omnino non possent, nisi qui Dominum Jesum et verum Deum et verum hominem credidissent.

CAP. IV.—Huic singulari fidei, dilectissimi, et prædicatæ per omnia sæcula veritati diabolica Manichæorum resistit impietas : qui sibi ad interficiendas deceptorum animas nefandi dogmatis ferale commentum de sacrilegis et fabulosis mendaciis texuerunt, et per has insanarum opinionum ruinas eo usque præcipites prorueruut, ut sibi falsi corporis fingerent Christum, qui nihil in se solidum, nihil verum oculis hominum • actionibusque præbuerit ; sed simulatæ carnis vacuam imaginem demonstrarit. Indignum enim videri volunt, ut credatur Deus Dei Filius femineis se inseruisse visceribus, et majestatem suam huic contumeliæ subdidisse, ut naturæ carnis [f] immixtus, in vero humanæ substantiæ corpore nasceretur : cum totum hoc opus non injuria sit ipsius, sed potentia ; nec credenda pollutio, sed gloriosa dignatio. Si enim lux ista visibilis nullis immunditiis, quibus superfusa fuerit, violatur, nec radiorum solis nitorem, quem corpoream esse creaturam non dubium est, loca ulla sordentia vel cœnosa contaminant : quid illius sempiternæ et incorporeæ lucis essentiam potuit qualibet sui qualitate polluere ? quæ se ei, quam ad imaginem suam condidit, sociando creaturæ purificationem **126** præstitit, maculam non recepit ; et sic sanavit vulnera infirmitatis, ut nulla pateretur damna virtutis. Quod divinæ pietatis magnum et ineffabile sacramentum, quia omnibus sanctarum Scripturarum testificationibus est nuntiatum ; isti, de quibus loquimur, adversarii veritatis, legem per Mosen datam et inspirata divinitus prophetarum oracula respuerunt, ipsasque evangelicas et apostolicas paginas, quædam auferendo et quædam inserendo violaverunt : confingentes sibi sub apostolorum nominibus, et sub verbis ipsius Salvatoris, multa volumina falsitatis, quibus erroris sui commenta munirent, et decipiendorum mentibus mortiferum virus infunderent. Videbant enim sibi universa obsistere, omnia reclamare, et non solum novo, sed etiam veteri Testamento [g] sacrilegam impietatis suæ dementiam confutari. Et tamen in furiosis mendaciis persistentes, Ecclesiam Dei deceptionibus suis perturbare non desinunt : hoc miseris quos illaqueare [h] potuerint persuadentes, ut negent a Domino Jesu Christo humanam naturam vere esse susceptam ; negent eum vere pro mundi salute crucifixum ; negent de ejus latere lancea vulnerato sanguinem redemptionis et aquam fluxisse baptismatis ; negent eum sepultum, ac die tertia suscitatum ; negent eum in conspectu discipulorum ad considendum in dextera Patris super omnes cœlorum altitudines elevatum ; et ut tota apostolici veritate Symboli sublata, nullus metus terreat impios, nulla spes incitet sanctos, negent a Christo vivos et mortuos judicandos : ut quos tantorum sacramentorum virtute privaverint, doceant in sole et luna colere Christum, et sub nomine Spiritus sancti ipsum talium impietatum magistrum adorare Manichæum.

CAP. V. — Ad confirmanda igitur, dilectissimi, corda [i] vestra in fide et veritate, prosit omnibus hodierna festivitas, et ex testimonio manifestatæ Salvatoris infantiæ confessio catholica muniatur, et naturæ nostræ carnem in Christo negantium ana-

[a] Prima editio omittit *nobis*

[b] Ita nostri fere omnes ac melioris notæ codices cum editis ante Quesnellum, et congruentius : nam vox *quod* in hoc secundo membro non est relativa, sicut nec in primo, uti esse deberet, si legeretur cum Quesnello et codd. collect. 5, nec non Lectionar. Veron., *in infantia ipsius.*

[c] *Parvum* pro *parvulum*, et *discretum* pro *dissimilem* in duobus codd. S. Petri. Etiam ms. Veron. habet *discretum.*

[d] *Debebat* pro *decebat* scripsimus ex mss. S. Petri tribusque aliis melioris notæ codd. ac prima editione. De articulo quidem maxime necessario agitur, qui probatissimus esse debebat. Item ex iisdem S. Petri codd. ac prima edit., *suscipiendarum* revocavimus, pro *excipiendarum.*

• Ita edidimus auctoritate mss. S. Petri, Veneto, Veron., nec non codd. collect. 1 et 2. Editi cum mss. trium posteriorum collectionum, *actibusque ;* quam lectionem secutus Quesnellus notavit in margine forte legendum, *tactibusque.* Sed meliores codices hanc emendationem excludunt.

[f] Vide inter observationes nostras, quæ in similem locum serm. 23 ibidem notabuntur. Post pauca, pro *hoc opus*, in ms. Corb. Quesn. legitur, *hoc corpus ;* et pro *credenda*, idem cod. *ridenda*, pro quo legendum, *pudenda*, Quesnellus in margine suspicatus est ; nulli tamen nostri codd. suffragantur.

[g] Editi, *sacrilegæ.* Prætulimus mss. S. Petri. Mox tres codd., *in furoris mendaciis.*

[h] Sic ex laudatis mss. S. Petri et duobus aliis Vaticanis. Al., *potuerunt.*

[i] Sic ex iisdem mss. S. Petri. Al., *nostra.*

Digitized by Google

thematizetur impietas ; de qua nos beatus Joannes apostolus non dubio sermone præmonuit, dicens : *Omnis spiritus qui confitetur Christum Jesum in carne venisse, ex Deo est ;* **127** *et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est ; et hic est Antichristus* (I *Joan.* IV, 2, 3). Nihil ergo cum hujusmodi hominibus commune sit cuiquam Christiano, nulla cum talibus habeatur societas, nullumque consortium. Prosit universæ Ecclesiæ, quod multi ipsorum, Domino miserante, detecti sunt, et in quibus sacrilegiis viverent, eorumdem confessione patefactum est. Neminem fallant discretionibus ciborum, sordibus vestium, vultuumque palloribus. Non sunt casta jejunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ, sed de arte fallaciæ. Hactenus [a] nocuerint incautis, hactenus illuserint imperitis : post hæc nullius excusabilis erit lapsus : nec jam simplex habendus est, sed valde nequam atque perversus, qui deinceps repertus fuerit nefando obstrictus errore. Ecclesiasticum sane atque divinitus institutum non solum non inhibemus, sed etiam incitamus affectum, ut etiam pro talibus nobiscum Domino supplicetis : quoniam et nos deceptarum animarum ruinas cum fletu et mœrore miseremur, exsequentes apostolicæ pietatis exemplum, ut cum infirmantibus infirmemur (II *Cor.* XI, 29), et cum flentibus defleamus (*Rom.* XII, 15). Speramus enim exorandam misericordiam Dei multis lacrymis et legitima satisfactione lapsorum : quia dum hoc in corpore vivitur, nullius desperanda reparatio, sed omnium est optanda correctio ; auxiliante Domino, *qui erigit elisos, solvit compeditos, illuminat cæcos* (*Ps.* CXLV, 8) : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXV [*Al.* XXXIV].

In Epiphaniæ solemnitate V.

SYNOPSIS.—I. *Stella quæ magos efficaciter movit et perseveranter attraxit, quid significet.*—II *Adhuc Herodes in diabolo sævit contra Ecclesiæ filios, et Judæi Herodi serviunt obcæcati, et omnis religionis expertes facti ; horum loco gentes succedunt.*—III. *Pro Judæis orandum esse. Gratiæ Dei strenue cooperandum. Gratia præstat auxilium : obedientia mollit imperium.* —IV. *Omnes Deus invitat beneficiis, cui si non obedit homo, sibi ipsa supplicium est mens dura et ingrata. Terrestria deserenda, cœlestia appetenda sunt, ut sanctorum societati jungamur.*

CAP. I. — Hodiernam festivitatem, dilectissimi, apparitio Domini et Salvatoris nostri, **128** sicut nostis, illustrat ; et hic ille est dies quo ad cognoscendum adorandumque Dei Filium tres magos prævia stella perduxit. Cujus facti memoriam merito placuit honore annuo celebrari ; ut dum evangelica historia [b] incessabiliter recensetur, semper se intelligentium sensibus inferat salutiferum mysterium per insigne miraculum. Præcesserant quidem multa documenta, quæ corpoream nativitatem Domini manifestis indiciis declararent, sive cum beata Maria Virgo fecundandam se Spiritu sancto, parituramque Dei Filium audivit et credidit, sive cum ad salutationem ipsius in utero Elisabeth nondum natus Joannes prophetica exsultatione commotus est (*Luc.* I, 24), quasi etiam intra matris viscera jam clamaret : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit* [c] *peccata mundi* (*Joan.* I, 29) ; vel cum ortum Domini angelo nuntiante pastores cœlestis exercitus sunt claritate circumdati (*Luc.* II, 13), ut non ambigerent [d] de majestate pueri quem erant in præsepe visuri ; nec putarent quod in sola natura hominis esset editus, cui supernæ militiæ famulare-tur occursus. Sed hæc atque alia hujusmodi paucis tunc videntur innotuisse personis, quæ vel ad cognationem Mariæ Virginis, vel ad sancti Joseph familiam pertinebant. Hoc autem signum, quod magos in longinquo positos et efficaciter movit, et ad Dominum Jesum perseveranter attraxit, illius sine dubio gratiæ sacramentum, et illius fuit vocationis exordium, qua nimirum non in Judæa tantum, sed etiam in toto mundo Christi erat Evangelium prædicandum ; ut per illam stellam quæ magorum visui splenduit, Israelitarum vero oculis non refulsit, et illuminatio significata sit gentium, et [e] cæcitas Judæorum.

CAP. II.—Permanet igitur, dilectissimi, sicut evidenter apparet, mysticorum forma gestorum ; et quod imagine inchoabatur, veritate completur. [f] Radiante e cœlo stella per gratiam, tres magi coruscatione evangelici fulgoris acciti, in omnibus quotidie nationibus ad adorandam potentiam summi Regis accurrunt. Herodes quoque in diabolo fremit (*Matth.* II, 3), et auferri sibi iniquitatis suæ regnum in iis qui ad Christum transeunt, ingemiscit. Unde si parvulos interficiat, Jesum sibi videtur occidere. Quod utique facere sine cessatione molitur, dum primordiis renatorum Spiritum sanctum eripere, et quamdam teneræ fidei velut infantiam tentat exstinguere. Judæi vero, qui extra regnum Christi esse voluerunt, adhuc quodammodo sub Herodis sunt principatu, et dominante sibi Salvatoris inimico, alienigenæ **129** serviunt potestati, quasi nesciant prophetatum, dicente Jacob : *Non deficiet princeps ex Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat* [g] *cui reposita sunt : et ipse est expectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). Sed nondum intelligunt quod negare non possunt, et mente non capiunt quod Scripturarum narratione noverunt : quoniam insanis magistris veritas scandalum est, et cæcis doctoribus fit caligo, quod lumen est. Respondent

[a] Duo codd. S. Petri et duo Vat., nec non Veron., *nocuerunt*, et, *illuserunt*. Dein, *nullus* pro *nullius*, in uno cod. S. Petri et in Veron.

[b] Prima editio, *incessanter*.

[c] Unus S. Petri cod., *peccatum*. Mox, *cum in ortu Domini*, in duobus mss. S. Petri.

[d] Prima editio et cod. Bonon., *de potestate*.

[e] *Cæcitas declarata Judæorum*, in prima editione.

[f] Editi cum aliquibus mss., *Radiat namque e cœlo stella per gratiam, et tres magi*, etc. Prætulimus lectionem optimorum codicum, nimirum duorum S. Petri, Veneti, Vallicel., Casinen. collect. 1 et Casanat. collect. 2, in quibus tantum ante vocem *cœlo* omittitur præpositio *e* ob similem litteram, in qua desinit vocabulum antecedens *Radiante*, more librariis familiari. Dein tres mss. Vat. et prima editio, *ad adorandum summi Regis infantiam accurrunt*.

[g] Superius serm. 23, c. 2, *cui repositum est* ; et ibidem prima editio addit, *regnum*.

Digitized by Google

itaque interrogati, quod in Bethleem nascitur Christus; et scientiam suam, qua alios instruunt, non sequuntur. Perdiderunt igitur successionem regum, placationem hostiarum, locum supplicationum, ordinem sacerdotum; et cum omnia sibi clausa, omnia experiantur sibi esse finita, non vident ea in Christum esse translata. Unde quod illi tres viri, universarum gentium personam gerentes, adorato Domino sunt adepti, hoc in populis suis per fidem, quæ justificat impios, totus mundus assequitur; et hæreditatem Domini ante sæcula præparatam accipiunt adoptivi, et perdunt qui videbantur esse legitimi. Resipisce tandem, Judæe, resipisce; et ad Redemptorem etiam tuum deposita infidelitate convertere. Noli sceleris tui immanitate terreri: non justos Christus, sed peccatores vocat (*Matth.* IX, 13); nec impietatem tuam repellit, qui pro te, cum crucifixus esset, oravit (*Luc.* XXIII, 34). Immitem crudelium patrum tuorum solve sententiam, neque te eorum maledicto patiaris obstringi, qui clamantes de Christo, *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25), facinus in te sui criminis transfuderunt. Redite ad misericordem, etsi mini clementia remittentis. Sævitia enim vestræ iniquitatis conversa est in causam salutis. Vivit quem perire voluistis. Confitemini negatum, adorate venditum: ut vobis bonitas illius prosit, cui vestra malignitas nocere non potuit.

CAP. III. — Quod ergo ad veram, dilectissimi, pertinet charitatem, quam etiam inimicis nostris ex dominica [a] oratione debemus (*Matth.* V, 44), et optandum nobis est et studendum; ut et hic populus, qui ab illa spiritali patrum nobilitate defecit, ramis suæ arboris inseratur. Multum enim nos Deo benevolentia ista commendat: quia ideo delictum illorum nobis misericordiæ locum fecit, ut eos ad æmulationem salutis recipiendæ fides nostra revocaret. Nam vitam piorum non solum sibi, **130** sed etiam aliis esse utilem decet: ut quod apud eos agi non potest verbis, obtineatur exemplis. Considerantes itaque, dilectissimi, ineffabilem erga nos divinorum munerum largitatem, cooperatores simus gratiæ Dei operantis in nobis. Non enim dormientibus provenit regnum cœlorum, nec otio desidiaque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur; sed quia, sicut Apostolus ait, *si compatimur, et conglorificabimur* (*Rom.* VIII, 17; II *Tim.* II, 12), illa nobis currenda est via quam ipse Dominus se esse testatus est (*Joan.* XIV, 6): qui nobis nullis operum meritis suffragantibus, et sacramento consuluit et exemplo: ut in adoptionem vocatos per illud proveheret ad salutem, per hoc imbueret ad laborem. Hic autem labor, dilectissimi, piis filiis et bonis servis non solum nec asper, nec onerosus, sed etiam suavis et [b] levis est, dicente Domino: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 28-30). Nihil ergo, dilectissimi, arduum est humilibus, nihil asperum mitibus, et facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando et gratia prætendit auxilium, et obedientia mollit imperium. [c] Intonant enim quotidie auribus nostris eloquia Dei, et omnis homo quid divinæ justitiæ placeat scire convincitur. Sed quia judicium illud, quo *unusquisque recipiet prout gessit, sive bonum, sive malum* (I *Cor.* V, 10), judicaturi patientia et bonitate differtur, impunitatem sibi iniquitatis infidelium corda promittunt, et putant humanorum actuum qualitates ad divinæ providentiæ non pertinere censuram, quasi non evidentissimis plerumque suppliciis male gesta plectantur, aut non sæpe [d] cœlestium comminationum terror ostendatur: quibus utique et fides monetur, et infidelitas increpatur.

CAP. IV. — Inter hæc autem permanet super omnes benignitas Dei, et nulli misericordiam suam denegat, cum indiscrete universis bona multa largiatur, eosque quos merito subderet pœnis, mavult invitare beneficiis. Dilatio enim vindictæ dat locum pœnitentiæ. NEC TAMEN DICI potest [e] nulla ibi esse ultio, ubi nulla conversio est, quia mens dura et ingrata jam sibi ipsa supplicium est, **131** et in conscientia sua patitur quidquid Dei bonitate differtur. Non ita igitur delinquentes peccata delectent, ut illos in suis actibus vitæ hujus finis inveniat: quoniam in inferno nulla est correctio, NEC DATUR remedium satisfactionis, [f] ubi jam non superest actio voluntatis, dicente propheta David: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi* (*Ps.* VI, 6)? Fugiantur noxiæ [g] voluptates, inimica gaudia et desideria jamjamque peritura. Quis fructus est, quæve utilitas, ea indesinenter cupere, quæ etiamsi non deserant, deserenda sunt? Amor rerum deficientium ad incorruptibilia transferatur, et ad sublimia vocatus animus cœlestibus delectetur. Con-

[a] Editi cum quibusdam mss., *eruditione*. Amplectendam putavimus lectionem in ms. Corbeiensi a Quesnello inventam, quippe quæ in potioribus nostris codd. præfertur, scilicet in duobus S. Petri, Veneto, et mss. collect. 1 ac 2. Alludit S. pontifex non tam ad quintam orationis Dominicæ petitionem, quam ad orationem Christi in cruce pendentis, *qui pro te*, ut paulo ante dixerat, *cum crucifixus esset, oravit*.

[b] Ita ex nostris codd. et prima editione, pro eo quod erat, *lenis*. Emendatio ab ipso Scripturæ quod profertur testimonio exigitur.

[c] Hæc lectio est vetustiorum et castigatiorum exemplarium S. Petri, Venet., Vallicel., Casanat. et Barb. Al. in editis et aliquot mss., *Intonante enim quotidie auribus nostris eloquio Dei, omnis homo*, etc. Post pauca, *prout gesserit*, in prima editione.

[d] In uno mss. Vat., *cœlestium comminationem terror ostendat*. In prima editione et alio Vat. in Veneto atque Casin., *cœlestium comminationum terror ostendat*. Id ipsum prima manu in Casanatensi, et solum in margine emendatum addendo pronomen *se* ante vocem *cœlestium*.

[e] In uno ms. Vat. et in Bon. ac prima editione: *Nulla ibi est ultio*. Mox iidem codd. et edit., *in conscientia ipsa*, pro *in conscientia sua*.

[f] In prima editione, *si jam non superest*.

[g] Cod. Gaudiiv. Quesnelli, *voluntates*. Ita etiam duo Vat. et unus Bon., qui præterea hunc locum sic efferunt: *Fugentur noxiæ voluntates*. Unus cod. S. Petri: *Fugiant ergo noxiæ voluptates*.

Digitized by Google

firmate amicitias cum sanctis angelis; ingrate in civitatem Dei, cujus nobis spondetur [a] inhabitatio, et patriarchis, prophetis, apostolis, martyribusque sociamini. Unde illi gaudent, inde gaudete. Horum divitias concupiscite, et per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia. Cum quibus enim [b] nobis fuerit consortium devotionis, erit et communio dignitatis. Dum itaque tempus vobis ad mandata Dei exsequenda conceditur, *glorificate Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 20), *et lucete*, dilectissimi, *sicut luminaria in hoc mundo* (*Philip.* II, 15). Sint lucernæ mentium vestrarum semper ardentes, et nihil resideat vestris in cordibus tenebrosum (*Luc.* XI, 35): quoniam, sicut ait Apostolus, *fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, [c] *ut filii lucis ambulate* (*Ephes.* V, 8); impleanturque in vobis quæ in trium magorum imagine præcesserunt; et *sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videntes opera vestra bona, magnificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Sicut enim magnum peccatum est, cum inter gentes propter malos Christianos nomen Domini blasphematur, ita magnum pietatis est meritum, cum eidem in sancta servorum suorum conversatione benedicitur: cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

132 SERMO XXXVI [*Al.* XXXV].

[d] *In Epiphaniæ solemnitate VI.*

Synopsis. — I. *Mysteria semper honoranda; quæ et virtute remanent et adhuc in Ecclesia adimplentur. Gratia intus operatur quod exterius stella significat. Quomodo munera eadem offeruntur a fidelibus.* — II. *Adhuc diabolus Herodis personam gerit, in Judæis invidiam, in hæreticis fallaciam, in paganis sævitiam exercens. Sed et Christus per charitatem triumphat in suis membris.* — III. *Persecutionibus crevit Ecclesia. Gloria principum Christo servire. Timenda in pace Ecclesiæ cupiditatum persecutio, quibus dæmon colitur, non minus quam sacrificiis.* — IV. *Pœnitendum, dum pœnitentiæ locus est: nec difficultati cedendum, sed orandus Deus, qui dat unde petatur, et dat quod petitur.*

Cap. I. — Dies, dilectissimi, quo primum gentibus Salvator mundi Christus apparuit, sacro nobis honore venerandus est; [e] et illa hodie cordibus nostris concipienda sunt gaudia, quæ in trium magorum fuere pectoribus, quando Regem cœli et terræ signo et ductu novi sideris incitati, quem crediderant promissum, adoravere conspicuum. Neque enim ita ille A omnesque est dies, ut virtus operis, quæ tunc est revelata, transierit, nihilque ad nos nisi rei gestæ fama pervenerit, quam fides [f] susciperet, et memoria celebraret; cum multiplicato munere Dei, etiam quotidie nostra experiantur tempora, quidquid illa habuere primordia. Quamvis ergo narratio evangelicæ lectionis illos proprie recenseat dies in quibus tres viri, quos nec prophetica prædicatio docuerat, nec testificatio legis instruxerat, ad cognoscendum Deum a remotissima Orientis parte venerunt; hoc idem tamen et manifestius nunc et copiosius fieri in omnium vocatorum illuminatione perspicimus, quoniam impletur prophetia Isaiæ dicentis: *Revelavit Dominus brachium sanctum suum in conspectu omnium gentium* (*Isai.* LII, 10); et [g] *Viderunt omnes gentes* B *terræ salutem, quæ a Domino Deo nostro est* (*Ibid.*); et 133 iterum: *Et quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; et qui non audierunt intelligent* (*Ibid.*, 15). Unde cum [h] homines mundanæ sapientiæ deditos, et a Jesu Christi confessione longinquos, de profundo erroris sui educi, et ad agnitionem veri luminis cernimus advocari, divinæ procul dubio gratiæ splendor operatur; et quidquid in cordibus tenebrosis novæ lucis apparet, de ejusdem stellæ radiis micat: ut mentes quas suo fulgore contigerit, et miraculo moveat, et ad Deum adorandum præeunde perducat. Si autem sollicito intellectu velimus aspicere, quomodo etiam triplex illa species munerum ab omnibus qui ad Christum gressu fidei veniunt offeratur, nonne in cordibus recte credentium eadem celebratur oblatio? C Aurum etenim de thesauro animi sui promit, qui Christum regem universitatis agnoscit; myrrham offert, qui Unigenitum Dei credit veram sibi hominis uniisse naturam; et quodam eum thure veneratur, qui in nullo ipsum paternæ [i] majestati imparem confitetur.

Cap. II. — His comparationibus, dilectissimi, [j] prudenter inspectis, invenimus etiam Herodis non deesse personam, cujus ipse diabolus, sicut tunc fuit occultus incentor, ita nunc quoque indefessus est imitator. Cruciatur enim vocatione [k] omnium gentium, et quotidiana potestatis suæ destructione torquetur, dolens ubique se deseri, et verum Regem in locis omnibus adorari. Parat fraudes, fingit [l] consensiones, erumpit in cædes, et ut reliquiis eorum

[a] Ita potiores codices. Al., *habitatio*. Paulo post, *ad ipsorum ambite suffragia*, in mss. S. Petri et in Vat. collect. 5.

[b] Editi ante Quesnellum, *vobis*. Istius lectionem, quam retinuimus, approbant codd. S. Petri.

[c] Verba, *ut filii lucis ambulate*, desunt in duobus mss. Vat. et in prima editione.

[d] Codd. S. Petri: *In octava Epiphaniæ*.

[e] Unus cod. S. Petri, et alius Vat., *et illa nobis hodie concipienda sunt gaudia, quæ in trium magorum fuere mentibus*. Aliquot alii codd. habent pariter, *mentibus*. Dein, pro *signo et ductu*, unus Vat. codex habet *signo educto*.

[f] Mss. S. Petri, *susceperit, et memoria celebraverit*.

[g] *Videbunt* in iisdem duobus mss. S. Petri, Padilir. et alio Veron., qui pro *gentes*, habet *fines*.

[h] Hic insertum erat in editis verbum *cernimus*, D quod auctoritate mss. S. Petri, Padiliron. ac Veronen. et duorum Vat. melius transtulimus ante verbum *advocari*. Dein, *educi* pro *reduci* a Quesnello scriptum invenimus in iisdem codicibus.

[i] Quinque codd., *majestatis*.

[j] Ms. Bon. et prima editio, *diligenter*.

[k] Vocem *omnium* adjecimus ope mss. S. Petri, Padiliron. et Veron., nec non præstantiorum collectionum. Sic etiam inscribuntur libri sub hanc ætatem scripti de Vocatione omnium gentium, cuicumque tribuendi credantur.

[l] Editi et aliquot inferioris meriti codices, *dissensiones*; sed aptior lectio, *consensiones*, quæ legitur in uno ms. S. Petri et alio Vat., in Veronen., Padiliron. et in Casinensi; cui affinior est lectio cæteroquin corrupta alterius ms. S. Petri, alius Vat. et mss. collect. 2. *confessiones*. Fraude enim finguntur

Digitized by Google

quos adhuc fallit utatur, invidia uritur in Judæis, simulatione insidiatur in hæreticis, sævitia accenditur in paganis. Videt enim insuperabilem esse potentiam Regis æterni, cujus mors ipsius vim mortis [a] exstinxerit ; et ideo totam nocendi artem in eos qui vero regi famulantur, armavit ; alios [b] per inflationem scientiæ legalis obdurans, alios per falsæ fidei commenta depravans, alios vero in furorem persecutionis instigans. Sed hanc Herodis istius rabiem ille vincit et destruit, qui etiam parvulos martyrii **134** [c] gloria coronavit : et fidelibus suis tam invictam indidit charitatem, ut Apostoli verbis audeant dicere : *Quis nos separabit a charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an persecutio ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an gladius ? sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos* (*Rom.* VIII, 35 ; *Ps.* XLIII, 22).

CAP. III. — Hanc fortitudinem, dilectissimi, non illis tantum temporibus necessariam fuisse credimus, quibus reges mundi et omnes sæculi potestates cruenta impietate in Dei populum sæviebant, cum ad maximam pertinere gloriam suam ducerent, si de terris nomen Christianum auferrent ; nescientes Ecclesiam Dei per furorem suæ crudelitatis augeri : quoniam in suppliciis et mortibus beatorum martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo. Denique tantum contulit fidei nostræ impugnatio persequentium, ut nihil magis regium ornet principatum, quam quod domini mundi membra sunt Christi : nec tam gloriantur quod in imperio geniti, quam gaudent quod in baptismate sunt renati. Sed quia tempestas priorum turbinum conquievit, et dudum cessantibus præliis quædam videtur arridere tranquillitas, vigilanter cavenda sunt illa discrimina quæ de otio ipsius pacis oriuntur. Adversarius enim, qui in apertis inefficax persecutionibus fuit, tecta nocendi arte desævit : ut quos non perculit [d] ictu afflictionis, lapsu dejiciat voluptatis. Videns itaque sibi resistere principum fidem, et unius Deitatis inseparabilem Trinitatem non segnius in palatiis quam in Ecclesiis adorari, interdictam dolet sanguinis christiani effusionem ; et quorum obtinere non potest [e] mortem, impetit mores. Terrorem proscriptionum in avaritiæ mutat incendium, et quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit. Malignitas enim longo usu propriæ imbuta nequitiæ, non deposuit odium, sed vertit ingenium, quo sibi mentes fidelium [f] blanditiis subdat. Inflammat concupiscentiis, quos non potest **135** vexare tormentis ; serit discordias, accendit iras, incitat linguas, et ne ab illicitis dolis cautiora corda se revocent, consummandorum scelerum ingerit facultates : quia illi totius fraudis hic fructus est, ut qui immolatione pecudum [g] et arietum, et thuris incensione non colitur, quibuslibet ei criminibus serviatur.

CAP. IV. — Habet igitur, dilectissimi, pax nostra pericula sua ; et frustra de fidei libertate securi sunt qui vitiorum desideriis non resistunt. COR HOMINUM de operum ostenditur qualitate, et formas mentium species detegit actionum. Nam sunt quidam, sicut ait Apostolus, *qui Deum profitentur se scire, factis autem negant* (*Ad Tit.* I, 16). Vere enim reatus negationis incurritur, quando bonum quod in sono vocis auditur, in conscientia non habetur. Fragilitas [h] quidem humanæ conditionis facile in delicta prolabitur ; et quia nullum sine delectatione peccatum est, cito acquiescitur deceptoriæ voluptati. Sed a carnalibus desideriis recurratur ad spiritale præsidium ; et mens habens notitiam Dei sui, a consiliis se [i] male suadentis hostis avertat. Prosit illi patientia Dei, nec ideo delinquendi pertinacia nutriatur, quia vindicta differtur. Non sit peccator de impunitate securus, quia si tempus pœnitentiæ amiserit, locum indulgentiæ non habebit, dicente propheta : *Quia non est in morte qui memor sit tui ; in inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal.* VI, 6) ? Qui autem sibi correctionis reparationem experitur esse difficilem, confugiat ad auxiliantis Dei clementiam, et vincula malæ consuetudinis ab illo poscat abrumpi, *qui allevat omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos* (*Ps.* CXLV, 8). Non erit vacua confitentis oratio, quoniam misericors Deus *voluntatem timentium se faciet ;* et dabit quod petitur, qui dedit unde peteretur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, viventem et regnantem [j] cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

non *dissensiones* seu inimicitiæ, sed *consensiones* amicæ, ut erumpatur in cædes. Paulo post, pro *reliquiis eorum, quos*, duo mss. S. Petri et prima editio, *reliquis, quos*. Unus Vat., *reliquiis quos*.

[a] Unus cod. S. Petri, *exstinxerat*.

[b] Mss. Vict. et Corb. Quesnelli, et duo nostri, unus S. Petri, et alius Vat., *per inflammationem*. Mox erat in editis inverso ordine, *alios vero in furorem persecutionis instigans, alios per falsæ fidei commenta depravans*. Restituimus ex nonnullis nostris codicibus ordinem qui superioribus respondet : nam primum comma Judæis, secundum hæreticis, tertium vero paganis hoc ordine antea memoratis convenit.

[c] Quesnellus in margine : Al., *palma*.

[d] Quesnellus similiter in margine et duo codd. S. Petri, Padilir. ac Veron., *impetu*.

[e] *Mortem* pro *mortes*, et *terrorem* pro *terrores* scribere maluimus ex duobus mss. S. Petri, ex uno Vat. atque alio Veron.

[f] Editi, *blandius*. Prætulimus codices S. Petri, ex quibus, nec non ex uno Padilir. et alio Vat. delevimus etiam particulam *enim*, quæ post vocem *Inflammat* apponebatur, et anteriori periodo in omnibus mss. et editis inserta, haud necessario repetita videri potest. Paulo post, *captivorum corda se revocent* in laudato ms. Padiliron.

[g] Voces *et arietum* supplevimus ex iisdem codd. S. Petri. Codices Veronensis et Padiliron., pro *et thuris*, habent, *in altaris incensione*.

[h] *Quidem* pro *enim* importune repetito ex laudatis S. Petri mss. et codd. Veronen. ac Padiliron. reposuimus.

[i] Unus Vat. et prima editio cum ms. Veron., *malesuadi ;* alius Vat., *male suasi*. Paulo ante, *mens quæ habet notitiam Domini*, in eodem cod. Veron. et in Padiliron.

[j] Verba, *cum Patre et Spiritu sancto*, addidimus ex duobus mss. Vat. et uno S. Petri et alio Padilir.

Digitized by Google

136 SERMO XXXVII [*Al.* XXXVI].

In Epiphaniæ solemnitate VII.

SYNOPSIS. — I. *Opere imitari necesse est quod fide creditur. Mysteria Christi, et sacramenta sunt, et exempla.* — II. *Infantia Christi, quæ lex est vivendi, nihil nisi crucem et humilitatem prædicat.* — III. *Tota Christi fortitudo, humilitas; quæ tota sapientiæ Christianæ disciplina, et cujus infantia est magistra.* — IV. *In quo sita sit infantia Christiana, ad quam nos Christi infantia invitat.*

CAP. I. — Memoria rerum ab humani generis Salvatore gestarum, magnam nobis, dilectissimi, confert utilitatem, si quæ veneramur [a] credita, suscipiamus imitanda. In dispensationibus enim sacramentorum Christi, et virtutes sunt gratiæ, et incitamenta doctrinæ : ut quem confitemur fidei spiritu, operum quoque sequamur exemplo. Nam etiam ipsa primordia, quæ Dei Filius per matrem Virginem nascendo suscepit, [b] ad provectum nos pietatis instituunt. Simul enim apparet cordibus rectis in una eademque persona et humana humilitas, et divina majestas. Quem cunæ testantur infantem, cœlum et cœlestia suum loquuntur auctorem. [c] Puer corporis parvi, Dominus et Rector est mundi ; et genitricis gremio continetur, qui nullo fine concluditur. Sed in his nostrorum vulnerum est curatio, et nostræ dejectionis erectio : quia nisi in unum tanta diversitas conveniret, reconciliari Deo humana natura non posset.

CAP. II. — Legem ergo vivendi remedia nobis nostra sanxerunt : et inde data est moribus forma, unde mortuis est impensa medicina. Nec immerito, [d] cum tres magos ad adorandum Jesum novi sideris claritas deduxisset, non eum imperantem dæmonibus, non mortuos suscitantem, non cæcis visum, aut claudis gressum, aut mutis eloquium reformantem, [e] nec in aliqua divinarum virtutum actione viderunt ; sed puerum silentem, quietum, et sub matris sollicitudine constitutum ; in quo nullum **137** quidem [f] appareret de potestate signum, sed magnum præberetur de humilitate miraculum. Ipsa itaque species sacræ infantiæ, cui se Deus Dei Filius aptarat, prædicationem auribus intimandam, [g] oculis ingerebat, ut quod adhuc vocis non proferebat sonus, visionis jam doceret effectus. Tota enim victoria Salvatoris, quæ et diabolum superavit et mundum, [h] humilitate cœpta, humilitate confecta est. Dispositos dies sub persecutione inchoavit, et sub persecutione finivit ; nec puero tolerantia passionis, nec passuro defuit mansuetudo puerilis : quia unigenitus Dei [i] Filius sub una majestatis suæ inclinatione suscepit, ut et homo vellet nasci, et ab hominibus posset occidi.

CAP. III. — Si igitur omnipotens Deus causam nostram nimis malam humilitatis privilegio bonam fecit, et ideo destruxit mortem et mortis auctorem, quia omnia quæ persecutores intulere non renuit, sed obediens Patri crudelitates sævientium mitissima benitate toleravit ; quantum nos humiles, quantum oportet esse patientes, qui si quid laboris incidimus, numquam nisi nostro merito sustinemus! *Quis enim gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato* (*Prov.* XX, 9)? et dicente beato Joanne : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*1 Joan.* I, 8); quis invenietur ita immunis a culpa, ut in eo non habeat vel justitia quod arguat, vel misericordia quod remittat? Unde tota, dilectissimi, Christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia **138** disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus Christus ab utero matris usque ad supplicium crucis, pro omni fortitudine et elegit et docuit. Nam cum discipuli ejus [j] inter se, ut ait evangelista, disquirerent *quis eorum major esset in regno cœlorum : vocavit parvulum, et statuit eum in medio eorum,* [k] *et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut puer iste, hic major erit in regno cœlorum* (*Matth.* XVIII, 1-6; *Luc.* IX, 46-48). Amat Christus infantiam, [l] quam primum et animo suscepit et corpore. Amat Christus infantiam, humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam. Amat Christus infantiam, [m] ad quam majorum dirigit mores, ad quam senum nimus.

[a] Unus ms. Vat. et alius Bon. ac prima editio, *condita*.

[b] Tres mss. Vat. et prima editio, *ad profectum*.

[c] Sic cum Quesnello et prima editione omnes nostri codices. Al., *Puer corpore parvus, mundi Rector et Dominus*.

[d] Tres mss. Vat. addunt, *quia*.

[e] *Nec*, pro *vel*, quod erat in vulgatioribus editis et aliquibus mss. substituimus ex duobus codd. S. Petri et prima editione.

[f] In editis, *apparet* et *præbetur*. Emendavimus ex prima editione et duobus codd. S. Petri ac uno Bonon., cum præsertim hanc lectionem ipse contextus efflagitet.

[g] In excusis ante Quesn. et in uno Vat., *oculisque gerebat*, corrupte. Quesnelli emendationem in cæteris nostris codd. et in prima editione reperimus. Solum *inferebat* pro *ingerebat* in uno Vat. et duobus S. Petri. Post verbum *ingerebat* legebatur in omnibus editis ac plerisque mss., *et quod adhuc vocis non proferebat sonus, visionis jam docebat effectus*. Quesnellus nihil indicans correxit, ut mihi S. Petri inve-

[h] Erat in editis et in nonnullis mss., *humilitate est concepta, humilitate est confecta*; quæ syntaxis a Leone videtur aliena. Correctionem suggesserunt duo mss. S. Petri, alius Venetus, Vallicel. et Casin., hoc discrimine, quod unus S. Petri habet *concepta* pro *cœpta*, Venetus autem, *de humilitate*. In codice Casanat. prima manu desunt verba, *humilitate confecta*, quæ suppleta fuerunt manu posteriori, eademque manu pro *cœpta* emendatum *concepta*.

[i] Vox *Filius* addita ex mss. S. Petri.

[j] Editi et nonnulli codd., *intra se*. Saniorem lectionem suppeditarunt laudati mss. S. Petri et alius Vat.

[k] Prima editio, *et ait : Amen, amen dico vobis*. Dein, *sicut parvulus iste, hic major est*, in eadem editione et in duobus mss. S. Petri. Unus Vat., *sicut puer iste, hic major est*.

[l] *Quam primam*, in duobus Vat.

[m] *Quæ* in editis ante Quesnellum, sicut etiam in ms. Gaudiival. apud eumdem, et in uno nostro Vat. At prima editio cum cæteris codd. ut in textu.

Digitized by Google

reducit ætatem; et eos ad suum inclinat exemplum, A quos ad regnum sublimat æternum.

Cap. IV. — Ut autem plene valeamus agnoscere quomodo apprehendi possit tam mira [a] conversio, et in puerilem gradum qua nobis [b] mutatione redeundum sit, doceat nos beatus Paulus, et dicat : *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote* (I *Cor.* XIV, 20). Non ergo ad [c] ludicra infantiæ et imperfecta nobis primordia revertendum est, sed aliquid quod etiam graves annos deceat, [d] inde sumendum, ut velox sit commotionum transitus, citus ad pacem recursus : nulla sit memoria offensionis, nulla cupiditas dignitatis; amor sociæ [e] communionis, æqualitas naturalis. Magnum enim 139 bonum est nocere non nosse [f] et maligna non sapere : quia inferre ac referre injuriam, mundi hujus prudentia est; nemini autem malum pro malo reddere, Christianæ est [g] æquanimitatis infantia. Ad hanc vos, dilectissimi, similitudinem parvulorum mysterium hodiernæ festivitatis invitat; et hanc vobis humilitatis formam adoratus a magis puer Salvator insinuat : qui ut imitatoribus suis quid gloriæ pararet ostenderet, ortus sui tempore editos martyrio consecravit : ut [h] in Bethleem, ubi Christus natus est, geniti, per communionem ætatis consortes fierent passionis. Ameter igitur humilitas, et omnis a fidelibus vitetur elatio. Alter alterum sibi præferat, et nemo quod suum est quærat, sed quod alterius : ut cum in omnibus abundaverit affectus benevolentiæ, in nullo virus inveniatur invidæ : quoniam *qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11) : eodem ipso testante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXVIII [*Al.* XXXVII].

[i] *In Epiphaniæ solemnitate* VIII.

Synopsis. — I. *Stella gratiam, magi omnes gentes, Herodes paganos, infantes occisi martyres figurant. Omnium est temporum præsens festivitas.* — II. *Sola fidei luce attingi posse Christi Dei hominisque mysterium, reparando homini necessarium.* — III. *Gratiæ necessitas. Homo bona agens, a Deo habet et effectum operis, et initium voluntatis. Sanctis timendum ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ.* 140 *Quibus signis quisque experiri potest an in ipso Deus habitet?* — IV. *Ex charitate in primis habitatorem cordis Deum cognovimus. Charitati quantum laborandum.*

Cap. I. — Causam, dilectissimi, et rationem solemnitatis hodiernæ sæpe [i] vobis et evangelica narratio, et observantiæ consuetudo patefecit; nec B necesse est ita nunc, quæ inter Salvatoris nostri humana primordia sunt gesta, replicari, ut de splendore novi sideris, de magis magorumque muneribus, de sævitia Herodis et de interfectione infantium disseramus; cum, sicut nostis, et in stellæ fulgore Dei gratia, et in tribus viris vocatio gentium, et in rege impio crudelitas paganorum, et in occisione infantium cunctorum martyrum forma præcesserit. Sed quia in sacratissimo die reddendum exspectationi vestræ est sacerdotalis sermonis officium, nitamur, ut possumus adjuvante Spiritu Dei, eo per intelligentiæ semitas pervenire, ut cognoscamus sacramentum præsentis festi ad omnium fidelium tempora pertinere; nec ullo modo habeatur C insolitum, quod in dispensationum ordine adoratur antiquum.

Cap. II. — Quamvis ergo omnis anima Christiana nihil indignum [k] debeat de Filii Dei majestate sentire, et transcensis incipientis fidei rudimentis oporteat unumquemque ad sublimiora proficere, [l] non

[a] Ita cum Quesnello prima editio et codd. S. Petri. Al., *confessio*.

[b] Sic cum Quesn. quatuor nostri codices. Al., *imitatione*. Postea ms. Bonon. et prima editio, *docet*. . . *et dicit*, pro *doceat* . . . *et dicat*.

[c] In excusis ante Quesn. et in Gaudiival. ejusdem, sicut et in aliquot nostris codd., *lubrica*. Latinus Latinius in bibliotheca sacra et profana conjecit legendum, *ludicra* : quam lectionem a Quesnello receptam ms. S. Petri et alio codice approbatam reperimus; sicut iidem codices approbant, *revertendum est*, pro *redeundum est*, quod et in editis et in aliis mss. occurrit.

[d] Aliquot editiones cum nonnullis codd., *inde sumendum est. Velox ad commotionem transitus*. Cod. Casanat. collect. 2, *inde sumendum est. Velox commotionum transitus*; et ita Quesnellus nec non editio Antuerpiensis an. 1583. Tres mss. Vat. collect. 4 et 5, *inde sumendus est velox commotionum transitus*. Sanior visa est lectio primæ editionis et codicis Bon. quam textui inseruimus : in eo scilicet parvuli malitia grimus, si, ut in parvulis accidit, iræ commotiones facile transeant, et ad pacem citus sit reditus, et nulla sit memoria offensionis, etc. Cod. Casin. collect. 1 ad hanc lectionem accedit, ubi legitur : *Inde sumendum est. Sit velox commotionum transitus*. Id magis placeret, nisi superflua et durior repetitio verbi *est* post participiale *revertendum est*, a Leone videretur aliena.

[e] Editi, *dilectionis*. Congruentior lectio optimorum codd. S. Petri et unius Vallicel

[f] Editi, *et ad maligna*. Delevimus *ad* ope eorumdem mss.

[g] Sic omnes nostri codd. et editiones ante Quesnellum, qui nullo ms. indicato scripsit, *æquanimitas infantiæ*. Post pauca, prima editio et ms. Bon., *ad hunc nos*, et infra, *nobis* pro *vobis*.

[h] Duo codd. S. Petri, *Intra Bethleem*.

[i] Totidem verbis hic sermo legitur inter Augustinianos olim serm. 33 de Tempore, nunc autem in appendice serm. 153, ubi editores Benedictini notant eum esse Leonis papæ, ipsique in omnibus mss. attribui. Ex hac appendice aliquot variantes excerpentur.

[j] Cod. Bon. et prima editio, *nobis*.

[k] Sic cum Quesnello et prima editione omnes nostri codd., excepto Veronen., qui cum ceteris editis, *habeat*. Dein, pro *transcensis*, unus cod. S. Petri, *transgressis*, alius, *transcursis*.

[l] Editi omittunt *non*, quam particulam ex codicibus S. Petri uti congruentiorem adjecimus. Ex eo enim quod anima Christiana *nihil indignum debeat de Filii Dei majestate sentire*, etc., illud consequi posse videtur, *humanæ mentis infirmitatem trepidare de ipsa naturæ nostræ communione*, ac si indigna sit Filio Dei, etc. Leo autem affirmat, quamvis primum illud sit verum, *non tamen necesse esse* hoc secundum. Similiter ex iisdem S. Petri codd. scripsimus, *accepit Christus* pro eo quod alias legitur, *accipit Christum*. Codices Venet. et Vallic., *accepit Christum*. Mox. in cod. Veron. omittitur *corporea*.

Digitized by Google

nitèsse est tamen infirmitatem mentis humanæ, dum verum hominem accepit Christus, de ipsa natura nostra communione trepidare, et per initia vel incrementa corporea ad agnitionem unius cum Patre Deitatis difficulter accedere. Sed ubi inter caligantes cogitationes radius supernæ lucis refulserit, [a] cunctantes fidei moras splendor veritatis abrumpat : ut cor liberum, et a visibilibus absolutum, lumen intelligentiæ tamquam ducem stellam sequatur : quia, sicut Apostolus ait, *Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 11). [b] ut quem venerabatur in cunis humiliter jacentem, ipsum [c] sine diffidentiæ 141 adoret cum Patre regnantem. Hæc autem manifestatio, dilectissimi, quæ hæsitantium nebulas dissolvit animarum, et ita facit innotescere Dei Filium, ut de hoc, quod idem est etiam hominis filius, nihil patiantur obstaculi, ad præsentis festi pertinet dignitatem; et vera est infantia Salvatoris declaratio Deitatis, quando carnis sensus ab humanis ad divina transfertur; ut quos deprimunt experimenta infirmitatum, erigant signa virtutum : quia tali auxilio et natura nostra indigebat et causa, ut reparare humanum genus nec sine majestate posset humilitas, nec sine humilitate majestas.

CAP. III. — Jam vero cum in singulorum fidelium profectibus divinorum elucet custodia mandatorum, impleturque quod dictum est : *Sic luceat* [d] *lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et magnificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16) : quis illic non præsentem intelligat [e] Deitatem, ubi veram videt apparere virtutem? quæ utique sine Deo nulla est, nec proprietatem obtinet Deitatis, nisi spiritu sui vegetetur auctoris. Dicente enim discipulis suis Domino, *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5), dubium non est hominem bona agentem [f] ex Deo habere et effectum operis et initium voluntatis. Unde et Apostolus copiosissimus fidelium cohortator, *Cum timore*, inquit, *et tremore vestram salutem operamini : Deus est enim qui operatur* [g] *in vobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Philip.* II, 12). Et hæc sanctis causa est tremendi atque metuendi ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ejus gratiæ et remaneant in infirmitate naturæ. Qui autem experiri cupit an in ipso Deus habitet, de quo dicitur : *Mirabilis Deus in sanctis suis* (*Ps.* LXVII, 36), sincero examine cordis sui interiora discutiat et sagaciter quærat qua humilitate [h] resistat superbiæ, qua benevolentia oblectetur 142 invidiæ, quam non capiatur adulantium linguis, quamque bonis delectetur alienis; an pro malo non cupiat malum reddere, malique insultas oblivisci injurias, quam imaginem et similitudinem sui Conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, *pluit super justos et injustos, et solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Matth.* v, 45).

CAP. IV.—Ac ne in multis laboret [i] sollicitæ discretionis inspectio, ipsam matrem virtutem omnium charitatem in secretis sum mentis inquirat, [j] et si eam dilectioni Dei et proximi toto corde intentam repererit, ita ut etiam inimicis suis eadem velit tribui quæ sibi optat impendi; quisquis hujusmodi est, Deum et rectorem et [k] habitatorem sui esse non dubitet : quem tanto magnificentius recipit, quanto magis non in se, sed in Domino gloriatur (I *Cor.* I, 31) : quoniam quibus dicitur : *Regnum Dei* [l] *intra vos est* (*Luc.* XVII, 21), [m] nihil non illius agunt spiritu, cujus regnatur imperio. Scientes igitur, dilectissimi, quoniam *charitas Deus est* (I *Joan.* IV, 16), *qui operatur omnia* [n] *in omnibus* (I *Cor.* XII, 6), sectamini charitatem, ita ut in unum casti dilectionis affectum universorum fidelium corda concurrant. [o] Transeuntia nos et vana non occupent; constanti desiderio ad

[a] In append. August., *cunctantis fidei moras.*

[b] Ita nostri codices cum prima editione et append. Aug. Alii editi, *quem ut.*

[c] Sic scripsimus ex iisdem codd. et editis ante Quesnellum, qui cum append. Aug. posuit, *sine diffidentia.* Cum autem adversus fidei trepidationes sermo sit, *sine diffidentia* procul dubio præferendum fuit.

[d] Prima editio et append. Aug. cum quibusdam codd., *lux vestra.* At alii mss., *lumen vestrum*, uti habetur etiam serm. 26, c. 4. Dein, *glorificent*, pro *magnificent* in ms. Bon. et prima editione.

[e] Sic Quesnellus cum append. Aug. et similiter codd. S. Petri. Al., *majestatem.* Paulo post, *Deitatis* nos nostri codd. cum prima editione et Quesnelliana nec non append. Aug. Aliæ editiones, *dignitatis.*

[f] Ita quinque nostri codd. probæ notæ cum prima editione atque append. Aug. Al., *a Deo.* Dein, *initium bonæ voluntatis*, in prima editione et ms. Bon.

[g] Unus cod. Vat. et alius Bon. ac prima editio, *in nobis.*

[h] Ms. S. Petri et codd. Veron. ac Padiliron., *repugnet.*

[i] Potior hæc lectio, quæ in prima editione et in Antverpiensi an. 1583 ac in append. Aug. nec non in aliquot nostris codicibus invenitur, quam aliarum editionum, *solitæ.* Editores Benedictini aliam insignem varietatem in notatione subjiciunt; ms. Navarr. et Corb., *Ac ne in multis in vanum laboret, sollicite discretionem inspiciat.*

[j] Sic Quesnellus cum nostro ms. Padiliron. et app. Aug. Cæteræ editiones cum aliquot nostris codd., *et si in ea dilectionem Dei et proximi toto corde intente repererit.* Ms. S. Petri, *toto intento corde repererit.*

[k] Al., *inhabitatorem.*

[l] Cod. Bon. et prima editio, *intra nos.*

[m] Hic locus in codd. et edit. mirifice variat. Prima editio cum codice Victor. Quesnelli et duobus nostris Vat. ac Bon., *hi nimirum illius aguntur spiritu.* Quesnellus ex ms. Corb. prætulit, *non nisi illius aguntur spiritu*, quod similiter legitur in append. Aug. Codices Barber., Padiliron. et Venetus, *nihilominus illius aguntur spiritu*; et paulo aliter in Casinensi, Vallicel. atque Casanatensi, *nihil non illius aguntur spiritu.* Prætulimus lectionem editorum ante Quesn. quippe quæ duobus Lectionariis S. Petri et alio Veron. ac ms. Vat. collect. 5 confirmatur, optimamque etiam sententiam reddit, cum *nihil non*, apud probatissimos scriptores, *omne* vel *omnia* significet.

[n] Ms. Bon. et prima editio, *in nobis.*

[o] Ita nostri decem codd. et editiones ante Quesnellum, qui ex uno ms. Corb. textui inseruit : *Transeant a nobis humana, ne nos occupent.* Notavit autem lectionem vulgatam reperiri in cod. Gaudifval., et pro *vana*, al. legi *ima.* In append. Aug., et forte melius : *Transeant a nobis vana, et ne nos occupent; constanti*, etc.

Digitized by Google

ea quæ sunt semper mansura tendamus. Sacramentum enim præsentis festi oportet in nobis esse perpetuum; quod utique sine fine celebrabitur, si in omnibus actibus nostris Dominus Jesus Christus appareat : qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen

143 SERMO XXXIX [*Al.* XXXVIII].

[a] *De Quadragesima I.*

SYNOPSIS. —I. *Hebræorum exemplo esse jejunandum maxime contra hostes invisibiles.*—II. *Quadragesimæ præsertim tempore parari insidias a dæmone.* — III. *Cur Christus tentari voluerit, et quantæ sint hominis pugnæ in hac vita.* —IV. *Quanta invidia dæmonis. Quæ Christianorum arma?* — V. *Quæ potissimum virtutes jejunium comitari debeant?* — VI. *In misericordiæ maxime operibus verum jejunium esse.*

CAP. I. — Hebræorum quondam populus et omnes Israeliticæ tribus, cum propter peccatorum suorum offensiones gravi Philistinorum dominatione premerentur, ut superare hostes suos [b] possent, sicut sacra manifestat historia, vires animi et corporis indicto sibi reparavere jejunio. Intellexerant enim duram et miseram illam subjectionem neglectu se mandatorum Dei et morum corruptione meruisse, frustraque se armis certare, nisi prius vitiis repugnassent. Abstinentes ergo a cibo et potu severæ sibi castigationis adhibuere censuram; et ut hostes suos vincerent, gulæ illecebram in seipsis ante vicerunt. Factumque est hoc modo ut sævi adversarii et graves domini esurientibus cederent, quos sibi saturos subjugarant. Et nos itaque, dilectissimi, inter multas adversitates et prælia constituti, si similibus remediis uti cupimus, simili observatione curemur. Eadem enim propemodum causa nostra est quæ illorum fuit : quoniam sicut illi a carnalibus adversariis, ita et nos a spiritalibus maxime impugnamur inimicis. Qui si donata nobis per Dei gratiam morum **144** correctione vincantur, [c] etiam corporeorum nobis hostium fortitudo succumbet; et emendatione nostra infirmabuntur, quos graves nobis, non ipsorum merita, sed nostra delicta fecerunt.

CAP. II. — Quapropter, dilectissimi, ut omnes hostes nostros superare valeamus, per observantiam cœlestium mandatorum divinum quæramus auxilium, scientes non aliter nos prævalere posse adversariis nostris, nisi prævaluerimus et nobis. Sunt enim intra nosmetipsos multa certamina, et aliud caro adversus spiritum, aliud adversus carnem spiritus concupiscit (*Galat.* v, 17). In qua dissensione si cupiditates [d] corporis fuerint fortiores, turpiter animus amittet propriam dignitatem, et perniciosissimum erit eum servire quem decuerat imperare. Si autem mens rectori suo subdita, et supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcaverit, et in suo mortali corpore regnare peccatum non siverit (*Rom.* vi, 12), ordinatissimum tenebit ratio principatum, et munitiones ejus nulla spiritalium nequitiarum labefactabit illusio : quia TUNC EST vera pax [e] homini et vera libertas, quando et caro animo judice regitur, et animus Deo præside gubernatur. Hæc autem præparatio, dilectissimi, licet omni tempore salubriter assumatur, ut pervigiles hostes incessabili superentur industria, nunc tamen sollicitius expetenda est, et studiosius [f] instruenda, quando et ipsi subtilissimi adversarii acriori insidiantur astutia. [g] Scientes enim adesse sacratissimos Quadragesimæ dies, in quorum observantia omnes præteritæ desidiæ castigantur, omnes negligentiæ diluuntur, ad hoc utique totam vim suæ malignitatis intendunt, ut celebraturi sanctum Pascha Domini, [h] in aliquo inveniantur immundi; et unde eis obtinenda erat propitiatio, inde contrahatur offensio.

CAP. III.—Accedentes ergo, dilectissimi, ad Quadragesimæ initium, id est, ad diligentiorem Domini servitutem, quia quasi ad quemdam agonem sancti operis introimus, ad pugnas **145** tentationum [i] animas præparemus; et intelligamus quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto nos vehementius ab adversariis impetendos. Sed fortior est qui in nobis est quam qui adversum nos est, et per ipsum validi sumus, in cujus virtute confidimus : quia ob hoc Dominus se tentari a tentatore permisit, ut cujus munimur auxilio, ejusdem erudiremur exemplo.

[a] In uno ms. S. Petri huic primo sermoni de Quadragesima titulus generalis præfigitur : *Incipiunt sermones S. Leonis Papæ de jejunio Quadragesimæ.* In alio autem S. Petri codice : *Sermo Leonis papæ de jejunio Quadragesimæ*, ubi omissio tituli *sancti* antiquam codicis originem indicare videtur. Iidem codices sequentibus sermonibus fere apponunt titulum : *De jejunio Quadragesimæ.*

[b] Prima editio, *non possent.* Ita prorsus scribendum esset, si hæc sententia referretur ad anteriorem partem, et ad verbum *premerentur.* Sed interpunctione mutata hoc comma referendum est ad sequentia; unde vulgata lectio, quæ item est potiorum codicum, mutanda non fuit.

[c] In duobus mss. S. Petri habetur *etiam* pro *et*, quod legebatur in editis ante Quesnellum, et in nonnullis quoque codd. occurrit.

[d] Ita ex nostris codd. et editis ante Quesn., qui nullam auctoritatem indicans, posuit, *corporeæ.* Paulo post, *perniciosissimum*, quod ille prætulit pro *perniciosum*, invenimus in laudatis duobus codicibus S. Petri.

[e] Sic ex memoratis mss. S. Petri. Al., *hominis.* Paulo post iidem codd. omittunt *autem.*

[f] Ita plerique codd. et editi omnes ante Quesn., apud quem, *struenda.* In mss. autem S. Petri, *fruenda.*

[g] Erat in editis ante Quesn., uti etiam mss. collectionibus posterioribus : *Scientes enim agere nos sacratissimos*, etc. Ille autem pro *agere nos* scripsit *adesse*, quod et in duobus Lectionariis S. Petri reperimus, et exigitur ab illis cap. sequentis : *Accedentes ergo, dilectissimi, ad Quadragesimæ initium.*

[h] Ita mss. Thuan. et Corb., melius quam, *inveniamur indigni*, quod legitur in vulgatis editionibus : alludit enim auctor noster ad præceptum de munditia legali, quæ in veteri Testamento ad Pascha celebrandum necessaria erat. QUESN. — Ita etiam scribitur in codd. S. Petri et in mss. collect. 2, ex quibus cohærenter subjecimus *eis* pro *nobis*, quod Quesnellus retinuit, sed perperam, nam refertur ad vocem *celebraturi*, de quibus Leo dixit, *inveniantur; nobis* autem habetur in iis codicibus, qui præferunt, *agere nos*, et, *inveniamur indigni.*

[i] Ita duo mss. S. Petri. *Al.*, *animos.*

Digitized by Google

Vicit enim adversarium, ut audistis, testimoniis legis, non potestate virtutis; ut hoc ipso et hominem plus honoraret, et adversarium plus puniret, cum hostis generis humani [a] non quasi a Deo jam, sed quasi ab homine vinceretur. Pugnavit ergo ille tunc, ut et nos postea pugnaremus; vicit ille, ut et nos similiter vinceremus. NULLA SUNT enim, dilectissimi, sine tentationum experimentis opera virtutis, nulla [b] sine probationibus fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria. Vita hæc nostra in medio [c] insidiarum, in medio præliorum est. Si nolumus decipi, vigilandum est; si volumus superare, pugnandum est. Et ideo sapientissimus Salomon, *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1). Vir enim sapientia Dei plenus, sciens studium religionis laborem habere certaminis, cum prævideret pugnæ periculum, ante admonuit pugnaturum: ne forte si ad ignorantem tentator accederet, imparatum citius vulneraret.

CAP. IV. — Nos itaque, dilectissimi, qui [d] divinis eruditionibus instituti, ad agonem præsentis certaminis scienter accedimus, audiamus dicentem Apostolum: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, [e] adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ, in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12); et non ignoremus quod hi hostes nostri contra se geri omnia sentiunt, quæcumque nos pro nostra salute agere tentamus; et hoc ipso [f] quod boni aliquid appetimus, adversarios provocamus. Hæc enim inter nos atque illos **146** per diabolicæ invidiæ fomitem inveterata dissensio est, ut quia illi ab his bonis exciderunt, ad quæ nos Deo auxiliante provehimur, nostris justificationibus torqueantur. Si ergo nos erigimur, illi corruunt; si nos convalescimus, illi infirmantur. Remedia nostra plagæ ipsorum sunt, quia curatione nostrorum vulnerum vulnerantur. *State ergo*, dilectissimi, ut Apostolus ait, *succincti lumbos mentis vestræ in veritate, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia [g] tela maligni ignea exstinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 14). Videte, dilectissimi, quam potentibus nos telis, quam insuperabilibus munimentis dux multis insignis triumphis, et invictus Christianæ militiæ magister armaverit. Succinxit lumbos balteo castitatis, calceavit pedes vinculis pacis: quia et discinctus miles cito, [h] ab impudicitiæ incentore vincitur, et non calceatus facile a serpente mordetur. Scutum fidei ad protectionem totius corporis dedit, capiti galeam salutis imposuit, dexteram gladio, id est verbo veritatis, instruxit: ut spiritalis præliator non solum sit tutus a vulnere, sed et repugnantem valeat vulnerare.

CAP. V. — His igitur, dilectissimi, freti armis, impigre atque intrepide propositum nobis certamen ineamus: ut in isto jejuniorum [i] stadio, non eo tantum simus fine contenti, ut solam ciborum abstinentiam putemus esse sectandam. Parum enim est si carnis substantia tenuatur, et animæ fortitudo non alitur. Afflicto paululum exteriore homine, reficiatur interior; et subtracta carni saturitate corporea, spiritalibus mens deliciis roboretur. Circumspiciat se omnis anima Christiana, et severo examine cordis sui interna discutiat. Videat ne quid ibi discordiæ inhæserit, ne quid cupiditatis insederit. Castitas incontinentiam procul pellat, [j] tenebras simulationis lux abigat veritatis. Detumescat superbia, resipiscat iracundia, **147** comminuantur jacula noxarum, et obtrectatio linguæ frenetur. Cessent vindictæ, et oblivioni mandentur injuriæ. *Omnis* postremo *plantatio quam non plantavit Pater cœlestis, radicitus auferatur* (*Matth.* XV, 13). Tunc enim in nobis bene virtutum semina nutriuntur, quando [k] de agro cordis nostri omne germen externum evellitur. Si quis

[a] Ante Quesn. legebatur, *non solum quasi a Deo, sed etiam quasi ab homine impugnaretur atque vinceretur*. Correxi ille ex tribus codd. Vict., Thuan. et Corb., emendationemque confirmant duo Lectionaria S. Petri, cod. Bon. et mss. collect. 2.

[b] Ita Thuan. et Corb. Al., *sine perturbationibus*, quod man festo mendosum est et bono sensu vacuum: ut illud e contra Pauli doctrinæ et verbis consentaneum. QUESN. — Sic pariter nostri codices S. Petri et collect. 2.

[c] Al., *insidiatorum*. Quesnellianam correctionem approbant mss. S. Petri.

[d] Anteriores editiones, *divinis institutionibus eruditi*. Præmittimus lectionem mss. S. Petri et codicum collect. 2, quam confirmant etiam exemplaria Corb. et Thuan. a Quesnello laudata. Unus Vat. collect. 4, *divinis instructionibus eruditi*.

[e] Duo laudati Quesnelli codd. Corb. et Thuan. habent, *adversus mundi rectores, mundi hujus tenebrarum harum*. Duo S. Petri et duo Vat., *adversus rectores mundi hujus tenebrarum* omissa voce *harum*. Codd. collectionis 2 ut in textu et in vulgato Scripturæ.

[f] Unus cod. S. Petri, *quo*.

[g] Prima editio, *tela nequitiæ ignea. Ignita* pro *ignea*, in mss. Corb. et Thuan., Quesnello annotante. Mox *assumere* pro *assumite* in uno ms. S. Petri.

[h] Ita omnes nostri codd. et editi ante Quesnellum, qui cur posuerit, *ab impudentiæ incentore*, ubi hoc comma refertur ad illa, *succinxit lumbos balteo castitatis*, ignoramus.

[i] Quædam editiones cum quibusdam codd., *studio*.

[j] Erat in editis et in mss. posteriorum collectionum, *tenebras mendacii lux abigat veritatis: quia os quod mentitur animam mentientis interficit. Detumescat superbia, humilitas assumatur, resipiscat iracundia*. Quesnellus, loco *mendacii*, substituit *simulationis*: in reliquis vulgatum textum retinuit, expunctis illis, *humilitas assumatur*, quæ, inquit, in mss. desiderantur, et filum orationis abrumpunt. Notavit præterea in margine, verba, *quia os quod mentitur animam mentientis interficit*, deesse in codd. Corb. et Thuan. Nos hæc quoque exclusimus, quia absunt præterea ab antiquis et sinceriboribus Lectionariis S. Petri, nec non a codd. præstantiorum collectionum, qui lectionem textui insertam exhibent. Mox pro *noxarum*, quod legitur in antiquis Lectionariis et vetustioribus mss. collectionibus, exemplum primæ editionis habet, *noxiarum*; qui librarii lapsus cum non detegeretur, in posterioribus mss. collectionibus ad sensum perficiendum additum fuit substantivum, *cogitationum*.

[k] Ita ex quatuor nostris codd. Al., *ab agro*.

Digitized by Google

ergo in quempiam ita cupiditate ultionis exarsit, ut eum aut carceri [a] tradiderit, aut vinculis illigaverit, absolutionem non solum insontis, sed etiam ejus qui pœna dignus videtur acceleret : ut illa Dominicæ orationis regula fideliter utatur, dicens : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* VI, 12). Quam partem petitionum ita Dominus speciali insinuatione commendat, [b] quasi totius orationis effectus in hac conditione consistat : *Si enim*, inquit, *dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et Pater vester vobis, qui in cœlis est. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (*Ibid.* 14).

Cap. VI. — Proinde, dilectissimi, memores infirmitatis nostræ, quia facile in quælibet delicta prolabimur, hoc [c] potissimum remedium, et istam efficacissimam vulnerum nostrorum curationem nullatenus negligamus. Remittamus, ut remittatur nobis; demus veniam, quam rogamus; et non studeamus vindicari, qui nobis precamur ignosci. [d] Pauperum gemitus surdo non transeamus auditu, et misericordiam indigentibus prompta benignitate præstemus, ut misericordiam in judicio mereamur invenire. Ad quam perfectionem qui studium suum gratia Dei adjutus intenderit, hic sanctum jejunium fideliter [e] peraget (I *Cor.* v, 8), hic a fermento malitiæ veteris alienus, in azymis sinceritatis et veritatis ad beatum Pascha perveniet, et per novitatem vitæ digne lætabitur in sacramento reformationis humanæ : per Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

148 SERMO XL [*Al.* XXXIX].

De Quadragesima II.

Synopsis. — I. *Semper in hac vita proficiendum esse.* — II. *In id maxime enitendum Quadragesimæ tempore, quo magis sævit diabolus.* — III. *Cur Christus esuriens non mutavit lapides in panem?* — IV. *Non sterilem esse debere Quadragesimæ indictam.* — V. *Miserationem et clementiam principum imitandam esse Quadragesimæ tempore.*

Cap. I. — Licet nobis, dilectissimi, appropinquante festivitate paschali jejunium quadragesimale ipse legitimi temporis recursus indicat, cohortatio tamen etiam nostri sermonis adhibenda est, quæ, auxiliante Domino, nec inutilis sit pigris, nec onerosa devotis. Nam cum omnem observantiam nostram ratio istorum dierum poscat augeri, nemo est (ut confido) de vobis, qui se [f] ad opus bonum non gaudeat incitari. Natura enim nostra, manente adhuc mortalitate, mutabilis, etiamsi ad summa quæque virtutum studia provehatur, semper tamen sicut potest habere quo recidat, ita potest habere quo crescat. Et hæc est perfectorum vera justitia, ut numquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum. Quia ergo nemo nostrum, dilectissimi, tam perfectus et sanctus est, ut perfectior sanctiorque esse non possit, omnes simul sine differentia graduum, sine discretione meritorum, ab iis in quæ pervenimus, in ea quæ nondum apprehendimus, pia aviditate curramus, et ad mensuram consuetudinis nostræ [g] necessariis aliquid addamus augmentis. Parum enim religiosus alio tempore demonstratur, qui in his diebus non religiosior invenitur.

Cap. II. — Unde opportune auribus nostris [h] lectio apostolicæ prædicationis insonuit, dicens: **149** *Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis* (II *Cor.* VI, 2). Quid enim acceptius hoc tempore, quid salubrius his diebus, in quibus vitiis bellum indicitur, et omnium virtutum profectus augetur? Semper quidem tibi, o anima Christiana, vigilandum contra salutis tuæ adversarium fuit, ne ullus pateret locus tentatoris insidiis; sed modo tibi major cautio

[a] Sic melius ex ms. S. Petri, quam *traderet* et *illigaret*, ut in editis habebatur.

[b] *Quasi* pro *ut* melius substituimus ex Lectionariis S. Petri.

[c] *Potissimum* pro *potentissimum* magis placuit ex iisdem S. Petri codd. et uno Vat. Paulo ante pro, *quia facile*, aliqui codd. habent, *qua facile*. Paulo post, *ut remittat*, loco, *ut remittatur* : et dein, *optamus* pro *precamur* in mss. S. Petri.

[d] Quesnellus notavit in margine sequentem periodum deesse in mss. Corb. et Thuan.

[e] Codd. S. Petri, *peragit*.

[f] Ita cum prima editione aliaque Coloniensi an. 1547, aliquot nostri codd., et melius quam apud Quesnellum cum aliis vulgatis atque mss., *ad opus horum*. In sequenti periodo cod. Padilliron., *potest habere quo recedat*.

[g] Plerique codices cum editis ante Quesnellum, *necessarii aliquid addamus augmenti*. Retinuimus Quesnellianam lectionem, quam mss. S. Petri et Padiliron. approbant.

[h] Et quidem eadem lectio Paulinæ epistolæ, quæ hodie et in primo nocturno et in missa per totam Ecclesiam auribus fidelium insonat. Unde et officii ecclesiastici antiquitas probatur et refellitur error Theodemari abbatis Casinensis, seu Pauli Diaconi ejus nomine ad Carolum Magnum imperatorem scribentis. *Necdum eo tempore*, quo S. Benedictus scribebat suam Regulam, *in Romana Ecclesia, sicut nunc*, inquit, *leguntur, sacras Scripturas legi morem fuisse*. Ex Gelasio aliisque falsa probatur opinio a doctissimo Mabilonio in disquisitione de Cursu Gallicano pag. 385. Accedit Leo Gelasio pluribus annis antiquior, tum hoc loco, tum pluribus aliis, ut sermonis 41 (nunc 42) seu de Quadrag. 4 initio : *Prædicaturus*, inquit,... *quo aptius utar exordio, quam ut verbis Apostoli... incipiam, dicamque quod lectum est : Ecce nunc tempus acceptabile*, etc.; Sermonis 50 (nunc 52), qui primus de Passione Dom., initium indicat lectam eo die fuisse passionis historiam ex Evangelio; quæ et feria 4 esse iteratam significant ultima fere verba sermonis 3, de Passione, prima serm. 13 (nunc 15), quæ hanc universæ Ecclesiæ consuetudinem tribuit. Vide et serm. 18, cap. 2, et serm. 19, cap. 1, ubi observat ex more decursam esse evangelicam de Passione lectionem, et serm. 2 de Resurrectione, seu potius in die Sabbati sancti, et serm. 94 (nunc 51) in evangelium de Transfiguratione Domini. Quesnellus. — Mox pro *acceptum* prima editio cum aliquibus mss. habet *acceptabile*, uti legitur etiam serm. 42, cap. 1.

Digitized by Google

et sollicitior [a] est adhibenda prudentia, quando idem hostis tuus acriori sævit invidia. Nunc enim in toto mundo potestas ei antiquæ dominationis aufertur, et innumera illi captivitatis vasa rapiuntur. Renuntiatur atrocissimo prædoni a populis omnium nationum, omniumque linguarum, et nullum jam genus hominum reperitur, quod non tyrannicis legibus reluctetur, dum per omnes fines terrarum regeneranda in Christo multorum millium millia præparantur; et appropinquante novæ creaturæ ortu, spiritalis nequitia ab iis quos possidebat [b] extruditur. Fremit ergo exspoliati hostis impius furor, et novum quærit lucrum, quia jus perdidit antiquum. Captat indefessus et pervigil, si quas reperiat oves a sacris gregibus negligentius evagantes, quas [c] per procliva voluptatum et per devexa luxuriæ in diversoria mortis inducat. Inflammat itaque iras, nutrit odia, acuit cupiditates, irridet continentiam, incitat gulam.

Cap. III. — Quem enim tentare non audeat, qui nec ab ipso Domino nostro Jesu Christo [d] conatus suæ fraudis abstinuit? Nam, sicut 150 evangelica [e] patefecit historia, cum Salvator noster, qui erat verus Deus, ut verum se hominem etiam demonstraret, et impias opiniones totius erroris excluderet, post quadraginta dierum [f] noctiumque jejunium, infirmitatis nostræ in se recepisset esuriem, gavisus diabolus signum se in eo passibilis atque mortalis invenisse naturæ, ut exploraret potentiam, quam timebat: *Si Filius Dei*, inquit, *es, dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV, 2). Poterat [g] utique istud Omnipotens, et facile erat ut ad Creatoris imperium, in quam juberetur speciem cujuslibet generis [h] creatura transiret; sicut, cum voluit, in convivio [i] nuptiali aquam mutavit in vinum (*Joan.* II, 9) : sed hoc magis salutiferis [j] dispositionibus congruebat, ut superbissimi hostis astutia, non potentia Deitatis [k] a Domino, sed humilitatis mysterio vinceretur. Denique fugato diabolo, et in omnibus artibus suis tentatore frustrato, accesserunt ad Dominum angeli, et ministrabant ei; ut veri hominis et veri Dei, et apud dolosas interrogationes inviolata esset humanitas, et apud sancta obsequia manifesta Divinitas. Confundantur [l] itaque filii diaboli atque discipuli, qui repleti inspiratione viperea, simplices quosque decipiunt, negantes in Christo utramque veram esse naturam, dum aut Deitatem homine, aut hominem Deitate dispoliant, cum unius temporis gemino documento utraque falsitas sit perempta : quia et per famem corporis [m] perfecta humanitas, et per famulantes 151 angelos demonstrata est perfecta Divinitas.

Cap. IV. — Quia ergo, dilectissimi, sicut Redemptoris nostri magisterio edocti sumus, *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei* (*Matth.* IV, 4; *Deut.* VIII, 3); dignumque est ut populus Christianus in quantacumque abstinentia constitutus, magis desideret se Dei verbo quam cibo satiare corporeo, prompta devotione et alacri fide suscipiamus solemne jejunium, non in sterili inedia, quam plerumque et imbecillitas corporis et avaritiæ morbus [n] indicit, sed in larga benevolentia celebrandum : ut scilicet simus de illis de quibus ipsa Veritas dicit : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6). Deliciæ igitur nostræ sint opera pietatis, et illis cibis qui nos ad æternitatem [o] nutriunt impleamur. Lætemur in refectionibus pauperum, quos impendia nostra satiaverint. Jucundemur in vestitu eorum quorum nuditatem indumentis necessariis texerimus. Sentiant humanitatem nostram ægritudines decumbentium, imbecillitates debilium, labores exsulum, destitutio pupillorum, et desolatarum [p] mœstitudo viduarum: in quibus juvandis nemo est qui non aliquam possit exsequi benevolentiæ portionem. Nulli enim parvus est census, cui magnus est animus; nec de rei familiaris modo [q] mensura miserationis pendet aut pietatis. Numquam merito caret, etiam in tenui facultate, bonæ volun-

[a] Editi, *assumenda prudentia est*. Prætulimus mss. S. Petri, ex quibus etiam paulo post *terrarum* scripsimus pro *terræ*, confirmante cod. Padiliron.

[b] Ita ex iisdem codd. S. Petri et uno Vat. Alii cum editis, *excluditur*. Paulo post, pro *perdidit*, duo mss. Vat., *perdit*.

[c] Unus ms. S. Petri et alius Vat. cum quibusdam editis, *per proclivia*. Mox, *movet cupiditates*, loco *acuit cupiditates* in uno ms. Vat.

[d] Ita cum Quesn. unus codex S. Petri, et alius Padiliron. Al., *conatum*.

[e] Sic ex prima editione et nonnullis mss. Vat. et Padiliron., idque magis placet quam vulgata lectio, *patefacit;* nam apertius indicat tunc quoque ante sermonem in missa lectum fuisse Evangelium Matthæi de tentatione Christi in deserto, uti nunc in prima Dominica Quadragesimæ legitur.

[f] Exemplar Pauli Diaconi omittit, *noctiumque*.

[g] Sic cum Quesn. duo codd. S. Petri et unus Vat. Al., *itaque*.

[h] Al., *natura* in editionum margine, ac in Homil. Pauli Diaconi et cod. Padiliron.

[i] Ita nostri codd. et editi ante Quesnellum, apud quem, *nuptiarum*, uno nostro Padilir. suffragante.

[j] Al., *dispensationibus*, uti in Homil. Pauli Diac. et in duobus mss. Vat. At codd. S. Petri, ut in textu; qui etiam pro *nequissimi*, quod legebatur in editis, præferunt, *superbissimi*, juxta emendationem Quesnellianam. Id autem magis placuit, cum *humilitatis mysterium* dæmonis superbiæ S. pontifex opponat.

[k] Addidimus *a Domino*, ex duobus Lectionariis S. Petri, in quibus mox legitur, *et in omnibus artibus suis tentatore frustrato*, uti post Quesnellum edidimus, cum in cæteris editionibus et in aliquot codd. ac in Homil. Pauli Diac. habeatur, *et omnibus artibus callidi tentatoris elisis*.

[l] Tres mss., *igitur*.

[m] Cod. Bon. et prima editio, *vera humanitas*. Dein ibidem et in tribus aliis codd., *manifesta divinitas*.

[n] Prima editio, *inducit*. Postea, *scilicet* deest in aliquot mss.

[o] Exemplar Pauli Diac., *nutriant*.

[p] Ita apud Quesn. et in mss. S. Petri. Al., *lamenta*. Paulo post in uno cod. S. Petri, *non aliquam habere possit*, pro *non aliquam possit exsequi*.

[q] Lectionem editorum ante Quesn. auctoritate præstantiorum codicum revocavimus. Solum prima editio præfert, *ac pietatis*. Quesnellus, *mensura pendet pietatis;* et paulo aliter ms. Venetus, *pendet mensura pietatis*.

Digitized by Google

tatis opulentia. Majora quidem impendia sunt divitum, et minora mediocrum; sed [a] non discrepat fructus operum, ubi idem est affectus operantium.

Cap. V. — In ista autem, dilectissimi, exercendarum opportunitate virtutum, sunt et aliarum [b] insignia coronarum, quæ nullo horreorum dispendio, nulla diminutione pecuniæ capiantur; si repellatur lascivia, si abdicetur ebrietas, et carnalis concupiscentia **152** castitatis legibus edometur; si odia transeant in dilectionem, si inimicitiæ convertantur in pacem, si tranquillitas exstinguat iram, si mansuetudo remittat injuriam, si denique dominorum atque servorum tam ordinati sint mores, ut et illorum potestas mitior, et istorum sit disciplina devotior. Hac igitur observantia, dilectissimi, obtinebitur misericordia Dei, et abolito peccatorum reatu, religiose venerandum Pascha celebrabitur. Quod et [c] Romani orbis piissimi imperatores sancta dudum instituta observatione custodiunt, qui in honorem Dominicæ Passionis et Resurrectionis altitudinem suæ potestatis inclinant, et constitutionum suarum severitate mollita, multarum culparum reos [d] faciunt relaxari; ut in diebus, quibus mundus salvatur miseratione divina, [e] etiam ipsorum supernæ bonitatis imitatrix sit æmulanda clementia. Imitentur igitur Christiani populi principes suos, et ad domesticam indulgentiam regiis incitentur exemplis. Non enim privatas leges fas est austeriores esse quam publicas. Remittantur culpæ, vincula solvantur, deleantur offensæ, pereant ultiones: ut sacra festivitas per divinam atque humanam [f] gratiam, omnes lætantes, omnes habeat innocentes: per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLI [*Al.* XL].

De Quadragesima III.

Synopsis. — I. *Quanta conscientiæ puritate jejunium celebrari debeat? Quomodo se quisque examinare?* — **153** II. *Audacia diaboli in tentatione Christi nos cautiores reddere debet, hoc præsertim tempore.* — III. *Miseratione jejunium sanctificari.*

Cap. I. — Semper quidem nos, dilectissimi, sapienter et [g] sancte vivere decet, et in id voluntates nostras actionesque dirigere, quod divinæ novimus placere justitiæ; sed cum ii appropinquant dies quos illustriores nobis salutis nostræ sacramenta fecerunt, diligentiore sollicitudine corda nostra sunt mundanda, et studiosius exercenda est disciplina virtutum: ut sicut ipsa mysteria quadam sui parte majora sunt, ita et nostra observantia superet in aliquo consuetudinem suam; et cui festivitas est celebranda sublimior, ipse quoque in ea reperiatur ornatior. Si enim rationabile et quodammodo religiosum videtur per diem festum in vestitu nitidiore prodire, [h] et habitu corporis hilaritatem mentis ostendere; si ipsam quoque orationis domum propensiore tunc cura et ampliore cultu, quantum possumus, adornamus, nonne dignum est ut anima Christiana, quæ verum vivumque Dei templum est, speciem suam prudenter exornet, et redemptionis suæ celebratura sacramentum, omni circumspectione præcaveat ne ulla eam macula iniquitatis offuscet, aut duplicis cordis ruga dedecoret? Nam quid prodest honestatis formam præferens cultus exterior, si interiora hominis aliquorum sordeant [i] contaminatione vitiorum? Omnia igitur quæ animi puritatem et speculum mentis obumbrant, abstergenda sedulo et quadam elimatione [j] reddenda sunt clariora. Scrutetur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat proprii censura judicii. Videat, si in secreto cordis sui

[a] Duo mss. S. Petri, *non distat*. Dein pro *idem est*, exemplar Pauli Diac., *non dissidet*, unus Vat., *non deest*.

[b] Editi ante Quesn., *insignia opera coronarum*; unus Vat. et Padiliron., *insignia virtutum*.

[c] Licet *Romanæ Urbis* sit in duobus codd. S. Petri, iisque concinat in voce *Urbis* cod. Venetus, expungere tamen noluimus lectionem vulgatam, quam præferunt mss. Casin. collect. 1, et codd. trium posteriorum collect. 3, 4 et 5; nam *Romani* quidem *orbis*, non autem *Romanæ Urbis imperatores* appellari solent. Codex etiam Venetus cum habeat, *Romani, Urbis* pro *Orbis* perperam scriptum indicat. Mss. collect. 2 aliter habent: *Quod et Romana Urbs et piissimi imperatores... custodiunt*. At sequens contextus solis imperatoribus convenit. Dein mss. Ven., Casin. collect. 1 et alii collect. 2, *sancta dudum instituta custodiunt*; ubi cum accusativus antecedens *quod* alium accusativum *sancta instituta* respuat, in cod. Casin. posteriori manu emendatum fuit, *institutione*; cui lectioni affinis est alia vulgata, et nonnullorum codd., *sancta antiquitus observatione custodiunt*. Lectionem vero duorum codd. S. Petri uti meliorem textui inseruimus; ex quibus etiam deinde scripsimus, *in honorem Dominicæ Passionis et Resurrectionis*. In editis ante Quesn. deerat, *et Resurrectionis*; apud hunc vero, *in honorem Passionis et Resurrectionis Christi*, sicut et in ms. Veneto reperimus.

[d] Editiones cum quibusdam codd., *præcipiunt relaxari*. Duo Lectionaria S. Petri non deserenda credidimus. Confer hac de re observationem in serm. 45, inter observationes post appendicem subjiciendas.

[e] In iisdem S. Petri mss. et in Veneto, *etiam ipsorum sit honoranda clementia. Imitentur ergo*. Vulgata lectio, quæ est etiam quamplurium codicum, sequentibus magis congruit.

[f] Sic ex mss. S. Petri. Quesnellus, *miserationem*, quod in ms. Vat. collect. 5 reperire licuit. Cæteri editi et aliquot codd., *benignitatem*; unus Vat., *clementiam*.

[g] Auctoritate plurimorum et potiorum codd. revocavimus adverbium *sancte*, pro quo Quesnellus substituit *juste*, uti in aliquibus aliis mss. legitur. Post nonnulla post nomen *corda* codd. collect. 4 et 5 delent *nostra*.

[h] Duo codd. et exemplar Pauli Diac., *et corporali habitu*.

[i] Al., *contagione*. Quesnellus in margine. — Et paulo post pro, *elimatione*, tres mss. Thuan. ab eodem laudati, *eliminatione*.

[j] Editi, *radenda sunt. Scrutetur*, etc. Prætulimus lectionem codicis S. Petri. Dein in Homil. Pauli Diac., *atque ante se statuat proprii censuram judicii*.

Digitized by Google

illam, quam Christus dat (*Joan.* XIV, 27), invenit pacem, si desiderium spiritus nulla concupiscentia carnis impugnat, si humilia non spernit, si alta non appetit, si iniquo non delectatur lucro, si immoderato rerum suarum non gaudet augmento, si denique aliena felicitate non uritur, aut inimici miseria non lætatur. Et cum harum perturbationum nihil in se forte repererit, sincero [a] disquirat examine qualium cogitationum specie frequentetur; et utrum nullis vanitatum imaginibus acquiescat, vel quam cito animum ab iis quæ noxie blandiuntur **154** abducat. Nam nullis illecebris commoveri, nullis [b] cupiditatibus titillari, non est istius vitæ, quæ tota tentatio est (*Job.* VII, 1), et qua nimirum vincitur, qui vinci ab eadem non veretur. Superbum est enim de non peccandi facilitate præsumere, cum hoc ipsum præsumpsisse peccatum sit, dicente beato Joanne apostolo: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (1 *Joan.* I, 8).

CAP. II. — Nemo igitur se fallat, dilectissimi, nemo [c] se decipiat; neque ita quisquam de cordis sui puritate confidat, ut putet se nullis tentationum periculis subjacere; cum pervigil ille tentator eos acrioribus pulset insidiis, quos maxime viderit abstinere a peccatis. Nam a quo dolos suos contineat, qui ipsum quoque [d] Dominum majestatis ausus est calliditatis suæ fraude tentare? Viderat superbiam suam baptizati Domini Jesu humilitate calcatam; intellexerat [e] quadraginta dierum jejunio omnem cupiditatem carnis exclusam, et tamen non desperavit de artibus suæ malitiæ spiritalis improbitas; tantumque sibi de naturæ nostræ mutabilitate promisit, ut quem verum experiebatur hominem, præsumeret posse fieri peccatorem. Si ergo ab ipso Domino et Salvatore nostro deceptionum suarum diabolus non revocavit insidias, quanto magis fragilitatem nostram impugnare [f] præsumet, quos exinde vehementiore odio et invidia sæviore persequitur, ex quo ei in baptismo renuntiavimus, et ab illa cui dominabatur origine, in novam creaturam divina regeneratione transivimus! Unde quia dum mortali carne circumdamur, non desinit nobis hostis antiquus laqueos peccati ubique prætendere, et tunc maxime adversus Christi membra sævire, quando ab eis sunt sacratiora celebranda mysteria, merito doctrina Spiritus sancti hac eruditione imbuit populum Christianum, ut ad paschale festum quadraginta dierum se continentia præpararet. Cujus purificationis ratio jam nos ad observantiam suæ salubritatis invitat, et diligentiam nobis [g] propositæ castigationis indicit. Quanto enim sanctius quisque hos dies invenietur egisse, tanto probabitur Pascha Domini religiosius honorasse.

CAP. III. — In diebus igitur sanctorum jejuniorum pietatis opera, quibus semper studendum est, **155** abundantius exsequamur: *Misericordes simus ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Galat.* VI, 10): ut in ipsis quoque eleemosynarum distributionibus, bonitatem Patris cœlestis imitemur, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 45). Quamvis ergo fidelium præcipue sit adjuvanda paupertas, etiam illi tamen, qui nondum Evangelium receperunt, in suo labore miserandi sunt: quia in omnibus [h] hominibus naturæ est diligenda communio, quæ nos etiam iis benignos debet efficere, qui nobis quacumque sunt conditione subjecti, maxime si eadem gratia jam renati, et eodem sanguinis Christi pretio sunt redempti. Simul enim et cum istis habemus, quod ad imaginem Dei conditi sumus, nec carnali origine a nobis, nec spiritali nativitate divisi sunt. Eodem Spiritu sanctificamur, eadem fide vivimus, ad eadem sacramenta concurrimus. Non spernatur hæc unitas, nec vilis nobis sit tanta communio; sed hoc ipsum nos per omnia faciat mitiores, quod eorum utimur subjectione, cum quibus uni Domino eadem subjicimur servitute. Si qui ergo horum gravioribus dominos suos offendere delictis, indulgentiam nunc in diebus reconciliationis accipiant. Auferat miseratio severitatem, et venia deleat ultionem. Nullum custodia teneat, nullum carcer includat: quoniam Deus noster misericordiam suam hac conditione promisit, ut remittenda sibi is nosset peccata propria, qui remisisset aliena (*Matth.* XVIII, 33). Dissensionum materies, dilectissimi, et inimicitiarum aculei conterantur. Cessent odia, deficiant simultates, in unitatem dilectionis omnia Christi membra conveniant: *Beati enim pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9); nec solum filii, sed etiam hæredes, *cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII, 17), [i] qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLII [*Al.* XLI].

De Quadragesima IV.

SYNOPSIS. — I. *Quadragesimam purgandis animarum sordibus salubriter esse institutum.* — II. *Omnibus virtutibus studendum hoc tempore, quæ ex voluntate pensantur.* — III. *Ex ipsa pietate insidiari diabolum; cujus* **156** *tentationum ergo Christum ordo et ratio explicantur.* — IV. *De perversa Manichæorum abstinentia.* — V. *Eosdem in honorem solis et*

[a] Cod. Pauli Diac. addit, *cordis*, et pro *disquirat*, idem cod. et alius Bon. ac prima editio habent, *discutiat*.

[b] In eodem Pauli Diac. exemplo, *tentationibus*. Dein, *nimium* pro *nimirum* in uno Vat. Postea, *peccasse sit*, pro *peccatum sit*, apud Paulum Diac.

[c] Cod. S. Petri inserit, *ita*. Mox pro *viderit* in prima editione habetur *videt*.

[d] Ms. S. Petri, *Dominum majestatis sua fraude tentavit*.

[e] Cod. S. Petri, *quadraginta dierum spatio omnem concupiscentiam carnis exclusam*. Exemplar Pauli Diac. pariter habet *concupiscentiam*.

[f] Melior hæc lectio primæ editionis et aliquot codicum, quam vulgata, *præsumit*.

[g] Tres nostri codd., *propositi castigatioris*.

[h] Vox, *hominibus*, addita ex nostris mss. et editis ante Quesnellum.

[i] Cod. S. Petri addit *Domini nostri*.

Digitized by Google

lunæ die Dominica et feria secunda jejunare, a participatione sanguinis Christi abstinere, etc. — VI. *Uti per opera virtutum sanctificetur Quadragesima.*

CAP. I. — Prædicaturus vobis, dilectissimi, [a] sacratissimum maximumque jejunium, quo aptius utar exordio, quam ut verbis Apostoli, in quo Christus loquebatur, incipiam, dicamque, quod lectum est : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (II *Cor.* VI, 2)? Quamvis enim nulla sint tempora quæ divinis non sint plena muneribus, et semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam præstetur accessus, nunc tamen omnium mentes majori studio ad spiritales profectus moveri, et ampliori fiducia oportet animari, quando ad universa pietatis officia, illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus invitat : ut excellens super omnia passionis Dominicæ sacramentum purificatis et corporibus et animis celebremus. Debebatur quidem tantis mysteriis ita incessabilis devotio et continuata reverentia, ut tales permaneremus in conspectu Dei, quales nos in ipso paschali festo dignum est inveniri. Sed quia hæc fortitudo paucorum est, et dum carnis [b] fragilitati austerior observantia relaxatur, dumque per varias actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere; magna divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas et pia opera redimerent, et jejunia casta decoquerent.

CAP. II. — Ingressuri igitur, dilectissimi, dies mysticos [c] et jejuniorum remediis consecratos, præceptis apostolicis obedire curemus, *emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus* (II *Cor.* VII, 1) : ut castigatis colluctationibus quæ sunt inter utramque substantiam, animus, quem sub Dei gubernaculis constitutum corporis sui decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem : ut nemini dantes ullam offensionem, vituperationibus obloquentium non simus obnoxii. Digna enim ab infidelibus reprehensione carpemur, et nostro vitio linguæ impiæ in injuriam se religionis armabunt, **157** si jejunantium mores a puritate perfectæ continentiæ discreparint. Non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii, aut fructuose corpori esca subtrahitur, [d] nisi mens ab iniquitate revocetur et ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Sic ergo nobis edendi est [e] castiganda libertas, ut etiam aliæ cupiditates eadem lege frenentur. Mansuetudinis et patientiæ, pacis et tranquillitatis hoc tempus est : in quo exclusa omnium contaminatione vitiorum, perpetuitas nobis est [f] acquirenda virtutum. Nunc piarum mentium fortitudo donare culpas, negligere contumelias, et oblivisci assuescat injurias. Nunc fidelis animus per arma justitiæ a dextris se exerceat et sinistris (II *Cor.* VI, 7) : ut per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, securam conscientiam constantemque prohitatem nec laudes inflent, nec opprobria defatigent. Religiosorum modestia non sit mœsta, sed sancta; nec inveniantur in eis ullarum murmura querelarum, quibus numquam desunt sanctorum solatia gaudiorum. Non timeatur inter opera misericordiæ terrenarum diminutio facultatum. Semper dives est Christiana paupertas, quia plus est quod habet quam quod non habet. [g] Nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere. Operantibus ergo quæ bona sunt, non est omnino metuendum ne eis desit facultas operandi; cum et in duobus [h] nummis evangelicæ illius viduæ sit magnificata devotio (*Luc.* XXI, 2), et pro calice aquæ frigidæ præmium habeat **158** gratuita largi-

[a] Unus ms. S. Petri, *sacratissimum Quadragesimæ jejunium.*

[b] Sic melius ex mss. S. Petri et quatuor aliis codd., quam in vulgatis, *fragilitate.*

[c] Ita mss. duo Corb. et Reg. Bibl. antiquissimi, ut infra dicemus, quorum verborum loco hæc in vulg. edit. leguntur : *Et purificandis animis atque corporibus sacratius institutos;* quæ in illorum locum substituta esse existimo ab iis qui hunc sermonem ad aliam solemnitatem accommodarunt, non totidem dierum jejuniis consecratam, QUESN. — Hæc emendatio confirmatur etiam Lectionariis S. Petri et Padiliron., ac Patavino S. Antonii, et mss. vetustiorum collectionum. Lectio autem rejecta, quæ est in mss. collectionum posteriorum, nec non in Homil. Pauli Diac. aliena ab hoc loco vel ex eo cognoscitur, quod eadem sententia totidem fere verbis expressa pertinet ad serm. 78, de jejunio Pentecostes, cap. 1, ubi aptius de ipso *jejunio*, non vero de *diebus mysticis* dicitur : *Solemne jejunium, quod animis corporibusque curandis salubriter institutum*, etc., uti pariter legitur in collecta antiquissimi Sacramentarii Veronensis, quæ quidem *jejunio mensis IV*, ibidem ascribitur, nimirum jejunio Pentecostes. Cum vero jam inde a temporibus Caroli Magni Quadragesimam incœpisse a feria 4 Cinerum pluribus documentis liqueat, sub id forte tempus hæc collecta a jejunio Pentecostes translata fuit ad Quadragesimæ jejunium; et sicuti nunc legitur in sabbato ante primam Dominicam Quadragesimæ, ita etiam per ea tempora eodem sabbato legebatur; unde in vulgato Gelasiano, cui quædam additamenta accesserunt, collocatur feria 7 in Quinquagesima. Hinc autem fortassis lectio hujus collectæ fuit inserta sermoni Leonino, qui vel olim legebatur in prima Dominica Quadragesimæ, quemadmodum etiam nunc cum eadem lectione recitatur in secundo nocturno. Mox, *præceptis apostolicis*, pro *præceptis Apostoli*, ex omnibus nostris codd. ex Homil. Pauli Diac. et nonnullis editionibus revocavimus.

[d] Tria mss. Lectionaria, *nisi animus.*

[e] Sic duo mss. Quesnelli et totidem nostri S. Petri, aliique melioris notæ. Editi cum codd. posteriorum collectionum, *moderanda.* In Lectionario Patav. antiqua et vera lectio retenta; at corrupta cognoscitur, ut nova reciperetur. Sic enim hic locus exhibetur : *Edendi castigandique moderanda libertas.*

[f] Sic magis placuit ex Lectionariis S. Petri, Padiliron., Patav., etc. In vulgatis, *obtinenda.* In uno Vat. et prima editione, *observanda.*

[g] Cod. Patav., *nec poterit.* Padiliron., *nec potuit.*

[h] Homil. Pauli Diac., *minutis.* Mox pro, *magnificata*, quod legimus in nostris Lectionariis, editi ante Quesnellum, *laudata.* Solum Padiliron., *magis laudata.*

Digitized by Google

tio (*Matth.* x, 42). Ex affectibus enim piorum beni- A gnitatis mensura taxatur; et numquam eum miserendi efficacia deserit, in quo misericordia ipsa [a] non deficit. Experta est hoc vidua sancta de Sarepta, quæ beato Eliæ in tempore famis, unius diei cibum, quem solum habebat, apposuit (III *Reg.* XVII, 12), et prophetæ [b] esuriem necessitati suæ præferens, exiguum farinæ et pusillum olei incunctanter expendit. Sed non defuit ei quod fideliter erogavit, et in vasis pia effusione vacuatis, fons novæ [c] facultatis exortus est : ut sanctis usibus non minueretur ejus substantiæ plenitudo, cujus non fuerat formidata defectio.

CAP. III. — His autem studiis, dilectissimi, ad quæ vos voluntarie confidimus præparatos, [d] non ambigatis diabolum, qui omnium virtutum est adversarius, invidere [e] et ad hoc vim suæ malignitatis armare, ut pietati laqueos de ipsa pietate prætendat, et quos non potuerit dejicere per diffidentiam, conetur superare per gloriam. Vicinum est enim rectis actionibus superbiæ malum, et de proximo semper virtutibus insidiatur elatio : quia difficile est ut laudabiliter viventem laus humana non capiat, nisi, ut scriptum est, *qui gloriatur, in Domino glorietur* (II *Cor.* x, 17). Cujus vero ille hostis nequissimus non audeat impugnare propositum? cujus non appetat violare jejunium? quando versutias suas, sicut evangelica lectione patefactum est, nec ab ipso mundi Salvatore continuit? Expavescens enim in illo quadraginta dierum noctiumque jejunium, explorare [f] callidissime voluit utrum hanc **159** continentiam donatam haberet an propriam : ut non metueret de- C ceptionum suarum opera resolvenda, si Christus ejus esset conditionis cujus est corporis. Primo itaque dolo scrutatus est an ipse esset [g] substantiarum creator, qui rerum corporearum posset [h] in quas vellet mutare naturas; secundo, an sub humanæ carnis specie Divinitas obumbrata tegeretur, cui facile esset pervium sibi aerem facere, et terrena per vacuum membra librare. Sed cum illi Dominus justitiam maluisset opponere veri hominis, quam potentiam manifestare Deitatis, ad hoc convertit tertiæ fraudis ingenium, ut eum in quo divinæ potestatis signa cessaverant, dominandi cupiditate tentaret, et ad venerationem sui regna mundi pollicendo traduceret. Sed prudentiam diaboli stultam fecit sapientia Dei : [i] ut superbus hostis de eo quod quondam ligaverat ligaretur, nec eum metueret persequi, quem pro mundo B oportebat occidi.

CAP. IV. — Hujus igitur adversarii dolos, non solum in illecebris gulæ, sed etiam in proposito abstinentiæ caveamus. Qui enim scivit humano generi mortem inferre per cibum, novit et per ipsum nocere jejunium; [j] et ad contrariam fraudem, famulis utendo Manichæis, sicut impulit interdicta præsumi, ita suadet concessa vitari. Utilis quidem est [k] observantia, quæ parco assueta victu, deliciarum cohibet appetitum; sed væ illorum dogmati, apud quos etiam jejunando **160** peccatur! Damnant enim creaturarum [l] naturas in Creatoris injuriam, et contaminari edentes asserunt iis quorum non Deum, sed diabolum conditorem esse definiunt; cum prorsus [m] nulla sit substantia mala, nec ipsius mali sit ulla natura. Omnia enim bona bonus auctor instituit, et unus est universarum rerum creator, *qui fecit cœlum et ter-*

[a] Prima editio, *non defecit*. Dein editi ante Quesn. et quidam codd. cum Homil. Pauli Diac., *vidua illa*, pro *vidua sancta*, quod in iisdem Lectionariis invenimus.

[b] Sic plerique nostri codd. et editi ante Quesnellum, apud quem cum ms. Patav. et Padilir., *inediam*. Quidam codd. posteriorum collect. pro *necessitatis suæ* habent *necessitatis suæ angustiæ*.

[c] Præferenda visa est lectio probatiorum quinque nostrorum codicum, quæ item est duorum Quesnelli. *Facultatis* vox apud Latinos sumitur pro ubertate et abundantia, quam forte quidam librarii non plane intelligentes substituerunt *ubertatis*, quod in aliis codicibus et editis legitur.

[d] Nonnullæ editiones ante Quesnellianam, *non ambigimus*. Cod. Patav., *non ambigitis*. Mox, *diabolum omnium virtutum adversarium* est in mss. Vatt. collect. 4 et 5.

[e] Cod. Patav., *et ob suæ malignitatis studium armari*. Ms. Padiliron., *et ad hoc suæ malignitatis arma* D *parare*. Quesnellus *studium* posuit pro *vim*; quam vocem ex cæteris editis et melioribus codd. revocavimus.

[f] Sic ex codd. S. Petri, Padiliron. et Patav. Al., *callide*. Paulo post in editis ante Quesn., *solvenda* pro *resolvenda*, quod nostri mss. approbant.

[g] Cod. Patav., *substantivarum rerum creator*.

[h] Prima editio et ms. Bon., *in quo vellet*. Aliæ editiones, *in quæ vellet*; duo Vat., *in quod*; Patav., *in quid*. Congruentior visa est lectio duorum mss. S. Petri., cod. Padiliron. et exemplaris Pauli Diaconi. Paulo post, in tribus Lectionariis, *et terrenos ortus per inane librare*.

[i] Editi ante Quesn. et Homil. Pauli Diac., cum aliquot codd., *ut superbus hostis hominem videns, quem aliquando superaverat, non metueret eum persequi, quem pro omnibus oportebat occidi*. Lectionem a Quesnello inductam auctoritate duorum codd. optimæ notæ Corb. et Reg. retinuimus, cum confirmetur etiam potioribus nostris codd. S. Petri, Padiliron., Patav. et mss. Collect. 2, ex quibus omnibus *pro mundo* scripsimus, ubi apud Quesn. *pro omnibus* legitur.

[j] Aliqui codd. posteriorum collect. cum editis ante Quesn., *et ad contrariæ fraudis effectum, famulis utendo Manichæis, sicut per serpentem intulit interdicta præsumi, ita per famem suadet concessa vitari*. Prætulimus lectionem quam Quesnellus e suis mss. substituit, quippe quam cohærentem invenimus cum nostris superiori annotatione laudatis; qua lectione sicut expungendum fuit, *per serpentem*, ita etiam expungendum erat, *per famem*, quod tamen Quesnellus retinuit; deest autem in nostris codd., et ab ipso sensu videtur excludi.

[k] Editi, *abstinentia*. Maluimus *observantia* ex nostris optimæ notæ Lectionariis, cum præsertim hæc vox pro *jejunio* sumpta apud Leonem frequenter occurrat, uti ex serm. 41, c. 1, serm. 49, c. 3, serm. 71, c. 1, serm. 75, c. 1, et serm. 86, c. 5, animadvertit Jacobus Acamius *De antiquitate Sacramentarii Veronensis*, pag. 89. In hoc ipso sermone, c. 5, de Manichæis dicitur, *qui sua maxime observantia polluuntur*. Mox in Patav. ms. pro *parco* habetur *parvo*.

[l] Ita mss. S. Petri, Padiliron. et Patav. Homil. Pauli Diac., *creatam naturam*. Editi, *creaturarum naturam*.

[m] Cod. Patav., *nullum sit substantiæ malum*.

Digitized by Google

ram, mare et omnia quæ in eis sunt (*Psal.* CXLV, 6). Ex quibus quidquid homini ad cibum potumque concessum est, sanctum et mundum est in sui generis qualitate. Quod si immoderata aviditate sumatur, nimietas edaces et bibaces dedecorat, non cibi neque [a] poculi natura contaminat. *Omnia enim*, sicut Apostolus ait, *munda sunt mundis. Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed coinquinata sunt eorum mens et conscientia* (*Ad Tit.* I, 15).

CAP. V. — Vos autem, dilectissimi, catholicæ matris sancta generatio, quos in schola veritatis [b] Dei Spiritus erudivit, libertatem vestram congrua ratione moderamini, scientes quoniam bonum est etiam a licitis abstinere, et cum castigatius vivendum est, ita discernere cibos ut usus eorum semoveatur, non [c] natura damnetur. [d] Nullo itaque vos contagio eorum error attingat, qui sua maxime observantia polluuntur, *servientes creaturæ potius quam Creatori* (*Rom.* I, 25), et luminaribus cœli stultam abstinentiam devoventes : [e] siquidem in honorem solis ac lunæ prima et secunda Sabbati jejunare delegerunt, uno perversitatis suæ **161** opere bis impii, bis profani, qui jejunium suum et ad siderum cultum, et ad resurrectionis Dominicæ instituere contemptum. [f] Resiliunt enim a sacramento salutis humanæ, et Christum Dominum nostrum, in vera naturæ nostræ carne vere natum, vere passum, vere sepultum et vere suscitatum esse non credunt. Et ob hoc diem [g] nostræ lætitiæ, jejunii sui mœrore condemnant. Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse [h] conventibus, ita in sacramentorum communione se temperant, [i] ut interdum, ne penitus latere non possint, ore indigno Christi corpus accipiant, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinent. Quod ideo vestræ notum facimus sanctitati, ut vobis hujuscemodi homines i et his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, [k] a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur. De talibus enim beatus Paulus apostolus Ecclesiam Dei provide monet, dicens : [l] *Rogamus autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quam didicistis faciunt, et declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri; et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium* (*Rom.* XVI, 27).

CAP. VI. — Illis ergo, dilectissimi, admonitionibus nostris, quas auribus vestris contra [m] exsecrandum errorem frequenter ingessimus, **162** sufficienter instructi, sanctos Quadragesimæ dies pia devotione suscipite, et ad promerendam misericordiam Dei per opera vos misericordiæ præparate. Iram exstinguite, [n] odia delete, unitatem diligite, et sinceræ vos humilitatis officiis invicem prævenite. Servis et his qui vobis subjecti sunt cum æquitate dominamini, nullus eorum aut claustris crucietur aut vinculis. Cessent vindictæ, remittantur offensæ; severitas lenitate, indignatio mansuetudine, discordia pace mutetur. Omnes nos modestos, omnes placidos, omnes experiantur benignos; ut jejunia nostra accepta sint Deo. Cui ita demum sacrificium veræ abstinentiæ et veræ pietatis offerimus, si nos ab omni malitia con-

[a] Idem codex, *potus*.

[b] Ita cum Quesn. mss. S. Petri, Patav., Padiliron. et Casin. Al., *Spiritus sanctus*. Dein, *congrua devotione* in exemplo Paul. Diac., pro *congrua ratione*.

[c] Mss. Patav., Padiliron. et Casin. addunt *ut*.

[d] Vulg. edit., *Nulla itaque vos contagionis hujus aspergat impietas*. Quesnelli lectionem sex nostri meliores codices confirmant. Solum Padilir., Patav. et Casin. habent *quia sua* pro *qui sua*.

[e] Erat in editis, *quos nemo ambigat esse Manichæos, qui in honorem solis ac lunæ die Dominico et secunda feria deprehensi fuerint jejunare; uno* (vel, *uno enim*) *perversitatis suæ opere bis impii, bis profani sunt, qui jejunii sui et ad siderum cultum et ad Resurrectionis Christi instituere contemptum.* Solum Quesnellus vulgatam lectionem secutus, ad illa *quos nemo ambigat esse Manichæos*, notavit : « Hæc verba ex nota marginali suspicor in textum irrepsisse, quoniam et superflua videntur, et desiderantur in codd. mss. Corb. et Reg., in quibus eorum loco legitur : *Siquidem* (et consequenter) *in honorem solis et lunæ die Dominico et secunda feria jejunare delegerunt.* » Hactenus ille. Nos quamplurium codicum observatione deteximus vulgatam lectionem esse in mss. trium posteriorum collectionum, ex quibus editiones profectæ sunt. Lectio vero textui a nobis inserta, est in Lectionariis S. Petri, Padiliron. et Patav., nec non in codd. Casinen. collect. 1 et Barber. collect. 2, cum quibus congruunt duo Lectionaria a Quesnello allegata, exceptis vocibus *prima et secunda Sabbati*.

[f] Editi ante Quesnellum : *Abdicant enim se sacramento salutis humanæ, et Christum Dominum nostrum sicut in veritate carnis nostræ denegant natum, ita vere mortuum et resurrexisse non credunt.* Ita codd. collect. posteriorum. Lectionem vero a Quesnello restitutam ex mss. Reg. et Corb. in præstantioribus mss. Lectionariis et collectionibus superiori annotatione memoratis inveniemus.

[g] Ita meliores no tri codd., immo etiam mss. collect. 4 et 5. Editi, *Salutis et lætitiæ nostræ sui jejunii mœrore*.

[h] Sic iidem nostri optimæ notæ codd. Editi, *mysteriis*.

[i] Editi ante Quesnellum cum mss. posteriorum collectionum *ut interdum tutius lateant, ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram scire volumus sanctitatem, ut*, etc. Correctio a Quesnello inducta et a nobis retenta potioribus nostris codicibus vindicatur. Solum Patav., Padilir. et Casin. delent *omnino*.

[j] Quidam codd., *etiam his*. Mss. S. Petri, Patav., Padiliron. et Casin., *etiam in suis*.

[k] Editi ante Quesn. cum codd. non solum collect. 3, 4 et 5, sed etiam Lect. S. Petri et Padilir. addunt *notati et proditi*.

[l] Codd. Patav. et Padilir. : *Rogo*. Dein. *quam audistis*, pro *quam didicistis*, in prima editione et mss. Bon., in quibus mox *ab iis* loco *ab illis*; codd. autem S. Petri duo, totidem Vat. et unus Patav. et alius Padilir., *ab his*.

[m] Ita Quesn. et nostri meliores codd. Alii editi, *exsecrabilem sectam*.

[n] Quesnellus, *odia declinate, unitatem diligite, et sinceræ vos humilitatis honore invicem prævenite*. Nullum autem codicem indicat, et solum notat in margine aliarum editionum lectionem, *odia deponite, unanimitatem diligite, et sinceris vos humilitatis officiis invicem prævenite*. Secuti sumus mss. S. Petri duo, Patav., Padilir. et Casin.

Digitized by Google

tineamus : [a] auxiliante nobis per omnia Deo [b] omnipotente, cui cum Filio et Spiritu sancto una est Deitas, una majestas in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLIII [*Al.* XLI].

[c] *De Quadragesima V.*

SYNOPSIS. — I. *Quomodo gratiæ cooperetur homo, ut interius renoveiur, quod nemini non est necessarium.* — II. *Paucos esse quos vel adversa non turbent, vel prospera non inflent.* — 163 III. *Omnibus necessitatem pœnitendi incumbere.* — IV. *Maxime operibus misericordiæ deleri peccata.*

CAP. I. — Apostolica, dilectissimi, [d] doctrina nos admonet, ut *deponentes veterem hominem cum actibus suis* (*Ephes.* IV, 22; *Coloss.* III, 9), de die in diem sancta conversatione renovemur. Si enim templum Dei sumus, et mentium nostrarum Spiritus sanctus habitator est, dicente Apostolo : *Vos estis templum Dei vivi* (I *Cor.* VI, 16), multa nobis vigilantia laborandum est ut cordis nostri receptaculum tanto hospite non sit indignum. Et sicut in domibus manufactis laudabili diligentia providetur ut si quid aut infusione imbrium, aut turbine procellarum, vel ipsa fuerit antiquitate corruptum, [e] cita in integrum cura restituat; ita jugi oportet sollicitudine præcaveri ne quid in nostris animis incompositum, ne quid inveniatur immundum. Quamvis enim ædificium nostrum [f] sine ope sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio præfuerit conditoris, tamen quia rationabiles lapides sumus et viva materies, sic nos auctoris nostri [g] exstruxit manus, ut cum opifice suo etiam is qui reparatur, operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat : [h] ac si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se A remaneat, sed ad jubentem recurrat : qui ideo dat præceptum, ut excitet desiderium et præstet auxilium, dicente propheta : *Jacta in Deum* [i] *cogitationem tuam, et ipse te enutriet* (*Ps.* LIV, 23). An forte quisquam ita insolenter superbit, [j] et ita se illæsum, ita immaculatum esse præsumit, ut nullius jam renovationis indigeat? Fallitur prorsus ista persuasio, et nimia vanitate veterascit quicumque inter tentationes hujus vitæ ab omni se vulnere credit immunem. Plena omnia periculis, plena sunt laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora [k] laudantium. Inde sævit odium, hinc decipit [l] mendax officium : ut facilius sit vitare discordem, quam declinare fallacem.

B CAP. II. — In ipsis autem virtutibus obtinendis tam 164 dubius modus et tam incerta discretio [m] est, ut si quisquam inter bonorum malorumque confinia, subtilissimi discriminis potuerit servare mensuras, difficile sit ut bene sibi consciam probitatem obtrectantium lingua non mordeat, et iniquorum evadat opprobria, cui est amica justitia. Jam cum ad ipsas rerum temporalium varietates cogitatio humana convertitur, quantæ se opponunt caligines, quanti pravarum opinionum oboriuntur errores, ut de objectu contrariorum sumatur materia querelarum. Nam licet [n] omnium fidelium corda non dubitent nullis hujus mundi partibus, nullisque temporibus providentiam abesse divinam, nec de stellarum potestate, quæ nulla est, sæcularium negotiorum C pendere proventus, sed æquissimo et clementissimo summi Regis arbitrio cuncta disponi : [o] quoniam, sicut scriptum est, *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Ps.* XXIV, 10), tamen cum quædam non secundum desideria nostra procedunt, et sub humani

[a] Post verba, *ab omni malitia contineamus*, leguntur in aliis editionibus viginti fere lineolæ, in quibus hæc verba : *Secunda igitur et quarta et sexta feria jejunemus*, etc., quæ scriptoribus ecclesiasticis amplam disputandi materiem præbere. Ea e sermonis contextu eliminanda censuimus, cum mss. quinque codicum auctoritate, tum aliis plurimis freti argumentis, quæ in dissertatione de Sabbati jejunio fuse expenduntur. QUESN. — Nos in sex mss. posteriorum collectionum 3, 4 et 5, eas lineolas reperimus, non vero in mss. collect. 1 et 2, nec in Lectionariis S. Petri, Venet., Patav., Vallicell., Padiron., etc. Verba autem expuncta hæc sunt : *Cum inimicis autem cruci Christi nulla consensione jungamur, ne impiorum consortio sanctitas fidelium polluatur. Lux seperetur a tenebris, et fugiant filios diaboli filii veritatis. In templum autem Domini, quod est ecclesia Christi, nihil contaminatum inferri, nihil profanum oportet admitti : ut omni immunditia a penetralibus cordis exclusa, sanctificetur jejunium nostrum, et simus æternum habitaculum sancti Spiritus, qui nos a peccatorum sordibus emundatos et possidere semper dignetur et regere. Secunda igitur et quarta et sexta feria jejunemus; sabbato autem apud beatum Petrum apostolum vigilias celebremus, qui commendati sibi gregis curam habere non desinens, custodiam nobis de suis precibus obtinebit. Auxiliante nobis per omnia*, etc.

[b] Cod. Venet. addit *Patre*.

[c] Hic sermo insertus invenitur appendici sermonum S. Augustini, cui in aliquibus mss. perperam ascribitur. Est ibidem serm. 148, al. 36 olim de Tempore 73.

[d] Exemplar Pauli Diac., *sententia*. Dein prima editio, *ut deponamus... et de die in diem..... renovemur*.

[e] Addidimus *cita* ex Homil. Pauli Diac. et app. Augustini.

[f] Ita cum Quesnello et prima editione duo codd. S. Petri, alius Vat., exemplar Pauli Diac. et app. Aug. Al., *sine opere*.

[g] Sic melius ex cod. Veneto et prima editione, quam in aliis edit., *exstruit*. Quesnelli annotationem in verba sequentia, in observationibus ad hunc sermonem dabimus. D

[h] Editi ante Quesn., *at si quid*. Exemplar Pauli Diac., *aut si quid*. Quesnellus cum appendice Aug., *ac si quid*, et ita etiam duo codd. S. Petri.

[i] Al., *cogitatum tuum*.

[j] Particulam *et* restituimus ex prima editione et app. Aug.

[k] Cod. Bon. et prima editio, *blandientium*.

[l] Adjectivum *mendax* in editis inventum Quesnellus in marginem rejecit. Nos ex nostris mss., ex Homil. Pauli Diac., append. Aug. ac etiam ex ipso contextu revocavimus.

[m] Verbum *est* reposuimus ex prima editione, ex duobus mss. Vatt. nec non ex Homil. Pauli Diac. et app. Aug.

[n] Duo codd. S. Petri, *omnia*

[o] Prima editio omittit *quoniam*.

Digitized by Google

judicii errore superior est plerumque iniqui causa quam justi, vicinum nimis atque contiguum est, ut etiam magnos animos ista [a] concutiant et in aliquod illicitæ causationis murmur impellant. Siquidem istis varietatibus etiam excellentissimus propheta David usque ad periculum se turbatum profitetur, et dicit: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns* (*Psal.* LXXII, 2). Unde quia paucorum est tam solida fortitudo, ut nulla inæqualitatum perturbatione quatiantur, et multos fidelium non adversa tantum, sed etiam secunda corrumpant, sanandis vulneribus quibus humana infirmitas sauciatur, diligens est adhibenda curatio. Ideo enim de periculis quibus mundus hic plenus est quædam breviter percurri, ut dicente Scriptura: *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato* (*Prov.* XX, 9)? omnes sibi intelligant delictorum indulgentiam et reparationis necessariam esse medicinam.

CAP. III. — Quando autem opportunius, dilectissimi, ad remedia divina [b] decurrimus, quam cum ipsa nobis sacramenta redemptionis nostræ temporum lege referuntur? Quæ ut dignius celebremus, saluberrime nos quadraginta dierum jejunio præparemus. Non enim ii tantum qui per mortis Christi resurrectionisque **165** mysterium in novam vitam baptismo sunt [c] regenerante venturi, sed etiam omnes populi renatorum, utiliter sibi et necessarie præsidium hujus sanctificationis assumunt: illi, ut quæ nondum habent, accipiant; isti, ut accepta custodiant. Dicente namque Apostolo: *Qui stat videat ne cadat* (I *Cor.* X, 12), nemo est tanta firmitate suffultus, ut de stabilitate sua debeat esse securus. Utamur igitur, dilectissimi, saluberrimi temporis venerabilibus institutis, et sollicitiore cura cordis nostri [d] specula tergamus. Quantumlibet enim caste et sobrie mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis aspergitur, et nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita a fumo totius vanitatis alienus est, ut nulla possit sorde fuscari, et non semper indigeat expoliri. Quod si etiam cautissimis animis necessarium est, quanto illis amplius est expetendum, qui tota [e] fere anni spatia aut securius aut forte negligentius transierunt? Quos charitate debita commonemus, ut non ideo sibimet blandiantur, quia nobis conscientiæ singulorum patere non possunt, cum oculos Dei simul universa cernentis, non abdita locorum, non parietum septa secludant; nec solum ei acta et cogitata, verum et agenda et cogitanda sint cognita. Ista ergo scientia summi judicis, iste est tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum, et apertum omne secretum; cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur. Nemo patientiam bonitatis Dei (*Rom.* II, 4) de peccatorum suorum impunitate contemnat; nec ideo illum æstimet non offensum, quia necdum est expertus iratum. Non sunt longæ vitæ mortalis induciæ, nec diuturna est licentia insipientium [f] voluntatum in æternarum dolorem transitura pœnarum, si dum justitiæ sententia suspenditur, pœnitentiæ medicina non quæritur.

CAP. IV. — Confugiamus igitur ad præsentem ubique **166** misericordiam Dei, et ut sanctum Pascha Domini digna observantia celebretur, [g] cunctorum se fidelium corda sanctificent. Mitescat sævitia, mansuescat iracundia, remittant sibi omnes culpas invicem suas, nec exactor sit vindictæ, qui petitor est veniæ. Dicentes enim: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12); durissimis nos vinculis illigamus, nisi quod profitemur impleamus. Unde si orationis hujus sacratissimum pactum non tota sui conditione servatum est, nunc saltem conscientiam suam unusquisque cognoscat, et alienis ignoscendo delictis, abolitionem suorum obtineat peccatorum. [h] Dicente namque Domino: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester, qui in cœlis est, delicta vestra* (*Matth.* VI, 14; XVIII, 35; *Luc.* VI, 37): non longe est ab unoquoque quod poscit, cum de benignitate supplicis sententia pendeat judicantis: qui humanarum precum misericors et justus auditor, æquitati suæ de nostra lenitate præscripsit, ut non haberet in eos jus severitatis, quos non invenisset cupidos ultionis. Clementes autem et mites animos etiam largitas decet. Nihil est enim dignius quam ut homo sit sui auctoris imitator, et secundum modum propriæ facultatis, divini sit operis exsecutor. Nam cum aluntur esurientes, vestiuntur nudi, foventur infirmi, nonne [i] auxilium Dei

[a] Exemplar Pauli Diac., *concitent*.

[b] Editi ante Quesn., *recurrimus*.

[c] Ita omnes nostri codd. et editiones Leonis ante Quesn., nec non exemplar Pauli Diac. Solum in mss. S. Petri, *regenerandi venturi*, ubi librariorum errore scriptum apparet, *regenerandi*, pro *regenerante*. Hinc autem forte manavit ut alii amanuenses transcripserint solam vocem, *regenerandi*, omissa alia voce *venturi*, quod append. Aug. et Quesnellus suscepere.

[d] Vulgati male, *piacula*. In melioribus codd. et in app. Aug., ut in prima editione, et apud Quesnellum, *specula*; et optime quidem: nam S. pontifex loquitur de conscientia justorum gravibus peccatis experte, quæ tamquam speculum sedulo tergenda est etiam a pulvere culparum leviorum, ne in graviora decidant.

[e] Quesnellus cum exemplo Pauli Diac., App. Aug. et cod. Veneto, nec non mss. collect. 4 et 5, pro *fere* habet particulam *forte*, eamque delet ante adverbium *negligentius*. Prima editio collect. 3 utrobique habet *forte*. Commodior est cæterarum editionum lectio textui inserta, cui concinunt mss. S. Petri. App. Aug., *transegerunt* pro *transierunt*.

[f] Sic ex duobus mss. S. Petri et homil. Pauli Diac. emendavimus. Al., *voluptatum*. Codex Vat. collect. 4, *licentia insipientium, aut dulcedo voluptatum*.

[g] Ita restituimus ex omnibus nostris codd. et editis ante Quesnellum, qui prætulit lectionem appendici Aug. communem, *cunctorum fidelium corda sanctificentur*.

[h] Mss. S. Petri, *dicente discipulis Domino*. Post pauca, pro *æquitati suæ*, quidam codd. habent *æquitatis suæ regulam*.

[i] Lectionar. Venet. S. Marci, *auxilio Dei munus* (forte *manus*) *expletur ministri*.

Digitized by Google

manus explet ministri, et benignitas servi munus est Domini? Qui cum ad effectus misericordiæ suæ adjutore non egeat, ita suam omnipotentiam temperavit, [a] ut laboribus hominum per homines subveniret. Et merito Deo gratiæ referuntur de pietatis officiis, cujus opera videntur in famulis. Propter quod ipse Dominus discipulis ait : *Sic luceat* [b] *lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et magnificent Patrem vestrum, qui est in cœlis* (*Matth.* v, 16); qui cum eodem Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

167 SERMO XLIV [*Al.* XLIII].

[c] *De Quadragesima VI.*

SYNOPSIS. — I. *Quadragesimæ maxime tempore purgandæ esse vetustatis vitia, a quibus nemo immunis.* — II. *Jejuniis conjungi debere animi integritatem, pacis unitatem, et eleemosynæ largitatem, a qua nemo excluditur.* — III. *Humilitatis et lenitatis spiritu superbiæ et vindictæ studium pellendum.*

CAP. I. — Semper quidem, dilectissimi, *misericordia Domini plena est terra* (*Ps.* CXXXII, 5); et unicuique fidelium ad colendum Deum ipsa rerum natura doctrina est, dum cœlum et terra, mare et omnia quæ in eis sunt, bonitatem et omnipotentiam sui protestantur auctoris, et famulantium [d] elementorum mirabilis pulchritudo justam ab intellectuali creatura gratiarum exigit actionem. Sed cum ad istos recurritur dies, quos specialius reparationis humanæ sacramenta signarunt, et qui vicino ordine atque contiguo festum paschale præcedunt, diligentius nobis præparatio religiosæ purificationis indicitur. Quamvis enim in quolibet tempore innocens vita sit multorum, et plurimos [e] Deo bonorum actuum consuetudo commendet, non adeo tamen de conscientiæ integritate fidendum est, [f] ut humanam fragilitatem inter scandala tentationesque degentem nihil potuisse arbitremur, quod læderet eam, incidere; cum propheta excellentissimus dicat : *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse* [g] *a peccato* (*Prov.* XX, 9)? Et iterum : *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo* (*Ps.* XVIII, 13). Si autem, quod experimentis probatur, talis conditio est eorum qui concupiscentiis renituntur, qui iracundiæ motibus reluctantur, et ipsarum quoque cogitationum arcana castigant, ut **168** [h] et numquam possint in cordibus suis non invenire quod reprobent, et sæpe aut fallantur occultis, aut graventur alienis; [i] considerandum est hoc in tempore attentius, quæ vitia, quæ ægritudines, quantaque sint vulnera, quibus austerior sit adhibenda medicina : ut illius sacramenti, per quod solvuntur opera diaboli, non inveniantur alieni. Paschalis quippe festivitatis hoc proprium est, ut tota Ecclesia remissione gaudeat peccatorum, quæ non in eis tantum fiat qui sacro baptismate renascuntur, sed etiam in eis qui dudum in adoptivorum sorte numerantur. Quamvis enim principaliter novos homines faciat regenerationis ablutio, quia tamen [j] superest omnibus contra rubiginem mortalitatis quotidiana renovatio, et inter profectuum gradus nullus est qui non semper [k] melior esse debeat, generaliter annitendum est ut in die redemptionis nemo inveniatur in vitiis vetustatis.

CAP. II. — Quod ergo, dilectissimi, in omni tempore unumquemque convenit facere Christianum, id nunc sollicitius est [l] et devotius exsequendum, ut apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur, non ciborum tantummodo parcitate, sed privatione maxime vitiorum. Nam cum [m] ob hoc castigatio ista sumatur, ut carnalium desideriorum fomites subtrahantur, nullum magis sectandum est continentiæ genus, quam ut semper simus ab injusta voluntate sobrii, et ab inhonesta actione jejuni. Quæ devotio non omittit ægros, non secernit invalidos : quia etiam in languido atque inutili corpore potest animi integritas reperiri, si ubi fuit sedes pravitatis, ibi confi-

[a] Quædam editiones, *ut et laboribus ..... et merito Deo gratiæ referrentur ... cujus opera viderentur.* Similiter Quesnellus, qui solum omisit particulam *et* ante *laboribus*. Idem etiam in Homil. Pauli Diac. et app. Aug., ubi solum habetur *videntur* loco *viderentur*. Lectionarii Veneti lectionem et interpunctionem prætulimus.

[b] Prima editio et codd. collectionum 4 et 5, *lux vestra*; et dein, *glorificent* pro *magnificent* in uno S. Petri et alio Vat. Omnes editi, *ut videntes opera vestra bona magnificent*. Magis placuit lectio cod. Veneti S. Marci, quippe quæ cohæret cum simili lectione sermonis 26, cap. 4, et sermonis 45, c. 3.

[c] In prima editione et in mss. collect. 3 hic titulus habetur : *De passione et resurrectione Domini sermo I*, et similiter in duobus sequentibus, qui inscribuntur *sermo II* et *III*. Sed in mss. S. Petri continuatur titulus : *De jejunio Quadragesimæ*; in aliis vero : *De Quadragesima*.

[d] Ms. Vat., *astrorum atque elementorum*; in alio Vat., *astrorum atque*, supplentur in margine.

[e] *Deo* ex editis ante Quesn. et nostris mss. revocavimus.

[f] Editiones post primam et ante Quesnellianam cum mss. collect. 5, *ut humana fragilitate inter scandala tentationesque degente*. Prima editio omittit item.

[g] Ms. Patav. S. Anton., *a peccatis*.

[h] Particula *et* in aliquot mss. probæ notæ desideratur.

[i] Editi ante Quesnellum et fere omnes codices nostri omittunt verba, *considerandum est hoc in tempore attentius*, et post voces, *aut graventur alienis*, sic prosequuntur : *Quæ in aliis vitia*, etc., ita ut S. Leo hoc loco arguere videatur a minori ad majus, seu ab iis qui concupiscentiis renituntur, ad *alios*, qui non perinde dimicant. At in hanc sententiam legendum esset, *quantaque erunt*, ut interrogandi vis eliciatur. Cum vero omnes editiones et mss. habeant, *sint*, retinenda fuit Quesnelli lectio, etsi illam in uno ms. Casinensi collect. 1, cæteroquin optimæ notæ reperire potuimus.

[j] Erat in editis, *semper necessaria est omnibus*. In Vat. collect. 4, *semper est ab omnibus*, mendose. Correximus ex duobus mss. S. Petri et Patav., quibus concinunt codd. collect. 2. et 5. Mox *profectuum* loco *provectuum* ex omnibus nostris codicibus et editis ante Quesn. Sola editio Parisiensis an. 1671, *inter perfectum et imperfectum gradus*.

[k] Duo codd. S. Petri, *melior esse se debeat*. Dein, *in die regenerationis et redemptionis* in duobus mss. Vat. collect. 4. Quesnelli annotationem in hunc locum inter observationes invenies.

[l] Cod. Vat. collect. 4 addit, *et diligentius*.

[m] Ita cum Quesnello duo mss. S. Petri. Al., *ad hoc*.

Digitized by Google

mentur fundamenta virtutis. Et ideo infirmæ carnis ista sufficit ægritudo, quæ sæpe mensuram voluntariæ afflictionis excedit, tantum ut mens officii sui impleat partes, et quæ corporea epulatione non utitur, nulla iniquitate pascatur. Rationabilibus autem sanctisque jejuniis nulla utilius quam eleemosynarum opera copulantur, quæ uno misericordiæ nomine **169** multas laudabiles pietatis continent actiones, ut omnium fidelium pares animi esse possint etiam inter impares facultates. Dilectio enim quæ simul Deo hominique debetur, nullis umquam [a] ita impeditur obstaculis, ut non ei semper bene velle sit liberum. Dicentibus quippe angelis : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14), non solum virtute benevolentiæ, sed etiam pacis bono beatus efficitur, quicumque aliis quacumque miseria laborantibus charitate [b] compatitur. Latissima enim sunt opera pietatis, quæ ipsa sui varietate id veris conferunt Christianis, ut in distributione eleemosynarum non solum divites et abundantes, sed etiam mediocres et pauperes, suas habeant portiones; et qui largitatis sunt viribus inæquales, mentis tamen affectione sint similes. Nam cum sub oculis Domini multi in gazophylacio ex opulentia sua multa conferrent, vidua quædam duos intulit nummos (*Luc.* XXI, 2; *Marc.* XXII, 42), et tali Jesu Christi testimonio meruit coronari, ut in tam parvo muneris modo omnium fuerit collationi [c] digna præferri : quia inter magna eorum dona, quibus multa residebant, illius quod fuit exiguum, fuit totum. Si vero aliquis tantæ paupertatis coarctatur angustiis, ut nec ad duo æra inopi impartienda sufficiat, habet in præceptis Domini unde impleat bonæ voluntatis officium. Siquidem qui sitienti pauperi calicem aquæ frigidæ ministrarit, mercedem est sui operis adepturus (*Matth.* X, 42) : tanta servis suis Domino ad obtinendum regnum suum præparante compendia, ut etiam præbitio aquæ, cujus usus gratuitus atque communis est, præmio non careret. Quod ne ulla intercluderet difficultas, de aqua frigida forma est proposita pietatis : ne putaret se mercede carituram, cui de calefactione potus lignorum impendium defuisset. De quo tamen calice non frustra admonet Dominus ut in nomine ipsius præbeatur : quia hæc, quæ per se sunt vilia, fides efficit pretiosa, et quæ ab infidelibus ministrantur, etsi fuerint sumptu magna, omni tamen justificatione sunt vacua.

CAP. III. — Celebraturi igitur Pascha Domini, dilectissimi, ita vos sanctis exercete jejuniis, ut ab omnibus perturbationibus liberi ad festa sacratissima veniatis. Superbiæ spiritus, de quo sunt omnia orta peccata, humilitatis amore pellatur; et qui elatione tumuerant, mansuetudine mitigentur. Quorum vero animos aliqua exasperavit offensio, [d] reconciliati A sibimet in unitatem studeant redire concordiæ. *Nemini malum pro malo reddentes, et donantes invicem vobis, sicut Christus donavit nobis* (*Rom.* XII, 17), humanas inimicitias pace delete; et si qui de subditis **170** vestris aut claustra custodiæ, aut vincula [e] meruerunt, misericorditer relaxentur : ut qui quotidianæ indulgentiæ remediis indigemus, non difficulter peccatis ignoscamus alienis. Dicentes enim ad Dominum Patrem nostrum : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12), certissimum est quod cum aliorum delictis veniam tribuimus, nobis divinam clementiam præparamus. [f] Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLV [*Al.* XLIV].

De Quadragesima VII.

SYNOPSIS. — I. *Omnes, sive justos, sive peccatores, sive catechumenos, parare Domino viam debere per Quadragesimam.* — II. *Misericordiæ et veritati ad imitationem Dei, fidei et charitati instandum Quadragesimæ tempore.* — III. *Christo impendi, quod pro Christo præbetur.* — IV. *Omnium virtutum exercitio incumbendum hoc tempore.*

B

CAP. I. — Virtus, dilectissimi, et sapientia fidei Christianæ, amor Dei est, et amor proximi; neque ullo caret pietatis officio, cui studium est colere Dominum, et juvare conservum. Harum autem affectionum duplex unitas omni quidem est tempore exercenda, et proficienter augenda, sed nunc incrementis amplioribus dilatanda, ut quadraginta dierum jeju- C nium, quod festi paschalis est prævium, [g] interiorem cordis auditum illius vocis instar moveat, qua verbis Isaiæ prophetæ Joannes Baptista dicebat : *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (*Isai.* XL, 3; *Matth.* III, 3). Sive enim illam partem populi cogitemus quæ dudum certamina evangelici agonis ingressa, per spiritalis stadii cursum indesinenter tendit ad palmam; sive illam quæ lethalium conscia peccatorum, per reconciliationis auxilium festinat ad veniam; sive illam quæ sancti Spiritus regeneranda baptismate, vetustate Adam exui, et Christi cupit novitate vestiri, apte et utiliter omnibus dicitur : *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Quæ autem viæ Domini, quæve sint semitæ, ejusdem prædicatoris cohortatione discamus, qui divinæ gratiæ D opera et dona promittens, futurarum commutationum reserabat effectus, addens sententiam prophetici sermonis, **171** et dicens : *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur; et erunt prava in directa, et aspera in vias planas* (*Isa.* XL, 4). Vallis itaque mansuetudinem humilium, mons et collis elationem indicat superborum. Sed quia, sicut Veritas dicit, *qui se humiliat, exaltabitur, et qui*

[a] Particulam *ita* addidimus ex duobus mss. S. Petri et Vat. collect. 4 et 5, eaque ipso contextu exigitur.

[b] In mss. collect. 4, *copulatur et compatitur.*

[c] Sic ex mss. S. Petri. Al., *condigna.*

[d] Ita cum Quesn. duo codd. S. Petri. Al., *reconciliatione.*

[e] Prima editio, *meruerint.*

[f] Ita duo Lectionaria S. Petri aliique codices. Editi, *Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

[g] Mss. S. Petri, *interiore cordis auditu.*

Digitized by Google

se exaltat, humiliabitur (*Luc.* XIV, 11 ; *et* XVIII, 14); A *merito* [a] et vallibus adimpletio, et montibus est annuntiatia depressio : ut et plana nihil offensionis, et directa nihil habeant pravitatis. Quamvis enim *angusta et ardua sit via, quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 14), non tamen in ea difficulter incedit, quem veritas confirmat et pietas ; nec caret delectatione gradiendi, cujus iter efficit virtutum petra solidum, non vitiorum arena succiduum.

CAP. II. — Verum ut plenius noverimus per cujusmodi vias nobis sit ad Dei promissa tendendum, audiamus David prophetam quid doceat : *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas* (*Ps.* XXIV, 10). Forma igitur conversationis fidelium ab exemplo venit operum divinorum ; et merito Deus imitationem sui ab eis exigit quos ad imaginem et similitudinem suam fecit. Cujus utique gloriæ dignitate non aliter potiemur quam si in nobis et misericordia inveniatur et veritas. Per quæ enim ad salvandos Salvator advenit, [b] per hæc ad salvantem debent properare salvati : ut nos et misericordia Dei misericordes, et veritas faciat esse veraces. Sicut itaque per viam veritatis mens justa, ita per viam misericordiæ ambulat mens benigna. Nec tamen umquam itinera ista [c] divisa sunt, quasi horum bonorum singula diversis tramitibus expetantur, et aliud sit misericordia crescere, [d] aliud veritate proficere. Non est misericors, veritatis alienus ; nec justitiæ capax est, [e] pietatis extraneus. Neutra virtute utitur, qui non utraque ditatur. Charitas robur fidei, fides fortitudo est charitatis. Et tunc verum nomen ac C veras est fructus ambarum, cum insolubilis manet utriusque connexio. Ubi enim non simul fuerint, simul desunt, quia invicem sibi et juvamen et lumen sunt, donec desiderium credulitatis impleat remuneratio visionis, et incommutabiliter videatur et ametur, quod nunc et sine fide **172** non diligitur, et [f] sine dilectione non creditur. Quia ergo, sicut Apostolus ait, *in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* V, 6), simul atque conjunctim et charitati studeamus et fidei. Hic est enim quidam efficacissimus geminarum alarum volatus, quo ad promerendum et videndum Deum puritas mentis attollitur, ne onere curarum carnalium deprimatur. Nam qui ait : *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* IX, 6); idem dicit : *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (*I Cor.* XIII, 2). Unde [g] ut sacramentorum paschalium divina mysteria digno suscipiantur officio, duo hæc, in quibus omnium præceptorum doctrina concurrit, studiosius appetantur, quibus singuli quique fidelium et sacrificium Deo efficiantur et templum. Instet fides sperare quod credit; instet charitas propitiare quod diligit : utrumque amantis est, utrumque credentis. Et cui intelligentiæ [h] concessione subjicimur, eidem pietatis imitatione jungamur. Vox Dei est : *Sancti estote, quia* B *ego sanctus sum* (*Lev.* XIX, 2 *et* XX, 7) ; et vox Domini est : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est* (*Luc.* VI, 36).

CAP. III. — Ac ne dubitemus Deo tribui quod impenditur indigenti, dispensatores eleemosynarum quæ commercia ineant audiamus, Domino dicente quæ futura sit judicii sui forma, cum dicet ad dexteram [i] collocatis : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi bibere. Peregrinus eram, et collegistis me. Nudus eram, et cooperuistis me. Infirmus, et visitastis me. In carcere eram, et venistis ad me* (*Matth.* XXV, 34-36). Quærentibus autem justis quando [j] aut qualiter potuerint ista dependere, respondens Rex dicet illis : *Amen, amen dico vobis, quamdiu fecistis* [k] *hæc uni ex minimis fratribus meis, mihi fecistis* (*Ibid.*, 40). Quid hoc opere fructuosius? quid hac humanitate [l] felicius? quæ utique laude sua fraudanda non esset, si propter ipsam naturæ communionem juvando homini ab homine [m] præstaretur. Sed quia quod non ex fidei **173** procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit; alia est conditio operum cœlestium, alia terrenorum. Mundana benevolentia in iis quos adjuvat, habet finem; Christiana pietas in suum transit auctorem; dum in ipsum [n] dicimur benigni, quem in nobis confitemur operari, dicente Domino: *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera ve-*

[a] Ita ex nostris codd. atque editis ante Quesnellum, D apud quem, *et vallis adimpletio et montis.*

[b] Quesnellus cum Renaudo addidit *et*. Delevimus ex ceteris editis nostrisque codd. Mox pro *salvati* prima editio habet *salvandi*.

[c] Sic cum Quesn. duo codd. S. Petri et quatuor Vat. Al., *diversa sunt*.

[d] Editi hic repetunt *et*. Delevimus auctoritate duorum codd. Vat.

[e] Sic quinque nostri mss. cum Quesnello. Al., *veritatis*. Mox, *nec utraque virtute* perperam habebant editiones Quesnello anteriores cum pleris que codd. Is, forte sensu exigente, emendavit *nec alterutra*, quod tamen in nullo ms. reperimus. Veram lectionem *neutra* obtulit Lectionarius liber ms. Patavinus S. Just næ.

[f] Hujus propositionis, *sine dilectione non creditur*, sensum ex ipsius Leonis mente propositum ex nostris observationibus colliges, ubi etiam annotationem hic a Quesnello subjectam describemus atque expendemus.

[g] Particulam *ut*, quæ deerat in editis ante Quesnellum, ab hoc autem præfixa fuit voci *ligno*, hoc loco inseruimus ex duobus mss. S. Petri.

[h] Quesnellus, *consensione*, repugnantibus non solum anterioribus editis, sed etiam omnibus nostris codd. *Intelligentiæ* non *consensio*, quæ voluntati competit, sed *concessio* in cessionis significationem recte tribuitur, uti apud Apostolum : *Captivantes intellectum in obsequium fidei.*

[i] Editi, *collocandis*. Melius ex mss. S. Petri et alio Vat. collect. 5. *collocatis*.

[j] *Aut* pro *et* magis placuit ex tribus nostris codicibus.

[k] Addidimus *hæc* ex mss. S. Petri.

[l] Quidam editi ante Quesn., *facilius*.

[m] Ita ex duobus mss. S. Petri. Al., *præberetur*.

[n] Al., *dicamur;* et dein pro *confitemur*, al., *fatemur*.

Digitized by Google

stra bona, et magnificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* v, 16).

CAP. IV. — Gaude igitur, mens fidelium, et gloriam tuam in ejus gloria qui in te operatur agnoscens, de ipsa paschali [a] festivitate fervesce. Debiti enim tui est, ut ei qui pro omnibus passus est parata sis compati : quoniam pia vita sanctorum numquam aliena est crucis Christi, dum continentiæ clavis desideria carnis configit, et corporeas cupiditates virtute Spiritus in se habitantis interficit. Difficile est quemquam in se non habere quod perimat. Exstinguenda est iracundia, mortificanda est superbia, destruenda luxuria, radix quoque avaritiæ altius persequenda est: ut omnium malorum germen excidi valeat, si eorum potuerit fomes evelli. Cum autem hac diligentia indesinenter sit animus excolendus, et utendum ita sit corpore, ut rectori suo necessarium præbeat natura inferior famulatum, nunc maxime frenis continentiæ caro moderanda est, et quidquid sublimibus desideriis obviat, amputandum. Dum enim congruis purificationibus ad celebrandum Pascha Domini utraque substantia præparatur, profutura omni tempore consuetudo nutritur. Severa in subditos [b] imperia detumescant, cesset vindicta peccati, et [c] rei criminum ad hos dies pervenisse se gaudeant, in quibus [d] sub sanctis plisque principibus etiam publicarum austeritas remittitur ultionum. Aboleantur odia, deficiant simultates, pacis et benevolentiæ multiplicetur [e] affectus, et qui potuit malitia pollui, studeat benignitate purgari. Quoniam judicium Dei, sicut immitibus vehemens, ita erit misericordibus clemens; et detrusis in ignem gehennæ propter inhumanitatem sinistris, dextros eleemosynarum pietate laudatos (*Matth.* xxv, 34, 42), æterna cœlestis regni beatitudo suscipiet. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

174 SERMO XLVI [*Al.* XLV].

De Quadragesima VIII.

SYNOPSIS. — I. *Non solum vitia, sed et errores esse repellendos; geminamque agnoscendam in Christo naturam.* — II. *In omnibus actionibus Christi varia elucere utriusque naturæ testimonia.* — III. *Quæ de Christo incarnato sint credenda.* — IV. *Non solum eleemosynis, sed et offensarum remissione jejunium et orationem fructuosa reddi.*

CAP. I. — Devotionis quidem vestræ, dilectissimi, novimus hunc esse fervorem, ut [f] in jejuniis, quæ Domini Pascha præcurrunt, multi nostros præveniatis hortatus. Sed quia utilitas [g] continentiæ non solum carnis castigationi, verum etiam mentis necessaria est puritati, observantiam vestram sic cupimus esse perfectam, ut [h] sicut a desideriis carnis recidatis voluptates, ita ab animi sensibus excludatis errores. Nam paschali festo, [i] in quo omnia religionis nostræ sacramenta concurrunt, is vera et rationabili purificatione se præparat, cujus cor nulla infidelitate polluitur. Dicente enim Apostolo : *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* xiv, 23), inutilia erunt et vana eorum jejunia quos illusionibus suis mendacii pater [j] decipit (*Joan.* viii, 44), et vera Christi caro non pascit. Sicut ergo divinis mandatis sanæque doctrinæ toto corde famulandum est, ita omni prudentia ab impiis est sensibus abstinendum. Tunc enim [k] mens sanctum agit atque spiritale jejunium, cum erroris cibos atque venena abjicit falsitatis; quæ dolosus ac versutus inimicus nunc insidiosius ingerit, quando ipso venerandæ festivitatis recursu omnis Ecclesia ad intelligenda salutis suæ mysteria generaliter [l] commonetur. Is enim resurrectionis Christi verus confessor et cultor est, qui et de passione ejus non confunditur, et de corporea nativitate non fallitur. Nam quidam erubescentes Evangelium crucis Christi, ut audentius evacuarent susceptum pro mundi redemptione supplicium, ipsam veræ carnis in Domino negavere naturam, non intelligentes impassibilem Dei Verbi atque incommutabilem **175** Deitatem, [m] ita inclinatam ad humanam salutem, ut et potenter propria non amitteret, et misericorditer nostra susciperet. Duplicis itaque in Christo formæ una persona est, et Filius Dei, idemque filius hominis, unus est Dominus, conditionem servilem consilio pietatis recipiens, [n] non lege necessitatis incurrens : quia potestate factus est humilis, potestate passibilis, potestate mortalis; ut ad destruendum peccati mortisque dominatum, et pœnæ capax esset substantia infirmitatis, et nihil gloriæ suæ perderet natura virtutis.

[a] Al., *solemnitate*. Post pauca erat in editis *paratus sis*. Prætullimus *parata sis*, non solum ex aliquot mss., verum etiam quia referri videtur ad femininum nomen *mens*.

[b] Codd. collect. 4, *imperia non sint*.

[c] Confer observationes nostras, ubi annotatio Quesnelli describetur.

[d] Particulam *sub* pro *a* ex mss. S. Petri reposuimus.

[e] Tres nostri codd. et prima editio, *effectus*.

[f] Particulam *in* addidimus ex duobus mss. S. Petri.

[g] Sic cum Quesnello ex iisdem S. Petri codd. et duobus Vat. Al., *abstinentiæ*.

[h] Editi ante Quesn., *sicut desiderii*, vel *desideriis carnis rescindatis voluptates*. Textus lectio est in codd. S. Petri et in Vat. collect. 5.

[i] Ita duo mss. S. Petri. Editi et aliqui codd., *in quod*; apud Quesn., *quo*.

[j] Unus ms. S. Petri et Vat. collect. 4, *decepit*.

[k] Vocem *mens*, quæ in Quesnello deest, ex cæteris editis nostrisque codd. revocavimus.

[l] Sic Quesn. cum editione Antuerp. an. 1585, et plerique nostri codd. Al., *commovetur*.

[m] Prima editio, *ita inclinatam ad humanam naturam et ad ejus salutem*. Aliæ editiones ante Quesn., *ita se inclinantem ad humanam naturam et ad ejus salutem*. Quesnellus, *ita inclinatam ad humanam naturam*, omissis *et ad ejus salutem*; cum tamen *salutis* mentio potissimum exigatur ab antecedentibus, *susceptum pro mundi redemptione supplicium*, ad quæ hic locus refertur. Secuti sumus exemplaria S. Petri et duo Vat.

[n] Ita Quesn. cum uno ms. S. Petri. Al., *nec legem*.

Digitized by Google

Cap. II. — Cum itaque, dilectissimi, legentes vel audientes Evangelium, quædam in Domino nostro Jesu Christo cognoscitis subjecta injuriis, quædam illustrata miraculis, ita ut in eodem nunc humana appareant, nunc divina resplendeant; nolite quidquam horum ascribere falsitati, tamquam in Christo aut sola sit humanitas, aut sola Divinitas; sed utrumque fideliter credite, utrumque humiliter adorate: ut in unitate Verbi et carnis non sit ulla divisio, nec quia manifesta fuerunt in Jesu signa divina, falsa videantur documenta corporea. Vera et copiosa sunt [a] in ipso utriusque testimonia naturæ, ad hoc ex divini consilii altitudine concurrentia, ut Verbo inviolabili non separato a carne passibili particeps per omnia intelligatur et Deitas carnis, et caro Deitatis. Mens igitur Christiana, fugax mendacii, discipula veritatis, evangelica utere fideliter historia, et [b] quæ visibiliter sunt gesta per Dominum, tamquam ipsa cum apostolis aggregata, nunc spiritali intellectu, nunc corporeo discerne conspectu. Da homini quod de muliere puer nascitur; [c] da Deo quod nec conceptu laeditur virginitas materna, nec partu. Formam servi obvolutam pannis, jacentem in præsepio cognosce; sed annuntiatam ab angelis, declaratam ab elementis, adoratam a magis formam Domini confitere. Illum autem intellige, quod non declinavit nuptiale convivium; divinum approba, quod aquam convertit in vinum (*Joan.* II, 9). Nostra tibi innotescat affectio, cum mortuo amico fletus impenditur; divina potentia sentiatur, cum idem post quatriduanam jam fœtidus sepulturam, solo vocis imperio vivificatus erigitur (*Joan.* XI, 39). Lutum de sputo et terra fieri, corporei fuit operis (*Joan.* IX, 6); sed illinc superlitos cæci oculos illuminari, non dubium est illius fuisse virtutis, quæ quod principiis naturæ non dederat, 176 ad manifestationem suæ gloriæ reservarat. Veri est hominis fatigationem corpoream somni quiete relevare (*Marc.* IV, 38); sed veri Dei est, vim sævientium procellarum præcepti increpatione compescere. Cibos esurientibus apponere (*Joan.* VI, 38), humanæ benignitatis [d] est, et socialis est animi; sed quinque panibus et duobus piscibus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis, satiare, quis negare audeat opus esse Deitatis? quæ cooperantibus secum veræ carnis officiis, et se hominis, et hominem sibi inesse monstrabat: quia non aliter in humana natura sanari poterant originalis vulnera vetustatis, nisi de utero Virginis carnem sibi assumente Dei Verbo, in una eademque persona simul et caro nasceretur et Verbum.

Cap. III. — Hanc, dilectissimi, incarnationis Dominicæ fidem, per quam tota Ecclesia corpus est Christi, inconcusso corde servantes ab omnibus hæreticorum jejunate mendaciis, et ita vobis misericordiæ opera credite profutura, ita fructuose habendam continentiæ puritatem, si mentes vestræ nulla pravarum opinionum contaminatione sorduerint. Abjicite exosa Domino [e] sapientiæ mundanæ argumenta, per quam nemo ad cognitionem veritatis potuit pervenire, et hoc fixum habete in animo, quod dicitis in Symbolo. Credite consempiternum Patri Filium Dei, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil (*Joan.* I, 3), secundum carnem quoque in fine temporum generatum. Credite hunc corporaliter crucifixum, mortuum, suscitatum et super altitudines cœlestium dominationum elevatum, in Patris dextera constitutum, ad judicandum vivos et mortuos in eadem carne, qua ascendit, venturum. Hoc enim universis fidelibus Apostolus prædicat, dicens: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 1–4).

Cap. IV. — Habentes ergo, dilectissimi, tantæ promissionis fiduciam, estote non solum spe, sed etiam conversatione cœlestes. Et quamvis omni tempore studendum sit sanctificationi et mentis et corporis, nunc tamen in istis quadraginta dierum jejuniis, sollicitioribus vos pietatis operibus expolite, non solum in distribuendis eleemosynis, quæ 177 magnum habent [f] emendationis effectum, sed etiam in remittendis offensionibus et peccatorum reatibus relaxandis: ut conditio quam inter se et hominem Deus posuit, non resistat orantibus. Dicentes enim, secundum doctrinam Domini: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12), debemus toto corde implere quod dicimus. Tunc enim fiet omnino quod in consequentibus postulamus, ut et in tentationem non inducamur, et a malis omnibus liberemur: per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLVII [*Al.* XLVI].

[g] *De Quadragesima IX.*

Synopsis. — I. *Majorum, id est, quadragesimalium jejuniorum tempore per crucis tolerantiam ad paschale festum Christianos præparari.* — II. *Non solam probitatem servandam, sed et fidem; maxime vero Divinitatis et humanitatis in Christo.* — III. *Misericordia et offensarum maxime remissione Deum placari.*

Cap. I. — In omnibus, dilectissimi, solemnitati-

[a] Editi ante Quesn. et non pauci mss., *in Christo.*

[b] Ita cum Quesnello quidam nostri codd. Anteriores editiones, *quæ fideliter et visibiliter.* Editio Antuerpiensis an. 1583, *quæ fideliter et universaliter*, et in margine, *visibiliter.*

[c] In duob. mss. S. Petri, *da Verbo.*

[d] Verbum *est* uti superfluum omittitur in quibusdam mss. Dein *operantibus* pro *cooperantibus* est in prima editione.

[e] In editis ante Quesn. et aliquot mss., *mundanæ argumenta scientiæ.*

[f] Aliqui codd. posteriorum collectionum, *emendationis.*

[g] In prima editione et mss. collect. 3 hæc inscriptio præfigitur: *De Festo Paschali, Sermo I*, et similiter duo sequentes sermones dicti *Sermo II* et *III*.

Digitized by Google

bus Christianis non ignoramus paschale sacramentum esse præcipuum, cui condigne et congrue suscipiendo totius quidem nos temporis instituta [a] præformant; sed devotionem nostram præsentes vel maxime dies exigunt, quos illi sublimissimo divinæ misericordiæ sacramento scimus esse contiguos. In quibus merito a sanctis apostolis per doctrinam Spiritus sancti majora sunt ordinata jejunia, ut per commune consortium crucis Christi etiam nos aliquid in eo quod propter nos gessit ageremus, sicut Apostolus ait : *Si compatimur, et conglorificabimur* (*Rom.* VIII, 17; II *Tim.* II, 12). CERTA atque secura est exspectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis. [b] Nemo non est, dilectissimi, cui per conditionem temporis **178** societas hujus gloriæ denegetur, tamquam tranquillitas pacis vacua sit occasione virtutis. Apostolus enim prædicat, dicens : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur* (II *Tim.* III, 12); et ideo NUMQUAM deest tribulatio persecutionis, si numquam desit observantia pietatis, [c] Dominus ipse in exhortationibus suis dicit : *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* (*Matth.* X, 38); nec dubitare debemus hanc vocem non solum ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles, totamque Ecclesiam pertinere, quæ salutare suum in his qui aderant universaliter audiebat. Sicut ergo totius est [d] temporis pie vivere, ita totius est temporis crucem ferre : quæ [e] merito unicuique sua dicitur, quia propriis modis atque mensuris ab unoquoque toleratur. Unum nomen est persecutionis, sed non una est causa certaminis, et plus plerumque periculi est in insidiatore occulto quam in hoste manifesto. Beatus Job alternantibus bonis ac malis mundi hujus eruditus pie veraciterque dicebat : *Nonne tentatio est vita hominis super terram* (*Job.* VII, 1)? quoniam non solis doloribus corporis atque suppliciis anima fidelis impetitur, verum etiam salva incolumitate membrorum, gravi morbo urgetur, si carnis voluptate mollitur. Sed cum caro concupiscit adversus spiritum, [f] spiritus autem adversus carnem, præsidio crucis Christi mens rationalis instruitur : nec cupiditatibus noxiis illecta consentit, quoniam continentiæ clavis et Dei timore transfigitur. In bono ergo proposito constitutis inimicitiæ [g] dissimilium diabolo instigante non desunt, et facile in odia prorumpunt, quorum improbi mores detestabiliores fiunt comparatione rectorum. Iniquitas cum justitia non habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia; non amat superbia mansuetudinem, petulantia verecundiam, avaritia largitatem : et tam pertinaces habet diversitas ista conflictus, ut etiamsi exterius conquiescat, ipsa tamen piorum cordium penetralia inquietare non desinat; ut verum sit quod *qui voluerint in Christo pie vivere, persecutionem patientur* (II *Tim.* III, 12); et verum sit quod omnis hæc vita tentatio est (*Job.* VII, 1). **179** Ipsis experimentis suis unusquisque fidelis edoctus, Christi cruce armetur, ut Christo [h] dignus habeatur.

CAP. II. — Per istum vero agonem, dilectissimi, ad præmia æterna tendentibus, in eo maxime diaboli insidiatur astutia, ut quorum pervertere non potest probitatem, subruat fidem. In aliam enim transfertur viam, quisquis a confessione veritatis abducitur, totusque ejus cursus abscessio est, et tanto erit morti vicinior, quanto fuerit a catholica [i] luce longinquior. Quod etiam in diebus nostris per suam patiuntur incuriam, qui de spiritu olim destructi erroris olimque damnati veterem insaniam conceperunt, [j] qui geminam in Christo audent negare naturam, aut non suscepta carnis scilicet veritate, aut in carnem Deitate conversa; ut aut secundum Manichæum nulla ejus sit resurrectio, cujus nulla est passio, aut secundum Apollinarem ipsa Deitas Verbi mutabilis ipsa sit facta passibilis. Hoc autem sentire, hoc auribus Christianæ plebis ingerere, quid aliud est, quam ipsa religionis [k] nostræ fundamenta convellere, et quod verus Filius Dei, verus sit filius hominis, denegare? In quo solo est humani generis restitutio testificata per legem, promissa per Prophetas, et omnibus veteris Testamenti [l] significationibus nuntiata : ut magnum illud et sæculis omnibus profuturum divinæ misericordiæ sacramentum, quod

[a] Ita cum Quesnello septem nostri codices. Al., *reformant.*

[b] Sic ex duobus mss. S. Petri. Editi ante Quesnellum cum quibusdam mss., *Nemo est*; iste autem, *Nemo enim est*, uti in uno cod. Veneto et duobus Patav. S. Antonii, et S. Justinæ, ubi *enim* minus videtur congruere, et forte *non* in *enim* mutatum fuit. Locutione autem apud Latinos probæ notæ non infrequenti, *nemo* cum negativis particulis jungitur, quæ nihil officiunt, sed vim sententiæ adaugent, ita ut *nemo non* idem fortius significet ac *nemo*.

[c] Editiones anteriores Quesn., *Dominus enim in exhortationibus*, perperam. Emendationem Quesnelli quinque nostri codd. probant.

[d] Ita Quesnellus et quidam nostri mss. Al., *corporis*. Prima editio etiam in secundo commate habet *corporis crucem ferre*.

[e] Editi ante Quesn., *merito ferri unicuique suadetur*. Melior Quesnelli lectio, quæ est in exempl. S. Petri.

[f] Secuti sumus omnes anteriores editiones et nostros codices. Quesn., *et spiritus adversus carnem*, et mox delevit *Christi*.

[g] Eorum scilicet qui sunt dissimiles moribus. In sequentibus porro nihil discessimus a lectione editorum ante Quesnellum confirmata omnibus nostris codicibus, quos inter sunt quinque Lectionaria optimæ notæ. Ille autem forte clarius explicaturus Leonis sententiam nullo ms. allegato edidit, *ut facile in odia prorumpant*; et postea *justorum* pro *rectorum*.

[h] Quædam editiones et Vat. collect. 3 *dignior.*

[i] Sic Quesnellus cum quatuor nostris mss. Al., *fide*. Paulo ante quidam codd. pro *morti* habent *tenebris*, forte melius.

[j] Duo codd. S. Petri et unus Venetus, *qua geminam.*

[k] Vocem *nostræ*, quam omisit Quesnellus, restituimus ex cæteris editionibus omnibusque nostris codicibus.

[l] Codd. S. Petri, *mysteriis.*

Digitized by Google

sæpe et diu fuerat significatum, in præstituto tempore non dubitaretur impletum. Unde licet, ex quo *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), ita in Christo Dei atque hominis una persona sit, ut in nullis actionibus [a] fiat naturæ utriusque divisio; studet tamen evangelica veritas ipsum quem Dei Filium prædicat, sæpissime filium hominis profiteri : ut quamvis ea quæ disseruntur, alia sint humanitatis, alia Deitatis, sub nomine tamen filii hominis utraque memorentur : ne fides Dominum Jesum Christum natum ex Maria Virgine, Deum simul atque hominem creditura, cunctetur fateri aut in Deo humanitatem, aut in homine Deitatem; ut et in Verbo suscepti hominis vera sit [b] humilitas, et in carne suscipientis Dei vera majestas.

Cap. III. — Hæc, dilectissimi, per occasionem paschalis festi, cui puritatem cordium præparare debemus, de incarnatione Verbi perstrinxisse sufficiat, quoniam aliquoties hinc instructos vos esse meministis. Nunc devotionem vestram de eo, quod tempus poscit, **180** admoneo ut sanctum ac salubre jejunium operibus pietatis ornetis. Et quia pro indulgentia maxime laborandum est delictorum, indubitabilem vobis divinam misericordiam promittatis, si ipsi quoque [c] circa subditos vestros omnem offensam transtuleritis ad veniam. Placidos enim atque concordes ad tantam festivitatem decet Dei populos convenire : ut severitas ultionum, quæ nunc etiam in publicis judiciis relaxatur, multo magis in Christianorum cordibus mitigetur, quia ad hoc potius intenta debet esse cura sanctorum, ne ullus algeat, ne ullus esuriat, ne quis inopia deficiat, ne quis mœrore tabescat, ne aliquem vincula obstrictum, ne aliquem habeat carcer inclusum. Quantælibet enim existant causæ offensionis, ab homine tamen in hominem, non tam delicti magnitudo quam naturæ est cogitanda communio; ut de judicio quo alterum judicat, misericordiam Dei judicantis obtineat. *Beati enim misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus* (*Matth.* V, 7) : qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLVIII [*Al.* XLVII].

De Quadragesima X.

Synopsis. — I. *Ad paschale sacramentum, quod alia omnia consecrat, omnes per quadraginta dierum jejunium præparare se debere. Gratiæ operatio et humana cooperatio.* — II. *Invidiam de bono proximi, quæ diaboli propria est, maxime esse cavendam.* — III. *Sine charitate nudas esse et infructuosas virtutes; nullum debere illius virtutis esse terminum.* — IV. *Misericordia quemque debere misericordiam promereri.* — V. *Eleemosynas abunde esse erogandas hoc tempore.*

Cap. I. — Inter omnes, dilectissimi, dies quos multis modis honorabiles habet Christiana devotio, nullus [d] est excellentior festivitate paschali, per quam in Ecclesia Dei universarum solemnitatum dignitas consecratur. Siquidem etiam ipsa Domini ex matre generatio huic [e] est impensa sacramento; nec alia fuit Dei Filio causa nascendi, quam ut cruci posset affigi. In utero enim **181** Virginis suscepta est caro mortalis; in carne mortali completa est dispositio passionis; effectumque est ineffabili consilio misericordiæ Dei, ut esset nobis sacrificium redemptionis, abolitio peccati, et ad æternam vitam initium resurgendi. Considerantes autem [f] quid per crucem Domini adepta est universitas mundi, cognoscimus ad celebrandum Paschæ diem merito nos quadraginta dierum jejunio præparari, ut digni possimus divinis interesse mysteriis. Non enim summos tantum antistites, aut secundi ordinis sacerdotes, nec solos sacramentorum ministros, sed omne corpus Ecclesiæ, universumque fidelium numerum, ab omnibus contaminationibus oportet esse purgatum, ut templum Dei, cui fundamentum est ipse [g] fundator, in omnibus lapidibus speciosum, et in tota sui parte sit lucidum. Nam si regum ædes et sublimiorum prætoria potestatum omni ornatu rationabiliter excoluntur, ut excellentiora sint eorum domicilia quorum ampliora sunt merita, quanto opere ædificandum, quanto est honore decorandum Deitatis ipsius habitaculum! Quod licet inchoari et perfici sine suo auctore non possit, habet tamen ab ædificante donatum, ut etiam labore proprio quærat augmentum. Viva enim rationabilisque materies ad exstructionem templi hujus assumitur; [h] et per spiritum gratiæ ut voluntarie in unam compagem congruat incitatur. Quæ ideo dilecta, ideo quæsita est, ut et ipsa ex non quærente quærens, et ex non diligente sit diligens, dicente beato Joanne apostolo : *Nos ergo diligamus invicem, quia Deus prior dilexit nos* (I *Joan.* IV, 19). Cum igitur et omnes simul et singuli quique fidelium unum idemque Dei templum sint, sicut perfectum hoc in universis, ita perfectum debet esse in singulis : quia etsi non eadem est membrorum omnium pulchritudo, nec [i] in tanta varietate partium meritorum potest esse parilitas, communionem tamen obtinet decoris, connexio charitatis. In sancto enim amore consortes, etiamsi non iisdem utuntur gratiæ beneficiis, gaudent tamen in-

[a] Iidem codices ac prima editio cum ms. Bon., *sit. Dein, profiteri* pro *confiteri* ex Quesnello retinuimus auctoritate duorum mss. S. Petri.

[b] Editi, *humanitas*. Emendationem suppeditarunt codd. S. Petri, quæ reprobari nequit, cum vera hominis *humilitas* veræ Dei *majestati* frequenti apud Leonem locutione opponatur.

[c] Quesnellus, *erga subditos*. Reposuimus *circa* ex cæteris editis ac plerisque codicibus. Ita etiam serm. 50, c. 3 : *Sive itaque circa subjectos, sive circa æquales.*

[d] Quidam codices, *nihil est excellentius.*

[e] Editi ante Quesn. et plures codd., *fuit.*

[f] Quesnellus, *quidquid.*

[g] Deest *fundator* in ms. Corb. Quesnelli. Mox, *pretiosum* pro *speciosum* in mss. Vat. collect. 5.

[h] Restituimus lectionem omnium editionum ante Quesnellum, quæ item est nostrorum codicum. Ille autem, nullo allegato codice, sic : *Et per spiritum gratiæ voluntariæ in unam compagem congrue incitatur.*

[i] Tres nostri codices, *in tota.*

Digitized by Google

vicem bonis suis, et non potest ab eis extraneum esse quod diligunt, quia incremento ditescunt proprio, qui profectu lætantur alieno.

CAP. II. — In hac, dilectissimi, unitate sanctorum, ubi idem amatur, idem diligitur, idemque sentitur, nec superbis locus est, nec invidis, **182** nec avaris, et quidquid est illud quo aut vanitas gloriatur, aut ira sævit, aut luxuria lascivit, non in Christi fœdere, sed in diaboli parte censetur, longeque a sedibus pietatis excluditur. Fremit itaque innocentiæ adversarius et pacis inimicus, et quia ipse *in veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44), totamque naturæ suæ gloriam, dum superbit, amisit, dolet hominem Dei misericordia reparari, et in ea bona quæ ipse perdidit introduci. Nec mirum si peccati auctor probitate recte agentium cruciatur, et eorum quos dejicere non potest stabilitate torquetur: quandoquidem etiam inter homines reperiuntur qui opera hujus malignitatis imitentur. Multi enim, quod dolendum est, profectibus uruntur alienis; [a] et quia virtutibus vitia displicere noverunt, armantur in eorum odium quorum non sequuntur exemplum. Servi autem Dei et discipuli veritatis etiam dissimiles sui diligunt, et bellum vitiis potius quam hominibus indicunt, *nulli malum pro malo reddentes* (*Rom.* XII, 17), sed correctionem peccantium semper optantes. Pulchrum enim valde est, et divinæ benevolentiæ comparandum, sui quemque in altero meminisse, et amare propriam etiam in hoste naturam. Siquidem plurimos [b] novimus in optimos mores transiisse de pessimis, ex ebriosis sobrios, ex crudelibus misericordes, ex rapacibus largos, ex incontinentibus castos, ex ferocibus factos esse tranquillos. Dicente autem [c] Domino: *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* IX, 13), nulli Christiano quemquam odisse permittitur, quia nemo nisi in remissione peccatorum salvatur; et quos viles fecit carnalis sapientia, nescimus quam pretiosos spiritalis factura sit gratia.

CAP. III. — Sit ergo sanctus Dei populus, sit benignus: sanctus, ut declinet prohibita; benignus, ut faciat imperata. Quamvis enim magnum sit habere fidem rectam sanamque doctrinam, et multa laude digna sit circumcisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nudæ sunt tamen omnes sine charitate virtutes, nec potest dici in qualibet morum excellentia fructuosum quod non dilectionis partus ediderit. Unde in Joannis Evangelio Dominus dicit: *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem* [d] *habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII, 35); et in ejusdem apostoli Epistola legitur: *Charissimi, diligamus invicem, quoniam* **183** *charitas ex Deo est, et omnis qui diligit, ex Deo natus est et cognoscit Deum: et qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est* (1 *Joan.* IV, 7, 8). Discutiant ergo se fidelium mentes, et intimos sui cordis affectus vera examinatione dijudicent; [e] ac si repositum aliquid in conscientiis suis de fructibus charitatis invenerint, Deum sibi inesse non dubitent, et ut magis magisque tanti hospitis sint capaces, [f] fiant perseverantis misericordiæ operibus ampliores. Si enim dilectio Deus est, nullum habere debet terminum charitas, quia nullo potest claudi fine Divinitas.

CAP. IV. — Ad exercendum igitur, dilectissimi, charitatis bonum, quamvis tempus omne sit congruum, præsentes tamen dies specialius cohortantur: ut qui Pascha Domini cupiunt cum animi et corporis sanctificatione suscipere, hanc maxime gratiam conentur acquirere, qua et omnium continetur summa virtutum, et multitudo tegitur peccatorum. Et ideo celebraturi illud eminens super omnia sacramentum, quo iniquitates nostras Jesu Christi sanguis abolevit, misericordiæ primitus hostias præparemus; [g] ut quod nobis bonitas Dei contulit, nos quoque eis qui in nos peccavere præstemus. In oblivionem mittantur injuriæ, supplicium jam nesciant culpæ, et a vindictæ metu omnes [h] subditorum absolvantur offensæ. Neminem teneant claustra pœnalia, nec in custodiis tenebrosis tristes reorum gemitus perseverent. Si quisquam tales pro aliquo delicto obnoxios tenet, peccatorem se esse non dubitet; et ut indulgentiam ipse accipiat, gaudeat se invenisse cui parcat, ut cum secundum doctrinam Dei dicimus: *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12), non ambigamus per nostræ orationis formam, divinam nos obtinere clementiam.

CAP. V. — In pauperes quoque et diversis debilitatibus impeditos benignior nunc largitas exeratur, ut gratiæ Deo multorum voce referantur, et jejuniis nostris egentium refectio suffragetur. Nulla enim devotione fidelium magis Dominus delectatur, quam ista quæ pauperibus ejus impenditur, et ubi curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. Non timeatur in his expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas magna substantia est, nec

[a] Editi, *et quia se virtutibus vacuos despici noverunt.* Ita etiam plures codd., quorum unus omittit *se*, alius vero, *et qui se.* Hæc autem lectio, quæ a bonis malos despici indicat, adversari videtur subsequentibus Auctoris verbis, quibus bonos non in malos, sed in vitia male animatos affirmat. Hinc prætulimus lectionem duorum mss. S. Petri et unius Vat.

[b] Quesn., *noverimus.*

[c] Duo codd. S. Petri addunt, *calumniantibus pharisæis et scribis.* Dein, *quam speciosos et pretiosos spiritalis*, etc., in prima editione et ms. Bon.

[d] Codd. Vatt. collect. 4 et 5, *habeatis.* Mox prima editio: *Unde in epistola ejusdem Evangelii* (lege *evangelistæ*) *legitur.* Dein post voces, *qui diligit*, duo codd. Vat. addunt, *fratrem suum.*

[e] Prima editio, *ut si.*

[f] Eadem editio nec non Ahluerpiensis an. 1585, *fiant perseveranter in misericordiæ operibus ampliores.*

[g] Sic ex duobus mss. S. Petri. Al., *et quod.*

[h] Vocem *subditorum*, quam Quesnellus in marginem rejecerat, ex anterioribus editis ac nostris codd. restituimus, cum solemne sit S. pontifici hortari, ut *circa subditos omnis offensa transferatur ad veniam*, ut in serm. antecedenti, c 3, et similiter in aliis. Postea Quesnellus, *Si quis tales.*

Digitized by Google

potest largitatis deesse materies, ubi Christus [a] pascit et pascitur. In omni hac opere illa intervenit manus quæ panem frangendo **184** auget, et erogando multiplicat. Securus et hilaris sit eleemosynæ distributor, quia tunc maximum lucrum habebit, quando sibi minimum reservaverit, dicente B. apostolo Paulo : *Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ* (II *Cor.* IX, 10); in Christo Jesu Domino nostro, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLIX [*Al.* XLVIII].

De Quadragesima XI.

Synopsis. — I. *Jejunium Quadragesimæ maximum et sacratissimum omnibus sine exceptione indictum esse, quia omnibus necessarium, cum nemo sit immunis a culpa.* — II. *Quam pauci viam salutis intrant, quam multi temporalibus occupantur.* — III. *Sicut magis insidiatur et sævit diabolus Quadragesimæ tempore, ita magis Deo salutique suæ vacare Christianos debere.* — IV. *Ut paschali festo nos præparemus, exsequenda esse Dei mandata, quæ ideo dantur ut et gratia Dei quærâtur, et propria vita velut in speculo conspiciatur.* — V. *Primum misericordiæ effectum, quod est oblivio delictorum, et optandum a Deo, et præstandum esse proximo.* — VI. *Eum qui filius haberi cupit debere fratris habere charitatem et eleemosynam largiri, ut misericordiæ divinæ ministrum.*

Cap. I. — In omnibus quidem, dilectissimi, diebus atque temporibus quædam nobis divinæ bonitatis signa præfixa sunt, et nulla pars anni a sacris est aliena mysteriis, ut dum nobis ubique præsidia nostræ salutis occurrunt, invitantem nos semper misericordiam Dei avidius [b] expetamus. Sed quidquid illud est quod in diversis gratiæ operibus et donis reparationi humanarum comfertur animarum, totum id nobis nunc evidentius et copiosius præsentatur, quando non particulatim quædam agenda, sed simul sunt omnia celebranda. Appropinquante [c] enim festivitate paschali, adest maximum sacratissimumque jejunium quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat : **185** quia nemo tam sanctus est ut non sanctior, nemo tam devotus ut non debeat esse devotior. Quis enim in hujus vitæ constitutus incerto, aut immunis a tentatione, aut liber inveniatur a culpa? Quis est qui nihil virtutis sibi adjici, aut qui nihil vitii sibi optet auferri ? cum et adversa noceant et secunda corrumpant, nec minoris A sit periculi carere desideratis quam abundare concessis. Insidiæ sunt in divitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis. Illæ elevant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas, dum et illa materia est negligentiæ, et hæc causa tristitiæ. Laqueus est in securitate, laqueus est in timore ; nec interest utrum animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur an curis, [d] cum par morbus sit vel sub vana delectatione languescere, vel sub anxia sollicitudine laborare.

Cap. II. — Impletur itaque per omnia sententia Veritatis qua [e] discimus angustam esse et arduam viam quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII, 14) ; et cum latitudo itineris ad mortem trahentis multis frequentetur agminibus, in salutis semitis paucorum intrantium sunt rara vestigia. Undè autem [f] populosior est via læva quam dextera, nisi quia ad mundana gaudia et corporalia bona multitudo proclivis est? Et quamvis caducum incertumque sit quod cupitur, libentius tamen suscipitur labor pro desiderio voluptatis quam pro amore virtutis. Ita cum innumeri sint qui visibilia concupiscant, vix inveniuntur qui temporalibus æterna præponant. Et ideo, dicente beato apostolo Paulo : *Quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt* (II *Cor.* IV, 18) ; latet quodammodo et in abscondito est virtutum via, quoniam *spe salvi facti sumus* (*Rom.* VIII, 24), et fides vera id super omnia diligit, quod nullo sensu carnis attingit. Magni est ergo operis et laboris mobilitatem cordis ab omnibus continere peccatis, et cum undique innumeræ voluptatum illecebræ blandiantur, ad nulla contagia vigorem animi relaxare. Quis picem tangit, et non inquinatur ab ea (*Eccli.* XIII, 1) ? quis non infirmatur in carne ? quis non sordescit in pulvere? quis postremo est tantæ puritatis, ut iis non polluatur sine quibus vita non ducitur? Jubet enim per Apostolum doctrina divina, ut *qui habent uxores, tamquam* **186** *non habentes sint ; et qui flent, tamquam non flentes ; et qui gaudent, tamquam non gaudentes ; et qui emunt, tamquam non possidentes ; et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur : præterit enim figura mundi hujus* (I *Cor.* VII, 29-31). Beata igitur mens quæ peregrinationis suæ tempora casta sobrietate transcurrit, et in iis per quæ necesse est eam ambulare non remanet, ut hospita magis quam domina terrenorum, [g] nec affectibus

[a] Prima editio et codd. collect. 5, *et vascit, et pascitur*.

[b] Sic cum Quesnello codd. S. Petri et nonnulli Vatt. Aliæ editiones cum aliis mss., *expectemus*. Post pauca, pro *reparationi*, quædam exemplaria, *ad reparationem*.

[c] Ex quinque nostris mss., pro *autem*, quod erat in editis, posuimus *enim*, quod et contextui melius congruit.

[d] In duobus mss. S. Petri et in alio Bon., *cum pars morbi sit*.

[e] Ita nostri codd. et vulgati ante Quesn. apud quem, *dicitur*.

[f] Quesnellus textui inseruit, *populatior*, et notavit in margine : *populosior*, ut vulgati. Nos autem vulgatorum lectionem, quæ in plerisque et potioribus nostris codd. reperitur, restituendam credidimus : nam *populatior* a *populatus* ad depræda tionem pertinens, a Leonis sensu abhorret. D

[g] Ita mss. codd. Corb., Vict. et Thuan., et sensus exigit ; ut perperam ab imperito scriba in illorum verborum locum hæc fuerint substituta, quæ leguntur in vulgatis : *Nec affectibus sit innixa humanis, nec promissionibus desit divinis.* Quesn. — Lectionem textus approbant etiam nostri codices S. Petri, Barb. et nonnulli Vatt. In prima editione parum dissimiliter : *Nec affectibus desit humanis, nec promissionibus non sit innexa divinis.*

Digitized by Google

desit humanis, et promissionibus sit innixa divinis.

Cap. III. — Hanc autem fortitudinem, dilectissimi, nulli magis quam præsentes et exigunt et conferunt dies : quibus dum observantia [a] specialis impenditur, consuetudo in qua perseveretur acquiritur. Notum enim vobis est hoc esse tempus quo per totum mundum, sæviente diabolo, acies [b] debet Christiana confligere; et si quos aut desidia tepidos, aut sollicitudo habuit occupatos, nunc oportet armis spiritalibus instrui, et cœlesti tuba ad ineundum certamen accendi : quoniam ille cujus invidia mors introivit in orbem terrarum (*Sap.* II, 24), modo præcipuo livore uritur, modo maximo dolore cruciatur. Videt enim de omnium hominum genere, in adoptionem filiorum Dei novos populos introduci, et per virgineam Ecclesiæ fecunditatem, partus regenerationis augeri. Videt se dominationis suæ jure privatum, a cordibus eorum quos possidebat expelli; eripi sibi in utroque sexu millia senum, millia juvenum, millia parvulorum ; nec obesse cuiquam vel proprium, vel originale peccatum, ubi justificatio non meritis retribuitur, sed sola gratiæ largitate donatur. Lapsos quoque et insidiarum suarum fraude deceptos, pœnitentiæ lacrymis ablui, et portas misericordiæ apostolica clave reserante, ad remedia reconciliationis admitti. Sentit insuper diem Dominicæ passionis instare, et se illius crucis potestate conteri, quæ in Christo ab omni debito mortis alieno, redemptio fuit mundi, non pœna peccati.

Cap. IV. — Ut itaque malignitas frementis inimici nullos habeat [c] sui livoris effectus, ad exsequenda Domini mandata diligentior est assumenda devotio : ut tempus in quo omnia divinæ misericordiæ sacramenta concurrunt, cum præparatione et animorum suscipiamus et corporum, implorantes **187** [d] regimen et adjutorium Dei, ut sine quo nihil possumus facere, per ipsum omnia valeamus implere. Ideo enim datur præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium. Nec se quisquam per occasionem infirmitatis excuset, [e] cum qui præstitit velle, donet et posse, dicente beato apostolo Jacobo : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei* (*Jacob.* I, 5). Quis fidelium nesciat quibus virtutibus studere et quibus debeat vitiis repugnare? Quis conscientiæ suæ aut tam gratiosus aut tam imperitus est arbiter, qui ignoret quid a se auferri aut quid in se [f] oporteat augeri? Nemo quippe ita rationis est alienus qui aut conversationis suæ non intelligat qualitatem, aut cordis sui secreta non noverit. Non ergo per omnia sibi placeat, nec se secundum carnis oblectamenta dijudicet, sed omnem consuetudinem suam in divinorum præceptorum [g] lance constituat: ubi cum alia jubeantur ut fiant, alia interdicantur ut non fiant, justo se trutinabit examine, qui vitæ suæ mores ex utriusque ponderis comparatione pensaverit. Artifex enim misericordia Dei splendidissimum in mandatis suis condidit speculum, in quo homo faciem suæ mentis inspiceret, et quam conformis [h] imagini Dei, aut quam dissimilis esset agnosceret : præcipue ut rejectis paululum carnalibus curis et occupationibus inquietis, saltem in diebus redemptionis et reparationis nostræ a terrenis nos ad cœlestia conferamus.

Cap. V. — Quia vero, sicut scriptum est, *in multis offendimus omnes* (*Jacob.* III, 2), misericordiæ primus [i] concipiatur affectus, et alienorum in nos delictorum fiat oblivio : ut illud piissimum pactum, cui nos in Dominica oratione devinximus, nullo vindictæ amore violemus : et dicentes : *Dimitte nobis debita* [j] *nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12), non simus in remissione difficiles : quia ad nos recurrit sive cupiditas ultionis, sive indulgentia lenitatis ; magisque optandum est homini, tentationum periculis semper exposito, ut suas culpas habeat [k] impunitas, **188** quam ut plectat alienas. Quid autem convenientius fidei Christianæ quam ut non solum in Ecclesia, sed etiam in omnium domibus fiat remissio peccatorum ? Deponantur minæ ; vincula relaxentur, quibus se multo perniciosius, qui ea non solverit, religabit. Quod enim quisque in alterum statuit, hoc in semetipso

[a] Sic emendavimus ex duobus mss. S. Petri, duobus Vatt. et prima editione. Cæteri editi, *spiritalis*.

[b] Mss. S. Petri et codd. collect. 4 et 5, *debeat*, et paulo post, *oporteat*. Dein, *ad idem certamen*, loco *ad ineundum certamen* in iisdem mss. S. Petri.

[c] In duobus mss. S. Petri, *sui laboris*, et forte melius.

[d] Inter voces, *regimen* et *adjutorium*, pleræque editiones ante Quesnellum addunt, *et misericordiam*, quod deest in Quesnelli mss. et in plerisque nostris, nec non in editionibus Surii atque Antuerpiense an. 1583.

[e] Editi ante Quesn., *quia qui præstitit velle, donabit et posse*. Prima editio et cod. Patav. S. Justinæ, pro *donabit* habet *donat*. Quesnelli emendationem confirmant nostri codices collect. 1 et 5. Ms. Lectionar. S. Petri concinit, et solum pro *posse* habet *proficere*, seu melius *perficere*. Confer similem sententiam serm. 94, c. 2. *Posse* autem a Leone identidem sumitur pro potestate efficiente ; unde serm. 76, cap. 5, scripsit : *Quod utique apostoli, posteaquam Spiritus sancti nova abundantia sunt repleti, ardentius velle et* EFFICACIUS POSSE *cœperunt, proficientes a præceptorum scientia ad tolerantiam passionum, ut sub nulla jam tempestate trepidantes, fluctus sæculi et elationes mundi fide supergrediente calcarent*, etc.

[f] Prima editio et unus cod. S. Petri, *optet augeri*.

[g] Al., *luce*. QUESN. in margine. — Dein, *ne fiant* pro *ut non fiant*, in editis ante Quesn. et plerisque mss.

[h] Mss. collect. 5, *ad imaginem Dei* ; al., *imaginis D.i.* Prima editio, *imagini*, omissa voce *Dei*.

[i] Ms. Corb. Quesnelli, *concupiatur effectus*. Mox *alienorum* pro *aliorum* emendavimus ex duobus mss. S. Petri.

[j] Vox *nostra* apud Quesnellum deficiens, ex editis et mss. restituta.

[k] Ita cum Quesnello duo mss. S. Petri, unus Vat. et prima editio. Cæteræ editiones, *punitas* ; perperam, cum indicetur potius eligendum et optandum ut sibi a Deo sua delicta condonentur, quam ut aliena per vindictam puniantur.

Digitized by Google

sua lege decernit. *Beati* vero *misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus* (*Matth.* v, 7) : qui in judiciis suis et justus est et benignus ; ad hoc quosdam sub aliorum esse potestate permittens, ut sub æqua moderatione servetur et utilitas disciplinæ, et mansuetudo clementiæ ; et nemo audeat alterius delictis veniam denegare, quam pro suis optat accipere.

Cap. VI. — Dicente autem Domino, *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v, 9), deponantur omnium discordiarum odiorumque certamina ; nec putet se quisquam in paschali festo habiturum esse consortium, qui fraternam pacem redintegrare neglexerit. Apud summum enim Patrem, qui non fuerit in charitate fratrum, non habebitur in numero filiorum. In distributione quoque eleemosynarum, et pauperum cura, pinguescant Christiana jejunia ; et quod suis quisque deliciis subtrahit, debilibus impendat et egenis. Detur opera ut omnes Deo uno ore benedicant, et qui aliquam dat portionem substantiæ suæ, intelligat se ministrum esse misericordiæ divinæ, qui partem pauperis in manu posuit largientis : ut peccata quæ [a] aut baptismi aquis, aut pœnitentiæ lacrymis abluuntur, etiam eleemosynis deleantur, dicente Scriptura : *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccli.* III, 33). Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

189 SERMO L [*Al.* XLIX].

De Quadragesima XII.

Synopsis. — I. *Ad paschale convivium debere quemque se præparare per discussionem conscientiæ et emendationem vitæ.* — II. *Misericordiam exercendam, a vitiis jejunandum, rebus cœlestibus esse inhærendum.* — III. *Ad paschale sacramentum, quod in remissionem peccatorum conditum est, quemque præparari, cum illud remissione offensarum imitatur.*

Cap. I. — Appropinquante, dilectissimi, solemnitate paschali, [b] adest præcurrentis consuetudo jejunii, quod nos quadraginta dierum numero ad sanctificationem corporis et mentis exerceat. Susceturi enim festorum omnium maximum festum, ea nos debemus observantia præparare, ut in cujus sumus resurrectione [A] corresuscitati, in ipsius inveniamur [c] passione commortui, dicente beato Paulo apostolo : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 3). Quæ vero nobis est mortis cum Christo participatio, nisi ut desinamus esse quod fuimus ? aut quæ similitudo resurrectionis, nisi depositio vetustatis ? Unde qui sacramentum suæ reparationis intelligit, carnis se vitiis debet exuere, et omnes sordes abjicere peccatorum : ut [d] intraturus nuptiale convivium, splendeat veste virtutum. Quamvis enim benignitas sponsi cunctos ad communionem regiarum invitet epularum, studendum est tamen universis vocatis, ut sacrorum ciborum munere non inveniantur [B] indigni (*Matth.* XXII, 11). Abutuntur autem quidam patientia Dei, et qui non sunt in conscientia liberi, fiunt de longa impunitate securi : cum ideo differatur ultio, ut tempus possit habere correctio. Misericordiam igitur Dei nostri, [e] quæ **190** *non vult mortem peccatoris, sed tantum ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII, 32, *et* XXXIII, 11), non ideo quisquam tardet amplecti, quia quod meruit non recepit. Neque enim quidquid differtur, aufertur ; aut condemnationem evasit, qui indulgentiam non quæsivit. Cujus quidem implorandæ non una omnibus causa est ; quia multis modis multisque mensuris et peccatum a peccato, et crimen distat a crimine. Sed quia universitas fidelium ad perfectam innocentiam et ad plenam debet tendere puritatem, ut eorum consortio mereatur [C] ascribi, de quibus dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8) : omni instantia et virtute nitendum est, ut quidquid secretum conscientiæ maculat, quidquid aciem mentis obscurat, diligentissimis [f] emundationibus deleatur. Quamvis enim scriptum sit : *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato* (*Prov.* XX, 9) ? non tamen desperanda est apprehensio puritatis, [g] quæ dum semper petitur, semper accipitur, nec remanet judicio condemnandum, quod fuerit confessione purgatum.

Cap. II. — Hoc illud est, dilectissimi, quod orantes omnes filii Ecclesiæ ex doctrina Domini uniformiter dicunt : *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos*

[a] Vocem *aut* addidimus ex mss. S. Petri. Mox in mss. Vatt. collect. 4 et 5, *etiam eleemosyna deleantur.*

[b] Ita duo Lectionaria mss., Patav., unum Eremitanorum, aliud S. Justinæ, codex Casin. collect. 1, et mss. collect. 2. Non absimiliter in serm. præcedenti c. 1 : *Appropinquante enim festivitate paschali, adest maximum sacratissimumque jejunium.* Erat in editis ante Quesn. ut et in aliquibus mss. : *sic est præcurrenda consuetudo jejunii, ut nos quadraginta dierum numerus ad sanctificationem corporis et mentis exerceat.* Hanc autem lectionem ille repudians notavit : *Quæ lectio catholicos scriptores incautos impulit in sensum a Leonis mente alienum, cum hæc interpretati sunt de quatuor dierum jejunio qui Dominicæ primæ Quadragesimæ nunc præmittuntur, ut numerus quadragenarius compleatur.* Porro ex duobus mss. Thuan. et Corb. hanc aliam lectionem textui inseruit : *Præcurramus eam consulto jejunio, quod nos,* [D] etc. Sed lectionem nostram confirmant etiam illi codices in quibus cum lectione quæ erat in vulgatis, pro *sic est* legitur *adest.*

[c] Prima editio et cod. Bon., *morte.* Dein editi ante Quesn. et aliqui mss., *Cum enim Christus.* Post pauca, vocem *mortis* a Quesnello insertam plures codd. ignorant.

[d] Ms. Patav. S. Antonii, *aditurus.*

[e] Duo mss. S. Petri, *quia non vult mortem peccatoris, sed tantum ut revertatur et vivat.*

[f] Prima editio, *emendationibus.*

[g] Ita Corb. Alludit Leo ad illam Domini sententiam : *Omnis qui petit, accipit.* Quamobrem male in vulgatis editionibus : *Quæ dum semper appetitur, nec semper accipitur.* Hæc Quesnellus, cujus emendationem approbant etiam duo Lectionaria S. Petri, mss. collect. 2 et 5, quæ hoc loco convenientia invenire satis duximus.

Digitized by Google

dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI, 12) : quia nemo tam sanctus, nemo tam justus est, qui in tempore hujus vitæ, quæ tota tentatio est, cujuscumque peccati remissione non egeat. Circumstant undique pericula innumerabilium delectorum (*Job.* VII, 1), et per licitos usus ad immoderatos transitur excessus, dum per curam salutis irrepit delectatio voluptatis, et non sufficit concupiscentiæ, quod potest satis esse naturæ. Hinc habendi amor numquam [a] satiandus exoritur; hinc cupiditas eminendi, quæ vel stirpi suæ [b] invisa, vel soboli, nunc prolem habet superbiam, nunc parentem. His autem et aliis tentationibus, quarum multiplex est et infinita connexio, quam rectius virtus quam continentia opponitur, quæ nutriendis atque servandis animi et corporis bonis, et incrementa præbet et roborat? Unde in ecclesiasticis Ecclesiæ disciplinis multum utilitatis afferunt divinitus instituta **191** jejunia : ut dum continentiæ legibus carnalis subjicitur appetitus, motus quoque interior temperetur, ac sicut corpus a cibis, ita mens ab iniquitate jejunet. Dominus enim dicit : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6). Habet ergo populus Dei spirituales epulas castasque delicias, quas salubriter [c] expetit et laudabiliter concupiscit quoniam laudante et dicente propheta : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Ps.* XXXIII, 9) : quisquis dulcedinem justitiæ et misericordiæ Dei, quibus omnis providentia ejus dispensatur, gustu cordis attigerit, et nullo umquam minuente fastidio experimenta supernorum hauserit gaudiorum, corruptibilia et temporalia bona æternorum admiratione despiciet : et in illo igne quem Dei accendit charitas, concalescet : ut algore in fervorem converso, et in lucem nocte mutata, uno opere in animis fidelium Spiritus sanctus et tenebras abigat, et peccata consumat.

CAP. III. — Unde quia tales fructus mater virtutum continentia parit, et jejunantes a vitiis ad ineffabilia oblectamenta perduxit; studiosiori nunc opere, dilectissimi, exsequamur præcepta cœlestia : et quia totum paschale sacramentum, in remissionem est conditum peccatorum; quod celebrare optamus, imitemur. Misericors enim et justus Dominus ita promittit indulgentiam suam, ut eam etiam quibus parcit, [d] indicat. Exponens enim, qua regula Deo Patri nos voluerit supplicare : *Si dimiseritis*, inquit, *hominibus peccata eorum, dimittet vobis et Pater vester, qui in cœlis est, peccata vestra. Si autem non remiseritis hominibus, nec Pater vester remittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI, 14). Justa pœnitus et benigna conditio, qua divinæ potentiæ fit particeps homo, ut sententiam Dei ex suo libret arbitrio, et [e] eo sibi judicio obstringat Dominum, quo judicaverit ipse conservam. Sive itaque circa subjectos, sive circa æquales, naturæ **192** paritas diligatur : et quia nemo non peccat, nemo non parcat, non difficulter præstemus quod gratulanter [f] accepimus; ut sive largitate eleemosynarum, sive indulgentia peccatorum, quanto magis fuerimus misericordes, tanto simus perfectius innocentes. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

[g] SERMO LI (*Al.* XCIV).

Sive HOMILIA *habita sabbato ante secundam Dominicam Quadragesimæ, de Evangelio secundum Matthæum* : [h] *In illo tempore* : Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et [i] duxit eos in montem excelsum seorsum, *et reliqua* (*Matth.* XVII).

SYNOPSIS. — I. *Fidem veram Christum et Deum confiteri et hominem : quæ in Petro magna potestate remunerata est.* — II. *Christum ob id maxime esse transfiguratum, ut veritatem et virtutem suæ carnis comprobaret.* — III. *Ut etiam crucis scandalum tolleret, ipsamque Ecclesiæ suæ confirmaret.* — IV. *Veteris et novi Testamenti de Christo concordiam per Moysis et Eliæ apparitionem significari.* — V. *Petri desiderium non improbum fuisse, sed inordinatum.* — VI. Hic est filius meus, *etc. explicatur.* — VII. Ipsum audite *expenditur.* — VIII. *Hoc testimonio Patris omnium infirmitatem roborari.*

CAP. I. — Evangelica lectio, dilectissimi, quæ per

[a] Al. *amandus*. QUESNELLUS in margine.

[b] Emendavimus ex duobus mss. S. Petri ac totidem Vat. Editi, *innexa*.

[c] Unum Lectionarium Vat., *expetat et laudabiliter concupiscat*.

[d] Sic Quesnellus cum prima editione et quibusdam nostris codd. Al. *indaget*, perperam. Mox, *voluit* pro *voluerit* in uno Vat.

[e] Mss. S. Petri, *in eo*.

[f] Unus cod. S. Petri, *accipimus*.

[g] Hic Sermo in vulgatioribus editis inter postremos Sermones post tractatum adversus hæresim Eutychis rejectus fuit; in omnibus autem mss. collectionibus, secunda excepta, collocatur post sermonem 12 de Quadragesima, et ante sermones de Passione, et ita etiam in prima editione. In Homiliario quoque Pauli Diac. inter sermones de Quadragesima describitur, itemque in mss. Lectionariis Vallicell. A. 16, et 26 Veneto 155, Cligiano S. Basil., Vat. 106, Veronensi et Tridentino. In solis codd. collect. 2 extra hunc ordinem hic loco ponitur, quod postremi sermones post confectam collectionem inventi et additi, suo loco inseri non potuerint; alioqui hac una de causa in fine ejusdem collectionis extra propriam locum descripti inveniuntur tres sermones *De jejunio mensis septimi*, cum antea suo loco sex alii ejusdem tituli præmissi fuerint. Enim vero hic sermo in tabula cod. Casanatensis, qui ad hanc secundam collectionem pertinet, inscribitur *De jejunio sabbati mensis primi*, quod ad Quadragesimæ tempus spectat. Porro hunc sermonem habitum fuisse in sabbato ante secundam Dominicam Quadragesimæ, non solum indicat inscriptio huic Sermoni præfixa in Hom. Pauli Diac., in Lectionariis Basil. S. Petri 106, Vallicell. A. 16, Tridentino et Veronensi, nec non in mss. collect. 2; verum etiam Capitularia Evangeliorum ostendunt, in quibus Evangelium de Transfiguratione Domini in eo tantum sabbato lectum proditur.

[h] In hanc formulam notavit Quesnellus in margine : *Vix dubitandum quin istud evangelicæ lectionis exordium ex recentioris breviarii codice transcriptum sit.* Fallitur : idem enim exordium legitur non solum in mss. collectionum 2, 3, 4 et 5; verum etiam in Lectionariis libris XI. et XII. sæculi, qui ab antiquioribus originem ducunt. Potius recentior est titulus, quem Quesnellus cum cæteris editis recepit, inscribens hunc sermonem *De transfiguratione Domini*. Hic enim titulus abest ab omnibus Lectionariis, nec non a mss. collect. 2, 3 et 5. Inscribitur enim *Evangelio secundum Matthæum*, utpote congruentius

Digitized by Google

aures corporis interiorem mentium nostrarum 193 pulsavit auditum, ad magni sacramenti nos intelligentiam vocat : quam aspirante gratia Dei facilius assequemur, si considerationem nostram ad ea quæ [a] paulo superius sunt narrata, referamus. Salvator enim humani generis Jesus Christus condens eam fidem quæ et impios ad justitiam et mortuos revocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrinæ monitis et operum miraculis imbuebat, ut idem Christus et unigenitus Dei et hominis Filius crederetur. Nam unum horum sine altero non proderat ad salutem, et æqualis erat periculi, Dominum Jesum Christum, aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse, cum utrumque esset pariter confitendum : quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera Divinitas. Ad confirmandam ergo hujus fidei [b] saluberrimam cognitionem interrogaverat discipulos suos Dominus, inter diversas aliorum opiniones quid ipsi de se crederent, quidve sentirent : ubi Petrus apostolus per revelationem summi Patris, corporea superans et humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei vivi, et confessus est gloriam Deitatis, [c] quia non ad solam respexit substantiam carnis et sanguinis. Tantumque in hac fidei sublimitate complacuit, ut beatitudinis felicitate donatus sacram inviolabilis petræ acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia portis inferi et mortis legibus prævaleret ; nec in solvendis aut ligandis quorumcumque causis aliud ratum esset in cœlis quam quod Petri sedisset arbitrio.

CAP. II. — Hæc autem, dilectissimi, laudatæ intelligentiæ [d] celsitudo instruenda erat de inferioris substantiæ sacramento, ne apostolica fides ad gloriam confitendæ in Christo Deitatis evecta, infirmitatis nostræ [e] receptionem indignam impassibili Deo atque incongruam judicaret, et ita jam [f] in ipso humanam crederet glorificatam esse naturam, ut nec supplicio posset affici, nec morte dissolvi. Et ideo dicente Domino quod oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus et scribis ac principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere (*Matth.* XVI, 21, *et* XX, 17-19), cum beatus Petrus, qui superno illustratus lumine, de ardentissima Filii Dei confessione fervebat, contumelias 194 illustrium et crudelissimæ mortis opprobrium religioso, ut putabat, et libero fastidio respuisset, benigna [g] Jesu increpatione correptus, et ad cupiditatem participandæ cum eo passionis animatus est. Subsequens [h] enim exhortatio Salvatoris hoc inspiravit, hoc docuit, ut volentes eum sequi, negarent se sibi, et pro spe æternorum levissimum ducerent temporalium detrimentum : quia is demum animam suam salvam faceret, qui eam pro Christo perdere non timeret (*Matth.* XVI, 25). Ut ergo istam felicis constantiæ fortitudinem toto apostoli corde conciperent, et nihil de suscipiendæ crucis asperitate trepidarent, ut de supplicio [i] Christi non erubescerent, nec pudendum sibi eam patientiam crederent, quæ sic subitura erat servitium passionis, ut non amitteret gloriam potestatis : *Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et fratrem ejus Joannem* (*Matth.* XVII, 1), et conscenso cum eis secretum montis præcelso, claritatem [j] illius sum gloriæ demonstravit : quia licet intellexissent in eo majestatem Dei, ipsius tamen corporis, quo Divinitas tegebatur, potentiam nesciebant. Et ideo propria signoque promiserat quosdam de astantibus discipulis non prius gustare mortem, quam viderent Filium hominis venientem in regno suo (*Matth.* XVI, 28), id est in regia claritate, quam [k] specialiter ad naturam suscepti hominis pertinentem, his tribus viris voluit esse conspicuam. Nam illam ipsius Deitatis ineffabilem et [l] inaccessibilem visionem, quæ in æternam vitam mundis corde servatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdati intueri poterant et videre.

CAP. III. — Aperit ergo Dominus coram electis testibus gloriam suam, et communem illam cum cæteris corporis formam tanto splendore clarificat, ut et facies ejus solis fulgori similis, et vestitus candori nivium esset æqualis (*Matth.* XVII, 2). In qua transfiguratione illud quidem principaliter agebatur, ut de cordibus [l] discipulorum crucis scandalum tolleretur ; nec conturbaret eorum fidem voluntaria humilitas passionis, quibus revelata esset abscondita excellentia dignitatis. Sed non minore providentia spes sanctæ Ecclesiæ fundabatur, ut totum corpus Christi agnosceret quali esset commutatione donandum, [m] et ejus sibi honoris consortium 195 membra promitterent, qui in capite præfulsisset. De quo idem Dominus dixerat, cum de adventu sui majestate loqueretur ; *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno* [n] *Patris sui* (*Matth.* XIII, 43) ; protestante hoc ipsum

rem, sumpsimus ex codd. collect. 5.

[a] In Lectionar. Veneto 153 deest *paulo*. Dein, pro *Jesus Christus*, idem cod., *Dominus Christus*, et quidam Vat., *Deus Christus*.

[b] Duo Lectionar. mss. Vat. 1268, et Venet., *salubritatem*, et pro *cognitionem*, Quesnellus in margine, *conditionem*.

[c] Unus cod., *qui non*.

[d] Cod. Ven., *fortitudo*.

[e] Prima edit., et ms. Bon., *redemptionem*.

[f] Ita ex Lection. Ven. et alio Vat. Editi, *in Christo*.

[g] Cod. Venet. delet *enim*.

[h] Idem cod., *Crucis non erubescerent*.

[i] Vocem *illius*, quæ in anterioribus editionibus deerat, supplevit Quesnellus, uti eam in nostris mss. reperimus. Mox, *qui licet intellexissent* in exemplo Pauli Diac.

[j] Hic *spiritaliter* habent vulgati. *Specialiter* legendum indicavit Latinus Latinius in Bibliotheca sacra. Ita quidem reposuimus ex prima editione, nec non ex Lectionario Ven, aliisque nostris mss. libris, quorum quidam per abbreviationem præferunt *spaliter* ab editoribus sumptum pro *spiritaliter*.

[k] Al., *immarcescibilem*. Quesnellus in margine.

[l] Cod. Venet., *apostolarum*.

[m] Et pro *ut*, quod in antea editis occurrit, ut ex præcedenti *ut* hoc loco superflue repetitur, scripsimus ex aliquibus mss. Vat. et Homil. Pauli Diaconi.

[n] Cod. Ven. *Patris mei*.

Digitized by Google

beato Paulo apostolo, et dicente : *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18); et iterum : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo* [a] *in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III. 13).

CAP. IV. — Confirmandis vero apostolis et ad omnem scientiam provehendis, alia quoque in illo miraculo accessit instructio. Moses enim et Elias, lex scilicet [b] et prophetæ, apparuerunt cum Domino loquentes : ut verissime in illa quinque virorum præsentia compleretur quod dictum est : *In duobus vel tribus testibus stat omne verbum* (*Deut.* XIX, 15; *Matth.* XVIII, 16; *Joan.* VIII, 17; II *Cor.* XIII, 1; *Heb.* X, 28). Quid hoc stabilius, quid firmius verbo, in cujus prædicatione veteris et novi Testamenti concinit tuba, et cum evangelica doctrina, antiquarum protestationum instrumenta concurrunt ? Astipulantur enim sibi invicem utriusque fœderis paginæ ; et quem sub velamine mysteriorum præcedentia signa promiserant, manifestum atque perspicuum præsentis gloriæ splendor ostendit : quia, sicut ait beatus Joannes, *lex per Mosen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17); in quo et propheticarum promissio impleta est figurarum et legalium ratio præceptorum, dum et veram docet prophetiam per sui præsentiam, et possibilia facit mandata per gratiam.

CAP. V. — His ergo sacramentorum revelationibus Petrus apostolus incitatus, mundana spernens et terrena fastidiens, in æternorum desiderium quodam mentis rapiebatur excessu ; et gaudio totius visionis impletus, ibi cum Jesu [c] optabat habitare, ubi manifestata ejus gloria lætabatur; unde et ait : *Domine, bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum* (*Matth.* XVII, 4). Sed huic suggestioni Dominus non respondit, significans non quidem improbum, sed inordinatum esse [d] quod cuperet ; cum salvari mundus nisi Christi morte non posset, et exemplo Domini in hoc [e] vocaretur credentium fides, ut licet non oporteret [f] de beatitudinis promissionibus dubitari, intelligeremus tamen inter tentationes **196** hujus vitæ prius nobis tolerantiam postulandam esse quam gloriam : quia tempora patiendi non potest felicitas prævenire regnandi.

CAP. VI. — Adhuc itaque eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos, et ecce vox [g] de nube dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite* (*Ibid.*, 5). Præsens quidem erat in Filio Pater, et in illa Domini claritate, quam ad discipulorum temperarat aspectum, non separabatur ab Unigenito Genitoris essentia ; sed ad commendandam proprietatem utriusque personæ, sicut visui [h] significavit Filium splendor ex corpore, sic auditui Patrem vox nuntiavit ex nube. Qua voce accepta, discipuli [i] quod in faciem ceciderunt et timuerunt valde, non de Patris tantum, sed et de Filii majestate tremuerunt : altiori enim sensu unam utriusque intellexerunt Deitatem : et quia in fide non erat hæsitatio, non fuit in timore discretio. [j] Latum ergo illud et multiplex testimonium fuit, et plus in verborum virtute quam [k] in sono vocis auditum est. Dicente enim Patre : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite ;* nonne evidenter auditum est : *Hic est Filius meus*, cui ex me et mecum esse, sine tempore est ? Quia nec Genitor Genito prior, nec Genitus est Genitore posterior. *Hic est Filius meus*, quem a me non separat Deitas, non dividit potestas, non discernit æternitas. *Hic est Filius meus*, non adoptivus, sed proprius ; non aliunde creatus, sed ex me genitus ; nec de alia natura mihi factus [l] comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis. *Hic est Filius meus, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil* (*Joan.* I, 3) : quia omnia quæ facio similiter facit, et quidquid operor, [m] inseparabiliter mecum atque indifferenter operatur. In Patre enim est Filius, et in Filio Pater (*Joan.* V, 19), nec umquam unitas nostra dividitur. Et cum alius ego sim qui genui, alius ille quem genui, non aliud tamen de illo vobis cogitare fas est, quam de me sentire possibile est. *Hic est Filius meus*, qui eam quam mecum habet æqualitatem non rapina appetiit (*Philip.* II, 6), nec usurpatione præsumpsit; sed manens in forma gloriæ meæ, ut ad reparandum genus humanum exsequeretur commune consilium, usque ad formam servilem inclinavit incommutabilem Deitatem.

CAP. VII. — Hunc ergo, in quo [n] mihi per omnia **197** bene complaceo, et cujus prædicatione manifestor, cujus humilitate clarificor, incunctanter audite : quia ipse est veritas et vita, ipse virtus mea atque sapientia. *Ipsum audite*, quem legis mysteria prænuntiaverunt, quem prophetarum ora cecinerunt. *Ipsum audite*, qui sanguine suo mundum redimit, qui diabolum ligat, et vasa ejus rapit, qui peccati chiro-

[a] Idem cod. omittit voces *in Deo*.

[b] In Homil. Pauli Diac., *et prophetia ;* et paulo post, *stabit omne verbum*, cum Lectionar. Vat. et duobus aliis codd.

[c] Unus cod. Vat., *sperabat*. Mox, *ubi manifesta* habent nonnullæ editiones.

[d] Unus cod. Vat., *quod peteret*,

[e] Quædam editiones, *laudaretur*.

[f] Unus cod. Vat., *de futuris promissionibus*. Cod. Ven., *de beatitudinis promissione*.

[g] Homil. Pauli Diac., *de cœlo*. Mox ex eodem Homil. omnibusque nostris mss. et editis ante Quesn. revocavimus vocem *dilectus* ab hoc expunctam

[h] Unus cod. Vat., *significabat*.

[i] Cod. Venet., *quidem*. Paulo post in Homil. Pauli Diac., *De Filii majestate timuerunt*.

[j] Ms. Venet., *Lætum*.

[k] Aliqui mss. Vatt. omittunt præpositionem *in*.

[l] Cod. Ven. addit *est* ; et postea delet *mihi*.

[m] Unus ms. Vat., *similiter mecum*.

[n] Ita cum omnibus nostris mss. et editis ante Quesnellum, apud quem, *mihi bene per omnia placeo*. Mox cod. Venetus, deleta conjunctione *et*, habet, *in cujus prædicatione*.

Digitized by Google

graphum et prævaricationis [a] pacta dirumpit. *Ipsum audite*, qui viam aperit ad cœlum, et per crucis supplicium gradus vobis ascensionis parat ad regnum. Quid trepidatis redimi? quid pavetis saucii liberari? [b] Fiat quod me volente vult Christus. Abjicite carnalem formidinem, et fideli vos armate constantia : indignum est enim, ut in Salvatoris passione timeatis, quod ipsius munere nec in vestro fine metuetis.

[d] Cap. VIII. — Hæc, dilectissimi, non ad illorum tantum utilitatem dicta sunt, qui ea propriis auribus audierunt, sed in illis tribus apostolis universa Ecclesia didicit quidquid eorum et aspectus vidit et auditus accepit. Confirmetur ergo secundum prædicationem sacratissimi Evangelii omnium fides, et nemo de Christi cruce, per quam mundus redemptus est, erubescat. Nec ideo quisquam aut pati pro justitia timeat, aut de promissorum retributione diffidat, quia per laborem ad requiem, et per mortem transitur ad vitam : cum omnem humilitatis nostræ infirmitatem ille susceperit, in quo si in confessione et [e] in dilectione ipsius permaneamus, et quod vicit vincimus, et quod promisit accipimus. Quia sive ad facienda mandata, sive ad toleranda adversa, præmissa Patris vox debet semper auribus nostris [d] insonare dicentis : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite* : [e] qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

198 SERMO LII [*Al.* L].

[f] *De Passione Domini I. Habitus dominico die.*

Synopsis. — I. *Per solam Verbi incarnationem salutem homini contingere, cujus fides etiam in veteri Testamento et ante legem necessaria.* — II. *Per Verbi potentiam et carnis humilitatem, salutem pari.* — III. *Non spernendam ejus crucem et abjectionem, qui unico verbo in passione prostravit satellites.* — IV. *Ultro se Christum tradidisse morti, qui et Petri zelum repressit, et servi aurem restituit.* — V. *Morte Christi nos liberari, Judæos et Judam accusari; qui tamen etiam potuissent illa redimi.*

Cap. I. — [g] Sacramentum, dilectissimi, Dominicæ passionis, quam Dominus Jesus, Dei Filius, pro humani generis salute suscepit, et sicut promisit, omnia A ad se exaltatus attraxit, tam plane ac lucide evangelicus sermo reseravit, ut religiosis et piis cordibus non aliud sit audisse quæ lecta sunt, quam vidisse quæ gesta sunt. Unde cum indubitabilem obtineat auctoritatem sacra narratio, annitendum nobis est, auxiliante Domino, ut [h] perspicuum habeat intelligentia, quod notum fecit historia. Post illam namque humanæ prævaricationis primam et universalem ruinam, ex qua *per unum hominem peccatum introivit in hunc mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* v, 12); nemo [i] tetram diaboli dominationem, nemo vincula diræ captivitatis evaderet; nec cuiquam aut reconciliatio ad veniam, aut reditus pateret ad vitam, nisi coæternus et coæqualis Patri Deo [j] Filius Dei B etiam hominis filius esse dignaretur, veniens *quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* XIX, 10) : ut sicut per Adam mors, ita per Dominum nostrum Jesum Christum esset resurrectio **199** mortuorum (1 *Cor.* XV, 22). Non enim quia secundum inscrutabile propositum sapientiæ Dei novissimis diebus *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), ideo salutiferæ Virginis partus, extremi tantum temporis generationibus profuit, et non se etiam in præteritas refudit ætates. Omnis prorsus antiquitas colentium Deum verum, omnis numerus apud sæcula priora sanctorum, [k] in hac fide vixit et placuit; et neque patriarchis, neque prophetis, neque cuiquam omnino sanctorum, nisi in redemptione Domini nostri Jesu Christi salus et justificatio fuit : quæ sicut exspectabatur [l] multis pro- C phetarum oraculis signisque promissa, ita est etiam ipso munere atque opere præsentata.

Cap. II. — Unde nunc, dilectissimi, in toto ordine dominicæ passionis, non ita infirmitatem consideremus humanam, ut arbitremur illic potentiam defuisse divinam : neque illam ita coæternam et [m] æqualem Patri formam Unigeniti cogitemus, ut putemus non fuisse vera quæ Deo videntur indigna. Prorsus utraque natura, unus [n] est Christus : nec Verbum ibi ab homine disjunctum, nec homo est dissociatus a Verbo. Non est fastidita humilitas, quia nec imminuta majestas. [o] Nihil nocuit naturæ inviolabili,

[a] Idem codex Ven., *pactum*.

[b] Laudatus cod., *Fiat me volente quod vult Christus*.

[c] Præpositionem *in* hoc secundo loco omittunt aliquot mss. Vatt. Codex Venetus præterit *et in dilectione*. Mox, *quod vicit, vicimus, et quod promisit accepimus* in uno ms. Vat.

[d] Solus Quesnellus *intonare*.

[e] Prima editio : *Qui vivit et regnat in sæcula benedictus*.

[f] In uno ms. antiquo Vat. et in prima editione hic Sermo inscribitur : *In Parasceve Domini ejusdem Leonis Sermo 1*. Cum vero sub finem sermonis S. pontifex spondeat se alia, quæ nunc omittit, prosecuturum feria 4, melius utique Quesnellus in postilla ad marginem posita notavit : *Dominico die Palmarum videtur dictus non ante detectum Eutychis errorem, ut ex variis locis apparet*.

[g] In vulgatis et nonnullis etiam codd. hic Sermo sic incipit : *Sacratissimum, dilectissimi, Dominicæ passionis diem, quam*, etc. Prætulimus lectionem vetustissimi Bertiniani Vat. 3835, qui codex certe Romanus, ad Basilicam SS. apostolorum Philippi et Jacobi pertinebat, cum præsertim concinant mss. poliorum collectionum 1 et 2. Contextus etiam magis congruit : nam proprius dicitur *evangelicus sermo reserasse sacramentum Dominicæ Passionis*, quam *sacratissimum diem*.

[h] Mss. collect. 2, *perspicuam habeat intelligentiam*.

[i] Vocem *tetram* addidimus ex antiquissimo Vat. et codd. antiquarum collectionum.

[j] Idem Vat., *Filius Deus*.

[k] Editi, *sacra fide*. Magis placuit lectio mss. collect. 2, quæ contextui aptissima est.

[l] Ms. Casanatens. addit *ab hominibus*. Mox codex Barberin., *in Christi munere* pro *ipso munere*; et ms. Bon., *prosecuta* pro *præsentata*, in alio codice *repræsentata*.

[m] Duo nostri codd., *coæqualem*. In vetustissimo Vat., *neque illam æqualem et coæternam Patri*.

[n] Verbum *est* adjecimus ex eodem Vat. et ex ms. Casanat.

[o] *Nec nocuit* in eodem Casanat.

Digitized by Google

quod passibili oportebat inferri; totumque illud sacramentum, quod simul et humanitas consummavit et Deitas, dispensatio fuit misericordiæ, et actio pietatis. Talibus enim vinculis tenebamur [a] obstricti, ut nisi per hanc opem non possemus absolvi. Humilitas igitur Divinitatis nostra provectio est. Nos tanto redimimur pretio, nos tanto curamur impendio. Quis enim ab impietate ad justitiam, a miseria ad beatitudinem esset recursus, nisi et justus ad impios, et beatus inclinaretur ad miseros?

CAP. III. — Non est ergo [b] nobis, dilectissimi, erubescenda crux Christi, quæ de virtute est divini consilii, non de conditione peccati. Quamvis enim ex infirmitate nostra vere passus Dominus Jesus, vereque sit mortuus, non tamen ita se ab tinuit a gloria sua, ut inter contumelias passionis nihil divinæ operationis exerceret. Nam cum impius Judas, non jam ovina pelle velatus, sed lupino furore manifestus, vim sceleris per speciem pacis incipiens, signum traditionis sæviore omnibus telis osculo præbuisset, et multitudo furibunda quæ ad comprehendendum Dominum cum armata militum **200** cohorte confluxerat, [c] inter faces atque lanternas, lumen verum tenebris suis obcæcata non cerneret, Dominus, qui exspectare potius turbas quam declinare delegerat, sicut Joannes Evangelista testatur (*Joan.* XVIII, 4), quem quærant necdum inventus interrogat: illisque dicentibus, quod Jesum quærerent, *Ego sum*, inquit (*Ibid.* 5). Quod verbum ita illam manum ex ferocissimis congregatam, quasi quodam fulmineo ictu stravit et perculit, ut omnes illi atroces, minaces atque terribiles, retroacti corruerent. Ubi fuit sævitiæ conspiratio? ubi ardor irarum? ubi instructus armorum? Dominus dicit, *Ego sum:* et ad vocem ejus turba prosternitur impiorum. Quid jam poterit majestas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda?

CAP. IV. — Verumtamen Dominus sciens quid magis mysterio susceptæ conveniret, [d] in hac potestate non persistit; sed persecutores suos in facultatem dispositi sceleris redire permisit. Nam si teneri nollet, non utique teneretur. Sed quis hominum posset salvari, si ille se non sineret comprehendi? Nam et beatus Petrus, qui animosiore constantia Domino cohærebat, et contra violentorum impetus, fervore sanctæ charitatis exarserat, in servum principis sacerdotum usus est ladio, et aurem viri ferocius instantis abscidit (*Matth.* XXVI, 51; *Marc.* XIV, 47; *Luc.* XXII, 50; *Joan.* XVIII, 10). Sed hunc salutis apostoli pium motum progredi Dominus ultra non patitur: recondi gladium jubet, nec sinit se adversus impios manu ferroque defendi. Contra sacramentum enim erat redemptionis nostræ, ut qui mori pro omnibus venerat, capi nollet; [e] ne dilato gloriose Crucis triumpho et dominatio diabolica fieret longior, et captivitas humana diuturnior. Dat ergo in se furentibus licentiam sæviendi, nec tamen etiam talibus dedignatur se indicare Divinitas. Aurem servi jam ipsa sectione demortuam, et a compage viventis corporis alienam, in sedem debonestati capitis revocat manus Christi. [f] Reformat quod ipse foreverat: nec tarde caro sequitur ejus imperium, cujus erat ipsa figmentum.

CAP. V. — Habent ergo divinam hæc opera virtutem. Sed quod Dominus majestatis suæ potentiam comprimit, et vim in se persecutoris admittit, ex illa est voluntate qua *dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis* (*Ephes.* V. 25): cooperante in hoc [g] ipsum Patre, *qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32). Una est enim Patris **201** et Filii voluntas, ut est una Divinitas: de cujus dispositionis effectu, nihil vobis gratiæ, Judæi, nihil tibi, Juda, debemus. Salvationi quidem nostræ, non hoc vobis volentibus, impietas vestra servivit, et per vos factum est quidquid *manus Dei et consilium decreverunt fieri* (*Act.* IV, 28). Mors igitur Christi nos liberat, vos accusat. Merito soli non habetis quod omnibus perire voluistis. Et tamen tanta est nostri bonitas Redemptoris, ut etiam vos possitis consequi veniam, si Christum Dei Filium confitendo, illam parricidalem malitiam relinquatis. Non enim Dominus in cruce frustra oravit, dicens: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Quod remedium nec te, Juda, transiret, si ad eam pœnitentiam confugisses quæ te revocaret ad Christum, non quæ instigaret [h] ad laqueum. Dicendo enim: *Peccavi, tradens sanguinem justum* (*Matth.* XXVII, 4), in impietatis tuæ perfidia persististi: quia Jesum non Deum Dei Filium, sed nostræ tantummodo conditionis hominem [i] inter extrema mortis tuæ pericula credidisti; cujus flexisses misericordiam, si ejus non negasses omnipotentiam. Hæc hodie, dilectissimi, piis auribus vestris insinuata sufficiant, ne fastidium de prolixitate subrepat. Quæ autem desunt plenitudini, quarta feria auxiliante Domino reddenda promittimus: quoniam qui dedit quod loqui nunc sumus, dabit, sicut credimus, quod loquamur: [j] per Domi-

[a] Sic antiquissimus Vat. Al., *constricti*, vel *astricti*.

[b] Inseruimus *nobis* ex eodem Vat. et tribus aliis codd.

[c] Hic et in aliquibus aliis locis hujus sermonis quorumdam verborum collocationem ab editis diversam ad probationem mss. fidem exegimus.

[d] Ms Barb., *uti hac potestate noluit*.

[e] Prima editio et ms. Vat. collect 3 et 5: *Nam dilato*. Mox in alio Vat., *glorioso crucis triumpho*.

[f] Prima editio, *Reformatur* cum ms. Bon.

[g] Edd. ante Quesnellum, *ipso Patre*. Nostri codd. ut in textu, quem cum Quesnello retinuimus.

[h] Duo mss. Vatt., *in laqueum*. Mox *autem* pro *enim* in tribus mss. Vatt.

[i] Sic ex vetustissimo Vat. Al., *inter extremum mortis tuæ periculum*. Duo Vatt., *etiam inter extremum mortis tuæ periculum*.

[j] Ita ex eodem antiquissimo Vat. In prima editione: *Per Christum Dominum nostrum. Amen.* In aliis editis ante Quesnellum: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.* Similiter etiam plures mss. qui solum omittunt *Filium tuum*. Apud Quesn., *Per Dominum nostrum*

Digitized by Google

num nostrum Jesum Christum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LIII [*Al.* LI].

De Passione Domini II. Habitus feria quarta.

SYNOPSIS. — I. *Conversionem latronis, qui ad crucem usque reus, repente confessor Christi factus est, gratiæ opus esse.* — II. *Omnes creaturas, cum testimonium Christo in cruce reddiderunt, sententiam in Judæos protulisse.* — III. *Christianos humilitati et patientiæ Christi conformes fieri debere; nec aliam esse viam ad æterna.*

CAP. I. — Exigit fides, dilectissimi, ut partem sermonis quam de Domini Passione promisimus, eodem nobis auxiliante reddamus : **202** in quo nos orationibus vestris non ambigimus adjuvari. Ad commune enim pertinet lucrum, si potueritis me habere devotum : quia vestræ impenditur ædificationi quidquid nostræ tribuitur facultati. Post illud ergo impium Judæ detestandumque commercium, quo ab eo, Judaris persequentibus, mundi Redemptor est traditus, post illas sacrilegas illusiones, inter quas usque ad locum pœnæ ejus mansuetudo perducta est, crucifixi cum eo sunt, statutis utrinque patibulis, latrones duo : quorum unus ad id usque temporis par similisque consorti, insidiator viarum et saluti hominum semper infestus, usque ad crucem reus, fit Christi repente confessor; et inter illos acerrimos corporis animique cruciatus, quos simul et instantia et difficultas mortis augebat, mira conversionis mutatus, *Memento*, inquit, *mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 42). Quam istam fidem exhortatio persuasit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? Non viderat prius acta miracula, cessaverat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum, ea ipsa quæ mox erant gerenda, non aderant; et tamen Dominum confitetur et Regem, quem videt supplicii sui esse consortem. [a] Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipsa responsum; ait enim ei Jesus : [b] *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Ibid.*, 43). Excedit humanam conditionem ista promissio; nec tam de ligno crucis quam de throno editur potestatis. Ab illa altitudine præmium fidei datur, in qua chirographum humanæ transgressionis aboletur: quia se a forma servi Dei forma non dirimit, dum etiam inter ipsa supplicia proprietatem unitatemque suam servavit et Deitas inviolabilis, et natura passibilis.

CAP. II. — Adjicitur ad confirmationem spei nostræ totius attestatio creaturæ. Emittente spiritum Christo omnia elementa tremuerunt, densis tenebris splendor solis obductus, extraordinarie nocti subdidit diem; stabilitatem suam terra profundis concussionibus labefactata non tenuit, et petrarum firmitas, confracta soliditate, dissiluit. Velum templi, quo priorum mysteria ulterius non erant obumbranda, discissum est; et multorum sanctorum corporibus excitatis, ad præmuniendam resurrectionis fidem, monumenta patuerunt (*Matth.* XXVII, 51-53; *Marc.* XV, 38; *Luc.* XXIII, 45, 46). In vos ergo, Judæi, cœlum et terra sententiam tulit, vobis sol [c] servitutem suam diemque subtraxit, vobis famulatum suum elementorum ordines **203** denegarunt; et recedente a legibus suis ministerio creaturæ, vestra obcæcatio, vestra est significata confusio. Vobis enim dicentibus : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25); merito hoc vobis tributum est, ut quod vestri generis impia perdidit portio, assequatur hoc [d] fidelis gentium plenitudo.

CAP. III. — Nos ergo, dilectissimi, quibus Dominus noster Jesus Christus crucifixus, non scandalum, neque stultitia, sed Dei virtus Deique sapientia est (*I Cor.* I, 23); nos, inquam, spiritale semen Abrahæ, non in prole servitutis geniti, sed in familia libertatis renati; pro quibus in manu forti et brachio [e] extento de oppressione Ægyptiæ dominationis eductis, verus et immaculatus agnus immolatus est Christus (*I Cor.* V, 7); amplectamur salutaris Paschæ mirabile sacramentum, et ad ejus imaginem, qui deformitati nostræ conformis factus est, reformemur. Erigamur ad eum qui pulverem abjectionis nostræ, corpus fecit gloriæ suæ; et ut resurrectionis ejus mereamur esse consortes, humilitati et patientiæ ipsius per omnia congruamus. Magni nominis militiam, magnæ professionis suscepimus disciplinam. Sectatores Christi discedere a regia non licet via, sed dignum est temporalibus non occupari, ad æterna tendentes. Et quia pretioso sanguine Christi redempti sumus, glorificemus et portemus Deum in corpore nostro (*I Cor.* VI, 20) : ut ad ea quæ fidelibus præparata sunt pervenire mereamur, [f] per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LIV [*Al.* LII].

De Passione Domini III. Habitus Dominico die.

SYNOPSIS. — I. *Crucis et redemptionis mysterium antiquitus prefiguratum, duas in Christo naturas exigere.* — II. *Distinctas esse utriusque proprietates voluntariasque humanæ passiones.* — III. *Quam inique de bonitate Domini dubitet Judas, quem a corporis et sanguinis sui communione non repulerit.* — IV. *Tristitiam et formidinem nostram voluntarie a*

Jesum Christum Filium tuum, qui cum Deo et Spiritu sancto, etc. Editio Antuerpiensis an. 1583 idem ac Quesnellus, sed pro *Deo* habet *eo*.

[a] Prima editio : *Unde ergo oriebatur hoc donum, inde accepit*; etc.

[b] Eadem editio repetit, *Amen, amen*. Postea sub finem capitis *servant* pro *servavit* est in aliquibus mss. et post *unitatemque* primæ editionis exemplum, coll. 3 et unus codex Vaticanus coll. 4 desunt *suam*.

[c] Al., *virtutem*. QUESN.

[d] Prima editio, *fidelium gentium*. Mss. collect. 4 et 5, *fidelis gentilium*.

[e] Sic ex ms. S. Petri. Al., *excelso*.

[f] In vetustissimus Vat. 3835. In ms. S. Petri, *Per Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum*.

Digitized by Google

Christo fuisse susceptas. — V. *Petri conversionem interioris Christi intuitus opus fuisse.*—VI. *Quantorum malorum Judæis origo fuere clamores quibus Christum morti addixerunt.*

CAP. I. — Inter omnia, dilectissimi, opera misericordiæ Dei quæ ab initio saluti sunt **204** impensa mortalium, nihil est mirabilius, nihilque sublimius, quam quod pro mundo crucifixus est Christus. Huic enim sacramento universa præcedentium sæculorum mysteria servierunt, et quidquid [a] in hostiarum differentiis, in propheticis signis et legalibus institutis sacra dispensatione variatum est, hoc prænuntiavit dispositum, hoc promisit implendum : ut nunc imaginibus figurisque cessantibus hoc prosit credere jam effectum, quod antea profuit credidisse faciendum. In omnibus igitur, dilectissimi, quæ ad Domini nostri Jesu Christi pertinent passionem, hoc catholica fides tradit, hoc exigit, ut in Redemptorem nostrum duas noverimus convenisse naturas, et manentibus proprietatibus suis, tantam factam unitatem utriusque substantiæ, ut ab illo tempore quo sicut humani generis causa poscebat, [b] in beatæ Virginis utero *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), nec Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare quod Deus est. Exprimit quidem [c] sub distinctis actionibus veritatem suam utraque natura, sed neutra se ab alterius connexione disjungit. Nihil ibi ab invicem vacat, tota est in majestate humilitas, tota in humilitate majestas; nec infert unitas confusionem, nec dirimit proprietas unitatem. Aliud est passibile, aliud inviolabile; et tamen ejusdem est contumelia, cujus et gloria. Ipse est in infirmitate qui et in virtute; idem mortis capax, et idem victor est mortis. Suscepit ergo totum hominem Deus, et ita se illi, atque illum sibi misericordiæ et potestatis ratione conseruit, ut utraque alteri [d] natura inesset, et neutra in alteram a sua proprietate transiret.

CAP. II. — Sed quia dispensatio sacramenti, ad reparationem nostram ante sæcula æterna dispositi, nec sine humana infirmitate, nec sine divina erat consummanda virtute : [e] agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. [f] Illud ab æqualitate paternæ gloriæ non recedit, hoc naturam nostri generis non relinquit. Verumtamen etiam ipsa receptio passionum non ita est [g] affectioni nostræ humilitatis exposita, ut a potentia sit Divinitatis abjuncta. Quidquid Domino illusionis et contumeliæ, quidquid vexationis et pœnæ furor intulit impiorum, non de necessitate toleratum, sed de voluntate susceptum est : *Venit enim Filius hominis quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* X, 10); et sic ad **205** omnium redemptionem utebatur malitia persequentium, ut in mortis ejus resurrectionisque sacramento, etiam interfectores [h] sui possent salvi esse, si crederent.

CAP. III.—Unde scelestior omnibus, Juda, et infelicior exstitisti, quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. Exspectasses consummationem criminis tui, et donec sanguis Christi pro omnibus peccatoribus funderetur, informis lethi suspendium distulisses. Cumque conscientiam tuam tot Domini miracula, tot dona torquerent, illa saltem te a præcipitio tuo [i] sacramenta revocassent, quæ in paschali cœna jam de perfidia tua signo divinæ scientiæ detectus, acceperas. Cur de ejus bonitate diffidis, qui te a corporis et sanguinis sui communione non repulit, qui tibi ad comprehendendum se cum turbis et armatorum cohorte venienti pacis osculum non negavit (*Joan.* XVIII, 5)? Sed homo [j] inconvertibilis, *spiritus vadens et non revertens* (*Ps.* LXXVII, 39), cordis tui secutus es rabiem, et stante diabolo a dextris tuis (*Ps.* CVIII, 6), iniquitatem, quam in sanctorum omnium armaveras caput, in tuum verticem retorsisti : ut quia facinus tuum omnem mensuram ultionis excesserat, te haberet [k] impietas tua judicem, te pateretur tua pœna carnificem.

CAP. IV. — Cum igitur esset *Deus in Christo mundum reconcilians sibi* (I *Cor.* V, 19), et creaturam [l] ad conditoris sui imaginem reformandam, Creator ipse gestaret; peractis miraculis operum divinorum, quæ propheticus olim spiritus gerenda prædixerat : *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient; tunc saliet claudus ut cervus, et* [m] *plana erit lingua mutorum* (*Isai.* XXXV, 5); sciens Jesus adesse jam tempus gloriosæ Passionis implendæ, *Tristis est*, inquit, *anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38) : et iterum : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Ibid.*, *v.* 39). Quibus verbis quamdam formidinem profitentibus, nostræ infirmitatis **206** affectus participando curabat, et pœnalis experientiæ metum

[a] Præpositio *in* addita ex ms. Vat. 3835.
[b] Ms. S. Petri, *intra beatæ Virginis uterum.*
[c] Prima editio et cod. Bon., *sub diversis et distinctis.*
[d] Eadem editio et idem codex, *naturæ.*
[e] Eadem in epist. 28, ad Flavianum, c. 4.
[f] Correximus *Illud* ex vetustissimo Vat. Al., *Aliud.*
[g] Erat in editis *nostræ affectioni.* Postposuimus *nostræ*, uti adjectivum *humilitatis*, auctoritate memorati antiquissimi Vat. In uno ms. S. Petri, *afflictioni* pro *affectioni.*
[h] *Ejus* pro *sui* in Vat. laudato.
[i] *Sacramenta* ex antiquissimo Vat. et ex editis ante Quesnellum revocavimus. Mox *in perfidia tua* præfert codex S. Petri.
[j] Quædam editiones, *incorruptibilis*, vel *corruptibilis.* Dein pro *et stante* unus cod. S. Petri *in stante.*
[k] Idem cod. S. Petri et prima editio, *impietatis tuæ.*
[l] Sic ex antiquissimo Vat. nec non ex ms. S. Petri aliisque codd. Al., *creatoris.* Mox *conditor* pro *creator* in prima editione et cod. Bonon.
[m] Antiquissimus Vat., *clara.* Hoc Isaiæ loco utrumque *clara*, vel *plana* apud Patres invenitur, ut ostendit P. Sabbatier.

Digitized by Google

subeundo penebat. In nobis ergo Dominus [a] nostro pavore trepidabat, ut susceptionem nostræ infirmitatis induceret, et nostram inconstantiam suæ virtutis soliditate vestiret. Venerat enim in hunc mundum dives atque misericors negotiator [b] e cœlis, et commutatione mirabili inierat commercium salutare, nostra accipiens, et sua tribuens, pro contumeliis [c] honorem, pro doloribus salutem, pro morte dans vitam; et cui ad exterminationem persequentium poterant plusquam [d] duodecim millia angelicarum servire legionum (*Matth.* XXVI, 53), malebat nostram recipere formidinem quam suam exercere potestatem.

CAP. V. — Quantum autem universis fidelibus hac humilitate collatum sit, primus beatissimus [e] apostolus Petrus expertus est (*Ibid.*), qui, cum illum instantis sævitiæ vehementior procella turbasset, ad reparationem vigoris celeri mutatione conversus est, sumens de exemplo remedium, ut tremefactum repente membrum rediret ad sui capitis firmitatem. Non enim posset domino servus, et magistro major esse discipulus (*Matth.* X, 24; *Joan.* XV, 20), qui humanæ fragilitatis trepidationem non vinceret, nisi victor mortis ante timuisset. Respexit ergo Dominus Petrum (*Luc.* XXII, 61), et [f] inter calumnias sacerdotem, inter falsitates testium, inter cædentium et conspuentium injurias constitutus, illis turbatum discipulum convenit oculis, quibus eum prævideral esse turbandum: et in illum [g] ingressa est veritatis inspectio, ubi erat cordis facienda correctio; quasi quædam [h] illic vox Domini insonaret ac diceret: [i] Quo abis, Petre? quid in tua recedis? ad me convertere, in me confide, me sequere: meæ passionis hoc tempus est, nondum tui venit hora supplicii. Quid metuis, quod etiam ipse superabis? Non te confundat infirmitas, **207** quam recepi. Ego de tuo fui trepidus, tu de meo esto securus.

Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversum Jesum, ut eum morti traderent (*Matth.* XXVII, 1). Hoc mane, Judæi, non ortus vobis lucis contigit, sed occasus, nec vestris oculis solitus dies prodiit, sed impiis mentibus nox tetræ cæcitatis incubuit. Hoc mane vobis templum et altaria diruit, legem et prophetas ademit, regnum et sacerdotium sustulit, in luctum æternum omnia [j] vobis festa convertit. Inistis enim insanum cruentumque consilium, tauri pingues, vituli multi, frementes bestiæ, canes rabidi, ut morti auctorem vitæ et Dominum gloriæ traderetis: et tamquam extenuanda esset furoris vestri immanitas, si ejus sententia qui provinciæ vestræ præsidebat, uteremini, vinctum Jesum ad Pilati judicium deduxistis; ut clamoribus improbis trepido cognitore superato, interfectorem [k] hominum eligeretis ad veniam, et Salvatorem mundi peteretis ad pœnam. Post hanc damnationem Christi, [l] quam exsecuta est Pilati præsidis magis ignavia quam potestas, qui lotis manibus et ore polluto, iisdem labiis Jesum misit ad crucem, quibus eum [m] pronuntiaverat innocentem, multas illusiones Domino, sacerdotalibus serviens oculis, licentia popularis ingessit: et in mansuetudinem ejus qui hæc sponte tolerabat, furens turba sævivit. Sed quia multum est, dilectissimi, ut omnia hodiernus sermo percurrat, in quartam feriam, qua lectio Dominicæ Passionis iterabitur, residua differantur. Præstabit enim Dominus, orantibus vobis, ut ipsius dono, quod promittimus impleamus: [n] per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

208 SERMO LV [*Al.* LIII].

De Passione Domini IV. Feria quarta.

SYNOPSIS.—I. *De crucifixione Christi, in qua per latrones electorum et reproborum discretio figuratur.* — II. *Imperitas esse Judæorum in Christum blasphemias, cum prædictum esset, non eum descensurum, sed regnaturum a ligno.* — III. *In cruce, quæ veri altaris sacramentum est, sanguine Christi chirographum peccati esse deletum, et latronem mirabiliter conversum.*—IV. *De aceto degustato, verbo* Consummatum est, *inclinatione capitis et morte Christi.* — V. *Charitate et puritate parari corda ad paschale festum celebrandum.*

CAP. I.—Exspectationi vestræ, dilectissimi, quod

[a] Cod. S. Petri, *nostro pallore trepidabat, et susceptione se nostræ infirmitatis induerat, ut nostram*, etc.

[b] Editi, *cæli*. Emendavimus ex mss. antiquissimo Vat. et S. Petri. Prima editio, *et cæli commutatione*. Post pauca *sua tribuens* scripsimus cum vetustioribus editionibus ac duobus laudatis codd. Quesnellus, *sua retribuens*.

[c] Idem antiquis. Vat., *honores*, et dein *sanitates* pro *salutem*.

[d] Respicitur locus apud Matth. XXVI, 53, in quo licet nunc non legatur *millia*, sic tamen olim in nonnullis exemplaribus legebatur, uti videre est in antiquissimis Evangeliariis Veronensi, Brixiano et Forojuliensi a P. Blanchinio editis: unde etiam Augustinus in libro de Spiritu et Littera, c. 1 et 35, et Hilarius in psal. LIII, num. 1, in psal. LIV, n. 6, et lib. X de Trin. num. 42, similiter in suis codicibus legerunt.

[e] Sic nostri codd. et editi ante Quesnellum, apud quem, *Apostolus expertus est, cui cum*. Antiquissimus Vat. præfert vocem *Petrus*, sed delet *Apostolus*.

[f] Cod. S. Petri, *inter seniorum calumnias*.

[g] Sic antiquissimus Vat., codd. S. Petri et duo alii nostri codices Vatt. cum ms. Victorino, quem Quesn. ad marginem allegavit. Prima editio *egressa est*. Aliæ editiones cum mss. collect. 4, *conversa est*.

[h] Editi, *illi*. Correximus ex vetustissimo Vat. et cod. S. Petri.

[i] Prætulimus lectionem antiquissimi Vat. Al., *Quid habes, Petre? Quid in tuam conscientiam recedis?* Codex S. Petri, *quid intus recedis*, ubi *intus* pro *in tua* librarii lapsu scriptum videtur. Mox *revertere* pro *convertere* in mss. Vatt. collect. 4 et 5. *Reconvertere* autem in alio Vat.

[j] Addidimus *vobis* ex antiquissimo Vat. et ms. S. Petri.

[k] Sic quidam nostri codices Vatt. ut Quesnellus conjecit notatione ad marginem, non ausus immutare lectionem vulgatam *hominem*.

[l] Ita correximus ex mss. S. Petri et alio Lectionar. Vat. Accedit etiam antiquissimus Vat. 3835, in quo item legitur *quam*. Al., *qua excusata est Pilati præsidis ignavia magis quam potestas*.

[m] Aliqui mss. et prima editio, *prænuntiaverat*.

[n] Antiquissimus Vat., *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

Digitized by Google

debetur, Domino largiente reddendum est, promerentibus orationibus vestris, ut nos ad solvendum fœnus idoneos, qui vos ad exigendum [a] fecit intentos. Loquentes enim proxime de Dominæ Passione, usque ad evangelicæ historiæ venimus locum, in quo Pilatus [b] impiis Judæorum clamoribus, ut Jesus crucifigeretur, cessisse narratur. Peractis itaque omnibus quæ Divinitas fieri carnis velamine temperata permisit, Jesus Christus Filius Dei cruci quam etiam ipse [c] gestarat, affixus est, duobus latronibus, uno ad dexteram ipsius, alio ad sinistram, similiter crucifixis: ut etiam in ipsa patibuli specie monstraretur illa quæ in judicio ipsius omnium hominum est faciendæ discretio; cum et salvandorum figuram fides credentis [d] latronis exprimeret, et damnandorum formam blasphemantis impietas prænotaret. Passio igitur Christi salutis nostræ continet sacramentum, et de instrumento quod iniquitas Judæorum paravit ad pœnam, potentia Redemptoris [e] gradum nobis fecit ad gloriam: quam Dominus Jesus ita ad omnium hominum suscepit salutem, ut inter clavos quibus ligno tenebatur affixus, pro 209 interfectoribus suis [f] paternæ clementiæ supplicaret et diceret: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34).

CAP. II. — Principes autem sacerdotum, quibus indulgentiam Salvator petebat, supplicium crucis irrisionum aculeis [g] exasperabant; et in quem manibus amplius sævire non poterant, linguarum tela jaciebant, dicentes: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat* [h] *nunc de cruce, et credimus ei* (*Matth.* XXVII, 42). De quo [i] erroris fonte, Judæi, de quo invidiæ lacu, talium blasphemiarum venena potastis? Quis vobis magister tradidit, quæ doctrina persuasit, quod illum regem Israel, illum Dei Filium credere deberetis, qui se [j] aut crucifigi non sineret, aut a confixione clavorum liberum exueret? Non hoc vobis legis mysteria, non paschalis observantiæ sacramenta, nec ulla unquam prophetarum ora cecinerunt; sed illud vere abundeque legistis, quod ad detestabilem vestri sceleris impietatem et ad voluntariam Domini pertinet passionem. Ipse enim per Isaiam loquitur: *Dorsum meum dedi ad flagella,* [k] *maxillas meas ad palmas, faciem autem meam non averti a confusione sputorum* (*Isai.* L, 6). Ipse per David, *Dederunt,* inquit, *in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* (*Ps.* LXVIII, 22). Et iterum: *Circumdederunt me canes multi,* [l] *concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Ps.* XXI, 17). Et ne sceleris tantum vestri videatur ordo prædictus, nulla autem potentia prænuntiata crucifixi, non quidem legistis, Dominus [m] descendit de cruce; sed legistis: *Dominus regnavit a ligno* (*Ps.* XCV, 10).

CAP. III. — Crux ergo Christi sacramentum veri et prænuntiati habet altaris, ubi per hostiam salutarem, naturæ humanæ celebraretur oblatio. Ibi sanguis Immaculati agni antiquæ prævaricationis pacta delebat: ibi tota diabolicæ dominationis conterebatur adversitas, et [n] de elatione superbiæ victrix 210 humilitas triumphabat; cum tam velox fidei esset effectus, ut de crucifixis cum Christo latronibus, qui in Christum Filium Dei credidit, paradisum justificatus intraverit. Quis tanti muneris explicet sacramentum? quis potentiam tam miræ commutationis enarret? Exiguo temporis puncto, longorum scelerum reatus abolebatur; inter luctantis animæ dura tormenta, hærens patibulo transit ad Christum; et cui propria impietas intulit pœnam, Christi gratia dat coronam.

CAP. IV. — Hinc jam degustato aceto, Dominus, quod illa dabat vinea, quæ ab auctoris sui plantatione degenerans, conversa fuerat in amaritudinem vitis alienæ. *Consummatum est* (*Matth.* XXI, 38; *Joan.* XIX, 30), ait; hoc est, completæ sunt Scripturæ: non est amplius quod [o] de insaniâ populi furentis exspectem; nihil mihi restat quam me passurum esse prædixi. Peracta sunt mysteria infirmitatis, promantur documenta virtutis. *Inclinato* itaque *capite emisit spiritum*, et in corpus die tertio suscitandum, quietem placidi soporis admisit. Cui sacramento cum se vitæ auctor impenderet, et ad tantam divinæ majestatis inclinationem totius mundi compago quateretur, cum facinus impium omnis [p] sui confusione

[a] Prima editio, *facit.*

[b] Forte *improbis* legendum Latinus Latinius conjecit in Bibliothe. sacr. et profana, uti in sermone superiori c. 6.

[c] Prima editio, *gesserat.*

[d] Antiquissimus Vat. 3835 omittit *latronis.*

[e] Etsi nomen *gaudium* pro *gradum* a Quesnello substitutum, pluribus et potioribus nostris mss. confirmetur; tamen editorum tamen lectionem *gradum* quam exemplar primæ editionis collect. 5 approbat, revocavimus, tum quia congruentior est, tum quia serm. 51, cap. 7, similiter legitur: *Per Crucis supplicium gradus vobis ascensionis parat ad regnum.*

[f] Antiquissimus Vat., *paternam clementiam.*

[g] Ita ms. S. Petri; alias *asperabant.*

[h] Adverbium *nunc* desideratur in vetustissimo Vat.

[i] Forte *furoris*, ut Latinus Latinius in Bibliotheca conjecit.

[j] Vocem *aut* addidimus ex mss. S. Petri et antiquissimo Vat., in quo postremo post vocem *liberum* subjicitur *corpus.* Paulo post, *Prophetarum oracula cecinerunt* in quibusdam mss. Vatt.

[k] Idem Vat., *maxillas autem meas*, et mox *in esca mea.*

[l] Emendavimus ex eodem Vat. Al. *consilium.* Dein *conspexerunt* pro *inspexerunt* scripsimus ex eodem codice et alio Vat. collect. 5. Prima editio, *inspexerunt in me.*

[m] Prima editio et tres codd., *descendet.*

[n] Cod. S. Petri, *de elisione.*

[o] Sic correximus ex codice S. Petri. In codice Patav. S. Antonii errore librarii, *ab insani*, cum scribendum fuerit *ab insania.* Alii codd. et editi, *insaniam.* Prima autem editio, *non est aliud quo insaniam populi.*

[p] Ms. S. Petri, *sua confusione.* Unus Vat., *confessione* pro *confusione*: *natura* pro *creatura* in prima editione.

creatura damnaret, et manifestam in reos sententiam ipsa [a] mundi elementa proferrent! qui vobis animus, Judæi, quæ conscientia fuit; quando et vos judicium universitatis urgebat, et revocari ad se consummato scelere impietas vestra non poterat? Qualis confusio vos operuit? quæ cor vestrum pœna suscepit?

Cap. V. — Cum igitur, dilectissimi, tanta sit misericordia Dei, ut etiam de tali populo multos per fidem justificare dignatus sit, nosque [b] sub veteris quondam ignorantiæ profunda nocte pereuntes, in patriarcharum societatem, et in sortem electi generis adoptarit: ad altitudinem spei nostræ non segniter neque [c] cum torpore curramus; sed prudenter ac fideliter cogitantes, de quali captivitate et quam misera servitute, quo pretio redempti, et quo brachio sumus educti, glorificemus Deum in corpore nostro; 211 ut habitare eum in nobis, ex ipsa conversationis nostræ probitate monstremus. [d] Et quia nihil est in omnium virtutum dignitate præstantius quam pietas misericordiæ et puritas castitatis, his nos præsidiis specialius instruamus, ut charitatis opere ac nitore pudicitiæ, tanquam duabus elevati alis, de terrenis mereamur esse cœlestes. Quo desiderio quisquis gratia Dei adjutus impletur, et de profectu suo non in se, sed in Domino gloriatur, hic legitime honorat paschale sacramentum. Hujus limina vastator angelus sanguine agni et signo crucis prænotata non intrat. [e] Is plagas Ægyptias non pavescit, et iisdem aquis hostes suos reliquit exstinctos quibus est ipse salvatus. Amplectamur itaque, dilectissimi, purificatis mentibus atque corporibus, salutis nostræ mirabile sacramentum, et ab omni fermento malitiæ veteris emundati (I *Cor.* v, 7), Pascha Domini cum digna [f] observantia celebremus: ut regente nos Spiritu sancto, a charitate Christi nullis tentationibus separemur, qui in sanguine suo pacificans omnia, et in altitudinem paternæ gloriæ se recepit, et humilitatem sibi servientium non reliquit, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LVI [*Al.* LIV].

De Passione Domini V. Die Dominica habitus.

Synopsis. — I. *Salutem nostram esse in cruce positam; in qua æqualitate et potentia, divinitate et humanitate veritatis Christus.* — II. *De oratione Christi et duplicis voluntatis conflictu, qui ad nostram eruditionem ordinatus est.* — III. *De Christi erga Judam lenitate, scelerata Judæ pœnitentia, et hominis per Christum redemptione.*

Cap. I. — Creator et Dominus omnium rerum Christus post insuitatum sacræ Virginis partum, post adoratā magorum confessione 212 cunabula, et post multiplicem doctrinam cœlestis eloquii et variarum curationum medelas imperio verbi potentis effectas, dispensationem omnium sacramentorum omniumque virtutum salutifera passione consummat. Christianæ igitur spei, dilectissimi, vera ratio et principalis causa crux Christi est: quæ licet *Judæis* sit *scandalum, gentibus autem stultitia*, nobis tamen *Dei virtus est, Deique sapientia* (I *Cor.* I, 23). Unde summum hoc et potentissimum divinæ misericordiæ sacramentum semper quidem in cordibus nostris cum tota sui dignitate retinendum est, sed nunc vivaciorem animi sensum et puriorem exigit mentis intuitum, quando nobis non solum recursu temporis, sed etiam textu evangelicæ lectionis omne opus nostræ salutis ingeritur. Nihil ergo apud nos loci cogitationes habeant impiorum, nec integritatem sanæ intelligentiæ, aut Judaica offensio, aut gentilis corrumpat irrisio: ut quod pro nobis non solum humiliter, sed etiam sublimiter gestum est, aut secundum hominem impossibile, aut secundum Deum videatur indignum. Utrumque autem recipi, utrumque convenit credi: quia nemo hominum [g] potest, nisi in utroque salvari. Justus enim et misericors Deus, [h] non sic jure suæ voluntatis est usus, ut ad reparationem nostram, solam potentiam benignitatis exereret: sed quia consequens fuerat ut homo faciens peccatum, servus esset peccati (*Joan.* VIII, 34), sic medicina ægris, sic reconciliatio reis, sic redemptio est impensa captivis, ut condemnationis [i] justa sententia justo liberatoris opere solveretur. Nam si pro peccatoribus sola sè opponeret Deitas, non tam ratio diabolum vinceret quam potestas. Et rursum, si causam lapsorum sola ageret natura mortalium, [j] non exueretur a conditione, quæ libera non esset a genere. Unde

[a] Vox *mundi* adjecta est ex duobus præstantissimis codd. Vat. et S. Petri; ex quibus et aliis mss. ac nonnullis etiam editionibus *quis vobis* reposuimus pro *qui vobis*. Mox in vetustissimo Vaticano postrema hujus capitis verba sic efferuntur: *Quæ conscientia fuit? qualis confusio vos operuit? quæ cor vestrum pœna suscepit? quando et judicium vos universitatis urgebat, et revocare sé a consummato scelere impietas vestra non poterat? Cum igitur*, etc.

[b] Idem Vat., *sub veteri quondam ignorantiæ nocte*. Prima editio, *sub veleri quondam ignorantiæ profunda nocte*.

[c] Al. in margine editorum, *cum tempore*, et ita nostri codd. collect. 5.

[d] Unus ms. Vat. et alius S. Petri, *ut quia*. Dein, *et charitatis* in prima editione, loco *ut charitatis*.

[e] In ms. S. Petri, *ipsas plagas*. Mox post vocem *hostes* addidimus *suos* ex antiquissimo Vat.

[f] Sic Quesnellus cum nostris codd. Anteriores editiones, *observatione*. Porro *observantia* pro *jejunio* apud Leonem frequens invenitur.

[g] Antiquissimus Vat. 3835, *posset*; alius Vat. collect. 5, *possit*.

[h] Cum corruptus esset hic locus, Quesnellus edidit, *non sic muneré*, notans in margine: *Ita ope editionis Venetæ anni 1505. quæ ex antiquiori anni 1485 expressa est, emendatum; cum legeretur, non sic injuria*, in omnibus excusis, et quos vidi mss. codicibus. Prima pariter editio, ex qua sumpta fuit Veneta an. 1485, cum codd. collect. 5, habet *munere*; sed neque hoc plane satisfacit. Veram lectionem, *non sic jure*, suppeditavit antiquissimus Vat. codex. Mox, *exercerel* pro *exereret* in prima editione.

[i] Sic melius ex eodem Vat. Al., *justa*.

[j] Sic sex nostri codd., et melius quam *eruetetur*, ut erat in editis; *exui* enim *a conditione* dicebatur pro *liberari a servitute*. Unde apud S. Zenonem l. I, tract 10. n. 5, *Multi conditionibus duris exuti*; in quem locum plura annotavimus. Quesnellus in margine suspicatus est pro *eruetetur* legendum forte *erueret*; dic, *exueret*.

Digitized by Google

oportuit in unum Dominum nostrum Jesum Christum et divinam et humanam convenire substantiam, ut mortalitati nostræ per Verbum carnem factum et origo novi hominis subveniret et passio.

Cap. II. — Cum igitur in Christo Jesu [a] Judæorum cæcitas quæ sunt divina non videat, gentilium sapientia quæ sunt humana **213** contemnat; illis adversus gloriam Domini calumniantibus, istis contra humilitatem superbientibus : nos Dei Filium, et in suis virtutibus, et in nostris infirmitatibus adoramus; nec erubescimus crucem Christi, et inter contradicentium linguas nec de morte ipsius, nec de resurrectione dubitamus. Quoniam quod superbos ad infidelitatem trahit, hoc nos ad fidem dirigit ; et quod apud illos est materia confusionis, hoc apud nos est causa pietatis. Admonitis igitur discipulis Dominus, ut contra vim tentationis instantis vigilanti oratione certarent, ipse [b] Patri supplicans, ait: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth.* xxvi, 39). Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis : illud optavit ex nostro, hoc elegit [c] ex proprio : nec enim æqualis Patri Filius omnia esse Deo possibilia nesciebat, aut ad suscipiendam crucem sine sua in hunc mundum voluntate descenderat, ut hanc diversarum affectionum compugnantiam perturbata quodammodo ratione pateretur. Sed ut suscipientis susceptæque naturæ esset manifesta distinctio, quod erat hominis, divinam desideravit potentiam; quod erat Dei, ad causam respexit humanam. Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior, et cito demonstratum est quid possit a trepidante orari, et quid non debeat a medente concedi. Quia enim nos *quid oremus, sicut oportet, nescimus* (*Rom.* viii, 26), et utile nobis est ne fiat plerumque quod volumus; Deus justus et bonus, quando ea quæ nocitura sunt, petuntur, negando miseretur. Voluntatis ergo nostræ correctionem Dominus cum trina oratione firmasset, gravatis adhuc mœrore discipulis, *Dormite jam*, inquit, *et requiescite. Ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite,* [d] *eamus. Ecce appropinquavit qui me tradet* (*Matth.* xxvi, 45, 46).

Cap. III. — Inter ipsa autem verba Domini, qui prædicti fuerant, irruerunt, et cum gladiis et fustibus comprehensura Christum turba confluxit, ducem sequens Judam Ischariot, qui privilegio perfidiæ obtinuerat in facinore principatum. Huic ne criminis causam aliqua præberet offensio, nulla est negata dignatio; sed illius spiritu inflammatus exarsit, cui ministerium sponte [e] præbuit; et qualem habuit mentem, talem invenit et præsidem. Merito, sicut [f] et propheta prædixerat, *oratio ejus facta est in peccatum* (*Ps.* cviii, 7) : **214** quoniam consummato scelere, [g] tam perversa ipsius conversio fuit, ut etiam pœnitendo peccaret. Admittit ergo in se Filius Dei impias manus, et quod sævientium furore agitur, [h] patientis potestate completur. Hoc enim erat illud magnæ pietatis sacramentum, quod [i] Christus consectabatur injuriis : quas si aperta potentia et manifesta virtute propelleret, divina tantum exerceret, non humana curaret. In omnibus autem quæ [j] illi popularis et sacerdotalis insania contumeliose et procaciter inferebat, nostræ diluebantur maculæ, nostræ expiabantur offensæ : quia natura, quæ in nobis [k] rea semper fuerat atque captiva, in illo innocens patiebatur et libera; ut ad auferendum peccatum mundi, ille hostiam se Agnus offerret, [l] quem et omnibus corporalis substantia jungeret, et ab omnibus spiritalis origo discerneret. Hæc hodie, dilectissimi, auribus vestris insinuata [m] sufficiant. Cætera in quartam feriam differantur, auxiliante Domino orationibus vestris, qui præstare dignabitur, ut quod promittimus impleamus : [n] per eumdem Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LVII [*Al.* LV]

De Passione Domini VI. Feria quarta

Synopsis. — I. *Christum voluntarie comprehensum noluisse defendi.* — II. *Christum iisdem verbis infidelium conscientias cædere, fidelium corda firmare : Caiphan, dum vestem suam scidit, sacerdotali se honore spoliasse.* — III. *Quæ cæcitas sacerdotum, qui linguis crucifigunt Christum, et manus retrahere a cæde videri volunt. Eorumdem circa pecuniam Judæ cæca superstitio.* — IV. *Christum in cruce exaltatum omnes creaturas in suæ passionis communionem traxisse.* — V. *Christianos tanto pretio redemptos a diaboli laqueis cavere debere, qui vana astrorum scientia homines deludit.*

Cap. I. — Sponsionis nostræ memores, dilectissimi, sanctitati vestræ reddimus quod debemus, **215** affuturam sperantes gratiam Dei, ut inde nobis proveniat devotio, unde est incitata promissio. Comprehensus Christus Dominus a turbis quas principes sacerdotum et doctores legis armaverant, ut impleret

[a] Erat in excusis, *Judæorum duritia quæ sunt divina, gentilium cæcitas quæ sunt humana contemnat.* Duo Vatt. mss. collect. 4 et 5, et Lectionar. Patav. S. Antonii : *Judæorum cæcitas, quæ sunt humana contemnat;* ubi *cæcitas* Judæis tribuitur, et per saltum a *quæ sunt divina* ad *quæ sunt humana* librarii transcurrerunt. Emendationem vetustissimus Vat. suggessit.

[b] In uno Vat. deest *Patri.*

[c] Sic ex antiquissimo Vat. Al., *in proprio.*

[d] Prima editio, *eamus hinc.*

[e] Antiquissimus Vat. addit *se;* et videtur legendum : *cui ministrum sponte se præbuit.*

[f] In eodem Vat. desideratur *et.*

[g] Ex eodem antiquissimo Vat. emendavimus. Al., *tam perversa impii conversio.*

[h] Ita ex eodem codice, ubi editi habebant : *patienti potestate complevit.*

[i] Prima editio et unus Vat. collect. 5, *Christi consecrabatur injuriis.*

[j] Correctum ex vetustissimo Vat. Al., *illa.*

[k] Ita ex eodem ms. et bene; cum *rea* et *captiva* contraponantur *innocenti* et *liberæ.* Editi et alii codd., *victa.* Prima editio cum ms. Bon., *vincta.*

[l] Prima editio, *quem et omnibus corporalibus substantia jungeret, et ab omnibus spiritualibus origo discerneret.* In duob. Vat. mss. collect. 4 et 5 habetur pariter, *corporalibus.*

[m] Antiquissimus Vat., *suffecerint.*

[n] Hanc clausulam, quæ deerat, adjecimus ex vetustissimo Vat. In alio cod. Vat. pro *impleamus,* legitur *implere valeamus.*

Digitized by Google

dispensationem, [a] cohibuit potestatem; et beatum apostolum Petrum humana adversum irruentes animositate commotum, gladio abstinere præcepit (*Matth.* xxvi, 53). Superfluum enim erat ut qui nolebat præsidio angelicarum legionum juvari, vellet se unius discipuli oppositione defendi. Perpetraverit licet ferox turba quod voluit, et de sceleris sui exsultarit [b] effectu; major tamen comprehensi virtus, quam comprehendentium fuit. Judæorum enim cæcitas nihil obtinuit, nisi ut sua impietate se perderet; Christi vero patientia hoc egit, ut omnes sua Passione salvaret.

Cap. II. — Perducto autem Jesu ad Caipham principem sacerdotum, quo scribæ et omnis sacerdotalis ordo convenerat (*Matth.* xxvi, 57), falsa adversum Dominum testimonia quærebantur; sed inter inconditas et dissonas voces hoc Jesus mirabiliter elegerat, [c] ut taceret. Caiphæ tamen dicenti : *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei* (*Ibid.*, 63) : ita veraci ac provida auctoritate respondit, ut iisdem verbis et infidelium conscientias [d] cæcaret, et credentium corda firmaret, ad omnem interrogationem ejus referens, *Tu dixisti;* addensque quod sequitur : *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris* [e] *virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli* (*Ibid.*, 64). Caiphas autem ad exaggerandam auditi sermonis invidiam, *scidit vestimenta sua :* et nesciens quid hac significaret insania, sacerdotali se honore privavit. Ubi est, Caipha, rationale pectoris tui? ubi continentiæ cingulum? ubi superhumerale virtutum? Mystico illo sacratoque amictu ipse te spolias, et propriis manibus pontificalia indumenta discerpis, oblitus præcepti illius, quod legeras de principe sacerdotum : *De capite suo cidarim non deponet, et vestimenta sua* [f] *non disrumpet* (*Lev.* xxi, 10). Tu vero, a quo jam alienabatur hæc dignitas, ipse tibi es exsecutor opprobrii; et ad manifestandum finem veteris instituti, [g] eadem disruptio sacerdotalem aufert ornatum, quæ mox et templi discidit velum.

Cap. III. — Hinc jam, dilectissimi, inter multiplicatas illusiones nocte transacta, vinctum Jesum **216** Pilato præsidi tradiderunt. Principes enim sacerdotum et seniores populi hoc consilio rem gerebant, ut ab actione sceleris [h] sui viderentur immunes, subtrahentes opera manuum, et [i] exerentes tela linguarum, nolentes interficere, et clamantes, *Crucifige, crucifige.* Quid hac specie religionis injustius? quid hac clementiæ simulatione crudelius? Qua lege, Judæi, quod vobis non licet facere, licet velle? qua ratione, quod corpora polluit, corda non lædit? Contaminari occisione ejus metuitis, cujus super vos et super filios vestros fundi sanguinem postulastis (*Joan.* xviii, 28). Si non tantum facinus vestra impietas peragit, permittite præsidem judicare quod sentit. Sed vos etiam in ipsum graves atque violenti, in id eum declinare non sinitis, a quo ipsi mendaciter abstinetis. Peccaverit Pilatus faciendo quod noluit, in vestram tamen conscientiam confluit quidquid furor vester extorsit. Talis etiam illic vestra observantia fuit, ubi pretium, quod vobis Christi venditor reportavit, mitti in gazophylacium noluistis, caventes scilicet ne sacros loculos pecunia cruenta pollueret. Cujus cordis est ista simulatio? Sacerdotum conscientia capit quod templi arca non recipit (*Matth.* xxvii, 6). Refutatur illius sanguinis taxatio, cujus non timetur effusio. Quantislibet ita vos fallaciæ circumtegatis umbraculis, initum est cum traditore commercium, quo justum sanguinem, sicut non licuit comparari, [j] sic non licuisset effundi.

Cap. IV. — Seditiosis igitur clamoribus Judæorum [k] cedente Pilato, in loco, cui nomen est Golgotha, crucifigitur Christus (*Matth.* xxvii, 24). [l] Per lignum erigitur lapsus in ligno, et gustu fellis et aceti diluitur esca peccati. Merito priusquam traderetur, dixerat Dominus : *Cum exaltatus fuero, omnia ad me traham* (*Joan.* xii, 32) : id est, totam causam humani generis agam, et olim perditam in integrum revocabo naturam. In me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga sanabitur. Exaltatum autem Jesum ad se traxisse omnia, non solum nostræ substantiæ passione, sed etiam totius mundi [m] commotione monstratum est. Pendente enim in patibulo creatore, universa creatura congemuit, et Crucis clavos omnia simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc in communionem [n] sui et terram traxit et cœlum, hoc petras rupit, monumenta aperuit, **217** inferna reseravit, et densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit. Debebat [o] enim hoc testimonium suo mundus auctori, ut in occasu conditoris sui vellent universa finiri. Sed patientia Dei servat rebus atque temporibus ordinem suum,

[a] Editi, *cohibet.* Emendavimus ex antiquissimo Vat. 3835 et ex Lectionario S. Petri, in quo *dispositionem*, pro *dispensationem.*

[b] Editi, *affectu.* Correctionem præbuerunt duo laudati codices.

[c] In ms. S. Petri, *ut tacendo vinceret.*

[d] Editi et aliqui codd., *cæderet.* Ex duobus memoratis mss. correximus : *cæcaret* autem refertur ad illa Isaiæ c. vi, v. 10 : *Excæca cor populi hujus.*

[e] In editis ante Quesn. desideratur *virtutis.*

[f] Codex S. Petri, *non scindet.*

[g] Sequentia supplevimus ex Lectionariis S. Petri et antiquissimo Vat. in quo altero solum legitur *auferret* pro *aufert*, in altero autem *discindit* loco *discidit.* Erat in vulgatis et aliis codd. quos vidimus : *veteris instituti pertinet eadem diruptio sacerdotii. Hinc jam*, etc.

[h] Rainaudi et Quesnelli editiones delent *sui :* restituimus ex anterioribus editis, nostrisque codd.

[i] Quædam editiones, *exercentes*, male : et aliquanto post *totum facinus* loco *tantum facinus.*

[j] Præferenda visa est hæc lectio ms. S. Petri. Al., *ita debuit non effundi.*

[k] Ita optime emendavit Quesnellus, ut habent etiam nostri codd. Cæteri editi, *sedente.*

[l] Cod. Bon. *Merito igitur per lignum.*

[m] Sic ex antiquissimo Vat. et ms. S. Petri. Al. perperam *commutatione.*

[n] Antiquissimus Vat., *suam*, et dein *monumenta patefecit.*

[o] Addidimus *enim* ex duobus præstantissimis Romanis codd. sæpius memoratis.

Digitized by Google

nosque in illum potius [a] invitat affectum, ut eorum A salutem petamus, quorum crimen horremus.

Cap. V.—Tanto igitur pretio, [b] tantoque sacramento eruti de potestate tenebrarum, et ab antiquæ captivitatis vinculis absoluti, date operam, dilectissimi, ut integritatem mentium vestrarum nulla diabolus arte corrumpat. Quidquid [c] vobis contra Christianam fidem ingeritur, quidquid contra mandata Dei suadetur, de illius deceptionibus venit, qui vos innumeris dolis ab æterna vita conatur avertere, captando quasdam occasiones infirmitatis humanæ, per quas incautas negligentesque animas in laqueos [d] iterum suæ mortis inducat. Omnes ergo per aquam et Spiritum sanctum renati, recolant cui renuntiaverint, et qua professione jugum a se tyrannicæ dominationis excusserint : nec in secundis quisquam, nec in B adversis, ad mortiferum diaboli currat auxilium. Ille enim mendax est ab initio (*Joan.* VIII, 44), et in sola viget arte fallendi, ut humanam ignorantiam falsæ [e] scientiæ ostentatione decipiat, sitque eorum nunc malignus impulsor, quorum post futurus est improbus accusator. Anni vitæ nostræ et actionum temporalium qualitates nec in natura elementorum, nec in stellarum effectibus, sed in summi et veri Dei potestate consistunt, cujus auxilium et misericordiam in omnibus [f] quæ recte cupimus, implorare debemus. Sicut enim illo, quod absit, offenso, nihil est [g] præter ipsum, quod nobis valeat suffragari ; ita eodem propitio, nulla nobis nocebit adversitas. *Quoniam si Deus pro nobis, quis contra nos? qui filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum,* C *quomodo non etiam cum illo omnia nobis* [h] *donabit* (*Rom.* VIII, 31)? Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

218 SERMO LVIII [*Al.* LVI].

[i] *De Passione Domini VII ; habitus die Dominico.*

Synopsis. —I. *Cur in solemnitate paschali pati Christus elegerit.* —II. *Judæos crimini intentos, ea quæ legis erant, omisisse.* —III. *Christum eo tempore corporis et sanguinis sacramentum condidisse, quo consilium de morte ejus habebatur : ejusdem in Judam benignitas, et Judæ pervicacia.* —IV. *Judam corpore cœnæ affuisse, mente sceleri intentum. Christi sermo post cœnam, oratio in horto, commune cum Patre de morte sua consilium.* —V. *Christi oratione et trepidatione nostram formidinem pelli.*

Cap. I.—Scio quidem, dilectissimi, paschale [j] festum tam sublimis esse mysterii, ut non solum humilitatis meæ tenuissimum sensum, sed etiam magnorum ingeniorum superet facultatem. Sed non ita mihi divini operis consideranda est magnitudo, ut vel diffidam, vel erubescam de servitute quam debeo ; cum sacramentum salutis humanæ non liceat [k] taceri, etiamsi nequeat explicari. Auxiliantibus autem orationibus vestris, affuturam credimus gratiam Dei, quæ inspirationis suæ rore sterilitatem nostri cordis [l] aspergat, ut linguæ pastoralis officio, quæ sancti gregis auribus sint utilia, proferantur. Dicente enim Domino bonorum omnium largitore : *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud* (*Ps.* LXXX, 11), audemus [m] eidem verbis propheticis dicere : *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam* (*Ps.* L, 17). Incipientes igitur, dilectissimi, evangelicam de Passione Domini historiam retractare, divino intelligimus dispositum fuisse consilio, ut sacrilegi Judæorum principes et impii [n] sacerdotes, qui sæviendi in Christum occasiones sæpe quæsiverant, non nisi in solemnitate paschali exercendi furoris sui acciperent potestatem. Oportebat enim ut manifesto implerentur effectu, **219** [o] quæ diu fuerant figurato promissa mysterio : ut ovem significativam ovis vera removeret, [p] et ut uno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum. Nam omnia illa quæ de immolatione agni divinitus per Mosen fuerant [q] præstituta, Christum prophetaverant, et Christi occisionem proprie nuntiaverant. Ut ergo umbræ cederent corpori, et cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua observantia [r] novo tollitur sacramento, hostia in ho-

[a] Sic antiquissimus Vat. Al., *vocat.*

[b] Ita idem Vat. Al., *tanto*, sine *que*.

[c] Ex tribus nostris potioribus codd. reposuimus *vobis* pro *nobis*, et paulo post, *qui vos* pro *qui nos*.

[d] God. Bon. et prima editio, *tandem* pro *iterum*. Ms. S. Petri utrumque prætermittit.

[e] Duo mss. S. Petri et Vat., *conscientiæ*, quæ vox sumitur pro cognitione seu notitia communi cum aliis.

[f] Editi et aliqui codd., *quæ obtinere cupimus*. Magis placuit lectio memoratorum codicum.

[g] Additimus *præter ipsum* ex iisdem duobus codd. In alio Vat. legitur *præter*, omisso perperam *ipsum*.

[h] Sic nostri potiores codices et quidam editi. Al., *donavit*.

[i] Prima editio et codd. collect. 5, *De Pascha Domini*.

[j] Prima editio cum ms. Bon., *festum tam solemne, et tam sublimis*.

[k] Sic cum Quesnello et prima editione nostri codd. Al., *tacere*.

[l] Ita cum eodem Quesn. ms. S. Petri, unus Vat. et Vercell. Cæteræ editiones cum vetustissimo Vat. et alio cod. collect. 5, *abstergat*.

[m] In prima edit. et ms. Vercell., *eisdem*.

[n] Idem Vercell. cod. omittit *impii*, et paulo post, *sui*.

[o] Antiquissimus Vat., *quæ diu prophetico fuerant promissa mysterio, ut ovem figuratam ovis vera removeret.* Codex Vercellensis, *quamque pro ut ovem.* At codd. basilicæ S. Petri cum aliis non paucis vulgatam lectionem exhibent.

[p] Exemplar Pauli Diaconi, *et uno*, deleta particula *ut*, quæ superfluere et ad nauseam fere repeti videtur. In Vat. 344, collect. 5, inter hæc locus effertur : *et ut explete sacrificio variarum victimarum differentia cessaret.* Hæc quidem concinunt cum illis sermonis sequentis cap. 7 : *Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis tui implet oblatio.* At cum mox in hoc sermone habeatur, *cessarent imagines sub præsentia veritatis*, lectionem vulgatam, quæ et pluriam et meliorum est codicum, haud immutandam putavimus.

[q] In duobus mss. S. Petri, et in Vercell., *instituta*. Mox *prophetaverunt* et *nuntiaverunt* in Homil. Pauli Diac. et in prima editione.

[r] Placuit sequi antiquissimum Vat. cui congruunt editi ante Quesnellum et plerique nostri codices, ac præsertim S. Petri. Quesnellus cum Vercell. Vat.

Digitized by Google

stiam transit, sanguine sanguis aufertur, et legalis festivitas dum mutatur, impletur.

CAP. II. — Unde cum scribas et seniores populi [a] ad impium consilium pontifices congregarent, omniumque animos sacerdotum cura admittendi in Jesum sceleris occupasset, ipsi se doctores legis lege privarunt, et spontaneo defectu ritus sibi patrios [b] sustulerunt. Incipiente enim festivitate paschali, qui ornare templum, mundare vasa, victimas providere, et legitimis purificationibus sacratiorem diligentiam adhibere debuerant, parricidalis odii furore concepto, ad unum opus vacant, et in unum facinus simili crudelitate conjurant, [c] nil assecuturi supplicio innocentiæ [d] et condemnatione justitiæ, nisi ut et nova mysteria non apprehenderent, et antiqua violarent. Providentibus ergo principibus, ne in die [e] sancto tumultus oriretur, non festivitati, sed facinori studebatur; nec religioni [f] serviebat hæc cura, sed crimini. Diligentes enim pontifices et solliciti sacerdotes, seditiones turbarum fieri in præcipua solemnitate metuebant, 220 non ut populus non peccaret, sed ne Christus evaderet.

CAP. III. — At Jesus consilii sui certus, et in opere paternæ [g] dispositionis intrepidus, vetus Testamentum consummabat, et novum Pascha condebat. Discumbentibus enim [h] secum discipulis ad edendam mysticam cœnam, cum in Caiphæ atrio tractaretur quomodo Christus posset occidi, ille corporis et sanguinis sui ordinans sacramentum, docebat qualis Deo hostia deberet offerri, ne ab hoc quidem mysterio traditore submoto; ut ostenderetur nulla injuria exasperatus, qui in voluntaria erat impietate [i] præscitus. Ipse enim sibi fuit materia ruinæ et causa perfidiæ, sequens diabolum ducem, et nolens Christum habere rectorem. Dicens itaque Dominus: A *Amen dico vobis, quod unus vestrum me traditurus est* (*Matth.* XXVI, 21), notam sibi proditoris sui conscientiam demonstravit: non aspera nec aperta impium increpatione confundens, sed leni ac tacita admonitione conveniens; ut facilius corrigeret pœnitudo, quem nulla deformasset abjectio. Cur, infelix Juda, tanta benignitate non uteris? Ecce parcit [j] ausibus tuis Dominus, et nulli te, nisi tibi, indicat Christus: nec nomen tuum, nec persona detegitur, sed veritatis et misericordiæ verbo, cordis tantum tui arcana tanguntur. Non apostolici ordinis honor, non sacramentorum tibi communio denegatur. Redi in integrum, et deposito furore resipisce. Clementia invitat, salus pulsat, [k] ad vitam vita te revocat. Ecce immaculati et 221 innocentes condiscipuli tui [l] ad B significationem facinoris expavescunt, et omnes sibi, non edito impietatis auctore, formidant. Contristati enim sunt, non de conscientiæ reatu, sed de humanæ mutabilitatis incerto, timentes ne minus verum esset quod in se quisque noverat, quam quod ipsa Veritas prævidebat. Tu autem in hac trepidatione sanctorum abuteris Domini patientia, et abscondi te tua credis audacia. Addis impudentiam sceleri, nec signo evidentiore terreris. Cumque se a cibo alii, in quo indicium [m] Dominus posuerat, continerent, tu manum non retrahis a paropside, quia animum non avertis a crimine.

CAP. IV. — Secutum est itaque, dilectissimi, sicut Joannes Evangelista [n] narravit, ut cum traditori suo Dominus manifestius designando panem porrexisset C intinctum, totum Judam diabolus occuparet (*Joan.* XIII, 26); et quem malignis cogitationibus obligarat, jam ipso impietatis opere possideret. Corpore enim tantum cum cœnantibus recumbebat, mente autem sacerdotum invidiam, testium falsitatem, et furorem

collect. 4 et exemplo Pauli Diaconi, *novo excluditur*. Paulo post cum Quesnello retinuimus *aufertur*, uti legitur in codd. S. Petri, Vercell. et Homil. Pauli Diaconi. Antiquissimus Vat. hoc loco habet *excluditur*. Cæteræ editiones cum mss. collat. 3, 4 et 5, *sanguinem sanguis excludit*.

[a] Sic ex vetustissimo Vat. *Consilium* habent etiam duo codd. S. Petri et exemplar Pauli Diac., et referitur ad illa Matthæi XXVI, 4: *Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent*, etc. Editi cum aliis mss., *ad impietatis concilium*. Cum Quesnellus notaverit in margine: Al. *ad impium*, hanc lectionem, quam nullæ editiones præferunt, in aliquibus suis codd. reperit. Paulo ante pro *scribas et seniores* in Vat. 544 est *scribæ et seniores*, ita ut hæ voces regant verbum *congregarent*.

[b] Ita Quesnellus et præstantiores nostri codices. Alii mss. cum antea editis *abstulerunt*. Postea, *ordinare templum* in antiquissimo Vaticano, et *sagaciorem diligentiam* in duobus mss. S. Petri et alio Vat.

[c] Erat in editis et in pluribus mss., *quid assecuturi*. Magis congrua visa est lectio textui inserta ex duobus mss. S. Petri.

[d] Editi omittunt conjunctionem *et*, quam aptius adjecimus ex vetustissimo Vaticano: siquidem retinendas credidimus voces *condemnatione justitiæ*, quæ tamen absunt in mss. S. Petri et Vercell. Idem vero codex Vat. in sequentibus habet, *nisi ut et nostrum Pascha non apprehenderent, et sua festa violarent*.

[e] Editi ante Quesnellum *festo* pro *sancto*, et *devotioni* pro *festivitati*. Hæc lectio præfertur non solum in codd. posteriorum collectionum, sed etiam in vetustissimo ms. Vaticano. Præstulimus lectionem codd. S. Petri, cum quibus concinunt mss. Vercell. et exemplar Pauli Diac. Quesnellus pariter ex suis codd. inseruit textui vocem *sancto*, et in margine: Al., *festo*, at retinuit *devotioni*.

[f] Ms. Vercell., *serviebatur hac cura*.

[g] Exemplar Pauli Diac., *dispensationis*.

[h] Vox *secum* addita ex mss. antiquissimo Vat. et Vercell. ac prima editione. Mox, *possit occidi* in codice Vercellensi.

[i] Sic Quesnellus ex quatuor suis codd. Regio, Vict., Thuan. et Corb. cum quibus conveniunt plerique nostri. Prima editio, *præstitutus*; aliæ, *perstiturus*.

[j] Unus Vat., *auribus tuis*.

[k] In duobus codd. Vatt. deest *ad vitam*. In Vercell. abest *te*.

[l] Cod. Vercellensis addit, *conscii sibi*, scilicet de sua præsenti innocentia, ut in sequentibus exponitur. Et paulo post habet, *de humanæ mutabilitatis defectione incerti*.

[m] Editi, *judicium*; Quesnellus in margine notavit: forte, *indicium*. Id reperimus in duobus mss. S. Petri et in uno Vat., unde textui inseruimus. Post pauca, *animum* pro *animam* ex potioribus nostris codd. ex prima editione, ac Homil. Pauli Diac. revocavimus.

[n] Vetustissimus Vat., *narraverat*.

Digitized by Google

imperitæ plebis armabat. Denique videns Dominus cui flagitio Judas esset intentus, *Quod facis*, inquit, *fac* [a] *citius* (*Joan.* XIII, 27). Vox hæc non jubentis est, sed silentis, nec trepidi, sed parati : qui habens omnium temporum potestatem ostendit se [b] et moram non facere traditori, et sic ad redemptionem mundi paternam exsequi voluntatem, ut facinus quod a persequentibus parabatur nec impelleret, nec timeret. Postquam igitur Judas persuasus a diabolo discessit a Christo, seque a corpore apostolicæ unitatis abscidit, nullo Dominus pavore turbatus, sed de sola redimendorum salute sollicitus, omne temporis spatium quod a persequentium vacabat incursu, mysticis sermonibus sacratæque doctrinæ, [c] sicut Joannis Evangelio declaratur, impendit: **222** elevans ad cœlum oculos, et pro universa Ecclesia supplicans Patri, ut omnes quos dedisset, daturusque esset Filio Pater, unum fierent (*Joan.* XVII, 11), et in gloria [d] Redemptoris individui permanerent; adjiciens postremo illam orationem qua ait : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39). Ubi non existimandum est quod Dominus Jesus passionem et mortem, cujus jam discipulis [e] sacramenta tradiderat, voluerit declinare; cum ipse beatum apostolum Petrum devota fide et charitate ferventem, uti adversum persecutores gladio vetet, dicens : *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum* (*Joan.* XVIII, 11)? certumque sit [f] et quod secundum Evangelium Joannis Dominus ait : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit* [g] *in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III, 16); et quod de ipso ait apostolus Paulus : *Christus nos dilexit, et tradidit semetipsum* [h] *pro nobis hostiam Deo in odorem suavitatis* (*Ephes.* V, 2). In salvandis enim [i] omnibus per crucem Christi [j] communis erat voluntas Patris et Filii, commune consilium; nec ulla poterat ratione turbari quod ante æterna sæcula et misericorditer erat dispositum, et incommutabiliter præfinitum. Qui ergo verum, [k] dilectissimi, totumque hominem assumpsit, veros et corporis sensus et animi suscepit affectus. Nec quia omnia in illo plena erant sacramentis, plena miraculis, ideo aut falsis lacrymis flevit, aut mendaci esurie cibum sumpsit, aut simulato sopore dormivit. In nostra humilitate contemptus, in nostra mœstitudine [l] contristatus, in nostro est dolore crucifixus. Passiones enim mortalitatis nostræ ob hoc misericordia subiit, ut sanaret, ob hoc virtus recepit, ut vinceret. Quod Isaias apertissime prophetavit, dicens: *Hic peccata nostra portat, et pro nobis dolet; et nos putavimus illum esse in dolore,* **223** *et in plaga, et in vexatione. Ipse autem vulneratus est propter* [m] *peccata nostra, et infirmatus est propter facinora nostra, et livore ejus sanati sumus* (*Isai.* LIII, 4, 5).

CAP. V. — Cum itaque, dilectissimi, Dei Filius dicit : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39), nostræ utitur voce naturæ, et causam agit fragilitatis et trepidationis humanæ : ut in iis quæ toleranda sunt, et patientia roboretur, et formido pellatur. Denique cessans hoc ipsum petere, excusato quodammodo nostræ infirmitatis metu, in quo nobis remanere non expedit, in alium affectum transit, et dicit : *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Ibid.*); et iterum : *Si non potest,* inquit, *calix iste transire a me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua* (*Ibid.*, 42). Hæc vox capitis salus est totius corporis; hæc vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset [n] persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus et pro omnibus [o] diceret Patri : *Fiat voluntas tua?* ([p] Discant igitur hanc vocem omnes. Ecclesiæ filii magno pretio redempti, gratis justificati; et cum

[a] *Celerius* exhibent antiquissimus Vat. et duo alii collect. 4 et 5, nec non Vercell. cum exemplari Pauli Diaconi.

[b] Plures codices cum editis ante Quesnellum delent conjunctionem *et*, quæ tamen in Lectionario Vercellensi et in exemplo Pauli Diac. legitur. Mox, pro *et sic*, idem Vercell. habet, *et se*. Dein apud Paulum Diac., *a persecutoribus*, loco *a persequentibus*.

[c] Cod. Vercell., *sicut Joannes evangelista declarat;* ac dein, omissis vocibus, *Filio Pater*, habet, *daturusque foret, in unum fierent*.

[d] Duo Vatt. mss., *redemptionis*.

[e] Tres codd. Quesnelli, *notitiam tradiderat*. Exemplar Pauli Diac. et cod. Vercell., *jam discipulis suis tradiderat notionem*.

[f] Editi ante Quesn., *quod et Dominus testatus est ipse dicens : Sic enim Deus*, etc. Prima editio, *et quod Dominus*, etc. Quidam codices, *et quod Dominus ipse*, etc. Secuti sumus lectionem Quesnellianam, quæ est præstantiorum nostrorum codicum. Addidimus tantum conjunctionem *et*, quam cum lectione textui inserta præferunt mss. S. Petri et alius Vat.

[g] Cod. Vercell., *in ipso*. Dein vocem *Paulus* a Quesnello omissam ex nostris codicibus et cæteris editis revocavimus.

[h] Editi ante Quesn. et ipse Apostoli textus habent verba, *pro nobis hostiam*. Ille vero hæc delevit, eo quod in suis mss. desiderarentur, ut notavit in margine. Nos econtra eadem restituimus, quia leguntur in omnibus nostris codd. nec non in Homil. Pauli Diac.

[i] Ita ex duobus Romanis Lectionariis S. Petri. Al., *hominibus*.

[j] Hæc antiquissimi Vat. lectio magis Leonina. Al., *communis voluntas erat Patris et Filii, commune consilium*.

[k] Adjecimus, *dilectissimi*, ex duobus mss. S. Petri, ex Vercell. ac Homil. Pauli Diac., in quo præterea legitur, *totumque assumpsit hominem . . . et animi recepit affectus*. In Vercell., *et animæ recepit effectus*.

[l] Exemplar Pauli Diac., *conturbatus*.

[m] Antiquissimus cod. Vat. cum alio ms. hic habet *facinora;* dein, *peccata*.

[n] Duo codd. S. Petri et exemplar Pauli Diac., *persecutionum*.

[o] Vulgati ante Quesn. addebant *patiens;* ille autem delevit, quia abesse deprehendit a mss. Corb., Vict. et Thuan. duobus. Deest etiam in nostris codd. Solum in duobus mss. S. Petri pro *Patri*, legitur *Pater*.

[p] Quæ lineis includuntur desunt in mss. Corb. et Thuan. apud Quesnellum, et in nostro Vercellensi ac in Homil. Pauli Diac. Sed in aliis omnibus etiam potioribus leguntur.

Digitized by Google

adversitas violentæ alicujus tentationis [a] incubuerit, præsidio potentissimæ orationis utantur : ut superato tremore formidinis, accipiant tolerantiam passionis.) [b] Hinc jam, dilectissimi, ad perstringendum ordinem Dominicæ passionis sermo est dirigendus, quem ne vos cumulo prolixitatis oneremus, in [c] quartam sabbati, diviso communi labore, differamus. Aderit precantibus vobis gratia Dei, quæ mihi solvendi debiti tribuat facultatem. [d] Per Dominum nostrum Jesum Christum, viventem et regnantem cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

224 SERMO LIX [*Al.* LVII].

De Passione Domini VIII; feria quarta habitus.

Synopsis. — I. *Christum, depulsa trepidatione infirmitatis, se volentem trahi passum esse pro omnibus.* — II. *Quot præjudiciis Pilatum Judæi ad damnandum Christum impulerint; quanta ille ignavia cesserit clamantibus.* — III. *Pilati crudelitatem in Christum ex nonnulla clementia descendere; Judæos toto scelere gravari.* — IV. *Christum, dum lignum supplicii gestavit in sceptrum convertisse.* — V. *Per Simonem Cyrenæum figuratas esse gentes ad fidem crucis Christi vocandas, et novo sacrificio sanctificandas.* — VI. *Interiori præsertim intuitu crucem Christi aspiciendam esse.* — VII. *Quomodo Christus exaltatus omnia trahat ad se? Quæ excellentia Christianæ religionis? Quanta crucis virtus?* — VIII. *Non nobis esse vivendum, sed Christo pro nobis mortuo.*

Cap. I. — [e] Decursis, dilectissimi, sermone proximo iis quæ comprehensionem Domini præcesserunt, superest nunc ut auxiliante Dei gratia, de ipso jam passionis ordine, sicut promisimus, disseramus. Nam cum verbis sacræ orationis suæ Dominus declarasset verissime sibi atque plenissime et humanam et divinam inesse naturam, ostendens unde esset quod pati nollet, et unde quod vellet; [f] depulsa trepidatione infirmitatis, et confirmata magnanimitate virtutis, rediit in sententiam [g] suæ dispositionis æternæ, et sævienti diabolo per ministeria Judæorum, formam servi nihil **225** peccati [h] habentis objecit : ut per eum ageretur omnium causa, in quo solo erat omnium natura sine culpa. Irruerunt ergo in lumen verum filii tenebrarum, et utentes faculis atque laternis non evaserunt infidelitatis suæ noctem, quia non intellexerunt lucis auctorem. Occupant paratum teneri, et trahunt volentem trahi : qui si vellet obniti, nihil quidem in injuriam ejus impiæ manus possent, sed mundi redemptio [i] tardaretur, et nullum salvaret illæsus, qui pro omnium salute erat moriturus.

Cap. II. — Sinens igitur inferri sibi quidquid sacerdotum [j] inclamantis furor popularis audebat, ad Annam Caiphæ socerum, ac deinde ad Caiphan ex Annæ transmissione perducitur : et post insanas calumniantium [k] objectiones, post commentitias subornatorum testium falsitates, [l] ad audientiam Pilati pontificum delegatione transfertur. Qui, divino jure neglecto, clamantes *se regem non habere nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15), tamquam Romanis devoti legibus, omne judicium potestati [m] præsidis reservassent, expetierunt exsecutorem magis sævitiæ quam arbitrum causæ. Offerebant enim Jesum duris nexibus vinctum, colaphis et alapis frequentibus cæsum, sputis oblitum, clamoribus prædamnatum, ut inter tot præjudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absolvere. Denique [n] nec in accusato eum reperisse culpam, nec in sententia sua tenuisse constantiam, docet ipsa cognitio : in qua judex, quem innocentem pronuntiat, damnat, addicens iniquo populo sanguinem [o] justi, a quo abstinendum sibi, et intellectu proprio senserat, et somnio uxoris noverat. Non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aspersis aqua digitis expiatur quod famulante impia mente committitur. Excessit quidem Pilati culpam facinus Judæorum, qui illum nomine Cæsaris territum et invidiosis vocibus increpatum,

[a] Antiquissimus Vat., *incumbet;* et dein, *rationis*, pro *orationis*, ut erat in editis ante Quesn. nec non in plerisque mss. legitur. Unus Vat. habet lectionem a Quesnello vulgatam, *orationis*, quæ contextui magis congruit.

[b] In uno ms. S. Petri, *Hic jam.*

[c] Codd. Reg., Corb. et Thuan. duo apud Quesn., et onus noster cum Homil. Pauli Diac., *sextam.* Sed vulgatam lectionem retinuimus, quippe quæ et confirmatur aliis præstantioribus nostris mss., et cohæret cum aliis et antecedentibus et consequentibus Leonis sermonibus de Passione Domini die Dominico habitis, qui similiter reliqua de eodem argumento diserenda in feriam *quartam*, non autem in *sextam* remittunt. Porro *in quartam feriam* pro *in quartam sabbati* est in aliquibus nostris codd. Antiquissimus Vat. omittit vocem, *communi*, et præfert, *differimus.*

[d] Clausulam sumpsimus ex duobus Lectionariis S. Petri. In editis erat *Per Dominum nostrum Jesum Christum qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.* Antiquissimus Vat., *Per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

[e] In antiquissimo Vat. 3835 et in Casinensi alia verborum syntaxi sic exorditur sermo : *Sermone proximo, dilectissimi, iis quæ comprehensionem Domini præcessere, decursis, superest*, etc.

[f] In eodem Vat., *depulsa trepidatione humana et confirmata virtute divina rediit.* In Homil. Pauli Diac., pro *magnanimitate*, habetur, *magnitudine.*

[g] Vocem *suæ* a Quesnello expunctam et omissam etiam in quibusdam nostris codd. revocavimus auctoritate mss. S. Petri, et aliorum quamplurium.

[h] Duo codd. S. Petri, *habentem subjecit.* Dein unus Vat. collect. 5, *in quo sola erat.* In prima editione, *in quo solum.*

[i] Sic cum Quesnello nostri codd. Cæteræ editiones, *differretur.*

[j] Sic ex duobus codd. S. Petri et Homil. Pauli Diac. Vulgati *instinctu.* Mox post verbum *audebat*, omissis intermediis, subditur in antiquissimo Vat., *post insanas in Caiphæ domo calumniantium voces, post commentitias testium falsitates, ad examen Pilati*, etc.

[k] Editi ante Quesn., *voces*, cum mss. collect. 3 et 5, nec non in vetustissimo Vat. At *objectiones* cum Quesnello præferunt codd. S. Petri, Vat. collect. 4 et exemplar Pauli Diac.

[l] Editi, *ad examen.* Magis placuit *ad audientiam*, auctoritate mss. S. Petri et Homil. Pauli Diac.

[m] Antiquissimus Vat. et alius collect. 5, *Cæsaris.*

[n] Duo mss. S. Petri et unus Vat., *nec in eo reperisse causam aliquam.* In prima editione et cod. Bon., *nec in accusato aliquam reperisse causam.*

[o] Prima editio, *justum.* Post pauca *agnoverat*, in antiquissimo Vat. et alio collect. 5.

Digitized by Google

ad effectum sui 226 sceleris impulerint. Sed nec ipse evasit reatum, qui cooperatus [a] seditiosis, reliquit judicium proprium, et in crimen transivit alienum.

CAP. III. — Quod ergo Pilatus, dilectissimi, implacabilis populi victus insania, mallis Jesum dehonestari ludibriis, et [b] inmodicis vexari permisit injuriis, quodque cum flagellis cæsum, spinis coronatum, et amictu irrisoriæ vestis indutum, scribarum et sacerdotum ostentavit aspectui, mitigandos proculdubio inimicorum animos existimavit : ut exsaturatis invidiæ odiis, non ultra jam crederent persequendum, quem tot modis intuebantur afflictum. Sed cum inardesceret ira clamantium, et Barabbam indulgentia relaxaret, et Jesum crucis pœna susciperet; cum consono fremitu diceretur a turbis : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25); obtinuerunt iniqui in damnationem suam quod pertinaciter exigebant : quorum *dentes*, sicut propheta testatus est, *arma erant et sagittæ, et lingua eorum gladius aculus* (Ps. LVI, 5). Frustra enim a crucifigendo majestatis Domino manus [c] propinas continebant, in quem lethalia vocum spicula, et venenata verborum tela jaciebant. Vobis, vobis, falsi Judæi, et sacrilegi principes populi, totum hujus facinoris istius pondus incumbit : et licet immanitas sceleris et præsidem obligarit, et milites; omnis tamen facti summa vos arguit. Et quidquid in supplicio Christi vel Pilati peccavit judicium, vel cohortis obsequium, hoc vos facit humani generis odio dignliores : quia vestri furoris impulsu nec illis innocentes esse licuit, quibus iniquitas vestra non placuit [d].

CAP. IV. — [e] Traditus itaque Dominus sævientium voluntati, ad irrisionem regiæ dignitatis, supplicii sui jussus est esse gestator; ut impleretur quod Isaias propheta præviderat, dicens : *Ecce natus est puer, et datus est nobis filius, cujus imperium super humeros ejus* (*Is.* IX, 16). Cum ergo Dominus lignum portaret 227 crucis, quod in sceptrum sibi converteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium : quia gloriosissimus diaboli victor, et [f] inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie triumphi sui portabat trophæum; et invictæ patientiæ humeris, signum salutis, adorandum regnis omnibus inferebat; tamquam et tunc ipse operis sui imagine omnes imitatores suos confirmaret et diceret : *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* (*Matth.* X, 38).

CAP. V. — [g] Euntibus autem cum Jesu turbis ad locum pœnæ, Simon quidam Cyrenæus inventus est, in quem lignum crucis transferretur a Domino (*Matth.* XXVII, 32) : ut etiam tali facto præsignaretur gentium fides, quibus crux Christi non confusio erat futura, sed gloria. Non ergo fortuitum, sed figuratum et mysticum fuit, ut Judæis in Christum sævientibus, ad compatiendum ei peregrinus occurreret, dicente Apostolo : *Si compatimur, et conregnabimus* (*Rom.* VIII, 17) : ut sacratissimo Salvatoris opprobrio, non Hebræus quisquam, nec Israelita, sed alienigena subderetur. Per hanc enim translationem, a circumcisione ad præputium, a filiis carnalibus ad filios spiritales, immaculati agni propitiatio, et omnium sacramentorum plenitudo transibat. Siquidem *Pascha nostrum*, ut ait Apostolus (I Cor. V, 7), *immolatus est Christus* : qui se novum et verum reconciliationis sacrificium offerens Patri, non in templo, cujus jam erat finita reverentia, nec intra septa civitatis ob meritum sui sceleris dirimendæ, sed foris [h] et extra castra crucifixus est, ut veterum victimarum cessante mysterio, nova hostia, novo imponeretur altari, et crux Christi, non templi esset ara, sed mundi (*Heb.* XIII, 11).

CAP. VI. — Exaltato igitur, dilectissimi, per Crucem Christo, non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per Moysen dictum est : *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, et timebis die ac nocte, nec non credes vitæ tuæ* (*Deut.* XXVIII, 66). Isti enim nihil in crucifixo Domino præter facinus suum cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera justificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur. Noster vero intellectus, quem Spiritus veritatis illuminat, gloriam Crucis 228 cœlo terraque radiantem pure ac libero corde suscipiat, et interiore acie videat, quale sit, quod Dominus eum de passionis suæ loqueretur [i] instantia, dixit : *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis* (*Joan.* XII, 23); et infra : *Nunc*, inquit, *tur-*

[a] Homil. Pauli Diac. et mss. S. Petri, *seditionibus*. Antiquissimus Vat., *superatus seditionibus*.

[b] Prima editio et cod. Bon., *multimodis*. Mox pro *scribarum et sacerdotum*, quod cum Quesn. præferunt mss. S. Petri et Homil. Pauli Diaconi, cæteræ editiones et reliqui codd. etiam antiquissimus Vat. habent *persequentium*.

[c] Duo mss. S. Petri et Homil. Pauli Diac., *impias*; et mox, *vibraverant* pro *jaciebant*.

[d] Homil. Pauli Diac. addit : *licet libentius vos mitescere vidissent*.

[e] Insigni variatione initium hujus capitis effertur in antiquissimo Vat. et Casinensi collect. 1 : *Cum itaque cæcitas infelicium Judæorum regem suum esse universitatis Dominum denegaret, traditus est Dominus Jesus sævientium voluntati, et ad irrisionem regiæ dignitatis crucis suæ jussus est esse gestator, quia scilicet dignus hoc esset opprobrio, cui gloria in ignominiam verteretur. Erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium*, etc. In mss. collect. 2 alio modo : *Itaque, dilectissimi, Dominus sævientium voluntate ad irrisionem regiæ dignitatis*, et cætera ut in textu. Editam vero lectionem mss. S. Petri et alii codd. confirmant.

[f] In eodem antiquissimo Vat., *inimicorum spirituum*.

[g] In eodem Vat. et in Casinensi desunt verba ab initio capitis usque ad illa, *plenitudo transibat. Siquidem*; ita ut post verba, *non est me dignus*, sequatur : *Pascha ergo nostrum, sicut ait Apostolus*, etc. Post pauca veterem lectionem, *lignum crucis*, nostris codd. probatam recepimus, pro qua Quesnellus, *lignum supplicii*.

[h] In mss. Casin. omittitur conjunctio *et*.

[i] Duo mss. Vatt., *præsentia*.

Digitized by Google

tata est anima mea, et quid dicam? Pater, salva me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam. Pater, clarifica Filium tuum (*Joan.* XII, 27); et cum vox Patris venisset e cœlo dicens : *Et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Ibid.*, 28) : respondens Jesus circumstantibus, dixit : *Non propter me vox hæc facta est, sed propter vos. Nunc judicium mundi est, nunc princeps hujus mundi* [a] *ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum* (*Ibid.*, 30).

CAP. VII. — O admirabilis potentia Crucis ! o ineffabilis gloria Passionis ! in qua et tribunal Domini, et judicium mundi, et potestas est crucifixi. Traxisti enim, Domine, omnia ad te, et cum expandisses tota die manus tuas [b] ad populum non credentem et contradicentem tibi, confitendæ majestatis tuæ sensum totus mundus accepit (*Is.* LXV, 2; *Rom.* X, 21). Traxisti, Domine, omnia ad te, [c] cum in exsecrationem Judaici sceleris, unam protulerunt omnia elementa sententiam, cum obscuratis luminaribus cœli, et converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum usui se [d] negaret. Traxisti, Domine, omnia ad te, quoniam scisso templi velo, sancta sanctorum ab indignis pontificibus recesserunt : ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, et lex in Evangelium verteretur. Traxisti, Domine, omnia ad te, ut quod in uno [e] Judææ templo obumbratis significationibus agebatur, pleno apertoque sacramento, universarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc etenim et ordo clarior levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacratior est unctio sacerdotum : quia crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum : per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. [f] Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis et sanguinis tui implet oblatio : quoniam tu es verus *Agnus Dei, qui tollis* [g] *peccata mundi* (*Joan.* I, 29) ; et ita in te universa perficis mysteria, ut sicut unum est pro omni victima **229** sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum.

CAP. VIII. — Confiteamur igitur, dilectissimi, quod beatus magister gentium Paulus apostolus gloriosa voce confessus est, dicens : *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere* (I *Tim.* I, 15). Hinc enim mirabilior est erga nos misericordia Dei, quod non pro justis, neque pro sanctis, sed pro iniquis et impiis Christus est mortuus (*Rom.* V, 6) : et cum mortis aculeum recipere non posset natura deitatis, suscepit tamen, nascendo ex nobis, quod posset offerre pro nobis. Olim enim morti nostræ mortis suæ [h] potentia minabatur, dicens per Oseam prophetam : [i] *O mors, ero mors tua, et ero morsus tuus, inferne* (*Oseæ* XIII, 14). Leges enim inferni moriendo subiit, sed resurgendo dissolvit : et ita perpetuitatem mortis incidit, ut eam de æterna faceret temporalem. [j] *Sicut enim omnes in Adam moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 22). Fiat itaque, dilectissimi, quod apostolus Paulus ait : *Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro omnibus mortuus est et resurrexit* (II *Cor.* V, 15) ; et quia vetera transierunt, et facta sunt omnia nova, nemo in carnalis vitæ vetustate remaneat, sed omnes de die in diem [k] proficiendo, per pietatis augmenta renovemur. Quantumlibet enim quisque justificatus sit, habet tamen, [l] dum in hac vita est, quo probatior esse possit et melior. Qui autem non proficit, deficit ; et qui nihil acquirit, [m] nonnihil perdit. Currendum ergo nobis est fidei gressibus, misericordiæ operibus, amore justitiæ, ut diem redemptionis nostræ [n] spiritaliter celebrantes, *non in fermento veteri malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis* (I *Cor.* V, 8), resurrectionis Christi mereamur esse participes, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

230 SERMO LX [*Al.* LVIII]

De Passione Domini IX.

SYNOPSIS. — I. *Mysteria legis novæ in antiqua prænuntiata esse, et in Evangelio narrata.* — II. *Non mœste celebranda esse festa paschalia, quæ veram nobis redemptionem peperêrunt.* — III. *Figuras impletas apparere in morte Christi, in qua diabolus sua fraude captus est.* — IV. *Quantopere cavenda avaritia ex lapsu Judæ : Petrum ex timore titubantem, ex charitate per interiorem Christi aspectum surrexisse.*

CAP. I. — Sacramentum, dilectissimi, Dominicæ passionis in salutem humani generis ante tempora æterna dispositum, et per multas significationes omnibus retro sæculis [o] nuntiatum, non adhuc exspe-

[a] Duo codd. S. Petri et Homil. Pauli Diac., *dimittetur*, vel *mittetur deorsum*. Mox, *ad me ipsum* scripsimus cum plerisque et potioribus mss. atque editis. Quesnellus, *ad me* : prima editio, *mecum*.

[b] In mss. S. Petri, *ad plebem*.

[c] *Quoniam* pro *cum* in iisdem codd. Prima editio, *qui*, forte *quia*. Unus Vat., *quando*.

[d] Sic potiores et plerique nostri codices atque editi ante Quesnellum, apud quem, *nutaret*. In uno ms. S. Petri, *nuntiaret* pro *nutaret* scriptum videtur.

[e] In duobus mss. S. Petri, *Judæorum*. Dein, *agebatur*, correximus ex duobus mss. S. Petri, pro quo in vetustissimo Vat. scriptum est *aperetur*. Al., *tagebatur*.

[f] Hæc postrema periodus deest in Homil. Pauli Diaconi.

[g] Antiquissimus Vat., *peccatum*.

[h] Editi et multi codd., *potentiam*. Prætulimus lectionem vetustissimi Vat. et duorum mss. S. Petri.

[i] In mss. Vat. collect. 4 et 5, *Ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, inferne*.

[j] In antiquissimo Vat., *ut sicut omnes in Adam moriuntur, ita et in Christo omnes vivificentur*.

[k] In uno codice Vat. deest *proficiendo*; in duobus autem mss. S. Petri omittuntur verba *per pietatis augmenta*. Homil. Pauli Diac., *renoventur* pro *renovemur*.

[l] Duo codd. S. Petri et Homil. Pauli Diac., *dum in hoc corpore est*.

[m] Antiquissimus Vat., *non parum*.

[n] In eodem cod., *Sanctis operibus celebrantes, resurrectionis Christi mereamur esse participes*, omisso intermedio Pauli textu : in quo, *veteri* pro *veteris* scripsimus ex duobus mss. S. Petri.

[o] Prima editio et unus cod. Vat. et alius Bon., *initiatum*.

Digitized by Google

ctamus manifestandum, sed jam adoramus impletum. [a] Concurrentibus igitur ad eruditionem nostram et novis testimoniis et antiquis, dum quod prophetica cecinit tuba, evangelica pandit historia, et sicut scriptum est: *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum* [b] *tuarum* (*Ps.* XLII); quoniam ad enarrandam gloriam gratiæ Dei paribus sibi vocibus, utriusque Testamenti altitudo respondet; et quod erat sub velamine figurarum profundum, fit revelata [c] luce perspicuum. Si tamen inter illa [d] miracula Salvatoris, quæ sub populorum gerebantur aspectu, pauci Veritatis præsentiam sentiebant, [e] ipsique discipuli voluntaria Domini passione turbati, non evaserunt scandalum crucis sine tentatione formidinis; unde fides nostra intelligentiam sumeret, unde [f] conscientia robur acciperet, nisi quæ facta cognoscimus, prædicta legeremus?

CAP. II. — Peracto igitur, dilectissimi, Salvatoris triumpho, et consummatis dispensationibus quas omnia veteris Testamenti eloquia **231** nuntiarunt, lugeat carnalis Judæus, sed spiritalis gaudeat Christianus: et festivitas, quæ illis conversa est in noctem, nobis coruscet in lucem; quoniam crux Christi eadem est et credentium gloria, et non credentium pœna. Quamvis enim persequentium furor nihil aliud in Dominum majestatis operatus sit, quam atrocem crudelitatem et immite supplicium; redemptis tamen [g] hac Domini passione verior justiorque lætandi est ratio quam dolendi. [h] Fuerit tunc discipulorum excusabilis pavor, nec diffidentiæ culpam apostolicus mœror inciderit, quando concurrentibus ad unum scelus Judæis Judæorumque principibus, superbus taurorum pinguium tumor, et proterva vitulorum petulantia sæviebat; quando sub oculis ovium, pastoris justi sanguinem [i] frementium bestiarum rabies expetebat; quando denique etiam ipse, qui pati venerat, de nostræ naturæ communione dicebat: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Nunc autem postquam [j] per susceptionem infirmitatis potentia est clarificata virtutis, nulla fidelium mœstitudine paschalis est [k] obscuranda solemnitas; nec cum tristitia nobis gestorum ordo recolendus est, cum ita Dominus usus sit malitia Judæorum, ut de intentione facinoris, voluntas sit [l] impleta miserentis. Si autem in exitu Israel de Ægypto agni sanguis fuit restitutio libertatis, et sacratissima est facta festivitas, quæ per hostiam pecudis iram [m] averteret vastatoris; quanta populis Christianis concipienda sunt gaudia, pro quibus omnipotens Pater *Filio suo unigenito non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32); ut in occisione Christi, Pascha esset verum, et singulare sacrificium, quo non ex dominatione Pharaonis unus populus, sed ex diaboli captivitate totus mundus eruitur.

CAP. III. — Hoc igitur illud est, dilectissimi, sacramentum, cui ab initio omnia sunt famulata mysteria. [n] Nunc sanguis justi Abel mortem summi Pastoris eloquitur, et in parricidio Judæorum Cain interfector fratris **232** agnoscitur (*Gen.* IV, 8). Nunc diluvium et Noe arca (*Ibid.* VII, 17) manifestat, quid sit renovationis in baptismo, et quid salutis in ligno. Nunc Abraham gentium pater promissos acquirit hæredes; et in semine ejus, non germen carnis, sed fidei propago benedicitur (*Gen.* XXII, 18; *Rom.* IV, 11). Nunc ad prænuntiatum festis omnibus festum sacer novorum mensis [o] enituit, ut in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet Christiana creatura principium. Quamvis igitur [p] furentes Judæi fecerunt in Dominum Jesum quæcumque voluerunt, et susceptι hominis veritatem nullis eorum ausibus potestas divina subtraxerit; patientia tamen Domini consilii sui munus implevit, et pertinacia sacrilegæ crudelitatis profecit operi Salvatoris: quod non Scribæ, non Pharisæi, nec summi intellexere pontifices: [q] *Si enim cognovissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent* (*I Cor.* II, 8). Nec ipse [r] itaque diabolus intellexit, quod sæviendo in Christum, suum destrueret principatum, quia antiquæ fraudis jura non perderet, si se a Domini Jesu sanguine contineret. Sed malitia nocendi [s] avida, dum irruit, ruit; dum capit, capta est; dum persequitur mortalem, incidit

[a] Ita ex duobus mss. S. Petri. Alias continuatur periodus antecedens, omisso *igitur*.

[b] Sic omnes nostri codices et editi ante Quesn., apud quem, *suarum*.

[c] Duo codd. S. Petri et alius Vat., *voce*.

[d] Quesnellus, *pericula*. Retinuimus lectionem antea vulgatam, quam omnes nostri mss. approbant. Mox, pro *si tamen*, antiquissimus Vat. præfert *Si autem*. Cod. Vercell. et exempl. Pauli Diac., *Sic tamen*.

[e] In duobus mss. S. Petri, *ut et ipsi discipuli.... non evaserint*.

[f] Ita Quesnellus ex quatuor suis codd., uti etiam legitur in aliquot nostris mss., ac præsertim in antiquissimo Vat. et exempl. Pauli Diac. Anteriores editiones cum aliis codd., *constantia*. Paulo post, *prædicata* pro *prædicta* in mss. S. Petri.

[g] In vetustissimo Vat. et in prima editione deest *hac*.

[h] Ms. Vercell. et exempl. Pauli Diac., *Fuerat*, et paulo post, *inciderat*.

[i] Cod. Corbeiensis Quesnelli, *sævientium*.

[j] In duobus codd. S. Petri *susceptio*, ita ut *potentia* ablativo casu efferatur. Editiones ante Quesnellum cum mss. posteriorum collectionum, *susceptione*. Lectionem textus antiquissimus Vat. cum aliis nostris codd. præfert.

[k] Prima editio et duo mss. S. Petri, *observanda*.

[l] Vetustissimus Vat., *implenda*.

[m] In eodem codice, *verterat*. Mox, pro *quanta populis*, in codice Vercell., *quanto magis populi*.

[n] In exempl. Pauli Diac., *Nam sanguis*. Mox in cod. Vercell., *morte* pro *mortem*.

[o] Homil. Pauli Diac. et alius cod., *emicuit*.

[p] In eodem Homiliario, *frementes*. Mox, pro *fecerunt*, in aliquibus codd. et prima editione, *fecerint*, quod congruit cum subsequenti, *subtraxerit*. Dein, pro *voluerunt*, prima editio et Homil. Pauli Diac., *voluerint*.

[q] In antiquissimo Vat., *Si enim intellexissent*. Mox, *gloriæ* pro *majestatis*, erat in editis ante Quesnellum, ut in codd. posteriorum collectionum nec non in exempl. Pauli Diac. At potiores et antiquiores notæ codd. *majestatis* præferunt.

[r] Cod. Vercell. delet *itaque*. Postea, *qui* pro *quia*, in plerisque editis et in eodem Vercell.

[s] Editi ante Quesn. cum quibusdam codd., *avidus*,

Digitized by Google

in Salvatorem. Invenit sane in illo molimine [a] imprudentis audaciæ dignum cooperatorem, dignumque consortem, cum impius Judas maluit minister esse diaboli quam apostolus Christi, quem non timoris perturbatione deseruit, sed pecuniæ cupiditate distraxit.

Cap. IV. — Videte, dilectissimi, et prudenter inspicite quæ germina et quales fructus de avaritiæ stirpe nascantur, quam merito Apostolus radicem omnium malorum esse [b] definivit (I *Tim.* VI, 10); quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, et omnis illicitus appetitus, istius aviditatis est morbus. Amori pecuniæ [c] vilis est omnis affectio, et anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit; nullumque est in illo corde justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Judas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, pervenit **233** ad laqueum : et tam stulte impius fuit, ut triginta argenteis et Dominum venderet et Magistrum. Cum autem se ad excipiendum iniquitatis judicium Dei Filius præbuisset, beatus apostolus Petrus, cujus fides ea devotione fervebat, ut Domino et compati paratus esset et commori, ancilla sacerdotis calumniante perterritus, [d] ex infirmitate periculum negationis incurrit : ob hoc, sicut apparet, hæsitare permissus, ut in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur; et nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec beatus Petrus potuisset evadere. Dominus autem Jesus, qui intra pontificale [e] concilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi divino vidit intuitu; et [f] paventis animum, mox ut respexit, erexit, et in fletus pœnitudinis incitavit. Felices, sancte apostole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis. Affuit enim dextera Domini Jesu Christi, quæ labentem te, priusquam [g] dejicereris, exciperet, et firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti. Vidit in te Dominus non fidem [h] victam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundavit fletus, ubi non defecit affectus, et fons charitatis lavit verba formidinis : nec tardatum est remedium abolitionis, ubi non fuit judicium voluntatis. Cito itaque in soliditatem suam rediit [i] petra, tantam recipiens fortitudinem, ut quod tunc in Christi expaverat passione, in suo post supplicio non timeret. [j] Per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXI [*Al.* LIX].

De Passione Domini X.

Synopsis. — I. *Quam vane de affectato regno accusatus est Christus.* — II. *Quidquid egit Christus, divinæ potestatis fuisse, non terreni regis.* — **234** III. *Cur Christus mulierum lacrymas compescuerit.* — IV. *Quomodo Christus supplicia in hostem suum retorserit.* — V. *Blasphemantes in Christum Judæos omnes creaturæ condemnant; et eos omnibus religionis sacramentis privatos velum scissum demonstrat.*

Cap. I. — Cum multis modis, dilectissimi, Judaica impietas laboraret, ut [k] causam aliquam perpetrandi in Dominum Jesum sceleris inveniret, et mendacia, quæ falsi testes injustis sacerdotibus famulando [l] protulerant, nihil quod morte dignum esset afferrent; hoc quasi insuperabile repererunt, ut Dominum mundi, affectati regni invidia perurgerent. Cumque Pilatus Jesum, quem frustra videbat argui, vellet [m] absolvi, calumniose et minaciter conclamarunt : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris : omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari* (*Joan.* XIX, 12). [n] Stultam insimulationem imprudenter, Pilate, timuisti. [o] Sed formidabile fuerit nomen regium, ut pro imperio Cæsaris opprimi debuerit novæ molitio potestatis, si dominandi consilium tyrannicus tibi prodidit apparatus, si provisio armorum, si congregatio divitiarum, si præsidia detecta sunt militum. Quid eum gravari sinis de affectata potentia, cujus specialis fuit de humilitate doctrina? Romanis legibus non contradixit, censum subiit, didragma solvit, vectigalia non inhibuit, quæ Dei sunt Deo, et quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda constituit; paupertatem elegit, obedientiam suasit, mansuetudinem prædicavit : hoc est vere, non Cæsarem impugnare, sed juvare.

Cap. II. — Verumtamen ne in totum inanis videatur Judæorum objectio, discute diligentius, præses, quid de Domini Jesu operibus notum sit, quid de potestate compertum. Cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis donavit eloquium, febres abegit, dolores resolvit, dæmonia ejecit, mortuos vivificavit, mari et ventis, ut quiescerent, imperavit (*Matth.* VIII, 27). Magnum prorsus regem ista demon-

ita ut hoc adjectivum referatur ad diabolum, et eadem ratione, *captus est* pro *capta est*. Dein, *et dum persequitur* in Homil. Pauli Diac.

[a] Prima editio et cod. Bon., *impudentis*, et postea, *discipulus* pro *minister*.

[b] Prima editio, *definit*.

[c] Cod. Vercell., *vigilis*. Dein pro *fecit* prima editio *facit habitaculum*.

[d] Duo mss. S. Petri, cod. Vercell. et Homil. Pauli Diac., *infirmitatem negationis incurrit*.

[e] Al., *consilium*, quod pro cœtu consulentium nonnumquam sumitur.

[f] Antiquissimus Vat., *pavitantis*.

[g] Mss. S. Petri, *decideres*. Mox in Homil. Pauli Diac., *et qua firmitatem*.

[h] Vulgati ante Quesnellum *fictum* cum mss. collect, 3 et 4. Potiores vero nostri codd. et præcipue Lectionaria S. Petri, *victam*.

[i] Sic omnes nostri codd. cum exemplo Pauli Diac. et editiones omnes ante Quesn. Qua vero auctoritate ille nullam variantem indicans supposuerit *Petrus*, ignoramus.

[j] Clausulam adjecimus ex antiquissimo Vat.

[k] Ita cum Quesnello potiores nostri codd. Cæteri vulgati, *occasionem*.

[l] Unus cod. S. Petri, *prætulerant*. Vercell., *providerant*.

[m] Prima editio, *absolvere*.

[n] Unus ms. Vat., *stulta insimulatione*.

[o] Particula *sed* omittitur in Vat. 3835. Prima editio, *si formidabile fuit*. Mox *et pro imperio* in eadem editione et in eodem vetustissimo Vat.

Digitized by Google

strant, qui non humana [a] excellit potentia, sed virtute divina. Hanc ergo Judæi objiciant potestatem, commutent [b] actionem suam, et hoc proferant ore, **235** quod tenent corde. Quare de terrenis calumniantur, qui cœlestia persequuntur? Quamvis ergo Pilatus onerosum sibi invidiosumque sentiret, quod eum Judæi de neglectu amicitiæ Cæsaris impetebant, aliquamdiu tamen furorem ipsorum mitigare conatus est : et ideo Dominum Jesum diversis contumeliis affici aut permisit, aut jussit, ut satiata iniquitas de innocentis injuriis ulterius non sæviret. Sed pertinax malitia propriis crescebat augmentis, et in quem obtinuerat jus illusionis, exigebat et mortis. Unde cum et summi sacerdotes, et principes Judæorum, omnisque multitudo crebris vocibus acclamarent : *Crucifige, crucifige*, tradidit Jesum persequentium voluntati, Barabba illis latrone dimisso, ut qui in die festo auctorem interficiebant vitæ, impunitas eis præstaretur homicidæ.

CAP. III. — Eunte itaque, dilectissimi, ad locum clarificationis suæ Domino, et [c] misericordia ab impiorum tabernaculis exeunte, ut adimpleretur quod scriptum est : *Longe a peccatoribus salus* (*Ps.* CXVIII, 155), sequebatur eum multitudo populi, et mulierum plangentium et lamentantium [d] eum (*Luc.* XXIII, 27). Solet enim sexus infirmior, etiam pro iis qui morte sunt digni, in lacrymas commoveri, et damnatorum exitus, pro naturæ communis consideratione misereri. Sed istum sibi planctum Dominus Jesus dedignatur impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam. Denique conversus ad eas, *Filiæ*, inquit, *Jerusalem, nolite flere super me, sed super vosmetipsas, et super filios vestros flete. Quia venient* [e] *dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non nutrierunt.* Ubi est tristitia crucifigendi? Ubi formido morituri? Non terret passuri animum hora supplicii, et docens nullam pro se flendi esse rationem, indicit pœnitentiam, denuntiando vindictam. Non est, inquit, quod dolere in me, Jerusalem filiæ, debeatis; pro vobis plangite, et pro vestris filiis ejulate. Super illos [f] fundatur iste ploratus, quos tales viscera vestra peperérunt. Lugendum plane vobis est, non [g] de Salvatore credentium, sed de impietate [h] pereuntium. Ego crucem volens patior, et mortem in me, quam sum perempturus, admitto. Nolite flere pro mundi redemptione morientem, quem in majestate Patris videbitis judicantem.

CAP. IV. — Exaltatus [i] ergo Christus Jesus in ligno retorsit mortem in mortis auctorem, et omnes principatus, adversasque virtutes, [j] per objectionem passibilis carnis elisit, [k] admittens in se antiqui hostis audaciam, qui in obnoxiam sibi sæviendo naturam, etiam ibi exactor ausus est esse debiti, ubi nullum potuit vestigium invenire peccati. Evacuatum est igitur generale illud venditionis hostræ et lethale chirographum, et pactum captivitatis in jus transiit Redemptoris. Clavi illi, qui manus Domini pedesque transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus, et sanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio potestatum : sic suam Christo [l] consummante victoriam, ut in ipso et cum ipso omnes, qui in eum crederent, triumpharent.

CAP. V. — Cum ergo Dominus crucifixi corporis elevatione sublimis, reconciliationem mundi exsequeretur in quadam arce supplicii, latronemque conversum ad paradisi vocaret habitaculum; vos, principes Judæorum, legisque doctores, nec conscientiæ [m] impietate compuncti, nec effectu sceleris mitigati, fixuris clavorum addebatis tela linguarum, dicentes : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei* (*Matth.* XXVII, 42). Sed his vocibus vestris stultis atque blasphemis reddunt omnia elementa responsum, et illam [n] simul in vos sententiam ferunt cœlum, terra, sol, [o] sidera, quæ indignos vos suo ministerio protestantur terribili motu, insolitoque defectu tenebras mundo vestræ cæcitatis ostentant (*Ibidem*). Quod si [p] ad arguendum vos nec cœlestia, nec inferna sufficiunt, et crucem Christi magis potuerunt petræ atque monumenta, quam corda vestra sentire; saltem quod in templo factum est, scienter advertite. **237** Velum, cujus objectu [q] interclude-bantur sancta sanctorum, a summo usque ad ima

[a] Cod. Vercell., *excellat.*

[b] Id est accusationem suam, voce *actionem* ex foro translata, ut in postilla Quesnellus monuit. Sane *accusationem suam* exhibet prima editio, et in margine cod. Veronensis 214.

[c] Vox *misericordia* deest in ms. Veronensi: Paulo post, *Longe est a peccatoribus salus* in vulgatis ante Quesnel. et non paucis codd.

[d] Pronomen *eum*, quod erat in editis ante Quesn., revocavimus ex antiquissimo Vat. et aliis probæ notæ codicibus. Deest tamen in Vercell. et in duobus Vat.

[e] Cod. Veron., *dies in te, quibus dicetur.* Duo codd. S. Petri et unus Vat., *dicetis.* Dein *non lactaverunt* in editis ante Quesn. et in nonnullis codd. Lectionem *non nutrierunt*, a Quesn. ex suis mss. inductam, etiam plerique nostri libri approbant.

[f] Quædam editiones et aliquot codd., *fundantur isti ploratus.*

[g] Sic cum Quesnello et prima editione plures et præstantiores nostri codices. Al., *de salute.*

[h] Editi ante Quesnel. et aliqui codd. addunt *et temeritate;* non tamen antiquissimus Vat. nec Vercell.

[i] Quidam mss. cum editis Quesnello antioribus pro *ergo* habent *autem.*

[j] Antiquissimus Vat., *per objectionem passibilis carnis inlusit.*

[k] In Vercellensi omittuntur verba *admittens in se* usque ad periodi finem.

[l] Cod. Veron., *confirmante.*

[m] Idem cod. Veron., *pietate.* Mox editi, *affectu sceleris.* Melius, *effectu sceleris*, ex duobus mss. S. Petri ac tribus Vat.

[n] Particulam *simul* inseruimus ex duobus mss. S. Petri, antiquissimo Vat., Vercell., Veron. et Vat. collect. 5. Unus Vat. collect. 4 pro *simul* habet *scilicet*, quod editionum omissionem confirmat.

[o] Editi habebant *sideraque, indignos vos suo ministerio protestantes terribili motu*, etc. Melior visa est lectio duorum codicum S. Petri. Mox pro *ostentant* editi ante Quesn. cum quibusdam mss. *ostendunt.*

[p] Cod. Veron. et alius Vat., *ad arguendos vos.*

[q] Editi ante Quesn., *includebantur.*

Digitized by Google

diruptum est, et sacrum illud mysticumque secretum [a] quo solus summus pontifex jussus fuerat intrare, reseratum est, ut nihil jam esset discretionis, ubi nihil resederat sanctitatis. Repudiatos itaque vos debuistis agnoscere, et omne jus sacerdotii perdidisse, quia verum erat quod Veritas vobis dixerat : *Si* [b] *credideretis Mosi, crederetis et mihi* (*Joan.* v, 46). Merito ergo vos Testamentum utrumque condemnat, et gratia [c] vacuatos, et lege privatos, qui ideo resistitis novis, quia non credidistis antiquis. Nos autem, dilectissimi, qui ab ignorantiæ tenebris liberati, fidei lumen accepimus, et in novi Testamenti hæreditatem per electionem adoptionis intravimus, [d] in festivitate, quam carnalis Israel perdidit, gaudeamus : quoniam *Pascha nostrum immolatus est Christus* (*I Cor.* v, 7); per cujus ineffabilem gratiam omnium charismatum benedictione ditamur, et ita in novitatem a vetustate transferimur, ut non solum paradisi restituamur habitaculo, sed etiam regni cœlestis gloriæ præparemur, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et sancto Spiritu vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXII [*Al.* LX].

De Passione Domini XI ; Dominico die habitus.

Synopsis. — I. *Quantus sit humani intellectus hebetudo ad mysteria contemplanda.* — II. *Fidem incarnationis per symbolum edoceri. Soliditas fidei Petri, ob quam Petra Ecclesiæ fundamentum constitutus est.* — III. *Diabolum malignitate sua esse decepium. Orationem Christi pro inimicis eos ad fidem, prædicante Petro, adduxisse.* — IV. *Christo pro omnibus impiis mortuo, Judas etiam potuisset consequi remedium, si non festinasset ad laqueum.* — V. *Mortem Christi in Judæorum mente crudelem,* 289 *in morientis virtute esse mirabilem.*

Cap. I. — Desiderata nobis, dilectissimi, et universo optabilis mundo adest festivitas Dominicæ passionis, quæ nos inter exsultationes spiritualium gaudiorum silere non patitur : quia etsi difficile est [e] de eadem re sæpius digne apteque disserere, non est tamen liberum sacerdoti, in tanto divinæ misericordiæ sacramento [f] fidelis populi auribus subtrahere sermonis officium, cum ipsa materia, ex eo quod est ineffabilis, fandi tribuat facultatem; nec possit deficere quod dicatur, [g] de qua numquam potest satis esse quod dicitur. Succumbat ergo humana infirmitas gloriæ Dei, et in explicandis operibus misericordiæ ejus, imparem se semper inveniat. Laboremus sensu, hæreamus ingenio, deficiamus eloquio : bonum est ut nobis parum sit quod etiam recte de Domini majestate sentimus. Dicente enim propheta : *Quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper* (*Ps.* civ, 4), nemini præsumendum est quod totum quod quæsierit invenerit, ne desinat propinquare qui cessarit accedere. Quid autem inter omnia opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ et oblectat et superat, sicut passio Salvatoris? De cujus omnipotentia, quæ ei cum Patre unius et æqualis essentiæ est, quoties, ut possumus, cogitamus, mirabilior nobis fit in Deo humilitas quam potestas; et difficilius capitur divinæ majestatis exinanitio, quam servilis formæ [h] in summa provectio. Sed multum nos ad intellectum juvat, quod licet aliud sit Creator, aliud creatura, aliud Deitas inviolabilis, aliud caro passibilis; in unam tamen personam [i] concurrat proprietas utriusque substantiæ, ut sive in infirmitatibus, sive in virtutibus, ejusdem sit contumelia, cujus et gloria.

Cap. II. — Hæc fidei regula, dilectissimi, quam in ipso exordio Symboli per auctoritatem apostolicæ institutionis accepimus, Dominum nostrum Jesum Christum, quem Filium Dei Patris omnipotentis unicum dicimus, eumdem [j] quoque de Spiritu sancto natum ex Maria virgine confitemur; nec ab ejusdem 289 majestate discedimus, cum ipsum crucifixum et mortuum, et die tertia credimus suscitatum. Omnia enim quæ Dei sunt, et quæ hominis, simul et humanitas explevit et deitas : ut cum passibili impassibilis inest, nec virtus [k] in infirmitate afficiei, nec infirmitas possit in virtute superari. Merito beatus Petrus apostolus in hujus unitatis confessione laudatus est : [l] qui, cum Dominus quid de ipso intelligerent discipuli, scrutaretur, omnium celerrime ora præveniens, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi.* Quod utique non revelante vidit carne, [m] nec sanguine, quorum objectu interiores oculi poterant impediri, sed ipso Spiritu Patris in corde operante credentis, ut ad regimen totius Ecclesiæ præparatus, primum discceret quod doceret, et [n] pro soliditate

[a] Ita ex duobus mss. S. Petri et Veronen., nec non apud Joannem Lateranensis ecclesiæ diaconum, qui similiter legisse videtur in Lectionariis basilicæ Lateranensis. Exstat tom. II Musei Italici Mabillon. pag. 565. Alias, *quod solus.*

[b] Ms. Veron., *credideritis.* Mox *crederetis forsitan et mihi* in cod. Vercell.

[c] Antiquissimusa Vt. et noster Veron., *vacuos.* Dein *restitistis* pro *resistitis* in prima editione et ms. Bon.

[d] Præpositio *in* omittitur in antiquissimo Vat. Unus cod. S. Petri et alius Bon., *festivitatem... gaudeamus nos accepisse, quoniam*, etc.

[e] Ita emendavimus ex mss. duobus S. Petri et Vercell. Al., *de eadem solemnitate.*

[f] Sic cum Quesnello nullum codicem indicante tres antea laudati codices. Antea editi et aliqui codd., *fidelibus populis subtrahere.*

[g] Vulgati et quidam codd., *dum numquam.* Præstantissimus auctoritatem duorum mss. S. Petri et unius Vercell., nec non Bonon. ac primæ editionis, in quibus *de qua* ad *materiam* refertur.

[h] Cod. Vercell. delet *in*, ita ut adjectivum *summa* cum substantivo *provectio* copuletur.

[i] Quidam mss., *concurrit.* Mox *ut* desideratur in Vercell. codice.

[j] In ms. Vat. collect. 5 deest *quoque*, et pro *ex Maria* legitur *et Maria.*

[k] Præpositionem *in* hic et ante vocem *virtute* supplevimus ex duobus mss. S. Petri, quibus concinit cod. Vercell. cum eam præmittat voci *virtute*; omitti autem potuit ante vocem *infirmitate* more librariis familiari ob concursum initialium litterarum *in.*

[l] Sic emendavimus ex potioribus nostris codd. et editis ante Quesn., apud quem legitur *cui.*

[m] Duo codd. Vaticani et prima editio, *vel sanguine.* Post pauca quidam codd., *primus disceret*, forte melius.

[n] Hunc locum et Quesnelli postillam huic loco

fidei, quam erat prædicaturus, audiret : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* xvi, 16). Christianæ igitur fidei fortitudo, quæ portas mortis super inexpugnabilem petram ædificata non metuit, unum Dominum Jesum Christum, et verum Deum, et verum hominem confitetur; eumdem credens filium Virginis, qui auctor est matris; eumdem natum in fine sæculorum, qui creator est temporum; eumdem Dominum omnium virtutum, et unum de stirpe mortalium; eumdem peccati nescium, et in similitudine carnis peccati pro peccatoribus immolatum.

Cap. III. — Qui ut humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis absolveret, et sævienti diabolo potentiam suæ majestatis occuluit, et infirmitatem nostræ humilitatis objecit. Si enim crudelis et superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nosse potuisset, Judæorum animos mansuetudine potius temperare, quam injustis odiis studuisset accendere; ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. Fefellit ergo illum malignitas sua : intulit supplicium Filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur. Fudit sanguinem justum, qui reconciliando mundo et pretium esset et poculum. Suscepit Dominus, quod secundum **240** propositum suæ voluntatis elegit. Admisit in se impias manus furentium, quæ dum proprio incumbunt sceleri, famulatæ sunt Redemptori. Cujus etiam circa interfectores suos tanta erat pietatis affectio, ut de cruce supplicans Patri, non se vindicari, sed illis postularet ignosci, dicens : *Pater,* [a] *dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* xxiii, 34). De cujus utique orationis potentia fuit, ut prædicatio Petri apostoli, ex iis qui dixerunt : *Sanguis* [b] *illius super nos et super filios nostros* (*Matth.* xxvii, 25), multorum ad pœnitentiam corda converteret, et uno die baptizarentur tria fere millia Judæorum (*Act.* ii, 41); fieretque omnium cor unum et anima una (*Ibid.* iv, 32), paratorum jam pro eo mori quem poposcerant crucifigi.

Cap. IV. — Ad hanc indulgentiam traditor Judas pervenire non potuit : quoniam perditionis filius, cui diabolus stabat a dextris (*Ps.* cviii), prius in desperationem transiit, quam sacramentum generalis redemptionis Christus impleret. Nam mortuo pro omnibus impiis Domino, potuisset etiam [c] forte hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum. Sed maligno cordi, [d] et nunc furti fraudibus dedito, nunc parricidalibus commerciis occupato, nihil umquam documentorum misericordiæ Salvatoris inederat. [e] Impiis acceptaverat auribus Domini verba dicentis : *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* ix, 13); et : *Filius hominis venit quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* v, 32); nec intellexerat clementiam Christi, qui non solum corporeis infirmitatibus medebatur, sed etiam vulnera debilium curabat animarum, dicens [f] paralytico : *Constans esto, fili, remissa sunt tibi peccata tua* (*Matth.* ix, 3); dicens et oblatæ sibi adulteræ : *Nec ego te condemnabo, vade* [g] *et amplius noli peccare* (*Joan.* viii, 11); ut per omnia opera sua ostenderet, in illo adventu suo salvatorem mundi se venisse, non judicem. A quo intellectu alienatus impius traditor, insurrexit in semetipsum [h], non judicio pœnitentis, sed furore pereuntis : ut qui vitæ auctorem interfectoribus vendidisset, in augmentum damnationis suæ etiam moriendo peccaret.

Cap. V. — Quod ergo falsi testes, quod cruenti principes, quod impii sacerdotes [i] in Dominum **241** Jesum Christum ministerio ignavi præsidis et famulatu imperitæ cohortis egerunt, et detestandum universis sæculis, et amplectendum fuit. Crux enim Domini, sicut [j] in Judæorum erat mente crudelis, ita est in Crucifixi virtute mirabilis. Furit in unum populus, et miseretur omnium Christus. Quod sævitia infertur, [k] voluntate suscipitur : ut licentia facinoris æternæ opus impleat voluntatis. Unde omnis ordo rerum gestarum, quem plenissime evangelica narratio [l] percurrit, ita fidelium est accipiendus auditu, ut salva **242** fide actionum, quæ tempore Dominicæ passionis impletæ sunt, intelligamus non solum remissionem peccatorum in Christo completam, sed etiam formam justitiæ esse propositam. [m] Verum, ut hoc diligentius, juvante Domino, disseratur, hæc sermonis portio in quartam sabbati reservetur. Aderit ut speramus, gratia Dei, quæ nos orantibus vobis faciat promissa complere: per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum. Amen.

afflixam expendimus in observationibus ad sermonem tertium.

[a] Sic duo codd. S. Petri et apud Remigium Lugdunensem de tribus epistolis c. 19. Alias, *ignosce.*

[b] In uno cod. Vat. et in Bonon., *hujus.* In alio Vat. et apud Remigium, *ejus.*

[c] Prima editio ignorat *forte*

[d] Ita emendavimus ex duobus mss. S. Petri. Al., *nunc furtis fraudium dedito.*

[e] Sic melius ex iisdem mss. et alio Vat. In editis et nonnullis codd., alia interpunctione, *insederat, nec piis acceptaverat.* In duobus Vat., *acceperat* pro *acceptaverat.*

[f] Cod. Vercell. et prima editio, *paralytico sanato.* Mox editi ante Quesn., *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Lectionem ab eo inductam et a nobis retentam exhibent duo codd. S. Petri et alius Vercell.

[g] Sic nostri codices et editi omnes ante Quesn. apud quem, *et amodo noli peccare.*

[h] Quesnellus post voces *in semetipsum* addidit *impius*, quam vocem nec nostri codd. nec antea editi exhibent.

[i] Erat in editis, uti in aliquibus mss., *in Domini Jesu Christi mysterio ignavia præsidis et famulatu.* Veram lectionem hausimus ex duobus S. Petri codicibus.

[j] Unus ms. Vat., *in invidorum.*

[k] Placuit *voluntate* pro *potestate* reponere ex mss. S. Petri.

[l] Duo codd. Vat. et prima editio, *percucurrit.*

[m] Sequentia usque ad finem desunt in ms. Vercellensi.

Digitized by Google

ADMONITIO IN TRES SERMONES SEQUENTES.

Post antecedentem sermonem perturbatus erat in editis, sicut et in non paucis mss. aliquot subsequentium sermonum ordo, qui propterea a nobis plane immutandus fuit. Antecedenti sermoni subjiciebatur sermo cui initium est. Omnia quidem tempora. *Sub finem vero sermonis antecedentis promittitur alius sermo* feria quarta *habendus, in quo S. Leo ita se locuturum spondet*, ut salva fide actionum, quæ tempore Dominicæ passionis impletæ sunt, intelligamus non solum remissionem peccatorum in Christo completam (*quod eo sermone statuerat*), sed etiam formam justitiæ esse propositam; *quod in* feriam quartam *exponendum remittit. De hoc autem nihil in sermone* Omnia quidem tempora *in editis subjecto; quin in ipso alius pariter sermo feria quarta habendus promittitur, qui a nobis postea indicabitur. At sermone sequenti*, Gloria, dilectissimi, *cap.* 1, *et promissionis mentionem facit, et addit :* Quæ Dominica passio omnes nos et redemit, et docuit, ut unde datum est pretium, inde et justitia sumeretur. *Et cap.* 3 : Et sacramentum condidit et exemplum, ut unum apprehenderent renascendo, alterum sequerentur imitando, *quæ* ad propositam justitiæ formam *referuntur. Hic igitur sermo, velut anterioris* sermonis portio in quartam sabbati reservata, *non erat disjungendus. Post hunc dabimus sermonem*, Omnia quidem tempora, *die Dominico habitum contra Eutychianos; in cujus fine cum alius sermo eadem super re* feria quarta *adjiciendus dicatur, nec statim subjectus inveniretur in editis, nos subjecimus. Deprehendimus autem hunc sermonem esse illum qui incipit :* Sermonem, dilectissimi, de gloriosa Domini nostri Jesu Christi passione promissum; *ubi S. pontifex in Eutychis errorem pariter disserit. Enimvero hos duos sermones ob continuationem velut unum habendos, patet ex epist.* 124 *et* 165, *in quibus postquam S. Leo duo fere integra postrema capita* 3 *et* 4 *descripsit ex sermone, qui incipit :* Omnia quidem tempora, *continuo subjicit fragmentum primi capitis ex alio sermone, qui inchoat :* Sermonem, dilectissimi; *unde alter alterius est portio. Hæc omnia confirmat ordo qui invenitur in duobus antiquis mss. Lectionariis basilicæ S. Petri, num.* 105 *et* 107, *ubi inter sermones de Passione post sermonem,* Desiderata nobis, *subditur :* Gloria, dilectissimi; *dein :* Omnia quidem tempora; *ac postea*, Sermonem, dilectissimi, de gloriosa, *etc. Idem etiam ordo exhibetur in tribus aliis codicibus præstantis collect.* 2.

243 SERMO LXIII.

De Passione Domini XII; habitus feria quarta.

Synopsis. — I. *Non sola sua potentia pugnatum esse a Christo, sed ex humilitate nostra, ut justitia servaretur.* — II. *Quidquid habemus adimpletum, id antiquos habuisse obumbratum; unamque fidem ac spem esse omnium.* — III. *Inseparabilem esse unionem Christi cum utroque corpore suo, naturali et mystico.* — IV. *Hoc maxime Christiano enitendum, ut caput suum imitetur.* — V. *Sola præcepta cæremonialia esse mutata ; gratiam autem datam ad moralia.* — VI. *Christum innumeros sibi filios baptismo parere, in quo mortis et resurrectionis imago elucet.* — VII. *Omne Christiani meritum, gloriam esse Christi; qui quos carne sua pascit, spiritu etiam agit et regit.*

Cap. I. — Gloria, dilectissimi, Dominicæ passionis, de qua nos etiam hodie locuturos esse promisimus, humilitatis maxime est miranda mysterio; quæ omnes nos et redemit et docuit : ut unde datum est pretium, inde et justitia sumeretur. Omnipotentia enim Filii Dei, [a] qua per eamdem essentiam æqualis est Patri, potuisset humanum genus a dominatu diaboli solo imperio suæ voluntatis eruere, nisi divinis operibus maxime congruisset, ut nequitiæ hostilis adversitas de eo quod vicerat vinceretur, et [b] per ipsam naturam naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illata captivitas. Dicente autem evangelista quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14); et dicente Apostolo quod *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* V, 19) : ostensum est, quia Unigenitus summi Patris tale iniit cum humana humilitate consortium, [c] ut suscepta nostræ carnis animæque substantia unus atque idem Dei Filius permaneret, nostra augendo, non propria [d] : quia infirmitas erat provehenda, non virtus : ut cum suo Creatori creatura esset unita, nihil 244 assumpto divinum, nihil assumenti deesset humanum.

Cap. II. — Hoc consilium misericordiæ et justitiæ Dei, licet in præteritis sæculis quibusdam velaminibus fuerit obumbratum, non tamen ita obtectum est ut sanctorum, qui [e] ab initio usque ad adventum Domini laudabiles exstiterunt, intellectui negaretur: cum et propheticis verbis, et rerum gestarum significationibus, salus quæ in Christo erat ventura, promissa sit; quam non solum qui prædicabant adepti sunt, sed omnes etiam qui prædicantibus crediderunt. Una enim fides justificat universorum temporum sanctos, et ad eamdem [f] spem fidelium pertinet, quidquid per mediatorem Dei et hominum Jesum Christum (I *Tim.* II. 5), vel nos confitemur factum, vel patres nostri [g] adoravere faciendum. Nec inter Judæos atque gentiles ulla [h] distinctio est. Siquidem, sicut ait Apostolus, *circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei* (*Rom.* II, 25; I *Cor.* VII, 19); quæ si cum integritate fidei serventur, veros Abrahæ filios, id est perfectos faciunt Christianos, dicente eodem Apostolo : *Quicumque*

[a] In duobus mss. Vat., in Vercell. et in Homil. Pauli Diac. ac prima editione, *quæ per eamdem.*

[b] Ita cum Quesn. duo mss. S. Petri et unus Vat. Antea editi cum aliis codd. et Homil. Pauli Diac., *per ipsam materiam.*

[c] In cod. Vercell., *per susceptam nostræ carnis animæque substantiam.*

[d] Idem Vercell. cod. addit, *relinquendo;* male, ut liquet ex consequentibus, quia *infirmitas erat provehenda, non virtus*, quæ ad augmentum quidem *nostræ* humanitatis affirmandum, divinitatis autem *propriæ* inficiandum referuntur. Mox idem ms. cum prima editione et Homil. Pauli Diac., *cum suo Creatore*, perperam.

[e] Homiliar. Pauli Diac., *ab initio mundi.*

[f] Ita, præter Homil. Pauli Diac., omnes nostri codices et editi ante Quesnellum, qui *spem et fidem* nulla auctoritate indicata supposuit.

[g] Editi, *adoptavere.* Quesnellus in margine, sed prima editio, *adoravere.*

[h] Apud Quesnellum, *distantia est*, repugnantibus omnibus editis nostrisque mss. ac Homiliario Pauli Diac. Pauli etiam textus habet, *distinctio.*

Digitized by Google

enim in Christo Jesu baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. [a] *Omnes enim unum estis in Christo. Si autem vos Christi: ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes* (*Galat.* III, 27-29).

CAP. III. — Non ergo est dubium, dilectissimi, naturam humanam in tantam connexionem a Filio Dei esse susceptam, ut non solum in illo homine qui est primogenitus totius creaturæ (*Coloss.* I, 18), sed etiam in omnibus sanctis suis unus idemque sit Christus; et sicut a membris caput, ita a capite membra dividi [b] non possint. Quamvis enim non istius vitæ sit, sed æternæ, ut sit Deus omnia in omnibus (I *Cor.* XV, 28); tamen etiam modo templi sui, quod est Ecclesia (*Coloss.* I, 18), indivisus habitator est, secundum quod ipse promisit, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Quibus Apostolus consonans ait : *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis : ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem* [c] *habitare, et per eum reconciliari omnia in ipse* (*Coloss.* I, 18-20).

245 CAP. IV. — His autem et aliis pluribus testimoniis quid insinuatur cordibus nostris, nisi ut per omnia ad imaginem ejus renovemur, qui permanens in forma Dei, carnis peccati [d] forma esse dignatus est (*Philip.* II, 6)? Omnes enim infirmitates nostras, quæ veniunt de peccato, absque peccati communione suscepit, ut famis et sitis, somni et lassitudinis, mœroris ac fletus affectionibus non careret, doloresque sævissimos usque ad mortis extrema pateretur : quia nemo posset laqueis mortalitatis absolvi, nisi ille, in quo solo innocens erat [e] natura omnium, sineret se interfici manibus impiorum. Unde Salvator noster Dei Filius universis in se credentibus, et sacramentum condidit, et exemplum : ut unum apprehenderent renascendo, alterum sequerentur imitando. Hoc enim docet beatus Petrus apostolus dicens : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ* [f] *vivamus* (I *Petr.* II, 21-24).

CAP. V. — Sicut ergo nemo est credentium, dilectissimi, cui dona neganda sint gratiæ, ita nemo est qui non sit Christianæ debitor disciplinæ : quia etsi remota est [g] mysticæ legis asperitas, voluntariæ tamen observantiæ crevit utilitas, dicente evangelista Joanne : *Quia lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17). Omnia enim quæ secundum legem, sive in circumcisione carnis, sive in diversitatibus hostiarum, sive in sabbati observantia præcesserunt, Christum testificata, Christi sunt gratiam prælocuta. Et ipse est finis legis (*Rom.* X, 4), non evacuando significationes ipsius, sed implendo. Qui licet idem sit auctor veterum qui noverum, [h] figuratarum tamen promissionum sacramenta mutavit, quia promissa perfecit; et denuntiationibus cessationem imposuit, quoniam denuntiatus advenit. In præceptis autem moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed evangelico magisterio multa 246 sunt aucta : ut perfectiora et lucidiora essent data salutem quam promittentia Salvatorem.

CAP. VI. — Omnia igitur quæ Dei Filius ad reconciliationem mundi et fecit, et docuit, non in historia tantum præteritarum actionum novimus, sed etiam [i] in præsentium operum virtute sentimus. Ipse est qui de Spiritu sancto ex matre editus Virgine incontaminatam Ecclesiam suam eadem inspiratione fecundat, ut per baptismatis partum innumerabilis filiorum Dei multitudo gignatur, de quibus dicitur : *Qui non ex sanguinibus, neque* [j] *ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I, 13). Ipse est in quo semen Abrahæ totius mundi [k] adoptione benedicitur; et fit patriarcha gentium pater (*Gen.* XXII, 18), dum promissionis filii fide, non carne nascuntur. Ipse est qui nullius gentis exceptionem faciens, de omni natione quæ sub cœlo est unum sanctarum ovium efficit gregem, et quotidie implet quod promiserat, dicens : *Habeo et alias oves, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient; et* [l] *erit unus grex et unus pastor* (*Joan.* X, 16). Quamvis enim beato Petro

[a] In Homil. Pauli Diac., *Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*, ut in Pauli epistola habetur.

[b] Ita cohærentius antecedentibus ex Homil. Pauli Diac. Al., *non possunt*.

[c] Aliqui mss. et editi ante Quesn. addunt, *divinitatis;* quam tamen vocem licet a nonnullis Patribus additam, alii Leonis codd. ignorant, sicut etiam non tam in Græco quam in antiquæ versionis exemplaribus desiderari P. Sabatier ostendit.

[d] Editi ante Quesn. habent, *forma fieri;* non ita tamen nostri codices.

[e] In Homil. Pauli Diac., *creatura*, male. Potius corrigendum *hominum*, pro *omnium*, ut in epistolis 124 et 165, c. 5, habetur, *in quo solo homo se invenit innocentem*.

[f] In ms, Vercell. et apud Paulum Diac., *vivemus*.

[g] Ita Quesnellus cum suis mss. Corb., Vict., Thuan., Reg. et editione Surii ad marginem. Ita etiam plerique et potiores nostri codd. cum Homil. Pauli Diac. Al., *justitiæ legis*.

[h] In exempl. Pauli Diac., *figurarum tamen et promissionum sacramenta*, quod non displicet. Sic etiam in prima editione, quæ solum omittit conjunctionem *et*.

[i] Duo codd. S. Petri, *in præsentiarum*.

[j] In iisdem codd., *ex voluptate carnis*.

[k] Quesnellus in margine notavit : Al., *benedictione*, quod nullibi reperimus. Mox *benedicitur* pro *benedicetur* scripsimus ex duobus mss. Vat., Homil. Pauli Diac. et prima editione. Ita etiam in sequentibus præsenti tempore ubique legitur, *nascuntur, efficit, implet*. Item *fit* pro *sit patriarcha*, quod est in Quesnello, ex cæteris editis et aliquot codd. emendavimus.

[l] In Homil. Pauli Diac., *fiet unus grex*. Cod. Vercell. et prima editio, *fiet unum ovile*.

Digitized by Google

principaliter dicat, *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17), ab uno tamen Domino ipsa omnium regitur cura pastorum, et venientes ad petram tam lætis tamque irriguis pascuis alit, ut innumeræ oves dilectionis pinguedine roboratæ, sicut bonus pastor dignatus est pro ovibus suis animam [a] suam ponere (*Joan.* X, 15), ita et ipsæ non dubitent pro homine pastoris occumbere. Ipse est [b] cui non solum gloriosa martyrum fortitudo, sed etiam omnium renascentium fides in ipsa regeneratione compatitur. Dum enim renuntiatur diabolo, et creditur Deo, dum in novitatem a vetustate transitur, dum terreni hominis imago deponitur, et cœlestis forma suscipitur, quædam species mortis et quædam similitudo resurrectionis intervenit, ut susceptus a Christo Christumque suscipiens non idem sit post lavacrum qui ante baptismum fuit, sed corpus regenerati [c] fiat caro Crucifixi.

CAP. VII. — Hæc commutatio, dilectissimi, dextræ est Excelsi (*Ps.* LXVII, 21), *qui operatur omnia in omnibus* (I *Cor.* XII, 6) : 247 ut [d] in singulis fidelibus per bonæ conversationis qualitatem ipsum piorum operum intelligamus auctorem ; gratias agentes misericordiæ Dei, qui innumeris charismatum donis ita universum Ecclesiæ corpus exornat, ut per multos unius luminis radios idem ubique splendor appareat, nec possit nisi gloria esse Christi, cujuslibet meritum Christiani. Hoc est illud verum lumen, quod omnem hominem justificat et illustrat. Hoc est quod eruit de potestate tenebrarum, et transfert in regnum Filii Dei (*Coloss.* I, 13). Hoc est quod per novitatem vitæ desideria animæ provehit, et concupiscentias carnis exstinguit. Hoc est [e] quo Pascha Domini in azymis sinceritatis et veritatis legitime celebratur (I *Cor.* V, 8) : dum fermento veteris malitiæ abjecto, nova creatura de ipso Domino inebriatur et pascitur. Non enim aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus transeamus ; et in quo commortui, et consepulti, et conresuscitati sumus, ipsum per omnia et spiritu et carne gestemus, dicente Apostolo : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 3) : qui cum Patre et sancto Spiritu vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXIV [*Al.* LXI].

De Passione Domini XIII ; habitus die dominico.

SYNOPSIS. — I. *Attente contemplandam esse Domini passionem, cujus fides ex fide pendet incarnationis.* — II. *Cur Filius, qui æqualis est Patri, et solus sine peccato, sit incarnatus, et non alia persona ?* — III. *Quanti sint pretii mors et sacrificium Christi in Cruce ?* — IV. *Utramque naturam suas in Christo proprietates servantem, suas partes habere in mysteriis diversas.*

CAP. I. — Omnia quidem tempora, dilectissimi, Christianorum animos sacramento Dominicæ passionis et resurrectionis exercent, neque ullum nostræ religionis officium est quo non tam mundi reconciliatio [f] quam humanæ in Christo naturæ assumptio celebretur. Sed nunc universam Ecclesiam majori intelligentia instrui, et 248 spe ferventiore oportet accendi, quando ipsa rerum dignitas, ita sacratorum dierum recursu, et paginis evangelicæ veritatis exprimitur, ut Pascha Domini non tam præteritum recoli quam præsens debeat honorari. In nullo igitur ab iis quæ ad crucem Jesu Christi pertinent, fidei nostræ peregrinetur intuitus, et nihil eorum quæ narratione Evangelii retexuntur, otioso accipiamus auditu : ut quia non defuerunt nec adhuc desunt qui veritatem Dominicæ incarnationis impugnent, et quod in utero Virginis matris Mariæ *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), quod infans editus per incrementa corporea ad perfectæ virilitatis profecit ætatem, quodque crucifixus, mortuus, ac sepultus die tertia resurrexit in nostræ quidem imaginis forma, sed non in nostræ carnis asserant gestum esse natura : nos ab evangeliis et apostolicis testimoniis nullatenus recedentes, [g] eorum intelligentia roboremur, quorum nos certissima experimenta docuerunt : ut pie atque constanter possimus dicere quoniam in illis [h] et nos eruditi sumus, et quod viderunt vidimus, et quod didicerunt didicimus, et quod contrectaverunt palpavimus (I *Joan.* I, 1) ; et ideo in passione Domini non conturbamur, quia in generatione non fallimur.

CAP. II. — Scimus etenim, dilectissimi, et toto corde profitemur, Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam esse Deitatem, et consubstantialem sempiternæ Trinitatis essentiam, in nullo a se divisam, in nullo esse diversam, quia simul est intemporalis, simul est incommutabilis, simul quod est, esse non desinens. In hac autem ineffabili unitate Trinitatis, cujus in omnibus communia sunt opera atque judicia, reparationem humani generis proprie Filii persona suscepit : ut quoniam ipse est, *per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil* (*Joan.* I, 3), quique plasmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis animavit, idem naturam nostram ab æternitatis arce dejectam amissæ restitueret dignitati, et cujus erat conditor, esset etiam reformator : sic consilium suum dirigens in effectum, ut ad dominationem diaboli destruendam magis uteretur justitia rationis quam potestate virtutis. Quia ergo primi hominis universa

[a] Vox *suam*, quam supplevit Quesnellus, in nostris mss. legitur.

[b] Editi addunt, *enim*. Expunximus autem auctoritate mss. Vercell. et Homil. Pauli Diaconi : nam continuatur figura repetitionis, *Ipse est*.

[c] Exemplum Pauli Diac., *fiat corpus*. Simili autem sententia Auctor epist. ad Demetriadem, c. 1, id baptismati tribuit ; *In corpus Christi convertitur caro peccati*.

[d] Supplevimus præpositionem *in* ex ms. Vercell. et alio Vat. ac prima editione.

[e] Ita cum Quesnello tres nostri codd. et exemplar Pauli Diac. Anteriores vulgati, *quod*, male ; melius in prima editione et in ms. Bon., *per quod*.

[f] Duo codd. S. Petri, *quam et humanæ*.

[g] Ita ex probatioribus nostris codd. et editionibus, excepta Quesnelliana, in qua, *illorum*.

[h] Verba *et nos* a Quesnello expuncta, licet in codd. collect. 4 omissa, ex plerisque tamen et potioribus nostris codd. ac cæteris editis revocavimus.

Digitized by Google

posteritas uno simul vulnere sauciata corruerat, nec ulla sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis evincere, venit e cœlo medicus singularis, multis sæpe significationibus nuntiatus, et prophetica diu pollicitatione promissus, qui manens in forma Dei, et nihil propriæ majestatis amittens, in carnis nostræ animæque natura, sine contagione antiquæ prævaricationis oriretur. **249** Solus enim beatæ Virginis natus est filius absque delicto, non extraneus ab hominum genere, sed alienus a crimine ([a] in quo illius ad imaginem et similitudinem Dei conditi, et perfecta esset innocentia et vera natura), cum de Adæ propagine unus existeret in quo diabolus quod suum diceret non haberet. Qui dum in eum sævit quem sub peccati lege non tenuit, jus impiæ dominationis amisit.

Cap. III. — [b] Effusio enim pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. *Quoniam*, sicut Apostolus ait, *ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia* (*Rom.* xv, 20). Et cum sub peccati præjudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius donum factum est libertatis quam debitum servitutis. Quam itaque sibi in hujus sacramenti præsidio spem reliquunt, qui in Salvatoris nostri corpore negant humanæ substantiæ veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati, [c] quo sanguine sint redempti. Quis est *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (*Ephes.* v, 2)? Aut quod umquam sacrificium sacratius fuit quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamvis enim in conspectu Domini multorum sanctorum pretiosa mors fuerit (*Ps.* cxv, 15), nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas; et de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum [d] suo fine persolvit, cum inter filios hominum unus solus Dominus noster Jesus exstiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam [e] sint suscitati; de **250** quibus ipse dicebat: *Cum exaltatus fuero* [f], *omnia traham ad meipsum* (*Joan.* xii, 32). Fides enim vera justificans impios, et creans justos [g] ad naturæ suæ tracta participem, in illo acquirit salutem, [h] in quo solo homo se invenit innocentem; et quia unus est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (1 *Tim.* ii, 5), per communionem sui generis ad pacem pervenit deitatis, liberum habens [i] de ejus potentia gloriari, qui contra hostem superbum in carnis nostræ infirmitate congressus, iis victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphavit.

Cap. IV. — Cum ergo in uno Domino nostro Jesu Christo vero Dei atque hominis Filio, confitemur divinam de Patre naturam, humanam de matre substantiam, licet Dei Verbi et carnis una persona sit, [j] et utraque essentia communes habeat actiones, intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, et sinceræ fidei contemplatione cernendum est ad quæ provehatur humilitas infirmitatis, et ad quæ inclinetur altitudo virtutis; quid sit quod caro sine Verbo non agit, et quid sit quod Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia nec conciperet Virgo nec pareret, et sine veritate carnis obvoluta pannis infantia non jaceret (*Matth.* ii, 11). Sine Verbi potentia non adorarent magi puerum novo sidere declaratum, et sine veritate carnis non juberetur puer in Ægyptum transferri, quem Herodes cupiebat [k] occidi (*Ibid.*, 20). Sine Verbi potentia non diceret vox Patris missa de cœlo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* iii, 17; *Luc.* iii, 22). et sine veritate carnis non protestaretur Joannes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* i, 29). Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium

[a] Lineis inclusa desunt in ms. Corb. Quesnelli.

[b] Eadem in ep. 124, al. 97, c. 3; et 165, al. 134, c. 2.

[c] In epistolis 124, c. 4, et 165, c. 5, hic additur per repetitionem, *dicant*.

[d] Ita cum Quesnello duo mss. S. Petri, nec non in duabus superiori annotatione memoratis epistolis. Cæteræ editiones cum codd. collect. posteriorum, *suo funere solvit*. Mox *solus* sine voce *unus* erat in editis et aliquibus mss. *Unus* autem absque voce *solus* habetur in duobus codd. S. Petri. Ex laudatis vero epistolis utrumque nomen copulavimus. Dein in quibusdam codd. post vocem *Jesus* additur *Christus*.

[e] In duabus laudatis epistolis, *sunt*. At aliqui codd. in ep. 165 præferunt, *sint*.

[f] Eædem epistolæ addunt, *a terra*; at desunt hæ voces etiam in serm. 66, c. 2.

[g] In iisdem epistolis clarius explicatum fuit, *ad humanitatis suæ tracta participem*.

[h] Corruptissima erat et in editis et in mss. hæc periodus, ac plane sensu carens; nam ubique deerat nomen, *homo*, quod regit sequentia verba *invenit*, et *pervenit*; et ad augendam difficultatem post vocem *innocentem* affixo in editis puncto una periodus divisa fuerat in duas, secunda inchoante: *Et quia unus est mediator*, etc. Etsi autem mss. hoc loco nihil juverint, tute nihilominus emendavimus et supplevimus ex duabus nuper allegatis epistolis. Quamquam vero in his omittantur verba, *et quia unus* usque *deitatis* (nam S. pontifex aliqua ex suis sermonibus ita solet sumere, ut quædam prætereat vel transiliat), cum tamen in iisdem epistolis post voces *homo se invenit innocentem*, statim subjiciantur illa, *liberum habens*, quæ ad nomen *homo* palam referuntur, reliquam emendationem satis exinde colligimus. Præterea vocibus *in quo* ex iisdem epistolis addidimus *solo*, uti etiam sermone antecedenti, c. 4, *in quo solo innocens erat natura omnium*.

[i] In laudatis epistolis additur, *per gratiam Dei*. Postea, *humilitate*, pro *infirmitate*, præferunt eædem epistolæ.

[j] Editi addunt, *non una substantia*. Desunt in mss. Quesn. et nostris. Desiderantur etiam in epistolis laudatis; sed in epist. 165, c. 5, immutatur subsequens lectio hoc modo: *una persona sit quæ inseparabiliter atque indivise communes habeat actiones*.

[k] Sic ex cod. Bonon. ac prima editione reposuimus, cum Leoninam rationem præferant antea *transferri*, et hic, *occidi*. Al., *occidere*. In epistolis laudatis etsi hujus loci verba aliquantulum immutentur, passive tamen utrobique habetur: *Non juberetur transferri in Ægyptum puer, et ab Herodis persecutione subduci*.

Digitized by Google

et vivificatio mortuorum, et sine veritate carnis nec cibus jejuno, nec somnus esset necessarius fatigato. **251** Postremo sine Verbi potentia non se Dominus Patri profiteretur æqualem (*Joan.* x, 30), et sine veritate carnis non idem diceret Patrem [a] se esse majorem (*Joan.* xiv, 28) : cum catholica fides [b] utrumque suscipiat, utrumque defendat, quæ secundum proprietatem divinæ humanæque substantiæ, unum Dei Filium et hominem credit et Verbum. Multa sunt, dilectissimi, quæ ad expositionem hujus quam prædicamus fidei de toto Scripturarum corpore [c] possemus assumere, quia nihil sæpius divinis commendatur eloquiis, quam Dei Filius secundum Deitatem sempiternus ex Patre, et idem secundum carnem temporalis ex matre. Sed ne charitatis vestræ fatigetur auditus, hodierno sermoni adhibendus est modus, ut quarta sabbati quæ sunt adjicienda [d] servemus, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXV [*Al.* LXIV].

De Passione Domini XIV ; habitus feria quarta.

Synopsis. I. *Eutychianos, cum veram carnem in Christo non agnoscunt, aut falsum in eo hominem credere, aut Deum passibilem.* — II. *Christum potentiam Deitatis continuisse, ut et salvaret et roboraret patiendo.* — III. *Veram fuisse Christi passionem; quem Deum negant Judæi, hominem Eutychiani.* — IV. *Omnia Christi mysteria veram in Christo carnem probant, sine qua non est primitiæ dormientium.* — V. *Nisi vera sit caro Christi, in eo Divinitatem inhabitare corporaliter non posse.*

Cap. I. — Sermonem, dilectissimi, de gloriosa Domini nostri Jesu Christi passione promissum, ita exspectationi vestræ intelligo esse reddendum, ut officium disserendi et festo paschali [e] serviat, et ausibus impii erroris occurrat. Qui enim Dei Filium veram nostræ carnis negant suscepisse naturam, inimici sunt fidei Christianæ, et evangelicam prædicationem nimis impudenter impugnant : ut secundum ipsos crux **252** Christi aut simulatio fuerit phantasmatis, aut supplicium Deitatis. Quod a cordibus piorum longe est repellendum, quia catholica integritas nec maculam perfidiæ, nec rugam potest habere mendacii ; quæ unum Christum, sicut Deum, sic hominem confitetur, ut nec falsum hominem, nec Deum dicat fuisse passibilem. [f] Quamvis ergo ab illo initio, quo in utero Virginis *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), nihil umquam inter divinam humanamque substantiam divisionis exstiterit, et per omnia incrementa corporea unius personæ fuerint totius temporis actiones, ea ipsa tamen quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus : sed quid cujus naturæ sit ex operum qualitate sentimus ; nec divina enim humanis præjudicant, nec humana divinis, cum ita in idipsum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas absumatur, nec persona geminetur.

Cap. II. — Transcursis igitur iis quæ passionem Domini præcesserunt, quid documentorum habeat sacramentum paschale tractemus. Nam exardescente ad effectum sui sceleris sævitia Judæorum, cum *Deus esset in Christo mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* v, 19), nulla vis templo corporis ejus, nisi ipse permitteret, potuisset inferri. Siquidem terribilis illa militum cohors, et a principibus et Pharisæis missa cum gladiis et fustibus multitudo, ita una Domini voce [g] perculsa fuit, ut cum turbæ dixissent Jesum se quærere Nazarenum, et ipse respondisset, *Ego sum* (*Joan.* xviii, 5) ; nemo eorum subsisteret, sed omnes simul amisso membrorum officio retrorsum acti elisique corruerent. In quo utique divinæ erat potestatis [h] indicium, quæ impiorum conatus, non armis contrariis, neque ullius creaturæ potentis auxilio, sed sola verbi virtute prosterneret. Quia vero salvando humano generi alterius operis ratio congruebat, nec posset sanguis Christi pretium credentium fieri, si Redemptor se non sineret comprehendi, admisit in se impias manus, et [i] cohibita est potentia Deitatis, ut perveniretur ad gloriam passionis. Cujus utique inanis fuisset species, et nulli profutura imago tolerantiæ, nisi vera Divinitas veris se humanæ carnis sensibus induisset : ut unus Dei atque hominis Filius, aliunde intemerabilis, aliunde passibilis, mortale nostrum per suum immortale renovaret. Et ideo mœstitudine, ideo [j] formidine non **253** carebat, ut ad evincendas [k] hujusmodi perturbationes, non solum nos sacramento susceptionis, sed etiam exemplo fortitudinis roboraret. Nam injusta videretur ejus ad patientiam cohortatio, cui nulla esset in nostra infirmitate communio.

Cap. III. — Veras autem Domini passiones Isaias propheta ipsius voce prænuntiat, dicens : *Dorsum meum dedi in flagella, et maxillas meas in palmas ; vultum autem meum non averti a confusione sputorum*

[a] Ms. Vat. collect. 5 omittit *se*, et similiter omittitur in mss. tractatus adversus errores Eutychetis, c. 11, quod ex hoc sermone sumptum fuit. Hic tractatus in appendice edetur. Idem tamen pronomen *se* legitur in duabus memoratis epistolis.

[b] Voces, *utrumque suscipiat*, a Quesnello omissas restituimus ex reliquis editis nostrisque mss. In laudatis etiam epistolis eædem leguntur.

[c] Sic melius ex prima editione atque ex mss. collect. 3, et 4. Al., *possimus*.

[d] Unus cod. S. Petri, *reddamus* ; et cohærenter quidem initio sequentis sermonis : *sermonem... intelligo esse reddendum*.

[e] Ita ex duobus mss. S. Petri et alio Vercell. Al., *conveniat*.

[f] Eadem in ep. 124 c. 6 et ep. 165 c. 6.

[g] Sic iidem S. Petri codd. Editi ante Quesnellum, *percussa est* ; Quesnellus, *perculsa est*.

[h] Prima editio et cod. Bon., *judicium*. Ms. Vercell., *quod* pro *quæ*.

[i] Eadem editio cum ms. Bon., *cohibita est in se potentia Deitatis, ut perveniret*, etc. Eadem lectio, omissis vocibus *in se*, erat in cæteris editionibus ante Quesnellum, qui pro *perveniret* correxit, *perveniretur*, uti præstantiores nostri codd. exhibent.

[j] Unus cod. S. Petri et alius Bon., cum prima editione, *fortitudine*.

[k] Editi, *hujus mundi*. Emendavimus ope duorum codicum S. Petri.

Digitized by Google

(*Isai.* L, 6). Quod itaque [a] Verbum caro patiebatur, non Verbi pœna erat, sed carnis; cujus injuriæ atque supplicia etiam ad impassibilem redundabant, ut merito ei dicantur illata, quæ in ipsius sunt corpus admissa, dicente Apostolo : *Si enim cognovissent, numquam Dominum* [b] *majestatis crucifixissent* (I *Cor.* II, 8). Obcæcati enim Judæi malitia sua in quod prorupissent facinus nesciebant. Unde misericors Dominus Jesus, qui etiam interfectores suos vellet sua morte salvare, pro ignorantia sævientium de crucis altitudine supplicabat, dicens : *Pater, ignosce illis,* [c] *quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.*, XXIII, 34). Nec intellectu enim cordis, nec auditu auris, nec oculorum intuitu sentiebant quem falsis testimoniis appetissent, quem affigi patibulo coegissent, dum in corpore hominis non agnoscunt substantiam Deitatis. Viderunt humilem, et non adoraverunt universitatis auctorem, nec intellexerunt potestatem judicaturi, despicientes mansuetudinem judicati : ut [d] et persecutores veri Dei et negatores veri hominis una impietas sociaret : dum servi formam in Christo et Judæi æstimant solam, et hæretici asserunt falsam.

CAP. IV. — [e] Dicant ergo isti [f] phantasmatici Christiani, quæ substantia Salvatoris affixa sit ligno, quæ jacuerit in sepulcro, et revoluto monumenti lapide, quæ tertia die caro resurrexerit, vel quale corpus Jesus discipulorum visui, clausis ad eos ostiis ingressus (*Joan.* XX, 19), intulerit, cum ad abigendum cernentium diffidentiam, inspici oculis, digitisque tractari patentes adhuc fixuras clavorum, et recens compuncti lateris vulnus **254** [g] exigeret (*Luc.* XXIV, 39). Ac si tanta in luce veritatis tenebras suas hæretica obduratio non relinquit, ostendant unde sibi spem vitæ polliceantur æternæ, unde resurrectionis Christi se credant esse consortes. Non enim possunt cum Apostolo dicere : *Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium* (I *Cor.* XV, 20), quia non sunt primitiæ hominum, si non sunt de humanæ stirpe naturæ. Qui enim primus [h] hominum resurrexit, ejus plenitudinis est portio [i] quam præcessit : et pie creditur, hoc quod est in capite inchoatum, in membris quoque esse complendum : *Quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*Ibid.*, 22).

CAP. V. — Amplectentes igitur, dilectissimi, [j] christianæ spei unicum pignus, non divellamur a compage corporis Christi : *In quo habitat*, sicut Apostolus ait, *omnis plenitudo Divinitatis corporaliter; et estis in illo repleti* (*Coloss.*, II, 9, 10). Nam cum incorporea sit substantia Dei, quomodo corporaliter in Christo habitat, nisi quia caro nostri generis, facta est caro Deitatis; et in illo sumus Deo repleti, in quo crucifixi, in quo sepulti, in quo sumus etiam suscitati; ut possimus cum Apostolo dicere : *Nostra autem conversatio in cœlis est : unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ conforme fieri corpori gloriæ suæ* (*Philipp.* III, 20, 21), vivens et regnans cum Patre et cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXVI [*Al.* LXII].

[k] *De Passione Domini XV.*

SYNOPSIS. — I. *Gratuitam esse reparationis gratiam : a nullo exspectandam fuisse nisi a Christo, qui solus innocens solos in se credentes etiam in veteri Testamento justificavit.* — II. *Eadem mysteria in utroque Testamento;* **255** *in uno velata, in altero revelata.* — III. *Pascha non rite celebrari nisi a credentibus. Miraculis, quæ Christo moriente facta sunt, quemque erudiri. Mirabiles mortis Christi effectus.* — IV. *Quidquid factum est a Christo, nostri causa factum esse; a quo nos infidelitas exsortes facit.* — V. *Christi inimicos per ejus gratiam esse destructos.*

CAP. I. — Evangelica lectio, dilectissimi, quæ sacratissimam Dominicæ passionis reseravit historiam, ita universæ Ecclesiæ nota est de communi frequenter auditu, ut rerum gestarum ordinem, tamquam sub vestris habitum oculis, singuli quique recolatis. Nec parum æstimandi sunt profecisse, qui de iis quæ [l] audiere non dubitant, ut etiamsi nondum liquide aliquod valeant Scripturarum capere sacramentum, firmissime tamen credant in divinis [m] libris nullum esse mendacium. Quia ergo sinceræ fidei promissa est intelligentiæ plenitudo, erigat se ad promerendam sancti Spiritus eruditionem, illuminatarum mentium vigor; et non contentus sit facti ordinem nosse, nisi etiam ipsam rationem impensæ sibi pietatis inspiciat : ut auctorem suum humana natura, sciendo quantum ab eo sit dilecta, plus diligat. Mi-

[a] Tres mss. Quesnelli, et duo nostri Vatt. cum prima editione, *Verbi caro.*

[b] Ita cum Quesnello duo codd. S. Petri. Cæteræ editiones cum ms. Vercell. et duobus Vatt., *gloriæ.*

[c] Cod. Vercell. et unus Vat., *non enim sciunt.*

[d] Particula *et* addita fuit ex duobus nostris mss. S. Petri et Vercell. Mox pro *asserunt falsam* duo codd. Vatt. et Bon., cum prima editione, *asserunt nullam.*

[e] Eadem in ep. 124 c. 6 et 165 c. 7.

[f] Editi ante Quesnellum et nostri codd., *phantastici.* At in epistola 134, c. 6, cui hic locus a Leone insertus fuit, *phantasmatici* legitur; et respiciuntur quidem illi quibus, ut dixit c. 1 hujus sermonis, *Crux Christi simulatio fuit phantasmatis.* Hinc Quesnelli emendationem recepimus.

[g] Ita Quesnellus cum lectione epist. 134, c. 6. At nostri codd. et cæteri editi, *exegerit.* Mox *Ac si* pro *At si* melius scripsimus ex duobus mss. S. Petri, nec non ex cod. Vercell. ac prima editione.

[h] *Omnium* pro *hominum* est in duobus codd. S. Petri.

[i] Ita Quesnellus cum prima editione et nonnullis nostris codd. At cæteræ editiones et mss. S. Petri, nec non Vat. collect. 5, *quæ præcessit.*

[j] Prima editio et cod. Bon., *humanæ spei.* Quidam codices et in margine vulgat., *Christianæ fidei.*

[k] Vulgati hunc sermonem præferebant habitum *feria quarta*, eo quod subjiciebatur sermoni nobis 64, qui incipit, *Omnia quidem tempora*, in cujus fine alius sermo *feria quarta* habendus promittitur. Sed perperam hunc sermonem illi fuisse subjectum ostendimus in admonitione præmissa sermoni 63.

[l] Editi ante Quesn. et mss. præstantiorum collectionum, *audiunt.* Mox *scriptorum* pro *scripturarum* in duobus mss. S. Petri.

[m] Quidam codd., *litteris.*

Digitized by Google

serendi enim nostri causam Deus nisi in sua [a] bonitate non habuit; et mirabilior est secunda hominum generatio quam prima [b] conditio : quia plus est in novissimis sæculis reparasse Deum quod perierat, quam a principio fecisse quod non erat. Libertatem itaque innocentiæ naturalis, quam primorum parentum prævaricatione perdidimus, nulla per se sanctorum præcedentium merita receperunt, quia lata in transgressores sententia, omnem progeniem captivæ posteritatis obstrinxit, et nemo exstitit exsors á damnatione, quia nullus fuit liber á crimine. Sed redemptio Salvatoris destruens opus diaboli, et rumpens vincula peccati, ita magnæ pietatis suæ disposuit sacramentum, ut usque ad consummationem quidem mundi præfinita generationum plenitudo decurreret, sed renovatio originis per justificationem indiscretæ fidei ad omnia retro sæcula pertineret. Incarnatio quippe Verbi, **256** et occisio ac resurrectio Christi, universorum fidelium salus facta est, et [c] sanguis unius justi hoc nobis donavit, qui eum pro reconciliatione mundi credimus fusum, quod contulit patribus, qui similiter credidere fundendum.

Cap. II. — Nihil ergo, dilectissimi, ab antiquis significationibus in Christiana religione diversum est, nec unquam a præcedentibus justis, nisi in Domino Jesu Christo salvatio sperata est, dispensationibus [d] quidem pro divinæ voluntatis ratione variatis, sed in idipsum coruscantibus et legis testimoniis, et prophetiæ oraculis, et oblationibus hostiarum : quia sic congruebat illos populos erudiri, ut quæ revelata non caperent, obumbrata susciperent, et major Evangelii esset auctoritas, cui tot signis totque [e] mysteriis, veteris Testamenti paginæ deservissent; de quibus Dominus profitebatur, quod non venerat legem solvere, sed adimplere (*Matth.* v, 17). [f] Ne itaque æstimet sibi prodesse Judæus, quod in litteræ carnaliter superficie demoratur, et iis Scripturis convincitur repugnare, quæ apud nos veram sui obtinent dignitatem, dum et eruditur prædictis, et ditamur impletis. Dicente enim Domino : *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me* (*Joan.* xii, 32), nihil legalium [g] institutionum, nihil propheticarum resedit figurarum, quod non totum in Christi sacramenta transierit. Nobiscum est signaculum circumcisionis, sanctificatio [h] chrismatum, consecratio sacerdotum; nobiscum puritas sacrificii, baptismi veritas, honor templi, ut merito cessarint nuntii, postquam nuntiata venerunt; nec vacuatur reverentia promissionum, quia plenitudo manifestata est gratiarum. Verum [i] quia, sicut ait Apostolus : *Cæcitas ex parte in Israel facta est, nec qui filii carnis, ii filii sunt promissionis* (*Rom.* xi, 25), ineffabilis misericordia Dei Israeliticum sibi populum de omnibus nationibus fecit, et saxeo illo gentilium [j] cordium rigore mollito, veros Abrahæ filios de lapidibus excitavit (*Matth.* iii, 9): ut conclusis omnibus sub peccato (*Rom.* xi, 32), qui carne nati sunt, spiritu renascantur, nec intersit quo patre sit quisque genitus, cum per indiscretam [k] unius fidei confessionem et fons baptismatis faciat innocentes, et electio adoptionis confirmet hæredes.

257 Cap. III. — Quid enim aliud [l] egit egitque crux Christi, quam ut destructis inimicitiis, et reconcilietur mundus Deo, et per sacrificium [m] immolati Agni veram in pacem cuncta revocentur? Non autem concordat Deo, qui ab ea quam in regeneratione sua edidit professione dissentit, et divini immemor pacti, inhærere ostenditur renuntiatis, dum resilire invenitur a creditis. Frustra enim Christianum sibi nomen usurpat, et nequaquam æstimet se Pascha Domini celebrare, qui Jesum Christum in ea qua natus, et passus, et mortuus, ac sepultus est carne, resurrexisse non credit, et [n] nostræ in illo naturæ resuscitatas primitias non fatetur. Verus itaque venerator Dominicæ passionis sic crucifixum Jesum oculis cordis aspiciat, ut illius carnem suam esse cognoscat. Contremiscat in Redemptoris sui supplicio terrena substantia, rumpantur infidelium mentium petræ, et qui mortalitatis gravabantur sepulcris, discussa obstaculorum mole prosiliant. Appareant nunc quoque in civitate sancta, id est in Ecclesia Dei, futuræ resurrectionis indicia, et quod gerendum est in corporibus, fiat in cordibus. Nulli infirmorum crucis est negata victoria; nec quisquam est cui non Christi auxilietur oratio. Quæ si multis in ipsum sævientibus profuit, quanto magis eos qui ad ipsum convertuntur [o] adjuvat? Sublata est ignorantia, temperata est difficultas, et igneam illam qua vitæ regio erat [p] inclusa romphæam sacer Christi

[a] Mss. Vat. collect. 5, *pietate*.

[b] Id est *creatio*, ut ex sequentibus liquet.

[c] Ita corruptum hunc locum emendavimus ope duorum codd. S. Petri et unius Bon. In prima editione et apud Quesnellum, *sanguis unius justi, quem nobis Pater donavit, qui eum pro reconciliatione mundi credimus fusum, hoc contulit patribus*, etc. In aliis editionibus similiter, hac una exceptione quod pro *qui eum* habent *quia eum*.

[d] Supplevimus *quidem* ex duobus mss. S. Petri, alio Bon. et prima editione.

[e] Editi ante Quesn. addunt, *miraculis atque*.

[f] Quidam codd. et editiones Quesnello anteriores, *Non æstimet*. Mox, *qui in litteræ* habet prima editio cum cod. Bon.

[g] Eædem editiones cum mss. collect. 3 et 5, *instructionum*; codd. collect. 4, *constitutionum*.

[h] In iisdem editionibus et nonnullis codd. perperam, *charismatum*.

[i] Quesnellus supplevit *quia*, quod in editis et aliquibus mss. deerat; at in aliis nostris codd. legitur.

[j] Vox *cordium* desideratur in prima editione.

[k] Ita Quesnellus cum duobus nostris mss. S. Petri et totidem Vatt., ac prima editione. Cæteræ editiones et quidam codices, *hujus fidei*.

[l] Prima editio et cod. Bon. habent tantum *agit*. Aliæ editiones, excepta Quesnelliana, cum mss. collect. 4 et 5, præferunt tantum *egit*. Utrumque, uti in textu et apud Quesnellum, est in mss. S. Petri.

[m] Sic reposuimus ex iisdem S. Petri codicibus. Alias, *immaculati*.

[n] Unus Vat. collect. 5, *nostras in illo resuscitatas primitias*.

[o] In prima editione, *adjuvabit*; in cæteris, *adjuvit*. Correximus ex mss. S. Petri, correctionemque suaserunt antecedentia, *Christi auxilietur oratio, et convertuntur*, quæ tempus præsens malunt.

[p] Forte, *interclusa*. Quesnellus in margine

Digitized by Google

sanguis exstinxit. Veræ luci, antiquæ noctis cessit obscuritas. Invitatur ad paradisi divitias populus Christianus, et cunctis regeneratis ad amissam patriam patefactus est reditus, si nemo sibi illam viam facit claudi, quæ [a] fidei latronis potuit aperiri.

Cap. IV. — Celebrantes igitur, dilectissimi, paschalis festi ineffabile sacramentum, agnoscamus, docente Spiritu Dei, ad cujus gloriæ participationem vocati et [b] ad quam spem simus ingressi. Nec ita nos nunc anxie, nunc superbe præsentis vitæ occupent actiones, ut non toto cordis affectu conformari Redemptori nostro [c] per illius **258** exempla nitamur. Nihil enim non ad nostram salutem aut egit aut pertulit, ut virtus quæ inerat capiti inesset etiam et corpori. Nam primum ipsa illa substantiæ nostræ in Deitate susceptio, qua *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14), quem hominum misericordiæ suæ, nisi [d] infidelem, reliquit exsortem? Et cui non communis natura cum Christo est, si assumentem [e] recepit, et eo spiritu est regeneratus quo [j]lle progenitus? Deinde quis in illo suas non agnoscat infirmitates? Quis perceptionem cibi, requietionem somni, sollicitudinem mœstitudinis, lacrymas pietatis, non videat formæ fuisse servilis? Quæ quoniam ab antiquis sananda vulneribus, et a colluvione erat purganda peccati, ita Unigenitus Dei, etiam hominis factus est filius, ut et [f] omni humanitatis veritate, et Divinitatis plenitudine non careret. Sicut itaque nostrum est quod cum [g] unione Deitatis peperit materna virginitas, ita nostrum est quod Judaica crucifixit impietas. Nostrum est quod exanime [h] in sepulcro jacuit, et quod die tertia resurrexit, quodque super omnes altitudines cœlorum ad dexteram paternæ majestatis ascendit: ut si per viam mandatorum ejus incedimus, et si quæ in humilitate corporea nostræ impendit saluti non erubescimus confiteri, nos quoque in gloriæ ejus consortium provehamur: quoniam manifeste quod denuntiavit implebitur: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo, qui in cœlis est* (*Matth.* x, 32).

Cap. V. — Huic autem cohortationi nostræ adest atque auxiliatur gratia Dei, quæ incarnationis Christi et mortis ac resurrectionis ejus inimicos, revelata per omnes Ecclesias veritate, destruxit; ut totius mundi fideles, cum apostolicæ fidei auctoritate concordes, una nobiscum exsultatione gauderent, dicente beato Paulo apostolo: *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus* [i] *cum illo per baptismum in morte, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos* **259** *in novitate vitæ ambulemus. Si enim complanta* [i] *facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra* [j] *non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum illo* (*Rom.* VI, 3-8): qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXVII [*Al.* LXV].

De Passione Domini XVI; die Dominica habitus.

Synopsis. — I. *Quantum prosit beneficiorum Dei contemplatio, quorum prædictio fidem astruit.* — II. *Sic passionem Christi Dei consilio decretam esse, ut nec ipse sceleris auctor, nec Judæi excusabiles sint.* — III. *Nec ipsos interfectores Christi a redemptionis munere esse repulsos.* — IV. *Quam detestandum sit Judæ crimen: quanta criminis pœna.* — V. *Christum per voluntariam mortem et remedium dedisse et exemplum.* — VI. *Mortem Christi, omnem et superbiæ et desidiæ locum auferre; nec præcepta adimpleri, nisi per ipsum.* — VII. *Christum in membrorum suorum persona dixisse:* Quare me dereliquisti?

Cap. I. — Semper quidem, dilectissimi, fidelium mentes in divinorum operum decet admiratione versari, et rationales animos iis maxime cogitationibus inhærere, per quas incrementum fidei consequantur. Cum enim [k] pii cordis intentio, vel ad generalia beneficia, vel ad specialia ipsius gratiæ dona **260** dirigitur, multas a se [l] vanitates abigit, et a corporalibus curis in quoddam secretum spiritale secedit. Sed hoc in tempore Dominicæ passionis multo avidius excellentiusque faciendum est, ut ea quæ sacris sunt lectionibus recensita, sanæ intelligentiæ susci piantur auditu, et quæ magna sunt verbis, appareant majora mysteriis. Prima namque erigendi sursum nostri cordis est ratio [m] quod ea quæ etiam evangelica veritas enarravit, voces propheticæ non tamquam gerenda, sed tamquam gesta cecinerunt; et quod humanæ aures nondum cognoverant faciendum, jam Spiritus [n] sanctus prædicabat impletum. Nam rex David, cujus secundum hominem semen est Christus, diem crucis Domini [o] mille et plus quam centum annorum ætate

[a] Sic ex duobus mss. S. Petri emendavimus. Al., *fide*.

[b] In ms. Vat. collect. 5 hic omittitur præpositio *ad*. Mox prima editio, *sumus*, pro *simus*.

[c] In eodem codice forte melius, *per ipsius*.

[d] Hujus loci sententiam et duas Quesnelli postillas in observationibus expendemus.

[e] Ita melius ex codd. S. Petri præterito tempore, ut exigere videntur sequentia, *est regeneratus*; et referendum est ad *receptionem* Christi per fidem, quæ quidem præcedit *regenerationem* per baptisma. Vulg., *recipit*.

[f] Reposuimus, *omni*, quod Quesnellus omisit, ex cunctis nostris mss. et anterioribus editis.

[g] In quibusdam editionibus et mss. collect. 5, *unitione*.

[h] Addidimus *in sepulcro*, ex duobus mss. S. Petri.

[i] Erat in editis, *cum ipso per baptismum in mortem*. Secuti sumus lectionem duorum mss. S. Petri, et totidem Vatt.

[j] Unus cod. addit *jam*.

[k] Sic ex duobus codd. S. Petri. Alias, *pia*.

[l] Cod. Corbeiensis Quesnelli, *varietates*.

[m] Prima editio, *quod ea etiam quæ*.

[n] Adjecimus *sanctus* ex prima aliisque nonnullis editionibus ante Rainaudum et Quesnellum, et ex plerisque nostris codicibus.

[o] Sequitur pontifex noster chronologiam Eusebii.

Digitized by Google

præcessit, et nihil eorum suppliciorum quæ sibi memorat illata perpessus est. Sed quia per os ejus ille loquebatur qui carnem passibilem ex ipsius erat stirpe sumpturus, merito sub ipsius persona præmittitur historia crucis, qui in se gerebat corpoream originem Salvatoris. Vere enim David in Christo est passus, quia vere Jesus in David est carne crucifixus.

Cap. II. — Cum ergo omnia quæ [a] in Dominum majestatis Judaica admisit impietas, tanto ante prædicta sint, [b] et non tam de futuris quam de præteritis propheticus sit sermo contextus, quid aliud nobis quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo reseratur, apud quem et discernenda jam dijudicata, et futura jam facta sunt? Cum enim et qualitates actionum nostrarum, et effectus omnium voluntatum scientia divina præveniat, quanto magis nota Deo sunt opera sua? Et recte placuit quasi facta recoli, quæ non poterant omnino non fieri. Unde et apostoli Spiritu Dei pleni, cum inimicorum Christi minas sævitiamque paterentur, [c] concordi ad Deum voce dixerunt: *Convenerunt enim* [d] *vere in* **261** *civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel facere, quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri* (*Act.* IV, 27, 28). Numquid iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio, [e] et illud facinus quod omni majus est crimine manus divinæ præparationis armavit? Non hoc plane de summa justitia sentiendum est, quia multum diversum multumque contrarium est id quod in malignitate Judæorum est prænognitum, et quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno exstitit spiritu atrocitas sceleris, et tolerantia Redemptoris. Impias furentium manus non immisit in se Dominus, sed admisit; nec præsciendo quod faciendum esset, coegit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset ut fieret.

Cap. III.—Denique inter crucifixum et crucifigentes tam dispares causæ sunt, ut quod a Christo susceptum est, non possit resolvi; quod ab illis commissum, possit aboleri. Qui enim venit peccatores salvos facere (*Matth.* IX, 13), nec ipsis quidem interfectoribus suis misericordiam denegavit, sed impiorum malum in bonum credentium commutavit: ut mirabilior fieret gratia Dei, non secundum merita hominum, sed secundum multitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei misericorditer præparata, quando et ipsos qui fuderant sanguinem Salvatoris, reciperet unda baptismatis. Nam, sicut Scriptura, quæ apostolorum actus continet, loquitur, cum prædicatio beati Petri apostoli Judæorum corda compungeret, et agnita impietate sui sceleris dicerent: *Quid faciemus, viri fratres?* idem Apostolus ait: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus sancti. Vobis* [f] *est enim repromissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster*; moxque addidit Scriptura, et dixit: *Qui ergo receperunt sermonem ejus baptizati sunt, et appositæ sunt in illo die animæ circiter tria millia* (*Act.* II, 37—41). Quod itaque Dominus Jesus Christus furorem frementium pati voluit, in nullo auctor eorum criminum fuit; nec egit ut hæc vellent, sed cessit ut possent; et sic usus est obcæcatæ plebis insania, quemodo et perfidia traditoris, quem ab immanitate concepti sceleris, **262** et beneficiis revocare est dignatus et verbis, assumento in discipulum, provehendo in apostolum, [g] monendo signis, consecrando mysteriis, ut cui nihil benevolentiæ deesset ad correctionem, nihil occasionis superesset ad crimen.

Cap. IV.—Sed tu, impiissime homo, semen Chanaan, et non Juda (*Dan.* XIII, 56), nec jam vas electionis, sed filius perditionis et mortis, utiliora tibi diaboli incitamenta credebas: [h] ut facibus inflammatus avaritiæ, ad triginta argenteorum lucrum inardesceres, et quid divitiarum amitteres non videres.

---

quam et secuti sunt Martyrologii Romani auctores VIII kal. Januar. Qui accuratiorem supputationem volet, adeat recentiores chronologos, Dionysium Petavium de Doctrina temporum et in Rationario, Jacobum Usserium, et alios, quorum unus anouymus ad calcem Bibliorum ab Antonio Vitré edit. Paris. 1662. Ex cujus calculo a morte David ad mortem D. N. Jesu Christi, anni tantum numerantur mille et quinquaginta; ab initio autem regni Davidis, mille et nonaginta. Quesnellus. — Verius autem Leo Prosperi Chronico usus est, ut ostendemus in observationibus ad serm. 76. Prosper vero in re præsenti Eusebium expresse laudat et sequitur. Post pauca, *historia crucis Dominicæ, qui*, etc., legitur in nonnullis codd.

[a] Prima editio cum codd. collect. 3 et 4, pro, *in Dominum majestatis*, habet *in Christo*, aliæ editiones ante Quesn. cum mss. collect. 5, *in Christum*. Lectionem textus a Quesnello inductam probat codex S. Petri. Mox in prima editione et in ms. S. Petri, *prædicata*, pro *prædicta*.

[b] Erat in editis, *ut non tam de futuris quam de præsentibus*. Magis placuit lectio codicis S. Petri: Leo enim ex contextu significare videtur prophetias non tam prædixisse de Christo aliqua veluti futura, verum etiam quædam velut præterita, ut cum David cecinit: *Foderunt manus meas et pedes meos*, etc., quæ licet præterito tempore dicta, non tamen David, sed Christo conveniunt, ut notavit Auctor capite superiori: *David nihil eorum suppliciorum quæ sibi morat illata perpessus est. Sed . . . . . vere David in Christo est passus, quia vere Jesus in David est carne crucifixus.* Ac præterea hoc capite subjicit: *Recte placuit quasi facta* (nota præteritum tempus) *recoli, quæ non poterant omnino non fieri.*

[c] Sic nostri codd. et editi ante Quesnellum, apud quem, *unanimi*.

[d] Prima editio et cod. Bon., *viri*. Mox adjectivum *sanctum* a Quesnello inductum probant duo Lectionaria S. Petri.

[e] Forte, *et illos ad facinus*. Quesn. in margine.

[f] Verbum *est* a Quesnello omissum, quod et in Græco et in Vulgato textu legitur, restituimus ex nostris mss. et cæteris editionibus, quæ præterea, post *enim*, addunt *facta*.

[g] Prima editio, *movendo*.

[h] Duo codd. S. Petri, *ut facilius inflammatus avaritia*.

Digitized by Google

Nam etsi [a] non putabas credendum esse promissis, quæ fuit ratio ut tantillus pecuniæ modus poneretur acceptis? Imperabas dæmoniis, medebaris infirmis, honorabaris cum apostolis, et ut [b] famem tuæ cupiditatis expleres, patebant tibi furta de locellis. Sed animum interdictorum [c] avidum, quod minus licuit, amplius incitavit; nec tam placuit quantitas pretii quam magnitudo peccati. Unde facinus commercii tui non ideo detestandum est quia Dominum viliter æstimasti, sed quia Redemptorem etiam tuum, ne tibi parceres, vendidisti. Et merito tibi tua poena commissa est, quia in supplicium tuum nemo te sævior potuit inveniri.

Cap. V. — Quod igitur in tempore præstituto, secundum propositum voluntatis suæ Jesus Christus crucifixus et mortuus et sepultus est, non propriæ conditionis necessitas, sed nostræ captivitatis redemptio fuit. Idea enim *Verbum caro factum est*, ut de utero Virginis sumeretur natura passibilis, et quod in Filium Dei [d] non poterat perpetrari, in filium hominis posset admitti. Nam licet in ipso ortu coruscarent in eo signa Deitatis, et omnia incrementa corporalium provectuum divinis essent plena miraculis, infirmitatum tamen nostrarum susceperat veritatem, et excepta communione peccati, nihil a se humanæ infirmitatis excluserat, ut et sua nobis [e] inferret, et in se nostra curaret. Ab omnipotenti enim medico duplex nobis miseris remedium præparatum est, cujus aliud est in sacramento, aliud in exemplo; ut per unum conferantur divina, per aliud [f] exigantur humana. Quia sicut Deus justificationis est auctor, ita homo devotionis est debitor.

Cap. VI. — Per hanc ergo, dilectissimi, salutis nostræ ineffabilem reparationem, nec superbiæ nobis, nec desidiæ locus relinquitur: quia et nihil habemus nisi quod accepimus, **263** et jugiter admonemur ut dona gratiæ Dei non negligenter habeamus (I *Tim.* IV, 14). Juste enim nobis instat præcepto qui præcurrit auxilio, et benigne incitat ad obedientiam qui ducit ad gloriam. Unde merito Dominus ipse nobis factus est via (*Joan.* XIV, 6), quia nisi per Christum non itur ad Christum. Per ipsum autem ad ipsum tendit qui per semitam patientiæ et humilitatis ejus incedit: in quo plane itinere nec æstus deest laboris, nec nubes tristitiæ, nec procella formidinis. Ibi sunt insidiæ iniquorum, persecutiones infidelium, minæ potentium, contumeliæ superborum: quæ Dominus virtutum et Rex gloriæ (*Ps.* XXIII, 10) ideo omnia in infirmitatis nostræ forma, et in carnis peccati similitudine [g] percurrit (*Rom.* VIII, 3), ut inter præsentis vitæ pericula non tam optandum sit nobis declinando ista effugere, quam tolerando superare.

Cap. VII. — Inde est quod caput nostrum Dominus Jesus Christus omnia in se corporis sui membra transformans, quod olim in psalmo eructaverat, id in supplicio crucis sub redemptorum suorum voce clamabat: *Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti* (*Ps.* XXI, 1)? Vox ista, dilectissimi, doctrina est, non querela. Nam cum in Christo Dei et hominis una persona sit, nec ab eo potuerit relinqui a quo non poterat separari, pro nobis trepidis et infirmis interrogat cur caro pati metuens exaudita non fuerit. Instante enim passione ad sanandum et corrigendum nostræ fragilitatis metum dixerat: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, et iterum: *Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua* (*Matth.* XXVI, 39, 42). Qui ergo trepidatione carnis evicta, jam in paternam transierat voluntatem, et toto mortis terrore calcato, opus suæ constitutionis implebat, cur in ipso tantæ victoriæ exaltatus triumpho, causam et rationem [h] qua sit relictus, id est non exauditus, inquirit, nisi ut ostendat alium esse illum affectum, quem ad humanæ formidinis excusationem recepit, alium illum quem [i] ex æterno placito Patris pro mundi reconciliatione prælegit? Unde ipsa vox non exauditi, *i* magni est expositio sacramenti, quod nihil humano generi conferret Redemptoris potestas, si quod petebat nostra obtineret infirmitas. Hæc hodie, dilectissimi, ne vos prolixitate sermonis oneremus, dicta sufficiant: cætera in quartam sabbati differamus. Aderit Dominus orantibus vobis, **264** ut quæ solvenda promittimus, ipso largiente reddamus, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXVIII [*Al.* LXVI].

De Passione Domini XVII; feria quarta habitus.

Synopsis. — I. *Inseparabilem a Christo Divinitatem eum derelinquere non potuisse.* — II. *Voluntariam Christi mortem pro salute mundi clamore demonstrari; nec blasphemantium vocibus potuisse impediri.* — III. *Spretis blasphemiis sacrificium suum a Christo oblatum esse; veli etiam scissione significatum.* — IV. *Diabolum numquam non insidiari. Quæ utilitas jejunii quadragesimalis.*

Cap. I. — Sermo proximus, dilectissimi, cujus vobis promissam restituere cupimus portionem, in id disserendi ratione processerat, ut de illa clamantis ad Patrem crucifixi Domini voce loqueremur: ne simplex et incuriosus auditor ita acciperet verba dicentis: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti*

[a] Editi ante Quesnellum et plures codd. collectionum posteriorum delent *non*, sed legitur in duobus S. Petri mss.

[b] Vulg., *finem*. Quesnelli emendationem confirmant nostri codices.

[c] Ita cum Quesn. probatiores codd. Al., *admonitum*.

[d] Vulgati ante Quesn., *non potuit*.

[e] Sic ex duobus mss. S. Petri. Al., *insereret*. Dein, pro voce *miseris*, unus codex S. Petri habet, *in Christo*

[f] Ita Quesnellus cum suis et nostris codicibus. Aliæ editiones, *erigantur*.

[g] Mss. collect. 4 et 5, *percucurrit*.

[h] Codd. collect. 5, *quare sit*.

[i] Quesnellus, nullo indicato ms., edidit, *ex æterno Patris consilio*. Anteriorum editionum lectionem, quam omnes nostri codices exhibent, revocavimus.

[j] In uno codice S. Petri, *magna est expositio sacramenti quia nihil*, etc.

Digitized by Google

(*Ps.* XXI, 1)? tamquam fixo Jesu in crucis ligno, paternæ ab eo Deitatis omnipotentia recessisset; cum in tantam unitatem Dei et hominis natura convenerit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi. Manente enim in sua proprietate utraque substantia, nec Deus deseruit sui corporis passionem, nec Deum fecit [a] caro passibilem, quia Divinitas quæ erat in dolente non erat in dolore. Unde secundum Verbi hominisque personam, idem est qui factus est inter omnia, et per quem facta sunt omnia. Idem est qui impiorum manibus comprehenditur, et qui nullo fine concluditur. Idem est qui clavis [b] transfigitur, et qui nullo vulnere sauciatur. Idem postremo est qui mortem subiit, et sempiternus esse non desiit, ut utrumque signis non dubiis manifestetur quod vera sit in Christo [c] humilitas, et vera majestas: quia ideo se humanæ infirmitati virtus divina conseruit, ut dum Deus sua facit esse [d] quæ nostra sunt, nostra faceret esse quæ sua sunt. Non ergo aberat a Patre Filius, nec a Filio Pater: et illa Deitas incommutabilis, et inseparabilis Trinitas nihil sui poterat a se habere discretum. Quamvis enim 265 susceptæ incarnationis dispensatio ad unigenitum Dei Filium proprie pertineret, sic tamen Pater non abjungebatur a Filio, quemadmodum caro non dividebatur a Verbo.

CAP. II. — Ideo ergo Jesus voce magna clamabat, dicens: *Quare me dereliquisti?* ut notum omnibus faceret [e] quam oportuerit eum non erui, non defendi, sed sævientium manibus derelinqui, hoc est Salvatorem mundi fieri, et omnium hominum Redemptorem; non per miseriam, sed per misericordiam; nec amissione auxilii, sed definitione moriendi. Quæ vero illic vitæ [f] intercessio sentienda est, ubi anima et potestate est emissa, et potestate revocata? Dicit enim beatus Apostolus quod *Pater Filio* [g] *suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII, 32); et iterum dicit: *Quoniam Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret* (*Ephes.* V, 2, *et* 26). Unde tradi Dominum passioni, tam fuit paternæ quam ipsius voluntatis: ut eum non solum Pater relinqueret, sed etiam ipse se quadam ratione desereret, non trepida discessione, sed voluntaria cessione. Continuit enim se ab impiis A Crucifixi potestas, et ut dispositione uteretur occulta, uti noluit virtute manifesta. Nam qui mortem et mortis auctorem sua venerat passione destruere, quomodo peccatores salvos faceret, si persecutoribus repugnaret? Judæorum igitur hoc [h] fuerat, dilectissimi, ut Jesum a Deo crederent relictum, in quem tanto scelere sævire potuissent: [i] quia sacramentum mirabilis patientiæ nescientes, sacrilega illusione dicebant: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei* (*Matth.* XXVII, 42). Non vestræ cæcitatis arbitrio, o stulti scribæ, et impii sacerdotes, ostendenda erat potentia Salvatoris, / nec secundum pravas blasphemantium linguas humani generis redemptio debebat intermitti: cum si Deitatem Filii B [k] Dei voluissetis agnoscere, innumera opera ejus videretis, quæ vos ad eam quam fallaciter promittitis fidem confirmare debuerint. Si autem, ut ipsi profitemini, verum est quod alios salvos fecit, cur illa tot et tanta miracula, quæ sub publico facta sunt conspectu, in nullo cordis vestri 266 duritiam mollierunt, nisi quia ita semper sancto Spiritui restitistis, ut omnia vobis beneficia Dei in perniciem verteretis? Nam etiamsi descenderet Christus de cruce, vos tamen hæreretis in crimine.

CAP. III. — Spreta ergo sunt vanæ insultationis opprobria, et misericordiam Domini perdita et collapsa reparantem nullæ contumeliæ, nulla convicia a sui via propositi removerunt. Offerebatur enim Deo pro salute mundi hostia singularis, et occisio C Christi veri Agni per tot sæcula prædicata promissionis filios in libertatem fidei transferebat. Confirmabatur quoque Testamentum novum, et Christi sanguine æterni regni scribebantur hæredes. Ingrediebatur summus pontifex Sancta sanctorum, et ad exorandum Deum immaculatus sacerdos per velum suæ carnis intrabat (*Hebr.* IX, 16 *et seq.*). Denique adeo tunc a lege ad Evangelium, a Synagoga ad Ecclesiam, a multis sacrificiis ad unam hostiam [l] evidens est facta translatio, ut emittente Spiritum Domino, velum illud mysticum quod templi penetralia sanctumque secretum suo interludebat objectu, a summo usque ad imum vi subita scinderetur:

[a] Cod. Vercell., *a carne*.

[b] Sic idem codex et duo S. Petri. Alias, *configitur*. Mox pro, *nullo vulnere*, quod cum Quesnello præferunt plures et potiores nostri codices, antea editi, habebant *nullo dolore* cum mss. collect. 5.

[c] Quesnellus, *humanitas*, ut in nostro cod. Vercell. Restituimus antea editorum lectionem auctoritate duorum mss. S. Petri, et totidem Vatt. non solum quia *humilitas* pro *humanitate* a Leone frequenter accipitur, verum etiam quia hic *majestati*, quæ sumitur pro *Divinitate*, aptius apponitur.

[d] Cod. Vercell., *quæ sua non sunt*.

[e] Sic melius ex duobus mss. S. Petri, et totidem Vatt. ac uno Veneto. Al., *quare oportuerit*.

[f] Forte, *intercisio*. QUESNELLUS in margine.

[g] Voces, *suo proprio*, additæ ex duobus mss. S. Petri, et uno Vercell.

[h] Quesn., *fuerit*. Restituimus anteriorum editionum lectionem, quippe quæ est in plerisque nostris codicibus.

D [i] *Quia* pro *qui* magis placuit auctoritate mss. S. Petri. Mox, pro *patientiæ*, prima editio et unus cod. Vat. habent *potentiæ*.

[j] In pluribus mss. et in editionibus ante Quesn., *nec secundum preces blasphemantium linguarum*. Lectionem ab eo textui insertam exhibuit codex Vercell., ex quo supplevimus vocem *pravas*. Ex eodem etiam ms., pro *omitti*, quod erat in editis, supposuimus *intermitti*; nam similiter serm. 52, cap. 4, *ne dilato gloriosæ crucis triumpho*, etc., ubi *dilatio* hujus triumphi *intermissioni* congruit. Cod. Venetus, pro *pravas*, habet *peccatrices*.

[k] Vox *Dei* revocata ex prima editione, et duobus codd. S. Petri ac uno Bon. Dein, *confirmare debuerunt*, in eadem editione.

[l] Post voces, *ad unam hostiam*, addunt Vulg., *quæ Deus est*; quæ cum in mss. codd. desiderentur, adjectitia esse censuimus. QUESN.—Desunt etiam in pluribus nostris mss.

Digitized by Google

quoniam figuras veritas auferebat, [a] et superflui erant nuntii sub præsentia nuntiati. Adjiciebatur iis elementorum omnium tremenda commotio (*Matth.* XXVII, 51), et auctoribus Crucis Christi ipsa se naturæ officia subtrahebant. Cumque custos supplicii Centurio, territus iis quæ viderat, diceret: *Vere Filius Dei erat homo iste* (*Ibid.*, 54) : impietatem tamen Judaicam monumentis et petris omnibus duriorem, nulla proditur mitigasse compunctio : ut appareat paratiores ad intelligendum Filium Dei tunc fuisse Romanos milites, quam Israeliticos sacerdotes.

CAP. IV. — Quia ergo Judæi omnium sacramentorum sanctificatione privati, lucem sibi in tenebras et in luctum festa verterunt, nos dilectissimi, effusam super omnes gentes gratiam Dei [b] prociduis corporibus atque animis adoremus; obsecrantes misericordem Patrem et divitem Redemptorem, ut de die in diem, auxilio ejus adjuti, omnia vitæ hujus pericula possimus effugere. Adest enim callidus ubique tentator, et nihil vacuum a suis relinquit insidiis. Cui, auxiliante misericordia Dei, quæ nobis inter omnia adversa prætenditur, fideli semper est **267** constantia resistendum : ut quamvis impugnare non desinat, neminem tamen quem expugnet inveniat. Prosint omnibus, dilectissimi, religiose celebrata jejunia, et continentiæ utilitas, quam et animis et corporibus probavimus congruentem, nullis corrumpatur excessibus. Quæ enim ad sobrietatem et parcimoniam pertinent, ideo diligentius in his sunt celebrata diebus, ut de brevi studio in longam consuetudinem mitterentur; et sive in operibus misericordiæ, sive in studio parcimoniæ, nullum a fidelibus vacuum tempus habeatur, quoniam utique [c] in accessu dierum et cursu temporum lucra debemus facere operum, non damna meritorum. Piis autem studiis et religiosis animis aderit misericordia Dei, ut quod fecit concupisci, faciat obtineri: qui vivit et regnat cum Domino nostro Jesu Christo Filio suo, et cum sancto Spiritu in sæcula seculorum. Amen.

SERMO LXIX [*Al.* LXVII].

De Passione Domini XVIII.

SYNOPSIS. — I. *Ineffabilem esse mysterii crucis altitudinem. Fidem ejus tam unam esse quam infidelitas est varia et incerta.* — II. *Cessasse figuras, quia veritas illuxit, cujus fides eadem semper fuit.* — III. *Christum Deum et hominem voluntarie mortuum; diabolum in astutia sua deceptum fuisse.* — IV. *Diabolum, dum Christum occidit, liberandis hominibus locum dedisse et plenæ de morte et peccato victoriæ.* — V. *Sedulo insidias diaboli esse vitandas, ut cum Christo crucifixi per mortificationem, in ipso coronemur.*

CAP. I. — Magnitudo quidem, dilectissimi, ineffabilis sacramenti, ita humanæ intelligentiæ altitudinem, et totius vincit eloquii facultatem, ut et excellentissimis ingeniis, et facundissimis linguis sublimior sit triumphus Dominicæ passionis. Sed gaudendum nobis potius quam erubescendum est, **268** quod tantæ superamur materiæ dignitate; de qua nemo humilius sensit quam qui putavit [d] suffecisse quæ dixit. Non ergo superfluo quæ prædicavimus prædicamus, nec de rebus divinis loquenti carnalium aurium sunt timenda fastidia, tamquam despectui sint futura, quia crebro cognoscuntur iterata : cum hoc maxime ad Christianæ fidei pertineat soliditatem, ut secundum apostolicam doctrinam, *idipsum* [e] *dicamus omnes, et simus perfecti in eodem sensu et in eadem scientia* (I *Cor.* I, 10). Infidelitas quippe, quæ omnium est mater errorum, in multas opiniones, quas arte dicendi necesse [f] habeat colorare, distrahitur. Veritatis autem testificatio numquam a sua luce discedit, et quod aliis minus, aliis amplius micat, non varietas facit luminis, sed infirmitas contemplationis. Cui secundum supernæ illuminationis auxilium, etiam meo sermone famulandum est: ut quoniam *Dei agricultura, Dei ædificatio estis* (I *Cor.* III, 9), ipse et dispensanti et accipienti tribuat sufficientiam, qui largitionum suarum justam exigere novit usuram.

CAP. II. — Decurso igitur, dilectissimi, textu evangelicæ lectionis, quam de gloria crucis Christi intento accepistis auditu, omnia vobis [g] divinorum eloquiorum mysteria patefacta sentite ; et quidquid sub propheticis testificationibus umbra veteris Testamenti velabat, in sacramento passionis Dominicæ manifestum esse gaudete. Ideo enim sacrificiorum [h] varietates et purificationum differentiæ destiterunt, ideo mandatum circumcisionis, ciborum discretio, otium sabbati, et paschalis agni cessavit occisio, quia *lex per Mosen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I. 17). Præcesserunt figuræ, [i] ut sequerentur effectus, et adventu rerum nuntiatarum finita sunt officia nuntiorum, sic reconciliatione humani generis temperata, ut salus quæ in Christo est, nullis sæculis sub eadem justifi-

[a] Conjunctionem *et*, mutata interpunctione a Quesnello adhibita, ex nostris codd. et antea editis restituimus.

[b] Editi ante Quesnellum, *proclivibus*. At in margine nonnullorum, *prociduis*.

[c] Ita omnes nostri codd. et editiones ante Quesnellum, apud quem *in occursu*, quod in nullo nostro codice reperimus. Antea pro *utique*, quidam mss. habent *ita*.

[d] Ita Quesnellus cum prima editione et nostris optimæ notæ codd. Al., *non suffecisse*. Mox, *quæ prædicavimus*, a Quesn. suppleta, leguntur in prima editione et in nostris codd.

[e] Prima editio, *vrædicemus*. Cod. Vercell. omittit *omnes*. Mox, pro *scientia*, alias, *sententia*.

[f] Cod. Vercell., *habet*.

[g] Prima editio cum cod. Bon. et duobus S. Petri, *divinorum mysteriorum eloquia*. Antea *nobis* pro *vobis* in eadem editione et in ms. Vercell.

[h] Eadem editio et cod. Vercell., *varietas*.

[i] Ita reposuimus ex omnibus nostris mss. et editionibus Quesnello anterioribus, quæ solum habent *sequeretur* pro *sequerentur*. Apud illum vero, *ut quæ rerentur effectus*. Paulo ante, *Præcesserunt enim figuræ* in ms. Vercellensi, cujus auctoritate melius judicavimus delendam præpositionem *in* ante vocem *adventu*. Prima editio pariter ignorat hanc præpositionem, sed habet, *et effectu rerum nuntiatarum*.

Digitized by Google

catione defuerit ; et ad hoc dilationum profecerit ratio, ut quæ diu credita sunt antequam fierent, [a] incunctanter honorarentur. Nam cum virtus fidei in iis quæ visui non subjacent constituta sit (*Hebr.* XI, 1), indulgentius nobiscum egit doctrina cœlestis, quos in hæc mundi tempora [b] distulit, ut **269** ad intelligentiæ facilitatem, multo pluribus quam priores et vatibus uteremur et testibus.

CAP. III. — Quod ergo nobis de passione Domini Jesu Christi sacra et digito Dei scripta Evangelia protestantur, sine nubilo hæsitationis accipite ; et rerum gestarum ordinem tam habetote manifestum, [c] quam si omnia corporeo et visu attingeretis et tactu. Vera in Christo Deitas et vera credatur humanitas. Ipse est caro qui Verbum, et sicut unius cum Patre substantiæ, ita unius cum matre naturæ. [d] Non gedominatus persona, non confusus essentia ; potestate impassibilis, humilitate mortalis ; [e] sed utraque sic utens, ut et virtus glorificare posset infirmitatem, et infirmitas non valeret obscurare virtutem. Comprehendi se [f] a persecutoribus patitur, qui continet mundum, et eorum manibus nectitur, quorum corde non capitur. Justitia non resistit injustis, et cedit veritas testimoniis falsitatis : ut manens in forma Dei, formam impleret servi, et veritatem corporeæ nativitatis confirmaret sævitia corporeæ passionis. Sed hanc Unigenito Dei subire et perpeti, non conditio necessitatis, sed misericordiæ fuit ratio : *ut de peccato damnaret peccatum* (*Rom.* VIII, 3), et diaboli opus de opere diaboli solveretur. Inimicus enim humani generis [g] mortificandæ in ipsa origine universitati lethale vulnus intulerat, nec poterat declinare jus ferreum dedititii seminis captiva progenies. Unde cum [h] in tot generationibus mortali sibi lege subjectis, unum videret inter hominum filios, cujus [i] virtutes super omnes totius temporis sanctos miraretur excellere, securum se fore credidit de perpetuitate sui juris, [j] si nulla justitiæ merita mortis jura superare potuissent. Famulis itaque suis et stipendiariis vehementius incitatis, in præjudicium suum sævit, et

A dum putat aliquid sibi debere quem potuisset occidere, non vidit libertatem singularis innocentiæ, similitudinem persequendo naturæ. Non autem errabat in genere, sed fallebatur in crimine. Adam enim primus, **270** et Adam secundus, unum erant carne, non opere : et in illo omnes moriuntur, in isto omnes vivificabuntur (I *Cor.* XV, 22). Ille per superbiæ cupiditatem iter fecit ad miseriam, hic per humilitatis fortitudinem viam paravit ad gloriam. Unde ipse dicit : *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Via scilicet, in forma conversationis justæ ; veritas, in exspectatione [k] rei certæ ; vita in perceptione felicitatis æternæ.

CAP. IV. — Hoc magnæ pietatis sacramentum, dilectissimi, sicut Judaica impietas, ita diabolica superbia nesciebat. *Si enim cognovissent, numquam Dominum* [l] *majestatis crucifixissent* (I *Cor.* II, 8). Sed quia hostem generis humani latebat consilium misericordiæ Dei, et opposito carnis velamine *Deus in Christo mundum sibi reconcilians* tegebatur (II *Cor.* V, 19) : perstitit in eum furere, in quo nihil suum poterat invenire. Nam et malignitati ejus hoc magis potuisset prodesse [m] si parceret, et se ab effusione ejus sanguinis abstineret, per quem omnium erat solvenda captivitas, et reparanda libertas. Sed lucem tenebræ non comprehenderunt (*Joan.* I, 5), nec mendax cæcitas sapientiam potuit veritatis inspicere. Tenuit itaque [n] dispositam mansuetudo patientiam, et cohibita famulantium sibi angelicarum virtute legionum, hausit calicem doloris et mortis, totumque supplicium transtulit in triumphum. Victi sunt errores, subactæ sunt potestates, accepit novum mundus exordium : ut damnata generatio non obesset, quibus salvandis regeneratio subveniret. Transierunt vetera, et [o] ecce facta sunt omnia nova (II *Cor.* V, 7) ; universorum enim in Christo credentium et in sancto Spiritu renatorum, per ipsum et cum ipso una est [p] et passionis societas et resurrectionis æternitas, dicente Apostolo : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Chri-*

[a] Lectionem omnium editorum ante Quesnellum potioribus nostris codd. innixam revocavimus. Ille vero, *incunctanter facta honorentur*. Nomen *facta* nullo in ms. invenire potuimus.

[b] Erat in editis ante Quesn. cum codd. posteriorum collectionum, *distulit ad intelligentiæ facultatem ut multo pluribus*, etc. Quesnellus nihil innuens, emendavit, ut in mss. S. Petri et Vercell. præfertur. Mox, pro *uteremur*, in prima editione et in cod. Bon., *urgeremur*.

[c] Cod. Vercell., *quasi omnia... attigeritis*.

[d] Al., *non minutus*. QUESN. in margine.

[e] Haud intelligimus cur hanc satis congruam omnium et antea editorum et nostrorum codicum lectionem repudiaverit Quesnellus, et rejecerit in marginem, ut substitueret istam, *sed utraque sic continens* nullo ms. indicato, quæ haud æque satisfacit.

[f] Sic plerique et meliores mss. nec non editi anteriores Quesnello, qui *a persequentibus* maluit.

[g] Ita ex duobus mss. S. Petri et Cod. Vercell. Vulg., *mortificatæ*. Paulo post, *damnati* pro *deditii*, in ms. Vercell.

[h] Præpositio *in* deest in tribus nostris non infimæ notæ codd. Mox duo codd. S. Petri, *mortalium*, pro *mortali*, et ms. Vercell., *præviderel* pro *videret*.

[i] Sic ex duobus mss. S. Petri, et ex cod. Vercell. Al., *virtutem*.

[j] Editi cum mss. collect. 3 et 4, *si nulla justitiæ merita sævæ potuissent superare vim mortis*. Cod. Vat. collect. 5 omittit, *sævæ*. Lectionaria S. Petri, *si nulla justitiæ suæ merita per se potuissent superare vim mortis*. Magis Leonina visa est lectio cod. Vercellensis, quam idcirco textui inseruimus.

[k] Forte, *spei*. QUESNELLUS in margine.

[l] Editi ante Quesn. cum mss. trium posteriorum collectionum, *gloriæ*,

[m] In prima edit. et cod. Bon., *si parceret ei, per quem*, intermediis verbis omissis.

[n] Ita melius ex duobus mss. S. Petri. Al., *disposita*.

[o] *Ecce* revocatur ex omnibus editis ante Quesn. et ex potioribus mss. Mox editi cum aliquibus codd. inferioris notæ, *ut universorum in Christo... una esset*, etc

[p] Conjunctio *et* adjecta ex duobus mss. S. Petri.

Digitized by Google

stus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria (*Coloss.* III, 3).

CAP. V. — In hac igitur spe, dilectissimi, constituti, omnes diaboli cavete [a] versutias, qui non solum per carnis concupiscentias, nec **271** per corporeas tantum insidiatur illecebras, sed inter ipsa quoque semina fidei spargens zizania falsitatum, veritatis studet violare culturam, ut quos non potuerit corrumpere malis actibus, impiis subvertat erroribus. Fugite ergo mundanæ argumenta doctrinæ et viperea hæreticorum vitate colloquia. Nihil vobis commune sit cum eis qui catholicæ adversantes fidei solo sunt nomine Christiani. Non enim templum [b] Spiritus Dei, nec membra sunt Christi ; sed falsis opinionibus implicati, tot species habent diaboli, quot simulacra mendacii. A quibus malis per Dominum Jesum Christum, qui et via, et veritas, et vita est (*Joan.* XIV, 6), liberati, omnes vitæ istius tentationes et [c] omnia prælia cum fidei exsultatione toleremus. *Si enim compatimur, et conregnabimus* (*Rom.* VIII, 17; II *Tim.* II, 12). Quod præmium non eis tantum paratum est qui pro nomine Domini impiorum sævitia sunt perempti, quoniam universitas Deo servientium Deoque viventium, sicut in Christo est crucifixa, ita est in Christo coronanda : illis quidem in omni gloria præcellentibus, qui terribiles mortes et sæva tormenta usque ad exhalationem spiritus tolerando superaverunt, sed etiam iis subsequentibus qui avaritiæ cupiditatem, superbiæ elationem, desideriaque luxuriæ, carnis suæ mortificatione vicerunt. Unde merito Apostolus ait quod *omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur* (II *Tim.* III, 12). Cujus utique non est extraneus, qui non est pietatis alienus : paschalem enim [d] festivitatem solemniter agit, qui *non in fermento veteris malitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis* operatur (I *Cor.* V, 8) ; nec jam in Adam primo, sed in Adam vivit secundo, membrum scilicet factus corporis Christi : qui cum esset in forma Dei, forma servi dignatus est fieri (*Phil.* II, 6), ut in uno mediatore Dei et hominum, homine Jesu Christo (I *Tim.* II, 5), et plenitudo majestatis divinæ, et veritas naturæ esset humanæ. Quam nisi [e] Verbi Deitas in suæ personæ assumpsisset unitatem, nec regeneratio esset in aqua baptismatis, nec redemptio in sanguine passionis. Sed quia in sacramento incarnationis Christi nihil falsum, nihil accepimus figuratum, non frustra nos et cum moriente [f] mortuos, et cum resurgente **272** credimus suscitatos : manente ipso in nobis *qui operatur omnia in omnibus* (I *Cor.* XII, 6), vivens et regnans cum Patre et Spiritu sancto Deus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXX [*Al.* LXVIII].

De Passione Domini XIX.

SYNOPSIS. I. *Quam præsentem nobis faciat fides vera Christi passionem, quæ longe diversa est in Crucifixi mente et in crucifigentium opere.* — II. *Malitia Judæorum usum esse Christum, ut morte sua verum Pascha immolaret, quo et ipsi occisores possent salvari.* — III. *Sapientiam mundi in mysterio crucis confundi, in qua et potentia, et infirmitas Christi nos salvat.* — IV. *Crucem jugiter ferendam, ut quod mysterio actum est in baptismate, opere compleatur.* — V. *Passionem Domini usque ad finem mundi perfici mortificatione ejus membrorum. Diaboli inimicitiam amicitiæ ejus præferendam.* — VI. *Vitiorum nostrorum mortificationem Christi virtutem esse et victoriam.*

CAP. I. — Sacram, dilectissimi, Dominicæ passionis historiam, evangelica, ut moris est, narratione decursam, ita omnium vestrum arbitror inhæsisse pectoribus, ut unicuique audientium ipsa lectio quædam facta sit visio. Habet enim hanc potentiam fides vera, [g] ut ab iis mente non desit, quibus corporalis præsentia interesse non potuit; et sive in præteritum redeat, sive in futurum se cor credentis extendat, nullas sentiat moras temporis cognitio veritatis. Adest ergo sensibus nostris imago rerum pro nostra salute gestarum, [h] et quidquid tunc discipulorum perstrinxit animos, nostros quoque tangit affectus; [i] non quod aut tristitia deprimamur, aut sævitia furentium Judæorum terreamur, cum etiam eos quos illius tempestatis magnitudo concussit, ad invictam constantiam resurrectio Domini **273** ascensioque provexerit; sed quia cum in cogitationem venit quales tunc Jerusalem populi et quales fuerint sacerdotes, magno accipiamus cum tremore mentium tantum facinus impiorum. Quamvis enim ad salutem humani generis pertineret passio Salvatoris, et æternæ mortis vinc ula temporali sint Domini morte dirupta, aliud tamen Crucifixi patientia, aliud crucifigentium egit insania, nec ad eosdem rerum exitus misericordia et ira tendebat : cum per ejusdem sanguinis effusionem

[a] Ita omnes codd. et editi ante Quesn., apud quem, *insidias*. Eædem editiones cum non paucis mss., *et per corporeas tantum*.

[b] In cod. Vercell. abest, *spiritus*.

[c] Addidimus, *omnia*, auctoritate mss. S. Petri.

[d] Cod. Vercell., *solemnitatem convenienter agit*.

[e] Editi ante Quesn. cum aliquibus mss., *Verbi Divinitas in suæ personæ reciperet unitatem*, et in margine, pro *reciperet*, notant, Al., *assumpsisset*.

[f] Quatuor nostri codices, *commortuos*.

[g] Per fidem scilicet mente præsentes summus iis in Christi passione gestis, quibus corporali præsentia non interfuimus. In duobus mss. S. Petri, *fides vestra*, pro *fides vera*, legitur.

[h] Ita omnes nostri codd. et editi ante Quesn. apud quem, *ut quidquid ... tangat*.

[i] Duo mss. S. Petri : *Nam quod aut tristitia deprimimur, aut sævientium Judæorum furore terremur, minus est aliquantulum, cum et eos*, etc. Paulo post in Vat. collect. 5, *sed quia in cogitationem venit ..... cum magno accipimus tremore mentium*. Si prioris textus lectio, quæ est in mss. S. Petri, jungatur cum lectione textus secundi, quæ est in cod. Vat., non malus sensus elicietur sic : *Nam quod aut tristitia deprimimur, aut sævientium Judæorum furore terremur, minus est aliquantulum; cum et eos quos illius tempestatis magnitudo concussit, ad invictam constantiam resurrectio Domini, ascensioque provexerit. Sed quia in cogitationem venit, quales tunc Jerusalem populi, et quales fuerint sacerdotes, cum magno accipimus tremore mentium tantum facinus impiorum.* Exemplar Pauli Diaconi textus lectionem exhibet. Solum habet, *sævientium Judæorum furo* pro *a*, *ævitia furentium Judæorum*.

Digitized by Google

Christus solveret mundi captivitatem. [a] Judæi interficerent omnium Redemptorem.

CAP. II. — Obduravit [b] ergo carnalem Israel malignitas sua, et nihil ei legis testificatio, nihil mysteriorum imagines, nihil prophetarum oracula profuerunt, cum Pascha Domini tot seculis celebratum in eo Joannes doceret implerum, de quo publica protestatione dicebat : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit* [c] *peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Repugnat iniquitas justitiæ, cæcitas luci, mendacium veritati; sed de sævitia obluctantium, de scelere crudelium obtinuit Jesus æternæ [d] dispositionis effectum; et ita humano generi sua morte consuluit, ut sacramentum salutis etiam ipsis persecutoribus non negaret. Qui enim venerat universis credentibus omnia peccata dimittere, a generali indulgentia nec Judaicum voluit crimen excludere. Quorum itaque perfidiam detestamur, eorumdem fidem, si conventantur, amplectimur; et imitantes misericordiam Domini, qui pro eis a quibus erat crucifixus orabat, nos quoque cum beato Paulo apostolo nostras jungimus preces, et ut ille populus misericordiam consequatur [e] optamus, ob cujus offensionem gratiam reconciliationis accepimus : quoniam, sicut ait [f] idem magister gentium, *conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur* (*Rom.* XI, 32).

CAP. III.—Quid autem illud fuit quod et Judæis intellectum abstulit, et sapientium mundi corda turbavit, nisi crux Filii Dei, quæ [g] et philosophicam evanescere prudentiam, et Israeliticam fecit caligare doctrinam? Omnem namque sensum humanæ mentis excessit divini altitudo consilii, [h] cum *placuit Deo per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes* (I *Cor.* I, 21), ut mirabilior fieret **274** constantia fidei ex difficultate credendi. Inconsequens enim et irrationabile videbatur recipere animo quod creatorem omnium [i] naturarum in substantia veri hominis Virgo intemerata peperisset; quod æqualis Patri Filius Dei, qui impleret omnia et contineret universa, furentium manibus comprehendi, iniquorum judicio condemnari, et post dedecora illusionum, cruci se permisisset affigi. Sed in iis omnibus simul sunt et humilitas hominis, et celsitudo Deitatis; nec misericordiæ ratio majestatem miserentis obscurat, quia de ineffabili potentia factum est, [j] ut dum homo verus est in Deo inviolabili, et Deus verus est in carne passibili, conferretur homini gloria per contumeliam, incorruptio per supplicium, vita per mortem. Nisi enim Verbum caro fieret, et tam solida [k] consisteret unitas in utraque natura, ut a suscipiente susceptam, nec ipsum breve mortis tempus abjungeret, numquam valeret ad æternitatem redire mortalitas. Sed adfuit nobis in Christo singulare præsidium, ut in natura passibili mortis conditio non maneret, quam impassibilis essentia recepisset, et per id quod non poterat mori, posset id quod erat mortuum suscitari.

CAP. IV.—Huic sacramento, dilectissimi, ut inseparabiliter congruamus, magna nobis et animi et corporis intentione nitendum est ut cum gravissimi sit [l] piaculi festum paschale negligere, periculosius sit ecclesiasticis quidem conventibus jungi, sed in Dominicæ passionis consortio non haberi. Nam dicente Domino : *Qui non accipit crucem suam, et non sequitur me, non est me dignus* (*Matth.* X, 38); et dicente Apostolo : *Si compatimur, et* [m] *conregnabimus* (*Rom.* VIII, 17; II *Tim.* II, 12); quis vere Christum passum, mortuum et resuscitatum colit, nisi qui cum ipso [n] et patitur, et moritur, et resurgit? Et hæc quidem in omnibus Ecclesiæ filiis, ipso jam regenerationis sunt inchoata mysterio; ubi peccati interitus, vita est renascentis, et triduanam Domini mortem imitatur trina demersio; ut dimoto quodam aggere sepulturæ, quos veteres suscepit sinus fontis, eosdem novos edat unda baptismatis; sed implendum est nihilominus opere quod celebratum est sacramento, et natis de Spiritu sancto quantumcumque superest mundani [o] corporis, **275** non sine crucis susceptione ducendum est. Quamvis enim forti et crudeli tyranno per potentiam crucis Christi vasa antiquæ deprædationis erepta sint, et dominatio principis mundi a redemptorum sit ejecta corporibus, insidiari tamen etiam justificatis eadem malignitas perseverat, et multis modis eos in quibus non regnat impugnat : ut si quas animas negligentes imprudentesque repererit, sævioribus eas laqueis rursum innectat, et a paradiso Ecclesiæ raptas in consortium suæ damnationis inducat. Unde cum quispiam observantiæ Christianæ se [p] limites sentit excedere, et in id cupiditates suas tendere, quod eum a recto itinere faciat [q] deviare, recurrat ad crucem Domini, et ligno vitæ motus noxiæ voluntatis

[a] Idem exemplar Pauli Diac., *et Judæi.*

[b] Editi ante Quesn., *enim.* Unus cod. S. Petri, et aliis Vat., *igitur.*

[c] Mss. Vat. collect. 5, *peccatum.*

[d] Homil. Pauli Diac., *dispensationis.*

[e] Prima editio, *oramus et optamus.*

[f] Vox *idem* addita ex Homil. Pauli Diac.

[g] Editi ante Quesn., *et philosophiam evanescere prudentium*, cum quibusdam codd. Sed aliorum mss. lectio a Quesnello et a nobis recepta Leoninam rationem magis sapit.

[h] Eædem editiones, *complacuit.* Emendationem Quesnellianam nostri codices approbant.

[i] Exemplar Pauli Diac., *creaturarum.* Mox in prima editione, *qui implet omnia et continet universa... et post dedecus illusionum.*

[j] Ita ex duobus codd. S. Petri ac Homil. Pauli Diac. Alias, *ut cum homo verus est in Deo*; sed Quesnellus omittit præterea hoc primo loco verbum *est.*

[k] Mss. S. Petri et alius Vat., *existeret.*

[l] Prima editio, *periculi*, et forte melius, nam mox *periculosius* subjicitur.

[m] Duo mss. S. Petri, *conglorificabimur.*

[n] Conjunctio *et* addita ex antiquo ms. Vat. In prima autem editione omittitur tum in hoc, tum in secundo commate.

[o] Ita ex duobus mss. S. Petri et alio Vat. Editi, *temporis.* Ad vocem autem *corporis* referuntur, quæ paulo post subjiciuntur; *dominatio principis mundi a redemptorum sit ejecta corporibus*, ubi propterea opus non est pro *corporibus* legere *cordibus*, ut in marginali postilla Quesnellus conjecerat.

[p] Editi ante Quesn., *limitem.*

[q] Ita cum Quesnello nostri codices. Al., *declinare.*

Digitized by Google

affligat; ac voce prophetica ad Dominum clamet et dicat: *Confige clavis* [a] *a timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui* (*Ps.* CXVIII, 120).

CAP. V.—Quid autem est clavis timoris Dei carnes habere confixas, nisi corporeos sensus ab illecebra illiciti desiderii sub metu divini continere judicii? ut qui resistit peccato, et concupiscentias suas, ne quid morte dignum operetur, interficit, audeat cum Apostolo dicere: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14). Ibi ergo se constituat Christianus, quo eum secum sustulit Christus; et ad id dirigat omnem [b] viam suam, ubi scit humanam salvatam esse naturam. Passio enim Domini usque ad finem producitur mundi; et sicut in sanctis suis [c] ipse honoratur, ipse diligitur, et in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur; ita in omnibus qui pro justitia adversa tolerant, ipse compatitur: nisi forte æstimandum est, multiplicata per orbem fide, et rarescente impiorum numero, omnes persecutiones, et omnia quæ adversus beatos martyres sævierunt, finita esse certamina, tamquam suscipiendæ crucis illis tantum necessitas incubuerit, quibus ad expugnandam Christi dilectionem atrocissima sunt illata supplicia. Sed aliud servientium Deo pietas experitur, aliud etiam Apostoli prædicatio protestatur, qui dicit: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem* [d] *patiuntur* (II *Tim.* III, 12). Qua sententia nimis tepidus et segnis ostenditur, qui nulla persecutione pulsatur. Pacem enim cum hoc mundo nisi amatores mundi habere non possunt, et nulla umquam iniquitati **276** cum æquitate communio, nulla mendacio cum veritate concordia, nullus est tenebris cum luce consensus. Quia etiamsi pietas bonorum cupiat malos corrigi, conversionemque malorum per gratiam Dei miserentis obtineat, [e] malignorum tamen spirituum adversus sanctos insidiæ non quiescunt, et sive occulto dolo, sive aperto prælio, in omnibus fidelibus propositum bonæ voluntatis infestant. Inimicum namque est illis omne quod rectum, omne [f] quod sanctum est; et cum eis nihil in quemquam amplius liceat, quam justitia divina permiserit, quæ dignatur suos aut corripere disciplina, aut exercere patientia, agunt tamen versutissima arte fallaciæ, ut ex arbitrio propriæ potestatis, aut lædere videantur, aut parcere; et multis, quod dolendum est, ita per nequitiam simulationis illudunt, ut [g] quidam illos et timeant pati infensos, et velint habere placatos: cum beneficia dæmonum omnibus sint nocentiora vulneribus, quia tutius est homini inimicitiam diaboli meruisse quam pacem. Sapientes itaque animæ, quæ unum timere, unum diligere, et in unum Dominum sperare didicerunt, mortificatis cupiditatibus et crucifixis corporis sensibus, ad nullum hostium metum, ad nullum inclinantur obsequium. Voluntatem enim Dei etiam sibi præferunt, et tanto amplius se amant quanto amplius pro Dei amore se non amant. Cumque audiunt sibi divinitus dici: *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere* (*Eccli.* XVIII, 30): dividunt affectus suos, et legem mentis a corporis lege [h] discernunt: ut ex quadam se parte sibi denegent, perdentes se in iis quæ carnaliter cupiunt, et invenientes se in iis quæ spiritaliter concupiscunt.

CAP. VI.—Sanctum igitur Pascha, dilectissimi, in talibus membris corporis Christi legitime celebratur et nihil illis deest triumphis, quos passio Salvatoris obtinuit. Quoniam in iis qui apostolico exemplo castigant corpus suum et servituti subjiciunt (I *Cor.* IX, 27), iidem hostes eadem fortitudine conteruntur [i], et nunc a Christo vincitur mundus. Cum enim a servis suis quorumcumque vitiorum incentiva superantur, ipsius virtus est, [j] ipsiusque victoria. Hæc, dilectissimi, quæ ad participationem crucis pertinent, sufficienter, ut arbitror, vestris sunt hodie auribus intimata: ut paschale sacramentum **277** etiam in membris corporis Christi legitime celebretur. Superest ut de obtinendo resurrectionis consortio disseramus. Quod ne, continuato sermone, et mihi et vobis fiat onerosum, [k] in diem sabbati promissa **278** differemus. Aderit, ut credimus, gratia Dei, ut debitum nostrum ipsius auxilio compleatur, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Sic cum eodem Quesnello codices S. Petri et exemplar Pauli Diac. Al., *timoris tui*.

[b] Duo mss. S. Petri, *vitam suam*.

[c] Voces, *ipse honoratur*, in utriusque Quesnelli editionibus per saltum, ut credimus, errore typographorum omissas restituimus ex cæteris editionibus omnibusque codicibus.

[d] Exemplar Pauli Diac., *patientur*.

[e] Prima editio, *malorum*.

[f] Ita emendavimus ex duobus mss. S. Petri et uno Vat. Al., *quod castum est*.

[g] Editi ante Quesn., corrupte, *quidem*.

[h] Al., *discindunt*. Mox, *quæ carnaliter diligunt* in Homil. Pauli Diac.

[i] Erat in editis ante Quesn.: *Etenim nunc a Christo vincitur mundus, et cum a servis suis:* apud Quesnellum vero ac in prima editione, *et nunc enim a Christo vincitur mundus, et cum a servis suis*. Saniorem lectionem præbuit exemplar Pauli Diac.

[j] Quesnellus, *ipsius quoque victoria*. Prætulimus lectionem nostrorum codicum et cæterarum.

[k] Unus codex S. Petri, *in quartam sabbati promissa differimus*; sed perperam, ut ex admonitione sequenti constabit.

ADMONITIO IN DUOS SEQUENTES SERMONES.

1. *Quesnelli* monitum *integrum in primis exhibemus*. Duo, *inquit*, qui sequuntur sermones, *de Resurrectione Domini* inscribuntur in omnibus editis codicibus; verum non ipso die Resurrectionis Dominicæ dictos esse, sed sabbato sancto, gravibus momentis adducor ut certum habeam. Nam 1° cum occupatissimus esset paschalis dies, vix sermoni locum dare poterat. Productis nimirum ad multam noctem vigiliis, totum illud officium celebrabatur quod nunc sabbato sancto, mane toto agitur. Tum catechumeni sacro fonte abluebantur, ungebantur, ac propriis instruebantur documentis. Demum sacra peragebantur mysteria, quæ magnam

Digitized by Google

matutinarum horarum partem absumebant. 2° Primus hic sermo ille ipse est quem in superiori promiserat, his verbis : *Superest, ut de obtinendo resurrectionis consortio disseramus : quod ne, continuato sermone, et vobis et nobis fiat onerosum, in diem sabbati promissa differemus.* Sabbato igitur sancto habitus est. Jam enim quadraginta dierum observantia effluxerat, ut ex primo capite manifestum est, et superiori proxime successisse ex ipso exordio edocemur. 3° Ex utriusque sermonis serie patet vix a pontifice resurrectionis mysterium summis labiis delibari, sed totum fere esse in explicanda participatione crucis ac mortis Christi : ut quidquid de resurrectione habet in antecessum dictum esse appareat, et propter festivitatis vicinitatem. 4° Perspicuum est ex sermone 2 eo ipso die quo habitus est lectam fuisse in Ecclesia totam Dominicæ passionis et resurrectionis historiam ex evangelicis commentariis : quæ lectio optime congruit sabbato sancto, quod inter mysterium utrumque velut medium, ad utrumque pertinet. Vix autem solemnitas resurrectionis, prolixæque hujus diei cæremoniæ hujusmodi lectionem admittere potuissent, multoque minus, ut solemnitati sacratissimæ lectionis, ut ait S. Leo, subjungeretur exhortatio sacerdotis. 5° Revera Hincmarus Remensis lib. de Prædestinatione cap. 33 edit. Sirmondi, pag. 280, aliqua ex cap. 4 prioris referens, citat hoc modo : *Item in homilia sabbati sancti.* Et apud Florum Lugdunensem, iidem duo sermones, quos postmodum 1 et 2 de Resurrectione inscriptos habuimus, sunt 10 et 11 de Passione Domini. Sic ille in Commentariis quos in omnes S. Pauli Epistolas concinnavit et contexuit ex sanctorum Patrum scriptis excerptis, Augustino dempto, quem proprio volumine excerptum dedit : quod illud opus libris duodecim constans R. P. Domno Lucæ Acherio religiosæ memoriæ mihique charissimæ viro dono olim dederat Petrus Franciscus Chiffletius ex codice ms. Carthusiæ Majoris acceptum, et aliquando in lucem edendum. 6° Ex Sozomeni Historiæ lib. VII, cap. 19, docemur in Romana Ecclesia neque episcopum neque alium die prima paschalis solemnitatis sermonem ad populum habuisse. Cujus loci sensum genuinum nondum mihi perspectum, cum primæ editioni allaborabam, ad auctoris, ni fallor, mentem a me explicatum habet lector in prima dissertatione, cap. 12. Quamquam vero hæc ita se habent, nihil tamen in titulis vel numeris sermonum immutandum putavimus : ne quid inde molestiæ crearetur lectoribus priori numero assuefactis. *Hactenus Paschasius Quesnellus, qui etsi quoad thesim quam statuit optime senserit, quædam tamen vel corrigenda vel adjicienda sunt.*

2. *Si is vidisset aut observasset primam editionem Sermonum S. Leonis, aut cæteras ex ea subinde recusas, haudquaquam scripsisset initio* moniti, *hos duos sermones* in omnibus editis codicibus *inscribi* de Resurrectione Domini. *Nam in tabula illis editionibus præmissa, quæ Sermonum titulos prodit, prior sermo, perinde ac octo præcedentes, hoc titulo donatur :* De Passione et Resurrectione Domini sermo XX, *et secundus* de Resurrectione Domini *quidem inscribitur, at eadem numerorum serie cum illis* de Passione *comprehenditur, et appellatur* sermo XXI. *Porro utrique hi sermones in Lectionariis basilicæ S. Petri non solum recensentur sub titulo* de Passione Domini, *verum etiam intermixti deprehenduntur inter cæteros ejusdem tituli, non autem subjiciuntur in fine ; ut dubium esse nequeat ne forte titulus* de Resurrectione *negligentia amanuensium fuerit omissus. In mss. etiam collectionis 2 eodem modo inter sermones* de Passione *confusi leguntur ; idemque alio licet ordine accidit in ms. Casinensi collect.* 1, *nec non in duobus Lectionariis mss. Veneto* 153, *et Vallicell. II, in quorum primo primus tantum sermo, in altero autem secundus cæteris* de Passione *sermonibus inserti leguntur. In mss. collectionis* 5, *quæ alium ordinem præfert, utrique hi sermones sub titulo* de Passione Domini *similiter describuntur. Exemplar autem quo usus fuit Florus Lugdunensis, quodque sermonem primum et secundum apud nos* de Resurrectione *allegat tamquam* 10 et 11 de Passione Domini, *simile erat Lectionariis basilicæ S. Petri, in quibus illi inter sermones* de Passione *iisdem numeris censentur.*

3. *Hos sermones habitos fuisse sabbato sancto ex documentis a Quesnello propositis num.* 2 *et* 5 *nihil dubitamus. Quod si Hincmarus Remensis in lib.* de Prædest., *c.* 33, *sermonem primum, quem S. pontifex in superiori sermone c.* 6 *habendum rejecerat* in diem sabbati, *citavit hoc modo :* Item in homilia sabbati sancti ; *secundus pariter sermo in Lectionario ms. Vat.* 4951 *non absimiliter inscribitur :* Sermo B. Leonis papæ in sancto sabbato ; *idemque titulus in alio vetustissimo codice deprehensus memoratur a scriptore codicis Barberini* 3520. *Habitos vero in pervigiliis Paschæ, cum passionis Dominicæ commemorationem resurrectionis officium excipit, nihil ambigendum est ; hinc enim de utroque mysterio fit in iisdem sermonibus mentio.*

3. *Historiam passionis et resurrectionis Domini hoc sabbato lectam fuisse in Ecclesia Quesnellus affirmat n.* 4. *Id autem collegit ex serm.* 2 de Resurrect., *qui sabbato sancto habitus, c.* 1, *tradit,* divinitus inspiratæ textum historiæ evidenter ostendisse, qua Dominus Jesus Christus impietate traditus, quo judicio addictus, qua sævitia crucifixus, et qua sit gloria suscitatus. *Hæc autem tum passionis tum resurrectionis historiam ex Evangelio lectam indicant quidem ; sed non ita aperte utriusque mysterii lectionem ipsi diei sabbati tribuunt, ut de lectione passionis pridie, seu in Paraskeve facta, et de lectione resurrectionis sabbato sancto nocte in vigiliis Paschæ subsecuta intelligi nequeant. Forte vero Quesnellus ista laudati capitis verba, quæ mox subjiciuntur,* Solemnitati sanctissimæ lectionis subsequatur exhortationis officium, *non tam resurrectionis quam passionis lectionem eodem sabbati die sermoni præmissam significare credidit ; quod tamen non omnino exploratum est. Nulli quidem antiqui ordines, nulla capitula, Evangeliorum hanc ejus diei lectionem indigitant. Sed cum hæc posteriora sint, fieri potuit ut Leonis tempore hic ritus vigeret, sicuti vigebat apud Græcos saltem in Ecclesia Antiochena, ut liquet ex homil.* 87 *in Matth. a S. Joanne Chrysostomo Antiochiæ habita, ubi* in magna *Paschatis* vespera *passionis historiam publice lectam affirmat. Hinc Quesnelli ratio num.* 4 *proposita minus est efficax.*

5. *Item prima ratio quod* occupatissimus esset paschalis dies, *nequaquam convincit. Sicut enim probare nequit pro excludendis a die paschali sermonibus SS. Augustini, Petri Chrysologi, Gregorii Magni et aliorum episcoporum, quos habitos in Paschate certissimum est, ita nec valet pro extrudendis ab eo die Leonis Sermonibus. Sozomeni vero testimonium a Quesnello allatum num.* 6 *multo minus cogit, ut patebit ex iis quæ de ipso Sozomeni sensu annotabimus in dissertationem 1 Quesnelli, cap.* 12. *Sola documenta num.* 2 *et* 5 *a Quesnello allata pro astruendo sabbato sancto satis efficacia approbavimus et confirmavimus, ita tamen ut non ipso die sabbati sed nocte ejusdem diei, cum in pervigiliis Paschatis resurrectionis officium inciperet, sequentes sermones recitatos liqueat ; unde tertia quoque Quesnelli ratio eliditur qua de Resurrectione* in antecessum *dictum tradit.*

281 SERMO LXXI [*Al.* LXIX].

De Resurrectione Domini I ; habitus sabbato sancto in pervigiliis Paschæ.

Synopsis. — I. *Curandum esse ne jejunii fructus evacuetur, ut qui mortui sunt cum Christo, etiam cum ipso resurgant.* — II. *Sepulturæ dies propter discipulos esse abbreviatos.* — III. *Multis suam resurrectionem Christum probasse argumentis.* — IV. *Quæ commutatio in carne Christi per resurrectionem facta fuerit.* — V. *Christianum, spretis terrenis, cœlestibus mente inhærere debere.* — VI. *Cavendum ne ad peccati voluptatem quis redeat post festum paschale.*

A

Cap. I. — Sermone proximo, dilectissimi, non incongrue vobis, quantum arbitror, participationem

crucis Christi insinuavimus, ut paschale sacramentum ipsa in se habeat vita credentium, et quod festo honoratur moribus celebretur. [a] Quam autem hoc utile sit ipsi probastis, et ex vestra devotione didicistis quantum prosint animis atque corporibus prolixiora jejunia, frequentiores preces et eleemosynæ largiores. Nemo enim fere est qui non hac exercitatione profecerit, et in abdito conscientiæ suæ aliquid quo recte possit gaudere condiderit. Sed hæc lucra perseverandi sunt servanda custodia, ne in desidiam, resoluto labore, quod donavit Dei gratia, diaboli furetur invidia. Cum igitur quadraginta dierum observantia hoc voluerimus operari, ut aliquid sentiremus crucis in tempore Dominicæ passionis, admittendum nobis est ut etiam resurrectionis Christi inveniamur esse consortes, et de morte ad vitam, dum in isto mortali corpore, transeamus. Unicuique enim homini, qui ex alio in aliud aliqua conversione mutatur, finis est non esse quod fuit, et ortus, esse quod non fuit. Sed interest cui quis aut moriatur aut vivat : quia est mors quæ causa est vivendi, et est vita quæ causa est moriendi. Nec alibi quam in hoc transitorio 282 sæculo utrumque conquiritur; [b] et ex qualitate temporalium actionum differentiæ retributionum pendent æternarum. Moriendum ergo est diabolo et vivendum Deo; deficiendum iniquitati, ut justitiæ resurgatur. Occumbant vetera, ut oriantur nova. Et quoniam, sicut ait Veritas, *nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24; *Luc.* XVI, 13), Dominus sit non ille qui stantes impulit in ruinam, sed ille qui dejectos erexit in gloriam.

Cap. II. — Dicente ergo Apostolo : *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui est de cœlo* (I *Cor.* XV, 47, 49); multum nobis de hac commutatione gaudendum est, [c] qua de ignobilitate terrena ad cœlestem transferimur dignitatem per illius ineffabilem misericordiam qui ut nos in sua proveheret, in nostra descendit; ut non solum substantiam, sed etiam conditionem naturæ peccatricis assumeret, et ea sibi pateretur inferri divina impassibilitas, quæ miserrime experitur humana mortalitas. Unde, ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, dominicam tridui moram tam mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum secundum diem pars primi novissima et pars tertii prima concurrit, et aliquantum temporis [d] spatio decideret, et nihil dierum numero deperiret. Resurrectio igitur Salvatoris nec animam in inferno, nec carnem diu [e] morata est in sepulcro; et tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut major ibi esset soporis similitudo quam mortis : quoniam Deitas quæ ab utraque susceptî hominis substantia non recessit, quod potestate divisit, potestate conjunxit.

Cap. III.— Subsecuta sunt itaque multa documenta quibus prædicandæ per universum mundum fidei auctoritas conderetur. Et licet revolutio lapidis, evacuatio monumenti, depositio linteorum, et totius facti angeli narratores copiose veritatem Dominicæ resurrectionis astruerent; et mulierum tamen visui, et apostolorum frequenter oculis manifestus apparuit (*Act.* I, 3) : non solum loquens cum eis, sed [f] etiam habitans atque convescens, et pertractari se diligenti curiosoque contactu ab eis quos dubitatio perstringebat, admittens. Ideo enim et clausis ad discipulos 283 ostiis introibat (*Joan.* XX, 19), et flatu suo dabat Spiritum sanctum, et dato intelligentiæ lumine, sanctarum Scripturarum occulta pandebat (*Luc.* XXIV, 27), et rursus idem vulnus lateris, fixuras clavorum, et omnia recentissimæ passionis signa monstrabat (*Joan.* XX, 27), ut agnosceretur in eo proprietas divinæ humanæque naturæ individua permanere, et ita sciremus Verbum non hoc esse quod carnem, ut unum Dei Filium et Verbum confiteremur et carnem.

Cap. IV. — Non dissonat, dilectissimi, ab hac fide magister gentium apostolus Paulus, cum dicit : *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus* (II *Cor.* V, 16). Resurrectio enim Domini non finis carnis, sed commutatio fuit, nec virtutis augmento consumpta substantia est. Qualitas transiit, non natura defecit; et factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi; factum est immortale, quod potuit occidi; factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari. Et merito dicitur caro Christi in eo statu quo fuerat nota, nesciri : quia nihil in ea passibile, nihil remansit infirmum, ut et ipsa sit per essentiam, et non sit ipsa per gloriam. Quid autem mirum, si hoc de corpore Christi profitetur, [g] qui de omnibus Christianis spiritalibus dicit : *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem* (II *Cor.* V, 16)? Ex hoc, inquit, initium nobis factum est resurrectionis in Christo, ex quo in eo qui pro omnibus mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit. Non hæsitamus diffidentia, nec incerta exspectatione suspendimur, sed accepto promissionis exordio, fidei oculis quæ sunt futura, jam cernimus; et naturæ provectione gaudentes, quod credimus jam tenemus.

Cap. V. — Non ergo nos rerum temporalium occupent species, nec ad se contemplationem nostram a cœlestibus terrena deflectant. Pro transactis habeantur quæ ex maxima parte jam non sunt; et mens intenta mansuris, ibi desiderium suum figat, ubi

[a] Prima editio, *quantum autem*. Post pauca eadem editio cum duobus Vatt. mss., *ex vestra probatione didicistis*.

[b] Hæc lectio duorum codd. S. Petri melior quam vulgatorum et aliorum mss., *ut ex qualitate..... pendeant*.

[c] Cod. Bon. et prima editio, *quia*.

[d] Duo codd. S. Petri, *spatium*.

[e] Editio Coloniensis an. 1547, in margine, *morari passa est*.

[f] Particulam *etiam* ex omnibus nostris mss. supplevimus.

[g] Al., *quod*; et mox, pro *dicit*, alias, *dicitur*. Quesnellus in margine.

Digitized by Google

quod offertur æternum est. Quamvis enim spe salvi facti simus, et corruptibilem adhuc carnem mortalemque gestemus, recte tamen dicimur in carne non esse, si carnales nobis non dominentur affectus; et merito ejus rei deponimus nuncupationem, cujus non sequimur voluntatem. Cum itaque Apostolus dicat : *Carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII, 14), non ea nobis interdicta [a] intelligimus quæ saluti congruunt et quæ humana poscit infirmitas. Sed quia non omnibus desideriis serviendum, nec quidquid caro concupiscit implendum est, de adhibendo temperantiæ modo admonitos nos esse cognoscimus, ut carni, quæ sub animi est constituta judicio, nec superflua concedamus, nec necessaria denegemus. **284** Unde idem Apostolus alibi ait : *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam* (*Ephes.* V, 29) : cum utique non ad vitia, non ad luxuriam, sed ad debitum sit alenda et fovenda famulatum ; ut teneat ordinem suum renovata natura, nec perverse ac turpiter superioribus inferiora prævaleant, aut inferioribus superiora succumbant, et vitiis animum superantibus, ibi fiat servitus ubi debet esse dominatus.

CAP. VI. — Agnoscat igitur populus Dei novam se esse in Christo creaturam, et a quo suscepta sit quemve susceperit vigilanter intelligat. Quæ nova facta sunt, non redeant ad instabilem vetustatem; et non omittat opus suum, qui manum misit ad aratrum (*Luc.* IX, 62); sed ad hoc attendat quod serit, non ad id respiciat quod reliquit. Nemo in id recidat unde surrexit, sed etiamsi pro infirmitate corporea in aliquibus adhuc languoribus jacet, sanari instanter desideret ac levari. Hæc est enim salutis via, et cœptæ in Christo resurrectionis imitatio : ut quia in lubrico istius vitæ diversi casus lapsusque non desunt, vestigia gradientium a fluidis ad solida transferantur : quoniam, sicut scriptum est, *a Domino gressus hominis* [b] *diriguntur, et viam ejus volet. Cum ceciderit justus, non collidetur, quia Dominus supponet manum suam* (*Ps.* XXXVI, 23). Hæc meditatio, dilectissimi, non pro sola solemnitate paschali, sed pro totius vitæ sanctificatione retinenda est, et ad hoc præsens exercitatio debet intendi, ut quæ animum fidelium experimento brevis observantiæ delectarunt, in consuetudinem transeant, intemerata permaneant, ac si aliquid delicti irrepserit, celeri pœnitudine deleatur. Et quia antiquorum morborum difficilis et tarda curatio est, tanto velocius adhibeantur remedia, quanto recentiora sunt vulnera : ut semper ab omnibus offensionibus in integrum resurgentes, ad illam incorruptibilem glorificandæ carnis resurrectionem [c] pervenire mereamur in Christo Jesu Domino nostro, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXII [*Al.* LXX].

De resurrectione Domini II.

SYNOPSIS. — I. *Crucem Christi nobis et sacramentum esse et exemplum.* — II. *Nostram naturam a Verbo in incarnatione esse susceptam, ut eam solveret in pretium.* — III. *Nos Christo commortuos et corresuscitatos,* **285** *a Christo conformari nobiscum permanente in terris, et ad gloriam invitari regnante in cœlis.* — IV. *Ubique nobis et virtutem crucis et exemplum adesse, quo adversus cupiditates armemur.* — V. *Per terrenorum contemptum ad cœlestia tendendum, servata fide utriusque in Christo naturæ.* — VI. *Per Christi transitum, qui non est nisi in natura nostra, nobis ad cœlestia transitum præparari.* — VII. *Eutychianos paschalis festi exsortes esse, qui naturam nostram in Christo negant.*

CAP. I. — [d] Totum quidem, dilectissimi, paschale sacramentum evangelica nobis narratio præsentavit, et ita per aurem carnis penetratus est mentis auditus, ut nemini nostrum rerum gestarum imago defuerit; cum divinitus inspiratæ textus historiæ evidenter ostenderit qua Dominus Jesus Christus impietate traditus, quo judicio addictus, qua sævitia crucifixus, et qua sit gloria suscitatus. Sed adjiciendum est etiam nostri sermonis officium, ut sicut pia exspectatione [e] reposcere vos consuetudinis debitum sentio, ita solemnitati sacratissimæ lectionis subjungatur exhortatio sacerdotis. Quia igitur apud fideles aures ignorantiæ locus non est, semen verbi, quod est in prædicatione Evangelii, debet in terra vestri cordis augeri, ut remotis [f] suffocationibus spinarum ac tribulorum, libera in fructus suos exeant plantaria piorum sensuum, et rectarum germina voluntatum. Crux enim Christi, quæ salvandis est impensa mortalibus, et sacramentum est et exemplum : sacramentum, quo virtus impletur divina ; exemplum, quo devotio incitatur humana : quoniam captivitatis jugo erutis, etiam hoc [g] præstat redemptio, ut eam sequi possit imitatio. Nam si mundana sapientia ita in suis gloriatur erroribus, ut quem sibi quisque ducem elegerit, ejus opiniones et mores atque omnia instituta sectetur, quæ nobis erit communio nominis Christi, nisi ut ei inseparabiliter uniamur, qui est, ut ipse insinuavit, *Via, et Veritas, et Vita* (*Joan.* XIV, 6)? Via scilicet conversationis sanctæ, Veritas doctrinæ divinæ, et Vita beatitudinis sempiternæ.

CAP. II. — Collapsa enim in parentibus primis humani generis plenitudine, ita misericors Deus creaturæ ad imaginem suam factæ per **286** unigenitum suum Jesum Christum voluit subvenire, ut nec extra naturam esset naturæ reparatio, et ultra propriæ originis dignitatem proficeret secunda condilio. Felix si ab eo [h] non decideret quod Deus fecit, sed

[a] Prima editio, *intelligamus*.
[b] Duo mss. Vatt. collect. 4 et 5, *dirigentur*.
[c] Duo codd. S. Petri et Quesnellus in margine, *pervenire*.
[d] Editiones ante Quesnellum cum mss. collect. 2, 3 et 4, *Notum*, et in margine, *Totum*. At lectionaria quæ vidimus et codd. collect. 1 et 5 lectionem a Quesnello insertam et a nobis receptam præferunt.
[e] Sic cum Quesnello mss. S. Petri. Aliæ editiones, *deposcere*.
[f] Mss. S. Petri, *aculeis spinarum*.
[g] Unus cod., *præstitit*.
[h] Mss. collect. 5, *non dejiceretur*. Mox, pro *maneat*, quidam mss. cum editionibus ante Quesn., *maneret*

Digitized by Google

felicior si in eo maneat quod refecit. Multum fuit a Christo recepisse formam, sed plus est in Christo habere substantiam. Suscepit enim nos in suam [a] proprietatem illa natura (quæ se in quas voluerit mensuras benignitatis inflectit, nec usquam conversionem mutabilitatis incurrit. Suscepit nos illa natura) quæ nec nostris sua, nec suis nostra consumeret: quæ ita unam in se fecit Deitatis humanitatisque personam, ut sub dispensatione infirmitatum atque virtutum nec caro per Divinitatem inviolabilis, nec Divinitas per carnem posset esse passibilis. Suscepit nos illa natura quæ et propaginem nostri generis [b] a communi tramite non abrumperet, et contagium peccati in omnes homines transeuntis excluderet. Infirmitas sane atque mortalitas, quæ non peccatum erant, sed pœna peccati, a Redemptore mundi recepta sunt ad supplicium, ut impenderentur ad pretium. Quod ergo in omnibus hominibus transfusio [c] erat damnationis, hoc in Christo sacramentum est pietatis. Præbuit enim se crudelissimo exactori liber a debito, et ministras diaboli Judaicas manus in cruciatum immaculatæ carnis admisit. Quam ideo usque ad [d] resurrectionem voluit esse mortalem, ut credentibus in eum nec persecutio insuperabilis, nec mors posset esse terribilis : cum ita dubitandum non esset de consortio gloriæ, sicut dubitandum non erat de communione naturæ.

Cap. III. — Si incunctanter itaque, dilectissimi, credimus corde quod ore profitemur, nos in Christo crucifixi, nos sumus mortui, nos sepulti, nos etiam in ipso die tertio suscitati. Unde Apostolus dicit : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 1-4). Ut autem noverint corda [e] fidelium habere se, unde ad supernam sapientiam spretis mundi cupiditatibus valeant elevari, spondet nobis Dominus præsentiam suam, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Non enim frustra **287** per Isaiam [f] dixerat Spiritus sanctus : *Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium; et* [g] *vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14; *Matth.* II, 23). Implet ergo Jesus proprietatem nominis sui, et qui ascendit in cœlos, non deserit adoptatos; qui sedet ad dexteram Patris, [h] idem totius habitator est corporis ; et ipse deorsum confortat ad patientiam, qui sursum invitat ad gloriam.

Cap. IV. — Nec inter vana igitur nobis desipiendum est, nec inter adversa trepidandum. Ibi quidem blandiuntur deceptiones, et hic gravescunt labores. Sed quia *misericordia Domini plena est terra* (*Ps.* XXXII, 5), adest nobis Christi [i] ubique victoria, ut impleatur quod ait : *Nolite timere, quia ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33). Sive ergo contra ambitionem sæculi, sive contra concupiscentias carnis, sive contra hæreticorum jacula dimicemus, Dominica cruce semper [i] armemur, Nec enim umquam a paschali festo recedimus, si a fermento malitiæ veteris (veritatis sinceritate) abstinemus. Inter omnes namque vitæ hujus varietates, quæ diversarum plenæ sunt passionum, apostolicæ exhortationis meminisse debemus, qua nos instruit, dicens : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum ; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 5-11). Si magnæ, inquit, pietatis sacramentum intelligitis, et quod pro salute humani generis unigenitus Dei Filius gessit advertitis, hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu, cujus humilitas nulli aspernenda divitum, nulli est erubescenda nobilium. Nec enim in tantum provehi potest quælibet felicitas humana fastigium, ut æstimet sibi pudendum [k] quod manens Deus in forma **288** Dei, formam servi suscipere non est arbitratus indignum.

Cap. V. — Imitamini quod operatus est; diligite quod dilexit, [l] et invenientes in vobis Dei gratiam, vestram in illo redamate naturam. Quoniam sicut ille paupertate divitias non amisit, gloriam humilitate non minuit, æternitatem morte non perdidit, ita et

[a] Mss. collect. 5 et in margine editionum, *potestatem*. Mox quæ parenthesi clauduntur, desiderabantur in editis ante Quesnellum. Is autem ea addidit ex mss. Thuan. et Reg., eaque nos in octo nostris codicibus invenimus.

[b] Unus codex, *a communi palmite*.

[c] Ita cum Quesn. potiores nostri codd. Al., *fuit*.

[d] Editi ante Quesn. cum non paucis codd. addunt, *celerrimam*.

[e] Prima editio, *filiorum*.

[f] Mss. Vat. collect. 4 et 5 addunt *prophetam*.

[g] Sic cum Quesn. potiores nostri codices. Al., *vocabitur*.

[h] Vocem *idem* revocavimus ex nostris codd. et editis ante Quesn.., qui posuit, *ipse*. Solum in ms. Vat. collect. 5 habetur, *is*. Mox pro *ad patientiam* duo codd. S. Petri habent, *ad pœnitentiam*.

[i] Ita sex nostri melioris notæ codd. cum Quesn. Al., *utique*.

[j] Ms. Vat. collect. 5, *armamur; nec umquam a paschali festo recedimus*. Dein parenthesi inclusa desunt in Quesnelli codd. et in pluribus etiam nostris, nec non in prima editione. At in nonnullis optimæ notæ leguntur.

[k] Editi cum multis codd. vitiata et mutila lectione habebant, *quod manens Deus in forma Dei Deus, non est arbitratus indignum*. Integram et veram lectionem suggessit Lectionarium ms. S. Petri. Respicit locum S. Pauli ad Philippenses II.

[l] Editi, alia interpunctione et lectione, *et invenietis in vobis Dei gratiam. Vestram in illo redamate naturam, quoniam*, etc. Secuti sumus nostros codices.

Digitized by Google

vos eisdem gradibus [a] eisdemque vestigiis, ut cœlestia apprehendatis, terrena despicite. Susceptio enim crucis est interfectio cupiditatum, occisio vitiorum, declinatio vanitatis, et abdicatio omnis erroris. Nam cum Pascha Domini non impudicus, non luxuriosus, non superbus celebret, non avarus, nulli tamen ab hac festivitate longius quam hæretici separantur, maximeque illi qui de Verbi incarnatione male sentiunt, aut minuendo quod est Deitatis, aut evacuando quod est carnis. Verus enim Deus est Filius Dei, totum habens ex Patre quod Pater est, nullo exordio temporalis, nulla varietate mutabilis; nec ab uno divisus, nec ab omnipotente diversus, sempiterni genitoris unigenitus sempiternus : ut mens fidelis credens in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, [b] in eadem unius Deitatis essentia nec unitatem gradibus dividat, nec Trinitatem singularitate confundat. Non autem sufficit Dei Filium in sola Patris nosse natura, nisi eum non recedentem a propriis, agnoscamus in nostris. Exinanitio enim illa quam reparationi impendit humanæ, dispensatio fuit miserationis, non privatio potestatis. Nam cum [c] et ex æterno consilio Dei *non esset aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri* (*Act.* IV, 12); invisibilis visibilem, intemporalis temporalem, impassibilis passibilem substantiam suam fecit : non ut virtus deficeret in infirmitate, sed ut infirmitas in incorruptibilem posset transire virtutem.

CAP. VI. — Propter quod ipsa festivitas quæ a nobis Pascha nominatur apud Hebræos Phase, id est transitus, dicitur, attestante evangelista atque dicente : *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus quia venit hora ejus,* [d] *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem* (*Joan.* XIII, 1). Cujus autem naturæ futurus erat transitus **289** iste, nisi nostræ, cum inseparabiliter et Pater in Filio, et Filius esset in Patre? Sed quia Verbum et caro una persona est, non dividitur a suscipiente susceptus, et honor provehendi provehentis nominatur augmentum, dicente Apostolo, quod jam commemoravimus : *Propter quod et Deus exaltavit illum,* [e] *et donavit illi nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* II, 9). In quo utique assumpti hominis exaltatio commendatur : ut in cujus passionibus manet Deitas indivisibilis, idem coæternus sit in gloria Deitatis. Ad hanc participationem ineffabilis muneris, beatum transitum fidelibus suis ipse Dominus præparabat, [f] cum instanti jam proximus passioni, non solum pro apostolis suis atque discipulis, sed etiam pro universa Ecclesia supplicaret et diceret : *Non pro his autem rogo tantum, sed pro iis etiam qui credituri sunt per verbum ipsorum in me : ut omnes unum sint, sicut et tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII, 20, 21).

CAP. VII. — Cujus unitatis nullum poterunt habere consortium, qui in Dei Filio Deo vero humanam negant manere naturam, impugnatores salutiferi sacramenti, et paschalis exsules festi; quod, quia ab Evangelio dissentiunt et Symbolo contradicunt, nobiscum celebrare non possunt : quia etsi audent sibi Christianum nomen assumere, [g] ab omni tamen creatura, cui Christus caput est, repelluntur; vobis in hac solemnitate merito exsultantibus, pieque gaudentibus, qui nullum recipientes in veritate mendacium, nec de nativitate Christi secundum carnem, nec de passione ac morte, nec de corporali resurrectione ejus ambigitis : quoniam sine ulla separatione Deitatis, verum Christum ab utero Virginis, verum in ligno crucis, verum in sepulcro carnis, verum in gloria resurrectionis, verum in dextera paternæ majestatis agnoscitis. Unde etiam, sicut Apostolus ait, *exspectamus Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus nostræ humilitatis, conforme fieri corpori gloriæ suæ* (*Philipp.* III, 20), qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

290 SERMO LXXIII [*Al.* LXXI].

De Ascensione Domini I.

SYNOPSIS. — I. *Et moram Christi in terris post resurrectionem, et dubitationem discipulorum, ad fidem confirmandam dispositas esse.* — II. *Quanta his diebus a Christo facta fuerint.* — III. *Vulnerum suorum tactu trepidantia discipulorum corda confirmasse.* — IV. *Ascensionem Christi eos lætitia affecisse, quos et mors trepidos fecerat, et resurrectio dubios reliquerat. Ampliora per Christum esse collata, quam per diabolum ablata.*

CAP. I. — Post beatam et gloriosam resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, qua verum Dei templum Judaica impietate resolutum divina in triduo potentia suscitavit, quadragenarius hodie, dilectissimi, sanctorum dierum expletus est numerus, sacratissima ordinatione dispositus, et ad utilitatem nostræ eruditionis impensus : ut dum a Domino in hoc [h] spatium mora præsentiæ corporalis extenditur, fides resurrectionis documentis necessariis muniretur. Mors enim Christi [i] multum discipulorum corda turbaverat, et de supplicio crucis, de emissione spiritus, de exanimati corporis sepultura [j] gravatis mœstitudine mentibus quidam diffidentiæ torpor obre-

[a] Ita melius ex nostris mss. Editi, *eisdem*, omissa copulativa *que*.

[b] Sic cum Quesn. duo mss. S. Petri et duo Vatt. Cæteræ editiones, *in eamdem unius Deitatis essentiam*.

[c] Prima editio omittit *et*.

[d] Eadem editio, *ut transiret*.

[e] Ita duo Lectionaria S. Petri cum sex aliis codd. Editi, *et dedit*.

[f] Duo codd. S. Petri, *cum instante jam proxima passione*.

[g] Iidem codices et alius Vat. cum prima editione, *ab omni natura tamen, cui*.

[h] Sic cum Quesn. mss. Veron. et Vat. collect. 5. Al., *spatio*.

[i] Prima editio, Homil. Pauli Diac. nec non duo mss. Vatt. et alius Veron., *multorum*.

[j] Al., *gravatas mentes oppresserat*. QUESN. in margine. — Paulo post, in uno cod., *tepor* pro *torpor*

Digitized by Google

pserat. Nam cum sanctæ mulieres, sicut evangelica [a] patefecit historia, revolutum a monumento lapidem, sepulcrum corpore vacuum, et viventis Domini testes angelos nuntiarent, verba earum apostolis aliisque discipulis deliramentis similia videbantur. Quam utique hæsitationem humana infirmitate [b] nutantem, nequaquam permisisset Spiritus veritatis prædicatorum suorum inesse pectoribus, nisi illa trepida sollicitudo et curiosa [c] cunctatio nostræ fidei fundamenta jecisset. Nostris igitur perturbationibus, nostrisque periculis in apostolis consulebatur : nos in illis viris contra calumnias impiorum, et contra terrenæ argumenta sapientiæ docebamur. Nos illorum instruxit aspectus, nos erudivit auditus, nos confirmavit attactus. Gratias agamus divinæ **291** dispensationi et sanctorum Patrum necessariæ tarditati. Dubitatum est ab illis, ne dubitaretur a nobis.

CAP. II. — Non ergo ii dies, dilectissimi, qui inter resurrectionem Domini ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu; sed magna [d] in his confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria. In his metus diræ mortis aufertur, et non solum animæ, sed etiam carnis immortalitas declaratur. In his per insufflationem Domini infunditur apostolis omnibus Spiritus sanctus; et beato apostolo Petro supra cæteros, post regni claves, ovilis Dominici cura [e] mandatur. In his diebus, duobus discipulis tertius in via Dominus comes jungitur (*Luc.* XXIV, 15), et ad omnem nostræ ambiguitatis caliginem detergendam, paventium ac trepidantium tarditas increpatur. Flammam fidei illuminata corda concipiunt; et quæ erant [f] tepida, reserante Scripturas Domino, effiardentia. In fractione quoque panis convescentium aperiuntur obtutus; multo felicius [g] horum oculis patefactis, quibus naturæ suæ manifestata est glorificatio, quam illorum generis nostri principum, quibus prævaricationis suæ est ingesta confusio.

CAP. III. — Inter hæc autem alioque miracula, cum discipuli trepidis cogitationibus æstuarent, et apparuisset in medio eorum Dominus dixisseque, *Pax vobis* (*Luc.* XXIV, 36; *Joan.* XX, 26) : ne hoc remaneret in eorum opinionibus quod volvebatur in cordibus (putabant enim se spiritum videre, non carnem), redarguit cogitationes a veritate discordes, ingerit dubitantium oculis manentia in manibus suis et pedibus crucis signa, et ut diffidentius pertractetur invitat : quia ad sananda infidelium cordium vulnera, clavorum et lanceæ erant servata vestigia : ut non dubia fide, sed constantissima scientia [h] teneretur, eam naturam in Dei Patris consessuram throno, quæ jacuerat in sepulcro.

CAP. IV. — Per omne ergo hoc tempus, dilectissimi, quod [i] inter resurrectionem Domini et ascensionem ejus exactum est, hoc providentia Dei curavit, hoc docuit, hoc suorum [j] et oculis insinuavit et cordibus, ut Dominus Jesus [k] Christus vere agnosceretur resuscitatus, qui vere erat natus, et passus, et mortuus. Unde beatissimi apostoli omnesque discipuli, qui et [l] de exitu crucis fuerant trepidi, et de fide resurrectionis ambigui, ita sunt veritate perspicua roborati, ut Domino in cœlorum **292** eunte sublimia, non solum nulla afficerentur tristitia, sed etiam magno gaudio replerentur (*Luc.* XXIV, 52). Et revera magna [m] et ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cœlestium dignitatem humani generis natura [n] conscenderet, supergressura angelicos ordines, et ultra archangelorum altitudines elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in Filio. Quia igitur Christi ascensio, nostra provectio est, et quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis, dignis, dilectissimi, exsultemus gaudiis, et pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetravimus : ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam quam per diaboli amiseramus invidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit : [o] cum quo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXIV [*Al.* LXXII].

De Ascensione Domini II.

SYNOPSIS. — I. *Ascensione et gaudium nostrum adimpleri, et fidem nostram spemque mirabiliores fieri.*

[a] Ita cum Quesn. ms. Vat. 3835 et Homil. Pauli Diac. Alii codices et editi, *pandit historia*. Mox in eodem Homil. Pauli Diac., *revoluto a monumento lapide*. Dein ante vocem *sepulcrum* editi ante Quesn. cum quibusdam codd. addunt conjunctionem *et*.

[b] Ms. Veronensis, *nutante*.

[c] Vetus editio (id est prima et cæteræ ex eadem recusæ) sic habet, *contatio*, id est *percontatio*. In vulgatis editis, *cunctatio*. QUESNELLUS. — Verum *contatio* idem est ac *cunctatio*, nec pro *percontatione* accepta invenietur : in prima autem editione *o* pro *u* in similibus vocibus frequenter scribitur. Hinc *cunctatio* cum omnibus mss. restituimus; et hæsitationem innuit, quæ simul cum curiositate inquirendi et sciendi jungebatur.

[d] Sic Quesn. et noster antiquissimus Vat. cum Homil. Pauli Diac. Al., *in eis*.

[e] Exemplar Pauli Diac., *commendatur*.

[f] Ita ex antiquo ms. Vat. Longobardico, uti Quesnellus in margine corrigendum conjecerat, cum esset in editis aliisque mss., *trepida*.

[g] Sic cum Quesn. nostri potiores codd. Al., *eorum*.

[h] Prima editio et unus ms. Vat., *tenerent*.

[i] Editi ante Quesn., *inter resurrectionem et ascensionem Domini*. Quesnellianam lectionem nostris codd. fultam retinuimus.

[j] Unus vetustus codex addit, *discipulorum*.

[k] Vox *Christus* adjecta ex antiquissimo Vat. et ex Homil. Pauli Diac.

[l] In laudato Pauli Diac. Homiliario, *de exitio crucis*.

[m] Cod. Veronensis, *et inæstimabilis atque ineffabilis*. Mox *tantæ* pro *sanctæ* in uno ms.

[n] Ms. vetustissimus Vat., *conscenderit*.

[o] Idem antiquissimus Vat. et ms. Veron., *qui vivit et regnat cum Deo Patre omnipotente et Spiritu sancto in sempiterna sæcula sæculorum. Amen.*

Digitized by Google

— II. Ut capaces essemus beatitudinis, Christus ascendit in cœlum, ibi mansurus usque ad diem judicii. — III. Fidem ita ascensione esse roboratam, ut nullis potuerit tormentis superari, etiam in teneris puellis. — IV. Excellentius innotuisse Christum per ascensionem, et præsentiorem fuisse Divinitate. Quid angelicum colloquium significet. — V. Excitat nos ascensio Christi, ut terrena despiciamus tamquam peregrini, et charitate dilatemur, sine qua ad Christum non itur.

Cap. I. — Sacramentum, dilectissimi, salutis nostræ, quam pretio sanguinis sui universitatis **293** conditor [a] æstimavit, a die corporalis ortus usque ad exitum passionis, per dispensationem humilitatis impletum est. Et licet multa etiam in forma servi Divinitatis signa radiaverint, proprie tamen illius temporis actio ad demonstrandam suscepti hominis pertinuit veritatem. Post passionem vero, ruptis mortis vinculis, quæ vim suam [b] in eum qui peccati erat nescius incedendo [c] pandiderat : infirmitas in virtutem, mortalitas [d] in æternitatem, contumelia transivit in gloriam : quam Dominus Jesus Christus in multis manifestisque documentis (*Act.* I, 3), multorum declaravit aspectibus, donec triumphum victoriæ, quem reportarat a mortuis, inferret et cœlis. Sicut ergo in solemnitate paschali resurrectio Domini fuit nobis causa lætandi, ita ascensio ejus in cœlos præsentium nobis est materia gaudiorum, recolentibus illum diem et rite venerantibus, quo [e] naturæ nostræ humilitatis in Christo super omnem cœli militiam, supra omnes ordines angelorum, et ultra omnium altitudinem potestatum ad Dei Patris est provecta consessum. Quo ordine operum divinorum nos fundati, nos ædificati sumus : ut mirabilior fieret gratia Dei, cum remotis a conspectu hominum, quæ merito reverentiam sui sentiebantur indicere, fides [f] non diffideret, spes non fluctuaret, charitas non tepesceret. Magnarum [g] enim hic vigor est mentium, et valde fidelium [h] hoc lumen est animarum, incunctanter credere quæ corporeo non videntur intuitu, et ibi figere desiderium, quo nequeas inferre conspectum. Hæc autem pietas unde in nostris cordibus nasceretur, aut quomodo quisquam justificaretur per fidem, si in iis tantum salus nostra consisteret, quæ obtutibus [i] subjacerent? Unde et illi viro qui de resurrectione Christi videbatur ambigere, nisi in ipsius carne vestigia passionis et visu explorasset et tactu : *Quia vidisti me,* inquit Dominus, *credidisti : beati qui non viderunt, et crediderunt* (*Joan.* XX, 19).

Cap. II.—Ut igitur hujus beatitudinis, dilectissimi, capaces esse [j] possemus, expletis omnibus quæ evangelicæ prædicationi et novi Testamenti mysteriis congruebant, Dominus noster Jesus Christus, quadragesimo **294** post resurrectionem die coram discipulis elevatus in cœlum (*Luc.* XXIV, 50; *Matth.* XVI, 19), [k] corporalis præsentiæ modum fecit, mansurus in Patris dextera, donec tempora multiplicandis Ecclesiæ filiis divinitus præstituta peragantur, et ad judicandos vivos et mortuos in eadem carne in qua ascendit adveniat. Quod itaque Redemptoris nostri conspicuum fuit, in sacramenta transivit ; et ut fides excellentior esset ac firmior, visioni doctrina succes-
B sit, cujus auctoritatem supernis illuminata radiis credentium corda sequerentur.

Cap. III. — Hanc fidem ascensione Domini auctam, et Spiritus sancti munere roboratam, non vincula, non carceres, non exsilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium [l] crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum, non solum viri, sed etiam feminæ, nec tantum impubes pueri, sed etiam teneræ virgines, usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia ejecit, ægritudines depulit, mortuos suscitavit. Unde et ipsi beati apostoli, qui tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi, [m] atrocitate tamen Dominicæ passionis expaverant, et veritatem resurrectionis ejus non sine hæsitatione
C susceperant, tantum de ascensione Domini profecerunt, ut quidquid illis prius intulerat metum, verteretur in gaudium. Totam enim contemplationem animi in Divinitatem ad Patris dexteram consedentis erexerant, nec jam corporeæ visionis tardabantur objectu, quominus in id aciem mentis intenderent, quod nec a Patre descendendo abfuerat, nec a discipulis ascendendo discesserat.

Cap. IV.—Tunc igitur, dilectissimi, filius hominis, Dei Filius, excellentius sacratiusque innotuit, cum in paternæ majestatis gloriam se recepit et ineffabili modo cœpit esse Divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior. Tunc ad æqualem Patri Filium eruditior fides gressu mentis cœpit accedere, et contrectatione corporeæ in Christo substantiæ [n],
D qua Patre minor est (*Joan.* XIV, 28), non egere :

[a] In margine ms. Casinensis, *dignatus est operari.*

[b] Ms. Veron., *in eo ;* et mox, *incidendo* in editione Rainaudi, pro *incedendo ;* prima editio et unus cod. Vat., *in endendo.*

[c] Editi et plures codd., *perdiderat.* Magis placuit, *pandiderat,* auctoritate vetustissimi cod. Vat. alteriusque Vat. Longobardicis, ut vocant, litteris exarati.

[d] Editi et aliquot codd., *in immortalitatem.* Quatuor præstantiorum nostrorum codicum lectionem prætulimus.

[e] Vulg., *naturæ nostræ humilitas.* Magis placuit sequi tres præstantiores nostros codices. Mox, in antiquissimo Vat. et in Veron., *cunctarum,* pro *omnium.*

[f] Ita restituimus ex prima editione et septem nostris mss. Cæteræ editiones, *non deficeret.*

[g] Addidimus *enim* ex sex nostris codd. et prima editione.

[h] Ex eadem editione et ex quinque præstantioribus codicibus *hoc* insertum fuit.

[i] In ms. Longobard., *subjacent.*

[j] Vetustiss. Vat. et cod. Veron., *possimus.*

[k] *Corporali præsentiæ* in ms. Vat. collect. 5, nec non in prima editione, quæ addit, *suæ.*

[l] Duo antiquiores mss. Vatt., *crudelitatis ;* forte, *crudelitate.*

[m] Sic ex vetustissimo Vat. et cod. Bon. ac prima editione, in qua, *et atrocitate ;* omisso *tamen.* Alias, *atrocitatem.*

[n] *Qua* pro *quæ* magis placuit, licet in uno tantum codice invenerimus.

Digitized by Google

quoniam glorificati corporis manente natura, eo fides credentium vocabatur, ubi non carnali manu, sed spiritali **295** intellectu, par Genitori Unigenitus tangeretur. Hinc illud est quod post resurrectionem suam [a] Dominus, cum Maria Magdalene personam Ecclesiæ gerens, ad contactum ipsius properaret accedere, dicit ei: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joan.* xx, 17): hoc est, nolo ut ad me corporaliter venias, nec ut me sensu carnis agnoscas; ad sublimiora te differo, majora tibi præparo. Cum ad Patrem [b] meum ascendero, tunc me perfectius veriusque palpabis, apprehensura quod non tangis, et creditura quod non cernis. Cum autem ascendentem ad cœlos Dominum sequaces [c] discipulorum oculi intenta admiratione suspicerent, astiterunt [d] coram ipsis angeli duo mirabili vestium candore fulgentes, qui et dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* i, 11). Quibus verbis omnes Ecclesiæ filii docebantur ut Jesus Christus in eadem qua ascenderat carne venturus visibilis crederetur; nec posset ambigi omnia illi esse subjecta, cui ab ipso corporeæ nativitatis exordio famulatus servisset angelicus. Sicut enim concipiendum Christum de Spiritu sancto beatæ Virgini angelus nuntiavit, sic et editum de Virgine vox cœlestium pastoribus cecinit: sicut resurrexisse a mortuis, supernorum nuntiorum [e] prima testimonia docuerunt, sic ad judicandum mundum in ipsa carne venturum, angelorum officia [f] prædicarunt: ut intelligeremus quantæ potestates sint adfuturæ [g] cum judicaturo, cui tantæ ministraverunt etiam judicando.

Cap. V. — Exsultemus itaque, dilectissimi, gaudio spirituali, et digna apud Deum gratiarum actione lætantes, liberos cordis oculos ad illam altitudinem in qua Christus est erigamus. Sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant; ad æterna præelectos peritura non occupent; viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent; et ita a fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in qua etiamsi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. Ad hanc enim nos devotionem beatissimus apostolus Petrus incitat; et secundum illam dilectionem quam pascendis Christi ovibus trina Dominici amoris professione concepit (*Joan.* xxi, 15-17), obsecrans dicit: *Charissimi, obsecro vos tumquam advenas et peregrinos, abstinere vos* **296** *a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam* (I *Petr.* ii, 11). Cui autem nisi diabolo carnales militant voluptates, qui animas ad superna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare et ab illis sedibus de quibus ipse excidit gaudet abducere? Contra [h] cujus insidias sapienter debet fidelis quisque vigilare, ut inimicum suum de eo quod tentatur possit elidere. Nihil autem est validius, dilectissimi, contra diaboli dolos, quam benignitas misericordiæ et largitas charitatis, per quam [i] omne peccatum aut declinatur aut vincitur. Sed hujus virtutis sublimitas non prius apprehenditur quam illud quod ei adversarium est subruatur. Quid autem tam inimicum misericordiæ et operibus charitatis, quam avaritia, de cujus radice omnium malorum germen emergit? Quæ nisi in suis fomitibus enecetur, necesse est ut in agro cordis illius, in quo [j] hujus mali planta convaluit, spinæ potius tribulique vitiorum, quam ullum veræ virtutis semen oriatur. Resistamus ergo, dilectissimi, huic tam pestifero malo, et charitatem, sine qua nulla virtus potest nitere (I *Cor.* xiii), sectemur: ut per hanc, qua ad nos Christus descendit, dilectionis viam, etiam nos ad ipsum possimus [k] ascendere, cui est cum Deo Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXV [*Al.* LXXIII].

De Pentecoste I.

Synopsis. — I. *Christianam Pentecosten Mosaicæ respondere.* — II. *Quam velociter ac mirabiliter a Spiritu sancto edocti sint discipuli.* — III. *Perfecta personarum in SS. Trinitate æqualitas explicatur.* — IV. *Macedonianorum error contra Spiritum sanctum, qui omnis boni fons et causa.* — V. *Omnia in Ecclesia per Spiritum sanctum sanctificari, ab eo et ipsa jejunia instituta.*

Cap. I. — Hodiernam solemnitatem, dilectissimi, in præcipuis festis esse venerandam, [l] omnium catholicorum corda cognoscunt: nec dubium est quanta huic diei reverentia debeatur, quem Spiritus sanctus excellentissimo **297** sui muneris miraculo consecravit. Nam ab illo die quo Dominus super [m] omnem cœlorum altitudinem ad dexteram Dei Patris consessurus ascendit, decimus iste est qui ab ejusdem resurrectione quinquagesimus nobis in eo a quo cœpit illuxit, magna mysteria in se et veterum sacramentorum continens et novorum: quibus manifestissime declaratur, et gratiam prænuntiatam fuisse per legem, et legem impletam esse per gratiam. Sicut enim Hebræo quondam populo ab Ægyptiis liberato, quinquagesimo die post immolationem agni lex data

[a] Vulgati, *Dominus Mariæ Magdalenæ personam Ecclesiæ gerenti, cum ad contactum ipsius properaret accedere, dicit: Noli*, etc. Quatuor vetustiorum codd. auctoritatem secuti sumus.

[b] Vox *meum* addita ex antiquissimo Vat. et Lectionario Veron.

[c] Prima editio et cod. Bon., *apostolorum*.

[d] Supplevimus *coram* auctoritate quinque potiorum codd. et primæ editionis; ac ex iisdem, nec non ex cunctis editionibus ante Quesn. revocavimus particulam *et* ante *dixerunt*.

[e] Adjectivum *prima* abest a vetustissimo ms. Vat.

[f] Al., *declararunt*.

[g] Prima editio et unus codex delent præpositionem *cum*.

[h] Prima editio, *hujus*. Mox, in duobus vetustioribus codd., *de eo potentatu possit elidere*.

[i] Antiquissimus Vat., *omne peccatum declinatur*, et omittitur, *aut vincitur*. Ms. Veron., *omne peccatum aut minuitur, aut vincitur*.

[j] Cod. Veronen., *hujusmodi planta*.

[k] Idem codex addit, *accedere atque*.

[l] Antiquissimus Vat. 3835, *omnia*.

[m] Idem codex omittit, *omnem*, et paulo post, *in se*

Digitized by Google

est in monte Sina (*Exod.* XIX, 17); ita post passionem [a] Christi, qua verus Dei Agnus occisus est, quinquagesimo a resurrectione ipsius die in apostolos plebemque credentium Spiritus sanctus illapsus est (*Act.* II, 3): ut facile diligens Christianus agnoscat initia veteris Testamenti evangelicis ministrasse principiis, et ab eodem Spiritu conditum fœdus secundum, a quo primum fuerat institutum.

CAP. II. — Nam, sicut apostolica testatur historia, [b] *dum complerentur dies Pentecostes, essentque omnes discipuli pariter in eodem loco, factus est repente de cœlo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui* [c] *aliis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Ibid.*, 1-4). O quam velox est sermo sapientiæ, et ubi Deus magister est, quam cito discitur quod docetur! Non est adhibita interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad usum, non tempus ad studium, sed spirante ubi voluit Spiritu veritatis (*Joan.* III, 8), propriæ singularum gentium voces factæ sunt in Ecclesiæ ore communes. Ab hoc igitur die tuba evangelicæ prædicationis intonuit; ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum, omne desertum et universam aridam rigaverunt; quoniam ad renovandam faciem terræ *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Genes.* I, 2), et ad veteres tenebras abigendas, novæ lucis fulgura coruscabant, cum micantium splendore linguarum, et 298 verbum Domini lucidum, et eloquium concipieretur ignitum, cui ad creandum intellectum, consumendumque peccatum, et efficacia illuminandi, et vis inesset [d] urendi.

CAP. III. — Quamvis autem, dilectissimi, valde fuerit ipsa rei gestæ forma mirabilis, nec dubium sit, in illo omnium humanarum vocum exsultante [e] concentu, majestatem Spiritus sancti fuisse præsentem, [f] nemo tamen æstimet in iis quæ corporeis visa sunt oculis divinam ejus apparuisse substantiam. Natura enim invisibilis, [g] et Patri Filioque communis, qualitatem muneris [h] atque operis sui, qua voluit significatione monstravit, proprietatem vero [i] essentiæ suæ in sua Deitate continuit: quia sicut nec Patrem nec Filium, ita nec Spiritum sanctum humanus potest visus attingere. In Trinitate enim divina nihil dissimile, nihil impar est; et omnia quæ de illa possunt substantia cogitari, nec virtute, nec gloria, nec æternitate discreta sunt. Cumque in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius sit Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen alia Deitas nec diversa natura est. Siquidem cum et de Patre sit Filius unigenitus, et Spiritus sanctus Patris Filiique sit spiritus, non sicut quæcumque creatura, quæ et Patris et Filii est, sed sicut cum utroque vivens et potens, [j] et sempiterne ex eo quod est Pater Filiusque subsistens. Unde, cum Dominus ante passionis suæ diem discipulis suis sancti Spiritus sponderet adventum, *Adhuc*, inquit, *multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque* [k] *audierit loquetur, et futura annuntiabit vobis. Omnia quæ habet Pater mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI, 12-15) Non ergo alia sunt Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; sed omnia quæcumque habet Pater, habet et Filius, habet et Spiritus sanctus; nec umquam in illa Trinitate [l] non fuit ista communio, quia hoc est ibi omnia habere, quod semper existere. Nulla 299 ibi tempora, nulli gradus, nullæ differentiæ cogitentur: [m] et si nemo de Deo potest explicare quod est, nemo audeat affirmare quod non est. Excusabilius enim est de natura ineffabili non eloqui digna, quam definire contraria. Quidquid itaque de sempiterna et incommutabili gloria Patris pia possunt corda concipere, hoc simul et de Filio, et de Spiritu sancto inseparabiliter atque indifferenter intelligant. Ideo enim hanc beatam Trinitatem unum confitemur Deum, quia in his tribus personis nec substantiæ, nec potentiæ, nec voluntatis, nec operationis est ulla diversitas.

CAP. IV. — Sicut ergo detestamur [n] Arianos, qui inter Patrem et Filium aliquam volunt esse distantiam, ita etiam Macedonianos pariter detestamur, qui licet Patri et Filio tribuant æqualitatem, Spiritum tamen sanctum inferioris putant esse naturæ: non

[a] Sic ex nostris codd. et editis ante Quesn. qui pro *Christi* habet *Domini*. In prima editione utrumque desideratur.

[b] Al., *Cum*.

[c] Prima editio, *variis linguis*.

[d] Ita retinendum putavit Quesnellus, et suasit tota hujus textus series; licet tres ejusdem codd. Oxon., pro *urendi* haberent *erudiendi*. Idipsum et nos, etiamsi antiquissimus Vat. item habeat, *erudiendi*; et ms. Barber. 88 collect. 2 hunc locum ita efferat: *Et efficacia illuminandi inesset et erudiendi*.

[e] Quesnellus ex suis codd., quibus nonnulli etiam nostri astipulantur, edidit, *conventu*. Edit. Paris. an. 1671, *consensu*. Melior visa est lectio anteriorum editionum aliis mss. probata, cum qua magis congruunt præcedentia, *humanarum vocum*.

[f] Revocavimus lectionem editorum ante Quesnellum, quippe quam in antiquissimo Vat. et in aliis nostris codd. reperimus, cum quibus scripsimus *æstimet*, pro vulgato *existimet*. Quesnellus autem sic: *Nemo tamen in iis... divinam ejus putet apparuisse substantiam*.

[g] Sic nostri codd. et editi, excepto Quesnello, apud quem, *et cum Patre et cum Filio*.

[h] Voces, *atque operis*, desunt in antiquissimo Vat.

[i] Unus Vat., *substantiæ*.

[j] Vulgati ante Quesn., *et sempiternus, et ex eo quod est*, etc. Similiter mss. collect. 4 et 5, in quibus tamen cum omittatur conjunctio *et* ante *ex eo*, lectio a Quesnello inducta et antiquissimo ms. nostro Vat. confirmata satis indicatur.

[k] Vulgati ante Quesn. et mss. collect. posteriorum, *audiet*, non tamen antiquissimus Vat.

[l] Ita ex nostris codicibus et prima editione. Alias, *defuit*.

[m] Prima editio, *ut si*; et dein, *incommutabili*, pro *ineffabili*.

[n] Antiquissimus Vat, pro *Arianos*, præfert *eos*; et postea, omissis vocibus *ita etiam*, pro *Macedonianos*, habet, *illos pariter detestemur*.

Digitized by Google

considerantes eam blasphemiam se incidere, quæ neque in præsenti sæculo, neque in futuro sit remittenda judicio, dicente Domino : *Quicumque dixerit verbum contra Filium Hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* XII, 32). Permanens itaque in hac impietate sine venia est, quia exclusit eum a se per quem poterat confiteri; nec umquam perveniet ad indulgentiæ remedium, qui patrocinatorum sibi non habet advocatum. Ab ipso enim est [a] invocatio Patris, ab ipso sunt lacrymæ pœnitentium, ab ipso sunt gemitus supplicantium; *et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3) ; cujus æqualem cum Patre et Filio omnipotentiam, unamque Deitatem [b] evidentissime prædicat Apostolus, dicens : *Divisiones quidem gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus* (*Ibid.*, 4-6).

CAP. V. — His, dilectissimi, aliisque documentis, quibus innumerabiliter divinorum eloquiorum coruscat auctoritas, ad venerationem Pentecostes unanimiter incitemur, exsultantes in honorem sancti Spiritus, per quem omnis Ecclesia catholica sanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur; qui inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, et totius est causa virtutis. Gaudeant fidelium mentes, quod in toto mundo unus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, omnium linguarum confessione laudatur; quodque illa significatio, **300** quæ in specie ignis apparuit, et opere perseverat et munere. Ipse enim Spiritus veritatis facit domum gloriæ suæ luminis sui [c] nitore fulgere, et in templo suo nec tenebrosum aliquid vult esse, nec tepidum. De qua ope atque doctrina etiam jejuniorum nobis atque eleemosynarum est collata purgatio. Nam hunc venerabilem diem sequitur saluberrimæ observantiæ consuetudo, quam utilissimam sibi [d] omnes sancti semper experti sunt, et ad quam sedulo celebrandam, pastorali vos sollicitudine cohortamur: ut si quid macularum proximis diebus negligentia incauta contraxit, id et jejunii censura castiget, et devotio pietatis emendet. Quarta igitur et [e] sexta feria jejunemus; sabbato autem in idipsum consueta devotione vigilias celebremus. [f] Per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto unus Deus vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXVI [*Al.* LXXIV].

De Pentecoste II.

SYNOPSIS. — I. *Et propter spirituales, et propter neophytos de Spiritu sancto esse disserendum.* — II. *Perfecte in omnibus æquales esse Trinitatis personas, etsi quædam singulis tribuantur.* — III. *In veteri Testamento datum esse Spiritum sanctum.* — IV. *Apostolis quoque ante Pentecosten fuisse datum, sine quo nemo bene orat.* — V. *Quid est quod discipuli portare nondum poterant?* — VI. *Quomodo ex Evangelio, Manichæorum stultitia refellatur : et quo tempore Manes vixerit.* — VII. *Quam fatuum est dicere Spiritu sancto usque ad Manen Ecclesiam caruisse.* — VIII. *Spiritum sanctum Ecclesiæ datum neget necesse est, qui veram Christo carnem abjudicat.* — IX. *Jejunia inter Spiritus sancti dona numerantur, et ex apostolica traditione indicuntur.*

CAP. I. — Plenissime quidem nobis, dilectissimi, causam atque rationem solemnitatis hodiernæ divinorum eloquiorum textus ostendit, quo sanctum Spiritum quinquagesimo post Domini resurrectionem die, **301** qui ab ascensione ejus est decimus, [g] infusum Christi discipulis, sicut promissus sperabatur, agnovimus. Sed ad novos Ecclesiæ filios instruendos, addendum est etiam nostri sermonis obsequium. Non enim timemus [h] ne spirituales et eruditi nota fastidiant, ad quorum fructum pertinet ut quam plurimis insinuari velint [i] quod ipsi cum magna sui utilitate didicerunt. Fiat ergo per corda omnium dispensatio munerum divinorum, et servitutem oris nostri docti indoctique non spernant : [j] illi ut probent se amare quod norunt, isti ut ostendant se desiderare quod nesciunt. Huic [k] enim præparationi vestræ aderit ipsius largitas, de cujus loqui majestate [l] tentamus, ut ad profectum totius Ecclesiæ et vos capaces, et nos faciat abundantes.

CAP. II.—Cum igitur ad intelligendam dignitatem Spiritus sancti [m] oculos mentis intendimus, nihil diversum ab excellentia Patris et Filii cogitemus: quia in nullo ab unitate sua discrepat [n] divinæ Trinitatis essentia. Sempiternum est Patri, coæterni sibi Filii sui esse genitorem. Sempiternum est Filio, intemporaliter esse a Patre progenitum. Sempiternum quoque est Spiritui sancto, Spiritum esse Patris et Filii : ut numquam Pater sine Filio, num-

[a] Prima editio, *advocatio*, sicuti sermone sequenti cap. 4, *sine Spiritus sancti advocatione*.

[b] Antiquissimus Vat., *evidentissime Apostolus prædicans dicit*.

[c] Al., *splendore*. QUESN. in margine.

[d] Vetustissimus Vat., *homines sancti*.

[e] Idem codex, *sexta sabbati*.

[f] Hanc clausulam sumpsimus ex eodem Romano codice. Al., *Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

[g] Lectionis Padilir., *missum*. Post pauca, pro *obsequium*, in codice Vat. antiquissimo 3385, *eloquium* legitur.

[h] Vulgati ante Quesn. et inferioris notæ codd., *ut spirituales*.

[i] Cod. Padiliron., *quæ ipsi*. Mox duo Lectionaria, Venetum 154, et Bergomense, nec non mss. collect. 5, *cum magna humilitate*. Postea, *per corda hominum* in prima editione.

[j] In antiquissimo Vat. omittuntur sequentia usque ad verbum, *nesciunt*.

[k] Prima editio, pro *enim* habet *etiam*. Mox, pro *vestræ*, quod est in melioribus mss., vulgati Quesnello anteriores præferunt, *nostræ*.

[l] Idem vulgati cum mss. quibusdam, *gestimus*. Mox, antiquissimus Vat, *Ecclesiæ suæ*.

[m] Plerique codices (non tamen antiquissimus Vat.) et editi ante Quesn., *oculum*.

[n] Vulgati cum mss. collectionum posteriorum, *Divinitatis essentia*. Lectionem a nobis receptam et a Quesnello notatam in margine forte ex aliquo Lectionario, nostra quidem Lectionaria approbant. Dum, pro *coæterni* plures codices et editi ante Quesnellum, *consempiterni*.

Digitized by Google

quam Filius sine Patre, numquam Pater et Filius fuerint sine Spiritu sancto; et omnibus existentiæ gradibus exclusis, nulla [a] ibi persona sit anterior, nulla posterior. Hujus enim beatæ Trinitatis [b] incommutabilis Deitas una est in substantia, indivisa in opere, concors in voluntate, par in potentia, æqualis in gloria. De qua cum sancta Scriptura sic loquitur, ut aut in factis aut in verbis aliquid assignet quod singulis videatur [c] convenire personis, non perturbatur fides catholica, sed docetur : ut per proprietatem aut vocis aut operis insinuetur nobis veritas Trinitatis, et non dividat intellectus quod distinguit auditus. Ob hoc enim quædam sive sub Patris, sive sub Filii, sive sub Spiritus sancti appellatione **302** promuntur, ut confessio [d] fidelium in Trinitate non erret ; quæ cum sit inseparabilis, numquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur. Bene ergo ipsa difficultas loquendi cor nostrum ad intelligentiam trahit, et per infirmitatem nostram cœlestis doctrina nos adjuvat : ut quia in Deitate Patris, et Filii, et Spiritus sancti nec singularitas est, nec diversitas cogitanda, vera unitas et vera Trinitas [e] possit quidem simul mente aliquatenus sentiri, sed non possit simul ore proferri.

Cap. III. — Fundata igitur, dilectissimi, [f] hac fide in cordibus nostris, qua salubriter credimus quod simul tota Trinitas una virtus est, una majestas, una substantia, indiscreta opere, inseparabilis dilectione, indifferens potestate, simul implens omnia, simul continens universa : quod enim Pater est, hoc est et Filius, hoc est et Spiritus sanctus; et vera Deitas [g] in nullo esse aut major aut minor potest, quæ sic in tribus est confitenda personis, ut et solitudinem non recipiat Trinitas, et unitatem servet æqualitas. Hac, inquam, dilectissimi, fide firmiter apprehensa, non ambigamus quod cum in die Pentecostes discipulos Domini Spiritus sanctus implevit, [h] non fuit inchoatio muneris, sed adjectio largitatis : quoniam et patriarchæ, et prophetæ, et sacerdotes, omnesque sancti qui prioribus fuere temporibus, ejusdem sunt Spiritus [i] sanctificatione vegetati; et sine hac gratia nulla umquam instituta sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria : ut eadem semper fuerit virtus charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum.

Cap. IV. — Ipsi quoque beati apostoli ante passionem Domini sancto Spiritu non carebant, nec potentia hujus virtutis aberat ab operibus Salvatoris. Et cum discipulis daret infirmitatum curationem, et ejiciendorum dæmonum potestatem, ejus utique Spiritus largiebatur [j] effectus, in quo ipsum immundis spiritibus imperantem Judæorum negabat **303** impietas, et divina beneficia diabolo deputabat (*Luc.* x, 19). Unde taliter blasphemantes merito illam Domini excepere sententiam, qua ait : *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur hominibus. Et quicumque dixerit verbum contra Filium Hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* xii, 31-32). Unde manifestum est peccatorum remissionem sine Spiritus sancti [k] advocatione non fieri, nec quemquam sine illo, sicut expedit, ingemiscere, aut sicut oportet, orare, dicente Apostolo : *Quid enim oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* viii, 26); et : *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* xii, 3) : quo vacuari nimis [l] exitiabile est nimisque mortiferum, quia numquam veniam meretur, qui ab intercessore deseritur. Omnes igitur, dilectissimi, qui in Dominum Jesum crediderant, infusum sibi habebant Spiritum sanctum, et remittendorum peccatorum [m] etiam tunc apostoli acceperant potestatem, quando post resurrectionem suam Dominus insufflavit, et dixit : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittentur eis; et quorum retinueritis, retinebuntur* (*Joan.* xx, 22). Sed illi perfectioni, quæ erat discipulis conferenda, major gratia et abundantior inspiratio servabatur, per quam et quæ nondum acceperant sumerent, et excellentius possent habere quæ sumpserant. Propter quod Dominus dicebat : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis* [n] *illa portare modo. Cum autem venerit Spiritus veritatis, ille diriget vos in*

[a] Duo Lectionaria Venet. et Bergom., *sibi*.

[b] Vulgati ante Quesn. et quidam codices, *et incommutabilis Deitatis una est substantia*. Mox, pro *in potentia*, al., *in omnipotentia*.

[c] Ita Quesnellus et prima editio cum nostris mss. Lectionariis. Al., *convenisse*.

[d] Al., *credentium*.

[e] Prima editio cum duobus mss. Bon. et Vat., *possit simul aliquatenus mente sentiri*. Cæteræ editiones ante Quesn., *possit quidem aliquatenus mente sentire*, vel *sentiri*.

[f] Vulgati ante Quesn., *in cordibus nostris fide*, deleta voce *hac;* non tamen nostri codices.

[g] Quesnellus, *in nullo esse aut minor aut major est*. Anteriorum editionum lectionem nostris codd. confirmatam restituimus.

[h] Antiquissimus Vat., *non fuerit*.

[i] Editi et plures codices addunt, *sancti*, quam vocem delevimus auctoritate vetustissimi Vaticani et Padiliron., ut vitetur cacophonia ob subsequentem vocem, *sanctificatione*.

[j] Sic emendavimus ex antiquissimo Vat. et Padiliron. Al., *effectum*.

[k] Al., *invocatione*, in vulgatorum margine, sed non in nostris codd.

[l] Quesnellus in margine et in antiquissimo Vat., *perniciosum*. Prima editio, *exitiale*. Ante pauca, *vacare* pro *vacuari* in ms. Padiliron.

[m] Editi ante Quesn. cum mss. collectionum posteriorum, *jam*, pro *etiam*.

[n] In ms. Vat. collect. 5 deest vox, *illa*. Dein in antiquiss. Vat. sic efferuntur sequentia evangelici textus : *Cum autem venerit Spiritus veritatis, ille docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur et futura annuntiabit vobis : quoniam de meo accipiet et annuntiabit vobis.*

Digitized by Google

omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæ audierit loquetur, et futura annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis (*Joan.* XVI, 12-14).

304 Quid ergo est quod Dominus promittens discipulis Spiritum sanctum, qui jam dixerat: *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis : Adhuc*, inquit, *multa habeo vobis dicere, sed non potestis* [a] *illa portare modo. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis,* [b] *ille vos diriget in omnem veritatem?* Numquid sese Dominus inferioris scientiæ volebat intelligi, aut minus aliquid quam Spiritum sanctum a Patre didicisse? cum ipse sit Veritas, et nihil Pater dicere, nihil [c] Spiritus possit docere sine Verbo, ideoque dictum sit: *De meo accipiet* (*Joan.* XVI, 14) : quoniam quod accipit Spiritus, Patre dante, dat Filius. Non itaque alia insinuanda erat veritas, nec alia prædicanda doctrina; sed oportebat capacitatem eorum qui docebantur augeri, et multiplicari constantiam illius charitatis quæ omnem formidinem foras mitteret, [d] et furorem persequentium non timeret. Quod utique apostoli, posteaquam Spiritus sancti nova abundantia sunt repleti, ardentius velle et efficacius posse cœperunt, proficientes [e] a præceptorum scientia ad tolerantiam passionum : ut sub nulla jam tempestate trepidantes, fluctus sæculi et elationes mundi fide supergrediente calcarent, et morte contempta, omnibus gentibus Evangelium veritatis inferrent.

CAP. VI. — Quod vero addidit Dominus, dicens : *Quæcumque audierit loquetur, et futura annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI, 13), non segni intellectu, dilectissimi, nec transitorio accipiamus auditu. Præter alias enim veritatis locutiones quibus Manichæorum confutatur impietas, hac apertissime sententia totum sacrilegæ falsitatis dogma prosternitur. [f] Nam ut magnum quemdam atque sublimem sequi viderentur auctorem, in magistro suo [g] Mane sanctum apparuisse Spiritum crediderunt, promissumque a Domino Paracletum non prius venisse quam hic infelicium **305** deceptor oriretur : in quo ita [h] Spiritus Dei manserit, ut non aliud fuerit Manes ipse quam spiritus qui per ministerium corporeæ vocis et linguæ discipulos suos in omnem induceret veritatem, et numquam cognita præteritorum secreta [i] sæculorum reseraret. [j] Quod quam falsum quamque sit vanum, ipsa evangelicæ prædicationis declarat auctoritas. Manes ergo [k] minister falsitatis diabolicæ, et [l] con-

[a] Addidimus *illa* ex ms. Casin. collect. 1 et Lectionariis Veneto et Padiliron., uti hæc vox pariter legitur capite antecedenti.

[b] In antiquissimo Vat., *ille vos docebit omnem veritatem*, quemadmodum idem codex præfert in textu capitis superioris. Confer annot. 22.

[c] Vocem *Spiritus*, quæ deerat in editis, et a contextu exigitur, supplevimus ex pluribus nostris codd., ac præsertim ex antiquissimo Vat. et duobus Lectionariis Bergomensi et Veneto. In Vat. collect. 5, *nihil Pater, nihil Spiritus possit dicere sine Verbo.* Mox, pro *quoniam quod accipit Spiritus*, in ms. Casinensi, *et quia qui accipit donum Spiritus;* ubi vox *donum* superaddita est posteriori manu. In ms. Veneto, pro *quoniam*, habetur pariter, *et quia.*

[d] Ms. Casinensis, *ut furorem persequentium non timerent.*

[e] In eodem ms. Casin. et in cod. Padiliron., *ad præceptorum scientiam, ad tolerantiam passionum, ut nullam jam tempestatem trepidantes*, etc. In uno codice, *sub nulla jam potestate trepidantes.*

[f] In antiquissimo Vat. sic : *Cujus discipuli ut magnum quemdam et sublimem*, etc. Ita etiam prima editio, quæ solum omittit particulam *ut.*

[g] Editi ante Quesn. cum mss. Vat. collect. 5, *Manichæo.* Alius Vat. et unus Vallicell. atque Casin., *Mani*, et similiter deinceps, ubi *Manes* nominabitur. Hic autem notandum est apud Patres Latinos *Manem* frequenter appellari *Manichæum*, ut eruditis exploratum est. Porro Quesnelli annotationem in nomen *Manes* hic subjicimus : « Ita mss. codd., inquit, idque optime: Cum enim infamis iste hæresiarcha primum vocaretur non *Urbicus*, ut habet Augustinus lib. de Hæresibus hær. 46, sed *Cubricus*, quemadmodum legitur apud Epiphanium, Manis sibi nomen imposuit, furoris videlicet nomen quadam sibi providentia asciscens. Quod cum ejus postmodum discipuli animadverterent in Græcia, geminata littera *n*, Mannichæum, quasi manna fundentem, appellaverunt.» Hæc ille. Mox in prima editione verbo *apparuisse* præmittitur adverbium *manifeste.*

[h] Editi, *Spiritus sanctus.* Prævaluit auctoritas quinque lectionariorum, nimirum antiquissimi Vat., duorum Vallicell., unius Veneti S. Marci, et Padiliron.

[i] Antiquissimus Vat. desiderat vocem, *sæculorum.*

[j] Hoc modo habent codices mss. Corbeiensis unus tresque Oxonienses; unde mirum quomodo irrepserit hæc alia lectio, quam editiones priores exhibent : *Quod quam sit ridiculum quamque vanum tæderet ostendere, nisi adhuc quosdam non puderet hoc credere.* Prior lectio sine dubio anteferenda, quia revera statim ostendit ex tempore quo Evangelium prædicatum erat martyrumque sanguine consecratum, in octava persecutione, ante Manem Manichæosque Spiritum sanctum Ecclesiæ datum fuisse, inque fidelium corda diffusum. QUESNELLUS. — Lectio autem textui inserta nititur etiam nostro antiquissimo Vaticano et alio optimo Veneto, in quo solum pro *falsum* est *ridiculum.* Cæterum lectio aliarum editionum reperitur in mss. omnium quinque collectionum, ac præterea in duobus Lectionariis Vallicell., in Padiliron. et Bergom. Leoninum etiam stylum sapit, cohæretque veritati historicæ, qua Manichæos Romæ detectos liquet.

[k] Editi ante Quesn., *magister*; quæ lectio, ut videtur, congruentior, fulcitur mss. trium priorum collectionum et duobus nostris Lectionariis Vallicellanis, uno Bergomate, et alio Padiliron. Lectionem nihilominus a Quesnello inductam ex suis, ut credimus, Lectionariis, noluimus expungere, cum confirmetur non solum mss. Vatt. collect. 4 et 5, sed etiam duobus præstantioribus nostris Lectionariis Veneto ac præsertim vetustissimo Vaticano.

[l] Non quod primus fuerit obsceni Manichæorum dogmatis parens, sed quod ab ipso *per multas oras partesque terrarum dissipandi sui initium accepit.* Cæterum primus somniorum illorum artifex fuit quidam Scythianus e regione Saracenorum oriundus, educatusque in Arabia, Palæstinæ finitima : qui moriens omnia sua Therbitho cuidam, unico quem habebat discipulo, commisit. Hic Therbithi nomen abdicans, Buddas appellari voluit. Cujus hæreditas infausta, cum post infamem ejus mortem in manus cujusdam anus venisset, ab illa relicta est Cubrico seu Mani, quem ad officia famularia servum coemerat; qui deinceps insana dogmata apud Persas, inter

Digitized by Google

ditor superstitionis obscenæ, eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem Domini [a] ducentesimus et sexagesimus annus impletus est, Probo imperatore Paulinoque consulibus, cum octava jam in Christianos persecutio [b] desæviret, et **306** innumera martyrum millia ipsis suis victoriis probavissent impletum esse quod Dominus promiserat, dicens: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 19-20).

Cap. VII. — Non ergo potuit promissio Domini [c] per tot ætatum intervalla differri, nec ille Spiritus veritatis, quem mundus non accepit impiorum, ita septiformem illam donorum suorum continuit largitatem, [d] ut tot Ecclesiæ generationes sua inspiratione fraudaret, donec prodigiosus turpium mendaciorum signifer nasceretur ([e] cui nec **307** hoc quidem tribui potest, quod vel exiguam divinæ inspirationis acceperit portionem: quoniam et hic de illa [f] mundi exstitit parte, quæ non potest Spiritum veritatis accipere). Repletus enim spiritu diaboli, Spiritui [g] restitit Christi; et cum sanctis Dei hoc Paracleti doctrina contulerit, ut futura prædicerent, hic ne falsitates ejus ipse rerum processus argueret, [h] sacrilegarum impudentiam fabularum in præteritas retorsit ætates. Et quasi nihil nos de sempiternitate Creatoris, nihil de ordine creaturæ [i] lex sancta et divinitus inspirata prophetia docuisset, in contumeliam Dei [j] et in omnium bene conditarum injuriam naturarum, compugnantia mendaciorum monstra contexuit. Quibus tandem suas insinuaturus erat insanias, nisi multum [k] insipientibus et nimium a lumine veritatis aversis, qui sive per ignorantiæ cæcitatem, sive per turpitudinis appetitum, ad illa [l] non sacra, sed exsecramenta perveniunt, quæ propter communem verecundiam non sunt nostro sermone promenda, cum [m] jam abundantissime ipsorum sint confessione patefacta.

Cap. VIII. — Nulli ergo vestrum, dilectissimi, suadeatur quod tantæ impietatis auctorem Spiritus sanctus aliqua ex parte dignatus sit. Nihil ad istum

quos natus erat et vivebat, ad plurimorum perniciem et interitum disseminavit. Plura vide apud S. Cyrillum Jerosolym. catechesi 6 illuminat., Philastrium Brixiensem, Epiphanium advers. hær. lib. II, tom. II, hæresi 60, et apud Augustinum hæresi 46. De eodem quasi primo sectæ hujus auctore agit Euseb. Hist. lib. VII, cap. 31. Quesnellus.

[a] Ita omnes quos vidimus, iique non pauci et præstantissimi codices, nimirum tum Lectionaria sex, tum mss. omnium quinque collectionum. Unus Oxoniensis a Quesnello laudatus, in margine exhibet numerum Romanis litteris CCL. De hoc vero anno, immo de toto hoc loco, qui variis difficultatibus chronologicis præsertim et historicis implicatur, plura dicenda erunt in observationibus ad hunc sermonem, ubi tres etiam satis prolixæ Quesnelli annotationes describentur. Mox editi ante Quesnellum cum quibusdam codd., *Probo imperatore Paulinoque consule.*

[b] Editi cum codd. collectionum posteriorum, *ebulliret.* At *desæviret* præferendum fuit, cum legatur non solum in mss. duarum præstantiorum collectionum 1 et 2 et in tribus mss. Oxoniensibus a Quesnello allegatis, verum etiam in omnibus nostris Lectionariis, ac præsertim in antiquissimo Vaticano. Cum vero de Valeriani persecutione jamdiu exacta et sub Gallieno exstincta sermo sit, ex observatione P. Ruinartii in præfatione ad Acta martyrum num. 54, legendum esset, *desævisset*, ita ut facili amanuensium errore duplex *ss* in *r* mutatus fuerit. Sed nullo favente codice, textum immutare noluimus. Mox vocibus *innumera martyrum millia* indicantur non soli martyres persecutionis octavæ, sed omnes qui in octo anterioribus persecutionibus pro Christo mortem oppetiere.

[c] Editi ante Quesn., *tanta per ætatum intervalla.* Duo Lectionaria Vallicell., unum Padiliron. et cod. Casin. collect. 1, nec non mss. Vat. collect. 4 et 5, *per tanta.* Antiquissimus Vat. ac mss. collect. 2 textus lectionem a Quesnello inductam astruunt. Paulo post, *non accipit* in eodem antiquissimo Vat. et in Padiliron.

[d] Ita Quesnellus cum tribus suis codd. Oxon. et uno Corb. ac nostro vetustissimo Vat. Editiones præcedentes, cum mss. omnium quinque collectionum et duobus Lectionariis Vallicell. et uno Padiliron. habent: *Ut tot Ecclesiæ generationes, sapientia et intellectu, consilio et fortitudine, scientia et pietate, atque ipso Dei timore fraudaret.* Ob auctoritatem potissimum antiquissimi et certo Romani codicis Vat. Quesnellianam lectionem retinuimus.

[e] Parenthesi inclusa desunt in vetustissimo Vat., ubi forte melius aptiusque post verbum *nasceretur*, subjicitur, *qui repletus spiritu diaboli, spiritui restitit Christi*, etc. In uno Vallicell. omittitur *hoc.* Mox in ms. Padiliron., *probationem*, pro *portionem.*

[f] Intelligere videtur *mundum impiorum*, de quo initio hujus capitis dixit: *Quem* (Spiritum veritatis) *mundus non accepit impiorum.*

[g] Editi, *resistit.* Correximus ex antiquissimo Vat. et Vallicell. A 9, ac duobus aliis mss. Vatt. Mox, pro *doctrina* in antiquissimo Vat., *dona*, forte *donum.* Dein, in duobus Vallicell. et in Padiliron., *futura prædicarent.*

[h] Editiones ante Quesn. cum plerisque codd., *ridendarum.* Illius lectionem non expunximus, quia invenitur in antiquissimo Vat.

[i] Editi hic addunt, *in universum mundum bene*, uti est in mss. collect. 3, 4 et 5. Codex Casin. collect. 1, *in universum mundum bona lex, sancta et divinitus inspirata prophetia.* Codex Casanatensis collect. 2 et Lectionar. Padiliron. delent vocem, *mundum*, et sic habent, *in universum bona lex et sancta*, etc. Duo Lectionaria Vallicell., *in universum bene lex sancta*, etc. In tanta varietate, antiquissimi et Romani Lectionarii Vat. lectionem prætulimus.

[j] Ita Quesnellus cum uno suo codice, cui suffragatur antiquissimus Vat. Præcedentes editiones cum plerisque mss., *et in omnium injuriam naturarum inexplicabilium mendaciorum monstra contexuit.* Prima editio cum codd. collect. 3 et 4 addit, *bene conditarum*, ut in textu; sed in reliquis, ut cæteræ editiones.

[k] Editi ante Quesnellum cum codd. collect. posteriorum, *incestis.* Duo Vallicell., Padiliron. et Casinensis, *inertibus*, et satis bene; sed vocem, *insipientibus*, a Quesnello inductam retinuimus auctoritate vetustissimi Vat. Mox, *a lumine pietatis* in uno Vat. collect. 5 et alio Bon., nec non in Padironensi.

[l] Prima editio cum mss. collect. 3 et 4, *non sacra*, sed exsecranda. Apud Quesnellum, *non sacramenta, sed exsecramenta*, quod in nullo codice reperimus. Editam lectionem non solum cæteræ editiones cum mss. collect. 5, sed et nostri potiores codices Casin., duo Vallicell., Padiliron. et antiquissimus Vat. approbant.

[m] Duo Vallicell. et Casin. delent *jam.*

Digitized by Google

prorsus de illa virtute pervenit, quam Ecclesiæ suæ Christus et promisit et misit. Dicente enim [a] beato apostolo Joanne : *Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus* (*Joan.* VII, 39) : Domini ascensio, dandi Spiritus fuit ratio, quem ille necesse est ut neget datum, qui ad consessum paternæ dexteræ verum in Christo hominem negat esse provectum. Nos autem, dilectissimi, ad beatam 308 æternitatem et animæ et carnis per regenerationem sancti Spiritus adoptati, [b] sacratissimum diei istius festum rationabili obsequio et casta lætitia celebremus, confitentes cum beato Paulo apostolo, quod Dominus Jesus Christus *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ps.* LXVII, 19 ; *Ephes.* IV, 8) : ut Evangelium Dei per omne humanæ vocis eloquium prædicetur, *et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 11).

CAP. IX. — Ad præsentem autem solemnitatem, [c] dilectissimi, etiam illa nobis est adjicienda devotio, ut jejunium quod ex apostolica traditione subsequitur celebremus, quia et hoc inter [d] magna sancti Spiritus dona numerandum est, quod nobis adversum illecebras carnis et insidias diaboli jejuniorum sunt collata præsidia, quibus omnes tentationes Deo adjuvante vincamus. Quarta igitur et sexta feria jejunemus ; sabbato autem apud beatum Petrum apostolum vigilias celebremus, patrocinante eodem orationibus nostris, ut in omnibus misericordiam Dei obtinere mereamur, per Dominum nostrum Jesum Christum viventem et regnantem cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXVII [*Al.* LXXV].

De Pentecoste III.

SYNOPSIS. — I. *Spiritum sanctum non inchoasse in Pentecoste sua dona, sed cumulasse, cum indivise Trinitas operetur.* — 309 II. *Ex peccato ortum esse, ut opus reparationis nostræ inter se dividerent personæ Trinitatis ; et quomodo.* — III. *Eam partitionem nihil æqualitati et consubstantialitati personarum obesse.* — IV. *Nihil rebus creatis vel visibilibus affine cogitandum de Trinitate, quæ tota æqualis est.* — V. *Cur discipulos de ejus ascensione gaudere Christus velit.* — VI. *Tres personas unum esse habere, unumque operari.*

CAP. I. — Hodiernam, dilectissimi, festivitatem toto terrarum orbe venerabilem, ille sancti Spiritus consecravit adventus, [e] qui post resurrectionem Domini quinquagesimo die in apostolos populumque credentium, sicut sperabatur, influxit (*Act.* II, 1). Sperabatur autem, quia illum Dominus Jesus [f] spoponderat affuturum (*Luc.* XXIV, 47 ; *Act.* I, 4), non ut tunc primum esse sanctorum habitator inciperet, sed ut sacrata sibi pectora et ferventius accenderet, et copiosius [g] inundaret ; cumulans sua dona, non inchoans, nec ideo novus opere, quia ditior largitate. Numquam enim ab omnipotentia Patris, et Filii, Spiritus sancti est discreta majestas ; et quidquid in dispositione omnium rerum agit divina moderatio, ex totius venit providentia Trinitatis. Una est ibi benignitas misericordiæ, una censura justitiæ ; nec aliquid est in actione divisum, ubi nihil est in voluntate diversum. [h] Quæ ergo illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus sanctus ; cumque alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis, simul nobis et unitas manifestatur et Trinitas : ut essentia habens æqualitatem, et non recipiens solitudinem, et ejusdem substantiæ, et non ejusdem intelligatur esse personæ.

CAP. II. — Quod ergo salva cooperatione inseparabilis Deitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam proprie Spiritus sanctus exequitur, nostræ redemptionis dispositio, nostræ salutis est ratio. Si enim homo ad imaginem et similitudinem Dei factus (*Gen.* I, 26) in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus a lege sibi posita [i] per concupiscentiam devïasset, Creator mundi creatura non fieret ; neque aut sempiternus 310 temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus formam servi et similitudinem carnis peccati assumeret. [j] Sed quia *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II, 24), et aliter solvi captivitas humana non potuit, nisi causam nostram [k] ille susciperet, qui sine majestatis suæ damno et verus homo fieret, et solus peccati contagium non haberet ; divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis ; ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret. Oportebat enim ut etiam salvandi aliquid pro se agerent, et conversis ad Redemptorem cordibus, [l] ab inimici dominatione di-

[a] Ex antiquissimo Vat. adjecimus voces, *beato apostolo*. Dein ex eodem et prima editione scripsimus *erat*, pro *fuerat clarificatus*.

[b] Editiones ante Quesn. cum mss. collect. posteriorum, *sacratissimi istius festi diem*. Cod. Padilirop., *sacratissimi festi diem*. Dein verba *et casta lætitia* desiderantur in antiquissimo Vat.

[c] Ita ex antiquissimo Vat. Cæteræ editiones ignorant, *dilectissimi*, et pro *illa*, habent, *ista*. Editiones autem Quesnello anteriores pro *adjicienda* præferunt *assumenda* ; et mox, ante verbum *celebremus*, addunt, *sancta observantia*.

[d] Editi, *maxima*. Prætulimus lectionem vetustissimi Vat. quam duo etiam mss. libri a Quesnello memorati confirmant. Paulo post in eodem Vat., pro *illecebras*, legitur, *concupiscentiam* ; et Quesnellus forte ex aliquo suo codice, *concupiscentias*.

[e] In antiquissimo Vat. 3835, *qui post resurrectionem suam Dominus quinquagesimo die in apostolos plebemque credentium, sicut sperabatur, influxit*.

[f] Editi ante Quesn. cum mss. collectionum posteriorum, *promiserat*.

[g] Prima editio et cod. Bon., corrupte, *mundaret*.

[h] Eadem editio et idem codex, *Quem ergo*.

[i] Unus cod. Vat., *post concupiscentias*.

[j] *Quia vero* in tribus nostris mss. et prima editione, in qua mox, *intravit* pro *introivit*.

[k] Ita melius ex antiquissimo Vat. et duobus exemplaribus Veron.

[l] Prima editio et cod. Bon., *ab nimia damnatione discederent*. Cæteræ editiones ante Quesn. ut in textu, hac una exceptione quod præferunt *desciscerent* pro *discederent*. Nostri tamen codices uti cum Quesnello edidimus.

Digitized by Google

secederent : quoniam, sicut Apostolus ait, *misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra* [a] *clamantem, Abba Pater* (*Galat.* IV, 6). *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas* (II *Cor.* III, 17). Et, *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3).

CAP. III. — Si ergo duce gratia, dilectissimi, fideliter sapienterque [b] noscamus quid Patri, quid Filio, quid Spiritui sancto in reparatione nostra proprium quidve commune sit, ea quæ pro nobis humiliter et corporaliter gesta sunt ita procul dubio suscipiemus, ut nihil indignum de una atque eadem Trinitatis gloria sentiamus. Quamvis enim nulla mens ad cogitandum de Deo, nulla ad loquendum lingua sufficiat, tamen quantumcumque illud est [c] quod humano intellectu de essentia paternæ Deitatis attingitur, nisi unum atque idem [d] est, cum vel de Unigenito ejus, vel de Spiritu sancto cogitatur, non pie sapitur, sed nimis carnaliter caligatur, et ipsum quod de Patre congruenter sentiri videbatur, amittitur : quia [e] de tota Trinitate recedit, si in ea unitas non tenetur. Nulla autem ratione vere est unum quod aliqua est inæqualitate diversum.

CAP. IV. — Cum igitur ad confitendum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum aciem mentis intendimus, procul ab animo formas visibilium rerum et ætates temporalium naturarum, procul corpora locorum et loca corporum repellamus. Discedat a corde quod spatio extenditur, quod fine concluditur, et quidquid nec semper ubique, nec totum est. Cogitatio de Deitate Trinitatis concepta nihil per distantiam intelligat, **311** nihil per gradus quærat : [f] ac si quid dignum de Deo senserit, nulli hoc ibi audeat negare personæ, tamquam honorificentius Patri ascribat, quod Filio Spirituique non tribuat. Non est pietas Unigenito præferre Genitorem; Filii contumelia Patris injuria est; quod uni demitur utrique [g] detrahitur. Nam cum illis et sempiternitas sit communis et Deitas, nec omnipotens Pater, nec incommutabilis æstimatur, si aut minorem se genuit, aut quem non habuit, habendo profecit.

CAP. V. — Dicit quidem Dominus Jesus discipulis suis, sicut evangelica lectione recitatum est : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado, quia Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28); sed [h] hoc illæ aures, quæ sæpius audierunt: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); et *qui me videt, videt et Patrem* (*Joan.* XIV, 9); sine Deitatis accipiunt differentia, nec de illa hoc essentia intelligunt, quam sempiternam cum Patre et [i] ejusdem naturæ esse noverunt. Commendatur ergo etiam sanctis apostolis in incarnatione Verbi [j] humana provectio, et qui denuntiato sibi Domini turbabantur abscessu, ad æterna gaudia honoris sui incitantur augmento : *Si diligeretis me*, inquit, *gauderetis utique, quia vado ad Patrem* (*Ibid.*, 28); hoc est, si perfecta scientia videretis quid vobis gloriæ confertur per hoc quod ex Deo Patre genitus etiam ex homine matre sum natus, quod Dominus æternorum, unus volui esse mortalium, quod visibilem me invisibilis præbui, quod formam servi in forma Dei sempiternus accepi : *Gauderetis, quia vado ad Patrem.* Vobis enim [k] hæc præstatur ascensio, et super omnes cœlos ad Patris dexteram collocanda vestra in me humilitas elevatur. Ego autem, qui hoc sum cum Patre quod Pater est, individuus cum genitore permaneo, et sic ab illo ad vos veniens non recedo, quemadmodum et vos ad illum rediens non relinquo. Gaudete ergo, *quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Univi enim vos mihi, et factus sum filius hominis, ut vos filii Dei esse possitis. Unde **312** licet unus in utroque sim, tamen [l] quo vobis conformor, Patre sum minor; quo autem a Patre non dividor, etiam meipso sum major. Natura itaque quæ minor est Patre, [m] vadat ad Patrem, ut ibi sit caro ubi semper est Verbum; et una Ecclesiæ catholicæ fides, quem secundum humanitatem non diffitetur minorem, secundum Deitatem credat æqualem.

CAP. VI. — Contemnatur igitur, dilectissimi, vana et cæca versutia hæreticæ impietatis, quæ sibi hujus [n] sententiæ scæva interpretatione blanditur : ac dicente Domino : *Omnia quæ habet Pater mea sunt* (*Joan.* XVI, 15), non intelligit se Patri demere quid-

[a] Prima editio et ms. Bon., *in quo clamamus.*

[b] Duo mss. Vat., *novimus.*

[c] Cod. Veronensis, *Quod humanus intellectus.... attingit.*

[d] Ita omnes nostri codices et editiones ante Quesnellum, qui nullo ms. indicato, forte ut clariorem sententiam efficeret, edidit, *esse, cum de Unigenito.* Editam vero a nobis lectionem confirmant etiam codices et editio tractatus contra Eutychem cap. 2, in quo hoc caput insertum legitur. Hic tractatus in appendice exhibebitur.

[e] Sic ex antiquissimo Vat. et duobus Veron. Al., *a tota.*

[f] Ita ex omnibus nostris codicibus. Editi, præmisso puncto, *At si quid.*

[g] Al., *subtrahitur.*

[h] Prima editio et cod. Bon., *hæc.*

[i] Erat in editis, *ejusdem naturæ noverunt esse firma ratione.* Quesnellus notavit in margine : « Tres has voces, *esse firma ratione*, omittit ms. Oxoniensis unus. » Nos vetustissimi Vaticani et Lectionarii Veronensis lectionem, quæ hanc omissionem ex parte confirmat, secuti sumus.

[j] Auctoritate eorumdem codicum delevimus adjectivum *Dominici*, quod hic insertum in editis, ex Leonis more, *Verbo* non additur.

[k] Ita melius ex iisdem codicibus, quam in editis, *præstatur hæc ascensio;* id est in vestri gratiam hæc ascensio efficitur, et ideo gaudendum, quia vado ad Patrem.

[l] Antiquissimus Vat., *quod vobis;* et infra cum nonnullis aliis codd., nec non editis ante Quesnellum, *quod autem a Patre.* Quesnelli lectionem primæ editionis, exemplo collect. 3, uti meliorem immutare noluimus.

[m] Ita ex omnibus nostris codicibus. Al., *vadit.* Mox in Veron. et duobus Vatt., *et ibi sit caro*; ac dein in vetustiss. Vat., *ut una Ecclesiæ catholicæ fides*, sine conjunctione *et*. Quæ lectio præferenda esset, si magis placeret antea legere, *et ibi.*

[n] Editi ante Quesn. habebant, *scientiæ* in textu, et in margine, *sententiæ*, quam vocem ille textui inseruit, ut in nostris etiam mss. invenitur. Porro voci *scæva* ille apposuit hanc notam marginalem, *id est sinistra.*

Digitized by Google

quid Filio audet [a] denegare, et ita in his quæ humana sunt desipit, ut putet quod ideo Unigenito paterna defuerint, quia nostra suscepit. Non minuit in Deo misericordia potestatem, nec [b] dilectæ reconciliatio creaturæ, sempiternæ defectus est gloriæ. [c] Quæ habet Pater, habet et Filius, et quæ habet Pater et Filius, habet et Spiritus sanctus, quia tota simul Trinitas est unus Deus. Hanc autem fidem non terrena sapientia reperit, nec opinio humana persuasit, sed ipse unigenitus Filius docuit, ipse Spiritus sanctus instituit; de quo nihil est aliter quam de Patre et Filio sentiendum. Quia licet non sit Pater, non sit Filius, non tamen est a Patre Filioque divisus; et sicut propriam habet in Trinitate personam, ita unam habet in Patris et Filii Deitate substantiam, omnia implentem, omnia continentem, et cum Patre et Filio universa [d] moderantem, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

313 SERMO LXXVIII [*Al.* LXXVI].

[e] *De Jejunio Pentecostes 1.*

Synopsis. — I. *Instituta esse auctore Spiritu sancto jejunia, ut adversus inimicos suos Christiani validius pugnarent.* — II. *Contra eum qui liber est a carnalibus desideriis, inermem esse diabolum.* — III. *Post festa institutum esse jejunium, ut, et illorum fructus permaneat, et negligens circa illa plectatur.* — IV. *Jejunii, cui comes est misericordia, maximam esse vim.*

Cap. I. — Hodiernam, dilectissimi, festivitatem descensione sancti Spiritus consecratam sequitur, ut nostis, [f] solemne jejunium, quod animis corporibusque curandis salubriter institutum, devota nobis est observantia celebrandum. Repletis namque apostolis virtute promissa, et in corda eorum Spiritu veritatis ingresso, non ambigimus inter cætera cœlestis sacramenta doctrinæ, hanc spiritalis continentiæ disciplinam de Paracleti magisterio primitus fuisse conceptam : ut sanctificatæ jejunio mentes conferendis sibi charismatibus fierent aptiores. Aderat [g] quidem Christi discipulis protectio 314 omnipotentis auxilii, et principibus nascentis Ecclesiæ tota Patris Filiique Divinitas in præsentia sancti Spiritus præsidebat. Sed contra instantes impetus persequentium, contra minaces fremitus impiorum, non corporis fortitudine, nec carnis erat saturitate certandum; cum hoc maxime hominis interiora corrumpat, quod exteriora delectat; et tanto fiat rationalis anima purgatior, quanto fuerit substantia carnis afflictior.

Cap. II. — Illi itaque doctores, qui exemplis et traditionibus suis omnes Ecclesiæ filios imbuerunt, tirocinium [h] militiæ christianæ sanctis inchoavere jejuniis : ut contra spiritales nequitias pugnaturi, abstinentiæ arma [i] caperent, quibus vitiorum incentiva truncarent. Invisibiles enim adversarii et incorporales hostes non erunt contra nos validi, si nullis carnalibus desideriis fuerimus immersi. Cupiditas quidem nocendi in tentatore perpetua est, sed iner-

[a] Ita antiquiss. Vat. cum duobus aliis Vaticanis et prima editione. Al., *negare*.

[b] Editi cum quibusdam mss., *delata reconciliatio*. Correximus ex antiquiss. Vat. et Veron.

[c] Prima editio : *Quæ habet Pater, habet et Filius, habet et Spiritus Sanctus.*

[d] Ita ex antiquiss. Vat. Vulgati ante Quesn. cum mss. collect. posteriorum, *per infinita sæcula sæculorum. Amen.* Quesnellus vero, *moderantem in sæcula. Amen.*

[e] Hic titulus præfertur in mss. 2, 3 et 5 collect. In prima editione et mss. 3 collect. hic sermo inscribitur : *De Pentecoste sermo* IV, eumque sane idem sermonis initium ipso Pentecostes die habitum prodit. In mss. Casinensi collect. 1 sub eodem titulo *de Sancto Pentecoste* censentur omnes etiam sermones sequentes 2, 3 et 4 *de Jejunio Pentecostes;* similisque codex exstitit apud Micrologum; quippe de Eccles. observat. cap. 25 S. Leonis Sermonum memorans librum, *plures de Pentecoste in diversis annis fecisse* tradit. Ex voce autem *plures* patet in eo ms. *Sermonum libro* omnes sermones de Jejunio Pentecostes sub titulo *de Pentecoste* fuisse comprehensos. Cæterum hoc jejunium intra Pentecostes octavam peractum antiqua locutione vocabatur *jejunium mensis quarti;* uti similiter in antiquissimo Sacramentario e manuscriptis capituli Veronensis edito a P. Josepho Blanchinio ac Leoni attributo, missa hujus jejunii propria (cujus aliquot nedum sententiæ, sed etiam verba, cum sententiis et verbis primi hujus sermonis plane conveniunt, ut inferius suis in locis annotabimus) profertur sub titulo, *In jejunio mensis quarti.* Qui titulus pariter servatur in Sacramentario Gelasiano cardinalis Thomasii lib. I, num. 83, nec non in Gregoriano, quod ex duobus antiquis et purioribus mss. Muratorius edidit. Hinc sequentium etiam sermonum titulus (si *de Jejunio* olim inscripti credantur, et non potius *de Pentecoste*) hic videtur fuisse : *De Jejunio mensis quarti*, ut alii aliorum quatuor temporum sermones inscribuntur : *De Jejunio mensis septimi*, vel *decimi*. Sine ulla vero auctoritate codicum nihil immutare voluimus.

[f] « Vel hæc Leonis verba, inquit in annotatione Quesnellus, transcripsit Ecclesia in collecta quæ primo Quadragesimæ sabbato legitur, vel jam tunc in usu erat illa collecta in officiis ecclesiasticis, unde hæc verba mutuatus sit auctor noster. Ex alterutro colligitur vel quo in pretio sit S. Leo in Ecclesia, vel quam antiquæ sint collectæ quibus hodie utitur Ecclesia in divinis Officiis. » Verius S. Leo nonnullarum orationum quæ leguntur in divinis officiis auctor fuit, ut patet ex antiquissimo Sacramentario superius memorato; quod si non est omnino S. Leonis, non pauca tamen continere videtur a Leone lucubrata et in usu sacrorum officiorum recepta, ut in admonitione ad idem Sacramentarium tomo II ostendetur. Inter hæc est oratio quæ nunc legitur in primo Quadragesimæ sabbato; at in eo Sacramentario ponitur : *In Jejunio mensis quarti*, id est in jejunio Pentecostes, ad quod hic quoque sermo pertinet. Oratio autem in eodem Sacramentario est hæc : *Adesto, Domine, supplicibus tuis, ut hoc solemne jejunium, quod animis corporibusque curandis salubriter institutum est, devoto servitio celebremus.*

[g] Editi, *quippe;* sed melius ex Lectionario Veronensi, *quidem*, ut subsequens contextus ostendit.

[h] In laudato Sacramentario, in alia missa *in Jejunio mensis quarti* alia oratio ex his verbis derivata cognoscitur : *Concede nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare jejuniis, ut contra spiritales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis.* Hæc eadem oratio in Gelasianum card. Thomasii codicem traducta legitur lib. I, num. 83. Mox, *sanctis inchoavere jejuniis*, quod cum recitata oratione magis convenit, scripsimus ex ms. Lectionario Veronensi, pro eo quod legebatur in editis, *sanctis jejuniis inchoarunt.*

[i] Mss. collect. 3 et 5 atque editiones ante Quesn., *raperent.* Ms. collect. 4, *reciperent.*

Digitized by Google

mis atque inefficax erit, si nihil in nobis unde contra nos pugnet invenerit. Quis autem hac fragili carne circumdatus, et in isto mortis corpore constitutus, etiam qui multum [a] valideque profecerit, ita jam de sua salute securus sit, ut [b] ab omnium se illecebrarum periculo credat alienum? Donet licet sanctis suis quotidianam gratia divina victoriam, non aufert tamen dimicandi materiam : quia et hoc ipsum de misericordia protegentis est, qui naturæ mutabili, **315** ne de confecto prælio superbiret, semper voluit superesse quod vinceret.

Cap. III. — Igitur [c] post sanctæ lætitiæ dies, quos in honorem Domini a mortuis resurgentis, ac deinde in cœlos ascendentis, exegimus, postque perceptum sancti Spiritus donum, [d] salubriter et necessarie consuetudo est ordinata jejunii : ut si quid forte inter ipsa festivitatum gaudia negligens libertas et licentia inordinata præsumpsit, hoc religiosæ abstinentiæ censura castiget : quæ ob hoc quoque studiosius exsequenda est, ut illa in nobis quæ hac die Ecclesiæ divinitus sunt collata permaneant. Templum enim facti Spiritus sancti, et majore quam umquam copia divini fluminis irrigati, nullis debemus concupiscentiis vinci, nullis vitiis possideri, ut virtutis habitaculum nulla sit contaminatione pollutum.

Cap. IV. — Quod utique regente atque adjuvante Domino omnibus obtinere possibile est, si per jejunii purificationem, ac [e] per misericordiæ largitatem studeamus et peccatorum sordibus liberari, et charitatis fructibus esse fecundi. Quidquid enim in cibos pauperum, in curationes debilium, in pretia captivorum, [f] et in quælibet opera pietatis impenditur, non minuitur, sed augetur, nec umquam apud Deum perire poterit quod fidelis benignitas erogarit, dum quodcumque tribuit [g] ad subsidium, id sibi recondit ad præmium. *Beati* enim *misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus* (*Matth.* v, 7); neque delictorum memoria erit ubi **316** testimonium pietatis affuerit. Quarta igitur et sexta feria jejunemus; sabbato autem apud beatissimum Petrum apostolum vigilias celebremus, cujus nos orationibus et a spiritalibus inimicis et [h] a corporeis hostibus confidimus liberari. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXIX [*Al.* LXXVII].

[i] *De Jejunio Pentecostes II.*

Synopsis. — I. *Jejunium Pentecostes, de traditione apostolica et institutione Spiritus sancti.* — II. *Quod discrimen inter fidelium jejunia et jejunia infidelium.* — III. *Quale jejunium, quod non a Spiritu sancto procedit, et ex quo gloria quæritur humana.* — IV. *Ad Deum referendum esse jejunium, quia omnium desideriorum et operum bonorum auctor est.*

Cap. I. — Dubitandum non est, dilectissimi, omnem observantiam [j] Christianam eruditionis esse divinæ, et quidquid ab Ecclesia [k] in consuetudinem est devotionis receptum, [l] de traditione apostolica Quatuor-Temporum, de quo hic agitur, cum hoc jejunium non semper universa Ecclesia servaverit. Sed quod in Romana Ecclesia antiqua observantia custodiebatur, apostolicæ institutioni tribuendum communi locutione ac sensu inolevisse videtur; ac propterea S. Hieronymus in ep. 71, ad Lucinium, n. 6, licet de observantiis quarumdam Ecclesiarum peculiaribus loqueretur, non dubitavit scribere : *Unaquæque provincia abundet in suo sensu, et præcepta majorum leges apostolicas arbitretur.* Observavimus præterea Leonem frequenter jejunia et alia Christianæ pietatis opera apostolicæ institutioni idcirco tribuere, quod jejunium et alias ejusdem generis observantias apostolica doctrina commendaverit, licet hæc vel illa peculiaris jejunii aut alterius pii operis determinatio ab apostolis profecta non fuerit, sed ex apostolica eruditione a Patribus seu majoribus fuerit instituta. Ita collectas quasdam Romanæ Ecclesiæ proprias, quas *prudenter a Patribus et utiliter* ordinatas agnoscit serm. 4 de Collectis, c. 3, apostolicæ institutioni nihilominus tribuit : quia, inquit serm. 3, *beatissimi discipuli veritatis* (id est apostoli) *hoc divinitus inspirata commendavere doctrina, ut quoties cæcitas paganorum superstitionibus suis esset intentior, tunc præcipue populus Dei orationibus et operibus pietatis instaret :* occasione autem paganicæ superstitionis eas collectas a Patribus institutas tradit. Similiter jejunium quatuor temporum mensis decimi *a Patribus sancitum* expresse docet S. Pontifex serm. 16, cap. 2, inquiens : *Sancti Patres nostri divinitus inspirati decimi mensis sanxere jejunium;* cum quibus non aliter conciliari potest apostolica traditio seu institutio, cui idem jejunium passim ab eodem ascribitur, nisi quia, ut ait serm. 81, cap. 1, *inter omnia apostolicæ instituta doctrinæ, quæ ex divinæ eruditionis fonte manarunt, dubium non est .... hanc primum ab eis observantiam fuisse conceptam, ut sancti observatione jejunii omnium virtutum regulas inchoarent.*

[a] Cod. Veronen. et Vat. collect. 5, *valdeque.*

[b] Ita ex nostris codd. Al., *ab omni.*

[c] Eadem habet præfatio missæ laudatæ annotatione 2 in Sacramentario Veronensi : *Vere dignum. Post illos enim sanctæ lætitiæ dies, quos in honorem Domini a mortuis resurgentis, et in cœlos ascendentis exegimus; postque perceptum sancti Spiritus donum, necessario nobis hæc jejunia sancta provisa sunt; ut pura conversatione viventibus, quæ divinitus Ecclesiæ collata sunt, permaneant. Per.* Tanta hujus missæ cum hoc sermone concordia eumdem auctorem demonstrare videtur. Hæc autem præfatio etiam in Gelasiano Sacramentario legitur.

[d] Ms. Veron., *salubriter necessaria.*

[e] Cod. Bon. et prima editio, *per misericordiæ opera.*

[f] Conjunctionem *et* a Rainaudo et Quesnello omissam, ex anterioribus editionibus et nostris codd. revocavimus.

[g] Codex Veron. omittit, *ad subsidium;* et post pauca habet, *Quoniam ipsis miserebitur Deus.*

[h] Prima editio, *a corporalibus;* et dein hanc sermonis clausulam præfert : *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

[i] In mss. libris collect. 3, qui superiorem sermonem inscripserunt : *De Pentecoste sermo IV*, huic titulus præfigitur : *De Jejunio Pentecostes sermo I*, et ita etiam in tabula primæ editionis.

[j] Adjectivum *Christianam* præteriit Quesnelli editio : revocavimus ex cæteris editionibus, quibus omnes nostri codices, uno excepto, favent.

[k] Lectionar. Bergomen., *consuetudine.*

[l] Hæc conformia videntur Augustini doctrinæ lib. IV de Baptismo cap. 24 : *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Displicet tamen nonnullis quod hanc apostolicæ traditionis prærogativam Auctor tribuerit etiam jejunio

Digitized by Google

et de sancti Spiritus prodire doctrina; qui nunc 317 A quoque cordibus fidelium suis præsidet institutis, ut ea omnes et obedienter custodiant et sapienter intelligant. Nam cum in die Pentecostes, quem a Pascha Domini quinquagesimum celebramus, promissus a Domino Spiritus sanctus exspectantium mentes majore quam... umquam copia et clariore præsentia suæ majestatis impleverit, manifestissime patet inter cætera Dei munera, jejuniorum quoque gratiam, quæ hodiernam festivitatem indivisa subsequitur, tunc fuisse donatam : ut sicut fuit concupiscentia initium peccatorum, ita sit continentia origo virtutum.

Cap. II. — In exercendo autem hoc Dei munere, non ideo segniores esse debemus, quia et Judæi et hæretici sæpe ab edendi libertate se continent, et apud ipsos paganos sunt quædam [a] vana jejunia. B Aliud enim agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides sanctificat etiam manducantem; apud illos [b] infidelitas polluit jejunantem. Unde quia extra Ecclesiam catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo : *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV, 23) : cum divisis ab unitate corporis Christi nulla similitudine comparamur, nulla communione miscemur : quod utique nobis saluberrimum maximumque jejunium est. Ad virtutem enim continentiæ nihil prius pertinet quam ab erroribus abstinere, quia tunc demum bene ambulatur, cum per viam veritatis incedit ur. Nam quia angusta et ardua declinantes, proclivia et lata sectando, cito in perditionem deveniunt, MELIOR est gradus lentior per iter rectum, quam velocitas C festina per devium.

Cap. III. — Agnoscat ergo catholicus Christianus [c] fructus jejunii sui, quod etiam inter maximas largitates sterilissimum erit, nisi de sancti Spiritus rigatione processerit. Cum enim dicat Apostolus nullas sibi virtutes sine charitate prodesse (I *Cor.* XIII, 1), idemque dicat charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V, 5) : cavendum est ne bona quæ facere sine bonitate non possumus, elatione perdamus. NAM OMNI se merito laude dispoliat qui 318 de studiis industriæ suæ in se magis quam in Domino gloriatur (I *Cor.* I, 31; II *Cor.* X, 17; *Jer.* IX, 23) : cum beatus David doceat in sanctorum operibus Deum esse laudandum, dicens : *Mirabilis Deus in* D *sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ* (*Ps.* LXVII, 36); et iterum : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum es tu* (*Ps.* LXXXVIII, 17).

Cap. IV. — Et ideo, dilectissimi, secundum eruditionem Spiritus sancti, per quem Ecclesiæ Dei omnium virtutum collata sunt dona, suscipiamus alacri fide solemne jejunium : [d] et in mandatis, quæ poterimus efficere, contineamus nos ab inflatione jactantiæ, ad Dei gloriam cuncta referentes, qui et bonarum est inspirator voluntatum, et bonarum est auctor actionum, dicente Domino : *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et magnificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16) : qui vivit et regnat [e] per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXX [*Al.* LXXVIII].

[f] *De Jejunio Pentecostes III.*

Synopsis. — *Ita jejunandum esse, ut quod subtrahitur mensis, impendatur charitati, quæ jejunio præcellit.*

Sanctarum solemnitatum, dilectissimi, ordine celebrato et spiritalis lætitiæ devotione completa, oportet nos ad salubritatem recurrere parcitatis, remediumque jejunii et exercendis mentibus et castigandis adhibere corporibus : ut quia nos satis de hoc et divina monita et propria experimenta docuerunt, primum per sacratissimorum dierum [g] recursum divinæ pietati gratias referamus, tum sanctas continentiæ delicias appetentes, aliquantulum nobis de terrenorum ciborum abundantia subtrahamus : 319 [h] ita ut proficiat eleemosynis quod non impenditur mensis. Tunc enim demum ad animæ curationem proficit medicina jejunii, cum abstinentia jejunantis esuriem reficit indigentis. Quia ergo scimus apud misericordem Deum jejuniis præcellere eleemosynæ largitatem, dicente ipso Domino : *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41): si animas nostras a peccatorum sordibus cupimus emundari, eleemosynam pauperibus non negemus, ut in die retributionis ad promerendam Dei misericordiam, misericordiæ operibus adjuvemur, per Christum Dominum nostrum. Amen.

SERMO LXXXI [*Al.* LXXIX].

De Jejunio Pentecostes IV.

Synopsis.—I. *Peccati causam fuisse gulam, ideo abstinen-*

[a] Prima editio et cod. Bon., *nova*, male. Indicantur autem jejunia a paganis facta ob vanam gloriam, quæ idcirco *sub falsitate deceptioni* mox deputantur. Ita etiam Pharisæorum jejunia, quæ Auctor serm. 89, cap. 1, *otiosa* appellavit, ad humanam laudem captandam relata commemorat serm. 91, cap. 2. Mox tres nostri codices, *Aliud autem agit.*

[b] Hujus loci sententia in observationibus illustrabitur.

[c] Quesnellus, Rainaudi editionem secutus, *sanctitatem jejunii sui.* Anteriorum editionum et nostrorum codicum lectionem prætulimus, cum præsertim nomen *fructus* adjectivo *sterilissimum*, quod subjicitur, omnino congruat.

[d] Cod. Bon. et prima editio, *ut in mandatis.* Mox, *potuerimus*, pro *poterimus* in ms. Vat. collect. 5.

[e] Quidam codd. addunt, *cum Filio et Spiritu sancto.*

[f] Duos antecedentes sermones in festivitate Pentecostes habitos liquet : nam primus, *Hodiernam festivitatem descensioni sancti Spiritus consecratam* initio memorat, et secundus cap. 1, *festivitatem hodiernam* item appellat, quam *jejuniorum gratia indivisa subsequitur.* At hunc tertium sermonem ipso jejuniorum die habitum indicare videntur illa quibus initio *sanctarum solemnitatum ordinem celebratum, et spiritualis lætitiæ devotionem completam* tradit.

[g] Ita ex editis ante Quesn., apud quem, *decursum.*

[h] Vulgati ante Quesn., excepta prima editione, *ita proficiat.*

Digitized by Google

tia esse conterendum.—II. *Tanto magis sapere interiorem hominem, quanto magis exterior a sensuum illecebris se continet.* — III. *Post indulgentiæ tempora, ad jejunia recurrendum, ut negligentia vel castigetur, vel non obreput.* — IV. *Per jejunium et bona opera mundari hominem a peccatis.*

CAP. I. — Inter omnia, dilectissimi, apostolicæ institutа doctrinæ, quæ ex divinæ [a] eruditionis fonte manarunt, dubium non est, influente in Ecclesiæ principes Spiritu sancto, hanc primum ab eis observantiam fuisse conceptam, ut sancti observatione jejunii, omnium virtutum regulas inchoarent : quia multum ad præcepta Dei [b] exsequenda prodesset, si Christiana militia contra incentiva omnia vitiorum continentiæ se sanctificatione muniret. Cum enim per illecebram cibi irrepserit prima causa peccati, quo salubriore Dei munere utitur redempta libertas, quam ut noverit abstinere concessis, quæ frenare se nescivit a vetitis? *Omnis quidem creatura Dei bona est, et nihil est abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (1 *Tim.* IV, 4) ; sed non ad hoc creati sumus ut fœda et [c] impudenti aviditate omnes mundi copias expetamus, tamquam quod licet sumi non liceat prætermitti.

CAP. II. — Laudetur Deus, qui hominum usui tam **320** multa donavit; sed AGNOSCAT rationalis animus majores delicias menti datas esse quam carni. Et cum audit sibi per Spiritum sanctum dici : *Post concupiscentias tuas* [d] *non eas, et a voluntate tua avertere* (*Eccli.* XVIII, 30), intelligat sibi contra omnia quæ sensibus [e] corporeis blandiuntur, temperantiæ sectandam esse virtutem, per quam, dum exterioris hominis voluptas minuitur, sapientia interioris augetur. Non enim idem vigor cordis est sub onere cibi, qui sub levitate jejunii; nec eumdem sensum potest satietas generare quem parcitas. QUIA CUM caro concupiscens adversus spiritum spiritali cupiditate superatur (*Galat.* V, 17), libera obtinetur sanitas et sana libertas : ut et caro mentis judicio et mens Dei regatur auxilio.

CAP. III. — Ad hanc ergo utilitatem nos, dilectissimi, præsens tempus invitat, ut a resurrectione Domini usque ad adventum Spiritus sancti quinquaginta diebus emensis, quos in lætitia præcipuæ festivitatis exegimus, ad jejuniorum remedia [f] recurramus : ne forte per occasionem licentiæ blandioris aliquas negligentiæ culpas delectabilium usus inciderit. Terra enim carnis nostræ, nisi assiduis fuerit subacta culturis, cito de segni otio spinas tribulosque producit, et partu degeneri dabit fructum non hor-

[a] Ita cum Quesnello nostri codices, et similiter serm. 79, cap. 1 : *Dubitandum non est omnem observantiam Christianam eruditionis esse divinæ.* Cæteræ editiones, *institutionis.*

[b] Prima edi io, *exigienda.*

[c] Duo codd. Vatt., *imprudenti.*

[d] Iidem duo mss., *ne eas* ; et dein, pro *avertere*, unus ex iisdem collect. 5 et prima editio collect. 3 habent, *retare.*

[e] In iisdem codd., *corporis.*

[f] Prima editio et codex Bon., *concurramus.*

[g] Verbum *est* ex nostris mss. adjecimus.

A reis inferendum, sed ignibus concremandum, dicente Domino : *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis eradicabitur* (*Matth.* V, 13). Custodienda igitur nobis [g] est omnium germinum seminumque generositas, quam ex summi Agricolæ plantatione concepimus, et vigili sollicitudine providendum ne Dei munera aliqua invidentis inimici fraude violentur, et in paradiso virtutum concrescat silva vitiorum.

CAP. IV. — Ad declinandum autem hoc malum, nihil est potentius eleemosynis atque jejuniis, dum et carnales cupiditates continentia necat, et desideriorum spiritalium fructus misericordiæ [h] cura multiplicat. Unde charitatem vestram solemniter admonemus ut per castigationem corporis et per opera B pietatis [i] mundari ab omnium peccatorum sorde cupientes, quarta et sexta feria jejunemus ; sabbato autem apud beatissimum Petrum apostolum vigilias celebremus : cujus meritis et orationibus ita nos per omnia credimus adjuvandos, ut misericordia Dei et jejuniis nostris adsit et votis, per Christum Dominum nostrum. Amen.

321 SERMO LXXXII [*Al.* LXXX].

In Natali apostolorum Petri et Pauli.

SYNOPSIS. — I. *Quantum Romæ gloria per religionem, apostolorum ministerio, creverit.* — II. *Quomodo Romanum imperium Christi imperio servierit.* — III. *Cur Romæ primatus Ecclesiæ sedes constituta sit?* — IV. *Quanta Petri fortitudo et charitas Romam ingredientis.* — V. *Qui Petri labores, antequam Romam veniret.* — VI. *Petrum et Paulum Petro consociatum, duo præclara divini seminis esse germina.* — VII. *In horum festo quantum lætandum.*

CAP. I. — Omnium quidem sanctorum solemnitatum, dilectissimi, totus mundus est particeps, et unius fidei pietas exigit ut quidquid pro salute universorum gestum [j] recolitur, communibus ubique gaudiis celebretur. Verumtamen hodierna festivitas, præter illam reverentiam quam toto terrarum orbe promeruit, speciali et propria nostræ urbis exsultatione veneranda est : ut ubi præcipuorum apostolorum glorificatus est exitus, ibi [k] in die martyrii eorum sit lætitiæ principatus. Isti enim sunt viri per quos tibi Evangelium Christi, Roma, resplenduit ; et quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis. Isti sunt [l] sancti patres tui verique pastores, qui te regnis cœlestibus inserendam multo melius multoque felicius condiderunt, quam illi quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt : ex quibus is qui tibi nomen dedit fraterna te cæde fœdavit. Isti sunt qui te ad hanc gloriam provexerunt,

[h] Sic nostri codices et omnes editiones, excepta Quesnelliana, in qua, nullo indicato codice, *cultura.*

[i] Prima editio, *mundari ab omnium peccatorum sorde curemus. Quarta igitur et sexta feria*, etc.

[j] Lectionarius codex Veron. S. Firmi Majoris, *recolimus.*

[k] His verbis Quesnellus longam annotationem subjecit, quam non inutili, ut speramus, disquisitione illustratam inter observationes invenies.

[l] Vox *sancti* addita ex aut quissimo Vat. 3835, ex fundato Veron. et ex Homil. Pauli Diac.

Digitized by Google

322 ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati [a] Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione divina quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis jus imperii tui terra marique protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit quam quod pax Christiana subjecit.

CAP. II. — Deus namque bonus, et justus, et omnipotens, qui misericordiam suam humano generi numquam negavit, [b] omnesque in commune mortales ad cognitionem sui abundantissimis semper beneficiis erudivit, voluntariam errantium cæcitatem et proclivem in deteriora nequitiam secretiori consilio et altiori pietate miseratus est, mittendo Verbum suum æquale sibi atque coæternum. [c] Quod caro factum ita divinam naturam naturæ univit humanæ, ut illius ad infima inclinatio, nostra fieret ad summa provectio. Ut autem hujus inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum regnum divina providentia præparavit; cujus ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum undique gentium vicina et [d] contigua esset universitas. Disposito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confœderarentur imperio, et cito pervios haberet populos [e] prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. Hæc autem civitas ignorans suæ provectionis auctorem, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, et magnam sibi videbatur [f] suscepisse religionem, quia nullam respuerat falsitatem. Unde [g] quantum erat per diabolum tenacius illigata, tantum per Christum est mirabillus absoluta.

CAP. III. — Nam cum duodecim apostoli, accepta per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, beatissimus Petrus princeps apostolici **323** ordinis, [h] ad arcem Romani destinatur imperii: ut lux veritatis quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cujus autem nationis homines in hac tunc urbe non essent? aut quæ usquam gentes ignorarent quod Roma didicisset? Hic [i] conculcandæ philosophiæ opiniones, hic dissolvendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandus dæmonum cultus, hic omnium [j] sacrificiorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum quidquid usquam fuerat variis erroribus institutum.

CAP. IV. — Ad hanc ergo urbem tu, beatissime Petre apostole, venire non metuis, et [k] consorte gloriæ tuæ Paulo apostolo aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, silvam istam fremientium bestiarum et turbulentissimæ profunditatis oceanum, constantior quam cum supra mare gradereris, ingrederis (*Matth.* XIV, 30). Nec mundi dominam **324** times Romam, qui in Caiphæ domo expaveras sacerdotis ancillam (*Matth.* XXVI, 70). Numquid aut judicio Pilati, aut sævitia Judæorum minor erat vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris; [l] nec æstimabas pavendos quos susceperas

[a] Hic observandum est quod licet sanctos Petrum et Paulum *patres et veros pastores* Romanæ urbis Leo dixerit paulo ante, *sedem* tamen episcopalem uni Petro tribuit, ac per eam *caput orbis* Romam *effectam* tradit, cujus sedis causa toti orbi *præsidet*, adeo ut exinde *latius præsideat religione divina, quam dominatione terrena.* Quibus concinunt illa Prosperi in carmine de Ingratis:

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honore
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Religione tenet.

Similia leguntur apud auctorem de Vocat. omnium gentium, lib. II, cap. 16. Hinc autem primatus dignitas atque auctoritas, quæ in totum orbem, etiam extra Romani imperii fines protenditur, ab imperiali urbe, cui episcopatus Petri fuit affixus, originem habere non potuit, ut quidam heterodoxorum somniarunt.

[b] Antiquissimus Vaticanus codex idemque Romanus post verbum, *negavit*, hæc addit: *nobis etiam beatos apostolos et martyres in hac urbe pro custodia collocavit*; quæ forte verba uti Romanæ urbis propria, in aliis mss. Lectionariis ad aliarum Ecclesiarum usum pertinentibus et exinde in collectionibus omissa fuerunt.

[c] Edit. ante Quesn. cum mss. collect. 3 et 5, *Verbum igitur caro factum*. Emendationem Quesnelli approbant nostra Lectionaria aliique aliarum collectionum codices.

[d] Cod. Bon. et prima editio, *continua*.

[e] Vetustiss. Vat., *prædicatio regenerationis, quos*.

[f] Sic ex antiquissimo Vat. ex cod. Veron. et Paulo Diac. Al., *assumpsisse*. Mox ex iisdem mss. nec non ex aliis duobus collect. 4 et 5, *respuerat*, ubi prima editio habet, *respueret*, cæteræ edit., *respuebat*.

[g] Duo mss. Vat. et prima editio, *quanto*, et dein, *tanto*. Postea pro, *mirabilius*, in antiquissimo Vat., *misericordius*.

[h] Ex Sacramentario Romano omnium antiquissimo, quod tomo II dabitur, patet quasdam hujus sermonis sententias, ac etiam verba aliquot peculiaria fuisse traducta in præfationem diei natalis SS. Petri et Pauli num. 10, ut conferenti patebit.

[i] Ita reposuimus non tam ex editis ante Quesn. quam ex sex nostris codicibus. Equidem participium *conculcandæ* exigere videntur reliqua simili participio elata, *dissolvendæ*, *confutandus*, *destruenda*. Quesnellus ex tribus suis codd. supposuit, *colluctantes*, pro quo melius et cohærentius in antiquissimo Vat., *colluctandæ*.

[j] Vulgati ante Quesn., *sacrilegiorum* cum antiquiss. Vat. et mss. collect. 3 et 4. At in margine notant, *sacrificiorum*. Hanc vocem Quesnellus ex quatuor suis codd. textui inseruit; nec expunximus, quia eam invenimus in Lection. Veron., in codd. collect. 5 et in exemplari Pauli Diac. Paulo post, *variis erroribus*, pro *vanis erroribus*, magis placuit ex tribus optimis Lectionariis.

[k] In Homil. Pauli Diac., *ut cum consorte gloriæ tuæ Paulo.... constantior quam supra mare gradiens, ingredereris*. Id tamen nullis aliis mss. fulcitur, ac præterea opponitur Leonis sententiæ, qui Paulum *aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupatum* tradens, Petrum cum eo Romam ingressum affirmare non potuit. Adde quod hoc capite indicat Petrum Romæ fuisse sub Claudio, et cap. 6 eidem *consociatum* tradit Paulum *sub Neronis imperio*. Hæc quoque sumpta videntur ex Chronico Prosperi, quo Leonem usum ostendemus in observat. ad serm. 77.

[l] Vulgati cum Lectionario Veron. et mss. posteriorum collectionum: *Nec æstimabas terrori cedendos*

Digitized by Google

diligéndos. Hùnc autem intrepidæ charitatis affectum jam tunc profecto conceperas quando professio tui *amoris* in Dominum trinæ interrogationis est solidata mysterio (*Joan.* XXI, 15-17). Nec aliud ab hac mentis tuæ intentione quæsitum est, quam ut pascendis ejus [a] quem diligeres, ovibus, cibum, quo ipse eras opimatus, impenderes.

CAP. V. — Augebant quoque fiduciam tuam tot signa miraculorum, tot dona charismatum, [b] tot experimenta virtutum. Jam populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras; jam Antiochenam Ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est orta (*Act.* XI, 26), fundaveras; jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, [c] Asiam atque Bithyniam legibus **325** evangelicæ prædicationis [d] imbueras; nec aut dubius [e] de proventu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, tropæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te divinis præordinationibus anteibant et honor potestatis, et gloria passionis.

CAP. VI. — Ad quam beatus coapostolus tuus, vas electionis (*Act.* IX, 15), et specialis magister gentium Paulus occurrens, [f] eo tibi consociatus est tempore, quo jam omnis innocentia, omnis pudor, omnisque libertas sub Neronis laborabat imperio. Cujus furor per omnium vitiorum inflammatus [g] excessum, in hunc eum usque torrentem suæ præcipitavit insaniæ, ut primus nomini Christiano atrocitatem generalis persecutionis inferret, quasi per sanctorum neces gratia Dei posset exstingui: [h] quibus hoc ipsum erat maximum lucrum, ut contemptus vitæ hujus occiduæ, perceptio fieret felicitatis æternæ. *Pretiosa* [i] est ergo *in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Ps.* CXV, 15); nec ullo crudelitatis genere destrui potest sacramento crucis Christi fundata religio. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; et semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, **326** dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Unde duo ista præclara divini seminis germina in quantam sobolem [j] pullularint, beatorum millia martyrum protestantur; quæ apostolicorum æmula triumphorum, urbem nostram purpuratis et longe lateque rutilantibus populis ambierunt, et quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronarunt.

dum, dum horum saluti consulis, quos susceperas diligendos. Quesnellus hanc lectionem secutus, perinde ac Latinus Latinius, conjecit pro *diligendos* forte melius legendum, *dirigendos* : sed « vel litterulam, inquit, sine ms. cod. auctoritate immutare religio fuit; » et addit : « Canisii et Surii editio et ms. Victorin. (et duo nostri Vatt. ejusdem collect. 5) habent *ducendos;* » quod et ad vulgatarum editionum marginem appositum est. Omnem difficultatem sustulit lectio textui a nobis inserta auctoritate antiquiss. Vat. et trium Lection. Vallicell., quæ etiam cum antecedentibus *formidinis* et *amoris* probe cohæret. Mox *ardorem* loco *affectum* in antiquissimo Vat.

[a] In eodem Vat., *quem diligis*.

[b] *Tot* pro *atque*, quod erat in editis, scripsimus ex antiquiss. Vat. cum Leoninæ syntaxi melius congruat.

[c] Hæc vox *Asiam* desideratur in codd. mss. Thuanæo, Corbeiensi, Oxoniensi et Sammagloriano. Unde merito additam esse suspicamur, translatamque huc ex initio Epistolæ primæ beati Petri apostoli; ubi quatuor illis provinciis hic enumeratis adjungitur Asia, vel ex Hieronymi libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Petro, unde hæc mutuatus esse videtur Leo noster. Quidquid sit de aliis, potuit hæc ejus esse sententia ex Ecclesiæ forsitan Romanæ traditione hausta, Evangelium Asianis a Petro non fuisse prædicatum. Et revera Paulo apostolo debere videntur Asianæ Ecclesiæ fidei suæ semina, cum ex una parte de seipso hoc testetur Apostolus : *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem; sed sicut scriptum est : Quibus non est annuntiatum de eo videbunt, et qui non audierunt intelligent. Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc.* Ex altera vero parte testis est S. Irenæus lib. III, cap. 3, ab illo gentium magistro fundatam esse Ephesi Ecclesiam totius provinciæ præcipuam, a Joanne postmodum curatam. Plurimas certe ibidem Ecclesias fundatas esse ab eodem apostolo facile persuadent ea quæ a S. Luca in Actis apostolorum referuntur, de peragratis a Paulo diversis Asiæ provinciis, de triennali ejusdem illic mora et prædicatione. Libet hic Gregorii Magni locum adducere ex Homil. 17 in Evang. : *In illo*, inquit, *tanto examine . . . unusquisque quid sit operatus, ostendetur. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam. Ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui judicis conversam ducet*, etc. QUESNELLUS. Sed ad vindicandam lectionem vocis *Asiam* quatuor codd. a Quesnello laudatis opponimus non solum omnes codices quinque collectionum, verum etiam quatuor mss. Lectionaria, tria Vallicell. et antiquissimum Vat., quod cum sit certo Romanum, maximi habendum est. Non diffitemur tamen in exemplo Pauli Diac. et in Lection. Veron. eam vocem deesse.

[d] Sic melius ex laudato antiquis. Vat. et duobus Vallicell. Al., *impleveras*. Id autem ne referamus ad Epistolas quas Petrus in memoratas provincias misit, illud suadet quod S. pontifex hic ex contextu loquatur de rebus quæ præcesserunt adventum ejus Romam sub Claudio; cum præsertim tum non distingueretur duplex Petri adventus in Urbem, ut ex Prosperi Chronico, quo Romani ejus ætatis utebantur, colligere licet. Prima autem Petri Epistola in eas provincias missa Romæ scripta fuit, cum jam antea ille saltem transiens iisdem provinciis Evangelium prædicasset; alias nihil erat cur ad has potius quam ad alias provincias scriberet. Hinc evanescit ea Quesnelli conjectatio ad excludendum ab hoc sermone nomen *Asiæ*, nimirum Leonem potuisse sentire *Evangelium Asianis a Petro non fuisse prædicatum*.

[e] Ita ex pluribus et potioribus nostris codd. necnon ex Homil. Pauli diac. Al. in vulgatis, *provectu*. Mox Petrus *de spatio suæ ætatis* non ignarus dici potuit : sive quia Christus, Joannis XXI, 19, prædixerat eum ad senectutem perventurum : *Cum senior fueris*; sive quia Petrus Ep. II, c. I, v. 14, scripsit : *Certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster significavit mihi*.

[f] Hæc lectio præferenda fuit auctoritate antiquis. Vat. Al., *eodem*.

[g] Al., *excessus*.

[h] Aptior contextui vox, *quibus*, quæ habetur in prima editione et duobus mss. Vat., quam in vulg., *cujus*.

[i] Verbum *est* addidimus ex antiquissimo Vat. ms. Veron. et Homil. Pauli Diac. ac prima editione.

[j] Sic cum Quesn. et prima editione præcipui nostri codices. Al., *germinarint*. Paulo post editiones ante Quesn. et aliqui mss., *qui apostolicorum æmuli triumphorum*; æque bene.

Digitized by Google

CAP. VII.—[a] De quo præsidio, dilectissimi, divinitus nobis ad exemplum patientiæ et confirmationem fidei præparato, universaliter quidem in omnium sanctorum commemoratione lætandum est, sed in horum excellentia patrum merito est [b] exsultantius gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus (*Ephes.* I, 22), quasi geminam [c] constituerit lumen oculorum. De quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum: quia illos [d] et electio pares, et labor similes, et finis fecit æquales [e]. Sicut autem et nos experti sumus, 827 et nostri probavere majores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos: ut quantum propriis 828 peccatis deprimimur, tantum apostolicis meritis erigamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est cum Patre et sancto Spiritu eadem potestas, una Divinitas in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Eædem editiones cum cod. Veron. et mss. collect. 3 et 5: *De quorum præsidio.*

[b] Ita cum Quesnello nostri codd. Cæteræ editiones, *excellentius.*

[c] Quesnellus ex quinque suis mss. posuit, *construeret.* Nulli nostri codices, nullæ editiones id præferunt; sed vel *constituerit*, vel *constitueret.* Primum prætulimus ex aliquot nostris potioris notæ codicibus, ac præsertim ex antiquiss. Vat.

[d] Voces, *et electio pares*, desunt in antiquiss. Vat. Intelligitur autem electio ad apostolatum, quo pares fuerunt Petrus et Paulus, quia a Christo uterque apostolus electus fuit; quod primatui nihil præjudicat: nam, ut Leo tradidit serm. 4, cap. 2: *Unus Petrus eligitur, qui . . . omnibus apostolis . . . præponatur*; et ep. 10, cap. 1, de apostolatu loquens, ad quem omnes apostoli vocati fuerunt, *Hujus muneris sacramentum*, inquit, *ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocarit.* Dein vero *æquales* illos tradidit non potestate primatus, sed *fine*, id est morte seu martyrio. Hæc autem notanda fuere ob postillam Quesnellianæ editionis huic loco affixam: *Petrus et Paulus geminus oculus Ecclesiæ, alter alteri æqualis.* Ipse etiam Quesnellus in opere inscripto: *La discipline de l'Eglise*, tom. I, pag. 96, allatis illis Apostoli ad Cor. II, cap. XII: *Nihil minus fui ab iis qui sunt supra modum apostoli*, fatetur totam hanc æqualitatem respicere solum apostolatum, non vero primatum apostolatus: *En tout cela l'égalité ne regarde précisément que l'apostolat, non la primauté de l'apostolat*; et hunc quidem primatum non meri honoris, sed præcipuæ potestatis ac jurisdictionis primatum esse, ipsi etiam Galli theologi cum catholica Ecclesia fatentur; unde et Leo, paulo ante, cap. 5, non merum *honorem*, sed *honorem potestatis* ex *divinis prædordinationibus* Petro attributum agnovit.

[e] His verbis, *fecit æquales*, clauditur sermo iste in mss. Corb., Thuan. et Sammaglorieno, desideranturque subsequentia verba ad finem usque. Ex quibus conjiciat non nemo vel hæc addita esse pro usu alicujus Ecclesiæ, cujus *speciales patroni* erant, ut ibi legitur, apostoli Petrus et Paulus. Hoc enim usitatissimum esse non ignorant, qui evolvendis antiquis Lectionariis assuevere; vel, si Leonis sunt, hac parte minutum esse sermonem in codicibus ad illarum Ecclesiarum usum scriptis, quæ apostolos istos pro *specialibus patronis* non habebant. QUESNELLUS. Eadem subsequentia verba nos quoque deesse reperimus, non solum in Homil. Pauli Diaconi, verum etiam in mss. collect. 2, nec non in tribus Lectionariis Vallicell., in uno Veronens., ac præsertim in antiquissimo Vat., qui erat ad usum Romanæ basilicæ SS. Philippi et Jacobi. In hoc autem et in duobus Vallicell., post vocem, *æquales*, hæc clausula subjicitur: *Per Jesum Christum Dominum nostrum; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Soli codices trium collectionum posteriorum 3, 4 et 5 (quod videsimus) ea verba exhibent, quæ sicut Quesnellus non ausus est expungere, ita nec nos audemus, cum præsertim nihil repugnans contineant, nec stylus a Leonino discrepet.

ADMONITIO IN SERMONEM SEQUENTEM.

Monitum hoc loco in suis editionibus Quesnellus posuit, ut rationem afferret cur sequentem sermonem hinc subductum in appendicem rejecisset. Hæc sunt ejus verba: « Sequitur in omnibus quæ hucusque prodierant editionibus *Sermo* 2 *in Natali apostolorum Petri et Pauli*, cujus initium est: *Exsultemus in Domino*, etc., quem ideo a nostra removimus, quia exceptis exordio, quod Leonis proculdubio non est, et quinque circiter lineis, quæ desumptæ sunt ex sermone 2 (nunc 3) in Anniversario assumptionis, reliqua ex sermone 3 (nunc 4) in Anniversario ejusdem transcripta sunt. Locum tamen ei dabimus in appendiculo. In unico ms. cod. qui Regiæ Bibliothecæ est, inventus est a nobis hic sermo, quem ad usum alicujus Ecclesiæ particularis compactum esse inde manifestum est quod in ea exordii parte, ubi legimus: *Beatum Petrum hujus civitati dignatus est prærogare*, habetur in ms. Cod.: *Urbi Romæ dignatus est*, quæ mutatio indicat eum Romæ lectum non esse. » *Ita ille.*

Nos ad hæc aliquamdiu ancipites fuimus. Dein vero expendentes hunc sermonem Leoni constanter attribui non solum in omnibus mss. quatuor diversæ originis collectionum 1, 2, 3 *et* 4, *verum etiam in quampluribus optimæ notæ Lectionariis tum Vaticanis, tum externis, quotquot hoc cum sermone reperimus, ipsum cum Quesnello a Leone abjudicare ausi non sumus; ac proinde in eo loco quem in anterioribus editionibus obtinebat relinquendum putavimus. Id potissimum exigere visa est auctoritas præstantissimi Lectionarii Vat.* 3835, *quod certe Romanum, nihil non sincerum Leoni tribuit; et ante annos mille exaratum vetustiorem adhuc originem satis prodit ex peculiari annotatione in præfatione descripta num.* 6, *qua S. pontifex coæva ferme eidem formula, non sanctus, nec beatus, sed* dominus *appellatur. Hoc testimonium præ omnibus habendum. Etsi enim facile fuit errare in notandis aliarum Ecclesiarum auctoribus quoad sermones qui aliunde accipiebantur, non tamen facile inventus est erratum in nominibus auctorum propriæ Ecclesiæ, cum antiquiora et (ut in hoc codice accidit) vicina Leoni exemplaria exscriberentur. Tanto autem magis hujus Lectionarii auctoritas facienda est, quanto alia pars ejusdem Lectionarii signata num.* 3836 *Leoni suppositum detexit sermonem de Machabæis, quem non Leoni, ut in aliis codicibus, et exinde in omnibus vulgatis, sed Augustino tribuit; adeo in Leonis nomine inscribendo duo hæc antiquissima Romana Lectionaria accurata inveniuntur. Stylus quidem hujus sermonis plane Leoninus est; nec intelligimus quid in exordio Quesnellum offenderit, unde istud* Leonis proculdubio non esse *nulla ratione allata affirmaverit.*

Digitized by Google

Quod difficultatem non exiguam videtur facessere, illud unum est, excepto exordio sermonis, cætera transcripta deprehendi partim ex sermone tertio, partim ex quarto de Natali suo. At existimo Leoni fuisse suos repetere atque transcribere, ex Epistolis liquet. Nam in epist. 28, ad Flavianum, cap. 3 et 4, plures sententiæ leguntur quæ ad verbum sumptæ sunt ex serm. 21 et 22. In epist. 124, ad Palæstinos, septem capitula continentur quæ totidem verbis (paucis exceptis) inveniuntur in epist. 165, ad Leonem Augustum; et in duabus his epistolis longum occurrit textus sermonis 66, qui duo integra capita perficit. Duæ etiam epistolæ 30 et 31 non pauca repetita exhibent; epistola autem 43 nonnulla repetit ex epist. 1 et 2. Quis igitur miretur si idipsum in hoc sermone accidit? Quod si nihil ejusmodi in aliis qui prodierunt Leonis sermonibus deprehenditur, id eam habere videtur causam, quod recitata in una solemnitate non ita convenirent alteri, uti accommodari potuerunt Natali S. Petri quæ olim in Natali suo de Petri laudibus disseruerat. Satis in hoc fuit novum exordium festo S. Petri congruum concinnare; reliqua vero, quæ hinc et hinc ex serm. 3 ac 4 excerpta fuerunt, adeo apte et cohærenter connectuntur, ut eumdem auctorem ac magistrum præferant; nec quidquam incongruum ullibi recipiant, uti contigit in serm. 1 appendici inserendo, qui etsi ex variis Leonis fragmentis contextus, alicubi tamen consarcinatorem incautum manifestat, quemadmodum suo loco annotabimus. Quid quod nonnullos sermones quibusdam mutatis Leonem repetivisse probabiliter conjecimus anno. 15 in serm. 90, sicut et alios Patres aliquot id genus repetitiones usurpasse ex SS. Zenone et Ambrosio cognoscimus? Quidni igitur noster S. pontifex ex uno et altero sermone plura excerpens atque conjungens, novo præfixo exordio alius festivitatis proprio, novam quamdam formam ac novum sermonem effinxerit?

Parro verba Beatum Petrum huic civitati dignatus est prærogare, quæ in nostris codicibus retinentur, sermonem Romæ a pontifice habitum declarant; nec dubium est quin mutatio eorum in codice quem Quesnellus vidit tribuenda sit arbitrio librarii, qui pro alia Ecclesia particulari Lectionarium scribens, Petrum non suæ, sed Romanæ civitati præpositum indicare voluit.

329 SERMO LXXXIII [*Al.* LXXX].

[a] *In Natali S. Petri apostoli.*

Synopsis. — I. *Petri confessio et excellentia.* — II. *Quid ipsi Christus contulerit.* — III. *Pro ipsius fide oravit, et firmitatem fidei tribuit. Totius Ecclesiæ principem fecit.*

Cap. I. — Exsultemus in Domino, dilectissimi, et spiritali jucunditate lætemur: quia unigenitus Dei Patris Filius, Dominus noster Jesus Christus ad insinuanda nobis suæ dispensationis et Divinitatis mysteria, apostolici ordinis primum beatum Petrum huic civitati dignatus est prærogare, cujus hodierna solemnitas, recurrente triumpho martyrii, specimen et decus contulit orbi terrarum. [b] Hoc enim obtinuit, dilectissimi, illa confessio, quæ a Deo Patre inspirata apostolico cordi, [c] omnia humanarum opinionum incerta transcendit, et firmitatem 330 petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur, accepit. Evangelica siquidem [d] reserante historia, [e] omnes apostolos Dominus quid de se homines opinentur interrogat. [f] Et tamdiu sermo respondentium communis est, quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At ubi quid habeat discipulorum sensus exigitur, ille primus est in Domini confessione, qui primus est in apostolica dignitate. Qui cum dixisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, respondit ei Jesus: *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI, 16, 17); [g] id est, ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec opinio te terrena fefellit, sed inspiratio cœlestis instruxit; et non caro [h] nec A sanguis, sed ille me tibi, cujus sum unigenitus, indicavit. *Et ego*, inquit, *dico tibi*; hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit Divinitatem meam, ita ego notam tibi facio excellentiam tuam. *Quia tu es Petrus* (*Ephes.* II, 14); id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum (*Ibid.* 18); tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi 331 potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.

Cap. II. — *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Super hanc, inquit, fortitudinem æternum exstruam templum, et Ecclesiæ meæ cœlo inserendæ sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula B non ligabunt. Vox enim ista vox vitæ est, et sicut confessores suos in cœlestia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur [i] beatissimo Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum: et quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis, et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis.* Transivit quidem [j] etiam in apostolos alios jus istius potestatis, sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimetur. [k] Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium; nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi C nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod [l] beatus Petrus aut ligaverit aut solverit.

[a] Erat in editis, *In Nativitate sanctorum Petri et Pauli*; male, cum S. Paulus nec nominetur. Correximus ex vetustiss. Vat., qui sic habet: *Item sermo S. Leonis papæ in Natali S. Petri apostoli.*

[b] Eadem serm. 3, c. 3.

[c] Sic emendavimus ex eodem Vat., uti etiam habetur serm. 3, cap. 3, unde hæc a Leone sumpta fuerunt. Vulg., *omnium.*

[d] Editi, *referente.* Correximus ex laudato Vat., cui concinunt illa memorati sermonis cap. 2: *Sicut evangelica lectione reseratum est.*

[e] Hæc ex Serm. 4, c. 2 seqq.

[f] Hæc periodus usque ad verbum, *explicatur*, omittitur in prima editione, nec non in eodem Vat.

[g] Ex eodem codice adjecimus, *id est*, uti legitur pariter serm. 4, cap. 2.

[h] Particulam *nec* pro *et* vulgatorum, supposuimus ex tribus Vat., inter quos antiquissimus reperitur.

[i] Ita ex eodem antiquiss. codice, sicut etiam in serm. 4, cap. 3. Editi, *beato Petro Apostolo.*

[j] Particulam *etiam* inseruimus ex laudato ms. atque sermone.

[k] Sic ex iisdem cod. et serm. Editi, *Petro enim singulariter hoc creditur.*

[l] Vocem *beatus* omissam in editis addidimus ex iisdem cod. et serm.

Digitized by Google

CAP. III. — Instante autem passione sua Dominus, quæ discipulorum suorum erat turbatura constantiam, *Simon*, inquit, *Simon, ecce Satanas expostulavit ut vos cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te,* [a] *ne deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, ne intretis in tentationem* (*Luc.* XXII, 31, 32). Commune erat omnibus apostolis **332** periculum de tentatione formidinis, et divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro Petri fide proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur. [b] Nam et post resurrectionem suam Dominus beato Petro apostolo post regni claves, ad trinam æterni amoris professionem, mystica insinuatione ter dixit : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17) : quod et nunc proculdubio facit, et mandatum Domini pius pastor exsequitur, confirmans nos exhortationibus, et pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione superemur. Si autem hanc pietatis suæ curam [c] omni populo Dei, sicut credendum est, ubique prætendit, quanto magis nobis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro [d] beatæ dormitionis toro, eadem qua præsedit carne requiescit? Cum itaque, dilectissimi, tantum nobis videamus præsidium divinitus institutum, rationabiliter et juste in ducis nostri meritis et dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno Regi [e] Redemptori nostro Domino Jesu Christo, quod tantam potentiam dedit ei quem totius Ecclesiæ principem fecit, ad gloriam et laudem nominis sui : [f] cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Ita antiquissimus Vat. et cod. Casin. collect. 1. Editi, *ut non deficiat*. Mox in vulgatis erat, *ne intrent*. Correximus ex laudatis codd. et duobus aliis Vat., quibus concinit lectio serm. 4, cap. 3. Vide quæ de hac additione, quam nec in Græco textu, nec in Latino vulgato reperire est, ibidem animadvertimus annot. 22.

[b] In sequentibus alia omissa, alia transposita, alia mutuata ex serm. 4, c. 4.

[c] Ita in eodem antiquiss. Vat. et serm. laudato cap. 4. Editi omittunt, *omni*, et dein, *nobis;* ac pro, *prætendit*, habent, *protendit*.

[d] Vox *beatæ* adjecta ex memorato Vat. habetur similiter in laudato sermone.

[e] Secuti sumus lectionem vetustiss. Vat., conformem sermoni 4, cap. 3. Vulgati, *et Redemptori nostro Jesu Christo*.

[f] Hanc clausulam Leoni usitatam sumpsimus ex eodem codice. Vulg., *Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

ADMONITIO IN SERMONEM SEQUENTEM.

In titulum sequentis sermonis hanc prolixam annotationem Quesnellus apposuit : « Ad Attilanam cladem, quæ dicuntur in hoc sermone, referenda esse censet card. Baronius ad an. 452 et 455. De direptione Vandalica potius intelligenda esse nonnulla sermonis verba persuadent. Significat enim consuevisse populum, superioribus scilicet annis, confluere ad gratias Deo agendas, *ob diem castigationis et liberationis*. Dolet Romanos, *nec de correptione compungi, nec de remissione lætari*. Eisdem objicit vocem hanc propheticam : *Flagellasti eos, et non doluerunt; castigasti, et noluerunt accipere disciplinam*. Misericordiæ Dei imputat quod *corda furentium barbarorum mitigare dignatus est*. Quæ omnia magis vastitati Romanæ urbi a Vandalis illatæ convenire videntur, quam irruptioni Attilæ, a quo Urbs nihil damni passa est, barbaro, antequam illuc irrumperet, divinitus mitigato. Sed hæc clarius adhuc elucent ex his capitis 1 verbis : *Quis hanc urbem*, inquit, *reformavit saluti? quis a captivitate eruit? quis a cæde defendit?* Hæc, inquam, clare innuunt de Urbe a Vandalis occupata Leonis sermonem esse explicandum. Nemo enim saluti restituitur, nemo eruitur a captivitate, qui non in hostium fuerit potestate, et cujus salus in summum discrimen adducta non fuerit. Denique quod a cæde defensam commemorat civitatem, omnino congruit Miscellæ historiæ narrationi, quæ ita habet : « Gensericus continuo vacuam præsidio civitatem capit, et occursu Leonis papæ mitigatus, ab « incendio, cædibus atque suppliciis urbem immunem servavit. » Porro sermonem ipsum in octava apostolorum dictum fuisse a Leone nostro, solus titulus indicat; de cujus veritate propter penuriam codd. mss. inquirere non licuit : unicus enim Victorinus, isque admodum recens, adfuit nobis. Si sola Leonis verba attendas, unum clarum est, habitum esse sermonem hunc paulo post solemnitatem publicæ supplicationis ad S. Petrum indictæ in gratiarum actionem pro liberata Urbe ab exercitu hostili. Alio autem tempore quam qui vel festo, vel octavæ apostolorum dicatus est, concionem istam habitam esse a pontifice nostro, hinc probari posse videtur, quod tunc ludi Circenses in Urbe celebrabantur, quos III kalendas Martias solitos esse dari ex Ovidii II Fastorum erui Jul. Cæs. Bulengerius lib. de Circo Rom. et Circensibus ludis, cap. 1. Aliis etiam diebus Circenses ludi notantur in Calendario Romano ab Aldis et ab aliis edito ex Maffeiano marmore ; sed non vel III kal. Julii, in quo festum apostolorum occurrit, vel pridie Nonas ejusdem mensis, in quo octava. Huic enim soli Apollinares ludi assignati leguntur. »

Tria hic notavit Quesnellus : Primum, de irruptione Vandalorum accipienda esse, quæ hoc in sermone continentur, verissimum est.

Quoad alterum vero, id est titulum, In Octavis apostolorum Petri et Pauli, *præmonendum est hunc sermonem, cujus unicum codicem Victorinum collect. 5 Quesnellus vidit, a nobis inventum fuisse in mss. quatuor collect. 2, 3, 4 et 5, ac præterea in Lectionario Vallicell. A, 6. Soli quidem codices collect. 3, 4 et 5 eum titulum præferunt. Quamvis vero alius titulus legatur in tabula ms. Casanat. collect. 2 et in Lectionario Vallicell., non tamen idcirco hic sermo a die octavæ apostolorum excludendus fuit. Dum enim tabula codicis Casanat. titulum exhibet argumento ipsius sermonis congruentem* De neglecta solemnitate, *diei octavæ nequaquam opponitur. Dum vero ms. Vallicell. eumdem sermonem describit Dom. 6 post Natale apostolorum cum titulo :* Sermo S. Leonis papæ ad populum, *animadvertendum est ita hunc sermonem in octava habitum ibidem posteriori ævo in divinorum officiorum usum translatum fuisse ad memoratam Dominicam sextam, sicuti tres sermones de Collectis certissime habitos infra octavam eorumdem apostolorum eadem de causa in eodem codice descripti inveniuntur Dom. 2, 3 et 4 post ipsorum Natale, de quo vide admonitionem præmissam sermoni 6. Hinc ejusmodi sermonem in*

Digitized by Google

octava apostolorum, id est prid. non. Julii recitatum, nihil ambigendum est. Et diei octavæ et neglectæ solemnitatis *titulum retinuimus.*

Tertium, quo ex Leonis verbis clarum *quidem Quesnellus fatetur, habitum esse sermonem hunc paulo post solemnitatem publicæ supplicationis ad S. Petrum indictæ ob gratiarum actionem pro liberata Urbe ab exercitu* hostili; *sed difficultatem movet ex die, cum in sermone mentio fiat ludorum Circensium; hi autem in antiquis Calendariis non notentur habiti in die octavæ apostolorum, cui soli ludi Apollinares assignantur; hoc, inquam, tertium ut probe concilietur, quædam prænotanda sunt. Cum in exordio sermonis S. pontifex queratur de paucitate concurrentium ad Petri ecclesiam, quo olim* cunctus populus ad agendas gratias confluebat, *satis indicat sermonem habitum non primo anno, quo Roma a Vandalis capta et liberata fuit, id est an.* 455 *(eo enim initio major erat ad Ecclesiam concursus), sed aliquot annis post, cum pristina devotio refrigueraf; ac proinde hic sermo ad postremos Leonis annos pertinet.*

Ad ecclesiam vero S. Petri, licet non nominetur expresse, ideo gratiarum actio indicta videtur, quia in ipso die festo S. Petri Roma liberata fuit. Etenim die 12 *Junii obiit Maximus imperator, teste anonymo Cuspiniani, quem integrum ediderunt Bollandistæ e ms. Cæsareo tom.* VI *Junii part.* II, *pag.* 187. *Tres post ejus obitum dies Gensericum cum Vandalis Romam occupasse Theophanes narrat. Per dies autem quatuordecim eam deprædasse traditur tum a laudato anonymo Cuspiniani, tum a S. Prospero in Chronico, ubi præterea eosdem Vandalos post memoratos quatuordecim dies Roma discessisse satis indicat, uno contextu scribens:* Per quatuordecim igitur dies secura et libera scrutatione omnibus opibus suis Roma evacuata est, multaque millia captivorum... Carthaginem adducta sunt. *Nunc si supputatio trium et quatuordecim dierum fiat a Maximi nece, seu a die* 12 *Junii ad evacuationem et libertatem Romanæ urbis, hanc invenies incidisse in diem* 29 *ejusdem mensis. Igitur liberata in die S. Petri Romana urbe, mox gratiarum actio ad S. Petrum indicta fuit aliquo die subsequenti infra octavam ejusdem apostoli. Ludi autem Circenses, qui in hoc sermone indicantur, haud intelligi debent ludi eodem die concurrentes, cui hæc supplicatio addicta fuerat; sed possunt referri ad ludos Apollinares, qui in die octavæ incipiebant, et saltem die* 13 *habebantur* in Circo, *ut ex Calendariis antiquis diximus in admonit. ad sermones de Collectis. Meram scilicet comparationem S. pontifex instituit inter ludos Circenses aliaque spectacula in quibus magna erat frequentia, et inter supplicationem memoratam, quæ* pene ab omnibus proxime fuerat neglecta; *ubi vox* proxime *diem paulo anteriorem ei supplicationi deputatum designat.*

335 SERMO LXXXIV [*Al.* LXXXI].

In Octavis apostolorum Petri et Pauli.

DE NEGLECTA SOLEMNITATE.

SYNOPSIS. — I. *Romanos Circensibus ludis deditos periculose beneficiorum Dei oblitos.* — II. *Romæ liberationem a barbaris non stellarum effectum, sed Dei esse donum grato animo recolendum.*

CAP. I. — Religiosam devotionem, dilectissimi, qua ob diem castigationis et liberationis nostræ, cunctus fidelium populus ad agendas Deo gratias confluebat, pene ab omnibus proxime fuisse neglectam, ipsa paucorum qui adfuerunt raritas demonstravit: et cordi meo multum tristitiæ intulit, et plurimum [a] timoris incussit. Magnum enim periculum est homines esse ingratos Deo, et per oblivionem beneficiorum ejus nec de correptione compungi, nec de remissione lætari. Vereor igitur, dilectissimi, ne vox illa prophetica tales increpasse videatur, quæ dicit: *Flagellasti eos, et non doluerunt; castigasti eos, et noluerunt accipere* 336 *disciplinam* (*Jerem.* v, 3). Quæ enim in eis correctio ostenditur, in quibus tanta [b] aversio reperitur? Pudet dicere, sed necesse est non tacere: plus impenditur dæmoniis quam apostolis, et majorem obtinent frequentiam insana spectacula quam beata [c] martyria. Quis hanc urbem reformavit saluti? quis a captivitate eruit? quis a cæde defendit? ludus Circensium, an cura sanctorum? quorum utique precibus divinæ A censuræ flexa sententia est, [d] ut qui merebamur iram servaremur ad veniam.

CAP. II. — Tangat, obsecro, dilectissimi, cor vestrum illa sententia Salvatoris, qui cum decem leprosos misericordiæ virtute mundasset, unum tantum ex eis dixit ad agendas gratias revertisse (*Luc.* XVII, 15): significans videlicet de ingratis, quod huic pietatis officio, etiam si corporis assecuti sunt [e] sanitatem, non tamen sine animi impietate defuerunt. Ne ergo ista ingratorum nota etiam vobis, dilectissimi, possit ascribi, revertimini [f] ad Dominum intelligentes mirabilia quæ in nobis dignatus est operari, et liberationem nostram, non, sicut opinantur impii, stellarum effectibus, sed ineffabili omnipotentis Dei misericordiæ deputantes, qui corda furentium barbarorum mitigare dignatus est, ad tanti vos [g] beneficii memoriam toto fidei vigore conferte. Gravis negligentia 337 majore satisfactione curanda est. Ad emendationem nostram utamur lenitate parcentis: ut beatus [h] Petrus et omnes sancti qui nobis [i] semper in multis tribulationibus affuerunt, obsecrationes nostras pro vobis apud misericordem Deum juvare dignentur, per Christum Dominum nostrum. Amen.

SERMO LXXXV [*Al.* LXXXIII].

In Natali S. Laurentii martyris.

SYNOPSIS. — I. *Quid intersit inter Christi et Martyrum*

[a] Lectionar. Vallicell. et cod. Barber. collect. 2, *pavoris.*

[b] Cod. Barb., *effusio.*

[c] *Martyria* hoc loco ecclesias in honorem martyrum dicatas significat.

[d] Cod. Bon. et prima editio, *ut qui merebatur iram servaretur ad veniam.* Mss. Vallicell. et Barb., *meruerannus.*

[e] Cod. Vallicell., *mundationem, non tamen eis animi impietas defuerit.* Ms. Barb. ut in textu, et solum *defuerint* pro *defuerunt.*

[f] Ms. Barb., *ad Deum.*

[g] Cod. Vallicell., *beneficii gratiam.*

[h] Idem codex addit, *Apostolus.*

[i] Ex eodem codice adjecimus *semper*, pro quo in ms. Barberino habetur, *sæpe.* Utrumque in editis deerat. Mox, *obsecrationem nostram* in ms. Vallicell., *obsecrationem vestram pro nobis* in cod. Barb.

[j] Ita in antiquioribus codicibus, inter quos perantiquus Vat. Longobardicis, ut aiunt, litteris exaratus. Non absimiliter cod. Veron. et alius Vat. ac prima editio cum mss. collect. 3, *In Nativitate S. Laurentii.* Cæteræ editiones cum nonnullis mss., *In festo*, seu *in festivitate*; alii codd., *in Passione.*

Digitized by Google

mortem. — II. *Quæ utriusque efficacia.* — III. *Laurentii et facultates et fidem Ecclesiæ servantis fortitudo.* — IV. *Charitate Laurentium invincibilem factum.*

CAP. I.—Cum omnium, dilectissimi, [a] summa virtutum et totius plenitudo justitiæ de illo amore nascatur, quo Deus proximusque diligitur, in nullis profecto hic amor sublimius excellere clariusque fulgere, quam in beatissimis martyribus invenitur: qui Domino nostro Jesu Christo pro omnibus hominibus mortuo tam propinqui sunt imitatione charitatis quam similitudine passionis. Quamvis enim illi dilectioni, qua Dominus nos redemit (*Rom.* v, 8), nulla cujusquam benignitas possit æquari, quia aliud est pro justo mori hominem sua necessitate moriturum, aliud pro impiis occumbere a debito mortis alienum, multum tamen universis hominibus etiam martyres contulerunt, quorum fortitudine ita ejus largitor usus est Dominus, ut pœnam mortis et atrocitatem crucis nulli suorum vellet esse terribilem, sed multis faceret imitabilem. **338** Si ergo nullus bonus sibi soli est bonus, nec cujusquam sapientis sibi tantum sapientia est amica; et hæc verarum natura virtutum est, ut multos a tenebroso abducat errore, qui earum clarus est lumine: ad erudiendum Dei populum nullorum est utilior forma quam martyrum. [b] Eloquentia sit facilis ad exorandum; sit ratio efficax ad suadendum; validiora tamen sunt exempla quam verba; et [c] plus est opere docere quam voce.

CAP. II.—In quo excellentissimo genere doctrinæ beatus martyr Laurentius, cujus passione dies hodiernus illustris est, quam gloriosa polleat dignitate, etiam persecutores ipsius sentire potuerunt, [d] cum illa mirabilis animi fortitudo, de Christi principaliter amore concepta, non solum [e] ipsa non cederet, sed etiam alios exemplo suæ tolerantiæ roboraret. Cum enim furor gentilium potestatum [f] in electissima quæque Christi membra sæviret, ac præcipue eos qui ordinis erant sacerdotalis impeteret, in levitam Laurentium, qui non solum [g] ministerio sacramentorum, sed etiam dispensatione ecclesiasticæ substantiæ præeminebat, impius persecutor efferbuit, duplicem sibi prædam de unius viri comprehensione promittens, quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam [h] veræ religionis exsortem. Armatur itaque gemina face homo pecuniæ cupidus et veritatis inimicus: avaritia, ut rapiat aurum; impietate, ut auferat Christum. Postulat sibi ab immaculato sacrarii [i] præsule opes ecclesiasticas, quibus avidissimus inhiabat, inferri. Cui levita castissimus ubi eas repositas haberet ostendens, numerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu atque vestitu inamissibiles condiderat facultates, quæ tanto integrius erant salvæ, quanto sanctius probabantur expensæ.

CAP. III. — Fremit [j] ergo prædo frustratus, et in **339** odium religionis, quæ talem divitiarum usum instituisset, [k] exardescens, direptionem thesauri potioris aggreditur; [l] ut apud quem nullam denariorum substantiam reperisset, illud depositum, quo sacratius erat dives, auferret. Renuntiare Christo Laurentium jubet, et solidissimam illam levitici animi fortitudinem diris parat urgere supplicils. Quorum [m] ubi prima nihil obtinent, vehementiora succedunt. Laceros artus et multa verberum sectione consciscos subjecto præcipit igne torreri: ut per eratem ferream, quæ jam de fervore continuo vim in se haberet urendi, conversorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior et pœna productior.

CAP. IV. — Nihil obtines, nihil proficis, sæva crudelitas. Subtrahitur [n] inventis tuis materia mortalis, et Laurentio in cœlos abeunte [o] tu deficis. Flammis

[a] Postillam hic Quesnellus affixit: *Nulla virtus et justitia, nisi ex charitate.* At S. Leo, *summam omnium virtutum et totius justitiæ plenitudinem* ex charitate nasci affirmavit: qua sententia non negat aliquas virtutes, ex gr., fidem et spem posse sine charitate nasci atque consistere: de quo vide quæ disseremus in observat. ad serm. 45, 79 et 90.

[b] Prima editio et Quesnelliana cum mss. collect. 3 et 4, *Sit eloquentia facilis ad exhortandum.* Cæteræ editiones cum mss. collect. 5, alia interpunctione, *quam martyrum eloquentia. Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad suadendum*, etc. In Homil. Pauli Diac. paulo dissimiliter, *quam martyrum sit eloquentia. Sit ratio facilis ad oranduin, efficax ad suadendum.* Meliorem duximus lectionem duorum Lectionar. Vat., Longobard. et Veron., *ad exorandum*, id est ad impetrandum seu obtinendum orando.

[c] Ita ex iisdem duobus optimæ notæ Lectionariis, nec non ex Homil. Pauli Diac. Prima editio, *planius*; reliquæ, *plenius*.

[d] Tres codd. Vatt., *quando cum illo.*

[e] Prima editio, *ipsis*, id est persecutoribus, *non cederet.*

[f] Duo codd. Vatt., *in lectissima.*

[g] Magis placuit ex editis ante Quesn. et ex nostris codd. delere particulam *in*, quam ille præposuit ex duob. mss. Vict. Sammagl., nec non ex veteri homiliarum editione Basileæ excusa anno 1513. In margine editorum: Al., *in mysterio.*

[h] Prima editio et cod. Bon., *sacræ.*

[i] Homil. Pauli Diac., *præside*, et mox omittit *inferri.*

[j] Vox ergo in ms. Vat. Longobard. desideratur.

[k] Ita melius ex Homil. Pauli Diac. quam alias *ardescens.* Mox *direptionem* cum emendatioribus codd. prima editio et Quesn. Al., *direptione.*

[l] Hæc lectio præferenda visa est ex eodem Homiliario ac prima editione et ms. Bon., qui duo posteriores post vocem *depositum* addunt *ei.* Alias particula *ut* hic omittitur, et præponitur voci *illud.*

[m] Duo mss. Vatt., unus Bon. et prima editio, *ubi minora.* Post pauca pro *præcipit* in exemplo Pauli Diac. habetur, *præcepit*, et *alteratione* pro *alterna mutatione.*

[n] Ita Quesnellus ex ms. Vict. et ex marginali annotatione Surii et Antuerp. Ita etiam nostri codd. Lectionar. Veron. et Barb. collect. 2 ac Vat. collect. 5. Homil. Pauli Diac., per errorem amanuensium, *juventutis* pro *inventis tuis.* Al. legebatur, *tormentis tuis.*

[o] Editi ante Quesn., *tu deficis flammis tuis. Superari charitas Christi flamma non potuit.* Cod. Barb. collect. 2, paulo dissimiliter, *tu deficis in flammis tuis. Superari charitas Christi flamma tua non potuit.* Quesnelli lectionem, quam ex cod. Vict. et ex margine memoratarum editionum recepit, secuti sumus, cum confirmetur duobus nostris Lectionariis et tribus aliis mss. Vatt. ac exemplo Pauli Diac. Alius Vat. modi-

Digitized by Google

tuis superari charitatis Christi flamma non potuit, A et sequior fuit ignis qui foris ussit quam qui intus accendit. [a] Servisti, persecutor, martyri, cum servisti; auxisti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non [b] ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, [c] quando in honorem transierunt triumphi, etiam instrumenta supplicii? Gaudeamus igitur, dilectissimi, gaudio spirituali, et de felicissimo inclyti viri fine gloriemur in Domino, qui est mirabilis in sanctis suis (*Ps.* LXVII, 36), in quibus nobis et præsidium constituit et exemplum; atque ita per universum mundum clarificavit gloriam suam, ut a solis ortu usque ad occasum, [d] leviticorum luminum coruscante fulgore, quam clarificata est Jerosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio. Cujus oratione et patrocinio adjuvari nos sine cessatione confidimus: B ut 340 quia *omnes*, sicut Apostolus ait: *Quicumque volunt in Christo pie vivere, persecutionem patiuntur* (II *Tim.* III, 12), corroboremur spiritu [e] charitatis, et ad superandas omnes tentationes [f] constantis fidei perseverantia muniamur. [g] Per Dominum nostrum Jesum Christum, viventem et regnantem cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXXVI [*Al.* LXXXIV].

De Jejunio septimi mensis I.

Synopsis. — I. *Indicit jejunium ex auctoritate, suadet ex charitate, ut corpus castigetur et pauper adjuvetur.* — II. *Parum esse nihil auferre proprium, nisi et pauperi tuum largiaris.*

Cap. I. — Observantiam quidem vestram, dilectissimi, ita novimus esse devotam, ut animas vestras non solum legitimis, sed etiam voluntariis jejuniis excolatis. Verumtamen adjicienda est huic studio etiam nostræ admonitionis [h] exhortatio, ut si qui sunt in hoc exercitio tardiores, in his saltem diebus communi abstinentiæ se obedienter adjungant, in quibus nos oportet sacratissimam consuetudinem attentius celebrare, ut per humilitatem jejunii contra omnes hostes nostros divinum mereamur auxilium. Res enim est præcipui operis, quam et ex auctoritate indicimus, et ex charitate suademus: ut paululum edendi libertate compressa, castigationi [i] corporum et pauperum studeamus alimoniæ, 341 quos qui refícit animam suam pascit, et temporales epulas in delicias mutat æternas.

Cap. II. — In locum igitur malarum cupiditatum sanctorum desideriorum incrementa succedant. Cesset iniquitas, sed non sit otiosa justitia. Quem nullus patitur opprimentem, sentiat aliquis adjuvantem. Parum est enim non auferre aliena, nisi largiaris et propria. Sub oculis justi judicis sumus, qui novit quantam unicuique bene operandi dederit facultatem. Non vult otiosa esse munera sua, qui servis suis sic mensuras mysticorum distribuit talentorum, ut creditum qui liberaliter erogasset, augeret; qui steriliter servasset, amitteret (*Matth.* XXV, 28; *Luc.* XIX, 26). Et ideo, dilectissimi, quia septimi mensis jejunium celebrare nos convenit, sanctitatem vestram monemus ut quarta et sexta feria jejunemus; sabbato vero apud beatum Petrum Apostolum [j] pariter vigilemus, cujus suffragantibus meritis ab omnibus tribulationibus mereamur absolvi: [k] per Jesum Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXXVII [*Al.* LXXXV].

De Jejunio septimi mensis II.

Synopsis. — I. *Diabolo per continentiam esse resistendum, qui jacti in primis parentibus seminis fructum per illecebram edendi requirit in nobis.* — II. *Jejunium et alienæ et propriæ cujusque saluti plurimum prodesse.* — III. *Abundantiores sint eorum eleemosynæ, qui nequeunt jejunare.* — IV. *Divitias in tuto collocari et augeri, cum pauperibus erogantur.*

Cap. I. — Deus humani generis conditor et redemptor, qui nos ad promissiones vitæ æternæ per semitas vult ambulare justitiæ, [l] quia non defuturæ C erant tentationes quæ nobis in itinere virtutum insidiosis adversarentur occursibus, multis nos præsidiis, dilectissimi, [m] quibus laqueos diaboli obtereremus, instruxit: inter quæ hoc famulis suis saluberrimum contulit, ut contra omnes inimici dolos fortitudine se continentiæ et operibus pietatis armarent. Ille enim 342 qui ab initio primis hominibus interdicti cibi inseruit appetitum (*Gen.* III, 5), et male credulis per illecebram edendi omnium concupiscentiarum virus infudit, easdem fraudes retractare non desinit, et in natura, quam scit suis seminibus esse vitiatam, [n] sationis suæ germen inquirit, ut ad labefactanda studia virtutis, desiderium voluptatis accen-

[a] Melior et Leoninæ syntaxi conformior visa est hæc lectio quam invenimus non solum in prima editione et mss. collect. 3, verum etiam in duobus Lectionar. Vat. et Veron. et in exemplari Pauli Diac., quod solum pro *aggeras* habet *exaggeras*. Unus Vat., *augeres*. Vulgati sic: *Sævisti persecutor in martyrem, sævisti et auxisti palmam, dum aggeras pœnam.*

[b] Quesnellus, *ad victoriæ*. Revocavimus aliarum editionum lectionem, quæ et melior est, et in omnibus nostris mss. invenitur, nec non in illo inventa fuit quo usus est Paulus Diac.

[c] Homil. Pauli Diac., *quando commenta tyrannidis tuæ in honorem transierunt triumphi etiam inter tormenta supplicii.*

[d] Idem Homil., *levitico numero, lumine coruscante fulgoris, quam clarificata.* Prima editio et cod. Bon., *glorificata*, reliqua ut in textu.

Eadem editio et cod. Bon., *veritatis*.

[e] Melior et Leoninæ syntaxi conformior visa est hæc lectio quam invenimus non solum in prima editione et mss. collect. 3, verum etiam in duobus Lectionar. Vat. et Veron. et in exemplari Pauli Diac., quod solum pro *aggeras* habet *exaggeras*. Unus Vat., *augeres*. Vulgati sic: *Sævisti persecutor in martyrem, sævisti et auxisti palmam, dum aggeras pœnam.*

[f] Exemplum Pauli Diac., *constantia fidei et perseverantia.*

[g] Cod. Vat. Langobard., *Per eum qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.* Prima editio: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

[h] Lectionar. Venet. S. Marci 154, *hortatio.*

[i] Prima editio, *corporis.*

[j] Eadem editio omittit, *pariter.*

[k] Hæc clausula ex cod. Veneto apposita est.

[l] Vulg., *de futura tentatione, quæ nobis.... adversaretur.* Magis placuit Lectio cod. Veneti.

[m] Editi, *in quibus.* Delevimus in auctoritate nostrorum codicum.

[n] Vulg. ante Quesn. addunt, *et corruptam.* Unus Vat. cod., *esse incitatam et corruptam.* Prima editio, *quam scit suis seminibus incitatam, esse vitiatam.* Quesnellianam lectionem cæteri nostri codd. confirmant.

Digitized by Google

dat. Quoniam pœna ipsius est provectio Christiana, nec potest eorum animos aliquo modo lædere, qui noverunt, auxiliante Domino, in sua carne regnare. Rationabili ergo moderatione sanctoque proposito frenandæ sunt rebelles cupiditates, nec sinendum est ut castis et spiritalibus desideriis corporales concupiscentiæ reluctentur. Agnoscat interior homo exterioris sui se esse rectorem, [a] ut mens divino gubernata dominatu terrenam substantiam in bonæ voluntatis cogat obsequium. Nec enim deest nobis ad hunc ordinem [b] conservandum, misericordissimi Regis auxilium, qui nos saluberrimæ observantiæ ratione informavit, præfiniens nobis per temporum recursus quosdam jejuniorum dies in quibus castigatione corporum virtus roboraretur animorum.

Cap. II. — Hujus autem remedii munus, dilectissimi, etiam in isto qui septimus est mense dispositum est, quod nos prompta convenit alacritate suscipere; ut præter [c] illam abstinentiam, qua quisque se peculiariter atque privatim secundum modum suæ possibilitatis exercet, hæc quæ omnibus simul indicitur animosius celebretur. Nam in omni agone certaminis Christiani, utilitas continentiæ plurimum valet, ita ut [d] quidam sævissimorum spiritus dæmonum, qui ab obsessis corporibus nullis exorcizantium fugantur imperiis, sola jejuniorum et orationum virtute pellantur, dicente Domino : *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in jejunio et oratione* (*Matth.* XVII, 20; *Marc.* IX, 28). Grata ergo est Deo et terribilis diabolo jejunantis oratio, nec latet quantum acquirat saluti suæ, quæ tantum præstat alienæ.

Cap. III. — In hac sane observantia, dilectissimi, quamvis omnes [e] nos unanimiter oporteat esse devotos, si qui tamen sunt quorum voluntati aliqua obsistat infirmitas, laborem qui supra vires est corporum, redimant impendiis facultatum. Multa enim sunt opera pietatis quæ ipsam edendi necessitatem merito ampliore [f] commendent, si jejunantium purificationem studio benignitatis **343** acquirunt. Nam cum ii qui nihil omittunt de humiliatione jejunii sub [g] sterili fatigatione desudent, nisi se eleemosynarum, qua possunt, erogatione sanctificent, dignum est ut in alimoniam pauperum abundantior sit eorum largitio, quorum ad abstinendum minor est fortitudo. Quod ergo [h] quis in sua sibi infirmitate non denegat, alienæ inopiæ libenter impendat, et propriam necessitatem faciat sibi cum indigente communem. Non culpatur infirmus jejunium solvens, a quo cibum accipit pauper esuriens; nec escam sumendo polluitur, qui eleemosynam impertiendo mundatur, dicente Domino : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41).

Cap. IV. — In quo opere, dilectissimi, etiam ii qui ab epularum delectatione se continent, fructus sibi debent misericordiæ comparare, ut [i] quod abundantius seminaverint, copiosius metant. Non enim umquam agricolæ suo seges ista mentitur, aut incertam spem habet operis cultura pietatis. Quidquid hoc modo serentis manu spargitur, non æstus urit, non torrens trahit, non grando prosternit. Incolumes semper sunt omnes pietatis expensæ; [j] nec solum integræ manent, sed et modo augentur, et qualitate mutantur. De terrenis cœlestia prodeunt, de parvis magna gignuntur, et temporale [k] donum in præmium transit æternum. Quisquis igitur divitias amas, quisquis multiplicari quæ possides concupiscis, in hæc lucra accendere, in hæc rerum tuarum augmenta suspira, de quibus nihil fur abripit, nihil tinea corrumpit, nihil rubigo consumit (*Matth.* VI, 19). Noli desperare de fenore, noli de accipiente diffidere. *Quod uni horum fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40), [l] quis dicat, intellige; et apud quem opes tuas colloces, [m] perspicacibus fidei oculis securus agnosce. Non dubitet de receptione, cui Christus debitor est. Non sit anxia liberalitas, nec triste jejunium : *hilarem enim datorem diligit Deus* (II *Cor.* IX, 7), qui fidelis est in verbis suis, et abundanter largita retribuit, [n] quæ benigne largienda donavit Jesus

[a] Revocavimus *ut* a Quesnello deletum ex anterioribus editionibus, pro quo duo mss. Vatt. habent *et*.

[b] Ita cum Quesnello nostri codd. Al., *observandum*. Paulo post, *formavit* in duobus mss., pro *informavit*.

[c] Ex Lectionario Veneto addidimus, *illam*.

[d] In ms. Vat. collect. 5 omittitur, *quidam*. Post pauca cod. Venet. delet præpositionem *in* ante vocem *jejunio* in Matthæi textu.

[e] Unus cod. Vat., *vos*; et post pauca, *obsistit* in Lectionario Veneto pro, *obsistat*.

[f] Ita omnes et editiones et codices, sed legendum, ni fallor, *compensent*. Quesnellus in margine.

[g] Id intelligetur ex serm. 18, de Jejunio VII mensis septimi, c. 3, ubi Leo ad eleemosynas cum jejunio vingendas hortaturus, *sterile* indicat, quod pietatis ac eleemosynæ fructibus caret; qui fructus adeo Christianis necessarii sunt, ut ficum infecundam *Dominus Jesus*, inquit, *nihil habentem, quod esuriens sumeret, perpetua sterilitate damnaverit : quoniam qui esurientem non refovet, illi denegat cibum, qui quod pauperi est datum, sibi dixit impensum. Et hujus maledictionis arbores erunt, quibus a judicante dicetur : Discedite a me*, etc. *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, etc. Sterile igitur vocatur jejunium, quod a jejunantibus cum ea qua possunt eleemosynarum erogatione non jungitur; quatenus eo fructu caret, quo qui expers est jejunio non suffragante damnabitur. Mox, pro *ad abstinendum*, codex Venet. habet, *ad abstinentiam*.

[h] Vocem *quis* in mss. collect. 5 et a Quesnello omissam, ex anterioribus vulgatis et cæteris nostris antiquis libris revocavimus.

[i] Ita melius ex eodem cod. Veneto, quam in Vulgatis, *qui*.

[j] Prima editio, præmisso puncto, *Non solum*. Dein *sed et modo* scripsimus ex plerisque et potioribus nostris codd. Al., *sed etiam modo*.

[k] Prima editio, *damnum;* eleemosyna enim temporali damno verti solet.

[l] Unus cod. Vat., *quos dicat*.

[m] Vulg., *perspicacius*. Cod. Vat. suggessit emendationem, quam Quesnellus suspicatus margini annotaverat, et ante eum Latinus Latinius in Biblioth. Sacra.

[n] Prima editio, *qui*. Clausulam *Jesus Christus*, etc., adjecimus ex ms. Veneto. In prima editione hæc alia clausula legitur : *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen*.

Digitized by Google

Christus **344** Dominus noster, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXXVIII [*Al.* LXXXVI].

De Jejunio septimi mensis III.

Synopsis. — I. *Jejunia, sine quibus antiquis justitia Dei non est placata, nobis quoque esse necessaria.* — II. *Multo potentiora esse quando ab omnibus simul fidelibus celebrantur.* — III. *Debere se quemque interdum curis subtrahere, ut saluti suæ intentius vacet. Unitas orationis quam potens sit.* — IV. *Plurimum valere apud Deum consensum bonorum. Animum, non censum in eleemosynis pensari.* — V. *Quemque debere pro facultate sua eleemosynas erogare sine diffidentia.*

Cap. I. — Ad exorandam, dilectissimi, misericordiam Dei, et ad renovandum statum [a] fragilitatis humanæ, quantum valeant religiosa jejunia, sanctorum prophetarum prædicatione cognoscimus; qui divinæ justitiæ commotionem, quam frequenter populus Israel merito iniquitatis inciderat, non nisi jejunio protestantur posse placari. Unde et Joel propheta admonet dicens: *Hæc dicit Dominus Deus vester: Convertimini ad me* [b] *in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu, et disrumpite corda vestra et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia misericors est, et patiens, et magnanimus, et multum misericors* (*Joel.* II, 12, 13); et iterum: *Sanctificate jejunium, prædicate curationem, congregate plebem, sanctificate Ecclesiam* (*Ibid.*, 15). Quæ cohortatio, dilectissimi, nostris quoque est amplectenda temporibus, quia hujus curationis remedia [c] etiam a nobis sunt necessarie prædicanda, ut in observantia [d] sanctificationis antiquæ, quod perdidit **345** Judaica prævaricatio, acquirat Christiana devotio.

Cap. II. — Divinarum [e] autem reverentia sanctionum, inter quælibet spontaneæ observantiæ studia, habet semper privilegium suum: ut sacratius sit quod publica lege celebratur quam quod privata institutione deditur. Exercitatio enim continentiæ, quam sibi quisque proprio indicit arbitrio, ad utilitatem cujusdam pertinet portionis; jejunium vero, quod universa Ecclesia suscipit, neminem a generali purificatione sejungit; et tunc fit potentissimus Dei populus, quando [f] in unitatem sanctæ obedientiæ omnium fidelium corda conveniunt, et in castris militiæ Christianæ similis ex omni parte præparatio, et eadem est ubique munitio. Fremat licet cruenti hostis pervigil furor, et latebrosas undique prætendat insidias, neminem tamen capere, neminem poterit vulnerare, si nullum inermem, nullum desidem, nullum invenerit ab opere [g] pietatis exsortem.

Cap. III. — Ad hujus ergo invictæ [h] unitatis potentiam, dilectissimi, etiam hoc nos solemne jejunium septimi mensis invitat: ut a curis sæcularibus actibusque terrenis liberos ad Dominum animos erigamus. Et quia hanc intentionem semper necessariam non omnes possumus habere perpetuam, sæpiusque per humanam fragilitatem [i] a supernis in terrena recidimus, istis saltem diebus, qui nobis ad saluberrima sunt remedia præstituti, mundanis nos occupationibus subtrahamus, et aliquid temporis quod prosit ad bona æterna furemur. *In multis enim*, sicut scriptum est, *offendimus omnes* (*Jacob.* III, 2). [j] Et licet quotidiano Dei munere a diversis contaminationibus emundemur, inhærent tamen incautis animis plerumque maculæ crassiores, quas oporteat diligentiori cura ablui et impendio majore deleri. [k] Plenissima autem peccatorum obtinetur abolitio quando totius Ecclesiæ una est oratio et una confessio. Si enim duorum vel trium [l] sancto pioque consensui omnia quæ poposcerint Dominus præstanda promittit (*Matth.* XVIII, 20), quid negabitur multorum millium plebi unam observantiam pariter exsequenti, et **346** per unum spiritum concorditer supplicanti?

Cap. IV. — Magnum est [m] in conspectu Domini, dilectissimi, valdeque pretiosum, cum totus Christi populus eisdem simul instat officiis, et in utroque sexu omnes gradus omnesque ordines eodem cooperantur affectu; cum [n] in declinando malo ac faciendo bono par cunctorum et [o] una sententia est; cum in operibus servorum suorum glorificatur Deus, et totius pietatis auctori [p] in multa gratiarum actione benedicitur. Aluntur esurientes, vestiuntur nudi, visitantur infirmi, et nemo quod suum est quærit, sed quod alterius (*I Cor.* X, 24), dum ad relevandam alienam miseriam unicuique mensura sua sufficit, et

[a] Prima editio et unus cod. Vat., *felicitatis*.

[b] Ms., Venet., *ex toto*; et paulo post *scindite* pro *disrumpite* in prima editione et in mss. collect. 3 et 4.

[c] Codex Venet., *etiam a nobis necessariæ prædicantur*.

[d] Prima editio, *satisfactionis*.

[e] *Autem* pro *namque* melius reposuimus ex ms. Veneto.

[f] Idem cod. Venet., *unitate*.

[g] Vocem *pietatis* a Quesnello deletam restituimus ex omnibus editis nostrisque codicibus.

[h] Editi ante Quesnellum cum mss. collect. posteriorum et Lectionar. Veneto, *pietatis*. Sed melius ille, *unitatis*; nam refertur *ad unitatem sanctæ obedientiæ*, quæ præcedenti capite memoratur, cuique insistitur initio cap. 5.

[i] Ms. Vat. collect. 5, *a supernis recedimus*, deletis vocibus, *in terrena*. Alius Vat. collect. 4, *decidimus*, pro *recidimus*.

[j] Particula *et*, quam Quesnellus delevit, ex omnibus editis et nostris codd. revocavimus.

[k] Prima editio et cod. Bon., *Plenissima autem est peccatorum abolitio*.

[l] Ita ms. Venet., duo Vatt. et prima editio. Al., *sanctorum pio consensui*.

[m] Restituimus lectionem editorum ante Quesnellum, quam omnes nostri codices præferunt. Quesnellus nihil indicans, *et in conspectu Domini, dilectissimi, valde pretiosum*.

[n] Sic ex nostris mss. et editis ante Quesnellum, apud quem, *in declinando a malo, ac faciendo bonum*.

[o] Mss. Corb. et Vict. Quesnelli, *una substantia*.

[p] Sic ex Lectionario Veneto. Al., *in multarum*; quo etiam confirmatur lectio antea vulgatorum, *auctori*, pro qua Quesnellus *auctor* supposuit.

Digitized by Google

facile est invenire hilarem [a] largitorem, ubi modum operis ratio temperet facultatis. Per hanc autem Dei gratiam, *quæ operatur omnia in omnibus* (I *Cor.* XII, 6), communis fidelium fructus et commune fit meritum. [b] Quoniam quidem potest et eorum par esse animus quorum impar est census, et cum alter de alterius lætatur largitate, cui æquari non potuit impendio, æquatur affectu. Nihil in tali populo [c] inordinatum nihilque diversum est, ubi ad unum pietatis vigorem omnia sibi totius corporis membra consentiunt; nec de sua tenuitate confunditur qui de aliorum opulentia gloriatur. Decus enim universitatis est excellentia portionis, et cum Dei spiritu omnes agimur, non solum illa nostra sunt quæ ipsi gerimus, sed etiam illa de quibus in aliorum actione gaudemus.

CAP. V. — Amplectamur igitur, dilectissimi, beatam istam sacratissimæ unitatis soliditatem, et solemne jejunium concordante proposito bonæ voluntatis ineamus. Nihil a quoquam arduum, nihil asperum quæritur, nec aliquid nobis quod vires nostras excedat indicitur, sive in abstinentiæ castigatione, sive in eleemosynæ largitate. Sciunt singuli quid possint quidve non possint. Ipsi modulum suum pendant, ipsi justa et rationabili taxatione se censeant, ut sacrificium misericordiæ non cum tristitia offeratur, nec inter damna numeretur. Hoc pio **347** impendatur operi quod cor justificet, quod conscientiam lavet, quod denique et accipienti prosit et danti. Felix quidem ille est animus multumque mirabilis, qui facultatum defectionem benefaciendi amore non metuit, et daturum sibi eroganda non diffidit, a quo quod erogaret accepit. Sed quia magnanimitas ista paucorum est, [d] et plenum etiam pietatis est ut suorum curam quisque non deserat, nos perfectioribus non præjudicantes, ea vos regula generaliter cohortamur ut mandatum Dei secundum possibilitatis vestræ mensuram operemini. Hilarem enim benevolentiam esse decet, quæ sic suam temperet largitatem, ut de illa et pauperum refectio gaudeat, et domestica sufficientia non laboret. *Qui autem ministrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ* (II *Cor.* IX, 10). Quarta igitur et sexta feria jejunemus, sabbato autem apud beatissimum Petrum apostolum pariter vigilias celebremus, cujus meritis et orationibus confidimus nobis per omnia misericordiam Dei nostri esse præstandam : per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXXXIX [*Al.* LXXXVII].

De Jejunio septimi mensis IV.

SYNOPSIS. — I. *Jejunium a Christianis gratia Dei impletum quantum præstet observantiæ carnali Judæorum.* — II. *Commune et publicum privato esse anteferendum, ut majoris meriti et efficaciæ.* — III. *Innumera esse tela diaboli, quæ ab eo solo vitantur qui Deum super omnia diligit.* — IV. *Quædam tempora electa, ut ad divina respiremus.* — **348** V. *Jejunio subjungendam eleemosynam, maxime erga fideles.* — VI. *Pauperes patientia, divites misericordia salvandos.*

CAP. I. — Prædicationem nostram, dilectissimi, familiaris vobis adjuvat consuetudo, et ratio temporis commendat officium sacerdotis, ne aut onerosum videatur aut arduum, quod et præceptum exigit legis, et devotio temperat voluntatis : quæ cum in unum, gratia Dei auxiliante, conveniunt, non *littera occidit, sed spiritus vivificat* (I *Cor.* VIII, 1). *Ubi autem spiritus* [e] *Dei, ibi libertas* (II *Cor.* III, 17), quæ legem non timore exsequitur, sed amore. Obedientia enim mollit imperium, nec dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur quod jubetur. Cum ergo vos, dilectissimi, ad quædam quæ etiam in veteri Testamento instituta sunt cohortamur, non Judaicæ vos observantiæ jugo subdimus, nec consuetudinem vobis populi carnalis indicimus. Excellit super illorum jejunia continentia Christiana : et si quid nobis atque illis [f] commune est in temporibus, non concordat in moribus. Habeant illi [g] nudipedalia sua, et in tristitia vultuum [h] ostentent otiosa jejunia; nos in nullo [i] ad habitus nostri honestatem dissimiles, nec a justis et necessariis operibus abstinentes, edendi licentiam simplici parcitate cohibemus : ut in usu ciborum modus eligatur, non [j] creatura damnetur.

CAP. II. — Quamvis autem unicuique nostrum liberum sit voluntariis castigationibus proprium cor-

[a] Al., *datorem.*

[b] Cod. Venet., *quoniam potest par eorum esse animus.*

[c] Prima editio cum mss. posteriorum collect., *inornatum.*

[d] Conjunctionem *et* adjecimus ex mss. Veneto et duobus Vatt.; *etiam* vero ex editionibus ante Quesnellum et quatuor codd. revocavimus. Paulo ante editiones Quesnello anteriores corrupte præponebant particulam *cum* voci *magnanimitas.*

[e] Cod. Venetus, *Domini.*

[f] Jejunium scilicet decimi et septimi mensis ex observantia veteris legis assumptum Leo sæpe commemorat; et eatenus Judæis *commune in temporibus* hoc loco traditur.

[g] Ritum ex pharisaica procul dubio superstitione descendentem arguit : nihil enim tale præscriptum Judæis in Scriptura legimus. Haustus porro ex ethnicorum consuetudine, quam commemorat Tertullianus lib. de Jejuniis, in fine : *Sed et omnem*, inquit, *ταπεινοφρόνησιν ethnici agnoscunt. Cum stupet cœlum, et aret annus, nudipedalia denuntiantur*, etc. Hæresim commemorat Augustinus hominum nudis pedibus semper ambulantium, eo quod Dominus Moysen, Josue et Isaiam nudis pedibus ambulare jusserit. *Hæres.* 68. QUESNELLUS.

[h] Sic ex Lectionar. Veneto. Al., *ostendant.* Respicit hic ad illa Matth. VI, 16, de hypocritis jejunantibus. *Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam;* et ideo *otiosa* ejusmodi jejunia appellat, quod æterna mercede careant. Confer quæ tradunturserm. 92, c. 2.

[i] Quesnellus in margine : Forte, *ab habitus nostri honestate.*

[j] Innuuntur cibi quos Hebræi velut immundos damnabant, ut caro suina, sanguis, etc. Ab his autem abstinebant Christiani etiam Leonis ætate in jejunio quatuor temporum, eo quod carnes non comederent parcitatis ac temperantiæ nomine, non vero quod aliquem cibum Hebraica superstitione reprobarent.

Digitized by Google

pus afficere, et nunc moderatius, nunc vero districtius repugnantes spiritui carnales concupiscentias edomare, quibusdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter celebrari generale jejunium, et tunc est efficacior [a] sacratiorque devotio, quando in operibus pietatis totius Ecclesiæ unus animus et unus est sensus. Publica enim præferenda sunt propriis; et ibi intelligenda est præcipua ratio utilitatis, ubi vigilat cura communis. [b] Teneat igitur diligentiam suam observantia singulorum, et contra nequitiæ **349** spiritalis insidias, implorato divinæ protectionis auxilio, [c] cœlestia quisque arma corripiat. Sed ecclesiasticus miles, etiamsi specialibus præliis possit fortiter facere, tutius tamen et felicius dimicabit, si contra hostem palam in acie steterit : ubi non suis tantum viribus certamen ineat, sed sub invicti Regis imperio fraternis consociatus agminibus bellum universale conficiat. Minori enim discrimine plures confligunt cum hoste quam singuli; nec facile patet vulneri, quem opposito scuto fidei, non sua tantum, sed etiam aliorum fortitudo defendit : ut ubi una est omnium causa, sit una victoria.

Cap. III. — Quia igitur adversarius noster insidiari nobis diversa tentationum arte non desinit, et hæc est [d] una versutiarum ejus intentio, ut redemptos Christi sanguine a mandatis Dei possit abducere, omni diligentia præcavendum est ut nullis inimici jaculis vulneremur. Tela enim ipsius non sunt aspera corporis sensibus, sed nimium carni, ut animæ noceant, blandiuntur. Trahunt oculos ad varias [e] cupiditates, ut de mundi pulchritudine aut concupiscentiæ accendantur faces, aut [f] superstitionum gignantur errores. [g] Per insidiosos etiam sonos mollibus ictibus pulsatur auditus, ut animi soliditas illecebrosa modulatione solvatur, et lethalium consuetudine suavitatum incauta et parum sobria corda capiantur. Sed hos diaboli dolos inefficaces et irritos faciunt divinæ præsidia gratiæ, et evangelicæ præcepta doctrinæ. Quoniam qui acceperunt Spiritum sanctum, et a quibus timor Domini non de pœnæ formidine, sed de Dei charitate conceptus est, illæso fidei pede laqueos talium conterunt captionum, ut creaturarum omnium pulchritudine ad gloriam et laudem sui utantur auctoris, eumque diligant super omnia, per quem facta sunt omnia (*Joan.* I, 3).

Cap. IV. — In hujus admirationem, dilectissimi, omnium fidelium tendat affectio; de hoc sibi delectationes non corruptibiles, sed æternas, sapiens continentia petat, et in amorem [h] ejus boni sine quo nullus est bonus incontaminata castitas inardescat. Ad hoc enim nobis tradita sunt exercitia Christiana ut, resecata omni illicita voluptate, in sanctas et spiritales delicias æstuemus. **350** Et cum nos oporteat semper studere virtutibus, quidam tamen dies ideo sunt ad castigationem communis observantiæ consecrati, ut anima quæ terrenis adhuc desideriis implicatur et curis sæcularibus impeditur, ex intervallo saltem ad divina respiret; et quia portio [i] Dominici agri est, dignos cœlestibus horreis afferat fructus. Ibi enim spes est metendi ubi fuerit diligentia seminandi.

Cap. V. — His, dilectissimi, ad profectum vestrum pro temporis occasione perstrictis, jejunium vobis septimi mensis indiximus, in quo vos non solum de ciborum abstinentia, sed etiam de pietatis operibus commonemus : ut quod vestris usibus religiosa parcitate subtrahitis in alimoniam pauperum et in cibos debilium transferatis ; omnibus quidem indigentibus generali benevolentia consulentes, sed maxime eorum memores qui sunt de membris corporis Christi et nobis unitate catholicæ fidei copulantur. Plus enim debemus nostris pro consortio gratiæ, quam alienis pro communione naturæ.

Cap. VI. — Abundet ergo in vobis, dilectissimi, benignitas Christiana; et sicut recurrentia anni tempora desideratis ut plena sint fructibus, ita et corda vestra pascendis sint fecunda pauperibus. Quibus utique potuit Deus, cujus sunt omnia, necessariam conferre substantiam, et tales eis tribuere facultates, ut in nullo vestris largitionibus indigerent; sed et illis et vobis multa virtutum materia defuisset, si nec illos ad patientiæ coronam inopia exerceret, nec vos ad misericordiæ gloriam copia provocaret. Mirabiliter autem providentia divina disposuit ut essent in Ecclesia et sancti pauperes et divites boni, qui invicem sibi ex ipsa diversitate prodessent, cum ad æterna et incorrupta præmia promerenda Deo gratias agerent accipientes, et Deo gratias agerent largientes : quoniam, sicut scriptum est, [j] et *patientia pauperum non peribit in æternum* (*Ps.* IX, 19), et *hilarem datorem diligit Deus* (II *Cor.* IX, 7). Quarta igitur et sexta feria jejunemus; sabbato vero apud beatissimum Petrum apostolum vigilias celebremus, speranteś nos ita ipsius orationibus adjuvandos, ut Deus miseri-

[a] Al., *sanctiorque*.

[b] Ita cum Quesnello ms. Venetus. Cæteræ editiones cum codd. collect. posteriorum : *Teneant... obtentiæ.*

[c] Vulgati, *arripiat*. Placuit lectio ms. Veneti.

[d] In prima editione deest *una*.

[e] Eadem editio, *tentationes*.

[f] Respicere videtur superstitionem gentium quæ astrorum pulchritudine captæ ex astris fecerunt deos; vel Manichæorum, qui soli ac lunæ superstitiosum cultum deferre ab ipso Leone inventi fuerunt, uti traditur serm. 42, c. 3, et ep. 15, ad Turibium, c. 4. Vide etiam peculiarem superstitionem erga solem nascentem a paganis derivatam serm. 27, c. 4.

[g] Ita ex ms. Veneto. Prima editio : *Insidioso enim sono et mollibus actibus*. Subsequentes editiones quæ a prima non habent originem : *Insidioso etiam sono mollibus ictibus*. Quesnellus : *Insidiosis etiam sonis et mollibus ictibus*.

[h] Supplevimus vocem *ejus* ex laudato ms. Veneto.

[i] Vulgati, *divini agri*. Mollius ex codd. Veneto *Dominici*, quod Leoni usitatum est.

[j] Particulam *et*, quæ in Rainaudo et Quesnello deerat, ex omnibus nostris codd. et anterioribus editionibus revocavimus. Cod. Venet., pro *pauperum*, habet, *pauperis*.

Digitized by Google

cordiarum jejunii nostri [a] sacrificio placatus **351** exaudiat per Jesum Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XC [*Al.* LXXXVIII].

De Jejunio septimi mensis V.

SYNOPSIS. — I. *Pœnitentiam semper esse necessariam propter continuas inimici insidias et concupiscentiam carnis.* — II. *Omnia impossibilia ex imbecillitate humana, esse possibilia ex virtute divina.* — III. *De amore Dei et mundi.* — IV. *Amorem Dei bonis operibus nutriri. Cur septimi mensis jejunium.*

CAP. I. — Sacratum, dilectissimi, in septimo mense jejunium, ad communis devotionis exercitia prædicamus, fidenter vos paternis cohortationibus incitantes, ut quod fuit [b] ante Judaicum, vestra [c] fiat observantia Christianum. Est enim omni tempore aptum et Testamento utrique conveniens, ut per castigationem [d] et mentis et corporis misericordia divina quæratur, quia nihil est efficacius ad exorandum Deum quam ut homo ipse se judicet, et NUMQUAM desinat a venia postulandâ, qui se scit numquam esse sine culpa. Habet enim hoc in se [e] vitium humana natura, non a Creatore insitum, sed a prævaricatore contractum, et in posteros [f] generandi lege transfusum, ut de corruptibili corpore etiam quod animam corrumpere possit oriatur. Hinc interior homo, [g] tametsi jam in Christo regeneratus et a vinculis captivitatis est erutus, assiduos habet cum carne conflictus, et dum cohibet concupiscentem patitur repugnantem. In qua discordia non facile obtinetur tam perfecta victoria ut etiam [h] illa quæ sunt abrumpenda non, illigent et quæ sunt interficienda non vulnerent. Quantumlibet sapienter et provide judex animus [i] exterioribus sensibus præsit, inter ipsas tamen curas atque mensuras regendæ carnis et alendæ, nimis ei semper vicina tentatio est. Quis enim ita se aut a voluptate corporis aut a dolore sejungit, ut ad ipsam mentem non pertineat, quod extrinsecus aut blanditur aut cruciat? Indivisum est gaudium, indiscreta tristitia : nihil [j] in homine iracundia non accendit, nihil lætitia non resolvit, nihil **352** ægritudo non afficit. Et quæ illic declinatio potest esse peccati, ubi una passio est et regentis et subditi? Merito Dominus protestatur quod *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI, 41).

CAP. II. — Et ne usque ad inertem desidiam desperatione ducamur, quæ impossibilia sunt homini ex imbecillitate propria, possibilia spondet ex virtute divina : *Angusta enim et arcta est via quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 14), et nemo in eam gressum inferret, nemo vestigium promoveret, nisi difficiles aditus ipse se Christus viam faciendo reseraret : ut auctor itineris fiat possibilitas ambulantis, quia idem et introducit ad laborem et perducit ad requiem. In quo ergo nobis spes est æternæ vitæ, in eodem est et forma patientiæ. *Si* enim *compatimur, et conregnabimus* (II *Tim.* II, 12; *Rom.* VIII, 17) : quoniam, ut Apostolus ait, *qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare* (I *Joan.* II, 6). Alioqui falsæ professionis imagine utimur, si cujus nomine gloriamur, ejus instituta non sequimur : quæ utique nobis onerosa non essent, et ab omnibus nos periculis liberarent, si nihil aliud quam quod amandum jubetur amaremus.

CAP. III. — Duo namque amores sunt ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus. Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, [k] aut Dei est amator aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia. Et ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus vero transeunter utendum est : ut peregrinantibus nobis et ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi hujus occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis. Ideo beatus Apostolus prædicat dicens : *Tempus breve est : reliquum est ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint; et qui flent, tamquam non flentes; et qui gaudent, tamquam non gaudentes; et qui emunt, tamquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi* (I *Cor.* VII, 29-31). Sed quod de specie, de copia, de varietate blanditur, non facile declinatur, nisi in illa visibilium pulchritudine Creator potius quam creatura diligatur, qui cum dicit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua* (*Matth.* XXII, 37), in nullo nos vult ab amoris sui vinculis relaxari. Et cum huic præcepto proximi quoque copulat **353** charitatem, imitationem nobis suæ bonitatis indicit : ut quod diligit diligamus, et quod operatur operemur. Quamvis enim *Dei agricultura simus, et Dei ædificatio* (I *Cor.* III, 9), *et neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (*Ibid.*, 7); in omnibus tamen exigit nostri ministerii servitutem, et nos dispensa-

Ita cum nostris codd. et vulgatis ante Quesnellum, apud quem nullo nostro ms. suffragante, *sacrificium placatus accipiat*. Clausulam ex codice Veneto expressimus. Al., *Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

[b] Septimi mensis jejunium apud Hebræos agebatur ipso expiationis die.

[c] Ita cum Lectionar. Veneto editiones anteriores Rainaudo et Quesnello, apud quos, *sit*. Mox *tempori* pro *tempore* in ms. Vat. collect. 5.

[d] Addidimus *et* ex laudato ms. Veneto.

[e] Editi pro *vitium* habebant *generaliter*. Emendationem suppeditavit laudatus cod. Venetus.

[f] Sic cum Quesnello idem ms. Venetus et Vat. collect. 5. Al., *generali*.

[g] Vulg. ante Quesn. et plures codd., *si tamen*.

[h] Addidimus *illa* ex ms. Veneto. Mox *alligent* pro *illigent* in prima editione.

[i] Vulg., *suis exterioribus præsit*. Prætulimus lectionem cod. Ven.

[j] Ita melius ex prima editione, uti etiam indicavit corrigendum Latinus Latinius. Al., *in hominem*.

[k] De hoc textu apud Quesnellianos celebri, et de Quesnelli postilla eidem apposita, plura in observationibus ad hunc sermonem dicenda erunt.

Digitized by Google

tores suorum vult esse donorum, ut QUI FERT Dei imaginem, Dei faciat voluntatem. Propter quod in oratione Dominica sacratissime dicimus : *Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI, 10). Quibus verbis quid aliud postulamus, quam ut Deus [a] quos necdum sibi subdidit subdat, et sicut in cœlo angelos, ita et in terra homines ministros suæ faciat voluntatis? Hoc autem petentes amamus Deum, amamus et proximum; et non diversa in nobis, sed una dilectio est, quando et servum servire, et dominum cupimus imperare.

CAP. IV. Hic igitur affectus, dilectissimi, quo amor terrenus excluditur, bonorum operum consuetudine roboratur, quia necesse est ut [b] bonis actibus conscientia delectetur, et libenter faciat quod fecisse se gaudeat. Assumitur ergo jejunium, multiplicatur largitio, justitia custoditur, frequentatur oratio, fitque ut singulorum desiderium sit unum omnium votum. Nutrit patientiam labor, mansuetudo exstinguit iram, benevolentia calcat invidiam, immundæ cupiditates sanctis desideriis enecantur, avaritia liberalitate depellitur, et onera divitiarum fiunt instrumenta virtutum. [c] Sed quia **354** insidiæ diaboli etiam inter talia studia non quiescunt, rectissime in quibusdam articulis temporum, vigoris nostri est instituta reparatio : ut ubi de clementia cœli et ubertate agri potest mens præsentium bonorum avida gloriari, et in ampla horrea fructibus congregatis, animæ suæ dicere : *Habes multa bona, epulare* (*Luc.* XII, 19) : ibi quamdam increpationem divinæ vocis accipiat, audiatque dicentem : *Stulte, hac nocte* [d] *reposcunt animam tuam a te : quæ autem præparasti, cujus erunt* (*Ibid.* 20)? Hæc sollicitissima meditatio debet esse sapientis, ut quoniam breves dies istius vitæ et incerta sunt spatia, numquam sit mors improvisa morituro, nec [e] inordinatum incidat finem, qui se novit esse mortalem. [f] Quod itaque et sanctificationi corporum, et reparationi prosit animarum, quarta et sexta feria jejunemus; sabbato autem [g] apud beatissimum Petrum apostolum vigilias celebremus, ejus orationibus adjuvandi, ut sanctorum desideriorum consequamur effectum : per Christum Dominum nostrum, [h] qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

355 SERMO XCI [*Al.* LXXXIX].

De Jejunio septimi mensis VI.

SYNOPSIS. — I. *Dei voluntatem ex ipsis etiam elementis edoceri, quæ et a cibis, et a mundana sapientia abstinere jubet.* — II. *Tam Nestorii quam Eutychis hæresim esse detestandum.* — III. *Veritatem carnis in Christo ex sacrificio Eucharistiæ et præcepto eleemosynæ probari.*

CAP. I. — Devotionem fidelium, dilectissimi, nihil est in quo providentia divina non adjuvet. Siquidem exercendis ad sanctimoniam mentibus atque corporibus, ipsa quoque mundi elementa [i] famulantur, dum dierum ac mensium distincte variata revolutio quasdam nobis paginas aperit præceptorum, ut quod sacra admonent instituta, hoc quodammodo loquantur et tempora. Unde cum septimum mensem nobis anni recursus attulerit, non ignoro observantiam vestram ad celebrandum solemne jejunium spiritaliter incitari : quoniam [j] experimento didicistis quantum hæc præparatio et exteriora hominum et interiora purificet, ut cum a licitis abstinetur, facilius illicitis resistatur. Continentiæ autem ratio, dilectis-

[a] Editi, *quem*. Melius ex cod. Veneto, *quos*, unde postea, *homines*.

[b] Al., *rectis*.

[c] In antiquissimo Vat. 3836 finis hujus sermonis multo diversus profertur sic : *Sed quia insidiæ diaboli etiam inter talia studia non quiescunt, hoc quod de prophetica voce cantatum est, in affectum assumatur orantium, ut non solum labiis, sed et corde dicatur : Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me* (*Ps.* XVI, 8). *Incessabiliter enim divino egemus auxilio, et hæc est humanæ devotionis insuperabilis fortitudo, ut illum protectorem semper habeamus, sine quo fortes esse non possumus. Quod ergo et sanctificationi corporum et reparationi prosit animarum, quarta et sexta sabbati jejunemus; sabbato vero etiam vigilias celebremus apud beatissimum apostolum Petrum, ut piarum ovium deprecationibus gloriosissimi pastoris patrocinetur oratio. Per Dominum nostrum regnantem cum Patre, et cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.* Licet hujus Romani Lectionarii auctoritas, et stylus hunc finem Leoni tribuendum suadeat, vulgatam nihilominus lectionem, quæ Leonem pariter spirat, et legitur in cæteris codicibus atque in Lectionario Veneto, noluimus deserere. Cum vero tanta varietas Leonis stylum referens, amanuensibus tribui sequeat, id unum hinc colligi posse videtur S. pontificem hunc sermonem bis recitasse, solo fine mutato. Aliquid enim simile aliis in sermonibus, qui alias insignes mutationes præstantissimis Lectionariis mss. probatas exhibent, accidisse probabilissimum est. Confer serm. 22, in quo Lectionarium Vercellense et Homiliarium Pauli Diaconi non exiguam ab editis aliisque codicibus varietatem præferunt, ut ibidem observavimus annot. 1. Ita etiam serm. 59, c. 1 et 4, varias et alterius formæ lectiones in Vat. 3835 ac in cod. Casinensi deprehendere licuit, quæ eamdem causam habere videntur. Post nonnulla editi et posteriores codd., *vigoris est nostri reparatio instituta*. Magis Leonina visa est syntaxis Lectionarii Veneti.

[d] Prima editio, *reposcam*.

[e] Legendum forte, *inopinatum*, non *inordinatum*, olim conjectaram. At conjectationi modo non parum detraho, tum quod vox ista congruentem huic loco per se significatum habet, tum quod se ipse doctor noster explicat lib. II de Vocat. gentium cap. 21, his aliis verbis idem cogitatum referentibus : *Quod ergo ab initio mortale est, qualibet occidat die, non contra legem mortalitatis occumbit, nec umquam ei vicinius est posse vivere, quam posse deficere.* Quem enim finem in præsenti sermone *inordinatum* dicit, illic *contra legem mortalitatis* appellat. QUESNELLUS. — Putavit Quesnellus in hac annotatione libros de Vocat. gentium esse Leonis, cum tamen alterius incerti auctoris sint, ut alibi demonstrabimus. Omnes tamen nostri codices vulgatam lectionem præferunt.

[f] Prima editio cum mss. collect. 3, et 4, *Quod ergo et*. Codices collect. 5, *Quod itaque ut*. Editiones Quesnello anteriores : *Quod itaque ut et sanctificationi*. Quesnelli lectionem a nobis receptam codex Venetus confirmat.

[g] Ms. Venet., *ad beatissimum*; et paulo post, *orationibus ipsius adjuvandi*.

[h] Sequentia ex eodem codice supplevimus.

[i] Solus Quesnellus, *famulentur*.

[j] Ita ex duobus Lect. mss. Bergom. et Veneto S. Marci. Al., *experiendo*. Paulo post iidem codd., *et cum a licitis*.

Digitized by Google

simi, non in sola castigatione corporum, nec in diminutione tantum [a] habeatur escarum. [b] Majora enim virtutis istius bona ad illam animæ pertinent castitatem, quæ non solum carnis concupiscentias conterit, sed etiam mundanæ sapientiæ vana contemnit, dicente Apostolo: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum* (*Coloss.* II, 8).

CAP. II. — Continendum ergo est a cibis, sed multo magis ab erroribus jejunandum: ut mens nulli carnali dedita voluptati, nullius sit captiva mendacii: quia sicut in præteritis, **356** ita etiam in nostris diebus non desunt veritatis inimici qui [c] intra catholicam Ecclesiam movere audeant bella civilia, ut in consensum impiorum dogmatum imperitos [d] quosque ducentes, sibi glorientur accrescere quos a Christi corpore potuerint separare. Quid enim tam adversatur prophetis, tam repugnat Evangeliis, tam denique est apostolicis rebelle doctrinis, quam in Domino Jesu Christo ex Maria genito, et sempiterno Patri intemporaliter coæterno, unam et singularem prædicare naturam? [e] Quæ si hominis tantum intelligenda est, ubi est quæ salvat Deitas? si tantummodo Dei, ubi est quæ salvatur humanitas? Fides autem catholica, quæ omnibus resistit erroribus, etiam simul istas impietates refutat, damnans Nestorium divina ab homine dividentem, detestans Eutychen [f] in divinis humana vacuantem: quoniam veri Dei Filius Deus verus, unitatem et æqualitatem habens cum Patre, et cum Spiritu sancto, idem verus homo esse dignatus est, nec conceptu Virginis matris [g] est sejunctus a carne nec partu: sic humanitatem sibi uniens, ut Deus incommutabiliter permaneret; sic Deitatem homini impertiens, ut eum glorificatione non consumeret, sed augeret. Qui enim factus est forma servi, forma Dei esse non destitit, nec alter cum altero, sed unus in utroque est: ut ex quo *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), nullis dispensationum varietatibus fides nostra turbetur; sed sive in miraculis virtutum, sive in contumeliis passionum, et Deum qui homo est, et hominem credamus esse qui Deus est.

CAP. III. — Hanc confessionem, dilectissimi, toto corde promentes, impia hæreticorum commenta respuite, ut jejunia [h] vestra et eleemosynæ nullius erroris contagio polluantur; tunc enim et sacrificii munda est oblatio, et misericordiæ sancta largitio, quando ii qui ista dependunt, [i] quod operantur intelligunt. Nam dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54), sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus [j] de veritate corporis **357** Christi et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur quod fide creditur: et frustra ab illis AMEN respondetur, a quibus contra id quod accipitur, disputatur. Dicente autem propheta: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem* (*Ps.* XL, 1), ille circa [k] pauperes vestimentorum et ciborum laudabilis distributor est, qui se Christum in indigentibus et vestire novit et pascere: quoniam [l] ipse

[a] Editi ante Quesn., *habetur*. Duo memorata Lectionaria ut in textu.

[b] Quesnellus in margine et cod. Bergom., *Major enim virtus istius boni... pertinet*.

[c] Vulgati, *inter*. Correximus ex prima editione et nostris codicibus.

[d] Prima editio et cod. Bon., *quosdam*. Mox cod. Bergom., pro *accrescere*, habet, *adhærescere*.

[e] Ita cum Quesnello laudatus cod. Venetus. Anteriores editiones cum aliis codd., *Quia*, et ita etiam in tractatu contra Eutychianos cap. 3, qui in appendice edetur.

[f] Quesnellus, *divinis*. Præpositionem *in* ex anterioribus editis et codd. Bergom. et Veneto revocavimus; Eutyches enim, qui Christo non Divinitatem, sed veram humanitatem negavit, non *divinis humana vacuasse*, sed *in divinis vacuasse humana* dicendus est. Tractatus etiam contra Eutychianos habet, *in divinis*.

[g] Addidimus verbum *est* ex editionibus quæ Quesnellianam præcessere, et ex codd. Bergom. et Veneto. Mox ms. Bergom., *nec partu sic humanitatem sibi uniens, ut Deus incommutabiliter non permaneret*.

[h] Quesnellus omittit *vestra*. Aliæ editiones, *jejunia et eleemosynæ vestræ*. Præstulimus lectionem cod. Veneti et duorum Vatt. Mox editi ante Quesn., *contagione*. Nostri codd., *cantagio*

[i] Al., *quid operentur*.

[j] Respicit S. pontifex Eutychianorum errorem, qui veritatem corporis et sanguinis Christi post unitionem Verbi in ipsa urbe Roma negasse traduntur serm. 96, cap. 1, his verbis: *Sollicitudinem nostram latere non potuit quosdam Ægyptios præcipuos negotiatores ad Urbem venisse, eaque quæ Alexandriæ sceleste ab hæreticis sunt admissa defendere, asserentes solam Deitatis in Christo fuisse naturam, nec carnis humanæ, quam sumpsit ex beata Maria Virgine, habuisse penitus veritatem.* Id in Eutychis sensum, quem idcirco *in divinis humana vacuantem* hoc ipso in sermone capite antecedenti prodidit; et clarius in ep. 35, cap. 1: *Qui unigenitum Dei Filium sic de utero beatæ Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit*; seu, uti traditur ep. 31, *ut quod formam servi gessit, quod nostri similis fuit atque conformis, quædam nostræ carnis fuerit imago, non veritas.* Præmonere igitur et præmunire S. pontifex voluit auditores ne quis forte ex hac zizania per Urbem disseminata de ea veritate veri corporis et sanguinis Christi ambigeret, quam in Eucharistia confitebantur et approbabant, dum Eucharistiam sumpturi ad verba sacerdotis dicentis, *Corpus Christi* et *sanguis Christi*, respondebant, *Amen*. Eodem pariter consilio doctrinam et praxim circa Eucharistiam ad Eutychianum errorem revincendum adhibuit etiam ep. 59, cap. 2: *In quo hactenus desidiæ tempore jacuere, ut nec auditu discerent, nec lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas corporis et sanguinis Christi inter communionis sacramenta taceatur.* Frustra autem Calvinistæ hæc Leonis testimonia deludere nisi, reponunt mentem ejus fuisse non dubitandum de veritate corporis et sanguinis Christi in se, non autem non dubitandum de veritate ejusdem in Eucharistia: nam palam S. pontifex affirmavit: *Hoc enim ore sumitur quod fide creditur.* Igitur si fide credendum est verum corpus et verus sanguis in Christo, idem verum corpus et verum sanguinem ore sumi non est ambigendum.

[k] Cod. Venetus, *inopes*.

[l] Editiones Quesnello anteriores addunt particulam *ut*, quæ tamen in plerisque nostris codicibus deest. Mox *uni de fratribus his meis* legitur in iisdem editionibus, non tamen in nostro Lectionario Veneto, quod lectionem textus a Quesnello inductam confirmat.

Digitized by Google

sit : *Quamdiu fecistis uni ex fratribus meis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40). Verus itaque Deus et verus homo, unus est Christus, dives in suis, pauper in nostris, dona accipiens et dona diffundens, particeps mortalium et [a] vivificatio mortuorum : *ut in nomine Jesu Christi omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 10, 11), vivens et regnans [b] cum sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XCII [*Al.* XC].

De Jejunio septimi mensis VII.

Synopsis. — I. *Præcepta legis moralia non abolita; neminem unquam sine charitate justificatum; abundantiam justitiæ evangelicæ in abundantia charitatis esse positam.* — II. *Jejunia novæ legis ex veteri assumpta, alio spiritu esse perficienda.* — III. *Deo soli placere quemque debere : talem esse cujusque thesaurum, quale est id cui corde inhæret.* — IV. *Septimum mensem jejunio, bonis operibus* 358 *et ipso sui numero esse consecratum.*

Cap. I. — Apostolica institutio, dilectissimi, quæ Dominum Jesum Christum ad hoc venisse in hunc mundum noverat, ut legem non solveret, sed impleret (*Matth.* v, 17), ita veteris Testamenti [c] decreta distinxit, ut quædam ex eis, sicut erant condita, evangelicæ eruditioni profutura deceperet, et quæ dudum fuerant consuetudinis Judaicæ, fierent observantiæ Christianæ. Quamvis enim varietates hostiarum, differentiæ baptismatum, et alia sabbatorum cum ipsa carnis circumcisione cessaverint, manent tamen ex ipsis voluminibus etiam apud nos plurima præcepta moralia. Et cum inde dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; et diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* xxii, 37, 39) : Christo Domino [d] dicente cognoscimus, quod *in his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ* (*Ibid.*, 40); tantaque est sub hujus geminæ charitatis edicto utriusque copula Testamenti, ut sine istarum connexione virtutum nec lex quemquam inveniatur justificasse, nec gratia. Illæ quoque partes legalium mandatorum ex quibus quædam præcipiuntur ut fiant, quædam interdicuntur ut non fiant, antiquæ auctoritatis retinent firmitatem. Nec ideo eis evangelica putanda est adversa perfectio, quia et virtutum studia ad voluntaria incitantur augmenta, et ultiones criminum pœnitentiæ remediis relaxantur. Dicit enim Dominus : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* v, 20). Quomodo [e] vero abundabit justitia, nisi *superexaltet misericordia* [f] *judicium* (*Jacob.* II, 13)? Et quid tam æquum 359 quidque tam dignum est quam ut creatura ad imaginem et similitudinem Dei condita suum imitetur auctorem, qui reparationem sanctificationemque credentium in peccatorum remissione constituit, ut remota severitate vindictæ, omnique cessante supplicio, reus innocentiæ redderetur, et finis originum fieret origo virtutum?

Cap. II. — Quod igitur, dilectissimi, ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum corporumque nostrorum jejunium septimi mensis assumimus, non legalibus nos oneribus subjicimus, sed utilitatem continentiæ [g] quæ Christi Evangelio servit, amplectimur. Quia et in hoc potest super Scribas et Pharisæos Christiana abundare justitia, non evacuando legem, sed intelligentiam refutando carnalem. Nec enim nostra talia debent esse jejunia, qualia erant illorum quibus Isaias propheta Spiritu sancto in se loquente dicebat : *Neomenias vestras et sabbata et diem magnum non sustinco, jejunium et ferias et dies festos vestros odit anima mea* (*Isai.* I, 13). Unde et Dominus jejunandi formam discipulis tradens, *Cum* [h] *jejunatis*, inquit, *nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 16). Quam mercedem, nisi laudis humanæ? propter cujus cupidifatem, justitiæ species plerumque prætenditur, et ubi nulla est cura conscientiæ, amatur falsitas famæ; [i] ut iniquitas, quæ occultatione arguitur, mendacii opinione lætetur.

Cap. III. — Rationabile itaque sanctumque jejunium [j] nulla ostentationis jactantia polluatur, nec bonum suum quisquam fidelium de humanis velit pendere judiciis. Diligenti Deum sufficit ei placere quem diligit : quia nulla major expetenda est remuneratio, quam ipsa dilectio : sic enim charitas ex Deo est, ut Deus ipse sit charitas. 360 [k] Quo utique

[a] Editio Rainaudi, *vivificator*.

[b] Cod. Venetus, *cum Patre et Spiritu sancto*.

[c] Prima editio, *sacramenta*.

[d] Ms. Vat. collect. 5, *docente*. Mox editi ante Quesn., *cognovimus*; et *quoniam in his duobus mandatis* in ms. Veneto.

[e] Editi, *ergo*. Melius cum ms. Veneto et tribus Vat., *vero*.

[f] Ex cod. Veneto supplevimus, *judicium*, quæ vox et legitur Jacobi II, 13, et ab ipsius contextus sententia exigitur : refertur enim hic locus ad ecclesiasticos judices, qui dum pœnitentibus crimina misericordius relaxant, Dei justitiam imitantur, de quo scriptum est apud Jacobum loco laudato : *Superexaltat misericordia judicium*. Paulo post, *quidve tam dignum* in prima editione et mss. Vatt. collect. posteriorum.

[g] Cod. Venetus, *quæ Christi Evangelium servat*.

[h] Idem cod. addit. *autem*; et paulo post, *percepe-*

runt pro *receperunt*.

[i] Quesnellus et noster ms. Bergom., *et iniquitas, quæ occulta actione arguitur, mendacii opinione lætatur*. Haud deserendam putavimus omnium ante editorum et cæterorum nostrorum codicum lectionem, quæ satis congrua est. Nec displiceat vox *occultatione*, nam indicatur inanis gloriæ intentio, quæ ex eo ipso quod occultatur iniquitatis arguitur.

[j] Editi ante Quesn. cum mss. trium posterior. collect. et Bergom., *nulla laudis ostentationisque jactantia*; tres codd. Vat., *nulla laude, ostentationisque jactantia*. Quesnellus, nullo indicato codice et nullo nostro suffragante, *nulla ostentationis jactantia*. Secuti sumus ms. Venetum, cujus vox *ostentationis* aliis editis et codicibus confirmatur, et pro ostensione ponitur; sicuti verbum *ostento* frequentativum est pro simplici *ostendo*.

[k] Vulgati ante Quesn. cum codd. posteriorum col-

Digitized by Google

pius et castus animus ita gaudet impleri, ut nulla re extra ipsum cupiat delectari. Verissimum namque est quod dicit Dominus : *Ubi est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum* (*Matth.* VI, 21). Quis autem est thesaurus hominis, nisi quædam fructuum ejus congregatio laborumque collectio? *Quod enim quis seminaverit, hoc et metet* (*Galat.* VI, 8), et quale cujusque opus, talis est et quæstus; et ubi oblectatio fruendi constituitur, ibi cura cordis [a] obstringitur. Sed cum multa sint genera divitiarum, [b] dissimilesque materiæ gaudiorum, THESAURUS CUIQUE est suæ cupiditatis [c] affectus, qui si de appetitu est terrenorum, non beatos facit sui participatione, sed miseros. Hi vero qui ea quæ sursum sunt sapiunt, non quæ super terram (*Coloss.* III, 1), nec perituris intenti sunt, sed æternis, in illo habent incorruptibiles reconditas facultates, de quo dicit propheta : *Thesaurus et salus nostra advenit, sapientia et disciplina et pietas a Domino : hi sunt thesauri justitiæ* (*Isai.* XXXIII, 6, *sec.* LXX) : per quos, auxiliante Dei gratia, etiam terrena bona in cœlestia transferuntur, dum multi divitiis, aut juste sibi relictis aut aliter acquisitis, ad instrumentum [d] pietatis utuntur. Cumque ad sustentationem pauperum, quæ possunt exuberare distribuunt, congregant sibi inamissibiles facultates : ut quod [e] abdiderunt eleemosynis, nullis possit subjacere dispendiis; et digne ibi habeant cor, ubi habent thesaurum suum (*Matth.* VI, 21) : quia tales divitias suas [f] beatissimum est exercere ut crescant, et non timere ne pereant.

CAP. IV. — *Operantes* igitur, dilectissimi, *quod bonum est ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Galat.* VI, 10), septimum mensem ab initio mysticum propter septiformem Spiritum, et ipso sui ordinis numero consecratum, continentiæ fructibus deputantes, [g] quarta et sexta sabbati solemniter jejunemus; sabbato autem apud beatum Petrum vigilias **361** celebremus : cujus nobis et orationes suffragabuntur et merita, [h] ut quantum cuique fidelium tribuitur bonum velle, tantum donetur et posse, ipso adjuvante, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XCIII [*Al.* XCI].

De Jejunio septimi mensis VIII.

SYNOPSIS — I. *Finem legis esse amoris recti de pravo victoriam. De voluntate mala et bona.* — II. *Longe plus delectare justitiam quam iniquitatem, cujus lex Dei lege superanda.* — III. *Quantum prosit jejunium septimi mensis a lege et apostolis institutum.*

CAP. I. — Omnis, dilectissimi, divinorum eruditio præceptorum hoc maxime agit apud corda credentium, ut amor pravus recto amore superetur, et [i] delectatione justitiæ peccandi cupiditas destruatur, dicente Scriptura : *Post concupiscentias tuas* [j] *non eas, et a voluntate tua avertere* (*Eccli.* XVIII, 30). Cum autem sint in animis hominum multæ bonæ concupiscentiæ et laudabiles voluntates, quid est quod jubetur ut nostris non consentiamus affectibus, nisi quod ab illa concupiscentia prohibemur, et ab illa voluntate revocamur, cujus ortus ex nobis est, et ideo mala pronuntiatur, quia nostra esse convincitur? Ad distinctionem igitur concupiscentiarum quæ sunt ex Deo bene homini dictum est : *Post concupiscentias tuas non eas*, ut quas cognoverit proprias sciat esse vitandas. Merito ergo Dominus, in oratione quam tradidit, noluit nos ad Deum dicere : *Fiat voluntas nostra*, sed *fiat voluntas tua* (*Matth.* VI, 10) : hoc est, non illa quam caro incitat, sed quam Spiritus sanctus inspirat. Unde autem hoc desiderium conceptum sit, cui semper debeat repugnari, non difficulter intelligunt qui se Adæ filios esse noverunt, et peccante humani generis patre non dubitant in propagine vitiatum esse quod est in radice corruptum. Quamvis autem **362** per gratiam Domini nostri Jesu Christi in novam creaturam transierimus ex veteri, [k] et imagine nos terreni hominis homo cœlestis exuerit; donec tamen corpus mortale gestamus, necesse est ut contra carnis desideria dimicemus. Bonum est enim animæ Deo subditæ timere [l] ne cadat, et habere quod vincat, quoniam *virtus in infirmitate perficitur*; et quod nos exercet

lect. : *Quod utique pius et castus ita gaudet animus implere, ut in nullo extra illum*, etc. Unus Vat., *extra ipsum*. Quesnelli emendatio Lectionario Veneto confirmata præferenda fuit ex contextu, cum relativum *Quo*, non autem *Quod* Deum indicet, ad quem profecto sequentia, *extra ipsum*, referri debent. Mox in eodem cod. Veneto : *Verissimum itaque est quod ait Dominus : Ubi erit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum*. In duobus Vat. collect. 4 et 5 pariter legitur : *Ubi erit thesaurus tuus*. In prima editione : *Ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum*.

[a] Ms. Venetus, *constringitur*.

[b] Ita nostri codd. et editi anteriores Quesnello, qui nihil indicans edidit, *tamquam dissimiles materiæ*.

[c] Quesn. in margine : Al., *effectus*; quod nec in editionibus, quas vidimus, nec in nostris mss. invenire licuit.

[d] Quesnellus Rainaudi editionem secutus cum mss. collect. 5, *impietatis*, et in margine : Legendum forte, *pietatis*. Id autem præferunt editiones tres quas vidimus, prima, et Coloniensis an. 1547, atque Antuerpiensis an. 1583, et duo nostra mss. Lectionaria.

[e] Ita vulgati ante Quesn. et nostri codices. Solum prima editio et cod. Bergom., *addiderunt*. Quesn., *abdiderint*.

[f] Editiones ante Quesn. addunt, *dignum et*, non tamen plerique nostri codices.

[g] Eædem editiones, *quarta et sexta feria jejunemus*. Nostri codd. ut in textu.

[h] Vulgati, *ut quantumcumque fidelibus*. Prætulimus lectionem antiquissimi Lectionarii Vat. 3856, ex quo clausulam pariter recepimus, *ipso adjuvante*, etc., cum antea legeretur : *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

[i] Cod. Venetus, *a dilectione*.

[j] Idem ms. Ven., *ne eas :* Unus Vat., *ne eas, et a voluntate revertere*. Prima editio, *et a voluntate tua mala avertere*.

[k] Prima editio, *et imaginem terreni hominis*. Cæteræ, *et imaginem nos terreni hominis*. Nostri codices lectionem textus a Quesnello inductam approbant.

[l] Editio Rainaudi, *ne cedat*. Post pauca *continentia* pro *ad continentiam* in vulg. ante Quesn.

Digitized by Google

ad continentiam, hoc perducit ad gloriam (II *Cor.* XII, 9).

CAP. II. — Abstinendum est itaque, dilectissimi, ab his quæ nobis noxie blandiuntur, et lex peccati quæ est in membris nostris (*Rom.* VII, 23), Dei lege superanda est : ut licet per omnes sensus corporis multæ insidientur illecebræ, anima tamen, cui summum bonum et verum gaudium Deus est, inter castas spiritalesque delicias in sapientiæ latitudine et in veritatis luce versetur. Si enim seipsum sibi rationalis homo comparet, omnesque suorum actuum qualitates vera inspectione dijudicet, numquid [a] in intimis conscientiæ suæ hoc delectationis inveniet de iniquitate commissa, quod de æquitate servata? aut tantum ei jucunditatis carnalis voluptas, quantum spiritalis pariet appetitus? Nihil prorsus [b] de virtutum bonis attigit, nihil de pietatis suavitate gustavit, qui magis vult in his sordescere quæ immunda sunt, quam in iis splendere quæ sancta sunt. Non sinit ratio ut cordibus non usquequaque captivis ita placeat satiata ira, ut remissa vindicta; aut tantum generent gaudium [c] male quæsita de alieno, quantum bene expensa de proprio. Felicior semper est parca temperantia quam profusa luxuria; [d] major requies humilibus quam superbis; et sublimior mens quæ inter prohibita atque permissa certius habet sperare cœlestia, quam amare terrena. Ut autem in hoc provectu animus religiosus excellat et jus suæ dominationis obtineat, [e] subigendo corpori castigatio est adhibenda jejunii. Quod licet generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur, proprie tamen ad edendi diminutionem refertur : ut prosit nunc voluntate non sumere, quod ab initio contra vetitum nocuit usurpasse : ut sicut illic concupiscentia [f] fuit vulneri, ita hic abstinentia sit saluti.

CAP. III. — Cui medicinæ, dilectissimi, licet tempus **363** omne sit congruum, hoc tamen habemus aptissimum, quod et apostolicis et legalibus institutis videmus electum, ut sicut in aliis anni diebus, ita in mense septimo spiritalibus nos purificationibus emundemus. Convenientibus enim in unum propositum tribus studiis, oratione scilicet, et eleemosyna, atque jejunio, præstabitur nobis a misericordi Deo et cohibitio cupiditatum, et exauditio precum, et remissio peccatorum : per Dominum nostrum Jesum Christum, [g] qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Ms. Bergom., *in imis.*

[b] Ita ex quinque mss. Vat. et duobus Lectionariis Bergom. et Veneto. Editi ante Quesn., *de virtutum splendore attingit*, et dein, *gustat.* Quesn., *de virtutum splendore attinget, et gustabit;* at in margine : Al., *de virtutum bonis.*

[c] Editi ante Quesn., *mala quæsita*, et dein, *bona expensa.* Aliqui codd. habent tantum, *bona expensa.* Duo nostra Lectionaria textus lectionem exhibent.

[d] Ita cum Quesnello ms. Bergom., et parum absimiliter codex Venetus, *major quies.* Anteriores editiones cum mss. posteriorum collect., *majorque est lux humilibus.*

SERMO XCIV [*Al.* XCII].

De Jejunio septimi mensis IX.

SYNOPSIS. — I. *Magis curandum esse jejunium spiritale quam corporale.* — II. *In quo spiritale jejunium sit positum, et quo auxilio implendum.* — III. *Cur quatuor temporum jejunium fuerit institutum.* — VI. *Deum diligi, cum proximus diligitur et juvatur.*

CAP. I. — Scio quidem, dilectissimi, plurimos vestrum ita in iis quæ [h] ad observantiam Christianam pertinent esse devotos, ut nostris cohortationibus non indigeant admoneri. Quod enim dudum et traditio decrevit, et consuetudo firmavit, nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit. Sed quia sacerdotalis officii est erga omnes Ecclesiæ filios curam habere communem, in id quod et rudibus prosit et doctis, quos simul diligimus, pariter incitamus : ut jejunium quod nobis septimi mensis recursus indicit, fide alacri per castigationem animi et corporis celebremus. Quamvis enim diminutio cibi carnem proprie videatur afficere, nihil tamen corporeis sensibus vel conceditur vel negatur, quod non sicut ad servientem, ita pertineat ad jubentem. Cum itaque unusquisque homo duplicem in se legem habeat continentiæ, nihilque actionum nostrarum ad solum corpus, multa autem ad solum referenda sint animum, prudenter debemus advertere quam indecens quamque injustum sit, si quod a superiore indicitur ab inferiore negligatur. Ut autem mens rationalis salubriter **364** exteriora castiget, debet etiam propria exercere jejunia : quia non solum carnis desideriis, sed etiam animi cupiditatibus convenit repugnare, dicente Scriptura : *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua* [i] *avertere* (*Eccli.* XVIII, 30). Jejunans ergo ab iis quæ caro appetit, jejunet et ab iis quæ male interior substantia concupiscit. PESSIMUS enim animæ cibus est, velle quod non licet; et noxia cordis delectatio est, quæ aut turpi lucro pascitur, aut superbia extollitur, aut [j] ultione lætatur. Quamvis enim his affectibus motus quoque corporis serviant, ad originem tamen suam cuncta respiciunt, et ibi consetur qualitas actionis, ubi invenitur initium voluntatis, quam revocare a pravis desideriis optimum maximumque jejunium est, quia tunc est edendi abstinentia fructuosa quando exterior parcitas a temperantia interiore procedit.

CAP. II. — Celebraturi igitur, dilectissimi, verum et spiritale jejunium, quod et corpus et animum sui

[e] Sic ex nostris mss. et editis, excepto Quesn., apud quem, *subjiciendo.*

[f] Quesnellus addidit, *fuit*, uti legitur in codice Venet.

[g] Ex mss. Veneto et Vat. collect. 5, supplevimus, *cum Patre et Spiritu sancto.*

[h] Editi ante Quesn., *ad observantiam christianæ fidei*, cum codd. collect. 3 et 4. Cæteri nostri codices et mss. Corb. ac Vict. Quesnelli textus lectionem præferunt.

[i] Lectionarium Venetum, *vetare.*

[j] Sic Quesnellus cum nostro Lectionario Veneto. Concinunt mss. collectionis 2, in quibus habetur, *vindicta.* Cæteri editi, *adulatione.*

Digitized by Google

puritate sanctificet, cordis nostri secreta rimemur, et quibus rebus aut contristentur aut gaudeant, justo discutiamus examine. Ac si quis amor vanæ gloriæ, si qua radix avaritiæ, si quod inest virus invidiæ, nihil talium anima sumat escarum, sed virtutum intenta deliciis, cœlestes epulas terrenæ præferat voluptati. Agnoscat homo sui generis dignitatem, factumque se ad imaginem et similitudinem sui Creatoris intelligat; nec ita de miseriis quas per peccatum illud maximum et commune incidit expavescat, ut non se ad misericordiam sui [a] Reparatoris attollat. Ipse enim dicit : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit.* XIX, 2) : hoc est, me eligite, et ab iis quæ mihi displicent abstinete. Facite quod amo, amate quod facio. Et cum videtur esse difficile quod jubeo, ad jubentem accurrite; ut unde datur præceptum, præstetur auxilium ; [b] non negabo opem qui tribui voluntatem. Jejunate ab adversis, abstinete a contrariis. Ego sum cibus vester et potus : nemo quæ mea sunt inefficaciter [c] concupiscit; qui enim ad me tendit ex mei participatione me quærit.

CAP. III. — His, dilectissimi, cohortationibus, quibus nos ad bona incommutabilia et ad gaudia invitat æterna, plenæ sunt omnes divinarum paginæ litterarum ; et [d] hoc nobiscum agit Testamenti utriusque doctrina, ut inhæreamus veris et contineamus a vanis. Non enim apprehendi potest **365** quod promittitur nisi custoditum fuerit quod jubetur. Quid [e] autem justius quam ut homo, cujus fert imaginem, faciat voluntatem, et per abstinentiam cibi jejunet a lege peccati? Ideo enim ipsa continentiæ observantia quatuor est assignata temporibus, ut in idipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus nos indesinenter purificationibus indigere, semperque esse nitendum, dum [f] in hujus vitæ varietate jactamur, ut peccatum, quod fragilitate carnis et cupiditatum pollutione contrahitur, jejuniis atque eleemosynis deleatur.

CAP. IV. — Esuriamus paululum, dilectissimi, et aliquantulum quod juvandis possit prodesse pauperibus, nostræ consuetudini subtrahamus. Delectetur conscientia benignorum fructibus largitatis ; [g] et cum gaudio tribuens, quo es lætificandus, accipies. Dilectio proximi dilectio Dei est, qui plenitudinem legis et prophetarum in hac geminæ charitatis unitate constituit (*Matth.* XXII, 40) ; ut nemo ambigeret Deo se offerre quod homini contulisset, dicente Domino Salvatore, cum de alendis juvandisque pauperibus loqueretur : *Quod uni eorum fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40). Quarta igitur et [h] sexta feria jejunemus ; sabbato vero apud beatum Petrum apostolum vigilias celebremus, cujus nos meritis et orationibus credimus adjuvandos, ut misericordi Deo [i] jejunio nostro et devotione placeamus, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

366 SERMO XCV,

Sive homilia de gradibus ascensionis ad beatitudinem.

[j] *De eo quod scriptum est :* Videns Jesus turbas, ascendit in montem; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, *etc.* (*Matth.* V, 1 *seqq.*).

SYNOPSIS. — I. *Christum per exteriores medelas animos ad interiores præparasse, quæ per lenitatem gratiæ fiunt.* — II. *Humilitatem, quæ omnium esse potest, primum esse gradum ad beatitudinem.* — III. *Ditissimam potentissimamque apostolorum, Petrique in primis fuisse paupertatem.* — IV. *Quis luctus iter ad beatitudinem?* — V. *Quænam terra mitibus promissa?* — VI. *Sitim justitiæ aliud nihil esse quam Dei amorem.* — VII. *Misericordia hominem Deo similem effici.* — VIII. *Cordis oculum mundandum*

[a] Duo mss. Vat., *Creatoris;* alius Vat. et prima editio, *Auctoris.* Mox ms. Venet., *quia ego sanctus sum.* Mox vulgati, *me diligite.* Plurium et potiorum nostrorum exemplarium lectionem secuti sumus. Dein, *ad jubentem recurrite* in nonnullis mss. legitur.

[b] Cod. Venetus, *non negabat* (lege *negabit*) *opem, qui tribuit voluntatem.*

[c] Idem ms. Ven., *concupiscet.*

[d] Prima editio et duo mss. Vat., *ab hoc.*

[e] Particulam *autem* inseruimus ex quinque nostris codicibus.

[f] Ex nostris Lectionariis addidimus præpositionem *in.*

[g] Vulg., *et gaudia.* Prima editio cum mss. collect. 3, *et gaudio.* Emendavimus ex codd. collect. 2. Quesnellus hanc periodum, *Delectetur*, usque ad *accipies*, expunxit auctoritate mss. Corb. et Vict. Deest etiam in nostro cod. Vat. 544 collect. 5 simili Victorino ; sed in aliis mss. legitur, ac etiam in cod. Lect. Veneto, et in Vat. 3836. Post nonnulla, *quidquid homini contulisset*, est in quibusdam codd.

[h] Cod. Venet., *sexta sabbati.*

[i] Idem codex, *jejunii nostri devotione.*

[j] Prima editio et tres mss. Vat., nec non tabula ms. Casanatensis hanc inscriptionem præferunt : *In festo*, seu *In festivitate omnium sanctorum. In illo tempore videns Jesus turbas*, etc. Nihil dubitandum est quin titulus *In festo omnium sanctorum*, quod Leonis tempore nondum erat inductum, ex posteriobus de Jejunio septimi mensis immediate subjicitur.

ribus Lectionariis dimanet, in quibus hic sermo in eadem festivitate legendus proponitur. In vetustiori quidem Lectionario Vat. 1272 hæc inscriptio legitur : *Incipit sermo S. Leonis papæ in Natali apostolorum de octo beatitudinibus.* In ms. Casinensi primæ collectionis hæc tantum inscriptio præfigitur : *De octo beatitudinibus;* sed per errorem *octo* scriptum est, cum de septem tantum beatitudinibus Auctor loquatur. Hujus numeri rationem affert Quesnellus in notatione his verbis : « Observat vir eruditus Joannes Cotelerius in Not. tom. I Mon. Græc. pag. 808, Leonem nostrum septem tantum beatitudines enarrare : quia, ut Augustinus in serm. Dom. in monte explicat, septem illi sunt gradus perficientes hominem, octava vero beatitudo hominis est jam perfecti. » Faustus quidem Manichæus apud Augustinum lib. V contra eumdem Faustum, alio licet ordine, septem tantum beatitudines a Leone memoratas recenset. Augustinus vero serm. 53, al. 14, inter additos a Parisiensibus de sex tantum beatitudinibus fuse disserit. Porro hic sermo in editis non solum post sequentem describitur, verum etiam post alium Sermonem in evangelium *Assumpsit Jesus Petrum*, etc., quem nos num. 51 ob momenta ibidem allata ante sermones de Passione ponendum credidimus. Ordinem vero primæ editionis et codicum collectionum 3, 4 et 5 secuti sumus, in quibus hic sermonibus de Jejunio septimi mensis immediate subjicitur.

Digitized by Google

esse, ut Deus videatur. — IX. *Quænam sit vera pax quæ hominem Dei filium efficit.*

Cap. I. — Prædicante, dilectissimi, Domino [a] nostro Jesu Christo Evangelium regni, et diversos per totam Galilæam curante languores, in omnem se Syriam virtutum ejus fama diffuderat; et multæ ex universa Judæa turbæ ad cœlestem medicum confluebant. Quia enim tarda est humanæ ignorantiæ fides ad credenda quæ non videt, et speranda quæ nescit, oportebat divina eruditione firmandos corporeis beneficiis et visibilibus miraculis incitari: ut cujus tam benignam experiebantur potentiam, **367** non ambigerent salutarem esse doctrinam. Ut ergo exteriores medelas Dominus ad remedia interiora transferret, et post [b] sanitates corporum curationes operaretur animarum, segregatus a circumstantibus turbis, secessum vicini montis ascendit, advocatis apostolis, quos sublimioribus institutis ab edito mysticæ, sedis imbueret, ex ipsa loci atque operis qualitate significans se esse qui Mosen quondam suo fuisset dignatus alloquio: illic quidem terribiliore justitia, hic autem sacratiore clementia, ut impleretur quod fuerat, [c] propheta Jeremia dicente, promissum: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum novum. Post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in sensu ipsorum, et in corde ipsorum scribam eas* (*Jerem.* XXXI, 31; *Hebr.* VIII, 8). Qui ergo locutus fuerat Mosi locutus est et apostolis, et in cordibus discipulorum velox scribentis Verbi manus novi Testamenti decreta condebat; nulla ut quondam circumfusa nubium crassitudine, neque per terribiles sonos atque fulgores populo ab accessu montis absterrito, sed patente ad aures circumstantium tranquillitate colloquii: ut per gratiæ lenitatem removeretur legis asperitas, et spiritus adoptionis auferret formidinem servitutis.

Cap. II. — Qualis igitur doctrina sit Christi sacræ ipsius sententiæ protestantur: ut qui ad æternam beatitudinem pervenire desiderant, gradus felicissimæ ascensionis agnoscant. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). [d] De quibus pauperibus Veritas loqueretur forte esset ambiguum, si dicens, *Beati pauperes*, nihil adderet de intelligenda pauperum qualitate; et sufficere videretur ad promerendum regnum cœlorum ea sola inopia quam multi sub gravi et dura necessitate patiuntur. Sed cum dicit, *Beati pauperes spiritu*, ostendit eis regnum cœlorum tribuendum quos humilitas commendat animorum magis quam indigentia facultatum. Dubitari autem non potest quod humilitatis istius bonum facilius pauperes quam divites assequantur: dum et illis in tenuitate amica est mansuetudo, et istis in divitiis familiaris elatio. Verumtamen et in plerisque divitibus invenitur hic animus qui abundantia sua **368** non ad tumorem superbiæ, sed ad opera benignitatis [e] utatur, idque pro lucris maximis numeret quod [f] ad relevandam miseriam alieni laboris impenderit. Omni generi atque ordini hominum datur in hac virtute consortium, quia possunt esse proposito pares, et impares censu; nec interest quantum sint in facultate terrena dissimiles, qui in spiritalibus bonis inveniuntur æquales. Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, sed cœlestibus bonis ditescere concupiscit.

Cap. III. — Hujus nobis magnanimæ paupertatis exemplum [g] primi post Dominum apostoli præbuerunt, qui omnia sua sine differentia relinquentes, ad vocem cœlestis magistri, a captura piscium in piscatores hominum alacri conversione mutati sunt (*Matth.* IV, 19), et multos sui similes fidei suæ imitatione fecerunt, quando [h] illis primitivis Ecclesiæ filiis unum cor omnium et anima erat una credentium (*Act.* IV, 32); qui universis suis rebus possessionibusque distractis, per devotissimam paupertatem bonis ditabantur æternis, et ex apostolica prædicatione gaudebant nihil habere de mundo, et omnia [i] possidere cum Christo. Hinc beatus Petrus apostolus, cum ascendens in templum a claudo eleemosyna posceretur, *Argentum*, inquit, *et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula* (*Act.* III, 6). Quid hac humilitate sublimius? quid hac paupertate locupletius? Non habet præsidia pecuniæ, sed habet dona naturæ. Quem debilem edidit mater ex utero, sanum fecit Petrus ex verbo; et qui imaginem Cæsaris in nummo non dedit, imaginem Christi in homine reformavit. Hujus autem thesauri opibus non solum ille adjutus est cui gressus est redditus, sed etiam quinque millia virorum, qui tunc ad exhortationem Apostoli ob ejusdem curationis miraculum crediderunt (*Act.* IV, 4). Et ille pauper qui non habebat quod petenti daret, tantam dedit divinæ gratiæ largitatem, ut quemadmodum unum hominem redintegrarat in pedibus, sic tot millia credentium sanaret in cordibus, faceretque eos in Christo alacres, quos in Judaica perfidia invenerat claudicantes.

Cap. IV. — Post prædicationem hujus felicissimæ

[a] Tria Lectionaria omittunt, *nostro*.

[b] Duo Lectionaria Vat. 1272 et Padiliron., *sanitatem*.

[c] Tria mss. Lectionaria: *Prophetæ Jeremiæ promissum dicentis: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et disponam domum Israel.* Duo ex his præterea delent voces, *et super domum Juda testamentum novum*, ac dein habent, *in sensu eorum*. Postea pro *discipulorum* tres codd. Vat., *apostolorum*.

[d] Exemplar Pauli Diaconi, *De quibus Dominus loqueretur*. Cod. Padiliron. habet item, *Dominus*.

[e] Apud eumdem Paulum Diac., *utantur*, et dein, *numerent*, ac postea, *impenderint*.

[f] Ibidem, *ad redimendam*.

[g] Sic ex ms. Padiliron., tribus Vat. et uno Bon., nec non ex prima editione et Homil. Pauli Diac. At., *primum*.

[h] Prima editio, *illis primitiis*; Paulus Diac., *in illis primitivis*. Retinuimus lectionem vulgatam, sed inseruimus vocem *filiis*, quæ desiderabatur, auctoritate antiqui Lectionarii Vaticani 1272.

[i] Exemplar Pauli Diac., *habere*.

[j] Vulg., *mecum*. Secuti sumus ms. Padiliron. et idem exemplar Pauli Diac.

Digitized by Google

paupertatis, **369** addidit Dominus, dicens : [a] *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v, 5). Luctus hic, dilectissimi, cui consolatio æterna promittitur, non est cum mundi hujus [b] afflictione communis ; nec beatum quemquam faciunt ista lamenta quæ totius humani generis deploratione funduntur. Alia ratio est sanctorum gemituum, alia beatarum causa lacrymarum. Religiosa tristitia aut alienum peccatum luget aut proprium ; nec de hoc dolet quod divina justitia agitur, sed de eo mœret quod humana iniquitate committitur; ubi magis plangendus est faciens maligna quam patiens, quia injustum malitia sua demergit ad pœnam, justum autem tolerantia ducit ad gloriam.

Cap. V. — Deinde ait Dominus : *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram* (*Matth.* v, 4). Mitibus atque mansuetis, humilibus ac modestis, et ad omnium injuriarum tolerantiam præparatis possidenda terra promittitur. Nec parva æstimanda est hæc aut vilis hæreditas, tamquam a cœlesti habitatione discreta sit, cum regnum cœlorum non alii intelligantur intrare. Terra ergo promissa mitibus, et in possessionem danda mansuetis, caro sanctorum est, quæ ob humilitatis meritum felici resurrectione mutabitur et immortalitatis gloria vestietur, in nullo jam spiritui futura contraria, et cum voluntate animi perfectæ unitatis habitura consensum. Tunc enim exterior homo interioris hominis erit quieta et intemerata possessio ; tunc mens videndo Deo intenta nullis [c] corporeæ infirmitatis impedietur obstaculis, nec jam dici necesse erit : *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15) : quoniam habitatori suo non reluctabitur terra, nec immoderatum aliquid contra imperium sui rectoris audebit. Possidebunt enim illam mites **370** pace perpetua, et nihil umquam de eorum jure minuetur, *cum corruptibile hoc induerit incorruptionem*, [d] *et mortale hoc induerit immortalitatem* (I *Cor.* XV, 53) : ut periculum vertatur in præmium, et quod fuit oneri sit honori.

Cap. VI. — Post hæc addit Dominus et dicit : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* v, 6). Nihil hæc esuritio corporeum, nihil expetit sitis ista terrenum ; sed justitiæ bono desiderat saturari, et in omnium occultorum introducta secretum, ipso Domino optat impleri. Felix mens quæ hunc concupiscit cibum, et ad talem æstuat potum ; quem utique non expeteret, si nihil de ejus suavitate gustasset. [e] Audiens autem dicentem sibi propheticum spiritum : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Ps.* XXXIII, 9), accepit quamdam supernæ dulcedinis [f] portionem, et in amorem castissimæ voluptatis exarsit, ut spretis omnibus temporalibus, ad edendam bibendamque justitiam toto accenderetur affectu, et illius primi mandati apprehenderet veritatem dicentis : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua* (*Deut.* VI, 5 ; *Matth.* XXII, 37 ; *Marc.* XII, 30 ; *Luc.* X, 27) : quoniam nihil aliud est diligere Deum quam amare justitiam. Denique sicut [g] illi dilectioni Dei, proximi cura subjungitur, ita et huic desiderio justitiæ virtus misericordiæ copulatur, et dicitur :

Cap. VII. — [h] *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus* (*Matth.* v, 7). Agnosce, Christiane, tuæ sapientiæ dignitatem, et qualium disciplinarum artibus ad quæ præmia voceris intellige. Misericordem te misericordia, justum vult te esse justitia, ut in creatura [i] sua Creator appareat, et in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplendeat. Secura est operantium fides, aderunt tibi desideria tua, et iis quæ amas sine fine potieris. Et quoniam **371** tibi per eleemosynam omnia munda sunt, ad eam [j] quoque beatitudinem, quæ consequenter est promissa, pervenies, dicente Domino :

[a] In eodem Pauli Diac. exemplo sequens beatitudo *mitium* cum toto capite sequenti hic ponitur : *Beati mites*, etc. Deinde subjicitur beatitudo *lugentium* cum toto hoc capite sic : *Post hæc Dominus ait, et dicit : Beati qui lugent*, etc. Postea caput sextum prosequitur hoc initio : *Deinde Dominus ait : Beati qui esuriunt*, etc. Ita ergo beatitudo *mitium* in antiquo codice, quo Paulus Diaconus usus est, beatitudini *lugentium* præponebatur : uti eodem quidem ordine hæ duæ beatitudines et recensentur in Evangelio Vulgato, et ab Hilario, Augustino aliisque Patribus explicantur. Nihil tamen immutandum censuimus, non solum quia ordinem in textu editum exhibent omnes collectionum codices quos vidimus, verum etiam quia hic idem ordo servatur in Græco textu, et ab auctore etiam antiquo Operis Imperf. in Matthæum homil. 9 adhibetur : unde in aliquot etiam Latinis exemplaribus ab eodem inventus fuit. Enimvero hic ordo exhibetur in duobus vetustissimis Evangeliorum libris, Veronensi et Brixiano, quos P. Joseph Blanchinius novissime edidit in opere inscripto, *Evangelium quadruplex*, t. I, pag. 25.

[b] Editi, *affectione*. Quesnellus in margine notavit : Forte, *afflictione*, quod auctoritate exemplaris Pauli Diac. inseruimus.

[c] Idem Pauli Diac. exemplar, *corporeæ molis*. Postea cod. Padiliron., *contra imperium sui auctoris*.

[d] In eodem exemplo, *et mortale sumpserit immortalitatem*.

[e] *Audiendo autem dicentem sibi prophetiæ spiritum* apud eumdem Paulum Diac. Item, *audiendo* in ms. Padiliron.

[f] Mss. Vat. tres et prima editio, *potionem*. Mox in eadem editione, *supernæ*, pro *castissimæ*. Post pauca cod. Padiliron., *ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota voluntate tua : quoniam*, etc.

[g] Ita melius ex nostris mss., cum *illi dilectioni* respondeat *huic desiderio*. Editi, *illic dilectioni*. Prima tamen editio, quæ *illic dilectioni* præfert, cohærentius dein habet, *hic desiderio*, sicut etiam in cod. Padiliron.

[h] Apud Paulum Diac. : *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Agnosce dignitatem Christianæ sapientiæ ; ad quales disciplinarum artes, ad quæ præmia voceris, intellige*. In ms. Padiliron. : *Agnosce dignitatem, Christiane, sapientiæ*.

[i] Vocabulum *sua* a Quesnello omissum, uti in nostro Padiliron. deest, restituimus ex cæteris editionibus nostrisque codd. et Homil. Pauli Diac.

[j] Particulam *quoque*, in Quesnelli edit. prætermissam, ex iisdem editis et omnibus mss. revocavimus.

Digitized by Google

Cap. VIII. — *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Magna felicitas, dilectissimi, cui tantum præmium præparatur. Quid ergo est habere cor mundum, nisi eis quæ supra dictæ sunt studere virtutibus? Videre autem Deum quantæ sit beatitudinis, quæ mens concipere, quæ lingua valeat explicare? Et tamen hoc consequetur, [a] cum transformabitur humana natura, ut non jam per speculum, neque in ænigmate, sed facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12), ipsam quam nullus hominum videre potuit (*Joan.* I, 18; I *Tim.* VI, 16), sicuti est, videat Deitatem: et *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*Is.* LXIV, 4; I *Cor.* II, 9), per ineffabile gaudium æternæ contemplationis obtineat. Merito hæc beatitudo cordis promittitur puritati. [b] Splendorem enim veri luminis sordens acies videre non poterit; et quod erit jucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculosis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, et ab omni squalore iniquitatis oculi tergantur interiores, [c] ut serenus intuitus tanta Dei visione pascatur. Ad hoc enim promerendum illud intelligimus pertinere quod sequitur:

Cap. IX. — *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v, 9). Beatitudo ista, dilectissimi, non cujuslibet consensionis, [d] nec qualiscumque concordiæ est, sed illius de qua dicit Apostolus: *Pacem habete ad Deum* (*Rom.* v, 1; II *Cor.* XIII, 11): et de qua dicit propheta David: *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum* (*Ps.* CXVIII, 16). Hanc pacem etiam arctissima amicitiarum vincula, et indiscretæ similitudines animorum non veraciter sibi vindicant, si non cum Dei voluntate concordant. Extra dignitatem hujus pacis sunt improbarum parilitates cupiditatum, fœdera scelerum et pacta vitiorum. Amor mundi cum Dei amore non congruit, nec ad societatem filiorum [e] Dei pervenit, qui se a carnali generatione non dividit. Qui autem semper cum Deo mente sunt *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 2), **372** numquam ab æterna lege dissentiunt, fideli oratione dicentes: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI, 10). Hi sunt pacifici, hi bene unanimes, sancteque concordes, vocandi æterno nomine *filii Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII, 17): quia hoc merebitur dilectio Dei et [f] dilectio proximi, ut nullas jam adversitates sentiat, nulla scandala pertimescat; sed finito omnium tentationum certamine, in tranquillissima Dei pace requiescat, [g] per Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XCVI [*Al.* XCIII],

Sive [h] *tractatus contra hæresim Eutychis; habitus Romæ in basilica sanctæ Anastasiæ.*

Synopsis. — I. *Monet ut symbolo apostolorum inhærentes caveant ab Alexandrinis negotiatoribus unicam in Christo naturam Romæ defendentibus.* — II. *Eutychem olim in aliis hæreticis esse damnatum. Discernendum esse in Christo quid ex deitate sit, quid ex humanitate.* — III. *Cum damnatis hæreticis non esse communicandum. Romanæ fidei laus.*

Cap. I. — Sicut peritorum, dilectissimi, prudentiumque medicorum est, passiones infirmitatis humanæ remediis prævenire, et quemadmodum saluti contraria declinentur ostendere, ita pastoralis officii est, ne Dominico gregi hæretica malignitas noceat, providere, et qualiter luporum et latronum improbitas sit cavenda demonstrare: quia numquam potuit hæretica impietas sic latere ut non a sanctis patribus nostris et semper deprehensa sit et jure damnata. Sollicitudinem itaque nostram, quam dilectioni vestræ impendimus, latere non potuit, quosdam Ægyptios, præcipue negotiatores ad Urbem venisse, eaque quæ Alexandriæ sceleste ab hæreticis **373** [i] sunt admissa, defendere, asserentes solam deitatis in Christo fuisse naturam, nec carnis humanæ, quam sumpsit ex beata Maria Virgine, habuisse penitus veritatem: quæ impietas, et falsum hominem, et Deum dicit esse passibilem. Quod quo audeant animo quove consilio dubitare non possumus: quia enim ipsi a veritate Evangelii recesserunt et mendacia diaboli sunt secuti, alios quoque volunt socios suæ perditionis efficere; et ideo paterna vos et fraterna sollicitudine commonemus ut inimicos catholicæ fidei, hostes Ecclesiæ, incarnationis Dominicæ negatores, et instituto a sanctis apostolis Symbolo repugnantes, in nullum recipiatis consensionis affectum, dicente Apostolo: *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia qui hujusmodi est, subversus est, et delinquit proprio judicio condemnatus* (*Tit.* III, 10, 11).

[a] Cod. Padiliron., *cum transformabitur caro humana, ut*, etc.

[b] Prima editio: *Splendorem ejus veri luminis.* Mox *sordida acies* in Homil. Pauli Diac. et ms. Padiliron.

[c] Ita ex codd. Casinensi et Padiliron., quibus favet exemplar Pauli Diac., in quo legitur: *Ut intuitus tanta visione pascatur.* Vulgati, *tantum Dei visione.*

[d] Ita exemplar Pauli Diac., et cod. Padiliron., et duo Lectionaria Vat., quorum unum, pro *qualiscumque*, habet *alicujus.* Editi, *aut qualiscumque.* Post nonnulla *diligentibus nomen tuum* in iisdem mss. Vat.

Cod. Padilir. delet *Dei*, et paulo post, *mente.*

[f] Vocem *dilectio* repetivimus ex tribus Lectionariis et alio cod. Vat.

[g] Prima editio, *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

[h] Hunc tractatum in mss. collectionum 3, 4 et 5 tantum reperimus. In codicibus autem collect. 4 et 5 nomini *sanctæ Anastasiæ* additur *virginis.* Observandum præterea est in omnibus mss. *tractatus* nomen huic uni sermoni esse præfixum. Id antiquam originem prodit. Sermones ab antiquis appellatos fuisse tractatus, ex Zenonis, Augustini aliorumque priscorum Patrum exemplis liquet.

[i] De cæde Proterii Alexandrini episcopi hæc intelligenda esse optime in marginali postilla observavit Quesnellus. Etsi enim variis in locis alia sceleste ab Eutychianis gesta fuerint, sola tamen Proterii cædes *Alexandriæ* patrata (quod sciamus) indicari potuit.

Digitized by Google

Cap. II. — Propria enim pertinacia perit, et sua a Christo discedit insania, qui eam impietatem per quam ante se multos scit periisse sectatur, et religiosum sibi atque catholicum putat id quod sanctorum Patrum judicio [a] et in Photini perfidia, et in Manichæi dementia, et in Apollinaris insania, constat esse damnatum : ut adhuc quasi novæ et necdum damnatæ in perniciem animarum suarum consentiant pravitati, qui incarnationis Dominicæ denegant sacramentum. Quasi aliud tota evangelica lectione doceamur quam hoc uno divinæ misericordiæ sacramento humanum genus in iis qui credunt esse salvatum : quod unigenitus Dei Filius, æqualis per omnia Patri, nostræ assumptione substantiæ, manens quod erat, dignatus est esse quod non erat, verus scilicet homo, verus Deus, qui absque cujusquam sorde peccati, integram sibi nostram perfectamque naturam veritate et carnis et animæ univit, et intra uterum beatæ Virginis matris Spiritus sancti virtute conceptus, nec editionem **374** partus, nec primordia fastidivit infantiæ : ut Verbum Dei Patris humanam sibi inesse substantiam, et deitatis potentia, et carnis infirmitate loqueretur, de corpore habens corporeas actiones, et spiritales de deitate virtutes. Humanum quippe est esurire, et sitire, et dormire; humanum est metuere, flere, tristari; humanum denique est crucifigi, mori, atque sepeliri : sed divinum est super mare ambulare, aquas in vina convertere, mortuos suscitare, mundum propria morte tremefacere, et cum vivificata super omnem cœlorum altitudinem carne conscendere : ut qui hoc credunt dubitare non possint quid humanitati ascribere, quid debeant assignare deitati : quoniam in utroque unus est Christus, qui et Deitatis suæ potentiam non amisit, et veritatem perfecti hominis nascendo suscepit.

Cap. III. — Hos ergo, dilectissimi, de quibus loquimur, tamquam venenum mortiferum fugite, exsecramini, declinate, et ab eorum colloquiis, si increpati a vobis corrigi noluerint, abstinete : quoniam, sicut scriptum est, *Sermo eorum serpit ut cancer* (II *Tim.* II, 17). Justo enim judicio ab Ecclesiæ unitate rejectis nulla est tribuenda communio, quam non nostris odiis, sed suis sceleribus perdiderunt. Vos ergo, dilecti Deo et apostolico testimonio comprobati, quibus beatus apostolus Paulus doctor gentium dicit : *Quoniam fides vestra annuntiatur in universo mundo*, custodite in vobis quod tantum prædicatorem agnoscitis sensisse de vobis. Nemo vestrum efficiatur hujus laudis alienus, ut quos per tot sæcula docente Spiritu sancto hæresis nulla violavit, ne Eutychianæ quidem impietatis possint maculare contagia. Confidimus autem quod protectio Dei corda vestra fidemque custodiat : ut cui hactenus fideliter obedistis, in æternum perseverante catholicæ fidei observantia placeatis, per Christum Dominum nostrum. Amen.

[a] Hæc a Leone fusius explicantur serm. 24, 47, et alibi; nec non epist. 109 et 165 : in quo tamen animadvertendum est Photini hæresim ad Nestorianam, Manichæi autem et Apollinaris ad Eutychianam accedere.

Quesnellus duas præfationes, alteram in episcopi consecratione, alteram in ordinatione presbyteri, et allocutionem archidiaconi ad episcopum, quæ in Romano Pontificali exhibentur, cum ex styli similitudine S. Leoni tribuendas, tum Sermonibus ejus subjiciendas putavit. Nos vero, licet quoad Auctorem non omnino dissentiamus a Quesnelli sententia, hic tamen eas præfationes et allocutionem idcirco non appendimus, quia tomo secundo recusuri sumus antiquissimum Sacramentarium Romanum e ms. Veronensi a Josepho Blanchinio ante aliquot annos editum, et nostro Auctori ab eodem tributum, in quo duæ illæ præfationes continentur. Ibidem autem hac de re plura disserentur, et allocutionem etiam, quæ in eo Sacramentario mutilo desideratur, in fine ejusdem adjiciemus.

APPENDIX

AD PRIMAM PARTEM

OPERUM S. LEONIS MAGNI.

PRÆFATIO.

1. In quibusdam editionibus ante Quesnellum solus sermo *de Martyribus*, qui antea ut Leoninus editus fuerat, veluti appendix diverso charactere auctori incerto tributus fuit. Quesnellus, hoc sermone *de Martyribus* omisso, quinque alios in appendiculam rejecit, tres Leoni in vulgatis ascriptos, nimirum unum de S. Vincentio, alium de SS. apostolis Petro et Paulo, tertium adversum hæresim Eutychis, et duos alios quos ex mss. exscripsit, alterum in Nativitate, alterum in Ascensione Domini. His autem quinque sermonibus *monitum* præmisit quod hoc loco inserimus :

2. « In sequentem appendiculam conjecimus eos sermones, qui Leonis nomine insigniti leguntur in mss. codicibus, cum tamen genuinis ejus Sermonibus accenseri eos prohibeant tum aliæ rationes, um styli maxime disparitas.

Digitized by Google

« Primo loco ponitur sermo in Natali S. Vincentii martyris, quem ad Lugdunense Lectionarium ms. in bibliotheca Thuanea asservatum, et ad Corbeiense, qui nunc est Asceterii S. Germani a Pratis, relegi. S. Augustino tribuitur in Corb. Nullius auctoris nomen habet Lugdun. Leonis esse pleræque Operum ejus editiones testantur. Sed nec Leoni nec Augustino esse tribuendum vel ipse stylus demonstrat. Certe nec Africanus nec Italus fuit auctor, qui potius Hispanum se prodit, tum in ipso sermonis initio, tum maxime his verbis capitis 1 : *Hunc ergo amplius propria venerentur, quem etiam peregrina mirantur ;* ex quibus manifestum est illic laudatum fuisse hoc sermone Vincentium martyrem, ubi agonem sanguinis effusione compleverat. Accedit huic argumento alterum ex Ecclesiarum Romanæque in primis consuetudine, quæ propriorum regionis suæ martyrum memoriam annua solemnitate venerari contentæ, extraneos simili festivitate a suis honorandos relinquebant. Et revera si Machabæos, qui extra ordinem sunt, excipias, nullum laudavit concione publica Leo noster, nisi quem sinu suo foverat Romana Ecclesia ; sed nec ipsum protomartyrem Stephanum, tot licet nominibus universæ Christi Ecclesiæ venerandum. Alius igitur auctor sermonis. S. Leandrum Hispalensem episcopum non sine probabili ratione conjeceris. Primæ utriusque nominis syllabæ similitudo Leonem pro Leandro supponendi occasionem fortasse præbuit, dum sola in ms. codice remansit, cæteris apicibus vetustate exesis.

« Huic sermoni alios duos subjecimus, alterum de Nativitate Domini, alterum de Ascensione, utrumque ex codice Corbeiensi bibliothecæ S. Germani a Pratis. Leonis nomen in fronte habent ; Leonis tamen esse persuadere mihi non potui. S. Fulgentii stylum magis mihi sapiunt quam Leonis ; quem in primi sermonis exordio imitatus est auctor ; in primo enim de Nativitate sermone similia leguntur apud Leonem.

« Denique nec ab editione nostra rejecimus geminum centonem ex Leonis nostri scriptis consutum. Primus est sermo qui secundus antea erat in Natali apostolorum Petri et Pauli, de quo vide monitum sermoni primo in eodem festo subjectum. Alter est *tractatus S. Leonis PP.*, ut fert titulus, *adversus errores Euthchetis et aliorum hæreticorum ;* quem ex vetusto codice ms. bibliothecæ Vaticanæ descriptum aiunt qui primi illum S. Leonis Operibus inseruere. Ex quo quisque pannus loco assumptus sit, facile lector cognoscet ex iis quæ ad marginem annotavimus. »

3. Hactenus Quesnellus : qui optime quidem de tribus primis sermonibus ; de quinto etiam non omnino male. At de sermone *in Natali S. Petri apostoli*, qui incipit *Exsultemus in Domino*, assentiri non possumus : hunc enim genuinum Leonis fetum esse probavimus in admonitione præmissa sermoni 83, ubi eum collocavimus. Potius inter apocrypha referre debebat sermonem *in Cathedra S. Petri*, quem ille uti sincerum dedit serm. 96, nos autem veluti certo suppositilium in hac appendice recudemus serm. 14, de quo ibidem plura. Alium quoque sermonem *de Machabæis*, qui in omnibus editionibus Leonis citra dubitationem habetur, Augustino, non autem Leoni adjudicandum invictis argumentis detegemus. Hæc quoad sermones in Leonis editionibus hactenus vulgatos.

4. Plures vero alios sermones nostro Auctori afflictos in mss. Lectionariis et collectionibus deteximus. Tres ex his in veterum PP. Latinorum opusculis tom. II, part. I, novissime edidit V. C. P abbas Joannes Chrysostomus Trombellius, ex quibus duos subditilios, unum genuinum putat. Eosdem nos quoque repereramus, et alios plures, de quibus mox dicemus ; sed ne unum quidem vere Leoninum arbitramur. Qua in re ut interim omittamus indicia quædam peculiaria suis locis notanda, quæ nonnullos ex sermonibus mox recensendis a Leone abjudicant, aliisque nunc certis nunc incertis auctoribus tribuendos evincunt ; ad distinguendos cæteros, qui nullam peculiarem ejusmodi notam præferunt, hi duo characteres sufficient. Primus aperta styli ac syntaxis dissimilitudo, quæ Leoninam scribendi rationem callentibus in oculos statim incurret. Secundus formulæ in appellandis auditoribus usurpatæ *fratres*, aut *filii charissimi*, et his similes, quæ a Leone alienissimæ sunt : hic enim solo adjectivo, *dilectissimi*, constanter utitur, ut omnes sermones ejus evolventibus palam fiet. Alterutrum satis est : multo magis si utrumque in sermonibus jamjam memorandis invenias.

5. Hac in appendice ii sermones omittendi non fuerunt qui in Quesnelli editione prodiere. Qui vero in hac editione nondum fuerunt inserti in duas classes distinguendi sunt. Alii enim inter aliorum Patrum Opera prodiere, alii vero prorsus inediti sunt. Quoad illos qui in aliis Patribus vulgati inveniuntur (uno serm. 8, ob peculiarem rationem in admonitione indicandam, excepto), satis erit eorum catalogum hic inserere, et editiones in quibus prostant indicare. Sunt autem sermones sequentes :

DE ADVENTU.

I. *Sanctam et desiderabilem, gloriosam ac singularem solemnitatem*, etc., uti serm. 116 append. Sermonum S. Augustini tom. V novissimæ editionis. Leoni autem inscribitur in mss. S. Petri 106, Veneto S. Marci 153, Tridentino ac duobus Veronensibus. Sed S. Cæsarium habere auctorem PP. Maurini in laudata appendice observarunt.

DE NATIVITATE.

II. *Cupientes aliquid de hujus diei solemnitate*, etc. Certo Leonis sermoni subjicitur in ms. Vallicellano 26, cum epigraphe *Unde supra*, quæ hujus et anterioris sermonis eumdem auctorem esse in Lectionariis significat. Est sermo S. Fulgentii p. 525 editionis Parisiensis 1671.

Digitized by Google

III. *Dominus et Salvator noster*, etc. Leonis nomine prænotatur in ms. Patavino Eremitanorum 112. Legitur autem in app. Augustini serm. 141, et S. Cæsario tribuitur.

IV. *Justissime, fratres, festivitatis præsentis diei*, etc. Recensetur inter Leonis Sermones in ms. Casinensi collect. 1, sed est S. Maximi Taurinensis, et prostat inter ejusdem Opera hom. 2 de Nativitate.

V. *Nativitatem Domini nostri Jesu Christi secundum carnem*, etc., Leoni perperam ascriptus in ms. Vallicell. 26. Legitur in append. Augustini serm. 125.

VI. *Nativitas Domini nostri Jesu Christi totum mundum*, etc. In eodem Vallicell. 26 Leonis nomen falso præfert. Editus est in app. Augustini serm. 125.

DE EPIPHANIA.

VII. *In hac, dilectissimi, celebritate.* Est hom. 1 S. Maximi de Epiphania; perperam autem tribuitur S. Leoni in ms. Vat. 1267.

VIII. *Plerique in hac sancta Epiphania*, etc. S. Leoni ascribitur in ms. Veneto 153. Exstat tom. II Ambrosii novissimæ editionis, in appendice serm. 10 de Epiphania 3.

DE QUADRAGESIMA.

IX. *Conflictus iste mirabilis*, etc., falso S. Leoni inscriptus in mss. Vallicell. II, et Patavino S. Antonii 408, cum sit hom. 2 de Quadrag., sancti Maximi.

X. *Rogo vos et admoneo, fratres charissimi*, etc., Leonis nomine in cod. Bergomensi S. Alexandri in Columna. Est Cæsarii, et legitur in app. Augustini Serm. 142.

XI. *Jejunii tempora, secundum Scripturas*, etc., inter Sermones S. Leonis recensetur in mss. collectionibus 1 et 2, at in Lectionariis basilicæ S. Petri 105 et 107, sine ullo auctoris nomine. Excerptus fuit ex libro primo de ecclesiasticis officiis S. Isidori Hispalensis cap. 37, 38, 39 et 40.

XII. *Hos sanctæ Quadragesimæ dies*, etc., in app. Augustini serm. 145, Leonis nomine in ms. Patav. Eremit. 112.

XIII. *Mirum non esse debet a Deo factum miraculum*, etc. In Evangel. Joannis v: *Erat dies festus Judæorum*, quod legitur feria 6 quatuor temporum Quadragesimæ Leonis nomine profertur in cod. Basil. Vat. S. Petri 106. Est autem tractatus 17 S. Augustini in Joannem.

DE TRADITIONE SYMBOLI.

XIV. *Cum apud Patres nostros, sicut liber Judicum refert*, etc., sermo S. Leonis in ms. Vallicellano 2. Est autem S. Maximi homil. 1 de Diversis.

XV. *In hodiernum convivium qui solemni frequentia*, etc. Leoni tribuitur in ms. Patavino S. Antonii 408. Invenitur autem inter Chrysostomi Opera tom. III editionis Nivellianæ pag. 743, sed est incerti auctoris Latini.

DE CRUCE ET LATRONE.

XVI. *Et quando de cruce nostra processit oratio*, etc., in ms. Casinensi Sermonum S. Leonis collectionis 1. Incerti antiqui Latini auctoris est inter Chrysostomi Opera tom. III editionis Basileensis Heruagianæ an. 1539, pag. 567.

DE PASCHA.

XVII. *Retinet sanctitas vestra*, etc., in mss. Basilicæ Vat. 106 et Tridentino; legitur autem in app. Augustiniana sermone 162.

DE ASCENSIONE.

XVIII. *Fratres charissimi, Ascensionis Dominicæ inclytum et regale mysterium*, etc., Leonis nomine in Vallicell. A, 7, et inter Leonis Sermones in Casin. collect. 1. Habetur in app. Augustini sermone 179.

XIX. *Glorificatio Domini nostri Jesu Christi resurgendo et ascendendo completa est*, etc., perperam nostro Auctori tribuitur in mss. Vallicell. A, 9, et XXV, nec non in Chigiano 5, cum sit sermo 263 S. Augustini.

XX. *Hodierna die Ascensionem in cœlum celebramus*, etc. Nomine Leonis prænotatur in mss. Patavino S. Justinæ et in Vallicell. A, 7. Editus est a Maurinis ex vetustissimo codice Remigiano, atque tributus S. Augustino in fine Sermonum, serm. 395.

XXI. *Omnia, charissimi, quæ Dominus Jesus Christus in hoc mundo*, etc. In mss. Vallicellanis A, 9 et XXV, atque in Chigiano 5, legitur præfixo Leonis nomine. Est autem in app. Augustini serm. 176.

XXII. *Salvator noster, dilectissimi, ascendit in cœlum*, etc. Leonis item nomine in iisdem tribus codd., in app. vero Augustini serm. 177.

DE PENTECOSTE.

XXIII. *Discessurus e mundo isto, et ascensurus in cœlum Dominus*, etc., est sermo in app. Aug. 184. Non solum in mss. Fossatensi et Germanensi apud Maurinos, sed etiam in cod. Veneto 154, S. Leoni falso tribuitur; legitur autem sine ullo auctoris nomine in Lectionariis Veronensi ac Vallicell. A, 9.

XXIV. *Post illam singularem insignemque victoriam*, etc., est sermo 182 app. Augustini. In Vallicellanis XXV, et A, 9, nullo nomine prænotatur: sed in Chigiano, in Patavino S. Justinæ et in Veneto 154, Leoni perperam ascribitur.

Digitized by Google

XXV. *Perpetui muneris refulsit hodie ornamentum*, etc., Leonis nomine in mss. Patavino, Bergomensi S. Alexandri ac Veneto, absque auctoris nomine in Vallicell. XXV. Legitur autem in append. Augustini serm. 186.

XXVI. *Sanctitati vestræ, charissimi, votorum jam nota debet esse festivitas*, etc., est sermo 185 in app. Augustiniana, cujus lege observationem præfixam. In Veneto autem cod. 154 ac in Vallicell. XXV Leonis nomen falso præfert; in Vallicell. vero A, 9, absque ullo auctoris nomine.

DE JEJUNIO DECIMI MENSIS.

XXVII. *Legimus S. Moysem populo Dei præcepta dantem*, etc., est serm 285 inter Augustino olim tributos; et reipsa in ms. Bas. Vatic. 170, inter opuscula hujus sancti recensetur hac inscriptione : *Item de fide catholica S. Augustini*. Leonis nomine habetur in ms. Vallicell. II.

DE CATHEDRA S. PETRI.

XXVIII. *Institutio solemnitatis hodiernæ a senioribus nostris*, etc., ac

XXIX. *Quamvis solemnitas festivitatis hodiernæ*, etc., sunt sermones 190 et 191 appendicis Augustinianæ, ad quos lege ibidem doctas Benedictinorum observationes. Leoni ascribuntur in Vallicell. XXVI ac in regio Taurinensi 218.

IN ANNUNTIATIONE B. VIRGINIS MARIÆ.

XXX. *Virginalis hodie solemnitas linguam nostram, fratres, ad præconium vocat.* In Lectionario Padilironensi S. Leoni papæ tribuitur. Est autem vetus interpretatio, sed corruptissima, celebris homiliæ S. Procli, tunc Cyziceni, postea vero Constantinopolitani episcopi, *in laudem Deiparæ*, quæ Græce et Latine præfigitur actis concilii Ephesini tom. III Venetæ editionis pag. 577, nec non inter orationes et homilias PP. Græcorum editas a Combefisio pag. 361, Latine autem in bibliotheca Concionatoria ejusdem tom. VI, pag. 355. Hæc eadem antiqua versio S. Proclo inscripta, ex cod. Vat. 2836 (l. 3836) edita fuit a P. Vincentio Ricardio pag. 673 editionis Romanæ an. 1630 omnium Operum ejusdem S. Procli

IN NATALI S. JOANNIS BAPTISTÆ.

XXXI. *Hodie, dilectissimi fratres, qui Domini præcucurrit adventum*, etc. Leoni inscribitur in mss. Vallicell. A, 9, et XXV. Reperitur in app. Augustini sermone 198.

XXXII. *Post illum sacrosanctum Domini natalem diem*, etc. Est serm. 196 app. Augustini, et falso tribuitur Leoni in ms. Regio Taurinensi 768.

IN NATALI SS. PETRI ET PAULI.

XXXIII. *Apostolici natalis gaudio, fratres charissimi*, etc., ac

XXXIV. *Beatissimorum apostolorum passio, quorum hodie natalem solemniter celebramus*, etc., nec non

XXXV. *Beatissimorum apostolorum Petri et Pauli inseparabilem fidem*, etc. Hi tres sermones inter illos S. Leonis reperiuntur in mss. collectionibus 1 et 2, et duo postremi nomine Leonis prænotantur in cod. Vallicell. VII. Leguntur vero inter Opera S. Maximi Taurinensis hom. 2, 3 et 4, *De natali SS. apostolorum Petri et Pauli.*

DE SANCTO PAULO.

XXXVI. *Filioli mei, audite nos, et liberate vos*, etc. Leonis nomine in vetusto ms. Corbeiensi, ac in cod. Eremitarum Patavino 3 et in Veronensi S. Firmi Majoris. Vide appendicem Aug., ubi legitur serm. 204.

DE SANCTO LAURENTIO.

XXXVII. *Sanctum est, fratres, ac Deo placitum*, etc., et

XXXVIII. *Sicut patrum nostrorum, fratres charissimi, non incerta relatione didicimus*, etc. Hi duo sermones perperam Leoni ascribuntur in mss. collect. 1 et 2, cum sint homil. 1 et 2 S. Maximi *in Natali S. Laurentii.*

DE S. STEPHANO.

XXXIX. *Fratres charissimi, celebravimus hesterno die natalem, quo rex martyrum*, etc. Leonis nomen præfert in Vat. 1267, stylo repugnante. Legitur in appendice Augustini serm. 215.

DE ABSALON, QUANDO PERSEQUEBATUR DAVID PATREM SUUM.

XL. *Perdidit Absalon sceleratissimus mentem suam, perdidit sensum, amisit consilium*, etc. Inter Leonis Sermones in mss. collect. 2 et in nonnullis collect. 3 et 4. Hunc sermonem ex his codicibus edidit Gerardus Vossius, præpositus Tungrensis, inter *Miscellanea sanctorum aliquot Patrum Græcorum et Latinorum*, subjecta editioni Moguntinæ Operum S. Gregorii Thaumaturgi an. 1604, pag. 234. Sed incerto auctori Latino eumdem sermonem ascribendum censuit, notavitque eum reperiri in editionibus Latinis S. Jo. Chrysostomi, uti in Nivelliana tom. I, pag. 556.

DE MARTYRIBUS.

XLI. *Quotiescumque, fratres charissimi, sanctorum martyrum solemnitates celebramus*, etc. Leonis nomine in

Digitized by Google

aliquot editionibus antiquis editus fuit, nec non in Homiliario Pauli Diaconi editionis Basileensis an 1496. Lovanienses in editione Antuerpiensi an 1583 et Rainaudus, incerto auctori tribuerunt, et similiter Vossius Tungrensis eumdem ex mss. emendatiorem recudens in *Miscellaneis* paulo ante laudatis, a Leone abjudicavit. Legitur autem Augustini nomine in Romano Breviario, et in appendice ejusdem doctoris serm. 225, ubi editores illum S. Cæsario ascribendum existimant.

6. Sermones descriptos in appendice collectionis secundæ, de quibus in præfatione sermonibus præmissa num. 19, etsi in partem maximam aliis scriptoribus tribuendi inter eorum opera editi fuerint, hic tamen non recensuimus, eo quod ex ms. basilicæ S. Petri 210 ejusdem collectionis separati a Leonis Sermonibus inveniantur, post interjecta quædam Cypriani Opuscula subjecti sine ullo auctoris nomine; unde Leoni attributi dici nequeunt. Eadem de causa in hac serie non collocavimus fragmentum sermonis *de Abrahæ filio* e ms. bibliothecæ Bononiensis S. Salvatoris a P. abbate Trombellio editum tom. II Anedoct. part. I, pag. 252. Cum enim codex auctoris nomine caret, tum vero ipse editor ex simplici conjectatione vaga et incerta illud vel Leoni, vel Maximo Taurinensi, vel Petro Chrysologo tribui posse existimavit.

7. Reliqui sunt sermones Leoni in aliquot codicibus ascripti, qui nulla in editione Patrum prodierunt. Hos, cum editu digni visi sunt, in subjecta appendice invenies. Qui peculiari aliqua ratione a Leone abjudicandi fuerunt, admonitionem præferent in qua opportunæ observationes inserentur. Quoad cæteros vero, qui nihil peculiare habent, cum Leoni eos ascribi non posse duo characteres num. 3 propositi satis demonstrent, codicem ex quo eos Leonis nomine inscriptos eruimus, in ipsorum fronte indicare sufficiet.

8. Neque idcirco credimus omnes sermones qui Leoni in mss. tribuuntur a nobis inventos fuisse. Immo cum in omnibus fere Lectionariis diversarum Ecclesiarum libris quos contulimus aliquem novum sermonem Leoninum nacti simus, nihil ambigimus quin aliis alios ejusmodi codices evolventibus alios sermones ejus nomini similiter ascriptos, id est supposititios, reperire contiget.

9. Hac autem occasione duas suppositionum frequentiores origines, quas in expendendis multis Lectionariis deteximus, hic annotare non inutile nec ingratum lectoribus fuerit. Cum in iisdem codicibus describerentur sermones qui inter divina officia pro festorum aut feriarum ratione legendi erant si plures ad eamdem solemnitatem pertinentes eumdem habebant auctorem, primo sermoni tantum auctoris nomen sæpe præfigebatur; cæteris vero, qui continuata serie consequebantur, prænotata leguntur hæc verba, *Cujus supra*, vel *Unde supra*, quibus indicatur idem auctor sequentis sermonis ac præcedentis. Posteriores autem librarii qui ejusmodi codices transcribebant, aliquos identidem sermones vel præteribant vel addebant ex aliis Lectionariis, ut cuique videbatur. Hinc autem contingebat non raro ut alicujus auctoris sermonem inserentes ex Lectionario in quo erat inscriptio *Cujus supra*, vel *Unde supra*, hanc eamdem inscriptionem inconsiderate retinerent, licet alius auctoris sermoni vel Sermonibus subjiceretur; et ita lectores hunc pro sermone ejusdem scriptoris acciperent. Ita in ms. Lectionario Patavino Patrum Conventualium S. Antonii, post duos sermones S. Maximi de Epiphania describitur sermo incipiens: *Hodiernam festivitatem, dilectissimi, apparitio Domini*, etc., cum titulo *Cujus supra*; ex quo titulo S. Maximo tribuendus videtur, cum tamen non S. Maximum, sed S. Leonem habeat auctorem, et sit sermo 5 de eadem solemnitate, in nostra autem editione sermo 35. Hac forte de causa duos sermones ipsius Leonis 38 et 43 Augustino fuerunt attributi, et in hujus appendice leguntur serm. 133 et 148, nec absimiliter sermo ejusdem pontificis 40, qui sub Leonis quidem nomine legebatur a monachis Corbeiensibus, Divionensibus, Sandionysianis et Compendiensibus, nomine S. Maximi inscribebatur apud Cluniacenses, teste Ulderico apud P. Martene de antiquis monachorum Ritibus lib. III, cap. 11, num. 2.

10. Alia etiam suppositionis origo, licet minus frequens, afferri potest. Nonnumquam librarii sine ulla auctoris mentione sermones alicujus nobis ignoti scriptoris in Lectionariis inseruere, qui postea habiti fuerunt ejus auctoris qui præcedentes sermones in iisdem codicibus inscribebantur. Ita duo sermones quorum alter e S. Isidori Hispalensis Operibus excerptus fuit, paulo ante memoratus num. 11, alter vero qui exorditur, *Dilectissimi nobis, fides nostra nos admonet*, et in hac appendice edetur num. 4, sine ullius auctoris nomine subjecti sermonibus S. Leonis de *Quadragesima* in Lectionariis basilicæ S. Petri 105 et 107, veluti Leonini recensentur in mss. collect. 1 et 2, quæ ex iisdem vel similibus Lectionariis originem ducunt. Hujus generis fuisse videntur illi sermones qui in diversis Lectionariis libris aliis atque aliis tribuuntur, ex gr. S. Augustino, S. Joanni Chrysostomo, S. Leoni, etc., hæcque ipsa auctorum quibus adjudicantur varietas incerti et ignoti auctoris indicium est.

11. Quod si his causis aliam adjicias, quam PP. Maurini in Ambrosio proponunt, celebritatem scilicet auctoris, qua ignotorum vel inferioris quoque notæ scriptorum lucubrationes commendare placuit, cum Leonis nomen celeberrimum esset, hæc quoque ascribendorum ipsi sermonum causa non defuit. Quo vero plures alicujus sancti sermones ob celebritatem ejus Lectionariis fuerunt inserti, eo plures alieni sermones eidem attributi deprehendentur, ut in Augustino videre est, cujus sermones in Lectionaria passim inducti, incredibilem ascititiorum copiam, quæ genuinorum numerum fere coæquat, receperunt. Cum itaque S. Leonis sermones in Lectionariis frequentes occurrant, plures eidem suppositos nancisci non difficile fuit. Sed ea jam ipsos sermones in hac appendice edendos subjiciamus.

Digitized by Google

SERMONES
S. LEONI MAGNO ATTRIBUTI.

ADMONITIO IN TRACTATUM SEQUENTEM.

Hic tractatus e Vaticano codice 2346 *a Gerardo Vossio præposito Tungrensi primum editus, et insertus inter* Miscellanea sanctorum aliquot Patrum *subjecta editioni S. Gregorii Thaumaturgi Mogunt. an.* 1604, *in aliis subinde S. Leonis editionibus locum habuit. Notavit autem Vossius in eo ms. hunc titulum minus congruum præferri :* Leo papa primæ sedis episcopus ad Flavianum de erroribus Eutychetis; *perinde ac si ipsa esset epistola ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum directa. Nos eumdem tractatum reperimus in alio cod. Vat. Reginæ Succiæ* 139, *sæculi circiter* XIV, *qui Leonis Opera continet. Hæc autem eidem inscriptio est pag.* 160 : Fides Leonis papæ, quam S. Gregorius in epistolis suis mirabiliter laudat, ita dicens : « Quisquis fidem S. Leonis papæ auget vel minuit, vel usque ad minimum atomum pleniter non amplectitur, ullo modo non episcopus est dicendus, sed anathemate plectendus est. » *Quæ tamen S. Gregorius non de hoc tractatu, sed de celebri ad Flavianum epistola scripsit. Similiter post eum tractatum hæc annotatio ibidem ponitur :* Canones præcipiunt in prima synodo legendas epistolas B. Leonis papæ, quas scripsit ad Flavianum de errore Eutychis. *Eumdem etiam tractatum nacti sumus in ms. Vat.* 551, *quem diversum a codice Vossii patebit ex nonnullis variantibus, ac præsertim ex notatione ultima. Est codex* XII *circiter sæculi, et Hieronymi Epistolas continet, quibus hic tractatus præmittitur cum hoc titulo :* Leo papa primæ sedis episcopus ad (*et additum posteriori manu*) Flavianum, *ubi primæ manus scriptura deleta fuerat. Subjicitur postea notatio :* Hæc est illa fides quam S. Gregorius, etc., *ac dein :* Canones præcipiunt, etc., *ut in Vat. Reginæ.*

Quesnellus hunc tractatum veluti certo spurium in appendicem rejiciendum credidit eo nomine quod centonem ex Leonis scriptis consutum *habuerit. Omnia enim hinc inde ex variis S. pontificis textibus ad verbum descriptis nunc ex Sermonibus nunc ex Epistolis sumpta sunt, quæ indicantur in margine. Vossius post indicatos fontes unde hic tractatus compactus fuit, hæc subjicit :* Quæ vel ideo loca per nos collata hic adducere visum est, ut constet hanc veram S. Leonis esse doctrinam. An autem præsens hic tractatus ita ab ipso S. Leone sit conscriptus, an ab aliis sit ex ejus doctrina confectus, curiose hic indagandum haud videtur. Unum sane hoc ex Epistolis S. Leonis exploratum habemus, quod eadem sæpe in aliis atque aliis repetantur : *At inscriptionis falsitas suspicionem primum ingerit; dein difficultatem faciunt nonnulli textus qui veluti rationem antecedentium præferunt, cum antecedentibus autem non satis cohærent, ut potissimum liquebit ex notatione* 38. *Igitur de centone, quem aliquis minus perite congessit, dubitari non posse credimus; ac proinde hunc tractatum in appendice, in quam fuerat a Quesnello conjectus, relinquendum putavimus. Primum autem locum huic centoni dedimus, eo quod opera hujusmodi mediæ cujusdam conditionis inter sincera et supposititia sint; neque enim a Leone omnino alienum est, quod ex ejusdem verbis constat atque sententiis; neque rursus omnino ipsius proprium, quod ab alio concinnatum fuit. Vossius licet uno codice in hoc tractatu edendo usus sit, aliquas tamen variantes annotavit in margine, quas ex lectione Sermonum, vel Epistolarum sumpsit, easque solas posteriores editiones exhibent. Nos ex duobus mss. paulo ante allegatis Vat. et Regio alias subjiciemus, vel ubi opportunum fuerit, indicata veteri lectione, transferemus in textum.*

395 SERMO I.

Seu Tractatus adversus errores Eutychetis et aliorum hæreticorum.

CAP. 1. — [a] Ad Ecclesiæ filios instruendos addendum est nostri Sermonis obsequium. Non enim timemus ne spiritales et eruditi nota fastidiant, ad quorum fructum pertinet aliis [b] insinuare quod ipsi cum magna sui utilitate didicerunt. Fiat ergo per corda omnium, dispensatio munerum divinorum, et [c] servitutem oris nostri docti indoctique non spernant. Adsit etiam nostræ fidei ipsius largitas de cujus majestate loqui [d] tentamus, ut ad profectum totius Ecclesiæ suæ et vos capaces et nos faciat abundantes. Cum igitur ad intelligendam dignitatem Spiritus sancti oculos mentis intendimus, nihil diversum ab excellentia Patris et Filii cogitemus : quia in nullo ab unitate sua discrepat [e] divinæ Trinitatis essentia. Sempiternum est Patri, coæterni sibi Filii esse genitorem. Sempiternum est Filio, intemporaliter a Patre esse progenitum. Sempiternum quoque est Spiritui sancto, A Spiritum esse Patris et Filii : ut numquam sine Filio Pater, numquam Filius sine Patre, numquam Pater et Filius sine Spiritu sancto fuerint; et omnibus existentiæ gradibus exclusis, nulla ibi persona sit [f] anterior, nulla posterior. Hujus enim beatæ Trinitatis [g] incommutabilis Divinitas una est in substantia, indivisa in opere, consors in voluntate, par in omnipotentia, æqualis in gloria. De qua cum Scriptura sancta sic [h] loquitur ut aut in factis aut in verbis aliquid [i] designet, quid singulis videatur convenire personis, non perturbatur fides catholica, sed docetur : ut per proprietatem aut vocis aut operis insinuetur nobis veritas Trinitatis, et non dividat intellectus quod distinguit auditus. Ob hoc enim quædam sive sub Patris, sive sub Filii, sive sub Spiritus sancti appellatione promuntur, ut confessio [j] fidelium in Trinitate non erret. Quæ cum sit inseparabilis, numquam intelligeretur Trinitas esse, si semper [k] inseparabiliter diceretur. Bene ergo ipsa difficultas loquendi cor nostrum **396** ad intelligentiam trahit, B et per infirmitatem nostram cœlestis doctrina nos

[a] Ex serm. 2 de Pentec., cap. 1, 2 et 3 fere integro transcriptum, verbum e verbo.

[b] Ita duo nostri codices et editi ante Quesnellum, apud quem, *insinuari*, ut in serm. 2 de Pentecoste, cap. 1.

[c] Sic ex iisdem mss., quibus concinit lectio ejusdem sermonis. Vulg., *sermonem*.

[d] Al., *gestimus*. Vossius.

[e] Al., *Divinitatis essentia*. Vossius.

[f] Cod. Vat. Reg., *prior*, et delet verbum *sit*.

[g] Al., *et incommutabilis Deitatis una est substantia*. Vossius.

[h] Ms. Vat. Reg., *loquatur*.

[i] Al., *assignet quod singulis videatur convenisse personis*. Vossius.

[j] Idem Vossius. Alias, *credentium*.

[k] Duo nostri codd., *inseparabilis*.

Digitized by Google

adjuvat : ut quia in deitate Patris, Filii et Spiritus sancti nec singularitas est nec diversitas cogitanda, vera unitas et vera Trinitas possit quidem mente simul sentiri, sed non possit simul ore proferri. Fundata igitur, dilectissimi, in cordibus nostris hac fide, [a] salubriter credimus quod tota simul Trinitas una virtus est, una majestas, una substantia, [b] indiscreta operatio, inseparabilis dilectio, indifferens potestas, simul implens omnia, simul continens universa. Quod enim est Pater, hoc est et Filius, hoc est et Spiritus sanctus; et vera Deitas [c] in nullo esse aut minor aut major potest. Quæ sic in tribus est confitenda personis, ut et solitudinem non recipiat Trinitas, et unitatem servet æqualitas.

Cap. II. — [d] Numquam enim ab omnipotentia Patris, et Filii, Spiritus sancti est discreta majestas. Et quidquid in dispositione omnium rerum agit divina moderatio ex totius venit providentia Trinitatis. Una est ibi benignitas misericordiæ, una censura justitiæ; nec aliquid est in actione divisum, ubi nihil est in voluntate diversum. Quæ ergo illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus sanctus. Cumque alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis, simul nobis et unitas manifestatur et Trinitas; ut essentia habens æqualitatem, et non recipiens solitudinem, et ejusdem substantiæ et non ejusdem intelligatur esse personæ. Quod ergo salva cooperatione inseparabilis Deitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam proprie Spiritus sanctus exsequitur, nostræ redemptionis dispositio, nostræ salutis est ratio. Si enim homo ad imaginem et similitudinem Dei factus (*Gen.* II), in suæ naturæ honore mansisset, nec diabolica fraude deceptus, a lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, creator mundi creatura non fieret : neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus formam servi, et similitudinem carnis peccati assumeret. Sed quia *invidia diaboli mors intravit in orbem* [e] *terræ* (*Sap.* II), et aliter solvi captivitas humana non potuit, nisi causam nostram ille susciperet [f] sine majestatis suæ damno, et **397** verus homo fieret, et solus peccati contagium non haberet : divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret. Si igitur duce gratia, dilectissimi, fideliter sapienterque noscamus, quid Patri, quid Filio, quid Spiritui sancto in reparatione nostra proprium, quidve commune sit; ea quæ pro nobis humiliter [g] et corporaliter gesta sunt, ita proculdubio suscipiemus, ut nihil indignum de una atque eadem Trinitatis gloria sentiamus. Quamvis enim nulla mens ad cogitandum de Deo, nulla ad loquendum lingua sufficiat, tamen quantumcumque illud est quod humano intellectu de essentia paternæ Deitatis attingitur, nisi unum atque idem est, [h] cum vel de Unigenito ejus, vel de Spiritu sancto cogitatur, non pie sapitur, sed nimis carnaliter caligatur, et ipsum quod de Patre congruenter sentiri videbatur, amittitur : quia de tota Trinitate receditur, si in ea unitas non tenetur. Nulla autem ratione vere est unum, quod aliqua est inæqualitate diversum. Cum ergo ad confitendum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum aciem mentis intendimus, procul ab animo formas visibilium rerum, et ætates temporalium naturarum, procul corpora locorum, et loca corporum repellamus. Discedat a corde, quod spatio extenditur, quod fine concluditur, et quidquid nec semper ubique, nec totum est. Cogitatio de Deitate Trinitatis concepta, nihil per distantiam intelligat, nihil per gradus quærat; [i] aut si quid dignum Deo senserit, nulli hoc ibi audeat negare personæ.

Cap. III. — [j] Hanc autem fidem non terrena sapientia reperit, nec opinio humana persuasit; sed ipse unigenitus Filius docuit, ipse Spiritus sanctus instituit : de quo nihil est aliter, quam de Patre et de Filio sentiendum : quia licet non sit Pater, non sit Filius, non tamen est a Patre, Filioque divisus. Et sicut propriam habet in Trinitate personam, ita unam habet in Patris, et Filii Deitate substantiam, omnia implentem, omnia continentem, et cum Patre, et Filio universa moderantem in sæcula. Quid enim tam adversatur prophetis, tam repugnat Evangeliis, tam denique est apostolicis rebelle doctrinis, quam in Domino Jesu Christo ex Maria virgine genito, et sempiterno Patri intemporaliter coæterno, unam ac singularem prædicare naturam? Quia si hominis tantum intelligenda est, ubi est quæ salvat Deitas? si tantummodo **398** Dei, ubi est quæ salvatur humanitas? Fides autem catholica, quæ omnibus resistit erroribus, etiam istas simul impietates refutat, damnans Nestorium divina ab homine dividentem, detestans Eutychen in divinis humana vacuantem : quoniam veri Dei Filius, Deus verus, unitatem et æqualitatem habens cum Patre, et cum Spiritu sancto, idem verus homo esse dignatus est, nec conceptu virginis matris sejunctus a carne, nec partu : sic humanitatem sibi uniens, ut Deus incommutabiliter permaneret : sic Deitatem homini impertiens, ut eum glorificatione non consumeret, sed augeret. Qui enim factus est in forma servi, in forma Dei esse non desistit ; nec alter in altero, sed unus in utroque est. Nullis dispensationum varietatibus fides nostra turbetur, sed sive in miraculis virtutum, sive in contumeliis passionum et Deum qui homo est, et hominem credamus esse qui Deus est. Verus itaque Deus et verus homo unus est Christus, dives in suis, pauper in nostris; dona accipiens, et dona diffundens; particeps mortalium, et vivificatio mortuorum : ut in nomine Jesu Christi omne genu flectatur.

Cap. IV. — [k] Nesciens igitur Eutyches quid deberet de Verbi Dei incarnatione sentire, neque volens in sanctarum Scripturarum latitudine laborare, illam saltem communem confessionem sollicito recepisset auditu, qua fidelium universitas profitetur, credere se in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto [l] et Maria virgine. Quibus tribus sententiis, omnium fere hæreticorum machinæ destruuntur. [m] Cum enim Deus et omnipotens Pater creditur, sempiternus eidem Filius demonstra-

[a] Editi et codex Vat. addunt, *qua*, uti etiam legitur in laudato serm. 2 de Pent., c. 3. Sed abest a ms. Vat. Regio, et melius. Secus enim sententia contextus maneret suspensa, quod in sermone non accidit; ubi potius ex his quæ subjiciuntur illud relativum necessarium est.

[b] Al., *indiscreta opere, inseparabilis dilectione, indifferens potestate*, etc. Vossius.

[c] Al., *in nullo sese aut minor, aut major est.* Vossius. — Exinde cæteræ editiones hanc lectionem, licet sit in utrisque nostris codd., rejiciunt in marginem, cum prava sit; et substituerunt lectionem sermonis laudati, quæ optima est.

[d] Ex serm. 3 de Pentec., c. 1, 2, 3 et 4.

[e] Al., *terrarum*. Vossius.

[f] Idem Voss. Alias, *qui sine majestatis*, etc.

[g] In utroque nostro codice desunt voces *et corporaliter*, quas ex serm. 3 de Pentecoste Vossius supplevit.

[h] Ita ex nostris codd., quibus concinit lectio Sermonis laudati. Vossius autem et cæteræ editiones in textu *cum id de Unigenito ejus, et de Spiritu sancto cogitatur :* nostram autem lectionem in margine exhibent.

[i] Al., *at si quid de Deo dignum senserit*. Vossius.

[j] Ex serm. 3 de Pentec., cap. 6, et serm. 6 de Jejunio septimi mensis, cap. 2 et 3.

[k] Epist. 28, ad Flavian., cap. 2.

[l] Vossius. Al., *ex Maria.*

[m] Al., *Cum enim Deus et omnipotens et æternus creditur, consempiternus eidem Filius demonstratur.* Voss.

Digitized by Google

tur, in nullo a Patre differens : quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de æterno natus est coæternus : non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non divisus essentia. Idem vero sempiterni genitoris unigenitus sempiternus, natus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine. Quæ nativitas temporalis, illi nativitati divinæ et sempiternæ nihil minuit, nihil contulit ; sed totam se reparando homini, qui erat deceptus, impendit, [a] et ut mortem vinceret, et diabolum qui habebat mortis imperium, sua virtute destrueret.

Cap. V. — [b] In quo etiam conflictu pro nobis inito, magno et mirabili æquitatis jure certatum est, dum omnipotens Deus cum sævissimo hoste non in sua majestate, sed in **399** nostra humilitate congreditur, objiciens [c] ei eamdem formam eamdemque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem. [d] Non enim superare nos possemus peccati et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet et suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe est de Spiritu sancto, intra uterum Virginis matris, quæ illum ita salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit. [e] An forte ideo putavit hæreticus ille Dominum nostrum Jesum Christum non nostræ esse naturæ, quia missus angelus ad Virginem ait : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi ; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* II) : ut quia conceptus Virginis divini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti ? Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis et mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis. Fecunditatem enim Virgini Spiritus sanctus dedit, veritas autem corporis de corpore sumpta est, et ædificante sibi sapientia domum (*Prov.* IX), *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I), hoc est in ea carne quam sumpsit ex homine, et quam spiritus vitæ rationalis animavit. [f] Verbum igitur Dei Deus, Filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil, propter liberandum hominem ab æterna morte factus [g] est homo, ita se ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutione majestatis suæ inclinans, ut manens quod erat, assumensque quod non erat, veram servi formam ei formæ in qua Deo Patri est æqualis uniret, et tanto fœdere naturam utramque consereret, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio.

Cap. VI. — [h] Salva igitur proprietate utriusque naturæ, et in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas ; et ad resolvendum conditionis nostræ debitum natura inviolabilis naturæ est unita passibili, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero. [i] Integra ergo perfectione veri hominis, perfectaque natura, verus natus Deus est, **400** totus in suis et totus in nostris. Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, et quæ reparanda suscepit. Nam illa quæ deceptor intulit et homo deceptus [j] admisit nullum habuerunt in Salvatore vestigium. Nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam servi sine sorde peccati, humana augens, divina non minuens, quia exinanitio illa qua se invisibilis visibilem præbuit, et Creator ac Dominus [k] omnium unus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma Dei fecit hominem, idem in forma servi factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura. [l] Et sicut forma servi Dei formam non admit, ita forma Dei formam servi non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus hominem, sua fraude deceptum, divinis caruisse muneribus, et immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de [m] prævaricatoris consortio invenisse solatium, Deum quoque, justitiæ exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, propriam mutasse sententiam : opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus (cujus voluntas non potest sua benignitate privari) primam erga nos pietatis suæ dispensationem sacramento occultiore compleret, et homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam contra Dei propositum non periret.

Cap. VII. — [n] Ingreditur [o] ergo hæc mundi infirma Filius Dei, de cœlesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis est factus in nostris. Incomprehensibilis, voluit comprehendi. Ante tempora manens, cœpit esse ex tempore. Universitatis Dominus servilem formam obumbrata majestatis suæ immensitate, suscepit. Impassibilis Deus, non dedignatus est homo esse passibilis et immortalis, mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate generatus, quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit. [p] Assumpta est de matre Domini, natura, non culpa ; nec in Domino Jesu Christo, ex utero Virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo [q] nostræ naturæ **401** est dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo. Et nullum in hac unitate est mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate : agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ [r] non recedit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Unus enim idemque est, quod sæpe dicendum est, vere Dei Filius, et vere hominis Filius. Deus per id quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* ; homo per id quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). [s] Quem utique sicut hominem

[a] Al., *ut et mortem.* Vossius.

[b] Ex serm. 1 de Nativit. Dom., cap. 1.

[c] Supplevimus *ei* ex nostris mss. et e sermone 1 de Nativitate, c. 1.

[d] Ex. cap. 2 epist. 28, ad Flavianum.

[e] Ex fine ejusdem capitis.

[f] Ex serm. 1 de Nativ., cap. 2.

[g] Supplevimus verbum *est* necessarium ex eodem serm. 1 de Nativit. c. 2.

[h] Ex epist. 28, ad Flavianum, cap. 3.

[i] Al., *In integra ergo veri hominis perfectaque natura.* Vossius.

[j] Ita emendandum fuit ex epistola 28, ad Flavianum. Al., *amisit.*

[k] Al., *omnium rerum.* Vossius.

[l] Al., *Et sicut formam servi Dei forma non adimit, ita formam Dei servi forma non minuit.* Sic Vossius ex vulgato epistolæ 28, ad Flavianum, cap. 3, et ex serm. 3 de Nativ., c. 2, qui tamen sermo in duobus Vat. basilicæ codd. in uno Vat. et alio Bon. textus lectionem præfert.

[m] Al., *prævaricationis.* Vossius.

[n] Ex epist. 28, ad Flavianum, cap. 4.

[o] Particulam *ergo* a Quesnello omissam ex nostris mss. adjecimus. Mox, pro *infirma*, editi in margine. Al., *infima.*

[p] Al., *Assumpta est igitur de matre.* Vossius.

[q] Al., *nostra est natura dissimilis.* Vossius.

[r] Al., *non recessit.* Vossius.

[s] Ex epist. 28, ad Flavianum, cap. 4, paucis omissis.

Digitized by Google

diabolica tentat astutia, eidem, sicut Deo angelica famulantur obsequia. Esurire, sitire, lassescere, atque dormire, evidenter humanum est. [a] Sed quinque panibus quinque millia hominum saturare, largiri Samaritanæ aquam vivam, cujus haustus bibenti præstat ne ultra jam sitiat, et supra dorsum maris plantis non subsidentibus ambulare, et elationes fluctuum increpata tempestate consternere, sine ambiguitate divinum est. Sicut ergo (ut multa præteream) non ejusdem naturæ est, flere miserationis affectu Lazarum amicum mortuum, et eumdem remoto quatriduanæ aggere sepulturæ, ad vocis imperium excitare redivivum, aut [b] in cruce pendere et in noctem luce conversa omnia elementa tremefacere, aut clavis transfixum esse, et paradisi [c] portam fidei latronis aperire; ita non ejusdem naturæ est, dicere: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x); et dicere: *Pater major me est* (*Ibid.* xiv). Quamvis enim in Domino Jesu Christo Dei, et hominis una persona sit, aliud tamen est unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas, de Patre illi est æqualis cum Patre Divinitas.

CAP. VIII. — [d] Propter hanc ergo unitatem personæ in utraque natura intelligendam, et Filius hominis legitur descendisse de cœlo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine de qua est natus assumpserit. Et rursus Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cum hæc non in Divinitate ipsa, qua Unigenitus, consempiternus et consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Unde unigenitum Filium Dei, crucifixum, **402** et sepultum, omnes etiam in Symbolo confitemur, secundum illud Apostoli dictum: *Si enim cognovissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent* (*1 Cor.* II): quia Ecclesia catholica hac fide vivit, hac proficit, ut in Domino Jesu Christo, nec sine vera Divinitate humanitas, nec sine vera humanitate credatur Divinitas. [e] Cum autem in Concilio Eutyches profiteretur ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem vero unam naturam confiteretur; miror tam absurdam, tamque perversam ejus professionem nulla judicantium increpatione reprehensam; et sermonem nimis insipientem, nimisque blasphemum, ita omissum, quasi nihil quod offenderet, esset auditum: cum tam impie duarum naturarum ante incarnationem Unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quam nefarie postquam *Verbum caro factum est*, natura in eo singularis asseritur. Quod [f] non Eutyches ideo vel recte vel tolerabiliter æstimet dictum, quia [g] nulla est sententia confutatum. [h] Tunc [i] enim fructuosissime vera fides defenditur, cum etiam a sectatoribus suis opinio falsa damnatur.

CAP. IX. — [i] Inter hæc ergo quantum Nestorius a veritate deviavit, Deitatem Verbi ab assumpti hominis substantia separando, tantum a recto tramite etiam iste discessit, qui unigenitum Dei Filium sic de utero beatæ Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit. De quo prodigio falsitatis, quis non videat quæ opinionum monstra nascantur? Negator enim mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi, necesse est ut multis impietatibus impleatur, eumque aut Apollinaris sibi vindicet, aut Valentinus usurpet, aut Manichæus obtineat, quorum nullus in Christo Jesu humanæ carnis credidit veritatem. Qua utique non recepta, non solum quod secundum carnem atque animam rationalem, qui erat in forma Dei, manens idem in forma servi, homo natus denegatur, sed etiam quod crucifixus est, et mortuus, ac sepultus, quodque die tertia a mortuis resurrexit, et quod ad dexteram Dei Patris sedens, ad judicandos vivos et mortuos in eo corpore sit venturus, in quo est judicatus, abnuitur: quia hæc redemptionis nostræ sacramenta vacuantur, si Christus veram veri hominis, totamque naturam suscepisse non creditur. An quia manifesta erant signa divina, falsa dicentur documenta corporea? et testimonia utriusque naturæ valebunt, ut creator **403** intelligatur, non valebunt ut creatura salvetur? Quod Deitatis est caro non minuit, quod carnis est Deitas non peremit. Idem enim et sempiternus ex Patre, et temporalis ex matre: in sua virtute inviolabilis, in nostra infirmitate passibilis; in Deitate Trinitatis cum Patre et cum Spiritu sancto unius ejusdemque naturæ; in susceptione autem hominis, non unius substantiæ, sed unius ejusdemque personæ: ut idem esset dives in paupertate, omnipotens in abjectione, impassibilis in supplicio, immortalis in morte. Nec enim Verbum aut in carnem aut in animam aliqua sui parte conversum est, cum simplex et incommutabilis natura Deitatis tota in sua sit semper essentia, nec damnum sui recipiens nec augmentum; et sic assumptam naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat. Cur autem inconveniens aut impossibile videatur ut Verbum et caro atque anima unus Jesus Christus et unus Dei hominisque sit Filius, si caro et anima quæ dissimilium naturarum sunt, unam faciunt etiam sine Verbi incarnatione personam, cum multo facilius sit ut hanc unitatem sui atque hominis Deitatis præstet potestas, quam ut eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis infirmitas? Nec Verbum igitur in carnem, nec in Verbum caro mutata est, sed utrumque in uno manet, et unus in utroque est, non diversitate divisus, nec permixtione confusus. Nec alter ex Patre, alter ex matre, sed idem aliter ex Patre ante omne principium, aliter de matre in fine sæculorum: ut esset mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (*1 Tim.* II), in quo inhabitaret plenitudo Divinitatis corporaliter (*Coloss.* II): quia assumpti non assumentis provectio est, *quod Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen* (*Philip.* II).

CAP. X. — [k] Nativitas enim Domini secundum carnem, quamvis habeat quædam propria quibus humanæ conditionis initia trascendat, sive quod solus ab inviolata Virgine sine concupiscentia carnis est conceptus et natus, sive quod ita e visceribus matris est editus, ut fecunditas pareret et virginitas permaneret, non alterius tamen naturæ erat ejus caro, quam [l] nostræ, nec alio illi quam cæteris hominibus anima est inspirata principio, quæ excelleret, non diversitate generis, sed sublimitate virtutis.

[a] Al., *Sed et de quinque.*
[b] Al., *in ligno.* Voss.
[c] Al., *portas.* Voss.
[d] Ex epist. 28, ad Flavianum, cap. 5.
[e] Ex epist. 28, ad Flavianum, cap. 6.
[f] Al., *ne Eutyches.* Voss.
[g] Editi addunt *vestra*, uti in epistola 28, ad Flavianum, c. 6, legitur. Sed codices hanc vocem omittunt; et hic quidem omittenda est, quippe non perinde Auctor hoc loco Flavianum alloquitur, ut in epistola accidit. Eadem de causa in antecedentibus illa epistolæ verba: *Cum autem ad interrogationem examinis vestri Eutyches responderit dicens: Confiteor ex duabus naturis*, etc., aliter elata fuerunt sic: *Cum autem in concilio Eutyches profiteretur ex duabus naturis*, etc.
[h] Ex epist. 28, ad Flavianum, cap. 6, multis omissis.
[i] Hæc ratio cum antecedentibus non congruit, uti congruit in laudata epistola ad Flavianum cum iis quæ hic prætermissa sunt.
[j] Ex epist. 35, ad Julianum episc. Coens., cap. 1 et 2.
[k] Ex epist. 35, ad Julianum, episc. Coens., cap. 3.
[l] Sic ex duobus nostris codd. vulg., *nostra.*

Digitized by Google

Nihil enim carni suæ habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam [a] voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, et veritas affectionum sub moderamine Deitatis et mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat **404** injuriis. Verus homo vero unitus est Deo; nec secundum existentem prius animam deductus est e cœlo, nec secundum carnem creatus ex nihilo, eamdem gerens in Verbi Deitate personam, et tenens communem nobiscum in corpore animaque naturam. Non enim esset Dei hominumque mediator, nisi idem Deus idemque homo [b] in utroque et unus esset et verus. [c] Deinde non Deum tantum dicimus Christum, sicut hæretici Manichæi, nec hominem tantum sicut hæretici Photiniani; nec ita hominem, ut aliquid ei desit quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam, sive mentem rationabilem, sive carnem, quæ non de femina sumpta sit, sed facta de Verbo, in carnem converso atque mutato : quæ tria falsa et vana Apollinaristarum hæreticorum [d] tres varias protulerunt partes. Nec dicimus quod beata Virgo Maria hominem sine Deitate conceperit, qui creatus a Spiritu sancto, postea sit susceptus a Verbo, quod Nestorium prædicantem merito justeque damnavimus; sed dicimus Christum Dei Filium, Deum verum, natum de Deo Patre, sine ullo initio temporis, eumdemque hominem verum natum de matre homine, certa plenitudine temporis; nec ejus humanitatem, [e] qua major est Pater, minuere aliquid [f] ei naturæ qua æqualis est Patri. Hoc autem utrumque unus est Christus, qui verissime dixit et secundum Deum : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x); et secundum hominem : *Pater major me est* (*Joan.* xiv).

Cap. XII. — [g] Quamvis ergo in uno Domino nostro Jesu Christo, vero Dei atque hominis Filio, Verbi et carnis una persona sit, et utraque essentia communes habeat actiones, intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, et sinceræ fidei contemplatione cernendum est ad quæ provehatur humilitas infirmitatis, et ad quæ inclinetur altitudo virtutis : quid sit quod caro sine Verbo non agit, et quid sit quod Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia non conciperet virgo nec pareret, et sine veritate carnis obvoluta pannis infantia non jaceret. Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium et vivificatio mortuorum, et sine veritate carnis nec cibus jejuno nec somnus esset necessarius fatigato. Postremo sine Verbi potentia non se Dominus Patri profiteretur æqualem, et sine veritate carnis non idem diceret Patrem [h] esse majorem, cum catholica fides utrumque suscipiat, utrumque defendat, quæ secundum proprietatem divinæ humanæque substantiæ unum Dei Filium et hominem credit et Verbum. **405** Quamvis ergo ab illo initio, quo in utero virginis *Verbum caro factum est* (*Joan.* i), nihil umquam inter divinam humanamque substantiam divisionis exstiterit, et per omnia incrementa corporea unius personæ fuerint totius temporis actiones, ea ipsa tamen quæ inseparabiliter facta sunt nulla permixtione confundimus, sed

A quid cujusque formæ sit ex operum qualitate sentimus. Nec divina enim humanis præjudicant, nec humana divinis : cum ita in idipsum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas absumatur, nec persona geminetur. [i] Quamvis ergo unus sit Dominus Jesus Christus, et veræ Deitatis veræque humanitatis in ipso una prorsus eademque persona sit, neque hujus unitionis soliditas ulla possit divisione sejungi; exaltationem tamen, qua *illum exaltavit Deus, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen*, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei, æqualis erat Filius Patri, et inter genitorem atque unigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in majestate diversitas, nec per incarnationis mysterium aliquid decesserat Verbo, [j] quod Dei Patris munere redderetur. Forma autem servi, per quam impassibilis Deitas, sacramentum magnæ pietatis implevit, humana humilitas est, quæ
B [k] gloria divinæ potestatis evecta est in tantam unitatem, ab ipso conceptu virginis Deitate et humanitate connexa, ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana. Propter quod sicut Dominus majestatis dicitur crucifixus, ita qui ex sempiternitate æqualis est Deo, dicitur exaltatus. Nec interest ex qua Christus substantia nominetur; cum inseparabiliter manente unitate personæ, idem sit et totus hominis filius propter carnem, et totus Dei Filius propter unam cum Patre Deitatem. Quidquid ergo in tempore accepit Christus, secundum hominem accepit, cui quæ non habuit, conferuntur. Nam secundum potentiam Verbi, indifferenter omnia quæ habet Pater, etiam Filius habet : et quæ in forma servi a Patre accepit, eadem in forma Patris etiam ipse donavit.

Cap. XII. — [l] Eam fidem, cum plurimi hæreticorum impugnarent, Nestorius, et Eutyches, diversa quidem assertione, sed simili impietate conati sunt irrumpere. Anathematizetur ergo Nestorius, qui
C beatam Virginem **406** hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis : cum ita intra virginea viscera Verbum caro sit factum, ut per ineffabile sacramentum uno conceptu unoque partu secundum veritatem atque unionem utriusque naturæ, eadem virgo et ancilla Domini esset, et mater. [m] Percellatur quoque Eutyches eodem anathemate, qui negata humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominum nostrum Jesum Christum unius asseruit esse naturæ, tamquam Verbi Deitas ipsa se in carnem animamque converterit. Quæ [n] mendacia tam sacrilega, per totum mundum, sanctorum Patrum damnata sunt sententiis. Fides autem catholica singularis atque vera, justificans impium, et creans justum, ad humanitatis suæ tracta participem, in illo acquirit salutem in quo solo homo [o] invenerit innocentem. [p] Eam fidem secundum propheticam, evangelicam, apostolicam, et salutaris symboli doctrinam, Nicæna Synodus instituit, examen Chalcedonense confirmavit, orbis terrarum celebrat atque veneratur. Eamdem, dilectissimi, pio et laudabili amore defendite, immo fideliter firmiterque retinete, [q] ac constanter asserite. Quo-
D

[a] Ita Quesnellus et nostri codices. Al., *voluptatum*.
[b] Sic iidem codices et epist. 35, ad Julianum, c. ult. Editi perperam, *in utraque*.
[c] Ex epist. 59, ad clerum et pleb. Constantinop.
[d] Al., *tres partes varie protulerunt*. Voss.
[e] Al., *qua minor est Patre*. Voss.
[f] Al., *ejus naturæ*. Voss.
[g] Ex serm. 13, cap. 4, de Pass.; epist. 124, ad Palæst., cap. 5; et epist. 165, ad Leon. Aug., c. 6.
[h] Vulgati hic inserunt *se*, refragantibus utrisque nostris mss.
[i] Ex laudata epist. 124, ad Palæst., cap. 8.
[j] Al., *quod ei Patris*. Voss.
[k] Vulgati in margine notant, *in gloriam*, ex lectione epistolæ 124, ad Palæstinos, c. 7. Cod. Vat. Reg., *gloriam divinæ potestatis adepta est in tanta unitate, ab ipso concepta*, etc. Cod. Vaticanus, *gloria divinæ potestatis invecta est in tanta unitate*, etc.
[l] Ex epist. 124, ad Palæst., cap. 1
[m] Ex eadem epist., cap. 3.
[n] Al., *impietatis mendacia*. Voss.
[o] Al., *se invenit innocentem*. Voss.
[p] Convenit hic sensus cum ep. 165, cap. ult., sed alia ratione effertur, hicque potior locus est, in quo centonis auctor aliquid adjecit.
[q] Verba, *ac constanter asserite*, in utrisque mss. desunt; cumque a Vossio ex Leonis ep. 165 sumi nequiverint, eo quod aliis verbis epistola efferatur,

Digitized by Google

niam, sicut ait B. apostolus Paulus, *magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria* (I *Tim.* III, 16).

SERMO II.

In Nativitate Domini.

Editus in Quesnelli appendice ex codice S. Petri Corbeiensis, in quo S. Leoni tribuitur.

Cap. I. — Salvator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus : neque enim locum oportet esse tristitiæ, ubi natalis est gaudiorum. Ad omnes itaque gaudium istud pertinet, quia Christus omnibus venit. Nullus ergo se lætitiæ diei hujus arbitretur alienum. Si sanctus est quis gaudeat, quia accipiet remunerationem. Si peccator est gaudeat, quia invitatur ad veniam. Si gentilis est gaudeat, quia admittitur ad salutem. Carnem humani generis pro nobis Deus assumpsit. **407** Si ipsi nos alienos a Christo non faciamus, jam in Christo sumus. Agnoscamus ergo redemptionem nostram, agnoscamus salutem nostram. Ipse se alienum a consortio Christi efficit, qui se esse in corpore Christi denegaverit. Sed illud, dilectissimi, quod secundum Scripturas, quæ lectæ sunt, hodie Dominum natum esse cognoscimus, videamus; quomodo in fine sæculi natus sit, qui creator est sæculorum : *Ipse enim dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (*Ps.* CXLVIII, 6).

Cap. II. — Christus ergo Salvator noster, dilectissimi, homo et Deus creditur : Deus ex Patre, homo de matre; Deus ex deitate, corporeus ex carne; et ideo Deus ante sæcula, homo post sæcula ; Deus ante initia, homo inter extrema, qui in principio creavit per majestatem, hodie venit salvare per carnem. Creatio hominum, prima potentia fuit; salvatio, secunda pietas. Benignitatis motus affectu Dominus voluit ut nobis redderet misericordia quidquid abstulerat offensa. Descendit ergo ille ut nos ascenderemus, cœlestia submisit ut terrestria sublevaret; fecit se hominis participem ut hominem faceret Dei esse consortem; *factus*, sicut per Apostolum audistis, *ex muliere, factus sub lege* (*Galat.* IV, 4). Sed nemo cum mulierem audit matrem Domini, de nominis offensione moveatur. Virgo concepit ex Spiritu sancto, sed mulier nominatur ex sexu. Et ideo evangelista, qui lectus est, virginem; apostolus autem mulierem nuncupavit : ut omnes in partu Virginis omnipotentiam agnoscerent Divinitatis; in appellatione autem mulieris, nomen conditionis audirent.

Cap. III. — Natus est ergo Dominus noster ex carne quidem, sed non ex corruptione carnali; natus ut homo, sed non genitus ut homo. Ita suscepit carnem, ut servaret majestatis honorem. Et sic segregando puritatem nativitatis suæ a concretione colluvionis humanæ, peregit quidem in ortu suo plenam hominis dispensationem, sed Dei tamen non deseruit dignitatem. Ideoque in mundo isto talis qualis nativitate, puritatem ortus sui etiam in vitæ sinceritate servavit. Solus enim ille est in cujus ore, sicut scriptum est, dolus non fuit : utique ut qui colluvionem humanam in creatione nescierat, etiam in conversatione nesciret. Cum enim, inquit Apostolus, in forma Dei esset, formam servi accepit, etc. Omnes homines, dilectissimi, servi peccatorum fuerunt, et ideo bene ait Apostolus formam tamtummodo servi assumpsisse, quia homo quidem verus, sed humanis vitiis non coinquinatus, formam tantum habuit servi, non conscientiam : quia licet habuerit speciem **408** hominis, non tamen habuerat conscientiam peccatoris : quia, sicut Apostolus dicit, *Cum in forma Dei esset, formam servi accepit, et habitu inventus est ut homo* (*Philip.* II, 6). Habitu homo, sed potentia Deus, quasi servus in forma, sed Dominus in natura : foris ostendens matris infirmitatem, intus possidens Patris majestatem; foris humilis corpore, intus pollens Divinitate.

Cap. IV. — Denique et ipsa ejus inter homines conversatio simul utrumque monstravit, in passionibus hominem, in virtutibus Deum. Esurivit enim, sed esurientes multiplicatis per benedictionem panibus pavit. Quod esurivit, caro fuit; quod pavit, Deus. Ex homine fuit quod lacrymavit; ex Divinitate quod præstitit. Hominem indicavit, quod precem fudit, oravit, exauditus est. Omnibus ergo rebus duplicem in se naturam monstravit, et ideo substantiæ utriusque mediator est : quia dum submisit cœlestia, exaltavit humana : fecit summam ex diversitate concordiam, ut in eo una utraque fieret, qui in se utrumque retinet Dominus noster Jesus Christus, qui vivit et regnat cum Patre et sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De Quadragesima I.

Nunc primum editus ex tribus codicibus, Veneto S. Marci 153. *Patavino PP. Eremitanorum* 113, *et Veronensi* 214, *in quibus S. Leoni papæ attribuitur; sed ex characteribus in præfatione propositis num.* 4 *alius ignotus antiquus auctor proditur. Æneas Parisiensis, qui hujus sermonis non exiguam partem recitat in libro adversus Græcos tom.* I *Spicileg. Acher. ipsum S. Faustino episcopo adjudicat, cui alios quoque sermones in quibusdam mss. ascribi Patres Benedictini in append. tom.* V *Operum S. Augustini notarunt. In cod. Patav. inscribitur*, Dominica initium Quadragesimæ; *et prima quidem Dominica Quadragesimæ hunc sermonem habitum ex initio cap.* 1 *et* 3 *manifestum est.*

Cap. I. — Permotos esse vos credo, fratres dilectissimi, cur a superiore Dominica Quadragesimam [a] percurremus, et cum hæc dies sit ejus exordium, cur festivitatem ejus ante unam hebdomadam celebrare cœperimus. Reprehendi non potest observatio ista : peroptimæ enim devotionis indicium est prius legem exsequi quam legis statuta cognoscas, et ante obedire præceptis quam obedientiam præcepta compellant. Illud enim amoris est, hoc timoris. Hoc imperative exigitur, illud religiose defertur. Hic debitum solvitur, ibi donum muneris exhibetur. Unde et nos religiosum munus exhibuimus Deo, dum amplius jejunavimus. Reprehendi enim non potest festinata festivitas. Semper enim in **409** gaudiis solemnitatis vota præveniunt, et futuram lætitiam devotio, dum exoptat, anticipat. Non solum igitur non reprehensibiliter, sed et caute factum est. Semper enim in rebus ambiguis oportet addere aliquid amplius [b] ad cautelam, quia quod est amplius recidi potest, quod minus est non potest prolongari, sicut in hac [c] observatione factum est. Nam quod pro-

ut notatione præcedenti observavimus, palam fit cod. Vaticanum, ex quo ille hunc tractatum exscripsit, alium fuisse ab illis duobus quibuscum hunc tractatum contulimus.

[a] Nostri codd., *percurremus*. Prætulimus lectionem Æneæ Parisiensis. Melius videretur *præcurrimus*. S. Maximus, hom. inscripta : *In die Cinerum*, testatur suo tempore *nonnullorum fuisse consuetudinem, advenientes Quadragesimæ dies devotiore jejunio prævenire*. Ex hoc autem sermone discimus *una hebdomada*, a Dominica scilicet Quinquagesimæ, jejunium cœptum fuisse; immo etiam ab episcopo aliquatenus fuisse indictum; ita ut quidam idcirco permoti fuerint, alii vero, *postquam intellexerunt solemnitatem ambiguam*, seu non præceptam, sed liberam, *jejunare neglexerint*.

[b] Sic codices Venetus et Veson. Codex Patav., *caute*.

[c] *Observatio*, sicut et *observantia* apud Leonem pro jejunio accipitur.

Digitized by Google

pter Quadragesimam plus jejunavimus, non minuimus Quadragesimam : integra enim nobis manet. Quod si minus jejunassemus a numero, redintegrare [a] non poteramus ad numerum.

Cap. II. — Sed fortasse [b] illud in causa est, quod jejunium quo jejunavimus non proficiat nobis ad Quadragesimam. Proficit plane nobis, quia etsi non proficit ad Quadragesimam, proficit ad salutem. Si non proficit ad numerum, proficit ad meritum. Cui enim umquam non profuit orare, legere, jejunare? Cui non profuit castitas, sobrietas, mansuetudo? Nisi quod illos magis reprehendendos puto, qui cum parati fuerint jejunare, posteaquam [c] audierunt solemnitates ambiguas, neglexerunt jejunare. Demonstraverunt utique non se volentes religiose vivere, sed coactos. Veriti sunt, credo, ne [d] quinque dierum jejuniis prolongatis, caro eis corpusque deficeret, et exiles ac tenues Quadragesimæ abstinentiam tolerare non possent.

Cap. III. — Audiant igitur refecti pariter ac robusti, tenues atque pallentes, quia hodie est Quadragesima. Audiant illi, inquam, ut jejunare incipiant; et isti, ut abstinere non desinant, et communiter in [e] arcam Christi intrare festinent. Immo festinent amplius, qui tardius abstinere cœperunt, ut castigatiores et puriores introeant. Quia [f] arca Domini in periculis jejunium sustentare prævalet, temulentum sustinere non novit. Admonemus ergo vos, sicut [g] ante jam diximus, nostri temporis homines, ut in his mundi turbinibus ad domum Dei certatim unusquisque confugiat, sicut et sui temporis homines Noe justus admonuit. Admonuit enim illos futurum diluvium, et prædicare non destitit; et licet vox prædicationis non sit audita, **410** tamen etsi tacebat lingua, opera loquebantur; etsi [h] silebant voces, fabrica personabat. Cum enim ædificabat tam grande opus arcæ illius, causam cur fieret ipso opere testabatur. Testabatur enim ipso apparatu nova tabernacula novis periculis profutura. Sapiens enim quisque intelligere poterat naufragii nescio quid imminere, cum domus talis fieret, quæ non [i] hæreret terræ, sed nataret in gurgite; cum hospitium hujusmodi pararetur, quod nec pavimentum solo defigeret, nec fluctibus unda submergeret. Quis, inquam, sapiens non intelligeret adesse diluvium, cum videret tale domicilium fieri, quod susceptos intra se non tam clauderet quam portaret, quod non tam pluviarum imbres repelleret quam naufragii procellas arceret? Quo, inquam, ex hospitio [j] non advertit periculum hominis : in quo hospitio non esset habitandum, sed potius exsulandum; in qualibet parte mundi futurum esset cum ipsis habitaculum peregrinum. [k] Ipse ergo sanctus Noe opere populis prædicabat, et dicebat illud evangelicum Domini dictum : *Si mihi non creditis, operibus credite* [l] (*Joan.* x, 38).

SERMO IV.

De Quadragesima II.

Editus a P. abb. Joanne Chrysostomo Trombellio inter veterum Patrum Latinorum Opuscula tom. II, *part.* 1, *pag.* 291, *qui eum Leonis esse existimat, uti eidem sane ascriptum vidimus etiam in nostris codicibus collect.* 1 *et* 2, *nec non in Lectionariis Veneto* 153 *et Vat.* 6152. *Sed in Lectionariis* 105 *et* 197 *basilicæ S. Petri, quæ sinceris Leonis Sermonibus hujus nomen inscribunt, sine Leonis nomine post hujus sermones de Quadragesima subjicitur una cum alio sermone incipiente,* Jejunii tempora, *quem ex Isidoro Hispalensi sumptum in præfatione animadvertimus num.* 11. *Anonymus pariter legitur in Lectionario Vat.* 1268. *Similitudo doctrinæ, quæ etiam in Augustino aliisque Patribus invenietur,* **411** *nihil probat; idemque est de simili interpretatione textus ecclesiastici. Stylus certe pressior, et brevioribus sententiis restrictus, a Leonino maxime differt.*

Cap. I. — Dilectissimi nobis, fides vestra nos admonet religionis promere documenta. Hortamur namque jejunium, quod est recte viventibus devotionis [m] augmentum, murus fidei, expugnatio pravitatis. Suademus etiam non solum a cibis esse, sed ab omnibus semper vitiis abstinendum. Nolite esse in comessationibus prodigi, vel in ebrietatibus arrogantes : quoniam scriptum est in Salomone : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam* (*Sap.* IX, 15); nec non et Apostolus ait : *Carnis curam ne feceritis in desideriis vestris* (*Rom.* XIII, 14). Abstinete vos ergo his diebus a sæcularibus curis desideriisque carnalibus. Castigetur corpus, ut anima [n] sanetur. Roboratur enim spes, attenuata parcimoniis carne, et deliciarum [o] victu vita præsens alitur, non futura : quoniam abundantiam rerum luxuria comitatur. Auferte a vobis [p] invidiæ simultatem, maliloquia contemnentes et omnia semina peccatorum. Dissolvite violentarum laqueos actionum; et [q] dolosa calumniarum argumenta cessent. Præbete egentibus et domesticis fidei mansionem. Chirographa iniqua disrumpite, ut non solum corpore, sed etiam spiritu placita Deo jejunia celebretis.

Cap. II. — Oportet quoque eleemosynarum semine fructus nos propri[r] sperare jejunii. Scriptum est enim : *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccli.* III, 35). Agendum est etiam ut non avaritiæ studio, sed misericordiæ cura vincamur. Ab opulentis apparatibus abstinere debemus. Demus temporalia pauperibus, ut perpetua nobis eorum

[a] Codex Veronensis addit *eum;* legendum *eam*, id est *Quadragesimam*. Cod. Venetus, *cum*.

[b] Secuti sumus lectionem mss. Patav. et Veron. Cod. Venetus, *aliud in causa est cur*. Mox ms. Veron. utroque loco, *proficiet*.

[c] Al., *audierint*, et dein, *neglexerint*.

[d] Codex Patavinus, *quatuor*. Prætulimus codicis Veneti et Æneæ Parisiensis lectionem, *quinque*, quæ etiam colligitur ex lectione erronea ms. Veronensis, *nequaquam;* nam duplex *qq* in voce *quinque*, non autem in *quatuor* reperitur. Intelliguntur autem quinque dies a Dominica Quinquagesimæ ad feriam quintam inclusive, alias liberi a jejunio et abstinentia.

[e] Duo codd. Ven. et Veron. habent *in aream*. Sed retinendum cum ms. Patav. et Ænea Parisiensi, *in arcam*, cum in sequentibus ex arca Noe exemplum petatur.

[f] Codd. Venet. et Patav., *Qui arcam Domini in periculis per jejunium sustentare non prævalet*. Cod. Veron. similiter, deleta tantum negativa particula. Veram lectionem suppeditavit exemplum Æneæ Parisiensis.

[g] Nimirum, ut videtur, in sermone habito Dominica Sexagesimæ, in qua legebatur ex Genesi historia Noe, unde auctor exemplum sumpserat, et ad jejunium una hebdomada præveniendum excitaverat.

[h] Ita ex cod. Ven. In Patav., *silebat voce, aspectu sonabat*. Veronensis non absimiliter, sed habet, *personabat*.

[i] Veron. ms., *adhæreret*.

[j] Codd. Patav. et Ver., *non averterit*.

[k] Cod. Veron., *Ipso ergo*.

[l] Licet in ms. Veronensi habeatur clausula, *Amen;* et in Veneto, *Qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum, Amen;* finis tamen deesse videtur.

[m] Vat. unus, *argumentum*.

[n] Aliqui codd., *satietur*. Mox cod. Barber. coll. 2, alia interpunctione : *Nam deliciarum*.

[o] *Victus* hic pro vivendi ratione accipitur.

[p] Sic Vat. 1268. Al., *invidias, simultates*.

[q] Ita ex laudato Vat. Alii, *nodosa*.

[r] Cod. coll. 2, *spectare*.

Digitized by Google

orationibus munera præbeantur. Nam exigui panis ærisque commercio peccatorum nobis confertur impunitas. Sciendum est etiam quia sicut [a] divites multos, ita pauperes Dominus fecit : quatenus sit Dominum rogandi necessitas, ut qui nihil horum passus est, timeas ne forte patiaris. Pasce ergo qui sanus es debilem tamquam in carne calamitatis exemplum. Pasce igitur pauperem, dives, cujus forsitan portionem a Domino Deo nostro, ut eum pasceres, accepisti. Pasce jejunum, ut pars ejus tibi sublata detur alii largienti. Pasce fame morientem : quisquis enim pascendo servare hominem [b] poteris, si non paveris, occidisti. Anticipentur etiam tacentium desideria mendicorum ; quoniam legimus : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus* (*Ps.* XL, 2). Demus itaque eleemosynam egentibus, antequam petant, ne præ nimia necessitate 412 clamando cunctantes nos exigere videantur. Præteamus eis collatorum nobis cœlestium munerum vel aliquam portionem, ne pœnales ob segnitiem feneratori nostro reddamus usuras (*Luc.* XVI, 2). Cogitemus illum divitem qui propter micas panis [*Supp.* pauperi denegatas] guttam aquæ petiit, nec accepit. Recolamus viduam illam quæ in gazophylacium duo æra mittendo (*Luc.* XXI, 2), totum quem habuit Domino obtulit victum. Et nos fratribus vel quod nobis superat demus. Nec sane tristes, ut hypocritæ, divina debemus exercere mandata; sed agamus Deo gratias nostræ largitatis auctori, [c] et orantes assidue præbeamus egentibus substantiam vitæ temporalis, ut vitam consequamur æternam; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

De Passione Domini I.

Ex ms. Lectionario Bergomensi S. Alexandri in Columna, ubi S. Leoni tribuitur; sed auctor posterior est, qui initio sermonis nonnulla excerpsit ex Leonis serm. 52, *de Pass.* 1, *c.* 1.

CAP. I. — Post illam humanæ prævaricationis primam et universalem ruinam, ex qua per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors (*Rom.* V, 12); nemo jam diaboli dominationem, nemo vincula diræ captivitatis evaderet; nec cuiquam reconciliatio ad veniam, aut reditus pateret ad vitam; nisi coæternus et [d] coæqualis per omnia Deus Patris Filius, etiam hominis esse filius dignaretur, et pro omni humana redemptione et salute carnaliter in cruce penderetur [*Leg.* appenderetur, *seu* penderet]. Totius enim humani generis hoc fuit causa redemptionis et salutis, quod ipse Deus in homine vere passus, vereque mortuus est, vereque resurrexit a mortuis, ut vere hominibus credentibus sibi, et in voluntate ejus morientibus [*Forte* manentibus] regni cœlestis januas aperiret, atque nos ab æterna nocte et punitione redimeret. Multos enim atque diversas pro nobis sustinuit injurias, non suis exigentibus culpis, qui nullum unquam peccatum fecit, sed nostra tantum necessitate, qui tam duris fuimus vinculis catenati, et in tam profundum mortis barathrum devolvi, ut nisi per ejus immensam clementiam, per ejusque humanam passionem et mortem non possemus absolvi, nisi ipse morte sua æternam a nobis auferret, nisi ipse diaboli vires frangeret, atque ad cœlestia secum regna perduceret, et nobis omnibus iter suave 413 ac leve, volentibus in sua voluntate permanere, ad cœlestia regna donaret.

CAP. II. — Quapropter, fratres charissimi, quid nobis pro tantis beneficiis Dei agendum est, nisi ut A moriamur mundo et concupiscentiis ejus? Mortificantes in nobis carnalia desideria in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in tolerantia adversitatis, in perseverantia bonitatis, in orationibus nosmetipsos Deo jugiter commendemus pœnitendo, deflendo atque confitendo peccata nostra, eleemosynasque nos ab æternis suppliciis redimentes, ut ita, divina ope sufulti, illic quo nos sua morte reduxit Dominus Deus noster, in æterna mereamur beatitudine permanere : præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VI.

De Passione Domini II.

Ex eodem Lectionario Bergomate Leoni inscriptus. Ejusdem auctoris esse videtur ac præcedens sermo; nonnulla enim similiter excerpta sunt ex Leonis serm. 56, *de Pass. Domini* 5, *c.* 1.

CAP. I. — Christianæ spei, dilectissimi, vera ratio B et principalis causa crux Christi est : quæ, licet Judæis sit scandalum, gentibus autem stultitia (1 *Cor.* XI, 23), quod indignum eis videbatur Dei Filium tantas pro salute mundi pati injurias, nobis tamen Dei virtus est, qua nos credimus liberatos, et Dei sapientia, qua nos credimus et intelligimus, immo cognoscimus a Deo manentes [*Forte deest* esse] in opere mandatorum ejus. Unde summum hoc et potissimum divinæ misericordiæ sacramentum semper quidem est in cordibus nostris cum omni dignitate retinendum, sed maxime cum recursus passionis Domini celebratur. Nobisque nihil, quod pro nobis humiliter atque sublimiter gestum est in Dei Filio, aut secundum hominem impossibile, aut secundum se videbatur indignum. Totum hoc veraciter credamus et veneremur, nec cum impiis Judæis pro scandalo, nec cum gentilibus incredulis pro stultitia condemnemus. Justus enim et misericors Deus, qui nos condidit ac redemit, cum nos mortui eramus per C peccatum, voluit ad redemptionem nostram, suam exercere Divinitatis potentiam. Sed etiam humana hoc fieri passione voluit cum potentia dignitatis, ut homo perditus per hominem liberaretur.

CAP. II. — Sic ergo medicina ægris, reconciliatio reis, sic redemptio est impensa captivis, ut condemnationis humanæ justa sententia justo liberationis opere solveretur. Nam si pro peccatoribus sola se opponeret Deitas, non tam ratione diabolum vinceret quam 414 potestate. Admisit ergo Filius Dei impias manus ad interficiendum se corpore, ut mortem æternam perimeret in omni humano genere, et ad æternam immortalitatem et beatitudinem atque angelorum consortium gloriose produceret ipsum genus humanum. In omnibus autem quæ illi Judæorum insania contumeliose et procaciter interebat, nostra diluebantur peccata, nostræ expiabantur offensæ : quia natura humana, quæ rea per peccatum fuerat atque captiva, in Christo innocens probebatur, et libera ab omni culpa, ut peccata tolleret, et omD nibus in se credentibus veniam delictorum per pœnitentiam tribueret et confessionem.

CAP. III. — Proinde, fratres, recordemur jugiter quam glorioso pretio redempti simus, et de quam dura damnatione diaboli liberati. Studeamus, quantum possumus, Domino largiente, tam gloriosam redemptionem nostram bonis operibus imitari, et quæ his diebus segnius ac tardius de nostra correctione vel emendatione fecimus, saltem his paucis diebus nostram studiosissime operemur salutem. Sint jejunia nostra fructuosa, ut quæ corpori nostro subtrahitur, indigentis proximi caro reparetur. Accipiat indulgentiam delinquens in nobis, ut nos a

[a] Quidam codd. habent, *debiles*.

[b] Forte, *poteras*.

[c] Quidam codd., *ut orantes... et vitam consequamur*.

[d] In Leone sic : *Coæqualis Patri Deo, Filius Dei, etiam filius hominis esse dignaretur*.

Digitized by Google

Deo mereamur indulgentiam peccatorum. Sit nostra pura confessio, sit pœnitentia dura, oratio lacrymosa, assiduæ vigiliæ cum operibus misericordiæ. Mortificetur carnis concupiscentia, ut animæ nostræ crescat æterna salus et gloria. Per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VII.

In Dominica Palmarum.

Nunc primum editur ex quatuor Lectionariis Vat. 1276 basilicæ S. Petri 106, Patavino Eremitanorum 142, et alio capituli Veronensis, in quibus, etsi Leoni tribuitur, stylus tamen Leonem non sapit.

CAP. I. — Scripturam quidem Hebraici exitus, et verba mysterii, fratres charissimi, audistis, quomodo agnus immolatus est, et quomodo plebs salvata est, et quomodo Pharao per mysterium verberatus est. Intelligite, dilectissimi, quemadmodum sit novum ac vetus, temporale et æternum, corruptibile et incorruptibile, mortale et immortale paschale mysterium. Vetus quidem secundum legem, novum autem secundum verbum : temporale per exemplum, æternum per gratiam ; corruptibile per victimam pecudis, incorruptibile propter Domini vitam : mortale propter sepulturam, immortale propter resurrectionem. Vetus quidem est lex, novum autem est verbum ; temporale exemplar, sed sempiterna est gratia ; corruptibilis ovis, **415** incorruptibilis Dominus : [a] comminutus ut agnus, sed resuscitatus ut Deus. Etenim sicut ovis ad victimam ductus est, sed non erat ovis ; et sicut agnus sine voce, sed non erat agnus : illa enim in figura fiebant, hæc verius reperiuntur. Pro agno et est Deus, factus est et pro pecude homo. Homo autem Christus, in quo capiuntur omnia. Isaias enim ait : *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est : generationem ejus quis enarrabit* (*Is.* LIII, 7, 8)?

CAP. II. — Multa quidem et alia plura a prophetis prædicta sunt in paschale mysterium Jesu Christi. Ipse enim adductus est ut agnus, occisus ut ovis, velut ab Ægypto nos a mundi cultura redemit, et salvavit nos de manu diaboli quasi de manu Pharaonis ; et consignavit animas nostras proprio spiritu, et membra corporis nostri suo sanguine pretioso. Hic est qui [b] in confusionem mortem induxit, et diabolum in planctu constituit. Hic est qui iniquitatem percussit, et injustitiam, sicut Moyses Ægyptum sterilitate damnavit. Hic est qui nos eripuit de servitute ad libertatem, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, a tyrannide in regnum perpetuum. Hic est qui in multis multa sustinuit. Hic est qui in Abel occisus est, et in Isaac pedibus colligatus est, et in Jacob peregrinatus est, et in Joseph venumdatus est, et in Moyse obvolutus est, et in amnem a matre expositus, et in agno jugulatus, et in Davide persecutus, et in prophetis exhonoratus. Hic est qui in terra sepultus est, et resurgens a mortuis ad cœlorum excelsa conscendit. Hic est agnus sine voce, hic est qui de grege assumptus est, ac victimam vespere immolatus est, qui in nocte sepultus est. [c] Hic est Jesus Christus Dominus noster, qui surrexit a mortuis, et de inferiori sepulcro hominem resuscitavit ad vitam.

CAP. III. — Hic itaque in medio Jerusalem interfectus est. A quibus? Ab Israel. Quam ob causam? Quia claudos eorum curavit, et leprosos mundavit, cæcos illuminavit, et mortuos resuscitavit. Quid fecisti, o Israel, tam novam injustitiam? Ignobilitasti eum qui te nobilem fecerat. Ignominiasti eum qui te glorificaverat. Renuisti eum qui te prædicaverat. Occidisti eum qui te vivificaverat. Nonne scriptum est, *Non effundas sanguinem innocentem* (*Deut.* XIX, 10), ne pessime morieris? Ego, inquit Israel, hoc feci, quia pati eum oportuit. Erras, o Israel, cum taliter sapis. Pati eum oportuit, sed non per te ; oportuerat eum crucis suspendi patibulo, sed minime per tuam dexteram debuit fieri. Hæc, o Israel, voce ad Dominum clamare debueras : O Domine, si voluntas tua ita decrevit, ut Filius tuus patiatur, **416** sed minime per me patiatur. Plane ab alienigenis dijudicetur, ab incircumcisis, a quolibet tyranno clavis configatur. Absit ut per me hæc impia perpetrentur. Hac, o Israel, voce proclamare minime voluisti, nec inferre in Dominum tuum manus proprias pepercisti. Non es inter opera ejus. Nullam tibi incussit verecundiam, cum manus arida proprio corpori restituta esset incolumis? neque cum obturati oculi patefacti fuissent? neque cum dissoluta membra per ejus consolidata sunt vocem? Sed neque recens illud erubuisti miraculum, quo jam quadriduanus mortuus ad vocis ejus imperium de sepulcro surrexit? O Israel, tanta mirabilia Christi vidisti, et semper in infidelitate permansisti? Tu quidem universa hæc prætervolans ad necem Dominum præparasti. Parasti enim acutissimos clavos, testes mendaces, fel quoque, et gladium, ut homicidæ latroni. Intuliasti etiam verbera ejus corpusculo, et in capite ejus coronam spineam posuisti, et manus ejus illas bonas, quæ te de humo plasmaverant, vinculi colligasti, et bonum illud os ejus, per quod tu cibatus es vita, e contrario felle cibasti. In magna diei festivitate tuum Dominum peremisti. Et tu quidem epulis fruebaris, ille autem famis patiebatur esuriem. Tu bibebas vinum, et panem edebas ; ille autem acetum et fel. Tu eras splendidus corpore, et ille confectus mœroribus. Tu exsultabas, et ille tribulabatur. Tu psallebas, et ille judicabatur. Tu choros ducebas, et ille in tumulo condebatur. Tu quidem in mollitiei strato jacebas, ille autem in sepulcro et loculo. O impiissime Israel, qui hanc novam injustitiam perpetrasti, novis tuum Dominum subjiciens passionibus, peremisti Dominatorem tuum et Factorem tuum, qui te honoravit, qui tibi Israel nomen imposuit. Tu autem Israel nequaquam inventus es.

CAP. IV. — Non vidisti Dominum, nec Deum intelligere voluisti. Nesciebas, o Israel, quoniam hic est Primogenitus Dei, qui ante luciferum genitus est (*Ps.* CIX, 3)? Hic fuit qui te in Ægyptum perduxit, atque ibi te conservans alimentum exhibuit. Hic est qui ad te transmissus est, qui parentes tuos curavit, qui mortuos suscitavit. Hic est in quem inique gessisti, quem trucidasti. Hic est quem vendidisti. Idcirco, o Israel, quia supra Dominum non contremuisti, impugnatus ab hostibus contremuisti ; super Dominum non formidasti, super Dominum non ejulasti, super mortuos filios ejulasti. Quia derelinquisti Dominum, nec invenieris ab eo. Allisisti Dominum, et tu quoque ad terram allideris. Et tu quidem jaces in terra ; ille autem surgens a mortuis transvectus est ad altitudinem cœli. Nunc ergo venite, universæ familiæ hominum, qui **417** estis commixti deliciis, et remissionem accipite peccatorum. Ego enim sum vestra remissio, ego Pascha salutis, ego Agnus qui pro vobis sum jugulatus, ego vestra redemptio, ego vita, ego vestra sum salus, ego vestra sum resurrectio, ego vester sum Rex. Ego vos resuscitabo per dexteram meam. **418** Hic est Dominus noster, qui fecit cœlum et terram, qui in ligno suspensus est, qui in terra sepultus, qui surrexit a mortuis, ascendit ad excelsa cœlorum ; qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Quidam codd. addunt non, sed perperam, ut ex sensu liquet.

[b] Alias, *confusione mortem induit.*

[c] Hic quidam codd. desinunt.

Digitized by Google

ADMONITIO IN SEQUENTEM SERMONEM.

In editionibus Latinis S. Joannis Chrysostomi hom. 7 de Resurrectione *editus est, et nunc quoque in Breviario monachorum congregationis Cusinensis Chrysostomi nomine inscriptus legitur. Cum vero non Græci, sed Latini antiqui auctoris manifeste sit, sicut et alii earumdem editionum sermones Chrysostomo perperam attributi, hinc in Græcis hujus doctoris editionibus desideratur. Porro in manuscriptis collect.* 1 *et* 2 *ac in duobus recentioribus Lectionariis Vat.* 6451 *et* 6452 *Leoni inscriptum reperimus; eumque P. Joannes Chrysostomus Trombellius, qui editiones Latinas Chrysostomi non consulit, ex ms. Bononiensi collect.* 2 *veluti ineditum Leonis nomine impressit inter veterum Patrum Opuscula tom.* II. *part.* I, *pag.* 231, *ubi tamen eumdem Leoni suppositum censuit. Stylus a Leonino non multum discrepat : intercalaris vero formula* Dilectissimi, *quater repetita, Leonem nostrum præferre posse videtur. Auctor certe Latinus est, et alicujus quidem Occidentalis Ecclesiæ episcopus, in qua ritus vigebat legendi capitulum Evangelii S. Joannis,* In principio erat Verbum, *ipso Paschatis die, seu in vigiliis Paschæ, ut illa indicant :* Evangelista qui lectus est, Et lux, inquit, quæ in tenebris lucet, *etc., nec non quæ ante finem subjiciuntur :* Audistis evangelistam dicentem hodie quia quicumque in Deum credunt, hi filii Dei sunt. Dedit enim potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Quæ verba dicta neophytis in paschali nocte baptizatis, rationem ejus capituli legendi probe insinuant, ut scilicet illi ex ea lectione intelligerent divinum donum, quo Dei Filius natus filius hominis, ipsos homines per baptisma regeneratos ad dignitatem evexit filiorum Dei. Cum vero nulla Romanæ Ecclesiæ documenta a Cassandro, Hitorpio, Mabillonio, Frontone, cardinali Thomasio atque Martene edita hunc ritum præferant, licet Leonis ævo posteriora sint, impediunt tamen ne quis Leonem hujus sermonis auctorem affirmet.*

Hic autem ritus erat in Africa celebris, uti discimus ex Augustini serm. 119 *et* 120, *in quibus idem Evangelii capitulum explicatur : quos quidem sermones PP. Maurini not.* 1 *in Sermonem* 119, *non in die Paschæ, sed in nocte sabbati sancti habitos putant. Hinc alicui Africano hic sermo adjudicandus videtur. Ut vero nihil dubitationis supersit, duo Lectionaria Vaticana* 1270 *et vetustissimum* 3835 *eum Augustino inscribunt; cui pariter eumdem convenire confirmat interpretatio antiqua versiculorum psal.* 117 *et* 125, *quam apud Augustinum iisdem verbis expressam reperimus. Hunc unum sermonem, licet in Chrysostomo olim editum, appendici inseruimus, quia omnium maxime Leone dignus, ex nostris codicibus emendari aliquot in locis potuit.*

419 SERMO VIII.

De Resurrectione Domini I.

Cap. I. — Licet omnes solemnitates, dilectissimi, quæ in Ecclesiis pro Dei honore celebrantur, sanctæ sint atque venerabiles, tamen hodierna Dominicæ resurrectionis dies peculiarem festivitatem habet. Ideo utique quia omnes alii dies viventium in se tantum continent gaudium, hæc etiam lætitiam defunctorum. Communis est ergo [a] infernis simul et supernis ista festivitas : quia resurgens a mortuis Dominus et illic festivitatem dedit ubi mortem vicit, et isthic ubi victor [b] a morte remeavit; et ideo [c] Psalmista bene de hac peculiariter die dicit : *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea* (*Ps.* CXVII, 24). [d] Annuntians enim Dominicam resurrectionem, non supernis tantum, sed etiam infernis diem salutiferæ exsultationis [e] indixit : quia descendente in tenebrosam inferorum caliginem Domino, etiam tunc illic absque dubio dies splendidissimus fuit, ubi Salvator illuxit. Unde pulchre evangelista qui [f] lectus est, *Et lux*, inquit, *in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 5) : quia licet in tenebras Dominus descenderit, tenebrarum tamen obscura non sensit. Tenuit in illo noctis horrore inviolabilem majestatis suæ splendorem [g] lux sempiternæ naturæ; ac sic non lux a nocte, sed nox a luce superata est.

A Cap. II. — Lætemur ergo, dilectissimi, et exsultemus in Domino. Hodie enim nobis a Domino data est lux salutis, secundum illud quod [h] idem psalmista in consequentibus ait : *Deus Dominus et illuxit nobis* (*Ps.* CXVII, 27). [i] Et quod adhuc additur : *Constituite diem solemnem in confrequentationibus usque ad cornu* **420** *altaris ;* [j] completum etiam hodie in Ecclesia Dei video. Nam cum usque ad cornu altaris religiosis conventibus [k] plena sit, ipsam Scripturam sanctæ Ecclesiæ plenitudo complevit. Dies ergo [l] hic, dilectissimi, dies est resurrectionis et vitæ. [m] Reddit eum per Quadragesimam gratiorem delectabilior fidei gratulatio : quia ad tristitiam reorum [n] juncti sunt dies remissionum, ut patientiam utique statim remuneratio consequatur, secundum illud : *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (*Ps.* CXXV, 5). Quicumque ergo seminastis in lacrymis, capite præmia exsultationis. [o] Sciat se unusquisque, quo majora seminavit semina fletuum, majores fructus capere gaudiorum. Species ergo futurarum beatitudinum jam B [p] in præsentibus continetur. [q] Sicut enim nunc est relaxatio post districtionem, sic in futuro erit requies post laborem.

Cap. III. — Unde obsecro, dilectissimi, cum universa Ecclesia præcipue vos qui in novam salutem regenerati candida indumenta sumpsistis, ut munus quod accepistis purum immaculatumque teneatis,

[a] Al., *inferius simul ac superius.*

[b] Quidam codices omittunt, *a morte.*

[c] In editione Latina Chrysostomi : *Bene Psalmista loquitur de hac peculiariter die, dicens.* Cod. Barber., *peculiari.*

[d] Editiones Chrysostomi : *Prænuntians enim Dominicam resurrectionem.* Mox quidam codd., *non superius tantum, sed etiam inferius,* ubi nonnulli mss. ommittunt *etiam;* editi autem Chrys. habent *et* pro *etiam.*

[e] Al., *induxit.* Mox pro *inferorum,* quæ vox in Barber. omittitur, cod. Casanat. habet *inferiorum.*

[f] Edit. Chrysostomi addunt *modo.*

[g] In edit. Chrys. : *Luxit sempiternæ naturæ splendore.*

[h] Al., *ibidem.*

[i] Ita ex cod. Casanatensi, melius quam alias : *Et quod adhuc loquitur : Constituite, inquit,* etc. Edit. Chrys. : *Et quid adhuc addidit : Constituite, inquit.*

[j] Ita cod. Barber. Ms. Casanat. : *Completum est hodie.* Editiones Chrys. : *Completum etiam hoc hodie.*

[k] Sic ex codice Casanatensi; et refertur ad Ecclesiam. Alias, *plena sint,* et idcirco P. Trombellius addidit *omnia,* quæ vox legitur in editionibus Chrysostomi ante *religiosis.*

[l] Addidimus *hic* ex editionibus Chrysostomi.

[m] Codices : *Fecit enim Quadragesimam gratiorem.* Prætulimus editiones Chrysostomi, ex quibus *reorum* scripsimus pro *eorum,* quod in iisdem mss. legitur.

[n] Cod. Bonon., *victi,* pro quo P. Trombellius posuit, *adjecti.* Sed nostri codices cum edition. Chrys. C habent *juncti.*

[o] Editio Trombellii, *sciatque.*

[p] Præpositionem *in* ex editis Chrysostomi adjecimus.

[q] In ms. Casanat. hic habet *sic,* et dein, pro *sic* habet *sicut.*

Digitized by Google

ut [a] nitorem vestri habitus etiam in conversatione servetis, et tam candida sint corda vestra quam vestimenta vestra. Audistis evangelistam dicentem hodie quia quicumque in Deum credunt hi filii Dei sunt. [b] *Dedit* enim *potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus. qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I, 12). Ergo et vos non estis nunc ex carnis conceptu editi, sed ex Deo Patre generati. Superest ut conservetis [c] per sanctam vitam et conversationem sanctæ originis dignitatem. Et vere juxta id quod Apostolus ait : *Sicut modo geniti infantes rationales sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem* (I *Petri* II, 2). *Et pax Dei, quæ exsuperat* **421** *omnem sensum, custodiat corda* [d] *vestra.* Per Dominum nostrum Jesum Christum, [e] cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IX.

De Resurrectione Domini II.

Nunc editus ex Lectionario Patavino S. Antonii, ubi perperam Leonis papæ nomen præfert.

Cap. I. — In ista die sancta, fratres charissimi, in ista die inclyta atque egregia, in ista die, de qua sacratissimus personat psalmus : *Hæc dies quam fecit Dominus* (*Ps.* CXVII, 24) : in hac die ablata est tristitia de corde discipulorum, et data est confusio in oculis Judæorum. In ista die resurrectionis Domini Jesu Christi impleti tristitia discipuli, ibant quisque ubi poterant : non erat qui eos congregaret, quia jam impletum erat quod scriptum est : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Zacch.* XIII, 7). Sepulcrum tamen signatum erat signo Judæorum, custodia militum confirmatum : intus lumen erat, quod omnino ligari non poterat. Quidquid enim signamus, totum ligare possumus, lumen ligare non possumus; ideoque æterna lux, qui in principio mundum illuminavit, et qui etiam et fuit et est eritque semper cum Patre in unitate Spiritus sancti, unus in Trinitate, et Trinitas in unitate; ipse quidem Deus et homo per mirabilem suam resurrectionem dignatus est clave veritatis suæ corda fidelium tangere; ut quod erat obscurum illuminaret, et quod erat clausum aperiret. Ille qui famulante angelo jungebatur Verbo, ipse famulante angelo hodie resuscitabatur de sepulcro. Quasi posset aliquid obesse signatura illi, cui nulla fuit impostura, dantur custodes, qui custodirent hominem. Quem jam scierant miracula facere, dæmones ejicere, leprosos mundare, mortuos suscitare, se ipsum non poterat de tumulo exhibere?

Cap. II. — Sed jam corde cæca Judæorum turba, qui legem habebant, et non intelligebant, psalmum tertium cantabant, sed Trinitatem Domini non agnoscebant. Psalmus enim tertius habet : *Ego dormivi, et somnum cepi, et resurrexi, quoniam Dominus suscepit me* (*Psal.* III, 6) : dum scilicet intenti et parati ad confusionem discipulorum, meruerunt invenire confusionem animarum suarum. Dicunt enim Pilato, quia *seductor ille dixit, quod tertia die resurget, ponantur*, inquiunt, *milites, ne veniant ejus discipuli, et furentur eum* (*Matth.* XXVII, 63). Si clausus erat tumulus discipulis, numquid claudi potuit sanctis angelis? An forte non poterat de **422** signato sepulcro resurgere, qui potuit de Virgine signata procedere? Signata fuit Virgo vera, et signata est sepultura vera. Generavit sine viro Virgo vera, et janua facta est in sepulcro signatura vera. Dum enim adsunt isti custodes, non jam custodes, sed testes, illi poterant custodire, sed Deus disposuerat Filium suum resuscitare : angelus enim Domini descenderat de cœlo : videntes custodes expavescunt. Non potuerunt videre illum sublimem angelum, qui pleni erant falsitate Judæorum. Permittuntur mulieres videre angelum, quia venerant flentes ad monumentum. Quibus dixit gaudium magnum : *Scio quod Jesum quæritis crucifixum : non est hic, sed surrexit, sicut dixit : venite et videte locum ubi positus erat Dominus* (*Matth.* XXVIII, 5). O gaudium non solum illis mulieribus, sed omnium fidelium atque credentium renatorum! *Surrexit*, inquit.

Cap. III. — Sed ut breviter dicam quod olim fuerat præfatum; David ille rex plenus Spiritu sancto veraciter cecinit in psalmo : *Resurrexit Dominus tamquam dormiens* (*Ps.* LXXVII, 65). Quid plurima dicam per longum? Sufficiat jam fidei, quod explicare non prævalet sermo. Quis noctis præteritæ gravem laborem, quis diei hujus comprehendere potest splendorem? Dies iste omnibus Christianis immensa gaudia propinavit, dum eum nobis Christus cæteris diebus meliorem fecit. Exsultemus ergo, charissimi, et lætemur in eo, quia hæc est dies quam fecit Dominus. Puto enim, fratres, quod iste dies solus magnus dicendus est, et dies in quo verus nobis resuscitatus est dies. Iste enim dies lucet in tenebris, et tenebræ eum non comprehenderunt. Tenebras dico Judæos, qui dum diem Christum negaverunt, lumen quod acceperant perdiderunt : dum enim clamant, Crucifige, crucifige, factæ sunt tenebræ medio die. Ergo quia Judæi Christum per noctem comprehendere voluerunt, inde in tenebris remanserunt. Gentes autem, et incolæ nationes, quæ a tenebris idolorum discesserunt, dies perfici meruerunt, dicente Apostolo : *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum majestatis suæ* (*Col.* I, 13) : unde et alio dicit in loco : *Filii lucis*, inquit, *sumus*, et *filii diei* (I *Thess.* V, 5), non sumus noctis nec tenebrarum : *sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* XIII, 13). Exsultemus ergo, charissimi, omnes cum omnibus, quia hæc est dies quam fecit Dominus.

Cap. IV. — Quid tibi profuit, inquam, serpens, iniquitas tua, aut quid valuit de crudelitate persecutio tua? Ecce surrexit de sepulcro quem vos Judæi fixistis in ligno. Hodie visus est vivus qui putabatur occisus. Muni diligenter, Judæe, crudelitatis sepulcrum, adjice custodias militum, manda vigilias nocturnorum secretorum, ut probes mortuum quem noluisti cognoscere vivum. **423** Dedisti Judæ discipulo argenti pretium, ut occisum Christum poneres in sepulcrum : da tantumdem custodibus argentum, ut falsum audias a discipulis furatum. Erogate, erogate argentum in facinus vestrum. In vanum duntaxat vigilatis ad sepulcrum nocturnum. Jam surrexit, jam cœlos ascendit, jam glorificatus est propter nos, qui se humiliavit propter nos. Quid enim estis acturi, facti ex amicis acerrimi inimici? Quem tanto zelo fixistis in ligno, ipse sedet ad dexteram Patris in cœlo, ipse est qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis. Nobis illuxit, et vos subjecit sub pedibus nostris. Pater enim nobis complevit quod suo Filio promisit. Quid enim nobis complevit, et quid Filio promisit? Psalmus dicit. *Dixit*, inquit, *Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Ps.* CIX, 1). Ecce enim

[a] Mss. codd. Leonini, *victorem*. Trombellius emendavit, *candorem*. Nos *nitorem* ex edit. Chrys. et duobus Vat. reposuimus.

[b] Edit. Chrys. : *Dedit enim, inquit, filios Dei fieri iis qui*. Dein ex cod. Casanat. addidimus verba : *Qui credunt in nomine ejus*.

[c] Ita cod. Casanat. et alii duo Vat., uti optime emendavit Trombellius, cum alii codd. habeant, *per sanctam vitam, conversationem, et sanctæ originis dignitatem*, vel *per sanctam vitæ conversationem, et sanc æ*, etc. Edit. Chrys., *per sanctæ vitæ conversationem, sanctæ regenerationis dignitatem*.

[d] Editiones Chrys. et codd. Vat. addunt *et corpora*.

[e] Eædem editiones : *qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen*.

Digitized by Google

Christus ad dexteram Patris sedet in cœlo, et vos Judæos nostris pedibus subjecit in terris. Cum Judæa ferox quem occideres comparasti, servares tibi quod emeras, non perderes quod habebas. Ecce argentum perdidisti, et quem comparasti non possedisti.

SERMO X.

De Resurrectione Domini III.

Ex eodem codice Patavino S. Antonii, in quo Leoni pariter tribuitur.

Cap. I. — Evangelium Christi maxime declaratur, quoniam ejus resurrectio prædicatur. Habet enim Scriptura evangelica, a Domino jam multa facta esse miracula atque signa. Nullum tamen majus fecit quam cum corpore surrexit, et terram levavit in cœlum. In hac autem resurrectione Christi et miraculum est, et exemplum : miraculum est ut credamus, exemplum ut speremus. Quod enim ipse fecit in isto initio, nobis promisit in fine. Impii, qui infideles et pagani appellantur, et Judæi carnales occisum esse Christum credunt. Hoc est ergo magnum credere, quia mortuus est Christus : hoc enim et infideles nobiscum commune habent. Credunt ipsi mortuum esse Christum. Nos autem propter resurrectionem credimus mortem : quia si mors non præcessisset, resurrectio non fuisset. Qui Christum mortuum negat, et resurrectionem negat. Qui Christum mortuum profitetur, adhuc agendum est cum illo, ut et resurrexisse credat : et bene ita nobiscum erit cum Domino Deo.

Cap. II. — Nunc toleremus præsentia, amemus futura : blandimentis sæculi non delectemur, terroribus sæculi non frangamur. Deus cum nobis blanditur, vitam æternam pollicetur; et cum nos terret, de gehenna minatur. Quantumvis blanditur mundus, habe delectationem illam de qua psalmus dicit : *Delectationes* 425 *in dextera tua usque in finem* (*Ps.* xv, 11). Ibi jam Christus sedens, in dextera sua protegit. Inde se ostendit caput esse nostrum. Videt laborantia membra sua, videt in magnis tentationibus vexari corpus suum; et putatis quod caput suum curam non gerat de corpore suo? Si possunt oculi tui, ne offendas, non curare; aut aures tuæ recusare audire remedia unde saneris; aut lingua tua loqui nolit pro vulnere tuo, aut manus tuæ possunt labores recusare, ne succurrant alicui laboranti membro tuo; potest et Dominus noster Jesus Christus non curare quid agamus, vel quomodo laboremus. Quid opus est nobis dicere? Ipsum clamantem audite : *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* ix, 4)? Cui pro membris suis ita dicebat, membrum suum facere volebat. Dignetur Dominus Jesus Christus et de nobis facere membra utilia, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

In Ascensione Domini.

Editus a Quesnello ex codice S. Petri Corbeiensis, in quo S. Leoni tribuitur.

Cap. I. — Hodie, fratres, victoria Christi completa est, hodie triumphalia vexilla ejus eriguntur. De spoliatione sua dolet cum principe suo tartarus; de restauratione damni sui gaudet cœlestis exercitus. Hodie caro illa, quæ de terris sublevata est, ad dexteram Patris collocata est, quia omnes ei naturæ prostratæ sunt, et omnis principatus et potestas ante eam incurvata est. Hodie via nova, de qua dicit Apostolus (*Heb.* x, 20), nobis initiata est : quia per carnem Christi aditus cœli, per quem nulla prius caro transierat, reseratus est : quam adhuc viventem idem Apostolus dicit, quia hæc membris Christi suo tempore per eamdem iturariis præparata est. Hodie apertio libri perfecta est, quem nemo potuit aperire, nisi agnus qui occisus est : quoniam sacramenta ejus revelata sunt, cum ea quæ in lege et prophetis inveniuntur, consummata dispensatione humanitatis ejus hodie completa sunt. Descendit primo Christus, ut nostræ particeps fieret naturæ : postremo ascendit, ut suæ nos participes faceret gloriæ. Descendens temporali conversatione visibilibus miraculis quasi lactavit infantes; ascendens dedit dona hominibus, quibus eruditi [*Al.* enutriti] et quasi in virile robur educati jam temporalem ejus visionem non appeterent, sed quo eos præcesserat, toto jam desiderio sequi anderent.

Cap. II. — Quia ergo temporali ejus præsentia viduati sumus, ad æternam ejus visionem toto intentione festinemus. Dicamus ei ex voce Psalmistæ : *Tibi dixit cor meum : Quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine.* 425 *requiram : ne avertas faciem tuam a me* (*Ps.* xxvi, 14). Tota enim dispensatio humanitatis Christi nihil aliud intendit, nihil aliud fecit, nisi ut intentionem nostram ad superna dirigeret, et expleto tempore nostræ mortalitatis, ad manifestam visionem sui perduceret, perductos æterna vultus sui gloria satiaret. Quia, testante Apostolo, *Videbimus eum sicuti est* (1 *Joan.* iii, 2). Unde Psalmista : *Satiabor, cum manifestabitur gloria tua* (*Ps.* xvi, 15). Hæc sunt *bona, Jerusalem, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit : quæ præparavit Deus diligentibus se* (1 *Cor.* ii, 9). Hæc bona quantum poterat in ænigmate contuebatur Psalmista cum diceret : *Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram* (*Ps.* lxxi, 25)? Admirando dicebat : *Quid mihi est in cœlo*, etc.? quia cœlestis gloriæ magnitudinem, nec dicendo explicare, nec cogitando sufficiebat comprehendere.

Cap. III. — Hæc ergo esuriamus, hæc sitiamus; quoniam ad hoc Pontifex summus pro nobis præcurrit in vera sancta sanctorum, ad dexteram scilicet Patris, ascendit, ut spem membrorum suorum confirmaret, eo securiorem gregis humilitatem, quo suum credit præcessisse pastorem. Sic enim ipse Dominus promittit discipulis : *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ* (*Luc.* xvii, 37). Aquilas vocat sanctos *qui cupiunt dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* i, 23). Fertur enim natura esse aquilarum ultra mare odoratu suo cadavera sentire, et eo celeri volatu suo ad saturandam esuriem suam festinare. Hæc ergo esuries aquilarum desiderium sanctarum significat animarum, quæ caput suum extra mundi turbines in summa quiete locatum fidei naribus sitientes [*Al.* sentientes], spei volatu præsentiæ Conditoris vellent assistere, et satietate vultus ejus sine fine gaudere. Hæc quippe hujus solemnitatis est ratio, ut Christum ad dexteram Patris jam regnare credamus, et interim eum quasi geminis virtutum alis, charitatis scilicet et spei, subsequamur; ut *cum tradiderit regnum Deo et Patri* (1 *Cor.* xv, 24), cum eo sine fine regnemus.

Cap. IV. — Igitur secundum quod hortatur Psalmista, quia *Dominus regnavit, exsultet terra* (*Ps.* xcvi, 1), id est Ecclesia; exsultet in fide, *quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram; nimis exaltatus es super omnes deos* (*Ibid.*, 9). Exsultet in spe, quoniam *replebimur in bonis domus tuæ*. Exclamemus ex medullis cordis cum Apostolo : *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia? an fames, an nuditas, an gladius* (*Rom.* viii, 35)? Cum enim de spe perduxerit nos ad speciem, *erit Deus omnia in omnibus* (1 *Cor.* xv, 28). Ipse cibus et potus, ipse vestitus, et omnia quæ honeste cogitari et desiderari possunt ab omnibus. Hoc donativum Christi milites concupiscant, et militiam suam non deserant, donec hæreditatem immarcescibilem ab imperatore suo completo agone percipiant.

426 SERMO XII.

De sanctissima Trinitate.

Nunc primum in lucem emissus ex Lectionario capituli Veronensis, in quo inscribitur : Homilia S. Leonis papæ super cap. xv Evangelii S. Joannis, vers. 26.

Exmultis S. Evangelii locis inveniuntus quia discipulo

li ante adventum Spiritus sancti minus capaces erant ad intelligenda arcana divinæ sublimitatis, minus fortes ad toleranda adversa humanæ pravitatis. Sed eis adveniente Spiritu sancto cum augmento divinæ agnitionis data est constantia vincendi adversa mundi hujus. Unde nunc illis Dominica promissione dicitur: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis* (*Joan.* xv, 26). Notandum autem in primis quod Dominus Spiritum veritatis et a se mittendum esse testatur, et eumdem mox a Patre procedere subjungit; non quod idem Spiritus aliter a Patre procedit quam a Filio mittitur, sed ideo eum Filius et a se mitti et a Patre dicit procedere, ut aliam Patris, aliam esse suam personam designet, ac in eadem distinctione personarum unam esse operationem ac voluntatem suam cum voluntate Patris et operatione denuntiet. Cum enim ejusdem Spiritus gratia datur hominibus, mittitur profecto Spiritus a Patre, mittitur a Filio; procedit a Patre, procedit et a Filio, quia ejus missio ipsa processio est qua ex Patre procedit et Filio. Venit ex sua spontanea voluntate, qui sicut coæqualis est Patri et Filio, ita eamdem habet voluntatem cum Patre et Filio. *Spiritus enim ubi vult spirat* (*Joan.* III, 8); et sicut Apostolus enumeratis donis cœlestibus ait: *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I *Cor.* XII, 11). Adveniens autem Spiritus sanctus testimonium de Domino perhibuit: quia discipulorum cordibus aspirans omnia quæ de illo erant sentienda mortalibus clara illis luce revelavit, quod videlicet æqualis et consubstantialis Patri erat ante sæcula, quod consubstantialis factus est nobis in fine sæculorum, quod de Virgine natus sine peccato vixit in mundo.

Finis deesse videtur.

427 SERMO XIII.

In Natali S. Vincentii martyris.

Leoni ascriptum invenimus in ms. Vallicellano XV, *unde in aliquibus editionibus post Leonis Sermones subjectus est. A Quesnello primum in appendicem rejectus, et cum duobus mss. ab eodem recognitus hic exhibetur, qui et Hispanum e se auctorem in monito nostræ præfationi inserto non improbabiliter conjecit. Hoc Quesnelli judicium approbant PP. Maurini, qui hunc sermonem in plerisque codicibus Augustino tributum recuderunt in append. Augustini tom.* V, *serm.* 188.

Cap. I. — Cunctorum licet, dilectissimi, gloriosas martyrum passiones, [a] quos distincta regionibus loca genuerunt, una fides laciat omnibus indiscreto honore venerabiles, propriam tamen sibi in hoc venerationis obsequio illi vindicant dignitatem, qui Ecclesiam Dei et documentis præ cæteris erexerunt, et patrociniis adjuverunt. Inter quos juste beatum levitam Vincentium, cujus confessione et morte Christum incredulis prædicatum inconcusse agnoscimus, catholicis studiis [b] celebramus. Qui ut fidelium devotionem Deo studiosius commendaret, altiori charitatis [c] flammescens affectu, morti sese tandem fideliter obtulit, quo videlicet robur fidei in solidissima petra Christo fundatum sequacibus imitandum daretur; necnon et semen apostolicæ prædicationis per eum pluribus disseminatum, ope suæ intercessionis tutum, ac perfectæ consummationis fruge refertum in cœlestibus demum horreis conderetur. Hunc ergo amplius propria venerentur, quem etiam peregrina mirantur: quatenus eis se largiorem exhibeat in beneficiis, quibus se amabiliorem cognoscit in gaudiis, fiatque in ejus solemnitate uberior lætitiæ ambitus, de quo fidei crevit effectus.

Cap. II. — [d] Hujus denique spiritus tanto virtutum munere claruit, ut sacri ministerii fultus officio, qui Filium Dei Dominum nostrum secuturus esset in passione, ejusdem Christi calicem credentibus prius ministraret in salutem. Cujus hausu feliciter mente ebriatus, rabidi hostis atque in Christum sævientis insaniam interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit, sciens paratus esse **428** ut resisteret, nescius elatus esse [e] quo vinceret: quia cujus amore spiritalibus armis præmunitus resistebat, ejus adjutorio quidquid pœnarum in illum furentis ira excogitabat, insuperabilis fortiter patiendo vincebat. Ideo hunc non laminæ ignitæ sartaginis, non equulei, non ungulæ ferreæque manus, non vires pavendæ cædentium, nec dolor scissorum membrorum, non foci fragor et strepentis in patentibus vaseribus salis injectio, Daciani quiverunt aliquatenus subdere jussioni. Sed dum in tantum ejus vecordiæ tumor excresceret, ut tantis passionum subactum doloribus aut vicisse aut interemisse se lætabundus extolleret, susceptæ spe frustratus, unde victor visus est apparere, inde victus compulsus est erubescere: quoniam quo Dei martyr duriori urgebatur pœna, eo ampliori confessionis exultabat constantia. [f] Unde ipsius passionis vel ultima pervidere, seu memorari, fratres, evidentius placet: quatenus animadvertat sanctitas vestra quo diabolus [g] suum perduxerit dolis ministrum, vel quemodo Christus suum in finem usque servaverit famulum.

Cap. III. — Ex quo illud sane erat mirabile, quia quantum iste extrinsecus multiplici pœnarum genere contritus arctabatur, tantum intrinsecus exsultante interiori homine dilatabatur; quantumque ille extrinsecus jactantia temporalis potentiæ [h] inflabatur, tantum interius despici se perpendens, interiori vexatus homine præcabatur. Contemni se videns sæviebat, nec in quem jam vindictam inferret inveniebat. Videbat tamque desævientium manus carnificum plus in eo invenire vulneris quam corporis, solumque vigentem [i] spiritum eo stultitiam exprobrare suam, quo provocabat veritatis norma. Quapropter credens quod causam confusionis averteret, si personam quæ se spreverat adgnitaret, minusque Dacianus erubesceret si Vincentium populus non videret, jussit eum a publico removeri. Sed ne sic quidem careret supplicio, [j] contusa qua jacebat testa substernitur: ut vis acuminis concisam molem superjecti corporis plus discinderet, atque reddita tormentis membra quæ secarent obvia susciperent [k] fragmenta.

Cap. IV. — Fallitur tamen vincendi opinione cæca crudelitas. Nam divina bonitas dilectum suum amplius in confessione comitata infert novam tenebris lucem, et tabernaculum **429** splendidum obscurum reddit ergastulum. Fovebat laceros artus medica Dei manus, et venustiori pristinæ sanitatis augmento fossi lateris damna supplebat. Insolita igitur hujus luminis claritate perculsi, obstupuere custodes, quin et vocem, angelis hymnum Deo concinentibus, mens pal-

[a] Vocem *quos* desiderat Lectionarium Ecclesiæ Lugdunensis in Thuanea bibliotheca. Quesn.

[b] Cod. Vallicel. XV, *celebremus.*

[c] In codd. Lugdun., Corbeiens. et Vallic. cum Quesn. et edit. append. Aug. Alias, *flavescens.*

[d] Cod. Vallic.: *Igitur B. Vincentii spiritus;* et mox cod. Corb., *mysterii,* pro *ministerii.*

[e] Idem cod. et Corb. cum append. Aug., *quod.*

[f] *Nunc B. Vincentii passionis* in ms. Vallic.

[g] Idem cod., *sui perduxerit doli ministrum.*

[h] Mss. Corbeiens. et Lugdunen., *inflammabatur.*

[i] Iidem codd. cum Vallic. sic. Alias, *spiritum ei stultitiam exprobrare suam, quod provocabat veritatis normam.*

[j] Cod. Corb., *cunctus in quo jacebat locus, testa.* Vallic. et app. Aug., *confusa qua.*

[k] Codd. duo Quesn. et noster Vallic. ac app. Aug., *fragmina.*

Digitized by Google

lidi janitoris expavit. [a] Currit exanimis minister ad præsidem, quem gravius relatio nuntii quam ictus erat percussura gladii : et cum non posset ex magnitudine rei tacere quod viderat, tremor judicem occupat, dolor lacerat, furor inflammat; et ne in pœnis vincens Vincentius gloriam obtineret martyrii, Citius, inquit Dacianus, producatur e carcere, ne dum insistimus rebellem punire, videamur eum potius victoria coronare. Profertur itaque ex illo tetri carceris barathro, cœlesti quidem gratia pulchrior, et si adhuc esset passurus, robustior. Sed ubi desiderium ad regni vocationem tendentis nullo pœnarum vel mortis genere frangendum intelligit, jubet invida mens lenioris strati fulcra substitui, ac blandiori eum requie confoveri : scilicet, ut si amoto paululum carnifice, animam quietus exhalaret, diceretur non esse occisus, sed mortuus : quasi non eum pœna peremerit, cum quo et pœna simul perierit.

Cap. V. — Interea beatum Vincentium cœlestis aula suscipit, ac beatæ felicitatis munere donat. Ad cujus ingressum angelici lætantur spiritus, omnesque simul concives gratulantur sancti. Nosque tibi gratias agimus, Domine Jesu, quod anima tuo digna consortio, quæ pertinax tulit supplicium, mendax fugit obsequium; et quæ fuit contenta persecutor quod fureret, sit dedignata quod parceret. Cognito igitur sancto ejus abscessu judex insanus, et quia Christus vicisset in Vincentio [b] nesciens Dacianus, illius sibi promittit cadaveris expositione vindictam, cujus gemit ex virtute victoriam. Feris namque et canibus decepta furoris superbia absumendum projici mandat lictoribus : ut tali pastu eorum impleret ventrem quorum ipse gerebat mentem. Sed ut divinis excrescentibus beneficiis majoris victoriæ Vincentio gratia [c] conferretur, mittitur corvus, avis amica cadaveribus, expositas corporis dapes servatura jejuna.

Cap. VI. — Hinc, fratres dilectissimi, hinc advertite distincta meritorum obsequia. Elias quondam impias Achab vel Jezabelis manus caute declinans (III *Reg.* XVII), in deserto corvis ministrantibus **430** pascitur; assertor autem veritatis Vincentius Daciani rabie peremptus, feris exponitur consumendus; sed corvo famulante servatur illæsus. Obtinuit ergo Elias divino nutu, corvis præstantibus, quo aleretur : præstitum est Vincentio, obsequente quoque corvo, ne comederetur. Qui ut cœlitus se custodem designatum ostenderet, adventantes reliquas aves eminus non segni impetu perturbabat : inter quas immanem quoque lupum propius accedentem, veluti qui commissum thesaurum sacrilega audacia attaminare præsumeret, pennis et alis diverberans procul abegit. Sed ille quod non tam ad inferendam venisset injuriam, quam ad augendam miraculi pompam, quadam sui habitudine stupidus indicabat. O impudens furor et stulta vesania ! Corvus obsequitur, lupus veneratur, Dacianus persequitur, nec erubescit velle se adhuc ferox perdere, quem mansuefacta bestialis feritas satagebat protegere.

Cap. VII. — Unde ad occulendam martyris laudem, non jam secretum, sed profundum elegit : credens sibi ad delitescendam ejus gloriam non claustra fidem servatura, sed maria : quasi non idem elementi dominus esset, per quem dudum ei carceris abdita cœlesti fulgore radiata micuissent. Datur nautis mergendum corpus in fluctibus, ut ad auxilium saltem æquora proficerent, cui ad vincendum Christi militem terra defecisset. Enavigatis itaque magna ex parte freti gurgitibus, projectum inter sorbentes undas præpotens est Dei dextera consecuta, et quæ spiritum intulerat in cœlum, corpus mox retulit ad sepulcrum. Sic prædicator veritatis, charissimi, nec tormentorum vincitur pœnis, nec tenebrosi carceris superatur angustiis. [d] Non a bestiis dilaniatur, non profundo celatur, sed littori redditur, præconio diffamatur, ut qui vere confessus fuerat nomen Deitatis, veritate sibi adesse experiretur divinæ suffragia bonitatis. Cujus gloriosam virtute vitam ita pretiosæ mortis gratia decoravit, ut quod vivendo docuit, moriendo constanter [e] astrueret : eratque consequens quatenus ad ejus visionem per mortem attingeret, quem probabilis vitæ conversatione semper attestatus fuisset; sciens quod de contemptu præsentis vitæ gloria surgit beatitudinis æternæ : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat [f] in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Cod. Vallic., *Cucurrit.*
[b] Sic ex app. Aug. Al., *nescius.*
[c] App. Aug., *conferatur.* Paulo post, *inimica cadaveribus.*
[d] In eadem append., *Non bestiis projectus dilaniatur.*
[e] Al., *astruxerit.*
[f] App. Aug. addit, *Deus.*

ADMONITIO IN SEQUENTEM SERMONEM.

Sequentem sermonem Leoni inscriptum Quesnellus e Parisiensi codice mutilum seu fine expertem edidit. Nos integrum e mss. Vat. 1271 *et* 6454 *proferimus, aliquot scilicet capitibus additis, quæ cum antecedentibus et stylo et rebus ipsis cohærent, ac sermonem perficiunt.*

Idem Quesnellus huic sermoni monitum *præmisit, quo S. Leoni eumdem asserere visus est :* « Subsequentem, *inquit*, de S. Petri Cathedra sermonem, quem publico damus, suppeditavit nobis vetus codex ms. bibliothecæ Regiæ numero 341 notatus, ex quo a nobis descriptus est. Leonis nomen præfixum habet in codice hoc modo : *In Cathedra S. Petri apostoli sermo S. Leonis papæ;* nec dubium quin nostri, quantum ex stylo deprehendi potest, qui Leonino concinere mihi omnino videtur; nec quidquam occurrit unde ille pontifici nostro abjudicari debeat. Hoc sane extra dubium dictum esse Romæ et a Romano aliquo pontifice istum sermonem, ut ex pluribus locis argui potest, et plures phrases vocesque Leoni familiares hic inveniri. Petrus, inquit iste, *populo Dei prælatus est;* quæ vox, in eo significatu rara, legitur in epist. 12 (nunc 14), c. 11 : *Qui ergo scit se quibusdam esse præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum.* Ignitos cœlestium spirituum cœtus hic laudat : *Paulum ignitum, cor igniri, Spiritum sanctum ignire,* scribit Leo locis in dissert. 2 notatis : *Gratiæ divinæ largitas, sinister hædorum numerus, cauta provisio, incauta districtio, frementium bestiarum insidiæ, ex ore veritatis,* et plures alii loquendi modi Leonem repræsentant in certis scriptis similiter loquentem. Quæ in isto sermone de cantu ecclesiatico deque ornatu templorum habentur, nemo, opinor, recentioris ætatis indicium esse suggeret : de cantu enim sæpe meminit S. Leo, ornatum vero templorum in festivis diebus usurpatum vel solus 40 (nunc 44) sermo S. Leonis, qui est de Quadragesima tertius, statim ab initio probat a Leonis ætate non esse alienum. Festivitatis Cathedræ antiquitas asseritur, tum ex latercule pervetusto apud Ægidium Bucherium, in quo ita habetur : VIII *kal. Februarii Natale Petri de Cathedra;* tum, et certius quidem, ex canone 22 concilii Turonensis II. Si enim tunc temporis, hoc est anno Christi 566, agebatur in Gallis, jampridem dubio procul in Ecclesia Romana celebrari debuerat. Immo etiam in Gallicana antiquam jam tum fuisse probat idem canon. Superstitiones enim propter quas resecandas sancitus est, non nisi post longa ab illius festi institutione temporum spatia irrepere cœpisse probabile est. Adde quod hæc primis Ecclesiæ temporibus viguit consuetudo, ut eorum episco-

Digitized by Google

porum, qui celebriores fuerant, consecrationis dies quotannis celebraretur, quemadmodum ex SS. Gregorii Magni, Ambrosii, Basilii et aliorum exemplo manifestum est. Quam potiori vero jure pontificatus principis apostolorum Ecclesiæque primatis, annua debuit festivitate recoli, saltem in Ecclesia Romana, ubi sedem fixerat. Cum porro duplex modo constituta sit Cathedræ S. Petri commemoratio ex Pauli IV Romani pontificis decreto anni 1557, una XVIII kal. Februarii pro Romana, altera VIII kal. Martii pro Antiochena, constat unicam olim fuisse in Ecclesia solemnitatem VIII kal. Martias, qua utriusque memoria, vel potius generaliter assumptio S. Petri ad episcopatum honore debito celebrabatur. Perseveravitque in Romana Ecclesia usque ad Pauli IV decretum, quod a Gallicanis Ecclesiis sero admodum usu receptum est, ut ex Breviariis et missalibus patet; sed nec hodie ab aliquibus recipitur. Cæterum, cum sermo de Cathedra S. Petri, qui sub S. Augustini nomine circumfertur, jampridem a viris eruditis, tamquam spurius fetus in appendices relegatus sit, nullum est illius festivitatis monimentum quod ad hujus antiquitatem accedat. Ex quo etiam laterculus Sylvii a Joanne Bollando jam ex parte editus, vel suppositionis arguitur, vel saltem depravationis eo loci ubi pro festo Cathedræ VIII kal. Martii, depositionem utriusque apostoli notatam habet. Plura de hoc festo videre est apud emin. card. Baronium, tum in Annal. tom. I, tum in Notis ad Martyrologium: necnon et apud doctissimum nostrum Carolum Le Cointe Annalium Ecclesiasticorum Franciæ conditorem, tom. II, ad an. Chr. 566, n. 18 et seqq. » *Hæc cum ille suo loco in prima editione statuisset, re maturius expensa in præfatione generali, quam postremo impressit, sermonem Leoni tribuisse pœnituit. At in præfatione secundæ editionis, num.* 3: Re iterum examinata, *inquit*, styloque perpenso, ad primam mentem redimus, hunc sermonem Leoni abjudicare non ausi.

Mirum vero maxime accidit, homini in Leonis lectione versato videri potuisse sequentis sermonis stylum cum Leonino concinere. Primo enim formula c. 1: Dilectissimi fratres, *et illa c.* 3 *bis repetita*: Fratres charissimi, *a Leonis Sermonibus omnino alienæ sunt. Dein adjectivum barbarum* discordabile *c.* 2 *et* (*ut de tota syntaxi manifeste dissimili taceamus*) *illa, quibus cap.* 3 S. *Petrum* consulentem nobis cœlestis curiæ consulem *vocat, a Leonis Latinitate atque ratione nimium abhorrent; adeo ut nihil conferant voces* ignitos, gratiæ largitor *aliæque ejusmodi, quæ non tam in Leone quam in aliis scriptoribus similiter reperientur, uti legimus in Vita S. Honorati ab Hilario scripta num.* 3, largitorem gratiæ Deum, *num.* 32, ignito sermoni suo, *etc. Ejusdem generis sunt capita quæ adjecimus. Nam, ut omittamus allegoricas voces,* senatores mundi, in cœlesti curia, regna siderea, *ea præsertim cap.* 5, ut ad vos, fratres mei, qui in Christo vivitis, linguæ nostræ passibus redeamus, *a Leonis nostri stylo alienissima sunt. Præterea quod de* multitudine *simoniacorum in luxuria viventium eodem capite traditur, sequiori sæculo convenit. Hinc pluribus mss. conspirantibus in solius Leonis nomine præferendo, forte alicujus Leonis Romani pontificis hic fetus est, qui posteriori et corruptiori ævo floruerit. Quod porro Quesnellus animadvertit de notata depositione apostolorum Petri et Pauli* VIII *kal. Martii in Calendario Sylvii, conferendum est cum iis quæ de hujus Calendario statuemus in observationibus ad sermonem* 82, *num.* 4.

433 SERMO XIV [*Al. inter Leoninos* XCVI].

In Cathedra S. Petri.

Ex cod. ms. Bibliothecæ Regiæ a Quesnello editus, et ex Vaticanis suppletus.

CAP. I. — Adest, dilectissimi fratres, beati apostolorum principis gloriosa solemnitas, quam tota debemus animi alacritate suscipere, tota mentis devotione celebrare. Cum enim dies martyrii ejus merito habeatur in toto orbe clarissima, hæc non impari est totius Ecclesiæ sanctæ gaudio celebranda. In illa siquidem alternantibus hymnidicis angelorum choris est ineffabiliter coronatus; in ista vero exsultantibus undique fidelium turmis pontificali cathedra cum magna gloria est sublimatus. In illa ad suam beatitudinem cœli conscendit thronum; in hac vero ad nostram salutem sanctæ Ecclesiæ adeptus est principatum. In illa ignitis beatorum spirituum cœtibus
434 est aggregatus, ut præmia æterna ipse susciperet; in ista vero populo Dei prælatus est, ut nos omnes ad præmia æterna vocaret. Illa ergo festivitas præcipue est angelorum; ista autem specialiter est fidelium populorum. Sed per gratiam illius qui *interfecit inimicitias in semetipso in uno novo homine faciens pacem* (*Ephes.* II, 16), quæ poterat esse propria singulorum, [a] communis facta est omnium, hominum scilicet et angelorum.

CAP. II. — Hanc itaque solemnitatem nostram, ut ita dixerim, dilectissimi, duplici, ut dignum est, jucunditate colamus; et non modo exterius, sed etiam interius pleno animi desiderio celebremus. Hinc ergo suaviter modulantium symphoniæ resonent; illinc concordes animorum motus [b] alternent. Adornetur luminaribus ecclesia; resplendeat virtutibus conscientia. Mundetur sordibus basilicæ pavimentum, purgetur vitiis interioris hominis templum, dicente Paulo: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos, et*
435 *Spiritus Dei habitat in vobis* (1 *Cor.* III, 17). Nihil dissonum [c] deprehendatur in vocibus, nihil discordabile reperiatur in moribus. Habet enim sancta dies dignitatem suam; habet et mens nostra solemnitatem suam. Illa videlicet, ut a laboriosis hujus mundi negotiis vacetur, ista vero, ut ab æstu terrenæ concupiscentiæ, et ab omnium vitiorum illecebris abstineatur. Illa ut ornamentis visibilibus splendeat, ista ut virtutibus enitescat. Sed [d] qui tam egregium pastorem hodierna die ex divinæ gratiæ largitate suscepimus, qua temeritate ad loquendum vobis ex nostra parte os aperire tentamus? Intueamur ergo oculis fidei beatissimum pontificem nostrum episcopali subsellio sublimatum, sacerdotalibus infulis redimitum, populo suo per semetipsum loquentem, et in conventu sanctæ Ecclesiæ more solito concionantem. Ipse, ipse per semetipsum dicat quod et vobis et nobis agendum esse decernat. Ecce, o beatissime pastor noster, nos tuæ oves simul adsumus, et ut nobis doctrinæ tuæ alimenta tribuas, humiliter obsecramus. Sed nec etiam oves ex nobis esse possumus, nisi ipse nos instruas qualiter vellus innocentiæ induere debeamus. Ais enim: *Quasi modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem* (1 *Petr.* II, 2).

CAP. III. — Jam [e] vero quia qualiter oves fieri debeamus audivimus, restat ut nobis insinuet qualiter etiam sinistrum lascivientium hædorum numerum effugere valeamus. *Obsecro*, inquit, *vos tamquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam* (1 *Petr.* II, 11); et ut hanc mortificationem carnis, quam docet verbo, præcipuo confirmet exemplo, *Christus*, inquit, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*Ibid.*, 21). Solent autem custodes pecudum a noxiis herbis gregem suum studiose compescere, et in longinquos saltus sincera pascua indagando migrare; et cum ab aliis, interitum cavendo, prohibent, alia vitam refovendo præbent. Alibi enim noxia subtrahunt, alibi profutura permittunt: ne dum a venenatis pabulis cauta provisione jejunant, a

[a] Addidimus *communis* ex nostris codd. Vat.
[b] Quesnellus, *concordent*.
[c] Idem Quesn., *comprehendatur*.
[d] Vat. mss., *quia*.
[e] Supplevimus *vero* ex nostris codd.

Digitized by Google

salutiferis quoque vacuæ, incauta districtione deficiant. Quia igitur pastor noster à mortiferis carnalium desideriorum pascuis nos proh bendo coercet, ad salutaria jam vireta spei nostræ ora [a] relaxat. Ait enim: *Per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, qui vocavit nos in spem vivam, in hæreditatem incontaminatam et immarcescibilem conservatam in cœlis* (I Petr. I, 3). Voces ergo custodis nostri beati Petri apostoli, fratres charissimi, erectis cordium auribus intendamus, et rectam vestigiorum **436** ejus lineam tenentes, a pascuis ad quæ vocat nusquam exorbitemus. Si enim consilium ejus libenter admittimus, fremen tium bestiarum insidias non timebimus. Numquid enim custos noster super gregem suum studiose non vigilat, et ferarum incursus ut caveri debeat sollicitis vocibus non clamat? *Diabolus* enim, inquit, *tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide* (I Petr. v, 8). Expedit ergo, fratres [b] charissimi, ut consulentem nobis cœlestis curiæ consulem intentis cordibus audiamus, et certissimum salutis nostræ consilium parvipendere formidemus. Hic est enim qui ex ore veritatis audivit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum.* Hic est qui audivit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 18, 19).

CAP. IV. — Non ergo debet ab homine in sua prædicatione contemni, qui a Creatore et Redemptore hominum tantæ dignitatis privilegio meruit honorari. Terribile est ejus consilium negligenter despici, cujus et cœlum et terra subjecta sunt potestati. Qui cœlum claudit et aperit, terrena pro suo arbitrio ligat et solvit. Sic namque ecclesiastici primatus cathedra divinitus sibi est tradita, ut perpetua sit soliditate fundata. Ab exordio quippe mundi multas cathedras non solum bonas, sed etiam malas fuisse cognoscimus in populo Dei [c] (sed in cathedra Petri Christus et malas funditus evertit, et bonas æterna stabilitate firmavit). De bonis namque dicitur: *Exaltent eum in ecclesia plebis; et in cathedra seniorum laudent* [d] *Dominum* (*Psal.* CVI, 32), qui præcepta doctorum sanctæ Ecclesiæ operibus servant. Cathedram Israelitico populo Moyses tenuit, de qua per se Veritas [e] dixit: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi* (*Matth.* XXIII, 1). At contra [f] de reprobatorum cathedra per Psalmistam dicitur: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit* (*Psal.* I, 1). In cathedra enim pestilentiæ residet qui errorum pestes populum docet.

CAP. V. — Hujusmodi cathedras Dominus mystice subruit, cum vendentes de templo pariter et ementes ejecit. Scriptum quippe est: *Nummulariorum effundit æs, et cathedras vendentium columbas evertit* (*Joan.* II, 14). Hanc pestilentiæ cathedram Simon ille magus acquirere voluit, cum Spiritus sancti gratiam emere concupivit. Sed hanc manus apostolicæ linguæ, antequam ædificaretur, evertit, **437** et nascentem pestiferam hæresim in ipsa radice succidit, dicens: *In felle enim amaritudinis et obligatione peccati video te esse. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto* (*Act.* VIII, 23). Hoc apostolicæ sententiæ gladio effossi sunt omnes qui ecclesiasticos honores vel emere inhiant, vel vendere non formidant. Quorum miserabilis multitudo hodieque in sancta Ecclesia cernitur, qui donum Dei contra Dominum possidere ad suum libidinem non verentur; qui nempe etsi exterius videantur vivi, jam fetent in perpetua damnationis morte sepulti. Qui lucrum animarum quærere pro nihilo ducunt, et miserrimam carnem in deliciis et in fetore luxuriæ nutriunt. Contra quos melius puto tacere quàm pauca dicere. Non enim ad dilacerandum et corripiendum eorum mortale periculum pauca verba sufficiunt, contra quos cœlum et terra et omnia elementa damnationis testimonium proferunt. Nunc ergo contra ossa arida loqui desistimus, ut ad vos, fratres mei, qui in Christo vivitis, linguæ nostræ passibus redeamus.

CAP. VI. — Fundamus itaque, dilectissimi, in beati Petri apostoli fide nostræ mentis habitaculum, ut ab omni adversitatis impetu manere possit illæsum. Exemplo scilicet viri prudentis, de quo Dominus in Evangelio dicit: *Qui ædificavit domum suam supra petram: venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et non cecidit, [g] fundata enim erat supra petram* (*Matth.* VII, 24 *et* 25). Reddeamus ad mentem quod per Paulum dicitur: *Non possumus hic gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Domino:* et iterum: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV, 21). Ecce hic beatus apostolus Petrus, cujus hodie festivitatem colimus, qui Domino nostro Jesu Christo tam charus et familiaris exstitit, qui tantam potestatem non solum in terra, sed etiam in cœlo, ipso tribuente, suscepit, per crucis tamen martyrium regna siderea penetravit.

CAP. VII. — Carnem ergo nostram, dilectissimi, cum vitiis et concupiscentiis assidue mortificantes, apostolica præcepta studiosissime observemus: quia ipsis judicibus de nostris actibus reddituri rationem sumus. Ipsis enim dictum est: *Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 23). Ipsi sunt senatores mundi, de quibus scriptum est: *Nobilis in portis vir ejus, cum sederit cum senatoribus terræ* (*Prov.* XXXI, 23). In eorum ergo fide fundati, eorum doctrinis instituti, sic studeamus cum divino adjutorio hanc mortalem vitam temporaliter ducere, ut cum eis in **438** cœlesti curia sine fine gaudere mereamur; prædicante [*Forte* præstante] Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XV.

In Annuntiatione beatissimæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ.

Hic sermo perperam Leoni papæ inscribitur in duobus Lectionariis S. Benedicti Padilironensibus; et subjicitur in uno ms alii sermoni ejusdem festivitatis Leoni pariter attributo, cujus mentionem fecimus in præfatione hujus appendicis num. 10. Sicut autem ibidem probavimus eum esse antiquam versionem sermonis S. Procli episcopi Constantinopolitani, ita et hunc ex simili sententiarum ac scribendi ratione ineditam interpretationem esse alterius sermonis ejusdem auctoris non improbabiliter credimus, cum præsertim plures ipsius orationes desiderari compertum sit.

CAP. I. — Adventum Domini et Salvatoris nostri, quo hominum genus indutus, dignatus est nos visitare, per totum hocce sæculum universalis frequentat Ecclesia, et aniversario reditu efficitur valde jucunda. Quod enim semel pro redemptione salutis propriæ factum credens, mundus accepit, colendum in æternas progenies posteris consecravit; fecitque tunc ut ex veteri vita in novitate mentis lætitia nasceretur. Nunc ergo transacti temporis miraculum ante oculos præsentatur, dum ea quæ dudum gesta sunt divinæ lectiones præferunt solemniter, et annuis vicibus devotissime celebrantur. Ecce audivimus, cum sanctum Evangelium legeretur, missum a De-

[a] Quasn., *relaxet.*
[b] Alias, *fratres mei.*
[c] Uncis inclusa leguntur in cod. Vat. 1271.
[d] Al., *eum.*
[e] Al., *dicit.*
[f] Al., *de reproborum.*
[g] Quinque voces seqq. præbuit laudatus cod. Vat. 1271.

Digitized by Google

mitto de regalibus thronis Gabrielem archangelum promittentem Mariæ Virgini filium (*Luc.* I, 26). Ingressus namque ad eam, quæ hominibus verecunda secreto latebat in absondito, sermonis auspicio taliter salutavit: *Ave, Maria*, inquit; [a] *ave, gratia plena, Dominus tecum*. O annuntiatio mirifica! O salutatio peregrina, plenitudinis copiam portans, et virgineum pectus illustrans! Descendit igitur angelus flammigero volatu means, et Mariæ domicilium simul et mentem suæ claritatis fulgore collustrans. Prævéniens judicem præco, tam præclarus et mitis, tam festinus et properans, ut in prætorio virginitatis, quæ secreta manebat in terris, suscipi potuisset Dominus majestatis: *Ave*, inquit, *Maria; ave, gratia plena, Dominus tecum* (*Ibid.*, 28). Qui te creavit jam te præelegit: 439 quem paritura es, jam te replevit.

Cap. II. — Turbata itaque illa in introitu ejus, erat cogitans quis sic benedixerit ei; quæ modestum apud se retinens propositi sancti silentium, et incognitum habens virile alloquium, turbatur angelo salutante, stupetque sibi taliter benedicentem: non tamen ausa est prævenire loquentem. Mirans enim apud se diutius [b] cum timore animo conferebat quid sic benediceretur. Quæ cum prolixius cogitans hæsitaret, et angeli præsentiam fortius notaret (simul enim fulgorem præsentiæ cum benedictione pertractans tacite hæsitavit), aspexit in eam Gabriel illustris archangelus, Trinitatis sacrosanctæ legatus, cœlestiumque consciis secretorum, et ait: *Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum; hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris* [c] *ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 30-33). Tunc Maria hæc angelica verba ponderato examinatione auscultans, et mentis statera prudentissima virgo perpendens ait: *Quomodo fiet istud quod dicis, quoniam virum non cognosco* (*Ibid.*, 34)? Habebo filium, quæ nescio virum? Portabo fetum, quæ maternum non habeo succum? Mamillis aridis unde præbebo lactis infantis sugere postulantis; quando [d] torum mei cubiculi nec ingenitus amor possederit juvenilis, nec amplexus aliquando concesserit maritalis? Et angelus: Non ita, inquit, Maria, non ita. Noli expavescere: noli [e] de tuæ sanctitatis integritate sollicitudinem gerere. Intacta manebis, et de prole gaudebis, de filio. Sine conjunctione mortalis viri efficieris nurus Altissimi, quia Filium genitura es Dei. Joseph vero ille vir castus et justitiæ nomine decoratus, non maritus, sed custos tuus, non accedet ad te; sed *Spiritus sanctus superveniet in te;* nec ardebis [f] carnali libidine, nec sponsus adhærebit, sed *virtus Altissimi obumbrabit tibi: propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Ibid.*, 35). O domicilium Deo dignum! Priusquam angelus luculentissima testificatione sibimet approbaret, quod de palatii aula paterni delatum, et quale illud est, propriis auribus susciperet; nullum verbum protulit ore pudico, [g] nullum responsionis assensum. At ubi Maria illæsam virginitatem audivit veridica astipulatione firmatam, respondit continuo, in sanctissimo pectore perornate componens affuturum cubiculare secretum: *Ecce*, inquit, *ancilla Domini; contingat mihi secundum verbum tuum* (*Ibid.*, 38). Tamquam diceret: 440 Paratum cor meum, quia intactus permanet uterus meus. Contingat mihi, Gabriel archangele, secundum verbum tuum. Veniat ad habitaculum suum, qui in sole posuit tabernaculum suum. Oriatur mihi virgini permanenti Sol justitiæ, in cujus pennis æterna permanet sanitas; qui perpetua castitate florescens, [h] mea perdurare decrevit integritas. Egrediatur sicut splendor justus, et salvator quasi facula accendatur. Solis facula totum illustrat, et quæ forsitan obstare videntur radiis suis [i] peculiaria interius penetrat, et nihil penitus dissipat. Procedat jam ad oculos hominum speciosus forma præ filiis hominum; procedat sponsus de thalamo suo, quia secura facta sum de proposito meo.

Cap. III. — Quis istam generationem, fratres mei, poterit sermone narrare? Quis lingua vel facundia valeat explicare? Intemeritas servatur virginitatis.... naturæ, et infans intrinsecus coalescit in virgine. Dum vero impletum est tempus ut pareret, expositus est partus sacer, [j] cujus conceptionis modum homo non noverat pater. Hæc est ineffabilis conjunctio nuptialis Verbi et carnis, Dei et hominis. Ita namque factus est inter Deum et hominem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (*1 Tim.* II, 5); et ideo pretiosissimus conjugii thalamus electus est virginis uterus, ut quia ex peccatis sordentibus squalidus effectus fuerat mundus, veniens Creator mundi sine opere mundi, ex mundis visceribus effusus [k] in mundum; et novo miraculo, natus in mundo, mundum redderet mundum. Venit namque filius hominis, sicut ait Ipse Filius Dei et hominis, non ut judicet mundum, sed ut salvum faciat mundum (*Joan.* III, 17). Dic mihi jam, quæso, sancta sanctorum mater, quæ matutini floris odorem et niveum lilium convallium sine sulco humanæ propaginis et sine imbre carnalis seminis in sinu Ecclesiæ germinasti: dic, quæso, mihi, unica mater, quibus manibus vel quo Divinitatis articulo in utero tuo formavit filium cujus Deus solus est pater. Dic, obsecro te per Deum, qui talem fecit te, ut ipse fieret in te: dic, inquam, mihi, quid boni gessisti; quantum premium obtulisti; per quas potestates ambisti; quos etiam patronos habuisti; quæ suffragia promisisti; quo sensu vel qua cogitatione ad hæc, ut acciperes, pervenisti, ut virtus et sapientia Patris, quæ attingit usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1), totus ubique manens, et sine ulla sui mutabilitate in utero tuo veniens, ita catum castellum tui ventris inoleret, ut ingrediens non læderet, 441 et exiens incolumem custoderet? Dic ergo mihi quomodo ad hæc pervenisti? Et illa: Quæris a me quid obtulerim muneris ut mei mater efficerer Salvatoris? Oblatio mea virginitas est; promissio mea, non a me mihi data, sed ab ipso mihi aucta re omnis boni concessa. *Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17). Ambitio mea est humilitas mea; et ideo *magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit*, non auro clavatam tunicam, non pompas radiantes occulto auro ad ornamentum cervicis meæ, aut pretiosarum lapides margaritarum dependentium aspexit in auribus meis, aut genarum ruborem attendit fuco mendacii coloratum; sed *respexit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* I, 46-48). Venit enim ad humilem mansuetus, sicut fuerat vaticinio prophetæ ante promissum, et ait: *Noli timere, filia Sion: ecce Rex tuus venit tibi mansuetus et mitis, sedens super nebulam* (*Zach.* IX, 9; *Matth.* XXI, 5): super Mariam scilicet virginem, quam sibi ipse exhibuit sine compari sidere genitricem.

Cap. IV. — Venit itaque mansuetus requiescens super maternum spiritum humilem et quietum et trementem verba sua. Venit igitur mansuetus, implens cœlos, transiens per humiles ad superbos,

[a] Unus codex omittit hoc secundum *Ave*.
[b] Unus cod., *cum amore*; alius, *quam amore*. Exigente contextu emendavimus, *cum timore*; unde Gabriel dixit: *Ne timeas*.
[c] Al., *sui*.
[d] Mss., *thronum*.
[e] Unus cod., *de tua*.
[f] Al., *carnis*.
[g] Supplendam credimus vocem *nullum*.
[h] Forte, *in me . . . integritatem*.
[i] Forte, *penetralia*.
[j] Unus cod., *cujus parientem non cognoverat patrem*.
[k] Sex voces sequentes in uno ms. desiderantur.

Digitized by Google

et cœlos non dereliquit. Inflatos tumore superbiæ, apposito humilitatis emplastro, ut mitis medicus, ipse curavit. O profunda humilitas! O excellentior *altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ipsius* (*Rom.* XI, 33)! Angelorum panis lactatur uberibus matris. Fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV, 14); Samaritanæ, præformans Ecclesiam, bibere postulat (*Ibid.*, 7). Convivare cum peccatoribus non recusat, cui familiæ cœlestium dignitatum cum tremore ministrant. Reguli filium Rex regum reddidit sanum (*Ibid.*, 50), non adhibens diversis pigmentis epithimam, sed lingua bajulans medicinam. Exstinctum febribus curat servum Centurionis, cujus laudabilis inventa est fides (*Matth.* VIII, 10; *Luc.* VII, 9): quia ita Centurio de Dominica virtute fieri credidit quantum ipse suis militibus sibi subditis imperans. Ita [a] præsumpsit passiones paralytici (*Matth.* IX, 2; *Luc.* V, 20), ut Dominus misericorditer visitando sanavit mulieris longi temporis plagam (*Matth.* IX, 22), in qua humor morbi sentina, tabida fecerat membra. Ipse Salvator tacitam sentiens fidem, exeuntem de servitute siccavit importuni sanguinis fontem. Et quando (*Forte* quomodo] cuncta percurram? Narrando deficit tempus, quam magnifica potestate et profunda bonitate cuncta perfecit, qui, magnus ad parvos, humilis ad superbos, plenus pietate descendit. Nova fecit a sæculo, qui novus venit ad sæculum. In cujus mirabilem formam suas evangelistæ demonstrant figuras: homo, leo, vitulus, aquila. Homo de virgine matre sine homine, ut leo fortis procubuit in mortem; 442 et potestate propria est exaltatus in cruce, tamquam novellus vitulus pro peccatis populi voluntarie maciatus in passione; et sicut aquila vehemens, recepto corpore de tumulo surgens [b] stricto secans aerem, omnium lapsus calcavit, et super Cherubin ascendit et volavit; qui ambulat super pennas ventorum, ascendit in cœlum: cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

In Natali SS. apostolorum Petri et Pauli.

Licet hic sermo spectet ad appendicem collect. 2, *cujus sermones ascitios ostendimus in præfatione Sermonibus præmissa num.* 19, *unde etiam in mss. Casanatensi ejusdem collectionis omissi fuere, cum tamen ex mss., ut videtur, basilicæ S. Petri, veluti Leonis allegetur ex testimonio Petri Mallii, quod in eadem præfatione eodemque numero recitavimus, hinc ne quis forte de sermone genuino suspicaretur, qui a nobis inventus non fuerit, eum appendici inserendum putavimus. Auctor aliquis Romanus pontifex videtur.*

CAP. I. — Duorum sanctorum apostolorum Petri et Pauli, fratres charissimi, hodie celebramus natalem; quorum sonus et prædicatio pervenit in omnem orbem terrarum. Ita eorum passio celebratur ab Oriente usque ad Occidentem, quoniam pro Rege passi sunt cœli et terræ. Meruit civitas Romanorum, ubi sunt constitutæ memoriæ apostolorum. Oportuit enim ibi esse prædicatores regni cœlorum, ubi constitutum est regnum Romanorum, ut diversæ gentes venientes honorificent memoriam piscatorum. Euntibus enim ad beatum Petrum apostolum, qui noverunt, ibi est constituta memoria Adriani imperatoris, miræ magnitudinis et pulchritudinis templum constructum; numquid potest ab aliquo dici: Intremus ad memoriam imperatoris? Ergo præteritur memoria imperatoris, et festinatur ad memoriam piscatoris. Boni piscatores facti, qui erant piscatores nati. Piscatores piscium facti sunt piscatores hominum, Domino Christo dicente: *Venite post me: faciam vos fieri piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). Artem vobis non muto: genus piscium muto. Extrahebatis de mari vivos ad mortem; nunc extrahetis de sæculo mortuos ad salutem.

CAP. II. — Unus erat piscator et alius persecutor. Quantum meruerunt persecutores et piscatores, ut fierent prædicatores? Primus in ordine apostolorum electus est Petrus; novissimus in ordine apostolorum est 443 Paulus, sicut ipse de se testatur dicens: *Ego enim sum minimus omnium apostolorum* (*Rom.* XV, 9). Qui elegit primum, ipse elegit et novissimum, ut simul pateretur primus et novissimus. Bona passio, quæ nunc coheret laudi. Bonum certamen, quod perfecit martyrium. Sciebant apostoli ad quam prætendebant coronam, quam acceperunt Petrus et Paulus in urbe Roma. Dixerat enim Dominus in Evangelio: *Qui reliquerit patrem aut matrem, uxorem vel filios, et omnia quæ possidet, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29); aut *qui perdiderit animam suam propter me in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam* (*Matth.* X, 39).

CAP. III. — Oportet ergo, fratres, ut propter vitam non diligamus vitam: propter vitam æternam temporalis est contemnenda. Boni discipuli, qui veram doctrinam tenuerunt magistri, cursum consummaverunt, fidem conservaverunt, promissa dilexerunt, temporalia contempserunt, et vitam æternam possederunt. Unus ex rustico insertus; alius ex lupo factus est agnus. De Paulo apostolo dictum est: *Lupus rapax, mane rapiet, et ad vesperas dividet escas* (*Gen.* XLIX, 27). Fuit persecutor Saulus; sed mutatus est, ut fieret prædicator Paulus: fuit antea persecutor, postea vero factus est magnificus prædicator. Christum quem aliquando blasphemabat postea publice prædicabat; ipse enim de se testatur dicens: *Qui prius fui blasphemus, et persecutor; sed ideo misericordiam merui, quia ignorans feci in incredulitate, ut in me revelaret Deus Filium suum* (1 *Tim.* I, 13; *Gal.* I, 16). Hoc præstitit mihi persecutori. Quid autem præstitit piscatori, nisi claves regni cœlorum? Claves enim regni cœlorum fides meruit Petri: quia prior agnovit Filium Dei. O gloriosum meritum apostolorum! Non uno die electi ad gloriam, sed uno die meruerunt palmam. Non uno die electi ad apostolatum; sed uno die meruerunt accipere martyrium consecratum. Transcenderunt cœlum; et coronaverunt [*Leg.* cucurrerunt] ad Dominum Deum.

SERMO XVII.

[c] *In Natali B. Pauli apostoli.*

Ex cod. collect. 2 *nuper editus est ab abb. Trombellio. Præter mss. coll.* 2 *eum invenimus in cod. Casin. coll.* 1, *nec non in duobus Lectionariis Vallicell.* VII, *et A*, 6, *ubique Leonis papæ nomen præferentem. In duobus autem Vat.* 1272 *et* 3835, *sine certo ullius auctoris nomine hæc inscriptio legitur:* Item ejusdem in Natali B. Pauli apostoli; *quæ eumdem hujus* 444 *et præcedentis sermonis auctorem significare solet: præcedit autem in utroque cod. sermo S. Joanni Chrysostomo inscriptus. Cum vero hujus sermonis auctor sit certe Romanus, hic manifesta detegitur alicujus librarii oscitantia ejus generis, cujus in præfatione meminimus num.* 9, *ut scilicet hunc sermonem descripserit cum eadem epigraphe ex antiquiori Lectionario, tametsi præcedentem sermonem, cui veri auctoris nomen in eodem erat præfixum, nequaquam excerpserit. Auctor autem Romanus magno Gregorio posterior est: siquidem hujus temporibus, Micrologo teste de Ecclesiast. Observat. cap.* 42, *S. Pauli festivitas altera die post festum SS. Petri et Pauli celebrari cœpit. In Sacramentariis quidem Gregoriano antiquioribus, nimirum Leo-*

[a] Luxatus valde hic locus est.

[b] Forte, *recta*, vel aliquid supplendum, ex gr., *volatu.*

[c] Ita ex cod. Vallicell. et duobus Vat. Al., *De S. Paulo*, seu, *De Festivitate S. Pauli.*

Digitized by Google

nino, uti vocant, et Gelasiano, utriusque apostoli natale eadem die designatur, nec sequenti die describitur alia nisu S. Pauli propria, ut in Gregoriano primum deprehenditur. Hunc sermonem in plerisque mss. exemplaribus mutilum, in solo antiquissimo Vat. 3835 integrum invenire potuimus.

Cap. I. — Gemina hodiernæ festivitatis, fratres charissimi, renovantur gaudia, dum annua doctoris mundi percolimus natalitia. Unde exsultantes in Domino, et immensas ejus ineffabili majestati referentes laudes, ingenti lætitia gratulemur. Et nimirum affluentissima jucunditate lætari oportet: quia quoties sanctorum memoria celebratur, [a] nimio fidelium mentes gaudio replentur, et spiritualibus admodum profectibus illustrantur in id quod eorum præsentia adesse non ambigitur. Convenientibus ergo nobis, charissimi, huic [b] sanctissimæ aulæ, eumdem in medio nostrum egregium prædicatorem assistere, et spirituali atque invisibili quodam modo pariter nobiscum in hac ejus celeberrima solemnitate credimus gratulari. Et ideo nulla debet, dilectissimi, quemquam Christianorum ad occurrendum huic venerandæ Ecclesiæ, ubi sanctum ejus quiescit corpus, desidia irretire [c] corporis. Præcipue autem cunctos Romanæ urbis et finitimis commorantes regionibus, quantocius accelerare præ omnibus congruit. Quoniam si universi de extremis mundi partibus neque austeritatem acerrimi itineris, neque prolixitatis terræ spatia metuentes, eo quo valent tempore apostolorum devote se præsentari inhiant ad limina, quid Romani cives excusationis [d] proferre possunt in eo quod præsentialiter assistentes dissimulam saltem eorum occurrere festivitati, dum se eorumdem apostolorum precibus, defensione tueri noscuntur et ope?

445 Cap. II. — Hesterno quippe [e] die quo ipsi apostolorum principes martyrio sunt [f] coronati, devotissimo affectu in ecclesiam B. apostoli Petri properantes, ejus celebravimus solemnitatem. Etenim oportebat ut ejus qui principatum meruit adipisci apostolatus, prius celebraretur festivitas. Hodie vero doctoris gentium et mundi totius illuminatoris natalitia colimus. Nam licet pariter ambo martyrii bravium sumpserint, propter confluentis tamen populi frequentiam in alium diem [g] B. apostoli Pauli inerat ratio solemnitatis transferendæ, ut sicut in B. Petri aula universa convenit multitudo, ita in ejus [h] coapostoli ecclesia eadem pariter annexa confluaret populi congregatio, æqualisque omnibus ines et lætandi devotio. Sed ecce plures aut [i] desidiis aut sæcularibus dediti curis, ad hanc distulerunt præstantissimi B. Pauli apostoli advenire aulam. Quapropter, fratres charissimi, abjicienda est omnis mundanæ cogitationis [j] cura, et temporalis lucri desideria respuenda, eoque omnes quo valemus annisu ad celebrandam sanctorum memoriam, maxime beatorum Petri et Pauli apostolorum principum natalitia concurrentes, in amborum ecclesias devote pariter congregati conveniamus, ut sicut pares eos [k] honorum infulis divina illustravit dignatio, ita [l] similes humana habeat in solemnitatibus devotio.

Cap. III. — Hic enim beatissimus prius quidem Saulus, et postmodum Paulus, prius, inquam, persecutor, postmodum prædicator, Judaicæ credulitatis infectus sæviția, nimia ferocitatis adversus Christianos exardescebat insania. Nam, sicut in Actibus apostolorum continetur (*Act.* IX, 2), accepta a principibus sacerdotum potestate ut si quos eorumdem Christianæ religionis invenire potuisset, vinctos in Jerusalem deduceret, ibat fremens magna arreptus furia, et subito cœlestis radii splendore illustratus ac perterritus audivit vocem de cœlo dicentem sibi: *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare* (*Ibid.*, 4). Et protinus cadens in terram, oculorum lumen amisit. O magna pietatis omnipotentis Dei nostri benignitas! O inæstimabilis longanimitatis misericordia! Modicum [m] eum perterruit, ut multipliciter consolaretur. [n] Paulum enim percussit, ut superflue mederetur. Illico enim Ananiæ Dominus præcepit regenerationis gratiam baptismi tribui, et amissum lumen oculorum impertiri. Præceptum est enim ovi ut lupum ad caulas **446** deduceret, et similem sibi ovem efficeret. Anania enim *Ovis* interpretatur. Timet ovis lupo se propinquari, sed præcepto Domini fultus fiducialiter ad lupum accessit, eumque divina conspiciens correptione in mansuetudinem conversum, extemplo collato ei baptismatis munere, Christique adhibito vexillo, eum Dominico collocavit ovili. O admirandæ operationis virtus! Ovis lupum ovem fecit, quia boni pastoris fortitudinem accepit, et quem prius habuit sævissimum expugnatorem, postmodum suscepit mitissimum concertatorem. Hunc Dominus prædestinatum habens ante omnia sæcula, vas electionis affirmat, suumque nomen in gentibus deportaturum pronuntiat.

Cap. IV. — O beate Paule, prædicator egregie, quam gloriosus et laudabilis inter apostolos omnesque relulges martyres! quia licet novissimus in consortio apostolorum advenisse videris, plus tamen omnibus in Evangelio Christi elaborasse demonstraris. En tua lucidissima in toto enitet mundo doctrina. Quibus te laudibus digne glorificari, elegantissime apostolorum princeps et veritatis opinatissime prædicator, humana poterit lingua, quem misericorditer Redemptor ex æthere vocans, dignum sibi cultorem, et vas elegantissimum athletamque strenuissimum constituit? Unde legitime bonum certamen certans, cursumque ministerii consummans (II *Tim.* IV, 7), tertium usque ob hoc raptus cœlum, arcana meruisti audire verba; de reliquo repositam tibi coronam justitiæ, atque laborum tuorum dignam a justo judice Domino nostro suscipiens remunerationem, merito cum angelis in cœlestibus perenniter triumphas regnis. Pro quo venerantes hanc sacratissimam solemnitatem tuam, gloriose apostolorum princeps et doctor gentium, assiduis nos apud Creatorem nostrum, pro cujus vera nominis confessione martyrii adeptus es palmam, commendare non desistas intercessionibus. Quatenus tuis circumfulti præcipuis interventionum suffragiis, continuaque protectione muniti, ab universis istius fluentis mundi erui mereamur adversatibus, et mentis sinceritate, secura devotissimæ tuæ festivitatis exsequentes gaudia, ad æterna pertingere valeamus regna, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est honor, et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[a] Cod. Vat. 3835, *nimis fidelium mentes gaudio relevantur.*
[b] Al., *sacratissimæ.*
[c] Al., *torporis.*
[d] Sic Vat. cod. Al., *proferent in eo:* et post nonnulla, *defensionis tueri noscuntur ope.*
[e] In quibusdam codd. deest *die;* male.
[f] Al., *consecrati.*
[g] Ms. Barb.: *B. apostoli Pauli ratio erat transferendæ.* Cod. Casanat.: *B. apostoli Pauli inerat ratio transferendæ.* Vallicell. cod.: *B. apostoli Pauli celebritatis erat ratio transferendæ.* Secuti sumus cod. Vat.
[h] Al., *apostoli.*
[i] Al., *desideriis.*
[j] Vocem *cura*, quæ in aliis codicibus desideratur, suggessit optimus cod. Vat., ex quo mox *desideria* scripsimus, pro *desidia*, ut alia exemplaria præferunt.
[k] Id est, *apostolatus honore.*
[l] Al., *similiter.* Cod. Vat., *coæquales.*
[m] Sic idem Vat. Alias male, *enim.*
[n] Sequentia in solo antiquissimo Vat. codice leguntur; ubi mox, pro *superflue*, legendum videtur *superne.*

Digitized by Google

447 SERMO XVIII.

De sancto Petro. Quomodo de carcere eductus est.

Nunc primum editus ex ms. Casinensi.

CAP. I. — Quemadmodum sanctus Petrus in carcere sit ligatus duabus catenis et traditus quatuor quaternionibus militum, quemadmodum etiam inde liberatus sit per angelum Domini (*Act.* XII), audivit per ordinem dilectio vestra. Missus ergo in carcerem est sanctus Petrus, causa nominis Christi, sed pœnam carceris horrere non poterat, quia ipse in carcere templum Dei erat. Ligatus erat duabus catenis, sed catenas criminum in ipso carcere a credentibus extrahebat. Custodiebatur a quatuor quaternionibus militum, sed sub ipsa custodia quatuor Evangelia ad fidem venientibus insinuabat. Nec mirum sane, si ille humanam custodiam timere non poterat, qui divina custodia servabatur. Cum ergo diligenter Petrus custodiretur in carcere a quatuor quaternionibus militum, ligatus a duabus catenis, venit angelus Domini ad eum, ut audivit dilectio vestra, et aperuit januas carceris, et dixit ei : *Surge, et tolle vestimentum tuum et operi te, et calcea te calceamentum tuum, et veni, sequere me* (*Ibid.*). At ille surgens sequebatur eum, et cum venisset ad portam ferream cum angelo, statim a se eadem porta aperta est eis. Nec mirum sane si sancto Petro porta ferrea sponte aperta est, qui portas inferorum jam in potestatem acceperat, dicente Domino ad eum : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et quæcumque ligaveris super terram,* 448 *erunt ligata et in cœlo* (*Matth.* XVI, 18). Ille ergo sancto Petro portam ferream aperuit, qui portas inferni patefecit. Ille de morte Petrum eripuit, qui mortem ipsam destruxit.

CAP. II. — Sed quod tunc sancto Petro secundum litteram gestum est, circa nos quoque mystice geri agnoscimus, si fidem Petri sequamur. Sumus enim et nos in hoc mundo velut in carcere constituti. Si ergo a Domino visitari meremur, mittitur ad nos angelus Dei, et dicit ad unumquemque nostrum : Præcinge te, et calcea te calceamenta tua, et operi te vestimentum tuum, et sequere me. Præcingimus nos, si lumbos corporis nostri pudicitiæ circulo [*Forte* cingulo] circumdemus, dicente Apostolo : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII, 35) in castitate. Calceamus et pedes nostros, si gressus vitæ nostræ præceptis evangelicæ fidei muniamus, ut securi spinas peccati et iniquitatis tribulos conculcemus. Operimus nos et vestimento, si vestem illam nuptialem, id est baptismi gratiam, conservemus in nobis. Hæc itaque fideliter impleamus : statim cadent catenæ de manibus nostris, id est catenæ peccatorum, quibus constricti et colligati secundum animam tenebamur. Sed nec aliter de carcere, id est de mundi hujus errore, evadere possumus, nisi a Domino per angelum visitemur. Aperitur nobis et porta ferrea, id est et porta mortis, et pœna, quam Filius Dei passionis suæ virtute comminuit ; et tunc veniemus ad domum Mariæ, id est ad Ecclesiam Christi, ubi Maria mater Domini habitat, et illic occurret nobis puella nomine Rhode. Conveniens autem hujusmodi nomen Rhode salutis nostræ mysterium est. Rhode enim secundum litteram græcam rosa nuncupatur. Venientibus ergo nobis ad domum Mariæ, puella nomine Rhode occurrit, id est congregatio sanctorum, quæ sanguine martyrii glorioso velut rosa refulget.

[a] Non Apostolus, sed Christus ipse hæc verba profert in Evangelio Lucæ, XII, 35. EDIT.

ADMONITIO IN SERMONEM SEQUENTEM.

Prolixum Quesnelli monitum ex instituto nostro, quo omnia illius huic editioni inserenda iri polliciti sumus, proferre cogimur. « Sermo iste, inquit, utrum habitus sit in festo septem fratrum martyrum Machabæorum, an vero in festo septem fratrum filiorum S. Felicitatis martyris, id est Januarii, Felicis, Philippi, Sylvani, Alexandri, Vitalis, et Martialis, qui tempore Antonini imperatoris martyrio coronati sunt, erit fortasse qui dubitet, si oculos a titulo paulisper averterit, cujus fidem, ut et aliorum hujusmodi, in suspicionem adducere nefas non est apud eruditos. Etsi vero horum celebris Romæ memoria ex antiquo fuerit, quoniam ipsam Urbem suo agone nobilitaverant, priorum tamen, id est Machabæorum, triumpho consecratum fuisse hunc sermonem existimamus, tum quia ex sacris Scripturis recitatam commemorat martyrii illorum historiam : *Causam*, inquit, *solemnitatis hodiernæ, dilectissimi, plenissime sacræ historiæ lectione didicistis ;* tum quia non imperatoris vel præfecti Romani crudelitati tribuit tale martyrium, *sed sævissimi regis impietati*, nempe Antiochi.

Porro huic martyrum solemnitati aliud festum subjunctum fuisse indicat S. Leo, *Natalem* scilicet, ut ait, seu dedicationem *ecclesiæ*, cujus consecratione *antiquam festivitatem geminatam esse* inferius asserit. Sed cujus ecclesiæ natalis, et cujus consecrationis solemnitas ista esset, nec ipse aperit, nec quisquam post ipsum inquirere sategit : quod videlicet, ut opinor, pro certo habuerint omnes de dedicatione basilicæ S. Petri ad Vincula istud esse intelligendum, cum etiamnum hodie una sit dedicationis istius et martyrii Machabæorum festivitas kalendis Augustis affixa.

Huic autem sententiæ accedere nequaquam possumus. Nam basilica S. Petri ad Vincula ab Eudoxia Valentiniani Augusti uxore ædificata est in monte Exquilino, unde et titulus Eudoxiæ dictus est, quod minime concinit his quæ de loco isto a Leone dicuntur. Siquidem manifestum est non a femina, sed ab homine exstructam esse basilicam, cujus consecrationis memoria tunc agebatur. *Magnificus*, inquit, *structor parietum*, etc. Deinde in eum qui basilicam de qua inquirimus erexit, ea omnia convenire debent, quæ Leo edisserit, ut scilicet, 1° ipse suis sumptibus et munificentia ædem ædificari jusserit : *Magnificus structor parietum*, etc., *habitando quod condidit.* 2° Et eam ipse consecraverit seu dedicaverit ecclesiam : *Qui hoc die antiquam festivitatem hujus loci consecratione geminavit.* 3° Ut animarum idem curam habuerit : *Sed magnificentior ædificator animarum ;* immo et docendi munere in urbe Roma, ac pralude episcopi, perfunctus fuerit ; *faciendo quod docuit.* 4° Ut is fuerit, cujus memoriam justo honore venerari possent Romani, et martyrum solemnitati subjungere. *Non solum*, inquit, *martyres ac martyrum matrem, sed etiam illius memoriam justo honore veneramini, qui hoc die antiquam festivitatem hujus loci consecratione geminavit.* 5° Denique, ut Leoni coævus fuerit, et in oculis eorum quos alloquebatur pietatis opera ediderit, ex quorum memoria, non minus quam ex templi quod cernebant conspectu, ad virtutis profectum accendi possent ; sensus est enim horum verborum : *Omnia ergo, dilectissimi, quæ oculis cernitis, et mente meministis, ad profectum vestræ ædificationis assumite*, etc. Hæc autem omnia in Eudoxiam cadere non possunt : necesse est porro in aliquem ex pontificibus Romanis, ad quos unice pertinebat ecclesias in Urbe dedicare, animarumque in ea doctores atque ædificatores agere. Facile quidem de Cœlestino papa ista dici queunt, qui mirum sanctitate conspicuus fuit, et basilicam Julii fecisse legitur. Verum prior eum et illa ad Sixtum III Leonis nostri ultimum decessorem referam. Primum enim manifestum est ecclesiam cujus dedicationis festus tunc dies agebatur,

Digitized by Google

unam aliquam fuisse e præcipuis Romanæ urbis basilicis; cujus encænia ab universa plebe Romana tanta celebritate, *tanta festivitatis magnificentia, tam conspiranti studio et devoto animo*, tanto populi concursu recolebantur: talis erat procul dubio basilica S. Mariæ Majoris, quæ et S. Mariæ ad Nives, et ad Præsepe, et Liberii basilica dicitur. Hanc autem a Sixto papa III denuo exstructam fuisse et consecratam, testatur liber de Romanis pontificibus, et Adrianus papa in epistola ad Carolum Magnum. *Hic fecit basilicam S Mariæ matris Domini, quæ ab antiquis Liberii cognominabatur*, inquit liber ille in Sixto III. De quo ita Adrianus: *Sixtus papa, Cœlestini successor, fecit basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, cognomento Majorem, quæ et apud Præsepe dicitur.* De qua basilica mira sunt quæ referuntur a Petro Cluniacensi, Beda, et iis auctoribus qui de earum Urbis ecclesiis scripserunt. Deinde facile credi potest Leo in Sixti laudes erupisse ex occasione solemnitatis quoniam ab illo fuerat educatus, ei semper adhæserat ut ejus diaconus, eidem proxime successerat, ut cui in administrandis rebus ecclesiasticis egregiam navarat operam, cujus etiam recentior omnium erat memoria. Denique et ipse tamquam sanctitatis laude præclarus inter vindicatos cœlites ecclesiasticis tabulis inscriptus reperitur 28 die Martii, ut merito *illius memoriam justo honore venerandam* dixerit sapetus pontifex.

Unum est quod objici possit, nempe dedicationis S. Mariæ solemnitatem alio die peragi, nempe nonis Augusti, nullamque e contra kalendis Augusti ascriptam esse solemnitatem dedicationis in hodierno Martyrologio Romano, nisi S. Petri ad Vincula. Sed quid mirum, si per tot annorum decursum multa immutata esse reperiantur in ecclesiasticis hujusmodi tabulis, quarum etiam fides non usquequaque certa est et indubitata? Cæterum cum antiquissima illa basilica sæpius propter vetustatem de novo suscitari, ac denuo consecrari indiguerit, sicut consuetudo poscebat ut ultimæ ejus consecrationis dies inter festa haberetur, ita par erat ut primæ constructionis et consecrationis illius memoria non periret, quæ plurimis videlicet insignibusque miraculis toto orbe celebris evaserat. Ob eam, ut opinor, rationem illius dedicationis solemnitas, quæ a Sixto peracta fuerat, a primo die Augusti ad quintum translata est, ut gemina solemnitas in unam coalesceret, nec festorum dierum numerus cum publicæ rei incommodo excresceret. Præsertimque id decuit fieri ob aliam S. Petri ad Vincula dedicationem, cujus solemnitas eadem prima die Augusti celebranda occurrit. »

Hæc in hypothesi qua sermo de Machabæis Leonis esse credebatur, necessaria fuerunt. Supervacanea vero et inutilia in rem præsentem cognoscentur, si eumdem sermonem Leonis non esse demonstravimus. In vetustissimo enim Lectionario ms. Vaticano 3836, *quod procul dubio Romanum fuit ad usum basilicæ SS. Philippi et Jacobi, ubi alii genuini Leonis sermones ejus nomine inscribuntur, hic pagina* 1, *non Leoni, sed Augustino tribuitur hac titulo :* Incipit sermo S. Augustini de SS. Machabæorum kal Aug.: *Quis Leoni Romano pontifici asserere audeat sermonem quem ipsa Romana Ecclesia hoc antiquissimo testimonio ab eodem abjudicat? Posteriorum itaque temporum errore factum est ut in collectionibus* 2, 3 *et* 4, *quæ sequioris ætatis sunt, Leoni ascriberetur. Hoc unum documentum nobis evidentissimum est.*

Adde quod hic sermo solemnitatem Machabæorum in ea urbe in qua habitus fuit celebrem indicat. In Africa quidem celebris fuisse cognoscitur tum ex Carthaginensi, veteri Kalendario, quod Mabillonius in Analectis vulgavit, tum ex Augustini serm. 300 *et* 301, *de eodem festo editis, qui hujus quoque sermonis eum auctorem confirmare queunt. At Romæ Leonis ætate nullum de Machabæis festum celebratum fuisse, ex eo colligitur, quod nulla ejus festi Missa notetur kal. Augusti non solum in antiquissimo Sacramentario Leoni attributo, quod secundo tomo recudetur, verum etiam in priori Sacramentario Gregoriano, quod ex duobus mss. Ludovicus Muratorius typis impressit Liturgiæ Rom. veter. tomo* II. *Quod si in vulgato Gelasiano istud festum asseritur, hoc non esse purum Sacramentarium Gelasianum, et nonnulla posteriora auditamenta recepisse certum est, inter quæ recensendam esse Missam de Machabæis, ex ipso Missæ hujus defectu in posteriori Sacramentario Gregoriano quisque intelliget. Additio autem hæc induci potuit ex aliqua Ecclesia ubi Machabæorum festum peragebatur, uti Leonis quo ue tempore peragebatur in Gallia; unde eorum festum signatur in Kalendario Polemii Silvii, quem Gallum scriptorem fuisse et scripsisse in Gallia probabimus in observationibus ad serm.* 83, *num* 4.

Accedit inscriptio a pluribus edita et novissime recusa a P. abb. Monsacrato in opere de Catenis S. Petri *pag.* 48, *in qua de templo S. Petri in Vinculis hæc inter cætera leguntur :*

Hoc Domini templum Petro fuit ante dicatum,
Tertius antistes Xystus sacraverat olim,
Civili bello destructum post fuit ipsum.
Eudoxia quidem totum renovavit ibidem :
Pelagius rursus sacravit papa beatus,
Corpora sanctorum condens ibi Machabæorum.

Si hæc inscriptio esset antiqua, genuinamque referret historiam, ita ut ante Gregorium Machabæorum celebritas sub Pelagio Romæ cœpisset, adhuc sermo Leoni tribui non posset. Tandem formula charissimi, *quæ initio capitis* 3 *inseritur. Augustino quidem familiaris, a Leonis autem consuetudine alienissima est; hocque indicium sermonem Leoni suppositum fuisse vehementius confirmat.*

453 SERMO XIX [*Al. inter Leoninos serm. LXXXII*].

In Natali sanctorum septem fratrum martyrum Machabæorum [a].

In appendice nunc primum collocatus, quia non Leonis, sed Augustini est.

CAP. I.—Gratias, dilectissimi, [b] Domino Deo nostro, quod quanta sit hujus diei solemnitas, etiam si ego A taceam, conventus vester ostendit. Tam conspirantis enim studio et devoto animo convenistis, ut [c] festivitatis magnificentiam, etsi sermo non indicet, congregatio tamen ipsa testetur. Et recte : duplex enim causa lætitiæ est : in qua et [d] natalem ecclesiæ colimus, et martyrum passione gaudemus ; nec immerito digne Ecclesia horum exsultat martyrio, quorum ornatur exemplo. Causam ergo solemnitatis hodiernæ, dilectissimi, 454 plenissime sacræ historiæ

[a] Hæc ergo Eudoxia, quæ hoc templum civili bello destructum renovavit post Xystum, quæque hodie dicitur ab Hierusalem Romam detulisse vincula Petri, non est Eudoxia Valentiniani III uxor, ut Quesnellius putavit.

[b] Quesnellius adjecit, *et dedicatione Ecclesiæ*, eo quod in sermone etiam de Ecclesiæ dedicatione agatur. Sed in nullis mss. hæc additio invenitur.

[b] Vulgati posteriores prima editione inserunt verbum *agamus*, quod delendum putavimus auctoritate primæ editionis et nostrorum codicum collectionum 2, 3 et 4.

[c] Cod. Barb. collect. 2, *solemnitatis*.

[d] *Ecclesiæ natalis* pro die dedicationis accipitur.

Digitized by Google

lectione didicistis, nec latere vos potuit quem in tanto rerum gestarum ordine exceperitis auditum, cum gloriosam septem martyrum matrem exsultanti et non tacito honorare tis affectu, in singulis quidem filiis passam, sed in omnibus coronatam. Subsecuta est enim felici exitu, [a] quos invicto præmisit hortatu. Beata genitrix, beata progenies, memorabilis præcedentium fortitudo. Nam cum in illo ordine [b] mortium, et in illa dispositione pœnarum, id sævissimi regis excogitasset imperias, ut victoriam sibi et de primis promitteret, quos sine tolerantiæ cruciaret exemplo, et de postremis, quos in supplicio torqueret alieno, multiplicatæ sunt martyrum palmæ, et dum singuli in omnibus vincunt, præter coronas proprias, omnes acquisivere septenas.

Cap. II.—Sed hæc [c] ad fructuosam recolenda sunt aurium voluptatem. Inflat scientia (I *Cor.* VIII, 1), nisi ædificet obedientia. gravant audita, nisi suscipiantur imitanda. Nec enim quia cessavit persecutor et tortor, quia [d] omnes jam Deo militant potestates, desunt Christianis, **455** quas superent, passiones. *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1); et Apostolus dicit: *Quicumque in Christo pie volunt vivere, persecutionem patiuntur propter justitiam* (II *Tim.* III, 12). Qui ergo putas quievisse persecutionem, et nullum tibi cum hostibus esse conflictum, intimum cordis tui scrutare secretum, et omnes [e] recessus animæ tuæ diligens explorator ingredere; et vide si nulla te impugnat adversitas, si nullus tyrannus vult in mentis tuæ arce dominari. Noli cum avaritia pacem firmare, et iniquorum quæstuum incrementa contemne. Superbiæ concordiam nega, et magis time in gloriam suscipi quam in humilitate calcari. [f] Dissociare ab ira, nec dolorem inflammet invidiæ cupido vindictæ. Renuntia voluptati, avertere ab immunditia, pelle luxuriam, fuge iniquitatem, [g] obnitere falsitati; et cum videris te multiplicem habere pugnam, tu quoque, imitator martyrum numerosam, quære victoriam. Toties enim peccatis morimur, quoties in nobis peccata moriuntur; et *pretiosa in conspectu Domini* etiam ista *mors sanctorum ejus* (*Ps.* CXV, 15), ubi homo occiditur mundo, [h] non interitu sensuum, sed fine vitiorum.

Cap. III. — Si ergo, charissimi, non ducitis cum infidelibus jugum (II *Cor.* VI, 14), si peccatores esse desistitis, et nullis carnalium cupiditatum tentationibus [i] cedi tis, solemnem hanc diem legitime celebratis; et non solum martyres ac martyrum matrem, sed etiam illius memoriam justo honore veneramini, qui hoc die antiquam festivitatem hujus loci consecratione geminavit: magnificus quidem structor parietum, sed magnificentior ædificator animarum, [j] ultra ævi sui terminos opera pietatis extendens, ut [k] utilitatibus institutionum ejus etiam in ipso frueretur devota posteritas, et habitando quod condidit, et faciendo quod docuit.

Cap. IV. — Omnia ergo, dilectissimi, quæ oculis cernitis, mente meministis, [l] ad profectum vestræ ædificationis assumite, et ita unusquisque vestrum præparato a majoribus **456** utatur habitaculo, ut in seipso meminerit templum Dei esse fundatum. Nihil structuræ suæ pravum, nihil [m] supponat infirmum; sed vivis et electis lapidibus congruendo, per indissolubilem connexionem crescat in Dominici corporis unitatem: auxiliante [n] ipso angulari lapide Deo et Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XX.

De Transfiguratione Domini.

Nunc primum editus ex ms. Patavino S. Antonii, Leoni perperam tributus.

Cap. I. — Hodie, fratres charissimi, solemniter colimus diem illius scilicet qui cum Patre omnia gubernans, condidit omnem diem; Verbum, inquam, quod in principio dixit: *Fiat lux, et facta est lux* (*Gen.* I, 3). Ipsius caro hodie in monte clarificata est, utpote textus narrat evangelicus. In monte ante duos vates tresque discipulos transfiguratus est Dominus; scilicet ut nobis spem suæ Divinitatis donaret, suam præ nive faciem candidam eis voluit demonstrare. Si quis vero hos noscere voluerit vates, currat ad evangelistarum sublimissimas voces. Verum si cuilibet Lucas a duobus superioribus dissentire videtur, propter quod non post dies sex, sed post dies octo hanc Domini claritatem ostensam fuisse perhibet (*Luc.* IX, 28), grammaticorum currat ad tropum. Est nempe apud eos tropus, qui syllepsis dicitur, ubi pro uno multi, et pro multis unus comprehenditur, atque totum pro parte, et pars pro toto accipitur; sciatque Lucam nihilominus tropice descripsisse diem quando promissum est; atque illum quando completum est, in suo Evangelio comprehendisse. **457** Videlicet quando Dominus hoc promiserat, vespere erat; et cum transfiguratus est, mane nihilominus apparebat. Matthæus vero et Marcus prætermittentes dies promissionis et transfigurationis, solummodo integros sex medios maluerunt tradere recordationi perpetuæ.

Cap. II. — Verumtamen si aliquis dicat cur ante duos vates et tres discipulos voluit transfigurari, reminiscatur ipsius luculenti primi sermonis Domini; ipse inquit Judæis: *In lege vestra scriptum est quia duorum hominum sit verum testimonium* (*Joan.* VIII, 17). Ut autem seipsum ostenderet esse qui dixit

[a] Ms. Casanat., *quos munitos præmisit*; sed cum cod. Barb., pro *hortatu* habet *ornatu*.

[b] Solus cod. Casanat., *morientium*.

[c] Mss. Casanat. et Barb. collect. 2, *ad infructuosam*.

[d] Addidimus *omnes* ex mss. collect. 2 et 4.

[e] Editi ante Quesnellum, *recursus*, perperam.

[f] Ms. Barb., *Dissocia te ab ira*.

[g] Sic ex prima editione ac mss. collect. 2 et 3. Vulg., *omitte falsitatem*.

[h] Editi, *non terminatione sensuum*. Correximus ex duobus mss. collect. 2.

[i] Ita emendavit Quesnellus, ut etiam in nostris codicibus legitur. Al., *creditis*. Mox adverbium *legitime* sententiæ maxime congruum adjecimus ex laudatis mss. collect. 2.

[j] Cum hic sermo a Leone habitus crederetur in ecclesia S. Petri in Vinculis, Sixtum III hujus ecclesiæ consecratorem hoc loco designari omnes hactenus existimarunt; unde etiam Quesnellus postillam huic textui affixit *Sixti III elogium*. Sed cum hujus sermonis auctor sit Augustinus, ut in admonitione ostendimus, omnis de Sixto III opinio evanescit. Si vero ille ipsum sermonem in Hipponensi ecclesia recitavit, alicujus prædecessoris sui elogium hic attexere voluit. Cum porro idem doctor serm. 300 de Machabæis disserens basilicam in eorum honorem Antiochiæ quidem, non autem in ecclesia, ubi loquebatur, dedicatam memoret num. 6, in præsenti quoque sermone habito occasione dedicationis ecclesiæ, quæ in diem Machabæis sacrum inciderat, de utroque argumento sanctorum martyrum et dedicationis sibi egisse videtur.

[k] Cod. Barb., *utilitate*.

[l] Quesnellus vocibus *ad profectum* præmisit conjunctionem *et*, quæ non satis congrua, a plerisque nostris codicibus et anterioribus etiam editionibus abest.

[m] Antiquissimus cod. Vat. 3836, *superponat*. Dein cod. Barb., *lapidibus congerendo indissolubilem connexionem, crescat in Dominici operis unitatem*.

[n] Voces, *ipso angulari lapide Deo et*, antecedentibus congruentes adjectæ fuerunt ex antiquissimo Vaticano 3836.

Digitized by Google

Moysi : *Ego sum qui sum, et hæc dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III, 14) : quique eumdem Moysem ob liberationem filiorum Israel ad Pharaonem miserat, et ei in monte Sina legem dederat, atque prophetam Eliam igneo curru in aereum cœlum devexerat, hos testes ad suæ claritatis transfigurationem divina potestate cum discipulis contemplandam perduxerat; nimirum unum eorum revocans a limine mortis, alterum a translatione paradisi. Nullus enim scire poterat sepulcrum Moysi, nisi qui jussit et ad se eum perduxit; et nemo quo esset Elias translatus cognoverat, nisi qui eum ad se vocaverat. Hic est enim Unigenitus Patris, qui propter humani generis redemptionem effici voluit primogenitus matris. In hac namque hodierna transfiguratione coadunare voluit utriusque paginæ concordationem. Ut enim ostenderet se esse legis Dominum et prophetam, hos voluit perducere ad testimonium evangelistarum. In hac siquidem transfiguratione placuit ei, dispensatori Patris ostendere Filii dispensatorem, scilicet Petrum Moysi, et castum veterem casto novo demonstrare voluit, Eliam Joanni. Duos soles in monte cernebant hodie discipuli, unum, qui ab eis omnibus contemplabatur in firmamento, et alterum, qui splendidius eo fulgens a vatibus et discipulis cernebatur, facies Jesu. Hic vero Sol, qui in monte rutilabat, illum qui in firmamento est sua potentia illustrabat. Iste namque Sol justitiæ ardens et lucens; ardendo enim in se accendit fideles, lucendo illuminat omnes. De isto namque Sole ait Joannes : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9).

CAP. III. — Verum ut claritas illius nobis certo certius insinuaretur, postquam in aliam speciem vultus ejus transfiguratus est, et a nube lucida cum apostolis obumbratus, a Patre veraciter est clarificatus : *Hic est*, inquit, *Filius meus charissimus, ipsum audite* (*Luc.* IX, 35). Discipuli vero tantam vocem non ferentes, ceciderunt in faciem, recedentibusque Moyse et Elia, remansit sola soboles divina, quæ erigens eos inquit : *Nolite timere*, quod est dicere : Timeant illi, qui non credunt, timeant quos phantasmata illudunt. Vos, qui Patris Filio obeditis, ejusque arcanis secretis interestis, quam ob rem timidi estis? Attamen sancti discipuli **458** respicientes, neminem viderunt, nisi solum Jesum; ut liquido demonstraretur quia vox quæ missa fuerat, non Moysi, non Eliæ, sed unigenito Filio solummodo congruerat. De hac quippe visione quidam facundissimus poeta admiratur atque collaudat meritum horum trium apostolorum dicens (*Sedulius*, *l.* III, *v.* 284 *seqq.*) :

O meritum sublime trium, quibus illa videre
Contigit in mundo quæ non sunt credita mundo!
Quid? quod et Eliam, et clarum virtute Moysem
Ignotos oculis viderunt lumine cordis.
Ut major sit nostra fides, hunc esse per orbem
Principium ac finem, hunc Alpha videlicet et ω :
Quem medium tales circumfulsere prophetæ.
Alter adhuc vivens, alter stans lumine vitæ :
Sidereoque sono, Meus hic est Filius, ajens,
Ostendit verbo genitum vox Patria Christum.

Hinc namque Moysi deprecanti atque dicenti, *Ostende mihi gloriam tuam*, ait Dominus : *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, et vivet. Ecce*, inquit, *est locus apud me, et stabis supra petram; cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam te dextera mea, donec pertranseam, tollamque manum meam, et videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris* (*Exod.* XXXIII, 18, 20 *seqq.*). Quidnam, dilectissimi, est hoc? quidnam est hoc? Numquidnam Dominum nemo vidit umquam? Numquidnam mentitus est unus horum, qui dixit : *Deum nemo vidit umquam, nisi Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (*Joan.* I, 18)? Numquidnam omnipotens Pater incapibilis et immensus, atque invisibilis corporeus esse creditur, aut membra illi ascribuntur corporalia, ut referatur eum habere posteriora? Magnum est hoc, profundum est hoc; et tantillis tam profundum rimari non est facile. Sed illi soli est aperiendum, qui cum vult, brutis animalibus aperit os ad loquendum. O sancte Spiritus nobis resera hoc summum Patris eloquium. Attendite diligentius, attendite, dilectissimi, cautius, et una mecum hic vestrum parate animum.

CAP. IV. — *Cum pertransiero*, inquit Dominus, *videbis posteriora mea, faciem meam videre non poteris* (*Exod.* XXXIII, 23). Facies namque Domini incomprehensibilis Deitas; posteriora vero ejus Filii credenda est assumpta humanitas. Profecto per faciem, quæ prima pars est corporis, Divinitas insinuatur ante omnia sæcula; posteriora vero Christi humanitas est, quæ in ultima ad nos per inviolatam venit Mariam tempora. In hac siquidem die, quod suo famulo promisit Moysi, fideliter per Filium Pater complevit. De hac quidem solemnitate hujus diei David ait : *Confessionem* **459** *et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento* (*Ps.* CIII, 1). Confessionem et decorem indutus est Christus, cum gloria paternæ vocis glorificatus est : amictus est lumine sicut vestimento, cum solis splendore suum discipulis coruscantem ostendit vultum. De hac quoque solemnitate Habacuc propheta mirabatur, cum ab ipso decantabatur : *Domine, audivi auditum tuum et timui, consideravi opera tua et expavi.* (*Hab.* III, 1). Numquid fabricam mundi iste miratus expavit? Non. Sed quid miratus expavit? Audi quid sequitur : *In medio*, inquit, *duorum animalium cognosceris.* O charissimi, quid est *in medio duorum animalium cognosceris?* Nisi aut in medio duorum testamentorum, aut in medio Moysis et Eliæ cum eo hodie in monte sermocinantium. Hic namque est lapis angularis, in quo **460** uterque paries meruit copulari, scilicet vetus Testamentum, et novum. Vetus significatum est per Moysem et Eliam, per quos lex et prophetæ designantur. Novum vero per Petrum et Jacobum et Joannem, per quos sanctum et venerandum designatur Evangelium. Sive per Moysem et Eliam prior ille Judaicus populus, per Petrum, Jacobum et Joannem populus designatus est gentilis. Hic vero est populus ambulans in tenebris, qui vidit lucem magnam; ad quam lucem nos Unigenitus Patris perducat contemplandam in illa patria, in qua justi fulgebunt sicut sol, et ipse Deus erit omnia in omnibus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, et glorificatur Deus per numquam finienda sæcula sæculorum. Amen.

OBSERVATIONES
IN
SERMONES S. LEONIS MAGNI.

461 IN SERMONEM III.

***Quo sensu** S. Leo* petram, *supra quam Christus Ecclesiam ædificavit*, de fide solida *accepit.*

1. His Leonis verbis serm. 3, c. 2 : *Soliditas illius fidei, quæ in apostolorum principe est laudata, petra est*, istam annotationem Quesnellus subjecit « Explicat verba Christi Domini, quæ consequenter « describit; asseritque soliditatem fidei, quæ in Petro laudata est, esse petram illam super quam se Ec-

Digitized by Google

clesiam ædificaturum promittit, et adversus quam portæ inferi non prævalebunt, quia *perpetua est;* et ut loquitur c. 3, *firmitatem petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur, accepit, ita ut eam neque hæretica umquam perrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia.* In eumdem sensum eadem verba exponit serm. 3 (nunc 4), c. 2 et 3, serm. 60 (nunc 62), seu de Pass. 11, c. 2. » Hactenus ille. Ne autem hæc interpretatio, quæ *petræ* nomen *fidei in Petro laudatæ* accommodat, iis favere credatur qui testimonium Christi, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* non de Petro, sed de fide exponentes, ad prærogativas Petri et successorum ejus constituendas nihilum pertinere contendunt, Leonis mens exactius explicanda est.

2. Cum S. pontifex *petram,* supra quam Christus se Ecclesiam ædificaturum promisit, explicavit de fide seu de soliditate ejus fidei, quam idem Christus laudavit in Petro; non fidem in genere, nec privatam fidem Petri, sed eam fidem quam ille prædicavit, cujusque depositum in Romana sede reliquit, et ad successores pari soliditatis privilegio transmisit, Leonem intellexisse, exploratissime ostendemus: hinc autem patebit quam parum accurate Quesnellus in postilla apposita serm. 62, c. 2, generatim scripserit: *Petra, supra quam ædificatur Ecclesia, et adversus quam infernus non prævalet, est solida fides.*

3. Fidem nimirum a Petro prædicatam **462** ex Leonis mente accipiendam esse, idem pontifex palam pronuntiat laudato serm. 62, c. 2. Omnes enim apostolos Petrum Deo revelante in professione fidei prævenisse affirmat, *ut ad regimen totius Ecclesiæ præparatus, primum disceret quod doceret, et pro soliditate fidei,* QUAM ERAT PRÆDICATURUS, *audiret: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* En soliditatem et nomen *petræ,* super quam ædificanda erat Ecclesia, et adversus quam portæ inferi non prævalebunt, ei fidei tribuit, *quam* Petrus *erat prædicaturus,* et quam prædicando ædificaturus erat Ecclesiam. Ne vero *petræ* nomen hinc adimatur Petro, ob hanc fidei prædicandæ soliditatem ipsum quoque Petrum *petram* constitutum Auctor testatur serm. 4, c. 2. Sic enim Christum loquentem inducit: *Tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris;* ac propterea non tam fidem Petri, quam eumdem Petrum *catholicæ fidei petram* vocat ep. 119, ad Maximum Antiochenum, c. 2.

4. Cum vero idem Petrus hujus fidei depositum in Romana Ecclesia ac sede potissimum reliquerit, transmiseritque ad successores Romanos pontifices; eamdem fidei soliditatem, quæ fuit in Petro, in hac Ecclesia, et in successoribus Petri peculiari privilegio perseverare et perseveraturam usque ad finem mundi, Leo aperte prodit iis verbis serm. 3, c. 2: *Soliditas enim illius fidei, quæ in apostolorum principe est laudata, perpetua est: et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit.* Instituit nimirum Christus ut ejus fides, super quam ædificanda erat Ecclesia, adeo esset solida, ut adversus illam inferi portæ non prævalerent umquam, quod fidei soliditatem *perpetuam* requirit. Qui autem hanc fidei soliditatem perinde affirmavit *perpetuam,* eam profecto non desiisse in Petro, sed in successores ejus transisse agnovit: unde serm. 5, c. 4, ait: *Soliditas enim illa, quam de petra Christo etiam ipse* (Petrus) *petra factus accepit, in suos quoque* **463** *se transfundit hæredes.* In illos scilicet hæredes transfusa est, in quibus Petrum vivere, et Ecclesiam adhuc regere ac docere pluribus in locis indicat. Quare serm. 3, c. 3, soliditatem petræ semper perseverantem beato Petro tribuens ait:

Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. Consonantia aliorum Patrum testimonia possemus afferre, quæ in alio tractatu aliquando, si Deo placuerit, edendo collegimus. Sed unius Leonis sententiam hic aperire consilium fuit. Hæc autem sententia quantum ad Romanæ sedis prærogativas constituendas conferat, nemo non videt.

IN SERMONEM IV.

Quid Leo intellexerit his verbis cap. 3. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium. *Quesnelli annotatio expenditur.*

1. In descriptum testimonium hæc Quesnellus annotavit. « Tam egregiam sententiam, etsi multorum jam observationibus illustratam, ratio instituti nostri non patitur ut intactam prætermittamus. Postquam initio capitis asseruit S. Leo ædificium in fidei firmitate per Petrum assertæ consurgere, et hujus confessionis intuitu traditam eidem esse potestatem his verbis significatam: *Tibi dabo claves regni cœlorum,* etc. (*Luc.* XXII, 23); subjungit non soli Petro datum, sed transisse etiam in apostolos jus potestatis istius: ideo tamen Petro singulariter intimatam esse, ut in uno discerent omnes Ecclesiæ rectores quid sibi esset creditum, et omnibus Petri forma præponeretur. Sicut enim pro omnibus confessionem fidei emiserat apostolorum princeps, et omnes in illo et per illum responderant; ita et pro omnibus potestatem clavium accepit, et omnes in illo ac per illum acceperunt. Hinc rursum Leo, sicut omnibus communem potestatem, ita et commune omnibus privilegium, excepto primatus honore (*a*), asserit: illudque Petri privilegium manere, ubicumque terrarum per episcopos apostolorum successores, ex Petri fertur æquitate judicium; ac proinde non manere Petri privilegium ubicumque non ex ipsius fertur æquitate judicium. *Qua sententia,* inquit Francorum rex Carolus Calvus in epistola Hincmari Rhemensis stylo exarata, *constat quia non manet Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium. Cum enim* ubicumque *dicitur, sicuti nullus locus, ita nemo rector Ecclesiæ ex Petri æquitate judicium* **464** *ferens excipitur, vel contra illius æquitatem proferens commendatur. Et quia ubicumque sine ulla exceptione non manet Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium, obaudiemus jussum, vel recipiemus judicium, quod non ex Petri æquitate fuerit prolatum, ac per hoc ipsius privilegio fuerit destitutum?* (*Epist. Caroli Calvi, ad Adrianum P., inter Hincmarianas ult. editionis.*) Ad eadem Leonis verba alludit in synodo Tricassina anni 878 idem Hincmarus necnon et alii episcopi Gallicani, qui confirmantes ex voto Joannis papæ VIII, in synodo præsentis, condemnationem Lamberti Romanæ Ecclesiæ inimici, *privilegio beati Petri et sedis apostolicæ,* ut aiunt, excommunicati, istud privilegium et æquitatem sedis apostolicæ interpretari videntur de judicio prolato *juxta sacros canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos;* et iterum, *secundum Scripturarum tramitem, sacrorumque canonum decreta.* Vide Petrum de Marca hæc fusius prosequentem libro IV de Concordia sacerdotii et imperii cap. 6 et 8. » Ita Quesnellus, ubi sub finem S. Leonis verba in suam potius quam in S. pontificis mentem sensim inflectens, ea sola ipsorum Romanorum pontificum judicia privilegio et æquitate Petri gaudere, ac rata esse insinuat, quæ ad canonum normam feruntur. Huc autem tam prolixam annotationem eo forte consilio perduxit, ut Leo ipse, hoc testimonio perinde explicato, favere videretur iis quæ statuere meditabutur, ipsa Gallicana Ecclesia cum omnibus catholicis docet. Confer not. 29 in serm. 82. Quæ peculiaris primatus potestas quoad ipsum jus ligandi et solvendi in quo sita sit, non est hic disserendi locus.

(*a*) Addendum *et jurisdictionis;* neque enim meri honoris, sed præcipue etiam jurisdictionis ac potestatis aliis apostolis haudquaquam communis primatum Petro ac successoribus ejus a Christo fuisse tri-

Digitized by Google

batur in causa Hilarii Arelatensis, dissert. 5, in qua hunc Leoni judicium exercenti, ut ipse comminiscitur, contra regulas canonum, jure restitisse contendit, eo quia *non latebat*, inquit ibidem part. III, c. 1, *inertem esse ac otiosam primariorum præsulum erga inferiores episcopos prærogativam, cum nihil ab his nisi secundum normam canonum arrogatur.* Non est hic locus disserendi de judicio Leonis in causa Hilarii Arelatensis, quod et ex naturali æquitate, et ex canonum regulis Romæ susceptum et habitum, in Observationibus ad eamdem Quesnellianam dissertationem fuse demonstrabitur. Hic solum, ne S. pontificis testimonium in alienam ab eo sententiam, quæ inobedientiæ faveat, et Romanæ sedis prærogativas oppugnet, distrahatur, genuinus Leoninæ propositionis sensus ex ipso Leone explicandus est.

2. Cum itaque S. pontifex pronuntiat *manere Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium*, de judiciis loquitur circa personas ac præsertim circa crimina, ut liquet ex iis quæ *de nimia vel severitate, vel remissione*, in eodem sermone statim subjicit, nec non ex serm. 5, c. 5, ubi, *Manet*, inquit, *apud nos jure ligandi* 465 *atque solvendi, per moderamen beatissimi Petri et condemnatus ad pœnitentiam, et reconciliatus perducitur ad veniam.* Porro privilegium Petri illud est, ut ligata vel soluta sint *in cœlis*, quæcumque ille *in terris* solverit vel ligaverit. In illis vero judiciis, quæ circa criminosos ab Ecclesiæ principibus feruntur, hoc Petri privilegium manere Leo tradit, si *ex æquitate* ipsius Petri *judicium feratur*, nimirum si perinde rectum et justum sit, uti recta et justa Petri judicia fuerunt. Æquitas scilicet hoc loco pro reali justitia sumitur, adeo ut qui ligatur seu condemnatur vere sit peccator, qui vero absolvitur sit vere pœnitens. Qui enim sunt ejusmodi, cum *in terris* ligantur vel solvuntur, ligati vel soluti sunt etiam *in cœlis*. Quod si errore aliquo vel fraude cujuspiam ligetur seu condemnetur qui in foro externo reus quidem judicatur, at vere est innocens, absolvatur autem qui pœnitens creditur, at vere fictus accedit, nec coram Deo conversus est: quis ligatum aut solutum credat *in cœlis*, quod perinde *in terris* solvitur vel ligatur? Nihil amplius ex toto Leonis contextu elici poterit. Totus judicia Ecclesiæ *in terris* habita respicit relate ad divinum judicium *in cœlis*.

3. Nihil hic de canonibus aut methodo canonum, a quibus qui æquitatem Petri necessario derivandam putant, indicare deberent quinam fuerint canones quos Petrus secutus sit, ut judicia ex æquitate ferret. Naturalem quidem æquitatem spectarunt canones, cum certas judiciorum regulas præscripsere. At Petri æquitas quæ hic indicatur ad naturalem quidem justitiam, seu æquitatem, quam substantia canonum respicit, non autem ad disciplinam aut methodum canonum, sine quibus Petrus æquissime ligavit vel solvit, referenda est.

4. Hanc justitiam et æquitatem naturalem dum servent judicia Romanorum pontificum, sive juxta certam canonum methodum et disciplinam ferantur, sive aliter pro suprema illa auctoritate, qua non in substantia æquitatis naturalis, sed in methodo ac disciplina canonum dispensare vel immutare ex ipsa nonnumquam æquitate possunt, nihil refert: semper enim privilegio Petri gaudebunt, et ligatum vel solutum erit *in cœlis* quidquid auctoritate Petri solverint vel ligaverint. Sicut econtra si quæ ab iisdem ferrentur judicia etiam ex regulis ac methodo canonum, quæ reali æquitate ac justitia carerent, quod præsertim errore facti atque fallacia testium vel documentorum accidere potest, methodus ac disciplina canonum custodita nihil proficeret. Etsi enim rata apud Ecclesiam habenda essent atque servanda, quoad error non detegatur, et judicium non retractetur (uti pluribus theologi et canonistæ tradunt ex ipsis Patrum institutionibus ac regulis canonum), non tamen potirentur privilegio Petri, quatenus apud A Deum *in cœlis* non ligaretur aut solveretur, qui *in terris* per errorem atque fallaciam ligatus fuit aut absolutus. Hæc genuina et aperta Leonini principii interpretatio est, ex qua ejusdem principii usus vel abusus facile discernetur, adeo ut non opus sit plura disserere de testimonio Caroli Calvi, quod ex toto contextu ac ex circumstantiis peculiaribus expendendum, longiorem ac rei præsenti minime necessariam disputationem postularet. 466

IN SERMONEM XVII.

Sententia Leonis de usura non solum cum pauperibus, sed etiam cum divitibus vetita.

Longiorem Quesnelli annotationem circa usuram contra novitium errorem sermoni 17 subjectam huc reservavimus. « Tam evidenter, inquit, hoc loco evertitur dogma novitium de libera cum divitibus fenerandi facultate (in quod nonnullos e catholicis abripi dolendum), ut Leonis doctrinam attentius B considerare operæ sit pretium. Clarum est igitur eum non illud modo fenus insectari quod cum pauperibus exercetur, sed omnem omnino usuram ab eo reprobari. Primum enim ea Scripturæ loca adducit quæ omnem usuram damnant, nec de pauperibus habent quidquam peculiare. 2° Eum damnat qui hominum laborantium captat necessitates, ut multiplicet opes suas immodicis auginentis: quod vix ex ucello a pauperibus accepto evenit; sed potius ex copiosis lucris, quæ percipiuntur dum laborantium, id est negotiantium, necessitates aliquis captat, et commodatam pecuniam immodicis lucris auctam recipit. 3° Eorum rationem refutat, qui beneficium se præstare contendunt cum negotiantibus suam pecuniam dant ad usuram: tale enim beneficium vocat *dolosa officia, dolosum quæstum, injustam et impudentem avaritiam, quæ beneficium se dicit præstare cum decipit, cupiditatem injusti lucri*, etc. 4° Generatim pronuntiat *fenus pecuniæ funus esse animæ;* fugiendum C prorsus esse iniquitatem fenoris, et a sancto monte Dei esse extraneum, qui dolosum quæstum de pecuniæ suæ captat usuris. 5° Ait feneratorem *aut miserum esse amittendo quod dedit, aut miseriorem accipiendo quod non dedit.* Ubi ostendit in eo proprie usuræ iniquitatem censeri, quod quis accipit quod non dedit, contra generalem Dei sententiam, *quæ*, ut S. Ambrosius lib. de Tobia scribit, *omne sortis excludit augmentum. Usura enim*, ut definit Hieronymus, *est plus accipere quam dare.* 6° Denique quam infirmæ sint ratiunculæ quas avaritiæ suæ obtendunt feneratores, ex his verbis collige: *Quilibet sequatur eventus, mala* 467 *semper est ratio fenerantis, cui pecuniam et minuisse et auxisse peccatum est.* Unde ex mente Leonis, sive hoc fenus in commodum ejus cedere videatur, qui mutuo accipit, sive in damnum, sive cum periculo damnoque dantis, sive cum lucro, semper est mala ratio fenerantis. Vide et ejusdem epistolam 3, al. 1 (*nunc ep.* 4), c, 3 et 4, ubi nulla D pauperum mentione facta, generali sententia damnat omnes qui usurariam exercent pecuniam et fenore volunt ditescere; doletque hoc in eos cadere qui Christiani appellari cupiunt. » Ita Quesnellus. Plura vero hac de re contra eumdem errorem disputata invenientur in aliquot Operibus novissime editis, ac præsertim in celeberrimo opere summi regnantis pontificis Benedicti XIV, *de Synodo Diœcesana* lib. VII, c, 47, qui præterea eumdem errorem apostolica auctoritate damnavit in Encyclica edita die 1 Novembris anni 1745, ac inserta tom. I Bullarii ejusdem pontificis.

IN SERMONEM XX.

Quesnelli censura contra Alexandrum Alensem et S. Thomam expuncta.

1. Quesnellus in ea Leonis verba serm. 20, c. 1: *Merito disposuerunt apostolicæ sanctiones ut veterum jejuniorum utilitas permaneret, et licet Ecclesiæ con-*

Digitized by Google

suetudo prolixioribus se castigationibus exercere didicisset, amplecteretur tamen continentiæ sanctificationem ex lege venientem, etc., hanc annotationem appendit : « Viderint qua ratione doctrinam suam cum sanctorum Patrum documentis conciliare possint posteriores ævi theologi, qui ex legis gratiæ perfectione breviores jejuniorum hodiernorum castigationes prolixioribus præferunt. Ita argumentatur Alexander Alensis part. IV, quæst. 28, de jejunio, membro 7, art. 2 : *Hora*, inquit, *refectionis magis congrua tempore jejunii est hora nona, quam usque ad vesperam .... Debuit Ecclesia tenere medium, ut tempore jejunii reficeremur tempore medio.* Magistri sui premit vestigia S. Thomas 2-2, quæst. 147, art. 7, ad 1 : *Ad primum ergo*, inquit, *dicendum quod status veteris Testamenti comparatur nocti, status vero novi Testamenti, diei ; secundum illud ad Rom.* XIII : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Et ideo in veteri Testamento jejunabant usque ad noctem, non autem in novo Testamento.* Aliter philosophatur Leo noster in præsenti sermone : *Mandata*, inquit, *et præcepta moralia, sicut sunt edita perseverant, quia non aliud insinuant quam loquuntur, et apud Christianam devotionem augmento crescunt, non cessatione deficiunt.* Et infra : *Quamvis multa accesserint ex novitate gratiæ, nihil tamen imminutum de antiquitate justitiæ.* Consequenter prolixiores castigationes **468** exercere, Ecclesiæ consuetudinem esse demonstrat egregia ista ratione : *Quibus enim donatum erat posse quod majus est, indecens fuit non celebrare quod minus est.* In eumdem sensum scribit serm. 14 de Pass. c. 5 : *In præceptis*, inquit, *moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed evangelico magisterio multa sunt aucta : ut perfectiora et lucidiora essent dantia salutem, quam promittentia Salvatorem.* Vid. serm. 6 de Jejunio decimi mensis, c. 1. Ut vero cum duobus coævis theologiæ scholasticæ primatibus duos æquales antiquioris theologiæ Patres conferamus, Leoni succinentem Salvianum audiamus lib. II ad Ecclesiam catholicam, ubi hæc habet ante medium : *Sed quærit fortasse*, inquit, *aliquis, quid sit quod nunc plus exigat Deus a Christianis per Evangelium, quam a Judæis ante per legem? Aperta istius rei ratio est. Ideo enim majora nunc Domino nostro solvimus, quia majora debemus ; Judæi quippe habebant quamdam umbram rerum, nos veritatem*, etc. ; et ante aliquot lineas : *Plus tunc indulgentiæ erat et plus licentiæ ; tunc esus carnium prædicabatur, nunc abstinentia ; tunc in omni vita jejuniorum paucissimi dies, nunc quasi unum jejunium vita omnis*, etc. »

2. Hæc autem censura quam Quesnellus nulla necessitate Leonis explicandi aut vindicandi adversus præstantissimos theologos ac præsertim contra ipsum theologorum principem S. Thomam tam prolixe digessit, quam non solum inopportuna, sed et exorbitans sit, paucis ostendimus. Reprehenduntur, ac si *ex legis gratiæ perfectione breviores hodiernorum jejuniorum castigationes prolixioribus prætulerint.* Ex ipso quidem contextu liquet eos, considerata sui temporis disciplina, qua jejunium hora nona solvebatur potius quam vespere, congruam quamdam hujus horæ rationem quæsivisse, quæ legi gratiæ mystico sensu conveniret : sic enim et alii antiqui Patres mysticas instituendorum rituum rationes attulere. At breviores jejunii castigationes cum prolixioribus comparasse, et illas his quasi perfectiores antetulisse ex novæ legis perfectione nusquam invenies. Quis enim sanæ mentis id cogitet? Quod si horam nonam prætulerunt vespertinæ, non idcirco breviorem castigationem longiori anteposuisse dicendi sunt : nam eadem circiter castigatio haberi potuit, si quis viginti quatuor horarum spatio abstinens, hora nona vel vespere unica comestione utatur ; quæ enim abstinentia brevior est solventi jejunium hora nona, subsequenti longiori abstinentia quodammodo compensatur ; ac præterea cum illi theologi loquantur potissimum de jejunio Quadragesimæ, quod hora nona tum solvebatur, eamdem abstinentiam et castigationem per continuas horas viginti quatuor considerare potuerunt in eo qui a nona hora unius diei post prandium ad nonam alterius diei horam jejunat, **469** ac in eo qui jejunat a vespere in vesperem : adeo ut nonæ aut vespertinæ comestionis varietas in eadem viginti quatuor horarum abstinentia minimi fecerint.

IN SERMONEM XXI.

De formula a Leone adhibita c. 3 : Gratias Deo Patri per Filium ejus in Spiritu sancto.

« Hæc precandi formula in primis catholica est, immo vero Christianæ religionis summa et plenitudo, quippe cujus proprium est *colere Deum per Christum*, Tertull. teste in Apologetico, cap. 21, et apud Optatum l. III : *Paganum appellas eum, qui Deum Patrem per Filium ejus ante aram rogaverit?* Et, quod omnium instar est testium, Ecclesia partim in officiis suis, partim in publica sacrificii prece illam usurpat. Omnes siquidem collectas suas ita concludit *Per Christum*, etc., mediatorem scilicet Dei et hominum. Et ut in altari semper ad Patrem dirigatur oratio, sancitum est olim a concilio Carthaginensi quod III dicitur, can. 23. Olim tamen, dum ferveret Arianorum hæresis, non æquis omnino auribus hæc audiebatur loquendi formula a Leone usurpata : quoniam impium sub his verbis hæresis suæ sensum occultabant Ariani, qui hanc doxologiam ad calcem hymnorum suorum cantare soliti erant hoc modo : *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto ;* cujus rei testis est Philostorgius in l. III Hist. Et eam ob rem Eusebius Pamphili, referente Socrate l. II Hist. c. 21, in suspicionem Ariani dogmatis venit apud quosdam, eo quod sæpius in scriptis suis repetit hæc verba, *Per Christum.* Quæ et scriptoribus passim ecclesiasticis familiaria sunt, in primisque apostolo Paulo : *Qui tamen perversi dogmatis magister*, inquit Socrates, *numquam est existimatus.* » Hæc omnia Quesnellus.

IN SERMONEM XXIII.

De alia Leonis locutione, qua c. 1 *naturam divinam et humanam ita in Christo unitas ait*, ut naturæ alteri altera misceretur.

« Similiter (inquit in annotatione Quesnellus) serm. 4 in Epiph. *Deus Dei Filius naturæ carnis immixtus* dicitur. Hujusmodi loquendi modos scrupulosius refugerunt scholastici theologi quam illi antiquioris theologiæ parentes quorum princeps Augustinus, epistola 3, ad Volusianum, hanc incarnationis Dominicæ definitionem tam plenam quam brevem proponit : *Mixtura Dei et hominis. Si tamen*, ut statim subdit, *recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri*, **470** *ut neuter servet integritatem suam.* Unde et paulo post veretur ne indigne ad unionem Dei et hominis, immo animæ et corporis mixtionis vel mixturæ nomen admittatur. Securius tamen locuti sunt nondum litigantibus Eutychianis, qui a consuetudine corporum, quod Augustinus monuerat, non recedentes, naturas post adunationem in unam coaluisse somniaverunt. Post cujus hæresis ortum cautius ac pensiculatius locutus est Leo, *ne*, quemadmodum Theodoretum admonebat, *contra Nestorianos, aut Eutychianos agens alteri eorum videretur terga vertisse, sed utrosque Christi hostes æqua lance vitaret atque damnaret* (*Epist.* 93, *al.* 63). Cum porro *naturæ alteri altera immixta est*, notandum est non solum id quod passim Leo noster declarat, neutram fuisse permixtione confusam ; sed etiam ea ratione hoc factum esse, quod *cum Verbum Dei*, ut ait Augustinus, *permixtum est animæ habenti corpus, simul et animam suscepit et corpus* (*S. Aug., epist.* 3). Quomodo autem permixtum sit animæ Verbum, quis explicet, cum explicare non audeat Augustinus? Hoc unum dicit, quod *Sapientia Dei*, quæ est ejus Verbum, *ubique præsens et latens, nusquam conclusa, nusquam discissa, nusquam tumida, sed sine mole ubique*

Digitized by Google

tota, longe alio modo quodam quam eo quo creaturis cæteris adest, suscepit hominem, seque et illum fecit unum Jesum Christum, etc. *Ipsa enim*, ut ait alio ejusdem Epistolæ loco, *animam rationalem et per eamdem etiam corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum, nullo modo in deterius mutata coaptavit, nomen humanitatis ab eo dignanter assumens, Divinitatis ei largiter tribuens.* Denique hæc unio aliud non est quam intima penetratio animæ totiusque per eam naturæ cui se ipse Deus totus totum infundit eo modo qui creaturæ convenire non potest, nulla quippe alteram vere penetrat. *Deus autem*, inquit Augustinus, *qui capax est, non capabilis, penetrans, non penetrabilis, implens, non implebilis, qui ubique simul totus, et ubique diffusus est, per infusionem potentiæ suæ misericorditer naturæ mixtus est humanæ, non humana natura naturæ est mixta divinæ* » (*Aug. in Leporii confessione*). Hactenus ille. Plura vero nos hac super re collegimus dissert. 2, c. 3, in S. Zenonis Opera pag. 91, quæ quicumque volet conferre poterit.

471 IN SERMONEM XXVII.

De emendatione vocis AREÆ.

Peculiarem hac super re Joannis Ciampini dissertationculam ad Erasmum Gattolam, quam suæ secundæ editioni Quesnellus adjecit, hic inserimus.

REVERENDISSIMO PATRI ERASMO GATTOLA A CAJETA,

Joannes Ciampinus Romanus magister brevium gratiæ ac in utraque signatura referendarius.

Innotuit jam pridem tuus erga bonas artes, iisque addictos amor, ac de eisdem benemerendi voluntas, quam semper prætulisti ac præferre non cessas, alios ad studia invitando, alios alliciendo, alios humanissimis, doctisque responsionibus erudiendo, nullis denique parcendo sive laboribus, sive impensis, quibus litterariæ reipublicæ pro virili prodesse possis. Noveram et ipse quæ de te in hac laude, non a tui tantum nobilissimi ordinis sociis, sed et ab aliis vulgo ferebantur. Certius tamen et amplissimum hujus rei testimonium magna cum animi delectatione cepi, cum non ita pridem Maio mense ad invisendum celeberrimum archicœnobium in quo vivis me contuli. Spectavi proculdubio admirabundus loci sanctitatem, Dei domus decorem in templo, ac, ut ita dicam, inclytam virtutum omnium coloniam, quæ tot egregios urbibus episcopos, tot optimos Vaticano cardinales, tot sanctissimos Ecclesiæ pontifices, tot sanctorum myriadas cœlo dedit. Miratus sum cœnobii structuram et magnificentiam, tum conditoribus regibus, tum habitatoribus monachis plane dignam. Vidi libentissime Cæsarum, regum, principum opulentissima donaria, in quibus licuit agnoscere et Christianam eorum pietatem, et Benedicti parentis vestri gloriam. Jucundissima quin etiam mihi pariter accidit singularis monachorum omnium humanitas, qua me venientem excepere, et omnibus religiosæ hospitalitatis officiis liberalissime præstitis abeuntem dimisere. Verum, ut ingenue fatear, quod ad rem præsentem maxime facit, eximiam cepi voluptatem, tot vetustissimorum codicum scrinia in bibliotheca, cujus ipse custodiæ præes, aspiciendo; majoremque proculdubio, cum te summa facilitate codices ipsos tot tamque diversis characteribus exaratos expeditissime legentem audirem. Profecto ex hac singulari eruditione factum puto, ut toties a me in rebus dubiis interrogatus, ea facilitate responderis, quam exspectare tantummodo possumus ab homine in his studiis diu noctuque versato. **472** Neque vero ita codicibus manu exaratis addictus es ut vulgatos per typos negligas. Quin immo et his comparandis, quantum religiosa disciplina permittit, non modicam pecuniæ summam impendisti, quos Romæ diligenter emptos in tuum nobile museum transtulisti; in his quietem, in his delicias tuas, sapientum more, reponens. Hinc factum est ut nullum tibi acceptius grati animi monumentum a me tibi offerri posse crediderim, quam litterarium aliquod opusculum; et hoc præsertim quod a te quodammodo profectum, jure quodam videtur tibi reddendum.

Cum jam nonnullas meas lucubrationes cum epigraphe, *De sacris Ædificiis a Constantino Magno constructis*, typis commisissem, ejusque occasione toto terrarum orbe celeberrimam Vaticanam basilicam descripsissem, illud inter plura notandum venit, quod prisci fideles flexis genibus venerabundi per gradus ad eamdem ascendere consueverunt. Qua de re cum R. P. Josepho Maria Thomasio presbytero congregationis clericorum regularium communi amico, veterumque sacrorum rituum nostri ævi eximio perscrutatore, cum forte collocutionem haberem, dixit mihi, se in sermone 7 sancti Leonis Magni de Nativitate Domini vocem ARÆ animadvertisse, quam per errorem ibi positam esse autumabat. Quamobrem meæ curæ, meæque indagationi illius dubii solutionem relinquebat. Libentissime amici instantiis obsequi proposui; propterea primo in loco ad impressos perquirendos codices me converti. Ilos si tibi omnes recitavero, gravem me futurum minime puto, cum tu litteras ames. Antiquissima igitur sermonum sancti Leonis impressio est illa Coloniæ facta anno 1551, in-folio, quæ in eadem civitate et forma anno 1569 prodiit; deinde ejusdem sancti Leonis sermones in lucem fuerunt emissi Venetiis anno 1553, qui in eadem forma, in eadem civitate, anno 1573 iterum prodiere. Deinde anno 1566 Lovanii iidem sermones editi fuerunt in-quarto; et postea Antuerpiæ anno 1583 recusi similiter in quarto. Anno vero 1633 omnia sancti Leonis Opera ex Lugdunensibus typis in lucem emissa, quæ una cum sancto Maximo ac quinque aliis Patribus anno 1652 ibidem fuerunt pariter recusa. Demum Parisiis anno 1675 ab eruditissimo viro Paschasio Quesnel presbytero congregationis Oratorii, appendicibus, dissertationibus, observationibusque illustrata, e prelo exierunt. Omnes has editiones, quæ ad meas pervenere manus, accurata legi attentione, omnesque in se vocem ARÆ continere comperi. Quare ad indagandos manuscriptos codices statim animum addixi; propterea Vaticanam adivi bibliothecam, in qua cum manuscriptis abundet codicibus, tum maxime propter necessitudinem, quæ tunc temporis cum bon. mem. Emanuele a Schelstrat primo ejusdem bibliothecæ intercedebat custode, utique sperabam **473** aliquid in eadem me esse reperturum; at spes me fefellit; quoniam nihil adinveni. Ex hoc non perterritus animo, immo audacior factus, ad alias, tam in Urbe, quam extra eam invisendas, ac ope amicorum revolvendas bibliothecas, me converti. Inclytas Barberinam, et Otthobonam, necnon Angelicam adivi bibliothecas, et licet in eis manuscriptos codices, in quibus sancti Leonis erant sermones, invenissem, nihilominus ob illorum antiquitatem venerandi minime erant, in eisque nihil, nisi ARÆ vocem, observavi. Postea Mediolanum reverendiss. P. Eustachio a Sancto Ubaldo ordinis sancti Augustini discalceatorum, ac sanctissimæ Inquisitionis in illis partibus consultori, deque republica litteraria optime merito litteras dedi, ut in Ambrosiana indagaret bibliotheca, an aliquis adesset manuscriptus codex, qui S. Leonis sermones contineret, et præfatam ARÆ vocem in eis animadverteret. Respondit amicus se diligenter perquisivisse codices, atque in eis ARÆ vocem legisse. Mox tibi etiam dedi litteras, ac responsum accepi, te in codice signato numero 126 præfatum reperiisse sermonem, ac in eo vocem ARCÆ expressam esse; quare amanuensis errorem putabas, qui loco ARÆ ARCÆ scripsisset, commutando litteram E in C; codicemque illum unum supra nonaginta sancti Leonis continere sermones cujus codicis initium est: *Incipiunt sermones sancti Leonis papæ. In primis de jejunio mensis decimi. Si fideliter, dilectissimi, atque sapienter creationis nostræ intelligimus exordium,*

Digitized by Google

etc., ac finit: *Si quis ergo spreta perfidiæ caligine ejus se præceptis, ac jussibus, et nisibus obtemperare voluerit, cœli, paradisique januas securus intrabit, Amen;* codicem istum litteris Longobardicis jam a sexcentis et ultra annis exaratum esse, quoniam Desiderii abbatis montis Casini, qui postea Romanus pontifex nomine Victor III exstitit, jussu scriptus fuit, ut in cap. 65, lib. III Chronicæ Casinensis legitur, et ut istius codicis ostendunt characteres, qui illis aliorum codicum de mandato ejusdem Desiderii abbatis exaratorum similes sunt. Præfatis mihi communicatis notitiis, tuam erga me humanitatem abunde testari voluisti, cum aliorum sexdecim sermonum sub nomine ejusdem sancti Leonis in aliis codicibus manuscriptis repertorum initia et fines miseris. At novem ex illis a te indicatis jam sub alterius sancti nomine esse impressos novi; reliquorum vero ignoro auctores. Ex his duos apud Quesnellianam adinveni impressionem, sed integri minime sunt, cum partes sermonum sint; unus videlicet, qui incipit *Hònorabilem*, etc., est pars sermonis 1 de anniversario die Assumptionis suæ: **474** alter est sermo 48, de Quadragesima. Ex transmissis itaque quinque supersunt, quos facta collatione, cum sancti Leonis nitido apertoque stylo minime concordare inveni. Putavi etiam in hoc amicorum uti judicio, qui in eamdem meam iverunt sententiam.

Indagationibus istis minime acquiescendum esse duxi, sed iterum Vaticanam bibliothecam adire, novamque adhibere diligentiam æquum putavi; rogavi propterea eruditum virum Laurentium Zaccagna ejusdem bibliothecæ secundum custodem, ut mihi copiam faceret indices perquirendi: illi petitioni meæ perhumaniter indulsit. Nec inutilis fuit nova perquisitio. Unum itaque invenimus codicem signatum numero 1276, ante ducentos annos scriptum, in cujus pagina 59, a tergo, legitur vox ARCE absque diphthongo; in altero vero codice signato numero 1267, pag. 78, columna secunda, a tergo, a sex circiter sæculis exarato, patentibus litteris, quæsitam (*a*) AREÆ vocem legi, quæ dubii quæstionem solvit. De hac a me adhibita diligentia te certum reddere duxi, ut scias in hac voce σφάλμα irrepsisse, et quomodo illa legenda sit animadvertas. Nam una litterula, amanuensis incuria omissa, totum immutat sensum, ut clarissime ex infra dicendis apparebit.

Ara igitur locus est ille in quo sacra Deo offeruntur; area vero illa est planities quæ in scalarum summitate, quandoque etiam in medio ac in aliis partibus, cum scalæ multos habent gradus, interponitur, ad hoc, ut ascendentes per illas, propter ascensus difficultatem ac laborem, ibi aliquantulum pausare valeant. Hæc vox ARÆ legitur in sermone 7 sancti Leonis papæ de Nativitate Domini, cap. 4. Sermonis particula sic se habet: *De talibus institutis etiam illa generatur impietas, ut sol inchoatione diurnæ lucis exsurgens, a quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur: quod nonnulli etiam Christiani adeo se religiose facere putant, ut priusquam ad B. Petri apostoli basilicam, quæ uni Deo vivo et vero est dedicata, perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum* ARÆ *superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se solem reflectant, et curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu multum tabescimus et dolemus. Quia et si quidam forte Creatorem potius pulchri luminis quam ipsum lumen, quod est creatura, venerantur, abstinendum tamen est ab ipsa hujusmodi specie officii, quam cum in nostris invenit, qui deorum cultum reliquit, nonne hanc secum partem opinionis vetustæ, tamquam probabilem, retentabit, quam Christianis et impiis viderit esse communem?* **475** *Abjiciatur ergo a consuetudine fidelium damnanda perversitas, nec honor uni Deo debitus eorum ritibus qui creaturis deserviunt misceatur.*

Hic jure te obstupescentem mihi videor intueri, tam patentem errorem ab eruditis viris, qui sancti Leonis Opera pluries edidere, minime observatum fuisse. Ne dedignetis propterea brevem moram tuis interponere studiis, ac ea quæ post supra relatas factas indagationes eruditionis gratia exaravi amico legere animo.

Primo igitur loco ad Vaticanæ basilicæ scalam me converto, quam prægrandem fuisse reperi, cujus triginta quinque marmorei gradus ad basilicæ superiorem aream præbebant ascensum, quique in quinque ordines distributi erant, ita ut quilibet ordo septem constaret gradibus: nam architecti in graduum distributione imparem numerum observant: natura enim semper, cum ascendimus, ad sinistrum pedem primo movendum nos inclinat, et in eodem gradum plerumque sistimus: unde si gradus pares sint, dexter pes in ultimo sistit gradu, sinister vero remanet suspensus, quasi ipse vellet ascensum terminare. Quare ascendens quamdam patitur molestiam, quia cum natura sinistro pede velit quietem invenire, illa nequaquam fruitur.

Hujus scalæ delineamentum, ut antiquitus erat, in tabula 12 mei operis de Sacris Ædificiis a Constantino Magno constructis, expono, ubi distincte quinque graduum ordines cum intermixtis areolis cernuntur: quare singuli ordines ex septem constabant gradibus. Arearum vero, quæ in scalis interponuntur, finis est, ut ascendens in ascendendo defatigatus paulisper quietem deambulando, sive consistendo, inveniat. In scalæ vero summitate major omnibus aliis areis alia est, cum ibi majorem quietem ascendens, antequam ædificium ingrediatur, invenire debeat. In hisce sancti Petri scalis maxima erat area, quam suggestum *areæ* superioris sanctus Leo appellat, ad differentiam aliarum inferiorum.

Per hujus scalæ gradus prisci fideles orationis voto, sive gratia, indifferenter habebant ascensum, flexis scilicet genibus, ut ex Gregorii IV ac Adriani I apud bibliothecarium Vitis deducitur.

Ostenso igitur quid vox *area* sit, quidque in sensu sancti Leonis significet, operæ pretium poscit ut ejusdem pontificis ad fideles objurgationem examini subjiciam.

Nonnulli antiqui fideles antequam Vaticanam ingrederentur basilicam, post scalarum ascensum, scilicet in ipsa scalarum maxima area, Natalis Domini die sesistebant, nascentemque solem adorabant, ducto argumento a Manichæis, qui hujusmodi profanum observabant ritum. Quare fideles ipsi propriorum rituum ignari, nascentem Christum cum oriente sole confundebant, adorando creaturam pro Creatore. Strictius hæc exponam. Gentiles fere **476** omnes, et præsertim Orientales, solem deorum principem esse crediderunt. Docet id admirandæ lectionis atque eruditionis vir Gaspar Barthius in suis Adversariorum Commentariis lib. XLI, cap. 27. Idem ostendit vir multijugæ eruditionis et variæ lectionis Gaspar Joannis Vossii in suo tractatu de idololatria plurimis in locis; idem Kircherus in suo Ædipo Ægyptiaco. Cum igitur Manichæorum hæresis in Mesopotamia, Orientali plaga, suam habuerit originem, ut scribit Constantiæ, sive Salaminæ in Cypro episcopus sanctus Epiphanius adversus Hæreses, hæresi 46, sive 66, mirum non est quod ipsi Manichæi solem adoraverint; quod innuit magnum illud Ecclesiæ lumen sanctus Augustinus, lib. de Hæres., hæres. 46, de eisdem Manichæis sic scribens: *Orationes faciunt ad solem per diem quaquaversum circumit; ad lunam per noctem, si apparet ad Aquiloniam partem, qua sol cum occiderit ad orientem revertitur.* Quare ad illam cœli plagam ubi videbant illa hora spectari solem, ibi se ad illum adorandum convertebant. Summo igitur mane sol oriens Vaticanæ basilicæ faciem respicit, illamque per multas illustrat

(*a*) Hanc eamdem lectionem aliis tribus mss. confirmatam invenimus, de quibus vide not. 17, in serm. 27.

Digitized by Google

horas. Ergo si Manichæi, dum in Vaticanis scalis stabant, solem adorare volebant, in hujusmodi actu ipsi Vaticanæ basilicæ vertebant dorsum; et licet hujusmodi profanus ritus omni die, omnique hora a Manichæis observatus fuerit, nihilominus ipse dies 25 Decembris Nativitatis Domini apud Manichæos honorabilis erat propter solis ortum, ut ex laudato sancto Leone apertissime deducitur in serm. 2 de Nativitate Domini cap. 6, ubi sic : *Habentes ergo tantæ spei fiduciam, dilectissimi, in fide, qua fundati estis, stabiles permanete, ne idem ille tentator, cujus jam a vobis dominationem Christus exclusit, aliquibus vos iterum seducat insidiis; et hæc ipsa præsentis diei gaudia suæ fallaciæ arte corrumpat, illudens simplicioribus animis de quorumdam persuasione pestifera, quibus hæc dies solemnitatis nostræ, non tam de Nativitate Christi, quam de novi, ut dicunt, solis ortu honorabilis videatur. Quorum corda vastis tenebris obvoluta, et ab omni incremento veræ lucis aliena sunt; trahuntur enim adhuc stultissimis gentilitatis erroribus, et quia supra id quod carnali intuentur aspectu nequeunt aciem mentis erigere, ministra mundi luminaria divino honore venerantur. Absit ab animis Christianis impia superstitio, prodigiosumque mendacium. Ultra omnem modum distant a sempiterno temporalia, ab incorporeo corporea, a dominatore subjecta : quia et si mirandam habent pulchritudinem, adorandam tamen non habent Deitatem. Illa ergo virtus, illa sapientia, illa est colenda majestas, quæ universitatem mundi creavit ex nihilo, et in quas voluit formas atque mensuras terrenam cœlestemque substantiam omnipotenti ratione produxit. Sol, luna et sidera sint commoda utentibus, sint speciosa cernentibus; sed ita ut de illis gratiæ* 477 *referantur auctori, et adoretur Deus, qui condidit, non creatura, quæ servit. Laudate igitur Deum, dilectissimi, in omnibus operibus ejus atque judiciis. Sit in vobis indubitata credulitas virgineæ integritatis et partus. Reformationis humanæ sacrum divinumque mysterium sancto atque sincero honorate servitio.*

De hoc pravæ adorationis usu fideles denuo increpat idem sanctus Leo in superius allegato serm. 7, de eadem Nativitate, c. 4, quod hic repetere non incongruum fore puto. Sic igitur iste sanctus loquitur: *De talibus institutis etiam illa generatur impietas, ut sol inchoatione diurnæ lucis exsurgens, a quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur : quod nonnulli etiam Christiani adeo se religiose facere putant, ut priusquam ad beati Petri apostoli basilicam, quæ uni Deo vivo et vero est dedicata, perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum* AREÆ *superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se solem reflectant, et curvatis cervicibus, in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu, multum tabescimus et dolemus. Quia et si quidam forte Creatorem potius pulchri luminis quam ipsum lumen, quod est creatura, venerantur, abstinendum tamen est ab ipsa hujusmodi specie officii, quam cum in nostris invenit, qui deorum cultum reliquit, nonne hanc secum partem opinionis vetustæ tamquam probabilem retentabit, quam Christianis et impiis viderit esse communem?*

Veritas hæc, quæ ex allatis eruitur sermonibus, magis illucescet, si ejusdem sancti Leonis tribuentur tempora, quo ad populi concursum ad Vaticanam basilicam. Consuevere enim antiqui Romani pontifices usque ad Gregorii VII tempora, nempe usque ad finem circiter undecimi sæculi, divina officia, quæ in festivitate Natalis Domini celebrabantur, tribus distinctis locis, distinctisque horis illa celebrare : idque apertissime eruitur ab antiquis libris Missarum Romanæ Ecclesiæ, scilicet Antiphonario sancti Gregorii papæ a laudato Josepho Maria Thomasio nuper in lucem emisso, ubi, pag. 15, sic in antiquis libris legitur : VII *kalendas Januarii. Nativitas Domini Nostri Jesu Christi. In media nocte Nativitatis Domini. Ad Sanctam Mariam antiphona ad introitum. Dominus dixit ad me*, etc.; et pag. 16 : *Item mane prima. Ad Sanctam Anastasiam. Antiphona ad introitum. Lux fulgebit hodie super nos*, etc.; pag. vero 17, *In die Natalis Domini ad Missam. Statio ad Sanctum Petrum. Antiphona ad introitum. Puer natus est nobis*, etc. Et in Comite ab Albino ex Caroli (scilicet Magni) imperatoris præcepto emendato, pag. 1, post Antiphonarium sic legitur : *Incipiunt tituli lectionum sequentis libri. I. In Vigilia Domini. II. ad Sanctam Mariam. III. ad Sanctam Mariam. IV. ad Sanctum Petrum.* In Capitularibus vero Evangeliorum 478 de anni circulo pag. 141: *In Natale Domini. Ad Sanctam Mariam Majorem*, etc. *Item ad Sanctam Anastasiam*, etc. *Item ad Sanctum Petrum*, etc. Huc usque relata, ex Petro Mallio, qui floruit duodecimo sæculo, apertius intelliguntur, ibi : *In prima Missa ejusdem noctis ad Præsepe, Mane ad Sanctam Anastasiam. In missa vero diei antiquitus, scilicet usque ad tempus Gregorii VII, fuit statio ad Sanctum Petrum, unde adhuc canonici pro presbyterio noctis 8 sol. Sed nunc celebratur missa diei apud Sanctam Mariam Majorem, quia via brevis est, dies parvi sunt.* Mallius impressus est, sed mutilus, hæc allata sunt in principio manuscripti. Quare concludo, sancti Leonis ævo stationem in die Nativitatis Domini in Vaticana fuisse basilica, sicque ibidem fuisse populi concursum, ibique sanctum Leonem supra relatas fecisse homilias. Non intendebat sapientissimus ille pontifex orationem versa facie ad orientem prohibere; apprime sciebat priscorum Patrum dicta; sed volebat pravum Manichæorum abolere ritum. Et hæc pro voce AREÆ satis sint dicta.

Silentio tamen prætereundam minime puto Casali sententiam de Veteribus Sacris Christianorum Ritibus, cap. 3, opinantis ritum hunc vertendi se ad orientem, a fidelibus fuisse observatum in atrio Sancti Petri; propterea que, ad avertendam omnem idololatriæ suspicionem, anno 1300 a Jotto Florentino excellenti pictore, jussu cardinalis Stephanesci Bonifacii VIII, summi pontificis ex fratre nepotis, musivi operis navem fuisse constructam, in qua sanctus Petrus cum aliis apostolis, ac Christus Dominus noster in littore maris Petrum ad se vocans, conspiciuntur; quæ pictura cum in interiori porticus parte esset, non fuit ibi locata ad tollendum ritum istum convertendi se ad orientem, sed ob peculiarem devotionem, vel aliam causam quoniam hujusmodi ritus observabatur extra porticum in scalarum summitate, antequam porticum ipsam fideles ingrederentur.

Accipe igitur quæ huc usque dixi in mutui amoris tesseram; tibique præcino quod sicut ætate ac studiis flores, ita etiam eadem ætate maturus tuorum studiorum uberrimos colliges fructus. Vale.

IN SERMONEM XLIII.

Nonnullæ Quesnelli postillæ excussæ. S. Leonis doctrinæ propositionibus 1 et 3 Jansenii oppositæ.

1. Duo Quesnellus in hujus sermonis cap. 1 annotavit. Primum iis S. pontificis verbis : *Sic nos Auctoris nostri exstruxit manus, ut cum opifice suo etiam is qui reparatur operetur*, ejusmodi notationem subjecit. « Juvat hæc verba B. Bernardi verbis explicare lib. de Gratia et Lib. Arbitr. c. 14 : *Ad hoc utique prævenit* gratia, *ut jam sibi deinceps cooperetur* liberum 479 arbitrium. *Ita tamen quod a sola gratia cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non sigillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, et totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* » Hæc satis bene.

2. Porro in illa Auctoris verba : *Gratiæ igitur Dei inobedientia se humana non subtrahat; nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat : ac si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus ex-*

Digitized by Google

peritur, non in se remaneat, sed ad jubentem recurrat, qui ideo dat præceptum, ut excitet desiderium, et præstet auxilium; in hæc, inquam, verba Quesnellus ejusmodi postillam in margine apposuit : *Dei mandata impossibilia homini in se remanenti.* Hanc tamen sententiam recitata Leonis verba proprie et generatim non exhibent. Neque enim de omnibus mandatis, seu potius, ut ait, *mandatorum effectibus* generatim pronuntiat. Illa vero *non in se remaneat* eo tantum consilio proprie dicta liquet, ut homines moneantur, ne in rebus quas impossibiles aut arduas experiuntur sibi fidant, sed ad Deum jubentem recurrant : quibus cum indicetur modus obtinendi divinum auxilium, quo mandata rerum quoque perdifficilium, seu, ut videntur, impossibilium impleantur, ipsa impossibilitas mandatorum proprie dicta excluditur.

3. Hac occasione duo alia ejusdem Quesnelli loca in serm. 90 considerare juvat, quibus ille in impossibilitate præceptorum ingerenda sollicitus, quantum a Leonis sententia absit, apertius agnoscetur. Scripsit S. pontifex in eo serm. 90, c. 2 : *Et ne usque ad inertem desidiam desperatione ducamur, quæ impossibilia sunt homini ex imbecillitate propria, possibilia spondet* (Dominus) *ex virtute divina.* Nihil sanius et verius. At Quesnellus in margine : *Præcepta sine gratia impossibilia;* et in synopsi capitis secundi : *Nihil sine gratia Christi etiam regeneratis possibile.* Viden' latum inter Leonis et Quesnelli verba discrimen? Quesnellus sine Dei gratia generalem impossibilitatem affirmat, eamque imponit ipsis præceptis; ac ita affirmat, ut (si propositio non sit de subjecto, quod numquam accidit) eam impossibilitatem etiam in regeneratis aliquando reperiri præsumat. Leo e contra nec recitatis verbis, nec toto contextu generalem impossibilitatem subindicat; nec illam, quam astruit, præceptis divinis, sed imbecillitati hominis ita attribuit, ut ex divino adjutorio superari queat. Hæc autem imbecillitatis, ut ita dicam, impossibilitas, non absolutam et veram impossibilitatem, sed difficultatem significat, quæ vulgata locutione impossibilitas appellari solet : unde S. pontifex textu allegato ex ser. 43, *impossibile aut arduum* veluti synonyma adhibuit; et serm. 94, c. 2, inquiens, *Cum videtur esse difficile quod jubeo,* appellavit **480** *difficile,* quod alibi *impossibile* dixerat.

4. Aliunde vero Dei præcepta ita possibilia indicavit, ut iisdem tribuerit excitare hominem ad petendum auxilium, quod si petatur, obtinebitur; si vero non petatur ac desit, impossibilitas erit voluntaria, quæ male ascribetur præceptis, nec idoneam excusationem afferet : unde scripsit serm. 49, cap. 4 : *Ideo enim datur præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium. Nec se quisquam per occasionem infirmitatis excuset, cum qui præstitit velle, donet et posse.* Hinc jure S. Thomas, quæst. 24, de Veritate, a. 14, postquam in responsione ad 1 docuit : *Illud quod præcepit Deus non est impossibile homini ad servandum,* hæc addidit in resp. ad 2 : *Recte homo corripitur, qui præcepta non implet; quia ex ejus negligentia est quod gratiam non habeat, per quam potest mandata servare.*

5. Observamus præterea, Leonem, serm. 43, loqui de hominibus justis, quibus illa congruunt : *Nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat.* De regeneratis etiam ac justis verba facere serm. 90, ex cap. 1, colligi potest. Porro nulla mandata homini, præsertim justo, esse impossibilia Auctor aperte tradit, serm. 18, c. 1, ubi de hominis natura *jam redempta, et sacro baptismate jam renata* scribit : *Corrumperetur carnali desiderio, nisi spirituali muniretur auxilio : quia sicut illi numquam deest unde corruat, ita* SEMPER *præsto est unde subsistat, dicente Apostolo : Fidelis enim Deus, qui vos non patietur tentari supra id quod potestis, sed faciet proventum, ut possitis sustinere.* Ad hæc Quesnellus in marginali postilla : *Quid sit anima etiam regenerata sine Dei auxilio?* Non scripsit *quid esset,* sed *quid sit;* ac si

A aliqua anima jam regenerata, ac propterea justa, ex Leonis sententia careat aliquando auxilio Dei; cum tamen ille testetur : *Semper præsto est unde subsistat.* Huic igitur homini Leo impossibilia affirmare non potuit, serm. 43, divina mandata, cum hæc impossibilitas a divino illo auxilio, quod ei *semper præsto esse* docuit, eliminetur. Hinc S. pontifex aperte adversatur propositioni primæ Jansenii, qua impossibilia traduntur etiam justis hominibus divina mandata, ac deesse illis gratiam qua possibilia fiant. Cum Leo tradit illis *semper præsto esse unde subsistant,* gratiam utique eisdem aliquam semper adesse cognovit, qua vel *facerent quod possent, vel peterent quod non possent,* ut post Augustinum (*Lib. de Nat. et Gr. c.* 43) Tridentina synodus (*Sess.* 6, *c.* 11) docuit : unde in difficilioribus casibus orationis remedium S. pontifex et in hoc serm. 43 et alibi, uti monuimus, frequenter suggessit. Vide quam belle concinat cum doctrina catholica, et quam a Janseniana dissentiat.

B 6. Quesnellus itaque, omissa ea postilla, quam affixit cap. 1 serm. 43, aliam Leonis sententiæ magis congruentem melius substituisset ad ea recitati testimonii verba : *Gratiæ igitur Dei obedientia se humana non subtrahat;* **481** nimirum hanc, *Gratiæ Dei non subtrahatur obedientia :* quæ propositio cum eam posse subtrahi, et reipsa subtrahi aliquando præsumat, opponitur tertiæ propositioni Jansenianæ, nec non decimæ quintæ Quesnellianæ damnatæ in constitutione *Unigenitus,* quæ ab interiori gratia numquam humanam obedientiam se subtrahere palam insinuat. *Quando Deus mandatum suum, et suam æternam locutionem comitatur unctione sui spiritus, et interiori vi gratiæ, operatur illa in corde obedientiam quam petit.*

IN SERMONEM XLIV.

De justitia Christiana semper augenda

C 1. In hæc verba Leonis c. 1 : *Inter profectuum gradus nullus est qui non semper melior esse debeat,* ita Quesnellus annotavit. « Idem habet in serm. 11 de Quadragesima cap. 1 : *Nemo,* inquit, *tam sanctus est, ut non sanctior; nemo tam devotus, ut non debeat esse devotior.* Peccat ergo qui ad majorem semper justitiam non tendit. *Peccatum est* enim, inquit Augustinus, *cum vel non est charitas quæ esse debet, vel minor est quam debet* (*De Perf. justitiæ, c.* 6 *et seq.*). Immo culpabilis est quisquis Deum ex tota anima non diligit, quem ita diligere jubetur, et quisquis concupiscit quod concupiscere prohibetur. Non tamen imputat his qui fideliter ei dicunt : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Quod quisquis orandum sibi non esse putat, seipsum Christianum non esse profitetur. Quamdiu enim hic vivimus, est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ quod vel continendo frenetur, donec fiat perfecta justitia tamquam sanitas plena : tunc autem plena sanitas quando plena charitas : tunc plena charitas, quando *videbimus eum sicuti est.* » Hæc ille.

D 2. Præter charitatis præceptum, quod ipsius charitatis et justitiæ augmentum requirit, ut S. Thomas docuit in 3 Sent. dist. 29, q. 1, a. 8, quæst. 2, magis obviam et expeditiorem viam aperit ipse Leo, qui tum in præsenti sermone 6 de Nativitate Domini, tum in serm. 11 quem Quesnellus laudavit, hoc augendæ Christianæ justitiæ debitum cum tentationibus et concupiscentiis cuivis etiam sancto undequaque insidiantibus ita conjungit, ac si alterum ab altero pendeat. Enimvero certum est præceptum dilectionis Dei, cum postulat ut a peccatis vel levioribus caveamus, tum vero etiam exigere ut resistamus concupiscentiis ac tentationibus quæ ad peccandum exstimulant. In hac autem quotidiana resistentia, quam quilibet etiam sanctus adhibere debet, plures virtutum actus ac præsertim charitas exercenda erit; sicque Christianæ justitiæ semper augendæ occasio ac debitum exstat. Sicut autem numquam in hac vita

Digitized by Google

penitus auferentur tentationes et concupiscentiæ, ita numquam cessandum erit a resistendo **482** iisdem, ac per consequens a crescendo in justitia de die in diem, donec ad eam æternam vitam perveniamus, in qua tentationes nullæ erunt, nullæ concupiscentiæ quibus resistatur; ac propterea in hac vita *inter profectuum gradus*, ut ait Leo, *nullus est qui non semper melior esse debeat.*

IN SERMONEM XLV.

Quo sensu S. Leo cap. 2 scripserit : Sine dilectione non creditur. *Quesnelli annotatio excussa.*

1. Memorato S. Leonis testimonio hanc annotationem Quesnellus subjecit : « Doctrina ex Augustini principiis hausta, immo ex ipsius fidei principiis. Nam cum nemo possit præceptis Dei, ut oportet, obedire sine charitate, et inter Dei præcepta non postremum sit credendi præceptum, manifestum est scite dictum a Leone, quod *sine dilectione non creditur*. Unus Augustini locus instar omnium erit, ut utriusque par sensus et doctrina intelligatur. Igitur lib. de Dono perseverantiæ cap. 16 : *Prævenit ergo et fidem gratia*, inquit, *alioquin si fides eam prævenit, proculdubio prævenit et voluntas : quoniam fides sine voluntate non potest esse. Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profecto prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam charitatem, qua una Deo veraciter et suaviter obeditur. Et hæc omnia gratia in eo cui datur, et cujus hæc omnia prævenit operatur.* » Hactenus Quesnellus.

2. Tota autem hujus Quesnellianæ annotationis vis in eo sita est, ideo S. Leonem affirmasse, *Sine dilectione non creditur*, quia sicut aliis præceptis, ita etiam præcepto fidei *nemo potest, ut oportet, obedire sine charitate : qua una*, ut Augustinus loquitur, *Deo veraciter et suaviter obeditur ;* et idcirco Leonis *doctrinam ex Augustini principiis haustam* tradidit. Hic autem cavendum est ne hujusmodi locutio eo sensu accipiatur quem refert Quesnelli propositio 47 proscripta in constitutione *Unigenitus*, nimirum : *Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis ; tunc purum est quod apparet exterius : alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia ;* quæ conveniunt cum propositione 17 a S. Pio V condemnata inter Baianas : *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.* Et in defensionem quidem propositionis 47 Quesnellianæ Augustini testimonium ex libro de Dono persev. c. 16 in Hexaplis Quesnellianis inculcatum, ac prave explicatum, aut potius contortum legimus. Cum enim S. doctor *una* charitate *veraciter obedire* dixerit, illi exinde intulerunt sine charitate non obediri *veraciter*, sed per fallaciam, **483** qua omnis ejusmodi obedientia non *vera* sit obedientia legis, sed *ad hypocrisim falsamque justitiam* referenda sit.

3. Si hoc tam pravo atque proscripto sensu atque consilio Quesnellus eam annotationem subjecit, significare voluisset ea Leonis verba, *sine dilectione non creditur*, in eam sententiam esse accipienda, quod fides, quæ sine charitate in peccatoribus reperitur, vera fides non sit, qua præcepto fidei *veraciter* obeditur : cui quidem sententiæ affines sunt propositiones 52 et 58 damnatæ in constitutione memorata, quibus *fidem* et *religionem* veram sine *amore* et *charitate* haudquaquam consistere Quesnellus asseruit. Quod doctrinæ monstrum expresse quoad fidem jamdiu ante prædamnaverat Tridentina synodus sess. 6, c. 28 : *Si quis dixerit.... fidem, quæ remanet* (in peccatore) *non esse veram fidem, licet non sit viva ; aut eum qui fidem sine charitate habet non esse Christianum, anathema sit.* Unde etiam proscripta est ab Alexandro VIII prop. 12 : *Quando in magnis peccatoribus deficit amor, deficit etiam fides ; et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.*

4. Quod si Leonis verba in ea notatione Quesnellus alio sensu accepit, nimirum ut indicaret eum loqui non de quacumque fide, sed de fide viva, et *ut oportet* ad meritum æternæ vitæ, eodemque sensu scripsisse Augustinum, *sola charitate veraciter obediri*, videlicet uti *ad veram justitiam* et ad merendum æternum præmium requiritur, recte quidem intellexisset, sed non satis apte hanc sententiam explicasset, ut in annotatione explicari ac demonstrari oportebat. Id autem evidenter statuere nostra plurimum interest, ut palam fiat quam longe absint a damnato sensu Leonis verba ac sententia.

5. Si separatim a contextu consideretur hæc propositio : *Sine dilectione non creditur*, suspicari quispiam poterit S. pontificem lato sensu *dilectionis* nomen sumpsisse, nimirum non de charitate solum, sed de qualibet dilectione, ita ut etiam illa involvatur, qua quicumque credit saltem veritatem et fidem ipsam aliquatenus diligit. At sicuti ex contextu, a quo genuinus verborum sensus semper est colligendus, palam fit S. Leonem dilectionis nomine eam charitatem intelligere quæ fructum æternum pariat, ita nomine fidei vivam fidem intelligit, quæ una cum charitate conferat ad videndum et promerendum Deum. Enimvero in capite ejus sermonis secundo, cui laudata verba inseruntur, jam ab initio sibi exponendum proposuerat, per *cujusmodi vias nobis sit ad Dei promissa tendendum*, nimirum ad æternam gloriam. Duas mox vias subjicit ex sacra Scriptura, videlicet misericordiæ et veritatis, et has monet non esse *divisas*, cum utraque virtus connexa esse debeat, ut ad eum finem tendamus. Mox transit ad fidem et charitatem, et harum pariter virtutum nexum ad eumdem finem necessarium affirmat ; unde subdit : **484** *Tunc verum nomen, et verus est fructus* (nimirum æternus) *ambarum, cum insolubilis utriusque manet connexio.* Et hanc quidem connexionem in eum finem omnino necessariam explicaturus statim addit : *Ubi enim non simul fuerint, simul desunt, quia* (notetur ratio quæ beatitudinis finem proponit) *invicem sibi et juvamen et lumen sunt : donec desiderium credulitatis impleat remuneratio visionis, et incommutabiliter videatur et ametur, quod nunc et sine fide non diligitur, et sine dilectione non creditur*, ut scilicet utiliter ad visionis remunerationem obtinendam credatur. Hanc connexionem et hunc finem apertius insinuant quæ statim subjiciuntur : *Quia ergo, sicut Apostolus ait, in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur, simul atque conjunctim et charitati studeamus et fidei. Hic est enim quidam efficacissimus geminarum alarum volatus, quo ad promerendum et videndum Deum puritas mentis attollitur, ne oneri curarum carnalium deprimatur. Nam qui ait : Sine fide impossibile est placere Deo, idem dicit : Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*, nimirum apud Deum, apud quem sine charitate *nihil prodest*, ut ibidem Apostolus loquitur : ita enim S. pontifex serm. 2 de Jejunio Pentecostes c. 3 exposuit : *Cum dicat Apostolus nullas sibi virtutes sine charitate prodesse.* Hinc rursum Leo cap. 3 sermonis 45 illud inseruit principium : *Quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit*, ubi se loqui indicat de fide qua præmium æternum promeremur, quæ sine charitate esse non potest. Vides ergo quam probe omnia ad finem æternæ beatitudinis referantur.

6. Evidens tandem fiet non aliam nisi hanc esse posse Leoninæ mentis interpretationem ex serm. 4 de collectis c. 1, ubi satis innuit haberi *in multis* fidem sine charitate ; at fidem ejusmodi a charitate disjunctam ad salutem seu præmium æternum nihil proficere. De multis enim Christianis verba faciens, *Multis*, inquit, *quibus* (diabolus) *auferre non potuit fidem, sustulit charitatem ; et agro cordis ipsorum avaritiæ radicibus occupato, spoliavit fructu operum, quos non privavit fructu labiorum.* Quid apertius ? Hinc etiam serm. 10 de Quadrag. c. 3 *fidem rectam*, qua satis obeditur præcepto fidei, sine charitate stare posse, at non esse

Digitized by Google

fructuosam ad futuram gloriam, si absque charitate sit, palam fatetur. *Quamvis enim*, inquit, *magnum sit habere fidem rectam sanamque doctrinam, et multa laude digna sit circumcisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nudæ tamen sunt omnes sine charitate virtutes, nec potest dici in qualibet morum excellentia fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit.* Hunc intelligentur illa serm. 18, c. 3, ubi varios Christianorum *profectus* describens, *In fide germen est*, inquit, *in spe* 485 *incrementum, in charitate maturitas;* quibus fidem et spem virtutes agnoscit, at non fructuosas æternæ vitæ, nisi ex charitate maturitatem obtineant. Ita S. Pontificis doctrina hausta *ex principiis fidei*, quæ cum Scriptura ac traditione Tridentina synodus statuit, et a proscriptis thesibus aliena cognoscitur.

7. Neque minus cohæret cum Augustini principiis, qui multis in locis fidem sine charitate identidem reperiri diserte docuit, uti serm. 90, num. 8: *Potestis habere fidem sine dilectione;* et solum ei qui sine charitate credit, hanc fidem inanem esse affirmat, seu inutilem ad æternum præmium, hæc scribens in Enchiridio num. 117: *Qui vero non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera quæ credit;* et lib. VIII de Trinitate c. 4: *Nisi per fidem diligatur, non poterit cor mundari, quo ad Deum videndum sit aptum et idoneum.* In hanc autem sententiam, cum in libro de Dono persev. c. 16 de charitate scripsit, *qua una Deo veraciter et suaviter obeditur*, vocem *veraciter* de perfecta obedientia legis accepit, qua homo fiat *aptus et idoneus ad videndum Deum*, ut ex aliis Augustini testimoniis latius probant qui de hac ejusdem doctrina ex proposito disserunt. Nobis autem Leonis sententiam explicasse et constituisse sufficiat.

IN EUMDEM SERMONEM XLV.

De iis verbis cap. 4: Rei criminum ad hos dies (*paschales*) pervenisse se gaudeant, in quibus a sanctis piisque principibus etiam publicarum austeritas remittitur ultionum.

« Idem habet (inquit Quesnellus in annotatione recitato testimonio subjecta) supra serm. 2 de Quadrag. cap. 5: *Romani*, inquit, *orbis piissimi imperatores sancta antiquitus observatione custodiunt, qui in honorem passionis et resurrectionis Christi, constitutionum suarum severitate mollita, multarum culparum reos præcipiunt relaxari.* Et serm. 9 cap. 3: *Ut severitas ultionum, quæ nunc etiam in publicis judiciis relaxatur*, etc. Quousque remissio et relaxatio ista extenderetur, an solis vinculis soluti rei in custodia remanerent, an etiam e carcere dimitterentur, non invenio clare definitum. In libello supplici monachorum qui sub Eutyche erant, actioni 1 concilii Chalcedonensis inserto, hæc habentur: *Supervenit*, inquiunt, *et salutaris passionis dies et sacra nox, et Resurrectionis festivitas, in qua quidem et plurimis peccatoribus a sanctis Patribus nostris damnationes solvuntur; verum et ab imperatoribus criminalia rei vincula relaxantur: justa vero lætitia omnis domus et omne forum repletur.* Videntur ex his verbis rei saltem nonnulli in libertatem esse vindicati in paschali festo legibus imperatoriis. Nulla tamen in Codice quæ id 486 asserat, etsi plures quæ actionem omnem in reos suspendant, aliæ per totam Quadragesimam, aliæ per quindecim paschalis festi dies. Cod. lib. III, tit. 12, de Feriis: *Quadrag. diebus, qui auspicio cæremoniarum paschale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæstionum.* Impp. Valent. Valens et Grat. AAA. *In quindecim paschalibus diebus compulsio annonariæ functionis et omnium publicorum privatorumque debitorum differatur exactio.* Valent. Theod. et Arcad. AAA. Exceptionem continet alia eorumdem constitutio, quæ Leonis nostri sententiam confirmet magis quam infirmet: *In his tamen*, inquiunt, *et emancipandi et manumittendi cuncti licentiam habeant.* Sed Leonis locus primo loco citatus ex serm. 2 Quadragesimæ multarum culparum reos imperatoriis constitutionibus relaxatos esse per hanc paschalium dierum solemnitatem clarius videtur asserere. Nam relaxari nihil aliud esse quam dimitti ex serm. 47, de Pass. 8, c. 3, probatur, ubi ut *Barrabbam indulgentia relaxaret*, clamasse populos scribit.» Hactenus Quesnellus. Si vero is observasset titulum Justinianei Codicis *De episcopali audientia*, lib. I, tit. 4, invenisset legem Valentiniani II, n. 3, descriptam et editam an. 385, in qua hæc habentur: *Exsequantur judices quod indulgere consuevimus. Ubi primus dies paschalis exstiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula dissolvantur;* et subjiciuntur exceptiones quorumdam reorum et criminum. In Codice autem Theodosiano lib. IX, tit. 28, *De indulgentiis criminum*, quinque ejusmodi leges occurrunt, duæ Valentiniani Senioris ac tres Junioris, quarum ultima est jam allegata, ex quibus colligitur olim hanc indulgentiam usu quodam inductam, vel epistolis etiam imperatorum per singulos annos ad omnes civitates missis, ut liquet ex duobus testimoniis Chrysostomi, ex more præscriptam, nonnullas dubitationes peperisse de quibusdam reis, num eadem indulgentia essent relaxandi: quæ dubitationes ut solverentur illæ leges datæ fuerunt. In postrema autem lege generalis sanctio edita fuit, quæ omnes exceptiones complectitur. Vide Jacobi Gottofredi Commentarium præcipue in legem 3, ubi indicatos Chrysostomi textus recitat.

IN SERMONEM LXVI.

Postilla Quesnelli in testimonium Leonis cap. 4 *excutitur.*

Ipsa illa substantiæ nostræ in Deitate susceptio, qua Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, *quem hominem misericordiæ suæ, nisi infidelem, reliquit exsortem?* His Leonis verbis hanc postillam Quesnellus affixit: *Infidelis exsors gratiæ Christi.* Hæc autem indefinita propositio perperam 487 intelligi potest, ita ut favere videatur propositioni 26 damnatæ in constitutione *Unigenitus*, qua traditur: *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem.* Sed *misericordiæ* nomen S. pontifex adhibuit, non autem nomen *gratiæ*. Ne vero ipsum *misericordiæ* nomen cuipiam fucum faciat, quo ille sensu *exsortem misericordiæ* dixerit *infidelem*, ex contextu explicandum est. Ejus itaque misericordiæ *infideles exsortes* intelligit, cujus participes fideles affirmat. Porro ad fideles pertinent ista, quæ præcedenti testimonio immediate subjiciuntur: *Et cui non communis natura cum Christo est, si assumentem recepit, et eo spiritu est regeneratus, quo ille progenitus?* ubi indicat fidei et baptismatis gratiam, ut not. 24 in hunc locum explicavimus. Loquitur nimirum S. Leo de illa misericordia qua Verbum caro factum et in nobis habitans nos per fidem et baptisma sibi unitos divinæ effecit consortes naturæ. Sicut ergo fideles, qui fidem et baptisma susceperunt, hujus misericordiæ participes sunt, ita infideles, qui et fide et baptismate carent, eadem hac misericordia recte dicuntur *exsortes*.

IN SERMONEM LXXVI.

In eum locum cap. 6, *quo de Manete dicitur*: Eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem Domini ducentesimus et sexagesimus annus impletus est, Probo imperatore Paulinoque consulibus, cum octava jam in Christianos persecutio desæviret; *tres Quesnelli annotationes et nonnullæ observationes nostræ proponuntur.*

1. Tres annotationes in hoc testimonium Quesnellus subjecit, quas hic describimus. Primum in ea verba, *Quo post resurrectionem Domini ducentesimus et sexagesimus annus impletus est*, « Mendum, ait, hic subesse suspicatur Dionysius Petavius in annotatio-

Digitized by Google

nibus ad Epiphanium pag. 267, et pro CCLX, translato numero uno, legendum vult CCXL. Ratio ejus est quod Probi et Paulini consulatus inciderit in annum fere Christi CCLXXVII in æra Dionysiana. Quo ex numero XXXI, inquit, annis deductis, CCXLVI anni reliqui sunt ab ascensione Domini; totidem scilicet, quot ex aliorum chronographorum sententia ponit Epiphanius. Leo autem noster horum sententiam secutus fuit (si Petavii correctio subsistit), numerum rotundum CCXL pro CCXLVI usurpans; quod inter concionandum maxime evenire solet, ubi ad strictos chronologiæ apices non attenditur. Propius adhuc ad illam epocham accedet Leo, si pro CCLX posuerit CCL, quod quidem habet Oxoniensis codex unus ms. in archiviis Laudinis asservatus. Et sane, ut cum typi excudendi ordinantur, facilius est numerum unum in alterius locum, dormitantibus operis, irrepere, et pro XL excudi LX, ita inter scribendum facilius est numerum unum alicui summæ superaddi, ut X ad L.»

2. Secundo in ea verba, *Probo imperatore Paulinoque coss.* : « Hinc corrige, inquit, Cassiodori Fastos consulares, qui hunc consulatum Aureliani et Marcellini consulatui immediate subjiciunt. Corrige etiam Annales ecclesiasticos, qui ad annum Ch. 277 hunc consulatum cum septimo Aureliani imperatoris anno componunt. Cum enim ex fastis omnibus Probum Paulinumque simul consulatum gessisse constet, Probumque imperatorem appellet Leo noster, necesse est ut post Aureliani mortem, immo et post Taciti, cui Probus successit, obitum, consulatus ille Probi Paulinique contigerit. Concinit Eusebii Chronologia, qui anno 2 Probi imperatoris Manichæorum originem assignat. Facilis tamen conciliandorum auctorum diversa de Manichæorum sectæ initiis scribentium via. Alii de ipso Manete, alii de ejus magistris Scythiano et Budda, de quibus supra, intelligendi. Aliqui de ipsa origine monstri illius; nonnulli de variis ejus eruptionibus in Ecclesiam, partim Orientalem, partim Occidentalem; ac demum alii de errorum ejus damnatione, de qua Leo noster mentionem facit.»

3. Tertio in ea verba, *Cum octava jam in Christianos persecutio*, etc.: « Si de Aureliani, inquit, imperatoris persecutione loquitur, ut videtur omnino, hæc non octava fuit, sed nona, quemadmodum numerat Augustinus de Civit. Dei lib. XVIII, cap. 3, et ex aliarum persecutionum enumeratione liquet. Si Charitonis martyris acta, quæ apud Surium 24 Septembr. leguntur, digna sunt quibus hac in parte fides habeatur, Tacitus Probi prædecessor huic jam persecutioni finem imposuerat; ut benigne interpretari juvet hæc Leonis verba, quæ persecutionis etiam exordium videntur significare : *Cum jam ebulliret*, etc., quamquam mss. codd. tres Oxonienses habent, *desæviret*.» Hæc omnia Quesnellus.

4. Omnes hujus loci chronicas notationes sumptas deteximus ex integro Prosperi Chronico. Inter tres enim aut potius quatuor hujus Chronici editiones, quas accuratissime distinguit ac statuit P. Hieronymus a Prato diss. 3 in Sulpicium Severum, tom. II, num. 32 et seqq., altera ex duabus prioribus, seu, si mavis, tertia in rem præsentem, qua de Manichæis Romæ detectis agitur, Leoni usui esse potuit. Prima quam Prosper vulgavit an. 433, secunda, quæ desinit an. 443, et confirmari potest ex codice antiquo Veronensi Saibanteo, qui integrum Prosperi Chronicon hoc anno desinens, id est hanc ipsam secundam editionem Prosperi repræsentat. Tertia, quæ extenditur ad annum usque 445. Ex aliqua vero harum editionum Leonem profecisse in memoratis chronicis notationibus describendis duo certa indicia demonstrant. Probi siquidem imperatoris et Paulini consulatus in uno Prosperi Chronico legitur : nam Prosper, qui ex Eusebii Chronico ab Hieronymo Latine reddito pleraque decerpsit, primus omnium a passione seu resurrectione Christi consulatus adjecit, Manichæorumque hæresis initia Probi imperatoris et Paulini consulatui assignavit. Octavæ etiam persecutionis notatio soli Prosperi Chronico referenda est : Eusebius enim persecutiones quidem suis locis indicavit in Chronico, non autem expressit numerum quem in Prospero invenimus. Hinc autem anni quoque annotatio ex eodem Prosperi Chronico supputando collecta dicenda est.

5. Si vero recta supputatio facta credatur, scribendus fuerat potius annus 250 quam 260. Si enim a consulatu Geminorum, cui passio et resurrectio Christi in iisdem editionibus attribuitur (postremæ siquidem editioni, quæ prodiit an. 455, tribuenda est illa opinionis mutatio, qua Prosper Geminorum consulatui *manifestationem* seu prædicationem Christi, tribus autem post annis passionem et resurrectionem ascripsit) : si, inquam, ab eo Geminorum consulatu ad consulatum Probi et Paulini, cui initium hæresis Manichæorum affigitur, recte computes, invenies quidem in editis consulatus 247, qui rotundo numero, ut sæpe fit, latius haberi potuerunt pro anno 250, non vero 260. At observandum est in vulgato Prosperi Chronico alios consulatus librariorum incuria omissos, alios autem perperam fuisse insertos, ut colligi potest ex Canone paschali Victorii Aquitani, qui consulatus ex Prospero accuratius exscripsit, nec non ex aliis argumentis, quæ luculenter proposuit Joannes Vander Haagen in Observationibus ad Chronicon Prosperi, § 49 et seqq. Porro ex eodem Victorii Canone atque ex aliis ipsius Prosperiani Chronici notis liquet, consulatum Geminorum, cui assignantur passio et resurrectio Christi, ab ipso Prospero fuisse affixum ei anno qui respondet anno æræ vulgaris vigesimo octavo. Si vero ab hoc anno æræ vulgaris computare incipias usque ad Probi et Paulini consulatum, qui concurrit cum anno æræ vulgaris 277, invenies his consulibus (computatis terminis) decurrisse annum ducentesimum quinquagesimum, qui minus accurate *impletus* a Leone appellatur.

6. Dissimulandum quidem non est, in Prosperi Chronico si expungantur consulatus duo certo expungendi, et addantur quatuor, qui certe addendi sunt, ut laudatus Vander Haagen probavit, Probi et Paulini consulatum a consulatu Geminorum cadere in annum 249, quemadmodum et apud Victorium accidit. Sed cum in consulatibus notandis Prosperi et Victorii codices sint evidenter corrupti, non multum in his insistendum videtur. Cum vero Prosper jam aliquanto ante Probi et Paulini consulatum, ac deinceps etiam, veteri unius anni anticipatione deserta, consules proprio cujusque anno ascribere cœperit, satius est credere proprio quoque anno assignasse consulatum Probi atque Paulini, ita ut unus consulatus, qui præpositus fuerat, perperam in codicibus postpositus legatur, ac propterea illorum consulatus vere concurrerit cum anno post resurrectionem Christi 250. Cum itaque S. Leo cæteras chronicas notationes ex Prosperi Chronico sumpserit, annum quoque 250, ex eodem per supputationem annotasse credibile est, non vero 260. Sed unus tantum codex Oxoniensis a Quesnello laudatus eum annum præfert. Cum vero cæteri omnes tum Collectionum tum Lectionariorum et multi et antiqui codices, quos diligenter exquisivimus atque contulimus, et inter hos antiquissimus Vat. 3835, habeant annum 260, et non numericis Romanis notis CCLX, quæ facile a librariis mutari et vitiari potuissent, sed distinctis verbis expressum *ducentesimus et sexagesimus*, quæ non ita facile mutationem recipiunt, non ausi sumus a vulgata lectione discedere. Experimento enim patefactum est quantum a primæva et originali lectione desciverint illi qui ex arbitrio, licet conjecturis vehementibus ducti, numericas quasdam notationes corrigere voluerunt. Neque moveat excessus decennii, qui in an. 260 manifestus est.

Digitized by Google

Antiquos enim Ecclesiæ Patres in computandis annis sive ab ortu sive a passione Christi non fuisse multum accuratos, et excessisse etiam ultra decennium, pluribus exemplis probavimus diss. 1 S. Zenonis editioni præmissa cap. 2, § 1. Hæc quoad primam Quesnelli annotationem.

7. Quoad alteram illud monere sufficiat, Leonis verba de tempore quo Manes *damnandus innotuit*, illud tempus indicare, quo primus omnium Archelaus Cascharæ in Mesopotamia episcopus cum Manete publicam disputationem habuit, ac exinde ejus errores ita prodierunt, ut tum *damnandus innotuerit*.

8. Quoad tertiam annotationem jam indicabimus persecutionis *octavæ* mentionem a S. pontifice sumptam fuisse ex Prosperi Chronico. Prosper autem novem tantum persecutiones recensuit : illam enim Aureliani, quæ ab Augustino et Orosio *nona* dicitur, quæque *commota* quidem, sed fulmine et morte ejusdem imperatoris statim intercepta traditur, Prosper distincto numero inter persecutiones referendam non credidit, adeo ut Diocletianeam (alias *decimam*) *nonam* vocaverit. Hinc cum Leo *octavam* persecutionem appellavit, Prosperi vestigiis insistens, non Aureliani, sed Valeriani persecutionem intellexit, quæ apud Prosperum æque ac apud Augustinum et Orosium, nec non apud Sulpicium et Hieronymum *octava* computatur.

491 IN SERMONEM LXXIX.

Num S. Leo omnia opera virtutum moralium in infidelibus peccata esse docuerit.

1. Sanctus pontifex in serm. 79, de Jejunio Pentecostes secundo, cap. 2, de infidelium jejuniis loquens, non solum ea appellavit *vana*, verum etiam *infidelitate polluta* asseruit. *Aliud enim agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides etiam sanctificat manducantem, apud illos infidelitas polluit jejunantem.* Et mox hanc generalem propositionem subjicit : *Extra Ecclesiam catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo : Omne quod non est ex fide, peccatum est :* quibus verbis non tam jejunia quam omnes aliarum virtutum moralium actus infidelitate pollutos ac peccata esse videtur innuere. His autem verbis Quesnellus postillam affixit : *An et qualia sint infidelium bona opera.*

2. Ne quis vero sententiæ ab Ecclesia proscriptæ S. Leonem favere existimet, præmonendum est eum alibi palam fuisse professum *laude digna* esse misericordiæ et humanitatis opera quæ non prodeunt ex fide, si nullo pravo fine aliunde infecta, ex ipsarum virtutum motivo eliciantur. Hæc enim leguntur serm. 7 de Quadragesima, c. 3 : *Quid hac humanitate felicius ? Quæ utique laude sua fraudanda non esset, si propter ipsam naturæ communionem* (en naturalis virtutis motivum) *juvando homini ab homine præstaretur. Sed quia*, addit, *quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit ; alia est conditio operum cœlestium, alia terrenorum. Mundana benevolentia in his quos adjuvat habet finem ; Christiana pietas in suum transit auctorem, dum in ipsum dicimur benigni, quem in nobis fatemur operari.* Qui *laude sua fraudandam non esse* ejusmodi humanitatem affirmat, etiamsi *non ex fidei procedat fonte*, dummodo *propter ipsam naturæ communionem juvando homini ab homine præstetur*, qui est finis miserationis ac virtutis naturalis ; is bonam utique, non autem malam hanc humanitatem credidit : neque enim malum, quod solam vituperationem meretur, dici potuisset *fraudandum non esse sua laude*. Solum vero hæc opera præmio cœlesti, quod Deus retribuat, vacua esse, in subsequentibus addidit, et totum eorum præmium inter homines, in quibus sistunt, et in hoc mundo terminari. Si qui ergo infideles misericordiæ aut alterius moralis virtutis opera edant ex motivo virtutis, licet non ex fide edant, peccati accusandi non sunt ex Leonis sententia.

3. Quod si eorum jejunia *infidelitate polluta*, et apud eos *nihil integrum, nihil castum* reperiri, in hoc serm. 79 affirmavit, id alio sensu, qui antecedenti sententiæ non contradicat, affirmasse dicendus est, quatenus scilicet jejunia et alia virtutum opera apud infideles plerumque non ex motivo 492 virtutis, sed ex aliquo vitioso fine profecta credidit. Qua in re observandum est S. Pontificem infidelium nomine complecti omnes qui Christiana fide carent, sive pagani illi sint, sive Judæi, sive etiam hæretici. Ita enim exorditur caput secundum : *In exercendo autem hoc Dei munere* (id est continentia a cibis per jejunium), *non ideo segniores esse debemus, quia et Judæi et hæretici sæpe ab edendi libertate se continent, et apud ipsos paganos sunt quædam vana jejunia.* Mox de his omnibus jejunantibus subdit : *Aliud enim agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides etiam sanctificat manducantem, apud illos infidelitas polluit jejunantem ;* ubi infidelitas non solum ad paganos, sed ad Hebræos et hæreticos etiam extenditur. Varia autem ratione istorum abstinentiæ (et similiter alii actus virtutum moralium) ex pravo aliquo fine pollui potuerant. Paganorum quidem jejunia, si quæ Leonis ætate in inanium deorum cultum vigerent (uti erat illud quod Cereri institutum Livius memorat, quodque IV nonas Octobris præscriptum legitur in antiquo Kalendario marmoreo Amiterni effosso [*Apud Murator. Thesaur. inscript. pag.* 150]) quatenus *infidelitate polluta* proprie dicantur, quisque intelligit. Idipsum est de jejuniis Manichæorum *in honorem Solis ac Lunæ* a Leone notatis Serm. 4 de Quadrag. c. 5, et in epist. ad Turribium c. 4, de quibus proinde affirmat in laudato sermone : *Qui sua maxime observantia polluuntur.* Alia etiam istorum hæreticorum jejunia perstrinxit serm. 4 de Nativitate c. 6 : *Non vos seducant deceptoriis artibus ficta et simulata jejunia, quæ non ad purificationem, sed ad perditionem proficiunt animarum. Speciem quidem sibi pietatis et castitatis assumunt ; sed hoc dolo actuum suorum obscena circumtegunt, et de profani cordis penetralibus jacula, quibus simplices vulnerentur, emittunt.* Et rursum de ejusmodi jejuniis serm. 4 de Epiphan. c. 5 : *Non sunt casta jejunia, quæ non de ratione veniunt continentiæ, sed de arte fallaciæ. Hactenus nocuerint incautis, hactenus illuserint imperitis.* In quibus cum jejuniorum id genus vitium in fallendi finem rejicit, non in jejunia per se ; tum vero *casta innuit jejunia, quæ de ratione veniunt continentiæ*, seu quæ omni pravo fine secluso ex solo virtutis motivo procedunt. Hebræorum quoque jejunia polluta intelligi possunt vel eo pravo consilio quo præceptis legalibus jam abolitis obsequium præstandum existimant, vel saltem inani gloria, qua Pharisæos jejunantes intumuisse, uti apud Matthæum traditur c. VI, v. 16, S. pontifex notavit serm. 4 de Jejunio mensis septimi c. 1, ac præcipue serm. 7, c. 2.

4. Hoc autem inanis gloriæ vitium in sermone de quo nunc agimus S. Leonem præsertim spectasse exinde colligi potest quod capite tertio Christianos hortetur ut a jactantia et superbia in jejuniis maxime caveant, ne jejunium per se bonum hoc vitio corrumpatur. *Cavendum est*, inquit, 493 *ne bona, quæ facere sine bonitate non possumus, elatione perdamus. Nam omni se merito laude dispoliat, qui de studiis industriæ suæ in se magis quam in Domino gloriatur.* Et cap. 4 : *Contineamus nos ab inflatione jactantiæ, ad Dei gloriam cuncta referentes.* Quamquam in hoc potissimum vitium, de Christianorum jejuniis loquens, declamasse videtur, quia, uti animadvertit, serm. 4 de Quadrag. c. 3, apud ipsos, qui infidelitate non detinentur, hoc maxime corrupto fine diabolus insidiatur, ut *quos*, ait, *non potuerit dejicere per diffidentiam, conetur superare per gloriam. Vicinum est enim rectis actionibus superbiæ malum, et de proximo semper virtutibus insidiatur elatio ; quia difficile est ut laudabiliter viventem laus humana non capiat, nisi, ut*

Digitized by Google

scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur. Cum vero S. Leo apud paganos, Judæos et hæreticos, qui recta fide carent, jejunia vel hoc superbiæ, vel alio vitio infecta putarit, ac pari aliquo pravo fine corrupta præsumpserit cætera virtutum moralium opera quæ ab illis fiunt, nihil mirum si illa exinde *infidelitate polluta*, et apud eosdem *nihil integrum, nihil castum* reperiri affirmavit.

5. Neque idcirco colligendum est eum peccati absolute ac generatim damnasse omnia virtutum opera quæ extra Ecclesiam ab illis eduntur; nam *laude* digna ac bona, ut vidimus, expresse docuit, quæ ex fidei fonte non prodeunt, si omni pravo fine semoto ex virtutis motivo producantur. Solum cum inter paganos aliosque infideles, deficiente recta fide, aliquis pravus finis, saltem philautiæ vel inanis gloriæ, facillime subrepat, ipsa bona opera, *quæ facere sine bonitate non possumus*, vitiari, et eatenus nec *integra*, nec *casta* esse affirmavit, uti eodem sensu Augustinus, Prosper aliique Patres tradidere. Hinc serm. 4 de Nativit. Domini, c. 6, postquam vitiosa Manichæorum jejunia reprehendit, auditores suos ad rectam fidem tenendam hortatus est hac præsertim ratione, *quia nihil sine illa sanctum, nihil castum est, nihil vivum : justus enim ex fide vivit;* ubi verba *nihil castum* indicato sensu intelligenda sunt.

6. Hic autem postremus textus aliam observationem suppeditat. Dum enim sine fide *nihil sanctum, nihil vivum* tradit; infidelium opera quæ nullo pravo fine inficerentur, vera sanctitate ac merito æternæ vitæ vacua innuit. Ita etiam serm. 8, de Quadr. c. 1, S. Pontifex jejunaturos monens, ne *ulla infidelitate polluantur*, hanc rationem affert : *Dicente enim Apostolo, Omne quod non est ex fide, peccatum est, inutilia erunt ac vana eorum jejunia, quos illusionibus suis mendacii pater decipit, et vera Christi caro non pascit.* Quibus verbis nomen *peccati* ab Apostolo adhibitum, de operibus generatim *inutilibus* et *vanis*, id est merito ac præmio æterno carentibus, interpretari videtur, ut scilicet ea quoque misericordiæ opera ab infidelibus edita, complectatur, quæ nullo corrupto fine *propter* 494 *ipsam naturæ communionem juvando homini* impensa, *sua laude non fraudanda*, id est bona, pronuntiaverat serm. 7, quæque proinde hoc solo latiori sensu *peccata* dici queunt, quatenus sine fide viva ad æternum præmium nihil proficiunt; unde hoc eodem serm. 7 scripsit : *Quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit.*

7. Duo itaque virtutum moralium opera S. pontifex in infidelibus satis distinxit. Alia ex objecto quidem bona, at pravo fine corrupta et mala; alia vero nullo pravo fine infecta, non tam ex objecto quam ex fine virtutis bona, sed merito æternæ vitæ expertia et inutilia. De primi generis operibus absolute et generatim affirmavit, *nihil integrum, nihil castum*, etc., apud infideles reperiri, quia generatim omnia infidelium bona opera aliquo vitioso fine corrumpuntur. Opera vero secundi generis conditionate et quasi per exceptionem in illis admisit, *si* ex motivo virtutis edantur; quod casum possibilem et valde rarum insinuat.

8. Id vero a damnatis propositionibus tam alienum est, quam ab iisdem alienus est S. Augustinus, qui de operibus virtutum apud infideles non dissimiliter tradidit. In libro de Spiritu et Litt., cap. 26, scriptum reliquit : *In numero etiam hominum impiorum, nec Deum verum veraciter colentium quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum non vituperare possumus, verum etiam merito justeque laudamus.* Id convenit cum illis Leonis *laude sua fraudanda non sunt.* Mox autem subdit : *Quamquam ei discutias quo fine fiant, vix invenientur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.* Quibus dum insinuat ea justitiæ opera sine aliquo pravo fine *vix inventum iri*, pleraque sane perinde depravata in iisdem certo credidit : unde aliis in locis virtutum opera, quæ ab infidelibus patrantur, idem Augustinus, æque ac S. Leo, generatim damnavit ex solo pravo fine, quo ea infecta, raris casibus exceptis, generatim præsumit.

IN SERMONEM LXXXII.

De die martyrii SS. apostolorum Petri et Pauli. Laterculi Bucheriani ætas atque præstantia, ejusque auctor detegitur. De Kalendario ac testimonio Polemii Silvii.

1. Quesnellus in hæc verba Leonis serm. 83 de Natali SS. Apostolorum Petri et Pauli c. 1 : *In die martyrii eorum* istam notationem subjecit : « Quo die, quove mense agonem suum compleverint apostoli Petrus et Paulus, et quonam similiter martyrii eorum memoria solemni festivitate olim coleretur in Ecclesia, sunt qui ex hodiernis Ecclesiæ fastis et consuetudine decerni nolint. Nullus enim, inquiunt, testis est admodum antiquus, qui illum diem III kal. Julii 495 assignet. Vetustissimum autem auctorem habemus, Leonique ipsi æqualem, qui solemnitatem depositionis apostolorum octavo die ante kalendas Martias celebratam fuisse commemorat. Is est Polemeus Silvius, cujus laterculum sacra profanaque festa plura continentem, penes se integrum fuisse testatur Joannes Bollandus in præfatione generali in Vitas SS. cap. 4, § 3; cujus laterculi specimen eodem loco editum docet nos depositionem apostolorum, non 29 Junii, ut nunc fit, sed 22 Februarii celebratam fuisse in Ecclesia Romana. Ita enim habet; VIII (kal. Mart.) DEPOSITIO SS. PETRI ET PAULI. Romæ scripsit, si codici fides, Silvius ille; sed et Leonis nostri ætate, imperantibus Theodosio juniore et Valentiniano, Posthumiano et Zenone vv. cc. coss., id est, anno Christi 448, suumque anno sequenti perfecit laterculum, Asterio consule, hoc est anno 449. Verum difficile est ut propter unicum incertæ fidei codicem contra omnia eamus seu Kalendaria, seu martyrologia, seu alia hujusmodi Ecclesiæ veteris monumenta, quæ hactenus lucem viderunt; qualia sunt Sacramentarium S. Gregorii Magni, Ordo Romanus, ipsum S. Hieronymi Lectionarium omnium antiquissimum; in his enim omnibus SS. Petri et Pauli depositio seu natale tertia die ante kalendas Julias assignatur. Immo et in vetustissima membrana seu martyrologio, quod e schedis Heriberti Rosweydi Bollandus ipse obtulerat Ægidio Bucherio, quodque iste suo comment. in Victorii Canonem inseruit, disertis verbis *octavo kalendas Martii*, non depositio apostolorum Petri et Pauli, sed *natale Petri de cathedra* legitur; et III kalendas Julii assignatur dies martyrii Apostolorum in hunc modum : III *kal. Julii, Petri in Catacumbas, et Pauli Ostiense.* Certe cum isti laterculi invicem de antiquitate certent, longe major ei fides debetur, cui suffragantur et antiqua omnia Ecclesiæ monumenta et auctorum omnium consensus, quam alteri, qui solus novellam suggerit opinionem, et in quem facile est mendum irrepsisse. » Hactenus ille, et satis bene. Solum displicet, quod memoratos Polemii Silvii et Bucherii laterculos *invicem de antiquitate certare* scripserit; nam laterculus Bucherii sæculo fere integro Silvii laterculo anterior est.

2. Ut autem Bucheriani laterculi ætas atque præstantia planius percipiatur, diesque martyrii SS. apostolorum Petri et Pauli certior fiat, de ejus auctore nonnulla exactius animadvertere juverit, quæ hactenus ab aliis observata non vidimus. Duo autem (quod sciamus) codices hunc laterculum continent : alter vetustior, at mutilus, apud Bollandistas exstat. Ex hoc Bucherius memoratum laterculum et quatuor alia monumenta edidit, nimirum Catalogum præfectorum Urbis, Catalogum Romanorum 496 pontificum, Fastorum consularium fragmentum, et Kalendarium Romano-profanum, cui quatuor menses desunt. Alter vero recentior, sed integer inventus est in bibliotheca Cæsarea, quo Cuspinianus usus

Digitized by Google

fuerat in Commentariis ad Cassiodorii Chronicon, et exinde ante Bucherium Catalogum præfectorum Urbis vulgaverat. Ex hoc autem Lambecius, tom. IV Bibliothecæ Cæsareæ, integrum Kalendarium, et noster cardinalis Norisius in opere de Epochis Syro-Macedonum integros fastos publicavit. Novissime autem Joannes Georgius Eccard, tom. I Corporis Historiæ medii ævi ex eodem codice præter Kalendarium quatuor reliqua monumenta eodem ordine, quo proferuntur in manuscripto, et cum iisdem etiam librariorum erroribus accuratissime recusit. Ex horum autem quinque documentorum observatione liquet omnia, imperante Constantio, fuisse conscripta. Nam in Kalendario Romano profano nullus notatur natalis dies imperatorum qui sint posteriores Constantio; hic autem appellatur titulo, non *divi*, ut cæteri jam vita functi, sed *domini*, quod viventis indicium est. Fasti consulares et Catalogus præfectorum Urbis desinunt an. 354. Laterculus, qui Bucherianus vocari solet, et inscribitur *Depositio martyrum et episcoporum*, dum notat diem obitus et locum sepulturæ Romanorum pontificum, terminat in Julio, qui obiit an. 352. Tandem Catalogus summorum pontificum ita concluditur in Liberio Julii successore, ut notetur quidem ordinationis, non autem mortis ejus dies, quemadmodum in antecessoribus fuerat designatus, quod eum adhuc superstitem indicat. Ex his autem observationibus unus et idem omnium ejusmodi monumentorum auctor, et Liberio atque Constantio coævus agnoscitur. Ex Kalendario vero profano auctoris nomen eruitur, nimirum Furius Dionysius Philocalus. Cum porro omnia et sacra et profana quæ in his monumentis notantur Romana sint, et peculiaribus ac minutissimis etiam Romanæ urbis et Ecclesiæ notitiis referta, hunc Philocalum Romæ has notitias didicisse et scripsisse exploratum videtur, quod ad fidem his documentis conciliandam plurimum confert.

3. Præterea in rem præsentem dissimulandum non est laterculi Bucheriani integrum textum esse his verbis expressum : III *kal. Jul. Petri in Catacumbas, et Pauli Ostiense Tusco et Basso cons.* Ex hac autem Catacumbarum et consulatus notatione diem alicujus translationis potius quam mortis hoc laterculo designatum quidam suspicati sunt. At hanc difficultatem ipse Philocalus solvit ex duobus aliis opusculis, in quibus dies martyrii SS. apostolorum Petri et Pauli signatur III *kal. Julias*, nimirum in Catalogo Romanorum pontificum his verbis : *Passus est* (S. Petrus) *cum Paulo d.* III *kal. Jul.*, pag. 26 editionis Eccardi ; et in Fastis consularibus pag. 10 : **497** *Nerone Cæsare, Vetere. Hoc cons. passi sunt Petrus et Paulus* III. *kal. Jul.* Verba *passus* et *passi sunt* diem profecto mortis expresse indicant. Itaque si uno laterculo, uti vocari solet, Bucheriano separatim ab aliis opusculis considerato ex consulatus præsertim additione dubitari poterat, num ibidem ex auctoris mente translationis dies designetur potius quam mortis, certe ex collatione ejusdem laterculi cum aliis duobus ejusdem auctoris opusculis dubium esse nequit, quin in eo auctor æque ac in istis indicare voluerit martyrii diem, cum quo forte etiam translatio aut aliud factum nobis ignotum et consulatu Tusci ac Bassi denotatum concurrerit. Hæc de auctore et sensu laterculi Bucheriani.

4. Porro Silvium auctorem alterius Kalendarii profani Gallum scriptorem fuisse, non ex eo solum cognoscitur quod suum opusculum dicavit Eucherio episcopo, qui Lugdunensi Ecclesiæ præfuit, ut videre est apud Bollandum tom. I Januarii, in prælatione c. 4, § 3, verum etiam colligitur ex Vita S. Hilarii Arelatensis, in qua Silvius inter alios scriptores ejusdem Hilarii concionantis auditores recensetur : et hinc etiam auctor Chronici Prosperi Tironis nomine editi, qui Gallus item est auctor, ad ann. 439 memorat eumdem scriptorem Silvium ab aliis prætermissum, eo quod sibi in Gallia notus fuerat. Hujus autem Silvii Kalendarium non sacrum, sed profanum est ; eumque alios laterculos habuisse, ex quibus excerperet, et suo stylo alia fusius exposuisse, alia mutasse vel addidisse, Bollandus in prælatione t. I ostendit. Inter profana autem paucissima sacra festa obiter ibidem notantur, ut videre est apud Bollandistas tom. VI Junii part. II, ubi Kalendarium integrum Silvii editum fuit. Inter hæc autem festa notabile est festum S. Vincentii martyris XI kal. Februarii, quod tum apud Romanos non celebrabatur, et similiter festum Machabæorum kal. Augusti, quod ætate eadem Leoni coæva Romæ cœptum non fuisse ostendimus in admonitione præmissa serm. 18 Appendicis. Romæ vero hoc Kalendarium scriptum, ut Quesnellus indicat, nuspiam apparet ex codice. Immo ex notatione ipsa depositionis SS. apostolorum VIII kal. Martias, cui tria monumenta Furii Philocali cum cæteris omnibus ecclesiasticis documentis refragantur, illud Kalendarium Romæ scribi non potuisse liquet ; idque multo manifestius evincit antiquissimum sacramentarium Romanum Leonis nomine editum et recudendum a nobis tom. II, quod Leonis et ipsius Silvii ætatem redolens (uti eodem volumine ostenditur) diem martyrii eorumdem apostolorum mense Junio, et octavam mense Julio, tunc celebratum exhibet. Quin ex ipso Leone idipsum colligere licet. Is enim serm. 85 habito in octava ipsorum cap. 1 indicat in die festivitatis eorumdem liberatam fuisse Romam a **498** Vandalis. Hæc autem liberatio cum inciderit in diem 29 Junii, ut in admonitione ad eumdem sermonem constituimus, eidem quoque diei eam festivitatem, ac proinde *diem martyrii*, fuisse ascriptum intelligimus. Probabilius igitur est Silvium scribentem in Galliis, Romanorumque festorum minus peritum, qui in allegato Prosperi Tironis Chronico *turbatæ admodum mentis* dicitur, per errorem die VIII *kal. Martias* notasse depositionem SS. Petri et Pauli pro *Natali S. Petri de Cathedra*, quod huic diei in Philocali laterculo ascribitur. Forte cum festum Cathedræ S. Petri XVIII kal. Februarias apud Gallos celebratum videret, eodem die Romanos eam festivitatem tunc celebrasse existimavit, ac propterea festum VIII kal. Martias in aliquibus documentis Bucheriano similibus notatam, non cathedræ, sed depositionis diem opinatus est. Ita sublata prorsus videtur hac in re Silvii auctoritas, quæ una universis criticis negotium facessebat.

IN SERMONEM XC.

Quid de duobus amoribus, Dei et mundi, S. Leo docuerit. Quesnelli postilla excussa.

1. Celeberrimus est Leonis textus de duobus amoribus Dei et mundi, his verbis expressus serm. 5 de Jejunio septimi mensis, c. 3 : *Duo namque amores sunt ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus. Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei est amator, aut mundi.* His verbis Quesnellus hanc postillam affixit : *Quidquid ex amore Dei non est, ex amore est mundi, et ideo peccatum.* Cum vero hæc sententia ad propositiones Baii Quesnellique damnatas referri possit (unde hic maxime S. pontificis textus a Baianis et Quesnellianis ingeritur), quid in proscriptis thesibus damnatum sit, et quantum a damnato sensu absint Leonis verba, accuratius explicandum est.

499 § I. *Proponuntur damnatæ propositiones de duplici amore, et quid in iis proscriptum fuerit exponitur.*

2. Inter Baianas prop. 58 est hujusmodi : *Omnis amor creaturæ aut vitiosa est cupiditas quæ mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Et prop. 40 : *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Inter Quesnellianas prop. 44 : *Non sunt nisi duo amores, unde voluntates*

et actiones omnes nostræ nascuntur : amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remunerat ur; et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit malus. Et prop. 45 : *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* De amore regnante in corde hominum hic sermo est, et ita omnes actus ex regnante amore provenire traduntur, ut ipsi actus virtutum in peccatoribus, in quibus non Dei, sed mundi amor regnat, hoc amore infecti peccata esse debeant : unde est alia Baii propositio 35 : *Omne quod agit peccator vel servus peccati peccatum est.*

3. Hæc quam falsa et absurda sint nemo non videt. Sicut enim justi, in quibus regnat amor Dei, edere queunt, et identidem etiam edunt nonnullos actus leviter malos, non quidem ex amore mundi in ipsis dominante, qui cum charitate Dei habituali et in justis regnante componi nequit, sed ex aliquo leviori et irrepente amore mundi, ex. gr., inanis gloriæ, gulæ, etc., quo nec cupiditas in iisdem dominatur, nec habitualis Dei amor expellitur, ita a peccatoribus, in quibus regnat mundi amor, produci possunt quidam actus boni ex amore aliquo virtutis, ex. gr., fidei, spei, misericordiæ, orationis, etc., qui licet non sit ille amor Dei quo regnans mundi amor expellatur, tamen non est amor mundi, nec ad amorem mundi referri potest. Hac de causa Tridentina synodus sess. 6, can. 7, Lutheranorum dogma dicentium omnia opera quæ justificationem præcedunt esse peccata, anathemate perculit : *Si quis dixerit opera omnia quæ ante justificationem fiunt vere esse peccata... anathema sit.* Damnatum ergo est dicere omnia opera quæ non prodeunt a charitate Dei regnante in corde hominum pertinere ad amorem et concupiscentiam mundi, ac proinde esse peccata; quod tamen postilla Quesnelli superius descripta indicat.

4. Quod si quis nonnullas ex damnatis **500** thesibus ita emollire studeat ut non de regnante Dei amore in illis sermo sit, sed de amore Dei latius sumpto, quo opera referantur in Deum, damnatum pariter est dicere omnes actus virtutis, quantumvis bonos, si hoc amore non referantur in Deum, esse peccata, ut innuit postrema pars Quesnellianæ thesis 44. Nam ut præscindamus a celebri inter theologos quæstione de relatione operum in Deum, certum per omnes catholicos est virtutum moralium opera, nedum a peccatoribus, sed ab infidelibus etiam peracta ex motivo virtutis, *per se*, seu saltem *ex officio*, ut aiunt, esse bona, tametsi non referantur in Deum : nam per eos pariter, qui relationis debitum severius propugnant, hæc omissio bonum opus in se non vitiat, sed aliunde omittentem contaminat.

5. Certe S. Leo ab utroque pravo sensu remotissimus est. Etenim serm. 48, de Quadrag. 10, c. 3, in peccatoribus Christianis, in quibus mundi amor dominatur, et fidem rectam et alia virtutum moralium opera inveniri posse fatetur; et solum ea ex defectu charitatis saltem habitualis fructu æterno vacua tenatur. *Quamvis enim*, inquit, *magnum sit habere fidem rectam sanamque doctrinam, et multa laude digna sit circumcisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nudæ tamen sunt omnes sine charitate virtutes, nec potest dici in qualibet morum excellentia fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit.* Præterea serm. 44, de Quadrag. 7, c. 3, loquens de operibus misericordiæ quæ *non ex fidei procedunt fonte*, ac proinde ab ipsis infidelibus eduntur, qui Deum ignorantes nihil in ipsum referebant, ea *laude non fraudanda non esse*, ac proinde bona asseruit, si ex motivo miserationis nullo intermixto pravo fine prodeantur, et solum ea peccata fere esse docuit, ea quod non ex motivo virtutis, sed ex philautiæ, inanis gloriæ, aut alio corrupto fine ea plerumque ab infidelibus edita præsumpsit; de quo vide observationem in serm. 79. En igitur quantum a damnatarum propositionum sensibus absit Leonis mens atque doctrina; quem si sibimetipsi contrarium nolis comminisci, testimonium præsentis sermonis 90 proscriptis thesibus favere dici non potest.

501 § II. *Quæ sit propria Leonini textus sententia serm. 90.*

6. Non desunt sane qui amorem Dei a S. pontifice late sumptum existimant pro quolibet amore virtutum, et amorem mundi pro quolibet vitiorum amore. Sicut enim omnis amor vitiorum apte refertur ad amorem mundi, quatenus mundus vitia amat et fovet, ita ad Dei amorem referri late potest amor omnium virtutum, quatenus Deus omnes virtutes amat, ac præcipit. Immo cum omnis virtus sit justitia et veritas, uti sæpius in sacra Scriptura appellatur, Deus autem justitia ac veritas sit, Deum lato sensu amare dici potest, qui virtutes ex proprio ipsarum motivo, nulla prava cupiditate intermixta, diligit. In hanc sententiam S. pontificem aliquando Dei amorem sumpsisse pro amore cujusvis virtutis colligi potest ex illis serm. 95, c. 6 : *Nihil aliud est diligere Deum quam amare justitiam.* Ita ergo qui quamlibet virtutem amat, cum amet justitiam, ex hoc principio Leonis Deum pariter diligit. Qui vero aliquem actum virtutis exercet ex motivo virtutis ipsam virtutem amet necesse est. In hac vero hypothesi de duplici Dei et mundi amore, ad quorum alterum omnes actus voluntatis referendi sint, satius procul dubio est actus virtutum moralium, qui ex puro virtutis motivo eduntur, ad Dei amorem late sumptum referre, quam ad amorem mundi. Ad Dei enim amorem quatenus revocari queant saltem late ex indicata ratione explicari et intelligi potest; quatenus vero referantur ad amorem mundi, qui positus in maligno, vitiorum, ut innuimus, non autem virtutum amator est atque suasor, et ita sane referantur ut qui virtutes amat ac exercet ex motivo virtutis, eas ex mundi amore diligere et exercere dicendus sit, nemo sanæ mentis intelliget.

7. Sed aliud est hanc hypothesim a damnatis thesibus abesse, aliud vero Leonis verba, quæ nunc expendimus, hoc sensu accipienda esse. Quæ porro sententia iisdem verbis proprie subsit, facile perspicies si duas observationes præmittas. Prima, S. pontificem scribere duos amores esse *ex quibus omnes prodeunt voluntates*, non vero *ex quibus omnes prodeunt voluntatis actus;* ac propterea de ipsis voluntatibus, non autem de singulis voluntatis actibus loquitur. Hinc autem dum eas voluntates pronuntiat ita *qualitatibus diversas*, sicut *dividuntur auctoribus*, seu amoribus, indicat voluntates *diversas*, id est bonas vel malas, prout diverso amore inter se discrepant ac *dividuntur*. Secunda, duos amores **502** hic accipi non de quolibet Dei amore vel mundi, sed de amore regnante in voluntate hominis, ex eo liquet quod de solo ejusmodi amore verificari queat hominem constitui vel *Dei amatorem*, seu justum, vel *mundi*, seu peccatorem : unde etiam initio capitis sequentis Auctor dixit : *Hic* (Dei) *affectus, quo amor terrenus excluditur;* quæ de amore Dei dominante vera sunt. Id confirmant multo luculentius illa quæ mox subjecit : *Et ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum* (quæ amorem ultimi finis prædominantem significant), *temporalibus autem transeunter utendum*, non fruendum, nec inhærendum tamquam ultimo fini.

8. His præmissis en apertus et genuinus Auctoris sensus. *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ* bonitatis, vel malitiæ *qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus.* Quæ nimirum afficiuntur Dei amore, adeo ut Deum præ omnibus diligant, et homo exinde *Dei amator sit*, seu in charitate Dei, sunt voluntates bonæ; malæ vero illæ sunt, in quibus mundi amor ita dominatur, ut homo, Dei charitate exclusa, *mundi amator* constituatur. Cumque *rationalis animus sine dilectione* in partem alte-

Digitized by Google

ram prævalente *esse non possit*, idcirco *aut Dei amator est, aut mundi;* et omnes voluntates proinde bonæ vel malæ, *ita diversæ sunt qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus.* Hic obvius verborum sensus est de omnibus voluntatibus ex amore prædominante bonis vel malis. Quis ergo non videat quam perperam ejus verba trahantur ad omnes et singulos voluntatis actus, ac si Leo docuerit actus omnes et singulos ex alterutro illo amore prodire, ita ut quicumque actus non sunt ex amore Dei, sint ex amore mundi, et ideo peccata, ut Quesnelli postilla insinuat; et hac ratione peccata accusanda sint ea ipsa virtutum opera, quæ S. pontifex in peccatoribus vel etiam in infidelibus non mala, sed bona esse professus est?

§ III. *Alia Quesnelli postilla in eumdem sermonem 90 expenditur.*

9. Hoc eodem sermone, cap. 3, S. Leo scribit: *Quod de specie, de copia, de varietate* (creaturarum) *blanditur, non facile declinatur, nisi in illa visibilium pulchritudine Creator potius quam creatura diligatur.* Quesnellus in hæc verba ad marginem notavit: *Solus Dei amor a creaturæ amore retrahit.* Viden' ex collatione minus rectum interpretem? *Non facile declinatur*, inquit Leo: qui enim in creaturarum amore sistunt, et in earum pulchritudine, copia, varietate non Deum potius quam creaturas diligunt, non facile declinant a **503** pervérsis ipsarum illecebris, et facillime peccant. Hæc tota Leonis sententia est. Num vero hic Dei amor, sine quo ab ejusmodi blanditiis et illicito creaturarum amore *non facile* declinatur, *solus* ab hoc interdicto affectu retrahat, non Leo, sed Quesnellus affirmat; cum tamen certum sit homines a peccatis retrahi (licet *non* ita *facile*) etiam timore, illo præsertim gehennæ timore atque pœnarum, dolorem de peccatis ingerente, quem *Dei dono et Spiritus sancti impulsu* conceptum, non solum cohibere manum ab opere illicito, sed ipsam etiam *voluntatem peccandi excludere*, satis aperte colligitur ex Tridentina **504** synodo sess. 14, cap. 4. Hic sane timor gehennæ, in quam non tam opere quam affectu pravo incurritur, ad excludendum et opus et omnem affectum peccandi (uti ad effugiendam gehennam necesse est) per se impellere ac movere debet. Quod monendum fuit, ne forte subrepat inter cæteras Quesnelliana propositio 61, damnata in constitutione *Unigenitus: Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.* Sed hac de re nostrum non est hoc loco disserere; solam enim Leonis sententiam a Quesnelli interpretatione alienam ostendere propositum fuit.

SANCTI
LEONIS MAGNI
ROMANI PONTIFICIS
OPERUM GENUINORUM
PARS ALTERA,

CONTINENS

S. PATRIS EPISTOLAS.

PRÆFATIO

De mss. codicibus, qui in emendandis epistolis usui fuere.

§ I. Distinctio collectionum manuscriptarum quæ Leonis epistolas continent.

1. Tria distinguenda sunt genera codicum in quibus Leonis epistolæ continentur. Primum genus sunt collectiones generales canonum et constitutionum Romanorum pontificum, in quibus aliquot integræ Leonis epistolæ descriptæ fuere. Alterum sunt collectiones particulares seu quarumdam Ecclesiarum, seu epistolarum solius Leonis, quæ ex vetustis, vel etiam primævis exemplaribus olim compactæ, antiquissimam originem præseferunt. Tertium sunt collectiones particulares epistolarum S. Leonis, sed recentiores, quæ nimirum ex primi generis collectionibus in partem maximam profluunt.

2. Sicut nulla exstat Leoni coæva aut suppar omnium ejus sermonum collectio, ut in præfatione ad Sermones animadvertimus, ita nullam quoque coævam, aut supparem omnium epistolarum ejus collectionem factam fuisse, nobis certissimum est. Hinc in editionem Leonis nullum codicem invenire aut sperare licet, qui omnes ejus epistolas præferat; neque enim olim omnes perinde fuerunt in unum corpus, aut regestum, uti vocant, collectæ, ut S. Gregorii Magni epistolis evenit. Initio quidem omnes collocatas fuisse et custoditas quam diligentissime in *scriniis* seu *archivo* sedis apostolicæ inter cæteras constitutiones aliorum pontificum, vetusta consuetudo Romanæ Ecclesiæ suadet, de qua legi potest P. Constantius in præfatione ad Epistolas Romanorum pontificum n. 44 et seqq. Enimvero auctor Pontificalis Romani, qui Anastasii Biblio-

Digitized by Google

thecarii nomine appellari solet, et Leonis vitam scripsit serius sæculo VIII, hæc de ejusdem epistolis tradit : *Idem beatissimus Leo archiepiscopus multas epistolas fidei misit, quæ hodie archivo Ecclesiæ Romanæ reconditæ tenentur. Hic firmavit frequenter suis epistolis synodum Chalcedonensem. Ad Martianum Augustum misit epistolas* XII, *ad Leonem Augustum epistolas* XIII, *ad Flavianum episcopum epistolas* IX, *ad episcopos per Orientem epistolas* XVIII, *per quas fidem synodi confirmavit.* Vides archivum apostolicum hoc quoque tempore allegari, in quo Leonis epistolæ servabantur; et licet memorentur solæ epistolæ pro catholica fide contra Eutychianam hæresim scriptæ, plures tamen quam quæ ad nos pervenerunt, in eo archivo tum exstitisse cognoscimus; neque enim epistolæ quæ exstant ad Leonem Augustum sunt XIII, ad Flavianum IX.

3. At cum collectiones generales canonum et epistolarum Romanorum pontificum a privatis hominibus olim compositæ in privatum usum, ita propagari et obtinere coeperunt, ut iidem Romani antistites epistolas decessorum sæpius non ex apostolicis scriniis, sed ex iis collectionibus sumerent; tunc factum est ut earumdem epistolarum autographa exemplaria, quæ erant in apostolico archivo, sensim neglecta, temporum vicissitudinibus interciderint, ac propterea antiquæ istæ generales collectiones sint vetustiores ac celebriores fontes ex quibus antiquiorum pontificum constitutiones accepimus, adeo ut non aliæ quorumdam Romanorum antistitum epistolæ ad nos pervenerint, nisi quæ ejusmodi collectionibus conservatæ fuerunt. De his collectionibus, et de mss. codicibus, qui eas complectuntur, fusius agendum erit in tractatu quem tomo tertio insertum reperies.

4. Nunc de solis epistolis Leonis acturi, ea tantum debemus expendere quæ in iisdem collectionibus ad easdem epistolas pertinent: id interim præmonentes, quod ex dictis sequitur, has vetustas generales collectiones habendas esse veluti originarios fontes, ad quos epistolarum editio revocanda erit. Inter fontes vero pari ratione originarios censendæ sunt etiam nonnullæ antiquæ collectiones particulares sive quarumdam Ecclesiarum, sive epistolarum Leonis, quæ cum ex laudatis generalibus collectionibus sumptæ non fuerint, ex primævis Leonis exemplaribus prodiere.

5. Collectiones autem, quæ ita solas Leonis epistolas exhibent, ut maximam saltem istarum partem ex antecedentibus collectionibus evidenter sumpserint, posteriores noscuntur, et eatenus originariæ dici nequeunt, nec tales ut antiquioribus, ex quibus derivatæ fuerunt, præferendæ sint. Utile tamen fuit istarum codices pariter conferre; quæ enim provenerunt ex emendatioribus manuscriptis antiquarum collectionum, lectiones meliores et emendationes non contemnendas identidem præbuere. Quædam etiam ex his epistolas continent, quæ cum in antiquis notis collectionibus non inveniantur, sumptæ fuere ex aliis antiquis collectionibus plane ignotis : unde in hac parte pro originariis haberi debent. Hæc generalis collectionum distinctio præmittenda fuit, ut non omnes quæ mox indicabuntur æque æstimentur; et quæ originariæ et antiquæ, quæ vero recentiores et profectitiæ sunt, discernantur, quod ad eorum usum in recolendis epistolis recte instituendum, et ad alia multa, quæ suis locis aperientur, utiliter cognoscenda, maxime necessarium experti sumus.

6. Collectiones autem manuscriptæ epistolarum S. Leonis nobis adhuc cognitæ sunt quatuor et viginti. Ex his XIII ad collectiones antiquas generales referuntur, sex ad antiquas particulares, quinque vero sunt collectiones recentiores ejusdem pontificis peculiares. Quemadmodum vero hæ singulæ inter se epistolarum numero, ordine, aliisque characteribus discrepantes diversam originem produnt, ita omnes cujusque collectionis codices adeo plerumque ipsis lectionibus congruunt, ut (quod in præfatione ad Sermones de iisdem sermonibus monuimus) supervacaneum plerumque sit plures consulere, majoremque utilitatem referat qui duos aut tres diversarum collectionum mss. libros, quam qui permultos unius collectionis evolverit. Nunc de singulis peculiaria, quoad Leonis epistolas; nam cætera quæ ad generalium collectionum intimam cognitionem spectant, in tractatu quem tomo tertio inseremus exponenda remittimus.

§ II. De ms. Vaticano Reginæ Suecise collectionis primæ.

7. Prima generalis collectio omnium, ut credimus, antiquissima, et hactenus ignota, continetur in codice Vaticano Reginæ Sueciæ 1997. Octo Leonis epistolas exhibet : I, Rustico in nostra editione epist. 167; II, episcopis Mauritaniæ epist. 12; III, Flaviano epist. 28; IV, Turribio epist. 15; V, Siculis epist. 16; VI, Nicetæ epist. 159; VII, Aquileiensi episcopo epist. 1; VIII, Septimo epist. 2.

§ III. De collectione secunda.

8. Huic collectioni Vaticano Regiæ, in qua Catalogus Romanorum pontificum desinit in Hormisda, subjicimus aliam quæ catalogum præfert in Vigilio desinentem, et continetur in ms. Corbeiensi venerandæ antiquitatis in bibliotheca S. Germani a Pratis PP. Benedictinorum Parisiensium, unde Corbeiensis collectio a Constantio appellatur. Licet nullum hujus collectionis codicem nacti simus, cum tamen Quesnellus ea usus sit, et memoratum codicem indicet, quoties sive in variantibus, sive in notis Corbeiensem ms. laudat, ut ex Notitia manuscriptorum ab eodem descripta manifestum est, omitti a nobis non poterat, cum præsertim etiam nos ex Quesnello eam identidem memoraturi simus. Plures Leonis epistolæ in ea leguntur. Cum P. Constantius, qui de tam insigni collectione pluribus agit in præfatione ad Epistolas Romanorum Pontificum, num. 61, distinctum earumdem epistolarum catalogum non præbeat, exactum numerum et ordinem agno-

Digitized by Google

scere nequivimus. Ex iis tamen, quæ tum ab eodem Constantio tum a Quesnellio indicantur, certum fit in eo ms. contineri epistolas sequentes, quas deficiente ordine codicis, juxta editionis nostræ seriem allegamus : I, Campanis epist. 4; II, Italis epist. 7; III, Viennensibus epist. 10; IV, Anastasio epist. 14; V, Turribio epist. 15; VI, Flaviani ad Leonem epist. 22; VII, Flaviano epist. 28; VIII, Theodosio epist. 29; IX, Pulcheriæ epist. 31; X, Juliano epist. 35; XI, Constantinopolitanis epist. 59; XII, Ravennio et Gallis epist. 103; XIII, Juvenali epist. 139; XIV, Leoni Augusto epist. 165. Quesnellus nota prima in epist. X, ad episcopos provinciæ, Viennensis Thuaneum codicem allegat, qui hujus collectionis esse videtur. De hoc enim inquit : *Qui Corbeiensi ita similis est, ut ex eo transcriptum eum existimem.* Thuaneum primum in postillis et notis appellare solet, et una cum Corbeiensi identidem citat, quod similes lectiones utrique præferant.

§ IV. De mss. tertiæ collectionis.

9. Tertio loco aliam ignotam, at vetustissimam et præstantem collectionem ponimus, quæ exstat in duobus perantiquis codicibus Barberino 2888 et Vaticano 1342. Sex et decem Leonis epistolas complectitur ordine sequenti : I, Anastasio epist. 14; II, Rustico epist. 167; III, Siculis epist. 16; IV, Aquileiensi epist. 1; V, Mauris epist. 12; VI, Nicetæ epist. 159; VII, Dioscoro epist. 9; VIII, Juvenali epist. 139; IX, Leoni Augusto epist. 165; X, Maximo epist. 119; XI, Flaviano epist. 23; XII, Flaviani ad Leonem epist. 22; XIII, Eutycheti epist. 20; XIV, Flaviano epist. 28; XV, Leoni Augusto epist. 165; XVI, Anatolio Constantinopolitano epist. 80.

§ V. De codicibus collectionis quartæ

10. Quarta collectio est in antiquo codice capituli Lucensis, cujus descriptionem accuratissimam debemus P. Joanni Dominico Mansi in opusculo *de celebri codice sæculo Caroli Magni scripto*, quod editum leges tom. XLV Opusculorum P. Calogerà. Eadem collectio exstat quoque in ms. codice olim Colbertino 784, qui ab Antelmio et Pagio maxime commendatur, nec non a P. Constantio, qui hanc collectionem Italicam agnovit, fusiusque describit in sæpius laudata præfat. n. 89. Quatuor tantum Leonis epistolas præbuit, quarum variantes ex Lucensi codice memoratus P. Mansi ad nos perhumaniter misit. Epistolæ autem hoc ordine describuntur : I, Rustico epist. 167; II, Mauris epist. 12; III, Aquileiensi epist. 1; IV, Septimo epist. 2.

§ VI. De collectione quinta, Quesnelliana, ejusdemque codicibus.

11. Quintam collectionem Quesnellianam vocamus; est enim illa quam Quesnellus edidit cum titulo ab eodem perperam præfixo : *Codex canonum et constitutionum Ecclesiæ Romanæ.* Hanc collectionem claudunt Leonis epistolæ duæ supra triginta hoc ordine : I, Leoni Augusto epist. nostræ editionis 165; II, Juvenali Hierosolymitano epist. 139; III Flaviano Constantinopolitano epist. 28; IV, Theodoro Forojulienſi in Gallia episcopo epist. 108; V, Turbio (sic) id est Turribio Asturicensi epist. 15; VI, Rustico Narbonensi epist. 167; VII, Anastasio Thessalonicensi epist 14; VIII, Nicetæ Aquileiensi epist. 159; IX, Januario Aquileiensi epist. 18; X, episcopis Campaniæ, Piceni et Tusciæ epist. 4; XI, episcopis Italiæ epist. 7; XII, episcopis Siculis epist. 16; XIII, Pulcheriæ Augustæ epist. 31; XIV, Constantinopolitanis epist. 59; XV, Palæstinis epist. 124; XVI, Aquileiensi episcopo epist. 1; XVII, Septimo Altinensi episcopo epist. 6; XVIII, episcopis Mauritaniæ epist. 12; XIX, synodo Ephesinæ epist. 53; XX, Theodosio Augusto epist. 44; XXI, Pulcheriæ Augustæ epist. 45; XXII, Juliano Coensi episcopo epist. 25; XXIII, Theodosio Augusto epist. 29; XXIV, Marciano Augusto epist. 104; XXV, Anatolio Constantinopolitano epist. 106; XXVI, synodo Chalcedonensi epist. 144; XXVII, Anatolio Constantinopolitano epist. 155; XXVIII, Leoni Augusto epist. 162; XXIX, Anatolio epist. 165; XXX, eidem epist. 135; XXXI, synodo Chalcedonensi epist. 95; XXXII, Doro Beneventano epist. 19. Has præcedunt in pluribus codicibus tres aliæ aliorum epistolæ ad Leonem, quæ inter Leoninas edentur : I, Eusebii et synodi Mediolanensis in nostra editione epist. 37; II, Ravennii aliorumque episcoporum Galliæ epist. 92; III, tandem Cerealis, Salonii, et Venani episcoporum Gallorum epist. 68.

12. Aliquot hujus collectionis codices valde præstantes satis cognitii in Gallicanis bibliothecis inveniuntur. Quesnellus licet in edenda hac collectione usus sit ms. Oxoniensi, multo recentiori et non parum mendoso, in emendandis tamen Leoninis epistolis potissimum adhibuit alios duos insignes ejusdem collectionis codices Gallicanos, nimirum Thuaneum postea Colbertinum 952, qui novissime in bibliothecam Regiam transiit, et Trecopithœanum, qui in Trecensi bibliotheca PP. Oratorii custoditur. Hinc ex Quesnelli notationibus hujus collectionis lectiones collegi satis tute potuissent. Ut autem ex novo aliquo et insigni hujus collectionis manuscripto aliquid præcipuum huic editioni accederet, cum nullum exemplar Romæ aut alibi in Italia reperire licuerit, in Germaniam diligentiam protendentes, invenimus vetustissimum exemplar bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis 39, ejusque diligentissimam collationem aliquot locis emendandis quidem præsertim. Alius ejusdem Cæsareæ bibliothecæ codex antiquus, sed præcedenti aliquanto recentior, signatus num. 42, hanc eamdem collectionem nonnullis insertis additamentis exhibet : nam in Leone alias epistolas, nisi additiias recepit ex collectione Hispanica, seu Isidoriana, de quibus postea num. 17 et 21 erit sermo. Thuaneum quoque codicem aliquot additamenta recepisse ipse Quesnellus in præfatione generali judicavit, in quem confer nostram annot. 9. (*Col.* 44, n. a.)

13. Antequam ad alia progredimur, animadvertendum hic est quatuor ex memoratis quinque collectionis

bus, quæ præferunt Leonis epistolam 167 ad Rusticum, eam describere cum Inquisitionibus ipsius Rustici, quæ ad probe intelligendas S. pontificis responsiones necessariæ sunt. Hinc autem in editionem nostram hæ collectiones noscuntur præferendæ collectioni Dionysii, qui cum ex sua methodo Inquisitionibus titulos supposuerit, eam epistolam nec omnino integram nec talem edidit qualis a Leone cum Inquisitionibus scripta fuit. Hinc etiam agnoscimus harum collectionum originem a Dyonisio peti non posse, sed ab exemplaribus antiquioribus atque sinceris.

§ VII. De collectione sexta Dionysii Exigui, et de collectione Cresconii.

14. Sexta collectio est Dionysiana. In hac (uti a Dionysio Exiguo sub Hormisdæ tempora lucubrata fuit) septem tantum Leonis epistolæ recensentur, nimirum : I, Campanis epistola nostræ editionis 4 ; II, Italis epistola 7 ; III, Siculis epist. 16 ; IV, Januario Aquileiensi epist. 18 ; V, Rustico Narbonensi epist. 167 ; VI, Anastasio Thessalonicensi epist. 14 ; VII, Nicetæ Aquileiensi epist. 159. Alia Leonis epistola ad episcopos Mauros, quæ in vulgatis Dionysii legitur, posterioribus additamentis tribuenda est, ut suo loco videbimus. Hujus collectionis mss. libri qui additamentis insertis careant, adeo rari sunt, ut duo tantum hactenus nominentur, Vaticanus et Regius Parisiensis. Inter hos maxime commendatur Vaticanus 5845, quem diligenter contulimus.

15. Cum vero puræ Dionysianæ manuscriptis usus sit Cresconius Africanus, qui totam Dionysii collectionem in certos titulos distributam suo operi inseruit, codices Cresconiani pro puris Dionysianis haberi queunt. Plures Romæ vidimus Vallicell. XVIII, Vat. 1347, Vat. Reginæ 849, Vat. Palat. 579. Sed præcipue contulimus ms. capituli Veronensis 60, qui liber sæculo VIII charactere papiraceo scriptus fuit.

§ VIII. De mss. collectionis septimæ Hadrianeæ.

16. Eadem Dionysii collectio cum aliquot additamentis suo loco insertis septimam collectionem a Dionysiana nequaquam disjungendam constituit. Dionysio-Hadrianea, seu Hadrianea vocatur, non quod hæc additamenta sub Hadriano I Dionysio accesserint, aut fuerint inserta, sed quod hic pontifex hanc collectionem ad regem Carolum miserit. Plerique mss. codices, qui Dionysiani vulgo creduntur, immo etiam editi, hanc Dionysio-Hadrianeam collectionem præferunt. Multos mss. Romæ observavimus, inter quos memorandi antiquiores scripti nono vel decimo sæculo Vat. 4969, Vat. Palat. 578, Vat. Reginæ 1021 et 1045, nec non Vat. 1537, qui a correctoribus Romanis in editione Gratiani *Codex Canonum* appellatur, ac duos Vallicell. A. 6. et XVIII. Inter additamenta vero hujus collectionis septem Leonis epistolis a Dionysio descriptis una tantum accessit, nimirum epistola 12, ad episcopos Mauritaniæ. Inter editiones vero mentionem facimus Parisiensis an. 1661, Voelli et Justelli, quam identidem allegabimus. Licet enim hi puram Dionysii collectionem, additamentis separatis, edere consilium ceperint, cum tamen nullum Dionysianum codicem inspexerint, non omnia additamenta præsertim in Leone internoscere ac separare potuerunt.

§ IX. De collectione octava.

17. Omnia vero hæc additamenta a puro Dionysio sejuncta, et post Dionysium descripta invenimus in supra laudato antiquo ms. Vat. 5845. His porro aliæ additiones multo majores in eodem codice subjiciuntur, quas Hadriani collectioni subjectas deprehendimus in codicibus Vallicellano A. S. Vat. 1553, ac in uno Capituli Vercellensis. Hæ additiones veluti supplementum Dionysianæ vel Hadrianeæ collectionum haberi queunt : ea enim documenta, quæ in Dionysio deerant, auctor posterior ex aliis fontibus colligens, Dionysio adjecit. Cum vero hæ additiones numquam fuerint insertæ Dionysii aut Hadriani collectionibus, veluti separata quædam collectio jure censentur, quam octavam collectionem vocabimus. In his additionibus quindecim Leonis epistolæ proferuntur : I, ad Dioscorum epistola nostræ editionis 9 ; II, ad Turribium epist. 15 ; III, ad Aquileiensem epist. 1 ; IV, ad Septimum Altini episcopum epist. 2 ; V, ad Theodorum epist. 108 ; VI, ad Siculos epist. 17 ; VII, ad Eutychen epist. 20 ; VIII, ad Flavianum epist. 23 ; IX, Flaviani ad Leonem epist. 22 ; X, ad Flavianum epist. 28 ; XI, ad Juvenalem epist. 139 ; XII, ad Maximum epist. 179 ; XIII, ad Anatolium epist. 80 ; XIV, ad Leonem Augustum epist. 145 ; XV, ad eumdem imperatorem epist. 165.

§ X. De collectione nona Hispanica.

18. Hispanicæ collectioni, quæ ante Constantium non satis erat cognita, penum locum tribuimus. Hujus auctor epistolas a Dionysio recitatas cum iisdem titulis sumpsit. In una epistola ad Rusticum addidit titulum et caput, qui in Dionysio desunt, ut suo loco dicetur. Præter septem Leonis epistolas sumptas e collectione Dionysii, adjecit alias triginta Leonis, et unam Petri Chrysologi ad Eutychen, atque aliam Flaviani ad Leonem, quæ in editionem inserendæ erant. Itaque omnes epistolæ simul sunt 38, hac serie dispositæ : I, ad Eutychen epistola nostræ editionis 20 ; II, ad Flavianum epist. 23 ; III, Flaviani ad Leonem epist. 22 ; IV, Leonis ad Flavianum epist. 28 ; V, Petri Ravennatis ad Eutychen epist. 25 ; VI, Leonis ad synodum Ephesinam epist. 53 ; VII, ad Theodosium epist. 44 ; VIII, ad Pulcheriam epist. 45 ; IX, ad eamdem epist. 60 ; X, ad Martinum et Faustum epist. 61 ; XI, ad Theodosium Augustum epist. 69 ; XII, ad Pulcheriam epist. 74 ; XIII, ad Faustum, Martinum et cæteros epist. 71 ; XIV, ad Pulcheriam epist. 79 ; XV, ad Anatolium epist. 80 ; XVI, ad Marianum epist. 82 ; XVII, ad eumdem imperatorem epist. 83 ; XVIII, ad Anatolium

Digitized by Google

epist. 85; XIX, ad Marcianum epist. 90; XX, ad synodum Chalcedonensem epist. 93; XXI, ad Marcianum epist. 104; XXII, ad Anatolium epist. 106; XXIII, ad Marcianum epist. 115; XXIV, ad eumdem epist. 130; XXV, ad eumdem epist. 134; XXVI, ad Leonem imperatorem epist 165; XXVII, ad Turribium Asturicensem epist. 15; XXVIII, ad Italos epist. 7; XXIX, ad Siculos epist. 16; XXX, ad episcopos per Campaniam, etc. epist. 4; XXXI, ad Januarium epist. 18; XXXII, ad Rusticum epist. 167; XXXIII, ad Anastasium epist. 41; XXXIV, ad Nicetam epist. 159; XXXV, ad Africanos epist. 12; XXXVI, ad Theodorum epist. 105; XXXVII, ad Leonem (seu Neonem) Ravennatem epist. 166; XXXVIII, ad Dioscorum epist. 9; XXXIX, ad Campanos epist. 168.

19. Monendum hoc loco est, in indice decretorum Romanorum pontificum huic collectioni præfixo, tum in codicibus quos vidimus, tum apud Coustantium tres Leonis epistolas ad Marcianum censeri num. 51, 52 et 53, ex quibus quadraginta tituli ad Leonem pertinent. At in ipso collectionis corpore in omnibus mss., immo etiam apud Isidorum, qui totam Hispanicam collectionem descripsit, duæ tantum epistolæ ad Marcianum eo loco inveniuntur; ac propterea omnes sunt tantum 39. Notabile est etiam epistolam 12 ad episcopos Africanos, seu Mauros, in hac collectione exhiberi decurtatam ac diversam ab ea quæ in collectione septima Hadrianea legitur. Id autem manifestum facit Hispanæ collectionis auctori purum Dionysii codicem fuisse, in quo hæc epistola deerat; alias hanc non minus quam cæteras septem Leonis epistolas ex suo Dionysiano codice descripsisset in eamdem rationem qua Dionysio in Hadrianea addita fuit.

20. Hæc collectio post Dionysianam meliorem ordinem præfert. Sicut autem ejus auctor Dionysium secutus titulos Dionysii retinuit in epistolis quas ex ipso sumpsit, ita in aliis quas adjecit eadem methodo titulos ipse præfixit, quos suis in locis dabimus. Codices hujus collectionis valde rari sunt. Nos duos diligenter collatos allegabimus, Vaticanum 1341 et Cæsareum Vindebonensem 41, olim 281, omnes sæculi circiter IX, quorum primus e Gallicanis, alter vero ex Hispanicis purioribus exemplis originem duxit, de quo plura in tractatu de antiquis Collectionibus et Collectoribus canonum torno tertio agetur. Hic vero præmonere maxime interest codicem Vindebonensem non paucis in locis erroneas lectiones præferre, quæ in Vaticano emendatæ satis aptum sensum plerumque referunt. Ex collatione autem codicum aliarum quæ primævam Leonis lectionem concorditer exhibent, deprehendimus ad hanc sæpius accedere ipsum errorem ms. Vindebonensis, plurimum vero abesse illam ms. Vaticani, ita ut arbitraria emendatio manifesta fiat. Hinc liquet primum studiosum librarium qui hanc collectionem exscripsit ex codice aliquo Hispanico, sed mendoso, multa libertate in corrigendis erroribus usum fuisse, unde his emendationibus, licet optimum sensum præferant, non multum fidendum fuit. Ex codice autem perinde emendato profluxisse ea exemplaria collectionis Hispanicæ quæ Gallicana appellamus, uti est codex Vat. 1341, et alii similes, quos in laudato tractatu allegabimus. Cum porro ex Gallicano exemplo collectionis Hispanicæ Leonis epistolas sumpserit auctor collectionis quæ Isidoriana vocatur, ex Isidoro autem derivaverint easdem epistolas auctores aliarum posteriorum collectionum, uti deinceps notabimus, hinc in omnibus easdem fere lectiones invenimus ac in Vat. Hisp. 1341. Ex hac autem animadversione facile est colligere quam minimi faciendas esse lectiones horum omnium codicum, quæ cum lectione Vaticani Hisp. conveniunt, a Vindebonensi autem dissentiunt. Hac de causa non inutile fuit pluribus in locis lectiones mendosas Vindebonensis Hisp. in annotationibus describere, et Vaticani variantes annotare, ut scilicet emendationes pateflant quæ ex ipso genuino textu arbitrariæ cognoscentur. Aliæ utilitates hujus diligentiæ ex memorato tractatu patebunt.

§ XI. De collectione decima, Isidoriana.

21. Isidori Mercatoris collectio post Hispanicam, quoad Leonis epistolas, distincte non esset memoranda; purus enim Isidori codex easdem nec plures, nec pauciores Leonis epistolas continet, quæ quidem in eum ex Hispanica collectione, sine ulla fictione vel additione, fuerunt traductæ, ut patet ex codice Vaticano 630, sæculi circiter IX, quem accurate contulimus, et ex Vaticano 631, sæculi circiter XIII. Cæteri codices, quia alia additamenta in Leone recipiunt, etsi in cæteris plerisque Isidoriani sint, in Leonis tamen epistolis purum Isidorum non referunt, ut mox videbimus: unde pro Isidoriana pura perperam habetur collectio, quam Merlinus edidit. Deprehendimus præterea easdem fere lectiones cum iisdem plerumque erroribus inveniri in Vat. 1341 collectionis Hispanicæ, ac in Vat. 630 puri Isidori, ita ut alter ab altero videatur exscriptus, adeo ambæ collectiones in Leone consentiunt. Cum tamen Hispanica parum nota sit, Isidoriana autem uti notior citari soleat, et aliquot collectionis Isidorianæ codices Quesnellus alleget, etiam a nobis distincte erit appellanda, ut propterea decimæ collectionis nomine eam hic designare necessarium sit.

§ XII. De collectione undecima.

22. Quædam vero collectiones quæ ex Isidoriana promanant, in Leone quasdam epistolas præbent quæ cum in Isidoro et in Hispanica desint, aliam originem ostendunt, ac propterea pro collectionibus ab Isidoriana diversis quoad Leonem recenseri queunt. Undecima itaque collectio est in duobus mss. Isidorianis, nimirum in Vaticano Ottoboniano 93, sæculi IX, vel X, qui etsi in fine mutilus non omnes Leonis epistolas

Digitized by Google

hujus collectionis proprias exhibeat, integrum tamen numerum collegimus ex alio ms. Vat. 3791, sæculi XI. Præter epistolas XXXIX quæ ex collectione Isidori describuntur, mutato aliquantulum ordine, aliæ decem et octo epistolæ adjiciuntur, unde omnes sunt epistolæ LVII, quo numero comprehendimus epistolam 28 ad Flavianum, quæ ex duobus fontibus in hac collectione bis recitatur. Isidorianis præmittuntur epistolæ XVI sequentes : I, ad Theodoretum epist. 120 ; II, Eusebii et synodi Mediolanensis ad Leonem epist. 97 ; III, Ravennii et aliorum episcoporum Galliæ ad Leonem epist. 99 ; IV, Leonis ad Juvenalem epist. 139 ; V, ad Flavianum Constantinopolitanum epist. 28, sumpta ex lectione quam in Homiliariis antiquissimis reperimus, et dissimilis lectioni Isidorianæ, qua hæc epistola inter Isidorianas iterum recensetur ; VI, ad Pulcheriam epist. 31 ; VII, ad clerum Constantinopolitanum epist. 59 ; VIII, ad Palæstinos epist. 124 ; IX, ad Aquileiensem epist. 1 ; X, ad Julianum epist. 35 ; XI, ad Theodosium epist. 29 ; XII, ad synodum Chalcedonensem epist. 114 ; XII, ad Anatolium epist. 155, XIV, ad Leonem Augustum epist. 162 ; XV, ad Anatolium epist. 163 ; XVI, ad eumdem epist. 135. Subjiciuntur epistolæ 39 editionis Isidori, inter quas inseritur epistola nobis 19, ad Dorum Beneventanum, quæ in Isodoro desideratur. Notatu vero dignum est epistolam ad Africanos Mauros, quæ inter Isidorianas numeratur, hic non proferri ex editione Isidori decurtata, sed ex Hadrianea, ac postea eidem velut appendiculam subjici quidquid in Isidoro præterea legitur : quæ editionis ratio in posteriores aliquot collectiones ex hoc, ut videtur, fonte manavit. Tandem profertur epistola Leoni in hac collectione primum, quod sciamus, attributa, ad episcopos Germaniæ et Galliæ : unde vetus hujus suppositionis origo cognoscitur ; quæ cum in puro Isidoro desit, eam ab Isidoro confictam Blondellus aliique nonnulli perperam credidere.

23. Hujus autem collectionis antiquitatem non solum probat cod. Vat. Ottob. 93, sæculi, uti diximus, IX aut X, sed multo magis Hincmarus, qui Opusc. I, c. 5, pag. 23, edit. Parisiensis Joan. Cordesii, epistolam ad Mauros compendio memorans, prius Lupicini, dein Donati, tum Maximi ac tandem Aggari et Tiberiani causas in ea descriptas refert. Hic ordo cum in nulla alia antiquiore collectione inveniatur, Hincmarus hac collectione undecima usus fuisse videtur, ac propterea Hincmari ætate jam invaluerat.

24. Ad hanc collectionem referendi videntur duo alii mss. libri, qui ad Isidorum nihilum pertinent, nimirum Barberinus 57, a Quesnello memoratus in Notitia ms. secundæ editioni præfixa, et Vat. 4902. Barberinus enim scriptus sæculo circiter XII, licet in fine mutilus, eo tamen ordine præfert Leonis epistolas viginti tres, in quibus deficit, ut ex collectione undecima sumptæ noscantur. Vaticanus vero 4902 ætate multo inferior, at plenior, ex simili fonte dimanat.

§ XIII. De collectione duodecima a Merlino edita. Item de Sichardiana.

25. Locupletiora sunt additamenta Isidoro subjecta in ms. Vaticano 1340, quæ separato volumine descripta invenimus in cod. Veneto S. Marci 169. Hæc additamenta, quæ pro collectione duodecima haberi queunt, perveniunt usque ad concilium Remense an. 1148. Unde collectoris ætatem conjicere licet, et fortassis etiam nationem ; alia enim Gallicana monumenta his additamentis comprehensa præsertim in Leone collectorem Gallum produnt. Epistolæ Leonis, vel ad Leonem scriptæ, sunt novem et nonaginta ; ac propterea hæc collectio (si decimam octavam excipias) est ditissima omnium ; ex qua quidem non solum plures epistolæ antea ignotæ primum prodiere, quæ postea in rarissimis tantum codicibus inventæ sunt, sed aliquot etiam adhuc supersunt quæ in nullo alius collectionis codice reperiri potuere. Hinc autem eximia collectoris diligentia, et hujus collectionis origo ab aliis collectionibus diversa cognoscitur. Hæc collectio continet epistolas XXXIX collectionis 10 Isidori (inter quas est epistola decurtata ad episcopos Africanos) et alias epistolas XVI additas in collectione antecedenti, omissa una epistola 97 Eusebii Mediolanensis, ac sine repetitione epistolæ 28 ad Flavianum. Quæ autem de novo adjiciuntur, sunt epistolæ XLIV, quarum catalogum hic appendimus : I, Theodosio epist. 24 ; II, Galliæ episcopis epist. 102 ; III, Marciano epist. 121 ; IV, Eudochiæ (legendum *Juliano*) epist. 122 ; V, septimo Altini episcopo epist. 2 ; VI, Viennensibus epist. 10 ; VII, Ravennio epist. 41 ; VIII, Pulcheriæ epist. 95 ; IX, Marciano epist. 94 ; X, Pulcheriæ epist. 105 ; XI, Juliano Coensi epist. 113 ; XII, Marciano epist. 111 ; XIII, Pulcheriæ epist. 112 ; XIV, Juliano epist. 118 ; XV, Eudoxiæ epist. 123 ; XVI, Juliano epist. 125 ; XVII, eidem Juliano epist. 127 ; XVIII, Ceretii, Salonii, et Veram ad Leonem epist. 68 ; XIX, Leonis, Victorii, et Eustochii episcopis et presbyteris infra tertiam provinciam, in appendice edenda ; XX, Leonis papæ Ravennio, et aliis Galliæ episcopis epist. 103 ; XXI, Gallis et Hispanis epist. 138 ; XXII, Theodosio epist. 54 ; XXIII, Juliano epist. 34 ; XXIV, Flaviano epist. 36 ; XXV, Theodosio epist. 37 ; XXVI, Flaviano epist. 38 ; XXVII, eidem epist. 39 ; XXVIII, Constantinopolitanis epist. 50 ; XXIX, Anastasio epist. 47 ; XXX, Flaviano epist. 49 ; XXXI, Juliano epist. 48 ; XXXII, archimandritis Constantinopolitanis epist. 51 ; XXXIII Marciano epist. 74 ; XXXIV, eidem epist. 78 ; XXXV, Juliano epist. 81 ; XXXVI Pulcheriæ epist. 45 ; XXXVII, Anatolio epist. 87 ; XXXVIII, Marciano epist. 89 ; XXXIX, Pulcheriæ epist. 116 ; XL, Maximo epist. 119 ; XLI, Leoni Augusto epist. 145 ; XLII, eidem epist. 148 ; XLIII, eidem epist. 156 ; XLIV, Pulcheriæ epist. 30.

26. Pleræque ex his epistolis in nulla jam descripta collectione inveniuntur. Quod si nonnullæ postea inventæ fuerunt in quibusdam raris codicibus, aliæ vero in manuscriptis collectionis 24, ex qua auctor profecisse videtur, quinque tamen Leonis epistolas in nulla alia collectione adhuc exhibitas ex aliquo ignoto

Digitized by Google

codice sumpsit, nimirum epist. 39 ad Flavianum, 47 ad Anastasium, 48 ad Julianum, 74 ad Marcianum, et 138 ad Gallos et Hispanos. Præterea cum hic collector quæcumque Leonis nomine inscripta suis in codicibus reperit, huic collectioni adjecerit, perperam inseruit epistolam Leonis, Victorii, et Eustochii ad episcopos et presbyteros intra tertiam provinciam constitutos, non animadvertens Leonem istum esse episcopum Turicensem, unde hæc epistola in appendicem rejicietur.

27. Hanc collectionem vulgavit Merlinus, quippe qui Isidorianum codicem similem Vaticano 1340 typis dedit. Solum in epistolis Leonis apud ipsum numerantur epistolæ xcvii; in hac enim serie omisit epistolam 25 Petri Ravennatis ad Eutychen, et epistolam 68 Ceretii, Salonii et Veriani ad Leonem, quæ inter Leoninas in hujus collectionis codicibus inseruntur. Præterea epistolarum ordinem, qui in mss. exemplaribus visitur, alicubi immutavit. Merlini exemplum collaturi, usi sumus ejus editione Coloniensi an. 1530. Codex Isidorianus, quem Quesnellus identidem citat, et Hefovalliarium vocat, ex pluribus indiciis ad hanc collectionem pertinet. Collectionem non multo dissimilem exhiberi in codice Remensi S. Remigii, quem idem Quesnellus sæpe laudat, cum ex multis variantibus colligimus, tum ex Constantii præfatione in Epist. Rom. pont. n. 163, ubi eumdem Remigianum codicem et Isidorianum esse, et pluribus Leonis epistolis auctum testatur.

28. Huc pariter revocari potest codex Isidorianus, ex quo Joannes Sichardus Romanorum pontificum epistolas edidit. Pleræque anteriorum pontificum supposititiæ, sunt ex Isidori officina; Leonis vero epistolæ quinquaginta, quæ editionem claudunt, quæque præterea insertam habent epistolam 22 Flaviani ad Leonem, omnes sunt sinceræ, et in collectionis 12 codicibus continentur. Ex diverso tamen ordine ac numero epistolarum, Sichardi codicem fuisse a nostris diversum liquet. Lectiones vero, et præsertim pannus, quem Sichardi codex præfert in epist. 1, ad Aquileiensem episcopum, diverso loco assutus, ac in præsenti col. lectione, cum post ea verba subjiciatur, post quæ insertus legitur in mss. collect. 24, ut annot. 26 ad epist. 1 annotabimus, ab eodem fonte ex quo collectio 24 profecta est, auctorem exempli Sichardiani ebibisse insinuat. Quesnellus dum Sichardum allegat, usus est editione Parisiensi an. 1568, quæ ad Victorinos codices forte Isidorianos, non autem Sichardiano similes emendata fuit. Nos adhibuimus vetustiorem editionem Basileensem an. 1536, quæ parum Sichardi codicem exhibet.

§ XIV. De collectione decima tertia.

29. Tertiam decimam collectionem appellamus quæ exstat in manuscripto libro Florentino S. Marci 182, sæculi XII. Solas exhibet epistolas Romanorum pontificum. Ex apocryphis autem, quas una cum sinceris epistolis profert usque ad Symmachum III, Leonis prædecessorem, Isidorianus agnoscitur. In Leone autem ab Isidorianis codicibus omnium maxime discrepat. Non solum enim epistolarum ordine et qualitate ab Isidoro, immo et a quacumque alia collectione diversus est; sed epistolarum 12 ad Africanos Mauritaniæ litteram et exacte descriptam hic unus codex exhibet: quod peculiarem et præstantissimam hujus collectionis originem plane demonstrat. Tres et viginti integras epistolas continet, at vigesima quarta finem caret: est enim codex mutilus; unde quot illæ epistolæ in hac collectione fuerint, ignoramus. Singularum indicem damus I, episcopis per universas provincias constitutis epistola nostræ editionis 4; II, Italis epist. 7; III, Siculis epist. 16; IV, Januario Aquileiensi epist. 18; V, Rustico epist. 167; VI, Anastasio epist. 14; VII, Nicetæ epist. 159; VIII, Mauris epist. 12; IX, Palæstinis epist. 124; X, Constantinopolitanis epist. 59; XI, Ephesinæ synodo epist. 33; XII, Theodosio epist. 44; XIII, Pulcheriæ epist. 45; XIV, Theodosio epist. 29; XV, Juliano epist. 35; XVI, Pulcheriæ epist. 31; XVII, ... Aquileiensi epist. 1; XVIII, Septimo epist. 2; XIX, Anatolio epist. 165; XX, eidem epist. 155; XXI, Chalcedonensi synodo epist. 95; XXII, Dori epist. 19; XXIII, Flaviano epist. 28; XXIV, Marciano perperam inscribitur; subjicitur enim epistola 165; cujus initium *Promisisse mihi*, quæ ad Leonem Augustum tradita fuit. Octo priores epistolæ Hadrianeæ collectionis ordinem præferunt: at octava ad episcopos Mauritaniæ editionem Hadrianeam non sequitur; sicut nec Isidorianam, ut paulo ante monuimus.

§ XV. De collectione decima quarta, Avellana.

30. A collectionibus generalibus transimus ad peculiares, et primum ad eas quæ peculiaria quarumdam Ecclesiarum documenta continent. Romanæ Ecclesiæ præcipua est collectio decima quarta, quam Avellanam vocamus; auctor enim qui sub Vigilii tempora Romæ, ut videtur, floruit, multa Romanorum pontificum et Romanæ Ecclesiæ specialia collegit, quæ in cæteris collectionibus vel omnino desunt, vel diversa editione prodiere. Avellanam vero appellavimus, eo quod celeberrimus et antiquissimus hujus collectionis codex Vaticanus 4961 pertinuit ad monasterium S. Crucis Fontis Avellanæ in Umbria. Alia tamen ejusdem collectionis exemplaria invenimus: Romæ tria Vaticana 3786, 3787 et 4903, unum Corsinianum, et aliud bibliothecæ Angelicæ; Venetiis autem duo S. Marci 171 et 172. Inter hæc Vaticanum exemplar 3787, sæculi XII, et Veneta duo ab Avellano nequaquam pendent. Hæc collectio, in quam tam peculiaria Romanæ Ecclesiæ monumenta non nisi ex scriniis apostolicis derivari potuerunt, quinque tantum Leonis epistolas nobis præbuit a Surio primum vulgatas, quas in aliis codicibus aut collectionibus frustra requiras. Sunt autem: I, Leoni Augusto epist. 169; II, Gennadio Constantinopolitano epist. 170; III, Timotheo Alexan-

Digitized by Google

drino epist. 171; IV, presbyteris et diaconibus Alexandrinis epist. 172; V, Theophilo et aliis episcopis Ægyptiis epist. 173.

§ XVI. De collectione decima quinta, Arelatensi.

31. Decima quinta collectio Arelatensis Ecclesiæ propria epistolas Romanorum pontificum ad suos episcopos, vel suorum episcoporum ad Romanos pontifices complectitur, quibus sua privilegia aut jura probarentur. Huic collectioni debemus tres epistolas Leonis, et unam ad Leonem, quæ alias periissent, nimirum: I, Leonis ad Constantium, aliosque episcopos Galliarum epist. 40; II, ad Ravennium Arelatensem epist. 42; III, preces Gallorum ad Leonem epist. 65; IV, rescriptum S. Leonis ad epistolam superiorem epist. 66. Laudantur duo antiqui codices Regius et Colbertinus. Nos recentiorem quidem ms. Vallicellanum C 99, sed sumptum exactissime ex pervetusto Arelatensi recognovimus; ex quo licet memoratæ epistolæ a card. Baronio editæ fuerint, nonnulla tamen emendare licuit, quæ ob characterem difficiliorem apographi legenti obrepsere.

§ XVII. De collectione decima sexta, thessalonicensis Ecclesiæ.

32. Collectio decima sexta est propria Ecclesiæ Thessalonicensis. Ejusmodi autem habenda est synodus Romana sub Bonifacio II, anni 531, in qua non paucæ epistolæ pontificum Romanorum ad eamdem Ecclesiam pertinentes productæ et insertæ fuerunt. Huic collectioni auctoritatem conciliat Nicolaus I, qui cum quasdam epistolas in hac una collectione contentas sæpius laudat, toti collectioni fidem facit. Exstat hæc collectio, sed synodus Romana in ms. Barberino 3386, ex quo Holstenii editio prodiit. Pleraque monumenta ibidem recitata aliunde non suppetunt. Leo Allatius in Concordia Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali, pag. 1370 et 1371, nonnulla fragmenta vulgaverat ex codice Vaticano, quem pag. 1364 vetustissimum et luxatum, ac in nonnullis depravatum testatur. Barberinus codex, qui præter Romanam synodum alia nonnulla ab Holstenio item impressa continet, recentior est, et ex duobus antiquioribus Vaticanis tunc signatis num. 5751, fol. 55, et 6339, fol. 12, qui in prima pagina indicantur, exscriptus agnoscitur. Alterum ex his Allatium adhibuisse credimus, cum ea fragmenta recitavit. Sed quantacumque in inquirendo diligentia usus sim, neutrum codicem reperire licuit. Non solum enim codices, qui hoc tempore numeris indicatis notantur, nihil ejusmodi exhibent; sed nec indices, nec inventaria Vaticana suffragari potuere. Quod si codex Barberinus Holstenii cura descriptus est, ut ex numero Vaticanorum manuscriptorum ejus manu initio annotatis colligere licet; de exemplo ad fidem Vaticani accurate scripto dubitare non licet, adeo ut ipsi errores codicis Barberini, quos ille in editione postea emendavit, et paucæ quædam lacunæ, quæ in eodem cernuntur, in editione autem Holstenii fuerunt suppletæ, Vaticano exemplari tribuendæ sint. Cur autem Barberinum ms. potius quam Vaticanum editor allegaverit, latet. Non pauca Holstenius in editione emendavit, vel supplevit ex ingenio, nihil admonens quid esset in codice. Nos quidquid id est indicabimus, ipsumque codicem consulere aliquot locis restituendis non inutile experti sumus. Porro omittendum non est synodum Romanam hoc in ms. integram non haberi, et desinere in epistola Leoni perperam tributa ad Anastasium Thessalonicensem, quæ incipit: *Gratulabamur post epistolas nostras*. Ex contextu enim et consulari nota manifestum est eam spectare ad Bonifacium I, et ad Rufum Thessalonicæ episcopum. Hinc jure Holstenius eam typis impressit inter epistolas Bonifacii num. 7, hac inscriptione: *Dilectissimo fratri Rufo Bonifacius*: meliore tamen debebat erroris qui in manuscriptum librum irrepserat. Cum vero hæc Romana synodus, uti exstat in manuscripto, reipsa abrumpatur in epistolis Leonis, quemadmodum ostendunt ultima codicis verba descriptis ejusdem epistolis subjecta, *Item recitata est*, quæ aliam epistolam subsequentem et in ms. deficientem indicant; num hæc ad Leonem spectarit, et unane an plures subsecutæ fuerint, ignoramus. Allatius in memorato opere *Concordia*, pag. 1371, ex Vaticano hujus Romanæ synodi exemplo testimonium citat epistolæ Leonis ad Anastasium Thessalonicensem, quod in editis Leonianis non legitur. Ne quis vero existimet esse fragmentum alterius epistolæ quam Barberini codicis librarius sub finem omiserit, sciendum est eum locum pertinere ad laudatam epistolam Bonifacii ad Rufum, quæ proinde æque in Vaticano ac Barberino ms. Leoni ad Anastasium perperam inscribebatur: unde Barberinum codicem ex hoc eodem Vaticano exacte descriptum, et emendandum in ipsis erroribus transcribendis accuratum cognoscimus. Nunc catalogum earum epistolarum, quæ in hac collectione supersunt, exhibemus: I, Marciani ad Leonem epist. 100; II, Leonis ad Marcianum epist. 104; III, ad Anatolium epist. 106; IV, ad Marcianum epist. 136; V, Anatolii ad Leonem epist. 132; VI, Leonis ad Anatolium epist. 133; VII, ad Anastasium epist. 6; VIII, ad metropolitanos per Illyricum constitutos epist. 8; IX, ad Senoclenem et alios Achaiæ episcopos epist. 13. Sex ex his ante Holstenium ineditæ huic collectioni debentur, id est prima, quarta, quinta, septima, octava, et nona. Nos quartam in ms. Ratisponensi invenimus, Quesnellus in Grimanico: primam vero Marciani Arcadiæ diaconæ Græce scriptam in Blodeiano codice reperit, nos autem in Vaticano Græco 1455.

§ XVIII. De collectione decima septima, Chalcedonensi.

33. Inter collectiones particulares referenda est illa quæ ad Chalcedonensem synodum pertinet. Cum hæc plures sive Leonis, sive ad Leonem spectantes epistolas contineat, quæ in hac editione describentur, eademque sit antiquissima omnium, quasi Leonis peculiaris cæteris ejus vetustis collectionibus præmittenda

Digitized by Google

fuit. Hæc collectio dividitur in partes tres. Prima documenta exhibet quæ præcesserunt gesta concilii; secunda ipsas concilii actiones comprehendit; tertia vero exhibet quæ post synodum acta fuerunt. In prima parte, quæ a Rustico appellatur *ante gesta*, epistolæ in editione nostra collocandæ, sunt septem et viginti, quarum seriem ex Latinis codicibus appendimus : I, Leonis ad Eutychen epist. 20; II, Petri Ravennatis ad Eutychen epist. 25; III, Leonis ad Flavianum epist. 23 ; IV, Flaviani ad Leonem epist. 22; V, Leonis ad Faustum epist. 72; VI, Flaviani ad Leonem epist. 26; VII, Leonis ad Julianum epist. 35; VIII, ad Faustum et cæteros Constantinopolitanos epist. 32; IX, ad Theodosium epist. 29; X, ad Pulcheriam epist. 30; XI, ad synodum Ephesinam epist. 33; XII, ad Theodosium epist. 43; XIII, ad eumdem epist. 44; XIV, ad Pulcheriam epist. 45; XV, Hilarii diaconi ad Pulcheriam epist. 46; XVI, Placidiæ ad Pulcheriam epist. 58; XVII, Valentiniani ad Theodosium epist. 55; XVIII, Placidiæ ad eumdem epist. 56; XIX, Eudoxiæ ad eumdem epist. 57; XX, Theodosii ad Valentinianum epist 62; XXI, ad Placidiam epist. 63; XXII, ad Eudoxiam epist. 64; XXIII, Leonis ad Constantinopolitanos epist. 50; XXIV, ad archimandritas Constantinopolitanos epist. 5.; XXV, Marciani ad Leonem epist. 73; XXVI, ad eumdem epist. 76; XXVII, Pulcheriæ ad eumdem Leonem epist. 77. Una inserta est actioni quæ in vulgatis vocatur secunda, nimirum Leonis ad Flavianum epist. 28. Duæ tandem parte tertia post concilii gesta, id est synodi Chalcedonensis ad Leonem epist. 98, et Leonis ad eamdem synodum epist. 114. Græci autem codices, qui hanc postremam ignorant, aliam epistolam præferunt ante gesta, videlicet *Leonis ad synodum Nicænam* epist. 93. Græci mss. libri Veneti S. Marci non solum eamdem epistolam ponunt ante gesta cum inscriptione *ad synodum in Nicæa*, quo primum indictum fuerat concilium; verum etiam illam repetunt in inedita actione concilii Chalcedonensis in appendice monumentorum publicanda, cui ejus epistolæ lectio occasionem dedit. Hic autem pro *in Nicæa* legitur *in Chalcedone*, mutata fortasse a legatis inscriptione, cum ob variatam indictionem concilii vere in Chalcedone Patres convenerint.

34. Hæc collectio est vetustissima omnium. Græce enim compacta fuisse videtur ipso Leone vivente inter annum 453 et 455. Quod cum deinceps rebus multis utile futurum sit, distincte statuere et memoria retinere plurimum refert. Duæ epigraphes a collectore scriptæ id evidenter demonstrant. Etsi enim epistolæ saltem aliquæ Latinæ originis, quæ in Græca collectione continentur, ab ipso Græcæ collectionis auctore in Græcum traductæ non fuerint, sed quas antea Græce redditas invenit, solum collegerit et in unum corpus digesserit; epigraphes tamen, quæ longioribus identidem verbis et cum historicis quibusdam notitiis præfiguntur epistolis, eidem Græco collectori referendas, et collectionis tempore scriptas indubium credimus. Græcus autem collector in epigraphe quam præfixit epistolis Valentiniani, Placidiæ et Eudoxiæ ad imperatorem Theodosium, hunc et Placidiam, quia collectionis tempore e vivis excesserant, *divæ memoriæ* titulo appellat; Valentinianum autem, cum adhuc viveret, non *divæ memoriæ*, sed *dominum* vocat. Integram epigraphen dabimus in admonit. præmissa epistolæ 55, num. 7. Igitur hæc collectio a Græco auctore digesta fuit ante Valentiniani mortem. Porro ex epigraphe ab eodem collectore præfixa epistolæ 77 Pulcheriæ ad Leonem (in nostra editione dabitur loco synopsis), hæc *divæ memoriæ* titulo nominatur; quæ formula eam jam defunctam ostendit. Pulcheria supremum diem obiit an. 453, Valentinianus vero anno 455. Itaque hæc collectio quoad originem Græcam inter an. 453 et 455 collocanda est. Id confirmari potest ex omissione aliarum cæteroquin insignium, at posteriorum, epistolarum Leonis, ac præsertim epist. 165 ad Leonem Augustum. Cum enim hæc etiam apud Græcos celeberrima esset, uti in admonitione ad eamdem ostendetur, nihil dubium est quin hanc præcipue hujus collectionis auctor inseruisset, si post has litteras missas in Orientem anno 458 collectionem concinasset. Ex quo vero eam contexuit paulo post concilium Chalcedonense ante annum 455, solas litteras ante Chalcedonense scriptas, et quæ mox sub idem concilium editæ fuerunt, colligere potuit. Cum vero hanc epistolarum collectionem per hocce tempus apud Græcos compactam dicimus, non idcirco credimus omnes epistolas quæ nunc eidem collectioni insertæ sunt, eodem tempore simul fuisse collectas. Alia enim Græca exemplaria plures, alia pauciores litteras præferunt. Totum discrimen est in Leoninis, vel ad Leonem pertinentibus. In mss. Græcis codicibus, quibus Romani editores usi fuerunt, et similiter in duobus Venetis desunt epistolæ sex, nimirum epist. 26, Flaviani ad Leonem ; epist. 45, Leonis ad Pulcheriam; epist. 46, Hilarii ad eamdem; epist. 50, Leonis ad Constantinopolitanos; epist. 51, ejusdem ad archimandritas; et epist. 58, Placidiæ ad Pulcheriam. Has vero in duobus mss. Parisiensibus invenit et edidit Cotelerius : quæ cum in prima collectione desint, posterius additæ noscuntur. Antiquissima tamen hæc additio est ; nam codices Parisiensibus similes nactus est Rusticus, cum sub medium sæculum VI hanc collectionem recognovit. Cumque jam tum vulgati essent ejusmodi codices, multo ante et fortassis paulo post primam collectionem illæ sex epistolæ adjectæ fuere. Quæ vero laudatas epigraphes præferunt, ad primam collectionem pertinent, quam inter an. 453 et 455 factam ostendimus.

35. Eadem porro Græca collectio Latine reddita fuit ante Vigilium papam, uti probat Baluzius in præfatione ad versionem antiquam concilii Chalcedonensis, num. 3. Ea vero documenta interpres tantummodo transtulit in Latinum, quæ ex sua origine Græce scripta fuerant, vel quorum originale Latinum nequaquam invenit. Quorum autem originale Latinum reperit, hoc in Latinis codicibus inseruit. Ita plerasque Leonis

Digitized by Google

epistolæ, quæ Græce redditæ, a Græco collectore compilatæ fuerunt, in Latinis ejusdem collectionis exemplaribus non interpretationes ex Græco, sed ipsum sunt originale Latinum. Id manifestum fit non solum ex syntaxi Leonis, quæ in plerisque Latinis hujus collectionis epistolis elucescit, sed multo magis ex iis litteris quarum exemplaria Latinæ utique originis, contenta in aliis Latinis collectionibus atque codicibus, qui a Græco non prodeunt, eadem verba referunt quæ leguntur in Latinis codicibus collectionis Chalcedonensis, ut patebit conferentibus præsertim epistolas 23, 28, 29, 30, 32, 50 et 51. Idipsum mirifice confirmat Leonis epistola 35, ad Julianum. Hæc enim in codicibus Latinis collectionis Chalcedonensis non perinde mutila est tribus in locis, ut in omnibus mss. Græcis invenitur; ac præterea caret quibusdam additamentis, quæ in solo Græco textu leguntur: unde in ipsis Latinis mss. ejusdem collectionis, non ex Græco reddita, sed ex originali Latino sumpta cognoscitur. Hinc Latini præcipue codices hujus collectionis editioni nostræ maximo usui erunt.

36. Cum vero Latinus interpres in nonnullis epistolis pro Latino originali textu, quem reperire non potuit, interpretationem ex Græco suis codicibus inseruerit, interpretationes epistolarum ab originalibus hoc indicio facillime discernentur (de solis epistolis quæ ab auctoribus Latine scriptæ fuerunt sermo est). Quæ chronicam notationem in Latinis mss. præferunt, sumptæ fuerunt ex Latinis originalibus exemplis, in quibus chronica notatio signabatur. Quæ vero hac notatione carent, interpretationes sunt ex Græco, in quo chronicas notationes Græcus interpres omisit. Hac ex animadversione nova confirmatio accedit, qua magis magisque comprobatur, quod paulo ante statuimus, epistolas Latinas, quarum chronica notatio ex Græco sumi non potuit, in codices Latinos concilii Chalcedonensis ex Latinis exemplaribus ejusmodi notatione haudquaquam carentibus fuisse traductas. Hic autem omittendum non est, Leonis epistolam 93, ad synodum Nicænam, quæ in Græco ante gesta describitur, diem et mensem exhibere. Sed hæc epistola in Latinis codicibus Chalcedonensis collectionis deest, nec fuit in antiqua Græca collectione, alias a Latino interprete in Latinis exemplaribus non fuisset omissa. Hinc autem quæ hodie legitur in mss. Græcis, posteriori additamento tribuenda est. Et sane veluti addititia in mss. Græcis Venetis postremo loco ponitur ante gesta, cum a Græco collectore aliis quibusdam monumentis suo more præposita fuisset.

37. Nunc memorandi sunt codices quibus utemur. De solis Latinis hic dicendum est, cum pleræque epistolæ ad hanc collectionem exigendæ Latine scriptæ, et ex originali Latino, ut probavimus, sumptæ fuerint. De Græcis vero codicibus separatim agemus postea. Duo mss. exemplaria Thuanea Quesnellus aliquando adhibuit. Nos autem non solum profecimus ex tribus codicibus Corbeiensi, Divionensi, et Colbertino, quorum variantes edidit diligentissimus Baluzius in recensione totius Chalcedonensis collectionis; verum etiam quatuor alios exacte contulimus, Chigianum 483, Vat. 1323, alium Vat. 4166, et unum præstantissimum capituli Veronensis 57, qui majori forma in quadratum vergente, et scriptura in duas columnas discreta exaratus, ad septimum circiter sæculum pertinet. Neque omittendus est æque antiquus Vaticanus 1322, qui inter gesta Chalcedonensia epistolam 28, ad Flavianum, et relationem synodi ad S. Leonem ex antiqua versione, et cum episcoporum subscriptionibus exhibet.

§ XIX. De collectione decima octava.

38. Nunc de antiquis peculiaribus epistolarum S. Leonis collectionibus. In vetusto Catalogo manuscriptorum bibliothecæ monasterii Bobiensis, quem ex Ambrosiano codice sæculi IX, vel X, vulgavit Muratorius tom. III. Antiquit. Italic. diss. 49, pag. 819, hæc leguntur: *Item de canonibus inter majores et minores habentur libri canonum* XV, *et libri epistolarum Leonis* II. Hæc procul dubio peculiaris erat epistolarum Leonis collectio, cujus duo exempla duorum librorum nomine indicantur. Si catalogus pertinet ad sæculum IX, vel X, de vetustate ipsarum collectionum seu codicum qui in eo laudantur, quis dubitet? Desiderium Montis Casini abbatem, qui postea fuit Victor papa III, inter cæteros codices quos bibliothecæ Casinensi acquisivit, præter librum sermonum S. Leonis comparasse etiam collectionem epistolarum, Leo Hostiensis tradit lib. III, c. 63, ubi hanc *registrum Leonis papæ* appellat. Liber sermonum in ea bibliotheca adhuc servatur; et *registrum epistolarum* defecit. Sed hæc epistolarum collectio recentioris ævi, scilicet sæculi XI, probabilius fuit, sicut et collectionem sermonum, quæ superest, recentiorem esse, in præfatione ad sermones animadvertimus.

39. Hic autem cum de antiquis collectionibus sermo sit, in quas olim ex archivis omnia, vel saltem plurima fuere derivata, codex Grimanitus, quo Quesnellus suam editionem maxime illustravit, sese primum offert. Cum de hac insigni collectione, cui decimum octavum locum tribuimus, multa Quesnellus tradiderit in generali præfatione, quam nostræ item generali subjecimus, eo lectorem remittimus; neque enim eadem repetere opus est. Solum advertimus P. Coustantium, in præfatione ad Epist. Rom. pontif. n. 166, opinari hunc codicem ante annos 700 fuisse descriptum, id est X circiter sæculo; ipsam autem collectionem derivatam putat ex archivo Ecclesiæ Romanæ; adeo enim multas peculiares epistolas exhibet, quas alibi potuisse reperiri difficile est. Inter epistolas scilicet 107 Leonis, quæ in eo codice continentur, epistolæ XXVIII antea ineditæ exinde prodierunt, nimirum una ad Flavianum, epist. 27; una ad Faustum, epist. 75; octo ad Julianum, epist. 86, 92, 117, 131, 140, 141, 147 et 152; una ad Paschasinum, epist. 88; quatuor ad Anato-

Digitized by Google

lium, epist. 91, 142, 146 et 157; quatuor ad Marcianum, epist. 126, 128, 137 et 142; una ad Proterium Alexandrinum, epist. 129; una ad Aetium, epist. 153; una ad Basilium Antiochenum epist. 149; una ad Euxitheum Thessalonicensem, epist. 150; tres ad Ægyptios, epist. 154, 158 et 160; una ad clericos Constantinopolitanos, epist. 161; et una ad Leonem Augustum, epist. 164.

40. Non omnes tamen hujus collectionis epistolæ ex Romano aut ex alio quovis archivo desumptæ dici queunt. Nam cum epistolæ ad Rusticum tituli Dionysiani præfixi legantur, aliqua collectorem ex Dionysio sumpsisse negari non potest. Alia similiter derivare potuit ex aliis collectionibus antiquioribus, ac præsertim ex 17 Chalcedonensi, ex qua sane sola haurire potuit epistolam 43, ad Theodosium; nam præcipuæ quædam ejus lectiones, lacuna et menda a Græco textu ejusdem collectionis pendent, ut in admonitione ad eamdem epistolam fusius ostendemus. Fortassis etiam aliquid posterius a quopiam amanuense additum fuit; et probabilius quidem posteriori additamento tribuendum videtur unica Symmachi epistola, quæ in fine hujus codicis legitur.

41. Solum epistolæ ad Eutychianam hæresim pertinentes, quæ in hac collectione plures quam alibi, et rarissimæ, inveniuntur, si non fuerunt petitæ ex ipso Romano archivo, in quo epistolas de fide suo quoque tempore fuisse custoditas, auctorem Pontificalis Romani testatum vidimus hunt. 2, ex aliqua certe vetustiore collectione, quæ ex eodem archivo sumpta fuit, originem ducere videntur. Simplicius, in epistola 4 ad Zenonem Augustum, scribit se ad Acacium misisse *exemplaria litterarum* Leonis de fide; at solas memorat epistolas ad Marcianum, Leonem Augustum, et synodum Chalcedonensem. Plenioremn vero ejusdem argumenti collectionem Vigilius papa ad Justinianum misit: nam epist 4 ad eumdem ait: *Ut cuncta pietatem vestram informent .... beatæ recordationis prædecessoris nostri papæ Leonis, quæ diversis ad Orientem sunt directa temporibus constituta, quanta de plurimis in præsenti necessaria credimus, superadjecimus, rogantes .... ut universa legere pietas vestra dignetur, ne aliquid supersit quod minime relegatur.* Aliquam certe ejusmodi collectionem epistolarum Leonis de fide contra Eutychianos olim apud Latinos vulgatam fuisse probare videtur antiqua professionis formula, quæ legitur etiam tom. X Conciliorum pag. 1388 edit. Venetæ, his verbis expressa: *Sed et epistolam beatæ recordationis Leonis apostolicæ sedis antistitis ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum datam, et omnes ejus epistolas, de fidei firmitate perscriptas, per omnia, et in omnibus inviolabiliter custodire, et libere semper prædicare profiteor.* Hanc vero collectionem Vigilii, quam in cod. Ratisponensi nobis conservatam numero sequenti satis probabiliter ostendemus, Grimanicæ collectionis auctor non adhibuit; neque enim omnes quæ in ea continentur epistolas descripsit, ac propterea ex aliis ignotis fontibus ebibit.

§ XX. De præstantissima collectione decima nona, Ratisponensi, cujus auctor videtur fuisse Vigilius papa.

42. Antiquiorem vero Grimanica, et aliquanto etiam præstantiorem credimus collectionem Ratisponensem, quam invenimus in codice bibliothecæ S. Emmerami. Is enim codex, qui nulli hactenus editioni usui fuit, non solum exhibuit decem et sex epistolas olim ineditas, antequam ex ms. Grimanico prodirent, ac octo quæ solum leguntur in mss. collectionis 12, et unam quæ exstat in rarissima collection. 16, atque aliam, quæ in sola collection. 23, verum etiam tres alias hactenus incognitas nobis suppeditavit ad Eutychianam historiam illustrandam maxime utiles, nimirum duas ad Julianum epist. 109 et 144, et aliam ad Anatolium epist. 151. Præterea hic codex emendatior est multo: unde hujus præsidio quasdam lectiones tute confirmare, plura autem loca ante depravata corrigere et restituere licuit. Solas epistolas ad Eutychianam hæresim pertinentes hæc collectio complectitur, non tamen omnes; desunt enim aliquæ ejusdem argumenti, quæ in aliis quibusdam peculiaribus collectionibus tantummodo reperiuntur. Hinc autem ejusmodi collectionem Leonis ævo supparem haud esse colligimus; si enim sub Leonis ætatem compacta fuisset, omnes in ea epistolæ ad Eutychianos pertinentes collectæ legerentur. Forte hæc est illa collectio quam Vigilium pontificem ad Justinianum misisse vidimus numero præcedenti. Pelagius enim secundus in epist. 3, ad Eliam Aquileiensem, cap. 3, t. VI Concil., editionis Ven. pag. 261, hanc, ut videtur, Vigilii prædecessoris sui collectionem respiciens, scribit: *A dilectione igitur vestra primum testimonium sancti prædecessoris nostri Leonis ponitur, quod in ejus epistola* ULTIMA *continetur.* Est autem testimonium ex epist. 162, quæ cum *ultima* quidem sit in ms. Ratisponensi, hic codex Vigilii collectionem continere credi potest. In hac sane non omnes, sed aliquot tantum præcipuas Leonis epistolas *de plurimis* ac Eutichianam hæresim pertinentibus Vigilius se collegisse testatur quod collectioni Ratisponensi maxime congruit. Solas porro epistolas Leonis compilator collegit, non vero aliorum ad Leonem. Ordinem chronologicum secutus est, sex epistolis exceptis, quæ extra proprium locum collocatæ leguntur. Epistolæ quæ in hac collectione describuntur, sunt duæ et septuaginta, ita tamen ut num. 71, loco epistolæ, describantur *exemplaria testimoniorum*, seu illa Patrum testimonia quæ subjiciuntur epistolæ S. Leonis in nostra editione 165, ad Leonem Augustum. Ultima porro epistola mutila est, eo quod codex postrema pagina careat. Antiquitatem hujus codicis prodit notatio quæ legitur in prima pagina his verbis: *Istum librum dedit Luog ad Sanctum Emmeramum pro Tutone episcopo, et pro remedio animæ suæ.* Hic autem Tuto Ratisponensi Ecclesiæ præfuit ab an. 891 usque ad an. 930. Character noni, vel decimi sæculi, similis est illi cujus specimen exhibuit P. Mabillonius de Re Diplomatica tab. 57.

Digitized by Google

45. Ne omnium epistolarum prolixum catalogum demus, satis erit ad cognoscendum et distinguendum ordinem hujus collectionis priores quatuor, et quatuor postremas epistolas indicare : I, Leonis ad Theodosium epist. 23; II, ad Flavianum epist. 25; III ad Theodosium epist. 29; IV, ad Pulcheriam epist. 30. Notabile est post epistolam hujus collectionis 56 ad Pulcheriam, quæ in nostra editione est epistola 98, hanc peculiarem notationem apponi : *Expliciunt epistolæ sanctissimi papæ Leonis, quæ sancto Chalcedonensi concilio sunt præmissæ;* et dein, a capite : *Incipiunt quæ post gesta subsecutæ sunt;* et subjicitur epist. 37, nobis 104, ad Marcianum, post concilium scripta. Nunc quatuor postremas innuimus : LXIX, ad Leonem Augustum epist. 164; LXX, ad eumdem epist. 165; LXXI, *exemplaria testimoniorum*, quæ antecedenti epistolæ subjici solent; LXXII, ad eumdem Leonem epist. 162. Hujus præstantissimi codicis et collectionis exemplum quam accuratissime transcriptum, quibus debeamus, in generali præfatione grato animo testati sumus, num. 6.

§ XXI. De collectione vicesima.

44. Hanc invenimus in Romano ms. 237 S. Crucis in Jerusalem sæculi circiter XI, qui tamen liber initio ea hac caret, ac propterea solas exhibet epistolas XXVII, quarum prima et ultima mutilæ sunt. Ordo postremarum undecim epistolarum in aliis collectionibus frequens est. At sexdecim priores epistolæ ita ab omnibus collectionibus diversum ordinem præferunt, ut hac de causa distinctam collectionem huic codici tribuendam putaverimus. Initio enim, ex. gr., post epistolam nostræ editionis 28 ad Flavianum, subjicit epistolam 35 ad Julianum, tum epist. 31 ad Pulcheriam, epist. 59 ad Constantinopolitanos, epist. 124 ad Palæstinos, epist. 1 ad Aquileiensem episcopum, epist. 163 ad Anatolium, epist. 165 ad Leonem Augustum, etc., qui perturbatus ordo in hac sola collectione invenitur. Cæterum in epistolis quæ supersunt nulla est quæ in collectione sequenti non legatur. Hic codex epistolam 12 ad Mauros cum appendicula exhibet. Inter Leoninas refert supposititiam ad Germanidrum et Galliarum episcopos, ac litteras ad Dorum Beneventanum *Theodoro* inscribit. Plura de hac collectione dicere opus non est.

§ XXII. De collectione vicesima prima.

45. Hæc collectio in mss. frequentior easdem epistolas LVI exhibet, quas in collectione 11 recensuimus; sed ordine et lectionibus ita diversis, ut diversam originem prodere videantur. Incipit ab epistola Leonis ad Eutychen, nobis epist. 20, et desinit in epistola ad episcopos Campaniæ, nobis epist. 168. Vetustius hujus collectionis exemplar, quod vidimus, est ms. 170 bibliothecæ Venetæ S. Marci sæculi circiter XII. Solas epistolas continet, non minus quam duo alii codices Vatt. 542 et 543, sæculi XIV. Epistolas vero una cum sermonibus collectionis exhibent mss. libri Vatt. 546 et 547, Vat. Urbin. 65, unus Angelicus Patrum Augustinianorum Romæ 8, 10, duo Florentini Medicei 11 et 23, pluteo 21, et unus Fesulanus canonicorum Lateranensium signatus num. 7, pluteo 3. Hanc eadem collectio una cum sermonibus legitur etiam in codice Vat. 561, qui Nicolao V traditus fuit an. 1452. Hic autem codex post epistolas LVI hujus collectionis proprias additionem habet aliarum duodecim epistolarum, quarum undecim in collectione 24 continentur. At cum hic codex omnes Leoninas epistolas collectionis 24 non referat, et duodecima seu ultima ad Maximum Antiochenum in hac vicesima quarta desit, ejus additionis auctor ex alio fonte hausisse videtur. Cum vero harum duodecim epistolarum variantes fere concordent cum mss. collectionis 12, has ex eodem fonte utriusque collectores hausisse credibile est.

46. Ad hanc collectionem referri possunt duo mss. libri Vat. 3137 et Vat. Ottobonianus 332, qui easdem LVI epistolas complectuntur. Licet enim undecim epistolæ abstractæ a fine hujus collectionis, in his codicibus insertæ legantur post epistolam 26, ac dein prosequantur cæteras epistolas a 27 ad 45, cum tamen omnes invicem eumdem ordinem servent qui in hac collectione deprehenditur, et in iisdem lectionibus fere conveniant, hæc mutatio ordinis alicujus librarii arbitrio potius quam diversæ origini tribuenda videtur.

§ XXIII. De collectione vicesima secunda.

47. Codex Venetus S. Marci 79, præter sermones collectionis 4 distinctam epistolarum collectionem præbet. Duarum collectionum 17 et 21 epistolas continet, hoc ordine : primum priores epist. XXVI collectionis 21, eadem serie; dein inseruntur epistolæ omnes Chalcedonensis collectionis 17, eodem pariter ordine, duabus tantum omissis, quæ inter præcedentes XXVI descriptæ fuerant. Tandem subjiciuntur cæteræ epistolæ collectionis 21, sed tribus omissis, et ordine non modicum immutato, ac lectionibus identidem valde dissimilibus, quæ aliam originem manifestissime ostendunt. Epistolæ omissæ sunt Eusebii Mediolanensis ad Leonem, nobis epist. 97; Ravennii ad eumdem epist. 99, et Leonis ad episcopos Campaniæ epist. 168.

§ XXIV. De collectione vicesima tertia.

48. Peculiaris est collectio quæ exstat in cod. Vat. Ottobon. 297 sæculi XII. Initio præbet Leonis epistolas quindecim antea recensitas in collectione 8, quarum decima quinta est epistola 165, ad Leonem Augustum. Post hanc vero epistolam, et ante testimonia Patrum eidem subjecta; inseruntur epistolæ Innocentii I ad Decentium, Bonifacii I ad Honorium Augustum, responsio Honorii, et Cœlestini epistola ad Venerium. Tum subjiciuntur testimonia Patrum, quæ pertinent ad laudatam epist. 165. Dein sequuntur epistolæ LVI collect. 21 iis exceptis quæ inter priores epistolas XV descriptæ fuerant, et ordine alicubi immutato. Tandem ad-

Digitized by Google

duntur in fine quatuor perrarae epistolæ : ad Julianum epist. 107, ad Constantinopolitanos epist. 50, ad Flavianum epist. 49, ac ad Martinum et Faustum epist. 51. Gerardus Vossius præpositus Tungrensis ex ms. libro hujus collectionis, qui erat cardinalis Sirleti, duas epistolas tunc ineditas vulgavit, alteram ad Siculos in nostra editione epist. 17, alteram ad Julianum ep. 107, ut videre licet in appendice opusculorum subjecta editioni Moguntinæ an. 1604 Operum S. Gregorii Thaumaturgi.

§ XXV. De collectione vicesima quarta.

49. Postremum locum damus collectioni epistolarum quas reperimus una cum sermonibus collectionis 5. In hac sunt epistolæ LXXI, nimirum LIV epistolæ collectionis 21 (omissis duabus Petri Chrysologi ad Eutychen, et Eusebii Mediolanensis ad Leonem), et aliæ insuper rarae epistolæ XVII quæ in collectione 12 reperiuntur, nimirum epistolæ nostræ editionis 2, 10, 24, 41, 94, 95, 102, 105, 111, 112, 113, 118, 121, 122, 123, 125 et 127. Epistolæ LIV credi possent sumptæ ex collectione 21 vel 11. At ne id credamus, efficit epistola 12 ad Mauros, quæ licet inter LIV censeatur, in hac tamen collectione est decurtata, in collectionibus autem 11 et 21 appendiculæ additionem præfert. Similiter epistolæ XVII dici nequeunt sumptæ ex collectione 12, quippe si ex hac collector profecisset, non has solas XVII epistolas, sed alias pariter exinde exscripsisset. His adde observationem quam fecimus, cum de Sichardi collectione, num. 28, locuti sumus. Præterea ordo omnium harum epistolarum LXXI diversus ab ordine utriusque collectionis 12 ac 21, et lectiones item discrepantes alium ignotum fontem demonstrant : unde in conferendis quibusdam epistolis hanc collectionem veluti originale a cæteris diversum experti sumus ; adeo ut in iisdem non derivet a collectione Hispanica, a qua illæ in cæteras posteriores collectiones dimanarunt. Hujus collectionis sunt codices Vaticanus 544 sæculi XII, Vat. Regius 139 sæculi XIII, Cæsenas Patrum Minorum Conventualium S. Francisci, et Laurentianus Florentinus 14, pluteo 21, qui duas præterea epistolas addit, videlicet 119 et 145. Quesnellus trium mss. hujus collectionis notitiam habuit, Victorini, Regniacensis, et S. Martini Antissiodorensis, ut patet ex Admonit. in epist. 12, n. 2; at solo Victorino ms. plerumque usus est. In codice Fesulano 10, pluteo 3 solum epistolæ XXV hujus collectionis descriptæ fuerunt, quarum pleræque sunt ex XVII indicatis; epistola autem ad Mauros est decurtatæ editionis. Hactenus de collectionibus. Neque tamen credimus alias non posse reperiri : auctor enim collectionis 12 quinque singulares epistolas e collectionibus adhuc incognitis procul dubio derivavit, ut superius, num. 26, observavimus.

§ XXVI. De quibusdam codicibus qui præter laudatas collectiones usui fuerunt.

50. Nunc de iis codicibus breviter dicendum, qui licet collectiones epistolarum non sint, aliquas tamen Leonis epistolas præbuere. Tres vetustissimi mille circiter annorum mss. libri in primis commemorandi sunt. Veronensis 8, post epistolas Catholicas novi Testamenti, dedit epistolam 28 Leonis ad Flavianum. Alter Veronensis 58, duarum synodorum Ephesinæ et Chalcedonensis varia documenta complectens, eamdem epistolam ad Flavianum, et aliam ad Rusticum Narbonensem, cum Inquisitionibus præbuit. Alius Veronensis, nunc Vaticanus 1322, ante gesta Chalcedonensia, quinque Leonis epistolas exhibuit, nimirum epist. 87, 89, 93, 94 et 114. In ms. Vat. Reginæ 293 sæculi XII, post libros *De Vocatione omnium gentium* describuntur quatuor epistolæ S. Leonis 31, 35, 139 et 165. Similem codicem Thuaneum Quesnellus habuisse videtur, ut ex mss. ejus notitia colligi potest. In ms. Vallicellano 18 sæculi XI, qui codex varia opuscula continet, opusculo 73 inseruntur duæ Leonis epistolæ, nimirum tit. 398 epist. 106, et tit. 399 epist. 93. In Vaticano 1343 sæculi X, qui fuit Ecclesiæ Ticinensis, et Miscellanea Dionysianæ et Isidorianæ collectionum exhibet, quatuor Leonis epistolæ præferuntur, quæ ex additionibus Dionysianis, seu ex collectione 8 sumptæ videntur, nimirum epistolæ 9, 17, 20 et 108. Codex Vat. 1347 sæculi X, et similes Vat. Palat. 579, ac Vat. Reginæ 849, unam epistolam 14 ad Anastasium præbuere. Barberinus codex 77, qui a Quesnello memoratur in secunda editione, solam obtulit epistolam 12 ad episcopos Mauritaniæ decurtatam. Exemplum primæ editionis sermonum S. Leonis, quam vulgavit Joannes Andreas episcopus Aleriensis, præter epistolam 28 ad Flavianum, quatuor alias sermonibus subjectas præstitit, videlicet epist. 80, 119, 145 et 165. Cæteri ejusdem generis mss. libri, qui peculiaribus epistolis Paschasini et Proterii ad Leonem emendandis profuere, suis locis indicabuntur : sicut etiam illi qui ad nonnullas leges hâic editioni inserendas aliquid contulerunt.

§ XXVII. De manuscriptis Græcis.

51. Epistolas Leonis Chalcedonensi collectioni 17 præmissas, mox Græce redditas et compilatas fuisse inter an. 453 et 455 probavimus num. 34. Idem subinde factum fuisse de cæteris ejusdem litteris, quas eadem super re in Orientem transmisit, dubitare non licet : unde celeberrima inter Græcos vel olim exstitit epist. 175, ad Leonem Augustum, cujus Græca versio omnium accuratissima est. Diximus accuratissimam omnium, eo quod cæterae interpretationes Græcæ obscuræ et implicatæ plerumque inveniantur. Neque id ab eo antiquo tempore alienum credatur. Sicut enim hac ætate apud Latinos rari erant qui Græcam linguam probe callerent, et exactam versionem e Græco redderent; ita apud Græcos rari qui perfecte tenerent linguam Latinam, accuratamque interpretationem ex Latino producerent. Quoad Latinos satis indicio est illud Cœlestini epist. 15 ad Nestorium, num. 2, ubi serius ad ejus epistolas se respondisse affirmat hac una de

Digitized by Google

causa : *Erat enim in Latinum sermo vertendus ;* ac si difficile fuerit Romæ expeditum interpretem invenire. Id autem adeo notum fuisse videtur Cyrillo, ut Græca quædam documenta ad eumdem Cœlestinum missurus, ea ob faciliorem et promptiorem usum, (a) *quantum licuit per eos qui Alexandriæ vitam degebant, Latine reddenda curaverit*, ut ipse testatur epist. 8 ad Cœlestinum num. 9. Hinc etiam S. Leo, epist. 115, c. 4, postquam affirmavit gestorum Chalcedonensium instructionem apud Romanos fuisse *parum claram propter diversitatem linguæ Græcæ*, qua illa scripta erant, de perito interprete Romæ inveniendo diffidens, a Juliano Coensi enixe petiit ut ea Constantinopoli Latine transferenda curaret. Illæ ipsæ antiquæ versiones Latinæ quorumdam documentorum ante Dionysium Exiguum adeo implexæ sunt, ut hanc eamdem difficultatem satis superque confirment. Idem vero accidisse apud Græcos, cum reddenda essent Græce documenta Latina, versiones pariter antiquæ Græcæ, quæ sive in Ephesino, sive in Chalcedonensi concilio lectæ fuere, testimonium locupletissimum afferunt : idque per hæc quoque tempora dici potuit quod suo ævo scripsit S. Gregorius, lib. VII, epist. 13 ad Narsetem : *Quia hodie in Constantinopoli civitate, qui de Latino in Græcum dictata bene transferant non sunt ; dum enim verba custodiunt, et sensus minime attendunt, nec verba intelligere faciunt, et sensus frangunt.* Nihil igitur mirum sit, si Græcæ versiones epistolarum Leonis non adamussim respondent originali Latino, cujus sententiam Græcus interpres nonnumquam minus assecutus agnoscitur.

52. Neque tamen idcirco hæ versiones minoris habendæ sunt ; nam sub Hormisda, reconciliatis Orientalibus cum Occidentali Ecclesia, illi non solum epistolam S. Leonis ad Flavianum, sed omnes ipsius epistolas ejusdem argumenti profiteri solebant. Id ut exigerent, in mandatis dederat laudatus pontifex suis legatis Constantinopolim transmissis, ut patet ex indiculo eisdem tradito, quod legitur tom. V Concil. pag. 567. edit. Venetæ. Hinc Joannes episcopus Nicopolitanus, in epistola ad eumdem pontificem, pag. 578, a : *Sequens*, inquit, *in omnibus synodicas et apostolicas epistolas scriptas a vero præsule Romanæ Ecclesiæ Leone.* In professione Orientalium edita et ad eumdem pontificem missa an. 517, pag. 583, a, legitur : *Suscipimus et approbamus omnes epistolas Leonis papæ universas quas de religione Christiana conscripsit.* Joannes Constantinopolitanus, in epistola ad eumdem, pag. 622, d : *Probamus et amplectimur epistolas omnes B. Leonis papæ urbis Romæ, quas conscripsit de recta fide.* Et ut alia id genus testimonia omittamus, ipse imperator Justinianus, in epistola ad Agapitum papam, pag. 947, e : *Probantes per omnia atque amplectentes epistolas B. memoriæ Leonis omnes quas de fide Christiana conscripsit.* Epistolæ quas isti probabant atque amplectebantur, erant interpretationis Græcæ. Græcus itaque istarum textus non ut privatum scriptum habendus est, sed ut publicum Ecclesiæ Orientalis monumentum ab eadem probatum atque receptum ad statuendam contra Eutychianos catholicam fidem. Hinc autem quanta harum interpretationum auctoritas sit, quantumque intersit earum editio, nemo est qui non videat. Aliæ porro epistolæ a Græcis auctoribus ad Leonem datæ et inter Leoninas recensendæ, Græce scriptæ fuerunt ; unde Græcum exemplar originale omittendum non fuit. Duæ item epistolæ Leonis 43 et 72, una Hilari Romanæ Ecclesiæ diaconi ad Pulcheriam epist. 46, et pars epistolæ 25 Petri Ravennatis ad Eutychen, licet ab auctoribus Latine scriptæ fuerint ; cum tamen Latinus originalis earum textus desideretur, Græca antiqua versio, quæ ab aliis postea Latine reddita fuit, pro originali textu habenda est. Ejusdem generis sunt quatuor epistolæ imperiales 55, 56, 57 et 58, ex Occidente missæ in Orientem, quæ Latino originali deperdito, sola antiqua Græca versio posterius Latine traducta, loco originalis haberi debet.

53. Quesnellus in prima editione duodecim tantum epistolarum Græcum textum edidit, earum scilicet quas aut ab origine Græce scriptas, aut pro originalibus habendas credidit, nimirum epist. 22, 52, 55, 56, 57, 62, 63, 64, 73, 76, 77 et 98. In secunda vero editione addidit alias duas Græcas 26 et 53, quæ a Cotelerio, et item 100 et 110, quæ ab Arnoldo post priorem editionem typis datæ fuerunt. Ita decem et sex epistolas Græcas ex vulgatis excerpsit. Nos vero, quibus propositum est omnium epistolarum Græcum textum producere, iis de causis quas supra explicavimus, addemus Græcum textum aliarum epistolarum viginti et quinque, ita ut omnes Græcæ epistolæ hac in nostra editione futuræ sint XLI. Inter has epistola 101 Anatolii ad Leonem originalis ex ms. Græco Vaticano 1455 nunc primum prodibit. Ex eodem codice accedent etiam quinque antiquæ interpretationes Græcæ, quæ nondum lucem viderunt, videlicet epistolarum 104, 106, 114, 115 et 139. Addemus præterea ex Vossio Græcam exactissimam versionem epistolæ 165, Leonis ad Leonem Augustum, quæ nec in editis Conciliorum legitur. Cæterarum vero omnium epistolarum non exscriptores tantum erimus ex editis, ut hactenus factum est ; codices enim Græcos investigavimus, et invenimus, cum quibus omnes fere epistolas Græcas conferre licuit, et illas etiam rarissimas quas Arnoldus vulgavit. Cotelerius in bibliotheca Regia Parisiensi perfectum exemplar Græcum collectionis Chalcedonensis nactus est, ei omnino simile, quod antiquus Latinus interpres ejusdem collectionis adhibuit. Sex enim epistolas Græcas, quæ apud interpretem Latinum ante gesta leguntur, at in codicibus qui usui fuerunt Romanis editoribus in edendo Græco textu desunt, ex eodem ms. Regio typis dedit. In cæteris vero epistolis Græcis nemo adhuc inventus est qui Græcum textum cum

(a) *Quantum licuit* inquit ; neque enim facile sperabat Proterius ut Alexandrini sui temporis Græca scripta Latine diligenter redderent, ut videre est epist. 131, c. 9.

Digitized by Google

aliquo codice recoleret et emendaret. Nos vero in mss. Græcis bibliothecæ Venetæ S. Marci, opem ferente cl. v. Antonio Zanetto ejusdem bibliothecæ custode, epistolas a Romanis editas relegere potuimus cum duobus Græcis exemplaribus ejusdem collectionis 555 sæculi XI vel XII, et 164 sæculi recentioris, quæ aliorius originis et melioris notæ sunt quam quæ Romanis editoribus usui fuere. In ms. vero Græco ejusdem bibliothecæ 165, quod nonnulla continet ejusdem collectionis documenta, unam nacti sumus ex sex epistolis a Cotelerio vulgatis, nimirum Flaviani epist. 26, una cum interpretatione epistolæ 28 Leonis ad eumdem. Has duas epistolas pariter reperimus in antiquo ms. Romano 19 Patrum Basilianorum, et cum utrisque codicibus ambas contulimus. Horum autem codicum subsidio plura Græci textus loca sanare licuit, in quo plurimum nos debere fatemur Patri Juliano Ferrario congregationis Oratorii Veronensis presbytero, qui inter cætera litterarum atque optimarum disciplinarum ornamenta peculiari Græcæ linguæ peritia fulget. Præterea ex duobus laudatis mss. Venetis 164 et 555, ineditam actionem concilii Chalcedonensis in appendice epistolarum proferemus, in qua Leonis epistola 95 ad synodum lecta fuit (*a*).

54. Unum hic monendum superest, nonnullas Græcas lectiones affixas margini editionis Romanæ Conciliorum, et exinde in alias editiones traductas, et a Quesnello etiam appositas Græcis epistolis, quas Leonis editioni inseruit, non esse variantes sumptas ex aliquo Græco codice, sed ab ipsis editoribus Romanis partim ex Latino textu, a quo discrepabat Græca versio, partim vero ex ingenio, ubi difficilis aut corruptus textus videbatur, fuisse compactas. Hinc autem intelliges quid sint illæ lectiones Græcæ quas ex editoribus Romanis aliquando allegabimus.

§ XXVIII. Peculiaria hujus editionis.

55. Ex recensione tot collectionum, ac tot etiam peculiarium et præstantissimorum codicum, quantum adjumenti habuerimus ad perfectiorem quam antea epistolarum S. Leonis editionem parandam, quisque intelliget; nemini enim hactenus plures et vetustiores aut peculiares nostri codices usui fuere. Quibus in collectionibus quævis epistola inveniatur, initio indicabimus hac vel simili formula : *Exstat in mss. coll.* 1, 2, 3, etc. Dionysianam, Hadrianeam, Hispanicam, et Isidorianam, quod notiores sint, ex proprio nomine expresse citabimus : in quo observandum est sub Dionysianæ vel Hadrianeæ nomine subintelligendos etiam codices collectionis 8, in quibus Hadrianea collectio *additionibus* Dionysianis præmittitur; et nomine collectionis Isidorianæ comprehendi mss. collectionum 11, et 12, quæ Isidorianam repetunt; solum enim hæ collectiones distincte erunt appellandæ, cum sermo erit de epistolis quæ ad Hadrianeam vel Isidorianam non pertinent, et ex alio fonte iisdem collectionibus accessere. Eadem ratione Isidori collectio nominanda non fuerat, cum quoad epistolas Leonis, non sit nisi repetitio collectionis Hispanicæ. Sed cur nihilominus ab hujus citatione non fuerit abstinendum, dictum est num. 21.

56. Quesnellus plerumque omisit antiquos epistolarum titulos, qui in codicibus inveniuntur, ut novas synopses a se compactas, quas aptiores credidit, præfigeret. Nos vero retentis, vel, ubi opus erit, emendatis titulis Quesnelli, omnes antiquos accurate proponemus in annotationibus, nimirum illos qui sunt in collectionibus Dionysiana, Hispanica seu Isidori, ac in quinta Quesnelliana.

57. Ordo epistolarum necessario mutabitur. Primo enim non paucarum epistolarum chronica notatio ex nostris codicibus corrigenda erit. Alias etiam epistolas quæ chronicis notis carent, non levibus argumentis in aliud tempus traducemus, ac exinde series ipsa aliter erit ordinanda. Deinde una epistola a Quesnello recepta expungetur, aliæ vero ineditæ accedent. Tandem optime ille quidem inter Leonis epistolas vulgavit alias aliorum litteras ad Leonem scriptas, vel ad eum pertinentes; at eas sine ullo numero, quo citari et inveniri facile possint, inseruit. Nos præterquam quod addemus alias nonnullas, probatissimorum editorum exemplum secuti, singulis suum numerum præfigemus, quod numerorum ordinem a Quesnello propositum multo magis subvertet.

58. Cum in emendando textu Quesnellianas variantes seu margini seu in notis designatas non negligemus, tum vero notas et observationes ejusdem fusiores, quas ipse in secundum tomum post dissertationes rejecit, in secundo pariter tomo hujus editionis per nos identidem, seu illustratas, seu emendatas invenies. Epistolas Leonis excipiet appendix, in qua præter supposititias alia quædam documenta ad Leonis litteras pertinentia, et inter hæc nonnulla inedita proferentur.

59. Syllabum codicum singularum collectionum quos in emendandis epistolis adhibuimus, hic non atteximus, quia cum superius suo loco eos distincte nominarimus, ac in plerisque collectionibus unici, vel pauci sint, facile erit invenire quis sit ille codex quem ex quavis collectione allegatum sumus. Solum cum in collectione 21 plura mss. exemplaria nacti simus, monendum est duo notissimum usui fuisse, Vatt. 545 et 546, quæ citata intelliges, cum mss. Vatt. collationis 21 allegata reperies. Si qui autem codices paucorum conferendi visi sunt in quibusdam lectionibus, eos proprio nomine laudabimus.

(*a*) In *addendis* ad calcem tomi II positis, Romani editores insuper in hoc loco legenda sequentia inserunt : « Cum vero post editum primum tomum prodiisset Romana editio P. Petri Thomæ Cacciari, alii codices Vaticani Græci quos ipsi licuit conferre, usui nobis fuerunt, tum ut nonnulla loca emendaremus, tum ut tria Græca fragmenta antea inedita in appendicem referrentur. »

Digitized by Google

60. Hic tandem animadvertimus, epistolam Cassiani ad Leonem in serie epistolarum omissam fuisse, ac quod ad Leonem tunc non pontificem, sed Romanæ Ecclesiæ archidiaconum directa, inter testimonia initio describatur. Libelli vero supplices Theodori et Ischirionis diaconorum, Athanasii presbyteri, ac Stephani laici Alexandrinæ Ecclesiæ, qui Leoni Romano episcopo, et sancto ac universali concilio Chalcedonensi inscripti, atque in eodem oblati, inserantur actioni tertiæ ipsius concilii, cum non agant de peculiari negotio cum Leone nostro, nec ad eum missi fuerint, inter hujus pontificis epistolas æquum locum habere non posse visi sunt. Inter has potius accensenda fuisset epistola encyclica Gennadii Constantinopolitani et episcoporum 73 adversus simoniacos, quæ tom. V Conciliorum editionis Venetæ pag. 45 directa traditur ad omnes metropolitas, καὶ πρὸς τὸν πάπαν Ῥώμης, *et ad papam Romæ*. Cum enim hæc encyclica scripta fuerit circa annum 459, ad nostrum Leonem missa dicenda esset. At cum ea verba καὶ πρὸς τὸν πάπαν Ῥώμης legantur quidem in editis et in codice Colbertino 4262, sed omittantur in duobus vetustioribus mss. Cæsareo et alio Colbertino 924, in quibus subscriptiones leguntur a Baluzio editæ; de hac inscriptionis particula, quæ Leonem respiceret, maxime ambigimus, et idcirco hanc epistolam memorare solum hoc loco satis duximus.

SANCTI LEONIS MAGNI
ROMANI PONTIFICIS
EPISTOLÆ.

ADMONITIO
In duas epistolas sequentes, I et II, ubi etiam de epistola XVIII.

1. De duabus epistolis 1 ad Aquileiensem episcopum, et 2 ad Septimum Altinensem, quæ ex ipso argumento simul jungendæ sunt, agi non potest, nisi quædam dicantur etiam de epistola 18 ad Januarium, quæ ob excitatas controversias non exiguum cum illis nexum habere videtur. Ita hæc prima admonitio tribus epistolis lucem afferet.

2. Postquam Card. Norisius in Pelagianæ Historiæ lib. II c. 12 duabus columnis, e regione edens duas Leonis epistolas ad Septimum, atque Januarium, palam fecit utrasque esse ejusdem exempli, de alterutra dubitari cœpit. Quesnellus prolixa observatione epistolam ad Septimum suppositionis accusavit, et impostæ auctorem credidit Isidorum Mercatorem. E contra Josephus Antelmius dissert. 4 de veris Operibus S. Leonis Magni hanc epistolam genuinam propugnans, illam ad Januarium commentitiam contendit. Aliquot subinde epistolæ editæ sunt ab utroque, quibus suam quisque sententiam vindicare studuit. Pagius in Critica ad an. 447, n. 8, Antelmii amici et comprovincialis sui opinionem secutus est. Quesnello autem favet P. Bernardus de Rubeis in Monumentis Ecclesiæ Aquileiensis c. 15, pag. 140. Tillemontius, tom. XV, not. 5 in Leonis Vit. pag. 890, probe refellit Quesnelli rationes, quibus epistolam ad Septimum rejicere studuit; at opinionem Antelmii, qua epistola ad Januarium explodituri, approbare non audet. Solum in fine pronuntiat, si hæc epistola non iteretur auctoritate non levi, et necesse esset alterutram ad Januarium vel ad Septimum veteri suppositicium repudiare, illam potius quam istam rejiciendam videri. Nihil tamen pro judicanda alterutra satis vehemens atque convincens allatum esse fatetur in ipso opere, art. 7, pag. 451.

§ I. De codicibus diversarum collectionum, in quibus memoratæ epistolæ continentur.

3. Antequam nostram aperiamus sententiam, qua omnes has epistolas vindicandas credimus, memorandi in primis sunt mss. codices et collectiones in quibus una, vel duæ, vel tres laudatæ epistolæ reperiuntur; hinc enim potissimum vindiciarum argumentum elicietur. Sola epistola prima ad Aquileiensem episcopum, de qua nemo ambigit, invenitur in codicibus collectionis tertiæ Barber. 2888, et Vat. 1342, necnon in exemplo Sichardi.

4. Sola epistola 18 ad Januarium exstat in collectione Dionysii Exigui, et ex Dionysio in Hispanica et Hispana et in Isidoriana pura. Hic autem notandum est postremam Isidori collectionem, quoad epistolas Leonis, ne unam quidem habere supra illas quæ describuntur in Hispanica, unde illas Isidorus sumpsit: in Hadriana vero, quæ ex Dionysio originem habet, Dionysianis addita legitur una epistola 12 ad Mauros, ut in Admonitione ad eamdem ostendetur. Primum de Isidoriana monendum fuit adversus Quesnellum, qui commentitiam, ut ipse putat, epistolam ad Septimum ex Isidoriana derivatam affirmat, ubi puram Isidori collectionem, quæ litteris ad Septimum caret, confundit cum collectione a Merlino edita, quæ Isidoriana auctior, et a nobis appellata collectio 12, eas ad Septimum litteras recepit. Alterum vero de collectione Dionysii prænotandum erat adversus Antelmium, qui in primis litteris de hac controversia Gallice scriptis, declaraturus auctoritatem Dionysii, quæ pro epistola 18 ad Januarium maxime valet, hanc non a Dionysio inseriam, sed ab alio posteriori additam prodit, quemadmodum addita fuit epistola ad Mauros. At hæc assertio est plane manca. Duo enim codices supersunt puri Dionysii Vat. 5845, et alius, qui in bibliotheca regia Gallice servatur. In codice Regio Gallicæ epistola ad Januarium suo loco exhibetur; epistola autem ad Mauros, licet genuina et ipsa sit, ut alias videbimus, cum tamen non fuerit a Dionysio inserta, nunquam apparet. In Vaticano autem codice 5845 explorate discernuntur additiones quæ Dionysio posterius accessere: nam hæ omnes non suo loco leguntur insertæ, ut in collectione Hadriani factum est, sed post decimam puram collectionem Dionysii in fine additæ deprehenduntur, et inter has legitur epistola ad Mauros, ut in Admonitione ad eamdem epistolam fusius explicatur. Insa rubrica Historiarum Leonis num. [illegible], cui titulo [illegible] si non amplius in corpore ejus codicis respondent, epistolam ad

Januarium requirit, epistolam vero ad Mauros, quæ in Hadrianeis editionibus num. 49 recensetur, excludit. Hinc sane Cresconius, qui ex puro Dionysio suam collectionem digessit, nihil uspiam refert ex epistola ad Mauros, totam autem epistolam ad Januarium dedit tit. 61. Auctor vero collectionis Hispanicæ, qui quæcumque in Dionysio reperit, cum iisdem quoque titulis Dionysianis in suum opus transtulit, habet quidem epistolam ad Januarium cum titulo et lectione Dionysii, epistolam vero ad Mauros, quoniam apud eum minime invenit, ex alia decurtata editione protulit, quæ ab editione Dionysio posterius addita discrepat. Adde tandem quod epistola ad Januarium apud Dionysium non in fine epistolarum Leonis collocatur, sed in medio; est enim inter septem a Dionysio positas epistola quarta; epistola vero ad Mauros, cum addititia sit, in fine Hadrianeæ collectionis, quæ additamenta Dionysiana recepit, sita est. Idem accidisset epistolæ ad Januarium, si inter additamenta fuisset.

5. Epistolam primam ad Aquileiensem una cum epistola secunda ad Septimum illi immediate subjecta exhibent antiquissimi codices Vat. Reginæ 1997 collectionis 1 Lucensis, et similis Colbertinus collectionis quartæ, alius codex Parisiensium Jesuitarum ab Antelmio laudatus epist. 1. et a Pagio ad an. 447, cujus recentius documentum pertinet ad an. 615, ac tandem quatuor antiquitate præstantes codices collectionis 8 Vat. 5845, Vallicellanus signatus A. 5, Vercellensis sæculi IX et Vat. 1353, qui ex alio Bergomate sæculi IX transcriptus fuit.

6. Eamdem epistolam 1 ad Aquileiensem una cum epist. 18 ad Januarium, non tamen unitas, sed aliis Leoninis intermediis disjunctas, reperimus in mss. collectionum 11, 20, 21 et 22.

7. Demum omnes hæ tres epistolæ, prima ad Aquileiensem, et secunda ad Septimum simul junctæ, epistola vero 18 ad Januarium seorsum descripta, continentur in mss. antiquissimæ collectionis 5, in peculiari ms. Florentino S. Marci collectionis 13, ac in codicibus collectionis 12, 23 et 24, quos in præfatione fusius memoravimus.

§ II. Argumentum ex mss. pro statuenda sinceritate epistolarum ad Septimum Altinensum et ad Januarium Aquileiensem, quæ solæ a nonnullis in suspicionem vocantur.

8. Ex hac codicum notitia cognoscimus epistolas ad Septimum et ad Januarium, quæ in controversiam cadunt, in diversis collectionibus inveniri, nimirum epistolam ad Septimum in novem collectionibus, epistolam vero ad Januarium in collectionibus tredecim.

9. Cum epistola prima ad Aquileiensem a nemine vocetur in dubium, satis erit si epistolæ 2 ad Septimum et 18 ad Januarium authentici atem ex memoratis collectionibus statuamus. Quamvis vero utræque in pluribus collectionibus describantur, solas tamen antiquas collectiones urgebimus, quæ sexto circiter sæculo compactæ, majori auctoritate potiuntur, et ex quibus cæteræ profectæ sunt.

10. Epistola ad Septimum legitur in ms. Vat. Reginæ collectionis primæ ineunte VI sæculo lucubratæ, quæ nihil apocryphum præfert; in perantiqua collectione 4 codicum Lucensis et Colbertini; in vetusta collectione 5 et in collectione 8; ac tandem in codice Jesuitarum Parisiensium, qui licet in Conciliis perveniat ad an. 615, cum tamen Catalogum pontificum exhibeat desinentem in Felice successore Hormisdæ, hæc collectio in ipsa origine sub hoc tempus concinnata, videri potest, cui posteriora documenta subinde accesserint. Mirum autem videtur, Quesnellum hanc Leonis epistolam veluti spuriam repudiasse, nulla habita ratione codicum saltem collectionis 5, quam *codicis Romanæ Ecclesiæ* nomine edidit. Is quidem se ab hac objectione subducere potest, eo quod hunc codicem non totum simul compactum putavit, Leonis autem epistolas inter additamenta posterioris temporis retulit. Sed hoc commentitium effugium est, quod nulla ratione, aut auctoritate munitur. Omnes antiqui ejus collectionis codices, qui sive a Pithœo, sive a Constantio memorantur, et nostri etiam Vindebonenses Leoninas epistolas habent, idemque Quesnellus observat. 1 in epistolam ad Mauros num. 1 de Thuaneo codice loquens, ejusdem collectionis antiquitatem et diligentiam commendavit. Licet autem hæc collectio nec sub Leone, nec a Romanis, sed exeunte V vel ineunte VI sæculo extra Italiam condita fuerit, uti tomo III ostendemus; hæc tamen antiquitas, et collectoris diligentia tanta est, ut vel ex hac collectione maximum ad secundam epistolam vindicandam testimonium accedat. Addemus etiam aliud non leve. Epistola ad Septimum non sine epistola ad Aquileiensem episcopum, et vicissim epistola ad Aquileiensem non sine epistola ad Septimum in omnibus vetustissimis collectionibus legitur, excepta collectione 3, quæ solam epistolam ad Aquileiensem continet; et semper isti epistolæ, de qua nulla dubitatio est, illa immediate subjecta et unita in iisdem collectionibus exhibetur. Id autem indicio est utrasque has litteras in iisdem exemplaribus, ex quibus antiqui collectores illas descripserunt, simul inventas fuisse; adeo ut dubitari de una nequeat, quin dubitetur de altera; et si quidem de epistola prima dubitandum non est, neque de secunda dubitari possit.

11. Epistola ad Januarium 18 luculentissime defendi potest sola auctoritate Dionysii, quem paulo post Leonem ex authenticis exemplaribus suam collectionem Romæ lucubrasse certissimum est, unde nihil suppositicium attulit. Quis sine evidentibus argumentis, quæ sane nulla sunt, hanc epistolam ab eo, ut vidimus, insertam accusare audeat? Sed Dionysianæ auctoritati additur alia æqualis antiquitatis collectio, nimirum 5 Quesnelliana, quæ ex alio fonte dimanat, uti optime animadvertit P. Constantius in præfat. ad epist. Rom. pontif. n. 87, pag. 78. Hic pariter collector alia in regione Leoninas epistolas colligens, cum in cæteris omnibus sincera exemplaria nactus sit, de exemplari quoque hujus epistolæ, quod licet e Dionysio non prodeat, concinit tamen cum Dionysiano, dubitare non licet. Adde quod hæc una epistola in utrisque collectionibus die, mense, et consulatu notatur, qui characteres Leonis ætati conveniunt. Id authenticitatem etiam atque etiam confirmat; supposititicæ enim epistolæ in ejusmodi notis plerumque repugnant. Neque movere debet Antelmius, cum epistola 1, num. 6. apposuit codices antiquarum collectionum, qui dum sinceram et indubitatam epistolam ad Aquileiensem exhibent, adjunctam quidem habent epistolam ad Septimum, istam vero ad Januarium omittunt: quod in argumentum suppositionis adduxit. Inter vetustissimas enim collectiones profecto est Quesnelliana 5, cujus ille notitiam non satis accuratam habuit. In hac autem, una cum duabus illis epistolis, est etiam epistola ad Januarium, sicuti est quoque in cod. Florentino collectionis 13 et in codd. collectionis 24, qui aliam a Quesnelliana collectione originem agnoscunt. Hinc ergo vel antiquissimis illis temporibus, quibus collectio 5 non multo post Leonem composita fuit, tum harum epistolarum exemplaria exstabant: quæ antiquitas, si, ubi nil certi opponitur, ad hujus epistolæ authenticitatem probandam non sufficit, nihil erit in ejusmodi collectionibus quod in dubium vocari non possit.

12. Auctoritas itaque codicum et collectionum, præsertim antiquarum, quas tum pro epistola ad Septimum, tum pro epistola ad Januarium hactenus consideravimus, satis esse deberet ad refellendas eas conjectationes quæ iisdem opponuntur, adeo ut iisdem nihil respondere oporteret. Hoc enim loco tum contra

Digitized by Google

Quesnellum, tum contra Antelmium maxime valet, quod idem Quesnellus in hac ipsa controversia conjectationibus respondit Antelmii in epistola ad Amicum 15 Augusti an. 1689, nimirum *codices* collectionum tam antiquarum *satis sunt ad convincendum conjecturas per triumphum elatas illusionibus accensendas esse, et alias ejusdem generis quamplurimas demonstrationum nomine propositas ex hoc exemplo susvectas reddi.* Præcipuas tamen sine aliqua responsione nolumus prætorire.

§ III. Objectiones adversus epistolam ad Septimum solutæ.

13. Quesnellus, in notis epistolæ ad Septimum, objicit Aquileiensem in ea appellari *Metropolitanum provinciæ Venetiæ*, cum olim hæc vocaretur provincia Istriæ, ut ex Pelagio, Gregorio, aliisque posterioribus documentis ostendit. Quo tamen argumento statuit hanc provinciam ante Pelagium Istriæ, et non Venetiæ vocatum fuisse? Certe S. Ambrosius in epistola ad Vercellenses *Liguriæ*, *Æmiliæ*, *Venetiarumque partes* vocat; et in concilio Romano an. 501, tom. V Concil. Ven. edit. pag. 457, similiter appellantur *episcopi Liguriæ, Æmiliæ et Venetiarum.* S. Leo inter Ambrosii et hujus concilii ætatem floruit, qui si *Venetiæ*, non *Venetiarum dixit*, nihil refert, cum et in inscriptionibus et in notitia imperii *consularis Venetiæ*, *provincia Venetiæ*, etc., singulari numero inveniatur.

14. Minoris multo faciendum est, quod idem Quesnellus obtrudit, in eadem epistola depositionis minas contineri, cum attente considerantibus idipsum subindicent verba epistolæ ad Aquileiensem, quæ per omnes germana est: et idem Leo in epist. 10 ad episcopos provinciæ Viennensis, c. 7, satis aperte innuat, se pro sedis apostolicæ pietate ab Hilarii Gallicani metropolitæ depositione supersedisse, quod et in Novella Valentinianus confirmat epist. 11. In causa autem Pelagianorum, de quibus in epistola ad Septimum agitur, hoc insuper accedit, quod Honorii lex adversus Pelagium atque Cœlestium amissionem episcopatus sanxerat, non tantum adversus infectos hac hæresi, sed etiam contra illos *qui dissimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint.* In epistola autem ad Septimum de iis rectoribus sermo est qui in Pelagianos negligentius agentes serpenti hæresi conniverent.

§ IV. Diluuntur objecta contra epistolam ad Januarium.

15. Antelmius (*Ep. 1, n. 13 et seqq.*) opponit epistolæ ad Januarium, alienum a disciplina ejus temporis fuisse quod ibidem ex canonibus decernitur, nimirum clericis ab hæresi vel schismate revertentibus ex indulgentia concedi ut in eodem gradu permaneant, nec tamen ad altiora promoveantur. *Circa quos*, inquit S. Leo, *etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, si, adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine stabilitate perpetua maneant, si tamen iterata tinctione non fuerint maculati.* Nullam id genus generalem de omnibus hæreticis et schismaticis constitutionem canonum Leonis ævo exstitisse contendit Antelmius. Cum vero Quesnellus affirmarit in notis, n. 3, intelligi Nicænum canonem 8, reponit Antelmius hunc canonem de solis Catharis, id est Novatianis, statuentem, non potuisse a Leone intelligi, nec allegari pro generali regula de omnibus hæreticis atque schismaticis; ac præterea suadere nititur, receptis in eodem gradu neque hoc Nicæno, neque ullo alio canone interdictam fuisse promotionem ad ordinem superiorem; immo eo ipso quo illi recipiebantur in suo gradu, etiam ad altiorem potuisse provehi, aliquot exemplis demonstrare conatur.

16. Hæc autem objectio ut refellatur, præmonendum est primævam Ecclesiæ disciplinam fuisse, ne quisquam (sive clericus, sive laicus) ab hæresi rediens in clericatus ordinem reciperetur. Pro hac disciplina Occidentis testes sunt S. Cyprianus epist. 72 ad Stephanum, Innocentius I epist. 17 n. 8, et epist. 24 n. 4, et concilium Italiæ inter canones Ecclesiæ Africanæ cap. 56, ubi quamvis Afri episcopi æquitatem hujus legis agnoscerent, legationem tamen ad Anastasium papam misere, qua ob clericorum inopiam, ut de severitate hujus legis aliquantulum remitteretur postularunt. Quin alii episcopi Africani in epist. ad Joannem II, loquentes de Arianis sacerdotibus ad Ecclesiam revertentibus, affirmarunt: *Ex omnium quidem collegarum vestris motibus nemini placere sensimus ut in suis honoribus suscipiantur* (*Conc. t. V, p. 901*). Idem obtinuisse in Oriente patet ex epistola Athanasii ad Rufinianum, ubi commemorans decretum quo quidam minus rei ab Arianis decepti in clerum admissi fuerant, *hoc dispensatione quadam factum esse* affirmat. Dispensatio legem contrariam præsumit. Hanc eamdem dispensationem indicat Augustinus epist. 185, n. 44, qua Donatistis objicientibus: *Si ergo oportet ut nos extra Ecclesiam et adversus Ecclesiam fuisse pœniteat, quomodo post istam pœnitentiam apud vos clerici vel etiam episcopi permanemus?* respondet: *Hoc non fieret, quoniam revera, quod fatendum est, fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur.* Fieri *non debebat*, quia illi utpote cleri honoribus indigni Ecclesiæ disciplina excludebantur; at ob pacis bonum dispensatione utendum fuit. Hinc jure noster Leo hæreticos et schismaticos in suum gradum recipere *magno beneficio* deputandum scripsit. Eadem de causa dispensationi pariter tribuendus est Nicænus canon 8, quo Catharorum clericis ob idem pacis bonum suus gradus restitutus fuit; et idipsum sentiendum de cæteris hæreticis sive schismaticis similiter receptis. Num vero quibus suus gradus per dispensationem concedebatur, permitteretur etiam ut ad altiorem ascenderent, canon Nicænus satis videtur innuere: *Sic in clero maneant*, et dein *in eodem ordine permaneant.* Certe enim non permanent in eodem ordine, qui ad altiorem ascendunt. Sed hunc canonem uti non satis manifestum omittamus. Cum vero cætera testimonia de aliis in suo gradu receptis similiter loquantur, nihil est quod ex una dispensatione aliam etiam ampliorem colligamus.

17. Hanc sane disciplinam, ut qui reciperentur in suum gradum, ad altiorem non ascenderent, in Occidente, vel saltem in Italia et apud Romanam Ecclesiam viguisse, patet ex decreto quo S. Ambrosius in causa Dictinii, qui a Priscillianistis ad Catholicos redierat, statuit *bono pacis locum tenere presbyterii, non accipere honoris augmentum:* uti testantur Patres synodi Toletanæ an. 400, qui proinde conquesti sunt eum nihilominus a Symposio ad episcopatum fuisse promotum; quod tamen ea excusatione purgatum fuit, quia id *a multitudine plebis* fuisset *extortum.* Idem Ambrosii judicium probatum fuisse a Siricio papa, qui in eadem causa epistolam scripsit, satis probabile est, cum iidem Patres in eodem contextu eam Siricii epistolam laudent. Eamdem disciplinam confirmare videtur Zosimus epist. 4, ad Aurelium et alios episcopos, ubi de Tuentio, qui perperam ordinatus fuerat episcopus, sermo est. Huic inter cætera vitio dat, n. 3, quod cum fuisset Priscillianista, eique apostolicæ *sedis diligentia curato*, ejusdem *sedis dudum humanitas et misericordia consuluisset*, ita ut beneficium pene præter exemplum eidem præstiterit; hoc beneficio *non observato*, id est eo non contentus, *præcipiti impetu ad sacerdotium festinasset, nec in debito loco credidisset sustinendum.* Hæretico resipiscenti et curato *beneficium pene præter exemplum* dici non potuit eum in unitatem Ecclesiæ recipere; sed suo gradui seu presbyterio restituere. Si autem culpandus fuit quod hoc beneficio et gradu non observato *a loco sibi indebito non abstinuisset*, procul dubio præsumitur receptis ab hæresi non licuisse ad ulteriorem gradum ascendere. Apertius vero noster Leo hanc disciplinam approbat in epist. 135. Hanc eo

Digitized by Google

nomine opponit Antelmius, quia ibidem S. pontifex Andream et Eufratam olim Eutychis fautores, ad presbyteratum promoveri jussit. Id autem ex peculiari causa et dispensatione quadam indultum fuisse, ex contextu manifestum est. Leonem pupugerat archidiaconatum Constantinopolitanæ Ecclesiæ, amoto per speciem promotionis Aetio Flaviani defensore, Andreæ Eutychianæ hæresi quondam addicto et S. Flaviani accusatori fuisse delatum; indignum enim videbatur tanti officii ministerium ab eo auferri qui semper catholice senserat, ut illi crederetur qui hæretica labe aliquando fuerat aspersus. Hinc de ipsius promotione vehementer conquestus, conversionem ejus ab hæresi et satisfactionem, quam Antelmius allegat, hanc unam *indulgentiam* promereri potuisse affirmat epist. 112, ut in diaconatus gradum reciperetur, non vero ut anteferretur cæteris: *Qui etiamsi*, inquit, *magna satisfactione potuisset indulgentiam promereri, nequaquam debuit his qui in fide permanserunt anteferri;* et similiter ep. 111, c. 3: *Qui etiamsi magna fuisset satisfactione purgatus, post dubium tamen reversus errorem, catholicis diaconibus postponi debuit, non præponi.* Cum porro Anatolius Leoni satisfacturus Andream ab archidiaconatu removisset, quidque de eo agendum esset pontificio reservasset arbitrio, id Leoni tantum placuit, ut ipsum Andream ac socium ejus Eufratam, qui pariter Flaviani fuerat accusator, dum sese ab errore correctos apertis professionibus probassent, ad presbyteratum promoveri jusserit, eo forte consilio, ne ad archidiaconatum subrepere unquam possent. Peculiari autem dispensatione id fuisse concessum suadet mox subjectum decretum de *cæteris, quos par reatus involverat.* Hos enim *si veniam simili professione cum satisfactione deposcant*, non promoveri, *sed suis solum ordinibus reformari* decrevit, hac præterea conditione servata, *ut illi tantum ad officiorum primatum admittantur, quos ab omni errore liberos esse constiterit.* Hoc interdictum, ne intra eumdem ordinem quispiam ab hæresi receptus ad ejusdem ordinis primatum provehatur (quod sub S. Gregorio adhuc viguisse liquet ex lib. I, epist. 77), nonne certam præsumit constitutionem expressam in epistola 18 ad Januarium, ne ejusdem generis clerici *suis ordinibus reformati* ad altiorem ordinem sinantur ascendere? Specialis vero dispensatio, ubi peculiaris incidit causa, generali constitutioni non derogat. Si quæ alia similia exempla proferrentur, ad dispensationem similiter revocanda essent. Quæ vero Antelmius producit, sunt de receptis in eodem ordine, non autem de promotis ad altiorem; uti illa duo de Maximo et Donato episcopis, quorum est mentio apud Leonem epist. 12, num 12, cap. 6, nec non alterum de Donatistis apud Augustinum epist. 43, n. 16. Quod autem de Meletianis ingerit ex epistola synodi Nicænæ apud Theodoretum lib. I c. 8 et 9, id solum probat, clericos a Meletio ordinatos, qui in suum gradum ita fuerant recepti, ut post clericos ordinatos a legitimo episcopo, omni auctoritate his reservata, infimum locum tenerent, post illorum mortem in ipsorum locum et auctoritatem subrogari potuisse, si quædam circumstantiæ id flagitarent: quæ promotio eumdem ordinem auctoritate præditum respicit, non autem altiorem. Sed quidquid in hoc ipso videatur, neque hic, neque alius peculiaris casus, qui dispensationi tribui debet, constitutionem ac disciplinam vocare potest in dubium, quam et Ambrosii, et Zosimi, et ipsius Leonis testimoniis satis certam ostendimus. Unde nihil est cur ex hoc capite epistolam ad Januarium repudiemus, ac si disciplinam eo tempore ignotam præferat.

18. Quos vero canones Leo intellexerit, cum hac in re canonum constitutionem allegavit; quoniam de disciplina ex dictis constat, si in magna antiquorum monumentorum penuria nullum certum canonem, constitutionem nullam proferre possimus, nihil præjudicat. Forte S. pontifex Nicænum canonem 8, qui de Catharis seu Novatianis statuit, ex disciplina sui temporis ita intelligendum et indicandum putavit, ut omnes hæreticos schismaticosque comprehenderet. Quod si Innocentius I, epist. 17 ad Macedones c. 3, *de Novatianis* tantum eum canonem loqui, *nec ad aliarum* hæresum *clericos pertinere* affirmavit, idem tamen pontifex in eadem epistola non inficiatur hoc beneficium solis Novatianis decretum, nedum ad alios schismaticos, sed etiam ad hæreticos posse extendi, ubi pacis bonum et necessitas hanc indulgentiam requirant: ac propterea approbandum censuit judicium Anisii et sociorum ejus, qui ordinatos a Bonoso hæretico in suos gradus receperant; et similiter epistola 3 ad synodum Toletanam eodem consilio non solum probavit ejusdem synodi moderationem, dum Priscillianistas conversos in suos gradus recipiendos statuerat, verum etiam illos reprehendit, a quibus hæc indulgentia canonibus contraria ferebatur. Hoc autem exemplo indulgentia ejusmodi sensim invaluisse videtur, ita ut Leonis tempore Ecclesiæ bonum et necessitas idipsum de omnibus schismaticis et hæreticis intelligendum postularent, dummodo iterato baptismate non essent polluti (hos enim omnes canones et constans Ecclesiæ disciplina ab ordinibus et clero arcebant), nec alia ratione invaluisse, vel ab Innocentio probata fuisse credenda est, nisi in eam disciplinam, quam ante Innocentium obtinuisse ex Ambrosio ostendimus. Hunc itaque canonem in hanc disciplinam receptum Leo citare potuit. Quidquid vero de hoc canone sentire libeat, si non rejicienda est epist. 5 Innocentii ad synodum Toletanam, eo quod *Nicænis regulis* quasdam sanctiones tribuit, quæ in Nicæno non leguntur; multo minus repudianda erit epistola Leonis ad Januarium Dionysii Exigui, et collectionis quintæ auctoritate firmata, quæ si constitutionem canonum laudat, non tamen Nicænam appellat, cum Nicæno autem canone octavo ex disciplina Ecclesiæ explicato ac latius extenso satis cohæret.

19. Gravior Antelmii objectio ex eo sumitur quod epistola ad Januarium partim ex epistola ad Septimum, partim ex epistola ad Aquileiensem episcopum totidem fere verbis descripta est. Cum verba epistolæ ad Septimum in epistola ad Januarium repetita inveniantur, alterutram esse falsam indubium præsumitur. Quesnellus falsitatis accusavit epistolam ad Septimum. Citius autem ex ipsius repetitionis ratione epistolam ad Januarium repudiandam contendit Antelmius, eo quod in ea non solum repetatur tota epistola ad Septimum, sed etiam extrema illa periodus, quæ in ejus fine suspenditur, desumpta sit ex epistola ad Aquileiensem episcopum: incredibile autem sit duplicem epistolam sub idem tempus datam ad eumdem episcopum Aquileiæ, eadem periodo concludi, quod in epistola ad Septimum non invenitur.

20. Verum hæc objectio, licet vim aliquam præferat, non tamen conjecturæ limites excedit: nulla autem conjectura certæ auctoritati Dionysii, qui paulo post Leonis ætatem suam collectionem Romæ digessit, nec auctoritati antiquioris aut saltem coævæ collectionis 5 Quesnellianæ, quibus epistola ad Januarium vindicatur, prævalere potest. Cæterum hæc objectio, ut in Leone quidquam valeat, duplicem hypothesim præsumat necesse est, nimirum epistolam primam ad Aquileiensem episcopum traditam fuisse eidem Januario, cui inscribitur epist. 18, et sub idem etiam tempus traditam fuisse. Si enim ad duos diversos Aquileienses episcopos hæ duæ epistolæ datæ probentur, vel si eidem episcopo, non tamen sub idem tempus scriptæ fuere, omnis in Leone difficultas dispellitur. Constat nimirum hunc pontificem, dum ad diversos scripsit, litteras nonnumquam tradidisse eodem exemplo paucis immutatis, vel additis, ut accidit in epist. 150 ad Basilium, et 151 ad Euxitheum; nonnumquam vero ex una epistola nonnulla ad verbum descripsisse, uti epistolæ 166 ad Leonem Augustum septem integra capita inseruit, quæ ex epist. 126 ad Palæstinos excerpta inveniuntur. Porro epistolas 1 et 18 probabilius ad diversos Aquileienses episcopos datas, certe autem inter utramque non exiguum tempus, sed aliquot annos intercessisse patebit ex paragrapho sequenti, ubi primam epistolam

Digitized by Google

non Januario, sed probabilius ejus prædecessori scriptam ostendemus; vel certe (cuicumque tradita fuerit) exaratam fuisse sub initio pontificatus Leonis anno circiter 442, id est quinque circiter annorum intervallo ante epistolam 18, quæ exeunte an. 447 Januario tradita fuit. Ita cum ad hunc ultimum litteras hoc anno dedit, primum nonnullis immutatis descripsit epistolam ad Septimum, tum ex epist. 1, jam diu ante probabilius data ad prædecessorem ejus, postremam tantum periodum sumpsit, et litteras clausit : in quo observari potest, hanc postremam periodum veluti formulam seu clausulam quamdam decretorum haberi posse, quemadmodum visa est P. Bernardo de Rubeis, ut ne mirum sit eamdem in diversis ad eumdem epistolis inveniri. Sed quidquid de his responsionibus videatur, Quesnellianæ, ut diximus, et Dionysianæ collectionum testimonia cuicumque conjecturæ et objectioni certissime præstant.

§ V. Quis fuerit episcopus Aquileiensis ad quem Leo scripsit epistolam primam : hinc etiam statuitur tempus quo epistolæ prima et secunda datæ fuere.

21. Jam vero vindicata tum epistola ad Septimum adversus Quesnellum, tum altera ad Januarium adversus Antelmium, quæ in dubitationem venerunt, cuinam tradita fuerit epist. 1 ad Aquileiensem, quærendum est : eademque occasione statuetur de tempore quo et hæc et altera ad Septimum, quibus nota chronica deest, datæ fuerunt. Epistolam primam ad Januarium Aquileiensem traditam nullo satis certo fundamento præsumitur. Codices enim sine episcopi nomine præferunt vel *ad Aquileiensem episcopum*, uti Vat. Reg. collectionis 1, Barber. et Vat. collectionis 3, Lucensis cum Colbertino collectionis 4, Vindebonensis collectionis 5, et Vaticanus 5845, in additionibus Dionysianis collectionis 8, vel *Aquileio*, uti Vat. et Ottobon. collectionis 11, ms. S. Crucis in Jerusalem collectionis 20 nec non mss. collectionum 21 et 22. Idem de suis codicibus affirmat Quesnellus, qui solum monet, duos posteriores Cisterc. et Isid. habere *Ad metropolitanum episcopum Venetiæ*. Editores Lovanienses, quos alii deinceps secuti sunt, forte fuerunt primi qui absque ullius, quod sciamus, codicis testimonio apposuerunt titulum : *Nicetæ episcopo Aquileiensi*. In mss. vero collectionum 12 et 24 descripta in primis epistola 2 ad Septimum, mox subjicitur epistola 1, *Relatione*, cum titulo *Ad eumdem*, ac si eidem Septimo data fuerit : et ideirco quidem in uno codice Fesulano, et altero Florentino S. Laurentii signato num. 14, pluteo 21, qui aliquot epistolas exhibent ex mss. collectionis 24, epistolæ primæ hæc inscriptio præfigitur : *Leo Septimo episcopo*. Id procul dubio erroneum est, cum Septimus, qui non Aquileiensis, sed Altinas epicopus fuit, in ipso exordio epist. 1 nominetur velut is cujus causa Leo ad Aquileiensem scripsit. Neque tamen hi codices Januario suffragantur.

22. Solum cod. Vat. Ottobonianus 297 collectionis 23 et nonnulli codd. collectionis 8, uti Vercellensis et Vat. 1353, Januarium præferunt. At hoc nomen codicibus collectionis 8 posterius insertum, cum antea in eadem collectione defuerit, manifestum est ex Vallicellano A. 5, et multo magis ex Vat. 5845, qui ad eamdem collectionem 8 pertinent : nam in Vallicellano legitur in textu, pag. 278, *Aquileiensi episcopo*, Januarii vero nomen superadditum cernitur; in Vaticano autem omnium vetustissimo codice 5845, in cujus additionibus collectionem 8 referentibus hæc epistola legitur, nullum Januarii vestigium apparet. Hinc ergo cognoscimus in mss. hujus collectionis Januarii nomen omnino defuisse, ut in Vat. 5845; dein fuisse superadditum, ut in Vallicellano; tandem in textum irrepsisse, ut in Vercellensi, ac in Vat. 1353. Cum vero auctor collectionis 23, quæ continetur in Ottoboniano 297, priores epistolas 15 ex codicibus collectionis 8 eodem ordine ad verbum descripserit; dum Januarii nomen inseruit, codice usus fuit laudatæ collectionis 8 qui hoc nomen insertum vel superadditum habebat : unde tota hujus nominis auctoritas revocatur ad solam collectionis 8, quam tamen in ipsa origine hoc nomine caruisse ostendimus, ut eodem sane carent cæteri codices ac præsertim vetustissimarum omnium collectionum. Hinc ms. Florentin. S. Marci collectionis 13, ob Leoninas epistolas aliis nominibus insignis, ut videbimus in Admonit. ad epist. 12, sic epistolam, de qua agimus, inscribit : *Leo Urbis Romæ episcopus..... Aquileiensi episcopo;* ubi intervallo vacuo episcopi nomen ignotum significatur. Adempta igitur auctoritate quorumdam codicum, qui Januarium præferunt, nihil fundamenti ex codicibus superest, quo cogamur affirmare epistolam 1 datam eidem Januario, ad quem epist. 18 scriptam fuisse manifestum est.

23. Traditam vero fuisse ad aliquem Januarii præcessorem et in ipso quidem pontificatus Leonis exordio, aliunde colligere licet. Photius in Bibliotheca vetustum codicem referens, qui sub sæculi VI initia lucubratus, exactissimam Pelagianarum rerum historiam ex peculiaribus documentis derivatam continebat, hæc de Pelagianorum gestis sub Leonis pontificatu tradit cod. 54 : *Cum temporis deinde progressu sectæ hujus homines per hæresis suæ abjurationem Ecclesiæ restituti essent; iterum malum ab illis renovatum est. At Septimus episcopus pestis renascentis cursum repressit, datis ad Leonem Romæ tum sedem apostolicam tenentem litteris, qui Leo ferventi zelo contra impios depugnarit. Post non multum autem rursum tamquam repullulare amara radice non erubescente, Romæ quidam pro hæresi libere loquebantur. Sed Prosper quidam vir vere Dei libellis contra ipsos traditis eos evanescere fecit, prædicto Leone adhuc Romanam sedem gubernante.* Duo Pelagianorum gesta sub Leone indicantur : alterum, in quo Septimus et Leo operam posuere, cui sane congruunt duæ epistolæ sequentes : alterum et posterius tempore, in quo S. Prosper libellos accusationum Romæ obtulit, uti pluribus explicabimus in observationibus ad diss. 2 Quesnelli cap. 1, § ultimo. Auctor operis de Promissionibus Leoni coævus scribit part. IV c. 6 : *In Italia quoque nobis apud Campaniam constituris, dum venerabilis et apostolico honore nominandus papa Leo Manichæos subverteret, et contereret Pelagianos, et maxime Julianum, ambiens tum quidam Florus nomine*, etc. Hic contextus utrumque Leonis opus in Manichæos et Pelagianos eidem tempori adjudicat. Manichæorum subversionem Prosper in Chronico assignat an. 443; idque huic anno exeunti tribuendum colligitur ex Leonis epist. 4, data die 10 Octobris, qua ad episcopos Campaniæ scribens, nihil de vitandis Manichæis indicavit, uti monuit epist. 7, scripta die 30 Januarii anni sequentis 444. Ex sermone autem quinto de Jejunio decimi mensis habito die Dominica 12 Decembris an. 443, quatuor temporum jejunium indicaturus, gesta in Manichæos populo denuntiat; quod pariter repetit serm. 4 de Nativitate Domini, quem in Natali ejusdem anni habitum liquet. Hoc igitur eodem tempore, quo S. pontifex subvertit Manichæos, Pelagianos etiam contrivit. Ex duobus autem gestis adversus Pelagianos, qui indicantur in antiquo codice Photii, primum, in quo Leo cum Septimo Altinate operam posuisse traditur, minus convenire videtur cum verbis libri de Promissionibus *contereret Pelagianos, et maxime Julianum*. In casu enim Septimi de Pelagianis agitur Aquileiensis provinciæ, ad quos nihil Julianus aut alii Campani hæretici pertinebant; neque satis congrue illos Leo *contrivisse* dici potest ob epistolam, qua cautam eorumdem recipiendorum rationem præscripserat. Igitur verbis *conterebat Pelagianos et maxime Julianum* aptius congruit alterum factum, ex quo cognoscimus Pelagianorum audaciam eo processisse, ut in ipsa Roma non deessent *qui libere loquebantur*. Julianus in hæc Pelagianorum molimina aliquid conferre potuit. Oblatis autem a Prospero accusationum libellis, Pelagianisque mox evanescentibus, Leonem pontificem, quem sane

Digitized by Google

iisdem intensissimum, ut aliunde liquet, omnem operam adversus ipsos exercuisse indubium est, eos *contrivisse* intelligimus. Hoc itaque factum una cum facto Manichæorum in libro de Promissionibus copulatum pertinet ad finem an. 443. Factum autem Aquileiensis provinciæ, in quo Septimus et Leo adversus Pelagianos simul egere, aliquanto ante contigerat, ut indicant illa verba Photii secundo facto præmissa : *Post non multum autem rursum*, etc., μετ' οὐ πολὺ δὲ πάλιν. Igitur hoc factum Aquileiensis provinciæ affigi debet citius ineunti an. 443, aut an. 442. Hinc epistola 1 ad Aquileiensem, quæ hoc factum respicit, attribui nequit cuipiam successori Januarii, sed Adelpho, quem laudari credimus a S. Petro Chrysologo serm. 136, aut potius Maximo, qui post Adelphum immediatus Januarii prædecessor ex Catalogis et Chronicis Aquileiensibus traditur : idque eo probabilius affirmandum erit, si Januarii initia in annum 443 collocanda sint, ut Dandulus in chronico notavit.

24. Id confirmari potest non minimum ex textu epist. 18 ad ipsum Januarium : *Quod ne viperea possit obtinere fallacia, dilectionem tuam duximus commonendam, insinuantes ad animæ periculum pertinere, si quisquam de his qui a nobis in hæreticorum atque schismaticorum sectam delapsus est, et se utcumque hæreticæ communionis contagione maculaverit, resipiscens, in communione catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur.* Verba *dilectionem tuam duximus commonendam* non respiciunt anteriorem epistolam 1, eidem Januario datam, in qua similis sententia fusius exponitur; palam enim fit ex antecedentibus sermonem esse de epistola quæ post lectas Januarii litteras rescripta fuit : unde sicut initio epist. 18 dicitur : *Lectis fraternitatis tuæ litteris vigorem fidei tuæ agnovimus, congratulantes tibi*, etc. ; ita postea subditur : *duximus commonendam, insinuantes*, etc. ; et utrumque, congratulatio scilicet et insinuatio, post lectas ipsius litteras eadem epist. 18 perficitur. Id etiam efflagitat præmissum verbum *possit*, et subsequens *habeatur*. Si enim de præteritis litteris et de re olim insinuata loqueretur, vi verbi *duximus commonendum*, omnis rectæ syntaxeos ratio *posset* et *haberet* exigeret. Id autem si evidens judicetur, epistolam primam ad Januarium traditam non fuisse consequens fit. Ita enim Leo indicat se duxisse eum nunc monere, ac si antea de eadem re numquam monuerit. Igitur epistola prima, in qua eadem monitio fusius ingeritur, non ad Januarium, sed ad aliquem ejus prædecessorem tradita dici debet.

25. Ex his porro tempus duarum sequentium epistolarum elicitur, et cur ab his initium duxerimus, manifestum fiet. Annus 444, cui has epistolas auctoritate libri de Promissionibus adjudicavit Quesnellus, explicato eodem testimonio et auctoritate Photii satis revincitur. Multo autem magis repellitur opinio Antelmii, qui easdem epistolas attribuit anno 447. Non leve in speciem videri potest illud cui potissimum insistit Antelmius epist. 1 num. 11 pag. 7, nimirum in epistola ad Aquileiensem episcopum, c. 1 mentionem fieri *decretorum nostrorum*, et c. 5 scribi : *Olim a sanctis Patribus et a nobis sæpe decretum est*, dum de interdicto agitur clericorum transitu ab Ecclesia ad Ecclesiam, quibus alia hac super re Leonis decreta ante hanc epistolam edita indicantur. At haud opus est intelligere cum Antelmio epistolas 13 ad Illyrici metropolitas, et 14 ad Anastasium scriptas an. 446, in quibus simile decretum legitur. Cum enim ex dictis exploratum videatur epist. 1 ad Aquileiensem datam fuisse anno circiter 442, constet autem plures Leonis epistolas intercidisse, uti multis in locis notabitur; satis probabile est eidem pontifici ante hunc annum 442, sub ipsa pontificatus initia, aliquam occasionem fuisse renovandi antiquam constitutionem, quæ *olim* a Patribus, canonibus scilicet Nicænis et Sardicensibus, a Romana Ecclesia tunc solum receptis, lata, et identidem repetita a Damaso aliisque ejus successoribus, ac tandem ab ipso Leone renovata, *sæpe* decreta dici potuit. Adde quod annot. 27 in epist. 9 ad Dioscorum ostendemus verba *ad nos* ibidem non tam de Leone quam de prædecessoribus ejus sumpta. Ita etiam hic voces *a nobis*, et *decretorum nostrorum* de prædecessorum decretis accipi potuerunt. Cum enim una eademque sit antecessorum et successorum auctoritas, decreta autem pontificia ex hac auctoritate totam vim sortiantur, *nostra* dici potuerunt decreta, quæ ab antecessoribus lata fuere auctoritate successoribus communi; ita ut *nostra decreta* appellare, idem sit ac dicere edita auctoritate pontificia, quæ tum in antecessoribus, tum in successoribus una eademque est. Simili loquendi ratione usus est etiam Gelasius, uti ostendemus in annotationibus ad cap. 50 codicis, quem Quesnellus edidit.

26. Cæterum sub initia pontificatus Leonis et circa an. 442 scriptas duas sequentes epistolas confirmabit etiam non modicum historica quædam animadversio, quam primus produxit card. Norisius tom. III pag. 1177, et tom. IV, pag. 752; dein Pagius ad an. 418, n. 57; ac tandem P. Bernardus de Rubeis Monument. Aquileien. cap. 14, pag. 120. Sirmondus e ms. Veronensi descripsit libellum fidei a Pelagianis editum ; ex apographo autem Sirmondi hunc libellum vulgavit Garnerius in editione Marii Mercatoris, et dein P. P. Benedictini S. Mauri in appendice tom. X Augustini, pag. 110. Hic libellus fidei Pelagianæ sic in fine clauditur : *Explicit libellus fidei S. I. C.* quas siglas Garnerius male interpretatus est *Siculorum*, cum citius explicandas *Sacerdotum Jesu Christi* Tillemontius et Benedictini opinentur. Hic libellus Augustino directus noscitur ex voce *Augustine*, quæ libello inserta est. Is autem ipsorum Pelagianorum, qui libellum obtulere, metropolita, primas, aut superior ex contextu deprehenditur. Garnerius et Benedictini intelligentes id non posse competere S. Augustino episcopo Hipponensi, de errore amanuensium suspicati, *Zosime* pro *Augustine* legendum putarunt; et hunc libellum esse credidere alterutrum e duobus quos Julianum Eclanensem cum aliis Pelagianis Zosimo pontifici obtulisse exploratum est. At quamvis libellus a Sirmondo descriptus nonnulla quoad sententiam contineat duobus memoratis libellis communia; verba tamen quæ ex his libellis apud Augustinum et Marium Mercatorem supersunt, in eo libello non inveniuntur. Igitur alteruter e duobus Zosimo oblatis indicari nequit; ac propterea alius libellus post tractoriam Zosimi, quæ in totum orbem adversus Pelagianos edita, subscriptiones præceperat, oblatus agnoscitur cuipiam metropolitæ, qui Augustinus vocabatur, et epistolam ediderat, qua subscriptiones tractoriæ petebantur. Chromatio autem Aquileiensi, ineunte sæculo v celebri, successit Augustinus, qui Zosimo pontifice floruit ; huicque jure eum libellum a Pelagianis oblatum Norisius primus omnium annotavit. Hinc Pelagianam hæresim jam ab initio in Aquileiensem provinciam irrepsisse patet; ibidemque adeo invaluerat, Aquileiensem sedem obtinente Augustino, ut auctores libelli memorati non solum recusarint subsignare tractoriam Zosimi, verum etiam ad plenariam synodum ausi sint provocare. Nihil itaque mirum, si Leone pontifice, id est post viginti circiter annos, aliquæ Pelagianorum reliquiæ inter presbyteros et clericos ejusdem provinciæ supererant, de quibus cum Septimus Altinas retulisset ad eumdem pontificem, is præter epistolam 2, qua Septimo rescripsit, aliam dedit ad Aquileiensem metropolitam, ut hisce reliquiis efficax remedium adhiberet. Id autem æquius in an. 442, circiter, quam in posteriores annos refertur. Probabile enim est Pelagianos hujus provinciæ jam inde ab Augustino post Zosimi tractoriam exagitatos, non multo post in unitatem Ecclesiæ fuisse receptos; in quam tamen cum nonnullos absque erroris et auctorum damnatione et absque debitis subscriptionibus imprudenter admissos Septimus detexisset, quibus apertæ damnationis et subscriptionis remedium Leo

Digitized by Google

apponendum præcepit; id verisimilius in Leonis initia incidit, si præsertim epist. 1 non Januario, sed alicui ejus prædecessori data credatur. Cum vero hoc prædecessore brevi exstincto Januarius in eodem opere exsequendo pastoralem curam naviter et cum felici successu fuerit exsecutus (quod non exiguum tempus requirit), S. Leo ant 447 ab eodem accepit litteras, in quibus zelum et diligentiam suam prodens, exposuisse videtur non tantum Pelagianos cum debita cautione in gradum suum receptos, verum etiam aliquos ad ulteriorem gradum fuisse promotos. Hinc autem Leo zelum ejus primo commendans, veterem monitionem eidem inculcavit, ne quis ex hæresi adveniens sine debitis cautionibus reciperetur. Dein vero illam canonum constitutionem ingerendam credidit, ne in suum gradum perinde admissi ad ulteriorem promoverentur : quod unum per hoc tempus correctione dignum superesse, ex iisdem Januarii litteris detexerat.

589 EPISTOLA I [a].

[b] AD AQUILEIENSEM EPISCOPUM.

[c] SYNOPSIS.—I. *Male Pelagianos in communionem recipi sine erroris abjuratione et fidei professione.*— —II. *Synodum congregari præcipit, ut ab illis fidei professio exigatur.*—III. *Quid de gratia Christi sentiendum?*—IV. *Qui decretis Ecclesiæ de gratia non subjicitur, ab ea esse pellendum.* — V. *Cuilibet ibi esse permanendum, ubi ordinatus fuerit.*

CAP. I.— Relatione sancti fratris et coepiscopi nostri [d] SEPTIMI, quæ in subditis habetur, agnovimus quosdam presbyteros, [e] et diaconos, ac diversi ordinis clericos, quos Pelagiana sive Cœlestiana hæresis habuit implicatos, ita in vestra provincia ad communionem catholicam pervenisse, ut nulla [f] ab eis damnatio proprii exigeretur erroris; et pastoralibus excubiis nimium dormitantibus, [g] lupos ovium pellibus tectos in ovile Dominicum (*Matth.* VII, 15), non depositis bestialibus animis introisse : et quod per auctoritatem canonum decretorumque nostrorum **590** ne insontibus quidem conceditur, [h] usurpasse; ut relictis Ecclesiis, in quibus clericatum aut acceperant, aut receperant, [i] instabilitatem suam per diversa circumferant, amantes semper errare, et numquam in fundamento apostolico permanere. Quoniam qui nullo discussi examine, nullo sunt præjudicio suæ professionis obstricti, hunc maxime [j] expetunt fructum, ut sub velamento communionis plures domos adeant, et per falsi nominis [k] scientiam multorum corda corrumpant. Quod utique efficere non possent, si Ecclesiarum præsules necessariam diligentiam in talium receptione [l] servassent, ne cuiquam eorum evagari in diversa licuisset.

CAP. II.— Ne ergo hoc ulterius [m] audeatur, neve per quorumdam negligentiam introducta pernicies ad eversionem multarum tendat animarum; [n] hac nostri auctoritate præcepti, industriæ tuæ fraternitatis indicimus, ut congregata apud vos synodo provincialium sacerdotum, omnes sive presbyteri, sive diaconi, sive cujusque ordinis clerici, [o] qui de Pelagianorum Cœlestianorumque consortio in communionem catholicam ea imprudentia sunt recepti, ut non prius ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc saltem, posteaquam hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, **591** quæ et ipsis prodesse, et nullis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus suis superbi erroris [p] auctores, et quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur; omniaque [q] decreta synodalia, quæ ad excisionem hujus hæreseos apostolicæ sedis confirmavit auctoritas, amplecti se et in omnibus approbare, plenis et apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum [r] obscurum, nihil inveniatur ambiguum. Quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis exsecrandi, [s] quam a damnandorum soliditate

[a] Al. 6. Quæ autem antea erat 1, nunc 12. Scripta circa an. 442.

[b] Variantes hujus tituli lectiones exhibuimus in præmissa admonitione num. 21. Confer etiam notam 1 Quesnelli. Exstat autem ipsa epistola in tredecim collectionibus diversæ originis, quas ibidem recensuimus num. 3, 5, 6 et 7, nec non apud Sichardum.

[c] In tabula collectionis 5 Quesnellianæ hic titulus legitur cap. 82 : *Ad Aquileiensem episcopum de incauta receptione Pelagianistarum, ut de Ecclesia ad Ecclesiam nullus ecclesiastici ordinis transferatur.*

[d] Editi, *Septimii*. Secuti sumus nostrorum præsertim vetustiorum codicum fidem, qui non solum hic, sed etiam in sequenti epistola *Septimum* præferunt, cum quibus concinit etiam Photius cod. 54, textu allegato in admonit. num. 23. Dein loco *in subditis* Sichardi exemplar cum quibusdam posterioribus codicibus habet *in scriptis*. At vox *subditis* Septimi relationem huic epistolæ a Leone subjectam indicat.

[e] Sex præstantiorum mss. auctoritate addidimus conjunctionem *et*.

[f] Cod. Vat. 5845, *ab eisdem*.

[g] Edit. ante Quesn. et mss. collect. 4 et 24 cum exemplo Sichardiano, *lupus ovium pedibus tectus..... intro* [illegible] *care*.

[h] Al., *usurpare*.

[i] Vulg. ante Quesn. cum solis mss. collect. 24 et Sichardo, *instabilitate sua per diversa circumferantur*.

[j] Apud Sichardum, *producunt*.

[k] Duo codd., *inscientiam*.

[l] Al., *servarent*, cum mss. collect. 24 et Sichardo. Dein verba, *ne cuiquam eorum evagari in diversa licuisset*, desiderantur in ms. Vat. Reg. collect. 1. Sichardus omittit *in diversa*.

[m] Verbum *audeatur*, quod Quesnellus ex suorum codd. fide exclusit, restituimus auctoritate sex nostrorum mss. qui ad quinque collectiones diversæ originis, et maxime insignes pertinent, inter quos memorandi præcipue sunt quatuor antiquissimi Vat. Regius collect. 1, Vat. 1342 collect. 3, Lucensis collect. 4 et Vallicell. A. 5 collect. 8. Legitur etiam in exemplo Sichardi. Canis. et Nicolin. Editiones pro *audeatur* exhibent *audiatur*.

[n] Quatuor nostri codd. cum Canis., *hoc*.

[o] Verba *qui de Pelagianorum Cœlestianorumque consortio* desunt in Vat. Reg. coll. 1.

[p] Vide not. 2 Quesn. et nostram observationem in eamdem notationem.

[q] Legenda est nostra observatio in not. 3 Quesnelli.

[r] Cod. Vat. collect. 11 delet *obscurum nihil*. In mss. collect. 24 : *Nihil in verbis eorum, nihil in sensu inveniatur ambiguum*. Mox in mss. Lucensi collect. 4, Vindebon. 39 collect. 5, et Vat. collect. 11, *hanc esse eorum versutiam*.

[s] Hanc Quesnelli emendationem præsertim e mss-

Digitized by Google

discreverint, nihil sibi sensuum suorum æstiment [a] esse non salvum.

Cap. III. — Cumque omnes definitiones suas [b] ad subrependi facilitatem, improbare se simulent atque deponere, hoc sibi tota arte fallendi, [c] nisi intelligantur, excipiunt, ut gratia Dei secundum merita dari accipientium sentiatur. [d] Quæ utique nisi gratis detur, non est gratia, sed merces retributioque meritorum, dicente beato Apostolo : **592** [e] *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis,* [f] *sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus* (*Ephes.* II, 8). [g] Omnis itaque bonorum operum donatio, divina præparatio est : quia non prius quisquam justificatur virtute, quam gratia, quæ unicuique principium justitiæ et bonorum fons atque origo meritorum est. Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur præveniri, ut quæ ante gratiam proprio [h] clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata; falsumque sit quod Veritas ait : *Quoniam Filius hominis venit quærere et salvare quod perierat* [i] (*Luc.* XIX, 10).

Cap. IV [*Al.* V]. — Cavendum ergo dilectioni tuæ

collect. 5, de quibus ille agit not. 4, plerique et potiores nostri codd. confirmant Vat. Reg. collect. 1, Vat. collect. 3, Lucensis collect. 4, Vindebon. collect. 5, et tres collect. 8. Tria exemplaria recentiorum collectionum 11 et 21 habent : *qua ad nostrorum soliditatem discreverint.* Edit. ante Quesn. cum Sichardo, *qua se a damnatorum societate discreverint.* Hanc autem lectionem invenimus in ms. Vat. 544 collect. 21 qui solum omittit *qua.* Antelmius epistola prima Gallice scripta et subjecta ejus dissertationibus De veris operibus SS. Leonis et Prosperi, num. 26, Quesnello succensuit, quod hanc editorum lectionem immutaverit ex suorum codd. fide, quos minus exactos contendit. At non soli codices a Quesnello laudati, sed etiam nostri, quos indicavimus, diversarum et antiquissimarum collectionum libri manuscriptis unius collectionis posterioris præferendi erant. Nec sensus obscurus est, si verborum vis recte intelligatur. Immo diversa licet via verba in eamdem sententiam recidunt. Significatur enim usitata hæreticorum versutia, qui in quacumque particula dogmatis exsecrandi alium quempiam sensum excogitare student, quo a soliditate dogmatum damnandorum, id est, a tota massa damnandorum sensuum desciscere ac discrepare videantur. *Damnandorum* quoque lectio cum antecedentibus *dogmatis exsecrandi* magis cohæret, quam *damnatorum.*

[a] In duobus mss. Vatt. collect. 21, *non salvari.*

[b] Vide not. 5 Quesnelli, cujus emendationem probant præstantiores nostri codices. Soli mss. collect. 21 habent *ad subrepentem facilitatem.* Anteriores vero editiones et Sichardus cum codd. collect. 24, *ad tantam facilitatem;* qui codices mox perperam cum edit. Lovaniensium, *hoc ibi tota arte;* aliæ vero editiones multo pejus, *hoc tibi tota arte.*

[c] Cod. Lucensis, *nisi intelligatur;* et post pauca, *nisi gratis datur.*

[d] 1, qu. 1. *Gratia si non,* c. 1.

[e] Mss. Vatt. collect. 21, et alius collect. 11, *Gratis salvi facti estis.*

[f] Adjecimus *sed* ex quatuor antiquissimis codd. collect. 1, 3 et 4 ac Vallicel. collect. 8, nec non ex Sichardo; editi ante Quesn., *Dei enim donum est.*

[g] Cum codd. a Quesn. laudatis, not. 6, in hac lectione consentiunt etiam omnes nostri, exceptis

A est, magnaque diligentia providendum, ne per hujusmodi homines exstincta dudum scandala suscitentur, et de exciso olim dogmate aliquod in provincia tua ejusdem mali germen oriatur, quod non solum in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ sobolem [k] veneno sui oris inficiat. **593** Qui correctos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent; et obediendo nobis, probent se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectarit, sive ille clericus, sive sit laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur, ne [l] perditor animæ suæ, saluti insidietur alienæ.

Cap. V [*Al.* VI]. — Illam quoque partem ecclesiasticæ disciplinæ, qua [m] olim a sanctis Patribus et a nobis sæpe decretum est, ut nec in presbyteratus B gradu, [n] nec in diaconatus ordine, nec in subsequenti officio clericorum ab Ecclesia ad Ecclesiam cuiquam transire sit liberum, [o] ut in integrum revoces, admonemus : ut unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, [p] ubi ordinatus est, perseveret : ita ut si quis sua quærens, non quæ Jesu Christi, ad plebem [q] et Ecclesiam suam redire neglexerit, et ab honoris privilegio, et a communionis vinculo

illis collect. 24 inter quos est Victorinus ab eodem memoratus, ubi cum anterioribus editionibus et Sichardo legitur : *Omnis itaque bonorum operum devotio, divina præparatio est; nec propria quisquam justificatur virtute, quoniam gratia unicuique,* etc.

[h] Vulg. ante Quesn. cum uno ms. Vat., *data sit.*

[i] Hic in omnibus editis Quesnello anterioribus C inserebantur plura ex Augustini Enchiridio fere excerpta, quæ conficiebant caput 4. Ea Quesnellus expunxit auctoritate suorum codicum, quibus etiam nostri favent; et in notam ejus 7 rejecit, ubi legi poterunt tomo hujus editionis secundo (*primo autem nostræ*). Invenimus autem eadem verba inserta tantummodo in mss. posteriorum collect. 12 et 24, necnon apud Sichardum, hoc tamen discrimine quod in mss. collect. 12, 15 pannus assuitur post verba *quod perierat;* in codicibus autem collect. 24 et in exemplo Sichardi post verba antecedentia *originalis vulnere sauciata,* sequentibus usque ad finem capitis omissis.

[j] Cod. Vercell. collect. 8, *ne scandala suscitentur,* intermediis vocibus prætermissis. In cod. Lucensi verba *per hujusmodi homines* desiderantur.

[k] Quesnellus cum aliis edit. et nonnullis codd., *veneno sui odoris.* Ms. Cantabrig. ab eodem laudatus et editio Canisii cum nostris codd. collect. 21, *veneni sui odore.* Prætulimus lectionem quinque præstantissimorum exemplarium Vat. Reg. Vat. 1342, Lucensis, nec non Vallicell. et Vercellensis. Paulo ante idem Vercell. habet *sanctam Ecclesiæ sobolem.*

[l] Tres mss. codices Quesn. ac totidem nostri et editio Canisii *perditione.* Hadrianus I, epist. 97, ad episcopos Hispan., *proditor.*

[m] Ms. Vat. 5845, *et olim.* Quatuor alii codices, *quæ olim decreta est.* Confer quæ in hunc locum observavimus in præmissa admonitione, num. 25. Vide, si lubet, etiam Quesnelli not. 8.

[n] Tres codd. Vat., *nec in diaconatus, nec in subsequenti ordine clericorum.* Quatuor alii pro *officio clericorum* habent *ordine clericorum.* Cod. Lucensis omittit *nec in subsequenti officio.*

[o] Cod. Vat. collect. 11, delet *ut.*

[p] In ms. Vat. collect. 24, *ibi ubi ordinatus est.*

[q] Cod. Vat. Regius, *et ad Ecclesiam.* Sichardus delet *plebem et.*

Digitized by Google

habeatur extraneus. Non autem dubitet dilectio tua, nos, si (quod non arbitramur) neglecta fuerint, quæ pro custodia canonum et pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos : quia [a] INFERIORUM ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.

594 EPISTOLA [b] II.

AD [c] SEPTIMUM EPISCOPUM ALTINENSEM.

[d] SYNOPSIS. — I. *Pelagianos nonnisi cum erroris ejuratione esse recipiendos.* — II. *Unumquemque clericum in ea Ecclesia permanere debere, in qua est ordinatus.*

LEO episcopus SEPTIMO episcopo salutem.

CAP. I. — Lectis fraternitatis tuæ litteris, vigorem fidei tuæ, [e] quem olim noveramus, agnovimus : congratulantes tibi, quod ad custodiam gregum Christi pastoralem curam vigilanter exsequeris; ne lupi, qui sub specie ovium subintrarunt (*Matth.* VII, 15), [f] bestiali sævitia simplices quosque dilacerent; et non solum ipsi nulla correctione proficiant, sed etiam ea quæ sunt [g] sana corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia, ad metropolitanum episcopum provinciæ Venetiæ scripta direximus, quibus ad status sui periculum cognosceret pertinere, si quisquam de Pelagianorum et Cœlestianorum consortio veniens, in communione catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. [h] Saluberrimum enim est, et spiritualis medicinæ utilitate plenissimum, ut sive presbyteri, sive diaconi, sive alii cujuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, errorem suum, et ipsos erroris auctores damnari a se sine ambiguitate fateantur; ut sensibus pravis et dudum peremptis nulla [i] sperandi supersit occasio, nec ullum membrum Ecclesiæ talium possit societate violari, cum per omnia illis professio propria cœperit obviare.

CAP. II. — Circa quos etiam illam canonum constitutionem **595** præcipimus custodiri, ne ab his Ecclesiis, ad quas proprie pertinent, sinantur abscedere, et pro suo arbitrio ad loca sibi non deputata transire. Quod cum recte non permittitur inculpatis, multo minus [j] debet licere suspectis. Proinde dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jungat **596** curam suam dispositionibus nostris, et cum supradicto metropolitano det operam, ut circumspecte ac velociter impleantur ea, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem, et laudabiliter [k] sunt suggesta, et salubriter ordinata.

[a] Dist. 86, *Inferiorum culpæ*, c. 1.

[b] Al. 7. Quæ autem antea 2 erat, nunc 167. Scripta circa an. 442.

[c] Cur *Septimum*, non autem, ut in editis, *Septimiam* scripserimus, vide annot. 3 (*Col.* 593, [c]) in epistolam antecedentem. Civitatis nomen plures quidem et antiqui codices omittunt; at legitur in mss. codd. collect. 12, 23 et 24, ac præsertim pervetustæ collect. 8. Erat in editis *Altinum* ex codd. collect. 12 et 24, sed hoc ipsius civitatis nomen est. *Altinatem* ex probæ notæ auctoribus scribendum fuisset : sed ex mss. Vallicell. collect. 8 et Ottobon. collect. 23 *Altinensem* reposuimus; ita enim ferme hujus urbis episcopi in conciliis memorati appellari solent. Vide concil. Aquileien. an. 381. Invenimus autem hanc epistolam in mss. novem collectionum recensitis in admonitione præmissa epistolæ superiori, num. 5 et 7, ex quibus sinceritatem harum litterarum vindicavimus num. 11, et num. 14 difficultates a Quesnello objectas dejecimus.

[d] In indice mss. collect. 5 hic titulus legitur cap. 83 : *Ad Septimum episcopum de suprascriptis titulis.* Respiciuntur autem tituli superioris epistolæ, cui hæc in omnibus collectionibus constanter subjicitur : unde eodem tempore scriptam confirmare licet.

[e] Vulgati, *quam*. Emendavimus ex mss. Vat. Reg. collect. 1, Vat. 5845 collect. 8 et Florentino S. Marci collect. 13, cum præsertim similiter legatur capite 1 epist. 18 ad Januarium, quod ex hac epistola exscriptum fuit.

[f] Quinque codd. diversarum collectionum, *bestiarum sævitia.*

[g] Quatuor præstantes codd., *sancta.*

[h] 1, quæst. 7, *Saluberrimum enim*, c. 21.

[i] Quesnellus, *spirandi*, et in margine rejecit vulgatam lectionem *sperandi*; quam tamen omnes nostri codices approbant, sicut etiam probatur in epistola ad Januarium, quæ hanc eamdem sententiam totidem verbis repetit.

[j] Melior visa est hæc lectio duobus optimæ notæ mss. probata Vat. collect. 8 et Florentino, quibus concinit etiam epistola ad Januarium. Al., *debeat.*

[k] Al., *sunt gesta.*

ADMONITIO

In fragmentum epistolæ S. Cyrilli Alexandrini de Paschate an. 444, ad S. Leonem, quæ ad illustrandam etiam subsequentem epistolam Paschasini plurimum conferet.

1. De quæstione Paschatis anni 444 S. Leonem duas saltem scripsisse epistolas, alteram ad Cyrillum episcopum Alexandrinum, ad Paschasinum episcopum Lilybetanum alteram, ex Paschasini litteris manifestum est. Sed utræque injuria temporum intercidere. Solam Paschasini responsionem superesse existimatum fuit; ac propterea eam unam Quesnellus edidit. At ejus quoque epistolæ, quam Cyrillum, Leoni reddidisse idem Paschasinus testatur, non exiguum fragmentum ad nos transmissum credimus; quod ut statuatur, nonnulla observanda sunt.

2. Eam nimirum Cyrilli epistolam de Paschate Africani concilii Patribus traditam, quam Dionysius Exiguus suæ collectioni integram inseruerat num. 135, ex Sirmondi schedis cum longiori additione ediderant primum Petavius tom. II De Doctrina temporum, in fine, ac dein Bucherius in Commentario ad Canonem paschalem Victorii, cap. 1, pag. 72. Duæ vero in ea quam Petavius et Bucherius ediderunt partes distinguendæ, nimirum ipsa Cyrilli epistola ad Africanos, quæ legitur correctior apud Dionysium; et ejus additio, quæ ad aliam ejusdem Cyrilli epistolam pertinet. Has quidem duas distinctasque Cyrilli epistolas cum imperitus quidam reperisset agentes de Paschate, de eodem Paschate utrasque agere credidit : et idcirco epistolæ ad Africanos, quam ex Dionysio primum descripsit, paucis verbis suo arbitrio

Digitized by Google

immutatis, alteram, quæ Bedæ temporibus integra legebatur, initio prætermisso, subjecit atque inseruit; quæ cum denuntiet diem Paschatis anni 444, eidem diei accommodata fuit a librario dies designata in priori ad Africanos epistola, nimirum IX *kal. Maii*. Hinc Bucherius non duas, sed unam epistolam habuit totum hoc documentum, eodemque credidit sermonem esse de solo Paschate ann. 444.

3. Sed si conferatur prima hujus pars cum Cyrilli epistola ad Africanos, quæ a Dionysio conservata est, eadem reperientur verba paucis vocibus exceptis, quas librarius mutavit; ut nihil dubii sit quin ea prima pars pertineat ad Pascha an. 420. Ita sane cum ibidem optime dicatur inscripta *Aurelio, et Valentino, sed et omni S. congregationi in Carthaginensi synodo congregatæ*, et in ea Cyrillus affirmet se mittere exemplaria concilii Nicæni (quæ innuunt concilium Carthaginense an. 419), perperam, ubi agitur de Paschate, subjicitur celebrandum IX *kal. Maii*. Hæc enim chronica notatio indicat Pascha an. 444, quod toto tempore episcopatus Cyrilli apud Alexandrinos hoc solo anno in eam diem incidit; ac propterea hæc epistola scripta fuisset an. 443, cum quo nequaquam coheret concilium Carthaginense, quod a Cyrillo exemplaria postulavit concilii Nicæni, nec cum ætate Aurelii, qui hujus concilii præses jamdiu ante an. 443 e vivis excesserat. Itaque recte Petavius hanc epistolam scriptam tradiderat an. 419, et agere de Paschate anni 420, ac proinde loco IX *kal. Maii* legendum XIV *kal. Maii*, quo die Pascha celebratum fuit an. 420.

4. Apud Dionysium quidem legitur XVII *kal. Maii*, in quem diem incidit Pascha an. 423. Sed præterquam quod frequentius de Paschate anni sequentis, rarius de Paschate post aliquot annos celebrandum petebatur, ipsa Cyrilli epistola, quæ Pascha *futuræ indictionis*, id est anni sequentis indicit, apud Dionysium transmissa dicitur ad Bonifacium una cum alia Attici epistola post *consulatum Honorii* XII *et Theodosii* VIII, id est an. 419. Facile autem fuit numerales notas XIV librariorum lapsu duabus junctis unitatibus deflectere in XVII. Neque textum Græcum opponas ex Ecclesiæ Africanæ codice, uti vocant, ubi similiter ac apud vulgatum Dionysium hæc numeralis nota legitur. Nam Græcus Africani codicis textus non est originalis Cyrilli, sed ex Latino Dionysii antiqua interpretatio Græca, quæ ex vitiato Dionysii textu derivat, et veterem esse hunc librariorum lapsum confirmat. Hinc ergo manifestum fit veram lectionem in ms. Sirmondi fuisse corruptam ab illo antiquario, qui cum huic epistolæ alteram partem subjecit, et ex duabus epistolis unam compegit, diem Paschatis in hac postrema parte designatum, de quo pluribus agitur, ad priorem quoque partem transferendum putavit. Hac libertate in inscriptione eadem Cyrilli epistola data dicitur Carthaginensi synodo *congregatæ* V *kal. Decembris*, cum apud Dionysium nulla talis notatio in inscriptione occurrat, sed in titulo Dionysius notaverit diem VI *kal. Decembris*, quo ea epistola ab Africanis ad Bonifacium pontificem missa fuit. Hactenus de epistola ad Carthaginense concilium.

5. Nunc de additione, seu de alia Cyrilli epistola, quæ nostri instituti propria est. Hæc nimirum agit de Paschate celebrando an. 444. Dicitur enim Pascha celebrandum apud Alexandrinos IX *kal. Maii propter rationem embolismi anni*, Latinos autem meditari celebrare illud VII *kal. Aprilis luna* XXII, ita ut *communem annum facerent de embolismo*. Hi omnes characteres conveniunt soli Paschati an. 444, quales quidem etiam in Paschasini epistola dein subjicienda deprehenduntur; ac proinde hæc Cyrilli, uti et Paschasini epistola, pertinet ad an. 443.

6. Petavius in notis ad hanc additionem tom. II de Doctrin. temp. hic innui affirmat Pascha ann. 607, et inde concludit hanc non esse Cyrilli epistolam, sed auctoris qui duobus ferme sæculis posterior fuit. Sed tota ejus ratiocinatio nititur ficitio cyclo decemnovennali, quem Romanis perperam tribuit, eo quod ipsi esset ignotus cyclus annorum 84 apud Latinos hoc tempore receptus: unde nihili facienda est. Pagius vero ad an. 419, n. 28, cum vidisset omnes characteres congruere Paschati an. 444, et omnes tum codices, tum scriptores hanc epistolam Cyrillo tribuere, recessit a Petavii sententia, sed ipsam a Cyrillo datam credidit ad quosdam monachos his argumentis: quia, inquit, non ad unum, sed ad plures scripta est; et hos quidem Cyrillo inferiores ac subditos innuunt verba, *Præcipio vobis ne faciatis*, etc.; monachos vero indicare videtur Pachomii monachi exemplum, quod iisdem litteris inseritur. At cum scripta sit ad Latinos, qui Pascha celebrare volebant VII *kal. Aprilis*, ad inferiores et Cyrilli subditos tradita dici nequit. Sicuti vero librarii arbitrio in epistola ad Africanos scriptum fuit *mandamus vobis*, ubi apud Dionysium legitur *nuntiamus;* ita eodem arbitrio in hac epistola scriptum credimus *præcipio vobis*, ubi aliud in originali ejusque versione modestius aliquid legebatur. Monachi autem exemplum ad propositum comprobandum allatum, nihil conficit, ut ea epistola monachis tradita statuatur; cum præsertim Latinos monachos Cyrillum de Paschate an. 444 interrogasse ne suspicari quidem liceat.

7. Utrum tandem ad unum, an ad plures, scripta fuerit, dubitari potest. Tillemontius in Cyrilli Vita, art. 147, *quibusdam Occidentis episcopis datam* existimat. Si id collegit ex verbis *quod optamus, charissimi fratres*, non advertit hæc pertinere ad finem epistolæ, quæ Africanis tradita fuit. Si vero deduxit ex illis quæ huic posteriori fragmento inseruntur, *charissimi domini mei in mente habetote*, quæ Cyrilli potius quam Pachomii verba esse videntur, fortiora quidem sunt, sed non omnino convincunt; cum fieri potuerit ut is qui hanc epistolam anteriori ad Africanos subjecit, ita hæc loca plurali numero afferret, ut cohærerent cum antecedentibus, quemadmodum alia proprio ingenio eum immutasse cognoscimus.

8. Joannes Vander Haagen, auctor operis inscripti: *Observationes in veterum Patrum et pontificum prologos et epistolas paschales*, Amstelodami an. 1734, pag. 97, eam Cyrilli epistolam esse, et ad Leonem pontificem traditam propugnat. Id autem exinde potissimum statuit, quod ex una parte certum sit ex Paschasino S. Cyrillum Leoni interroganti de Paschate an. 444 per litteras eidem directas respondisse; ex alia vero parte textum qui in hoc fragmento legitur Beda tribuat epistolæ Cyrilli ad S. Leonem, et in ipso fragmento agatur quidem de quæstione Paschatis anni 444, de qua eum Leoni respondisse Paschasinus prodidit. Idem vero auctor allegat tria Bedæ testimonia: duo quibus ea epistola Cyrillo vindicatur, nimirum ex libro de temporum Ratione, et ex epistola ad Wichredam; tertium vero ex opusculo de Argumentis lunæ, ubi ad Leonem scripta dicitur testibus Petavio et Bucherio, sed locum se non potuisse invenire fatetur. Certe in editione Coloniensi an. 1688, tom. I pag. 151, in eo tractatu de Argumentis lunæ hæc reperimus: *Sic legitur in epistola quam beatus Cyrillus ad Leonem papam scripsit: Indicabo enim vobis, quid Bachumius* (lege *Pachomius*) *monachus*, etc. quæ quidem in fragmento mox recitando invenientur, sicut in eo leguntur etiam illa quæ tum in opusculo de temporum ratione ejusdem editionis cap. 41, tom. II pag. 83, tum in epistola ad Wichredam eodem tomo pag. 230, ex eadem Cyrilli epistola Beda recitat. Grave quidem est hoc testimonium Bedæ, qui cum ipsam epistolam non ad Africanos, sed ad Leonem traditam pronuntiet, hanc non subjectam perperam epistolæ ad Africanos, sed separatam et Leoni inscriptam reperisse deprehenditur, ac propterea iis vocibus carentem, quibus ea ad plures data præfertur. Nihil vero dubitamus quin Cyrillus in sincera epistola ad Leonem iis formulis honoris et observantiæ erga apostolicam sedem usus sit, quæ in

Digitized by Google

aliis ejus ad Romanos pontifices litteris leguntur. Has vero omnes formulas ab eo qui hoc fragmentum epistolæ ad Patres concilii Carthaginensis adjecit immutatas credere oportet. Sed hæc ipsa interpolatio nobis persuasit ne hoc fragmentum absolute insereremus huic operi, in quo solas epistolas omnino sinceras describendas putavimus. Cum vero interpolatio inesse videatur in solis vocibus, re autem ipsa totum hoc fragmentum cohæreat cum characteribus Paschatis an. 444, qui in certis Paschasini litteris deprehenduntur, nec non cum ipsius Cyrilli sententiis, quæ in aliis ejusdem opusculis paschalibus continentur; illud non omnino omittendum, sed huic monito subjiciendum, et aliquot etiam notationibus illustrandum credidimus.

601 FRAGMENTUM

Epistolæ S. CYRILLI *Alexandrini ad S.* LEONEM.

. . . . . .

. . . . . .

Simul Pascha celebremus [a] kal. IX. Maii propter A rationem embolismi anni. Quod 602 si faciatis [b] VII kal. Aprilis, luna XXII, ut jam præparatis, communem annum facitis de embolismo, dum observatis [c] lunam incensam in III nonas Martias juxta regulam Latinorum kal. Januarii [d], Dominica luna XXVII;

[a] Loquitur de Paschate an. 444, juxta cyclum decemnovennalem Alexandrinorum, in quo hic annus ogdoadis octavus erat embolismalis, ut ex Paschasini epistola liquebit. *Et propter* hanc *quidem rationem embolismi anni* Alexandrini contendebant Pascha hoc anno celebrandum IX kal. Maii, non vero cum Latinis VII kal. Aprilis, ac si annus esset non embolismalis, sed communis. In hoc scilicet tota, vel potior discriminis ratio sita erat inter Alexandrinos et Romanos circa Pascha hujus anni 444. Quod ut cuivis planum fiat, sciendum est lunares annos alios esse communes, alios embolismales. Communes dicuntur, qui constant ex mensibus lunaribus 12 et B diebus 354. Lunares enim menses nunc diebus 29, nunc diebus 30, alternatim computantur. Embolismales vero anni appellantur ii, quibus post duodecim menses lunares additur alius mensis item lunaris dierum 29 (sive is mensis decimus tertius vocetur, sive alter duodecimus), ita ut annus embolismalis constet ex diebus 383. Hic embolismus anno lunari identidem inseritur, ut aliorum annorum lunarium defectus ad solaris anni rationem hoc additamento suppleatur, et ita lunares anni cum solaribus aliqua ratione cœquentur: quod ad inveniendam paschalem lunam primi mensis, quæ ab æquinoctio solis plurimum pendet, necessarium est. Hac autem de causa tam apud Alexandrinos, quam apud Romanos embolismales anni recepti fuerunt; sed methodo diversa, ut diversus ipsorum cyclus ferebat. In cyclo decemnovennali Alexandrinorum anni tertius, sextus, octavus, undecimus, decimus quartus, et decimus nonus erant embolismales; cæteri C autem erant communes. Ita post duos annos communes apud ipsos sequebatur unus embolismalis, exceptis octavo et decimo nono, qui post unicum annum communem subjiciebantur. In cyclo autem Romanorum annorum 84 anni embolismales post duos communes nulla exceptione collocabantur. Cum porro in hoc Romanorum cyclo annus sexagesimus tertius, in quem cadebat annus vulgaris æræ 444, esset annus communis; in cyclo autem Alexandrinorum annus octavus eidem anno 444 respondens esset embolismalis; palam fit primum paschalem mensem apud Romanos, Alexandrinis ob rationem embolismi fuisse decimum tertium, seu alterum duodecimum mensem anni lunaris præcedentis, qui Paschati non poterat convenire: et hac potissimum de causa in statuendo Paschatis die ejus anni alteri ab alteris mense integro dissidebant. Diximus vero *totam, vel potiorem discriminis rationem* in hoc sitam esse. Alia enim Latinis accessit difficultas, ne in D Alexandrinorum sententiam transirent, nimirum ob limites paschales diversos, ut not. 17 (col. 608, n. [k]) ad Paschasini epistolam dicetur.

[b] Sermo est de Paschate juxta Latinorum cyclum, in quo, ut diximus, hic annus erat communis; ac propterea cum neomenia paschalis ipsis esset dies 5 Martii, Pascha cadebat in diem Dominicam VII kal. Aprilis, luna XXII, uti etiam Paschasinus notavit, ac sequenti annotatione explicabitur.

[c] Latini in suo cyclo notabant kal. Januarii feriam septimanæ, et ætatem lunæ, ut patam fit ex Victorii cyclo, nec non ex cyclo anonymi Fastis annexo, quem noster cardinalis Norisius edidit, sicuti etiam ex cyclo, qui in Anecdotis Latinis Muratorii tom. III legitur. Ex ætate lunæ determinabatur noemenia Januarii, et consequenter etiam Martii: erat enim constans Latinorum regula: *Qualis luna est in Januario, talis quoque est in Martio.* Ex feria autem facile erat colligere Dominicam Paschatis. Hoc porro anno 444, in cyclo Latinorum kal. Januarii feria notabatur *sabbatum*, ætas vero lunæ XXVII, ut sequenti annotatione ostendemus. Erat ergo neomenia Januarii et Martii die 5, ac propterea dies Dominica Paschatis 26 Martii, luna XXII. Nam cum ille annus esset bissextilis, Dominica quidem incidebat in diem 19 Martii, luna XV. At cum Pascha celebrandum non esset ante æquinoctium, Latinorum vero regula vetaret celebrari ante lunam XVI, differendum fuit in Dominicam sequentem 26 Martii, luna XXII.

[d] Legendum est *sabbato*, non *Dominica*, ut ex omnibus cyclis Latinorum liquet. Hunc lapsum sive librario, sive, ut alii suspicantur, Cyrillo tribuas, nihil refert. Porro in cyclo anonymi apud Norisium ad an. cycli 63, in quem incidit annus Christi 444, nec non in vetusto cyclo apud Muratorium, tom. III Anecdotorum Latinorum pag. 204 et seqq., ad an. 62, qui per auctoris lapsum correspondet anno 63, ut videre est apud Joannem Vander Haagen auctorem Observationum in anonymi cyclum a Muratorio editum pag. 278. In his, inquam, cyclis notatur Januarii kal. *Sat.* id est Saturni dies seu sabbatum, vel feria 7. Luna autem XXVIII, non vero XXVII. Sed hi Latinorum cycli annorum 84 constructi fuerunt eo tempore quo saltus lunæ duodecimo quoque anno admissus, ab initio cycli ad annum 63, quinque saltus lunæ afferebat. Leonis autem tempore emendante Prospero inductum fuerat ut lunæ saltus quarto decimo quoque anno admitteretur, ut probavit laudatus Vander Haagen pag. 217 et seqq. Observationum in Chronicon Prosperi: unde quatuor tantum lunæ saltus ab initio cycli ad annum 63 inciderunt. Quilibet autem saltus ætati lunæ unam diem addit. Itaque in illis cyclis, qui astruebant quinque saltus, una dies ætati lunæ accedebat usque ad annum 63, supra eum cyclum, qui ex correctione Prosperi quatuor tantum saltus recipiebat: ac propterea in illis cyclis in kal. Januarii anni 63 lunæ ætas erat XXVIII; in cyclo autem recepto Leonis tempore, XXVII. Ipsa quidem *luna incensa*, seu neomenia paschalis, quam auctor hoc anno ponit III nonas Martias, sicut in Martii, ita et in Januarii kalendis exigit ætatem lunæ XXVII. Hic vero notandum est cardin. Norisium in Diagramate cycli anni 84, in quo ad an. 63 kal. Januarii, notavit ex Fastis ætatem lunæ XXVIII perperam signasse neomeniam paschalem ejusdem anni die 5 Martii, seu III nonas, cum in hypothesi ætatis lunæ XXVIII veteri stylo Fastis appositæ neomenia inciderit in diem 4 Martii seu IV non. Martii. Id quidem ille induxit cogentibus hinc certis testibus de die Paschatis an. 444, hinc vero cyclo suis Fastis apposito, quem eodem anno obtinuisse præsumpsit:

Digitized by Google

et non observandum est in hoc anno pro causis
603 quas [a] supra diximus. Sicut enim vitandum est Pascha, quod diximus, in hoc anno; ita cavendum est ne faciamus Pascha anni embolismi in anno communi, et communis in embolismo. Debemus enim investigare epactas [b] lunares in mensibus totius anni, ut celebremus Pascha in luna [c] primi mensis, in principio anni post veris exordium. Sol enim ipse quotidie terra marique pariter clauditur in fine diei, et in diei initio aperitur. Et finit sol cursum totius anni in XII kal. Aprilis, et lunaris globi plenitudo, vel diminutio, digitorum motu, rationis magisterio, et calculi supputatione aliqua prævidetur; ut numeremus XII tantum lunas juxta supputationem legalem [d] Hebræorum in anno communi, et XIII in embolismo secundum computationem dierum.

Indicabo vero vobis, quod [e] Pachomius insignis factis, apostolicæ gratiæ egregius fundatorque Ægypti cœnobiorum, edidit ad monasterium, quod lingua Ægyptiorum vocatur [f] Panum, litteras, quas

A 604 angelo dictante perceperat, ut non errorem incurrerent in solemnitatis paschalis ratione, scirentque lunam primi mensis in anno communi et embolismo. [g] Charissimi Domini mei in mente habetote, quod constitutum est Pascha primum in Ægypto ad commonitionem, ut manducarent filii Israel agnum in typo veri Agni in luna primi mensis. Posterius autem Pascha factum est ad recordationem, in quo Manna descendit, quod ostendit, quod recederet agnus umbratilis, quando descendisset verum Manna. Dominus autem noster Jesus Christus conjunxit in una die agnum Judæorum, et verum Manna, quando benedixit panem et vinum dicens: *Hoc est corpus meum, et sanguis meus* in luna primi mensis, in anni principio. Ideo recordemur et me-
B mores simus offerre quæ obtulit Jesus pro nobis in primo mense. Dixit enim Dominus Jesus: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei recordationem et memoriam facietis.* Scruteminique diligentissime, quæ ordinavit synodus [h] Nicæna, lunas XIV 605 omnium

hæcque ut conciliaret, arbitrarium systema lunarum plenarum invexit, quod ipse pariter repudiasset, si de inducta ante eum annum cycli emendatione ita suspicatus fuisset, uti postea dubitavit ob Pascha anni 454.

[a] Hæc verba initio non pauca deesse indicant.

[b] Quæ ab Alexandrinis vocabatur *epacta*, Latinis *ætas lunæ* dicebatur. Nominantur autem *epactæ lunares in mensibus totius anni*, id est non annuæ, sed menstruæ, eo quod harum investigatio necessaria sit ut legitimum Paschatis tempus inveniatur.

[c] Hanc regulam ob Pascha determinandum maxime observandam Joannes Vander Haagen pag. 105 Observat. in Cyrilli epistolam accuratissime explanat. Intelligitur autem *primus mensis* anni lunaris sacri Judaici, *in principio anni* solaris tropici naturalis ab
C æquinoctio verno incipientis *post veris exordium*, quod mox figitur *diei* XII *kal. Aprilis.* Id cum Cyrilli prologo concinit, ubi æquinoctium vernum, et veris exordium similiter statuitur XII *kal. Aprilis*, hoc est Martii 21, seu mensis Pharmuti 25. Hæc dies maxime observanda in Paschatis computo: et cum dicitur Pascha celebrandum *post veris exordium*, indicatur ex Alexandrinorum regulis celebrari non potuisse in ipso verni æquinoctii die. Cum enim Pascha celebrari non possit luna XIV primi mensis, sed die Dominica, quæ eam lunam XIV proxime subsequitur, celebrandum sit; Pascha celebrandum *post veris exordium*, seu post æquinoctium vernum, citius apud Alexandrinos cadere poterat in lunam XV, si hæc luna esset Dominica, et luna XXIV cum æquinoctii die concurriset.

[d] *Hebræorum* scilicet, qui anno lunari et mensibus lunaribus utuntur, ut primum mensem paschalem definiant juxta præcepium Legis: *Custodi primum mensem.* Additur *secundum supputationem dierum*, ita scilicet ut cum ante mensem paschalem inserendus est embolismalis, quemadmodum hoc anno 444 Alexandrini contendebant, in anno embolismali mensium lunarium tredecim supputentur dies 384, ubi in anno communi mensium lunarium duodecim dies 354 computabantur.

[e] Gennadius, de Vir. Illustr. cap. 47, Pachomii litteras memorat *ad omnium monasteriorum præpositos*, quibus præcipitur *ut in unum antiquius monasterium, quod lingua Ægyptiaca Baum vocatur, Paschæ diem velut æterna lege celebrent.* Integræ hæ litteræ ex interpretatione Hieronymi ab Holstenio editæ sunt post Pachomii regulam. Sed cum nihil ejusmodi, quod in fragmento legitur, contineant, aliæ Pachomii

litteræ, quæ perierint, a Cyrillo indicatæ videntur. Beda de Temporum ratione c. 41, tom. II edit. Colon. an. 1682 pag. 83, secundo loco; et de Argumentis lunæ, tom. I pag. 151, ipsum Cyrilli testimonium de Pachomio recitat; et Joannes Noviomagus, in notatione ad memoratum cap. 41, affirmat apud se fuisse Pachomii opusculum de Paschate, quod se editurum spondet. Num vero usquam ediderit, ignoramus. Idem vero Beda, de Argumentis lunæ pag. 151, addit: *Legimus in epistolis Græcorum, quod post passionem apostolorum S. Pachomius abbas in Ægypto cum monachis suis in oratione a Domino rogavit ut ostenderet ei quomodo Pascha deberet celebrare. Et misit Dominus per angelum suum ad præfatum S. Pachomium cyclum decemnovalem hoc modo. Nonæ Aprilis norunt quinos, octonæ kalendæ assim depromunt*, etc. Num hæc particula, qua cyclus decemnovennalis ad inveniendum Pascha angelo suggerente approbatus fuit, desumpta sit ex epistola Pachomii, quam Cyrillus allegat, aliorum judicium esto.

[f] Apud Bucherium hoc monasterium vocatur *Bonum.* Quidam legendum malunt *Baum*, alias Bau, vel Pabau, quod præcipuum erat inter Pachomii monasteria. Prætulimus lectionem Bedæ, qui ipsam Cyrilli ad Leonem epistolam in suis codicibus reperit. Unum Pachomii monasterium nomine *Pachnum* memoratur.

[g] Hoc loco librarii interpolatio deprehenditur: cum hoc fragmentum epistolæ ad synodum Carthaginensem subjecit. Vide admonitionem præmissam num. 7.

[h] Paulo post dicitur *scripsisse synodus Nicæna cyclum lunarem primi mensis.* Nisi librarii arbitrio vel interpretis minus accurati negligentia mendum irrepsit in vocem *scripsisset;* Cyrillus quoque sensit
D cyclum decemnovennalem ab eadem synodo fuisse præscriptum, ut tradiderunt Ambrosius in epistola ad episcopos, Æmilia scribens de Paschate an. 387, et Proterius Cyrilli successor in epistola ad S. Leonem de Paschate an. 455. Sunt qui eumdem cyclum a Nicæna synodo institutum velint. Sed illum ab antiquiori Anatolio editum, multo ante in Alexandrina Ecclesia obtinuisse liquet ex Eusebio l. VII c. 32. Itaque Nicæni Patres illum probare solum et præscribere potuerunt. Id autem etsi nulli veteres historici memorent, hac tamen ratione commode intelligi potest. Cum nimirum iidem Patres sanxerint, ut Pascha ab omnibus ubique eadem Dominica celebraretur; id profecto obtineri non poterat, nisi uno eodemque cyclo omnes uterentur. Cum porro in eum finem

Digitized by Google

annorum per decemnovennalem cyclum, ut non fallamur in luna XIV cum Judæis et hæreticis, qui dicuntur tessares kœdecatitæ. Et constitutum est in omnibus synodis, præter synodum Gangrensem et Cæsariensem, ut non faceret ulla Ecclesia, vel civitas, et omnis regio contraria his quæ statuta sunt de Pascha in Nicæno concilio.

Credite mihi quod si non scripsisset synodus Nicæna cyclum lunarem primi mensis, sufficeret cyclus lapidis Silenitis in Perside ad exemplum rationis paschalis, cujus candor interior cum luna primi mensis crescit et decrescit. Ideo nuntiavi vobis hæc omnia, eo quod dubitastis de luna primi mensis in hoc anno. Ideo [a] præcipio vobis ne faciatis Pascha in mense Martii in anno embolismi, sed in IX kal. Maii in unitate Ecclesiæ catholicæ. Verum Agnum veri Israelitæ immaculatum immaculati comedamus : quia in una domo **606** præceptum est Israeli carnali agnum anniculum comedere. De quo agno immaculato veracissime præceptum est : *Non occides agnum in lacte matris suæ*, hoc est in proximo pascha conceptionis suæ in utero matris suæ. Ideo prægnantem Mariam, ne sicut stuprata et adultera lapidibus interficeretur, clam voluit Joseph dimittere. Ut vero non occideretur agnus in lacte matris suæ, in pascha nativitatis suæ proximo fugit Joseph in Ægyptum, Angelo præcipiente, in mense Martio, anno revertente, in quo mense eduxit Cain Abel justum in campum, ut occideret eum in typo Christi educti ad prætorium Pilati in sexta feria : quia eodem die conceptus in utero est, et mortuus in cruce ; dum in sexta feria mortuus est Adam in anima pro peccato in paradiso, et in eodem obiit in corpore. Responsum est, ut opinor, omnibus quibus interrogastis me [b].

607 [c] EPISTOLA [d] III.

PASCHASINI EPISCOPI LILYBETANI AD LEONEM PAPAM.

De Paschate anni 444.

SYNOPSIS. — *Paschasinus de cyclo paschali a Leone consultus, post pauca de Siciliæ clade præmissa, Alexandrinam supputationem, Romana posthabita, retinendam esse probat, tum ex Hebræorum calculo, tum ex miraculo quod Zosimi papæ tempore contigit.*

Domino vere sancto atque beatissimo ac apostolico, mihique post Dominum plurimum colendo papæ LEONI PASCHASINUS episcopus.

CAP. I. — Apostolatus vestri [e] scripta diacono Panormitanæ Ecclesiæ SILANO deferente percepi, quæ nuditati meæ atque ærumnis, **608** quas amarissima captivitate faciente incurri, solatium in omnibus atque remedium attulerunt, cœlesti rore meum animum recreantes, atque omne quod triste fuerat, abstergentes, domine venerabilis papa. Jubere dignata est corona vestra, ut [f] quid paschalis supputationis veritas [g] anni post hunc futuri haberet, sacrosanctis auribus vestris exiguitas mea intimaret. Cui præcepto [h] pio inobediens existere non potui omnino, nec debui. Diutino itaque tractatu, vel ratiocinatione id verum invenimus, quod ab Alexandrinæ Ecclesiæ [i] antistite beatitudini vestræ rescriptum est. Nam cum Romana supputatio, quæ cyclo concluditur, cujus ipse, de quo agitur, erit [j] sexagesimus tertius

illi decreverint ut Alexandrina Ecclesia, quæ memoratum cyclum adhibebat, et calculandi arte erat celebris, diem Paschatis in ejusdem utique cycli normam Romano episcopo significaret, *unde apostolica auctoritate universalis Ecclesia per totum orbem definitum Paschæ diem sine ulla disceptatione cognosceret*, ut idem Cyrillus in prologo paschali tradit ; hoc sane decreto eum cyclum satis approbasse, et quodammodo præscripsisse dici queunt. Notandum vero est hoc decretum Nicænum, non Romano, sed Alexandrino episcopo præcepisse, ut ad Romanum antistitem in memoratam rationem scribens, ejus assensum auctoritatemque excitaret, qua Pascha eodem die a toto Christiano orbe sine disceptatione celebraretur. Cum vero hæc Nicæna decemnovennalis cycli approbatio valde implicita et obscura fuerit, nulloque canone expressa, nihil mirum, si Romani pontifices, qui cæteroquin Nicænum concilium maxime venerabantur, non deseruerunt suum cyclum annorum 84 qui primis temporibus in determinando Paschate a decemnovennali non discrepabat : etsi, cum posterius quæstiones paschales cœperunt commoveri, non nisi serius Alexandrinum cyclum recepere.

[a] In hunc pariter locum irrepsisse aliquod mendum, in admonitione observavimus num. 6.

[b] Adduntur in fine exemplaris Sirmondiani : *Et omnia scripta authentica synodi Nicænæ protuli.* Hæc autem glossema sunt ab eo additum, qui postquam hanc epistolam subjecit litteris Cyrilli ad Africanos, eo quod ejus partem, vel appendicem crederet, hanc clausulam, quæ ad easdem litteras refertur, perperam posuit.

[c] Hanc epistolam relegimus cum ms. Vat. Reginæ 586 sæculi XI pag. 115 Paschali Operi insertam. Vide observationem Quesnelli tom. II nostræ editionis, et confer annotationes in præmissum Cyrilli fragmentum, ac præsertim annot. 1 (*Col.* 601, n. [a]), ubi quæstionis potissima ratio exponitur.

[d] Al. post. ep. 2. Quæ erat 3, nunc 4. Scripta an. 443.

[e] Indicatur Leonis epistola ad Paschasinum, quæ desideratur, de Paschate scripta hoc eodem anno 433, in qua mentio fiebat litterarum Cyrilli ad Leonem, quarum fragmentum jam dedimus. Quod autem traditur S. pontificis epistola *nuditati et ærumnis* Paschasini *solatium in omnibus atque remedium attulisse*, respicit Siciliæ magnam partem occupatam a Vandalis an. 440, qua occasione Paschasinus non tam captivitatem quam bonorum suæ Ecclesiæ jacturam passus fuerat. Res quidem Ecclesiarum aliquamdiu fisco addictas fuisse a barbaris, colligi videtur ex papyro Ecclesiæ Ravennatis exarata paulo post an. 444, et a marchione Maffeio edita in Hist. diplomatica pag. 132, ubi conductoribus patrimonii ejusdem Ecclesiæ in Sicilia degentibus inter cæteras pensiones solvendi traduntur aurei solidi 75 *pro pensione tritici, sive hordei, quod ante barbarico fisco præstabatur.* Inter has ærumnas Leo una cum litteris aliquod Paschasino subsidium attulit. Mox pro *Silano* Quesn. in margine : al., *Silvano.*

[f] Editi, *quod.* Melius ex nostro Vaticano Reg.

[g] Æræ Christianæ 444.

[h] Idem codex omittit *pio.*

[i] Scilicet Cyrillo, qui die 9 Junii anni 444 obiit. Fragmentum hujus rescripti jam præmisimus.

[j] In antiquioribus vulgatis erronee legebatur 64. Recte emendavit Bucherius ex ms. codice in Comment. ad Victorii Canonem. Idem habetur in duobus mss. quibus usus est Usserius in Britann. Eccles. Antiquit. et in nostro Vaticano codice : enim vero sermo est de Latinorum cyclo annorum 84, qui cum

Digitized by Google

annus, qui cyclus cœpit a consulatu [a] Antonini et Siagrii, nobis dubietatem afferret, eo quod [b] septimo kalendarum Aprilium [c] die dies Dominica et luna vigesima secunda incurreret, et iterum nono kalendarum Maiarum die (ut rei veritas habet) Dominica dies et luna decimanona obveniret : in hoc ambiguo fluctuantes, [d] ad Hebræorum, hoc est legalem supputationem nos convertimus, quæ cum a Romanis ignoratur, facile errorem incurrunt. Cœpit ergo [e] ogdoas a consulatu **609** virorum clarissimorum Ætii iterum et [f] Sigesvulti, quæ clauditur anno de quo quæstio videtur exorta. Talis ratio hæc est : [g] Priores duo sunt anni communes, tertius embolismalis, quartus et quintus communes, sextus embolismalis, septimus communis, octavus embolismalis. Pervidet ergo apostolatus vestri prudentia [h] octavum annum ogdoadis fieri aliter non posse nisi embolismum teneamus. [i] Quod si voluerimus illud quod superius diximus, id est, quod primum incurrit Pascha, septimo kalendarum Aprilium die celebrare, communem annum faciemus, et incipiet omnis deinceps subsequentium annorum supputatio vacillare.

A Cap. II. — Et ne hoc quod [j] exposuimus beatitudini vestræ obscuritatem aliquam afferat, suggerimus communes annos, apud Hebræos duodecim tantum lunas, hoc est dies 354 habere; embolismos vero lunas tredecim habere, hoc est dies 384. Necessitate ergo embolismi cogimur id tenere, quod [k] longius est, ne a vero deviare videamur. Neque nobis aut novum aut erraticum [l] videatur, cum dies passionis undecimo kalendas Maii occurrat, a qua (sicut [m] Græcis videtur) Pascha nomen accepit; licet Hebrææ linguæ interpretes tradant Pascha transitum dici, quod tamen idem et Joannis evangelistæ dicto firmatur, quo ait, cum de passione loqueretur : *Cum venisset hora ut transiret Jesus de hoc mundo ad Patrem* (*Joan.* XIII, 1). Non ergo nos dies una longius B **610** posita terreat, ne cum hanc vitamus incurramus errorem, sicut evenit tempore beatæ recordationis domini mei, prædecessoris apostolatus vestri Zosimi, anno consulatus Honorii Augusti undecimo, et Constantii secundo. Tunc enim, cum declinaretur, ne decimo kalendas Maii dies Paschæ teneretur, [n] celebratum octavo die kalendas Aprilis, id est,

incœperit, ut Paschasinus monstravit, a consulatu Antonini et Siagrii an. 382, jam annus 444 de quo vertebatur quæstio, est annus cycli 63.

[a] Al., *Antonii*, perperam. Cæterum ante hunc consulatum, seu ante an. 382, Latini hoc eodem cyclo utebantur, ut ex Fastis consularibus probavit card. Norisius diss. 1. Hic ergo indicatur initium cycli, qui anno 444 decurrebat. Marianus Scotus in Chronico post nomen *Siagrii* addit *anno quarto Gratiani*.

[b] Idem Marianus *a sexto*, et paulo post, *octavo* pro *nono kal. Maiarum*, perperam. Innuitur nimirum discrimen inter supputationem Romanorum et Alexandrinorum : nam illi ex suo cyclo annorum 84 Pascha anni 444 affigebant VII kal. April., isti vero ex suo annorum 19 prorogabant in IX kal. Maii, ut annot. 1 (*Col.* 601, *n.* [a]) in Cyrilli fragmentum fusius explicavimus.

[c] Codex Vat. delet *die*. Mox legebatur *luna* XXI. Emendavimus ex fragmento epistolæ Cyrilli ad Leonem. Confer annot. 3 in memoratum fragmentum. Sic pariter die IX *kal. Maias* inferius notatur *luna* XIX, quæ esse deberet XVIII, si die VII kal. Aprilis fuisset luna XXI.

[d] Cur Paschasinus sese converterit in hac controversia ad *Hebræorum legalem supputationem*, alii aliter interpretantur. Probabilior autem videtur ratio, quia Alexandrini ex lunis XIV primi mensis a lege Hebræorum præscriptis, in quas istorum Pascha cadebat, dies Paschæ et lunæ determinabant, eamdemque anni communis et embolismi methodum sequebantur, quam apud Hebræos obtinuisse Paschasinus commemorat c. p. 2.

[e] Alexandrini suam enneadecateridem, seu suum D cyclum decemnovennalem, id est annorum 19 dividebant in ogdoadem et hendecadem. Ogdoas primos octo cycli annos complectebatur, hendecas undecim reliquos. Ogdoadis Paschasinus hic expresse meminit et affirmat eam cœpisse a consulatu Ætii iterum et Sigesvulti, nimirum anno 437, a quo decemnovennalis Alexandrinorum cyclus per hoc tempus decurrens ordiebatur. Cum vero annus 444 esset hujus ogdoadis ultimus, idcirco subjicit, *quæ clauditur anno, de quo quæstio videtur exorta;* de Paschate enim hujus anni erat disputatio.

[f] Noster codex, *Segisvulti, quæ concluditur*. Quesnellus in margine. Al., *Sigismildi*.

[g] Ms. Vat. : *Duo sunt priores anni communes, tertius embolismus; item quartus et quintus communes.* Hæc autem in Alexandrinorum rationem, a quibus quatenus Romani discreparint in constituendis annis communibus et embolismis, diximus annot. 1 in fragmentum Epistolæ Cyrilli.

[h] Cum scilicet annus 444, ex Alexandrinorum cyclo octavus ogdoadis, esset embolismalis, embolismi ratio requirebat ne Pascha celebraretur VII kal. Aprilis, qui erat mensis embolismeus, seu postremus anni sacri, non vero primus, qualis debebat esse mensis paschalis. Vide annot. 1 (*Col.* 601, *n.* [a]) in laudatum fragmentum.

[i] Ms. Vat. : *Quoniam si voluerimus illud quod superius diximus, idem quod primum incurrit,* VII *kal.* C *Apr. die celebrare;* corrupte.

[j] Sic melius ex laudato codice, quemadmodum postea plurali quoque numero, *suggerimus*. Vulg., *exposui*.

[k] Pascha scilicet IX kal. Maii, non vero VII kal. Aprilis tenendum est, cum embolismi ratio id requirat, uti monuimus annot. 14 (supra [h]). Hinc autem patet mensem embolismalem immediate præcedere mensem Paschæ, et ipsum Pascha uno mense longius protrudere.

[l] Apud Marianum, *erratum*. Erraticum porro Romanis videbatur Pascha protrahere in diem IX kal. Maii, id est in diem aprilis 23. Immo sub Zosimo declinarunt celebrare Pascha X kal. Maii, seu Aprilis 22. Nam limes ultimus Dominicarum paschalium apud eosdem erat XI kal. Maii, seu Aprilis 21. Huic autem objectioni respondet Paschasinus, Dominicam quidem paschalem excedere ultimum Latinorum limitem Aprilis 21, non vero diem Passionis hunc limitem pertransire, idque posse sufficere, quia Pascha, sicuti Græcis videtur, a passione nomen accepit. Similem responsionem indicarunt etiam Ambrosius in epistola ad episcopos Æmiliæ, et Cyrillus in Prologo paschali; sed hi per diem Passionis intellexerunt lunam 14, in quam cadebat Pascha legale, quod fuit typus Passionis Christi. Hæc tamen Paschasini ratio Leoni persuasit : unde Pascha anni 444 celebratum fuit IX kal. Maii, ut testatur Prosper in Chronico inquiens : *Nec erratum est, quia in die* XI *kal. Maias dies Passionis fuit*. Immo ipse Leo, epist. 121 ad Marcianum scripta an. 453, hanc eamdem rationem adoptavit cap. 2.

[m] Marianus delet vocem *Græcis*. Mox pro *accepit* in cod. Vat. Reg., *accipit*.

[n] Idem cod. Vat., *celebrandum est*, legendum *celebratum est*.

Digitized by Google

pro emoolismo [a] communis est annus tentus, et error gravissimus est ortus, in tantum ut [b] mysterio certo, quod dono sancti Spiritus ministratur, hæc veritas probaretur. Quod propterea credidi exponendum, quia locus ipse etiam sancto atque a me venerando fratri meo [c] Libanio diacono notissimus est. Cujus mysterii miraculum tale est.

Cap. III. — Quædam vilissima possessio, Meltinas appellatur in montibus arduis ac silvis densissimis constituta, illicque perparva atque vili opere constructa est Ecclesia. In cujus baptisterio nocte sacrosancta paschali, baptizandi hora, cum nullus canalis, nulla sit fistula, nec aqua omnino vicina, fons ex se repletur, paucisque qui fuerint consecratis, cum deductorium nullum habeat, ut aqua venerat, ex sese [d] discedit. Tunc ergo, sicut supra diximus, sub sanctæ memoriæ domino quondam meo ac beatissimo papa Zosimo [e], cum apud Occidentales error ortus fuisset, consuetis lectionibus [f] nocte sancta decursis, cum presbyter secundum morem baptizandi horam requireret, usque ad lucem aqua non veniente, **611** non consecrati, qui baptizandi fuerant, recesserunt. Ut ergo breviter narrem, illa nocte, quæ lucescebat in diem Dominicam, decimo die kalendas Maii fons sacer hora competenti repletus est. Evidenti ergo miraculo claruit Occidentalium partium fuisse errorem.

Cap. IV. — [g] Hæc prout potui, vel epistolaris brevitas passa est, jubente apostolatu vestro, rescripsi; provolutus obsecraus ut pro mea parvitate, immo pro totius orbis statu, orare dignemini : ut tandem de tot necessitatibus liberati cognoscamus quoniam ipse est Deus noster, *qui facit mirabilia solus*. Qui jam non tradat bestiis animas confitentes sibi, neque amplius patiatur tentari nos supra id quod ferre possumus, sed faciat cum tentatione proventum [h] misericordem pro sua pietate, ut sustinere possimus. Orate pro me.

EPISTOLA [i] IV.

[j] AD EPISCOPOS PER CAMPANIAM, PICENUM, TUSCIAM ET UNIVERSAS PROVINCIAS CONSTITUTOS.

[k] Synopsis. (Ex Dionysio Exiguo).—I. *Ut nullus episcopus servum alterius ad officium clericatus* [l] *promovere præsumat.* II. —*Ut quicumque ad sacerdotium, vel viduarum mariti, vel* [m] *habentes numerosa conjugia, promoti fuerint, ab ecclesiasticis officiis arceantur.* — III. *Quod usuras non solum clerici exigere non debeant, sed nec laici* [n] *Christiani.*—**612** IV. *Ut clericus nec suo, nec alieno nomine fenus exerceat.* — V. *Ut si quis sacerdotum contra interdicta fecerit,* [o] *a suo submoveatur officio.*

Leo episcopus urbis Romæ omnibus episcopis per Campaniam, Picenum, Tusciam et universas provincias constitutis [p] in Domino salutem.

Ut nobis gratulationem facit Ecclesiarum status salubri dispositione compositus, ita non levi nos mœrore contristat, quoties aliqua contra [q] constituta canonum ecclesiasticamque disciplinam præsumpta vel commissa cognoscimus : quæ si non qua debemus vigilantia [r] resecemus, illi qui nos speculatores esse voluit (*Ezech.* III, 17) excusare non possumus, permittentes [s] sincerum corpus Ecclesiæ, quod ab omni macula purum custodire debemus, ambientium improba [t] contagione fœdari, cum ipsa sibi membrorum [u] per dissimilationem compago non congruat.

[a] Vulgati, *communis est annotatus*. Magis placuit lectio cod. Vat., cui Mariani exemplum astipulatur, cum præsertim Paschasino familiare sit verbum *teneo*, sicut cap. 1 : *Embolismum teneamus*, ita hic, *communis annus tentus est*.

[b] Marianus, *ministerio*.

[c] Apud Bucherium, *Bolliano*. In ms. Vat., *Libano*. Quesnellus suspicatur legendum forte *Silano*, qui initio epistolæ memoratur.

[d] Quesnellus in margine : Al., *descendit*. Ms. Vat., *discendit*.

[e] Marianus addit, *anno nono Honorii;* et paulo post pro *Occidentales* habet *Orientales*. Legendum autem *Occidentales*, cum cyclus annorum 84, unde error exortus fuit, apud solos Occidentales obtineret.

[f] Quesnellus in margine : Al., *nocte sacra*. Mox *decursis* reposuimus ex cod. Vat., cum antea legeretur *discussis*.

[g] Quæ sequuntur usque ad finem ex Mariano Scoto et ex editione Bucheriana ope codicum restituta Quesnellus suæ editioni adjecit Leguntur etiam in nostro ms. Vat., exceptis ultimis verbis, *Orate pro me*.

[h] Marianus Scotus, *misericordiæ*.

[i] Al. 3. Quæ autem erat 4, nunc 6. Scripta 10 Octob. an 443.

[j] Invenitur hæc epistola in quindecim collect., 2, 5, Dionysiana 6, Hadriana 7, 8, Hisp. 9, Isid. 10, 11, 12, 13 et 20 usque ad 24. Inter has tres tantum collectiones diversæ originis sunt, nimirum secunda Corbeiensis, quinta Quesnelliana et sexta Dionysiana. Ex hac postrema cæteræ collectiones hanc epistolam descripsere. In hac emendanda usi sumus duodecim variarum collectionum mss. libris inter quos præcipui sunt Vindebon. 39 collect. 5 et Vaticanus Dionysii, et duo collect. 9 Hispanicæ, unus Vindebon., alter Vat.

[k] In mss. collect. 5 synopsis hujus epistolæ sic effertur in præmissa tabula num. 76 : *Ad universos episcopos Campaniæ, Piceni et Tusciæ, ut servi vel originarii, aut cujuslibet conditionis obnoxii, ab ecclesiasticis officiis repellantur, et de his clericis qui ob hoc fenerant ut usuras accipiant*.

[l] Vindebon. collect. Hisp., *provehat*, in tabula Dionysii apud Tustellum, *promoveat*. Sed in titulo capiti præmisso, *promovere præsumat*.

[m] Quesnellus, *qui habuerint*.

[n] Vocem *Christiani* a Quesnello omissam ex editis et potioribus codicibus revocavimus.

[o] Al., *a suo sit officio submovendus*.

[p] Verba *in Domino salutem* a Quesnello omissa ex anterioribus editionibus, nostrisque mss. nec non ex Cresconio reposuimus. Quidam codices præterea nomina propria Campaniæ, Piceni et Tusciæ.

[q] Duo codd. et antiquiores editiones, *statuta*. Paulo post duo mss. Vercellensia coll. Hadr. pro *vel commissa* habent *vel contempta*.

[r] Cod. Vindebon. collect. 5, *resecamus*. Dein. in uno Vat., *excusari*.

[s] Cod. Vat. Dionysii, *sinceræ*.

[t] Cod. Corbeien. collect. 2 apud Quesn., *cogitatione*.

[u] Hanc Quesnelli correctionem, quam sensus videtur exigere retinuimus, cum potioribus nostris mss. confirmetur. Hinc etiam in vulgatis, ubi *per dissimulationem* legitur, ad marginem notatur *per dissimilitudinem;* quod si non ex codd., sed ex conjectura, ut videtur, factum est, emendationem a sensu exigi judicatum fuit. Vide not. 1 Quesn.

Digitized by Google

CAP. I. *Alieni servi ordinationem esse illicitam.* — [a] Admittuntur passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur; et qui a dominis suis libertatem consequi minime potuerunt, ad fastigium sacerdotii, tamquam [b] servilis vilitas hunc honorem capiat, provehuntur; et probari Deo posse creditur, qui domino suo necdum probare se potuit. Duplex itaque in hac parte reatus est, quod et sacrum [c] ministerium talis consortii vilitate polluitur, et dominorum, **613** quantum ad illicitæ usurpationis temeritatem pertinet, jura solvuntur. [d] Ab his itaque, fratres charissimi, omnes provinciæ vestræ [e] abstineant sacerdotes; et non tantum ab his, sed [f] ab aliis etiam qui originali aut alicui conditioni obligati sunt volumus temperari: nisi forte eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus (II *Tim.* II, 4); ut a castris dominicis quibus nomen ejus ascribitur, [g] nullis necessitatis vinculis abstrahatur.

CAP. II. *Viduæ maritum, et qui fuerit plusquam unius uxoris vir, a sacro ministerio arcendum.* — [h] Qualis vero, cum unicuique constiterit natalium honestas et morum, esse debeat sacri altaris ministerio sociandus, et Apostolo nos docente (I *Tim.* III, 2; *Tit.* I, 6), et divina præceptione didicimus (*Levit.* XXI, 14), et canonum **614** regulis, a quibus plerosque fratrum declinasse et penitus deviasse reperimus. [i] Nam constat ad sacerdotium pervenisse viduarum [j] maritos; quosdam etiam, quibus fuerint numerosa conjugia, et ad omnem licentiam vita [k] liberior, ad sacrum ordinem passim patefactis aditibus fuisse permissos, contra illam beati Apostoli vocem, qua talibus exclamat dicens: *Unius uxoris virum* (I *Tim.* III, 2); et contra illud antiquæ legis præceptum, [l] quo dicitur et cavetur: *Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam* (*Levit.* XXI, 14). Hos ergo, quicumque tales admissi sunt, ab ecclesiasticis officiis et a sacerdotali nomine, apostolicæ sedis auctoritate jubemus arceri; nec hoc enim sibi poterunt [m] vindicare, cujus capaces, per hoc [n] quod illis obstiterat, non fuerunt: hujus discussionis curam [o] nobis specialiter vindicantes, ut

[a] Dist. 54, *Admittuntur*, c. 21.

[b] Cod. Vat. 544 collect. 24, *servilitas honorem capiat*. Duo Vercell., *accipiant*. Vulg. ante Quesn. verbo *capiat* præmittunt *jure*, quod in omnibus cum nostris tum Quesn. mss. et apud Tustellum deest.

[c] Ita Quesn. ex suis codd., quibus et nostri concinunt, necnon etiam Tustellus. Vulg. cum posterioribus mss., *mysterium*.

[d] Ab his verbis inchoant cap. 1 mss. Thuan. 1 et Corb. Quesnelli.

[e] Dist. 54, *Nullus sacerdotum*, c. 1.

[f] Sic ex puro Dionysii Vat. exemplari aliisque Hadrianeis, nec non ex Vat. 1547 ac edit. Cresconii cap. 195, cum quibus concinit collectio Herovalliana a Petit subjecta Pœnitentiali Theodori, in qua legitur: *Et ab aliis etiam qui originali aut aliqua conditione obligati sunt.* Mss. codd. duo Hisp. et Vat. Isidori cum alio collect. 11, ante vocem *originali* addunt *aut*. Merlinus cum codd. collect. 12 et 24, *ab illis etiam qui originali*. Duo alii Vatt. cum Vulgatis ante Quesnellum *ab illis etiam qui aut originali*. Quesnellus cum quatuor suis mss. et nostro Vindebon. collect. 5, *ab illis etiam qui aut origini*; quam lectionem *origini* propugnare et præferre nititur not. 2. Verum lectio *originali* in omnibus nostris codicibus, Vindebon. excepto, ac præsertim in puro Dionysiano codice exhibita, deserenda non fuit. Nec videmus cur conditioni ac sensui magis congruat vox *origini*, uti affirmat Quesnellus, quam *originali*. Magis placeret *originis* quam *origini*. *Originali* autem, seu *originis conditioni obligati* intelliguntur *coloni originales* memorati leg. 14, de Annona et Tributis, l. un. de Inquilinis, et l. 1 cod. Justin. de Agricol. et Mancip. dom. (unde *Originalis inquilinatus* apud Sidonium l. v epist. 19). *Originarii* autem vocantur in novell. 12 Valentiniani, necnon a Gelasio epist. 9 c. 14, qui scilicet *originis jure*, uti dicitur in laudata novella, seu, ut explicat Augustinus de Civ. Dei lib. x c. 1, *conditionem debent gentali solo propter agriculturam sub dominio possessorum*. Ipsa nimirum originis causa seu nascendi sorte fundos possessorum colere debebant, iisdemque erant astricti. Hos porro homines *originali conditioni* obligatos S. Leo distinguit a servis, uti pluribus in legibus a Gothofredo notatis in paratitlo de fugitivis colonis pariter distinguuntur. Erant quippe prædiis addicti, non autem hominibus, uti servi; et veluti quædam fundorum pars, seu membra habebantur. Dum vero ab his originariis S. pontifex secernit alios, qui alicui conditioni erant obligati, vel illos indicat colonos qui non jure originis, sed possessione triginta annorum prædiis addicebantur, de quibus sermo est in laudata novella 12, vel illos qui semetipsos et suam operam quavis in arte obligabant, unde variorum operum artifices *conditionales*, id est ex conditione ad quædam opera præstanda obligati apud Tertullianum vocantur de Idololatria c. 12; quem textum Quesnellus not. 2 optime interpretatus est.

[g] Vat. Dionysii, *nulla necessitate sæculi abstrahatur*. Vat. collect. 11, *nullius necessitatis vinculis*. Vindebon. vero collect. 5, *subirahatur*.

[h] Hanc lectionem, quam Quesnellus ex suis codd. not. 3 allegatis induxit, approbant etiam potiores nostri, nimirum purus Dionys. Vat. unus Vindebon. collect. 5, alius collect. Hispanicæ, Vat. collect. 24 et exemplar collectionis Heroval. a Petit editum. Vulgatorum lectio: *Qualis vero unicuique natalium honestas, et morum* esse debeat, *qui sacri altaris ministerio est sociandus*, etc., præfertur in codd. Vat. Hisp. et Isid. et in tribus aliis pariter Vatt. quorum unus solum exhibet *consociandus*. Omissio duarum vocum, *cum constiterit*, et additio vocum, *qui* et *est* lectionem pervertunt. In duobus tamen Vercell. collect. Hadrianeæ textus lectio habetur omisso tantum verbo *constiterit*; in Tustelli autem collectione invenitur *constiterit*, sed *cum* desideratur.

[i] Cod. Vindebon. collect. 5 post verbum *reperimus* addit *admonemus*, seu potius *admonemur*. A verbis autem sequentibus *Nam constat* incipit cap. 2 in codd. Corb. et Thuan. 1, ex postilla Quesnelli.

[j] Vide not. 4 Quesnelli. Dein, *et quosdam etiam* in mss. Vercell. Codex Vindebon. collect. 5 omittit *etiam*.

[k] Unus cod. Quesnelli, *levior*. Paulo post Vindebon. collect. 5 *beati Pauli apostoli*. Alius Vindebon. Hisp. collect. omittit *beati*. Mox pro *exclamat*, vulgati ante Quesn., *reclamat*.

[l] Mss. Vat. Hisp. et Isid. cum duobus aliis, *quo dicitur cautum*.

[m] Vulgati ante Quesnellum addunt *pro arbitrio*. Delent autem omnes mss. libri. Vide not. 5 ejusdem.

[n] Quesn. in marg. Al., *quod illi exstiterant*. Corb. et Thuan. 1.

[o] Vide not. 6 Quesn. cum observationibus nostris

Digitized by Google

si qua forsitan de his commissa sunt, corrigantur, [a] nec liceat ultra committi, et ne qua excusatio de ignoratione nascatur; quamquam ignorare numquam licuerit [b] sacerdotem, quod canonum fuerit regulis
615 definitum. Hæc ergo ad provincias vestras, per Innocentium, Legitimum et [c] Segetium, fratres et coepiscopos nostros, scripta direximus; ut quæ male pullulasse noscuntur, radicitus evellantur, et messem Dominicam [d] zizania nulla corrumpant. Ita enim fructum uberem quæ sunt sincera præstabunt, si ea quæ natam segetem [e] enecare consueverunt diligentius amputentur.

Cap. III. *Usura laicis et clericis interdicta.* — [f] Nec hoc quoque prætereundum esse duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos, [g] usurariam exercere pecuniam, et fenore velle ditescere. Quod nos, non dicam in eos qui sunt in clericali officio constituti, sed [h] et in laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acrius [i] in eos qui fuerint confutati decernimus, ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

Cap. IV. *Nec suo, nec alieno nomine fenus exerceat clericus.* — [j] Illud etiam duximus præmonendum, ut sicut [k] non suo, ita nec alieno nomine, aliquis clericorum [l] exercere fenus attentet; indecens enim est crimen suum commodis alienis impendere. Fenus autem hoc solum aspicere et exercere **616** debemus, ut quod hic misericorditer tribuimus, [m] ab eo Domino, qui multipliciter et in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus.

Cap. V. *Episcopus canones infringens dejiciatur.* — Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si [n] quis fratrum contra hæc constituta [o] venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec [p] communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis [q] ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis [r] in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Data sexto idus Octobris, Maximo iterum et Paterio [s] viris clarissimis consulibus.

[617] [t] EPISTOLA V.

[u] AD EPISCOPOS METROPOLITANOS PER ILLYRICUM CONSTITUTOS.

Synopsis. — I. *Illicitos contra canones conatus prudenter monitis præveniri.* — II. *Vices suas per Illyricum Anastasio Thessalonicensi more prædecessorum suorum committit.* — III. *Bigamos, viduarum maritos aut repudiatarum a sacerdotio ex canonibus arceri jubet.* — IV. *Ut provinciales episcopi ad metropolitanos, sic metropolitanos ad exarchum seu vicarium pertinere.* — V. *Eorumdem esse metropolitanos ordinare, et de provinciarum statu ad sedem*

[a] Vat. collect. 24, *ne liceat*. Et paulo post unus Vat., *ne qua excusatio ignorantiæ nascatur*.

[b] Duo Vatt., *sacerdoti*. Mox, *quid canonum* in duobus Vindebon

[c] Duo Vercell. *Sigentium*. Paulo post *pullulasse dignoscuntur* in Vindeb. Hisp.

[d] Mss. Corb. et Thuan. 1 Quesnelli, *per zizania nullus corrumpat*.

[e] Idem Quesnelli codd., *inquinare*. Duo Vindeb., *necare*.

[f] 14, qu. 4, *Nec hoc prætereundum*, c. 7.

[g] Vide not. 7 Quesn.

[h] Particulam *et* addidimus ex Vat. Dionysii, Vindebon. collect. 5 Cresconio, Vat. Hisp. et Isid. aliisque tribus codd.

[i] Quesnellus, *in iis*. Prætulimus lectionem omnium nostrorum mss. atque Cresconii. Vat. collect. 24 *in eos, qui fuerunt comprobati*. Dein *decrevimus* pro *decernimus* in Vat. Dionysii et duobus Vercell.

[j] In Corbeien. et Thuan. 1 Quesnelli hoc caput est pars capitis præcedentis.

[k] Dist. 46, *Sicut non suo*, c. 10.

[l] Vindeb. Hisp. et Vat. collect. 24, *exercendum*.

[m] Quinque codd., *a Domino*.

[n] Dist. 19, c. 1, *Si Rom. pontif.*, § *Quibus ad hæc*.

[o] Vulg. ante Quesn. cum Vat. collect. 24, *venerit* vel *venire tentaverit*. Vindebon. collect. 5, *venire voluerit*.

[p] Vat. Hisp. cum duobus aliis mss. addit *eum*.

[q] Vulg. ante Quesn. cum solis mss. collect. 24, *ordinationibus et canonum ordinata sunt disciplinis*. Vide not. 8 Quesn. et observationem nostram. Mox iidem Vulgati cum Vindebon. et Vat. Hisp. aliisque quinque codd., *ita vestram dilectionem custodire debere mandamus*. Sed Vat. Dionysii, Vindeb. collect. 5 cum Hadriancis et Florentino S. Marci Quesnelli lectionem tuentur.

[r] Idem Vulgati cum mss. collect. 24, *illa contempserit*.

[s] Vulgati omnes cum plerisque mss., *Paterno*, rejecto in marginem *Paterio*, quod in Merlini editione legebatur; et nos in Vat. et Vindebon. Hisp. et in alio Vat. collect. 11 reperimus. Hanc autem lectionem omnino tenendam optime probat Pagius ad A. 443, num. 1 et 11, eamque confirmat Georgius in notis ad Pagium novissimæ Lucensi editioni subjectis. Rem vero extra omnem aleam ponit coævum papyraceum documentum Ecclesiæ Ravennatis emendate recusum a marchione Maffeio in Hist. Diplom. pag. 132, et ab eodem Vaticanæ bibliothecæ donatum, in quo consulatus ejusdem anni *Pateri*, non autem *Paterni* nomine designatur. Porro alius annotator in eadem Lucensi editione ex hoc papyraceo monumento colligit Maximum hoc anno non secundum, sed tertium consulatum gessisse, eo quod ibidem scribatur *cons. Maximi ter et Pateri vv. cc.* At cum omnes nostri codd. omniaque monumenta a Pagio et a Georgio allata Maximum integris fere vocibus *iterum*, *secundo* vel *bis* consulem vocent, cætera autem numeralibus litteris II, palam fit in papyro non *ter* legendum sed *iter.*, id est *iterum*, ita ut littera *i* sumenda sit ex finali vocis præcedentis *Maximi*, cum non raro accidat, in ejusmodi monumentis omitti initialem litteram, quando antecedens vox eadem littera desinit: idque multo magis ex scriptoris indole eruitur, qui in ipsis vocibus *Pateri* et *Theodosi* duplicis *ii* scriptionem effugit.

[t] Scripta 12 Januar. an. 444.

[u] Hæc epistola inter eas est quæ collectæ fuerunt pro Ecclesia Thessalonicensi, et in collectione Romana Lucæ Holstenii primum edita fuit. Eam vero non inutiliter recognovimus cum ms. Barberino 3386 collect. 16, ex quo Holsteniana editio prodiit, cum sit unius Thessalonicensis collectionis codex. Præponenda autem fuit hæc epistola sequenti ad Anastasium, quippe quod eodem licet die exarata, in subsequenti tamen epistola cap. 6 jam conscripta traditur.

Digitized by Google

apostolicam referre. — VI. *Causæ graviores vel appellationes Illyrici sedi apostolicæ reservantur.*

Dilectissimis fratribus episcopis metropolitanis per Illyricum constitutis LEO.

CAP. I. — Omnis admonitio salutaris, quam Domino credimus aspirante contingere, in mercedem proficit monentis et moniti; et ideo nos hoc libenter arripimus, quoniam placere Deo nostro, non solum nostris, sed omnium fratrum consacerdotumque nostrorum actibus festinamus. In nostram enim recurrit gratiam, si Ecclesiæ sic regantur ut nullus querimoniis aditus reseretur. Sit itaque dilectioni vestræ, fratres charissimi, dulcis et jucunda præceptio, quam de sedis apostolicæ auctoritate, servata charitatis gratia, manare noscatis; nec vobis aliquid juris credatis imminui, si tam præsentibus quam futuris rebus videatis, ne illicitis præsumptionibus reseretur aditus, præcaveri. CAUTIUS enim usurpationibus, antequam tententur, obsistere, quam quæ usurpata fuerint vindicare.

CAP. II. — Et quia per omnes Ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui apostolicæ dignitatis beatissimo apostolo Petro primatum [a] fidei suæ remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti [b] ipsius soliditate constituens, necessitatem sollicitudinis quam habemus, cum his qui nobis collegii charitate juncti sunt sociamus. Vicem itaque nostram fratri et coepiscopo nostro Anastasio, secuti eorum **618** exemplum, quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus, et ut sit in speculis, ne quid illicitum a quoquam præsumatur, injunximus: cui in his quæ ad ecclesiasticam pertinent disciplinam, ut dilectio vestra pareat, admonemus. Non enim tam illi obtemperabitur quam nobis, qui hoc illi pro nostra sollicitudine per illas provincias cognoscimur commisisse.

CAP. III. — Volumus enim tales fieri Domino sacerdotes, quibus cuncta conveniant, quæ sunt ecclesiasticis canonibus definita: [c] ut episcopi, presbyteri atque diaconi *unius uxoris viri* sint, secundum beati Apostoli sententiam (I *Tim.* III, 2), et hanc secundum legis præcepta virginem [d] acceperint, non viduam, non repudiatam, sicut legis scriptura testatur (*Levit.* XXI, 13, 14; *Ezech.* XLIV, 22). Nec se quisquam æstimet posse ad sacerdotium pervenire, qui ante baptismum, deficiente quam habebat uxore, alteram rursum, A postquam per gratiam baptismatis est renovatus, acceperit, cum in baptismate peccata deleantur, non uxorum numerus abrogetur. Adeo autem in excusationem sui hoc obtendere non poterit, ut eorum se patrem filiorum, quos ante baptismum susceperit, negare non possit. Neque enim uxor quæ ex legis præcepto ducitur, inter peccata quæ abluuntur baptismate poterit numerari.

CAP. IV. — Ad synodum quicumque fuerit evocatus occurrat, nec congregationi se deneget, in qua ad Deum pertinentes causas noverit esse tractandas [e]..... Quidquid causarum, ut assolet, inter consacerdotes evenerit, ejus cui vicem nostram commisimus examini reservetur: ut illo sub Dei timore præsule omnis ambiguitas finiatur. Nihil in ejus, aut nostram, B contra hæc quæ constituimus, præsumatur injuriam. Ejus nobis relatione, si quid ad nos referendum fuerit, innotescat: ita enim vos ad illum pertinere volumus, ut ad vos provinciarum vestrarum pertinent sacerdotes. Qui ergo jure sibi debito uti cupiunt, apostolicæ sedis auctoritate concessa per suam contumaciam imminuere non nitantur.

CAP. V. — Ut vero vestræ dilectioni provinciæ suæ ordinatio permittitur sacerdotum, ita fratrem et coepiscopum nostrum Anastasium de ordinando antistite volumus consulatis. Cui metropolitani episcopi consecrationem statuimus reservari, ut eo inquisitore atque custode, cum certus licentiæ modus imponitur, **619** ecclesiasticæ disciplinæ in omnibus ordo servetur. Ipsum vero [f] secundum definita canonum hoc C vestra dilectio [g] nostris episcopis admonitum esse cognoscat, ut de statu Ecclesiarum vestrarum certiores subinde sua relatione nos faciat; sciturus sibi a nobis imputandum, si quid de his quæ statuimus a quoquam fuerit temeratum.

CAP. VI. — Si quæ vero causæ graviores vel appellationes emerserint, eas sub ipsius relatione ad nos mitti debere [h] decrevimus, ut nostra secundum ecclesiasticum morem sententia finiantur. Hæc vero quæ per filium meum Nicolaum presbyterum scripta direximus recurrentibus litteris, ut vos eadem sciamus accepisse, rescribite. Data pridie idus Januarias Theodosio XVIII et Albino consulibus.

EPISTOLA [i] VI

[j] AD ANASTASIUM THESSALONICENSEM EPISCOPUM.

SYNOPSIS. — I. *Ut bonus pastor ad sollicitudinem co-*

[a] In editione Holstenii typographorum errore, *fidei sui*. Emendationem, de qua Quesnellus not. 1 loquitur, Barberinus codex probat.

[b] Vide notam 2 Quesnelli, qui mavult legi *istius*, et observationem nostram.

[c] Ms. Barb., *ut episcopus, presbyter atque diaconus.*

[d] Apud Holsten. et in ms., *accipiant.* Cur Quesnellus emendaverit, vide ejusdem not. 3.

[e] Puncta adjecimus ob indicandam lineam cum dimidio in ms. Barber. vacantem, quæ aliquid in vetustiori codice, unde Barberinus exscriptus fuit, corrosum et ab amanuensi minime lectum significat.

[f] Vide not. 4 Quesn.

[g] Voces *nostris epistolis* aliam anteriorem epistolam a subsequenti diversam, quæ interierit, ad Anastasium scriptam videntur innuere, in qua Leo illum D monuerat ut de *statu Ecclesiarum vestrarum*, inquit, *certiores subinde sua relatione nos faceret.* Id enim in sequenti epistola præscriptum non legitur; immo cap. 1, illis vocibus *in his* litteris, *in quibus de statu Ecclesiarum certiores effecti*, indicari videntur Anastasii litteræ, quibus de Ecclesiis Illyrici retulit, ut memoratæ Leonis admonitioni satisfaceret; quod scribendæ sequenti epistolæ occasionem dedit.

[h] Hoc decretum legitur cap. 5 epistolæ sequentis, quæ una cum hac in Illyricum transmissa fuit.

[i] Al. 4. Quæ autem erat 6, nunc 1. Scripta 12 Januar. an. 444.

[j] Hæc quoque epistola ex eodem codice Barberino collectionis 16 Thessalonicensis sumpta, et in collectione Romana Holstenii edita est, ex quo epistola anterior. Confer annotationem primam in eamdem

Digitized by Google

episcoporum litteris compelli amat. — II. *Vices suas per Illyricum Anastasio committit, Siricii secutus exemplum.* — III. *Canonum observantiam, præsertim in ordinationibus, commendat: a quibus arcentur bigami et viduarum mariti.* — IV. *A metropolitano comprovinciales episcopi conscio exarcho ordinentur; metropolitani ab ipso exarcho.* — V. *Ut omnes conveniant ad synodos; harum utilitas et auctoritas.* — VI. *Tam presbyteros et diaconos quam sacerdotes non nisi diebus Dominicis esse consecrandos.*

Dilectissimo fratri Anastasio, Leo.

Cap. I. — Omnium quidem litteras sacerdotum grato nos relegere animo, [a] fraterni **620** collegii charitas facit, cum per spiritalem gratiam tamquam præsentes amplectimur, quibus sermone epistolis mutuo commeantibus sociamur. Sed major [b] nobis in his videtur esse affectio, in quibus de statu Ecclesiarum certiores effecti, ad exercendæ sollicitudinis vigilantiam officii nostri consideratione compellimur: ut in speculis, quemadmodum [c] Dominus voluit, constituti, et pro voto nostro currentibus rebus nostrum commodemus assensum, et ea quæ depravari aliqua usurpatione perspicimus, adhibitæ coercitionis remediis corrigamus: sperantes jacti seminis responsurum nobis uberem fructum, si non sinamus crescere quæ in messis detrimenta Dominicæ cœperint pullulare.

Cap. II. — Postquam itaque nobis petitio tuæ dilectionis innotuit per filium nostrum Nicolaum presbyterum, ut tibi quoque a nobis, sicut decessoribus tuis, per Illyricum cum nostra [d] vice propter custodiam regularum auctoritas præstaretur, præbentes assensum, nostra adhortatione compellimus ut nulla [e] dissimulatio, negligentia nulla proveniat circa Ecclesiarum regimen per Illyricum positarum, quas dilectioni tuæ vice nostra committimus, beatæ recordationis Siricii exemplum secuti, qui sanctæ memoriæ Anysio prædecessori tuo bene de apostolica sede tunc merito, et rebus post sequentibus approbato, [f] certa tum primum ratione commisit: ut per illam provinciam positis, quas ad disciplinam teneri voluit, Ecclesiis subveniret. Gloriosa instantius exempla sequenda sunt, ut quorum privilegiis uti cupimus, eorum nos similes in omnibus approbemus. Imitatorem te tam [g] prædecessoris tui quam decessoris, qui pari modo hoc et meruisse et egisse cognoscitur, esse volumus: ut de profectu Ecclesiarum, A quas tibi vice nostra [h] committimus, gaudeamus. Ut enim bene agenti, et quæ sacerdotali auctoritati conveniunt solertius exsequenti ad honorem proficit res tributa, ita huic oneri esse cognoscitur, qui commissa sibi potestate, **621** qua debet moderatione non utitur.

Cap. III. — Credita itaque tibi, frater charissime, gubernacula pervigil tene, et mentis tuæ oculos per omnia quæ curæ tuæ videas injuncta circumfer, in mercedem tuam profutura custodiens, et his [i] qui disciplinam canonum labefactare nituntur obsistens. Divinæ legis sanctio veneranda, et canonum specialius decreta serventur. Per commissas tibi provincias tales Domino sacerdotes, quibus sola vitæ et clericalis ordinis [j] suffragantur merita, consecrentur. Nihil B gratiæ personali, nihil ambitioni, nihil redemptis permittas licere suffragiis. Examinentur diligentius, et per longum vitæ tramitem disciplinis ecclesiasticis, qui ordinandi fuerint, imbuantur. Si tamen illis omnia quæ a sanctis Patribus sunt constituta conveniant, et quæ beatum apostolum Paulum de talibus legimus præcepisse custodierint, ut unius uxoris vir sit, et hanc virginem, ut auctoritas divinæ legis cavet, acceperit. Quod [k] ita sollicitius volumus custodiri, ut omnibus excusationibus locum adimamus, ne se quisquam credat posse ad sacerdotium pervenire, qui uxorem antequam Christi gratiam consequeretur accepit, qua deficiente alteram post baptismum conjunxerit sibi. Cum negari uxor illa non possit, nec prioris conjugii numerus aboleri, et eorum ita sit pater C filiorum quos ante baptismum ex illa susceperit, quemadmodum et illorum [l] fit quos ex altera post baptismum noscit suscepisse. [m] *Sicut enim* peccata et quæ illicita esse noscuntur per lavacrum baptismatis abolentur, ita quæ sunt legis præcepto concessa vel licita non delentur.

Cap. IV. — Nullus te inconsulto per illas Ecclesias ordinetur antistes: ita enim fiet ut sint de eligendis matura judicia, dum tuæ dilectionis examinatio formidetur. [n] Quisquis vero a metropolitanis episcopus contra nostram præceptionem præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui esse noverit firmitatem, eosque usurpationis suæ rationem, qui hoc præsumpserint, reddituros. Singulis autem metropolitanis sicut potestas ista committitur, ut in

epistolam. Quædam testimonia hujus epistolæ vulgaverat Leo Allatius in Concordia Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali, pag. 1370, ex cod. vetustissimo Vaticano, qui hoc tempore inveniri non potuit. Varianles ex hoc quoque ms. unde Barberinus prodiit, Allatii auctoritate dabimus.

[a] Ms. Barb., *alterni*, corrupte.

[b] Pronomen *nobis* a Quesnello omissum restituimus ex eodem cod. et editione Holstenii. De Anastasii litteris hic indicatis confer annot. 8 (*Col.* 615 E) in epist. præcedentem.

[c] Ita idem cod. Vulg., *Deus*.

[d] Vide not. 1 et 2 Quesnelli.

[e] Cod. Vat. apud Allatium, *dissimulatione*.

[f] Vide not. 3 Quesnelli.

[g] *Prædecessoris* nomine Anysius paulo ante memoratus intelligitur, qui vitam produxit usque ad Inno- D centium papam; *decessoris* vero nomine Rufus, qui sub Innocentio electus, Anastasio immediate præcessit.

[h] Cod. Vat. Allat., *commisimus*; sed supra etiam *committimus*.

[i] Idem cod. Vat., *quæ*.

[j] Ita ex eodem cod. Al., *suffragentur*.

[k] Ex cod. Barber. adjecimus *ita*.

[l] Addidimus *fit* ex utrisque codd., ex quibus etiam *noscit* pro *noscitur* reposuimus.

[m] Vide not. 4 Quesnelli, qui duas voces *sicut enim* necessarias supplevit, et *abolentur* emendavit pro *abolebuntur*.

[n] Hoc quoque loco Quesnellus necessariam emendationem induxit, de qua vide not. ejus 5. Antea perperam: *Quisquis vero de metropolitanis episcopis*.

Digitized by Google

suis provinciis jus habeant ordinandi, ita eos metropolitanos a te volumus ordinari, maturo tamen et [a] decocto **622** judicio. Quamvis enim omnes antistites probatos et Deo placitos deceat consecrari, hos tamen præcellere volumus, quos præfuturos his qui ad se pertinent consacerdotibus noverimus. Quod dilectionem tuam sollicitius agere præmonemus et cautius, ut illud apostolicum custodire, quod scriptum est, approberis : *Manus cito nemini imposueris* (I *Tim.* v, 22).

CAP. V.—Ad synodum quisquis fratrum fuerit evocatus occurrat, nec sanctæ congregationi se deneget : in qua maxime [b] constituendum esse noverit quod ad disciplinam poterit ecclesiasticam pertinere. Melius enim [c] omnis culpa vitabitur, si inter sacerdotes Domini collatio frequentior habeatur, et emendationi pariter et charitati plurimum præstat adunata societas. Illic, si quæ causæ natæ fuerint, præstante Domino, ita poterunt terminari, ut contentio nulla resideat ; sed [d] sola inter fratres charitas coalescat. Si qua vero causa major evenerit, quæ a tua fraternitate illic præsidente non potuerit definiri, relatio tua missa nos consulat : ut revelante Domino, cujus misericordiæ profitemur esse quod possumus, quod ipse nobis aspiraverit, rescribamus : ut cognitioni nostræ pro traditione veteris instituti et debita apostolicæ sedis reverentia, nostro examine vindicemus : ut enim auctoritatem [e] tuam vice nostra te exercere volumus, ita nobis quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem [f] appellationis emiserit, reservamus.

CAP. VI. — Hæc itaque in omnium fratrum facies notitiam pervenire, ut nullus deinceps [g] per ignorationem in observandis his quæ præcepimus excusandi se reperiat facultatem. Ad ipsos etiam metropolitanos singularum provinciarum nostra, quibus eos moneremus, scripta direximus : ut noverint apostolicis obediendum esse sententiis, et tunc se nobis parere cum fraternitati tuæ ex nostra delegatione cœperint, secundum ea quæ scripsimus, obedire. Cognovimus sane, quod non potuimus silentio præterire, a quibusdam fratribus solos episcopos tantum diebus Dominicis ordinari ; presbyteros vero et diaconos, [h] circa quos par consecratio fieri debet, passim quolibet die dignitatem officii sacerdotalis accipere ; quod [i] contra canones et traditionem Patrum **623** usurpatio corrigenda committit, cum mos quibus est traditus circa omnes sacros ordines debeat omnimodis custodiri ; ita ut per longa temporum curricula, qui sacerdos vel levita ordinandus est, per omnes clericalis officii ordines provehatur : ut diuturno discat tempore, cujus et doctor ipse futurus est. Data pridie idus Januarias, Theodosio XVIII et Albino coss.

EPISTOLA [j] VII.

[k] AD EPISCOPOS PER ITALIAM.

[l] SYNOPSIS. — *Plurimos Manichæorum vigilantia suâ in urbe Roma detectos esse, et pari ab eis sollicitudine investigandos admonet.*

[m] LEO universis episcopis per Italiæ provincias constitutis in Domino salutem.

CAP. I. — In consortium vos nostræ sollicitudinis [n] advocamus, ut vigilantia pastorali, [o] ne quid diabolicæ licere possit astutiæ, commissis vobis gregibus diligentius consulatis : ne is qui Domini misericordia revelante per nostram curam a nostris ovibus morbus [p] abigitur, necdum vobis præmonitis, et adhuc quid agatur ignaris, [q] per vestras se dispergat Ecclesias, [r] et suarum furtim cuniculos inveniat latebrarum, **624** [s] ut quod a nobis in Urbe exstinguitur, tenebrosis apud vos radicibus seminetur. Plurimos impietatis Manichææ sequaces et doctores in Urbe investigatio nostra reperit, vigilantia divulgavit, auctoritas et censura coercuit : quos potuimus emendare, correximus ; et ut damnarent Manichæum cum prædicationibus [t] et disciplinis suis publica in Eccle-

[a] Sic cod. Barb. et Vulgat. Leo Allatius legit *decoro*.

[b] Cod. Barb., *custodiendum*. Holstenius emendavit ex ingenio, cum in synodis decreta constituantur.

[c] Vocem *omnis* a Quesnello omissam ex ms. Barb. et editione Holsteniana revocavimus.

[d] Sic ex ms. emendavimus. Editi *solida* ex Holstenii conjectura, quæ tamen non cogit.

[e] Ita codex et Holstenius. Quesnellus *nostram* ex ingenio posuit.

[f] Vide not. 6 Quesn. et nostram observationem.

[g] Apud Allatium, *ignoratione*, et dein, *quæ præcipimus*.

[h] Vide not. 7 Quesnelli.

[i] Vide not. 8 Quesn.

[j] Al. 8. Quæ autem erat 7, nunc 2. Scr. 30 Januarii an. 444.

[k] Exstat hæc epistola in 15 collectionibus, nimirum in 2, 5, Dionysiana 6, Hadrianea 7, Hisp. 9, Isid. 10 ; item in collect. 11, 12, 13, 21 et reliquis usque ad 24. In indice præmisso collectioni 5, cap. 73, inscribitur : *Epistola generalis de Manichæis.*

[l] Apud Dionysium hic titulus legitur : *Quod plurimi Manichæi* (al., *Manichæorum*) *vigilantia papæ Leonis in urbe Roma detecti sint.*

[m] Hanc inscriptionem ex Vat. puro Dionysii aliisque Hadrianeis, et Vindebon. Hisp. præelegimus. Mss. Vat. Hisp. et Isid. cum aliis collect. 11 pro *episcopis* habent *Ecclesiis*. Cod. Corb. collect. 2 et mss. collect. 5, *Universis episcopis per diversas provincias constitutis*. Cod. Florentin. S. Marci collect. 13 : *Leo episcopus urbis Romæ universis* (al. *omnibus*) *episcopis per Italiam constitutis*. Vide not. Quesnelli.

[n] Codd. collect. Hisp. et Isid. cum aliis quatuor exinde derivatis addunt, *dilectissimi fratres*.

[o] Vulg. ante Quesn. cum mss. collect. 12, *ne quid diabolicæ fraudis astutia possit nocere*. Lectionem ab eo inductam ex suis codd. nostri quoque mss. libri confirmant, duobus posteriorum collectionum Vat. exceptis, in quibus, *ne quid diabolicæ rei astutia possit nocere*.

[p] Antiquam lectionem revocavimus auctoritate antiquissimi Vat. Dionysii, et mss. Vercell. ac duorum Vatt. Quesnellus cum aliis mss. et Justello, *abjicitur*.

[q] Quesn. in marg., *Dionys. per vestræ sedis pergat Ecclesias* ; male. Ita quidem apud Justellum, non vero in nostris Dionysii, nec in Hadrianeis codicibus.

[r] Codd. Corb. et Thuan. 1. Quesn., *et suorum furtim cuniculorum inveniat latebram*.

[s] Vulg. ante Quesn. cum ms. Vercell. et Justello, *ne quod*, perperam.

[t] Ita mss. Vulg. ante Quesn. *et disciplinis*. Mox *confessione* in duobus Vat. et Vindebon. Hisp., loco *professione*.

Digitized by Google

sia professione, et manus suæ subscriptione, compulimus; et ita de voragine impietatis suæ confessos, pœnitentiam concedendo, levavimus. Aliquanti vero, qui ita [a] se demerserant, ut nullum his auxiliantis posset remedium subvenire, subditi legibus, secundum Christianorum principum constituta, ne sanctum gregem sua contagione polluerent, per publicos judices perpetuo sunt exsilio relegati. Et omnia quæ tam in Scripturis quam in occultis traditionibus suis habent profana vel turpia, ut nosset populus quid refugeret aut [b] vitaret, oculis Christianæ plebis certa manifestatione probavimus: adeo ut ipse [c] qui eorum dicebatur episcopus, a nobis tentus, proderet flagitiosa in suis [d] mysticis quæ teneret, sicut gestorum vos series poterit edocere. Ad instructionem enim vestram etiam ipsa direximus: quibus lectis, omnia quæ a nobis deprehensa sunt nosse [e] poteritis.

CAP. II.—Et quia aliquantos de his, [f] quos hic, ne se absolverent, arctior reatus involverat, cognovimus aufugisse; hanc ad dilectionem vestram epistolam misimus [g] per **625** acolythum nostrum; ut effecta certior sanctitas vestra, [h] fratres charissimi, sollicitius agere dignetur et cautius, [i] necubi Manichææ perversitatis homines plebes vestras facultatem lædendi, et hujus sacrilegii possint invenire doctores. Aliter enim nobis commissos regere non possumus, nisi [j] hos, qui sunt perditores et perditi, zelo fidei Dominicæ persequamur; et a sanis mentibus, ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua possumus abscindamus. Unde hortor dilectionem vestram, obtestor et moneo, ut qua [k] debetis et potestis sollicitudine vigiletis ad investigandos eos, necubi occultandi se reperiant facultatem. Ut enim habebit a Deo [l] dignæ remunerationis præmium, qui diligentius, quod ad salutem commissæ sibi plebis proficiat, fuerit exsecutus; ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ se non poterit excusare, quicumque plebem suam, contra sacrilegæ persuasionis auctores, noluerit custodire. Data [m] tertio kalendas Februarii, Theodosio Augusto XVIII et Albino viris clarissimis consulibus.

626 [n] EPISTOLA VIII.

SEU CONSTITUTIO VALENTINIANI III. [o]

De Manichæis.

Imperatores THEODOSIUS et VALENTINIANUS Augusti P ALBINO P. P. II.

Superstitio paganorum quoque damnata temporibus, inimica publicæ disciplinæ, et hostis fidei Christianæ, [q] ad excidium sui clementiam nostram non immerito provocavit. Manichæos loquimur, quos exsecrabiles, et toto orbe pellendos omnium retro principum statuta judicarunt. Nec dissimulationem crimina [r] nuper detecta patiuntur. Quæ enim et quam dictu audituque obscena in judicio beatissimi papæ Leonis, [s] coram senatu amplissimo manifesta ipsorum confessione patefacta sunt? Adeo ut eorum quoque qui diceretur [t] episcopus, et voce propria proderet, et omnia scelerum suorum secreta perscribe-

[a] Quesnellus et duo nostri inferioris notæ codices, *se demerserunt, ut nullo his auxilii possit remedio subveniri.* Secuti sumus veterem lectionem, quæ est in mss. collectionum Dionysii, Hadrian., Hisp., Isid. 12 et 24, nec non apud Justellum. In Vindebon. coll. 5, *se demerserunt, ut nullum his auxiliantis possit remedium subvenire.*

[b] Quatuor mss. addunt *quid.*

[c] Cod. Vat. 543 collect. 21, *qui dicebatur episcoporum episcopus.* Hic autem in sermone 16, de Jejun. decimi mensis 5, dicitur, *episcopus ipsorum detestandi criminis ordinator.*

[d] Ita plerique codices Quesnelli et nostri cum puro Dionysiano et Vindebon. collect. 5. Vulgati cum Hisp. et Isid. aliisque quatuor ejusdem originis, *mysteriis.* Alii codd. a Quesn. indicati in margine, *mysteriis mysticis, quæ tenerent.*

[e] Quesn. cum quibusdam codd., *potestis;* melius exemplar Vat. Dionysii, Hadrian., Hisp. et Isid., cum anterioribus vulgatis, *poteritis.* Paulo ante iidem Vulg. cum uno Vat., *reprehensa,* pro *deprehensa.*

[f] Ita cum Quesn. cod. Vindebon. collect. 5 et duo Vat. Cæteri cum Vulg., *quos ne absolverentur.* Idem cod. Vindebon., *arctius,* pro *arctior.*

[g] Verba *per acolythum nostrum* desunt in Vat. Dionysii et in Hadrianeis etiam editis; sed leguntur in cæteris nostris codicibus. Quesnellus, *per illum acolythum.* At *illum* nullibi reperire licuit. Forte in aliquo ejus codice positæ fuerunt litteræ *ill.* loco proprii nominis, ut in antiquis formulis usitatum est.

[h] Voces *fratres charissimi* absunt a mss. Hadrian. Vindebon. Hisp. et Justello, nec non a duobus aliis Vatt. atque a vulgatis ante Quesn.

[i] Duo Vatt. collect. 21, *ne alicubi Manichææ perversitatis homines plebes vestras facultatem habeant lædendi;* sed hi iidem codices paulo post, *necubi occultandi,* etc.

[j] Ms. Vat. collect. 11 cum Vindeb. Hisp., *eos.* Mox in Vat. collect. 24, *ne pestis audacius divulgetur.*

[k] Vindeb. collect. 5 omittit *debetis et.*

[l] Editiones ante Quesn. cum Vat. collect. 24, *ingens remunerationis præmium.* In Vat. collect. 11 deest *ingens* et *dignæ.* Quesn. in marg. Al.: *dignum.* Paulo post, *de reatu negligentiæ suæ non poterit excusari,* in Vindebon. Hisp.

[m] Cod. Thuan. 1 Quesn., IV *kal.* Addidimus *Augusto* ex mss. Vindebon. collect. 5.

[n] Quesnellus hanc relegit ad ms. Oxon. Nos præterea utemur tribus codd. Wurceburgensi, Gothano, et Oltoboniano, quorum variantes exhibuit Joannes Daniel Ritter in novissima editione Lipsiensi codicis Theodosiani tom. VI, inter Novellas.

[o] 19 Junii anni 445.

[p] Quesn. *Albino P. P. et patricio.* Post P. P. adjecimus II, ex editis et mss. Novellarum libris, pro quo codex Wur., *Albino bis P. P.* Fuit scilicet Albinus primum præfectus prætorio an. 426, ut colligitur ex l. 7, de Legitim. Hæredit. Expunximus autem *et patricio;* hoc enim titulo ille quidem inscribitur in legibus an. 446, non vero in illis an. 445.

[q] Ms. Goth., *ad exstium,* corrupte.

[r] Detecta scilicet fuit an. 445 opera S. Leonis ex Chronico Prosperi. Confer admonitionem nostram præmissam epistolæ primæ, num. 23, nec non dissert. 1 Quesn. de vita et rebus gestis S. Leonis an. 445.

[s] Ipse Leo, epist. 15 ad Turrib. cap. 16, ait: *In judicio nostro, cui non solum frequentissima præsentia sacerdotum, sed etiam illustrium virorum dignitas, et pars quædam senatus ac plebis interfuit, ipsorum* (Manichæorum) *qui omne facinus perpetrarunt, ore reseratum est.*

[t] Confer annot. 13 (*Supra* n. c) in epist. præced.

Digitized by Google

ret. Quod notitiam nostram latere non potuit, quibus tutum non est negligere tam detestandam Divinitatis injuriam, et impunitum relinquere scelus quo non solum corpora deceptorum, sed etiam animæ inexpiabiliter polluuntur. Unde, Albine, parens charissime [a] A. A. illustris et magnifica auctoritas tua, **627** hac nos in æternum victura lege [b] statuisse cognoscat, quam in omnium provinciarum faciet notitiam [c] edictis propositis pervenire. Ut ubicumque terrarum quisquam Manichæorum fuerit deprehensus, pœnas, quas in sacrilegos jura sanxerunt, auctoritate publicæ severitatis excipiat. Sitque publicum crimen, et omni volenti sine accusationis periculo tales arguere sit facultas. Nec cuiquam licitum tutumque sit aut celare tales, aut talibus [d] connivere: cum omnia de his a nobis confirmata sint retro principum [e] constituta, ut noverint universi hac edictali lege proposita, Manichæos [f] dignitate militiæ et urbium habitatione privandos ([g] ne quis innocens talium conversatione aut societate capiatur). Successiones nec capiant, nec relinquant, ([h] sed fisci nostri viribus aggregentur. Nec eis quod palam interdicimus, ulla fraude quæratur. Injuriarum careant actione, contractos liberos omnino non habeant.) Primates uniuscujusque militiæ ([i] vel officii mox exigenda per apparitionem vestram) decem librarum auri multa percellat, [j] si quem hac superstitione pollutum siverint militare; neque enim aliquid [k] nimium in eos videtur posse decerni, quorum incesta perversitas religionis nomine lupanaribus quoque ignota, [l] vel pudenda committit. [m] Dat. XIII kal. Jul. Romæ Valent. A. VI, et Nomo V. C. coss.

628 EPISTOLA [n] IX.

[o] AD DIOSCORUM ALEXANDRINUM EPISCOPUM.

[p] SYNOPSIS. — I. *De ordinatione episcoporum, presbyterorum et diaconorum, ut post sabbatum, vel circa exordia noctis quæ proxime succedit, vel mane ipso Dominico die celebretur.* — II. *De iteratione sacrificii, quod repetere oportet eadem festivitatis die, cum et basilica angustior est quam ut totum simul populum capere queat, et ingens fidelium multitudo convenit.*

LEO episcopus DIOSCORO episcopo Alexandrino salutem.

Quantum dilectioni tuæ Dominicæ charitatis [q] impendamus affectum, ex hoc poteris approbare, quod tua firmius fundare desideramus initia, ne quid charitati tuæ ad perfectionem deesse videatur, cum tibi spiritalis gratiæ merita, [r] ut probavimus, suffragentur. Paterna igitur et fraterna collatio debet sanctitati tuæ esse gratissima, et a te taliter suscipi, quemadmodum a nobis eam intelligis proficisci. Unum enim nos sentire oportet et agere, ut sicut legimus

[a] In editionibus ante Quesn. sine interpunctione jungebantur litteræ A. A., et cum sic junctæ significent Augustos, Brissonius, l. III de Formulis § 63, has siglas interpretandas contendit *Augustorum*; putatque librariorum quorumdam arbitrio, eo quod earum potestatem ignorarent, factum fuisse ut in nonnullis mss. illæ siglæ reddantur *atque amantissime*. Hinc Quesnellus non siglas, sed Brissonii interpretationem *Augustorum* textui inseruit, notavitque in ms. Oxoniensi legi, *pater charissime atque amantissime*. Verum eædem siglæ in plerisque mss. sic cum interpunctione exhibentur: *P. K. A. A.* Ritterius enim in notatione ad primam novellam Theodosiano Codici subjectam monuit, in tribus mss. Wur., Ottob. et uno Sichard. haberi *P. K. A. A.*, et pari interpunctione in duobus codd. Goth., at alio Sichard. *P. A. A.* Id convenit interpretationi, quæ in aliis mss. legitur, *parens charissime atque amantissime*. Hanc autem fuisse formulam eo tempore usitatam liquet ex novell. 17 Theodosii de Repudiis, ubi expressis verbis *Florentius parens charissimus atque amantissimus* dicitur; et ex epist. 20, 23 et 25, in Auctario Symmachi, in quibus idem Symmachus præfectus Urbis ab Honorio similiter vocatur. Apud Spartianum in Vita Antonini Getæ, cap. 2, Juvenalis præfectus prætorio nuncupatur *parens amantissime*. Nullibi autem formulam *parens charissime Augustorum* expressam reperimus. Idem Brissonius, eodem lib. III c. 63, siglas *Fr. A.* in aliis legibus signatas interpretatur *frater amantissime*. Mox cod. Oxoniensis Quesn., *illustris et præclara magnificentia tua*.

[b] Ms. Wur., *instituisse*.

[c] Verba *edictis propositis* desiderantur in cod. Oxoniensi.

[d] Ms. Goth. et editio Sichardi, *convivere*. Aliqui codices cum editione Lipsiensi, *conhibere*; sed notavit Ritterius a librariis confundi *connivere* et *conhibere*.

[e] Ms. Goth. et libri omnes impressi cum Quesn., *statuta*. Secuti sumus emendationem Ritterii; ita enim *principum constituta* appellantur leges adversus Manichæos in epist. præcedenti, cap. 1. Paulo aliter constituta principum *constitutiones* dicuntur. Vide Paratitl. *de constitutionibus principum*.

[f] Ms. Oxon., *militia, dignitate*, et *urbium habitatione*.

[g] Lineis inclusa desunt in eodem codice.

[h] Hæc quoque inclusa ibidem desiderantur. Mox *Nec his* pro *Nec eis* in cod. Wur.

[i] In Oxoniensi inclusa lineis pariter omittuntur.

[j] Idem cod., *si aliquem ex his sciverint militare*.

[k] Ms. Wur., *nimietate*.

[l] Ms. Oxon. delet *vel pudenda*.

[m] Cod. Wur., *Dat. XIV kal. Jul.* Mox cod. Ottob. et editi ante Quesn., *Valent. VII*, pro VI, male. Tandem *Numo* vulgati habebant. Correximus ex ms. Wur. *Nomus* enim, non *Numus* in aliis pluribus documentis vocatur, qui cum Valentiniano consulatum gessit an. 445.

[n] Al. 11. Quæ autem erat 9, nunc in appendice. Scripta 21 Junii an. 445.

[o] Exstat hæc epistola in mss. collectionum 3, 8, Hisp. 9, Isid. 10, 12, 18, 20, ac reliquis usque ad 24, et apud Sichardum. Quesnellus hanc epistolam anni notatione carentem, an. 445 esse affigendam optime constituit not. 1.

[p] Vulgati ante Quesn. ex mss. collectionum posteriorum hos titulos præfixerunt, qui ex collect. Hisp. sumpti fuere: I. *De ordinatione presbyteri vel diaconi, ut sabbato sancto celebretur, id est die Dominico*. II. *De festivitatibus, ut si una Agenda* (in Vulg. explicandi causa additur, *id est missæ celebratio*) *populis non sufficerit, nulla sit dubitatio iterari sacrificium*. Cum vero hæc synopsis minus sit congrua, Quesnellus aliam substituit.

[q] Codd. Vat., Hisp. et Isid., *impendimus*. Mox pro *desideramus* mss. Hisp. et Isid. et Vat. collect. 11, *festinemus*; editi in margine cum mss. Cantabr. et Thuan. Quesnelli, ac duobus nostris Vatt. collect. 21, *festinamus*. Paulo post editi Quesn. in textu, *specialis gratiæ*, in margine *spiritualis*.

[r] In antiquiss. Vatt. collect. 8, *ut probamus*,

Digitized by Google

in nobis quoque unum esse cor, et una anima comprobetur (*Act.* IV, 32). [a] Cum enim beatissimus Petrus apostolicum a Domino acceperit principatum, et Romana Ecclesia in ejus permaneat institutis, nefas est credere quod [b] sanctus discipulus ejus Marcus qui Alexandrinam primus Ecclesiam **629** gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit : cum sine dubio de eodem fonte gratiæ unus spiritus [c] et discipuli fuerit et magistri, nec aliud ordinatus tradere potuerit, quam quod ab ordinatore suscepit. Non ergo patimur, ut cum unius nos [d] esse corporis et fidei fateamur, in aliquo discrepemus; et alia doctoris, alia discipuli instituta videantur.

CAP. I. *Quo die sacerdotalis vel levitica benedictio celebrari debeat.* — [e] Quod ergo a patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, a vobis [f] quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur; sed post diem sabbati, ejus noctis quæ in prima sabbati lucescit, exordia deligantur [g], in quibus his qui consecrandi sunt jejunis, [h] et a jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso [i] Dominico die, continuato sabbati jejunio, celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, [j] quam ad diem resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est. Nam præter auctoritatem consuetudinis, quam ex apostolica novimus venire doctrina, [k] etiam sacra Scriptura manifestat (*Act.* XIII), quod cum apostoli Paulum et Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Evangelium [l] gentibus mitterent prædicandum, jejunantes et orantes imposuerunt eis manus : ut intelligamus quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideo pie et **630** laudabiliter apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam per Ecclesias quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse servaveris : ut his qui consecrandi sunt numquam benedictio nisi in die resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui a vespera sabbati initium constat ascribi, et quæ tantis divinarum [m] dispositionum mysteriis est consecrata, ut quidquid est a Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium. In hac per resurrectionem Christi, et mors interitum, et [n] vita accepit initium. In hac apostoli a Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam sumunt (*Joan.* XX, 21), et inferendum universo mundo sacramentum regenerationis accipiunt. In hac, [o] sicut beatus Joannes evangelista testatur, congregatis in unum discipulis, januis clausis, cum ad eos Dominus introisset, insufflavit, et dixit : *Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata remittuntur eis ; et* [p] *quorum detinueritis, detenta erunt* (*Ibid.*, 22). In hac denique promissus a Domino apostolis Spiritus sanctus advenit (*Act.* II, 1 ; *Joan.* XIV, 16 ; XVI, 7) ; ut cœlesti quadam regula insinuatum et traditum noverimus, in illa die celebranda nobis esse mysteria sacerdotalium benedictionum, [q] in qua collata sunt omnia dona gratiarum.

631 CAP. II. *De iterando missæ sacrificio, ut plebi supervenienti satisfiat.* — Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cum solemnior [r] quæque festivitas conventum populi numerosioris indixerit, et [s] ea fidenio sabbati.

[a] 24. qu. 1, *Cum beatissimus*, c. 10.

[b] Mss. Vat. Hisp. et Isid., *sanctus episcopus discipulus ipsius Marcus*. Vindeb. Hisp. solum delet *episcopus*. Mox *suarum* deest in Vat. 5845 collect. 8.

[c] Particulam *et* a Quesnello omissam restituimus ex septem potioribus nostris mss. Postea *ordinatis* pro *ordinatus* in duobus codd.

[d] Verbum *esse*, quod Quesnellus omisit, ex aliis editionibus et ex codd. Hisp. et Isid. revocavimus. Dein *statuta* pro *instituta* in Vindebon. Hisp.

[e] Dist. 75, *Quod a Patribus*, c. 4.

[f] Quesnellus pro *quoque* habet *hoc*, uti quidam inferioris notæ codices præferunt. In Merlino et Sichardo utrumque omittitur. Secuti sumus non tam cæteras editiones, quam plures et potiores nostros codices.

[g] Post verbum *deligantur* in Vulg. Quesnello anterioribus hoc glossema inseritur ex mss. collect. 21, *hoc est sub lege divini officii substituantur*. Hoc glossema jure expunxit Quesnellus ex suis codd. nota 2 allegatis, quibus et reliqui nostri astipulantur. Solum Vat. Hisp. alia interpunctione præfert : *Ut non passim diebus omnibus sacerdotalis, vel levitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati, ejusque noctis, quæ in prima sabbati lucescit, exordio consecrandi eligantur*. Idem est in Isidor. Vat. et Vindeb. Hisp., exceptis extremis vocibus *exordio consecrandi eligantur*, pro quibus legitur ut in textu, *exordia deligantur*.

[h] Duo nostra mss. Hisp. delent *et*. Paulo post, *ex eadem observantia erit* in Vindeb. Hisp.

[i] Vide not. 3 Quesn. et dissert. ejusdem de Jeju-

[j] Duo mss. Hisp. et Vat. Isid., *Quod ad diem*.

[k] Ms. Vat. Hisp., *etiam sacram habemus in exemplo Scripturam, quod cum apostoli*.

[l] Vox *gentibus* desideratur in Vindeb. Hisp. et apud Sichardum.

[m] Vulg. ante Quesn. cum Vat. Hisp. et Isid. ac mss. collect. 21, *dispensationum*. Emendationem Quesnelli ex codd. Grimanico, et Victorino, ac ex editionibus Merlini, Nicolini, Surii, et Sichardi, cæteri nostri mss. libri, etiam Vindeb. Hisp. confirmant.

[n] Cod. Vat. 1342 collect. 3, *vita accepit æterna principium*. Tria mss. collect. 8, *vita accepit æternum principium*. Quidam codd. collect. 21, et Vindeb. Hisp., *vita accepit principium*.

[o] Vindeb. Hisp., *sicut beatus Joannes testatur, cum congregatis in unum discipulis, clausis januis ad eos Dominus introisset*.

[p] Antiquiss. Vat. 5845 et Vindeb. Hisp., *quorum retinueritis, retenta sunt*. Vat. Hisp., *erunt*.

[q] Editi, *in quo*. Correximus ex memorato antiquiss. Vat., ex duob. Hisp. et Vat. Isid., ac Vallicellano collect. 8.

[r] Vox *quæque* deest in editis ante Quesn. et quinque nostris codd., nec non apud Sichardum.

[s] In mss. Hisp., Isid. et collect. 21, *et ad eamdem fidelium multitudo*. Merlinus, *et eam fidelium*, etc. Editi ante Quesn. cum mss. collect. 24, *et ad eam tanta fidelium multitudo*. Similiter Sichardus, qui solum omittit *fidelium*. Quesn. in marg., *et ad eam tanti sacrificii oblatio iterata*, quod nullibi reperimus.

Digitized by Google

lium multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur; ne his tantum admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, [a] non recepti, cum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, [b] toties sacrificium subsequens offeratur. [c] Necesse est autem ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantum missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi [d] qui prima diei parte convenerint. Studiose ergo dilectionem tuam et [e] familiariter admonemus 632 ut quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat: [f] ut per omnia nobis et fide et actibus congruamus. Propter quod remeanti filio nostro [g] Possidonio presbytero, hanc ad fraternitatem tuam epistolam dedimus preferendam, qui [h] nostris processionibus atque ordinationibus frequenter interfuit, et toties [i] ad nos missus, quid in omnibus j apostolicæ auctoritatis teneremus, agnovit. Data [k] XI kalendas Julias.

[a] Exemplaria collect. 21, *non recipi*.
[b] Vide not. 4 Quesnelli.
[c] De Consecr. dist. 1, *Necesse est*, c. 51.
[d] Mss. Hisp. et Isid. omittunt *qui*.
[e] Vide not. 5 Quesn. et observationem nostram.
[f] Al. cum mss. collect. 24. atque Sichardo, *ut omnia nobis ex fide et actibus congruant*.
[g] Vide not. 6 Quesn.
[h] Codd. collect. 8, *in nostris*. Mox in Vindebon. Hisp., *atque orationibus*.
[i] Verba *ad nos* stricte accepta de ipso Leone indicare videntur, hunc Possidonium litteras quoque Cyrilli de Paschate an. 444, quarum fragmentum edidimus ante, epist. 3 ad eumdem Leonem, Romam attulisse an. 445. Sed vox *toties* non duas tantum, sed plures Possidonii transmissiones significat; eumque certum sit eumdem etiam ad Cœlestinum missum fuisse cum commonitorio et epistola ejusdem Cyrilli in Nestorii causa an. 430, jam probabilissimum est voces *ad nos*, quæ hanc quoque ipsius transmissionem videntur comprehendere, non de solo Leone, sed de prædecessore etiam ejus accipiendas esse. *Nos* enim pro ipsa pontificia dignitate accipi potest, quæ in omnibus Petri successoribus una eademque est, uti innuimus in admont. ad epist. 1. num. 25.
j Quesn. ita emendavit ex codicibus et editionibus nota ejusdem septima recensionis. Hanc emendationem etiam nostri potiores et antiquiores mss. libri collect. 3, 8, 25 et 24, approbant. Vulgati Leonini cum quibusdam mss. collect. 21, *apostolicæ sedis auctoritatis*. Vat. 5841 ejusdem collectionis, *apostolicæ sedis auctoritate*. In Vat., Hisp., Isid. et mss. collect. 12, atque 22, *Apostolicæ sedis auctoritatibus*.
[k] In mss. collect. 3, in Vat., Hisp. et Isid. nec non in tribus codd. collect. 21, data omittitur. Vindebon. Hisp., x *kal. Julii*. Editi ante Quesn. ex Merlino et mss. collect. 24 atque Sichardo, *kal. Julii*s. Antiquissimus Vat. 5845 collect. 8, XI *kal. Junias*. Soli codices antiqui Vallicell. A, 5, et Vercellensis nec non Vat. 3791 habent XI *kal. Julias*. Cum vero codices Vallicell. et Vercell. pertineant ad eamdem collectionem 8 ad quam spectat Vat. 5845, utra lectio præferenda sit, dubitari posset. Dubitationem tamen videtur eximere cæterorum codicum consensus in voce *Jul.*, ac propterea ultimam lectionem a Quesnello inductam retinuimus.

[l] EPISTOLA X.

[m] AD EPISCOPOS PER PROVINCIAM VIENNENSEM CONSTITUTOS.

In causa Hilarii Arelatensis episcopi.

SYNOPSIS. — I. *Ecclesia Christo instituente collocata in Petri soliditate, a qua non recedendum. Hanc ille violat qui ejus potestatem tentat infringere.* — 633 II. *Hilarium arguit Ecclesiarum statum et concordiam perturbantem.* — III. *Celidonium ab Hilario depositum, retractato judicio sedi suæ restitutum esse, exponit.* — IV. *Projectus episcopus, cui ægrotanti alterum idem Hilarius substituerat, in integrum restitutus.* — V. *Ordinationem episcopi provincialis metropolitano reservandam.* — VI. *Sine cleri plebisque consensu, et extra diem legitimum neminem ordinandum.* — VII. *Hilario metropolitani dignitas et potestas in provinciam Viennensem adempta.* — VIII. *Neminem pro levi causa communione esse pellendum.* — IX. *Ut præter Leontii antiquioris episcopi consensum alterius provinciæ concilium non indicatur.*

[n] Dilectissimis fratribus, universis episcopis per Viennensem provinciam constitutis, LEO Romæ episcopus.

CAP. I. — Divinæ cultum religionis, quem in omnes gentes omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, [o] ita Dominus noster Jesus Christus hu-

[l] Circa tempus epistolæ sequentis, an. 445.
[m] Perrara sunt hujus epistolæ mss. exemplaria, uti observavit Quesn., not. 1. Exstat enim tantum, quod sciamus, in cod. Corbeiensi vetustissimæ collect. 2, sub Vigilii ætatem in Galliis digestæ, necnon in mss. collect. 12 et 24. P. Sirmondus aliud quodpiam vetustum exemplar vidit, quod ex inscriptione hujus epistolæ a laudatis codicibus plurimum variante, ut not. sequenti apparebit, aliam originem prodit. Nobis posteriorum tantum collectionum exemplaria invenire et conferre licuit, nimirum Vat. 1340, et Ven 569 collect. 12, Vat. 544 collect. 24, et Vat. 541, cui ex eodem fonte collectionis 12 hæc epistola sub finem addita videtur. Hi vero codices cum recentiores collectiones exhibeant, cum antiqua collectione præsertim Corbeiensi comparandi non sunt quæ originis Gallicanæ, ipsam epistolam ad Viennensis provinciæ episcopos scriptam, ex vetustiori atque accurato exemplo apud Gallos invento recepisse credenda est. Hinc non solum Quesnellus, sed etiam ante ipsum P. Sirmondus post habitis editionibus vulgatis, quæ ex Merlino, id est, ex collect. 12 derivatæ sunt, Corbeiensi codici in recudenda hac epistola plurimum detulere; ac propterea istorum lectiones non facile deserendas aut immutandas credidimus. Porro etsi consulatum, quo hæc epistola scripta fuit, nulli codices exhibeant, satis tamen colligitur ex constitutione sequenti, quæ sub idem tempus in Gallias missa fuit. Cum autem ea constitutio ex emendatione chronicæ notæ ope nostrorum codd. scripta fuerit post epistolam ad Dioscorum an. 445, istam quoque epistolam ab eadem constitutione non disjungendam hoc loco collocavimus
[n] Jacobus Sirmondus siglis *VV. CC.* non veterem schedam, ut perperam interpretatus est Quesn. not. 2, sed veteres codices, aut unum saltem antiquum exemplar allegavit, in quo huic epistolæ præfigitur, *Dilectissimis fratribus universis episcopis per provinctas Maximam Sequanorum et Viennensium constitutis Leo*. Displicuit Quesnello additio *Maximæ Sequanorum*, eo quod nolit Celidonium episcopum Vesontionis, quæ Maximæ Sequanorum metropolis est. Sed Vesontionensem hujus episcopatum vindicabimus in observat. ad diss. 5 Quesnelli, part. I cap. 2, ubi et de hac inscriptione plura.
Dist. 19, *Ita Dominus noster Jesus*, c. 7.

Digitized by Google

mani generis Salvator instituit, ut veritas, quæ antea legis et prophetarum præconio continebatur, per apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sicut scriptum est : *In omnem terram* [a] *exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Ps.* XVIII, 5). Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo, principaliter [b] collocarit; et ab ipso quasi quodam capite, dona sua velit in corpus omne manare, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ [c] unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18); ut æterni templi ædificatio, mirabili munere gratiæ **634** Dei, in Petri soliditate consisteret; hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verum hanc petræ istius sacratissimam firmitatem, Deo, ut diximus, ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, et id, quod accepit a veteribus, non sequendo : cum nulli se subditum legi, nullis institutionis Dominicæ credit regulis contineri, a vestro nostroque, per novæ usurpationis ambitum, more desciscens, præsumendo illicita, et quæ custodire debuit, negligendo.

CAP. II. — Verum hæc nos, Deo, ut credimus, aspirante, [d] servata circa vos nostræ charitatis gratia, quam sanctitati vestræ apostolica semper sedes, ut meministis, impendit, nitimur consilio maturiore corrigere, et vestrarum Ecclesiarum statum communicato vobiscum labore, componere, non nova instituentes, sed vetera renovantes : ut in status consuetudine, quæ nobis a nostris patribus est tradita, perduremus, et Deo nostro per boni operis ministerium, remotis perturbationum scandalis, placeamus. Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat A apostolicam sedem, pro sui reverentia a vestræ etiam provinciæ sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, et per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia : adeo ut servata unitate spiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc inde litteris, quod sancte agebatur, perpetuæ proficeret charitati : [e] quoniam sollicitudo nostra, non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem divinitus datam nec Ecclesiis, nec Ecclesiarum sacerdotibus abrogabat. Sed hunc tramitem semper inter majores nostros et bene tentum, et salubriter [f] custoditum Hilarius Ecclesiarum statum, et concordiam sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus excessit; ita suæ vos cupiens subdere B potestati, ut se beato apostolo Petro non patiatur esse subjectum, ordinationes **635** sibi [g] omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, et debitam metropolitanis sacerdotibus [h] in suam transferens dignitatem; ipsius quoque beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo : cui cum [i] præ cæteris solvendi et ligandi tradita sit potestas (*Matth.* XVI), pascendarum tamen ovium cura specialius mandata est (*Joan.* XII). Cui quisquis principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem; sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.

CAP. III. — Quæ igitur apud nos in causa Celidonii episcopi gesta confecta sint, et quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem, præsente supradicto epi- C scopo, audiretur, inditus chartis rerum ordo demonstrat. Ubi postquam Hilarius rationabile, quod in sanctorum concilio sacerdotum posset respondere, [j] non habuit, ad ea se [k] occulta cordis ipsius transtulerunt, quæ nullus laicorum dicere, nullus sacerdotum posset audire. Doluimus, [l] fateor, fratres, et hunc ejus mentis tumorem medelis patientiæ nostræ curare tentavimus. Nolebamus etenim ea illi exacerbare vulnera, quæ suæ animæ insolentibus subinde sermonibus infligebat, et quem susceperamus ut fratrem, [m] delinire magis ipsum, quamvis

[a] Quesnellus, *exiet*; et notavit in margine : *Ita mss. codd., quod et antiquis Patribus familiare.* At Sirmondus cum omnibus nostris codd. et anterioribus excusis *exivit*; et ita etiam apud plures Patres a P. Sabatier allegati, quorum nonnulli *exiit*, uti etiam in antiquissimo Psalterio ms. capituli Veronensis et in Sangermanensi ab eodem laudato : nulli autem D Patres ab eo citantur pro *exiet*. Si originalis textus haberet *exibit*, tum subsistere posset *exiet*. Forte typographorum lapsu in Quesnelli edit. *exiet* pro *exibit* impressum fuit.

[b] Ita codd. Corb. et Thuan. apud Quesnel. not. 3, quam confer cum nostra observat. Sirmondus, *collocaret atque ab ipso quasi quodam capite dona sua vellet in corpus omne manare.* Aliæ editiones cum nostris mss., *collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus diffunderet.*

[c] Vide not. 4 Quesn. et observat. nostram.

[d] Sirmondus, *reservata.*

[e] Editi ante Quesn. cum solis codd. collect. 24 et Sirmondo, *quam.*

[f] Sic cum Quesn. nostri codd. Alii, *constitutum.* Vide not. 5 Quesn. et observat. nostram.

[g] Vide not. 6 ejusdem, et nostram observationem.

[h] Sirmondus cum editis ante Quesn., *in suum jus transferens dignitatem.* Nostri codd., *in suum jus transferre dignitatem*, quod alia interpunctione ad participium *cupiens* refertur. Quesn. prætulit lectionem mss. collect. 2.

[i] Ita omnes nostri codd., immo etiam Quesnelli atque Sirmondi, omnesque editiones. Conjecturas Quesnelli, quibus mallet legi *pro cæteris* expendemus in observat. ad not. ejusdem 7.

[j] Tres nostri mss., *non habuerit.*

[k] Quesn., in marg. : S. Paulus I Cor. XIV, 25 : *Occulta cordis ejus manifesta fient.*

[l] Verbum *fateor*, quod erat in editionibus ante Quesn. ex nostris mss. et Sirmondo revocavimus.

[m] Nostri codices, *delinire magis* (*quamvis ipse suis responsionibus invitaret*, forte *incitaret*) *quam contristare*, etc. Idem legitur apud Sirmondum hac una exceptione, quod pro *invitaret* habet *innodaret.* Noluimus tamen mutare lectionem anteriorum editionum, etiam Quesnelli, qui ad marginem notavit pro *innodaret* : Alias, *irretiret*, vel *implicaret.*

Digitized by Google

ipse se suis responsionibus innodaret, quam contristare nostris interlocutionibus, nitebamur. Absolutus est Celidonius episcopus, quoniam se injuste sacerdotio fuisse dejectum, manifesta testium responsione, ipso etiam præsente, monstraverat; ita ut, quod Hilarius nobiscum residens posset opponere, non haberet. Remotum est ergo judicium, quod prolatum in hac sententia legebatur, quod tamquam [a] viduæ maritus sacerdotium **636** tenere non posset. Quod nos quidem servantes legalia constituta, sollicitius voluimus custodiri, non solum circa sacerdotes, sed circa clericos quoque minoris officii : ne ad sacram militiam hi permittantur accedere quibus sit tale conjugium, [b] vel qui contra apostolicam disciplinam non unius tantum uxoris viri fuisse monstrentur. Sed sicut eos, quos factum suum non potest excusare, aut non admittendos, aut si [c] fuerint, decernimus removendos, ita quibus hoc falso objicitur, [d] habita necesse est examinatione purgemus, et suum officium perdere non sinamus. [e] Mansisset namque in illum prolata sententia, si objectorum veritas exstitisset. Redditus itaque est Ecclesiæ suæ, et huic, quam amittere non debuit, dignitati coepiscopus noster Celidonius, sicut gestorum series, et post decursam cognitionem sententia, quæ a nobis est prolata, testatur.

CAP. IV. — Huic negotio sic finito, fratris et coepiscopi nostri Projecti querela successit : cujus ad nos litteræ lacrymabiles et dolendæ, de superordinato sibi episcopo, sunt directæ. Epistola quoque ingesta est civium ipsius, et numerosa singulorum subscriptione firmata, invidiosissimis contra Hilarium plena querimoniis : quod Projecto episcopo suo ægrotare liberum non fuisset, ejusque sacerdotium in alium præter suam notitiam esse translatum, et tamquam in vacuam possessionem ab Hilario pervasore hæredem viventis inductum. Quid hic fraternitas vestra sentiat, cuperemus audire. Quamquam de vestris animis nostra non debeat sententia dubitare : cum fratrem in lectulo constitutum, tam non infirmitate corporis aggravari quam alio videatis dolore **637** torqueri. Quæ spes illi de vita relinquitur, cui de sacerdotio suo desperatio, dum illi alter substituitur, irrogatur? Apparet [f] quam mitis sit corde Hilarius, qui obesse præsumptioni suæ fraternæ mortis credidit tarditatem. Quantum enim in se fuit, illi subtraxit lucem, abstulit vitam, qui hunc [g] dolorem in locum ejus alterum subrogando, ne ad salutem illi recursus esset, injecit. Esto ut [h] brevis fratri evenerit humanæ conditionis consueta migratio, quid sibi Hilarius quærit in aliena provincia, et id quod nullus decessorum ipsius ante Patroclum habuit, [i] quid usurpat? cum et ipsum, quod Patroclo a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit [i] sententia meliore sublatum? Exspectarentur certe vota civium, testimonia populorum; quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab his [k] qui noverunt Patrum regulas, custodiri : [l] ut apostolicæ auctoritatis norma in omnibus servaretur, qua præcipitur ut sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non solum attestatione fidelium, sed etiam eorum

[a] Confer not. 8 Quesnelli.

[b] Ita nostri codd. cum Quesn. Al., *vel contra ;* Sirmondus, *ut contra.*

[c] Sirmondus addit *admissi*, quod tamen etiam in nostris mss. omissum subintelligitur.

[d] Editi ante Sirmondum et Quesn. cum aliquibus mss., perperam, *ab ea necesse est.*

[e] Celidonium Vesontionensem fuisse episcopum liquebit ex his quæ adversus Quesnellum disputabuntur in observationibus ad dissertationem ejus 5, c. 1. Nihil itaque juris in illum Arelatensis episcopus obtinebat, ac propterea cum S. Leo scripsit : *Mansisset in illum prolata* (ab Hilario Arelatensi) *sententia, si objectorum veritas exstitisset*, non eo sensu accipiendum est, ac si S. pontifex jus ullum Hilarii proprium in Celidonium agnoscat; Valentinianus enim in constitutione mox subjicienda, quæ ex Leonis mente scripta et edita est, de Hilario pronuntians, *alios incompetenter removit*, quod ad Celidonii depositionem refertur; voce *incompetenter* jus in Celidonium eidem defuisse palam insinuat. Itaque depositionis sententiam mansuram fuisse asserit S. Leo non Hilarii jure, sed vel jure aliorum episcoporum ejusdem Celidonii provinciæ, quos convenisse auctor Vitæ Hilarii indicat, vel saltem facto, quatenus ex legalibus institutis viduarum maritum a sacris altaribus arcendum S. pontifex pariter judicasset; unde præmisit : *Quod nos quidem servantes legalia constituta, sollicitius voluimus custodiri non solum circa sacerdotes, sed circa clericos quoque minoris officii.* Hinc expungendam credidimus postillam a Quesnello huic loco appositam : *Hilarii potestatem in provinciam Viennensem non impetit S. Leo*, quod Celidonium Hilarii jure, Leone fatente, depositum falso præsumit.

[f] Editi anteriores Sirmondo et Quesnello, et quidam codd. addunt *ergo.*

[g] Sirmondus inserit *ei.*

[h] Sensus exigere videtur *brevi.* Editi ante Sirmondum, *brevis fratri invenerit*, vel, *inventa fuerit humanæ conditionis consueta migratio.* Apud Quesn. cum duobus nostris codicibus perperam, *conditioni.*

[i] Ita Quesnellus, et quidam nostri codices. Al., *cur usurpat?* Paulo ante editi vetustiores Sirmondo et Quesnello, *aut Patroclus habuerit*, male; *ante Patroclum* enim habent tum nostri tum Sirmondi et Quesnelli codices, ac præsertim Corbeiensis; ipseque sermonis contextus idipsum flagitare cognoscitur.

[j] Indicatur Bonifacii I papæ decretum confirmatum a Cœlesti o, quo Narbonensis prima Patroclo antea tributa decreto Zosimi eidem adempta fuit, et Narbonensi episcopo restituta. In hoc autem Zosimus Patroclo faverat, quia is decessores suos ea provincia semper potitos iis argumentis statuit, quibus tum episcopus Narbonensis ante respondere non potuit. Cum vero sub Bonifacio I idem episcopus Narbonensis resumptis viribus contrarium ostenderit ejusmodi documentis, quæ allatis ab Arelatensi adeo præstabant, ut omnino convincentia sequentes pontifices approbaverint, hinc eam provinciam eidem Arelatensi *meliore sententia* sublatam Leo affirmat.

[k] Sirmondus, *qui norunt.* Porro Patrum regulæ videntur esse canones Patrum Sardicensium præcipientium can. 5 eum ordinandum episcopum qui a populo petitur. De hac autem re apertius statuentes Julius I, Innocentius, et Cœlestinus, non tam populi quam cleri votum flagitarunt.

[l] Quesnellus contra omnium nostrorum codicum et anteriorum editionum auctoritatem nullo indicato ms. posuit, *aut apostolicæ.*

Digitized by Google

qui foris sunt testimonio muniatur (I *Tim.* III, 7), neque illius scandali relinquatur occasio, cum per pacem et Deo placitam concordiam consonis omnium studiis, qui doctor pacis futurus est, ordinatur.

CAP. V. — Sed ille insperatus nescientibus supervenit, et improvisus abscessit, cursu, ut didicimus, celeri itinera multa conficiens, et per longinquas provincias tanta [a] immaturitate discurrens, ut videatur gloriam de scurrili velocitate potius quam de sacerdotali moderatione captasse. Hæc enim directarum ad nos civium verba sunt litterarum : *Ante abscessit quam eum venisse* **638** *nossemus.* Non est hoc redire, sed fugere, nec salubritatem impendere dili gentiæ pastoralis, sed vim inferre latronis et furis, dicente Domino : *Qui non intrat per januam* [b] *in cortem ovium, sed ascendit aliunde, hic fur et latro est* (*Joan.* X, 1). Non ergo Hilarius tam studuit episcopum consecrare quam eum potius qui ægrotabat occidere, et ipsum quem superposuit male ordinando decipere. Nos tamen, quod vobis credimus Deo judice placiturum, in commune cunctis fratribus consulentes, et male ordinatum submoveri, et episcopum Projectum in suo sacerdotio permanere debere decrevimus : id statuentes ut si quisquam fratrum nostrorum in quacumque provincia [c] decesserit, is sibi ordinationem vindicet sacerdotis, quem illius provinciæ metropolitanum esse constiterit. [d] Duæ, ut videmus, causæ transactæ sunt, in quibus tamen multa sunt quæ præter rationem ecclesiasticam videantur esse commissa, et justi judicii debeant exspectare censuram. Sed nos diutius hic non possumus immorari, cum ad alia quæ nobis cum vestra sanctitate sollicitius conferenda sunt provocemur.

CAP. VI.— Militaris manus, ut didicimus, per provincias sequitur sacerdotem, et [e] armati præsidii præsumptione suffulto ad invadendas per tumultum famulatur ecclesias, quæ proprios amiserint sacerdotes. Trahuntur ordinandi ante hoc officium, his quibus præficiendi sunt civitatibus ignorati. Ut enim notus qui fuerit et probatus per pacem petitur, ita per vim necesse est, qui ignotus adducitur, imponatur. Obtestor et obsecro, et sub Dei vos invocatione convenio, prohibete, fratres, talia, et omnem dissensionis materiam de vestris provinciis **639** removete. Certe nos ante Deum absolvimus, qui vos, ne permittatis ultra hæc fieri, convenimus. Per pacem et quietem sacerdotes qui futuri sunt postulentur. Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus et plebis. Qui [f] præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. Ordinationem sibi, ut ante jam diximus, singuli metropolitani suarum provinciarum cum his qui cæteros sacerdotii antiquitate præveniunt, restituto sibi per nos jure defendant. Alienum jus alter sibi non audeat vindicare. Suis limitibus, suis terminis sit unusquisque contentus, [g] et privilegium sibi debitum in alium transferre se posse, noverit non licere. Quod si quis negligens apostolicas sanctiones, plus gratiæ tribuens personali, sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre posse se credens, non is cui cesserit, sed is qui intra provinciam antiquitate episcopali cæteros prævenit sacerdotes, ordinandi sibi vindicet potestatem. Non passim, sed die legitimo ordinatio celebretur; nec sibi constare status sui noverit firmitatem, qui non die sabbati vespere, quod lucescit in prima sabbati, vel ipso Dominico die fuerit ordinatus. Solum enim majores nostri resurrectionis Dominicæ diem hoc honore dignum judicaverunt, ut sacerdotes qui sumuntur hoc die potissimum tribuantur.

CAP. VII. — Suis unaquæque provincia sit contenta conciliis, nec ultra Hilarius audeat conventus indicere synodales, et sacerdotum Domini judicia, se interserendo turbare. [h] Qui non tantum noverit se ab alieno jure depulsum, sed etiam Viennensis provinciæ, [i] quam male usurpaverat, potestate privatum. Dignum est enim, fratres, antiquitatis **640** statuta reparari, cum is qui sibi ordinationem provinciæ indebitæ vindicabat, talis in præsenti etiam probatus fuerit j exstitisse, ut cum ipse frequentius

[a] Idem Quesnellus in marg. : Forte, *maturitate*, quod nec codices præferunt, nec sensus videtur exigere.

[b] Nostri codd., *in curtem*. Quidam editi, *in chortem*, alias *in cohortem*. Sed *cors cortis* idem est ac *cohors*, et proprie locum muris cinctum, quo aliquid custoditur, significat.

[c] Sirmondus audit *de hac vita*.

[d] Quidam codd. cum editis ante Sirmondum, *quia, ut videmus* Mox duo mss. omittunt *tamen;* pro quo editiones memoratæ substituunt *etiam*.

[e] Locum hunc in anterioribus editionibus perturbatum Sirmondus et Quesnellus ex mss. restituerunt. Vide not. 9 ejusdem Quesn. Sic autem legebatur : *Armatis præsumptione suffultum ad invadendas per tumultum famulatur ecclesias, quæ proprios amiserint. Traduntur ordinandi ad hoc officium, his quibus præficiendi sunt civitatibus ignoti.*

[f] Vide not. 10 Quesn.

[g] Plures hic metropolitanos perstringit. Illi autem videntur intelligi ad quorum provincias Celidonius ac Projectus pertinebant : quippe qui fortassis Hilario permittentes ut judicia et ordinationes in suis provinciis haberet, jus suum quodammodo in eum transtulerunt. Ingenuum præterea Alpium maritimarum metropolitam a Leone fuisse culpatum ob illicitam sui juris cessionem, testatur Hilarus papa epist. 4. Incertum vero est num hæc Ingenui reprehensio ad has Leonis litteras referenda sit, an vero ad alias quæ intercederint; de quo vide plura in dissert. de epistolis deperditis, num 97.

[h] Ita cum antea editis et tribus nostris codd. Sirmondus. Quesnellus autem cum mss. collect. 24, *qui tamen noverit se non solum ab alieno jure*.

[i] Quesn. in margine : Forte, *qua male usus fuerat*. Id autem ea sola de causa scripsit, quia in sua sententia, quam in observationibus ad quintam diss. impugnabimus, Hilarium nullum jus quod sibi non competeret usurpasse contendit.

j Editi ante Sirmondum et Quesn. cum inferioris notæ codicibus omittunt *exstitisse*. Porro metropolitæ, qui in aliquo defecisset contra regulas canonum, *suæ tantum Ecclesiæ sacerdotium pro sedis apostolicæ pietate servari*, ordinationis episcoporum jure adempto, vetus disciplina erat, ut videre est apud Hilarum papam epist. 8, ad Gallicanos, n. 1. Confer etiam Leonis epist. 12, c. 9.

Digitized by Google

temerariis et insolentibus verbis sententiam damnationis expeteret, suæ tantum civitatis illi sacerdotium, pro sedis apostolicæ pietate, præceptio nostra servaverit. [a] Non ergo intersit ulli ordinationi; non ordinet, qui meriti sui conscius, cum quæreretur ad causam, turpi fuga se credidit subtrahendum, [b] exsors apostolicæ communionis, cujus particeps esse non meruit : Deo, ut credimus, hoc agente, qui illum, inopinantibus nobis, et ad judicia nostra pertraxit, et inter examinationes habitas, ne communionis nostræ consors fieret, ut abscederet latenter, effecit.

CAP. VIII. — Nulli Christianorum facile communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium sacerdotis, quod in magni reatus ultionem invitus et dolens quodammodo debet inferre animus [c] judicantis. Cognovimus enim pro commissis et levibus verbis quosdam a gratia communionis exclusos, et animam pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam sævi supplicii sauciatam et inermem quodammodo, exutamque omni munimine, diabolicis [d] incursibus, ut facile caperetur, objectam. Certe [e] si quando causa talis emerserit, ut pro commissi criminis qualitate aliquem juste faciat communione privari, is tantum pœnæ subdendus est quem reatus involvit; nec particeps debet esse supplicii, qui consors non docetur fuisse commissi. Sed quid mirum eum in laicos talem existere, qui soleat de sacerdotum damnatione gaudere?

CAP. IX. — Unde quia nostra longe alia videtur intentio, nam omnium Ecclesiarum statum **641** et concordiam custodiri cupimus sacerdotum, ad unitatem vos vinculo charitatis hortantes et obtestamur, et affectione congrua commonemus, ut ea quæ a nobis Deo inspirante et beatissimo Petro apostolo, discussis probatisque nunc omnibus causis decreta sunt, pro vestra pace et dignitate servetis : certi non tam nostro quam vestro honori proficere, quod talia statuisse cognoscimur. Non enim nobis ordinationes vestrarum provinciarum defendimus, quod potest forsitan ad depravandos vestræ sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri; sed vobis per nostram sollicitudinem vindicamus, ne quid ulterius liceat novitati, nec præsumptori locus ultra jam pateat privilegia vestra cassandi. Nostræ [f] etiam gratulationi hoc solum crescere profitemur, si et apostolicæ sedis diligentia apud vos illibata servetur, et per sacerdotalis disciplinæ custodiam honori vestro perire, quod suum est, [g] improbis usurpationibus non sinamus. Et quoniam honoranda est semper antiquitas, fratrem et coepiscopum nostrum [h] Leontium probabilem sacerdotem, hac, si vobis placet, dignitate volumus decorari : ut præter ejus consensum alterius provinciæ non indicatur a vestra sanctitate concilium, et a vobis omnibus, quemadmodum vetustas [i] ejus et probitas exigit, honoretur, metropolitanis privilegii sui dignitate servata. Æquum est enim, nec ulli de fratribus fieri videtur injuria, si his qui sacerdotii vetustate præcedunt, pro ætatis suæ merito in suis provinciis a sacerdotibus cæteris deferatur. Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi.

642 [j] EPISTOLA XI,

seu

[k] CONSTITUTIO VALENTINIANI III AUGUSTI,

[l] *una cum præcedenti Leonis papæ epistola de eodem negotio missa in Gallias.*

De episcoporum ordinatione.

[m] Imperatores THEODOSIUS et VALENTINIANUS Augusti

[a] *Locus emendatus ex mss. Sirmondi et nostris*, inquit in postilla marginali Quesnellus. Legebatur autem antea : *Non ergo sit illi ordinatio, qui meriti sui conscius, cum quæreretur ad accusandum, turpi fuga*, etc. Corruptius in nostris mss. collect. 12 et 24 : *Non ergo sit illi ordinatione, non ordinet, qui meriti*, etc.

[b] Male nonnulli hunc locum de excommunicatione qua S. Leo Hilarium a sua communione separaverit, interpretantur. Ex sequentibus enim palam fit ideo Hilarium dici *exsortem apostolicæ communionis*, quia ipse Roma inopinate auf gieus inter sacra utique mysteria, *communionis nostræ*, subdit pontifex, *consors fieri noluit*. Hilarius scilicet, qui ex auctore Vitæ ejus c. 17 apud Leonem questus fuerat aliquos apud Gallos publica sententia damnatos, *in Urbe sacris altaribus interesse, communioni ejus* (Celidonii) *quem cum tantis viris damnaverat, conjungi nullatenus acquievit;* et ne cogeretur cum eo, quem absolvendum præsentiebat, Romæ communicare, recessit, et eatenus ab ipsa apostolica communione se subduxit.

[c] Ita Quesnellus cum duobus nostris codd. Al., *vindicantis*.

[d] Sirmondus, *incursionibus*.

[e] Quatuor nostri codices, *si qua causa*.

[f] Sic Quesn. et nostri codd. Al., *enim gratulationi*. Mox pro *custodiam* Sirmondus *concordiam*.

[g] Ita cum Sirmondo Quesnellus. Anteriores editiones cum Vat. collect. 24, *pro novis*. Melius in aliis tribus nostris codd., *novis*.

[h] Hunc Leontio, de quo vide nostram observationem in not. 11 Quesnelli, sola prærogativa in convocandis diversarum provinciarum synodis, qua Hilarius potiebatur, hoc loco tribuitur. Cæterum vere jus metropoliticum eidem Hilario ademptum, alia Leonis epistola, quæ desideratur, in Viennensem episcopum fuisse traductum liquet ex epist. 66, c. 2 Confer quæ hac de re pluribus dicentur in observationibus ad dissert. 5 Quesnelli, part. 3.

[i] Vox *ejus*, a Quesnello omissa, ex omnibus nostris mss. et cæteris editionibus revocatur.

[j] Scripta 8 Julii an. 445.

[k] Quesnellus in secunda editione varias lectiones apposuit ex ms. Thuaneo Colbertino. Nos eamdem recognovimus cum ms. Vat. 3833 collectionis canonum cardinalis Deusdedit, qui hanc legem ex vetustiori exemplari sumptam eidem collectioni inseruit lib. 1, pag. 48. Ex ms. Ottobon. Vat. solius chronicæ notæ lectionem posterius accepimus.

[l] Quæ sequuntur apposita fuerunt a P. Sirmondo, et exinde a Quesnello; ac probabilissimum est Leonis decretalem una cum hac lege in Gallias missam fuisse, ne exsecutioni ejus impedimentum opponeretur.

[m] Mss. Thuan. et Vat. hanc inscriptionem præferunt : *Imperator Valentinianus Augustus omnibus sub imperio æternæ urbis Romæ ubique terrarum degentibus*. Licet occasione quidem controversiæ Gallicanæ ob nonnulla Hilarii Arelatensis gesta hæc lex edita fuerit, non tamen pro solis Gallicanis, sed pro universis imperii provinciis latam fuisse patet ex illis verbis : *Ne quid tam episcopis Gallicanis quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat*

Digitized by Google

AETIO viro illustri, comiti et magistro utriusque militiæ et patricio.

Certum est et nobis et imperio nostro unicum esse præsidium in supernæ Divinitatis favore, ad quem promerendum præcipue [a] Christiana fides et veneranda nobis religio suffragatur. Cum igitur sedis apostolicæ primatum sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronæ, et Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam synodi [b] firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem sedis istius inlicitum præsumptio attentare nitatur. Tunc enim demum Ecclesiarum pax ubique servabitur, si rectorem suum agnoscat universitas. Hæc cum hactenus inviolabiliter fuerint custodita, Hilarius Arelatensis, sicut venerabilis viri Leonis Romani papæ fideli relatione comperimus, contumaci ausu inlicita quædam [c] præsumendo tentavit, et ideo transalpinas Ecclesias abominabilis tumultus invasit, quod recens maxime testatur exemplum. Hilarius enim, qui episcopus [d] Arelatensis vocatur, 643 Ecclesiæ Romanæ urbis [e] inconsulto pontifice, judicia, sive ordinationes episcoporum sola temeritate usurpans invasit. [f] Nam alios incompetenter removit, indecenter alios invitis et repugnantibus civibus ordinavit. Qui [g] quidem, quoniam non facile ab his qui non elegerant recipiebantur, manum sibi contrahebat armatam, et claustra murorum in hostilem morem vel obsidione cingebat, vel aggressione reserabat, et ad sedem quietis, pacem prædicaturos per bella ducebat. Ilis talibus et contra A imperii majestatem, et contra reverentiam apostolicæ sedis admissis, per ordinem [h] religiosi viri Urbis papæ cognitione discussis, certa [i] in eum et de his quos male ordinaverat lata sententia est. Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti pontificis auctoritati [j] in Ecclesiis non liceret? [k] Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio probavit, ne ulterius nec Hilario, quem adhuc episcopum nuncupari sola mansueti præsulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani antistitis liceat obviare. Ausibus enim 644 talibus fides et reverentia nostri violatur imperii. Nec hoc solum, quod est maximi criminis, [l] submovemus, verum ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis B disciplina videatur, hoc perenni sanctione [m] censemus, ne quid tam episcopis Gallicanis quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis papæ Urbis æternæ auctoritate tentare. Sed [n] hoc illis omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas : ita ut quisquis episcoporum ad judicium Romani antistitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejusdem provinciæ adesse cogatur : per omnia servatis, quæ divi parentes nostri Romanæ Ecclesiæ [o] contulerunt Aeti P. K. A. Unde inlustris et præclara magnificentia tua præsentis edictalis legis auctoritate faciet, quæ sunt superius statuta servari, decem librarum auri multa protinus exi-

sine viri venerabilis papæ Urbis æternæ auctoritate tentare : sed hoc illis omnibusque pro lege sit, etc. Hinc congrua videtur generali lege generalis istorum mss. inscriptio. In his sane codicibus omittuntur quæ peculiaria sunt Aetii magistri utriusque militiæ in Gallis, et ea sola leguntur quibus lex generalis exprimitur, ac desinit in verbis *Romanæ Ecclesiæ contulerunt*. Inscriptio autem textui inserta et in aliis codd. inventa convenit eidem legi, qualis in Gallias missa fuit, ubi erat maxime necessaria, et ad Aetium, qui potiori auctoritate in Galliis utebatur, peculiari additamento sub finem expresso directa, ut ibidem exsecutioni mandaretur. Forte etiam simili modo transmissa credi potest ad alios aliarum provinciarum præfectos, seu rectores, ut aliis ejusdem generis legibus evenisse compertum est.

[a] Laudata mss., *Christianorum fides*.

[b] Eadem mss., *firment*.

[c] Ita melius ex iisdem mss. Vulg., *præsumenda*.

[d] Quesnellus in utraque editione addidit *civitatis*, quam vocem et Vaticanus cod. et editi omnes ignorant. Unde porro hanc ille inseruerit etiam primæ editioni, cum Thuaneum codicem nondum viderat, divinare non possumus.

[e] Erat in editis etiam Quesnelli, *inconsulto pontifice indebitas ordinationes episcoporum*. Rectior visa est lectio utriusque ms. et contextui uniformior. Nam quod subjicitur, *alios incompetenter removit*, refertur ad *judicia* ob Celidonium, quem Hilarius ab episcopatu deposuerat, et cujus præsertim de causa Leonis decretalis et imperialis lex editæ fuerunt: illa vero, *indecenter alios invitis et repugnantibus civibus ordinavit*, ad *ordinationes* pertinent, quibus vel Celidonio remoto, vel Projecto ægrotanti, vel aliis episcopis vita functis ab eodem Hilario successores dati fuerunt, uti traditur epistola antecedenti cap. 6.

[f] Cod. Thuaneus habet : *Nam aliquos invitis et repugnantibus civibus ordinavit*, deletis cæteris.

[g] Idem cod. omittit *quidem*.

[h] Mss. Thuan. et Vat. delent *religiosi viri*.

[i] Ita ex laudatis codd. et Quesnellus in secunda editione. Al., *in eum ex his*. Pater Lupus diss. 1, c. 3, de Appellationibus, notavit mox legi, *quos male ordinaverat*, ut indicetur lata sententia etiam in eos quos Hilarius in Celidonii ac Projecti sedes subrogaverat.

[j] Sic emendavit Quesn. in secunda editione ex ms. Thuan., cui Vaticanus pariter favet. Antea, *in Ecclesias*.

[k] Hæc lectio antea vulgatorum, quæ item est codicis Vaticani, magis placuit quam illa a Quesnello inserta editioni secundæ, nullo allegato codice, nimirum : *Sed nostra quoque præceptio et ratio probavit ne ulterius vel Hilario*, etc. Porro *vel Hilario* habebant quidem etiam cæteræ editiones; sed ex eodem Vat. corrigendum credidimus *nec Hilario*, eo quia concinit cum sequentibus, *nec cuiquam alteri*.

[l] Ita duo laudata mss. et editi, excepto Quesnello, qui *submovimus* in textu scripsit, apposita in margine lectione Thuanei codicis.

[m] Ex utrisque mss. *censemus* scripsimus pro *decernimus*. Censere quidem frequentius adhibetur in legibus quam *decernere*, ut ex glossario Nomico Cod. Theodos. perspicies.

[n] Pronomen *hoc* adjectum a Quesn. in secunda editione fortassis ex ms. Thuan. præfertur in nostro Vat.

[o] Sic utrique codd. Al., *detulerunt*. Hic desinit generalis lex in iisdem codicibus, subjecta statim chronica notatione : *Dat. VIII id. Julii Romæ Valentiniano Augusto*. Cætera peculiaria Aetii imperialibus litteris in Gallias missis addita fuerunt, uti monuimus not. 3 (*Col.* 636 [m]).

Digitized by Google

genda ab unoquoque judice qui passus fuerit præcepta nostra violari. *Et manu divina:* Divinitas te servet per multos annos, parens karissime, [a] Dat. VIII id. Jul. Romæ Valentiniano A. VI et Nomo V. C. coss.

[a] Editi : *Dat.* VIII *id. Jun. Romæ Valentiniano A.* VI *cos.* Emendavimus mensem ex duobus memoratis mss. libris nec non ex Ottoboniano, nunc Vat., qui etiam integram consulatus notationem præbuit, qualis legitur in anteriori hujus anni Constitutione superius descripta epist. 8 et in aliis ejusdem anni Novellis.

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1 Cum triplex insignis varietas, qua sequens epistola reperiri solet in mss. codicibus, et exinde triplici ratione seu forma in editis prodiit, plurimum difficultatis injicit ; tum vero Quesnelli disputatio notis et observationibus ejus inserta, qua unam rationem retinere ac defendere, alias vero duas repudiare, et magnam epistolæ partem veluti additamentum ab aliquo impostore confictum rejicere studuit, ita difficultatem adauget, ut sine ullo novo codice, qui rem omnem probe conciliet, certum aliquid statuere et edere impossibile videatur.

2. Prima epistolæ ratio a Merlino edita atque Sichardo, et per nos etiam secundo loco edenda, epistolam tantumodo producit ad medium caput nonum usque, atque terminat illis ejusdem capitis verbis, *justa posthac ultione plectamus.* Hæc eadem ratio invenitur in mss. codd. collectionis 5 a Quesnello vulgatæ, ex quibus duos ille commemorat, Thuaneum et Trecopithœanum, nos vero duos bibliothecæ Cæsareæ adjicere possumus signatos num. 39 et 42. Exstat etiam in mss. collect. 10 Isidori et collect. 12, ad quam pertinet codex a Merlino adhibitus, nec non Herovallianus ab eodem Quesnello laudatus; et in codd. collectionis 24 quæ sola inter collectiones posteriores hanc epistolæ formam exhibet; ac præterea inter hujusmodi codices censendi Victorinus, Regniacensis, et S. Martini Altisiodorensis, qui eamdem collect. 24 cum epistola hujus formæ eodem annotante præseferunt. Ilis codicibus Quesnellus in secunda editione adjecit alios duos, quorum descriptionem post primam impressionem Roma accepit, nimirum Barber. 77 et 2883. Horum primus a nobis item observatus atque collatus, est XII circiter sæculi, et varia opuscula etiam posterioris ævi continet, ex Leone autem hanc unicam epistolam exhibet. Alter vero antiquissimus et majusculis litteris scriptus complectitur vetustam collect. 3, cui alium similem invenimus in perantiquo Vat. 1342. Nos insuper hanc eamdem epistolæ decurtatæ (sic enim appellabimus) rationem nacti sumus in tribus aliis collectionibus, nimirum in ms. Vat. Reginæ collect. 1, in vetusto cod. Lucensi collect. 4 simili Colbertino 784, qui a Coustantio laudatur in præfat. ad Epistolas Roman. pontif. num. 89, ac præterea in manuscriptis collectionis 9 Hispanicæ, Vat. 1341 et Vindebon. Cæsareo 41, ut prætereamus alia plura scripta exemplaria memoratarum collectionum 10, 12 et 24, quæ in præfat. ad epistolas recensuimus. Ita octo collectiones 1, 3, 4, 5, 9, 10, 12 et 24, ac peculiaris cod. Barb. 77, hanc primam epistolæ formam exhibent.

3. Secunda ejusdem forma edita est primum a Wendelino, dein a Pithœo, ac demum a Voello et Justello in collectione Dionysii Exigui. Hæc autem omittit tria integra capita, sextum, septimum, et octavum, quæ in prima forma decurtata exhibentur; et postremis verbis ejusdem primæ formæ, *justa posthac ultione plectamus*, cætera addit, quæ usque ad finem integræ epistolæ proferentur. Hæc forma exhibetur in omnibus mss. codd. ejus collectionis quæ Dionysiana vocatur, at verius Hadrianea appellanda est, cum omnes hi codices ad Hadrianeam collectionem 7 vere pertineant, ad eam scilicet quam aliquot additamentis Dionysiana auctiorem, Hadrianus I pontifex Carolo Magno in usum Occidentalium Ecclesiarum tradidit. Hinc plurima hujus collectionis inveniuntur ubique exemplaria, quæ hanc epistolæ formam tuentur. Duos tantum codices Thuaneos Gallicanos laudavit Quesnellus; sed multo plures in Galliis diffusos memorat P. Coustantius in præfatione laudata num. 128, inter quos unus est annî 805. Multos item antiquos ipsi Romæ vidimus, quos nominavimus in præfat. ad epistolas num. 16. His addi possunt etiam codices collectionis 8, num. 17 indicati, qui Hadrianeam collectionem initio exhibent.

4. Tertia editionis forma ex utraque anteriori conflata, quam editionem mixtam nuncupabimus, aliter in mss., aliter in editis invenitur. In codicibus enim quos vidimus, omissis capitibus 6, 7, 8, et dimidio noni, tota Hadrianea editio primum exhibetur, fere cum chronica notatione *Dat.* IV *idus Augusti.* Dein subjiciuntur velut appendix memorata capitula omissa et sumpta ex prima decurtata editione usque ad ejus finem, ita ut repetantur illa : *Cum itaque omnibus*, etc., quæ in editione decurtata epistolam claudunt, in Hadrianea autem suo loco capite nono inserta fuerant. Hanc lectionem Quesnellus reperit in duobus mss. Thuaneis, et uno Cantabrigensi. Nos reperimus in mss. quatuor collectionum 11, 20, 21 et 23, ad quas referri tres a Quesnello laudatos codices nihil ambigimus. Collectio 11, a qua cæteræ collectiones hanc editionis formam videntur sumpsisse, præcipue consideranda est, cum antiquior sit Hincmari ætate, uti probavimus in præfat. ad epistolas num. 23. In uno tantum codice Veneto S. Marci 79 collectionis 22 hanc tertiam rationem nacti sumus absque repetitione extremi capitis *Cum itaque de omnibus*, etc., ita ut lectioni Hadrianeæ tria tantum capita omissa ex editione decurtata subjiciantur usque ad illa, *vel corpore perdidisse.* In editis autem Leonis Quesnello anterioribus ac in Conciliorum vulgatis quæ ex codicibus hujus tertiæ lectionis profecta sunt, editores, cum hanc formam incongruam deprehendissent, tam ob chronicam notam sitam ante tria capitula 6, 7 et 8, quam ob importunam repetitionem periodi *Cum itaque de omnibus*, nulla licet codicum auctoritate fulti, dederunt primo editionem Hadrianeam, excepta extrema periodo, *Si quæ vero aliæ sunt causæ*, terminantes illis vocibus, *qui consecrabantur, exciperet ;* mox subdiderunt ex decurtata editione tria capitula 6, 7 et 8, omittentes repetitionem periodi, *Cum itaque de omnibus ;* ac tandem post verba octavi capitis rejecerunt periodum, *Si vero aliæ sunt causæ*, etc., atque chronicam notam, quibus epistolam conclusere.

5. Hinc autem nihil mirum si Quesnellus sollicitus de corrigendis ex fide codicum vulgatæ S. Leonis editionis erroribus, hanc impressam editionem, quæ nullis mss. nititur, repudiavit. Cum vero in ipsis codicibus tantam varietatem perspiceret, nec unum codicem nancisci potuisset, qui aptum omnia conciliandi modum suggereret; primam editionis rationem, quam in antiquioribus collectionibus, et mss. descriptam vidit, retinendam et vindicandam putavit. Secundam vero rationem editionis Hadrianeæ eo libentius rejecit, quod in ea nonnullæ Romanæ sedis prærogativæ præferantur, in quas cum non bene esset animatus, apertam interpolationem, plurcsque imposturæ gradus in ejus editionis, ut vocat, additamentis videre sibi visus est, quos in notis latissime exposuit.

6. Qui vero non perinde in Romanorum pontificum privilegia infensi, etsi Gallicanis principiis imbuti, Quesnelli notas ad calculos revocarunt, approbandam quidem censuerunt editionem decurtatam primæ

Digitized by Google

formæ, at non idcirco repudianda credidere Hadrianeæ editionis additamenta, nec efficacia et convincentia existimarunt quæ contra hæc a Quesnello afferuntur. Inter hos Stephanus Baluzius, tom. II Capitularium pag. 1249, ejus argumentis expensis pronuntiavit : *Nihil video disciplinæ tum in Ecclesia Romana receptæ contrarium.* Quamvis autem Quesnellus in secunda editione hanc Baluzii animadversionem veluti *infirmam, nec responsione dignam*, traduxerit, eo quod ibidem Baluzius hac de re incidenter agens, probationes fusius in dissertationis rationem afferendas non credidit; quam ratum tamen ac firmum haberi debeat quod ab ipso affirmatum est, ex iis quæ in Quesnellianas notas observabimus exploratum fiet. Constantius, qui et primam et secundam Quesnelli editionem legit, quique in celeberrima editione Epistolarum Romanorum pontificum quantæ peritiæ et critices sit omnibus eruditis constat, non solum sincerum habuit Hadrianeæ editionis fragmentum a Quesnello rejectum, verum etiam initio tomi secundi, quem edendum paraverat, idem fragmentum a Quesnelli censuris vindicandum suscepit, uti testatur P. Simon Mopinot in epistola *De nova editione Epistolarum summorum pontificum* typis impressa an. 1724, ubi indicatis secundi tomi capitibus, in quibus Constantius præcipue laboravit, hæc de Leonis Epistolis traduntur : *Asserentur eidem papæ litteræ quædam in spuriorum classem temere amandatæ, quas inter non infimum sane locum tenet præclarum illud de Lupicini episcopi ad sedem apostolicam appellatione fragmentum epistolæ primæ* (nobis 12 ad Africanos) *perperam, ut videtur, insertum.* Est fragmentum hujus epistolæ in Hadrianea editione contentum, quod a Quesnello expungitur.

7. Ex his autem P. Mopinot verbis liquet sane Constantium voluisse hoc fragmentum defendere, ut non in ipsa epistola inserendum, sed velut additamentum eidem subjiciendum credidisse videtur, uti innuunt etiam illa ipsius Constantii tom. I Epist. Rom. pontif. pag. 969, not. a, quibus hoc fragmentum Leoninum ac sincerum allegaturus, uti a se edendum erat tomo secundo, his verbis utitur : *In additamentis ad epistolam primam Leonis.* Id ex eo ortum est quia nullum codicem reperit præferentem integram et genuinam hujus epistolæ lectionem ac formam, qua suus proprius locus ei fragmento tribueretur. Hæc autem sors nobis feliciter obtigit. Etenim a P. Lectore Philippo Maria Sereno ord. Præd. nobis perhumaniter communicatum fuit hujus epistolæ exemplar summa diligentia transcriptum ex peculiari codice Florentino collect. 15 signato num. 182, sæculi XII, de cujus antiquiori ac præcipua origine quoad Leonis Epistolas, in præfatione num. 29 satis diximus. In hoc autem exemplari omnia utriusque editionis decurtatæ et Hadrianeæ verba, quæ in tot antiquis codicibus prostant, et vel e stylo Leonina manifestantur, uno naturali contextu probe connectuntur, ita ut nihil excludatur, pervertatur nihil.

8. Codices pro editione decurtata sive a Quesnello producti, sive a nobis inventi, quibus potissimum illius argumentum innititur, id unum probant, hanc epistolæ partem genuinam esse, non vero integram epistolam exhiberi demonstrant. Quod ne cui mirum videatur, alia similiter decurtata in iisdem mss. et collectionibus consideret. Sic mss. libri collectionis Hispanicæ et Isidorianæ, et mss. etiam Operum et Epistolarum S. Leonis collectionis 24, qui hanc epistolam decurtatam exhibent, decurtatam pariter proferunt epistolam S. Petri Chrysologi ad Eutychem, et media quidem parte deficientem, quæ tamen in omnibus tum Græcis tum Latinis concilii Chalcedonensis codicibus collectionis 17 integra legitur. In omnibus etiam collectionibus et mss. Latinis Sardicense concilium mutilum præfertur sine tribus extremis canonibus, qui in Græcis exemplaribus continentur. In cod. Vat. 1341, et in tribus aliis Gallicanis laudatis a Constantio (*Tom. I Epist. Rom. pont.*, p. 772), qui exhibent collectionem Hispanicam Innocentii I, epistola ad episcopos synodi Toletanæ decurtata est, cum in ea desint numeri 2, 3, 4, 5, 6, 8, et pars etiam numeri primi. In mss. collectionis Hadrianeæ solum initium describitur litterarum Hormisdæ *ad presbyteros, diaconos et archimandritas secundæ Syriæ*, quas manuscripta collectionis præstantissimæ 14 integras conservarunt. Et, ut alia ejusdem generis omittamus, in ipsa collect. 5 Quesnelliana num. 51, capite diminuta affertur Gelasii epistola ad Orientales. Quidni igitur pariter mutila proferri potuit epistola Leonis ad Africanos?

9. Exemplar quidem hujus epistolæ, quod sine tribus capitibus editionis decurtatæ, et cum alio longiori additamento legitur in collectione Hadrianea, esto non sit a Dionysio insertum suæ collectioni, uti Quesnellus in notis optime conjecit, immo etiamsi adjectum ei collectioni fuisset circa Gregorii II tempora, quemadmodum ille opinatus est, nimirum circa initium octavi sæculi, non tamen idcirco interpolatum aut suppositium probari potest. In universis enim documentis quæ Hadrianeæ collectioni leguntur inserta, nihil apocryphum aut interpolatum deprehenditur. Cum vero stylus hujus epistolæ totusque contextus Leoni omnino congruant, argumenta autem a Quesnello objecta nihil convincant, ut ex nostris observationibus ad ejus notas patebit, de hujus unius documenti authenticitate ac sinceritate non nisi temere dubitare licet.

10. Neque difficultatem moveat defectus trium capitum 6, 7 et 8, quæ in editione decurtata exstant, et ex antiquissimis mss. atque collectionibus genuina noscuntur. Allata enim exempla similium defectuum, quæ in aliis præstantium collectionum documentis paulo ante indicavimus, hos defectus non infrequentes ostendunt. Celebrem Leonis epistolam 14, ad Anastasium, quæ in pluribus collectionibus integra est, duobus capitibus tertio et quarto prætermissis, descriptam reperimus in duobus antiquis mss. Vat. 1347 et Vat. Palat. 579, ex quibus si alii codices vel collectiones illam sumpsissent, parem defectum præferrent, nec tamen ea idcirco in suspicionem vocari posset. Nonne quædam etiam Gelasii litteræ in aliquot collectionibus breviores sunt quam in Conciliis editæ fuerunt? Celeberrima est ejus pontificis epistola ad Dardanos, quæ non solum in Quesnelli collectione 5, cap. 50, verum etiam in omnibus fere mss. aliarum antiquarum collectionum tribus longioribus et novem brevioribus membris caret, quæ tamen leguntur in mss. præstantissimæ collect. 14, et exinde in Romana Epistolarum pontificum editione, ac in tomis Conciliorum edita sunt; quo amplioris exemplo Facundum Hermianensem usum fuisse haud dubitari potest. Sicut autem in memoratis paulo ante mss. epistolæ Innocentii I, ad Toletanos, retentis solis decretis generalibus, cætera quæ ad singulares causas et personas pertinent, prætermissa fuerunt, ita idipsum in hac Leonis epistola Hadrianeæ collectionis auctori placuisse videtur : tria enim omissa capita singulares personas causasque respiciunt.

11. Porro verum non est, quod putavit Quesnellus, hanc editionem hujus epistolæ sub Gregorii II ætate Dionysiano codici fuisse adjectam, eo quod recentius Hadrianei codicis documentum ad hunc Gregorium pertineat. Inter Vaticanos nimirum codices reperimus signatum num. 5845 continentem puram Dionysii collectionem, quam uti rarissimam Constantius laudavit, quæque desinit in epistolis Anastasii II. In hoc autem codice, qui antiquissimus est, et Decretalibus præmittit Dionysii epistolam ad Julianum presbyterum in hoc uno ms. inventam, et ex eodem editam, post descriptam puram collectionem Dionysii eodem antiquo charactere appendix subjicitur, in qua primo ponuntur tria concilia Symmachi papæ, unum an. 501, alterum an. 502, ac tertium an. 499, tum vero afferuntur tituli sex decretorum papæ Hilari, duo Simplicii, et unus Felicis; ac post titulos ipsa decreta recitantur : quæ omnia postea Hadrianeæ collectioni suo loco juxta ordinem temporum fuerunt inserta. Post decretum autem Felicis pag. 155 describitur Leonis epistola cum hoc titulo : *In causa Lupicini episcopi : Leo universis episcopis per Cæsariensem Mauritaniam constitutis, Cum*

Digitized by Google

de ordinationibus, et reliqua cum eadem Hadrianeæ editionis forma atque lectione. Subjicitur huic epistolæ Leonis pag. 157 : *Epistola Zosimi ad presbyteros Ravennæ directa. Zosimi commonitorium presbyteris et diaconibus qui Ravennæ sunt. Ex relatione*, etc., quæ in eodem Hadrianeo codice legitur. Tandem post hanc epistolam, veluti novum additamentum sequitur tabula capitum 79, ipsaque documenta post tabulam subjiciuntur. De his alibi fusius erit dicendum. Nunc satis sit memorare quinque priora documenta, quæ sic afferuntur :

Pag. 159. I. *Justinus Augustus Hormisdæ. Quo fuimus semper*, etc.

Pag. 160. II. *Exemplar precum a clericis et monachis Antiochenis, Hierosolymitanis.* etc., *ad Justinum. Haurite aquam cum lætitia*, etc.

Pag. 161. III. *Hormisda Justino. Interea quæ ad unitatem Ecclesiæ*, etc.

Pag. 164. IV. *Hormisda presbyteris, diaconibus et archimandritis secundæ Syriæ. Lectis litteris*, etc.

Eadem pagina. *Incipit constituta papæ Gregorii junioris. In nomine Domini*, etc.

Hæc quoque documenta nec plura nec pauciora sunt illa quæ in Hadrianeis mss. Dionysianæ collectioni addita, et suo loco in ordinem chronologicum inserta inveniuntur. Ex modo autem diverso quo in hoc codice puræ Dionysianæ collectioni subjiciuntur, patam fit eidem omnia simul uno eodemque tempore non fuisse adjecta, sed saltem duplici. primum documenta præmissa tabulæ capitum 79, dein quinque prima hujus tabulæ capita. Hæc postrema, quæ in Gregorio II desinunt, potuerunt adjici hujus pontificis ævo aut paulo post. Idem vero censendum non est de iis documentis quæ huic tabulæ præmissa ad multo antiquiores pontifices pertinent, et forte addita fuere paulo post Symmachi mortem, quippe is est ultimus inter pontifices quorum decreta in ea prima appendice recitantur ; et primo quidem loco synodi ejusdem referuntur, eo quod hic pontifex recentioris memoriæ esset, unde fortasse peculiari formula *sanctæ memoriæ* vocatur in titulo synodi an. 502, id quod etiam in ipsa urbe Roma hoc additamentum fuisse subjectum indicare videtur. Enimvero si hæc documenta præmissa tabulæ capitum 79, post obitum Hormisdæ adjecta fuissent, hujus quoque pontificis monumenta collector non disjunxisset a documentis Symmachi immediati ejus prædecessoris, nec ea collectori secundæ appendicis subjicienda reliquisset.

12. Quod si hæ observationes et conjecturæ judicentur probabiles, uti sane nobis videntur, jam additio epistolæ Leonis ad Africanos postea inserta collectioni Hadrianeæ cum controverso fragmento ad Dionysii circiter tempora evehitur, cum is quoque post Symmachum sub Hormisda Romæ floruerit; et ita verum efficitur, hanc epistolam Dionysianæ collectioni accessisse circa quinquagesimum post Leonem annum, adeo ut *summæ videatur esse temeritatis* (utimur Quesnelli verbis in notis ad hanc epistolam sub initium) *suspicari in ipsa urbe Roma scribenti et colligenti authenticos codices defuisse.* Sicut enim dubitandum non est de adjecta Zosimi epistola, aut de Symmachi conciliis, ita nec ambigendum de hac epistola Leonis, quæ eodem auctore simul addita fuit. Hinc autem Hadrianeæ collectionis origo detegitur; neque enim aliud in ea factum est, nisi servato temporum ordine quædam documenta Dionysianæ collectioni inserere, quæ duplici additamento ac duplici tempore huic collectioni jam diu ante Hadriani pontificatum, ordine perturbato, subjecta fuerant.

13. Porro eximius codex Florentinus S. Marci collect. 13 ex decurtata et Hadrianea editione integram epistolam præfert. Nec mirum sit in unico codice, seu collectione, hanc epistolam integram reperiri, quæ in aliis omnibus antiquiorum collectionum varie mutila, seu imperfecta legitur. Nam etiam laudata Gelasii epistola ad Dardanos in pluribus iisque antiquis codicibus et collectionibus brevior est, ac in sola collectione 14 longior reperitur. Idem vero Florentinus codex decurtatæ et Hadrianeæ editionum partes suo loco probe collocatas repræsentat. Primo enim totam exhibet editionem decurtatam cum iis quoque tribus capitibus 6, 7 et 8, quæ in Hadrianea fuerunt prætermissa; tum vero extremis verbis ejusdem editionis decurtatæ commode et contextui maxime congruenter subjicit *in eos specialius commovendi* et reliqua ejus fragmenti, quod in Hadrianea usque ad finem suppletur. Adde quod hic Florentinus codex non solum habet hoc Hadrianeum fragmentum, quod a Quesnello perperam suppositititium creditur, verum etiam lectiones plerumque exhibet Hadrianeas in iis pariter capitibus quæ decurtatæ et Hadrianeæ editionibus communia sunt. Quesnellus, qui Hadrianeam formam rejicit, et decurtatæ editionis codices effert, lectiones Hadrianeas lectionibus editionis decurtatæ non paucis in locis prætulit, quod cum sua hypothesi minus cohæret. Ita enim alteræ ab alteris nonnullibi discrepant, ut non aliquo tantum verbo, sed integris membris atque sententiis dissideant. Id autem suspicionem nobis vehementissimam injicit duplex hujus epistolæ exemplar inter ipsius Leonis scripta inventum fuisse, ex quo tantum discrimen prodierit. Amanuensium enim oscitantiæ vel arbitrio tribui quidem possunt unius vel alterius vocis variantes, cum præsertim sensum aut stylum vitiant. Sed tanta verborum ac sententiarum varietas, quæ etsi pluribus quandoque verbis producta, ejusdem tamen auctoris stylum ubique refert (si præsertim non in omnibus, nec in multis, sed in uno vel altero tantum opusculo deprehendatur), non amanuensibus, sed ipsi auctori tribuenda videtur, qui idem opus prima manu scriptum, secundis curis alicubi emendaturus, vel etiam aucturus, diversis verbis ac sententiis inductis iterum scripserit.

14. P. Coustantius discrimen illud, quod memoravimus in Gelasii epistola ad Dardanos, quæ in aliis codicibus brevior, in aliis prolixior est, ex eo pendere credidit, quod *eadem illa epistola sub duplici forma* ab ipsomet Gelasio prodierit; idemque postea Hormisdæ et Gregorio, antea vero Leoni nostro evenisse opinatus est. Lege Vindic. veter. codd. confirmat. cap. 13, pag. 713. Id huic epistolæ contigisse ex antea observatis probabilissimum nobis est. S. Leo scripserat, ut videtur, prima manu epistolam, qualis dabitur ex mss. editionis decurtatæ; et ex hoc exemplo olim edito vel invento hanc epistolam sumpserunt auctores collectionum ejusdem editionis. Posteriori vero manu, cum forte supervenisset aliquid novi, ex. gr., causa Restituti episcopi, quem *nunc*, quasi post illa quæ Potentius retulerat, conquestum tradit cap. 10 S. pontifex exscribens eamdem epistolam, nonnulla aliis verbis exposuit, quædam autem pro novitate causæ adjecit. Ita etiam epistolas 30 et 31, quæ partim eisdem, partim diversis verbis eadem super re ad Pulcheriam datæ in distinctis et antiquissimis collectionibus inveniuntur, unius ejusdemque epistolæ duplex exemplum esse in admonitione ostendemus. In subjectis vero litteris ad Africanos, illud longum fragmentum, quod in collectione Hadrianea legitur, secundis quidem curis videtur adjectum, ob quasdam notitias quæ supervenerunt post relationem Potentii, referente fortassis episcopo David, qui in eo fragmento memoratur, vel aliis qui ex Africa Romam transmigraverant, et indicantur illis lectionis Hadrianeæ verbis, *commeantium sermo perferret.* Hinc S. pontifex primæ lectioni editionis decurtatæ c. 9, *Cum itaque de omnibus*, secundis curis inseruit particulam *jere*, quæ in Hadrianea editione legitur, eo quod nonnulla accessissent quæ antea scriptis adjicienda fuerunt. Neque difficultatem moveat sermo de virginibus vi barbarica oppressis, repetitus cap. 8 et 11; nam capite 8 docet quid ipsæ virgines de se sentire debeant; capite autem undecimo, quid de iisdem sit ab episcopis agendum decernit. Immo hæc duplex de ejusmodi virginibus mentio satis illustrat

Digitized by Google

Hadrianeæ editionis fragmentum non ad alias Leonis litteras, quæ forte perierint, ut non nemo opinatus est, sed ad hanc eamdem pertinere epistolam 12, uti in ms. Florentino exhibetur. Quod multo magis confirmant illa verba, quæ (dum repetitur de virginibus mentio) capiti undecimo inseruntur in eodem codice, *ut superius dictum est.*

15. Prætulimus vero in editione integræ epistolæ, quam primo loco dabimus, lectiones Hadrianeas lectionibus codicum epistolæ decurtatæ, non solum quia Hadrianeas lectiones sequitur codex Florentinus, ex quo integra epistola uti a Leone scripta fuit ad nos pervenit; verum etiam quia lectiones ejusmodi eidem auctori epistolam recolenti et emendanti magis placuisse videntur. Enimvero hæ adeo congruæ sunt, ut ipse Quesnellus easdem fere prætulerit lectionibus eorum codicum qui decurtatam epistolam continent. Ne vero quispiam utriusque editionis integræ et decurtatæ lectionibus fraudetur, post editam epistolam integram ex lectione mss. Florent. et Hadrian. cum suis variantibus, eamdem decurtatam subjiciemus præsertim ad exemplar antiquissimi libri Barb. 2888, et alterius similis Vat. 1342, qui a Montfauconio, tom. I Biblioth. pag. 151, codex *elegantissimus et vetustissimus* nuncupatur; atque variantes aliorum codicum, qui eamdem epistolam pariter decurtatam præferunt, annotabimus. Quicumque autem hanc decurtatam editionem, quam nemo hactenus exacte expressit, cum integra conferet (petimus autem ut conferre non pigeat), speramus fore ut nobis calculos adjiciens, istam ab ipso auctore emendatam atque auctam fateatur.

16. Quoad tempus vero hujus epistolæ, recte quidem in notis statuit Quesnellus eam scriptam fuisse ante an. 455, quo Valentinianus III occisus fuit. Cum enim exarata noscatur dum Mauri Romano adhuc imperatori catholico subessent, et idcirco multi ex Africa Romam subinde accederent, post ipsius autem Valentiniani necem, iidem a Vandalis Arianis catholicorum persecutoribus fuissent subacti, Romanus pontifex ei provinciæ amplius ita facile providere non poterat in iis quæ hac in epistola exprimuntur. Porro cum certum hujus annum constituere Quesnellus nequiret, illam primo loco edendam putavit, non tam ut suppleret defectui epistolarum quæ initio pontificatus a Leone scriptæ fuerunt, quam ne cæterarum, quæ exstant, et certa notatione chronica signantur, ordinem interrumperet; et solum in marginali postilla eam scriptam indicat *circa pontificatus Leonis exordia*, et in notis *circa an.* 443. Bellum sane quod inter Valentinianum imperatorem et Gensericum Vandalorum regem in Africa viguit, litterarum ejusmodi commercium impedisse videtur. Viguit autem hoc bellum usque ad an. 442, quo Prosper in Chronico tradit: *Cum Genserico autem a Valentiniano Augusto pax confirmata, et certis spatiis Africa inter utrumque divisa est.* Ex novella 23 lib. II liquet an. 445 ex Africanis provinciis Valentiniano relictis legatos Romam venisse, et lege fuisse sancitum ut ad præfectum Urbis appellare liceret. Hac forte appellationum occasione quædam apud Mauros illicite usurpata ad S. pontificem *commeantium sermo pertulit.* Igitur probabilius et cautius inter hunc an. 445 et an. 455 hæc epistola collocanda est. Porro Leo cap. 1 significat se a *commeantibus* ex Africa didicisse, *quæ per occasionem temporis impacati*, id est belli tempore, in variis Mauritaniæ civitatibus perperam gesta fuerant. Hæc autem credibile est ab illis didicisse post compositam pacem potius an. 445, cum appellationum occasione plures probabiliter Romam transmisere quam serius. Ut autem congruum tempus detur transmissioni et relationi Potentii, qua accepta Leo hanc epistolam scripsit, hæc data videtur circa an. 446.

657 EPISTOLA [a] XII.

AD EPISCOPOS AFRICANOS PROVINCIÆ MAURITANIÆ CÆSARIENSIS.

Nunc primum integre edita ex ms. Florentino S. Marci.

[b] SYNOPSIS. — I. *Ordinationes per tumultum factas redarguit.* — II. *Quid sit cito manus imponere.* — III. *Nonnisi unius uxoris viros debere esse diaconos, presbyteros et episcopos.* — IV. *Non rudes ac neophytos ordinari debere.* — V. *Ex laicis ordinati tolerantur a Leone, non vero bigami.* — VI. *De Donato ex Novatianis converso, et Maximo ex Donatistis.* — VII. *De Aggaro et Tyberiano ex laicis, et per tumultum ordinatis.* — VIII *Virgines per vim oppressas incontaminatis se comparare non debere.* — IX. *Hortatur ad obedientiam, et inobedientibus pœnas minatur.* — X. *Quibus in locis episcopi debeant ordinari, et de petitione episcopi Restituti.* — XI. *Quid agendum de memoratis virginibus vi barbarica oppressis.* — 658 XII. *De causa Lupicini episcopi.* — XIII. *De causis ecclesiasticis ventilandis et ad sedem apostolicam referendis.*

[c] Leo urbis Romæ episcopus universis episcopis per Cæsariensem Mauritaniam constitutis in Domino salutem.

CAP. I. — Cum de ordinationibus sacerdotum quæ-

A dam apud vos illicite usurpata crebrior ad nos commeantium sermo perferret, ratio pietatis exegit ut [d] pro sollicitudine quam universæ Ecclesiæ ex divina institutione dependimus, rerum fidem studeremus agnoscere: vicem curæ nostræ proficiscenti a nobis [e] fratri et consacerdoti nostro Potentio delegantes, qui secundum scripta quæ per ipsum ad vos direximus, de episcopis quorum culpabilis ferebatur electio quid veritas haberet inquireret, nobisque omnia fideliter indicaret. Unde quia idem plenissime notitiæ nostræ cuncta reseravit, et sub quibus qualibusque rectoribus quædam Christi plebes in partibus provinciæ Cæsariensis habeantur, sincera nobis relatione patefecit, necessarium fuit ut dolorem cordis nostri, quo [f] pro Dominicorum gregum periculis æstuamus,

B datis nunc quoque ad dilectionem vestram litteris promeremus, [g] mirantes tantum apud vos [h] per occasionem temporis impacati aut ambientium 659 præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem, ut indignis quibusque et longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium et gubernatio *salutem;* at aliæ epistolæ ab ipso Dionysio descriptæ utrumque sæpius præferunt.

[a] Al. 1. Quæ autem antea erat 12, nunc 14. Scripta 10 Aug. an. 446.

[b] Nulli sunt tituli in ms. Florentino, ex quo hanc epistolam integram sumpsimus. In collectione autem Hadrianea unicus titulus est: *In causa Lupicini episcopi*, qui tamen ad solum cap. 12 pertinet. In tabula vero titulorum eidem collectioni præfixa hic titulus legitur num. 49: *Leo episcopis Mauris. De conservatione et disciplina canonum, ne indebite et inordinate ad clericatum aliquis præsumat accedere.*

[c] Ita codex Florent. Mss. et editi collect. Hadrianeæ omittunt. *Urbis Romæ episcopus*, et *in Domino*

[d] In ms. Vercell. Hadrianeo, *per sollicitudinem.* Mox tres codd. pro *dependimus* habent *impendimus.*

[e] Apud Justellum, *confratri.* Ms. S. Crucis in Jerusalem editionis mixtæ, *coepiscopo* pro *consacerdoti.*

[f] Vercell. ms., *pro Dominico grege æstuamus.*

[g] Dist. 61, c. 5, *Miramur.*

[h] Idem codex, *per actionem temporis impacati.* Paulo post duo Vatt., *populorum* pro *popularem.*

Digitized by Google

Ecclesiæ dederetur. Non est hoc consulere populis, sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium salus est subditorum, et ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. [a] Principatus autem quem aut seditio contulit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus atque actibus [b] non offendit, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo, et difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.

Cap. II. — Quod si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter scienterque curandum est ut in Domini domo nihil sit inordinatum nihilque præposterum, quanto magis elaborandum est ut in electione ejus qui supra omnes gradus constituitur non erretur? Nam totius familiæ Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, [c] non inveniatur in capite. Ubi est illa beati Pauli apostoli per Spiritum Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei omnium Christi sacerdotum numerus eruditur, [d] et unicuique nostrum dicitur: *Manus cito nemini imposueris, neque communices peccatis alienis* (I *Timoth.* v, 22)? [e] Quid est cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, [f] ante meritum obedientiæ, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere non **660** probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi et talem effici ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum qui rectum [g] tenet in eligendo sacerdote judicium, ita gravi semetipsum afficit damno qui [h] in suum collegium assumit indignum. Non ergo in cujusquam A persona prætermittendum est quod institutis generalibus continetur, nec putandus est honor ille legitimus qui fuerit contra divinæ legis præcepta collatus.

Cap. III. — Dicente enim Apostolo [i] ut inter alias electionis regulas is episcopus ordinetur quem *unius uxoris virum* fuisse [j] aut esse constiterit (I *Timoth.* III, 2), tam sacrata semper habita est ista præceptio, ut etiam de muliere sacerdotis eligendi eadem intelligeretur servanda conditio; ne forte illa, priusquam [k] in matrimonium ejus veniret, qui aliam non habuisset uxorem, alterius viri esset experta conjugium. Quis igitur [l] tolerare audeat quod in tanti sacramenti perpetratur injuriam, cum huic magno venerandoque mysterio nec divinæ quidem legis statuta defuerint, quibus evidenter est definitum ut virgi- B nem sacerdos accipiat [m] uxorem (*Levit.* XXI, 13 *et* 14; *Ezech.* XLIV, 22), et alterius torum nesciat conjugis, quæ uxor futura est [n] sacerdotis? Jam tum enim in sacerdotibus figurabatur Christi et Ecclesiæ spiritale conjugium, [o] ut quoniam vir caput est mulieris (*Eph.* v, 23; I *Cor.* XI, 3), discat Sponsa Verbi non alium virum nosse quam Christum, qui merito unam eligit, unam diligit et **661** aliam præter ipsam suo consortio non adjungit. Si ergo etiam in veteri Testamento hæc sacerdotalium conjugiorum forma servata est, quanto magis [p] sub Evangelii gratia constituti, apostolicis debemus servire præceptis, ut quamlibet quis bonis moribus præditus, et sanctis operibus inveniatur ornatus; nequaquam tamen vel ad diaconi gradum, vel ad presbyterii honorem, vel ad episcopatus culmen ascendat, si aut ipsum non C

[a] 1, q. 1, c. 25, *Principatus.*

[b] Ita ex mss. Vat. 5845, Vercell., Florent. ac tribus aliis. Al., *non offendat.* Mox, *ipso tamen initii sui... exemplo* in antiquissimo Vat. et Vercell., atque in Vat. Hisp. et Isid. lectionis decurtatæ.

[c] Ms. Vercell. cum duobus aliis codd., *non sit in capite.* Post pauca, *per Spiritum sanctum* in ms. S. Crucis.

[d] Quesnellus cum vulgatis, *et proinde unicuique nostrum.* Vox *proinde* deest in omnibus mss. Hadrian. et in cod. Florent., et habetur tantum in codd. lectionis decurtatæ aut mixtæ. Quatuor ex his habent *et inde.*

[e] Dist. 72, c. 3, *Quid est.*

[f] Ita omnes mss. libri Hadrian. cum codd. Flor. Quesnellus cum mss. et editis lectionis decurtatæ et mixtæ, *ante meritum laboris.* Justellus utrumque posuit sic: *Ante meritum obedientiæ laboris.*

[g] Cod. Florent., *servat;* cæteri Hadrian. collectionis, *tenet.*

[h] Sic ms. Flor. cum editis et mss. omnibus Hadrian. Lectio Quesnelli, *ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum. Non enim in cujusquam,* etc., est manuscriptorum lectionis decurtatæ et mixtæ. Paulo post in ms. Flor. S. Crucis, nec non in aliquibus Hadrian., *in statutis* pro *institutis.*

[i] Particula *ut* desideratur in codd. Vercell., Flor. et Angelicæ.

[j] In cod. Flor. desunt voces *aut esse.* Mox, *tamen sacrata,* pro *tam sacra est* in omnibus mss. et editis Hadrian. et in Florent.

[k] Antiquissimum ms. Vat. et Vercell., *in societatem ejus veniret.* Quatuor alii codices editionis mixtæ ita pariter legunt. Retinuimus tamen lectionem vulgatam, quæ in ms. Flor. apud Justellum, et in aliis codd. Hadrian. præfertur.

[l] Ita omnes editi et ms. Hadrian. codd. editionis decurtatæ cum vulgatis: *Quis ergo dissimulare audeat.* Cod. vero Flor. utramque lectionem habet: *Quis igitur dissimulare vel tolerare audeat.*

[m] Vox *uxorem,* quam Quesnellus in secunda editione adjecit ex mss. *et Dionysio Exiguo,* inventa pariter a nobis fuit in ms. Flor. S. Marci, et in nonnullis etiam collect. Hadrian. Deest tamen in mss. Vat. 5845 ac Vercell., item Hadrianeis.

[n] Sic idem cod. Flor. cum omnibus mss. Hadrian. et S. Crucis atque quatuor aliis codicibus editionis mixtæ. Codd. vero editionis decurtatæ cum Quesn., *pontificis.* Porro sequens periodus, *Jam tum enim,* usque ad *non adjungit,* desideratur in Vat. 5845 et in duob. Hadrianeis, Vercell. et Vat. 1337. In aliis autem quampluribus codd. collect. Hadrianeæ iisdem antiquis (inter quos sunt Vat. 4979 Vat. Reg. 1024 et 1043) nec non in Florentino legitur.

[o] In cod. Florentino hæc lectio peculiaris habetur: *Ut quomodo vir caput est mulieris, ita Christus caput est Ecclesiæ, discat Sponsa Verbi.* Nomen *Verbi* erat etiam in editis ante Quesnellum, et legitur apud Justellum, atque in mss. collect. Hadrian., præterea in omnibus collectionibus quas consulere potuimus, editionis decurtatæ, id est 1, 3, 4, 5, Hisp. 9, Isid. 10, 12, et 24, ac in Barberino 77, nec non in exemplo Sichardi, item in codd. collect. 11 editionis mixtæ. Soli codices collectionum 20, 21, 22 et 23 editionis mixtæ habent *Christi,* quod cur Quesnellus prætulerit, et ex margine editorum traduxerit in textum, ignoramus. D

[p] Ita omnes mss. et editi libri collect. Hadrian. et cod. Florent. cum quinque aliis editionis mixtæ, qui tantum voci *gratia* præmittunt particulam *jam.* Apud Quesnellum, *sub revelata jam gratia,* quod est in codd. editionis decurtatæ, exceptis Vat. Hisp. et Isid., qui cum lectione Hadrianea consentiunt.

Digitized by Google

unius uxoris virum, aut uxorem ejus non unius viri fuisse [a] clarueritⁱ?

CAP. IV. — Monente vero Apostolo, atque dicente: **662** *Et hi autem probentur primum, et sic ministrent* (I *Tim.* III, 10), quid aliud intelligendum [b] putamus, nisi ut in his provectionibus non solum matrimoniorum castimoniam, sed etiam laborum merita cogitemus, ne aut [c] a baptismo novellis, aut a sæculari actu repente conversis officium pastorale credatur; [d] cum per omnes gradus militiæ Christianæ de incrementis profectuum debeat æstimari an possint cuiquam majora committi? [e] Merito [f] beatorum Patrum venerabiles sanctiones cum de sacerdotum electione loquerentur, [g] eosdem ut idoneos sacris administrationibus censuerunt, **663** [h] qui multo tempore per singulos officiorum gradus provecti, experimentum sui probabile præbuissent, ut unicuique testimonium vitæ suæ actuum suorum ratio per-

[a] Reposuimus *clarueritⁱ* ex codd. Florent. et Hadrianeis, quibus concinit etiam Vat. 544 collect. 24 et exemplum Sichardi, licet sint editionis decurtatæ. Quesnellus cum aliis mss., *constiterit*. In codice autem Angelicæ collect. 21, *aut ipsam non uxorem unius viri fuisse constiterit*.

[b] Verbo *putamus* Quesnellus præposuit *in hoc*, quod expunximus autoritate mss. Hadrianeæ collectionis et Florent., nec non præstantiorum codd. editionis decurtatæ collect. 3, 4, 5, Vindeb., Hisp., et 12, item ms. Barb. 77, et Sichardi. Quesnello favent mss. collect. 1, Vat. Hisp. et Isid., et collect. 24 editionis decurtatæ, aliique omnes editionis mixtæ ex quibus editi prodiere.

[c] Ita codd. Hadrian. et Florent. Cæteri cum editis, *a baptismo rudibus*.

[d] Quesn., *cum omnis gradus:* quæ lectio a nobis inventa est tantum in mss. collect. 11 ac 24, et in editis cum Sichardo et Merlino. Mox, *provectuum* loco *profectuum* est in duobus codicibus; et *debeant* pro *debeat* in tribus, nec non apud Justellum.

[e] Dist. 61, c. 5, *Miramur*, § *Merito*.

[f] Sic mss. et editi cum codice Florentino. Idem etiam legitur in mss. collect. 3, 4, 5, et Barb. 77, editionis decurtatæ, quæ in aliis exemplaribus *sanctorum* pro *beatorum* exhibet.

[g] Apud Quesnellum, *eos demum idoneos* cum Vulgatis ac mss. editionum decurtatæ et mixtæ. Textus autem lectionem exhibent omnes codices et editi Hadrian. et ms. Flor.

[h] Ita ms. Florent. cum omnibus codd. et editis Hadrian. In mss. vero editionis decurtatæ insigni varietate hic locus effertur sic: *Quorum omnis ætas a puerilibus exordiis usque ad provectiores annos per disciplinæ ecclesiasticæ stipendia cucurrisset, ut unicuique testimonium prior vita præberet; nec posset de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro castis moribus, pro actibus strenuis celsioris loci præmium deberetur. Si enim*, etc. Negari nequit, non minus hanc lectionem quam illam textui insertam Leoninum stylum referre, et librariorum oscitantiæ vel arbitrio hanc insignem varietatem tribui non posse. Observandum porro est lectionem *a puerilibus exordiis* editionis decurtatæ convenire cum Romanæ Ecclesiæ disciplina, et cum Siricii ac Zosimi decretis, in quibus dum promotiones laicorum per saltum interdicuntur, illud cavetur, ne ad celsiores Ecclesiæ gradus provehantur, nisi qui a pueris clero initiati, in inferioribus gradibus legitime se gessissent. Eos vero solos adultos permittunt in clerum recipi, qui grandævi baptizati, *statim post baptismum* clero sese mancipaverint. Vide Siricii epist. ad Himerium c. 9, et Zosimi ad Esychium c. 3. At simul animadvertimus lectionem Hadrianeam textui insertam haud contradicere huic disciplinæ; æque enim exigit, quod præcipuum est, longi scilicet temporis probationem per gradus singulos, ut in laudatis decretis exigitur. Solum num hæc probatio sumenda sit a pueritia (quod non ita præcipuum est), S. Leo hic præscindit, uti nonnumquam id præteriisse reperimus prædecessores ejus Cœlestinus in epist. ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbon., c. 3, et Innocentius I, in epist. ad Felicem Nucerinum c. 3. Deinde ea probatio a pueritia licet Romæ et aliis etiam in locis custodita, non tamen ubique nec semper servabatur; et in Africa, præsertim hoc tempore quo tumultus bellici per plures annos eam Ecclesiam turbaverant, clero vehementer afflicto, non exacte servata fuerat, aut servari potuerat; ita ut nonnulli grandiores in clerum fuissent recepti, aut recipiendi viderentur, qui tamen per suos gradus idoneum experimentum præberent. Hinc fortasse S. Leo remissius agendum in his circumstantiis, et memoratorum prædecessorum exemplo præscindendum censuit ab inculcanda conditione pueritiæ; ac proinde primæ scriptionis textum immutans, solam probationem canonicam per gradus singulos, quæ potissima est, iisdem ingessit. Adde tandem quod a Leone hic allegantur *beatorum Patrum sanctiones*, quo *beatorum Patrum* nomine, non Romanorum pontificum decreta, sed conciliorum canones significare solet. Ita enim in hac ipsa epistola iis verbis cap. 5, *beatorum Patrum regulas*, Nicænos canones, et iis capitis 10, *sanctorum Patrum divinitus inspirata decreta*, canones Sardicenses innuit. Decreta pontificum, vel *apostolicæ sedis*, vel *prædecessorum* suorum decreta vocat, uti cum eodem capite 5 *apostolicæ sedis statuta ac beatorum Patrum regulas* distinguit. Similiter etiam Zosimus in epist. ad Esychium cap. 1, de hoc quidem probationis argumento scribens, *Tecum faciunt præcepta Patrum, tecum apostolicæ sedis auctoritas*, nomine *apostolicæ sedis* prædecessores, *Patrum* autem appellatione Patres Sardicenses intelligit. Cum vero hi Patres can. 13 præcipiant quidem ut *per singulos gradus* et *per longum tempus* eligendorum vita probetur, et in id testimonium Apostoli a Leone recitatum indicent, non autem jubeant *omnem ætatem a puerilibus exordiis usque ad provectiores annos per disciplinæ ecclesiasticæ stipendia* decurrere: immo adultos *de foro* et *de administratione* in clerum recipi, et post legitimi temporis probationem provehi permittant; S. Leo horum Patrum sanctiones appellans, non aliter debuit inculcare quam in textu inserto continetur. Sic etiam Innocentius I, in epist. ad Felicem Nucerinum c. 3, Sardicensium canonum statuta aperte indicans, cap. 5, nulla facta mentione pueritiæ, laicos non prohiberi a clero affirmat: *Ita sane ut in eos tempora a majoribus constituta serventur. Nec cito quilibet lector, cito acolytus, cito diaconus, cito sacerdos fiat; quia in minoribus officiis si diu perdurent, et vita eorum pariter et obsequia comprobantur, ut ad sacerdotium postea emensis stipendiorum meritis veniant, nec præripiant quod vita probata meretur accipere.* Et Cœlestinus in epist. ad Viennenses c. 3, Sardicenses canones *Patrum decreta* nuncupans, ait: *Ordinatos vero quosdam episcopos, qui nullis ecclesiasticis ordinibus ad tantæ dignitatis fastigium fuerint instituti, contra Patrum decreta..... didicimus; cum ad episcopatum his gradibus, quibus frequentissime cautum est, debeat perveniri, ut minoribus initiati officiis ad majora perveniant.* Vides ergo S. Leonem in lectione textui inserta et respexisse Sardicenses canones, et a prædecessorum exemplis non discessisse. Hinc porro cognoscitur quam perperam Quesnellus hanc lectionem ab aliquo impostore, veluti *ad recentioris disciplinæ usum accommodatam*, et *evidentem corruptelam mss. codicibus assutam* in notis traduxerit.

Digitized by Google

hiberet. Si enim ad honores mundi [a] sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est pervenire, et notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant; quam diligens et quam prudens habenda est dispensatio divinorum munerum et ecclestium dignitatum? [b] ne in aliquo apostolica et canonica decreta violentur, et his Ecclesia Domini regenda credatur, qui legitimarum institutionum nescii, et totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed a summis volunt habere principium; cum valde iniquum sit et absurdum, ut imperiti magistris, novi antiquis, et rudes præferantur emeritis. In domo quidem magna, sicut Apostolus [c] disserit (II *Timoth.* II, 20), necesse est ut vasa diversa sint, quædam aurea et argentea, quædam vero lignea et fictilia; sed horum ministerium pro materiæ qualitate discernitur, [d] nec idem est pretiosorum usus et vilium. Nam inordinata erunt omnia, si fictilia aureis, et lignea præferantur argenteis. Sicut autem in ligneis et fictilibus eorum hominum species figuratur qui nullis adhuc virtutibus nitent; ita in aureis et argenteis hi sine dubio declarantur qui per longæ eruditionis ignem, et per fornacem diuturni laboris excocti, aurum probatum et argentum purum esse meruerunt. Quibus si merces pro devotione non redditur, omnis ecclesiastica disciplina resolvitur, omnis 664 ordo turbatur, dum in Ecclesia, qui nullum subierunt ministerium, perverso eligentium judicio indebitum obtinent principatum.

CAP. V. — Cum ergo inter vos tantum valuerint aut studia [e] popularium, aut ambitus superborum, ut non solum laicos, sed etiam secundarum uxorum viros, aut viduarum maritos ad officium cognoscamus pastorale provectos; nonne [f] apertissimæ [g] exigunt causæ, ut Ecclesiæ in quibus ista commissa sunt, judicio severiore purgentur, et non solum in tales præsules, sed etiam in ordinatores eorum ultio competens proferatur? Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura justitiæ. [h] Et quia *universæ viæ Domini misericordia, et veritas*, cogimur secundum sedis apostolicæ pietatem ita nostram temperare sententiam, ut trutinato pondere delictorum, [i] quorum utique non una mensura est, quædam credamus utcumque toleranda, quædam vero penitus amputanda. Eos enim qui vel secundas nuptias iniverunt, vel viduarum se conjugio sociarunt, nec apostolica, nec legalis auctoritas sacerdotium [j] obtinere permittit; et multo magis illum, si fuerit in vestro judicio confutatus, qui, sicut ad nos relatum est, duarum simul est maritus uxorum, vel [k] illum qui ab uxore dimissus alteram duxisse perhibetur. [l] Cæteros vero, quorum provectio hoc tantum reprehensionis incurrit, quod ex laicis ad officium episcopale delecti sunt, neque ex hoc quod uxores [m] habent, possunt esse culpabiles, susceptum sacerdotium tenere 665 permittimus, [n] non præjudicantes apostolicæ sedis statutis, nec beatorum Patrum regulas resolventes, quibus salubriter constitutum est ne primum, aut secundum, aut tertium in Ecclesia gradum quisquam laicorum quibuslibet suffragiis suffultus ascendat, priusquam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat. Quod enim nunc utcumque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam id quod omnino interdicimus [o] usurparit: quia remissio peccati

[a] Codd. Vat. 5845 et Vercell., *sine suffragatione.*

[b] Dist. 61, c. 8, *Statuimus ne in aliquo.*

[c] Idem Vat., *dixit*, cum quinque aliis mss. lectionis decurtatæ. Vat. collect. 12 omittit *ut.*

[d] Cod. Florent. cum Justello, *neque est pretiosorum idem usus et vilium.* Prætulimus lectionem antiquissimi Vat. Vercell. aliorumque collect. Hadrian., quibus favent etiam tres codd. editionis decurtatæ. In Vat. col. 11, *nec idem pretiosorum usus et vilium.*

[e] Aliquot mss., *populorum.*

[f] Al., *aptissimæ.*

[g] 1, qu. 7, c. 17, *Exigunt.*

[h] In ms. Vercell. et apud Justellum: *Et quia universæ sedis apostolicæ pietate compellimur ita nostram temperare sententiam*; ubi post vocem *universæ* apparet saltus verborum *Viæ Domini misericordiæ et veritas.* Supplevimus ex codd. Florent. aliisque quamplurimis. Cod. Vat. 5843 omittit *cogimur*, et hujus loco habet *ita nostram temperare debemus sententiam.*

[i] Ita mss. Hadrian. cum Florent. Quesnelli lectio: *quæ constat non unius esse mensuræ*; ad editionem decurtatam pertinet. Mox, pro *credamus*, quod verbum recepimus ex mss. Hadrian. atque Justello, cod. Florentinus habet *definiamus*, ut in editione decurtata legitur.

[j] Ms. Vercell. cum Justello, *obtendere.* Mox vocibus *vestro judicio* præmisimus particulam *in* ex mss. Flor. et Hadrian.

[k] Quesnellus, *istum*, quod in solo Merlino et aliis editis Leoninis reperimus. In margine autem notavit ad sequentia verba: Al., *qui a prima uxore dimissus*; quæ lectio in Florent. occurrit, nec non in sex mss. editionis decurtatæ.

[l] In Quesnello additur *privandum honore decernimus*, quæ verba absunt ab omnibus mss. et impressis editionis Hadrian. et a cod. Florent. Inveniuntur autem in mss. editionis decurtatæ, exceptis mss. col. 24 cum Merlino et Sichardo. Necessaria quidem non sunt, cum omnia regantur antecedentibus: *nec apostolica, nec legalis auctoritas sacerdotium obtinere permittit.*

[m] Ita fere omnes libri editionis Hadrian. cum Florentino, et duobus editionis decurtatæ. Al., *habeant.*

[n] Quesn. ex lectione mss. decurtatæ editionis, *non præjudicantes apostolicæ sedis statutis, nec præcessorum nostrorum, nostrisque decretis, quibus*, etc. Viderat lectionem textui insertam et confirmatam omnibus nostris mss. Hadrianeis et Florentino; viderat, inquam, apud vulgatum Dionysium, ac in duobus codd. Thuaneis, et nihilominus (quod mirum est) hunc locum in notis num. 9 veluti vitiatum traduxit, cum potius alia lectio ab ipso recepta notari vitio possit, quatenus *præcessorum nostrorum, nostraque decreta, et apostolicæ sedis statuta* unum et idem sunt; ac propterea S. Leo fortassis priorem scripturam emendans substituit postremis verbis ista, *nec beatorum Patrum regulas resolventes*, quæ respiciunt Patrum Sardicensium canones, quorum cap. 4 mentionem fecerat. Ita lectio textus plane cohæret cum illis ejusdem cap. 4, *ne in aliquo apostolica et canonica decreta violentur*; ubi vox *apostolica* apostolicæ sedis statuta, *canonica* autem beatorum Patrum regulas indicant. Mox, pro *constitutum*, alias, *statutum.*

[o] Ita fere omnes codices Hadrian. cum Justello. Codex Florent. et mss. editionis decurtatæ, *usurpare præsumpserit.*

Digitized by Google

non dat licentiam delinquendi, neque quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impune committi.

CAP. VI. — [a] Donatum autem [b] Salicinensem ex Novatianis cum sua, ut comperimus, plebe conversum, ita Dominico gregi voluimus præsidere, ut libellum fidei suæ ad nos meminerit dirigendum, quo et Novatiani dogmatis damnet errorem, et plenissime confiteatur catholicam veritatem. [c] Maximum quoque ex laico [d] licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista jam non est, et a spiritu schismaticæ pravitatis abiemus, ab episcopali, quam quoque modo adeptus est, non repellimus dignitate; ita ut et ipse libello ad nos edito catholicum se esse manifestet.

[e] CAP. VII. — De Aggaro [e] vero et Tyberiano, quorum a cæteris qui ex laicis ordinati sunt, in hoc causa diversa est, quod eorum 666 ordinationi atroces tumultus et sævæ seditiones memorantur esse famulatæ, vestro judicio cuncta commisimus: ut relata habiti apud vos examinis fide, quid de supradictis statuendum sit scire possimus.

CAP. VIII. — Illæ autem famulæ Dei quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia [f] sua, si se incontaminatis non audeant comparare virginibus. [g] Quamvis enim omne peccatum ex voluntate nascatur, et potuerit corruptione carnis mens [h] invicta non pollui, minus tamen hoc eis oberit, si quod potuerunt animo non amittere, doleant se vel corpore perdidisse.

CAP. IX. — [i] Cum itaque de omnibus [j] fere quæ fratris nostri Potentii relatio continebat, plenissime dilectionem vestram per David fratrem et coepiscopum nostrum, qui et sacerdotii merito nobis est probatus et moribus, videatis instructam; superest, fratres, ut [k] concorditer salubres suscipiatis hortatus, et nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes, divinis et apostolicis [l] constitutionibus parentis, et in nullo patiamini providentissima canonum decreta violari. Quæ enim nunc certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, [m] justa posthac ultione 667 plectamus, [n] in eos specialius et propensius commovendi, qui in episcopis ordinandis sanctorum Patrum statuta [o] neglexerint, et quos refutare debuerant consecrarint. Unde [p] si qui episcopi talem consecraverint sacerdotem qualem esse non liceat, etiamsi aliquo modo damnum proprii honoris evaserint, [q] ordinationis tamen jus ulterius non habebunt, nec umquam et sacramento interfuerunt, quod neglecto divino judicio immerito præstiterunt.

CAP. X. — [r] Illud sane quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta servari, ut non in quibuslibet locis, neque [s] in quibuscumque castellis, et ubi ante non fuerunt, episcopi consecrentur, cum ubi minores sunt plebes minoresque conventus, presbyterorum cura sufficiat, episcopalia autem gubernacula nonnisi majoribus populis et frequentioribus civitatibus oporteat præsidere, ne, quod sanctorum Patrum divinitus inspirata decreta [t] vetuerunt, viculis et possessionibus, vel obscuris et solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium, et honor cui debent excellentiora committi, ipsa sui numerositate vilescat. Quod nunc in sua diœcesi Restitutus episcopus

[a] 1, qu. 7, c. 20, *Donatum*.

[b] Ita vulgati cum mss. collect. 1, 5 Vindeb., Hisp. et cum codd. collect. 12 et 24, ac Sichardo. Codex Barber. collect. 3, *Sajensem ex Novatiano*. In collatione Carthaginensi anni 411, num. 128. memoratur *Donatus episcopus plebis Sajensis*. Cod. Lucensis collect. 4, *Sajacinensem*. Ms. Barb. 77 et Quesnellus in margine, *Sajacensem ex Novatiano*. Cod. Flor., *Sajaciensem ex Novatiano*. Aliæ erroneæ variantes inferiorum codicum omittuntur.

[c] 1, qu. 7, c. 19, *Maximum*.

[d] Ms. Vat. collect. 12 omittit *licet*. Dein, *tamen* tum in eodem codice, tum in Vat. Hisp. et Isid. desideratur.

[e] Particulam *vero* supplevimus ex mss. Florentino aliisque quinque optimæ notæ.

[f] Adjecimus *sua* ex eodem ms. Florent. tribusque aliis optimis codd.

[g] 32, qu. 5, c. 14, *Illæ autem*.

[h] Legebatur *invita*. Quesn. notavit in margine: Forte, *invicta*; et ita quidem restituimus ex ms. Florentino. Post pauca, ex eodem codice, et alio Barber. collect. 3, scripsimus *eis* pro *illis oberit*.

[i] Vide not. 3 Quesn.

[j] Restituimus adverbium *fere* non tam ex editis Leonis quam ex mss. collect. Hadrian. Codices etiam collect. 24 et 24 cum Sichardo idem præferunt. Unde revincitur quod Quesnellus in postilla notavit: *Vulgati addunt* fere *contra mss. codd. fidem*. Non diffitemur tamen in mss. cæterarum nostrarum collectionum editionis decurtatæ vel mixtæ, et in ipso Florentino hanc particulam prætermitti. Quatenus vero hæc in integra epistola a Leone secundis curis fuerit inserta, uti in Hadrianeis exemplaribus exhibetur, in admonitione explicavimus num. 14.

[k] Ita omnes codd. et editi Hadrian. et plures editionis mixtæ, qui hunc textum bis repetentes, primo loco Hadrianeam lectionem sequuntur. Ita etiam apud Merlinum; et Quesnellus septem alios mss. libros similiter legentes allegat not. 4, quos vel Hadrianeæ vel mixtæ editionis esse credimus. In ms. tamen Florentino habetur, *concordi obedientia*, uti in mss. editionis decurtatæ.

[l] Cod. Angelicæ collect. 21, *institutionibus*. In ms. Florent. cum plerisque codd. editionis decurtatæ, *serviatis*; at *pareatis* in plerisque Hadrian., ex quibus mox nonnulli omittunt *nunc*.

[m] Ms. Vercell. et Justelli editio perperam, ut videtur, *justa postulatione*. Forte, *post ultione*. Porro in verbo *plectamus* editio decurtata desinit, et quæ sequuntur sumpta sunt ex Hadrian. collectione, ac ms. Florentino atque codicibus editionis mixtæ.

[n] Hic desinit editio decurtata.

[o] Al., *neglexerint*, et mox, *consecrarunt*.

[p] 1, qu. 1, et 15, qu. 2, *Si qui*.

[q] Ms. S. Crucis collect. 20, *consecrationis*. Tres alii codd., *ordinationis tamen ejus ulterius licentiam non habebunt*.

[r] Dist. 80, c. 1, *Illud sane*.

[s] Al., *in quibuslibet*.

[t] Al., *vetuerant*.

Digitized by Google

factum esse causatus est, et rationabiliter postulavit ut si episcopi eorum locorum in quibus non debuerant ordinari humana conditione decesserint, loca ipsa [a] ad jus ejusdem antistis cui olim propria vel contigua fuerunt revertantur. Et inutile 668 est ut sacerdotalis dignitas inconsiderata ordinantis facilitate superflua multiplicatione minuatur.

CAP. XI. — De his autem quæ in sacro virginitatis proposito constitutæ, [b] ut superius dictum est, barbaricam pertulere violentiam, et integritatem pudoris non animo, sed corpore perdiderunt, ea nobis videtur servanda moderatio, ut [c] neque in viduarum dejiciantur gradum, nec in sacrarum et perseverantium virginum numero censeantur : quibus, [d] si in moribus virginalibus perseverant, et castimoniæ soliditatem mente custodiunt, [e] sacramentorum non est neganda communio, quia injustum est illas in eo vel argui vel notari, quod non voluntas amisit, sed vis hostilis eripuit.

CAP. XII. — Causam quoque Lupicini episcopi illic jubemus audiri, cui multum et sæpius postulanti communionem hac ratione [f] reddidimus, quoniam cum ad nostrum judicium provocasset, immerito eum pendente negotio a communione videbamus fuisse suspensum. Adjectum etiam illud est quod huic temere superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari antequam Lupicinus in præsenti positus, aut confutatus, aut certe [g] confessus justæ posset subjacere sententiæ; ut vacantem locum, quemadmodum disciplina ecclesiastica exigit, is qui consecrabatur [h] acciperet.

CAP. XIII. — Si quæ [i] vero aliæ emerserint causæ quæ ad statum ecclesiasticum et ad concordiam pertineant sacerdotum, illic sub 669 timore Domini [j] volumus ventilentur, et de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur, ut ea quæ juxta ecclesiasticum morem juste et rationabiliter fuerint definita, nostra quoque sententia roborentur. [k] Dat. IV id. Augusti.

EPISTOLA EADEM

[l] *Ex mss. editionis decurtatæ.*

[m] LEO universis episcopis per Africam constitutis in Domino salutem.

CAP. I. — Cum [n] in ordinationibus sacerdotum

[a] Ita emendavimus ex ms. Florentino. Al., *ad jus ejus antistis redigantur, cujus fuerant ante priora.* Justellus, *ad jus ejus antistis redeant, cujus fuerint ante priora.* Quidam codd. hujus postremæ lectionis pro *priora* habent *propria.* Vat. 5845, *ad jus ejus antistis redeant; quia inutile est,* etc.

[b] Verba *ut superius dictum est* adjecimus ex cod. Florentino, qui cum integram hujus epistolæ lectionem exhibeat, non omittit, ut cæteri Hadrianei omittunt, caput octavum, in quo de iisdem virginibus per vim corruptis alia ratione actum fuerat.

[c] Virgines sua culpa corruptæ *viduæ antequam nuptæ* vocari solebant; unde Cyprianus in libro de Habit. Virg. ait : *Dum ornari cultius, dum liberius evagari virgines volunt, esse virgines desinunt, furtivo dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ, non mariti, sed Christi adulteræ.* Et S. Hieronymus in epist. ad Eustochium de Virginitate servanda : *Videas,* inquit, *plerasque viduas antequam nuptas infelicem conscientiam mentita tantum veste protegere.* Hinc vero patet cur S. Leo in viduarum gradum haud dejici jubet eas virgines quæ nulla sua culpa per solam barbarorum vim corruptæ fuerunt. Mox, loco verborum *neque in sacrarum,* mss. Vat. 5845 et Vercell. contrario sensu habent, *sed in sacrarum.* At perperam : nam præterquam quod anterior particula *neque* aliam similem *nec,* non vero *sed* requirit, ipsa moderatio quam S. pontifex *servandam* proponit videtur exigere ut neque inter viduas neque inter sacras et immaculatas virgines censeantur, non vero ut æque ac si non fuissent corruptæ sacris virginibus cooptentur. Quod si vero statuisset, haud opus esset subjicere, iisdem, si perseverent in proposito, communionem non esse negandam. Congruit etiam hæc decreti moderatio cum eo consilio quod iisdem virginibus antea præbuit c. 8, ubi laudabiliores futuras affirmat, *si se incontaminatis non laudeant comparare virginibus.*

[d] Editi Leonis, *in omnibus virginalibus observationibus.* Justellus et plures mss. codd., *in omnibus virginalibus* tantum. Veram lectionem suppeditarunt duo codices Florentinus et Fesulanus.

[e] Vox *sacramentorum* in cod. Florent. deest. Ideo autem virginibus sine ullo proprio reatu corruptis communionem haud negandam Leo moderatissime sanxit, quia virginibus propria culpa vitiatis *longa* imponebatur pœnitentia, qua diutius a communione arcebantur, ut liquet ex Cypriani epist. 66, ad Pomponium, ex Siricii epist. 10 editionis Coustantii num. 4, et ex Innocentii I epist. ad Victricium num. 15 et 16. Mox, pro *illas,* alias, *eas.* Dein, *amittit* pro *amisit* apud Justellum legitur.

[f] Duo mss. et Justellus, *reddimur.* Mox, in ms. Florent., *sæpe vocasset,* loco *provocasset.*

[g] Codd. Vat. 5845 et Vercellensis, *confusus.*

[h] Ita ex sex codd. et Justello. Editi, *exciperet.*

[i] Editi omittunt *vero.* Ex nostris mss. et Justello adjecimus.

[j] In ms. Florent. deest *volumus.* Justellus, *volumus judicio ventilentur.*

[k] Ita plerique et vetustiores codices, et editi. Alia quatuor exemplaria, *Dat.* III *id.*

[l] Quinam sint decurtatæ editionis mss. codices, diximus in admonitione num. 2. In exemplaribus collect. Hisp. et Isid. hi tituli præmittuntur, ex quibus vulgati profecti sunt : I. *Ne illicitæ personæ ad episcopatum promoveantur.* II. *De Donato Novatianorum episcopo, et de Maximo ex Donatistis.* III. *De Aggaro et Tyberiano, qui ex laicis fuerunt ordinati.* IV. *De virginibus sacris quæ vim barbaricam pertulerunt.* V. *De statutis canonum conservandis.* In tabula collectionis 5 Quesnellianæ hic titulus notatur num. 84 : *Ad Mauros episcopos de illicitis ordinationibus, et de ancillis quæ virginitatem vi barbarica amiserunt.*

[m] Hæc inscriptio sumpta est ex mss. collect. Hisp. et Isid., legiturque etiam in collect. 24. Antiquiores collectiones editionis decurtatæ inscriptionem omittunt, et solum habent : *Epistola papæ Leonis ad Mauros episcopos,* quæ verba indicant in inscriptione mentionem factam fuisse provinciæ Mauritaniæ. Quesnellus vulgatam inscriptionem retinuit, quam nullibi invenimus : *Leo episcopus universis episcopis per Cæsariensem Mauritaniam in Africa constitutis.*

[n] Quesnellus in prima editione vulgatam lectionem secutus, scripserat *de ordinationibus,* uti legitur non solum in mss. et editis collect. Hadrian., verum etiam in quibusdam mss. editionis decurtatæ. At in secunda editione emendavit *in ordinationibus* ea forte de causa, quod hanc lectionem deprehendit in duobus codd. Barberinis 77 et 2888, quorum variantes post pri-

Digitized by Google

quædam apud vos illicite usurpata [a] crebrior fama narraret, ratio pietatis exegit ut pro sollicitudine quam universæ Ecclesiæ ex divina institutione dependimus, rerum fidem studeremus agnoscere, vicem curæ nostræ [b] fratri et consacerdoti nostro Potentio [c] delegantes, qui de episcopis quorum culpabilis ferebatur electio, quid **670** veritas haberet, inquireret, nobisque omnia fideliter indicaret. Unde quia idem plenissime [d] cuncta reseravit, et sub quibus qualibusque rectoribus quædam Christi plebes in partibus provinciæ Cæsariensis habeantur sincera nobis relatione patefecit, necessarium fuit ut dolorem cordis nostri, quo pro dominicorum gregum periculis æstuamus, [e] datis litteris promeremus [f] mirantes tantum apud vos per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem, ut indignis quibusque et longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium et gubernatio Ecclesiæ [g] dederetur. Non est hoc consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen. INTEGRITAS enim præsidentium salus est subditorum : et ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. [h] Principatus autem quem aut seditio [i] extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus atque actibus non offendat, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo : **671** et difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.

CAP. II. — Quod si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter scienterque curandum est ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum, quanto magis elaborandum est ut in electione ejus qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ [j] status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Ubi est illa beati Pauli apostoli per Spiritum Dei emissa præceptio, qua in persona Timothei omnium Christi sacerdotum numerus eruditur, et proinde unicuique nostrum dicitur : *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (I *Tim.* v, 22)? [k] Quid est [l] cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum [m] servat in eligendo sacerdote judicium; ita gravi semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum. Non enim in cujusquam persona prætermittendum est quod institutis generalibus continetur; nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit [n] de prævaricatione collatus.

CAP. III. — Dicente enim Apostolo, ut inter alias

---

mam editionem acceperat. In plerisque sane et potioribus codicibus decurtatæ editionis similiter legitur.

[a] Ita mss. collect. 3, 5, Vindeb., Hisp. et collect. 24, Barb. 77, et Fesulan. cum Merlino, et Sichardo. Cod. Vat., Hisp., *celebrior ad nos fama narraret*, Vat. Isid., *celebrior apud nos fama narraret*. Vat. Reg. collect. 1, *crebrior ad nos fama perferret*. Lucensis collect. 4, *crebrior ad nos fama pervenerit*. Omnes sunt codices editionis decurtatæ. Quesnellus cum vulgatis Hadrianeam lectionem exhibuit, *crebrior ad nos commeantium sermo perferret*.

[b] Voces *proficiscenti a nobis*, quæ leguntur in editione Hadrianea, a Quesnello cum editis retentas, et hoc loco insertas, expungimus ab hac decurtata editione auctoritate præstantissimorum hujus editionis codicum Vat., Reg. collect. 1, Lucensis collect. 4, Vindebon. collect. 5, Vindebon. Hisp., Barb. 77, et unius Fesulani.

[c] Editi ante Quesn., *injangentes*, cum mss. Hisp. et Isid. ac Barb. 77, nec non codd. collect. 24, Merlino atque Sichardo; et in margine : Alias, *delegantes*. Quesnellus hanc lectionem prætulit ex quatuor mss. Dionysii, quæ tamen non hanc decurtatam, sed Hadrianeam editionem repræsentant. In secunda vero editione addidit codicem Barberinum collect. 5, cui nos adjungimus mss. collect. 1, 4 et 5, quorum antiquiorum collectionum lectio præferenda visa est. Mox apud Quesnellum, *qui secundum scripta, quæ per ipsum ad vos direximus, de episcopis*, etc.; quæ verba sunt editionis Hadrianeæ, et in inferiori notæ codicibus editionis decurtatæ. Prætulimus collectiones et codices antiquiores Vat. Reg. collect. 1, Barb. collect 3, Lucen. collect. 4, Vindebon. collect. 5, alium Vindebon. collect. 9, Hisp., Barb. 77, et unum Fesulanum.

[d] Quesnellus inseruit cum quibusdam nostris codd., *notitiæ nostræ;* delevimus autem ex mss. in fine anterioris annotationis memoratis, excepto Fesulano.

[e] Idem Quesn. lectionem Hadrianeam recepit, quæ legebatur in vulgatis : *Datis nunc quoque ad dilectionem vestram litteris*. Secuti sumus mss. editionis decurtatæ collect. 1 3, 4, 5, Vindebon., Hisp., cum Merlino et Sichardo. Vat., Hisp. et Isid. : *Datis nunc ad vos litteris*. Expunctis paulo ante vocibus *secundum scripta, quæ per ipsum ad vos direximus*, de quibus annot. 6 (*Supra* [c]) diximus, hic etiam expungendæ erant istæ *nunc quoque ad dilectionem vestram*, quæ priorum litterarum mentionem factam præsumunt. Cum vero Leo secundis curis hanc epistolam recognovit, insertis primis vocibus has quoque adjecit.

[f] Dist. 61, *Miramur tantum*, c. 5.

[g] Mss. Lucens., Hisp. et Isid., Barb. 77, cum Sichardo et Merlino, *crederetur*.

[h] 1, q. 1, *Principatus, quem*, c. 25.

[i] Sic mss. et editi editionis decurtatæ. Quesnellus cum aliis vulgatis et lectione Hadrianea, *contulit*.

[j] Vox *Domini* a Quesnello hic inserta, seu potius cum vulgatis retenta, deleta fuit auctoritate mss. collect. 3, 4, 5, Vindeb., Hisp., Barb. 77 editionis decurtatæ. Mox in quatuor mss. editionis mixtæ, *status exorbitabit*, omissis verbis *et ordo*. Dein, *non invenitur* pro *non inveniatur* in Vat., Hisp. et Isid.

[k] Dist. 78, *Quid est manus*, c. 3.

[l] Codd. Vat. Reg., collect. 1, Vindebon. collect. 5, alius Vindebon. Hisp. et Barber. 77, cum ms. Florentino S. Marci : *Quid est manus cito nemini imponere, vel imposueris*.

[m] Ita ex iisdem codicibus. Mss. collect. 24, cum Sichardo, *sectatur*. Quesnellus retinuit *tenet*.

[n] Restituimus lectionem vulgatorum ante Quesn. quæ est in omnibus codicibus editionis decurtatæ, exceptis duobus Vatt. Hisp. et Isid., qui Hadrianeam lectionem exhibent, *contra divinæ legis præcepta collatus;* at Vindebon. Hisp., qui e puris Hispanicæ collectionis fontibus prodiit, habet, ut cæteri editionis decurtatæ, *de prævaricatione collatus*. Mirum vero est Quesnellum hanc lectionem deseruisse, etsi not. 2 fateatur eam exstare in duobus codd. Trecopith. et Thuan. collect. 5, ut induceret lectionem editionis Hadrianeæ ex Dionysio, id est ex collect. Hadrianea, et in quinque aliis codicibus eadem nota memoratis,

Digitized by Google

electionis regulas, is episcopus ordinetur, quem *unius uxoris virum* fuisse aut esse constiterit (I *Tim.* III, 2), tam sacra semper habita est ista **672** præceptio, ut etiam de muliere sacerdotis eligendi eadem intelligeretur servanda conditio; ne forte illa, priusquam in matrimonium ejus veniret qui aliam non habuisset uxorem, alterius viri esset experta conjugium. Quis ergo dissimulare audeat quod in tanti sacramenti perpetratur injuriam, cum huic magno venerandoque mysterio [a] ne legis quidem statuta defuerint, quibus evidenter est definitum ut virginem sacerdos accipiat, [b] et alterius torum nesciat conjugis, quæ uxor est futura pontificis (*Levit.* XXI, 13, 14; *Ezech.* XLIV, 22)? Jam tunc enim in sacerdotibus figurabatur Christi et Ecclesiæ spirituale conjugium; [c] ut quoniam *vir caput est mulieris* (*Ephes.* V, 23; I *Cor.* XI, 3), discat sponsa Verbi non alium virum nosse [d] quam Christum, qui merito unam elegit, unam diligit, et etiam præter ipsam suo consortio non adjungit. Si ergo etiam in veteri Testamento hæc sacerdotalium conjugiorum forma servata est, quanto magis sub revelata jam gratia constituti, apostolicis debemus inservire præceptis; ut quamlibet quis bonis moribus præditus, et sanctis operibus inveniatur ornatus, nequaquam tamen vel ad diaconii gradum, vel ad presbyterii honorem, vel ad episcopatus culmen ascendat, si aut ipsum non unius uxoris virum, aut uxorem ejus non unius viri fuisse constiterit?

CAP. IV. — Monente [e] vero Apostolo atque dicente: *Et hi autem probentur primum, et sic ministrent* (I *Tim.* III, 10); quid aliud intelligendum [f] in hoc putamus, nisi ut in his provectionibus non solum matrimoniorum [g] privilegia, sed etiam laborum merita cogitemus? ne aut a baptismo rudibus, aut a sæculari actu repente **673** conversis, officium pastorale [h] credamus; cum per omnes gradus militiæ Christianæ de incrementis profectuum debeat æstimari an possint cuiquam majora committi. [i] Merito sanctorum Patrum venerabiles sanctiones, cum de sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos [j] sacris administrationibus censuerunt, quorum omnis ætas a puerilibus exordiis usque ad provectiores annos per disciplinæ ecclesiasticæ stipendia cucurrisset, ut unicuique testimonium prior vita præberet: nec posset de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro castis moribus, pro actibus strenuis, celsioris loci præmium deberetur. Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est pervenire, et notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant; quam diligens et quam prudens habenda est dispensatio divinorum munerum et cœlestium dignitatum, [k] ne in aliquo apostolica et canonica decreta violentur, [l] et his Ecclesia Domini regenda credatur, qui legitimarum institutionum nescii, et totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed a summis volunt habere principium, cum valde iniquum sit et absurdum, ut imperiti magistris, novi antiquis, et rudes præferantur emeritis? In domo quidem magna [m] necesse est, sicut Apostolus disserit (II *Tim.* II, 20), ut vasa diversa sint, quædam aurea et argentea, quædam vero lignea et fictilia; sed horum ministerium pro materiæ qualitate [n] dividitur, nec qui est pretiosorum, idem usus est et vilium. Nam inordinata erunt omnia, si fictilia aureis, **674** et lignea præferantur argenteis. Sicut autem in [o] ligneis et fictilibus eorum hominum species figurantur, qui nullis adhuc virtutibus nitent; ita in

quorum duos Dionysianos (seu melius Hadrianeos) not. 1 appellat, tres alii editionis mixtæ ex descriptione ejusdem noscuntur. Mox initio cap. 3, cod. Vindebon. Hisp. omittit *alias*. Vindebonensis autem collect. 5, *fuisse constiterit, tam sacrata semper habita*.

[a] Ita codices omnium veterum collectionum editionis decurtatæ 1, 3, 4, 5, et Vindebon. Hisp., cum Sichardo. Quesnellus cum vulgatis ex lectione Hadrianea, *ne divinæ quidem legis statuta*.

[b] Codd. Vindebon. collect. 5, et Barb. 77, addunt *uxorem*, vocem a Quesnello pariter insertam in secunda editione ex mss., ut credimus, collect. 5, et Hadrianeis. Delevimus autem, eo quod in reliquis collectionibus editionis decurtatæ et a Merlino, atque Sichardo omittatur. Paulo post *conjugii* pro *conjugis* legitur in mss. collect. 3, 5, et Barb. 77.

[c] Particula *et* pro *ut* est in mss. Vat. Hisp. et Isid. Vox autem *Verbi* pro voce *Christi*, quam Quesnellus ex margine editorum inseruerat, revocata est ex codicibus præsertim editionis decurtatæ, quos recensuimus annot. 19 (col. 648, n. °) in hanc epistolam integram.

[d] Ms. Vindebon. Hisp., *quam sponsum; qui enim unam elegit*. Paulo post, *non adjunxit* in cod. Barber. collect. 3 et duobus editionis mixtæ.

[e] Pro *vero* in ms. Vat. Reg. collect. 1, habetur *ergo*.

[f] Confer annot. 22 (col. 649, n. [b]) in hanc epist. integram.

[g] Quesnellus, *castimoniam*, ut in editione Hadrianea. In margine autem notavit duos codices habere *privilegia*. Id quidem legitur in nostris codicibus editionis decurtatæ, exceptis Vat. Hisp. et Isid., qui Hadrianeas lectiones nonnumquam receperunt: nam Vindebon. purus et sincerus Hispanicus habet *privilegia*, sicut etiam Sichardus.

[h] Ita mss. collect. 1, 3, 5, Vindebon. Hisp. et Barb. 77. Editi cum mss. collect. 4, et Vat. Hisp. et Isid., atque collect. 12 et 24, *credatur*. Mox, *cum omnis gradus* erat in editis. Emendavimus ex omnibus codd. editionis decurtatæ, a quibus tantum discrepant mss. collect. 1 et 3.

[i] Dist. 61, *Miramur*, c. 5, § *Merito*.

[j] Ms. Vat. Reg. collect. 1, *sacris agminibus*.

[k] Dist. 61, *Statuimus ne in aliquo*, c. 8.

[l] Cod. Vat. Reg., *et eis*. Post pauca, *exordium* pro *incrementum* in ms. Fesulano.

[m] Mss. Vat. Reg., Vindebon. Hisp. et Barber. 77, *necesse est ut* (*sicut Apostolus dixit*) *vasa*, etc. Sichardus: *necesse est* (*sicut Apostolus ait*) *vasa*.

[n] Quesnellus cum editis, *discernitur*, uti legitur in mss. collect. Hadrianeæ, et in nostro Vaticano Reginæ, ac alio Vat. collect. 24 editionis decurtatæ. Lectionem vero omnium aliarum collectionum hujus decurtatæ editionis antetulimus: cui favet etiam ms. Florentinum integræ editionis. Paulo post, *idem usus est vilium*, omissa particula *et* in mss. collect. 3, 5 et Vindebon. Hisp., cum Merlino, et Sichardo.

[o] Codex Lucensis, duo Vindebonenses, ac Barb. 77, delent *ligneis et*. Post pauca, *per longum eruditionis ignem* in Vindebon. Hisp. et Vat. collect. 24 cum Sichardo.

Digitized by Google

aureis et argenteis hi sine dubio declarantur, qui per longæ eruditionis ignem, et per fornacem diuturni laboris excocti, aurum probatum et argentum purum esse meruerunt. Quibus si merces pro devotione non redditur, [a] omnis obedientia resolvitur, omnis ordo turbatur; dum in Ecclesia, qui nullum subiere ministerium, perverso eligentium judicio indebitum obtinent principatum.

CAP. V. — Cum ergo inter vos tantum valuerint aut studia popularium, aut ambitus superborum, ut non solum laicos, sed etiam secundarum utorum viros, aut viduarum maritos ad officium cognoscamus pastorale provectos; nonne apertissime [b] exigunt causæ [c] ut Ecclesias in quibus ista commissa sunt judicio severiore purgemus, et non solum in tales præsules, sed etiam in ordinatores eorum [d] digna districtione moveamur? Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura justitiæ; et quia *universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Ps.* XXIV, 10), *eoque* sequendum sedis apostolicæ pietatem, ita nostram temperare sententiam, ut trutinato pondere delictorum, quæ constat non unius esse mensuræ, quædam definiamus utcumque toleranda, quædam vero penitus amputanda. Eos enim qui vel secundas nuptias inierunt, vel viduarum se conjugio sociarum, [e] in sacerdotio manere non patimur; et multo magis [f] illum qui simul duarum est maritus **675** uxorum; vel illum qui a prima uxore dimissus, alteram duxisse perhibetur, privandos honore decernimus. Cæteros vero, quorum provectio hoc tantum reprehensionis incurrit, quod ex laicis ad officium episcopale [g] delecti sunt, neque ex hoc quod uxores habeant possunt esse culpabiles, susceptum sacerdotium tenere permittimus, non præjudicantes apostolicæ sedis statutis, nec præcessorum nostrorum nostrisque decretis, quibus salubriter [h] statutum est ne primum, vel secundum, aut tertium in Ecclesia gradum quisquam laicorum, quibuslibet suffragiis fultus, ascendat, priusquam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat. Quod enim nunc [i] utcumque veniale est, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam id quod omnino interdicimus, usurpare præsumpserit: quia remissio peccati non dat licentiam delinquendi; nec quod potuit aliqua ratione concedi, i amplius patiemur impune committi.

CAP. VI. — [k] Donatum autem [l] Salicinensem ex Novatianis cum sua, ut comperimus, plebe conversum, ita Dominico volumus gregi præsidere, ut libellum fidei suæ ad nos meminerit dirigendum, quo et Novatiani dogmatis damnet errorem, et plenissime confiteatur catholicam veritatem. [m] Maximum quoque ex laico licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista jam non est, et a spiritu schismaticæ pravitatis alienus, ab episcopali, quam quoquo modo adeptus est, non repellimus dignitate; ita ut et ipse libello ad nos edito catholicum se esse manifestet.

CAP. VII. — De Aggaro [n] vero et Tyberiano, quorum a cæteris qui ex laicis ordinati sunt in hoc causa diversa est, quod eorum ordinationi atroces tumultus et sævæ seditiones memorantur esse famulatæ, vestro judicio cuncta commisimus: ut relata habiti **676** apud vos examinis fide, quid de supradictis statuendum sit scire possimus.

CAP. VIII. — [o] Illæ autem famulæ Dei quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia [p] sua, si se incontaminatis non audeant comparare virginibus. Quamvis enim omne peccatum ex voluntate nascatur, et potuerit corruptione carnis mens [q] invicta non pollui; minus tamen hoc illis oberit,

[a] Sic potiores codd. editionis decurtatæ, nimirum illi collect. 1, 4, 5, Vindebon. Hisp., Barb. 77, et unus Fesulanus. Alias, *omnis ecclesiastica disciplina resolvitur*, ut in Hadrianea editione. Mox, *subierint* pro *subire* in duobus Barber. mss. et in Vindeb. collect. 5.

[b] 1, quæst. 7, *exigunt*, c. 17.

[c] Inseruimus lectionem mss. collect. 1, 3, 4, 5, Vindeb. Hisp., et Barb. 77. Quesnellus retinuit vulgatam *ut Ecclesiæ... purgentur*, cui soli codices inferiorem collectionum editionis decurtatæ patrocinantur.

[d] Quesnellus cum vulgatis, *ultio competens proferatur*. Sed præstantiores codd. edit. decurtatæ superiori annot. laudati lectionem textui insertam præbuere. Iis congruunt quatuor alii codices editionis mixtæ. Præterea mss. libri Vat. Hisp. et Isid. habent *digna districtio moveatur*: duo alii, *digna districtione moveantur*. Mox, *circumstat* in Vat. Reg. collect. 1 et Vindeb. collect. 5. Dein, *inde censura* in ms. Barb. 77.

[e] Ita omnes codices editionis decurtatæ, exceptis mss. collect. 24. Concinit etiam cod. S. Crucis editionis mixtæ. Ms. Vat. 3791 collect. 11 mixtæ editionis habet *in sacerdotii munere dignitate non patiamur*. Quesnellus lectionem vulgatorum Hadrianeam secutus est.

[f] Hanc lectionem præferunt mss. quinque antiquiorum collect. 1, 3, 4, 5, et Vindeb. Hisp., cum Barb. 77. Quesnellus: *illum si fuerit vestro judicio confutatus, qui (sicut ad nos relatum est) duarum simul est maritus uxorum, vel istum qui ab uxore dimissus alteram duxisse perhibetur, privandum honore decernimus;* et in margine: Al., *illum qui prima uxore dimissa;* Vulg., *qui a prima uxore dimissus*. Confer annot. 36 et 37 (col. 651), [k] 652, [l]) in epist. integram.

[g] Mss. Vindeb. Hisp. et Barb. 77, *electi*. Vat. 3791, *provecti*. Mox *habent* pro *habeant* in duobus Vindebon.

[h] Duo Vindeb., *constitutum est*. Mox in Vindebon. collect. 5, *aut tertium* deest.

[i] Sic plerique, et potiores codd. editionis decurtatæ. Quesnellus lectionem antecedentis editionis integræ cum Vulg. secutus est.

[j] Ita iidem codices editionis decurtatæ, excepto Barb. 77, in quo legitur *amplius impune patiemur*. Quesn., *fas erit amplius impune committi*, ut in editione antecedenti.

[k] 1. qu. 7, *Donatum*, c. 20.

[l] Quesn. in marg.: Al., *Sajacensem ex Novatiano*. Vide annot. 41 (col. 653, n. [b]) in hanc eamdem epist. editi integræ.

[m] 1, qu. 7, *Maximum*, c. 19.

[n] Vulg. omittunt *vero*, quam particulam ex potioribus nostris codd. adjecimus.

[o] 32, qu. 5, *Illæ autem*, c. 14.

[p] Confer annot. 44 (col. 653, n. [f]) in epist. editionis integræ.

[q] Vide annot. 45 (col. 653, n. [h]) in hanc eamdem epist. integri exempli.

Digitized by Google

si quod potuerunt animo non amittere, doleant se vel corpore perdidisse.

CAP. IX. — Cum itaque de omnibus quæ fratris nostri Potentii relatio continebat, plenissime dilectionem vestram [a] videatis instructam; superest, fratres, [b] ut concordi obedientia salubres suscipiatis hortatus, et nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes, divinis et apostolicis constitutionibus [c] serviatis, et in nullo patiamini [d] pia canonum decreta violari. Quæ enim nunc certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis : ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, justa [e] posthac ultione plectamus.

677 [f] EPISTOLA XIII.

[g] AD EPISCOPOS METROPOLITANOS PER ILLYRICI PROVINCIAS CONSTITUTOS.

SYNOPSIS. — I. *Gratulatur Illyrici metropolitanis se subjicientibus auctoritati datæ Anastasio, in majoribus præsertim causis.* — II. *Ut vocati ad concilium ab Anastasio venire non renuant, hortatur.*—III. *Ut nemo sine consensu plebis ordinetur episcopus.*—IV. *Ut nullus episcopus alterius inviti clericum sibi vindicet.*

Dilectissimis fratribus SENECIONI, CAROSO, THEODULO, LUCÆ, ANTIOCHO et VIGILANTIO metropolitanis [h] per Illyrici provincias constitutis, LEO.

CAP. I. — Grato animo [i] epistolas nostras a vestra dilectione susceptas, recurrentis paginæ sermo testatus est, quas nos pro **678** Ecclesiarum statu et pace solliciti, ne quid novella præsumptio erroris afferret, noscimur direxisse : volentes a sacerdotibus Domini custodiri quæ sedis apostolicæ auctoritas i crebro constituit; scilicet ut per Illyricum Ecclesiæ constitutæ ad curam fratris et coepiscopi nostri Anastasii Thessalonicensis urbis antistitis pertinerent. Ut si quæ [k] majores inter episcopos causæ sunt quæ in provinciis suis nequeant terminari, ad ejus notitiam referantur, et eodem arbitrio sub divini timore judicii componantur. Servetur hic ordo sacerdotali concordiæ profuturus, ut Ecclesiæ Domini concordi, quemadmodum cupimus, consilio construantur, et nullum, insidiante diabolo, aditum

[a] Quesnellus retinuit lectionem Vulgat. quæ ex Hadrianea editione inserit hæc verba, *Per David fratrem et coepiscopum nostrum, qui et sacerdotii merito nobis est probatus, et moribus.* Sed prætermittuntur in omnibus mss. decurtatæ editionis collect. 1, 3, 4, 5, Hisp., Isid., Vat. 1340 collect. 12, et Barb. 77. Inveniuntur autem in solis mss. collect. 24, et apud Merlinum atque Sichardum. Nonnulli etiam codices editionis mixtæ, qui bis hanc periodum repetunt, ut in admonitione notavimus, num. 4, primo quidem loco ex Hadrianea editione sumpto ea verba exhibent; secundo vero loco sumpto ex mss. editionis decurtatæ iisdem verbis carent. Ita cod. S. Crucis collect. 20 et mss. collect. 21.

[b] Sic omnes mss. libri editionis decurtatæ etiam collectionis 24, nec non Sichardus, et ante laudati editionis mixtæ secundo loco. Quesnellus Hadrianeam lectionem induxit, *ut concorditer*. Confer annot. 48 (col. 65, n. [k]) in epist. integram. Dein, *per concertationem* pro *per contentionem* in quinque mss. editionis decurtatæ.

[c] Sic fere omnes, et præstantissimi codices formæ decurtatæ. Quesnellus cum aliis, *pareatis*.

[d] Idem Quesn. cum lectione Hadrianea, *providentissima*. Reposuimus *pia* ex laudatis codicibus et editionibus formæ decurtatæ.

[e] Melior visa est hæc optimorum codicum lectio, quam cæterorum qui cum editis habent *post hæc*.

[f] Scripta 6 Jan. an. 446.

[g] Edita fuit in collectione Romana Lucæ Holstenii ex unico codice Barberino 3386 collectionis 16 Thessalonicensis, cum quo eamdem non inutiliter relegimus.

[h] Editi, et ipse Barberinus codex, *per Achaiam provinciam*, sed omnino perperam; neque enim Achaia, quæ unica erat provincia, plures metropolitanos in ipsa inscriptione appellatos contineba; neque in nominibus metropolitarum ad quos hæ litteræ diriguntur, recensetur nomen metropolitani Achaiæ, contra quem tertio capite sermo est. Tutissime igitur ac necessario emendavimus : nam et ad metropolitas per Illyricum constitutos data fuit epistola 5, quæ citatur cap. 1, et trium etiam metropolitanorum quibus hæc epistola inscribitur, provincias optime collegit Holstenius, quæ omnes ad Illyricum pertinent. Vide not. Quesn. Idem Holstenius pro *Antiocho* legendum suspicatur *Attico*, qui fuit Epiri veteris metropolita Nicopolitanus. Non assentiuntur. Nicopolitanus enim metropolita, ut ex sequenti epistola patebit coactus delatæ Thessalonicensi vicario auctoritati se subjecit, non autem sponte, ut illi fecerunt ad quos hæc epistola data fuit.

[i] Significari creduntur epistolæ 5 et 6, quas superius dedimus. At si voces *epistolas nostras a vestra dilectione susceptas*, plures epistolas ad ipsos Illyrici episcopos traditas indicant (qualis non est epistola 6, quæ uni Anastasio data fuit), alia saltem epistola, quæ perierit, ad eosdem episcopos scripta dici deberet post epistolam 5, cum præsertim incredibile sit eos epistolæ Leonis fere ante biennium scriptæ, quæ citum responsum flagitaverat, tamdiu distulisse respondere, ut huic responsioni has litteras pontifex reddiderit. Enimvero cum Leo Illyricianis dedit epistolam quintam, sextam epistolam tradidit Anastasio. Anastasium vero his litteris ante hoc tempus respondisse, et aliquot alias epistolas hinc inde fuisse datas et redditas patebit ex an. 1 (col. 666 [m]) in epistolam sequentem. Verisimillimum itaque est Illyricianos quoque citius eadem qua Anastasius sollicitudine respondisse epistolæ quintæ; tum vero nonnullas alias accepisse litteras Leonis, quarum hic plurali numero fit mentio. Solus tamen pluralis numerus *epistolas* non cogeret. Leo enim, epist. 102, c. 1, unicam Gallorum epistolam 99 spectans, plurali numero utitur : *Diu exspectatas epistolas.... gratanter accepimus.* Et similiter epist. 107, de unica Juliani epistola ait : *Rescribens itaque ad epistolas tuas :* ac epist. 117, cap. 1, de unica epistola ad Anatolium : *Ad Constantinopolitanum episcopum epistolas dederim.* Mox in cod. Barberino *a tua dilectione;* et post pauca *in provinciis suis*, seu potius *in provincia tua;* et c. 2, *tua noverit dilectio;* quæ suspicionem afferunt hanc epistolam datam fuisse *a pari*. Sed capitis 4 formulæ pluralis numeri Holstenii emandationem in his tribus testibus satis æquam suaserunt, nisi quis forte capitis 4 verba potius emendanda et singulari numero efferenda existimet. Monemus tamen in epist. 150, quæ pluribus metropolitis *a pari* data fuit, in codice Grimanico nunc singulari numero *tua*, nunc *vestra* numero plurali scriptum reperiri.

[j] Respicit anteriorum pontificum, et suas epistolas de vicariatu apostolico episcopi Thessalonicensis.

[k] Vide not. 1 Quesn. et observationem nostram.

Digitized by Google

possit præbere dissensio, per quam valeat dissipare quæ nos magno studio habita cupimus moderatione connectere.

Cap. II. — Invitati fratres [a] in causis maximis, et quæ intra provincias suas finiri nequeant terminandis, si nulla gravi necessitate retinentur, [b] fraternum studium pro Ecclesiæ ulilitate non denegent : maxime cum moderatio nostra [c] providerit, ut non frequens, neque pro levibus causis conveniendi **679** necessitas indicatur ; [d] et binos ternosve episcopos de singulis provinciis adesse sufficiat, ut leve fiat paucis, quod multis esset onerosum ; atque ita efficiatur studio charitatis, ut sacerdotalis tractatus ea quæ ad disciplinam possunt ecclesiasticam pertinere, sancto sibi Spiritu revelante constituat. Id enim nos, volentes quorumdam inobedientiam juxta coercitione corrigere, vestra noverit dilectio definisse : ut quisquis superbo animo, cum nulla corporis, vel causæ fuerit necessitate detentus, fraternum sæpius voluerit vitare conventum, se sciat esse judicandum.

Cap. III. — Et quia memorati fratris nostri sollicita relatione cognovimus Achaiæ provinciæ [e] metropolitanum illicitas et constitutis Patrum nostrisque auctoritatibus interdictas ordinationes sæpe celebrasse, illudque suis ausibus addidisse, ut Thespiensibus invitis et repugnantibus incognitum, et ante non visum episcopum consecraret ; [f] nulli prorsus metropolitano hoc licere permittimus, ut suo tantum arbitrio, sine cleri et plebis assensu quemquam ordinet sacerdotem ; sed eum Ecclesiæ Dei præficiat, quem totius civitatis consensus elegerit. Ut itaque nos desides non sumus in monendo quæ custodiri debeant quæque vitari, ita in exsequendis illis atque servandis neminem esse patimur negligentem : cum custodientem [g] talia laus dignissima comitetur, et fructus, ut speramus, a Domino uberior [h] obsequatur ; devium vero et apostolicæ constitutionis oblitum, obnoxium habitura sit et ecclesiastica et divina censura.

Cap. IV.—Illud quoque pari observantia ad sacerdotalis concordiæ vinculum ab omnibus volumus custodiri, ut nullus episcopus alterius episcopis clericum sibi audeat vindicare, sine illius ad quem pertinet cessione, quam tamen evidentia scripta contineant : quoniam hoc et [i] canonum definivit auctoritas et ipsa servandæ unitatis ratio docet ; ne omnis ordo ecclesiasticus **680** per hanc licentiam efficiatur instabilis. Altius itaque, fratres charissimi, quæ a nobis [j] pio mentis affectu decerni perspicitis, in pectora vestra descendant ; ut nos, qui sollicite cupimus *servare unitatem spiritus in vinculo pacis*, præceptionis nostræ fructum percipiamus, et vestræ dilectionis operibus gratulemur. Volumus enim tam vestrum esse quam nostrum est, ut per charitatis gratiam constituatur, quod nulla insidiantis diaboli arte violetur. Plenius vero observare debent quæ caveri ad ipsum fratrem et coepiscopum nostrum Anastasium [k] scripsimus, eaque in vestram notitiam litteris ipsius volumus pervenire, a quibus fraternitatem vestram nolumus deviare ; ut charitatem Dominicam custodita Patrum sanctione servemus. Data octavo idus Januarias, Aetio III et Symmacho viris clarissimis consulibus.

681 EPISTOLA XIV [l].

[m] AD ANASTASIUM THESSALONICENSEM EPISCOPUM.

Synopsis (Ex Dionysio Exiguo). — I. *Quod semper Thessalonicenses antistites vices apostolicæ sedis im-*

[a] Vide not. 2 Quesn. Mox, *finiri* pro *finire* emendandum credidimus.

[b] In ms. Barb. corrupte habetur *fraternos studios*. Holstenius, quem secutus est Quesnellus, correxit *fraterno se studio*. Cum vero ex ingenio emendandum sit, *fraternum studium* magis placet : nisi aliquid supplendum videatur ex epist. 5, cap. 4, et sexta, cap. 5, hoc modo : *fraterno se studio sanctæ congregationi non denegent*.

[c] Quesnellus in margine indicavit hic significari sequentem epistolam ad Anastasium cap. 10, ac si hæc antea scripta fuisset ; cum tamen eam postea lucubratam probaturi simus. Aliæ ergo innuuntur Leonis ad eumdem Anastasium litteræ, quas ante sequentem epistolam datas ac deperditas ostendemus annot. 1 (infra [m]) in ep. sequentem. Neque novum, si de eadem re etiam in sequenti epistola sermo sit cap. 10. Similia enim in pluribus litteris a Leone repetita inveniuntur.

[d] In ms. habetur *et.... nosve episcopos*. Holstenius supplevit, ut credimus, satis tute, cum epistola sequenti, cap. 10, *binos episcopos* ex singulis provinciis Thessalonicam proficisci S. pontifex jusserit : qui numerus posterius constitutus non impedit quin antea Leo, cum hanc epistolam dedit, latius *binos ternosve* potuerit scribere. In epistola quæ desideratur ad Anastasium, uti superiori annot. indicavimus, quæque una cum his litteris transmissa fuit, hac eadem latiori formula usus credi potest.

[e] Holstenius Petrum Corinthi episcopum credit, qui adfuit synodo Chalcedonensi an. 451. Sed potius judicandus est prædecessor ejus Erasistratus, qui pseudo-synodo Ephesinæ an. 449, interfuit.

[f] Lectionem codicis revocavimus, quam Holstenius nulla re cogente mutavit sic : *illi prorsus metropolitano hoc licere non permittimus*. Ex abusu scilicet metropolitani Achaiæ non singulare illi præceptum, sed generalem legem omnibus præstitutam, et a nullo violandam se præscribere S. pontifex innuit, cum quo consentit generale decretum propositum epistola sequenti c. 5.

[g] Ita codex, et Holstenius. In Quesnelli editione errore typographorum, *talis*.

[h] Corrigendum videtur *subsequatur* : neque enim *obsequor* in subsequendi significatione apud probatos scriptores reperimus.

[i] Vide not. 3 Quesn.

[j] Sic in ms. Quesnellus cum Holstenio, *piæ*.

[k] Quesnellus not. 1 in sequentem epistolam hunc locum de eadem epistola intelligit. Sed in litteris de quibus hic sermo est, S. Leo Anastasio præceperat ut quæ decrevit *in notitiam* Illyricianorum litteris perduceret ; quod in sequenti epistola præceptum nullibi legitur. Similiter epist. 6, ubi alia monita eidem Anastasio dedit, ut ea *in omnium fratrum faceret notitiam pervenire*, cap. 6 expresse mandaverat. Hinc alia ad Anastasium epistola, quæ periit, hoc loco designatur.

[l] Al. 12. Quæ autem erat 14, nunc 18. Scripta post præcedentem.

[m] Quesnellus not. 1 hanc epistolam, quæ in omnibus mss. chronica notatione caret, ante præcedentem

Digitized by Google

pleverint. — II. *Ut metropolitanis sua jura serventur.* — III. *Ut a metropolitanis, non laici, non bigami, non viduarum mariti, sed irreprehensibiles ordinentur episcopi.* — IV. *Quod subdiaconis carnale connubium denegetur.* — V. *Ut nullus invitis ordinetur antistes.* — VI. *Ut metropolitanus* [a] *Epiri de electo quem est ordinaturus in episcopum, ad Thessalonicensem pontificem referat; et de metropolitano electo similiter provinciales episcopi faciant.* — **682** VII. *Ut bina per annos singulos* (Al. *per annum provincialia*) *episcoporum concilia celebrentur; et si res difficilis emerserit, quæ non possit Thessalonicensis judicio terminari* (Al. et in coll. Hisp., *nec fuerit Thessalonicensis episcopi judicio terminata*), *ad Romanum referatur antistitem.* — VIII. *Ut si quis episcopus suam deserens civitatem, majorem sedem ambitus causa petierit, non solum ecclesiam obtinere non poterit, sed et sua carere debebit* (Al. et in Hisp., *nec illam obtinere poterit, et sua carere debebit*). — IX. *Ut nullus alienum clericum sollicitare vel tenere præsumat, suo episcopo non præbente consensum.* — X. *Ut in evocandis provincialibus episcopis, a Thessalonicensi pontifice moderatio conservetur.* (Additur in Hisp., *ne sub hoc colore sacerdotalis honor contumeliis addicatur; nec amplius quam bini de provinciis episcopi, quos metropolitani probaverint, dirigantur*). — XI. *Ut non amplius a statuto concilii tempore, quam dies quindecim remorentur episcopi.* (Additur in Hisp., *Ut si inter eos de negotio fuerit oborta contentio, cuncta* **683** *Romano pontifici sub gestorum insinuatione pandantur, ut ab eo quod Deo placuerit ordinetur.*)

A

Leo episcopus urbis Romæ, Anastasio episcopo Thessalonicensi.

Quanta fraternitati tuæ [b] a beatissimi Petri apostoli auctoritate sint commissa, et qualia etiam nostro tibi favore sint credita, si vera ratione perspiceres et justo examine ponderares, multum possemus de injunctæ tibi sollicitudinis devotione gaudere.

Cap. 1. *De vicariatu Thessalonicensi, et causa Attici Nicopolitani episcopi.* — Quoniam sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis [c] adjuvares, et longinquis a nobis provinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes : [d] siquidem continenti opportunoque prospectu promptum tibi esset agnoscere quid in quibusque rebus vel tuo studio

B

an. 445 scriptam eidemque præmittendam arbitratus est, eo quod ob aliquam sententiarum similitudinem, quæ in utrisque continentur, eam esse credidit quæ in præcedenti allegatur cap. ult., illis verbis : *Plenius vero observare debent quæ caveri ad ipsum fratrem et coepiscopum nostrum Anastasium scripsimus.* Cum vero similes hujusmodi sententiæ seu decreta similia Leo identidem inculcare soleat in epistolis diversis (nonnihil sane simile reperitur epistola 6), hæc similitudo nihil cogit. Potiora autem nobis suppetunt momenta quibus hanc epistolam diversam et posteriorem putemus. In præcedenti epistola cap. 1 S. Leo non solum affirmat se ad Anastasium scripsisse quæ cavenda essent, verum etiam addit : *Eaque in vestram notitiam litteris ipsius volumus pervenire;* quam præcepti partem in his litteris non reperiri observavimus annot. 16 (col. 666 [e]) in epist. antecedentem. Præterea in his litteris cap. 10 Anastasii facultatem in vocandis ad synodum episcopis moderaturus statuit, *binos de singulis provinciis episcopos* sufficere, eosque a metropolitis eligendos, qui non ultra dies 15 retardentur. Cum moderationem Thessalonicensi impositam Illyricianis significare in antecedentibus litteris Leoni expediret, nihil horum prætermisisset, si ea epistola post hanc fuisset scripta, nec latiori et vago sensu *binos ternosve* episcopos sufficere indicasset, *si binos* tantum satis esse antea statuisset. Adde quod in litteris ad Illyricianos cap. 3 traditur Anastasius relationem misisse de Corinthiorum episcopo Achaiæ metropolita. De hac autem re aliquid Anastasio rescripsisset S. Leo in hac epistola, si ea scripta fuisset aut eodem die aut paulo ante quam laudatas litteras ad Illyricianos traderet. Porro plures litteras a Leone Anastasio datas vel redditas indicant illa cap. 1 : *Abundant enim apud te monitorum scripta nostrorum, quibus de omnium actionum temperantia frequenter instruximus.* Aliæ igitur epistolæ ante hanc scriptæ ea videntur prætulisse quæ in præmissis ad Illyricianos litteris indicantur, ita ut hæc epistola non anterior, sed posterior habenda sit, id est scripta post diem 6 Januarii an. 446. Porro factum Attici Epiri metropolitæ Anastasio curante Thessalonicam adducti, quod eidem scribendæ occasionem dedit, *hieme* contigit ex cap. 1. Num id pertineat ad hiemem exeuntis anni 445, aut ineuntis 446, an vero ad hiemem subsequentem, dubitari posset. At ne ad subsequentem prorahamus, impedit sollicitudo Anastasii, quæ in

C

cogendis citius ad officium Illyrici metropolitis longiores moras non videtur tulisse erga Atticum solius infirmitatis impedimenta allegantem, ne evocatus Thessalonicam accederet. Confer quæ in hanc rem addidimus in dissert. *de Epistolis deperditis* num. 14. Si autem hoc factum Attici affigendum sit hiemi exeuntis anni 445 vel ineuntis 446, ut congruum tempus detur profectioni ejus Romam, ubi de vi sibi illata conquestus est, quo et Anastasii diaconi cum ejusdem litteris transmissi fuere, hæc epistola ipso anno 446 aliquanto post Januarium exarata dici debet. Hæc vero epistola exstat in mss. collect. 2, 3 et 5 usque ad 13, atque in 20 usque ad 24. Reperitur etiam in Vat. Reginæ 849, nec non capitibus 3 et 4 per saltum omissis in Vat. 1347 ac Palatino 579. — In tabula titulorum præmissa collect. 5 in ms. Thuaneo hæc leguntur num. 72 : *Ad Anastasium episcopum Thessalonicensem super nimietatis arrogantia vicis apostolicæ sedis redargutio cum subjectis sex titulis decretorum.* Indicantur autem decreta seu capita sex quæ longo epistolæ proœmio subjiciuntur. Primum caput incipit a capite tertio nostræ editionis; caput secundum a verbis cap. 6, *Metropolitano vero defuncto;* tertium a cap. 7; quartum a cap. 8; quintum a cap. 9; sextum a cap. 10 usque ad finem epistolæ. Synopsim, quam ex Dionysio præmisimus, ad Vaticanum parum Dionysianum cod. 5845 revocavimus.

D

[a] Editi Leonis ante Quesn. omittunt *Epiri*. In textu quidem generalis lex de omnibus Illyrici metropolitanis fertur. At Dionysius, ex quo tituli sumpti sunt, *Epiri* scripsit.

[b] Cod. Vindeb. Hisp. delet præpositionem *a*. Post pauca, mss. collect. 3, 5 et 24, ac Vat. Reg. 849, habent *sede* pro *auctoritate*. Sichardus, *a beatissimo Petro apostolo*. Vide not. 2 Quesn.

[c] Collect. Hisp. et Isid. ac mss. collect. 21 cum Ratramno in opere adversus Græcos tom. 1 Spicilegii Acheriani pag. 110, necnon editi ante Quesnellum addunt *effectus*. Mox codd. collect. 24 cum Sichardo et antiquioribus editis pro *a nobis* præferunt *ab apostolica sede*. Vide not. 3 Quesn.

[d] Codd. Dionys. atque Hadrian. pro *siquidem* habent *et*. Editi cum mss. collect. 24 et Sichardo, *quia de continenti*. Mss. Thuan. et Cantab. apud Quesn. in margine : *Si quidem convenienti*.

Digitized by Google

componeres, vel nostro judicio reservares. Nam cum [a] majora negotia et difficiliores causarum exitus liberum tibi esset sub nostræ sententiæ exspectatione suspendere, nec ratio tibi nec necessitas fuit in id quod mensuram tuam excederet deviandi. Abundant enim apud te [b] monitorum scripta nostrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter instruximus: ut commendatas **684** tibi Christi Ecclesias, per exhortationem charitatis ad salubritatem [c] obedientiæ provocares. Quia etsi plerumque existant inter negligentes vel desides fratres, [d] quæ oporteat majore auctoritate curari, sic tamen est adhibenda correptio, ut semper sit salva dilectio. Unde et beatus apostolus Paulus, ad ecclesiasticum regimen Timotheum imbuens, dicit: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores, in omni castitate* (I *Tim.* v, 1). Quæ moderatio si quibuscumque inferioribus membris ex apostolica institutione debetur, quanto magis fratribus et coepiscopis [e] nostris sine offensione reddenda est? ut [f] licet nonnumquam accidant, quæ in sacerdotalibus sunt reprehendenda personis, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam commotio, plus charitas quam potestas. [g] Sed ab his qui *quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi* (*Philip.* II, 21), facile ab hac lege discreditur, et dum dominari magis quam consulere [h] subditis placet, honor inflat superbiam, et quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam: [i] quod, ut necesse habeamus ita dicere, non de parvo animi dolore procedit. Meipsum enim quodammodo [j] in culpam trahi sentio, cum te a traditis tibi regulis immodice discessisse cognosco. Qui si tuæ existimationis parum diligens eras, meæ saltem famæ parcere debuisti: ne quæ tuo tantum facta sunt animo, nostro viderentur gesta judicio. Relegat fraternitas tua paginas nostras, omniaque ad tuos emissa majores apostolicæ sedis præsulum scripta percurrat, et vel a me vel a præcessoribus meis [k] inveniat ordinatum, quod a te cognovimus esse præsumptum.

685 Venit namque ad nos cum episcopis provinciæ suæ frater noster Atticus, veteris Epiri [l] metropolitanus antistes, et de indignissima [m] afflictione quam pertulit, lacrymabili actione conquestus est coram astantibus diaconibus tuis, qui [n] querelis flebilibus nihil contra referendo, ea quæ nobis ingerebantur, fide non carere monstrabant. Legebatur quoque in litteris tuis, quas iidem diaconi tui detulerunt, quod frater Atticus Thessalonicam venisset, quodque consensum suum etiam scripturæ professione [o] signasset, ut de illo non aliud a nobis posset intelligi, quam proprii arbitrii et spontaneæ devotionis fuisse, quod venerat, quodque chartulam de obedientiæ sponsione conscripserat, in cujus tamen chartulæ mentione signum [p] prodebatur injuriæ. Non enim necessarium fuerat ut obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso jam voluntarii adventus probabat officio. Unde deplorationibus supradicti hæc verba epistolæ tuæ testimonium præbuerunt, et per hoc quod non est tacitum nudatum est illud quod silentio fuerat adopertum, [q] aditam scilicet Illyrici præfecturam, et sublimissimam inter mundanos apices potestatem [r] in exhibitionem insontis antistitis incitatam: ut missa executione terribili, quæ omnia sibi officia publica ad effectum præceptionis adjungeret, a sacris Ecclesiæ aditis, nullo vel falso insimulatus crimine, extraheretur sacerdos, cui non ob molestiam ægritudinis, [s] non ob sævitiam hiemis darentur induciæ; sed iter asperum et periculis plenum per invias nives

[a] Mss. Thuan. et Cant., *majores causæ*.

[b] In mss. collect. 24 et Sichardo, *monumentorum*. Cum una tantum supersit epist. 6 Anastasio ante id tempus data; alias, quæ *abundare et frequenter* datæ dicuntur, desiderari cognoscimus.

[c] In Dionys. atque Hadrian. ac duobus mss. Thuan., *audientiæ*. Mox, *existunt* in ms. Vindebon. collect. 5, in Vat. Hisp. et Isid., nec non in duobus Hadrian. Vercellensibus, et apud Justellum.

[d] Iidem codd. Vat., Hisp. et Isid., *quos oporteat*. Dein, pro *auctoritate*, mss. tria Quesnelli, *austeritate*.

[e] Cod. Vindeb. collect. 5 delet *nostris*.

[f] Dist. 45, *Licet nonnumquam*.

[g] Hanc lectionem, quam Quesnellus ex suis codicibus not. 4 laudatis emendavit, nostri quoque fere omnes et certe potiores confirmant. Vulgatam lectionem: *Sed hi qui quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi, facile ab hac lege discernuntur, et dum dominari*, præferunt mss. col. 24 et exemplum Sichardi.

[h] Ratramnus loco allegato, et in edit. Concil., *subditis quærunt, placet honor, inflat superbia*.

[i] Antiquissimus Vat. 1342 collect. 5: *Quod utique necesse habemus, ita dicimus*. Alias Vat.: *Quod, ut necesse habemus dicere*; idque insereremus textui, si aliis probæ notæ codicibus fulciretur. Justellus quoque legit *habemus*.

[j] Al., *in culpa sentio*. Mox, *deviasse* pro *discessisse* in Vulg. ante Quesn. cum mss. collect. 24 et Sichardo. Codd. Vind. col. 5 et Vercell. Hadrian., *desolvisse*.

[k] Mss. Vat. Hisp. et Isid., cum Ratramno et Justello, atque Vulg. ante Quesn., *inveniet*, perperam; neque enim in Leonis aut prædecessorum epistolis inveniri poterat ordinatum, quod S. Leo ab Anastasio præsumptum conqueritur. *Inveniat* urgentis simul et negantis vim habet.

[l] Ita mss. Quidam editi ex Crabbo, *Nicopolitanus*. Vide not. 5 Quesn.

[m] Quesnellus prætulit *astrictione*, quam lectionem ipse in uno, quem not. 6 allegat ms. Victor., nos in Vat. 544 utroque collectionis 24 et apud Sichardum reperimus. Cæterorum omnium cum editorum, tum codicum lectionem restituendam putavimus.

[n] Ms. Corb. collect. 2 apud Quesn. in marg., *querulis fletibus*. Paulo post, Ratramnus cum Vat. Hisp. et Isid., *iidem ad me diaconi tui*. In Vindeb. collect. 5 et in Vat. Dionysii cum editis ante Quesn. deest *tui*.

[o] Cod. Vindebon. collect. 5 inserit *sua*, et paulo post, *possit* pro *posset*, et *fuisset* pro *fuisse*, et *conscripserit* pro *conscripserat*.

[p] Vat. Hisp. cum duobus aliis mss. collect. 24 *probatur injuriæ*.

[q] Mss. collect. 24 cum editis ante Quesn. et Sichardo, *adhibitam*. Cæteri nostri codices, ut in textu. Solus Vindeb. collect. 5, prima manu, *aditam*, secunda vero emendatum *adhibitam*.

[r] Vide not. 7 Quesn.

[s] Cod. Vat. collect. 24 cum Sichardo, *non obstantis hiemis*; et paulo post, *per invias cautes*.

Digitized by Google

agere cogeretur. Quod tanti laboris, tantique discriminis fuit, ut ex his qui episcopum comitati sunt, quidam defecisse dicantur.

686 [a] Multum stupeo, frater charissime, sed et plurimum doleo, quod in eum de quo nihil amplius indicaveras quam quod evocatus adesse differret, et excusationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter, et tam vehementer potueris commoveri : præsertim cum etiam si tale aliquid mereretur, exspectandum tibi [b] fuerit quid ad tua consulta rescriberem. Sed, ut video, bene de moribus meis existimasti, et quam [c] civilia pro conservanda sacerdotali concordia responsurus essem, verissime prævidisti : et ideo motus tuos exsequi [d] sine dissimulatione properasti, ne cum moderationis nostræ aliud disponentia scripta sumpsisses, faciendi id quod factum est licentiam non haberes. An forte aliquod tibi facinus [e] innotuerat, et metropolitanum episcopum novi apud te criminis pondus urgebat? At hoc quidem alienum ab illo esse, etiam tu nihil ei objiciendo [f] confirmas. Sed etiam si quid grave intolerandumque committeret, nostra erat exspectanda censura; ut nihil prius ipse decerneres, [g] quam quid nobis placeret agnosceres. Vices enim nostras ita tuæ credidimus charitati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Unde sicut multum nos ea quæ a te pie sunt curata lætificant, ita nimium ea quæ perperam sunt gesta contristant. Et necesse est, post multarum experimenta causarum sollicitius prospici, et diligentius præcaveri, quatenus per spiritum charitatis et pacis, omnis materia scandalorum de Ecclesiis Domini quas tibi commendavimus auferatur, [h] præeminente quidem in illis provinciis episcopatus tui fastigio, sed amputato totius usurpationis excessu.

687 Cap. II. *De jure metropolitarum sub vicario Thessalonicensi degentium conservando.* — Igitur secundum sanctorum Patrum canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, metropolitanos singularum provinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus; ita ut a regulis præstitutis, nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.

Cap. III. *Quinam a sacerdotio sint arcendi.* — In civitatibus quarum rectores obierint, de substituendis episcopis hæc forma servetur : ut is qui ordinandus est, etiamsi bonæ vitæ [i] testimonium habeat, non laicus, non neophytus, nec secundæ conjugis sit maritus, [j] aut qui unam quidem habeat, vel habuerit, sed quam sibi viduam copularit. [k] Sacerdotum enim tam excellens est electio, ut hæc quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.

Cap. IV. *De subdiaconorum continentia.* — Nam cum extra [l] clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati et procreationi filiorum studere sit [m] liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec [n] subdiaconis quidem connubium carnale conceditur : *ut et qui habent, sint tamquam non habentes* (I *Cor.* VII, 29), et qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri, quanto magis in primo [o] aut secundo, vel tertio **688** servandum est, ne aut levitico, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus æstime-

[a] 3, qu. 6, *Multum*, c. 8.

[b] Editi ante Quesn. cum Ratramno et ms. Vindeb., Hisp. aliisque codd. collect. 21, *fuerat*. Hi postremi mox præferunt *quid consulti rescriberemus*.

[c] Vide not. 8 Quesn.

[d] Ita Dionysius, tres Thuanei codd. et unus Corb. a Quesnello in margine laudati, nec non plerique et potiores nostri exceptis mss. Hisp., Isid. et alii collect. 24, in quibus cum Ratramno, Sichardo, et anterioribus editis habetur *sine dilatione*. Mox, *aliud disponentis* in Vat. collect. 24 et Sichardo.

[e] Ratramnus et mss. collect. 24 cum Sichardo et Vulg. addunt *fratris*. Mox, *metropolitanum*, quod legebatur in editis ante Quesn., restituimus ex plerisque nostris diversarum collectionum codicibus, præsertim Vat. 1342 collect. 3 et alio Vat. puro Dionysiano. In duobus Vindebon., altero collect. 5, altero Hisp., legitur *Nicopolitanum*, quod sine ullo sensus discrimine Quesnellus recepit; Epiri enim metropolitanus, cujus hic mentio est, erat Nicopolitanus episcopus. Dein, *apud te criminis pondus arguebat* est in mss. Vat. Hisp. et Isid., nec non in Vat. collect. 3, et in collect. 21. Vindebon. collect. 5 habet tantum *arguebat*. In codd. autem Vindebon. Hispan., et Vat. collection. 24, ac anterioribus editis, *apud te criminis pondus urgebat*.

[f] Quatuor codd., *confirmasses*. Melius in marg. editionis Labb., *cognosceris confirmasse*. Postea editi ante Quesn. cum mss. collect. 24, *gessisset*; cæteri codices, *committeret*.

[g] Justellus, *quam quod nobis placere cognosceres*.

[h] 25, qu. 2, *Igitur*, c. 5.

[i] Ita cum Quesnello antiquissimus Vat. collect. 3 et Vindebon. collect. 5, necnon codd. collect. 24 et exemplum Sichardi Dionysius. Et aliæ collectiones cum cæteris editis, *testimonio fulciatur*.

[j] De necessaria hujus loci emendatione, quam plerique nostri antiqui codices præferunt, vide notam 9 Quesnelli. Solum quidam codices collect. 21, vulgatam lectionem exhibent, *aut qui vel unam quidem habeat, vel habuerit, sed nec qui sibi viduam copularit*. Alii vero ejusdem collect. cum utroque Hisp. et cum Vat. Isid., *aut qui unam quidem habeat, vel habuerit, sed nec quam sibi viduam copularit :* at particula *nec* delenda in Vat. Isid., subducta linea notatur. Ms. Vat. collection. 3, *sed quam sibi viduam non copularit*.

[k] Dist. 32, *Omnium sacerdotum*, c. 1.

[l] Vide not. 10 Quesn.

[m] Quesnellus nihil indicans, post vocem *liberum* adjecit *arbitrium :* quod in Dionysio quidem, in Hisp., Isid. aliisque posterioribus collectionibus reperimus. Sed magis Leonina visa est lectio anteriorum editionum, quæ cum mss. collect. 3, 5 et 24, Merlino et Sichardo, hoc substantivum prætermittit.

[n] Vide not. 11 Quesnelli.

[o] Cod. Vat. Dionysii et Justellus, *vel secundo tertiove*. Mox, *levitico ministerio* in mss. collect. 24 cum editis ante Quesnellum : qui præterea corrigendus est, cum in postilla marginali notaverit, vocem *ministerio* in editis additam *deleri in omnibus mss. codd.* Eam uti maxime congruam insereremus textui, si quibus mss. alterius antiquioris collectionis probaretur.

Digitized by Google

tur, qui se a voluptate [a] uxoria necdum frenasse detegitur.

Cap. V. *De cleri plebisque postulatione et consensu in episcoporum electione.*— [b] Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur quem [r] cleri plebisque consensus concorditer postularit: ita ut si in aliam forte personam partium se vota diviserint, metropolitani judicio is alteri præferatur qui majoribus et studiis juvatur et meritis: tantum ut nullus invitis et non petentibus ordinetur; [d] ne civitas episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit; et fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuerit habere quem voluit.

Cap. VI. *De consecrando episcopo ad Thessalonicensem referendum esse intra vicariatum ejus.* — [e] De persona autem consecrandi episcopi, et de cleri plebisque consensu metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat; quodque in provincia bene placuit, scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Quæ rectis dispositionibus nihil moræ aut difficultatis debebit afferre, ne gregibus Domini diu desit cura pastorum.

[f] Metropolitano vero defuncto, cum in locum ejus alius fuerit subrogandus, provinciales episcopi ad civitatem metropolim convenire debebunt, ut omnium clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex presbyteris [g] ejusdem Ecclesiæ, vel ex diaconis optimus eligatur, de cujus nomine ad tuam notitiam provinciales referant sacerdotes, impleturi vota poscentium, [h] cum quod **689** ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognoverint. Sicut enim justas electiones nullis dilationibus volumus fatigari; ita nihil permittimus te ignorante præsumi.

Cap. VII. *De conciliis provincialibus frequentandis.* — De concilils autem episcopalibus non aliud indicimus quam [i] sancti Patres salubriter ordinarunt: ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis quæ inter diversos A Ecclesiæ ordines nasci assolent, judicetur. Ac si forte inter ipsos qui præsunt de majoribus (quod absit) peccatis causa [k] nascitur, quæ provinciali nequeat examine definiri; fraternitatem tuam de totius negotii qualitate metropolitanus curabit instruere, ut si coram positis partibus nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram cognitionem, quidquid illud est, transferatur.

Cap. VIII. *De translationibus episcoporum amputandis.* — [l] Si quis [m] episcopus, civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, et ad majorem se plebem quacumque [n] ratione transtulerit, a cathedra quidem pelletur aliena, sed carebit et propria: ut nec illis præsideat quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per superbiam B sprevit. Suis igitur terminis quisque contentus sit, nec supra mensuram juris sui affectet augeri.

Cap. IX. *De clericis transfugis.* — [o] Alienum [p] clericum, invito episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi forte ex placito charitatis id inter dantem accipientemque convenerit. **690** Nam gravis injuriæ reus est qui de fratris Ecclesia id quod est utilius aut pretiosius audet vel [q] allicere, vel tenere. Itaque si intra provinciam res agitur, transfugam clericum ad suam Ecclesiam metropolitanus redire compellet. Si autem longius recessit, tui præcepti auctoritate revocabitur; ut nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur.

Cap. X. *De episcoporum a metropolita vocatione.* — In evocandis autem ad te episcopis moderatissimum C esse te volumus, ne per majoris diligentiæ speciem fraternis gloriari videaris injuriis. Unde si causa aliqua major exstiterit ob quam [r] rationabile ac necessarium sit fraternum advocare conventum, binos de singulis provinciis episcopos, quos metropolitani crediderint esse mittendos, ad fraternitatem tuam venire sufficiat, ita [s] ut a præstituto tempore non ultra quindecim dies qui convenerint retardentur.

[a] Justellus, *uxoris*. Mss. Hisp., Isid. et collect. 21, *e voluptate luxuriæ*.

[b] Dist. 63, *Si forte*, c. 36; Decret. Ivo. lib. III.

[c] Vide not. 13 Quesn.

[d] Editiones Quesnello anteriores cum mss. Hisp., Isid. et collect. 21, *ne plebs invita episcopum*. In fine capitis pro *voluit*, alias *voluerit*.

[e] Dist. 63, *De persona*, c. 4.

[f] Dist. 63, *Metropolitano*, c. 19; et dist. 77, in princip.

[g] Vide not. 14 Quesnelli, et ad verba *ex diaconis* vide not. ejusdem 15.

[h] Vulgat. ante Quesn. cum codd. collect. 24, *si quod*.

[i] Dist. 18, *De conciliis*, c. 3; et in Decret. Ivo. lib. IV.

[j] Vide not. 16 Quesn.

[k] Mss. Vat. Dionys. et codd. collect. 24 cum Merlino et Sichardo, *nascatur*. In fine capitis, pro *transferatur* ms. Vindeb. Hisp. habet *referatur*.

[l] 7, qu. 1, *Si quis episcopus*, c. 1.

[m] Dionys. cum. mss. Hadrian., Hisp. et Isid., inserunt *autem*. Vide not. 17 Quesn.

[n] Mss. Vat. collect. 3, Vindebon. collect. 5 et codd. collect. 24 cum editis ante Quesn., *occasione*; cæteri nostri et omnes Quesnelli in margine ab eodem citati, *ratione*. Mox *pellatur* pro *pelletur* in codd. Dionys., Hadrian., Hisp. et Isid.

[o] Vide not. 18 Quesn. Post pauca editi ante Quesn. cum mss. Vat. Dionysii et duobus Hadrian. ac Vindeb. Hisp., *conveniat*.

[p] 19, qu. 2, *Alienum clericum*, c. 1.

[q] Quesnellus in margine: *Ita edit. Nicolini, Merlini, Romana, et posteriores omnes, et codices mss. tres. Alii quatuor cum Dion., Cresc., Sichard., Canis. edit., habent* abjicere, *et hoc male*. Omnes fere nostri codices habent *allicere*, pro quo Vat. Dionysii *illicere*, æque bene. Nostra quoque Sichardi editio habet *allicere*. Soli mss. libri Vat. Hisp. et Isid., *abjicere*. At Vindebonensis, qui puriorem Hispanicam refert, *allicere*. Mox, *agatur* in antiquioribus editionibus non solum cum mss. collect. 24 et Sichardo, verum etiam cum Vindeb. collect. 5, pro *agitur*. Et paulo post in Vat. Dionysii et Vindeb. Hisp., *compellat* pro *compellet; processit* vero pro *recessit* in antiquis editionibus et mss. collect. 24.

[r] Quesnellus ex mss. addidit *rationabile, ac*. Hæ voces leguntur quoque in nostris codicibus. Desunt in mss. collect. 24. Post pauca, *suffecerit* pro *sufficiat* in Vat. collect. 3.

[s] Hic incip. cap. 11 Dionys. Exig.

Digitized by Google

CAP. XI. *Dissentientibus a Thessalonicensi cæteris episcopis, Romanum esse consulendum.* — Si autem in eo quod cum fratribus tractandum definiendumve crediderit diversa eorum fuerit a tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione [a] referantur, ut, remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat decernatur. Ad hunc enim finem omnem affectum nostrum curamque dirigimus, ut quod ad unitatem concordiæ, et quod ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur. Et te igitur, frater dilectissime, et eos fratres nostros qui de tuis offenduntur excessibus, cum tamen non similis sit [b] omnibus materia querelarum, hortor et moneo, ut quæ pie sunt ordinata, salubriterque disposita nulla concertatione turbentur.

691 Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius (*Philip.* II, 4, 21), sicut Apostolus ait: *Unusquisque* [c] *vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem* (*Rom.* XV, 2). Nec enim poterit unitatis nostræ firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculum charitatis astrinxerit: quia *sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* (*Rom.* XII, 5; I *Cor.* XII, 12). [d] Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit: et hæc connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum. [e] Quibus cum dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis: quoniam et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præmineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est ne omnes sibi omnia vindicarent; sed essent in singulis provinciis singuli, quorum **692** inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluereret, et nihil usquam a suo capite dissideret. [f] Qui ergo scit se quibusdam [g] esse præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum; sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat: et sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alii importabile pondus imponere (*Matth.* XXIII, 4).

[a] Ita plerique mss. libri, et editi cum Dionysio. Quesnellus, *referentur*.

[b] Mss. collect. 24 cum Vulg. ante Quesn., *omnium*.

[c] In mss. Hisp. et Isid. atque in codd. collect. 21 omittitur *vestrum*. Mox *in bono* pro *in bonum* habent editi ante Quesn. cum ms. Vindebon. collect. 5, in quo paulo ante, *et sicut Apostolus*.

[d] Idem Vindebon. collect. 5, *Hæc connexio*.

[e] De lectione quidem Dionysii dubitandum non est, ut dubitavit Quesnellus not. 19. Nam in antiquissimo Vaticano et puro Dionysiano codice habetur: *Quibus etsi dignitas communis non est, tamen ordo generalis est.* Concordant mss. libri Vat. Hisp. et Isid., nec non omnes Hadrianei; præterea Florentinus collect. 13 et codex peculiaris originis Vat. 1347, ac tandem mss. collect. 21. Quesnellus ex suis codd. collect. 2 et 5, nimirum Corbeiensi, et Trecopithœano, et quatuor aliis Thuaneis hanc aliam lectionem textui inseruit, quam nos in uno Vindebon. Hisp. invenimus: *Quibus etsi dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis. Clarius vero et cavillationi minus obvium*, inquit in laudata nota, *habent cod. Victor. ms. et editiones Surii, Merlini, et Nicolini, cum sic legant: Quibus cum dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis.* Tota mutatio est vocis *etsi* in *cum*; cui quoque particulæ non raro apud probatos scriptores exemplo *tamen* subjicitur. Nobis autem hæc lectio magis placuit, cum eam præferant codices Vat. collect. 3, Vindebon. collect. 5, Vat. collect. 24, peculiaris Vat. Reginæ 849, et præter exemplum Merlini collect. 12 etiam exemplum Sichardi. Eodem tamen utraque recidit nostra et Quesnelli lectio: unde hæc probatur auctoritate plurium collectionum; quarum tres si non superant ætatem Dionysii, eidem profecto suppares existunt, et ab eodem fonte profluere dici nequeunt. Contextus quidem hanc lectionem videtur postulare. In ejusmodi enim propositionibus ex duplici commate constantibus, postremum comma particula *tamen* affectum illud est, quod probandum assumitur. Probationes autem quæ a Leone subjiciuntur, quæque discrimen inter episcopos statuunt, non affirmativam propositionem, qualis apud Dionysium legitur, *tamen ordo generalis est*, videlicet sine discrimine; sed hanc negativam a nobis receptam, *non est tamen ordo generalis*, efflagitant. Cum porro S. Leo in sequentibus fateatur, sicut olim inter apostolos, ita postea inter episcopos potestatem esse diversam; *dignitatem*, quam episcopis communem affirmat, non pro potestate et jurisdictione accipit, sed pro episcopatus honore, seu charactere, qui sane idem in omnibus est: *ordinem* vero, quem dum *generalem* inter episcopos negat, diversum insinuat, non sumit pro sacro episcopali ordine, ut vocare solemus, sed pro ordine hierarchico, qui cum jurisdictionem et auctoritatem majorem in aliis, in aliis minorem requirat, *non est* utique *generalis*, id est idem in omnibus sine jurisdictionis discrimine. Hinc ex apostolorum forma, qua Petrum cæteris auctoritate et jurisdictione præfectum pontifex hoc loco indicat, et aliis in locis apertius declarat, episcoporum distinctionem ortam tradit, *in quibus non omnes sibi omnia similiter vindicarent, sed quidam in provinciis singulis haberent primam sententiam*, uti metropolitæ, *quidam* vero *in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem*, nimirum non tam in episcopos quam in metropolitas ipsos, a quibus *obedientiam exigerent*, uti exarchi, seu patriarchæ, ac ipse episcopus Thessalonicensis, quem vicarium sedis apostolicæ cum peculiari jure toti Illyrico idem Leo ejusque antecessores præfecerant. Hæc autem eo consilio ordinata pronuntiat, ut per hos *ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluereret, et nihil usquam a suo capite dissideret*: quibus summam Romani pontificis auctoritatem, et jurisdictionis primatum, unitatem Ecclesiæ prospicientem declarat. Ita quatuor veluti ordines, seu gradus hierarchicos inter episcopos astruit, episcopalem, metropoliticum, exarchicum seu vicarii apostolici, et pontificium: hisque *etsi dignitatem* episcopalis honoris seu characteris affirmat *communem*, *ordinem tamen* hierarchicum *generalem non esse* monet, cum pro diversitate gradus hierarchici auctoritate et potestate distinguantur. Qui hoc testimonium ad æquale omnium episcoporum jus trahunt, voces *dignitatis* et *ordinis* in recentiorem sensum a Leonis mente alienissimum et a contextu dissentientem interpretantes, imperitis fucum facere nituntur.

[f] 2, qu. 6, *Qui scit se*, c. 14.

[g] Cod. Vindebon. collect. 5 et alius Hisp. delent *esse*.

Digitized by Google

Discipuli enim sumus humilis et mitis magistri, dicentis : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 29). Quod quomodo experiemur, nisi et illud in observantiam venias, quod idem Dominus ait? *Qui major est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; et qui se* [a] *humiliat exaltabitur* (*Matth.* XX, 26; *Marc.* X, 43; *Luc.* XVII, 26; *Luc.* XIV, 11).

693 [b] EPISTOLA XV.

[c] AD TURIBIUM ASTURICENSEM EPISCOPUM.

[d] *De Priscillianistarum erroribus.*

[e] Synopsis (Ex collectione Hispanica). — I. *Contra Priscillianistas, qui sanctam Trinitatem, non personis, sed tantum nominibus distinguunt.* — II. *Adversus id quod Dei Filium posteriorem fuisse credunt quam Patrem.* — III. *Adversus id quod dicunt ideo unigenitum dici Christum, quia solus sit de virgine natus.* — IV. *De Natali Domini, quod in eo Priscillianistæ jejunia celebrent.* — V. *Adversus id quod aiunt animam hominis ex divina esse substantia.* — VI. *Contra id quod aiunt diabolum ex se vel ex chao esse, et propriam* [Quesn. et unus noster codd. addunt *non*] *habere naturam.* — VII. *Contra illud quod nuptias et procreationes filiorum astruunt esse peccatum.* — VIII. *Contra id quod corpora humana diaboli dicunt esse figmenta, et a dæmonibus* 694 *in utero formari.* — IX. *Contra id quod filios repromissionis ex Spiritu sancto dicunt esse conceptos.* — X. *Contra id quod animas in cœlestibus peccare credunt* [Al. *dicunt*], *et secundum qualitatem peccati in hoc mundo accipere sortem vel bonam vel malam.* — XI. *Contra id quod fatalibus stellis dicunt animas hominum obligatas.* — XII. *Contra id quod sub aliis potestatibus partes animæ, sub aliis corporis membra describunt.* — XIII. [f] *Contra id quod patriarcharum nomina per singula corporis membra disponunt* [Al. *describunt*]. — XIV. *Contra id quod duodecim signa, quæ mathematici observant, per corpus omne distinguant.* — XV. *De apocryphis scripturis eorumdem Priscillianorum.* — XVI. [g] *De libro Dictinii* [Al. *Dicticinii*].

LEO episcopus TURIBIO episcopo [h] salutem.

Quam laudabiliter pro catholicæ fidei veritate moveris, et quam sollicite Dominico gregi devotionem officii pastoralis impendas, tradita nobis per [i] diaconem tuum fraternitatis tuæ scripta demonstrant, quibus notitiæ nostræ insinuare curasti, 695 qualis in regionibus vestris [j] de antiquæ pestilentiæ reliquiis errorum morbus exarserit. Nam et [k] epistolæ sermo, et commonitorii series, et libelli tui textus eloquitur [l] Priscillianistarum fetidissimam apud vos

[a] Ms. Vindeb. collect. 5, *humiliaverit.*

[b] Scripta 21 Julii an. 447.

[c] Hæc epistola exstat in mss. collect. 1, 2, 3, 5, 8, Ilisp., Isid. 11, 12, 18 et 20 usque ad 24. Eamdem relegimus ad codices cujuscumque collectionis, exceptis 2 et 18, quibus Quesnellus usus est. Præcipue autem memorandi sunt codd. Vat. Reg. collect. 1, Vat. collect. 3, Vindebon. collect. 5 et Vaticanus 5845, qui in additionibus continet collectionem 8 cum hi mira antiquitate et raritate cæteris præstent. Turibii porro nomen quam varie scribatur in mss. vide not. 4 Quesnelli.

[d] Confer Aug. hær. 70 et concilii Bracar. I canones.

[e] Vulgatorum titulos qui ex collectione Hispanica derivant, ad codicum lectionem revocavimus. In tabula autem collect. 5, num. 71, quam ex Thuaneo codice Quesnellus edidit, hi tituli leguntur: *Constitutio ad Turbium episcopum Asturensem super sexdecim capitulorum consulta Priscillianistarum blasphemiis in octodecim respondens capitulis; id est:*

I. *Quod et Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam asserunt esse personam.*

II. *De processionibus quarumdam virtutum ex Deo, quas habere cœperit, et quas essentia sui ipsa processerit.*

III. *Ideo unigenitum dici Filium Dei, quia solus sit natus ex virgine.*

IV. *Quod natale Christi honorare se simulent.*

V. *Quod animam hominis divinæ asserant esse substantiæ.*

VI. *Quod diabolus numquam fuerit bonus, nec natura ejus opificium Dei sit.*

VII. *Quod nuptias damnent, et procreationem nascentium perhorrescant.*

VIII. *Quod humana corpora in mulierum uteris in conceptione seminum dæmonum opere figurentur.*

IX. *Quod promissionum filii ex mulieribus quidem nati, sed ex Spiritu sancto concepti sint.*

X. *Animas hominum, antequam intererentur humanis corporibus, fuisse in corpore, et in cœlesti habitatione peccasse.*

XI. *Quod fatalibus stellis et animas hominum et corpora astringant.*

XII. *Quod sub aliis potestatibus partes animæ, sub aliis corporis sint membra.*

XIII. *Quod omne corpus Scripturarum canonicarum sub patriarcharum nominibus accipiendum sit.*

XIV. *Statum corporis sub potestate siderum atque signorum pro terrena qualitate teneri.*

XV. *Quod multos codices detestandæ perfidiæ præsumptione diabolica canonicos esse simulata titulaverint veritate: quodque ea quæ extra canonicas Scripturas reperta fuerint, igne debeant concremari.*

XVI. *De tractatibus Dictinii abjiciendis.*

XVII. *De his sacerdotibus qui errantibus non resistunt.*

XVIII. *Si descendente ad inferna Christo, caro ejus requieverit in sepulcro.*

[f] Cum in editis hic titulus deesset, illum ex ingenio supplevit Quesnellus sic: *Contra id quod Scripturarum scientiam subvertunt.* Nos ipsum collectionis Hispanicæ titulum ex mss. expressimus.

[g] Ita cum editis unus noster codex. Cæteri perperam: *Emendanda de libro Turribii episcopi.* Cod. Vindebon. Hisp. pro *episcopi* habet *episcopus sanctus.*

[h] Cod. Vindebon. collect. 5 addit *Asturiensi*, legendum *Asturicensi*; et delet *salutem.*

[i] Hunc *Pervincum* nominari ab Idatio in Chronico, Quesnellus in margine animadvertit. In cod. Vindebon. Hisp. nominis proprii signum distinguitur.

[j] Duo codices et editi ante Quesn., *de antiquis.* Mox in Vat. Hisp., *error vel morbus* pro *errorum morbus.*

[k] Vide not. 2 Quesn., qui mox ex mss. edidit *eloquitur*, cum antea ex solis codd. collect. 24 legeretur *demonstrant.*

[l] Vide not. 3 Quesn. Mox pro *fetidissimam*, alias *fœdissimam.* Porro *sententiam* pro *sentinam* habent quidem plerique nostri codices collect. 1, 3, 8. Vat., Hisp. et Isid., cum mss. collect. 21, quibus etiam accedunt codices Corb. collect. 2 et Griman. collect. 18 a Quesnello laudati eadem nota 3. Nihilo tamen minus lectionem *sentinam* præferunt non solum omnes vulgati, sed etiam nostri mss. libri collect. 5, 11, 12, 24, nec non ipse codex Grimanicus collect. 18 prima manu, ut idem Quesnellus fatetur, ac præcipue Vindebonensis puram continens collectionem Hispanicam, quæ hanc epistolam in Hispaniam missam e puriori fonte hausisse credenda est. Hinc ab hac vulgata lectione haud discedendum cre-

Digitized by Google

recaluisse sentinam. Nihil est enim [a] sordium in quorumcumque sensibus impiorum, quod in hoc dogma non confluxerit : quoniam de omni terrenarum opinionum luto multiplicem sibi [b] fæculentiam miscuerunt : ut soli totum biberent quidquid alii ex parte gustassent. Denique si universæ hæreses quæ ante Priscilliani tempus exortæ sunt diligentius retractentur, [c] nullus pene invenietur error de quo non traxerit impietas ista contagium : quæ non contenta eorum recipere falsitates qui ab Evangelio sub Christi nomine deviarunt, tenebris se etiam paganitatis immersit, ut per magicarum artium profana secreta et mathematicorum vana mendacia, religionis fidem morumque rationem in potestate dæmonum, et in [d] effectu siderum collocarent. Quod si et credi liceat et doceri, nec virtutibus præmium, nec vitiis pœna debebitur, omniaque non solum humanarum legum, sed etiam divinarum constitutionum decreta solventur: quia neque de bonis neque de malis actibus ullum poterit esse judicium, si in utramque partem fatalis necessitas motum mentis impellit, et quidquid ab hominibus agitur, non est hominum, sed astrorum. Ad hanc insaniam pertinet [e] prodigiosa illa totius humani corporis per duodecim cœli signa **696** distinctio, ut diversis partibus diversæ præsideant potestates; et creatura quam Deus ad imaginem suam fecit, in tanta sit obligatione siderum, in quanta est connexione membrorum. Merito patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur : quando etiam mundi principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, [f] ut auctorem ejus cum plerisque discipulis legum publicarum ense prosternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam solvi, simulque divinum jus humanumque subverti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset. Profuit [g] diu ista districtio ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi sacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spiritale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Ex quo autem multas provincias hostilis occupavit irruptio, [h] et executionem legum tempestates interclusere bellorum. Ex quo inter sacerdotes Dei difficiles commeatus et rari cœperunt esse conventus, invenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, et ad multarum mentium subversionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta. Quæ vero illic aut quanta pars plebium [i] a contagione pestis hujus aliena est, ubi, sicut dilectio tua indicat, lethali morbo etiam **697** quorumdam sacerdotum corda corrupta sunt; et per quos opprimenda falsitas et defendenda veritas [j] credebatur, per ipsos doctrinæ Priscillianæ Evangelium subditur Christi, ut ad profanos sensus pietate sanctorum voluminum depravata, sub nominibus prophetarum et apostolorum non hoc prædicetur quod Spiritus sanctus docuit, sed quod diaboli minister inseruit. Quia ergo dilectio tua fideli, quantum potuit, diligentia damnatas olim opiniones [k] sedecim capitulis comprehendit, nos quoque strictim omnia retractamus, ne aliquid harum blasphemiarum aut tolerabile videatur aut dubium.

CAP. I. *Quam impie de Trinitate personarum in Deo sentiant Priscillianistæ.* — Primo itaque capitulo demonstratur quam impie sentiant de Trinitate divina, qui et Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam atque eamdem asserunt esse personam, tamquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur; nec alius sit qui genuit, alius

didimus, cum præsertim adjectivum *fetidissimam*, et sequens contextus, *sentinæ* magis congruat quam *sententiæ*.

[a] Al., *sordidum*. Post pauca, *de omnium terrenarum opinionum luto*, in antiquioribus editis et aliquibus codd.

[b] Al., *fæcem commiscuerunt*. Quesn. in margine.

[c] Cod. Vindebon. Hisp., *tunc nullus*. Porro *invenietur* magis placuit ex præstantioribus septem nostris codicibus. Alias, *invenitur*. Paulo post in mss. Vat. Hisp. et Isid., non vero in puriori Vindebon. Hisp. nec in cæteris, *in tenebras se adeo paganitatis immersit per magicarum artium profana secreta, et mathematicorum vana mendacia, ut religionis*, etc.

[d] Ita omnes nostri codices et editi ante Quesn., qui ex duobus solis mss. Thuan. et Grim. *affectu* prætulit. Post pauca, pro *debebitur* alias *debetur*. Mox, *omniumque* in ms. Vindeb. Hisp.

[e] Mss. Vindebon. Hisp. et Vat. collect. 21 addunt *et*.

[f] Vide not. 4 Quesn. Mox, pro *cum plerisque discipulis*, alias, *ac plerosque discipulos* ex mss. collect. 24. Dein cod. Vindeb. Hisp.: *Viderunt enim..... omnemque conjugiorum*.

[g] Voces *diu ista* desunt in Vat. Reg. collect. 1. Mox in Vat. Hisp., Isid. et mss. collect. 21, *refugit ultiones quærere; tamen Christianorum*. In Vindebon. Hisp., *refugit ultione esse quæris tamen*, etc., corrupte. Sed hinc prædictæ variantis origo cognoscitur, simulque elucet perperam scriptum *ultione esse quæris* pro *ultiones*, *severis*. Dein *ad speratum* pro *ad spiritale* in laudatis codd. Vat. Hisp. et Isid. atque in illis collect. 21.

[h] Conjunctionem *et* sententiæ magis congruam a Quesnello licet expunctam, restituimus auctoritate codd. Vat. collect. 3 Vindebon., collect. 5 et Vat. Hisp. ac Isid., necnon alius Vat. collect. 24, ex quibus nonnulli plurali numero, *et exsecutiones*. Mox pro *interclusere* editi ante Quesn., *interdixere*. Dein in Vat. Hisp. et Isid., *difficilis commeatus*, et postea, *ad multarum gentium subversionem*.

[i] Codd. Vindebon. collect. 5 et Hisp. ac Vat. collect. 11, 21 et 24 omittunt *a contagione*. Dein *charitas tua* est in duobus mss. et antiquioribus editis pro *dilectio tua*.

[j] Cod. Vat. collect. 24, *fuerat*. Mox *doctrinæ Priscilliani* in Vat. Reg. collect. 1, in Vindebon. Hisp. et in duobus codd. collect. 11 et 24 cum editis ante Quesn.

[k] Sic omnes nostri codices, exceptis mss. Vat. collect. 8 et 24, in quibus habetur *septemdecim capitulis*, computato, ut videtur, postremo hujus epistolæ capite, quod tamen ad sedecim capitula a Turribio proposita et a Leone totidem capitibus rejecta minime pertinet. Post pauca *retractemus* editi ante Quesn. cum sex inferioris notæ codicibus

Digitized by Google

qui genitus est, [a] alius qui de utroque processit; sed singularis unitas in tribus quidem vocabulis, sed non [b] in tribus sit accipienda personis. Quod blasphemiæ genus de Sabellii opinione sumpserunt; cujus discipuli etiam Patripassiani merito nuncupantur; quia si ipse est Filius, qui et Pater, crux Filii, Patris est passio; et quidquid in forma servi Filius Patri obediendo sustinuit, totum in se Pater ipse suscepit. Quod catholicæ fidei sine ambiguitate contrarium est, quæ [c] Trinitatem Deitatis sic ὁμοούσιον confitetur, ut Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat æquales : quia Unitatem in **698** Trinitate non eadem persona, sed eadem implet essentia.

Cap. II. *De virtutibus quas ex Deo procedere fingunt.* — In secundo capitulo ostenditur ineptum vanumque commentum [d] de processionibus quarumdam virtutum ex Deo, quas habere cœperit et quas essentia sui ipse præcesserit. In quo Arianorum [e] quoque suffragantur errori, dicentium quod Pater Filio prior sit, quia fuerit aliquando sine Filio, et tunc Pater esse cœperit, quando Filium genuerit. Sed sicut illos catholica Ecclesia detestatur, ita et istos, qui putant umquam Deo id quod ejusdem est essentiæ defuisse. Quem sicut mutabilem, ita et proficientem dicere nefas est. Quam enim mutatur quod minuitur, tam mutatur etiam quod augetur.

Cap. III. *Cur unigenitus dicatur apud eos Filius Dei.* — [f] Tertii vero capituli sermo designat, quod iidem impii asserant, ideo unigenitum dici Filium Dei, quia solus sit natus ex virgine. Quod utique non auderent dicere, nisi Pauli Samosateni et Photini virus hausissent, qui dixerunt Dominum nostrum Jesum Christum, antequam nasceretur ex virgine Maria, non fuisse. Si autem isti aliud de suo sensu intelligi volunt, neque principium de matre dant Christo, asserant necesse est non unum esse Filium Dei, sed alios quoque ex summo Patre genitos, quorum hic unus sit natus ex femina, et ob hoc appelletur Unigenitus : quia hanc nascendi conditionem alius filiorum Dei nemo susceperit. Quoquoversum **699** igitur se contulerint, in magnæ tendunt impietatis abruptum, si Christum Dominum vel ex matre volunt habere principium, vel Patris Dei unigenitum diffitentur cum et de matre is natus sit qui erat Deus Verbum, et de Patre nemo sit genitus præter Verbum.

Cap. IV. *Quod jejunent in Natali Domini et die Dominica.* — Quarto autem capitulo continetur, quod Natalem Christi, quem secundum susceptionem veri hominis catholica Ecclesia veneratur, quia *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14), non vere isti honorent, sed honorare se simulent, jejunantes eodem die, sicut et die Dominico, qui est dies resurrectionis Christi. Quod utique ideo faciunt quia Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quamdam illusionem ostentata videri volunt [g] quæ vera non fuerint; sequentes dogmata Cerdonis atque Marcionis, et cognatis suis Manichæis per omnia consonantes. Qui, sicut in nostro examine detecti atque convicti sunt, Dominicum diem, quem nobis Salvatoris nostri resurrectio consecravit, exigunt in mœrore jejunii; solis, ut proditum est, reverentiæ hanc continentiam devoventes : ut per omnia sint a nostræ fidei unitate discordes, et dies qui a nobis in lætitia habetur, ab illis in afflictione ducatur. Unde dignum est ut inimici crucis et resurrectionis Christi talem excipiant sententiam, qualem elegerunt doctrinam.

Cap. V. *Quod animam hominis divinæ asserunt esse substantiæ.* — Quinto capitulo refertur quod animam hominis divinæ asserant esse substantiæ, nec a natura Creatoris sui conditionis nostræ distare naturam. Quam impietatem ex philosophorum quorumdam et Manichæorum opinione manantem catholica fides damnat : sciens nullam tam sublimem tamque præcipuam esse facturam, cui Deus ipse natura sit. Quod enim de ipso est, [h] id est quod ipse, neque id aliud est **700** quam Filius et Spiritus sanctus. Præter hanc autem summæ Trinitatis unam, consubstantialem, et sempiternam, atque incommutabilem Deitatem, nihil omnium creaturarum est quod non in exordio sui ex nihilo creatum sit. Non autem quidquid inter creaturas eminet Deus est, nec si quid magnum est atque mirabile, hoc est quod ille *qui facit mirabilia magna solus* (*Ps.* CXXXV, 4). Nemo

[a] Mss. Hisp. et Isid., *aut qui*. Mox *procedit* pro *processit* apud Theodulphum lib. de Spiritu sancto.

[b] Inseruimus *in* ex. Vat. Reg. collect. 1. Vindeb. collect. 5, Vat. et Vercell. collect. 8, nec non Vat. Hisp. et Isid. In Vindebon. Hisp., *et non in tribus*, deleto *sed*. Post pauca sex codd., *Patripassiani non immerito*. Dein *Filius Patris obediens sustinuit* in Vindebon. Hisp.

[c] Quesnellus cum antea editis et ms. Grim., *Trinitatem Unitatis* retinuit, etsi notaverit in margine *Trinitatem Deitatis* reperiri in novem suis codicibus, quibus alii plures nostri accedunt, inter quos Vat. Reg. collect. 1 et Vindebon. Hisp. solum pro *Deitatis* habent *Divinitatis*. Hanc autem lectionem omnino præferendam evincit similis lectio hujus epistolæ cap. 17, ubi antecedentia compendio repetuntur. Unus Barb. habet *Trinitatis Unitatem*.

[d] Ms. Vat. collect. 8, *de processione*. Mox in Vulg., *essentia sua*. Quesnellus correxit ex omnibus suis codicibus, quibus astipulantur etiam nostri, uno excepto, in quo *et per quas essentia sua*.

[e] Ex mss. Vindebon. collect. 5, nec non ex collectione Hisp. et Isid. aliisque codd. inseruimus *quoque*, satis congrue; indicatur enim, Priscillianistas non solum Sabellianis, de quibus capite antecedenti, sed Arianis *quoque*, licet Sabellianorum errori oppositis, suffragari. Post pauca pro *genuerit* unus cod. *generavit*, duo *generarit*. Dein *essentiale*, pro *essentiæ* in Vindeb. Hisp.

[f] Duo mss. Vindebon. collect. 5 et Hisp., *Tertio vero* (vel *autem*) *capitulo*. Aliquando post idem codex collect. 5 cum antiquioribus Vulg., ex *summo Patre progenitos*. Dein in Vat. Hisp., *si Christum Dominum nostrum;* Isid., *Dominum Jesum*.

[g] Mss. Vindeb. Hisp. et Vat. collect. 11, *quia vera*. Vat. Hisp. et Isid., *quasi vera*. Post pauca Vulg. ante Quesn. cum nonnullis mss., *dogma Cerdonis*, et *concordantes* pro *consonantes*.

[h] Al., *idem est*. Quidam codices Vat. cum Vindeb. Hisp., *hoc est quod ipse, neque aliud est*.

Digitized by Google

hominum veritas, nemo sapientia, nemo justitia est; sed multi participes sunt veritatis, et sapientiæ atque justitiæ. Solus autem Deus nullius participationis indigus est : de quo quidquid digne utcumque sentitur, non qualitas est, sed essentia. Incommutabili enim [a] nihil accedit, nihil deperit : quia esse illi, quod est sempiternum, semper est proprium. Unde in se manens innovat omnia, et nihil accepit quod ipse non dederit. Nimium igitur superbi nimiumque sunt cæci [b] qui cum dicant humanam animam divinæ esse substantiæ, non intelligunt nihil se aliud dicere quam Deum esse mutabilem, et ipsum perpeti quidquid potest naturæ ejus inferri.

CAP. VI. *Quod aiunt diabolum numquam fuisse bonum, nec Dei opus esse, sed ex chao et tenebris emersisse.* — Sexta annotatio indicat eos dicere quod diabolus numquam fuerit bonus, nec natura ejus opificium Dei sit, sed eum ex chao et tenebris emersisse : quia scilicet nullum sui habeat auctorem, sed [c] omnis mali ipse sit principium atque substantia : cum fides vera, quæ est catholica, omnium creaturarum sive spiritualium, sive corporalium bonam confiteatur substantiam, et mali nullam esse naturam : quia Deus, qui universitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Unde et diabolus bonus esset, si in eo quod factus est permaneret. Sed quia naturali excellentia male usus est, *et in veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44), non in contrariam transiit substantiam, sed a summo bono, cui debuit adhærere, desecivit; sicut ipsi qui talia asserunt a veris in falsa proruunt, et naturam in eo arguunt in quo sponte delinquunt, ac pro sua voluntaria perversitate damnantur. Quod utique [d] in ipsis malum erit, et ipsum malum non erit substantia, sed pœna substantiæ.

701 CAP. VII. *Damnant nuptias et usum matrimonii.* — Septimo loco [e] sequitur, quod nuptias damnant, et procreationem nascentium perhorrescunt, in quo, sicut pene in omnibus, cum Manichæorum profanitate concordant : ideo, sicut ipsorum mores probant, conjugalem copulam detestantur; [f] quia non est illic libertas turpitudinis, ubi pudor et matrimonii servatur et sobolis.

CAP. VIII. — *Corpora humana aiunt per diabolum formari, et eorum resurrectionem negant.* — Octavum ipsorum est, plasmationem humanorum corporum [g] diaboli esse figmentum, et semina conceptionum opera dæmonum in mulierum uteris figurari : propter quod resurrectionem carnis non esse credendam, quia [h] concretio corporis non sit congruens animæ dignitati. Quæ falsitas sine dubio opus diaboli est, et talia prodigia opinionum, figmenta sunt dæmonum, qui non in feminarum ventribus formant homines, sed in hæreticorum cordibus tales fabricantur errores. Quod immundissimum virus de Manichææ impietatis specialiter fonte procedens, olim fides catholica deprehendit atque damnavit.

702 CAP. IX. *Filios promissionis per Spiritum sanctum conceptos esse dicunt.*—Nona autem annotatio manifesta quod filios promissionis, ex mulieribus quidem natos, sed ex Spiritu sancto dicant esse conceptos : ne illa soboles quæ de carnis semine nascitur, [i] ad Dei conditionem pertinere videatur. Quod catholicæ fidei repugnans atque contrarium est, quæ omnem hominem in corporis animæque substantia a conditore universitatis formari atque animari intra materna viscera confitetur : manente quidem illo peccati mortalitatisque contagio, quod in prolem a primo parente transcurrit; sed regenerationis sacramento subveniente, quo [j] per Spiritum sanctum promissionis filii renascuntur, non in utero carnis, sed in virtute baptismatis. Unde et David, qui utique erat promissionis filius, dicit ad Deum : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me* (*Ps.* CXVIII, 73; *Job.* X, 8). Et ad Jeremiam Dominus ait : *Prius quam te formarem in utero, novi te; et in vulva matris tuæ sanctificavi te* (*Jerem.* I, 5).

CAP. X. *Affirmant animas in cœlo peccantes, in corpora detrusas pro peccati pœna.* — Decimo autem capitulo referuntur asserere, animas quæ humanis corporibus inseruntur fuisse [k] sine corpore, et in cœle-

[a] Sex nostri codd., *nihil accidit :* et dein Vulg. ante Quesn. cum quibusdam inferioris notæ codd. *nihil accipit.*

[b] Codd. Vat. Reg. collect. 1 et Vat. Hisp. atque Isid., *quicumque dicunt.* Vindebon collect. 5, *qui cum dicunt.* Dein, *naturæ vel animæ ejus inferri* in Vat. Hisp. et Isid. tribusque aliis mss.

[c] Vat. Reg. collect. 1, cum uno Thuaneo Quesn., *omnibus malis.* Alius noster codex, *omnibus mali.* Vide not. 6 Quesn. Post pauca sex nostri codd., *cum fides ea, quæ est.*

[d] Codd., Vat. Reg. collect. 1, duo Vindeb. collect. 5, et Hisp. aliique duo Vatt. delent præpositionem *in.* Paulo post, *sed pœna substantiæ* delent mss. Vat. 5845 et Grimanicum.

[e] Mss. Hisp. et Isid., *consequitur.*

[f] In Vat. Hisp. et Isid., tribusque aliis mss., *quia est illic libertas turpitudinis, ubi non pudor et matrimonii servatur, et sobolis.* Editi ante Quesnellum sequuntur lectionem textus exceptis verbis *et sobolis*, quorum loco habent *et spes sobolis.*

[g] Vindebon. collect. 5, *dicere diaboli esse figmentum.* Vat. collect. 3 cum antea Vulgat., *diaboli dicere esse figmentum.* Mox Vat. Reg. collect. 1, *ope dæmonum.* Hisp. et Isid., *per dæmones.* In antiquiori autem Vindebon. Hisp., *per dæmonum*, corrupte, ubi *per* scriptum apparet ex *opere*, vel *opera*, ut in aliis codd. legitur.

[h] Ita codd. septem a Quesn. laudati in margine, et nostri multo plures cum editione Surii et Nicolini. Al., *concreatio.* Mox *dignitati* delent mss. Grim. et Thuan. ejusdem Quesn.

[i] Mss. Vat. Hisp. et Isid. cum tribus aliis, *ad illam conditionem.* Paulo post ex mss. Vindebon. collect. 5 et Vat., Hisp. et Isid., revocavimus lectionem editorum ante Quesn., *substantia*, cujus loco Quesnellus scripsit *substantiam*, et in margine : Al., *subsistentia.* Dein *manente quidem in illo*, in Vat. 5845.

[j] Quesnellus *ex Spiritu sancto.* Restituimus vulgatam lectionem, quippe quam codd. præstantissimi Vat. Reg. collect. 1, Vindebon. collect. 5, nec non Hisp. et Isid. cum tribus aliis Vatt. confirmant.

[k] Editi ante Quesn. cum plerisque etiam vetustis codd., *in corpore*, sed perperam, ut Quesnellus optime statuit not. 7. Emendationem ejus, quam reperit in tribus tantum mss. Thuan. et Trecopith. collect. 5, et Herovall. Isidori collect. 12, nos confirmamus aliis codicibus Vat. collect. 5, Vindebon.

Digitized by Google

sui habitatione peccasse, atque ob hoc a sublimibus ad inferiora delapsas, in diversæ qualitatis principes incidisse, et per aerias ac sidereas potestates, alias duriores, alias mitiores, corporibus esse conclusas, sorte diversa et conditione dissimili : ut quidquid in hac vita varie et inæqualiter provenit, ex præcedentibus causis videatur **703** accidere. Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt; sed omnes eos catholica fides a corpore suæ unitatis abscidit, constanter prædicans atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam suis [a] inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporantur nisi ab opifice Deo, qui et ipsarum est creator et corporum ; et quia per primi hominis prævaricationem tota humani generis propago vitiata sit, neminem posse a conditione veteris hominis liberari, nisi per sacramentum baptismatis Christi, in quo nulla est discretio renatorum, dicente Apostolo : *Quicumque* [b] *enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina : omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* (*Gal.* III, 27). [c] Quid ergo hic agunt cursus siderum, quid figmenta fatorum, quid mundanarum rerum mobilis status, et inquieta diversitas? Ecce tot impares gratia Dei facit æquales, qui inter quoslibet vitæ hujus labores, si fideles permanent, miseri esse non possunt, [d] apostolicum illud in omni tentatione dicentes : *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est, quia propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus per eum qui nos dilexit* (*Rom.* VIII, 35). Et ideo Ecclesia, quæ corpus est Christi, nihil de mundi inæqualitatibus metuit, quia nihil de bonis [e] temporalibus concupiscit; nec timet inani strepitu fatorum gravari, quæ patientia tribulationum novit augeri.

704 Cap. XI. *Fatalem necessitatem hominibus imponunt.* — Undecima ipsorum blasphemia est, qua [f] fatalibus stellis et animas hominum, et corpora opinantur obstringi, per quam amentiam necesse est ut omnibus paganorum erroribus implicati, et faventia sibi, ut putant, sidera colere, et adversantia studeant mitigare. Verum ista sectantibus nullus in Ecclesia catholica [g] locus est : quoniam qui se talibus persuasionibus dedit, a Christi corpore totus abscessit.

Cap. XII. *Animas certis potestatibus subjiciunt, aliis corporum membra.* — Duodecimum inter hæc illud est, quod sub aliis potestatibus partes animæ, sub aliis corporis membra describunt; et qualitates interiorum præsulum in patriarcharum nominibus statuunt, quibus [h] e diverso signa siderea, quorum virtuti corpora subjiciantur, opponunt. Et in his omnibus inextricabili se errore præpediunt, non audientes dicentem Apostolum : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem* [i] *fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum : quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis* (*Coloss.* II, 8). Et iterum : *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei* (*Ibid.*, 18). Quid ergo opus est in cor admittere, quod lex non docuit, quod prophetia non cecinit, quod Evangelii veritas non prædicavit, quod apostolica doctrina non tradidit? Sed hæc [j] apta sunt eorum mentibus, de quibus apostolus dicit : *Erit* **705** *enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus ; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (II *Tim.* IV, 3, 4). Nihil itaque [k] nobiscum commune habeant, qui talia audent vel docere, vel credere, et quibuslibet modis nituntur astruere quod substantia carnis ab spe resurrectionis aliena sit, atque ita omne sacramentum Incarnationis Christi resolvunt : [l] quia indignum fuit

collect. 5, Vercell. et Vat. 1355 collect. 8, alio Vat. et Veneto S. Marci collect. 12, et Vat. Ottobon. 297 collect. 23. Paulo post *ob hoc* deest in Vat. collect. 24. Post pauca Vat., Hisp. et Isid., cum tribus aliis, *in suæ qualitatis principes incidisse, et per aereas ac sidereas potestates alias in diversis corporibus esse conclusas.* Vindeb. Hisp., *in se qualitatis.... alias inseris corporibus;* cætera ut in lectione præcedenti.

[a] Vat. Reg., *inspirentur.*

[b] Ms. Vindeb. Hisp. delet *enim.*

[c] Vat. collect. 24, *Quid enim agunt.* Dein *mobiles status* in Vindebon. collect. 5. Postea *fecit æquales* in Vindeb. Hisp. et duobus Vatt. collect. 21.

[d] Codd. Vat., Hisp. et Isid., cum tribus aliis præmisso puncto, sic præferunt. *Quot* (al., *quod apostolicum illud in omni tentatione monet* (al., *docet*) *dicens : Quis nos*, etc. Dein iidem codd. et Vindeb. Hisp., *mortificamur* pro *morte afficimur.*

[e] Ms. Vat. collect. 85, aliud collect., et codd. collect. 24, enm antiquioribus editis, *corporalibus.* Post pauca, *quia patientia*, in Vindebon. Hisp.

[f] Ms. Vindebon. Hisp. *fataliter.* Dein, *ut homines paganorum erroribus* in mss. Vat., Hisp. et Isid., ac tribus aliis codd. In Vindebon. Hisp., *ut hominibus*, ex quo emendatum posterius in laudatis codicibus, *ut homines.*

[g] Codd. Hisp. et Isid. cum Vat. collect. 24, *locus sit.* Mox, *quoniam quisquis talibus persuasionibus sit deditus* in quinque nostris codicibus inferioris notæ.

[h] Duo Vatt. mss. collect. 21, *et diversa signa.* Mox, *subjiciuntur* in duobus Vindebonensibus.

[i] Unus Vat., *gloriam.* In textu sequenti uterque codex Hisp. et Vat. Isid., *totum corpus compactum et conjunctione subministratum.*

[j] Ita omnes codd. Quesn. et nostri, excepto Vat. collect. 24, in quo cum anterioribus vulgatis *operta sunt.* Post pauca, *de quibus Apostolus loquitur dicens*, in Vat. Reg. collect. 1, in Vindebon. collect. 5, in Hisp. et Isid., ac tribus aliis codicibus.

[k] Mss. Vat. collect. 21, *vobiscum.* Mox *communicabunt* pro *commune habeant* in Vat. Hisp. et Isid. codd., qui paulo post omittunt *credere et.* Vindebonensis Hisp. delet *vel credere.*

[l] Duo mss. Vatt. collect. 21 et Justelli codex a Labbeo citatus, *quia sicut dignum fuit integrum ho-*

Digitized by Google

integrum hominem suscipi, si indignum erat integrum liberari.

Cap. XIII. *Qualem Scripturarum scientiam astruant?* — Tertio decimo loco positum est eosdem dicere quod omne corpus Scripturarum canonicarum sub patriarcharum nominibus accipiendum sit : quia illæ duodecim virtutes, quæ reformationem hominis interioris operantur, in horum vocabulis [a] indicentur, sine qua scientia nullam animam posse assequi, ut in eam substantiam de qua prodiit reformetur. Sed hanc impiam vanitatem despectui habet Christiana sapientia, quæ novit [b] veræ Deitatis inviolabilem et inconvertibilem esse naturam ; animam autem, sive in corpore viventem, sive a corpore separatam, multis passionibus subjacere. Quæ utique [c] si de divina esset essentia, nihil adversi posset incidere. Et ideo incomparabiliter aliud Creator, et aliud creatura. Ille enim semper idem est, et nulla varietate mutatur, hæc autem mutabilis est, etiam non mutata, quia ut non mutetur, donatum poterit habere, non proprium.

706 Cap. XIV. *Siderum et signorum potestati hominem subjiciunt.* — Sub quarto decimo vero capitulo, de statu corporis sentire dicuntur quod sub potestate siderum atque signorum pro terrena qualitate teneatur, et ideo multa in sanctis libris, quæ ad exteriorem hominem pertineant, reperiri, ut in ipsis Scripturis [d] inter divinam terrenamque naturam quædam sibi repugnet adversitas; et aliud sit quod sibi vindicent animæ præsules, aliud quod corporis conditores. Quæ fabulæ ideo disseruntur ut et anima divinæ affirmetur esse substantiæ, et caro credatur malæ esse naturæ : quoniam et ipsum mundum cum elementis suis non opus Dei boni, sed conditionem mali profitentur auctoris; atque ut hæc mendaciorum suorum sacrilegia bonis titulis colorarent, omnia pene divina eloquia sensuum nefandorum immissione violarunt.

Cap. XV. *Scripturas veras adulterant, falsas inducunt.* — De qua re quinti decimi capituli sermo conqueritur, et præsumptionem diabolicam merito detestatur : quia [e] et nos istud veracium testium relatione comperimus, et multos corruptissimos eorum codices, qui canonici titularentur, invenimus. Quomodo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle prælinirent, ne usquequaque sentirentur insuavia, quæ essent futura mortifera? Curandum ergo est, et sacerdotali diligentia maxime providendum, ut falsati codices, et a sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus apostolorum multarum habent [f] seminarium **707** falsitatum, non solum interdicendæ, sed etiam penitus auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ. Quamvis enim sint in illis quædam quæ videantur speciem habere pietatis, numquam tamen vacua sunt venenis, [g] et per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione seductos laqueis cujuscumque erroris involvant. Unde si quis episcoporum, vel apocrypha haberi [h] per domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices in Ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione vitiati, hæreticum se noverit judicandum : quoniam Qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.

Cap. XVI. *De Dictinii scriptis.* — [i] Postremo autem capitulo hoc prodidit justa querimonia, quod Dictinii tractatus quos secundum Priscilliani dogma conscripsit, a multis cum veneratione legerentur, cum, si aliquid memoriæ Dictinii tribuendum putant, reparationem ejus magis debeant amare quam lapsum. Non ergo Dictinium, sed Priscillianum legunt, et illud probant, quod errans docuit, non quod [j] correctus elegit. Sed nemo hoc impune præsumat, nec inter catholicos censeatur quisquis utitur scriptis, non ab Ecclesia solum catholica, sed etiam a suo

minem suscipi, sic dignum erat integrum hominem liberari. Idem legitur in Vat. Hisp. et Isid., hac exceptione quod per errorem primo loco habent, *sicut indignum.*

[a] Vat. Hisp. et Isid., *dedicentur.* Vindebon. Hisp., *dicentur.*

[b] In codd. Vat. Hisp. et Isid. deletur *veræ.* Mox pro *inconvertibilem* cod. Vat. collect. 24 et editio Rainaudi 1671 habent *incorruptibilem.*

[c] Ita cum Quesn. nostri codices. Alias, *si divinæ esset essentiæ.* Post pauca pro voce *incomparabiliter* a Quesnello recepta plerique nostri codices habent cum anterioribus vulgatis *ineffabiliter.* At congruentiorem lectionem excludere ausi non sumus, quæ præfertur in antiquissimo Vat. 5845. Mox cod. Vercell., *aliud est Creator.* Duo Vatt. cum editis ante Quesn., *aliud Creator est, aliud creatura.* Sub finem capitis *datum* pro *donatum* in antiquissimo Vat. collect. 8 et alio Vat. collect. 24 cum vetustioribus editionibus.

[d] Vat. Hisp. et Isid., *inter divinam, vel terrenam, humanamque naturam.* Post nonnulla *seruntur* pro *disseruntur* in Vat. 5845.

[e] Cod. Vindebon. collect. 5, *et nostrorum veracium testium.* Alius Vindebon. Hisp. et unus Vat., *testimonium* pro *testium.* Deinde mss. Vatt. collect. 21 et 24 cum antiquioribus editis, *titulantur*

[f] Vat. cod. collect. 3 et in decreto de Apocryphis, quod ex hoc loco sumptum in appendice dabimus, *semina.* Vat. Reg. collect. 1 et Vindebon. Hisp., *seminaria.* Dein *intercidendæ* pro *interdicendæ* in mss. Grim. et Vict. Quesnelli.

[g] Vat. Hisp. et Isid., *sed per fabularum.* Vindebon. collect. 5, *et per famulorum.* Paulo post, pro *narratione,* tres Vatt. codd., *narrationibus.* Mox in Vat. 5845, *seducti laqueis implicentur erroris.* Tres codd. in decreto de Apocryphis, *seducti laqueis cujuscumque erroris implicentur.*

[h] In mss. collect. 21 et in decreto de Apocryphis deest *per domos.* Deinde *corrupti* pro *vitiati* in Vat. Hisp. Isid. et quatuor aliis codicibus, atque in editis ante Quesn,

[i] Vat. Hisp. et Isid. : *Post hoc prodidit justa querimonia.* Mox, pro *Dictinii,* Quesn. in margine : Al., *Dicticinii.* De Dictinio autem ejusque tractatibus vide not. 8 Quesn. et observationes quas eidem subjiciemus. Dein, *qui si aliquid* in Vat. Hisp. et Isid., pro *cum si aliquid.*

[j] Dictinii correctio Toletano I subjicitur, eamque vindicabimus in observat, ad not. 8 Quesnelli. Mox pro *impune* laudati codices Vat. Hisp. et Isid., *imponere.* Dein pro *scriptis* alias *scripturis.*

Digitized by Google

auctore damnatis. [a] Non sit perversis liberum simulare quod fingunt, nec sub velamine nominis Christiani, decretorum imperialium statuta declinent. Ideo enim ad Ecclesiam catholicam cum tanta cordis diversitate conveniunt, ut et quos possunt suos faciant, et legum severitatem, dum se nostros mentiuntur, **708** effugiant. Faciunt hoc Priscillianistæ, faciunt Manichæi, quorum cum istis tam fœderata sunt corda, ut solis nominibus discreti, sacrilegiis autem suis inveniantur uniti : quia etsi vetus Testamentum, quod isti se suscipere simulant, Manichæi refutant, ad unum tamen finem utrorumque tendit intentio, cum quod [b] illi abdicando impugnant, isti recipiendo corrumpunt.

In exsecrabilibus autem mysteriis eorum, quæ quanto immundiora sunt, tanto diligentius [c] occultantur, unum prorsus nefas est, una est obscenitas et similis turpitudo. Quam etsi eloqui erubescimus, sollicitissimis tamen inquisitionibus indagatam, et Manichæorum, qui comprehensi fuerant, confessione detectam, ad publicam fecimus pervenire notitiam : ne ullo modo posset dubium videri quod in judicio nostro, cui non solum frequentissima præsentia sacerdotum, sed etiam illustrium virorum dignitas, et pars quædam senatus ac plebis interfuit ipsorum qui omne facinus perpetrarant ore reseratum est; sicut ea quæ ad dilectionem [d] tuam nunc direximus gesta demonstrant. Quod autem de Manichæorum fœdissimo scelere, hoc etiam de Priscillianistarum incestissima consuetudine olim compertum multumque vulgatum est. [e] Qui enim per omnia sunt impietate sensuum pares, non possunt in sacris suis esse dissimiles.

[f] Decursis itaque omnibus quæ libelli series comprehendit, et a quibus commonitorii forma non discrepat, sufficienter, ut opinor, ostendimus quid de his quæ ad nos fraternitas tua retulit censeamus, et quam non sit ferendum, si tam profanis erroribus etiam quorumdam sacerdotum corda consentiunt, vel, ut mitius dixerim, non resistunt. Qua conscientia [g] honorem sibi præstitum vindicant, qui pro animabus **709** sibi creditis non laborant? Bestiæ irruunt, et ovium septa non claudunt. [h] Fures insidiantur, et excubias non prætendunt. Morbi crebrescunt, et remedia nulla prospiciunt. Cum [i] autem etiam illud addunt, ut his qui sollicitius agunt consentire detrectent, et impietates olim toto orbe damnatas, subscriptionibus suis se anathematizare dissimulent; quid de se intelligi volunt, nisi quod non de numero fratrum, sed de parte [i] sunt hostium?

Cap. XVII. *An caro Christi vere requieverit in sepulcro.* — In eo vero quod [k] in extrema familiaris epistolæ tuæ parte posuisti, miror cujusquam catholici intelligentiam laborare, tamquam incertum sit an descendente ad inferna Christo, caro ejus requieverit in sepulcro : quæ sicut vere et mortua est et sepulta, ita vere est die tertio suscitata. Hoc enim et ipse Dominus denuntiaverat, dicens ad Judæos : *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Ubi evangelista subjungit : *Hoc autem dicebat de templo corporis sui* (*Ibid.*, 21). Cujus rei veritatem etiam David propheta prædixerat, loquens sub persona Domini Salvatoris, et dicens : *Insuper et caro mea* [l] *requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV, 9). Quibus utique verbis manifestum est, [m] quod caro Domini et vere sepulta requievit, et corruptionem non subiit : quia celeriter vivificata reditu animæ resurrexit. Quod non credere satis impium est, et ad Manichæi Priscillianique doctrinam pertinere non dubium est, qui sacrilego sensu ita se Christum simulant confiteri, ut incarnationis, **710** et mortis, et resurrectionis auferant veritatem.

[n] Habeatur ergo inter vos episcopale concilium, et ad eum locum qui omnibus opportunus sit vicinarum provinciarum conveniant sacerdotes, ut, secundum hæc quæ ad tua consulta respondimus, plenissis itaque.

[a] Iidem codd., *Ne sit;* et postea, *ne sub velamine.* Deinde omittunt *cordis*, et post pauca, pro *dum se nostros*, habent cum Vindebon. Hisp., *dum sensus nostros.*

[b] Sic ex Vat. Reg. collect. 1 Vindebon., collect. 5 utrisque Hisp. et Vat. Isid., ac tribus aliis codd. Quesnellus *isti*, ut in aliis mss. reperimus. Alii editi, *isti recipiendo corrumpunt, illi abdicando impugnant.* Merlinus, *isti abdicando impugnant, illi recipiendo corrumpunt.* Prætulimus lectionem potiorum codicum, qua *isti* vetus Testamentum recipientes Priscillianistæ intelliguntur, de quibus paulo ante Leo scripsit : *Isti se suscipere simulant;* vox autem *illi* ad Manichæos refertur.

[c] Alias, *occultantur.*

[d] Ita antiquissimi codd. Vat. Reg. collect. 1, alius Vat. collect. 3, Vindebon. duo collect. 5 et Hisp. cum editis ante Quesn., cohærctque cum aliis similibus hujus epistolæ locis. Quesnellus, *vestram*, ut alii codices hoc loco exhibent. Post pauca *ineptissima* pro *incestissima* in cod. Vercellenti collect. 8.

[e] Vat. Reg. collect. 1, utrique Hisp. et Vat. Isid., *et qui per omnia sunt in impietate sensuum pares.* Vindebon. collect. 5 omittit *enim.*

[f] Vat. Hisp. et Isid. cum tribus aliis mss., *Discussis itaque.*

[g] Vindeb. Hisp., *honorem sibi sacerdotii præstitum.* Vat. Hisp., *honorem sibi præsulum vindicant.* Alias in vulgatis *debitum* pro *præstitum.*

[h] Vat. Hisp. et Isid., et in margine editionis Labbeanæ, *Ferœ insidiantur.*

[i] In iisdem codd. et in Vindeb. collect. 5 omittitur *autem.* Dein *subscriptionibus suis* delent codices Grim. et Thuan. tres Quesnelli. Mox *se* abest a codd. Vat. Reg., utrisque Hisp. Vat., Isid. et tribus aliis mss.

[j] Mss. Vindeb. collect. 5 et Vat. collect. 11, *sint.*

[k] Addidimus præpositionem *in* cum Vat. Reg. duobus Vindebonensibus, ac tribus aliis Vatt. Labbeus ex cod. Justelli : *Jam vero quod in extrema.*

[l] Cod. Vat. Reg., *requiescit;* et mox idem ms. una cum Vindebon. collect. 5, *non derelinquis.*

[m] Idem Vindebon., *quod caro Christi;* Vat. Hisp. et Isid., *quod caro Christi et in sepulcro requievit.*

[n] In Vat., Hisp. et Isid., alioque Vat. collect. 11 nec non in ms. libro, quem Labbeus laudat, sic legitur : *Habeantur ergo inter vos epistolæ et ad concilium in eum locum*, etc. Al., *in unum locum.* Vindeb. Hisp. præfert solum *Habeantur* : et hinc forte posteriores amanuenses ejusdem collectionis pro *episcopale* emendarunt *epistolæ*, etc.

Digitized by Google

simo disquiratur examine an sint aliqui inter episcopos qui hujus hæreseos contagio polluantur; a communione sine dubio separandi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum pravitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandum est ut qui prædicandæ fidei suscepit officium, is contra Evangelium Christi, contra apostolicam doctrinam, contra universalis Ecclesiæ Symbolum audeat disputare. Quales illic erunt discipuli, ubi tales docebunt magistri? Quæ illic religio populi, quæ salus plebis, ubi contra humanam societatem [a] pudoris sanctitas tollitur, conjugiorum fœdus auferetur, propagatio generationis inhibetur, carnis natura damnatur, [b] contra verum autem veri Dei cultum Trinitas Deitatis negatur, personarum proprietas confunditur, [c] anima hominis divina essentia prædicatur, et eadem ad diaboli arbitrium carne concluditur, Dei Filius per id quod ex Virgine ortus, non per id quod ex Patre natus est, unigenitus prædicatur, idemque [d] nec vera Dei proles, nec verus Virginis partus asseritur; ut per falsam passionem mortemque non veram, mendax etiam resurrectio resumptæ de sepulcro carnis habeatur? Frustra autem utuntur catholico nomine, qui istis impietatibus non resistunt. Possunt hæc credere, qui possunt talia patienter audire. Dedimus itaque litteras ad fratres et coepiscopos nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque [e] Gallicos, eisque concilium synodi generalis indiximus. Ad tuæ **711** dilectionis sollicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis [f] auctoritas ad prædictarum provinciarum episcopos deferatur. Si autem [g] aliquid, quod absit, obstiterit, quo minus possit celebrari generale concilium, [h] Galliciæ saltem in unum conveniant sacerdotes, quibus [i] congregandis fratres nostri Idatius et Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis instantia tua, quo citius vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur. [j] Data XII kal. Augustas Calepio et Ardabure vv. cc. coss.

[a] Ita Quesnellus cum septem suis codd. et cum editionibus Nicolini, ac Surii, quibus concinunt plerique nostri. Duo enim tantummodo excipiendi sunt: Vat. 5845, in quo habetur *pudor sanctitatis sustollitur*, et Vat. collect. 24 qui cum mss. Grimanico et vulgatis ante Quesn. præfert: *pudoris justi verecundia tollitur, conjugiorum fœdera auferuntur.*

[b] Vat., Hisp. et Isid., *veri Dei cultus interdicitur, Trinitas Deitatis*, etc. Tres codices, quos Quesnellus vidit, et duo nostri Vaticani, necnon alius apud Labbeum cum editis ad marginem: *verus Dei cultus interdicitur*, etc. Vindeb. Hisp., *Contra verum Dei cultum*, etc. Alius Vindeb. collect. 5, *Trinitas Deitatis, negata personarum proprietate, confunditur.*

[c] Idem Vindebon. collect. 5. duo Vatt., Hisp, et Isid., unus Vercell., cum tribus aliis nostris mss. et quatuor a Quesn. in margine indicatis, *animabus humanis divina essentia datur.*

[d] Duo codd. Vatt. collect. 21, *nec veri Dei proles, nec verus filius Virginis asseritur.*

[e] Gallæciæ episcopos hic intelligi patet ex his quæ Quesnellus attulit not. 9. *Gallicios* vel *Gallæcos* ille mallet; sed *Gallicos* pro *Gallicios* in mss. passim invenitur, ut in epistola Siricii ad Himerium observavit Constantius, not. c. pag. 738. Mirum omitti Bæticos, cum synodus adversus Priscillianistas jussu Leonis coacta, ex Tarraconensibus, Carthaginensibus, Lusitanis, atque Bæticis coaluerit, ut constat ex Regula fidei subjecta Toletano I, quæ Leone præcipiente condita fuit. Quod si in hac synodo non memorantur Gallæci, quos Leo cum cæteris convenire hoc loco præcepit, aliquid impedimenti obstitit quominus ad eam synodum cum aliis Hispanis concurrerent: unde cum abessent, Regula fidei ab ea synodo ad Balconium Gallæciæ metropolitam transmissa fuit. Aliam vero distinctam synodum paulo post a Gallæcis habitam observabimus annot. 83 (infer., [h]).

[f] Pontificiæ epistolæ peculiari ratione *auctoritates* appellatæ sunt, eo quod præcipuam ratione primatus in tota Ecclesia auctoritatem obtineant. Sic Zosimus, epist. 1, ad episcopos Galliæ, num. 1, inquit: *Quam auctoritatem ubique nos misisse manifestum est.* Hinc in vetusto cod. Vat. Palat. 574, qui antiquam Gallicanam collectionem continet, Romanorum pontificum constitutiones sic inscribuntur: *Auctoritas Innocentii papæ, auctoritas Zosimi papæ*, etc. Confer epist. 19 Leonis, cap. 1.

[g] Cod. Vindeb. Hisp., *aliqui, quod absit, obstiterint.* Intelligitur autem impedimentum aliquod sive a principibus diversis, sive ut verisimilius est, a bello et publica rerum Hispanicarum perturbatione, ex quibus *inter sacerdotes Dei difficiles commeatus, et rari cœperunt esse conventus*, ut tradit idem Leo in hujus epistolæ præfatione

[h] Hoc quidem concilium coactum fuisse indicat Lucretius episcopus in synodo I Bracarensi inquiens: *Beatissimus papa urbis Romæ Leo..... per Turribium notarium sedis suæ ad synodum Galliciæ contra impiam Priscillianæ hæreseos sectam scripta sua direxit.* Hæc autem Leonis epistola ad Galliciæ synodum, quæ desideratur, post præsentem ad Turribium data fuit. Dum enim Leo epistolam ad Turribium scripsit, et per Pervincum Turribii notarium ex Idatio transmisit, nondum erat congregata peculiaris Galliciæ synodus; immo nec erat congreganda, cum Gallæci, nisi quid impedimenti opponeretur, una cum aliis Hispanicarum provinciarum episcopis ad generale concilium Leonis jussu convenire deberent. Cum vero ijdem impediti fuissent a generali concilio, post acceptam fortassis Regulam fidei ab aliis Hispanis ad Balconium Galliciæ metropolitanum directam, suæ provinciæ synodum habuere, ad quam S. Leo scripsit. In antiquissimo cod. 59 capituli Veronensis, qui continet pervetustum Breviarium canonum, et decretalium Romanorum pontificum, tum in præmissa tabula titulorum, num. 30, tum in opere num. 30, legitur: *Ex epistola Leonis papæ ad Balconium*; nihil autem ex ipsa epistola præter morem profertur. Num vero hæc epistola data fuerit non solum ad Balconium, sed etiam ad cæteros episcopos synodi Galliciæ, ita ut sit illa, quam Lucretius in synodo Bracarensi memoravit; an sit alia peculiaris ad Balconium, incertum est. Ad hæresim certe Priscillianistarum, quæ in Gallicia vigebat, pertinuisse videtur.

[i] Ita mss. codd. et Quesnelli et nostri. Al., *congregatis.* Vindeb. collect. 5 omittit utrumque scribens: *quibus fratres nostri Ædacius.* Vindeb. Hisp., *Dacius.*

[j] Chronicam notam Quesnellus adjecit ex mss. Corb. Barb. 1, Trecopith. Chiflet. et tribus Thuan., ac editione Surii. Eamdem confirmant plerique nostri codd. *Calipio* plerumque in hac epistola scribitur, cui affine est in vulgatis Valentiniani Novellis *Callypio.* At in Vat. Reg. collect. 1, et in Vindebon. collect. 5, habetur *Calepio*, uti hoc nomen similiter scribitur non solum in Fastis Latinis Prosperi, Idatii, Marcellini et Cassiodori, nec non in vetustioribus ac emendatioribus Novellarum exemplaribus Ottobon. et Wurceburg. a Riterio laudatis nov. 5 *de Sepulcris* et nov. 3 *de Palatinis*; verum etiam in inscriptione basilicæ S. Pauli num. 201, et idcirco hanc lectionem suscepimus.

Digitized by Google

S. TURRIBII ASTURICENSIS EPISTOLA.

De non recipiendis in auctoritatem fidei apocryphis scripturis, et de secta Priscillianistarum.

Sanctis ac beatissimis, et omni veneratione colendis, Idacio et Ceponio episcopis, Turribius.

Cap. I. — Molesta semper est et injucunda peregrinatio, quam afficiunt [*Al.* efficiunt] duri labores, et acrymabiles necessitatum curæ. Habet tamen aliquid adjumenti [*Al.* instrumenti], cum adeundo incognita, vel ignorata discendo, quodam profectu mentis augemur; plerumque 712 ea, quæ apud nos optima videbantur, prava esse atque deterrima, reddita nobis meliorum ratione, noscentes. Quod mihi usu venit, qui diversas provincias adeundo, in omnibus Ecclesiis quæ in unitatis communione consistunt, condemnatis omnibus errorum sectis, reperi unum atque eumdem catholicæ fidei sensum teneri ex purissimo veritatis fonte venientem : qui in nulla divortia multifidis rivulis scissus camporum plana in cœnosas voragines solvat, quæ rectum fidei iter impediant. Eos vero, quos pravorum dogmatum virus infecerit, aut correctos piæ parentis gremio reformari compellit, aut pertinaciter contumaces, veluti abortivos partus ac non legitimam sobolem ex consortio sanctæ hæreditatis expellit.

Cap. II. — Quapropter mihi post longas annorum metas ad patriam reverso, satis durum videtur, quod ex illis traditionibus, quas olim catholica damnavit Ecclesia, quasque jamdudum abolitas esse credebam, nihil penitus imminutum esse reperio. Immo etiam pro uniuscujusque studio et voluntate prava dogmata, velut quibusdam hydrinis capitibus pullulare cognosco : cum alii veteri errori blasphemiarum suarum augmenta contulerint, alii integrum eum usque adhuc 713 retentent; alii vero, quos ex parte aliqua ad respectum sui contemplatio veritatis adduxit, ex illius sensibus retinendo nonnulla, reliquis vinculentur. Quod quidem per mala temporis nostri, synodorum conventibus decretisque cessantibus, liberius crevit; et impiissime, quod est cunctis deterius, ad unum altare diversis fidei sensibus convenitur.

Cap. III. — Hæc ego ut loqui audeam, piæ potius erga patriam charitatis quam temerariæ præsumptionis esse confiteor. Nam alias plenus omnium peccatorum, et magnorum criminum reus, quo ausu hæc ad vos scriberem, memor Dominicæ vocis, quæ dicit : *In alieno oculo festucam vides, in tuo trabem non respicis* (*Matth.* VII, 3)? Deinde conscius ejus sententiæ, quæ admonuit dicens : *Peccatori dixit Deus : Quare prædicas justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* (*Ps.* XLIX, 16)? Sed iterum illud aspice quod infra scriptum est : *Furem videbas, et curreba cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Ibid.*, 18). Neque enim illa sola sunt furta, quæ alienorum direptione committuntur; vel sola illa adulteria, quæ violatis maritalis tori affectibus perpetramus : sed et, subtractis quæ vera sunt, furum catholicæ fidei perversi dogmatis facit assertio, et adversus veritatem verbi Dei, malarum doctrinarum adulterio, zizaniæ semina jaciuntur. Loquarne ergo, an taceam, nescio, quia utrumque formido. Sed ne forte sanctitas vestra, quæ mala, quantæque blasphemiæ apocryphis libris, quos hi nostri vernaculi hæretici ad vicem sanctorum Evangeliorum legunt, continentur, ignoret, maximi facinoris reum me esse credo, si taceam. Itaque hæc non adhortatio auctoritatis alicujus est, sed potius suggestionis instructio.

Cap. IV. — Primum ergo est ut illa patefaciam quæ in plurimorum fide, vel magis perfidia, esse cognovi : quæ cum a multis publico pene magisterio doceantur, si catholicorum aliquis paulo constantius, destructionis causa, assertioni resistat, continuo infidias eunt, et perfidiam perfidia occulunt. Quod ne ultra jam faciant, et apocryphis scripturis, quas canonicis libris, veluti secretas et arcanas, præferunt, et quas maxima veneratione suscipiunt, et ex his quas legunt traditionibus, dictisque auctorum suorum, ea quæ in ipsis arguuntur vera esse docentes; aliqua autem ex his quæ in istorum doctrina sunt, in illis quos legere potui apocryphis codicibus non tenentur. Quare unde prolata sint nescio, nisi forte ubi scriptum est per cavillationes illas, per quas loqui sanctos apostolos mentiuntur, aliquid interius indicatur. quod disputandum sit potius quam legendum, aut forsitan sint libri alii qui occultius secretiusque serventur, solis, ut ipsi aiunt, perfectis patentes.

Cap. V. — Illud autem specialiter in illis actibus qui *S. Thomæ* dicuntur, præ cæteris notandum atque exsecrandum est, quod dicit eum non baptizare per aquam, sicut habet Dominica 714 prædicatio, sed per oleum solum : quod quidem isti nostri non recipiunt [*Forte leg.* incipiunt], sed Manichæi sequuntur. Quæ hæresis, quæ eisdem libris utitur, et eadem dogmata, et his deteriora sectatur, ita exsecrabilis universis per omnes terras, ad primam professionis suæ confessionem, nec discussa, damnetur oportet, per cujus auctores vel per maximum principem Manem ac discipulos ejus, libros omnes apocryphos vel compositos, vel infectos esse, manifestum est : specialiter autem *Actus* illos qui vocantur *S. Andreæ*; vel illos qui appellantur *S. Joannis*, quos sacrilego Leucius ore conscripsit; vel illos qui dicuntur *S. Thomæ*, et his similia : ex quibus Manichæi et Priscillianistæ, vel quæcumque illis est secta germana, omnem hæresim suam confirmare nituntur; et maxime ex blasphemissimo illo libro, qui vocatur *Memoria Apostolorum*, in quo ad magnam perversitatis suæ auctoritatem doctrinam Domini mentiuntur, qui totam destruit legem veteris Testamenti, et omnia quæ S. Moysi de diversis creaturæ factorisque divinitus revelata sunt; præter reliquas ejusdem libri blasphemias, quas referre pertæsum est.

Cap. VI. — Ut autem mirabilia illa, atque virtutes, quæ in apocryphis scripta sunt, sanctorum apostolorum vel esse, vel potuisse esse, non dubium est; ita disputationes, assertionesque illas sensuum ma-

Digitized by Google

lignorum ab hæreticis constat insertas. Ex quibus scripturis diversa testimonia blasphemiis omnibus plena sub titulis suis ascripta digessi, quibus etiam, ut potui, pro sensus mei qualitate respondi.

CAP. VII. — Quod ideo necesse habui paulo latius vestris auribus intimare, ut vel posthac nemo quasi inscius rerum dicat, se simpliciter hujusmodi libros vel habere, vel legere. Vestræ autem existimationis atque censuræ merito fuerit universa perpendere, et ea quæ sine ambiguitate veritati ac fidei contraria videritis, cum aliis fratribus vestris, quoscumque vobis zelus catholicæ religionis vel pium studium sociaverit, illam excusationem spirituali gaudio resecare, et ignita divini verbi virtute compescere.

715 [a] EPISTOLA XVI

[b] AD UNIVERSOS EPISCOPOS PER SICILIAM CONSTITUTOS.

[c] SYNOPSIS (Ex Dionysio Exiguo). — I. *Quod prohibeatur in die Epiphaniorum baptisma celebrari.* — II. *Quod omnia nobis rerum ordine per incarnationem Domini nostri salutis sacramenta digesta sint.* — III. *Quod in baptismo mors proveniat interfectione* [Hisp., *infectione*] *peccati, et sepulturam triduanam imitetur trina demersio, et ab aquis elevatio sit velut resurrectio de sepulcro.* — IV. *Quod beatus Petrus in die Pentecostes virorum tria millia baptizaverit.* — V. *Quod duo tantum tempora, id est Pascha, et Pentecostes, ad baptizandum a Romanis pontificibus sint præfixa.* — VI. *Quod omni tempore hi qui necessitate mortis urgentur,* [Al. additur *id est, ægritudinis, obsidionis, persecutionis, naufragii*] *debeant baptizari.* — VII. *Ut de Sicilia terni annis singulis episcopi* [Al. *de episcopis ad diem tertium kalendarum Octobrium*] *Romam sociandi, synodo indissimulanter occurrant.*

LEO episcopus, universis episcopis per Siciliam constitutis [d] in Domino salutem.

[e] Divinis præceptis et apostolicis monitis [f] incitamur ut pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, ac si quid usquam reprehensioni in- A venitur **716** obnoxium, celeri sollicitudine, aut ab ignorantiæ imperitia, aut a præsumptionis usurpatione revocemus. [g] Manente enim Dominicæ vocis imperio, quo beatissimus apostolus Petrus trina repetitione mysticæ sanctionis imbuitur, ut Christi oves, qui Christum diligit, pascat; ipsius sedis, cui per abundantiam divinæ gratiæ præsumus, reverentia [h] coarctamur, ut periculum desidiæ, quantum possumus, declinemus: ne [i] professio summi Apostoli, qua se amatorem Domini esse testatus est, [j] non inveniatur in nobis; quia NEGLIGENTER pascens toties commendatum [k] gregem, convincitur summum non amare pastorem (*Joan.* XXI, 17).

CAP. I. *De baptismo non in Epiphania, sed in festo paschali celebrando.* — Cum ergo mihi de charitatis B vestræ actibus [l] fraterna affectione sollicito certis indiciis innotuerit, vos in eo quod inter sacramenta Ecclesiæ principale est, ab apostolicæ institutionis consuetudine discrepare, ita ut baptismi sacramentum numerosius in die Epiphaniæ quam in paschali tempore [m] celebretis; miror vos, vel præcessores vestros tam irrationabilem novitatem usurpare potuisse, ut [n] confuso temporis utriusque mysterio nullam esse differentiam crederetis inter diem quo adoratus est Christus a magis, et diem quo resurrexit Christus a mortuis. Quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si unde [o] consecrationem honoris accipitis, inde legem totius observantiæ sumeretis: et beati Petri apostoli sedes, quæ [p] vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticæ magi- C stra rationis. A cujus vos regulis recessisse [q] minore posset æquanimitate **717** tolerari, si aliqua commonitionis nostræ increpatio præcessisset. Nunc autem quia non desperatur correctio, servanda est mansuetudo. Et licet VIX FERENDA sit in sacerdotibus excusatio quæ prætendat [r] inscientiam, maluimus

[a] Scripta 21 Octobr. an. 447.

[b] Hanc epistolam exhibent omnes antiquæ collectiones usque ad 13 exceptis 2 et 4, nec non posteriores a 21 usque ad 24, et ex Dionysio fere integram Cresconius. Inter præcipuos codices, quibuscum illam contulimus, memorandi sunt potissimum antiquiores Vat. Regius collect. 1, alter Vat. collect. 3, Vindebon. collect. 5, et alius Vat. 5845, purus Dionysianus, et perantiquus Veronen. 60 Cresconii. Cæteros aliarum collectionum in annot. allegabimus.

[c] Titulos ex Dionysio sumptos ad codicum fidem relegimus, ex quibus supplevimus quintum, quem Quesnellus prætermiserat. In tabula collect. 5, num. 78, hic brevis titulus legitur: *Ad episcopos Siciliæ, ut in Epiphaniorum die baptisma non tradant.*

[d] Voces *in Domino salutem* absunt in Vat. Reginæ, et alio Vat.

[e] 25, qu. 1, *Divinis præceptis* c. 2.

[f] Ita cum anterioribus editis omnes nostri codices præter Vat. Hisp. et Isid., qui cum Quesnello, *informamur.*

[g] Al., *Monente* vel *Admonente.* Vindebon. collect. 5, *Monente Dominicæ*, deleto *enim.*

[h] Al., *cohortamur* duobus inferiorum collectionum mss. suffragantibus.

[i] Mss. collect. 21 et Veronens. Cresconii, *promissio.* Mox *qui* pro *qua* in Vat. collect. 3 et alio Vat. collect. 24.

[j] Editi ante Quesn., repugnantibus omnibus nostris codicibus, *vana inveniatur.*

[k] Vat. Hisp. et Isid., ac Vercellensis Hadrian. et Cresconius, cum mss. collect. 21, addunt *Dominicum.*

[l] Cod. Vat. collect. 3, *paterna.*

[m] Codices Hadrianeæ collect. cum Justello, et mss. collect. 11 nec non Crescon., *celebretur*, Vindelbon. Hisp., *celebratur.*

[n] Crescon., *confusis temporibus utriusque mysterii.* Paulo post mss. Vat. Reg. et Vat. collect. 3 cum codd. collect. 24 et editis ante Quesnellum omittunt *Christus* ante voces *a mortuis.*

[o] Ms. Vindebon. collect. 5, *decorem honoris.* Mox *accepistis*, Vulg. ante Quesn. cum Vat. Reg. collect. 1, Vindeb. collect. 5 et puro Dionysio Vat.

[p] Vide not. 1 Quesn. et observat. nostram.

[q] Editi Quesnello anteriores cum mss. collect. 24, *minus posset æquanimiter tolerari.* Dein iidem editi, *si aliqua commotionis nostræ increpatio non præcessisset*, quæ lectio præferenda esset, si antea scriptum fuisset *majore* vel *magis æquanimiter.* Codd. collect. 24, *si aliqua commonitionis nostræ pagina præcessisset.* Vat. collect. 3 et Vindebon. collect. 5, secunda manu, *si aliqua commotionis nostræ impatientia præcessisset.*

[r] In iisdem vulg. *inscitiam* cum uno nostro Vat. Reg. collect. 1, qui paulo post pro *ratione* præfert *rationibus.* Vercell et Crescon., *maluimus tamen.*

Digitized by Google

tamen et censuram necessariam temperare, et ratione vos apertissimæ veritatis instruere.

Cap. II. *De servanda temporum et mysteriorum distinctione.* — Semper quidem in æterno consilio Dei mansit humani generis incommutabiliter præordinata reparatio ; sed ordo rerum per Jesum Christum Dominum nostrum temporaliter gerendarum, in Incarnatione Verbi sumpsit exordium. Unde aliud tempus est, quo annuntiante angelo (*Luc.* I, 26), beata virgo Maria fecundandam se per Spiritum sanctum credidit et concepit ; aliud, quo salva integritate virginea, puer editus exsultante gaudio cœlestium ministrorum pastoribus indicatur (*Luc.* II, 7) ; aliud, quo infans circumciditur (*Ibid.*, 21) ; aliud, quo hostia pro eo legalis offertur ; aliud cum tres magi claritate novi sideris incitati in Bethleem ab Oriente perveniunt (*Matth.* II, 1), et adoratum parvulum mystica munerum oblatione venerantur. Nec iidem sunt dies quibus impio Herodi, ordinata divinitus in Ægyptum translatione subtractus est (*Ibid.*, 15), vel quibus ab Ægypto in Galilæam, persecutore mortuo, revocatus est (*Ibid.*, 20). Inter has autem dispensationum varietates, [a] accedunt augmenta corporea : crescit Dominus, sicut evangelista testatur, profectibus ætatis et gratiæ (*Luc.* II, 52), per dies Paschæ in templum Jerusalem cum parentibus venit (*Ibid.*, 41), et cum abesset a societate redeuntium, sedens cum senioribus, et inter admirantes magistros disputans invenitur, rationemque [b] remansionis suæ reddens. *Quid est*, inquit, *quod me quærebatis ? Nesciebatis, quod in his quæ Patris mei sunt oportet me esse* (*Ibid.*, 49) ? significans ejus se esse filium cujus esset et templum. Jam vero cum in annis majoribus apertius declarandus **718** baptismum præcursoris sui Joannis expetiit, quid Deitatis ejus remansit ambiguum, quando baptizato Domino Jesu Spiritus sanctus in columbæ specie super eum descendit, et mansit, audita de cœlis Patris voce, dicentis : *Tu es Filius meus dilectus, [c] in te bene complacui* (*Matth.* III, 17 ; *Luc.* III, 22 ; IX, 35). Quæ omnia ideo quanta potuimus brevitate perstrinximus, ut notum sit dilectioni vestræ universos Christi dies innumeris consecratos fuisse virtutibus, et in cunctis ejus actionibus sacramentorum mysteria coruscasse ; sed aliter [d] quidque signis denuntiari, aliter rebus impleri ; nec quæcumque numerantur in operibus Salvatoris ad tempus [•] posse pertinere baptismatis. Nam si etiam illa quæ post beati Joannis lavacrum a Domino gesta cognovimus sub indiscreto honore colamus, omnia tempora continuatis erunt deputanda festis, quia omnia sunt plena miraculis. Verum quia Spiritus sapientiæ et intellectus ita apostolos, et totius Ecclesiæ erudivit magistros, ut in Christiana observantia nihil inordinatum, nihil pateretur esse confusum, discernendæ sunt causæ solemnitatum, et in omnibus institutis Patrum principumque nostrorum rationabilis [f] servanda distinctio : quia non aliter unus grex et unus pastor sumus, nisi, quemadmodum Apostolus docet, *idipsum dicamus omnes ; simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem* [g] *sententia* (I *Cor.* I, 10).

Cap. III. *Cur in sola Paschæ et Pentecostes solemnitate baptizetur.* — Quamvis ergo et illa quæ ad humilitatem et illa quæ ad gloriam pertinent Christi, in unam concurrant eamdemque personam, totumque [h] quidquid in illo et virtutis divinæ est et infirmitatis humanæ ad nostræ reparationis tendat effectum, [i] proprie tamen in morte crucifixi, et in resurrectione [j] mortui, potentia baptismatis novam creaturam condit ex veteri : ut in renascentibus et mors Christi operetur, et vita, dicente beato Apostolo : **719** *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus ? Consepulti* [k] *enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus* (*Rom.* VI, 3, 5) ; et cætera quæ latius magister gentium ad commendandum sacramentum baptismatis disputavit : ut appareret ex hujus doctrinæ spiritu, regenerandis filiis hominum, et in Dei filios adoptandis, illum diem [l] esse et illud tempus electum, in quo per similitudinem formamque mysterii ea quæ geruntur in membris, his quæ in ipso sunt capite gesta, congruerent : dum in baptismatis regula, et mors intervenit interfectione peccati, et sepulturam triduanam imitatur

[a] Duo Vatt. collect. 21, *succedunt*.

[b] Ms. Vindeb. Hisp., *mansionis*. Post pauca Vat. Reg. collect. 1 et Vindeb. collect. 5, *Nescitis*, pro *Nesciebatis*.

[c] Cod. Vindebon. prima manu, et unus recentior Vat., *in quo mihi bene complacui*. Alius Vat. idem habet, sed delet *bene*.

[d] Vindebon. collect. 5 et Vat. puri Dionysii ac Veron. Cresc. cum editis ante Quesn., *quoque :* apud Justellum *quid quod*. Mss. collect. 24 hanc vocem omittunt.

[•] Verbum *posse* abest a Vat. Reg. collect. 1, a Vat. collect. 24 et ab editis ante Quesn. In mss. collect. Hisp. et Isid. et in cod. Veron. Cresc., *potest*. Post pauca *recolamus* in Vat. Reg. et secunda manu in Vindeb. collect. 5. Forte cæteri codices dimanant ab antiquioribus exemplaribus, in quibus omissæ fuerunt litteræ *re*, ob concursum similium litterarum in fine vocis antecedentis *honore*.

[f] Vat. puri Dionysii, alius Cresc. 1347 atque mss. collect. 24 cum editis ante Quesn., *servanda est discretio*. Quidam codd., *distinctio*.

[g] Ita textus apostoli et plerique nostri codices. Exemplar Vat. collect. 24 ac tria alia a Quesnello in marg. laudata, *scientia*. Apud Justellum et Cresc. ac in alio Thuan., *sapientia*. In cod. Veron. Cresc. priori charactere *sapientia*, posteriori *scientia*.

[h] Al., *quod in illo*.

[i] De Consecr. dist. 4, *Proprie in morte*, c. 13.

[j] Editi ante Quesn. cum mss. Vat. Hisp. et Isid., *ex mortuis*. Paulo post iidem editi cum Vat. Reg. collect. 1 et Vindebon. collect. 5 ac Justello præmittunt nomen *Paulo* voci *Apostolo*.

[k] Particulam *enim* a Quesn. expunctam revocavimus ex mss. collect. 4 Dion., Hadrian., Hisp. et Isid. atque aliis. Dein Vindeb. Hisp., *in morte*.

[l] Vindeb. Hisp. et Veron. Cresc. cum Justello delent *esse*. Decrat etiam in Vindeb. collect. 5, sed antiqua manu suppletum.

Digitized by Google

trina demersio, et ab aquis elevatio, resurgentis instar est de sepulcro. Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem in quo orta est et virtus muneris et species actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet quod ipse Dominus Jesus Christus, postea quam resurrexit a mortuis, discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum præsules docebantur, et formam et potestatem tradidit baptizandi, dicens : *Euntes* [a] *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Additur sane huic observantiæ etiam Pentecostes ex adventu Spiritus sancti sacrata solemnitas, quæ de paschalis festi pendet articulo. Et cum ad alios dies alia festa pertineant, hæc semper ad eum diem qui resurrectione Domini est insignis occurrit : [b] porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ manum, et eos quos a die Paschæ aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas interclusit, invitans, ut quibuslibet necessitatibus impediti, desiderii sui effectum dono sancti Spiritus consequantur. Ipse enim unigenitus Dei in fide credentium et in virtute operum nullam inter se et Spiritum sanctum [c] voluit esse distantiam, quia nulla est diversitas in natura, dicens : *Rogabo ego Patrem, et alium* **720** *Paracletum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum* [d] *Spiritus veritatis* (*Joan.* XIV, 16). Et iterum : *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret universa quæcumque dixi vobis* (*Ibid.*, 26). Et iterum : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13). Cum itaque veritas Christus sit, et Spiritus sanctus, spiritus veritatis, nomenque Paracleti [e] utrique sit proprium, non dissimile est festum ubi unum est sacramentum.

CAP. IV. *Ex apostolico exemplo baptisma in Pentecoste celebrari.* — [f] Hoc autem nos non ex nostra persuasione defendere, sed ex apostolica auctoritate servare, satis idoneo probamus exemplo, sequentes beatum apostolum Petrum, qui in ipso die quo omnem credentium numerum promissus Spiritus sancti replevit adventus, trium millium [g] populum, sua prædicatione conversum, lavacro baptismatis consecravit. Quod sancta Scriptura, quæ apostolorum actus continet, fideli historia docet dicens : *His auditis compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et reliquos apostolos : Quid faciemus, viri fratres ? Petrus vero ad illos : Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum ; et accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est* [h] *repromissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster. Aliis etiam pluribus verbis testificatus est, et exhortabatur eos dicens : Salvamini a generatione ista prava. Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, et appositæ sunt illa die animæ circiter tria millia* (*Act.* II, 37-41).

721 CAP. V. *In necessitatis casu omni tempore baptizandum.* — Unde quia manifestissime patet baptizandis in Ecclesia electis hæc [i] duo tempora, de quibus locuti sumus, esse legitima, dilectionem vestram monemus ut nullos alios dies huic observantiæ misceatis. Quia [*Ed.* Cap. VI] [j] etsi sunt alia quoque festa, quibus multa in honorem Dei reverentia debeatur, principalis tamen et maximi sacramenti custodienda nobis est, mystica et rationalis exceptio ; [l] non interdicta licentia, qua in baptismo tribuendo

[a] Cod. Vat. Reg. addit *ergo*. Editiones Quesnello anteriores cum Vindeb. collect. 5 et mss. collect. 24, *ergo nunc*.

[b] Eædem editiones cum mss. collect. 24 corrupte, *porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ manum, ut hi quos a die Paschæ... interclusit invitos, aut quibuslibet necessitatibus impeditos, desiderii*, etc. Quesn. ex suis codicibus emendavit, quibus reliqui nostri favent.

[c] Ms. Vindeb. Hisp. inserit *Domini* ; post pauca delet *ego*.

[d] Cod. Vindeb. collect. 5, utrique Hisp. et Vat. Isid. nec non Veron. Crescon. cum Merlino, Justello, et aliis antiquioribus editis præmissa virgula, *spiritum veritatis*. Post pauca *mittet Pater meus* in quibusdam mss. et Justell. *Ipse diriget vos* in Vat. Reg.

[e] Mss. Hisp. et Isid., *utriusque*.

[f] De Consecr. dist. 4, *Proprie in morte*, §. *Hoc autem*, c. 13.

[g] Non pauci codices, *populorum*.

[h] Codd. collect. 21, *repromissio hæc*. Aliquanto post *appositæ sunt in illa die* in utrisque Vindebon. collect. 5 et Hisp., in Vercell. Hadrian., in Veronen. Cresc., et apud Justellum.

[i] De Consecr., dist. 4, *Duo tempora*, c. 12.

[j] Particulam *etsi* pro *si*, quam subsequens particula *tamen* videtur exigere, a Quesnello licet exclusam restituimus ope mss. Vat. Reg. collect. 1, Vindebon. collect. 5, secunda manu, et aliorum Vat. collect. 21 ac 24. Mss. Hisp. et Isid. omittunt tum *etsi*, tum *si*.

[k] Quesnellus, qui varias hujus loci lectiones profert not. 2, prætulit hanc *mystica, et rationabilis exemplatio*, eaque potissimum de causa, quia Dionysii et Cresconii esse credidit illam, quæ in Justelli editione profertur. Nos vero textui inseruimus lectionem puri Dionysii Vat. 5845, quæ præterea confirmatur ne dum antiquo cod. Cresconiano Vat. 1347, sed etiam Vat. Reg. collect. 1, item Vat. collect. 3, et alio cod. Dionysiano, quem Harduinus laudat. Idem habet etiam Vindeb. collect. 5 prima manu ; secunda vero fuit emendata solum vox *rationabilis* pro *rationalis*. Codd. Hisp. et Isid. quos ex puro Dionysio profectos liquet, habent uti Thuan. et Trecopith. collect. 5 *mystice*, vel *mysticæ rationalis exceptio* : quod ad nostram quidem lectionem accedit, discrepat autem quam maxime ab illa quam Quesnellus prætulit. Hanc in aliquot codd. coll. Hadrianeæ, quos Justellus secutus est, reperimus. Editi ante Quesn. cum Merlino et nonnullis codd., *mysticæ rationis exceptio*. Unus Vercell. et Veronen. Crescon., *mystica, et rationalis exemptio*. Hic autem *exceptio*, seu *exemptio*, significat, præter Pascha et Pentecosten, quæ festa ob mysticam et rationabilem causam baptismati administrando assignata sunt, cæteros dies festos, cum eamdem causam non recipiant, mystica, et rationabili exceptione ab eo ministerio fuisse exemptos ; ac propterea hanc exceptionem esse servandam, nisi necessitas aliquo peculiari casu aliter postulet, ut in sequentibus additur.

[l] De Consecr., dist. 4, Si qui necessitate, c. 16.

Digitized by Google

quolibet tempore periclitantibus subvenitur. Ita enim ad has duas festivitates connexas sibimet atque cognatas, incolumium et in pacis securitate degentium libera vota differimus, ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore, hoc veræ salutis singulare [a] præsidium cuiquam denegemus.

722 Cap. VI. *Christi ad baptisma Joannis accedentis mysterium.* — [b] Si quis autem Epiphaniæ festivitatem, quæ in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc • æstimat privilegium habere baptismatis, quia hoc [d] quidam putant, quod in eadem die Dominus ad baptismum sancti Joannis accesserit; sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem; nec ad eamdem pertinuisse virtutem. qua per Spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur: *Qui non • ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I, 13). Dominus enim nullius indigens remissione peccati, nec quæreus remedium renascendi, sic voluit baptizari, quomodo [f] et voluit circumcidi, hostiamque pro se emundationis offerri (*Matth.* III, 15): ut qui factus fuerat ex muliere, sicut Apostolus ait, fieret et sub lege (*Galat.* IV, 4), quam non venerat solvere, sed implere (*Matth.* V, 17), et implendo finire, [g] sicut beatus Apostolus prædicat dicens: *Finis autem legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4) Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, quia *in omnibus primatum tenens* (*Colos.* I, 18) se docuit esse principium. Et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis, et aqua baptismatis (*Joan.* XIX, 34). Sicut ergo vetus testamentum novi testificatio fuit, et *lex per Mosen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17): [h] sicut diversa

723 sacrificia unam hostiam præformarunt, et multorum agnorum occisio illius immolatione finita est, de quo dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* I, 29); sic et Joannes non Christus, sed Christi prævius; non sponsus, sed sponsi amicus, fuit adeo fidelis et non sua quærens, sed quæ Jesu Christi, ut se profiteretur ad solvenda calceamenta pedum ejus indignum (*Matt.* III, 11; *Luc.* III, 16): quoniam ipse quidem baptizaret in aqua in pœnitentiam, ille autem baptizaturus esset *in Spiritu sancto et igni* (*Ibid.*); qui duplici potestate et vitam redderet, et peccata consumeret. His itaque, fratres charissimi, tot ac tantis existentibus documentis, quibus omni ambiguitate submota, evidenter agnoscitis, in baptizandis electis, qui secundum apostolicam [i] regulam et exorcismis scrutandi, et jejuniis sanctificandi, et frequentibus sunt prædicationibus imbuendi, [j] duo tantum [k] tempora, id est Pascha, et Pentecosten, esse servanda; hoc [l] vestræ indicimus charitati, ut ab apostolicis institutis nullo ulterius recedatis excessu. Quia inultum post hæc esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.

724 Cap. VII. *De concilio quotannis Romæ celebrando.* — Quare illud primitus pro custodia concordissimæ unitatis exigimus, ut, quia saluberrime a sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis [m] ad diem tertium kalend. Octobr. Romam fraterno concilio sociandi, indissimulanter occurrant: quoniam, adjuvante gratia Dei, facilius poterit provideri ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cum coram beatissimo apostolo Pe-

[a] Editi ante Quesn. cum solis nostris mss. collect. 24 *remedium*.

[b] De Consecr., dist. 4, *Si quis autem Epiph.*; et in Decret. IV. l. t.

[c] Exemplar Vat. Dionysii cum Hisp. Isid. et duobus Cresconii mss., *existimat*.

[d] Vide not. 3 Quesn.

[e] Unus cod. Vercell. et Vat. collect. 11, cum editis ante Quesnellum, *ex sanguinibus*. Mox Veron. Cresc. et Vat. collect. 24, *ex voluptate carnis*.

[f] Inseruimus particulam *et* ex Vat. Reg. collect. 1, ex puro Dionys. Vat., ex Vindeb. collect. 5, quibus concinunt utraque mss. Hisp., Vat., Isid. et duo codd. Cresconii. Merlinus cum ms. Vat. collect. 24, *sicut voluit circumcidi*. Paulo post quidam codd. cum antiquioribus editis, *sed adimplere*.

[g] Mss. Vat., Hisp. ac Isid., et Veron. Cresc. cum Justello, *et sicut*. Vindebon. Hisp., *sicut Apostolus ait dicens*.

[h] Editi ante Quesn., *sic diversa*. Mox, *præformarunt* (quod Quesnellus retinuisset libenter, nisi auctoritate Dionysii, Cresc. et quinque mss. substituendum putasset *reformarunt*, uti monuit not. 4) nos restituimus ex præstantissimis codd. Vat. Reg. collect. 1, alio Vat. collect. 3 aliisque pluribus trium aliarum collectionum 11, 21 et 24, quibus favet etiam Vindebon. collect. 5, in quo prima manu erat quidem *reformarunt*; sed ab antiquo amanuensi, qui codicem cum alio vetustiori contulit, emendatum fuit *performavere runt*. Post pauca quidam codices *peccata mundi*.

[i] Duo codices Vatt. collect. 21, *doctrinam*. Vide not. 5 Quesn.

[j] Vide not. 6 Quesn.

[k] De Consecr., dist. 4, *Duo tempora*, c. 12.

[l] De Consecr., dist. 4, *Hoc vestræ*, c. 10.

[m] Quesnellus in margine *ad diem* XIII *kal. Octobr.* ex duobus codd. quos esse Thuan. ac Trecopithœan. collect. 5 colligimus ex nostro Vindebon. ejusdem collectionis, qui solus similiter præfert. Sequentem vero textum immutare noluimus ob Dionysii auctoritatem, quam omnes codd. Hadrian., Hisp., Isid. aliarumque posteriorum collectionum secuti sunt. Cæterum tres antiquissimæ collectiones additamentum habent, sed lectione aliquantulum discrepant. Duo Quesnelli codd. Thuan. et Trecopithœan. collect. 5 post voces *indissimulanter occurrant* addunt, Quesnello teste, *et hæc a vobis consuetudo servetur*. Noster Vindebon. ejusdem collectionis: *Romæ fraterno concilio indissimulanter occurrant, et per vos hæc consuetudo servetur*. Idem habet cod. Vat. Reg. collect. 1, et solum per oscitantiam librarii omissæ fuerunt voces *occurrant* et *per*. Vat. collect. 3 paulo dissimiliter: *ad diem* III *kal. Octobr. Romæ occurrant fraterno concilio, et indissimulanter a vobis hæc consuetudo servetur*. Vulgati quoque ante Quesn. cum mss. collect. 24, *Romam fraterno concilio sociandi occurrant, et indissimulanter a vobis hæc consuetudo servetur*. Editio Nicolini in textu, et aliæ nonnullæ ad marginem, nescimus ex quo codice, *indissimulanter concurrant: quod utique laboriosum non est, si vicissim inter vos hæc consuetudo servetur*. Cod. Vercell. et Justellus, lectione Dionysiana recepta, habent *concurrant*.

Digitized by Google

tro id semper in commune [a] tractandum sit, ut omnia ipsius constituta, canonumque decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant. Hæc autem, quæ vobis, inspirante Domino, insinuanda credidimus, per fratres et coepiscopos nostros [b] Bac-

A cillum atque Paschasinum ad vestram volumus notitiam pervenire. Quibus referentibus cognoscamus quam reverenter a vobis apostolicæ sedis instituta serventur. Data XII kalend. Novembr. [c] Calepio et Ardabure viris clarissimis consulibus.

[a] Ita melius ex potioribus et plerisque nostris codicibus, quam *tractandam fuerit* apud Quesn., vel *tractatum fuerit* in aliis editionibus ex mss. collect. 12 et 24 in quibus etiam pro *in commune* perperam legitur *in communione*. Mox pro *omnia ipsius constituta* Vulg. antiquior. cum aliquibus mss. exhibent *omnia instituta*.

[b] Vat. Reg., *Bacyllum*. Vat. collect. 3 cum alio Vat. 542 collect. 21, *Bacellum et Paschasium*. Vat. Hisp. cum mss. collect. 11 et aliquibus collect. 21, *Vacillum*, aut *Vachillum et Paschasium*. Unus Vercell., *Vacillium*; alius, *Bacillum et Paschasium*. Paulo post Vat Reg. collect. 1 et Vindebon. collect. 5, *apostolicæ sedis statuta*.

[c] Ita emendavimus ex Vat. Reginæ collect. 1. Confer. annot. 85 in epist. præcedentem. Quidam codices chronica nota carent. Alii pro *Calepio* præferunt *Calepodio* vel *Calapodio*. Vulgati, *Alipio*.

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. Quesnellus, qui conjecturis facile indulsit, sequentem epistolam aliquot conjectationibus in suspicionem adducere studuit, ita ut vel supposititia crederetur, eo consilio conficta ut prædia alicujus Ecclesiæ perperam distracta eidem vindicarentur, vel alteri Leoni posterioris ætatis adjudicetur. Ut autem huic postremæ sententiæ magis assentiretur, illud in causa fuit quod etsi nullum ejus exemplar manuscriptum nancisci potuit (unde potissimum motus fuit ad dubitandum), *pannus* tamen *ejus*, inquit in notis, *legitur apud Gratianum* 12, *q.* 2, cap. 52, *ubi et Leoni tribuitur, et missa inscribitur* universis episcopis per Siciliam constitutis. *Sed cujus Leonis sit, an primi an secundi, nec antiquæ editiones Gratiani aperiunt, nec recentiores.* Tillemontius not. 9, tom. XV, p. 894, in Leonem singulas Quesnelli conjecturas ad calculum revocavit, et ineptas ostendit; sed de codicibus ne verbum quidem. Nos autem, qui potiora ejus argumenta diluemus in annotationibus ipsi epistolæ subjiciendis, præstantissimos et vetustos codices reperimus, qui supra omnem conjectationem hasce litteras nostro Leoni indubitanter vindicabunt.

2. Hæc itaque epistola nobis conservata fuit in codd. collect. 8, e quibus quatuor memoramus, antiquissimum Vat. 5845, Vallicell. A. S. sæculi IX, unum Vercellensem satis vetustum, et Vat. 1353, qui e vetustissimo Bergomate descriptus fuit. Hujus autem collectionis auctor, qui Dionysio plura valde rara documenta adjecit, usus fuit alia nobis ignota collectione, quæ in Gelasio terminabat, et sæculo VI condita fuerat. Nam usque ad Gelasium monumenta adduntur chronico ordine satis congruo, qui antiquæ collectionis ad hoc usque tempus productæ indicium est, de quo plura dicentur in tractatu de antiquis Canonum et Constitutionum Collectionibus tom. III. Leoni autem Magno eadem epistola in his codicibus explorate asseritur non solum ex consulatu qui in Leonis pontificatum cadit, verum etiam ex eo quod inter alias quindecim genuinas epistolas ejusdem pontificis describitur, ita ut de hac una dubium adhuc promovere absque ullo argumento satis certo temerarium sit.

3. Invenitur præterea hæc eadem epistola in ms. libro Vat. 1343 sæculi X, qui fuit Ticinensis Ecclesiæ, nec non in Vat. Ottobon. 297 collect. 23. Accedunt duo auctores antiquiores Gratiano, qui ex eadem epistola nonnulla suis collectionibus inseruerunt, nimirum cardinalis Deusdedit lib. III, cap. 34, in ms. Vat. 3833, et S. Anselmus lib. V, cap. 69, et lib. VI, cap. 189, in pluribus codd. Vaticanis. Tandem, ut alia testimonia omittamus, Gerhohus præpositus Reicherspergensis ineunte sæculo XII totam epistolam ex Germanico codice descripsit in opere de Ædificio Dei, cap 60, quod editum est a P. Pez. in Thesauro Anecdot. tom. II, part. II, unde etiam in Germania hujus epistolæ exemplum inveniebatur.

4. Hic tandem monendum est Gerardum Vossium, præpositum Tungrensem, qui primus omnium in appendice Operum S. Gregorii Thaumaturgi editionis Moguntinæ ann. 1604 hanc epistolam typis dedit, usum fuisse codice card. Sirleti. Ex complexu autem cæterorum monumentorum, quæ ex eodem codice se edidisse testatur, nec non ex titulo peculiari quem his litteris ex eodem ms. præfixit, colligimus eum codicem fuisse similem laudato ms. Vat. Ottobon. collect. 23. Potior autem aliorum quos laudavimus codicum auctoritas majorem epistolæ fidem conciliat.

727 [a] EPISTOLA XVII.

[b] AD UNIVERSOS EPISCOPOS PER SICILIAM CONSTITUTOS.

SYNOPSIS. — *Constitutione perpetua episcopis prohibet, quod in duabus Siciliæ Ecclesiis improbe gestum, injusteque per episcopos ibidem præsumptum est; qui Ecclesiarum suarum bona illicite alienaverant: cujus decreti violatores ordine et communione privandos edicit.*

LEO papa universis episcopis per Siciliam constitutis [c].

Occasio specialium querelarum, curam nobis pro-

B videntiæ generalis [d] indicit, ut quod in duabus provinciæ vestræ Ecclesiis improbe gestum, injusteque præsumptum est, id constitutione perpetua ab[e] omnium episcoporum usurpatione resecemus. **728** Taurominitanis enim clericis Ecclesiæ deplorantibus nuditatem, eo quod omnia ejus prædia, vendendo, donando, et diversis modis alienando, episcopus dissiparet; etiam Panormitani clerici, quibus nuper est ordinatus antistes, [f] similem que-

[a] Scripta 21 Octob. 447.

[b] In ms. Vat. Ottobon. 297 collect. 23 et in simili card. Sirleti, ex quo hanc epistolam Vossius edidit, hic titulus legitur: *Edictum S. Leonis papæ urbis Romæ episcopi ad universos episcopos per Siciliam constitutos.* In ms. Vallicell. collect. 8: *Incipiunt decreta S. Leonis papæ urbis Romæ. Leo papa universis episcopis per Siciliam constitutis.*

[c] Vulg. addunt, *in Domino salutem.* Ex codd. collect. 8 delevimus

[d] Ms. Vallicell., *indixit.* Mox apud Deusdedit *ut quod in duabus provinciis in Ecclesiis improbe gestum;* apud Gerhohum vero, *ut quod in duabus provinciæ nostræ Ecclesiis.*

[e] Prætulimus *omnium* auctoritate potiorum codd. duorum Vatt. et unius Vallicell. collect. 8. Al., *omni.* Mox in iisdem duobus Vatt., *Tauromenitanis.*

[f] Erat in editis, sicut et in aliquot codicibus, *similem querimoniarum ... causam detulerunt.* Melior visa est lectio cod. Vallicell. et Gerhohi, quam con-

Digitized by Google

rimoniam in sancta synodo, cui præsidebamus, de usurpatione prioris episcopi detulerunt. Quamvis ergo [a] jam ordinatum a nobis sit quemadmodum utriusque Ecclesiæ utilitatibus consulatur, ne tamen hoc perniciosum nequissimæ deprædationis exemplum cuiquam posthac fiat imitabile, hanc præcepti nostri formam apud dilectionem vestram volumus esse perpetuam : qua [b] sine [c] exceptione decernimus ut ne quis episcopus de Ecclesiæ suæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere; nisi forte ita aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, et [d] cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Nam presbyteri, vel diaconi, aut cujus- A cumque ordinis clerici, qui conniventiam in Ecclesiæ damna miscuerint, sciant se [e] et ordine et communione privandos : quia plenum justitiæ est, fratres charissimi, ut non solum episcopi, sed etiam totius cleri **729** studio, [f] ecclesiasticæ utilitatis incrementa serventur, et eorum munera illibata permaneant, [g] qui pro animarum suarum salute propriam substantiam Ecclesiis contulerunt. Data [h] XII kalend. Novembris, Calepio v. c. cons.

EPISTOLA [i] XVIII

[j] AD JANUARIUM EPISCOPUM AQUILEIENSEM.

[k] SYNOPSIS (Ex Dionysio Exiguo). — *Quod omnis cujuslibet ordinis clericus, qui catholicam deserens,* B bonorum Ecclesiæ, ex qua plurimum damni in Ecclesiam redibat?

firmat etiam Vat. 5845, qui *causam* omittens, accusativum *querimoniam* exigit. Vossius cum mss. Ottob. et Vat. 1353, *cui præesse debebamus* textui inseruit: in margine autem notavit, quod in aliis omnibus mss. reperimus, *cui præsidebamus*. Præterea duo codices pro *de usurpatione* habent *de usurpationibus*. Synodum cujus hoc loco fit mentio habitam credimus III kal. Octobr., illamque fuisse ad quam terni ex Sicilia episcopi occurrere debebant, uti ex præcedenti epistola c. 7 liquet.

[a] Particula *jam* adjicienda fuit ex præstantioribus mss. Vat. 5845 et Vallicell. ac Gerhoho; decretumque *jam* in Romana synodo latum indicat. Hoc autem peculiare Leonis decretum pro Tauromenitana et Panormitana Ecclesiis desideratur, ut desunt alia multa Leonis celebriora : et solum hoc generale ad universos Siculos decretum ab auctore collect. 8 nobis conservatum fuit. Id autem ad cujusdam Quesnellianæ objectionis imbecillitatem ostendendam indicandum fuerat.

[b] 12, qu. 2, cap. *Sine exceptione*.

[c] Duo codd. cum Gerhoho, *sine exspectatione*.

[d] Inter canones qui concilio IV Carthaginensi in collectione Hispanica, et exinde in vulgatis tribuuntur, hic est canon 52 : *Irrita erit donatio episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticæ absque conniventia et subscriptione clericorum.* Licet autem hi canones probabiliter non sint Carthaginenses concilii, antiqui tamen sunt, et in vetustissimis mss. collectionibus Corbeiensi 2, Barberina 3, aliisque etiam Gallicanis diversæ originis reperiuntur cum titulo *Statuta Ecclesiæ antiqua*, et alio ordine ille canon est quinquagesimus. Id autem ostendit hanc Ecclesiæ disciplinam quæ ad alienationem bonorum Ecclesiæ cleri consensum et subscriptiones requirebat, non esse posterioris et remissioris ævi, uti Quesnellus opposuit, ac si hoc decretum Leoni magno convenire non possit. Statuta illa antiqua ex antiquitate ipsarum collectionum, in quibus *antiqua*, id est antiquiora iisdem collectionibus præferuntur, Leonis ætatem ad minimum attingunt. Quod si Hilarus papa Leonis immediatus successor concilii approbationem in iisdem alienationibus posterius flagitavit, id potius nobis favet : facile enim fuit cautionem a Leone decretam non satis efficacem cursu temporis inventam fuisse, adeo ut majorem cautionem adjiciendam Hilarus censuerit. Unde mirum non est si hanc posteriorem et strictiorem cautionem subsequentes pontifices a Quesnello allegati num. 5 renovarunt : qua tamen posteriori ævo obsoleta prior Leonina cautio rediit.

[e] *Duplex hæc pœna Leonis ætate non infligebatur, nisi forte, quod nonnullis placet, propter gravissima omnium facinora*, inquit Quesnellus in notis num. 7, et idcirco auctorem epistolæ multo recentiorem pronuntiat. At undenam probat inter facinora gravissima accenseri non potuisse facilem alienationem

[f] Cod. Vallicell. et Gerhohus *ecclesiastica utilitas intemerata servetur*. Vox *intemerata* pro *incrementa* est pariter in duobus aliis mss.

[g] Præmissa vox *eorum* exigit *qui*, non *quæ*, ut in Vulg. habetur, sicut et in aliquibus codd. sic : *quæ pro animarum suarum salute fideles de propria substantia Ecclesiis contulerunt*. Ex Vat. 5845 et ex Gerhoho delevimus *fideles de*, et scripsimus *propriam substantiam*, quod ultimum etiam legitur in ms. Vercell.

[h] Editi XI *kal. Novembris*, nullis nostris codicibus suffragantibus, immo etiam refragante Vossii editione, quæ, ut in mss. habet, XII *kal. Novembr.* In duobus antiquioribus codd. pro *Data* legitur *Danda sub die* XII *kal. Nov.*, quæ formula num innuere possit hoc pariter generale Leonis decretum constitutum fuisse in synodo coacta III kal. Octobris, in qua decretum particulare pro Ecclesiis Tauromenitana et Panormitana editum fuit, ita ut formula *Danda* C *sub die* apposita fuerit ob indicandum diem postea adjiciendum, cum epistola mitteretur, aliorum judicio decidendum relinquimus. Plerique mss. codd. cum editis habent *Calipio*, sed prætulimus lectionem codicis Vat. Ottobon., *Calepio*, quam veriorem probavimus annot. 85 (692, *i*) in epist. 15. Neque mirum sit quod unicus consul Calepius nominetur sine Ardabure collega, qui in cæteris hujus anni epistolis illi conjungitur. Solum enim Calepium Occidentalem consulem appellare satis usitatum erat. Nonnullas Valentiniani leges hoc anno datas habemus, et licet in plerisque utrique consules signentur, tamen in novella 27, *de Negotiatoribus*, et in novella 3, *de Palatinis*, solus Calepius notatur. Idem mos ex aliis etiam Leonis documentis liquet. Sic e duabus epistolis anni sequentis 19 et 20 prior ad Dorum solum *Posthumianum* Occidentis consulem præfert, altera vero Posthumianum et Zenonem jungit. Neque difficultatem moveat hanc epistolam eodem die ad eos- D dem Siculos datam fuisse quo epistola præcedens data præfertur. Ex epistolis enim 41 et 42 ad Ravennium, 136 et 137 ad Marcianum, et 164 ac 165 ad Leonem Augustum patet nostrum pontificem binas identidem epistolas eodem die scripsisse ad eamdem personam, cum argumentum distinctum suppetebat.

[i] Al. 14. Quæ autem antea 18 erat, nunc 19. Scripta 30 Decemb. 447.

[j] Hanc epistolam luculenter vindicavimus in admonitione præmissa epistolæ primæ, ubi etiam mss. et editas collectiones in quibus continetur indicatas invenies.

[k] In tabula collect. 5, num. 75, hic titulus describitur : *Ad Januarium episcopum Aquileiensem, de clericis qui in hæresim vel quodlibet schisma prolapsi sunt, minime promovendis.*

Digitized by Google

hæreticæ se communioni miscuerit, si ad Ecclesiam reversus fuerit, in eo gradu in quo erat (Cresc., *quo fuerat*) *sine promotione remaneat.*

LEO episcopus [a] urbis Romæ, JANUARIO episcopo Aquileiensi.

730 Lectis fraternitatis tuæ litteris, vigorem fidei tuæ, quem olim noveramus, agnovimus, congratulantes tibi quod ad custodiam [b] gregis Christi pastoralem curam vigilanter exsequeris; ne [c] lupi, qui sub specie ovium subintrarunt (*Matth.* VII, 15), bestiali sævitia simplices quosque dilacerent; et non solum ipsi nulla correctione proficiant, sed etiam ea quæ sunt sana corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia, dilectionem tuam duximus commonendam : insinuantes ad animæ periculum pertinere, [d] si quisquam de his qui a nobis in hæreticorum atque [e] schismaticorum sectam delapsus est, et se utcumque hæreticæ communionis contagione macularit resipiscens, in communione **731** catholica [f] sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. [g] Saluberrimum enim et spiritalis medicinæ utilitate plenissimum est, ut sive presbyteri, sive diaconi, [h] vel subdiaconi, aut [i] cujuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, atque ad catholicam fidem, quam jam pridem amiserant, rursum reverti ambiunt, prius [j] errores suos et ipsos auctores errorum damnari a se sine ambiguitate fateantur : ut sensibus [k] pravis etiam peremptis, nulla sperandi supersit occasio, nec ullum membrum talium possit societate violari, cum per omnia illis professio propria cœperit obviare. Circa quos etiam illam [l] canonum constitutionem præcipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine, [m] stabilitate perpetua maneant; si tamen iterata tinctione non fuerint maculati. Non levem apud Dominum noxam incurrit qui de talibus [n] ad sacros ordines promovendum aliquem judicarit. Quod si cum grandi examinatione promotio conceditur inculpatis, multo magis non debet licere suspectis. Proinde dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jungat curam suam dispositionibus nostris, **732** et det operam ut circumspecte atque velociter impleantur quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem et laudabiliter [o] suggesta sunt, et salubriter ordinata. Non autem dubitet dilectio tua, nos si, quod non arbitramur, neglecta fuerint quæ pro custodia canonum et pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos : quia [p] INFERIORUM ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt quam ad desides negligentesque rectores : qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. Data [q] in

invenies. Contulimus cum pluribus et præstantissimis codicibus in annot. allegandis. Vaticanum exemplar 5845 puri Dionysii conferre nequivimus, eo quod in eo ob codicis defectum non solum hæc epistola desit, verum etiam postremum caput epistolæ præcedentis (nobis 16) ad Siculos. Cæterum omnes codices *ad Januarium*, præferunt. Editi ante Quesn. ex Merlino inscribunt *ad Julianum*, et in margine *ad Januarium*, sed errore manifesto : nam ipsi codices collect. 12, ex quibus Merlinus suam editionem derivavit, *ad Januarium* exhibent. Vide not. 1 Quesn.

[a] Voces *urbis Romæ* omittuntur in ms. Vindeb. collect. 5.

[b] Idem cod. Vindebon. collect. 5 et mss. collect. 21 et 24 cum antiquioribus editis, *gregum Christi*.

[c] Intelligendi sunt Pelagiani, quos in Aquileiensem provinciam olim irrepsisse, et in communionem aliquando sine debita errorum et auctorum condemnatione imprudenter receptos Septimus Altinas monuerat; unde Leo Aquileiensi episcopo, ut probabilius est, prædecessori epistolam 1 dedit, qua sic imprudenter receptos, cum idoneis cautionibus recipiendos mandavit. Januarius, qui mox successit, hoc mandatum pastorali cura exsecutus est, et idcirco laudatur. Vide admonitionem epistolæ 1 præmissam num. 26.

[d] 1, qu. 1, *Si quis hæreticæ*, c. 42.

[e] *Schismaticorum* mentio, et paulo post illa conditio, *si tamen iterata tinctione non fuerint maculati*, Donatistas vel Novatianos in Aquileiensi provincia detectos indicare visæ sunt, in quo vide not. 3 Quesn. At generalis regula hic indicatur, omnibus tum hæreticis, tum schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus communis, licet occasione peculiaris casus Aquileiensis provinciæ proponatur. Nemo scilicet sive schismaticus, sive hæreticus ad unitatem catholicam reverens, sine professione legitimæ satisfactionis recipi poterat, etsi esset clericus, ea solum conditione restituebatur in suum gradum, si iterato baptismate non fuisset pollutus; qui enim hoc crimine erant infecti non recipiebantur in clerum, sed publicæ pœnitentiæ subjiciebantur. Confer admonitionem in epist. 1, § 4, et annot. 25 in epist. 159. Quare opus non est suspicari Leonem hoc loco sermonem fecisse de Donatistis aut Novatianis Aquileiensibus, de quibus aliunde in provincia Aquileiensi nullum indicium est. Mox ex ms. Vindebon. collect 5 addidimus verbum *est*.

[f] Quinque codd., *sine promotione*

[g] 1, qu. 7, *Saluberrimum*, c. 21.

[h] Duas voces *vel subdiaconi* adjecit Quesnellus ex Dion. Cresc. Nicolini editione et sex mss. codd. Leguntur quoque in pleriisque nostris, tribus exceptis, in quibus omittuntur, ut etiam desunt in epist. 2 ad Septimum, in qua hæc eadem sententia repetita invenitur.

[i] 1, qu. 1, *Omnis cujuslibet*, c. 112.

[j] Ms. Vindebon. collect. 5, *errorem suum et ipsos erroris auctores damnari*. Justellus quoque cum duobus codicibus habet tantum, *auctores erroris*. Alius cod., *damnatos* pro *damnari*.

[k] Cod. Vindeb. collect. 5, *pravis et dudum peremptis*, uti legitur in epist. 2 ad Septimum. Mox *sperandi* vocem exhiberi in omnibus et mss. et excusis confessus est in postilla marginali Quesnellus; at « suspicor, inquit, legendum *spirandi*. » Quinque nostri codices habent, *desperandi*, cæteri autem *sperandi*.

[l] Cod. Vat. collect. 11, *canonicam*. Quæ vero hic intelligatur *canonum constitutio* exposuimus in admonitione ad epist. 1, num. 18. Confer etiam not. 2 Quesnelli.

[m] Vindeb. mss. collect. 5, *in perpetua stabilitate permaneant*. Mox idem codex, *iteratæ tinctionis sacrilegio*.

[n] Vulgati ex Dionysio ac cæteris collectionibus quæ a Dionysiana originem ducunt, *ad sacros promovendos ordines judicarit*. Aptior visa est lectior cod. Vindebon. collect. 5, quæ aliam a Dionysio originem habet.

[o] Editi Quesnello anteriores cum mss. collect. 21, *digesta sunt*.

[p] Dist. 86, *Inferiorum culpæ*, c. 1.

[q] Duæ sunt antiquæ diversæ originis collectiones ex quibus hæc epistola in alias posteriores derivata

Digitized by Google

kalend. Januarii, Calepio et Ardabure viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [a] XIX.

[b] AD DORUM BENEVENTANUM EPISCOPUM.

[c] SYNOPSIS.—I. *Dorum de perturbato presbyterii ordine, primosque presbyteros juri suo cedentes redarguit.*— II. *Suum cuique ordinem vindicat pro ordinationis tempore; primis, qui cesserant, ad infimum relegatis.*

733 Dilectissimo fratri DORO, LEO episcopus.

Judicium, [d] quod de te sperabamus, dolemus esse frustratum, quando ea te commisisse perspicimus quæ omnem ecclesiasticæ sanctionis regulam culpabili novitate [e] fœdarent: cum plenissime noveris, quanta sollicitudine per omnes Domini Ecclesias paternorum velimus canonum præcepta servari, et hanc maxime curam ad sacerdotes universarum plebium pertinere, ut sanctarum constitutionum regulæ nullis corrumpantur excessibus. Unde miramur te, A quem [f] auctoritatum apostolicæ sedis observantissimum esse convenerat, tam negligenter, ac potius insolenter, egisse, ut traditarum tibi legum non custos, sed transgressor **734** existeres. Libello etenim Pauli presbyteri tui, qui in subditis habetur, cognovimus, apud te novo ambitu fœdoque [g] collusio presbyterii ordinem fuisse turbatum; ita ut unius festina et immatura provectio, quædam eorum dejectio facta sit, [h] quorum honorem ætas commendabat et nulla culpa minuebat. Quod si ambientis intentio, aut imperita faventium studia id quod numquam habuit consuetudo poscebant, ut incipiens emeritis et novellus præferretur antiquis, tuæ fuerat industriæ atque doctrinæ ut injusta petentium desideria rationabili auctoritate cohiberes; ne quem B [i] sacerdotali propere provehebas honore, ad injuriam eorum quibus sociabatur inciperet, [j] minorque se fieret, dum in illo non humilitatis virtus, sed elationis vitium roboraretur. [k] Neque enim ignorabas

videtur, nimirum collectio Dionysiana et quinta. In Dionysiana et apud Cresconium ejus exscriptorem etiam in antiquissimo ms. Veronensi notatur dies III *kal. Januar.* In mss. vero collectionis 5 duo codd. Thuan. et Trecopithœan., Quesnello teste not. 4, habent *kal.*, vel III *kal. Julias.* Duo autem nostri Vindeb. ejusdem collect. 5 discrepant; alter enim signatus num. 59, quem uti præstantiorem in variantibus adhibuimus, præfert IV *non. Januar.*, alter vero signatus num. 42, IV *kalendas Julias.* Codices cæterarum collectionum Vat., Hisp., Isid., Hadrian., et aliarum posteriorum, cum Dionysio conveniunt in mense, et plerumque etiam in die: tres enim mss. libri tantum notant XIII *kal. Januarias*, unus Vercellensis IV *kal.* Codex autem Vindebonensis collectionis Hispanicæ, et editi ante Quesn. ex mss. collect. 24 et Merlino tum in mense tum in die discordant: primus enim signat diem III *kal. Julii*, secundi autem *pridie*, vel II *kal. Julias.* In hac varietate Dionysii auctoritatem (cum qua in mense convenit etiam unus codex collect. 5 in die autem conveniunt inter cætera unum saltem exemplar ejusdem collect. 5 a Quesnello laudatum, et duo nostra Vindeb. Hisp. et Vat. collect. 24) præferendam duximus; et hac de causa istam epistolam post litteras ad Turribium et ad Siculos collocavimus, quibus præponenda fuerat, si ex aliis lectionibus mensi Junio ascribenda fuisset. Quoad consularem vero notam editi cum plerisque mss. exhibent *Alipio et Ardabure vv. cc. consulibus.* Quesnellus in margine: Al., *Calipio aut Calepio.* Nos invenimus *Calipio* in duobus mss. Vindebon. collect. 5 et in Veneto collect. 12; *Calepio* edidimus ex rationibus allatis annot. 85 (692 I) in epist. 15.

[a] Al. 18. Quæ autem antea 19 erat, nunc 20. Scripta 8 Martii 448.

[b] Exstat in mss. collect. 5, 11, 12, 13 et 20 usque ad 24. Codices S. Crucis in Hierusalem collect. 20 et Vat. Ottobon. 332, ad *Theodorum* inscribunt. In tabulis vero Beneventanæ Ecclesiæ *Dorus* appellatur, ut in cæteris mss. vocatur. Solum in codd. collect. 21 *Doroleus* per errorem scribitur, in unam conjunctis duabus vocibus *Doro Leo*, quæ in inscriptione epistolæ leguntur.

[c] In tabula collect. 5 capite ultimo hic titulus legitur: *Ad Dorum Beneventanum episcopum objurgationis epistola.* In mss. autem S. Crucis: *De presbytero in aliorum injuriam promoto, et de eis qui eum sibi præponi poposcerunt.*

[d] Duo codd. Quesn. et noster Vindebon. collect. 5 addunt *nostrum.* Mox pro *dolemus* in ms. S. Crucis *gollemus.* Hoc autem ex textu quidam non leviter colligunt, Dorum consecratum videri Beneventi episcopum ab ipso Leone, qui ideirco queritur judicium, seu spem de ipso conceptam, cum scilicet eum Beneventanis episcopum dedit, frustratam fuisse. E Romano etiam clero eductum indicare videntur illa, *cum plenissime noveris*, etc. atque illa: *te, quem auctoritatum apostolicæ sedis observantissimum esse convenerat.*

[e] Iidem duo codd. Quesn., *violarent.*

[f] *Auctoritates apostolicæ sedis* sunt constitutiones Romanorum pontificum. Vide annot. 81 (691 [f]) in epist. 15.

[g] Ita aliquot nostri, et Quesnelli codd. melioris notæ. Al. *colluvio.*

[h] Editi ante Quesn. cum mss. collect. 21 et 24 C *quos ætas commendabat.* Cod. S. Crucis collect. 20, *quos et ætas commendabat.* Editio Quesn., *quorum ætas ordinem commendabat.* In mss. collect. 11 idem legitur, omissa voce *ordinem.* Æquiorem lectionem cod. Vindeb. collect. 5 secuti sumus. *Honor* sacerdotii intelligitur, unde etiam infra, *sacerdotali honore.*

[i] Ita Quesnellus. Anteriores editiones voci *sacerdotali* præponunt præpositionem *in.* Ms. Vindebon. collect. 5, *in sacerdotio propere provehebas ad injuriam.* Cod. S. Crucis, *in sacerdotalem propere provehebas honorem.* Quesn. in margine ex aliquo ipsius codice, *ne quem sacerdotio provehebas.*

[j] Editi Leonis, præmisso puncto, habent corrupte cum mss. Vat. collect. 21 et 24, *Miror, quis fieret.* Dein codd. collect. 21 pro *elationis* habent *furoris.* Mss. autem Vindebon. collect. 5, Vat. collect. 11, Venet. S. Marci collect. 12, et Vat. collect. 24, *fortioris* præferunt. In ms. S. Crucis collect. 20 aliisque duobus Cantabrig. et Thuan. a Quesnello laudatis, D *furoris vitium superaret;* et in Vat. collect. 11, *furoris vitium reprobaretur.* Labbeus in margine annotavit: *Alias, inciperet major quasi fieri, dum in illo non humilitatis virtus, sed furoris vitium roboraretur.* In textu retinuimus lectionem Quesnelli ex Merlino, et editionibus conciliorum, eo quod *elationis* nomen Leoninis quoque editionibus comprobatum, *humilitati* opponatur, totique contextui magis congruat, quam *furoris*, vel *fortioris.*

[k] Editi Quesnello anteriores cum unico nostro cod. Vat. 541 collect. 21, *Neque enim ignorabas dixisse Dominum, quod qui se humiliat exaltabitur, qui vero se exaltat humiliabitur; eumdemque dixisse: Quicumque vult inter vos major fieri, sit vester minister; et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Vos autem quæritis de pusillo crescere, et de honore majores esse.* Ita etiam Leonis codex, quo Hinc-

Digitized by Google

735 dixisse Dominum, quod *qui se humiliat, exaltabitur; qui vero se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* XIV, 11; *et* XVIII, 14): eumdemque dixisse: *Vos autem quæritis de pusillo crescere, et de majore minores esse.* Utrumque enim inordinatum, utrumque præposterum est; et omnis laborum fructus aufertur, omnis meritorum mensura vacuatur, si tantum quis assequitur dignitatis, quantum adulationis obtinuit; ut cupiditas eminendi non solum superbientem minuat, sed etiam conniventem. Si vero, ut asseritur, primi secundique presbyteri, circa [a] Epicarpium sibimet præponendum, tanta huic assentatio fuit, ut illum cum sui dedecore poscerent, honorari, nec hoc quidem illis proprio se judicio dejicientibus tribui debuit, quod volebant: [b] quia tam miseræ voluntati dignius te fuerat obviare quam cedere. Deformis autem et ignava subjectio bene sibi consciis, et non irritam facientibus gratiam Dei, præjudicare [c] non potuit, ut primatus suos quocumque commercio in alterutrum transferentes, subsequentium suorum minuerent dignitatem [d] et quia ultimum sibi anteposuerant, cæteris præemineret.

CAP. II. — Prædicti igitur presbyteri, qui indignos A se honoris sui ordine sunt professi, licet privari etiam sacerdotio mererentur; tamen, ut eis pro apostolicæ sedis pietate parcatur, ultimi inter omnes Ecclesiæ presbyteros habeantur; et, ut judicii sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt quem propria sententia sibimet prætulere: cæteris omnibus presbyteris in eo ordine permanentibus, quem unicuique ordinationis suæ tempus [e] ascripsit. Nec quisquam præter prædictos duos imminutæ dignitatis 736 patiatur injuriam, sed in eorum tantummodo statum hoc recurrat opprobrium, qui novello et immature ordinato inferiores fieri delegerunt; ut illam evangelicam sententiam ad se sentiant pertinere, qua dicitur: *Quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis: et qua mensura mensi fueritis,* [f] *eadem* B *remetietur vobis* (*Matth.* XVII, 2; *Marc.* IV, 24; *Luc.* VI, 38). Paulus vero presbyter ordinem suum, de quo laudabili firmitate non cessit, obtineat: nec ulterius aliquid in cujusquam præsumatur injuriam; ita ut dilectio tua, quam non immerito tota facti hujus pulsat invidia, hoc saltem remedio curare se properet, ut [g] sine dilatione hæc quæ decernimus tradantur

marus usus fuit opusc. 44 de Jure metropol. c. 17. Omnes vero alii codices a nobis adhibiti, id est codd. quatuordecim, et quinque a Quesnello inspecti omittunt textum *Quicumque vult*, etc., usque ad illa, *erit vester servus*. Iidem pariter nostri codices, excepto unico Vindebonensi collect. 5, post voces *eumdemque dixisse* subjiciunt statim, *Vos autem quæritis de pusillo crescere*. Quesnellus vero cum laudato ms. Vindebonensi voces *eumdemque dixisse* transtulit ante verba *qui vero se exaltat*. Illa porro *Vos autem quæritis*, etc., ut in nostro textu allata, non sicuti Christi verba charactere, uti vocant, cursivo, sed quasi Leonis textum charactere rotundo expressit. C Dein *et de majore minores esse* legitur non tantum in quinque mss. Quesnelli, verum etiam in nostris Vindebon. collect. 5, Vat. collect. 11, Vat. et Veneto collect. 12, S. Crucis collect. 20, Veneto collect. 22, Vat. Reginæ 139 collect. 24, et in uno Fesulano. In codicibus autem collect. 21, 23, et uno Vat. 544 collect. 24, *et de honore majores esse*. Post primam Quesnelli editionem Richardus Simon in novis observationibus ad textum, et versiones novi Testamenti c. 21 pag. 458, monuit hæc verba *Vos autem quæritis*, etc., Leonem sumpsisse ex exemplari Evangelii secundum Matthæum c. XX, ubi illa in ejus codice perinde erant inserta, ac in Cantabrigensi, ac quatuor aliis mss. exemplaribus inveniuntur. Dein vero non *de majore minores*, sed *de minore majores esse* legendum contendit. Quesnellus in secunda editione, not. 3, Richardi lectionem *de minore majores esse* optime refellit. Quæ enim a Leone subjiciuntur, *Utrumque enim inordinatum, utrumque præposterum,* D duo sibi invicem opposita indicant fuisse præmissa. Non opponuntur autem *de pusillo crescere*, et *de minore majores esse*; sed *de pusillo crescere*, et *de majore minores esse* opponi manifestum est. Leo autem perstringere voluit tum Epicarpium, qui ex infimo ad primum locum ascendit, tum illos duos presbyteros, qui e primis gradibus in Epicarpii gratiam recedentes, minores fieri consenserant. Plerique et potiores etiam codices Leonis lectioni *de majori minores esse* a Quesnello et a nobis receptæ favent; immo favent etiam exemplaria Latina Evangeliorum a Richardo memorata, quæ eamdem lectionem præferre fatetur. Congruit quoque antiquissimum Evangeliarium Vercellense a P. Josepho Blanchinio novissime editum in opere cui titulus *Evangelium quadruplex*, ut videre est cap. XX Matthæi post versum 28; et alia vetusta ac potiora exemplaria pro eadem lectione laudantur a P. Petro Sabatier in idem caput XX Matth. pag. 120, ubi de hoc assumento plura disserit. Duos tantum codices Evangeliorum pro Richardi lectione memorat, quibus adjiciendum est nostrum vetustum exemplar Veronense ab eodem Blanchinio editum. Ex tot vero jam vulgatis Evangeliorum antiquissimis exemplaribus, quorum quædam ipsius Leonis ætatem creduntur excedere, clare liquet hæc verba, *Vos autem quæritis*, etc., in evangelico Matthæi textu olim inserta, et lecta fuisse, uti verba Christi inter versus Vulgatæ editionis 28 et 29, licet lectione in altero commate aliquantulum diversa. Quidquid autem credatur, utra lectio evangelico contextui magis congruat, cum certum ex dictis sit Leonis menti atque contextui illam convenire quam recepimus, quæ non tam in pluribus ac potioribus mss. Leonis quam in plerisque antiquissimis Evangeliariis invenitur; nihil profecto dubitandum est quin ex aliquo simili Matthæi exemplo hunc textum S. pontifex sumpserit. Cum porro ex his constet textum *Vos autem quæritis*, etc., a Leone recitari uti verba Christi apud Matthæum; antecedentia vero ex Luca decerpserit, consequens fit, voces *eumdemque dixisse* in fere omnibus collectionibus, et mss. Leoninis recte et jure præmitti iisdem verbis *Vos autem quæritis*, ut aliud Christi testimonium ex alio Evangelista sumptum indicetur, nec nisi perperam in aliis codd. et apud Quesnellum hinc fuisse abstractas, et anterius ita traductas, ut unum eumdemque Lucæ textum intersecent, ac in duos dividant.

[a] Tria mss. Quesn., *Epicandium*; duo nostra, *Epicandium presbyterum*. Post pauca cod. S. Crucis delet *huic*, forte melius, videtur enim superfluum.

[b] Editi, *cui tam miseræ*. Magis placuit lectio codicis S. Crucis, cui favent illi qui præferunt *qui*.

[c] Duo mss., *non poterit*; et paulo post *minuerint*, et *anteposuerint*.

[d] Cod. S. Crucis, *quia ultimum sibi anteposuerint, ut cæteris præemineret*. Editi ante Quesn. cum aliquot mss. *Et quem ultimum*, etc.

[e] Tres codd., *ascribit*.

[f] Quædam mss. delent *eadem*.

[g] Hæc lectio ms. S. Crucis contextui magis con-

Digitized by Google

effectui ; ne si iterato ad nos imploratio justa confugerit, necesse sit severius commoveri, cum, his quæ male sunt facta correctis, malimus redintegrare disciplinam quam augere vindictam. Exsecutionem A vero præceptionum nostrarum fratri et coepiscopo nostro [a] Julio commisisse nos noveris, ut omnia [b] illico, quemadmodum constituimus, roborentur. Data [c] VIII idus Martii, Posthumiano viro clarissimo consule.

EPISTOLA [d] XX,

[e] AD EUTYCHEN CONSTANTINOPOLITANUM ABBATEM.

[f] SYNOPSIS. — *Rescribit, sibi de Nestoriana hæresi reviviscente Eutychis litteris admonito, zelum illius placuisse.*

737 [g] Dilectissimo filio EUTYCHI presbytero, LEO episcopus.

Ad notitiam nostram tuæ dilectionis [h] epistola retulisti, quod Nestoriana hæresis quorumdam rursus studiis pullularet : Sollicitudinem tuam ex hac parte nobis placuisse rescribimus, quoniam index animi tui est sermo, quem sumpsimus : unde [i] non ambigas auctorem catholicæ fidei Dominum tibi in omnibus adfuturum. Nos autem cum plenius, quorum hoc [i] improbitate fiat, potuerimus agnoscere, necesse B est, auxiliante Domino, providere : quatenus nefandum virus, dudumque damnatum, radicitus possit exstingui. [k] Deus te custodiat incolumem, dilectissime fili. [l] Datum kalendis Junii, Posthumiano et Zenone viris clarissimis consulibus.

738 Τῷ ποθεινοτάτῳ υἱῷ Εὐτυχεῖ· πρεσβυτέρῳ, Λέων ἐπίσκοπος.

Εἰς γνῶσιν ἡμετέραν διὰ τῶν τῆς σῆς ἀγάπης ἐπιστολῶν ἀνήνεγκας, ὅτι ἡ Νεστοριανὴ αἵρεσις τινῶν πάλιν ταῖς σπουδαῖς ἀνθεῖ. Τὸν ζῆλον τὸν σὸν ἐκ τούτου τοῦ μέρους ἡμῖν ἀρέσαντα ἀντιγράφομεν, ἐπειδὴ μηνυτὴς τοῦ σοῦ λογισμοῦ ἐστιν ὁ λόγος ὃν ἐδεξάμεθα. Διὸ μὴ ἀμφιβάλῃς τὸν ἀρχηγὸν τῆς καθολικῆς πίστεως τὸν Δεσπότην ἐν πᾶσί σοι παρεσόμενον. Ἡμεῖς δὲ ὅτε πληρέστερον ὧν τῇ ἀναιδείᾳ τοῦτο γίνεται δυνηθῶμεν γνῶναι, ἐπάναγκές ἐστι, τοῦ Δεσπότου βοηθοῦντος, προνοῆσαι, ἄχρις οὗ ὁ ἀθέμιτος ἰὸς ὁ πάλαι καταχριθείς, ῥιζόθεν δυνηθῇ σεβισθῆναι. Ὁ Θεὸς ὑγιῆ σε διαφυλάξαι, υἱὲ ποθεινότατε.

739 EPISTOLA [m] XXI,

EUTYCHIS AD S. LEONEM

Nunc primum inter Leonis epistolas inserta.

bens ad papam urbis Romæ Leonem, negat in Christo duas naturas, id est Divinitatis et humanitatis.

SYNOPSIS. — [n] *Epistola Eutychetis hæretici : ubi scri-*

CAP. I. — De mea in Dominum et Deum omnium Christum spe et fide confidens, ante omnia quidem

grua visa est, quam vulgata et aliorum codd., *sine dissimulatione.*

[a] Mss. S. Crucis collect. 20 et Vat. collect. 11, *Juliano.* Quidam opinantur Julium Puteolanum intelligi, quem anno sequenti Leo ad Ephesinam synodum legatum misit.

[b] Legebatur *illi.* Quesnellus *illic* corrigendum in C margine suspicatus est. Veram lectionem suggessit codex Florentinus S. Marci collect. 13.

[c] Quidam codices et editi ante Quesn., *id. Martii.* At vetustiores et potiores VIII *idus*, vel chronica nota carent.

[d] Al. 19. Quæ autem antea 20 erat, nunc 23. Scripta 1 Junii an. 448.

[e] Sicut hæc epistola continetur in mss. collect. 3, 8 Hisp., Isid. 11, 12, 17, 21, 23 et 24, nec non apud Sichardum, ita ad præstantiores omnium harum collectionum codices eamdem relegimus. Græcam versionem ex Græcis mss. collect. 17 Chalcedonensis adjecimus.

[f] Codices collect. Hispanicæ hunc brevem titulum præferunt : *Ad Eutychen Constantinopolitanum abbatem adversus Nestorianam hæresim.*

[g] Codices Latini collectionis Chalcedonensis, inter quos Veronensis sæculi VIII, Græco textui cohærentius præferunt *desiderantissimo filio;* omittunt autem D *presbytero*, licet hoc nomen in Græco non desit.

[h] Plerique nostri codices, ac præsertim illi collectionis Chalcedonensis habent *litteris.* Retinuimus tamen *epistola* auctoritate præsertim vetustissimorum codd. collect. 3 et 8. Nunc subjicimus satis opportunam Quesnelli observationem. « Epistolam, inquit, hanc ab Eutyche scriptam fuisse ante factam erroris sui publicationem, ideo monemus, quia a nonnullis hoc animadversum non fuisse intelligimus : quibus errandi forsitan occasio fuit, quod in capite Actorum Chalcedonensium posita est, tamquam ad eamdem synodum pertineret. Ante eam, inquam, erroris publicationem, quæ Constantinopoli in Flaviani synodo facta est, non vero, quantum conjici potest, ante detecta Domni Antiocheni episcopi studio infandi dogmatis semina. Priusquam enim ad episcopale judicium deferretur ab Eusebio Dorilæi episcopo, jam apud imperatorem Theodosium delata fuerat a Domno accusatio de reviviscente, Eutychis industria et artibus, Apollinaris hæresi. Hujus rei testem locupletem habemus Facundum lib. VIII, cap. 5, cujus verba in dissertatione de causa Eutychis referemus cum Domni synodica. Ex quibus et compertum habemus quinam illi essent quos Eutyches apud S. Leonem infamabat tamquam Nestorii sequaces et patronos : clarum est enim de Domno, Theodoreto et aliis hujusmodi hæc esse intelligenda, qui de anathematizatis per Eutychen Diodoro et Theodoro apud Theodosium conquesti fuerant. » Hactenus ille.

[i] Editi ante Quesn. cum aliquot mss., *non ambigimus.* Quesnellus cum aliis codd., præsertim collect. 17 Chalcedon., *non ambigis.* Prætulimus lectionem antiquissimi Vat. 5845 et Vallicell. A. S. collect. 8, cui etiam Græca interpretatio concinit.

[j] Mss. collect. 21, *importunitate;* melius in mss. collect. 8, *pravitate.*

[k] Exemplaria collect. Chalcedon., *Deus te salvum custodiat, fili desideratissime.*

[l] Hanc chronicam notationem servarunt codd. collect. 17 Chalcedon. et 21.

[m] Quæ autem erat 21, nunc 24. Scripta post 22 Novemb. 448.

[n] Hæc epistola est antiqua versio ex Græco textu, qui desideratur. Subjecta legitur collectioni veterum documentorum ad Nestorianismum pertinentium, quam ex ms. Casinensi Christianus Lupus, ac dein Stephanus Baluzius ediderunt. Exhibetur autem in hac collectione, capite 222, eidemque adjiciuntur tria alia capitula, nimirum, cap. 223, fragmentum professionis fidei ab eodem hæretico editæ; cap. 224, testimonium ex epistola Julio papæ afficta; et cap. 225, anonymi litteræ, quibus ipsa Eutychis epistola ad Leonem confutatur. Quesnellus in secunda editione operum S. Leonis solam Eutychis epistolam descripsit in appendice dissertationis 7, quæ *De causa Eutychis* inscribitur. Cum vero ad Leonem fuerit tradita, ex instituti nostri ratione inter ejus epistolas inserenda fuit; cum præsertim duabus epistolis 23

Digitized by Google

testis Deus Verbum est, in sensibus hujusmodi dignoscens veritatis probationem; invoco autem vestram sanctitatem in testimonio cordis mei et ratione sensuum meorum atque verborum. Sed pessimus diabolus fascinavit tale studium nostrum et propositum, a quibus vires ejus destrui oportuit. His stimulans omnem domesticam sibi vim, contra me movens [*Leg.* movit] Eusebium episcopum oppidi Dorylæensis, [a] libellum dantem sancto episcopo Constantinopolitanæ Ecclesiæ Flaviano et quibusdam aliis inventis in 740 eadem urbe, qui propter diversas causas suas [b] convenerant, quomodo hæreticum compellavit, non veritate accusationem movens, sed perniciem mihi machinans et perturbationem Ecclesiis Dei. Vocabar ad responsionem accusationis ab ipsorum sanctitate; sed gravi ægritudine super ipsam senectutem retentus, occurri ad purgationem, non ignorans compositam factionem contra salutem meam. Et quidem [c] libellis statim, subscriptione mea his addita, obtuli scripta, ostendens de sancta fide professionem meam. Sancto autem Flaviano archiepiscopo neque libellum suscipiente, neque ut legeretur jubente, audiente tamen et respondente me ipsis verbis [d] eam fidem quæ Nicææ exposita est a sancta synodo, confirmata vero apud Ephesum, expetebat duas naturas fateri et anathematizare eos qui hoc negarent. Ego autem metuens definitionem a synodo, nec adimere nec addere verbum contra expositam fidem a sancta synodo Nicæna, sciens vero sanctos et beatos patres nostros [f] Julium, Felicem, Athanasium, Gregorium sanctissimos episcopos 741 refutantes duarum naturarum vocabulum, et non audens de natura tractare Dei Verbi, qui in carnem venit ultimis diebus in uterum sanctæ Virginis Mariæ immutabiliter quomodo voluit et scit, in veritate, non in phantasmate homo factus, qui anathematizare supradictos patres nostros, rogabam ut innotescerent ista sanctitati vestræ, et quod vobis videretur judicaretis, professus omnibus modis [g] me secuturum quæ probassetis.

CAP. II. — Sed nullo eorum quæ a me dicebantur audito, abrupta synode publicavertunt dejectionis sententiam, quam adversus me ante cognitionem parabant; in tantum adversum me calumniæ factione instruebant, ut et saluti meæ discrimen incumberet, nisi cito opera Dei orationibus sanctitatis tuæ, mili-

et 24 occasionem dederit. Nec ab ea disjungenda fuere duo sequentia capitula, quæ ab eodem Eutyche epistolæ subnexa sunt. Anonymi vero litteræ, cum nec ad Leonem datæ fuerint, nec cum epistola Eutychis sint necessario conjunctæ, hoc loco non sunt exhibendæ. Ne tamen lectores hoc documento fraudentur, eas in appendicem rejecimus. Scripta autem fuit hæc epistola ab Eutyche postquam ipsum damnavit S. Flavianus in Constantinopolitana synode die 22 Novembris an. 448. Est idem titulus, qui in ms. Casinensi legitur. Initio autem epistolæ adjecimus voces *et fide*, quas in antea vulgatis omissas suggessit codex Vat. 1319 a P. Cacciario adhibitus.

[a] Hic libellus adversus Eutychem Flaviano et cæteris Patribus Constantinopolitanæ synodi oblatus, exstat act. 1 concilii Chalcedonensis tom. IV Concil. pag. 930 edit. Venetæ.

[b] Perperam in Vulgatis, *evenerant*. Mox pro *accusationem movens*, cod. Vat. 1319, *ad accusationem motus*.

[c] Intelligit appellationis libellum sua subscriptione signatum, quem una cum *scriptis* professionis fidei suæ Flaviano et Patribus Constantinopolitanæ synodi ante sententiam oblatum, nec susceptum queritur. *Appellationis libellus* vocatur a Leone epist. 23, de quo vide annot. 10 (*col.* 732, *n.* 9) in eamdem epistolam. Sicut autem hæ Eutychis litteræ ad Leonem missæ, solius Leonis nomen in inscriptione præferunt (unde etiam anonymus, in epistola quæ in appendice profertur, has *ad beatissimum papam sedis apostolicæ Leonem* scriptas prodit), ita et *appellationis libellus* his litteris annexus appellationem ad solum Leonem expressisse dicendus est. Cæterum quod de oblato appellationis libello traditur, mendacium est. Solam enim chartam professionis fidei, non vero appellationis libellum ante sententiam Eutychem obtulisse liquet ex actis Constantinopolitanæ synodi laudatæ, et multo luculentius ex eorumdem actorum relectione in Constantinopolitano conventu habito die 13 Aprilis an. 449, quæ omnia actioni primæ concilii Chalcedonensis inserta inveniuntur. Post sententiam vero, *turba facta et dissoluto conventu*, cum aliquid de appellatione *silenter* indicasse Florentio Patricio, ita ut nemo alius audierit, ex iisdem gestis manifestum est. Vide pag. 1036 tom. IV Concil. Oblatam autem fidei professionem Flavianus quidem noluit suscipere, sed ut eam ipse Eutyches legeret, præcepit. Hinc cum Eutyches *judicii tempore libellos se dedisse appellationis et nobis et huic convenienti sancto concilio, et appellasse vestram sanctitatem* in litteris ad Leonem professus est, eum mentitum affirmavit Flavianus epist. 26.

[d] Addidimus *eam* ex cod. Vat. 1319. Qua mente Eutyches et deinceps ejus discipuli solam Nicænam fidem ingesserint, explicabitur annot. 6 (*col.* 855 *n.* 5) in epist. 54.

[e] Synodum Ephesinam intelligit, quæ aliam fidem præter Nicænam interdixit. Id autem adversus Nestorianos interdictum fuit, qui aliam fidei expositionem pravis dogmatibus refertam ediderant. Eutyches vero hoc nomine cogi nolebat ad profitendas duas in Christo naturas, ac si hæc catholica professio esset nova fides ab Ephesino concilio interdicta. Hanc eamdem rationem idem Eutyches proposuit in pseudosynodo Ephesina tom. IV Concil., pag. 919, lit. D.: *Ego vero timens prævaricari prolatam definitionem a sancta synodo, quæ hic Dei voluntate prius congregata est, et ea quæ definita erant de fide a sanctis Patribus, qui Nicæa convenerunt, rogabam*, etc. Confer etiam pag. 911, C.

[f] Unicum testimonium Julio papæ tributum, quale suæ epistolæ subjectum fuit ab Eutyche, in ms. Casinensi conservatum nobis fuit, uti post ipsam epistolam dabitur. Certum vero est Acephalos, in collatione habita an. 535, eorumdem Patrum Julii, Felicis, Athanasii ac Gregorii Thaumaturgi testimonia, veluti Eutychianæ sententiæ faventia opposuisse; sed ea ab Apollinaristis olim conficta catholici reposuere. Certe testimonium Julio papæ ascriptum, ex ipsius Apollinaris epistola sumptum est; cui Apollinaristæ, ut auctoritatem crearent, Julii pontificis nomen inscripsere. Vide paulo post annot. 17 (*col.* 718, *n.* 4).

[g] Hæc respicere videntur ea quæ in relectione actorum habita die 13 Aprilis an. 449, unus Basilius Seleuciæ episcopus testatus est: *Scio quia dixit religiosus archimandrita Eutyches: Si præceperint mihi Patres Romanus et Alexandrinus, dico hoc ipsum. Hoc autem non quasi appellans, dixit, sed dicens: Non sum ausus dicere propter Patres.* Post nonnulla sub initium capitis sequentis adjecimus septem voces *ante cognitionem parabant, in tantum adversum me*, auctoritate laudati ms. Vat. 1319, quæ ob repetitionem *adversum me* per saltum omissæ fuere

taris manus me ab incursione rapuisset: Tunc [a] duces aliorum monasteriorum cogere coeperunt in dejectionem meam subscribere (quod [b] numquam nec in eos qui se hæreticos professi sunt, vel adversus ipsum Nestorium factum est), in tantum ut eum ad satisfaciendum plebi proponerem fidei meæ confessiones; non solum et erocrent eas audiri, verum et [c] arripuerunt hi qui contra me supradictam factionem meditabantur, ut exinde tanquam hæreticus apud omnes haberer.

CAP. III. Ad vos igitur religionis defensores et hujusmodi factiones exsecrantes confugio, nihil et nunc novum inducens contra fidem jam inde nobis ab initio traditam; sed anathematizans Apollinarium, Valentinum, Manem et Nestorium, et eos qui dicunt carnem Dominis nostri Jesu Christi Salvatoris e cœlo descendisse, et non e Spiritu sancto et sancta Virgine Maria, et omnes hæreses usque ad magum Simonem. Et nihilominus tanquam hæreticus de vita mea periclitor. Et obsecro, nullo mihi præjudicio facto ex his quæ per insidias contra me gesta sunt, quæ visa vobis fuerit super fidem proferre sententiam, et nullam deinceps perhibere a factiosis contra me calumniam procedere, 742 et non excuti et eximi de numero orthodoxorum eum qui in continentia et omni castitate septuaginta annos vitam peregit, ita ut in ipso exitu vitæ naufragium patiatur. Subjunxi autem his litteris meis [d] utrumque libellum et eum qui ab accusatore meo oblatus est synodo, et qui a me gestus quidem est, non tamen susceptus, et [e] editionem fidei meæ, nec non et ea quæ de duabus naturis a sanctis patribus nostris decreta sunt.

[f] *Item verba Eutychetis.*

Testor vos coram Deo, qui cuncta vivificat, et Christo Jesu, qui sub Pontio Pilato testificatus est optimam illam confessionem, ne quid ad gratiam faciatis. Ego enim jam idem a majoribus meis ita sensi, et a puericia mea ita illuminatus sum, quemadmodum sancta et ex universo orbe terrarum apud Nicæam habita synodus trecentorum decem et octo beatissimorum episcoporum fidem constituit, et quam confirmavit ac definivit denuo obtinere solam sancta synodus Ephesi collecta, et numquam aliter sensi quam quemadmodum præcepit recte et sola vera fides orthodoxa. Et cunctis quæcumque sunt (circa) eamdem fidem a sancta eadem synodo constituta Ephesi assentior; cujus synodi dux et princeps fuit beatæ ac sanctæ recordationis episcopus Cyrillus Alexandrinorum et prædicationis ac fidei sanctorum et electorum Dei Gregorii majoris, et item Gregorii, Basilii, Athanasii, Attici, Procli socius et particeps. Eum et omnes eos orthodoxos et fideles habui, et honoravi tamquam sanctos, et magistros meos existimavi. Anathema autem dico Nestorio et Apollinari et omnibus hæreticis usque ad Simonem, et qui dicunt carnem Domini nostri Jesu Christi de cœlo descendisse. Ipse enim qui est Verbum Dei descendit de cœlo sine carne, et factus est caro in utero sanctæ Virginis ex ipsa carne Virginis incommutabiliter 743 et inconvertibiliter, sicut ipse novit et voluit. Et factus est qui est semper Deus perfectus ante sæcula, idem et homo perfectus in extremo dierum propter nos et nostram salutem. Hanc igitur meam plenam professionem [g] habeat sanctitas vestra.

Eutyches presbyter et archimandrites huic libello subscripsi manu mea.

[h] *Exemplar Julii episcopi urbis Romæ, ut asserunt Eutychis scripta ad Dionysium episcopum, cujus sensu ductus ipse Eutyches decidit in errorem.*

Miror audiens quosdam confitentes quidem in carne

[a] Hi forte sunt illi abbates viginti tres, qui in Eutychis condemnationem Constantinopolitanæ Synodo subscripti invehiuntur.

[b] Id *numquam* acciderat, quia numquam antea abbates inventi fuerant qui hæresim inducerent, ac monasteria adversus episcopos commoverent.

[c] Non sola fidei professio, sed et querelæ injuriarum ac maledictionum plenæ in hoc libello Constantinopoli publice affixo continebantur, ut Flavianus narrat epist. 26. Refixus autem ejusmodi libellus hoc loco indicatur.

[d] Quatuor documenta hic Eutyches distinguit ipsi epistolæ ab eodem subjecta. Primo libellum accusationis quem Eusebius Dorilæensis episcopus adversus illum in Constantinopolitana synodo obtulerat. 2° Libellum appellationis, quem Eutyches ante damnationis sententiam se oblulisse mentitus est. 3° Professionem fidei ejusdem Constantinopoli propositam. 4° Testimonia nonnullorum Patrum. Uterque libellus in ms. Casinensi omissus fuit. Solum fragmentum profertur professionis fidei, et unicum testimonium Julio papæ tributum. Cum enim cœvus auctor anonymus rogatus ut sententiam suam diceret de Eutychis epistola ad Leonem pontificem, ipsi epistolæ et his duobus tantum fragmentis respondendum duxerit; hinc factum fuisse arbitramur ut in codice Casinensi hæc sola fragmenta epistolæ subjecta una cum anonymi confutatione describerentur, cæteris omissis, quæ anonymus prætermisit.

[e] Editio *fidei meæ* appellatur libellus professionis fidei Eutychis, quia publice Constantinopoli propositus fuit, ut idem Eutyches indicavit paulo ante illis *meæ* verbis: *Ut ad satisfaciendum plebi proponerem fidei confessiones.* Confer annot. 12 (*col.* 733, *n.* [b]) in epist. 23.

[f] Est fragmentum professionis fidei, quam Eutyches edidit. Concinit cum illo libello qui pseudosynodo Ephesinæ ab Eutyche oblatus, actione prima synodi Chalcedonensis legitur. Aliquanto post pro *quam confirmavit* vulgati habebant *quam conservavit.* Emendationem ex ms. Vat. 1319 inductam comprobant *eum fidem quæ Nicææ exposita est a sancta synodo,* CONFIRMATA *vero apud Ephesum.*

[g] Verbum *habeat,* quod desiderabatur sensumque relinquebat imperfectum, supplevimus ex laudato ms. Vat. 1319. Mox vero post fidei professionem uno contextu sequebatur contestatio ad populum, de qua vide annot. 12 (*col.* 733, *n.* [b]) in epist. 23.

[h] Corruptus est hic titulus. Pater Constantius in appendice tomi primi Epistolar. Rom. pontif. pag. 69, legendum putat: *Exemplar epistolæ Julii..... scriptæ ad Dionysium.* Melior videtur emendatio Baluzii: *Ex epistola Julii episcopi urbis Romæ, ut asseruit Eutyches, scripta ad Dionysium;* neque enim tota epistola hic affertur, sed ejus fragmentum. Integra edita fuit Græce a Muratorio in Anecdotis Græcis: quod autem hic profertur fragmentum ex antiqua versione, circa medium caput quartum desinit. Hanc autem epistolam apud Eutychianos celebrem perperam affictam fuisse Julio pontifici, ipsius autem Apollinaris opus esse, Julii nomine ab Apollinaristis sup-

Digitized by Google

Dominum nostrum, incurrentes vero divisionem male a Paulianistis introductam. Illi enim Paulum Samosatenum sequentes, alium quidem intelligunt eum qui ex cœlo descendit, Deum confitentes; alium vero terrenum hominem esse dicunt, et illum quidem infabricabilem, hunc dominum, alium servum; [a] impium, seu venerentur eum quem servum appellant et fabricatum, seu non colant eum qui nos sanguine suo redemit. Hi vero qui Deum descendisse de cœlo confitentur, et carnem [b] factam ex Virgine, et unum esse cum carne, frustra [c] conturbantur, excedentes in verba impietatis illorum. Dicunt enim et ipsi, sicut audio, duas naturas. Ad quod et Joannes evidenter probat (unum) Dominum nostrum, cum dicat : *Verbum caro factum est;* et Paulus apostolus, cum dicat: *Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Si enim natus ex Virgine Jesus nominatur, et ipse est per quem universa facta sunt, una scilicet natura [d] facta est, quoniam et una persona, non in duo divisa, cum nec propria natura corporis est, et propria natura Deitas sit secundum carnem. Sed sicut homo una natura est, ita et is qui ad similitudinem hominis est factus Christus. Quod si non agnoscunt **744** id quod per adunationem unum est, possunt et unum in plura partiri et plurimas dicere naturas : quoniam multiplex corpus, quod ex ossibus, nervis et venis, carne et cute, sanguine et spiritu constet : quæ omnia diversa quidem inter se sunt, una tamen [e] est eorum natura. Unde et Deitatis natura cum corpore unum est. Et [f] nec in duas naturas dividitur. Nec enim poterat totum Filius hominis appellari qui descendisset e cœlis, et rursus Filius Dei qui natus ex femina est, si duarum naturarum caperet divisionem; sed id quidem quod descendisset e cœlis, vocaretur Filius hominis, non Filius Dei. Et hoc Paulianæ divisionis est. Nos autem divinæ Scripturæ docent tamquam de uno Domino nostro sentire, et cum descendisset e cœlis, et cum in terra natus est. Qui igitur sic sentiunt, non excedunt (ab) inconsona contraria sentientibus, ut cum mente divinis præceptis consentiant, sermonibus discrepent. Necesse est enim eos, cum duas naturas [g] intelligant, alteram colere, alteram non adorare, et in divinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari. Si autem in mortem baptizamur Domini, unam profitemur naturam et impassionabilis Deitatis, et passionabilis carnis, ut per hoc sit baptisma nostrum et in Deum et in mortem Domini perceptum. Nec enim veremur calumniatores, qui dividunt in duas personas Dominum. Nec cum nos unitatem evangelicam atque apostolicam prædicemus, lacerent nos tamquam dicentes carnem esse cœlestem, cum nos e contra divinas Scripturas legamus dicentes filium esse non ex cœlo. Nec enim cum dicimus Filium Dei creatum ex muliere, possumus reprehendi tamquam Verbum ex terra dicentes, et non ex cœlo. Dicimus enim utrumque et ex cœlo totum propter Deitatem, et ex muliere totum propter carnem, ignorantes divisionem unius personæ.

posito, luculentissime demonstravit inter cæteros P. Coustantius in monito eidem epistolæ præfixo loco citato.

[a] Legendum ex Græco, *impii*, seu *impie agentes*.

[b] Lege *factum*.

[c] Corrige ex Græco *conturbant*, seu *turbas concitant*.

[d] Dele *facta* ex Græco, et in sequentibus corrigendum item ex Græco, *quoniam et unam personam habens, in duo non dividitur, cum nec propria*, etc.

[e] Ex Græco, *est hominis natura*.

[f] Lupus utrobique edidit *hæc*. Correctionem Baluzii *nec* textus Græcus confirmat.

[g] Lege *dicant* ex eodem Græco.

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. Quesnelli ex suis præjudiciis magnopere intererat adversus eminentissimum Baronium defendere, S. Flavianum de damnatione Eutychetis ad S. Leonem pontificem nihil scripsisse, nisi postquam hujus litteris fuerat excitatus. Quare duarum Flaviani ad Leonem epistolarum ordinem pervertit Diss. 1, ad an. 449, num. 1 et seqq. et epistolam nobis 26, quam post acceptas a Leone litteras Flavianus scripsit circa Aprilem an. 449, veluti primam traduxit; epistolam vero sequentem veluti secundam posterius traditam statuit, ac in eamdem sententiam traxit ipsum Antonium Pagium, qui idcirco Baronium corrigendum putavit ad an. 448, num. 8. Præcipuum seu potius unicum Quesnelli argumentum a Pagio item repetitum his Flaviani verbis innititur, ex epist. 26, quibus Eutychem damnatum significans, addit : *Sicut docebunt vestram Sanctitatem omnia, quæ super eo sunt gesta, quæque direximus cum nostris his litteris.* In quæ ille : *Vides ut nihil litterarum vel gestorum synodi ante hanc epistolam acceperat Leo a Flaviano?* Cumque Flavianus deinde memoret Leonis litteras sibi traditas a Pansophio (est epistola 23) quibus edoctus fuerat, eumdem Eutychem libellos direxisse ad Leonem plenos omni fallacia et calliditate; ex his *liquet pariter*, subdit Quesnellus, *non ante Flavianum de litteris ad Leonem ea de re scribendis cogitasse, quam cum didicit pontificem improbis artibus deceptum, falsam de judicio Constantinopolitano cepisse opinionem.*

2. Si epistola 23 legatur attente, Leonem non deceptum, sed cautum et necessaria documenta postulantem ac exspectantem invenies. Ad argumentum vero quod pertinet, etiam in epistola 22, Eutychis erroribus expositis, quæ πάλαι *dudum* seu *pridem* in eum gesta fuerant, a Flaviano ad Leonem directa traduntur cap. 4, et eodem quidem Græco verbo ἀπεστείλαμεν, *direximus*, idem Flavianus utitur, quod adhibuit epist. 26. Qua in re ne vox *direximus* difficultatem moveat, vide annot. 17 (*col.* 727, *n.* b) in eamdem epistolam 22. Cum ergo bis Flavianus de eadem damnatione ad Leonem scribens, bis quoque gesta ad eum transmiserit, nimirum una cum epist. 22, et cum epist. 26 nihil ex hoc uno pro alterutra anteriori asserenda deduci potest.

3. Ex contextu vero utriusque epistolæ si judicium feratur, Tillemontius, licet Quesnello in aliis multis faverit, hac tamen in re assentiri non potuit : unde art. 16, in Leonem, epistolæ 22 primum locum adjudicandum nihil addubitavit : *Je croy que pour peu de reflexion, qu'on y fasse, on reconoistra aisement, qu'elle* (epistola nunc 22) *a esté ecrite fort peu apres le concile tenu contre Eutyche, et que c'est la premiere, que Flavien ait ecrit a Rome sur cette affaire, comme l'a cru Baronius.* Verba ex Græco *talis nobis nunc apparuit Eutyches*, recentissimam hæretici manifestationem et condemnationem declarant. Illa vero sub finem, quibus, ut gesta de eodem in Occidentalium episcoporum deducantur notitiam, Flavianus rogat, *ne scientes aliqui quid*

Digitized by Google

ille senserit, quasi ad orthodoxum vel per litteras, vel per aliquam conjunctionem loquantur; hæc statim ab initio scripta produnt. Inopportunum enim fuisset Leonem rogare, ut promulgaret Eutychis condemnationem eo tempore, quo notissima erat, seu post epist. 26, cum jam generale concilium ea de causa habendum vulgatum fuerat.

4. Sed evidentius argumentum producamus. S. Leo duas Flaviani litteras cum gestis se accepisse tradit. Primum ep. 28, ad eumdem Flavianum scripta Idibus Junii an. 449, his verbis cap. 1 : *Lectis dilectionis tuæ litteris, quas miramur fuisse tam seras, et gestorum episcopalium ordine recensito, tandem quid apud vos scandali contra integritatem fidei exortum fuisset, agnovimus.* Hanc eamdem Flaviani epistolam se jam tunc accepisse indicat, cum scripsit epistolam 27, datam die 21 Maii anni ejusdem. Si epistola Flaviani sub hunc diem accepta *valde* erat *sera;* ergo multo ante scripta fuerat. Hæc de primis Flaviani litteris procul dubio intelligenda sunt. Rursum epistola 36 ad eumdem Flavianum, data XII vel XV kal. Julii anni ejusdem aliæ hujus litteræ tunc acceptæ una cum gestis nominantur sic : *Litteras tuæ dilectionis accepi cum gestis, quæ apud vos de fidei quæstione confecta sunt.* Hæc de secundis litteris ejusdem Flaviani, quibus acta in Eutychem æque ac primis annexa fuerant. Porro in hac epistola 36 respici epistolam 26, Flaviani, ex eo manifestum sit, quod Flavianus ep. 26, c. 2, sperare se dicit, remotum iri synodum, quæ futura vulgabatur : Leo autem huic articulo respondens epistola 36, concilium impediri non posse significat. Igitur epistola 26, Flaviani secunda est, epistola autem 22, prima, ac paulo post Constantinopolitanam synodum missa exeunte an. 448 vel serius ineunte an. 449. Epistolam Eutychis una cum imperatoris litteris, quæ pro eodem datæ fuere, transmissam citius pervenisse nihil sit mirum. Unde vero epistolæ Flaviani, quam *sero* allatam Leo miratus est, moræ longiores injectæ fuerint, ignoramus. Hinc epistola 22 priora gesta quæ usque ad Constantinopolitanam synodum contigerant descripsit; epistola autem 26 posteriora adjecit quæ post eamdem synodum Eutyches commoverat. Acta vero synodi iterum huic secundæ epistolæ fuerunt annexa, eo quod ex Leonis litteris Flavianus metueret, ne forte prior epistola cum actis intercidisset. Quod si in epistola 26 nulla fit mentio epistolæ 22, quam antea missam probavimus, nihil movere potest : siquidem nec in epistola 22, quam Quesnellus posteriorem censet, alterius antea scriptæ epistolæ Flavianus meminit.

5. Maneat ergo epistolam 22 primum datam fuisse, eamque esse illam, quæ a Leone memoratur epistola 28, cuique tota hæc celebris Leonis definitio innititur. Hinc quidem evenisse credimus, ut in antiquis collectionibus Latinis 2, 3 et 8, nec non in Hispanica et Isidoriana aliisque posterioribus, quæ a vetustis illis fontibus prodeunt, sola Flaviani ad Leonem epistola 22 præmittitur epist. 28, Leonis ad Flavianum. Cumque hæc prior Leoni tradita, statim etiam in Latinum versa, et ubique in Occidente divulgata fuerit; ideirco in tot distinctis et antiquis collectionibus insertam putamus : quod confirmabitur ex dicendis in fine annotationis 5 (*col.* 886, *n.* 8), in epist. 67. Id non accidit epistolæ 26, quæ cum posterius fuerit scripta, re satis cognita per priores litteras, non perinde spargi debuit in vulgum : unde in solis codicibus collectionis 17 Chalcedonensis, ubi quamplurima documenta ad Eutychem pertinentia diligentius collecta fuerunt, reperitur, et ordine quidem post epistolam 22, ut apud Baluzium videre licet tom. IV Concilior. Venetæ editionis pag. 1981, quod ipsum hanc priorem, illam posteriorem confirmat.

6. Hinc pariter conjicere licet, interpretationem epistolæ 22, incipientem *Nulla res diaboli,* quæ in laudatis antiquis collectionibus exstat, et in nonnullis etiam reperitur una cum actis synodi Constantinopolitanæ in Eutychem eidem epistolæ a Flaviano subjectis, primam interpretationem esse, quæ statim promulgata, subinde in collectionibus recepta fuit : dum alia interpretatio, quæ incipit *Nihil est,* in sola vetusta collectione Latina Chalcedonensi reperitur, ex qua postmodum in posteriorem collectionem 22, cum aliis documentis Chalcedonensibus traducta fuit. Illa vetustior interpretatio statim ab initio confecta, Leoni usui fuit, antequam dogmaticas ad Flavianum litteras scriberet; sicut indubium est, eidem usui fuisse interpretationem actorum synodi Constantinopolitanæ in Eutychem, quæ simul edita in collectionibus 3 et 8, una cum laudata antiquiori versione epistolæ 22, recepta legitur : ex hac enim actorum interpretatione nonnulla totidem verbis recitat in iisdem dogmaticis litteris cap. 6.

7. Ex his autem omnibus perspicuum efficitur, quam inaniter Quesnellus adversus card. Baronium elaboraverit, ut epistolam 22 scriptam suaderet post epistolam 26, ac si Flavianus, qui post Eutychis condemnationem scripsit ad Domnum et ad alios Orientis episcopos, Occidentales, et potissimum Romanum pontificem de tanta hæresi commonendum neglexerit. Idem Flavianus statim post condemnationem Eutychis satis a Florentio monitus fuerat, dum soluto conventu ad superiorem domus partem ascenderet, ipsum Eutychem ad Romanum, Alexandrinum et Hierosolymitanum episcopos appellasse; unde metuendum ipsi erat ne, si statim ad Leonem non scriberet, is pontificem præveniret. Sed plura addere ad refellendum Quesnellianum præjudicium sive commentum opus non est.

8. Inter duas porro Latinas versiones quas memoravimus, epistolæ sequentis, licet illa quæ incipit *Nulla res* sit prima et antiquior altera, cujus initium *Nihil est,* cum tamen a minus perito vel non admodum diligenti interprete Latine reddita, originali Græco minus exacte respondeat, alia autem versio, quæ in Chalcedonensi collectione exhibetur, a peritiore ac diligentiore interprete lucubrata, ad Græcum textum propius accedat, hanc posteriorem quidem, at satis vetustam illi priori anteferentes, Græco textui e regione annectendam credidimus. Postea vero antiquiorem versionem subjiciemus, cui præter interpretis minus accurati difficultates, aliæ accesserunt ex amanuensibus, qui in lectionibus mirifice discrepantes, obscuriorem ac magis incertum primævæ versionis textum reddidere. Quesnellus hanc versionem antiquiorem Græco originali appositam edidit, ut in Conciliorum editionibus profertur, non paucis et identidem longioribus lectionibus in margine descriptis, quæ videri possunt variantes ex mss. sumptæ, sed vere sunt lectiones ex Græco a Romanis textus Græci primis editoribus appositæ; quod antiqua versio minus congrua videretur. Immo iidem nonnulla ex Græco etiam mutarunt in ipso versionis textu, quemadmodum in ipsius Chalcedonensis prisca versione identidem fecerant; et nihilominus Quesnellus, licet aliquot haberet ejus interpretationis codices, et anteriores Leonis editiones, qui aliter legebant, ita Romanam lectionem transcripsit, ut nec codicibus nec cæteris editis usus, antiquam versionem restituere neglexerit; cum tamen ii qui antiquas versiones exhibent non illud proferre debeant quod originali est congruentius, sed illud quod a veteri interprete redditum fuit. Versio autem altera accuratior, quam nos cum Græco textu priori loco dabimus, edita primum fuit a Quesnello ex ms. Thuaneo collect. 17 Chalcedonen., tum vero ex eodem codice ac duobus aliis ejusdem collectionis Corbeiensi ac Divionensi eamdem recusit Baluzius in *antiqua versione concilii Chalcedonensis emendata a Rustico,* cap. 5. Nos quoque eam recognovimus cum quatuor mss. laudatæ collectionis, vetustissimo Veron., duobus Vaticanis, et Chigiano, nec non cum Veneto S. Marci collect. 22; Græcum vero originale, quod nobis conservavit Græca collectio concilii Chalcedonensis, contulimus cum duobus codd. Venetis S. Marci.

Digitized by Google

EPISTOLA [a] XXII.

FLAVIANI EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI PRIMA AD LEONEM PAPAM.

SYNOPSIS. — I. *De diaboli insidiis, quas vitat qui doctrinæ SS. Patrum adhæret.* — II. *De hæreticorum pertinacia, qua incautos decipiunt.* — III. *Eutychen renovare dogmata Valentini et Apollinaris.* — IV. *De depositione et excommunicatione ejus justissima, quam Occidentalibus notam a Leone fieri petiit.*

752 [b] Sanctissimo et Deo amantissimo patri et consacerdoti Leoni Flavianus in Domino salutem.

A 751 Τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ θεοφιλεστάτῳ πατρὶ καὶ συλλειτουργῷ Λέοντι Φλαβιανὸς ἐν Κυρίῳ, χαίρειν.

Cap. I. — Nihil est quod stare faciat diaboli nequitiam, *incontentibile malum, plenum veneno mortifero* (*Jac.* III, 8); suesum atque deorsum *circuit quærens* quem percutiat, [c] quos conturbet, *quos devoret* (I *Petr.* V, 8), Unde et vigilare et sobrii esse ad orationes, et propinquare Deo, et fatuas quæstiones respuere, et patres sequi, et non transgredi terminos æternos [d] ex Scriptura sancta didicimus. Deponens itaque tumoram luctus, lacrymarum multitudinem, quoniam *unus* eorum qui sub me constituti sunt, clericus captus est, nec eum salvare prævalui, neque lupo præripere; licet animam meam paratus fuissem ponere pro eo. Ut raptus est, ut exsilivit, odio habens vocantis vocem, et [e] ad perditionem maxime currens, et memorias quoque paternas declinans, et eorum itinera prorsus abhorrens, pergo in hunc sermonem.

Οὐδὲν ἔστησεν ἄρα τὴν τοῦ διαβόλου πονηρίαν, τὸ ἀκατάσχετον κακὸν, τὸ πλῆρες ἰοῦ θανατηφόρου· ἄνω γὰρ καὶ κάτω περισπαστεῖ, ζητῶν τίνα πλήξῃ, τίνα καταπίῃ. Διὸ καὶ γρηγορεῖν, καὶ νήφειν εἰς προσευχὰς, καὶ τῷ Θεῷ ἐγγίζειν, καὶ τὰς μωρὰς ζητήσεις παραιτεῖσθαι, καὶ τοῖς πατράσιν ἀκολουθεῖν, καὶ μὴ μετατιθέναι ὅρια αἰώνια, ὑπὸ τῶν θείων γραφῶν διδαχθέντες. Ἀποθέμενος οὖν τοῦ πένθους τὸν ὄγκον, τῶν δακρύων τὸ πλῆθος, ὅτι γε τῶν ὑπ' ἐμὲ τελευτήσει κληρικὸς εἷς θηριάλωτος γέγονε, καὶ οὐκ ἠδυνήθην αὐτὸν περισῶσαι, οὐδὲ ἁρπάσαι τοῦ λύκου, καίτοι τὴν ψυχήν μου ἑτοίμως ἔχων θεῖναι ὑπὲρ αὐτοῦ· πῶς ἥρπαγα, πῶς ἀπεπήδα, μισῶν τὸν τοῦ καλοῦντος φωνὴν, καὶ πρὸς τὸν ἀπολλύτα μᾶλιστα τρέχων, τάχα που καὶ τὰ μνήματα τῶν πατέρων ἐκκλίνων, καὶ τὰς τρίβους αὐτῶν μισαττόμενος, βαδιοῦμαι τῷ λόγῳ.

Cap. II. — Sunt quidam [f] *in vestibus ovium, intus autem lupi rapaces* (*Matth.* VII, 15); quos ex fructibus agnoscimus. Isti primo quidem videntur ex nobis [g] esse, sed non sunt ex nobis; *si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* (I *Joan.* II, 19). [h] Quando vero suam evomuerint impietatem, dolum, qui in eis est, erumpentes: 754 et apprehendentes [i] infirmiores et eos qui ad eloquia divina sensus inexercitatos habent, secum eos [j] contrahunt ad perditionem (II *Petr.* III, 16), subvertentes et injuriantes paternas doctrinas, sicut et sanctas Scripturas ad perditionem suam: quos oportet præscientes cavere, ne malitia eorum quidam seducti abscindantur a propria firmitate. *Exacuerunt enim linguas suas sicut serpentes; venenum aspidum sub labiis eorum;* sicut de his clamavit prophela (*Ps.* CXXXIX, 4).

Εἰσί τινες ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δέ εἰσι λύκοι ἅρπαγες· οὓς ἀπὸ τῶν καρπῶν ἐπιγνωσόμεθα. Οὗτοι τὰ [1] πρόβατα δοκοῦσι μὲν εἶναι ἐξ ἡμῶν, ἀλλ' οὐκ εἰσὶν ἐξ ἡμῶν· εἰ γὰρ ἦσαν ἐξ ἡμῶν, μεμενήκεισαν ἂν μεθ' ἡμῶν. Ὅταν δὲ 753 τὸν ἑαυτῶν ἀπεμέσωσι δυσσέβειαν, τὸν ἐν αὐτοῖς ἀπορρήξαντες δόλον, ἐπιλαβόμενοι τῶν ἀσθενεστέρων, καὶ τὰ αἰσθητήρια πρὸς τὰ θεῖα λόγια ἐχόντων ἀγύμναστα, σὺν ἑαυτοῖς ὠθοῦσι αὐτοὺς εἰς ἀπώλειαν, στρεβλοῦντες καὶ σκάπτοντες τὰς τῶν πατέρων διδασκαλίας, ὡς καὶ τὰς [2] λοιπὰς γραφὰς, πρὸς τὴν ἰδίαν ἀπώλειαν ἑαυτῶν· οὓς δεῖ προγινώσκοντας φυλάττεσθαι, ἵνα μὴ τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν ὑπαχθέντες τινὲς, ἐκπέσωσι τοῦ ἰδίου στηριγμοῦ. « Ἠκόνησαν γὰρ γλῶσσαν αὐτῶν, ὡσεὶ ὄφεως· ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν, » περὶ τούτων ἀνακέκραγεν ὁ προφήτης.

Τοιοῦτος ὑμῖν ταχὺ ἀναπέφηνται Εὐτυχὴς, ὁ πάλαι πρεσβύτερος καὶ ἀρχιμανδρίτης· ὃς μὲν τὰ ἡμέτερα δόξῃ φρονῶν, καὶ τὴν ὀρθὴν πίστιν ἐν ἑαυτῷ ἔχων, τῇ μὲν Νεστορίου δυσσεβείᾳ ἀνθεστηκώς, καὶ τὸν πρὸς αὐτὸν πόλεμον ὑπαναριζόμενος, τὸν δὲ τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ ἁγίων πατέρων περὶ τῆς 755 πίστεως γενομένην ἔκθεσιν, καὶ τοῦ τῆς θείας μνήμης Κυρίλλου πρὸς τὸ Νεστόριον γραφεῖσαν ἐπιστολὴν καὶ τὴν πρὸς

[a] Al. post epist. 23. Quæ autem antea erat 22, nunc 27. Scr. exeunte an. 448, vel, init. 449.

[b] Hanc inscriptionem a Quesnello omissam ex omnibus nostris, nec non ex Baluzii mss. exhibuimus.

[c] Ita omnes nostri codices præter Ghigianum, qui cum Baluzio habet, *quos conturbet, quem devoret.* Apud Quesnellum, *quem turbet, quem devoret.*

[d] Præpositionem *ex* a Quesnello prætermissam nostri et Baluzii codices suppeditarunt. Postea *Deponens* emendatum ex codd. Corb. et Divion. Baluzii. Male cæteri cum Quesnello, *Deponentes.*

[e] Baluzius, *ad perditorem.*

[f] Ita omnia mss. exemplaria tum Baluzii, tum nostra. Quesnellus, *in vestimentis.* Paulo post *agnoscimus* ex quatuor codd., uno Vat., alio Venetis, nec non Corb. et Divion. Tres alii nostri, *cognoscimus.* Quesnellus cum suo Thuaneo, *agnoscemus.*

[g] Quesnellus, *essent*, nostris et Baluzii codicibus refragantibus.

[h] Ita nostri mss. libri cum Baluzio. Quesnellus: *Cum vero aliquando suam.*

[i] Solus Quesnellus, *infeniores.*

[j] Sic cod. Venetus cum Baluzio. Alias, *protrahunt.*

[1] In marg. edit. Rom. πρόβατα. LAP.

[2] Annotatur in editis. *Forte*, ἁγίας. Happ.

Digitized by Google

Orientales, quibus omnes [a] consenserunt, conatus evertere 756 et antiqua impii Valentini et Apollinaris mala dogmata [b] renovare. Nec timuit Regis veri præceptum dicentis : *Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis minimis, melius erat ut suspenderetur mola asinaria* [c] *circa collum ejus, et mergeretur in profundum maris* (*Matth.* XVIII, 6). [d] Impudenter autem omnem abjiciens, et pellem, quæ eum circumdabat, excutiens, aperte coram sancta synodo [e] nostra affirmabat, dicens : Dominum nostrum Jesum Christum non oportere ex duabus naturis post inhumanationem, in una subsistentia et in una persona a nobis agnoscendum ; neque carnem Domini consubstantialem nobis esse, tamquam ex nobis assumptam et unitam Deo Verbo secundum [f] subsistentiam ; sed dicebat, Virginem quidem, quæ eum pe-

A τοὺς τῆς ἀνατολῆς τοῦ αὐτοῦ ὁμοίως, αἷς πάντες συνέθεντο, πειρώμενος ἀνατρέπειν, τὴν πάλαι τοῦ δυσσεβοῦς Οὐαλεντίνου καὶ Ἀπολλιναρίου κακοδοξίαν ἀνανεούμενος. Καὶ οὐκ ἐφοβήθη τὸ διάταγμα τοῦ ἀληθινοῦ Βασιλέως, λέγοντος· Ὃς ἐὰν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν ἐλαχίστων, συμφέρει αὐτῷ, ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ καταποντισθῇ εἰς τὸ πέλαγος τῆς θαλάσσης. [g] Ἀλλὰ πᾶσαν ἀποβαλών, καὶ ἣν περιέκειτο τῆς πλάνης δορὰν ἀποτιναξάμενος, διαῤῥήδην ἐπὶ τῆς ἁγίας συνόδου ἡμῶν διϊσχυρίζετο, λέγων τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν μὴ δεῖν [h] ἐκ δύο φύσεων μετὰ τὴν ἐνανθρώπησιν, ἐν μιᾷ ὑποστάσει, καὶ ἐν ἑνὶ προσώπῳ παρ' ἡμῶν γνωριζόμενον, μήτε μὴν τὴν σάρκα τοῦ Κυρίου ὁμοούσιον ἡμῖν ὑπάρχειν, οἷα δὴ ἐξ ἡμῶν προσληφθεῖσαν [i] καὶ ἑνωθεῖσαν τῷ Θεῷ Λόγῳ καθ' ὑπόB στασιν· ἀλλ' ἔφασκε, τὴν μὲν τεκοῦσαν αὐτὸν Παρθένον

[a] Recitanda est Quesnelli nota huic loco apposita his verbis. « Scienter et exacte Flavianus geminam solummodo S. Cyrilli epistolam laudat, unam ad Nestorium, et alteram ad Orientales, quibus omnes consenserint. Hæc quidem epistola est de pace, quæ incipit : *Lætentur cæli*, et Orientalibus accepta fuit. Illa vero, quæ ad Nestorium incipit : *Comperi quosdam existimationi meæ detrahentes*, etc., habetur part. 1 Actor. Ephes. c. 8, et actione 1 lecta et Patrum suffragiis singulatim datis approbata, ut quæ Nicænam fidei confessionem solam contineat et explicet. Alia vero illa Cyrilli epistola, quæ duodecim anathematismos complectitur, neque hoc loco commemorat Flavianus, neque ab Ephesina synodo comprobata fuisse in ejus actis cernitur, etsi ibidem lecta fuerit ; at nec requirente Cyrillo ut prima illa approbaretur, nec quidquam de illa asserentibus Patribus : quod suspicionem nonnullam injicit de minutis hac parte synodi Actis. Non istam pariter epistolam approbavit Chalcedonense concilium, sed utramque illam, uti ante fecerat CP. synodus Flaviani ejusdem. Disertis verbis idem discrimen notat Hypatius Ephesinus in collatione Constantinopp., et Rusticus in sua illa cum Acephalis disputatione. Porro commemoratio duarum hypostaseon, quam Cyrillus inducere videbatur, in causa fuit ut ab approbandis anathematismis esse synodus compesceret. Quia autem iis litteris Cyrilli inserta erat commonitio Cœlestini papæ ad Nestorium, et una cum Cyrilliana ad eumdem Nestorium transmissa ; hinc in Ephesina synodo sciscitatum est ab episcopo Flaviano tamquam de pluribus epistolis loquente, an ejusmodi epistolæ Nestorio traditæ fuissent. Unicam similiter Cyrilli allegat Leo noster in epistolis 54, 53, 54, 88 (nunc 67, 69, 70, 117). Et parte illa Cyrilli epistola quæ duodecim anathematismos insertos habet *Latinis ignorata* fuit usque ad annum circiter 500, teste Dionysio Exiguo in epistola ad Petrum episcopum, quam illi et Cyrillianæ a se tunc in Latinum idioma translatæ præfixit. » Nonnulla in hanc Quesnelli annotanda sunt quoad Cyrilli epistolam, quæ duodecim anathematismos exhibet. Hæc non solum lecta fuit in Ephesina synodo act. 1, verum etiam jubente Flaviano Philippensi episcopo fuit Actis inserta sine ulla censura, quod approbationis indicium est, ut patet ex formula, qua similiter insertæ fuerunt eidem actioni litteræ episcopi Carthaginensis, de quibus dictum fuit pag. 1078, t. III Concil. : *Cum dilucidam sententiam in se continerent, fidei gestorum inserantur*. Ex concilio quidem Ephesino *duas* canonicas Cyrilli epistolas *publicatas et confirmatas*, et utrasque sane scriptas ad Nestorium (nam quæ ad Orientales, post concilium scripta fuit) affirmarunt judices in fine act. 1 synodi Chalcedonensis ; et idipsum de epistola anathematismos continente affirmavit Vigilius in litteris contra B Rustieum et Sebastianum insertis collat. 7 synodi v. Adeo autem Latinis persuasum fuit, ipsos anathematismos cum Cyrilli epistola probatos fuisse in concilio Ephesino, ut in vetustis codicibus collectionum 3 et 8 inter ejusdem concilii gesta referantur cum subscriptionibus Patrum ipsius concilii : de quo plura dicenda erunt tom. III. Porro synodus Chalcedonensis satis probavit eamdem Cyrilli epistolam, cum in definitione probavit universim omnia, quæ circa fidem ab Ephesina synodo gesta fuerant, et cum de Cyrillo plura honorifica testimonia gestis inserui. Solum opportunum non duxit, eam epistolam probare nominatim, eo quod adversus hæresim Eutychianæ contrariam edita, nonnullas formulas continebat non omnino congruas illis, quibus adversus errorem Eutychis Patres Chalcedonenses utendum putarunt. Tandem Quesnellus plurimum fidit Dionysio scribenti, eamdem epistolam *Latinis ignoratam fuisse*, antequam illam ipse Dionysius Latine redderet. Etenim ante Dionysium Marius Mercator, qui Ephesinæ C synodo adfuit, eam Latinitate donavit, ejusque interpretatio inter Latinos vulgata fuit : unde in collectione Hispanica inserta legitur. Exstat præterea antiqua ejusdem epistolæ versio præmissa antiquæ interpretationi concilii Ephesini, quæ Dionysio antiquior videtur, licet illi fuerit ignota, æque ac ignota eidem fuit interpretatio Marii Mercatoris.

[b] Cod. Veronen., *revocare*.

[c] Ms. Chig., *in collo*. Corb. et Divion. Baluzii, *collo*.

[d] Opportune hic notavit Baluzius ; *Scriptura hæc certa et constans in antiquis exemplaribus, Verum quia sensus videtur esse imperfectus, Quesnellus hunc locum emendavit ex alia versione, et sic reposuit ; Verecundiam autem omnem abjiciens*. Sic nimirum legitur in versione vetustiore, quam postea exhibebimus. Antiquior hic interpres præ oculis habuit Græcum codicem emendatum, in quo scriptum erat αἰδῶ, ut in textu vulgato habetur. Alter vero interpres auctor D ejus versionis, quam hic proferimus, usus est Græco codice, qui corruptam lectionem in mss. Venetis inventam, et in editis etiam notatam in margine, ἀναιδῶς, *impudenter*, præferebat.

[e] Baluzii codd. et quidam nostri librariorum lapsu, *pestra*. Paulo post cod. Veron. pro *inhumanationem* habet *humanationem*.

[f] Quidam codd. cum Baluzio, *consubsistentiam*.

[g] Vulg. in marg., ἀναιδῶς ; et ita etiam in nostris codd. Venetis S. Marci, ex qua corrupta lectione auctor versionis hic annexæ reddidit *imprudenter*.

[h] In marg. edit. Rom., ὁμολογεῖν. Quæ vox quidem post δεῖν necessario supplenda.

[i] Duas has voces, καὶ ἑνωθεῖσαν, ex iis codd. Ven. supplevimus.

Digitized by Google

perit, secundum carnem consubstantialem nobis esse, ipsum autem Dominum non sumpsisse ex ea carnem nobis consubstantialem; sed Domini corpus non esse quidem corpus hominis, humanum autem corpus [a] *[esse]* quod ex Virgine est, omnibus expositionibus sanctorum Patrum resistens.

κατὰ σάρκα, ὁμοούσιον ἡμῖν εἶναι, αὐτὸν δὲ τὸν Κύριον μὴ εἰληφέναι ἐξ αὐτῆς σάρκα ἡμῖν ὁμοούσιον· ἀλλὰ τὸ τοῦ Κυρίου σῶμα μὴ εἶναι μὲν σῶμα ἀνθρώπου, ἀνθρώπινον δὲ σῶμα τὸ ἐκ τῆς Παρθένου· πάσαις ταῖς ἐκθέσεσι τῶν ἁγίων Πατέρων ἐναντιούμενος.

Cap. IV. — Sed ne cuncta percurrens immensitatem litteris faciam, gesta, quæ [b] dudum in eo **758** confecta sunt, direximus tuæ Sanctitati; in quibus et sacerdotio eum velut in talibus [c] captum, et monasterii dispositione, et nostra communione privavimus: quatenus et tua Sanctitas cognoscens ea quæ ejus sunt, omnibus qui sub tua reverentia constituti sunt, Deo amantissimis episcopis manifestam faciat [d] ejus impietatem; ne forsitan ignorantes ea quæ sapit, et in quibus aperte captus est, tamquam ad consortem fidei litteras, aut aliter confessiones ad eum reperiantur efficere. Omnem cum vestra beatitudine in Christo fraternitatem, ego et qui mecum sunt plurimum salutamus. Incolumis in Domino, et orans pro nobis, doneris nobis, Deo amantissime Pater.

Ἀλλ' ἵνα μὴ πάντα καταλέγων, **757** μῆκος ἐμποιήσω τῷ γράμματι, πάλαι τὴν ἐπ' αὐτῷ γεγενημένην πρᾶξιν ἀπεστείλαμεν τῇ σῇ ὁσιότητι, ἐν ᾗ καὶ τῆς ἱερωσύνης αὐτὸν, ὡς ἐπὶ τοιούτοις ἁλόντα, ἐγυμνώσαμεν, καὶ τοῦ προστατεῖν μοναστηρίου, καὶ τῆς ἡμετέρας κοινωνίας· ὥστε καὶ τὴν σὴν ὁσιότητα γνοῦσαν τὰ κατ' αὐτὸν, πᾶσι τοῖς ὑπὸ τὴν σὴν θεοσέβειαν τελοῦσι θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις δῆλην ποιῆσαι τὴν αὐτοῦ δυσσέβειαν· ἵνα μὴ ἀγνοίᾳ πολλάκις τῶν παρ' αὐτοῦ φρονηθέντων, ἐφ' οἷς τε ἑάλω σαφῶς, ὡς πρὸς ὁμόδοξον, ἢ διὰ γραμμάτων, ἢ καὶ ἑτέρως, τὰς πρὸς αὐτὸν ὁμιλίας εὑρεθῶσι ποιούμενοι. Πᾶσαν τὴν σὺν τῇ ὑμετέρᾳ θεοφιλείᾳ ἐν Χριστῷ ἀδελφότητα ἐγώ τε καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ πλεῖστα προσαγορεύομεν. Ἐρρωμένος ἐν Κυρίῳ, καὶ ὑπερευχόμενος ἡμῶν, χαρισθείης ἡμῖν, θεοφιλέστατε πάτερ.

EJUSDEM EPISTOLÆ

FLAVIANI CONSTANTINOPOLITANI EPISC. AD LEONEM PAPAM

[e] alia versio antiquior.

Synopsis (ex collectione Hispanica). — I. *De subdoli hostis insidiis.* — II. *De fraudolentia et subtilitate hæreticorum.* — III. *De blasphemiis Eutychetis.* — IV. *De excommunicatione ejus justissima.*

[f] Domino Beatissimo et Deo amabili Patri Leoni Flavianus in Domino æternam salutem.

Cap. I. — Nulla res diaboli venena compescit, nec continet mortiferas ejus sagittas. Sursum enim atque deorsum pervolans, quærit quos possit occidere, quos possit [g] superare, quos possit devorare. Propter quam rem vigilandum est et orationibus a Deo obtinendum, ut fatuas inquisitiones **759** evitare possimus. Decet [h] enim sequi patres nostros, neque commutare definitionem eorum perpetuam, quam secundum sacras Scripturas didicimus regulariter definitam. Depositis ergo fletibus et lacrymis,

[a] Verbum *esse* hoc loco a Quesnello intra lineolas ob perspicuitatem additum, in mss. deest.

[b] Hinc patet adverbium Græcum *πάλαι* referri ad gesta Constantinopolitanæ synodi, quibus Eutyches *dudum*, seu *pridem* antea damnatus fuerat. Continentur autem actione ultima ejusdem synodi, quæ statim Latine reddita in aliquot antiquis collectionibus inserta est, ac præsertim in collectione 5 Quesnelliana cap. 42. Verbum autem apud Latinos præteriti temporis *direximus*, aoristo *ἀπεστείλαμεν* Græce expressum, ita hic de re præsenti vel mox futura, more apud Græcos non infrequenti, accipitur; sicuti eadem ratione Eutyches in epistola 21, ad Leonem, cujus originale Græcum interiit, sub finem ait: *Subjunxi autem his litteris meis utrumque libellum;* etsi litteræ quibus uterque libellus subjiciendus erat nondum essent conclusæ; et idem Flavianus epist. 26, ad Leonem, eodem aoristo *ἀπεστείλαμεν* usus, de iisdem gestis in Eutychem iterum missis scripsit: *Quæ direximus cum nostris his litteris;* ubi non de litteris jam antea traditis sermo est, sed de his quibus scribendis operam dabat. Ipse etiam Leo epist. 75, c. 2, de eadem epistola quam scribebat loquens, non dubitavit dicere: *Volumus autem ut hæ litteræ nostræ, quas ad vestram dilectionem* misimus; et epist. 78: *Per legatos nostros*, inquit, *scripta direximus;* licet loquatur de legatis, quos *post diem venerabilem*, ait epist. 81, *dirigemus.*

[c] Cum in codice, quem Quesnellus adhibuit, vox *captum* deesset, Baluzio teste, ille intelligens sensum esse imperfectum, totam istam pericopem sustulit, et ita edidit: *In quibus et sacerdotio eum veluti interdiximus, et monasterii*, etc. Veram lectionem revocavimus ex omnibus nostris mss. et Baluzii.

[d] Vox *ejus* deest apud Quesn. Suppleta ex nostris codd. et Baluzii. Dein in cod. Veronen. desideratur adverbium *aperte.*

[e] Recensuimus ad mss. codd. Vat. collect. 3, alium Vat. 5845, Vallicell. et Vercell. collect. 8, Vindeb. et Vat. Hisp., alium Vat. Isid. et alios collectionum 11, 21 et 24, atque ad exemplum Sichardi. Lectiones quidem originali Græco minus congruentes hujus versionis codices identidem præferunt, quas editores Conciliorum Romani præter fidem mss. ad Græcum textum nonnumquam accommodarunt. At de antiqua versione, ut in codd. exstat, edenda, non autem de eadem emendanda hic agendum est. Confer num. 8 admonitionis.

[f] Ita plerique nostri codd. cum antiquioribus Leonis editionibus. Mss. collect. 8, *Domino et dilectissimo, et Deo digno amabili sancto patri Leoni in Deo* (Al., *in* Domino) *æternam salutem.* Vindebon. Hisp., *Domno beatissimo et Domno amabili patri Leoni Flavianus in Domino salutem.* Quesnellus ex editis Conciliorum: *Beatissimo et Deo amabilissimo patri* (addit in margine, *et comministro*) *Leoni*, etc.

[g] Cod. Vat. collect. 8, *rapere.* Vallic. et Vercell. male, *reparare*, forte pro *separare*, uti legitur in mss. Vindebon. Hisp. et aliis Vatt. collect. 11 et 21. Mox loco verborum, *Propter quam rem*, cod. Vat. collect. 3 habet *Quamobrem.* Mss. collect. 8, *Quamobrem vigilandum est in orationibus, atque Deo opera danda est, ut*, etc. Vindebon. Hisp. et Vat. collect. 11, *Propter quam rem vigilandum est orationibus, atque* (vel *et*) *Deo opera danda est, ut*, etc. In mss. collect. 24 cum Sichardo, *vigilandum est in orationibus, atque id operandum est, ut.*

[h] Vindebon, Hisp. cum aliis codd. et Sichardo, *autem.* Mox Quesnellus Conciliorum lectionem secutus, quam in nullo codice reperimus, sic: *Et non commutare terminos antiquos a divinis Scripturis didi-*

Digitized by Google

[a] quas incessanter fundo, quia sub me clericus degens invasus est a fero dæmone, et non potui eum liberare, nec auferre a tali lupo, qui animam meam pro illo paratus eram ponere; quomodo [b] raptus sit, quomodo resiliit a proposito divino, et ad illum cucurrit, qui perdere consuevit, præcepta Patrum [c] declinans, et constituta eorum despiciens, jam incipio enarrare.

CAP. II. — Sunt [d] quidam veste sua oves significantes, interius autem lupi rapaces: quos ex fructibus eorum debemus agnoscere. Isti prima fronte videntur esse de numero nostro; sed non sunt de numero nostro. Si enim de numero nostro [e] fuissent, nobiscum mansissent. Quando autem cœperunt assumere impietatem, illud quod prius occultabatur in illis aperitur, [f] et dolus omnis fit omnibus manifestus. [g] Inveniuntur autem infirmæ fidei homines, et qui divinas lectiones nesciunt, et secum eos in perditionem præcipitant, [h] dissipantes, et vituperantes Patrum **760** disciplinas [i] et relinquentes sanctas Scripturas ad suam ipsorum perditionem. [j] Quos debemus prævidere, et a quibus multum vacare, [k] ne in sua malitia aliqui occupati, concidant de sua firmitate. [l] *Exacuerunt enim linguam suam quasi serpentes, et venenum in labiis habent quasi aspides.* De his hæc propheta clamavit.

CAP. III. — Talis [m] nobis Eutyches emersit, quondam presbyter et archimandrites, qui quasi [n] nostræ religionis sectam sapiebat, et hanc præferebat; Nestorii autem impietatem confirmabat, et succingebatur pro Nestorio militare in pugna quæ contra Nestorium parabatur: trecentorum autem decem et octo sanctorum Patrum de fide expositionem factam et sanctæ memoriæ Cyrilli epistolam scriptam ad Nestorium [o] vel ad similes ejus, cui omnes assenserant, tentavit evellere, antiquam impii Valentini et Apollinaris reparans sectam, [p] et non timuit præceptum veri Regis dicentis: *Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis* [q] *minimis, expedit ei ut mola asinaria alligetur collo ejus, et demergatur in profundum maris.* Verecundiam autem omnem [r] ejus perfidia abjecit, et quam gerebat **761** infidelitatis pellem excutiens, in sancta nostra synodo asserebat, instanter dicens, Dominum nostrum Jesum Christum non oportere confiteri de duabus naturis post humanam susceptionem, cum a nobis unius [s] substantiæ et unius personæ cognoscatur; neque carnem Domini coessentialem nobis subsistere tamquam ex nobis susceptam, et coadunatam Deo Verbo secundum substantiam; sed dicebat, Virginem quidem, quæ eum genuit secundum carnem, [t] consubstantialem nobis esse, ipsum autem Dominum non susce-

cimus. Depositis ergo, etc. Editi Leonis antiquiores Quesnello: *Neque commutare definitionem eorum perpetuam, quorum regulam secundum sacras Scripturas esse didicimus.* Codd. Hisp. et Isid. cum mss. collect. 21 et 24, Merlino atque Sichardo: *Neque commutare definitionem eorum perpetuam, quorum secundum* (Al. male, *sequi*) *sanctas Scripturas didicimus regulam.* Prætulimus lectionem antiquissimi Vat. collect. 3 et Vallicell. cum cæteris collect. 8.

[a] Tres sequentes voces desunt in Vercell. collect. 8 et in collect. Hisp. et cæteris ex ea derivatis. Post pauca, *quia summo clericus degens gradu invasus est* in mss. collect. 24 et apud Sichardum.

[b] Duo cod., *raptus est.*

[c] Al., *dedignans.* Paulo post quinque codd., *sed jam incipio enarrare.*

[d] Codd. Hisp. et Isid. cum mss. collect. 21 et 24 editisque Leonis ante Quesn. et Sichard. addunt, *enim.* Post pauca pro *lupi rapaces* alias *raptores lupi.*

[e] Non pauci codd. et editi Leonis ante Quesn., *essent.* Paulo post Quesn. ex editis Conciliorum *evomere* pro *assumere*, quod ex editis Leonis et mss. revocavimus.

[f] Conjunctionem *et* in Conciliis et a Quesnello deletam, ex nostris codd. et Leonis editis restituimus.

[g] Ita ex anterioribus Leoninis editionibus ac fere omnibus mss. libris. Codices collect. 21, *invenerunt autem.* Quesnellus cum editis Concil., *Nacti autem.*

[h] Quesnellus et edit. Concil., *contorquentes et vituperantes.* Omnium codicum et editorum Leonis lectionem revocavimus.

[i] Sic mss. antiquissimarum collect. 3 et 8. Quesnellus cum codd. Hisp. et Isid. nec non collect. 21, *et relinquunt.* Cæteri editi cum mss. collect. 24 ac Sichardo, *et reliquas.* Dein vox *ipsorum* in aliquot mss. et editis desideratur.

[j] Sic ex potioribus mss. editi Leonis, *quos quidem debemus prævidere, et a quibus multum oportet cavere.* Quesn. cum edit. Concil., *quos quidem debemus prævidere et ab eis multum cavere.*

[k] Ita cum antiquioribus Leonis editionibus, omnes nostri codices, exceptis mss. collect. 21, in quibus, uti apud Quesn. et edit. Concil., *ne eorum malitia aliqui inducti*, al., *occupati.*

[l] In Vat. Hisp. et Isid. ac duobus aliis codd., *Acuerunt enim quasi aspides linguas suas; de quibus propheta clamat: Acuerunt linguas suas sicut serpentes*, et reliqua. *Talis*, etc. Vindebon. Hisp., *Acurunt* (sic) *enim quasi aspides. De his propheta clamavit. Talis*, etc.

[m] Sic plerique codices. Alias, *inter nos.*

[n] Ms. Vercell., *in nostræ religionis sectas sapiebat*, omissis *et hanc præferebat.* Aliqui codd., *capiebat.*

[o] Restituimus lectionem editorum Leonis, cui nostri codd. suffragantur. Quesnellus ex editoribus Conciliorum, *ejusdemque pariter ad Orientales, quibus omnes assenserant.* Paulo post in Vat. Hisp. et Isid., *tentat evellere.*

[p] Vat. Hisp. et Isid. cum mss. collect. 11 et 21, *qui non timebant præceptum veri Dei dicentis.* Exemplar Sichardi et Vindebon. Hisp. habet tantum, *veri Dei.* Editi Leonis antiquiores, *Regis veri Dei.*

[q] Vox *minimis* in pluribus (non tamen nostris antiquioribus) mss. et in editis ante Quesn. desideratur.

[r] In duobus codd. collect. 8 in Vindebon. Hisp. et mss. collect. 24 cum Sichardo desunt voces, *ejus perfidia.* In Vat. Hisp. ac Isid. legitur, *eorum perfidia.* Post pauca pro *excutiens* quidam codices, *excussit*; et iidem mox, *in sancta synodo*, omissa voce *nostra.*

[s] Ita omnes nostri codd. et editi Leonini ante Quesnellum, qui cum excusis Concilior., *subsistentiæ.* Idem etiam, paulo post, *secundum subsistentiam* scripsit. Restituimus autem, ex omnibus codicibus et editis, *secundum substantiam.* Olim apud veteres Latinos, *substantiam* et *subsistentiam* mutuo usurpatas aliunde exploratum est.

[t] Vat. Hisp. et Isid., cum alio Vat. collect. 11, *consubstantivam.* Alius Vat. collect. 3, et hic et iterum postea, *coessentialem.*

Digitized by Google

pisse ex ea carnem consubstantialem nobis, [a] sed corpus Domini non esse quidem corpus hominis, humanum vero corpus esse, quod est ex Virgine; 762 omnium Patrum expositionibus contraria sentiens.

Cap. IV. — Sed ne multa dicens, longam faciam epistolam, olim quidquid [b] egimus, misimus ad beatitudinem vestram : quibus litteris docuimus, et presbyterio illum esse nudatum, [c] quia sic captus est; A et jussimus eum in monasteriis nullam habere rationem, et exclusimus eum a communione nostra; ut sanctitas vestra hoc cognoscens, quod circa illum actum est, omnibus episcopis sub beatitudine vestra [d] degentibus manifestare dignetur illius impietatem : ne nescientes aliqui quid ille senserit, quasi ad orthodoxum vel per litteras, vel per aliquam [e] conjunctionem loquantur [f].

EPISTOLA [g] XXIII,

[h] AD FLAVIANUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

[i] Synopsis. — I. *Acceptis Eutychis querelis, conqueritur eum communione fuisse privatum a Flaviano.* — II. *De causa instrui se postulat, et in defendenda veritate charitatem maxime optat custodiri.*

Dilectissimo fratri Flaviano episcopo Leo episcopus.

Cap. I. — Cum christianissimus et clementissimus imperator sancta et laudabili fide pro Ecclesiæ [j] catholicæ pace sollicitus, ad nos [k] scripta transmiserit, de his quæ apud vos perturbationis strepitum commoverunt, miramur fraternitatem tuam [l] quidquid illud scandali fuit nobis silere potuisse, et non potius procurasse ut primitus nos insinuatio [m] tuæ relationis instrueret, 763 ne de rerum gestarum fide possemus ambigere. Accepimus enim [n] libellum Eutychis presbyteri, qui se queritur, accusante Eusebio episcopo, immerito communione privatum, maxime cum [o] evocatum se affuisse testetur, nec [p] suam præsentiam denegasse; adeo ut in ipso judicio libellum appellationis [q] se

Τῷ ποθεινοτάτῳ ἀδελφῷ Φλαυιανῷ ἐπισκόπῳ.

Ὁπότε ὁ χριστιανικώτατος καὶ φιλανθρωπότατος βασιλεὺς ἁγίᾳ καὶ ἐπαινετῇ πίστει ὑπὲρ τῆς εἰρήνης τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας μεριμνῶν, πρὸς ἡμᾶς γράμματα διεπέμψατο περὶ τούτων, ἃ τινα παρ' ὑμῖν ταραχῆς κτύπον ἐνεποίησαν, θαυμάζομεν τὴν σὴν ἀδελφότητα, 764 τί αὐτόθι σκάνδαλον γεγένηται, ὅπερ πρὸς ἡμᾶς ἡσυχάσαι [i] δεδύνηται, καὶ μὴ μᾶλλον φροντίσαι, ὥστε πρὸ πάντων διδασκαλίαν σῆς ἀναφορᾶς ἡμᾶς διδάξαι, ἐφ' ᾧτε ἡμᾶς περὶ τῆς πίστεως τῶν πραχθέντων μὴ δύνασθαι ἀμφιβάλλειν. Ἐδεξάμεθα γὰρ λίβελλον Εὐτυχοῦς τοῦ πρεσβυτέρου, ὅστις μέμφεται, κατηγορούντος Εὐσεβίου ἐπισκόπου, ἀναξίως ἑαυτὸν τῆς κοινωνίας ἐστερῆσθαι· καὶ μάλιστα, ὡς ἐμαρτύρατο, ὅτι κληθεὶς παρεγένετο, καὶ

[a] Ita codd. Vallicell. et Vercell. collect. 8, Vindeb. Hisp. et mss. collect. 24, cum Sichardo. Editi, *et corpus*.

[b] Ita codices hujus versionis, inter quos aliqui *egerimus* habent pro *egimus*. Ex iisdem scripsimus *quibus litteris*. Vulgati Leonis ante Quesn. consentiunt, et solum habent *litteras, quibus litteris docuimus*. Quesnellus cum editione Concil. *de his, quæ dudum egimus, misimus ad beatitudinem vestram litteras, quibus docuimus*, etc. Cui nulli lectioni nostri codices suffragantur; sed cum erronea hic esset antiqua versio, ad Græcum textum emendata est. Vide annot. 17 in versionem antecedentem (727, [b]).

[c] Sic editi ante Quesn. et plerique codd. Ille vero cum edit. Concil., *quia in talibus convictus est*.

[d] Alias, *agentibus*.

[e] Vindeb. Hisp., *communicationem*. Mox pro *loquantur*, alias, *loquerentur*.

[f] Hic omnes codices hujus versionis et editi Leonis ante Quesnellum finem epistolæ præferunt. Suppletum autem fuit ex Græco ab editoribus Romanis Conciliorum, cum quibus Quesnellus, hæc addendo: *Universam in Christo fraternitatem, quæ cum vestra pietate degit, ego, et qui mecum sunt, plurimum salutamus. Incolumis in Domino, et orans pro nobis, doneris nobis, religiosissime Pater.* In recentiori ms. Vat. 546 collect. 21 additur tantum post verbum *loquantur : Dat. III kal. Februarii :* quod cum desit in aliis antiquioribus, quos observavimus, ejusdem collectionis codicibus, quo ex fonte adjectum fuerit, non liquet.

[g] Al. 20. Quæ autem antea 23 erat, nunc 54. Scripta 18 Februarii an. 449.

[h] Invenitur hæc epistola in mss. collect. 5, 8 Hisp., Isid. 17, 18, 19, 21 et 24, nec non apud Sichardum. Græcam autem versionem præbuit collectio Chalcedonensis.

[i] In collect. Hispanica hic titulus legitur : *Epistola Leonis papæ ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum, ubi quærit quid Eutyches contra fidem catholicam sentiens, a communione Ecclesiæ ab eo fuerit separatus.*

[j] Cod. Ratisp. collect. 19 delet *catholicæ*.

[k] Hæc Theodosii imperatoris epistola, quæ etiam in sequenti memoratur, et interciditur, una cum epistola 21 Eutychis ad Leonem missa videtur. Hic enim imperator Chrysaphii opera Eutychis patrocinium susceperat.

[l] Ita omnes codices et excusi. Solus Quesnellus, *quid illud*.

[m] Vat. Hisp., Isid. et codd. collect. 17 atque 21 cum editis ante Quesn. addunt *magis*, quod melius codices aliarum collectionum omittunt.

[n] Intelligitur epistola 21 Eutychis ad Leonem, nam in hac continentur quæ hoc loco S. Leo refert. Libellus querimoniæ et supplex appellari potest. *Libellus doloris* vocatur in epistola sequenti.

[o] Ita ex mss. Ratisp. collect. 29, Vallicell. collect. 8, Vat. Hisp. et Isid., aliisque mss. cum antiquioribus editis. Quesnellus cum aliis codd., *vocatum*.

[p] Plerique codd. cum Vulgatis, *sui præsentiam denegasse*. Vindebon. Hisp. et unus Vat., *denegasset*. Quesnellus,, *suam præsentiam denegasset*. Præstantissimi Ratisponensis lectionem retinuimus.

[q] In mss. collect. 24 et Sichardo pro *se* habetur *suæ*. Utrumque in editis insertum est. Cætera et plura et potiora exemplaria secuti sumus. Cum porro in epist. 21 Eutychis ad Leonem libelli quidem in ipso judicio oblati, et non suscepti, non tamen appellationis fiat mentio; aliis litteris, quæ perierint, Eutychem significasse oblatum a se fuisse appellationis libellum, nec tamen susceptum, nonnulli suspicantur. At alias litteras conjicere, seu potius fingere quis non est. Cum enim libellus, quem Eutyches oblatum et non susceptum in laudata epistola falso contendebat, una cum eadem epistola ad Leonem missus fuerit; ex ipsius libelli lectione appellationem, quæ in illo primi dubio continebatur, cognoscere S. pontifex potuit.

[r] Ms. Veneta S. Marci, ἐδύνασαι.

Digitized by Google

asserat obtulisse, nec tamen fuisse [a] susceptum : qua ratione compulsus sit, ut [b] contestatorios libelles in Constantinopolitana urbe proponeret. Quibus rebus intercedentibus, nondum agnoscimus qua justitia a communione Ecclesiæ fuerit separatus. Sed rogantes ad causam, facti tui nosse volumus rationem, et usque ad nostram notitiam cuncta deferri ; quoniam nos, qui sacerdotum Domini maturæ volumus esse judicia, nihil possumus, incognitis rebus, in cujusquam partis præjudicium definire, priusquam universa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus.

A τὴν ἰδίαν παρουσίαν οὐκ ἠρνήσατο· ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε ἐν αὐτῷ τῷ δικαστηρίῳ λίβελλον ἐκκλήτου ἐπιδεδωκέναι αὐτὸν· ὅθεν ἠναγκάσθη διὰ μαρτυρίας λιβέλλους ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει προθεῖναι. Τῶν πραγμάτων γεγενημένων, οὕπω ἐπιγινώσκομεν, ποίᾳ δικαιοσύνῃ ἀπὸ τῆς κοινωνίας τῆς Ἐκκλησίας ἐγένετο κεχωρισμένος. Ἀλλὰ προσέχοντες τῇ αἰτίᾳ, θέλομεν τοῦ σοῦ φάκτου τὸν λογισμὸν μαθεῖν, καὶ πάντα ὑπερτεθῆναι ἄχρι τῆς ἡμετέρας γνώσεως, ἐπειδὴ ἡμεῖς οἱ βουλόμενοι τῶν ἱερέων τοῦ δεσπότου δικαίας εἶναι τὰς κρίσεις, οὐδὲν δυνάμεθα, μὴ διαγνωσθέντων τῶν πραγμάτων, εἰς μέρους πρόκριμα ἀποφήνασθαι, πρὶν ἢ τὰ πραχθέντα [1] μετὰ ἀληθείας ἀκούσωμεν.

765 Cap. II. — Et ideo fraternitas tua per idoneam maxime aptamque personam plenissima nobis relatione significet, quid contra antiquam fidem novitatis emerserit, quod severiori sententia dignum fuerit vindicari. Nam et [e] ecclesiastica moderatio et religiosa piissimi principis fides multam nobis sollicitudinem Christianæ pacis [d] indicunt : ut amputatis dissensionibus, fides catholica inviolata servetur, et his qui prava defendunt, ab errore revocatis, nostra auctoritate, quorum fides probata fuerit, muniantur. Nec aliqua poterit ex hac parte difficultas afferri, cum memoratus presbyter libello proprio sit professus paratum se esse ad corrigendum, si quid in se inventum fuerit quod reprehensione sit dignum. Decet enim in talibus causis hoc maxime provideri, ut sine strepitu concertationum et custodiatur charitas, et veritas defendatur. [g] Et ideo quia dilectio tua de tanta causa nos videt necessario esse sollicitos, quam plenissime et lucide universa nobis, quod ante facere debuit, indicare festinet : ne inter assertiones partium aliqua ambiguitate fallamur, et [f] dissensio quæ in suis initiis abolenda est nutriatur ; cum in corde nostro ea observantia, Deo inspirante, permaneat, ne constitutiones venerabilium Patrum divinitus roboratæ, et ad solidiorem fidei pertinentes, prava cujusquam interpretatione violentur. [h] Deus te in-

766 Διὰ τοῦτο ἡ σὴ ἀδελφότης δι' ἐπιτηδείου μάλιστα, καὶ ἁρμοδίου, πληρεστάτῃ ἀναφορᾷ γνωρίσει ἡμῖν, τίς κατὰ τῆς ἀρχαίας πίστεως καινότης ἀνέκυψεν, ὅπερ αὐστηρᾷ ἀποφάσει ἄξιον ἐγένετο τοῦ ἐκδικηθῆναι, καὶ γὰρ ἡ ἐκκλησιαστικὴ διοίκησις, καὶ τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως ἡ πίστις πολλὴν ἡμῖν φροντίδα περὶ τῆς τῶν χριστιανῶν εἰρήνης ἐνέβαλεν· ἵνα περικοπεισῶν τῶν διχονοιῶν ἡ καθολικὴ πίστις ἀμόλυντος διαφυλαχθείη· καὶ τούτων οἵτινες τὰ ψεῦδη ἐκδικοῦσιν, ἀπὸ τῆς πλάνης ἀνακληθέντων, τῇ ἡμετέρᾳ αὐθεντίᾳ, ὧν ἂν δοκιμασθῇ ἡ πίστις, ὀχυρωθῶσι. Καὶ μηδεμία δυσχέρεια ἐκ τούτου τοῦ μέρους προσαχθῇ· ὁπότε ὁ μνημονευθεὶς πρεσβύτερος ἐν τῷ ἰδίῳ λιβέλλῳ ὡμολόγησεν ἕτοιμον ἑαυτὸν εἶναι πρὸς διόρθωσιν, εἴ τι εἰς αὐτὸν εὑρεθείη ὅπερ ἐστὶν ἄξιον [2] ἐπιλήψεως, πρέπει γὰρ ἐπὶ τῶν τοιούτων αἰτιῶν ταύτου μάλιστα φροντίζειν, ὥστε ἐκτὸς θορύβου καὶ φιλονεικίας καὶ τὴν ἀγάπην φυλάττεσθαι, καὶ τὴν ἀλήθειαν ἐκδικεῖσθαι, ἀδελφὲ τιμιώτατε. Καὶ διὰ τοῦτο, ἐπειδὴ ἡ σὴ ἀγάπη περὶ τῆς τοσαύτης αἰτίας συνορᾷ ἡμᾶς ἀναγκαίως εἶναι [3] ἐμφροντίδας, πληρέστατα καὶ τηλαυγέστατα σύμπαντα ἡμῖν, ὅπερ ἤδη ποιῆσαι ὤφειλε, δηλώσαι σπουδάσει· ἵνα μὴ μεταξὺ τῆς διδασκαλίας τῶν μέρων, ἀμφιβολίᾳ τινὶ ἀπατηθῶμεν, καὶ διχονοίᾳ τραφῇ, ἥτις ἐν ταῖς ἰδίαις ἀρχαῖς ἐξαλειπτέα ἐστίν· ἐστι γὰρ ἡμῖν κατεθύμιον καὶ παραφυλακτέον, τοῦ Θεοῦ ἐμπνέοντος, ἵνα μὴ αἱ διατυπώσεις τῶν προκατηγμένων πατέρων, [4] αἱ θεσθεῖσαι

[a] Quesnellus, *susceptam*. Cæterorum editorum lectionem omnibus fere codicibus confirmatam revocavimus. Concinit etiam ipsa epistola 21 Eutychis, in qua libellum a se oblatum Flaviano, non fuisse susceptum queritur. Quatenus vero Eutyches in hoc mentitus sit, vid. annot. in eamdem epist. 21.

[b] Id Eutyches indicavit illis verbis epist. 21 : *Ut ad satisfaciendum, plebi proponerem fidei meæ confessionem.* Clarius Liberatus, c. 11 : *Posuit* (Eutyches) *edicta apud Constantinopolim, et injustitiam se fuisse passum, populum contestatus est.* Libellus ergo contestatorius Constantinopoli propositus etiam fidei professionem continebat ipso Eutyche teste. Huc forte pertinebat illa, quam *editionem fidei meæ* idem Eutyches vocat sub finem laudatæ epist. 21. Æque sane fidei professio præmittenda fuerat ab eo qui hæresi notatus, contestationem justam esse insinuare volebat. Fragmentum, quod ex ms. Casinensi eidem epistolæ subjecimus, solam professionem fidei exhibet ; at in ea parte quæ deest, ipsam contestationem, quam Leo et Liberatus memorant, expressam fuisse nihil dubitandum videtur, ita ut hinc contestatorii libelli notitiam Leo perceperit.

[c] Mss. Hisp. Isid. et collect. 24, *Ecclesiæ*. Mox cod. Vindebon. Hisp., *religiosissimi principis fides*.

[d] Aliqui codd., *inducunt*.

[e] Auctoritate optimi codicis Ratisp. et mss. præstantissimæ collect. 17 non audemus inserere voces, *frater charissime* a Quesnello expunctas ; licet in aliis codd. aliarum collectionum et in Græco legantur.

[f] Vat. 3845 collect. 8 addit *inde*.

[g] Sex voces sequentes exclusit Quesnellus, forte ex ms. Grimanico collect. 18. Desunt quidem in nostro Ratisponensi. Ob aliorum tamen codicum et collectionum etiam 18 Chalcedonensis auctoritatem eas restituimus.

[h] Adjecimus μετὰ ἀληθείας ex iisdem cod. Veg. Sic enim etiam in autographo Latino : *quæ gesta sunt, veraciter audiamus.*

[1] Iidem mss., ὑπολήψεως.

[2] Ita laudati codices ; sicque scripsisse interpretem haud dubitamus ; aut certe ἐμφροντίδας, ut uno verbo exprimeret vocem Latinam *sollicitos*. Et licet ea vox Græca in nostris Lexicis minime appareat, non tamen rejicienda est : mire enim Græcæ linguæ indolem refert, ut videre est in ἔμπονος, ἔγκοπος, aliisque ejusmodi. In vulgatis, ἐν φροντίδι.

[3] Addidimus articulum αἱ ex mss. Venetis.

Digitized by Google

columem custodiat, frater charissime. Datum [a] duodecimo kalendas Martii, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

767 EPISTOLA [b] XXIV,

[c] AD THEODOSIUM AUGUSTUM.

SYNOPSIS. — I. *Laudata imperatoris fide querimoniam Eutychis exponit.* — II. *Silentium Flaviani arguit; instrui se postulat.*

LEO episcopus THEODOSIO Augusto.

CAP. I. — Quantum præsidii Dominus Ecclesiæ suæ in fide vestræ clementiæ præpararit, his etiam litteris quas ad me misistis ostenditur: ut vobis non solum regium, sed etiam sacerdotalem inesse animum gaudeamus. Siquidem præter imperiales et publicas curas, piissimam sollicitudinem Christianæ religionis [d] habetis, ne scilicet in populo Dei aut schismata, aut hæreses, aut ulla scandala convalescant: quia tunc est optimus regni vestri status, quando sempiternæ et incommutabili Trinitati [e] in unius Divinitatis confessione servitur. Quid autem in Constantinopolitana Ecclesia [f] perturbationis acciderit, quod ita fratrem et coepiscopum meum Flavianum potuerit commovere, ut Eutychem presbyterum communione privaret, nondum potui evidenter agnoscere. Quamvis enim prædictus presbyter ad sedem apostolicam **768** [g] per libellum doloris sui querimoniam miserit, breviter tamen aliqua prælibavit, A τὴν ἰσχὺν ἔχουσαι, καὶ εἰς τὴν τελειότητα τῆς πίστεως ἀνήκουσαι, φαύλῃ τινὸς ἑρμηνείᾳ μολυνθῶσιν. Ὁ Θεὸς ὑγιᾶ σε διαφυλάξαι, ἀδελφὲ τιμιώτατε.

asserens se Nicænæ synodi constituta servantem, frustra in fidei diversitate culpatum.

CAP. II. — [h] Eusebii autem episcopi accusatoris ejus libellus, cujus exemplaria ad nos [i] memoratus presbyter misit, de objectionum evidentia nihil habebat, et cum presbytero hæreseos crimen intenderet, quem tamen in eo sensum argueret non evidenter expressit; quamvis et ipse episcopus Nicænæ synodi *i* profiteretur se inhærere decretis: propter quod non habuimus unde [k] aliquid plenius disceremus. Et quia causæ meritum, fidei ratio et laudabilis sollicitudo vestræ pietatis [l] exigit, necesse est jam locum subreptionibus non patere, sed prius de quibus eum æstimat arguendum, instrui nos oportet: B ut possit congrue de bene cognitis judicari. Ad prædictum autem episcopum litteras dedi, quibus mihi displicere cognosceret quod ea quæ in tanta causa gesta fuerant [m] etiam nunc silentio detineret, cum studere debuerit primitus nobis cuncta reserare: quem credimus vel post admonitionem omnia ad nostram notitiam relaturum; ut in lucem ductis his quæ adhuc videntur occulta, id quod evangelicæ et apostolicæ doctrinæ convenit judicetur. Data [n] XII kalendarum Martii, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

[a] Hæc chronica notatio deest in omnibus mss. collect., quas vidimus, tribus exceptis Chalcedon. 17, Ratisp., 19, et 21. Quidam codd. hujus postremæ collect. 21, cum editis ante Quesn., perperam habent XII *kal. Maii*; nam hæ litteræ mense Aprili Constantinopoli receptæ fuerunt, ut patet ex interlocutione Seleuci habita in conventu Constantinopolitano vidus Aprilis, ubi de Eutychis appellatione in hisce litteris memorata fit mentio. Vide tomum IV Concil. Venetæ editionis pag. 1067. Alii autem ejusdem collectionis codices et multo præstantiores Ratisp. et Chalcedon. diem et mensem textui insertos præferunt. Porro *Asturio* pro *Asterio* tum in hac tum in sequentibus hujus anni epistolis edidimus, ut in codice Ratisponensi et in perantiquo Veronensi 57 aliisque Chalcedonensibus mss. legitur. Immo ita constanter legi etiam in codice Grimanico, idem Quesnellus Norisio confessus est per litteras, quarum hic meminit in Cenotophiis Pisanis diss. 4, c. 2, §. 1, tom. III pag. 691. In Diptyco quidem Leodiensi quod illustravit Alexander Vilthemius *Astyrius* habetur. Sed *y* pro *u*, non autem pro *e* veteres non semel usurpasse notissimum est. Prosper et Idatius coævi auctores *Asturium* in plerisque codd. exhibent, in nonnullis *Astyrium*.

[b] Al. 21. Quæ autem antea 24 erat nunc 28. Scripta 18 Februarii an. 449.

[c] Quesnellus hanc epistolam in solo ms. Grimanico collect. 18 reperit; nos in præclarissimo Ratispon. collect. 19 et in codd. collect. 12 ac 24, nec non apud Sichardum; et cum his eamdem contulimus. In mss. collect. 12, *Pulcheriæ, vel Theodosio* inscribitur.

[d] Ms. Ratisp., *habeatis*.

[e] Ita ex ms. Ratisp. emendavimus. Alias, omissa præpositione *in*, habetur, *unius Deitatis confessione*. Post vocem *servitur* Quesnellus addidit *gloriosissime*, quod nostri codd. et præcipue Ratisp. ignorant.

[f] Ratisp., *turbationis*. Postea, *coepiscopum meum*, pro *coepiscopum nostrum*; et cohærenter, *nondum potui evidenter agnoscere*, pro *nondum potuimus evidenter cognoscere*, ex nostris mss. collect. 24, ac præsertim ex Ratisp. prætulimus. Verbum *potui* etiam apud Sichardum legitur. C

[g] Libellus quo doloris sui querimoniam Eutyches ad apostolicam sedem misit, ipsa est Eutychis ad Leonem epist. 21. Vide annot. 7 (*col.* 732, *n.* [n]) in lam præcedentem.

[h] Vide not. 1 Quesn.

[i] Ita ms. Ratisp. Alias, *prædictus*.

i Sic melius ex eodem codice. Quesnellus, *profiteatur se inhærere*. Cæteri editi, *profiteatur in hac re se esse decretis*, Cod. Vat. collect. 24 hanc eamdem lectionem præferens omittit *se*. *In hac re esse* pro *inhærere* librariorum lapsu scriptum apparet.

[k] Optima hæc lectio ex optimo codice Ratisponensi sumpta est. Quesnellus ex ms. Grimanico, *aliquid diceremus*, et similiter Sichardus; alii editi, *aliud disceremus*. Vide not. 2 Quesnelli.

[l] Editi ante Quesn. cum Ratispon. et mss. collect. 24 ac exemplo Sichardi, *exegit*. Subauditur, *ut de hac causa judicium feram*, quemadmodum ex sequentibus palam colligitur. D

[m] Quidam editi ante Quesn., *etiam nimio silentio reticeret*; alii, *etiam nunc silentio reticeret*. Cod. Vat. collect. 24, *deticeret*. Lectionem textus præferunt codd. Grim. et Ratisp.

[n] Diem emendavimus ex ms. Ratispon., cum quo concinit cod. Venetus collect. 12. Eodem nimirum die quo superior hæc quoque epistola scripta fuit, et utraque simul Constantinopolim transmissa; unde superioris epistolæ ad Flavianum hic mentio facta est cap. 2. Quesnellus cum Grimanico et aliis editis Leonis: *Data die kalendarum Martii*; vel, *ad kalendas Martii*; in editis autem Conciliorum, *ad kalendas Maii*.

Digitized by Google

ADMONITIO IN SEQUENTEM EPISTOLAM.

1 Duæ litterarum S. Petri Chrysologi ad Eutychem Latinæ editiones prodiere : altera, quæ unicum seu primum tantum caput exhibet; altera, quæ duo capitula complectitur. Quesnellus cum hanc prolixiorem epistolam et editionem genuinam haberet, quonam fato illa decurtata et non potius hæc integra inserta fuerit in Vulgatis S. Leonis editionibus, se non assequi in notis professus est. Ex codicibus autem, qui eam fere decurtatam præferunt, magna inter eruditos exstitit dubitatio, num secundum caput sincerum, an supposititicium sit. Omnis autem evanescet difficultas, si utriusque editionis originem detegamus. Id ex observatione quamplurium codicum ac ex discrimine collectionum quas diligenter expendimus, nobis innotuit.

2. Editio decurtata, quæ sola invenitur in Leonis codicibus et in plerisque collectionibus, ex collectione Hispanica proficiscitur : nam ex Hispanica hæc mutila editio, quæ terminat in verbis, *His omnibus respondi, frater, litteris tuis*, manavit in Isidorianam, ex Isidoriana autem, quæ frequentior et magis obvia fuit, in collectiones 11, 12, 21 et 23, quarum auctores cum transcripserint quotquot Leonis epistolas in Isidoriana collectione reperere, transcripserunt etiam S. Petri Chrysologi epistolam, quemadmodum inter Leoninas in eadem collectione, sicut et in Hispanica, inserta fuerat. Licet ergo multi sint codices, et collectiones multæ, quæ decurtatam hujus epistolæ editionem præferunt; unica tamen omnium origo est, auctor scilicet collectionis Hispanicæ, in cujus manus solum primum epistolæ caput pervenisse, perspicuum fiet, si integræ editionis originem potioris et antiquitatis et auctoritatis esse ostendamus.

3. Hispanica collectione antiquior et majoris auctoritatis profecto est collectio epistolarum in causa Eutychetis, quæ Actionibus Chalcedonensis concilii tum in Latinis, tum in Græcis exemplaribus præmissæ aut insertæ leguntur. Hæc nimirum epistolarum collectio, quam in præfatione decimam septimam appellavimus, Latine erat compacta saltem ante medium sextum sæculum, quo Rusticus Romanæ Ecclesiæ diaconus collatis eximiis Græcis codicibus peculiarem eidem operam impendit. Multo autem vetustior fuit eadem collectio Græce scripta apud Græcos, qui Latinas epistolas in causa Eutychis Græca lingua redditas una cum aliis Græcis epistolis ad eamdem causam pertinentibus in unum corpus compegerant. Enim vero Græcam hanc epistolarum collectionem concinatam fuisse inter an. 453 et 455 in præfatione epistolis præmissa, num. 34, demonstravimus. Id autem quantum auctoritati tribuat huic collectioni Græcæ, et exinde etiam collectioni Latinæ, quæ ex Græca ducit originem; quantumque propterea hæc collectio præstet collectioni Hispanicæ, nemo non videt. Inter memoratæ vero collectionis Chalcedonensis epistolas cum in Latinis, tum in Græcis codicibus integra describitur illa S. Petri Chrysologi ad Eutychem, a coævo utique collectore inserta; ac idcirco ex antiquitate atque præstantia hujus collectionis tam apud Græcos, quam apud Latinos receptæ, de integræ eius epistolæ sinceritate dubitare non licet. Cum Agnellus Ravennas a Bacchinio et a Muratorio editus, pos. ... capitis ejus epistolæ summam dedit in S. Petri Chrysologi Vita, si non integram epistolam reperit in veteribus Ravennatensis Ecclesiæ tabulis, certe aliquod vetustum exemplar hujusmodi collectionis Chalcedonensis præ oculis habuit. Cum vero hæc exemplaria rariora fuerint, et non ita multa ex Leone proferant, ut in Isidoriana satis frequenti exhibentur; nihil mirum si posteriores Leoninarum epistolarum collectores hanc epistolam non integram, sed mutilam dedere, uti apud Isidorum ex Hispanica suam collectionem derivantem inventa fuit. Hic autem omittendum non est duos codices Vaticanos epistolarum Leonis a Vossio memoratos, quos hanc epistolam integram continere Quesnellus præsumpsit, eodem Vossio in notatione admonente mutilam exhibere; sunt enim codices posteriorum collectionum quæ ex Isidoriana dimanant.

4. Unum dubitari potest, num hæc epistola, quam in laudatis Latinæ collectionis codicibus integram habemus, originalis sit, an e Græca antiqua versione Latine reddita fuerit. In memorata præfatione satis manifeste probavimus, antiquum illum auctorem, qui priscæ versioni concilii Chalcedonensis epistolas Latinorum in Græca collectione contentas adjecit, originale Latinum posuisse, quando potuit originale invenire : aliquando vero, cum nullum Latini originalis exemplum suppetebat, coactum fuisse ex Græca versione quædam Latinorum documenta Latine reddere, uti accidit quibusdam epistolis Valentiniani, Placidiæ et Eudoxiæ, nec non epistolæ Hilari diaconi, atque etiam litteris S. Leonis, quemadmodum suis in locis notabimus. Hujus versionis indicium ac veluti generalem regulam in laudata præfatione illam posuimus, cum chronica notatio in Græcis codicibus ejusdem collectionis universim omissa, in Latinis etiam desiderari perspicitur. Quando enim originale Latinum a Latino interprete inventum fuit, eo collectioni inserto chronica, notatio suppleta invenitur. Discrimen etiam styli, ubi collatis aliis originalibus ejusdem auctoris lucubrationibus deprehendi potest, aliud versionis argumentum est. Hinc autem aliquid interpretationis in Latina integra Petri Chrysologi epistola videre nobis videmur. Chronica enim notatio deest, et inter ipsum primum ac secundum caput nonnulla styli dissimilitudo elucescit. Primum caput, quod exhibetur etiam in collectione Hispanica, satis nitidum et congruum est, aliisque Petri Chrysologi operibus stylo simile, adeo ut nonnulla fere verba ejusdem capitis in serm. 145 ejusdem Chrysologi repetita inveniantur. Enim vero Hispanicæ collectionis auctor cum a Chalcedonensi collectione hanc epistolam non sumpserit, exemplari procul dubio Latinæ originis usus est. Alterum vero caput valde implexum, et a priori dissimile, versionem e Græco sapit. Si ipsum Latinum textum utriusque capitis cum Græco conferas, in priori originale, in posteriori interpretationem deteges. Hinc in primo capite omnes sententiæ congrue explicantur, in Græco autem minus exacte redditæ cognoscuntur : in quo, ut alia omittamus quæ quisque observare per se poterit, originale Chrysologi est illud in Latino, *Origenes principiorum scrutator*, quod ad opus illius De Principiis refertur; in Græco autem nomen *principiorum* reddendum τῶν ἀρχῶν, redditum fuit τῶν παλαιῶν *antiquorum*, quod interpretem Chrysologi mentem minus assecutum ostendit. E contra in secundo capite etsi Græca versio alicubi difficultatem injicit; planior tamen est multo quam textus Latinus, adeo ut hic e Græco perperam scripto vel lecto redditus appareat; ac ex Græco nonnumquam explicandus sit, ut in annotationibus observabitur : quod profecto non originalis Latini, sed interpretationis indicium est.

5. Hoc quidem secundum caput, quo Eutychetis epistolæ directe respondetur, potissimum est; ita ut Chrysologum Eutychi de Flaviani judicio querimoniam moventi, et ejusdem subsidium imploranti, solo priori capite generalia continente, quod et omni finali formula caret, respondisse incredibile sit. Probabile vero nobis est prioris capitis studiosius elaborati manuscriptum exemplar apud Chrysologum superfuisse, quemadmodum iis accidit quæ diligentiori cura scribimus; ex hoc autem exemplo alia subinde fuisse transcripta, quæ in manus Latini interpretis concilii Chalcedonensis, et auctoris collectionis Hispanicæ venerunt. Caput autem secundum peculiare pro Eutyche minus studiose exaratum, ut in familiaribus litteris fere usuvenit, soli autographæ epistolæ ad Eutychem missæ a Chrysologo additum videri potest, ita ut nul

Digitized by Google

lum nujus exemplum apud ipsum auctorem et apud Latinos exstiterit, ac solum ex Græca, quæ statim in Oriente facta fuit, interpretatione, Latinitate donari potuerit. Quidquid vero hac in re probabilius videatur, certe secundum hoc epistolæ caput, quod in causa Eutychis potissimum ac necessarium est, et tam antiqua cum Græca tum Latina versione comprobatur, in suspicionem suppositionis adduci nequit.

6. Restat ut statuamus de tempore. Jam fere omnes post Quesnellium hanc epistolam scriptam censent post mensem maium an. 449, siquidem his verbis cap. 2, *ut iis quæ a beatissimo papa Romanæ civitatis scripta sunt obedienter attendas*, indicari putant celebrem Leonis epistolam 28 ad Flavianum datam idibus junii anni ejusdem, qua de tota Eutychis causa decisum fuit. In eamdem sententiam nos pariter transivimus lib. II Observationum in card. Norisii Opera, c. 7, num. 2. Nunc aliam sententiam inducere cogimur. Omnes enim ex una parte assentiuntur, et S. Petrum Chrysologum his litteris respondere epistolæ Eutychis, et Eutychem eodem tempore quo ad Leonem scripsit, etiam ad Chrysologum dedisse litteras, quibus eum quoque adversus Flaviani sententiam citissime præoccuparet. Ex alia autem parte certum est Leonem Februario mense anni 449 Eutychis epistolam accepisse, et hac de causa eodem mense rescripsisse epistolas 23 ac 24. Plures conjecturas cum Quesnello exquirere, ut longioris dilationis causæ in responsione Chrysologi afferantur, opus non est. Etenim prima occasione hunc rescripsisse satis credibile fit ex ipso contextu, in quo Chrysologus se de ipsa causa nihil aliunde instructum prodit, nisi ex Eutychis litteris; idque adeo exiliter, ut de Nestorianismo potius quam de Eutychianismo methisse videatur, eaque primo capite obtrudat quæ sermone 145 contra Nestorianam hæresim Eutychianæ contrariam manifestissime disserit. Id autem non accidisset, si responsionem differens, antea de tota re exactius voluisset edoceri, uti Quesnellus in notis conjecit. Enimvero si S. Petrus non scripsisset epistolam, nisi postquam Romam allata fuissent Constantinopolitanæ synodi gesta, in quibus Eutychianus error tam manifeste detectus, et ipse Eutyches velut pertinax damnatus fuerat; et nisi postquam eidem innotuisset Leonis epistola qua Constantinopolitanum judicium confirmatum fuit; quomodo se ignorare Constantinopolitanorum Patrum sensum potuisset affirmare: *Quid intellexerint, eorum taciturnitate nescimus?* Quomodo cum Eutyche ita indifferenter egisset, ut nec innocentem, nec reum judicarit? Quomodo eum post tam solemnem condemnationem a Romano etiam pontifice confirmatam, *dilectissimum filium, honorantissimum*, et *merito honorabilem presbyterum* appellasset? Hæc hominem statim respondentem, dum rei non esset instructus, patefaciunt. Neque repugnant verba, *ut iis quæ a beatissimo papa Romanæ civitatis scripta sunt obedienter attendas*. Eutyches enim in suis litteris memoraste videtur epistolam quam cum aliquot documentis ad Leonem pontificem dederat. His autem verbis Chrysologus indicare voluit eas litteras quas Leonem melius instructum plenius reddidisse aut brevi redditurum præsumebat. Enim vero si has dogmaticas Leonis litteras ille legisset, non videtur scripturus fuisse: *Extra consensum Romanæ civitatis episcopi causas fidei audire* (seu ex Græco *cognoscere*, aut *dijudicare*) *non possumus*; quæ verba nondum sibi notam Romani episcopi sententiam declarant. Igitur hæc Chrysologi epistola sub idem tempus data videtur, quo Leo scripsit epistolas 23 et 24, id est circa Februarium an. 449. Forte idem ille vir, qui Theodosii atque Eutychis litteras ad S. Leonem attulit, Ravennam etiam cum ejusdem Theodosii litteris ad Valentinianum transivit, et hac occasione epistolam Eutychis ad Chrysologum detulit. Huic autem Constantinopolim revertenti, dum Valentiniani responsa referret, Chrysologus tradidit hanc epistolam ad Eutychem, ut citius ac tutius traderetur. Certe autem non scripsit post notitiam actorum in Eutychem, aut definitivo Leonis epistolæ, ut in Quesnelli sententia præsumendum est.

EPISTOLA [a] XXV,

PETRI CHRYSOLOGI EPISCOPI RAVENNATIS AD EUTYCHEN PRESBYTERUM [b].

SYNOPSIS. — I. *Jam olim præscriptum esse docet contra errores incarnationem Verbi impugnantes; nec discutiendam esse, sed cum honore et timore credendum.* — II. *Suadet Eutychi ut Romani pontificis scriptis obedienter attendat, quia Petrus suæ sedis rectores dirigens, præstat quærentibus fidei veritatem.*

775 [c] Dilectissimo filio et merito honorabili Eutychi presbytero PETRUS episcopus.

A 776 Τῷ ἀγαπητῷ, καὶ ἀξιοτιμήτῳ υἱῷ Εὐτυχεῖ, Πέτρος ἐπίσκοπος Ῥαβέννης.

CAP. I. Tristis legi tristes litteras tuas, et scripta mœsta mœrore debito [d] percurri; quia sicut nos pax Ecclesiarum, sacerdotum concordia, tranquillitas plebis, [e] gaudere facit gaudio cœlesti, ita nos affligit et dejicit fraterna dissensio, præsertim cum talibus orta ex causis. [f] Triginta annis humanæ leges humanas adimunt quæstiones, et Christi generatio, quæ divina lege scribitur inenarrabilis (*Isai.* LIII, 8),

Στυγνὸς ἀνέγνων τὰς στυγνάς σου ἐπιστολὰς, καὶ τὰ γράμματά σου τὰ στυγνὰ τῇ προσηκούσῃ λύπῃ διέδραμον· ἐπειδὴ ὥσπερ ἡμᾶς ἡ εἰρήνη τῶν Ἐκκλησιῶν, ἡ ὁμόνοια τῶν ἱερέων, ἡ γαλήνη τοῦ δήμου χαίρειν ποιεῖ οὐρανίῳ χαρᾷ, οὕτως ἡμᾶς καταπονεῖ, καὶ καταβάλλει ἡ ἀδελφικὴ διχόνοια· καὶ μάλιστα, ὅταν ἐκ τοιούτων ἀναφύηται αἰτιῶν. Τριάκοντα ἔστιν οἱ ἀνθρώπινοι νόμοι τὰς ἀνθρωπίνας ἀνατρέπουσι ζητήσεις· ἡ τοῦ Χριστοῦ γέννη-

[a] Quæ erat 25, nunc 35. Scr. circa Febr. an. 449.

[b] Codd. collect Hispanicæ, qui hanc epistolam decurtatam præferunt, synopsis loco addunt: *contra ejus errores, in qua illi apto exemplo respondit.*

[c] Ita codd. qui ex Hispanica collect. proveniunt. Exemplaria vero Latina collect. Chalcedon. sic: *Dilectissimo et honore digno filio Eutychi presbytero Petrus episcopus Ravennæ.*

[d] Quidam codd., *percúcurri*; alii, *cucurri*. Figurata locutio Chrysologo familiaris *mœsta mœrore*, quam Græcus interpres apte non reddidit, originale Latinum indicat.

[e] Ita ex omnibus mss. collect. Chalcedon. Vulgata lectio, *audire facit gaudium cœleste* præfertur in cæteris codd. qui ex collect. Isidori et ex Hispanica primus emendata prodiunt, uti est cod. Vat. 1341 ejusdem collect. Hispanicæ. At codex Vindebon. Hisp., qui pariter collectionem Hispanicam exhibet, ad lectionem nostram et exemplarium Chalcedon. accedit; habet enim *audere facit gaudio cœlesti*; ubi alii posteriores librarii non advertentes in voce *audere* deesse solam litteram *g*, emendandum putarunt *audire facit gaudium cœleste*.

[f] Similiter idem Chrysologus in serm. 145: *Humanæ leges intra triginta annos litigiosas omnes interimunt quæstiones: et Christus citra quingentos annos nativitatis suæ causas præstat, ortus sui lites patitur, status sui sustinet quæstiones.* Singula, quæ sequuntur, in eodem sermone repetita sunt contra errorem Nestorii. Quesnellus pro *triginta* notavit in margine: Al., *decem*, quod nullis in codicibus invenire potuimus.

Digitized by Google

post tot sæcula disputatione temeraria ventilatur. Quid Origenes principiorum scrutator incurrerit, quomodo Nestorius [a] lapsus sit disputans de natalis, non latet prudentiam tuam. Magi [b] Jesum in cunabulis [c] Deum mysticis muneribus confitentur (*Matth.* II); et sacerdotes, quis sit, qui virginali partu de Spiritu sancto natus est, [d] dolenda interrogatione disquirunt : cum vagitum daret 777 Jesus in cunis, [e] *Gloria in excelsis Deo*, cœlestis clamat exercitus (*Luc.* II, 14); et modo, quando *in nomine Jesu omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philipp.* II, 10), originis ejus quæstio [f] commovetur? Nos, frater, cum Apostolo dicimus : *Etsi novimus Jesum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (II *Cor.* V, 16). Nec possumus [g] injuriose replicare, qui jubemur honorem dare, [h] et timorem reddere, et exspectare, non discutere, quem judicem confitemur.

CAP. II. — [i] Hæc breviter respondi, frater, litteris tuis, plura rescripturus, si ad me frater et coepiscopus noster Flavianus aliqua de hac causa scripta misisset. Si enim tibi displicet, quoniam scripsisti [j] electum judicium, nos quomodo de his judicare poterimus, quos neque [k] videmus propter absentiam, et quid intellexerint, eorum taciturnitate nescimus? Justus [l] mediator non est, qui sic unam partem audit ut nihil alteri parti reservet. In omnibus autem

A σις, ἤ τις τῷ θείῳ νόμῳ [1] ἀνεκδιήγητος γέγραπται, μετὰ τοσούτους αἰῶνας διαλογισμῷ ἀπονενοημένῳ 778 ἐρευνᾶται. Τί Ὠριγένης ὁ τῶν [2] παλαιῶν ἐρευνήτης ὑπέμεινε, ποίῳ τρόπῳ Νεστόριος ὠλίσθησε διαλογιζόμενος περὶ φύσεων, οὐ λανθάνει τὴν σὴν σύνεσιν. Οἱ μάγοι τὸν Χριστὸν ἐν σπαργάνοις Θεὸν μυστικοῖς δώροις ὡμολόγουν· καὶ οἱ ἱερεῖς, τίς ἐστιν ὁ τῷ παρθενικῷ τόκῳ ἐκ πνεύματος ἁγίου τεχθείς, [3] ἐπιπόνῳ ἐρευνήσει ἐζητοῦσιν. Ὅτε βοᾶν ἐδίδου ὁ Χριστὸς ἐν τοῖς σπαργάνοις, Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, οὐράνιος ἀνέβοα στρατός· καὶ νῦν, ὅτε ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ πᾶν γόνυ κάμπτει, ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων, τῆς ἀρχαιογονίας αὐτοῦ ζήτησις κινεῖται. Ἡμεῖς δέ, ἀδελφέ, μετὰ τοῦ ἀποστόλου λέγομεν· Καὶ εἰ ἐγνώκαμεν Χριστὸν κατὰ σάρκα, ἀλλὰ λοιπὸν νῦν οὐ γινώσκομεν. Οὔτε δυνάμεθα [4] ἐφύβριστα

B ἐρευνᾶν, οἵ τινες κελευόμεθα τιμὴν διδόναι, φόβον ἀποδιδόναι, καὶ ἐκδέχεσθαι; οὐκ ἐρευνᾶν [5] τὸν κριτὴν ὁμολογοῦμεν.

Τοιαῦτα διὰ βραχέων ἀπεκρινάμην, ἀδελφέ, τοῖς σοῖς γράμμασι, πλείονα μέλλων γράφειν, εἰ πρὸς ἐμὲ ὁ ἀδελφὸς καὶ συνεπίσκοπος ἡμέτερος Φλαυιανός τινα περὶ τούτου τοῦ πράγματος γράμματα ἔπεμψεν. Εἰ γάρ σοι ἀπαρέσκει, ὅτι περ γράφεις, σαυτῷ ἠρῆσθαι τὴν ἀκρόασιν, ἡμεῖς ποίῳ τρόπῳ περὶ τούτων δικάσαι δυνάμεθα, οὓς μή τε ὁρῶμεν 779 διὰ τὴν ἀπουσίαν, καὶ τί ἐνόησαν, τῷ σιωπᾷ κύτῶν ἀγνοοῦμεν; δίκαιος μεσίτης οὐκ ἔστιν, ὃς ἑνὸς μέρους οὕτως ἀκούει ὡς ἑτέρῳ μέρει μηδὲν φυλάξαι.

[a] Ita codd. collect. Chalcedon. et Vindebon. Hisp. Quesnellus ex mss. collect. Hispanicæ minus emendatæ et Isid., *lapsus est.*

[b] Græcus textus τὸν Χριστὸν, *Christum*, et similiter deinceps, ὁ Χριστὸς, *Christus*, ubi in Latino est *Jesus* non solum in mss. libris, qui ex Hispanica prodeunt, verum etiam in omnibus Chalcedonensibus, quos vel nos vidimus, vel Baluzius consuluit. Hinc autem manifestum fit, hoc caput etiam in mss. Chalcedonensibus ex originali Latino derivatum fuisse, ut in Hispanica, non autem ex Græco Latinitate donatum.

[c] Chrysologus, serm. 145, in Nestorianos, qui Christum natum *Deum* negabant, similia obtrudit. Quare cum hic perinde voci *Dei* aliisque insistat, et nihil Eutychianum uspiam subindicet, credidisse videtur de Nestoriana hæresi nunc pariter agi, nec contrarium Eutychis errorem detexisse. Similiter S. Leo, epist. 34, fatetur se ex solis litteris Eutychis de ipsius erroribus non potuisse quidquam cognoscere nec intelligere quo tenderet ejus causatio, qua de Nestoriana hæresi repullulante querebatur. Id ex solis gestis a Flaviano transmissis cognitum fuit.

[d] Quesnellus, in margine, Forte *dolosa*, quod nulli codices præferunt. Solum in laudato Chrysologi sermone adversus Nestorianos legitur : *Et tu quis sit Jesus, dolosus cognitor nunc requiris?* Post pauca in codd. collect. Chalcedon., *vagitus.*

[e] Mss. collect. 21, *gloriam.* Vindebon. Hisp., *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, cœlestis*, etc.

[f] Ita omnes nostri codices Chalcedon. etiam Baluzii, et Vat. Hisp., ac cæteri exinde profecti. Quesnellus cum solo nostro Vindebon. Hisp., *movetur.* Mox codd. Chalcedon. *Nos, frater charissime, una cum Apostolo*, etc.

[g] Ita in mss. Hisp. et cæteris ex eadem collectione derivatis. Codd. vero Chalced., *injuriosa perscrutati.* Unus ex his Colbertinus apud Balutium unius litteluæ additamento, *injuriosæ perscrutari*, pro quo Surius et alii post eum notarunt in margine, *injuriose*; in Conciliis Labbei, *curiose perscrutari*

[h] Retinuimus lectionem Hisp. et cæterarum collectionum, quæ ex Hispanica hanc epistolam transcripserunt. Concinit etiam Græca versio. In mss. autem Latinis Chalcedon., omissa particula *et*, habetur, *timorem reddere et exspectare, dum non perscrutandum judicem confitemur.*

[i] In Vat. Hisp. et cæteris cum Quesnello : *His omnibus respondi, frater, litteris tuis*; quibus etiam desinit editio decurtata in iisdem codicibus. Vindebon. Hisp., *Hæc in omnibus respondi*, etc. Lectionem vero mss. Chalcedonensium, uti meliorem et integræ epistolæ congruentiorem prætulimus.

[j] Vetus interpres, quem hoc caput e Græco reddidisse in admonitione ostendimus, legit, ut in editis, ἠρῆσθαι τὴν ἀκρόασιν, et ideo transtulit, *electum judicium*; quæ ob sensum obscurum et incertum longioris disputationis occasionem dedere. Quesnellus in margine notavit : Al., *neglectum.* Cum hoc pariter difficile sit, tum vero in nullis nostris aut Baluzii codicibus inventum fuit. Credimus autem procul dubio scriptum fuisse in Græco, ἀπρῆσθαι τὴν ἀκρόασιν, et ἀν veteri librariorum lapsu excidisse; hinc autem reddendum ex Græco, *ut scribis, tibimetipsi sublatam audientiam*; sic enim totus hic locus perspicue intelligitur, et congruit cum epist. 21 ad Leonem, in qua Eutyches questus est suum libellum non fuisse in Constantinopolitano concilio susceptum. Similem querelam etiam apud Petrum Ravennatem eum promovisse nihil ambigimus, ita ut *sibi sublatam audientiam* scripserit.

[k] Ita nostri mss. codd. et Baluzii. Quesnellus, *videmus*, et *intellexerunt.*

[l] Quesnellus in margine, Al., *judex.*

[1] In marg. edit. Rom., ἀνεκδιηγήτως.

[2] Ibid., ἀρχῶν L.

[3] Ibid., λυπηρᾷ ἐρευ.

[4] Ibid., περιέργως L.

[5] Ibid., ὃν L.

Digitized by Google

779 hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ a beatissimo papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas : quoniam beatus Petrus, qui in propria sede [a] et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei extra consensum Romanæ civitatis episcopi causas fidei [b] audire non possumus. Incolumem tuam dilectionem Dominus tempore longissimo conservare dignetur, charissime et honorantissime fili.

A Ἐπί πᾶσι δέ προτρεπόμεθά σε, ἀδελφὲ τιμιώτατε, ὅστε τοῖς παρὰ τοῦ μακαριωτάτου πάπα τῆς πόλεως Ῥώμης γραφομένοις πειθαρχοῦντως προσέχειν· ἐπειδὴ ὁ μακάριος Πέτρος, ὃς ἐν τῇ ἰδίᾳ καθέδρᾳ καὶ ζῇ, καὶ προκάθηται, δίδωσι τοῖς ζητοῦσι τῆς πίστεως τὴν ἀλήθειαν· Ἡμεῖς γὰρ σπουδῇ τῆς εἰρήνης, καὶ τῆς πίστεως, ἐκτὸς [1] συναινέσεως τοῦ Ῥώμης ἐπισκόπου, πίστεως αἰτίας διαγνῶναι οὐ δυνάμεθα. Ὑγιαίνουσαν τὴν ἀγάπην τὴν σὴν ὁ δεσπότης χρόνῳ [2] μακροτάτῳ διαφυλάξαι καταξιώσοι, ποθεινότατε καὶ ἀξιοτίμητε υἱέ.

EPISTOLA [c] XXVI,

[d] FLAVIANI SECUNDA AD S. LEONEM PAPAM.

Epistola Flaviani episcopi Constantinopoleos scripta ad archiepiscopum Leonem veteris Romæ.

[a] **781** Ἐπιστολὴ Φλαυιανοῦ ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως γραφεῖσα πρὸς τὸν ἀρχιεπίσκοπον Λέοντα τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης.

Sanctissimo et beatissimo Patri et comministro Leoni Flavianus in Domino salutem.

Τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ πατρὶ καὶ συλλειτουργῷ Λέοντι Φλαυιανὸς ἐν Κυρίῳ χαίρειν.

Pietate et recta verbi veritatis distributione nihil pretiosius sacerdotibus, sicut nosti, Deo dilectissime. Omnis enim nostra spes et salus, ac promissorum bonorum retributio hinc pendent. Propterea igitur cuncta nobis facienda sunt, omnisque labor suscipiendus pro vera fide iisque quæ a sanctis Patribus exposita sunt atque dogmatum loco tradita; quo per omnia et in omnigenis rerum circumstantiis integra hæc et inviolata conserventur atque custodiantur. Necessarium itaque fuit nunc etiam nos, videntes lædi orthodoxam fidem, ac renovari Apolli-

B Εὐσεβείας καὶ τοῦ ὀρθοτομεῖσθαι τὸν λόγον τῆς ἀληθείας οὐδὲν [b] τιμιώτερον ἱερεῦσιν, ὡς ἐπίστασαι, θεοφιλέστατε. Πᾶσα γάρ ἡμῶν ἐλπὶς καὶ σωτηρία, καὶ ἀνταπόδοσις τῶν ἐπηγγελμένων ἀγαθῶν, ἐντεῦθεν ἐξήρτηται. Διά τοι τοῦτο, πάντα [3] ποιητέον ἡμῖν καὶ πονητέον, ὑπὲρ τῆς ἀληθοῦς πίστεως, καὶ τῶν ἐκτεθέντων καὶ δογματισθέντων ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων, ἐφ' ᾧ τε διὰ παντὸς καὶ ἐν παντοίαις περιστάσεσι πραγμάτων ἀκέραια καὶ ἄτρωτα ταῦτα [4] διασώζεσθαι καὶ φυλάττεσθαι. ἀναγκαῖον οὖν ἦν [7] καὶ νῦν ὁρῶντας ἡμᾶς βλαπτομένην τοῦ ὀρθόδοξον πίστιν, καὶ ἀνανεουμένην τοῦ [8] Ἀπολλινα-

[a] Ex nostris codd. et Baluzii addidimus particulam *et*. Cum hæc Petrus Chrysologus scripserit ante celebrem Leonis epistolam 28, adversus Eutychis errores editam, ut in admonitione ostendimus num. 6, quæ hic dicuntur non sunt peculiaria pro eadem epistola, ac si eidem Petro nota jam esset atque probata; sed generale principium ac sententiam tum communem et certam indicant, nimirum Petrum adhuc in successoribus viventem *præstare quærentibus fidei veritatem;* et idcirco dogmaticis Romanorum pontificum decretis esse obsequendum.

[b] Græci verbi vis *cognoscere*, *dijudicare* significat. Ne vero hæc asserta a Petro disciplina, singularis aut incredibilis videatur, similem consuetudinem fuisse in Ægypto, *ut nihil absque ipso* (antistite Alexandrino) *ageretur ab aliquo subjacente episcopo*, testati sunt Ægyptii in concilio Chalcedonensi, actione 4, tom. IV edit. Venetæ, pag. 1402, idque ex Nicæno canone derivarunt, atque ejusdem consuetudinis testem appellarunt ipsum Anatolium, qui Alexandrinæ Ecclesiæ diaconus vel presbyter fuerat. Hac quidem disciplina Ægyptii in Chalcedonensi abusi sunt; excusatione nimirum hujusmodi se subtraxerunt a subscribenda Leonis epistola, et a parendo concilio, illud exinde inferentes, Alexandrini episcopi electionem atque sententiam a se exspectari oportere. Sed ob hunc abusum disciplina ipsa negari non potest; quæ si obtinuit in episcopis Alexandrino subjectis, nihil mirum si pariter valuit in episcopis qui Romano totius Ecclesiæ primati speciali nomine suberant.

[c] Quæ erat 26, nunc 29. Scr. circa Martium, an. 449.

[d] Hac epistola, quam post epistolam 22 scriptam ostendimus in admonitione ad eamdem epistolam 22, Flavianus respondet epistolæ 23 S. Leonis pontificis. Cum vero in conventu Constantinopoli habito die 13 Aprilis anni 449, Selencus episcopus dixerit epistolam 23 Leonis *ante paucos dies* sibi communicatam fuisse, eidem autem Flavianus responderit dum generale concilium futurum *vulgabatur*, quod die 30 Martii indictum fuit, idcirco hanc epistolam a Flaviano scriptam putamus circa Martium ejusdem anni 449, antequam illi certa esset indictio concilii, quod impediri adhuc posse in fine epistolæ insinuat. Hanc epistolam Græcam in lucem emisit Joannes Cotelerius tom. I Monument. Eccl. Græcæ, pag. 50, ex mss. Regiis 1026 et 2610, et exactam ex Græco interpretationem adjecit. Quesnellus, qui in prima editione solam antiquam versionem dederat, Græcum textum cum interpretatione Cotelerii editioni secundæ inseruit. Duos alios Græcos codices Romæ nos nacti sumus, Vat. Græc. 1455, et alium multo antiquiorem monachorum S. Basilii signatum num. 19, unum præterea Venetum 165 Bibliothecæ S. Marci.

[1] In editis, συνέστως; at in margine per conjecturam, συναινέσεως. Emendationem probarunt nostri codd. Veneti. Consonat Latinus textus, *extra consensum*.

[2] Ita legendum, ut in mss. Ven., probat exemplar Latinum, ubi legitur, *tempore longissimo*. In vul., χρόνῳ μακρῷ.

[3] Ms. Bas., ἐπιστολὴ Φλαβιανοῦ ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως πρὸς Λέοντα ἀρχιεπίσκοπον Ῥώμης κατ' Εὐτυχοῦς πρὸ τῆς ἐν Χαλκηδόνι συνόδου. Ms. autem Ven., τοῦ μακαρίου Φλαβιανοῦ ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως περὶ Λέοντα τὸν ἁγιώτατον τῆς Ῥώμης πάπαν.

[4] Ms. Ven., προτιμότερον ἱερεῦσι θεοῦ.

[5] Mss. Bas. et Ven., πονητέον ἡμῖν καὶ πονητέον.

[6] Cod. Ven., διασώζεσθαί τε καὶ διαφυλάττεσθαι.

[7] Addimus καὶ νῦν ex mss. Basil. et Ven. (in quo postremo deest ἦν), quæ voces etiam in antiqua versione exhibentur. In marg. edit. Cotel. : Al., καὶ νῦν.

[8] In marg. edit. Cotel. : Al., Ἀπολιναρίου

Digitized by Google

naris et Valentini hæresim ab Eutyche impio monacho, non despicere, sed palam errorem detegere ad cautelam populorum. Iste enim, iste Eutyches absconditum in se pravæ opinionis morbum retinens, nostram infestando mansuetudinem, inverecunde ac impudenter ad multos **784** propriam impietatem deferre ausus est; dicens ante incarnationem quidem Salvatoris nostri Jesu Christi duas naturas esse, divinitatis et humanitatis; post unionem vero unam exstitisse naturam : ignarus quid loquatur ac de quibus affirmet. Neque enim unio duarum naturarum quæ in Christo convenerunt, quemadmodum et vestra novit pietas, proprietates earum in unione confundit; sed manent etiam in unione integræ duarum naturarum proprietates. Adjecit autem et aliam impietatem, aiens, quod ex Maria ortum est corpus Domini, non esse nostræ substantiæ, neque humanæ materiæ; sed humanum quidem illud appellat, non tamen consubstantiale nobis, nec ei quæ illum peperit secundum carnem. Atque hæc cum acta Ephesi a sancta et œcumenica synodo, in epistola scripta ad impium et depositum Nestorium, sic ad verbum habeant : *Quod diversæ quidem, quæ ad unitatem veram convenerunt naturæ; unus autem ex ambabus Christus et Filius. Non quasi naturarum discrimen sublatum fuerit per unionem, sed potius quia nobis perfecerunt unum Dominum Jesum Christum eædem naturæ divinitatis et humanitatis, per ineffabilem et incomprehensibilem ad unitatem concursum.* Et hoc non latet sanctitatem tuam, cum omnino legerit quæ Ephesi confecta sunt gesta. Quæ nihili pendens idem Eutyches putat se non daturum pœnas per sanctam illam et œcumenicam synodum definitas. Itaque propter hæc, cum multi e simplicioribus per ejus disceptationem læderentur in doctrina fidei, eum accusatum a religiosissimo **786** episcopo Eusebio, et occurrentem ad sanctum concilium, propriaque voce quid ipse sentiret Patribus synodi detegentem, ut qui alienus sit a recta fide, deposuimus, prout sanctitatem vestram docebunt cuncta super eo confecta acta; quæ et misimus cum hisce nostris litteris. Æquum porro est, mea quidem sententia, ut hoc quoque edoceamini, quod Eutyches idem justæ et canonicæ depositioni subjectus, cum debuisset saltem secundis curare priora, necnon

ρίου καὶ Οὐαλεντίνου αἵρεσιν παρὰ [1] Εὐτυχοῦς τοῦ μοναχοῦ, μὴ παριδεῖν· ἀλλ' εἰς τὸ φανερὸν ταύτην ἐκκαλύψαι πρὸς ἀσφάλειαν τῶν λαῶν, [2] οὗτος γὰρ οὗτος ὁ Εὐτυχής, κεκρυμμένην [3] ἐν ἑαυτῷ νόσον κακοδοξίας κατέχων, τῆς ἡμετέρας ἐπιεικείας καταδραμὼν, ἀπηρυθριασμένως καὶ ἀναισχύντως εἰς πολλοὺς **783** ἐξενεγκεῖν τὴν οἰκείαν ἀσέβειαν κατετόλμησε, φάσκων, πρὸ μὲν τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δύο φύσεις εἶναι, [4] θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος, μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, μίαν φύσιν γεγονέναι· οὐκ εἰδὼς ὃ λέγει, οὐδὲ περὶ τίνων διαβεβαιοῦται. Οὐδὲ γὰρ ἡ ἕνωσις τῶν συνελθουσῶν [5] ἐπὶ Χριστῷ δύο φύσεων, ὡς καὶ ἡ ὑμετέρα ἐπίσταται θεοσέβεια, τὰς ἰδιότητας αὐτῶν ἐν τῇ ἑνώσει συνέχειν· ἀλλὰ μένουσι καὶ ἐν τῇ ἑνώσει ἀκέραιοι τῶν δύο φύσεων αἱ ἰδιότητες. [6] Προσετίθει δὲ καὶ ἑτέραν δυσσέβειαν, φάσκων, τὸ ἐκ Μαρίας σῶμα γενόμενον τοῦ κυρίου, μὴ εἶναι τῆς ἡμετέρας οὐσίας, μηδὲ τοῦ ἀνθρωπείου φυράματος· ἀλλ' ἀνθρώπινον μὲν αὐτὸ [7] ἀποκαλεῖ, οὐ μὴν ἡμῖν ὁμοούσιον, οὐδὲ τῇ τεκούσῃ αὐτὸν κατὰ σάρκα. Καὶ ταῦτα, τῶν ἐν Ἐφέσῳ πεπραγμένων παρὰ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου, ἐπὶ τῇ γραφείσῃ ἐπιστολῇ πρὸς τὸν δυσσεβῆ καὶ καθῃρημένον Νεστόριον, ἐχόντων ῥητῶς οὕτως· ὡς διάφοροι μὲν αἱ πρὸς ἑνότητα τὴν ἀληθινὴν [8] συνενεχθεῖσαι φύσεις· εἷς δὲ ἐξ ἀμφοῖν Χριστὸς καὶ υἱός· οὐχ ὡς τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν· ἀποτελεσασῶν δὲ [9] μᾶλλον ἡμῖν τὸν ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, [10] θεότητός τε καὶ ἀνθρωπότητος, διὰ τῆς ἀῤῥάστου καὶ ἀπερινοήτου πρὸς ἑνότητα συνδρομῆς. [11] Καὶ τοῦτο οὐ λέληθε τὴν σὴν ὁσιότητα, ἐντυχοῦσαν πάντως τοῖς ἐν Ἐφέσῳ πεπραγμένοις ὑπομνήμασιν. Ἄτινα παρ' οὐδὲν θέμενος ὁ αὐτὸς Εὐτυχὴς οἴεται μὴ δώσειν δίκην τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῆς ἁγίας ἐκείνης καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου. [12] Διά τοι ταῦτα πολλῶν τῶν ἀκεραιοτέρων ἐκ τῆς ὑπ' αὐτοῦ γενομένης διαλέξεως παραβλαπτομένων εἰς τὸν τῆς πίστεως λόγον, κατηγορηθέντα αὐτὸν παρὰ τοῦ εὐλαβεστάτου **785** ἐπισκόπου Εὐσεβίου, καὶ ἀπαντήσαντα εἰς τὴν ἁγίαν σύνοδον, καὶ οἰκείᾳ φωνῇ [13] τὸ ἴδιον φρόνημα ἐκκαλύψαντα, ἀλλότριον ὑπάρχοντα [14] τῆς ὀρθῆς πίστεως, καθείλομεν, ὡς διδάξει τὴν ὑμετέραν ὁσιότητα [15] πάντα ἐπ' αὐτῷ πεπραγμένα ὑπομνήματα, ἃ καὶ ἀπεστείλαμεν μετὰ τούτων ἡμῶν τῶν γραμμάτων. [16] Δίκαιον δὲ καὶ τοῦτο, ὡς ἡγοῦμαι, διδαχθῆναι ὑμᾶς, ὡς ὅτι περ ὁ αὐτὸς Εὐτυχὴς ὑποστὰς δικαίαν καὶ κανονικὴν καθαίρεσιν, καὶ ὀφείλων κἂν τοῖς δευτέροις ἰάσασθαι τὰ πρότερα, καὶ διὰ μετανοίας ἀκριβοῦς καὶ δακρύων πολλῶν τὸν Θεὸν

[1] Ita ex codd. Bas. et Ven. Vulg., Εὐτυχοῦς τοῦ δυσσεβοῦς, et in marg. Cot. : Al., μοναχοῦ. Hæc lectio, quæ conditionem Eutychis ac genus vitæ exprimit, antiqua versione confirmatur.

[2] Ms. Bas., αὐτὸς γὰρ Εὐτυχής. Edit. Cotel. in marg. : Al., αὐτὸς γὰρ ὁ.

[3] In ms. Ven., ἐν ἑαυτῷ δόξαν κατέχων.

[4] Cod. Bas., θεότητός τε καὶ ἀνθρωπότητος.

[5] Mss. Ven., ἐπὶ Χριστοῦ.

[6] In marg. Cotel. : Al., προθεῖναι.

[7] Ms. Ven., ἀπεκαλεῖ.

[8] Vulg. mendose, συνηχθεῖσαι. Cotelerius per conjecturam in margine : Forte, συναχθεῖσαι, vel συνεκχθεῖσαι. Hanc veram lectionem probavit cod. Basil.

[9] Ms. Bas. caret voce μᾶλλον.

[10] Sic elegantius ex eodem cod. Bas., addito τέ, quod in editis deerat.

[11] Græcis auribus hæc quoque lectio mss. Basil. et Ven., ut putamus, magis placebit quam vulgata, καὶ τοῦτο οὐκ ἔλαθε.

[12] Ms. Bas.. διὰ τοιαῦτα. Mox deest ὑπ' ante αὐτοῦ in cod. Ven.

[13] Antea legebatur : τὸ ἴδιον φρόνημα αὐτοῖς ἐκκαλύψαντα. Abest αὐτοῖς a mss. Bas. et Ven., ac abesse debet, quo enim referatur? Nec vetus Latina versio agnoscit, *et voce sua propriam sectam retegentem.* Cotelerius in sua versione, ut sensum exponeret, vocem αὐτοῖς reddidit, non *ipsis*, sed *Patribus synodi*, cum tamen patres in Græco non nominentur.

[14] Ms. Bas. τῆς ὀρθοδόξου ἡμῶν πίστεως.

[15] Ms. Ven., πάντα τὰ ἐπ' αὐτῷ πεπρ.

[16] Ms. Bas., δίκαιον δὲ ἡγοῦμαι καὶ τοῦτο. In ms. Ven. solum omittitur ὡς

Digitized by Google

per exactam pœnitentiam multasque lacrymas Deum placare, et cor nostrum valde in lapsu ejus contristatum, vera resipiscentia delinire; non solum id non fecit, quin immo per omnia connisus est sanctissimam hujusce loci Ecclesiam conturbare; tabulas publice proponens contumeliarum et maledictorum plenas: et insuper hæc preces offerens pissimo et Christi amantissimo nostro imperatori, easque arrogantia et petulantia refertas, in omnibus divinos canones conculcare tentans. Verum his ita ex consecutione peractis, redditæ nobis sunt litteræ sanctitatis vestræ, per comitem omni admiratione dignum Pansophium: ex quibus edocti sumus eumdem Eutychen libellos ad vos misisse plenos fallacia et astu, dicentem se tempore judicii libellos appellationis tradidisse nobis et sanctæ episcoporum hinc præsentium synodo, atque appellasse ad vestram sanctitatem: quod nequaquam ab eo factum est, sed hac quoque in **788** parte fefellit, velut pater mendacii, se vestris auribus subrepturum arbitratus. Commotus igitur, sanctissime pater, ob omnia quæ ausus est, et propter ea quæ adversus nos sanctissimamque Ecclesiam facta sunt atque fiunt, solita fiducia utere, sicut sacerdotio convenit, et vindicans communem rem sanctarumque Ecclesiarum compositionem, dignare per proprias quidem litteras suffragari depositioni canonice adversus eum factæ; confirmare vero et piissimi Christumque amantis nostri imperatoris fidem. Res namque solo indiget ex vobis impulsu atque subsidio, quod per vestram prudentiam ad tranquillitatem et pacem cuncta statim translaturum est. Sic enim et quæ insurrexit hæresis, et ob eam excitatus tumultus facile cassabit, Deo cooperante, per vestras sacras litteras: prohibebitur vero et quæ evulgatur futura esse synodus; ut ne sanctissimæ totius orbis Ecclesiæ perturbentur. Omnem quæ tecum est fraternitatem ego quique mecum sunt, salutamus. Sanus in Domino ac pro nobis orans, doneris nobis, Deo dilectissime et sanctissime pater.

ἐξιλεώσασθαι, καὶ τὴν ὑμετέραν καρδίαν [1] ὑφ' ὧν ἀδίκως λελυπημένην ἐπὶ τῇ αὐτοῦ πτώσει, διὰ μεταμελείας ἀληθοῦς θεραπεῦσαι· οὐ μόνον τοῦτο οὐ πεποίηκεν, ἀλλὰ γὰρ καὶ διὰ πάντων [2] διαταράξαι τὴν παρ' ἡμῖν ἁγιωτάτην Ἐκκλησίαν ἐσκεύασται· προθέματα προτιθεὶς δημοσίᾳ ὕβρεως καὶ λοιδορίας ἀνάμεστα· προσεπιτοὺτοις καὶ δεήσεις ἐπιδοὺς τῷ εὐσεβεστάτῳ καὶ φιλοχρίστῳ ἡμῶν βασιλεῖ, καὶ αὐτὰς πεπληρωμένας ἀλαζονείας καὶ προπηλακισμῶν, διὰ πάντων τοὺς θείους [3], καταπατῆσαι κανόνας πειρώμενος. ἀλλὰ τούτων οὕτω παρακολουθησάντων, γράμματα ἡμῖν ἀπεδόθη τῆς ὑμετέρας ὁσιότητος, διὰ τοῦ θαυμασιωτάτου κόμητος Πανσοφίου, δι' ὧν ἐδιδάχθημεν, ὡς ὁ αὐτὸς Εὐτυχὴς λιβέλλους ἐξαπέστειλεν ὑμῖν πεπληρωμένους πάσης ἀπάτης καὶ πανουργίας, ἐν τῷ καιρῷ τῆς κρίσεως λιβέλλους ἐπιδεδωκέναι ἐκκλήτους ἡμῖν καὶ τῇ ἐνδημούσῃ ἁγίᾳ συνόδῳ, καὶ ἐπικαλέσασθαι τὴν ὑμετέραν ὁσιότητα· ὅπερ οὐδαμῶς παρ' αὐτοῦ γέγονεν· ἀλλὰ καὶ κατὰ τοῦτο τὸ μέρος διέψευσατο, **787** ὡς ἂν δὲ πατὴρ ὢν ἐοῦ ψεύδους, συναρπάσαι τὰς ὑμετέρας ἀκοὰς οἰόμενος. Συγκινηθεὶς οὖν, ὁσιώτατε πάτερ, διὰ πάντα τὰ παρ' αὐτοῦ τολμηθέντα, καὶ διὰ τὰ εἰς ἡμᾶς καὶ τὴν ἁγιωτάτην [4] Ἐκκλησίαν γενόμενά τε καὶ λεγόμενα, παρρησίασαι συνήθως κατὰ τὸ πρέπον τῇ ἱερωσύνῃ· καὶ ἐξιλεωσάμενος τὸ κοινὸν [5] πρᾶγμα, καὶ τὴν τῶν ἁγίων Ἐκκλησιῶν κατάστασιν, συμψηφίσασθαι μὲν τῇ γενομένῃ κατ' αὐτοῦ κανονικῶς καθαιρέσει, δι' εἰκείων γραμμάτων κατάξιον στηρίξαι δὲ καὶ τοῦ εὐσεβεστάτου καὶ φιλοχρίστου ἡμῶν βασιλέως πίστιν. Μόνης γὰρ τὸ πρᾶγμα δεῖται τῆς παρ' ὑμῶν ῥοπῆς καὶ ἐντελήψεως, ὀφειλούσης διὰ τῆς οἰκείας [7] συνκινήσεως εἰς γαλήνην καὶ εἰρήνην [8] πάντα μετασκευάσαι. Οὕτω γὰρ καὶ ἡ ἐπαναστᾶσα αἵρεσις, καὶ ἡ δι' αὐτὴν ταραχὴ εὐμαρῶς καταργηθήσεται, τοῦ Θεοῦ συνεργοῦντος, διὰ τῶν ὑμετέρων ἱερῶν γραμμάτων· κωλυθήσεται δὲ καὶ ἡ θρυλλουμένη [9] γίνεσθαι σύνοδος, ὥστε μὴ τὰς ἁπανταχόσε ἁγιωτάτας Ἐκκλησίας διαταραχθῆναι. Πᾶσαν τὴν σὺν σοὶ ἀδελφότητα, ἐγώ τε καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ [10] προσαγορεύομεν. Ἐρρωμένος ἐν Κυρίῳ, καὶ ὑπερευχόμενος ἡμῶν [11] χαρισθείης ἡμῖν, θεοφιλέστατε καὶ ἀξιώτατε πάτερ.

[1] Ms. Bas., σφόδρα. Paulo post pro διὰ μετὰμελείας idem codex, διὰ μετανοίας.

[2] Ms. Bas., ταράξαι; et post pauca pro προτιθεὶς habet προθείς; et loco πρὸς ἐπὶ τούτοις habet πρὸς ἐπὶ τούτῳ.

[3] In marg. edit. Cotel.: Al., καταπατεῖν; et mox pro πειρώμενος in eodem margine: Al., καὶ πάσης ἀληθείας κατεπαιρόμενος; cujus lectionis vestigium aliquod exstat in ms. Bas., τοὺς θείους κανόνας, κατὰ πάσης ἀπερώμενος.

[4] Ex ms. Bas. addidimus δὲ particulam expletivam, Græcis non infrequentem, cum præsertim eamdem in uno codice invenerit Cotelerius, qui idcirco notavit in margine: Al., οἷα δὲ. Mox vocem ἂν idem monuit alias deesse.

[5] Ita cod. Basil. Nescimus autem cur Cotelerio magis placuerit γενόμενά τε καὶ γενόμενα, et lectionem a nobis receptam ac in alio codice ab eodem inventam in marginem rejecerit; de præteritis enim sermo præcesserat, διὰ πάντα παρ' αὐτοῦ τολμηθέντα. Inficiari tamen non possumus lectioni a Cotelerio adoptatæ suffragari versionem antiquam, *facta sunt atque fiunt*. Mox in cod. Ven., παῤῥησιάσασθαι συνήθως καὶ κατὰ, etc

[6] Cod. Bas. delet πρᾶγμα. Post pauca idem cod., κανονικῇ καθαιρέσει.

[7] Vulg., συνέσεως. Melius cod. Ven. et alius Cotelerii notatus in margine, quorum lectionem expressit vetus interpres, *consensu proprio*. Concinit et ms. Bas., in quo συνεῤῥέσεως perperam scriptum est pro συνκινέσεως.

[8] Lectionem hanc optimam et verissimam acceptam referas mss. Bas. et Veneto. Ab alia vulgatorum, παρ' αὐτὰ μετασκευάσαι, quid elici queat bonæ frugis, haud sane videmus. Consonat emendationi antiqua versio, *cuncta perducere*. In marg. etiam edit. Cotel.: Al., πάντα.

[9] Ms. Ven., γενέσθαι. Idem paulo post, ἁπανταχοῦ pro ἁπανταχόσε.

[10] Cod. Ven., πλεῖστα προσαγορεύομεν.

[11] Ita omnino legendum cum mss. Bas. et Ven. Antiqua versio, *doneris nobis*, χαρισθῇς ἡμῖν, editorum repudiandum. In margine etiam alia Cotelerianæ lectionem nostram ex alio ms. emendatam invenies. Mox καὶ ἀξιώτατε deest in cod. Bas. et in alio Cotelerii, qui notavit in marg.: Forte ἁγιώτατε.

Digitized by Google

789 EJUSDEM EPISTOLÆ FLAVIANI
Antiqua versio [a].

Synopsis. — I. *Partes episcopi explicat. Errorem Eutychis exponit.* — II. *Quænam acta sint contra ipsum in synodo.* — III. *De mentita appellatione Eutychis ad apostolicam sedem. Damnationis ejus confirmationem petit.*

Sanctissimo et beatissimo patri et consacerdoti LEONI FLAVIANUS in Domino salutem.

CAP. I. — Pietate et recta prædicatione verbi veritatis nihil honorabilius sacerdotibus, sicut nosti, Deo amantissime. Omnis enim nostra spes atque salus et retributio promissorum bonorum in his est. Propterea omnia facienda a nobis sunt, et laborandum pro vera fide et expositionibus dogmatibusque sanctorum Patrum : quatenus per omnia et inter omnes concussiones rerum integra hæc et inviolata serventur et custodiantur. Necessarium itaque fuit nunc, etiam videntes nos lædi orthodoxam fidem, et renovari Apollinaris et Valentini hæreses ab Eutyche monacho, non hoc despicere, sed in aperto hoc pro cautela populi revelare. Iste enim, [b] iste Eutyches absconditum in se languorem malæ sectæ retinens, insiliens nostræ mansuetudini, inverecunde et impudenter in multos impietatem propriam præsumpsit inferre, dicens : *Ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri Jesu Christi duas naturas esse, divinitatis et humanitatis;* [c] *post unitatem vero, unam naturam factam ;* neque sciens quod dicit, neque de quibus affirmat. Neque enim unitas convenientium in Christo duarum naturarum, [d] sicut et vestra religiositas novit, proprietates suas in unitate confudit, sed manent in unitate perfectæ naturarum proprietates. Adjecit autem et aliam impietatem, dicens : [e] *Corpus quod ex Maria factum est,* **790** *Domini non esse nostræ substantiæ, neque humanæ conspersionis; sed humanum quidem illud vocat, non tamen nobis consubstantiale, neque genitrici ejus secundum carnem.*

CAP. II. — Et hæc aiebat, cum in gestis Ephesi habitis a sancto et universali concilio, in epistola scripta ad impium damnatumque Nestorium aperte sic habeatur : *Quia diversæ quidem ad unitatem veram concurrere naturæ; unus autem* [f] *ex ambabus Christus et Filius : non tamquam naturarum differentia sit perempta propter unitatem, sed potius effecerit nobis* A *unum Dominum Jesum Christum, divinitatis et humanitatis* [g] *per ineffabilem et inintelligibilem ad unitatem concursionem.* Et hoc non latet tuam sanctitatem, dum omnino legerit gesta quæ Ephesi sunt confecta. Quæ pro nihilo ponens idem Eutyches arbitratur non se daturum pœnam præfinitam a sancto illo et universali concilio : quoniam per hæc multi simpliciores ex ejus eloquiis in fidei sermone læduntur. Accusatum vero eum a reverendissimo Eusebio, et occurrentem in sanctum concilium, et voce sua sectam propriam retegentem, alienumque existentem a recta fide damnavimus, sicut docebunt vestram sanctitatem omnia quæ super eo sunt gesta, quæque direximus cum nostris his litteris. Justum autem est et hoc vobis, sicut arbitror, intimari : quia idem Eutyches passus B justam canonicamque damnationem, cum debuisset secundis salvare priora, et per pœnitentiam perfectam multasque lacrymas placare Deum, nostrumque cor vehementer contristatum in ejus ruina, per veram sanare pœnitentiam : non solum hoc non fecit, sed etiam per omnia conturbare sanctam quæ apud nos est Ecclesiam festinavit, propositiones injuriarum publice ponens et maledictionibus plenas; super hæc et preces offerens piissimo [h] et Christi amantissimo nostro imperatori, et easdem arrogantia et petulantia plenas, per omnia divinas regulas conculcare conatus.

CAP. III. — Sed his ita [i] secutis, litteræ nobis datæ sunt vestræ sanctitatis per admirabilem comitem Pansophium, per quas sumus edocti, quia idem C Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia atque **791** calliditate, dicens : Judicii tempore libellos se dedisse appellationis et nobis et hic convenienti sancto concilio; et appellasse vestram sanctitatem : quod nequaquam ab eodem factum est; sed etiam [j] in hac parte mentitus est, [k] tamquam per fallaciam mendacii subrepere se sanctis vestris auribus putans. Commotus itaque, sanctissime pater, in his omnibus quæ ab eo præsumpta sunt, et ob ea quæ in nos et sanctissimam Ecclesiam facta sunt atque fiunt, [l] consuete fiducialiter age, secundum quod sacerdotio competit, propriamque faciens communem causam et sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere [m] in damnationem adversus eum regulari-

[a] Hæc versio in mss. collect. 17 Chalcedonensis invenitur, et exinde manavit in codd. collect. 22, cui epistolæ collectionis Chalcedonensis additæ fuerunt.

[b] Ex nostris codd. et Baluzii supplevimus repetitionem vocis *iste*, quam et Græcus textus approbat.

[c] Sic omnes codices. Vulgati in margine, *post unitatem*. Cæterum *unitatem* dictum frequenter pro *unitionem*, quæ in Græco significatur.

[d] Locus a Quesnello recte emendatus ex codice Vaticano, cum antea sine ullo sensu legeretur, *sicut et ea re proprietates*. Hanc emendationem non tam Baluzii et nostri codices, verum etiam Græcus textus confirmat. Dein, *in unitate perfecta*, cod. Chig.

[e] Sic iidem veteres codices. Vulgati editorum arbitrio, *Corpus Domini, quod ex Maria factum est, non*, etc.; ac mox, *conspersionis*. Antiquam lectionem emendare noluimus.

[f] Ita ex antiquissimo Veronen. collect. 17, cui et Græcus textus respondet. Alii codd. cum Quesn., *ex ambobus Christus Dei Filius*. In editis Concilior., *ex ambabus Christus Dei Filius*.

[g] Quesnellus omisit *per*; in omnibus autem quinque nostris codd. legitur.

[h] Cod. Veron., *et Christianissimo*.

[i] Quesnel. cum edit. Concilior., *gestis*. Omnia et nostra et Baluzii exemplaria prætulimus.

[j] Quidam codd. et editi ante Quesn. post *etiam* addunt *et*.

[k] Legebat interpres, οἷα δι' ἀπάτης τοῦ ψεύδους, cum sit in textu οἷα (nos adjecimus δή) πατὴρ ὢν τοῦ ψεύδους, *velut pater mendacii existens*. Hæc Cotelerius.

[l] Ita omnes codd. Quesn. cum editis Concilior., *pro consueta fiducia fiducialiter age*.

[m] Cod. Chig. et in margine edit. Concilior., *in*

Digitized by Google

ter factam, et per propria scripta dignare; confortare autem et piissimi et Christo amantissimi nostri imperatoris fidem. Causa enim eget solummodo vestro solatio atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem et pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit, et turbæ quæ [a] propter eam factæ sunt, facillime destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas litteras. Removebitur autem et concilium quod fieri divulgatur: quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ. Omnem quæ vobiscum est fraternitatem ego et qui mecum sunt salutamus. Incolumis in Domino, et orans pro nobis, doneris nobis, religiosissime et sanctissime pater.

792 EPISTOLA [b] XXVII.

[c] AD FLAVIANUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

SYNOPSIS. — *Flavianum de receptis ejus litteris monet; gesta per eum adversus Eutychem laudat; sollicitudinem suam spondet.*

LEO FLAVIANO episcopo Constantinopolitano.

Pervenisse ad nos tuæ dilectionis [d] epistolas, ut primum venientis filii nostri honorabilis viri Rodani opportunitatem reperimus, indicamus: quæ nos de causa facerent certiores, quam apud vos pravo dolemus errore commotam. Quoniam aliter de fide quam convenit hic qui dudum religiosi videbatur propositi esse sentiret, quem a traditione catholica non decuerat deviare, sed in eadem quæ tenetur ab omnibus credulitate persistere. Verum de hac re [e] plenius per eum qui ad nos tuæ dilectionis portavit epistolas rescribimus: ut fraternitatem tuam quid de tota causa constitui debeat instruamus. Non enim patimur aut illum in suæ persuasionis pravitate persistere, aut dilectionem tuam, quæ zelo fidei, pravo et stulto resistit errori, diutina adversæ partis impugnatione turbari. Supradictum vero filium nostrum, per quem has epistolas dedimus, hac volumus qua dignum est affectione suscipias, et eo ad nos remeante rescribas. Data duodecimo kalendas Junias Asturio et Protogene coss.

damnatione adversus eum regulariter facta. Edit. Concil., *damnationem*, sine præpositione *in*.

[a] Editi et plerique codd., *propter eum*. Emendavimus ex antiquissimo ms. Veronen., cui et Græcus textus cohæret.

[b] Al. 22. Quæ autem antea 27 erat, nunc 31. Scripta 21 Maii an. 449.

[c] Edita fuit hæc epistola a Quesnello ex codice Grimanico, eamque nullibi in nostris mss. reperire potuimus.

[d] Intelligit epistolam 22, quam primo scriptam a Flaviano in admonitione eidem præmissa ostendimus.

[e] Nimirum sequenti epistola 28. Post pauca Quesnellus, *patiemur*. At codex Grimanicus, ex quo uno hanc epistolam habemus, teste P. Cacciario, præfert *patimur*.

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. Inter omnia Romanorum pontificum decreta fidei, celeberrima est sequens S. Leonis ad Flavianum epistola, qua tota de Incarnatione controversia exacte discussa ac definita, contrariisque Nestorii et Eutychetis erroribus proscriptis, catholica doctrina ita accurate nedum sententiis, sed etiam vocibus declarata invenitur, ut *quidquid in ea scriptum est, ex apostolica et evangelica probetur sumptum esse doctrina* (*Epist.* 152). Jam S. Flavianus, cui explorata erat apostolicæ sedis auctoritas, præmonuerat, rem hanc, Eutyche post Constantinopolitanum judicium turbas commovente, *solo indigere* pontificio *impulsu atque subsidio* quo *cuncta ad tranquillitatem et pacem statim transferrentur* (*Epist.* 26). Enimvero ut primum transmissa in Orientem, post Ephesinum latrocinium, in quo per fraudem et vim suppressa fuerat ne legeretur, in lucem edita est, mox suscepta et subscripta fuit ab omnibus, ita ut haberetur universim tamquam regula fidei, ac veluti lydius lapis ex quo catholici ab hæreticis discernerentur. Ita porro apparuit pontificiam definitionem sufficere, nec opus esse generali concilio, ut Flavianus etiam monuerat (*Epist.* 26), cum etiam sine concilio, et antequam haberetur synodus Chalcedonensis, tota Ecclesia illam susceperit, eidemque episcopi suas subscriptiones apposuerint, non ut vim et auctoritatem illi adjicerent, sed ut se catholicos probarent, et ne, si renuerent, hæretici haberentur. Jam enim vulgatum fuerat, quod postea omnes *reverendissimi episcopi clamaverunt* in Chalcedonensi, act. 4, pag. 1403: *Qui non consentit epistolæ sanctissimi episcopi Leonis, hæreticus est.* Porro in eodem concilio, quo Ephesini latrocinii gesta rescindenda erant, maximis cum laudibus suscepta fuit act. 2 et 4, eoque honore habita ac si ab ipso Petro edita fuisset: quod et antequam ederetur, Petrus Chrysologus apostolicæ auctoritatis callentissimus, observandum ac tenendum prædixerat epist. 25. Nihil pro apostolicarum definitionum auctoritate illustrius hoc totius Ecclesiæ ac generalis synodi testimonio, quod Petrum in successoribus viventem et loquentem agnoscit. In Romana synodo sub Gelasio pronuntiatum fuit anathema, Si quispiam de hujus epistolæ textu *usque ad unum iota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit* (*Tom. V Concil. Ven. edit. pag.* 387). Et S. Gregorius, lib. VI, epist. 2: *Si quis contra harum quatuor synodorum fidem, et contra sanctæ memoriæ Leonis papæ tomum atque definitionem aliquid umquam loqui præsumit, anathema sit.*

2. Hinc in fidei professionibus nihil frequentius quam post generalia concilia hujus epistolæ doctrinam profiteri. Apud Orientales, ubi Eutychis hæresis turbas excitaverat, hæc consuetudo primum inducta, ut liquet inter cætera ex aliquot epistolis Hormisdæ, ex epistola Petri diaconi ad Fulgentium, et ex concilio Apamensi an. 535. Idem mos etiam ad Occidentales transivit, et diu etiam obtinuit. Vide professionem Adelberti episcopi Morinensis ad Hincmarum Remensem ex Sirmondo editam tom. X Concil. Venetæ editionis p. 1388, et sponsionem episcoporum provinciæ Aquileiensis ad Paulinum patriarcham e ms. Vat. 1322 editam a Patre Bernardo de Rubeis in Monumentis Ecclesiæ Aquileien. ad an. 801, pag. 380. Cum S. Amatus abbas jam moriturus professionem fidei edere vellet, hanc epistolam ad se afferri, et sibi legi jussit, *quoniam in ipsa plenissima ratio fidei catholicæ continetur*, quemadmodum tradit ejus Vitæ auctor, n. 24, tom. II, sæcul. Benedictini II, pag. 126.

3. Inter divina officia olim in Romana Ecclesia tempore Adventus publice legebatur hæc epistola, unde eam descriptam invenimus in Lectionariis quæ usui erant basilicæ Vaticanæ, nec non in alio vetustissimo quod ad SS. Philippi et Jacobi basilicam pertinebat. Hinc in Ordine Romano XI, apud Mabillonium (*Tom. II Mus. Italic. p.* 123), qui a Benedicto canonico basilicæ S. Petri, sæculo XII, scriptus fuit, in Dominica 3

Digitized by Google

Adventus habetur : *Deinde episcopi legunt quartam et quintam lectionem de epistola S. Leonis papæ missa Flaviano episcopo de Incarnatione Domini contra Eutychen hæreticum.* Idipsum in aliis Italiæ Ecclesiis receptum didicimus ex quampluribus mss. Lectionariis aliarum urbium, quæ eamdem epistolam aliis atque aliis diebus eodem Adventus tempore exhibent. Ex ms. bibliothecæ Regiæ Quesnellus collegit (*Diss. 1 ad an.* 449, n. 9), idem olim factitatum esse in Galliarum Ecclesiis, quod confirmari potest ex Lectionario S. Benigni Divionensis, quo Chiffletius usus est, cum eamdem epistolam edidit in calce operum Vigilii Tapsensis, nec non ex monumentis Gallicanis, quæ a P. Martene laudantur De Antiquis monachorum Ritibus, lib. III, c. 2. Ex hujusmodi autem Lectionariis traducta fuit in aliquot collectiones Sermonum S. Leonis, quæ ex Lectionariis originem ducunt.

4. Cum Gennadius, c. 70, Leonem inter ecclesiasticos scriptores retulit, hujus tantum epistolæ fecit mentionem, eo quod hæc super omnia ejus opera vulgatissima esset. Hinc autem eum certum ejusdem epistolæ auctorem procul dubio existimavit. Quod si vulgatæ ejusdem editiones Miræi, Fabricii atque Vallarsii, c. 84, in Prospero habent : *Epistolæ quoque papæ Leonis adversus Eutychen de vera Christi Incarnatione ad diversos datæ, et ab ipso dictatæ dicuntur*, corruptam lectionem *et* fucum facere, et legendum *ei*, id est Prospero, *ab ipso* scilicet Leone *dictatæ*, Quesnellus contendit; Prosperum enim Leonis *notarium* fuisse Ado in Chronico scripsit. At emendatiores editiones et mss. nec *et*, nec *ei* præferre, sed tantum *ab ipso dictatæ creduntur*, pronuntiat Antelmius, epist. 2, n. 28 et 30. In ms. quidem antiquissimo capituli Veronensis, signato num. 46, sic legimus : *Ab isto dictatæ creduntur*, uti ex Gennadio Marcellinus in Chronico retulit. Id tamen Gennadius non ex sua, sed ex Gallorum, inter quos versabatur, opinione tradidit : facile autem evenire solet ut quæ opinione vulgari feruntur, augeantur vel etiam immutentur.

5. Enimvero Leonis, non autem Prosperi hanc et cæteras in Eutychen epistolas esse evidenter ostendit stylus, qui aliis Leonis Operibus similis, a stylo Operum Prosperi apertissime discrepat. Neque harum epistolarum auctor astrui potest Prosper, quin auctor simul dicatur cæterorum omnium Leonis Operum, ita ut ab initio ejus pontificatus usque ad finem omnes ejus non tam epistolas quam sermones scripserit, et eo quidem stylo, qui a suorum Operum stylo differret : quod sane incredibile dictu est, nec Gennadii textus, nec vulgata apud Gallos opinio prodidit; immo nec ipse Antelmius, quoad sermones, ausus est affirmare, ut patet ex eadem epist. 2, n. 40. Solum dici potest S. Prosper in has adversus Eutychen epistolas, quæ peculiare Scripturarum et verborum studium exigebant, aliquid diligentiæ ac subsidii contulisse; ex quo aliqui eas ab ipso *dictatas* crediderunt, et in Gallicani scriptoris gloriam apud Gallos vulgarunt.

6. Quantum porro intersit, ut tam celebris dogmatica epistola emendatissima, quoad fieri potest, edatur, cum per se satis intelligitur, tum vero demonstrant etiam luculentius illa trium episcoporum Galliæ ad Leonem epist. 67, c. 2 : *Idcirco si dignanter admittitis, deprecamur ut opus et præsentibus et futuris temporibus profuturum* (de hac epistola loquuntur), *quod nos asservandi studio foliis mandare curavimus, sanctitas vestra percurrere, et si quid librarii errore defuerit, emendare dignetur.* In hanc rem perficiendam codices triginta et amplius expendimus, et inter hos sex vetustissimos, qui millenariam ætatem attingunt. Cum hæc epistola invenitur in omnibus collectionibus, quas in præfatione recensuimus, exceptis collect. 4, 6, 7, 14, 15 et 16, tum vero ad præcipuos cujusque collectionis mss. libros eamdem relegimus, inter quos vetustissimi sunt Vat. Reg. collect. 1, Vat. 1342 collect. 3, Vindebon. collect. 5, Vat. 5845 collect. 8, Vat. Ottobon. 93 similis, Vat. 3791 collect. 11, qui duo bis ex diversis fontibus eamdem epistolam exhibent; Vat. 1322 et Veron. 57 collect. 17, et Ratispon. collect. 19. Cæteros inferioris ætatis codices in annotationibus, ubi opus erit, memorabimus. Inter Lectionaria relegimus antiquissimum Vat. 3836. Addendi sunt præterea duo alii codices millenarii, Veronensis 8, in quo hæc epistola Leonis post epistolas canonicas describitur, et alius Veronen. 58, qui hanc epistolam ante quædam documenta synodi Chalcedonensis repræsentat. Cum primam hujus epistolæ editionem citabimus, intelligimus primam editionem Sermonum S. Leonis, cui hæc epistola inserta est ante sermones de Nativitate ex ms. codice collectionis tertiæ eorumdem Sermonum. Accedent tandem præter codices Quesnelli alii quatuor a Baluzio adhibiti, nimirum Colbertinus 2574, Parisien., Divionen. et Corbeiensis, quorum tres postremi collectionem 17 Chalcedonensem continent.

7. Antiquissimam Græcam versionem, quæ lecta et inserta fuit act. 2 synodi Chalcedonensis, primus edidit Joannes Leunclavius ex bibliotheca Sambuci Basileæ an. 1578, postea ex aliis mss. Gerardus Vossius præpositus Tungrensis in calce Operum S. Gregorii Thaumaturgi an. 1604; dein vero Romani Conciliorum editores an. 1608, et a Romanis alii posteriores Conciliorum collectores. Græcum textum exegimus ad perantiquum ms. 19 monachorum S. Basilii Romanæ urbis, cui æqualis videtur codex Coislinianus 211 (*Bibl. Coislin. pag.* 269), a Montfauconio laudatus, ex quibus hanc unicam Romanorum pontificum epistolam Græcæ collectioni Canonum insertam discimus (id præcipuam hujus epistolæ apud Græcos celebritatem testatur), et ad codicem Venetum S. Marci 164, codici 555, omnino similem, qui Græcam collectionem Chalcedonensem complectitur; nec non ad alium item Venetum 165, qui nonnullas ejusdem collectionis partes continet. Hos ut distinguamus, codicem 164 primum ms. Venetum appellabimus, secundum vero codicem 165. Cum vero hæc epistola in his Venetis codicibus duplici loco legatur, primum inter epistolas ante gesta, dein in ipsis gestis concilii, in quo lecta fuit; nonnumquam utrumque textum ejusdem codicis contulimus, et idcirco variantes lectiones primo vel secundo loco exhibitas allegabimus.

8. Hac occasione dicendum est aliquid de testimoniis Patrum, quæ huic epist. 28 ad Flavianum in editis Conciliorum act. 2 Græce et Latine subjecta inveniuntur. His testimoniis editores Romani hanc notatiunculam præfixere : *Pleraque hæc sanctorum Patrum testimonia a S. Leone adjuncta sunt epistolæ ipsius* 97 (nunc 165) *ad Leonem Augustum, sed in aliquibus Græcis codicibus concilii hujus inseruntur etiam hoc loco*, nimirum post laudatam epistolam ad Flavianum. Hæc autem Stephanus Baluzius intelligens de actione secunda notavit : *Hæc* testimonia *non exstant in codicibus mss., neque in antiquis editionibus : ac tamen etsi in aliquibus Græcis, ut monent editores Romani, inserantur in hoc loco, puto tamen lecta non fuisse in synodo, adeoque frustra descripta esse in his gestis, in quibus nulla horum testimoniorum mentio est, sed epistolæ tantum.* Omnem vero difficultatem sustulit observatio trium Græcorum exemplarium Chalcedonensium, quæ memoravimus e bibliotheca Veneta S. Marci. Cum enim in his laudata ad Flavianum epistola, ut innuimus, bis proferatur, nimirum ante gesta, et in ipsis gestis; memorata testimonia Patrum non subjiciuntur epistolæ gestis insertæ, ut a Romanis edita sunt; sed describuntur post epistolam quæ ante gesta exhibetur. Nec dubitamus quin in ipsis Græcis codicibus editorum Romanorum, qui præferebant pariter hanc epistolam etiam ante gesta, ut liquet ex titulo ab iisdem proposito ante ipsa gesta cap. 7 (*Tom. IV Concil. pag.* 782), non dubitamus, inquam, quin eadem testimonia similiter legerentur post epistolam ante gesta descriptam. Solum, sicuti istam prætermittendam putarunt in documentis ante ipsa gesta, nè eamdem iterum in gestis repeterent; ita ea testimonia epistolæ gestis insertæ appendenda censuere : de quo cum non admonuissent lectores,

Digitized by Google

difficultati a Baluzio inductæ causam dedere. Cautius se gessit Rusticus diaconus, cum omissa hac epistola ante gesta, *eo quod in gestis*, inquit, *inserta sit* (*Tom.* IV *Concil. pag.* 1982); testimonia quoque eidem subjecta præternisit citius quam epistolæ gestis insertæ subjiceret. Hinc autem factum est ut hæc testimonia in Latinis codicibus collectionis Chalcedonensis, quæ a Rustico prodeunt, ante gesta non inveniantur; in gestis vero absint, eo quod in iisdem locum non habeant.

9. Cæterum eadem testimonia, quæ in Græcis codicibus leguntur post sequentem epistolam, auctorem habere S. Leonem, non minus quam illa quæ post epist. 165 ad Leonem Augustum descripta dabuntur, nihil est dubitandum. Non solum enim eadem utrobique sunt, si exigua quædam excipias: sed præterea liquet ex epist. 71 fuisse collecta post pseudosynodum Ephesinam, atque Abundio et Asterio episcopis, Basilio et Senatori presbyteris Constantinopolim missis ab ipso pontifice tradita, ut doctrinam epistolæ ad Flavianum Græcorum et Latinorum Patrum auctoritatibus confirmarent; eademque una cum ipsis litteris in Constantinopolitano conventu a legatis fuisse producta ante synodum Chalcedonensem, manifestum est ex epist. 88. Hinc nihil mirum si hæc testimonia in documentis Græcis ante gesta Chalcedonensia laudatæ epistolæ subjecta fuerint, licet primum ejusdem epistolæ exemplum iisdem caruerit: unde nec a nobis eidem subjicienda sunt. Cum vero apud Latinos nullum exemplum hactenus inventum sit in quo hæc testimonia post epistolam ad Flavianum describantur, sed ea separatim edita et inserta occurrant in nonnullis antiquis Latinorum collectionibus, nimirum in collect. 5 Quesnelliana cap. 41, ubi ea descripta reperies tomo tertio, et in mss. collect. 3 cap. 82, nec non in codice Veronensi 58 cap. 37, satis probabile est solos Græcos, qui ea simul allata et allegata acceperant in Constantinopolitano conventu exemplaria scripsisse, in quibus ea epistola una cum testimoniis legeretur, ac exinde in Græcos codices ante gesta Chalcedonensia utraque simul traduxisse. Ex his autem apparet quam perperam P. Garnerius horum testimoniorum collectionem Theodoreto tribuerit, de quo tamen plura in observationibus ad notam ultimam Quesnelli. Inter testimonia autem a Leone collecta primo loco occurrunt tria satis prolixa sumpta ex Hilario; et hunc quidem Latinum scriptorem Græcis antea incognitum, ex notitia testimoniorum Leonis inter Patres catholicæ fidei assertores præcipuo honore in Chalcedonensi synodo a Cecropio Sebastopolitano episcopo allegatum credimus (*Act.* 2, *tom.* IV *Concil. pag.* 1207).

EPISTOLA [a] XXVIII.

[b] AD FLAVIANUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM CONTRA EUTYCHIS PERFIDIAM ET HÆRESIM.

SYNOPSIS (*Ex collectione Hispanica*). — I. *Quod ignorantia sanctarum Scripturarum Eutychen hæreticum fecerit.* — II. *Contra eos qui in duos filios dispensationis Dominicæ mysterium scindere moliuntur.* — III. *Contra eos qui passibilem Divinitatem unigeniti Filii Dei audent asserere.* — IV. *Contra eos qui in duas naturas Christi temperamentum vel confusionem argumentantur.* — V. *Contra eos qui cœlestem aut alterius cujusque substantiæ existere formam servi, quam ex nobis assumpsit, insaniendo asserunt.* — VI. *Contra eos qui duas quidem ante adunationem naturas Domini delirant, unam vero post adunationem confingunt.*

801 [c] LEO episcopus, dilectissimo fratri FLAVIANO Constantinopolitano episcopo.

CAP. I. *Præsumptio et imperitia Eutychen in errorem impulerunt.* — Lectis dilectionis tuæ [d] litteris, quas miramur fuisse tam seras, et gestorum episcopalium ordine recensito, tandem [e] quid apud vos scandali contra integritatem fidei exortum fuisset agnovimus; et quæ prius videbantur occulta, nunc nobis reserata patuerunt. Quibus Eutyches, qui presbyterii nomine honorabilis videbatur, multum [f] im-

802 [1] Τῷ ἀγαπητῷ Φλαυιανῷ Λέων.

Ἀναγνόντες τὰ γράμματα τῆς ἀγάπης τῆς σῆς, ἅπερ οὕτω βραδύτατα γεγενῆσθαι θαυμάζομεν, [2] καὶ τῇ τάξει τῶν ὑπομνημάτων ἐγύψαντες (sic), ἤ τις ἐπὶ τῶν ἐπισκόπων ἐπράχθη, μόλις ποτέ τί τὸ παρ' ὑμῖν [3] σκάνδαλον ἀναφυὲν κατὰ τῆς ὑγιοῦς πίστεως, ἔγνωμεν· καὶ τὰ πρότερον λεληθέναι δοκοῦντα, νῦν ἡμῖν δῆλα γεγένηται, **804** δι' ὧν Εὐτυχὴς, ὁ [4] τῇ τοῦ πρεσβυτέρου προσηγορίᾳ τιμῆς ἄξιος νομισθεὶς, πολύ τις ἀσύνετος, καὶ [5] λίαν ἀμα-

[a] Al. 24. Quæ autem antea 28 erat, nunc 32. Scr. 13 Junii an. 449.

[b] Plerique codices vocant *Leonis rescriptum ad Flavianum*. In tabula collect. 5, num. 69, *Ejusdem ad Flavianum episcopum CP., de damnatione hæresis Eutychianæ.*

[c] In pluribus et antiquissimis mss. hæc inscriptio legitur: *Dilectissimo fratri Flaviano Leo.*

[d] Vindebon. collect. 5 et Vat. collect. 11 primo loco cum prima editione, *epistolis*. Mox in Vat. Hisp. et alio Vat. collect. 11 secundo loco, *sed gestorum*; in Vat. Isid., *sed et gestorum.*

[e] Editi ante Quesn., *quid apud vos scandali contigerit, atque contra integritatem*, etc. Voces *contigerit atque* delevit Quesnellus, *quia*, inquit nota 2, *superflua sunt et desunt tam in Græca versione quam in omnibus codd. mss.* Eas tamen Baluzius reperit in cod. Corb., in antiquis exemplaribus concilii v, et in Colbertino; nos autem præterea invenimus in vetustissimis mss. Veron. 57, Vat. 1322, nec non in alio Vat. 1323, atque in Chigiano 483 collectionis Chalcedonensis; item in Vat. collect. 3, in mss. collect. 8, in Hisp. et Isid. aliisque hinc derivatis. Absunt autem a Veron. 8, a Vat. Reg. collect. 1, a Vindeb. collect. 5, a Ratisponensi, ab antiquissimo Lectionario Vat. 3836, ab exemplo primæ editionis, aliisque exemplaribus, quæ a Lectionariis proveniunt; et, ut omittamus codices trium posteriorum collectionum atque Sichardum, desunt etiam in duobus mss. Baluzii Paris. et Divion. collect. Chalcedon. Hinc nihil in Quesnelli lectione immutandum credidimus. In perantiquo cod. Veron. 58 sic legitur: *Quid apud vos scandali contigerit, contra integritatem fidei exortum fuisse cognovimus.*

[f] Veronen. 8, *impudens*. Vide not. 3 Quesn. Mox, *nimium imperitus* in Vat. Reg. collect. 1.

[1] Ms. Bas., τῷ ἁγιωτάτῳ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ Φλαβιανῷ Λέων.

[2] In ms. Bas., καὶ τῇ πράξει τῶν ὑπομνημάτων; in marg. itidem edit. Rom., πράξει.

[3] Ita posuimus ex mss. Ven. et Basil. Atque hanc veram lectionem esse evincit plane articulus τὸ, qui præcedit. In edit., σκάνδαλον ἀνεφύη.

[4] Antea vulg. Conciliorum in textu, τῆς τοῦ πρεσβυτέρου προσηγορίας καὶ τιμῆς ἄξιος νομισθείς; et in marg. edit. Rom., τῇ τοῦ πρεσβυτέρου προσηγορίᾳ τιμῆς εἶναι ἄξιος. In alio ms. Veneto, quod ad distinctionem alterius jam supra laudati secundum hic et deinceps appellabimus, ubi hæc epistola bis invenitur, ita habetur primo loco, τῇ τοῦ πρεσβυτέρου προσηγορίᾳ τιμῆς εἶναι ἄξιος νομισθείς; secundo vero, τῆς τοῦ πρεσβυτέρου προσηγορίας τιμῆς τε καὶ ἀξίας ἄξιος νομισθείς. Textum emendavimus ex cod. Vat. Græco 1341.

[5] Deest λίαν in ms. Bas.

Digitized by Google

prudens et nimis imperitus ostenditur, ut etiam de ipsō [a] dictum sit a propheta : *Noluit intelligere, ut bene ageret; iniquitatem meditatus est in cubili suo* (*Ps.* xxxv, 4). **803** [b] Quid autem iniquius quam [c] impia sapere, et sapientioribus doctioribusque non cedere? Sed in hanc insipientiam cadunt qui cum [d] ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas litteras, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt; et ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris novi et veteris Testamenti paginis acquisivit, [e] qui ne ipsius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regenerandorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur.

A ὡς ἀποδείκνυται· ὡς περὶ αὐτοῦ προφήτου εἴρησθαι. Οὐκ ἠβουλήθη συνιέναι τοῦ ἀγαθῦναι, ἀδικίαν ἐμελέτησεν ἐπὶ τῆς κοίτης αὐτοῦ· τί δ' ἂν ἀδικώτερον εἴη τοῦ τὰ ἀσεβῆ φρονεῖν, καὶ τοῖς οὐ φρονοῦσι, καὶ σοφωτέροις μὴ εἶκειν; εἰς τὴν ἄνοιαν δὲ ταύτην ἐμπίπτουσιν, οἳ κατά τι μὲν ἐμπόδιον ἀσαφείας γνῶναι τὸ ἀληθὲς κωλυόμενοι, οὐκ ἐπὶ τὰς προφητικὰς δὲ φωνάς, [f] οὐκ ἐπὶ τὰς τῶν ἀποστόλων γραφάς, οὐκ ἐπὶ τὰς εὐαγγελικὰς αὐθεντίας, ἀλλ' ἐφ' ἑαυτοὺς ἀνατρέχοντες· καὶ διὰ τοῦτο διδάσκαλοι πλάνης ἀναδεικνύμενοι· ἐπειδὴ τῆς ἀληθείας μαθηταὶ μὴ [g] γεγόνασι, ποίαν γὰρ ἀπὸ τῶν θείων βίβλων παιδείαν τῆς τε παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης προσέλαβεν, ὃς οὐδὲ αὐτοῦ τοῦ συμβόλου [h] τῶν προοιμίων ἔδράξατο; καὶ ὅπερ ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τῇ φωνῇ πάντων τῶν ἀναγεννωμένων προφέρεται, τοῦτο κατὰ νοῦν ἔτι τούτου τοῦ γέροντος B οὐ λαμβάνεται.

Cap. II. *De duplici Christi nativitate et natura.* — Nesciens igitur quid deberet de Verbi Dei incarnatione sentire, nec volens ad promerendum intelligentiæ lumen, in sanctarum Scripturarum latitudine laborare, illam saltem communem et indiscretam confessionem sollicito [i] recepisset auditu, qua fidelium universitas profitetur : Credere se in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto et Maria Virgine. Quibus tribus sententiis **805** omnium fere hæreticorum machinæ destruuntur. Cum enim Deus et omnipotens [k] et Pater creditur, consempiternus eidem Filius demonstratur, in nullo a Patre differens, quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de æterno natus est coæter-

Ἀγνοῶν τοίνυν τί δέοι περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Θεοῦ λόγου νοεῖν, καὶ τῶν θείων γραφῶν ἐν τῷ πλάτει πονεῖν οὐ βουλόμενος, ὅπως ἂν τοῦ φωτὸς τῆς ἐντεῦθεν γνώσεως ἄξιος γένηται, ἐκείνην γοῦν ὤφειλε τὴν κοινὴν, καὶ μὴ διαφωνοῦσαν ὁμολογίαν ἐν ἀκροάσει περιμερίμνῳ ποιήσασθαι, ἣν τῶν πιστῶν ἅπαν **806** τὸ πλῆθος ὁμολογεῖ, πιστεύειν [l] ἑαυτὸ [m] εἰς Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, καὶ εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, [n] τὸν Υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν Κύριον ἡμῶν· τὸν τεχθέντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου. Δι' ὧν τριῶν ἀποφάσεων [o] τὰ πάντων σχεδὸν αἱρετικῶν κοταλύεται μηχανήματα. Ὁπότε γὰρ Θεὸς, καὶ παντοκράτωρ, καὶ [p] Πατὴρ εἶναι πιστεύεται, συναΐδιος αὐτῷ καὶ [q] Υἱὸς ἀποδείκνυται, ἐν οὐδενὶ τοῦ Πατρὸς διαφέρων· ἐπειδήπερ ἐκ Θεοῦ Θεὸς, ἐκ παντοκράτορος παντοκράτωρ, ἐξ ἀΐδιου γεννηθεὶς [r] συναΐδιος, C

[a] Duo codd. Baluzii et quinque nostri collect. Chalcedon., *prædictum sit*. In Veron. 58, *de eo prædictum sit*.

[b] 24, qu. 3, *Quid autem iniquius*, c. 30.

[c] Cod. Ratisp., *iniqua*. Mox idem Ratisp. cum Veronensibus 8 et 57, atque mss. collect. δ, *doctoribusque non credere*. Quinque alii nostri libri mss. diversarum collectionum cum duobus Baluzii et editis ante Quesn., *doctioribusque non credere*. Cæteri ut in textu. Confer not. 4 Quesnelli.

[d] Sex codices, *ad agnoscendam*. Dein, *obstaculo* pro *obscuro* in quatuor nostris mss. Primo editio, *obscuro obstaculo*. Vide not. 5 Quesnelli.

[e] Aliqui probæ notæ codices cum editis ante Quesn., *qui nec*; Vat. 1322, *si nec*. Paulo post iidem editi, *regeneratorum*. Quesnellus emendavit ex omnibus suis codicibus, quibus et nostri suffragantur. Vide notam ejus 6.

[f] Editi ante Quesn. cum mss. collect. 24 et Sichardo, *apprehendisset*. Vide not. 7 Quesn. Mox *quam fidelium* in omnibus codicibus collect. Chalcedon., tum nostris, tum Baluzii, et in aliis nonnullis. Dein, *ex Maria* pro *et Maria* in vulgatioribus editis et in quinque nostris exemplaribus; quæ lectio in aliquot codicibus similiter reperitur aliquanto post. Cæteri omnes etiam potiores Quesnelli lectionem probant, de qua confer ejus not. 8. Post pauca, pro *destruuntur*, prima editio, *dissolvuntur*.

[g] Vulgati, *et æternus creditur Pater*. Quesnellus, etsi vocem *æternus* abesse vidit a plerisque et potioribus suis mss., retinendam nihilominus credidit, eo quod illam exigere videretur contextus; de quo vide ejus not. 9. At vix duo nostri codices hanc vocem præferunt. Nec plurima ac præstantiora exemplaria, quæ eamdem vocem omittunt, deserenda putavimus; cum præsertim hic S. Leo palam respiciat et quasi repetat illam primam Symboli particulam, qua (ut dixit paulo ante) fideles profitentur *credere se in Deum Patrem omnipotentem*, ubi vox *æterni* non exprimitur. Monemus vero quatuor præstantissimos codd. Veron. 57 et 58, Vat. 1322 ac Ratispon. præterire *et* ante *Pater*; tres alios pariter insignes Veron. 8, Vat. 3836 et Vat. Isid. delere eamdem particulam ante vocem *omnipotens*. Secuti sumus mss. Vat. Reg. collect. 1, Vercell. collect. 8. Vat. collect. 11, primo loco, Chigianum, quatuor Baluzii, ac exemplar primæ editionis, quibus Græca interpretatio concinit. In cod. Vat. collect. 24, nec non apud Merlinum atque Sichardum, *et omnipotens creditur, et Pater*. In Ilisp. et codd. collect. 21, *et omnipotens, et Pater creditur sempiternus, idem Filius demonstratur*. Vindebon. collect. 5, *et omnipotens, et Pater creditur, consempiternus et Filius demonstratur*.

[h] Omnibus his verbis, οὐκ ἐπὶ τὰς τῶν ἀποστόλων γραφάς, caret ms. Ven. primum.

[i] Ms. Ven. primum, γεγένηται.

[k] Cod. Ven. 1 et Basil., τοῦ προοιμίου.

[l] In ms. Ven. primo ἑαυτόν, in secundo utroque loco αὐτὸν, atque in Basil. optima utraque lectio; nil enim prohibet quin hoc accipias de ipso Eutychete. Nihil tamen mutamus, cum ἑαυτὸ æque bene referri possit ad πιστῶν τὸ πλῆθος, quod præcedit.

[m] Ms. Bas., εἰς Πατέρα Θεόν.

[n] Ms. Bas., τὸν μονογενῆ αὐτοῦ Υἱόν.

[o] Ms. Ven. primum, τὰ πάντα.

[p] In marg. edit. Rom., Πατὴρ ἀΐδιος εἶναι.

[q] Mss. Ven. primum et secundum, ὁ Υἱὸς ἀποδείκνυται.

[r] Ms. Bas., ἀΐδιος.

Digitized by Google

nus; non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non divisus essentia : idem vero sempiterni genitoris unigenitus sempiternus natus est de Spiritu sancto et Maria Virgine. Quæ nativitas temporalis illi nativitati divinæ et sempiternæ nihil minuit, nihil contulit, sed [a] totam se reparando homini, qui erat deceptus, impendit; ut et mortem vinceret, et diabolum, qui mortis habebat **807** imperium, sua virtute destrueret. Non enim superare possemus peccati et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet, et suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe est de Spiritu sancto intra uterum matris Virginis, quæ illum ita salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit.

Sed si de hoc christianæ fidei fonte [b] purissimo sincerum intellectum haurire non poterat, quia splendorem perspicuæ veritatis obcæcatione sibi propria tenebrarat; doctrinæ se evangelicæ subdidisset. [c] Et dicente Matthæo : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* 1, 1); apostolicæ quoque prædicationis expetisset instructum. Et legens in Epistola ad Romanos : *Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus* [d] *in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* 1, 1); ad propheticas [e] paginas piam sollicitudinem **809** contulisset.

[a] Plerique et vetustissimi quidem codices, *totum*, nimirum tres Veron. Vat. collect. 3, item Vat. Hisp. atque Isid., alius Vat. collect. 11 secundo loco, Ratisp. collect. 19 et omnes Latinæ collectionis Chalced., tum nostri, tum Baluzii, uno Divionensi excepto, in quo prima manu scriptum nihilominus fuerat *totam*, at secunda *totum*. Retinuimus vulgatam lectionem *totam*, quippe quam non solum nostri codices collect. 1, 5, 8, Vindebon. Hisp., Vat. collect. 11, primo loco, mss. collect. 21 et 24, nec non vetustissimum Lectionarium Romanæ Ecclesiæ Vat. 3836, cum exemplaribus primæ editionis, Merlini, atque Sichardi, sed Græca quoque interpretatio in Chalcedonensi concilio lecta approbant. Paulo post, *et jus diaboli*, in prima editione, et apud Vossium in margine; ac dein quidam codices et eadem editio addunt *nos* ante vel post verbum *superare*.

[b] Ratisp., *purissimum sincerum intellectum*. Melius in Vat. collect. 11, secundo loco, *purissimum, sincerumque intellectum*. Postea, *sibimet propria* in Veron. 58, *et tenebrabat* in Veron. 57 et Vindebon. Hisp.

[c] Addidimus *Et* mutata interpunctione, quæ meliorem sensum parit, ex Vindebon. collect. 5, Ratisp. et Vat. collect. 11, primo loco; quibus affinis est Græca versio. Facile autem hæc particula excidit ob concursum earumdem litterarum *et* in fine vocis præcedentis; quod antiquis librariis familiare est. Post pauca *instrumentum* pro *instructum* in eodem Vat. collect. 11, secundo loco. Vide not. 10 Quesn.

[d] Cod. Veron. 58, et duo Baluzii Colbert. ac Divion., *in Evangelio*.

[e] Quesnellus cum editis Leonis et nonnullis codd. inseruit *quoque*. Expunximus autem auctoritate plurium et potiorum nostrorum exemplarium, inter quæ præcipua sunt tria antiquissima Veron., unum Vindebon. collect. 5 et Ratisp. Ita etiam Baluzii codd. cum editis conciliorum. Mox quidam mss. libri apud Quesn. not. 11, *pia sollicitudine se contulisset*. Dein Vat. 1322 cum prima editione, *et inveniret;* cujus loco, omissa littera *t*, in Veron. 58, *et invenire*. Vulgati ante Quesn. cum mss. collect. 24 et alio collect. 21, *et invenisset*.

[1] Antea erat οὔτε μεταγενέστερος, quod non cuique probabitur. Melius certe quod posuimus ex ms. Basil., οὐ μεταγενέστερος. Lege totam pericopen et textum Latinum.

[2] Ms. Bas., ἀϊδίου φύσεως : quam lectionem lubentissime adoptassemus, nisi textus Latinus obstaret. Sequitur paulo post in eodem ms. : ἀλλ' ὅλον ἑαυτὸν ἐκένωσεν εἰς τὸ σῶσαι τὸν πεπλανημένον ἄνθρωπον. Lectio et hæc haud nihili facienda. Ad verbum ἐκένωσεν in marg. edit. Rom. annotatur ἐνέδωκεν : lectio quidem optima, et Latino *impendit* quam maxime respondens, sed incertum unde eruta.

[3] Ms. Ven. primum, ἐδυνήθη. Quod est in textu, Atticum; hoc commune. Nihil mutamus.

[4] Deest μητρός in mss. Venet. omnibus et Bas. Nec plane vox hæc est necessaria; non omittenda tamen, si textum Latinum respicias.

[5] Ita restituimus e mss. Ven. omnibus : nam ἀμεραίου, ut habetur in editione Veneta, vox penitus Græcis ignota.

[6] Lectionem hanc, quæ vera est, desumpsimus ex ms. Bas. et Ven. secundo utrobique : atque ita legendum viderunt etiam editores Romani, ut apparet ex annotatione quadam ad marginem apposita. In edit., ἐκ ταύτης τινὰ καὶ τῆς ἐν τῇ πίστει.

[7] Ita legendum e ms. secundo Ven. primo loco, et Bas., quod locum hunc ita exhibet : καθαρὰν τὴν διάνοιαν ἀρύσασθαι μὴ ἐδύνατο. Lege textum primigenium Leonis. In eodem secundo ms. Ven. secundo loco, ἀρρύσασθαι, in edit. Ven. ἀνύσασθαι, errore, ut putamus, operarum.

[8] Ms. Basil., διὰ τῆς τηλαυγοῦς ἀληθείας φέγγος ἐκ τῆς οἰκείας ἑαυτοῦ ἐπισκοτίζειν τυφλώσεως, quod textui Latino magis respondere nobis videtur; nihil tamen mutamus.

[9] Ms. Bas., εἰσήγησιν ἐπεζήτησεν.

[10] In marg. edition. Rom., ἀναγνοὺς.

[11] Ms. Basil., ἐν τῇ ἐπιστολῇ τῇ πρὸς Ῥωμαίους.

Digitized by Google

Et inveniens promissionem Dei ad Abraham dicentis : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XII, 3, *et* XXII, 18); [a] ne de hujus seminis proprietate dubitaret, secutus fuisset Apostolum dicentem : *Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit, Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, Et semini tuo, quod est Christus* (*Galat.* III, 8). Isaiæ quoque prædicationem interiore apprehendisset auditu dicentis : *Ecce virgo in utero* [b] *accipiet et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel*, quod est interpretatum, *Nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14; *Matth.* I, 23). Ejusdemque prophetæ fideliter verba legisset : *Puer natus est nobis*, [c] *filius datus est nobis, cujus potestas super humerum ejus, et vocabunt nomen ejus, magni consilii Angelus*, [d] *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Princeps pacis, Pater futuri sæculi* (*Isai.* IX, 6). Nec [e] frustratorie loquens, ita Verbum diceret carnem factum, ut editus utero virginis Christus haberet formam hominis, et non haberet materni corporis veritatem. An **811** forte ideo putavit Dominum [f] nostrum Jesum Christum non nostræ esse naturæ, quia missus ad beatam Mariam semper virginem angelus ait : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque* [g] *et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35)? ut quia conceptus virginis divini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti. Sed non ita [h] intelligenda est illa generatio singulariter

A ἁγίαις, περὶ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαυὶδ [1] τὸ κατὰ σάρκα· ἐπὶ τὰς προφητικὰς οὕτως ἂν **810** βίβλους τὴν εὐσεβῆ [2] φροντίδα μετήγαγε, καὶ [3] εὑρίσκων τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ πρὸς τὸν Ἀβραὰμ λέγοντος· Ἐν τῷ σπέρματί σου [4] ἐνευλογηθήσονται πάντα τὰ ἔθνη· [5] ὅπως ἂν περὶ τῆς κυριότητος τούτου [6] μὴ ἀμφιβάλῃ τοῦ σπέρματος, ἠκολούθησεν ἂν καὶ τῷ Ἀποστόλῳ λέγοντι· Τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐρρέθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ· οὐκ εἶπε· καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς [7] ἐφ' ἑνός, Καὶ τῷ σπέρματί σου, [8] ὅπερ ἐστὶ Χριστός. Καὶ τὸ Ἡσαΐου δὲ κήρυγμα διὰ τῆς ἐνδοτέρας κατέσχεν ἂν ἀκροάσεως, λέγοντος· Ἰδοὺ, ἡ παρθένος [9] ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ· [10] ὅπερ ἐστὶ μεθερμηνευόμενον, Μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός. Καὶ τοῦ αὐτοῦ δὲ προ-

B φήτου πιστῶς ἂν ὑπανέγνω τὰ ῥήματα· [11] Παιδίον ἐγεννήθη ἡμῖν, υἱὸς καὶ ἐδόθη ἡμῖν, [12] οὗ ἡ ἀρχὴ ἐπὶ τοῦ ὤμου αὐτοῦ, [13] καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς [14] ἄγγελος, Θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Οὐδὲ ματαίως λαλῶν, οὕτως ἂν εἶπε σάρκα γεγενῆσθαι τὸν λόγον, ὡς ὅτιπερ ὁ τεχθεὶς ἀπὸ τῆς παρθένου Χριστὸς, εἶχε μὲν ἀνθρώπου

812 μορφὴν, οὐκ εἶχε δὲ τοῦ [15] μητρῴου σώματος τὴν ἀλήθειαν· [16] ἢ τάχα διὰ τοῦτο τὸν δεσπότην Χριστὸν οὐκ εἶναι τῆς ἡμετέρας ἐνόμισε φύσεως, [17] ὅτι πρὸς τὴν μακαρίαν Μαρίαν ὁ πεμφθεὶς ἄγγελος εἶπε· Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σὲ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι· διὸ καὶ τὸ γεννώμενον [18] ἐκ σοῦ ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς

[a] Omnes editi cum plerisque codicibus, puncto affixo post vocem *gentes*, habent, *Et ne*. Sed hac ratione nominativus *inveniens* suspensus maneret. Hinc in aliquibus mss. antea emendatum fuit *inveniret*, vel *invenisset*. Cum vero fere omnia antiqua exemplaria habeant *inveniens*, emendatione indigebat hic locus, eamque derivavimus ex Veron. 8 atque Ratisp., in quibus deest particula *et*, quæ etiam in vetustiori ac emendatiori Græcæ versionis codice Basiliano non apparet.

[b] Editi vulgatiores cum Colbert. Baluzii, *concipiet*. Vide not. 13 Quesn., qui ex suis codicibus emendavit, uti etiam in nostris ac in exemplo primæ editionis legitur. Mox iidem editi, *et vocabitur*; at omnes nostri et Quesnelli codices, *et vocabunt*. Vide not. 14 ejusdem. Dein, *quod interpretatur*, in Vat. Reg. collect. 1.

[c] Codd. Veron. 57, Ratisp. et duo nostri collect. Chalced., ac quatuor Baluzii cum editis Concilior. et prima editione, *et filius*. Dein iidem codices cum duobus aliis Vat. ac duobus Vindebon., *Super humeros*, uti etiam præferunt quidam codd. a Quesnello laudati not. 15. Mox, *et vocabitur* in duobus nostris codd. et editis ante Quesnellum; confer notam ejus 16.

[d] Voces *Admirabilis, Consiliarius*, desunt in Veron. 8, Ratisp., Vindebon. collect. 5 et duobus Vat. Baluzius notavit abesse pariter a ms. Parisiensi, et defuisse olim in Divionensi, ubi supra lineam posterius additæ leguntur. In Græca quoque interpretatione desiderantur. Econtra in Veron. 58 duæ aliæ voces præterea adjiciuntur sic : *Admirabilis, Consiliarius, Dei filius, Deus fortis*.

[e] Quatuor Quesnelli mss. libri laudati ab eo not. 17, *frustratoria eloquens*. Prima editio, *frustratorie ita loquens, Verbum*.

[f] Mss. Veron. 57, Vindebon. collect. 5 ac Ratisp. omittunt *nostrum*. Mox, *nostræ non esse naturæ* in quatuor antiquis nostris exemplaribus. Dein Veron. 58, cum prima editione, *ad beatam virginem Mariam*. Alii duo codd. Veron. ac duo Vindebon. nec non Ratisp. et quatuor Vat. cum editis Conciliorum et Græca interpretatione prætereunt voces *semper virginem*.

[g] Duo codd. Veron., unus Vindebon. collect. 5, Ratisp. et unus Vat. delent *et*.

[h] Quesnellus cum editis Leonis, *nobis intelligenda*, ut in aliquot mss. reperimus. Sed primam et Conciliorum editiones secuti, pronomen *nobis* delevimus potiorum codicum auctoritate, nimirum trium Veron., Vindebon. collect. 5, Vat. collect. 11 primo loco,

[1] Deest τὸ in ms. Basil.

[2] Ms. Bas., φροντίδα ἐπήγαγεν.

[3] In marg. edit. Rom., εὗρε τήν.

[4] Ms. Bas., εὐλογηθήσονται.

[5] Ita ms. Bas. In edit., ὅπως τε ἄν; quam tamen lectionem non improbamus, cum in Græco sermone particula τέ sæpe otiosa sit, et euphoniæ tantum cujusdam gratia ponatur. Certo hic loci nihil agit. In originali Latino correspondentem particulam *et*, quæ erat in vulgatis, expungendam ostendimus not. [a] (*Supra n.* [a]).

[6] Ms. Bas., μὴ ἀμφιβάλλοι.

[7] Ms. Ven. primum, et secundum primo loco, ἐν ἑνί.

[8] Ms. Basil., τουτέστιν χριστός.

[9] Ms. Ven. primum, ἐν γαστρὶ ἕξει.

[10] Ms. Bas., ὅπερ ἐστὶν, μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός.

[11] Ms. Bas., ὅτε παιδίον ἐγεννήθη.

[12] Ms. Ven. secundum utroque loco, οὗ ἡ ἀρχή.

[13] Idem ms. Ven. primo loco, καὶ καλήσουσι : atque ita etiam in marg. edit. Rom.

[14] Idem ms. Ven. secundo loco, ἄγγελος, θαυμαστὸς, σύμβουλος, Θεὸς ἰσχυρός.

[15] Ms. Bas., ἡμετέρου σώματος.

[16] Ita Mss. Ven. ambo, et Bas. juxta Latinum, *An forte ideo*. In edit., διὰ τοῦτο desideratur.

[17] Ms. Bas., ἐπειδήπερ πρὸς τήν.

[18] In cod. Ven. primo deest, ἐκ σοῦ. In Basil. autem statim post legitur ἅγιος pro ἅγιον : nempe ἅγιος κληθήσεται.

Digitized by Google

mirabilis, et mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis. Fecunditatem enim virgini Spiritus sanctus dedit, veritas autem corporis sumpta de corpore est; et ædificante sibi Sapientia domum (*Prov.* IX, 1), *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14) : hoc est, in ea carne quam [a] assumpsit ex homine, et quam spiritu vitæ rationalis animavit.

Cap. III. *Fides et consilium Dei circa incarnationem Verbi expanuntur.* — [b] Salva igitur proprietate utriusque naturæ [c] et substantiæ, et in unam coeunte **813** personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: et ad resolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili : ut, quod [d] nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus, et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero. [e] In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus quæ in nobis ab initio Creator condidit, et quæ reparanda suscepit. Nam illa quæ deceptor intulit, et homo deceptus [f] admisit, nullum habuerunt in Salvatore vestigium. Nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam servi sine sorde peccati, humana augens, divina non

Θεοῦ· ὅπως ἂν, ἐπειδήπερ ἡ σύλληψις τῆς παρθένου θείας ἔργον γεγένηται δημιουργίας, ἐκ τῆς φύσεως τῆς συλλαβούσης ἡ σὰρξ τοῦ συλληφθέντος μὴ γένηται; ἀλλ' οὐχ οὕτως νοητέον ἐκείνην τὴν γέννησιν· ἢ τις μονογενῶς ἐστι θαυμαστὴ, καὶ θαυμαστῶς ἐστι μονογενής· ὥστε διὰ τοῦ καινοπρεποῦς τῆς γεννήσεως, τὴν τοῦ γένους ἐκβάλλεσθαι κυριότητα [1] τὸ μὲν γὰρ γόνιμον τῇ παρθένῳ τὸ ἅγιον πνεῦμα παρέσχεν· ἡ δὲ τοῦ σώματος ἀλήθεια [2] προσελήφθη ἐκ σώματος· καὶ τῆς σοφίας οἰκοδομούσης ἑαυτῇ οἶκον, ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, τουτέστιν, ἐν τούτῳ τῷ σώματι, ὅπερ ἔλαβεν ἐξ ἀνθρώπου, [3] καὶ ὁ πνεύματι ζωῆς λογικῆς ἐνεψύχωσε.

Σωζομένης τοίνυν τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον συνιούσης, **814** [4] ἀνελήφθη ὑπὸ μὲν τῆς θεότητος ἡ ταπεινότης, ὑπὸ δὲ τῆς δυνάμεως τὸ ἀδύνατον, ὑπὸ τοῦ ἀθανάτου τὸ θνητόν· καὶ πρὸς τὸ χρεωστούμενον ὅφλημα τῆς ἡμετέρας φύσεως [5] ἐκτιθῆναι, ἡ θεία φύσις ἡνώθη τῇ φύσει τῇ παθητῇ ἵνα τοῦτο δὴ τὸ ταῖς ἡμετέραις ἰάσεσιν ὑπάρχον ἁρμόδιον, [6] εἷς καὶ ὁ αὐτὸς ὑπάρχων μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος Χριστὸς Ἰησοῦς, καὶ ἀποθνήσκειν ἐκ τοῦ ἑνὸς δυνηθῇ, καὶ τελευτᾶν ἐκ τοῦ ἑτέρου μὴ δυνηθῇ. Ἐν ἀκεραίᾳ τοιγαροῦν [7] ἀληθοῦς ἀνθρώπου, καὶ τελείᾳ φύσει, Θεὸς ἀληθὴς ἐτέχθη· [8] ὅλος ἐν τοῖς ἑαυτοῦ, καὶ ὅλος ἐν τοῖς ἡμῶν· ἡμέτερα δὲ λέγομεν, ἅπερ [9] ἐν ἡμῖν ἐξ ἀρχῆς ὁ Δημιουργὸς ἐναπέθετο, καὶ ἅπερ ἀνακαινιστέα πάλιν ἐδέξατο· ἐκεῖνα γάρ, ἅπερ ὁ ἀπατεὼν ἐπεισήγαγε, καὶ ὁ ἀπατηθεὶς ἄνθρωπος [10] ἥμαρτε, τὸ τυχὸν ἐπὶ τοῦ Σωτῆρος ἴχνος οὐκ ἔσχηκεν. Οὐδὲ ἐπειδὴ κοινωνίαν [11] τῆς ἀνθρωπίνης ὑπεισελήλυθεν ἀσθενείας, διὰ τοῦτο καὶ κοινωνὸς τῶν ἡμετέρων γέγονεν ἁμαρτημάτων. Προσέλαβε γὰρ

loco, Ratisp. et omnium mss. collect. Chalcedon., quibus Græca versio suffragatur. Post pauca Quesnellus, *mota sit generis*. Lectionem antea vulgatam ex nostris codd. restituimus. Solum in Vindeb. collect. 5, *semota*. Mox vero codd. Veron. 8, Ratisp. et Vindeb. collect. 5 prætermittunt *enim*.

[a] Vat. Hisp. et Isid., *suscepit*. Ratisp. et Vindeb. collect. 5 cum duobus Vat. atque editis Concil., *sumpsit*. Deinde Quesnellus cum anterioribus Leonis editionibus et plerisque mss., *spiritus vitæ*. At monuit not. 18 in editis Concilior. et in cod. Victorino legi, *spiritu vitæ*; « idque forte melius, » inquit : similiter et in Græco redditum legitur. Hanc quidem lectionem confirmatam duobus antiquiss. Veron. 8 et 57, nec non Vat. 5845 collect. 8 Vindeb. Hisp. et exemplaribus primæ editionis atque Sichardi, uti meliorem recepimus.

[b] Eadem fere sunt serm. 21, seu 1 de Nativ. cap. 2.

[c] Retinuimus voces *et substantiæ* a Quesnello insertas ex sex codicibus ab eodem memoratis not. 19, eo quod legantur etiam in quatuor nostris antiquissimis Vat. collect. 3, Vindebon. collect. 5, Vat. collect. 8 et Lectionario Vat. 3836, nec non in Vercell. et Vat. collect. 11 primo loco, ac in exemplari primæ editionis. In aliis vero nostris codicibus desiderantur, sicut et in Græca versione. In serm. 21, c. 2, unde hæc verba descripta fuerunt, vox *substantiæ* legitur, sed vox *naturæ* omittitur. Mox duo codd. Veron. 57 et 58, *una coeunte persona;* Veron. 8 et Vindeb. Hisp. cum aliquibus mss. Baluzii, *in una coeunte persona*. At lectionem textus præfert etiam laudatus sermo 21, c. 2.

[d] Vat. Hisp. et alius collect. 11, secundo loco, *divinis remediis*. Dein quatuor antiqui codd., *mori possit ex uno, et mori non possit ex altero*. In prima editione vero, *et resurgere posset*, ut in laudato serm. c. 2.

[e] Eadem leguntur in serm. 23, seu 3 de Nati-

vitate, c. 2.

[f] Quinque codd. antiqui, *amisit*, perperam. Unus dupliei *mm* pro *admisit* præfert *ammisit* usu veteribus non infrequenti, apud quos scriptum reperitur *ammoveo* pro *admoveo*. Hinc uno *m* deleto illorum codicum error manavit.

[1] Ms. Bas., τὸ μὲν γὰρ τεκεῖν τὴν παρθένον γόνιμον τὸ ἅγιον πνεῦμα παρέσχηκεν; corrupte.

[2] Ms. Bas., ἐξ αὐτοῦ προσελήφθη τοῦ σώματος.

[3] Ms. Bas., καὶ πνεῦμα ζωῆς λογικῆς ἐνεψύχωσεν.

[4] Ter in hac pericope habes ὑπὸ, quæ vera lectio est, eamque accepimus a ms. Ven. secundo loc. sec. In editis ἀπὸ minus bene. Cæterum in eodem ms. tota hæc pericope sic legitur : primo loco, ἀνελήφθη ἀπὸ μὲν τῆς θεότητος ἡ ταπεινότης· ἀπὸ μὲν τῆς δυνάμεως τὸ ἀδύνατον, ἀπὸ δὲ τοῦ ἀθανάτου τὸ θνητόν; secundo vero, ἀνελήφθη ὑπὸ μὲν τῆς θεώσεως ἡ ταπεινότης· ὑπὸ δὲ τῆς δυνάμεως τὸ ἀδύνατον· ὑπὸ τοῦ ἀθανάτου τὸ θνητόν.

[5] Deest ἐκτιθῆναι in ms. Bas., sed male. In mss. Ven. primo et secundo primo loco, ἐκτισθῆναι : quam lectionem etiam in editione Romana videbis in margine annotatam.

[6] Codd. Basil. et Ven. secundus utroque loco (nisi quod hic secundus non habet primum articulum ὁ), ὁ εἷς καὶ αὐτὸς ὤν. Paulo post in eodem ms. Bas., δυνηθείη pro δυνηθῇ, utroque in loco.

[7] Ms. Bas., ἀληθινοῦ ἀνθρώπου. Sic paulo post, Θεὸς ἀληθινὸς, in eodem ms.

[8] Ms. Bas., ὅλως ἐν τοῖς ἑαυτοῦ, καὶ ὅλως ἐν τοῖς ἡμῶν.

[9] Deest ἐν in ms. Ven. secundo utrobique, et recte abesse potest.

[10] In edit. Rom. ad marginem, παρεδέξατο : ex conjectura tantum, ut putamus. Si enim auctoritati alicujus ms. antiqui niteretur hæc lectio, utique adoptanda fuisset, utpote textui magis inhærens.

[11] Ms. Basil., τοῖς ἀνθρώποις.

Digitized by Google

minuens : quia exinanitio illa qua se invisibilis visibilem præbuit, et Creator ac Dominus omnium rerum unus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma Dei fecit hominem, [a] idem in forma servi factus est homo. Tenet **815** enim sine defectu proprietatem suam utraque natura : [b] et sicut formam servi Dei forma non adimit, ita formam Dei servi forma non minuit. [c] Nam quia gloriabatur diabolus hominem sua fraude deceptum divinis caruisse muneribus, et immortalitatis dote nudatum duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam [d] de prævaricatoris consortio invenisse solatium ; Deum quoque, justitiæ exigente ratione, erga hominem, quem [e] in tanto honore condiderat, propriam mutasse sententiam; opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non potest sua benignitate privari, primam erga nos pietatis suæ [f] dispositionem sacramento occultiore compleret; et homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam contra Dei propositum non periret.

A δούλου μορφὴν δίχα ῥύπου τινὸς ἁμαρτήματος· καὶ τὸ ἀνθρώπινον αὔξων καὶ τὸ θεῖον οὐ μειῶν. Ἐπειδήπερ ἡ κένωσις ἐκείνη, δι' ἧς ἑαυτὸν ὁ ἀόρατος ὁρατὸν παρεσκεύασε, καὶ ὁ Ποιητὴς καὶ Δεσπότης τῶν ὅλων, εἷς τῶν ἀνθρώπων ἠβουλήθη γενέσθαι, συγκατάβασις ἦν εὐσπλαγχνίας, οὐκ ἀσθένεια τῆς δυνάμεως. Τοιγαροῦν [1] ὃς μένων ἐν μορφῇ Θεοῦ, πεποίηκε τὸν ἄνθρωπον, αὐτὸς ἐν μορφῇ δούλου γέγονεν ἄνθρωπος· φυλάττει **816** γὰρ ἑκατέρα φύσις ἀνελλιπῶς τὴν ἑαυτῆς ἰδιότητα· καὶ ὥσπερ οὐκ ἀναιρεῖ τὴν τοῦ δούλου μορφὴν ἡ μορφὴ τοῦ Θεοῦ, [2] οὕτως τὴν τοῦ Θεοῦ μορφὴν ἡ τοῦ δούλου [3] μορφὴ οὐκ ἐμείωσεν· ἐπειδὴ γὰρ [4] κατεκαυχᾶτο ὁ διάβολος τὸν ἄνθρωπον τὸν ἠπατημένον [5] ἐκ τῆς πλάνης ἑαυτοῦ, τῶν θείων δωρεῶν [6] ἐστερῆσθαι, καὶ τῶν τῆς ἀφθαρσίας ἀγαθῶν [7] γεγυμνωμένον ὑπὸ τὴν τοῦ θανάτου χαλεπὴν ἀπόφασιν γεγενῆσθαι, καὶ ἐν τοῖς ἰδίοις κακοῖς παραμυθίαν αὐτὸν [8] εὑρηκέναι τινὰ ἐκ τῆς αὐτοῦ τοῦ γεγονότος προδότου κοινωνίας· ὡς καὶ τὸν Θεὸν, τοῦτο τῆς αὐτοῦ δικαιοσύνης ἀπαιτούσης, ἀμεῖψαι περὶ τὸν ἄνθρωπον τὴν οἰκείαν ἀπόφασιν, ὃν ἐν τοσαύτῃ τιμῇ κατεσκεύασε. [9] Χρεία τῆς οἰκονομίας τοῦ ἀπορρήτου μυστηρίου γεγένηται, ἵνα ὁ ἀλλοίωτος Θεὸς, οὗ τινος ἡ βούλησις τῆς ἐμφύτου [10] χρηστότητος στερηθῆναι μὴ δύναται, [11] τὴν πρώτην περὶ ἡμᾶς τὴν τῆς οἰκείας [12] εὐσεβείας ἀπορρήτῳ μυστηρίῳ πληρώσῃ διοίκησιν· καὶ ἵνα ὁ ἄνθρωπος, ὁ τῇ κακουργίᾳ τῆς διαβολικῆς κακίας πρὸς ἁμαρτίαν συνελαθεὶς μὴ παρὰ βούλησιν ἀπόληται τοῦ Θεοῦ.

B

C

Cap. IV. *Utriusque Christi nativitatis et naturæ proprietates expenduntur.* — [g] Ingreditur ergo hæc mundi [h] infima Filius Dei, de cœlesti sede descendens, **817** et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis [i] factus est in nostris, incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tem-

Προσέρχεται τοίνυν [13] εἰς τὸ ταπεινὸν τοῦτο τοῦ κόσμου ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, **818** ἀπὸ τοῦ οὐρανίου θρόνου καταβαίνων, καὶ ἀπὸ τῆς πατρικῆς δόξης οὐκ [14] ἀφιστάμενος· [15] καινῇ τῇ τάξει, καὶ καινῇ τῇ γεννήσει γεννώμενος· καινῇ μὲν τῇ τάξει, ὅτιπερ ἀόρατος ὢν ἐν τοῖς ἑαυτοῦ, ὁρατὸς γέγονεν ἐν τοῖς παρ' ἡμῖν, καὶ ἀκατάληπτος ὤν, ἠβουλήθη καταλαμβάνεσθαι, καὶ [16] προαιώνιος μένων, εἷ-

[a] Tres codd. Veron. et Ratisp. omittunt *idem*.

[b] Vat. Hisp. et Isid. cum tribus aliis codd., *et sicut forma servi Dei formam non ademit* (vel *non adimit*), *ita forma Dei servi formam non minuit*.

[c] Reliquæ hujus capitis lineæ eædem habentur serm. 22, seu de Nativit. 2, c. 1.

[d] Quinque nostri codices, et totidem Quesnelli, ab eo indicati not. 20, habent *de prævaricationis*. At in serm. 22, c. 1, unde hic locus sumptus est, habetur *de prævaricatoris*, sicut et in aliis hujus epistolæ mss. libris. Paulo post *dyram* .... *sententiam* in ms. Veron. 58.

[e] Veron. 58, *in tantum honorem*. Duo Vindebon., Ratisp., Veron. 57 et Vat. collect. 11, utroque loco cum prima editione delent *in*.

[f] Editi ante Quesn. cum plerisque mss., *dispensationem*. Ille vero præferendam putavit vocem *dispositionem* ex quatuor codd. ab eo allegatis not. 21, quibus etsi soli sex nostri antiqui libri accedant, Veron. 8, Vat. Reg. collect. 1, alius Vat. collect. 3, Vindebon. collect. 5, Vat. collect. 11, primo loco, et Ratisp., hanc nihilominus lectionem ex eo potissimum retinuimus, quia serm. 22, c. 1, eadem exhibetur.

[g] Eadem serm. 22, c. 2.

[h] Veron. 8, Vindebon., Hisp., Ratisp., duo Vat. 1322 et 3791, primo loco, cum duobus mss. Baluzii et editis Conciliorum, *infirma*. Cæteri codices, *infima*, et sic quoque legit Græcus interpres.

[i] Vat. Hisp. et Isid., *apparuit in nostris*. Mox, pro *ante tempora manens*, duo codd., *ante tempora æterna manens*; prima editio, *ante tempora æternus manens*. In epist. 31, c. 2, habetur : *Sacramentum reconciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum*.

[1] Ms. Basil., ὡς μένων.

[2] Ms. Ven. secundus, primo loco, οὕτως οὐδὲ τὴν μορφὴν τοῦ θεοῦ.

[3] Veram hanc lectionem exhibuit nobis Ms. Basil. quæ ab editoribus etiam Romanis in margine annotata fuit. In Vulg., *μόρφωσις οὐκ ἐμείωσεν*. In textu, *forma non minuit*.

[4] Ms. Bas., καὶ ἐκαυχᾶτο.

[5] Ms. Bas., ἐκ τῆς οἰκείας πλάνης αὐτοῦ pro ἑαυτοῦ notatum invenies etiam in edit. Rom. ad marginem.

[6] Placuit hic extrudere ἐστερημένον, quod erat in edit., et ἐστερῆσθαι substituere, ut habetur in ms. Basil. Namque hoc magis accedit ad textum Latinum, *divinis caruisse muneribus*.

[7] Ms. Basil., γεγυμνῶσθαι· καὶ ὑπὸ τὴν, etc. Lectio minime spernenda.

[8] In ms. Basil. In editis, εὑρηκέναι : quod minime probamus. Scilicet hoc rarius, illud magis usitatum. Porro in eodem ms. tota hæc pericope sic scribitur : καὶ ἑαυτὸν ἐν τοῖς οἰκείοις κακοῖς παραμυθίαν εὑρηκέναι τινὰ ἐκ τῆς αὐτοῦ τοῦ γεγονότος προδότου κοινωνίας γενομένης. Pro προδότου legendum forte παραδάτου, ut notarunt in margine etiam editores Rom.

[9] In Ms. Bas., χρεία γέγονεν τῆς, etc.

[10] In ms. Bas., ἀγαθότητος.

[11] Deest τὴν in ms. Ven. secund., utroque loco.

[12] In edit Rom. ad marginem annotatur φιλανθρωπίας ἀπὸ ῥ. ex Lat.

[13] Ms. Bas., εἰς τὰ ἔσχατα τοῦ κόσμου.

[14] Ms. Bas., μὴ χωριζόμενος.

[15] In antea vulgatis legebatur, καινῇ μὲν τῇ τάξει ; expunximus μὲν, utpote non necessarium, auctoritate mss. Basil. et Venet. primi, qui postremus sic legit, καινῇ τινι τάξει, καὶ, etc.

[16] Ms. Bas., προαιώνιος ὤν; ms. vero Ven. utroque loco, προαιώνιος μὲν ὤν.

Digitized by Google

pora manens esse cœpit ex tempore ; universitatis Dominus servilem formam, obumbrata majestatis suæ immensitate, suscepit ; impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate generatus : quia inviolata [a] virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit. Assumpta est [b] de Matre Domini, natura, non culpa ; nec in Domino Jesu Christo, [c] ex utero virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo [d] nostri est natura dissimilis. Qui enim verus [e] est Deus, idem verus est homo, et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo Deitatis. Sicut enim Deum non mutatur miseratione, ita homo non consumitur **819** dignitate. [f] Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est ; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ [g] non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit. Unus enim idemque est, [h] quod sæpe dicendum est, vere Dei Filius, et vere hominis filius. Deus per id quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1); homo per id quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*, 14). Deus per id quod *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Ibid.*, 3); homo per id quod [i] *factus est ex muliere, factus sub lege* (*Galat.* IV, 4). Nativitas carnis manifestatio est humanæ naturæ ; partus virginis, divinæ est virtutis indicium. Infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum (*Luc.*

ναι ἤρξατο ἀπὸ χρόνου, καὶ τοῦ παντὸς ὢν δεσπότης, τὴν δουλικὴν μορφὴν ἀνεδέξατο, τῆς οἰκείας θεότητος ἐπισκιάσας τὸ μέγεθος, καὶ ὁ ἀπαθὴς Θεὸς οὐκ ἀπηξίωσε παθητὸς εἶναι ἄνθρωπος, [1] καὶ ὁ ἀθάνατος νόμοις ὑποκεῖσθαι θανάτου· καινῇ δὲ τῇ γεννήσει τεχθείς, ἐπείπερ ἡ ἄχραντος παρθενία ἐπιθυμίαν μὲν ἠγνόησε, τὴν δὲ τῆς σαρκὸς ἐχορήγησεν ὕλην. Καὶ προσελήφθη ἐκ τῆς μητρὸς [2] τοῦ δεσπότου φύσις, οὐχ ἁμαρτία· οὐ μὴν ἐπειδήπερ ἐν τῷ δεσπότῃ Ἰησοῦ Χριστῷ τῷ τεχθέντι ἐκ τῆς γαστρὸς τῆς παρθένου θαυμαστή τίς ἐστιν ἡ γέννησις, διὰ τοῦτο ἡμῖν [3] οὐχ ἡ φύσις ὁμοία· ὁ γὰρ ὢν Θεὸς ἀληθὴς, αὐτός ἐστι καὶ ἄνθρωπος ἀληθής. Καὶ ψεῦδος οὐδὲν [4] ἐν ταύτῃ τῇ ἑνώσει τυγχάνει, ἐν ὅσῳ τὰ συναμφότερα μετ' ἀλλήλων ἐστί· [5] καὶ τοῦ ἀνθρώπου τὸ ταπεινὸν, καὶ τῆς θεότητος τὸ μέγεθος· ὥσπερ γὰρ τῷ ἐλεεῖν ὁ Θεὸς τροπὴν οὐχ ὑφίσταται, οὕτως ἄνθρωπος τῷ μεγέθει τῆς θείας ἀξίας οὐκ ἀναλίσκεται· **820** ἐνεργεῖ γὰρ ἑκατέρα μορφὴ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας, ὅπερ ἴδιον ἔσχηκε, τοῦ μὲν λόγου κατεργαζομένου [6] τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ τοῦ Λόγου, τοῦ δὲ σώματος ἐκτελοῦντος, [7] ὅπερ ἐστὶ τοῦ σώματος· καὶ τὸ μὲν αὐτῶν διαλάμπει τοῖς θαύμασι, τὸ δὲ [8] ταῖς ὕβρεσιν ὑποπέπτωκε. Καὶ καθάπερ ὁ λόγος ἀπὸ τῆς ἰσότητος τῆς τοῦ πατρὸς δόξης ἐστὶν ἀχώριστος, οὕτω τὸ σῶμα τὴν φύσιν τοῦ ἡμετέρου γένους οὐκ ἀπολέλοιπεν· εἷς γὰρ, καὶ ὁ αὐτὸς ἀληθῶς [9] Υἱός τε Θεοῦ, καὶ ἀληθῶς υἱὸς ἀνθρώπου τυγχάνει, Θεὸς μὲν κατὰ τοῦτο, καθὸ ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, [10] καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος· ἄνθρωπος δὲ κατὰ τοῦτο, καθὸ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· [11] καὶ Θεὸς μὲν κατὰ τοῦτο, καθὸ δι' αὐτοῦ τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν· ἄνθρωπος δὲ κατὰ τοῦτο, καθὸ γέγονεν ἐκ γυναικὸς, [12] γέγονεν ὑπὸ νόμον· καὶ ἡ μὲν τῆς

[a] Tres nostri codices et unus Baluzii, *Virgo*. Dein Hisp. et Isid. cum quatuor aliis codd., *et carnis materiam* ; Vat. collect. 11 primo loco, *sed carnis materiam* ; duo mss. collect. 21, *inviolata virginitas, quæ concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit.*

[b] Editi ante Quesn. cum mss. collect. 24 et Sichardo interserunt *igitur*. Vide not. 22 ejusdem Quesn.

[c] Eadem fere habentur serm. 24, c. 3.

[d] Vulgatiores editi cum Hisp., Isid., Veron. 58, Vat. 1322, et tribus aliis codd., *nostræ est naturæ dissimilis*. Cæteri codices et prima editio lectionem a Quesnello inductam confirmant. Vide notam ejus 23.

[e] Verbum *est* delent tres mss. codd. Veron. et Ratisp. Post pauca, *dum in invicem* in Veron. 57, Ratisp. et duobus Chalcedon.

[f] Eadem sunt in serm. 54, c. 2.

[g] Veron. 58, *non recidit.... non reliquit*. Editi ante Quesn. cum. mss. collect. 24, *non recessit.... non reliquit*. Quesnelli lectionem, de qua vide ejus not. 24, cæteri nostri codd. approbant.

[h] Verba *quod sæpe dicendum est* desunt in tribus mss. Veronensib., in omnibus Chalcedon., in utrisque Hisp., in Ratisp. nec non in Græca versione. Sed cum in aliis codd., præsertim collect. 1, 3, 5, 8, 11, et in vetustissimo Rom. Eccl. Lectionario Vat. 3836 inveniantur, ea expungere non audemus. Mox, pro *Deus per id*, in Vat. Isid., *Filius Dei per id*.

[i] Cod. Vindeb. Hisp., *factum est ex muliere, factum sub lege* ; et refertur ad *Verbum*, ut in antecedentibus : *Verbum caro factum est.*

[1] Ms. Bas., καὶ ὢν ἀθάνατος ὑποκεῖσθαι θανάτῳ.

[2] Erat in vulgatis, ἐκ τῆς μητρὸς ἡ τοῦ δεσπότου φύσις, ubi articulus ἡ præpositus, vocibus τοῦ δεσπότου φύσις, genitivum δεσπότου ad φύσις referri ostendebat, non sine erroris suspicione atque periculo, cum tamen ad vocem μητρὸς, referendus sit. Ita quidem mendose habent et duo codd. Ven. in epistola actioni Chalcedonensi inserta ; sed veram lectionem suppeditant iidem codd. in eadem epistola gestis præmissa, nec non alius Venetus 165 utroque loco ; omittunt enim articulum ἡ, ac præterea post voces τοῦ δεσπότου tribus in locis apponitur virgula. Ita etiam legit in suo codice Gerardus Vossius, ut ex ejusdem editione Moguntina liquet.

[3] Sic placuit scribere cum ms. Basil. et Venet. secundo utroque loco. In editis οὐχὶ φύσις. Articulus ἡ perspicuam magis reddit sententiam.

[4] In ms. Basil., ἐν τῇ ἑνώσει ταύτῃ καθίστηκεν.

[5] Ms. Basil., καὶ ἡ ταπεινότης τοῦ ἀνθρώπου, καὶ τὸ μέγεθος τῆς Θεότητος· ὥσπερ γὰρ Θεὸς τροπὴν οὐχ ὑφίσταται, οὕτως καὶ ὁ ἄνθρωπος, etc.

[6] Ms. Bas., τοῦτο ὅπερ ἐστὶν τοῦ λόγου.

[7] In marg. edit. Rom., ἅπερ ; atque ita in ms. Ven. 2 primo loco.

[8] Ms. Ven. primus, τοῖς παθήμασιν. In marg. quoque edit. Rom., τοῖς παθήμασιν.

[9] Ms. Bas., Υἱὸς Θεοῦ.

[10] Hæc, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ ὁ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, in cod. Bas. desiderantur.

[11] Ms. Bas., καὶ Θεὸς μὲν κατὰ τοῦτο, ὅτι χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. Quæ duo ultima verba adduntur etiam in ms. Ven. primo.

[12] Ms. Bas., καὶ γέγονεν ὑπὸ νόμον.

Digitized by Google

II, 7): magnitudo Altissimi declaratur [a] vocibus angelorum (*Luc.* II, 13). Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impie molitur occidere (*Matth.* II, 16); sed Dominus est omnium, quem **821** [b] magi gaudent suppliciter adorare. Jam cum ad præcursoris sui Joannis baptismum venit (*Matth.* III, 13), ne lateret quod carnis velamine Divinitas tegeretur, vox Patris de cœlo intonans dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene* [c] *complacui* (*Ibid.*, 17). Quem itaque sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur officia (*Matth.* IV, 1, 11). Esurire, sitire, lassescere atque dormire, evidenter humanum est. Sed [d] quinque panibus quinque millia hominum satiare (*Joan.* VI, 5), et largiri Samaritanæ aquam vivam (*Joan.* IV, 10), cujus haustus bibenti [e] præstet ne ultra jam sitiat; supra dorsum maris plantis non [f] desidentibus ambulare (*Matth.* XIV, 25), et elationes fluctuum increpata tempestate consternere (*Luc.* VIII, 24); sine ambiguitate divinum est. Sicut ergo, ut multa præteream, non ejusdem naturæ est, flere miserationis affectu [g] amicum mortuum (*Joan.* XI, 35), et eumdem, remoto quatriduanæ aggere **823** sepulturæ, [h] ad vocis imperium excitare redivivum (*Ibid.*, 43); aut in ligno pendere, et in noctem luce conversa, omnia elementa tremefacere; aut clavis transfixum esse, et paradisi portas fidei latronis aperire (*Matth.* XXVII, 35); ita non ejusdem naturæ est, dicere: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30), et dicere, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Quamvis enim in Domino Jesu Christo Dei et hominis una

A [1] σαρκώσεως γέννησις ἀνθρωπίνης ἐστὶ δήλωσις φύσεως, ὁ δὲ τοκετὸς τῆς παρθένου [2] μήνυμα τῆς θείας ὑπάρχει δυνάμεως. Καὶ ἡ μὲν νηπιότης τοῦ βρέφους διὰ τῆς τῶν σπαργάνων εὐτελείας ἐπιγινώσκεται· τὸ δὲ μέγεθος τῆς αὐτοῦ μεγαλωσύνης [3] διὰ τῶν ἀγγελικῶν φωνῶν ἀποδείκνυται· καὶ ὁμοιοῦται μὲν τοῖς νεωστὶ τικτομένοις ἀνθρώποις οὗτος, ὃν Ἡρώδης ἀσεβῶς φονεῦσαι [4] βούλεται· ἀλλὰ ἔστι δεσπότης τῶν ὅλων, ὃν μάγοι χαίρουσιν [5] ἱκετευτικῶς προσκυνεῖν. Ὅτε δὲ πρὸς τὸ [6] τοῦ προδρόμου **822** αὐτοῦ Ἰωάννου ἔρχεται βάπτισμα, ὅπως ἂν μὴ λάθῃ, ὅτιπερ τῷ προκαλύμματι τῆς σαρκὸς ἡ Θεότης ἐκρύπτετο, ἡ τοῦ Πατρὸς φωνὴ ἐξ οὐρανῶν ἐπιβοῶσα, φησίν· Οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ [7] εὐδόκησα· τοιγαροῦν ὃν ὡς ἄνθρωπον ἡ τοῦ διαβόλου πειράζει πανουργία, [8] τούτῳ, ἅτε δὴ Θεῷ, ἡ τῶν ἀγγέλων

B τάξις διακονεῖ. [9] Τὸ μὲν γὰρ πεινῆν, καὶ διψῆν, καὶ κοπιᾶν, καὶ ὑπνοῦν, ὁμολογουμένως ἐστὶν ἀνθρώπου· ἀλλὰ τὸ [10] πέντε ἄρτοις πέντε χιλιάδας ἀνθρώπων κορέσαι, καὶ χαρίσασθαι τῇ Σαμαρείτιδι [11] ζῶν ὕδωρ, ὅθεν ἀρυσαμένη αὐτῇ [12] ὑπῆρχε τὸ μηκέτι διψῆν· καὶ ἐπὶ μὲν νώτων θαλάσσης [13] περιπατεῖν, τῶν ποδῶν οὐ βαπτιζομένων, τὰς δὲ τῶν κυμάτων οἰδήσεις, ἐπιτιμωμένου τοῦ κλύδωνος, κατευνάζειν, ἐστὶν ἀναμφιβόλως Θεοῦ. Ὥσπερ οὖν, ἵνα τὰ πολλὰ παραλείψω, οὐ τῆς αὐτῆς ἐστι φύσεως τὸ κλαίειν ἐκ διαθέσεως οἵκτου τὸν τελευτήσαντα φίλον, καὶ τὸ τὸν αὐτὸν ἀναζῆν μέλλοντα, διασκεδασθέντος τοῦ προσχώματος, [14] τῆς τεταρταίας ἤδη ταφῆς ἐξαναστῆσαι πρὸς τὸ κέλευσμα τῆς φωνῆς, ἢ τὸ ἐπὶ ξύλου ἠρτῆσθαι, καὶ ἐξ ἡμέρας εἰς νύκτα [15] μεταβληθείσης τὰ στοιχεῖα πάντα συσσεῖσαι **824**, ἢ τὸ διαπεπάρθαι τοῖς ἥλοις καὶ

C τὰς τοῦ παραδείσου πύλας ἀνοῖξαι τῇ πίστει τῇ τοῦ

[a] Vat. 3791 collect. 11 secundo loco, *in excubiis angelorum*. Dein, *Herodes impius*, in editis ante Quesn. et in quibusdam mss.

[b] Editi Concil. cum codd. Vat., Hisp., Isid. et collect. 21, *magi gaudentes suppliciter veniunt adorare*. At in puriori ms. Hisp. Vindebon., *magi gaudentes suppliciter adorare*: ex errore autem nominativi *gaudentes* pro *gaudent* posteriores exscriptores ejusdem collectionis ex ingenio supplevisse videntur verbum *veniunt*. Mox Veron. 58 et Vat. 1322, cum Parisiensi et Colbertino Baluzii: *Nam cum ad præcursoris sui*. Veron. 57 delet *sui*. Dein, *veniret* pro *venit* in editis Leonis ante Quesn. nullo nostro codice suffragante.

[c] Tres mss. Libri Veron., totidem Baluzii, ac præterea Vindebon. Hisp., et unus Vat. collect. 11, secundo loco, *complacuit*. Deinde, *utique* pro *itaque* in Veron. 58 et Vat. 1322. *Diaboli* vero pro *diabolica* in Vat. Reg. collect. 1, in Vindebon. Hisp., in Ratisp. et Vat. collect. 11, secundo loco.

[d] Vat. cod. 5845, *de quinque panibus*. Editi Leonis ante Quesn. cum mss. collect. 11, primo loco et collect. 24, *et de quinque panibus*. Mox *saturare* pro *satiare* in Veron. 8 et Vat. collect. 3.

[e] Tres codd. Veron. et duo alii collect. Chalcedon., *præstitit*. Editi ante Quesn. cum codd. collect. 11, 21 et 25, *præstat*.

[f] Editi Quesnello anteriores cum mss. collect. 21 et 24, *subsidentibus*. Cæteri codices, *desidentibus*, paucis exceptis, qui lectione huic affini, sed corrupta præferunt *desitientibus*, *desinentibus*, *desudantibus*, vel *desistentibus*. Vide not. 25 Quesn.

[g] Cod. Veron. 58, duo Vat. 1342 collect. 3, et 1322 collect. Chalcedon., Vercell. collect. 8 et mss. collect. 21, cum prima editione addunt *Lazarum*.

[h] Particulam *et* in aliquibus editionibus, et a Quesnello insertam delevimus uti superfluam auctoritate trium mss. Veron., item Vindebon. collect. 5, utriusque Hisp., Isid., Ratisp. et aliorum codicum. Deest etiam in Græca versione et in codicibus quibus Baluzius usus est. Mox, *in cruce* pro *in ligno* legitur in Vat. collect. 3 et alio Vat. 5845 collect. 8, in Hisp., Isid. ac in mss. collect. 21. Dein, *paradisi januas* in Veron. 57 ac 58, in tribus nostris et duobus Baluzii codd. collect. Chalcedon. Rusticus vero monuit in quibusdam suis codd. scriptum fuisse *portas*, quod nos in cæteris mss. reperimus, et Baluzius in duobus Chalcedon.

[1] In marg. edit. Rom., σαρκὸς γέννησις, ex Lat.

[2] Ms. Bas., ἔλεγχος ὑπάρχει θείας δυνάμεως.

[3] Ms. Bas., διὰ τῶν εὐαγγελικῶν φωνῶν.

[4] Ms. Ven. secundum utroque loco, βουλεύεται.

[5] Ms. Bas., ἱκετευτικῶς προσκυνοῦντες.

[6] Ms. Bas., τοῦ προδρόμου ἑαυτοῦ Ἰωάννου.

[7] Ms. Bas. et Ven. secundum, primo loco, ηὐδόκησα.

D [8] Ms. Bas., τούτῳ δὴ ὡς Θεῷ.

[9] In ms. Bas., τὸ μὲν γὰρ πεινᾶν, καὶ διψᾶν, νυπιᾶν τε, καὶ ὑπνοῦν.

[10] Ms. Bas., ἐκ πέντε ἄρτων... κορέσθαι.

[11] Ms. Bas., ὕδωρ ζῶ.

[12] Ms. Bas., ὑπῆρχε τὸ μηκέτι διψᾶν. In ms. vero Ven., secundo utroque loco, ὑπῆρξε.

[13] Ms. Bas., ᾠχεσθαι.

[14] Ms. Bas., τῆς τεταρταίας ἤδη ταφῆς πρὸς τὸ τῆς φωνῆς κέλευσμα ἐξαναστῆσαι: quæ verborum collocatio nobis magis arridet. Hoc eodem in loco in secundo ms. Ven., loco secundo, pro τῆς τεταρταίας legitur τῆς τελευταίας.

[15] Mss. Bas. et Ven. primum et secundum utrobique, μεταβληθέντα, scilicet τὰ στοιχεῖα, sed perperam.

Digitized by Google

persona sit; aliud tamen est, [a] unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas; de Patre illi est æqualis cum Patre Divinitas.

ἀληστοῦ, οὕτως οὐ τῆς αὐτῆς ἐστι φύσεως τὸ λέγειν· Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἓν ἐσμεν, καὶ τὸ λέγειν· Ὁ Πατήρ μου μείζων μου ἐστίν· εἰ καὶ τὰ μάλιστα γὰρ ἓν τῷ Δεσπότῃ Ἰησοῦ Χριστῷ τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ ἀνθρώπου ἓν ἐστι τὸ πρόσωπον, ὅμως [1] ἕτερόν ἐστιν ἐκεῖνο, ἐξ οὗ ἐν ἑκατέρῳ κοινόν ἐστι τὸ τῆς ὕβρεως, καὶ ἕτερον ἐξ οὗ κοινὸν τὸ τῆς δόξης καθίστηκεν, ἐξ ἡμῶν μὲν γάρ ἐστιν αὐτῷ ἡ ἐλάσσων τοῦ Πατρὸς ἀνθρωποτής, ἀπὸ δὲ τοῦ Πατρός ἐστιν αὐτῷ ἡ μετὰ τοῦ Πατρὸς ἴση Θεότης.

Διὰ ταύτην τοίνυν τοῦ προσώπου τὴν ἕνωσιν, τὴν ἐν ἑκατέρᾳ φύσει νοεῖσθαι ὀφείλουσαν, καὶ υἱὸν ἀναγινώσκομεν ἀνθρώπου κατεληλυθέναι ἐξ οὐρανοῦ· ὁπότε ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ τὸ σῶμα ἐξ αὐτῆς τῆς Παρθένου, ἐξ ἧς ἐτέχθη, προσέλαβεν· καὶ πάλιν ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ σταυρωθεὶς λέγεται, καὶ ταφείς· ὁπότε ταῦτα οὐκ ἐν αὐτῇ Θεότητι, ἐν ᾗ Μονογενής, καὶ συναΐδιος, [2] καὶ ὁμοούσιός ἐστι τῷ Πατρί, ἀλλ' ἐν τῇ ἀσθενείᾳ τῆς ἀνθρωπίνης ὑπομεμένηκε φύσεως. Ὅθεν τὸν Μονογενῆ Υἱὸν [3] τοῦ Θεοῦ σταυρωθέντα, καὶ ταφέντα [4] πάντες καὶ ἐν τῷ Συμβόλῳ συνομολογοῦμεν, **826** κατ' ἐκεῖνο τὸ ἀποστολικόν· Εἰ γὰρ ἔγνωσαν, οὐκ ἂν τὸν Κύριον τῆς δόξης ἐσταύρωσαν. [5] Ὅτε δὲ αὐτὸς ὁ κύριος ἡμῶν, καὶ Σωτὴρ τὴν πίστιν τῶν μαθητῶν διὰ τῶν οἰκείων [6] ἐξεπαίδευεν ἐρωτήσεων. [7] Τίνα με, φησὶ, λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι Υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; καὶ ἐκείνων ἀποκριναμένων, ἄλλας ἄλλων εἶναι δόξας· Ὑμεῖς, φησὶ, τίνα με λέγετε [8] εἶναι; ἐμὲ δηλαδὴ τὸν Υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ὃν ἐν μορφῇ δούλου, καὶ ἀληθείᾳ σώματος θεωρεῖτε, τίνα με λέγετε [9] εἶναι; ἔνθα ὁ μακάριος Πέτρος θεόθεν ἐμπνευσθείς, καὶ διὰ τῆς οἰκείας ὁμολογίας πᾶσι μέλλων γίνεσθαι σωτηρία τοῖς ἔθνεσι, Σὺ εἶ, φησὶν, ὁ Χριστὸς ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, τοῦ ζῶντος· καὶ ἀξίως μακάριος ἀπεφάνθη παρὰ τοῦ Κυρίου, καὶ ἀπὸ τῆς πρωτοτύπου πέτρας τὸ [9] στερεὸν ἐπεσπάσατο τῆς τε ἀρετῆς,

CAP. V. *Veritas carnis in Christo probatur ex Scriptura.* — Propter [b] hanc ergo unitatem personæ in utraque natura intelligendam, et Filius hominis [c] legitur descendisse de cœlo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine de qua est natus, assumpserit. Et rursus Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cum hæc non in Divinitate ipsa, qua Unigenitus consempiternus et consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. **825** Unde Unigenitum Filium Dei crucifixum et sepultum omnes etiam in Symbolo confitemur, secundum [d] illud Apostoli: *Si enim cognovissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent* (I *Cor.* II, 8). Cum autem ipse Dominus noster atque Salvator fidem discipulorum [e] suis interrogationibus erudiret, *Quem* [f] *me*, inquit, *dicunt homines esse Filium hominis?* Cumque illi diversas aliorum opiniones retexuissent, *Vos autem*, ait, *quem me esse dicitis?* Me utique, qui sum Filius hominis, et quem in forma servi atque in veritate carnis aspicitis, quem me esse dicitis? Ubi B. Petrus divinitus inspiratus, et confessione sua omnibus gentibus profuturus, *Tu es*, inquit, [g] *Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). Nec immerito beatus est pronuntiatus a Domino, et

[a] Melior visa est hæc lectio, quam non solum prima editio et Conciliorum, verum etiam tres libri mss. Veron. nec non Vat. Reg. collect. 1, alius Vat. collect. 3, alius collect. 11, secundo loco, Ratisp. ac tres nostri collect. Chalcedon. cum codd. Baluzii præferunt. Alias, *unde contumelia in utroque communis, aliud unde*, etc.

[b] Peculiare est Leonem sumpsisse hunc locum ex Augustini libro contra sermonem Arianorum cap. 8, et nunc iisdem, nunc aliis verbis utendum credidisse. Sic enim ibi legitur: *Ac per hoc propter istam unitatem personæ in utraque natura intelligendam et Filius hominis dicitur descendisse de cœlis, quamvis sit ex ea quæ in terra fuerat Virgine assumptus; et Filius Dei dicitur crucifixus et sepultus, quamvis hæc non in Divinitate ipsa, qua est Unigenitus Patri coæternus; sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus.... Unigenitum vero Filium Dei crucifixum et sepultum omnes etiam in Symbolo confitemur. Unde est et illud Apostoli: Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Id in magnam Augustini gloriam cedit, et Leonis quoque studium ac diligentiam commendat. Duo mss. Veron. et tres collect. Chalcedon. pro *ergo* habent *enim*. Editiones Conciliorum omittunt utrumque.

[c] Duo antiquiss. Vat. 1342 collect. 3, et 5845 collect. 8, *dicitur*, ut in recitato Augustini textu. Mox pro *assumpserit* in prima editione *assumpsit*. Dein, *crucifixus legitur* in Veron. 57.

[d] Omnes codd. collect. Chalcedon., utrique Hisp., nec non Isid. et Vat. 5845, cum edit. Concil., *illud Apostoli dictum*. Post pauca, *Dominum gloriæ crucifixissent*, in Ratisp. cod., sicuti etiam apud Augustinum legitur.

[e] Cod. Vat. collect. 24 et Sichardus addunt *suorum*. In editis Leonis ante Quesn., perperam, *Suorum suis interrogationibus audiret*. Vide not. 26 Quesn.

[f] Addidimus *me* ex tribus vetustiss. Veronen., ex Vat. Reg. collect. 1, Vindebon. Hisp., Vat. collect. 11, utroque loco, Ratisp., Romano Lectionario, Vat., ac tandem ex Vat. 1322 collect. Chalcedon. aliisque quatuor apud Baluzium. Solum duo ex laudatis codd., Veron. 8 et 58, habent: *Quid me, inquit, dicunt?* Dein, *vos, ait, quem me dicitis esse?* in duobus Veronen. et in Ratisp. In alio autem Veron., *Vos, ait, quid me dicitis esse?* In Vindebon. Hisp. deest *ait*; in uno Vat. *autem* desideratur.

[g] Codd. Ratisp. et Vat. collect. 11, secundo loco, prætereunt *Christus*.

[1] Ms. Ven., ἕτερόν τε ἐστιν.

[2] Ms. Bas. cum codd. Ven. primo et secundo, utrobique, καὶ ὁμούσιος ὢν τῷ.

[3] Ita in mss. Basil. et Ven. ambobus, juxta textum Latinum, *Unigenitum Filium Dei crucifixum et sepultum*, nisi quod in Basiliano additur καὶ ἀναστάντα. In edit. male, τὸν Μονογενῆ Υἱὸν τοῦτον σταυρωθέντα, etc.

[4] Ms. Ven. primum, πάντες ἐν τῷ συμβόλῳ ὁμολογοῦμεν.

[5] Ms. Bas. ἐξεπαίδευσεν.

[6] Non dubitavimus ita emendare ope codd. Basil. et Ven. secundi utroque loco. Basilianus quidem habet τίνα μέν: sed ex μὲ factum μέν, errore amanuensium, quis non videt? Hanc lectionem notarunt in margine etiam editores Romani. In Vulg., τίνα, φησί.

[7] Ms. Bas., εἶναι δηλαδή.

[8] Hanc vocem εἶναι habet pns. Basil., quam non adjecissemus, nisi et in textu Latino exstaret: *quem me esse dicitis?* In Vulg., τίνα με λέγετε.

[9] In marg. edit. Rom., στερρόν.

Digitized by Google

a principali petra soliditatem et virtutis traxit et A
semina, qui per revelationem Patris eumdem [a] et
Dei Filium est confessus et Christum : quia unum
horum sine alio receptum non proderat ad salutem;
et æqualis erat periculi Dominum Jesum Christum
aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo
solum hominem credidisse. Post resurrectionem vero
Domini (quæ 827 utique veri [b] corporis fuit, quia
non alter est resuscitatus, quam qui fuerat cruci-
fixus et mortuus) quid aliud quadraginta dierum
mora gestum est, quam ut fidei nostræ integritas
ab omni caligine mundaretur? Colloquens enim cum
discipulis [c] suis, et cohabitans atque convescens
(*Act.* I, 4), et pertractari se diligenti curiosoque
contactu ab eis, [d] quos dubietas perstringebat, ad-
mittens, ideo et [e] clausis ad discipulos januis intro- B
ibat, et flatu suo dabat Spiritum sanctum (*Joan.* XX,
22), et donato intelligentiæ lumine, sanctarum Scri-
pturarum occulta pandebat; et rursus [f] idem vulnus
lateris (*Ibid.*), fixuras clavorum et omnia recentissi-
mæ passionis signa monstrabat, dicens : *Videte
manus meas et* [g] *pedes, quia ego sum. Palpate et vi-
dete, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me
videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39); ut agnosceretur in eo
proprietas divinæ humanæque naturæ individua per-
manere; et ita sciremus Verbum [h] non hoc esse quod
carnem, ut unum Dei Filium et Verbum confiteremur
et carnem. Quo fidei sacramento Eutyches iste nimium
æstimandus 829 est vacuus, [i] qui naturam nostram in
Unigenito Dei, nec per humilitatem mortalitatis, nec
per gloriam resurrectionis agnovit. Nec sententiam C
beati apostoli et evangelistæ Joannis expavit dicentis :
*Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne
venisse, ex Deo est : et omnis spiritus qui solvit Jesum,*

καὶ τῆς προσηγορίας· ὃς τις δι' ἀποκαλύψεως τοῦ Πατρὸς
τὸν αὐτὸν καὶ Υἱὸν Θεοῦ [1] ὡμολόγησε, καὶ Χριστόν· ἐπεὶ
διάπερ ἐν τούτων [2] δίχα θατέρου λαμβανόμενον, ἀνόνητον
ἐτύγχανεν εἰς σωτηρίαν· καὶ τοῦ αὐτοῦ ὑπῆρχε κινδύνου
τὸ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἢ Θεὸν μόνον ἄνευ ἀνθρώ-
που, ἢ δίχα Θεοῦ πιστεύειν ἄνθρωπον μόνον. [3] Μετὰ δὲ
τὴν ἀνάστασιν τοῦ Κυρίου, ἥ τις δηλαδὴ τοῦ ἀληθοῦς
αὐτοῦ σώματος γέγονεν, [4] ἐπειδήπερ οὐκ ἄλλος ἀνέστη,
εἰ μὴ 828 ὁ σταυρωθείς, καὶ ἀποθανών, [5] τί ἕτερον τῇ
τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν αὐτοῦ διαγωγῇ γέγονεν, ἢ
ἵνα ἐκ πάσης ἀχλύος τὰ τῆς πίστεως ἡμῶν καθαρθῇ;
διαλεγόμενος γάρ [6] ἑαυτοῦ μαθηταῖς, καὶ συνδιατρίβων,
καὶ [7] συναλιζόμενος, [8] ἀκριβέστερόν τε, καὶ πολυπραγ-
μονικώτερον διὰ τῆς ἁφῆς ἑαυτὸν ψηλαφᾶσθαι παρὰ τού-
των, οὓς ἔπληττε τὸ ἀμφίβολον, [9] ἐνδιδούς· διὰ τοῦτο καὶ
κεκλεισμένων τῶν θυρῶν εἰσῄει πρὸς τοὺς μαθητὰς, καὶ
τῷ φυσήματι τῷ ἑαυτοῦ παρεῖχεν ἅγιον Πνεῦμα· καὶ
χαριζόμενος τὸ φῶς τὸ τῆς γνώσεως, τῶν θείων Γραφῶν
ἐπεκάλυπτε τὰ ἀπόῤῥητα· καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς τὰ τραύ-
ματα τῆς πλευρᾶς, καὶ τὰς διατρήσεις τῶν ἥλων, καὶ
πάντα τὰ τοῦ νεαροῦ πάθους ἐπιδείκνυ σημεῖα, λέγων·
Ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα
οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα· ὅπως ἂν [10] μεμε-
νηκέναι ἐν αὐτῷ γνωσθῇ ἡ ἰδιότης τῆς τε θείας, καὶ τῆς
ἀνθρωπίνης φύσεως [11] ἀδιαίρετος· οὕτω τε μάθωμεν τὸν
Λόγον, μὴ τοῦτο εἶναι, ὅπερ ἐστὶν ἡ σὰρξ, ἀλλ' ἵνα Υἱὸν
τοῦ Θεοῦ καὶ τὸν Λόγον ὁμολογήσωμεν, καὶ τὴν σάρκα.
Ἧς τινος πίστεως τοῦ μυστηρίου κοῦφος ὢν Εὐτυχὴς
οὗτος, καὶ ἀμέτοχος ὀφεῖλει νομίζεσθαι [12] ὃς τὴν φύσιν
τὴν ἡμετέραν ἐν τῷ Μονογενεῖ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ οὔτε διὰ
τῆς ταπεινότητος τῆς ἀνθρωπότητος, οὔτε διὰ τῆς δόξης
ἐπίγνω τῆς ἀναστάσεως· οὔτε τὴν ἀποφασιν ἐφοβήθη
830 τοῦ μακαρίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου
τοῦ λέγοντος· [13] ὅτι πᾶν πνεῦμα τὸ ὁμολογοῦν [14] Ἰησοῦν

[a] Veron. 58 addit *Deum*. Mox, *sine altero* pro *sine alio* in prima editione, et in Vat. 546 collect. 21. Paulo post, *sed æqualis* in vulgatis ante Quesn., nullo nostro codice opitulante, nec primæ editionis exemplo.

[b] Prima editio et codd. collect. 21 ac 24, *hominis fuit*. Alia exemplaria ut in textu. Vide not. 27 Quesnelli. Mox, *quia aliter non est resuscitatus* in vulgatis Leonis ante eumdem Quesn., qui cum prima editione et editis Concil. suisque codd. textus lectionem recepit, quam omnes quoque nostri antiqui libri approbant.

[c] In Veron. 57 ac in Vindebon. Hisp. alioque Vat. desideratur *suis*.

[d] Veron. 8, *quos dubitasse perspiciebat*. Mox, *assensum adhibens* pro *admittens* in Vat. Hisp. In Vat. autem Isid., *assensum admittens*; et in Vat. 546 collect. 21, *assensum præbuit*.

[e] Duo Veron. 57 et 58, cum Parisien. et Gorb. Baluzii, *clausis januis ad discipulos*; Colbert., *clausis januis intróibat ad discipulos*.

[f] Vocem *idem* a Quesnello expunctam, quæ quidem abest in editis Concil. et nonnullis nostris codd. revocavimus, complurium et præstantiorum exemplarium auctoritate, nimirum trium Veron. Vat. collect. 3, Ratisp., alterius Vat. collect. 11 secundo loco, duorum collect. Chalced., quatuor Baluzii, nec non mss. collect. 21 et 24, quibus Græca interpretatio concinit, ὁ αὐτός, *ipse*.

[g] Primæ editionis exemplar et cod. Vat. Reg., *pedes meos*. Mox, *non habent* in Vat. 1322.

[h] Editi cum quibusdam mss., *hoc non esse*. Potiorum et plurium codd. et primæ editionis syntaxim præstulimus. Mox, *et unum Dei Filium* in utrisque Hisp. et in Vat. Isid. Editi ante Quesn., *et ut unum Dei Filium*. Dein pro *confiteremur* in Vat. 1322, *confiteamur*; in Vindebon. collect. 5, *confitemur*.

[i] Veron. 58, *quia naturam*. Paulo post, *qui solvit Jesum Christum* in prima editione et quinque mss.

[1] Ms. Bas., ὡμολόγησεν εἶναι καὶ Χριστόν.

[2] Ms. Bas., δίχα ἑτέρου.

[3] Mutavimus κατὰ, quod erat in vulgatis, in μετὰ, auctoritate mss. Basil. et Ven. amborum. Nec aliud sane legendum postulat textus Latinus, *Post resurrectionem vero*.

[4] Ms. Bas., ἐπείπερ οὐκ ἄλλος.

[5] Ms. Bas., τί δὲ καὶ ἕτερον ἡ τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν διαγωγὴ αὐτοῦ γέγονεν. In ms. itidem Ven. secundo utrobique, ὡ... διαγωγή.

[6] Mss. Ven. ambo, τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς.

[7] In marg. edit. Rom., συναυλιζόμενος.

[8] Ms. Bas., ἀκριβέστερον δέ.

[9] Ms. Ven. secundum, loco secundo, ἀνεδίδου.

[10] Ms. Bas., ἐν αὐτῷ μεμενηκέναι γνωσθῆναι.

[11] Ms. Bas., ἀδιαιρέτως.

[12] Ms. Bas., ὅστις τὴν φύσιν.

[13] Abest ὅτι a mss. Bas. et Ven. secundo utrobique.

[14] Adjecimus Ἰησοῦν e codd. Bas. et Ven. amborum. Concinit textus Latinus, *Jesum Christum in carne*. In vulg., Χριστὸν sine Ἰησοῦν.

Digitized by Google

ex Deo non est, et hic est Antichristus (1 *Joan.* IV, 1). Quid autem est solvere Jesum, nisi humanam ab eo separare naturam [a] et sacramentum, per quod unum salvati sumus, impudentissimis evacuare figmentis? Caligans vero circa naturam corporis Christi, necesse est ut etiam in passione ejus eadem obcæcatione desipiat. Nam [b] si crucem Domini non putat falsam, et susceptum pro mundi salute supplicium verum fuisse non dubitat; cujus credit mortem, agnoscat et carnem: nec diffiteatur nostri corporis hominem, quem cognoscit fuisse passibilem; quoniam negatio veræ carnis, negatio est etiam corporeæ passionis. Si [c] ergo Christianam suscipit fidem, et a prædicatione Evangelii suum non avertit auditum; videat quæ natura **831** transfixa clavis pependerit [d] in crucis ligno, et aperto per militis lanceam latere crucifixi, intelligat unde sanguis et aqua fluxerit, ut Ecclesia Dei et lavacro [e] rigaretur et poculo. Audiat et beatum Petrum apostolum prædicantem, quod sanctificatio Spiritus per aspersionem fiat sanguinis Christi. Nec transitorie legat ejusdem apostoli verba dicentis: *Scientes, quod non corruptibilibus argento et auro redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Jesu Christi* (1 *Petr.* I, 18). Beati quoque Joannis apostoli testimonio non resistat, dicentis: *Et sanguis Jesu* [f] *Filii Dei emundat nos ab omni peccato* (1 *Joan.* I, 7). Et iterum: *Hæc est victoria quæ* [g] *vincit mundum, fides nostra* (1 *Joan.* V, 4). Et: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam* [h] *spiritus est veritas. Quia tres*

A Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀπὸ Θεοῦ ἐστι, καὶ πᾶν πνεῦμα τὸ διαιροῦν Ἰησοῦν Χριστὸν, ἀπὸ Θεοῦ οὐκ ἔστιν· καὶ οὗτός ἐστιν [1] ὁ Ἀντίχριστος· τί δέ ἐστι τὸ [2] διαιροῦν Ἰησοῦν, εἰ μὴ τὴν ἀνθρωπίνην ἀπ' αὐτοῦ φύσιν ἀποχωρίζειν, καὶ τὸ μυστήριον, δι' οὗπερ ἐσώθημεν μόνου, πειρᾶσθαι μάταιον διὰ πλασμάτων ἀναιδῶν ἀπεργάζεσθαι; ὁ δὲ τὴν ἀχλὺν ὑφιστάμενος περὶ τὴν φύσιν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, ἀναγκαίως καὶ περὶ τὸ πάθος αὐτοῦ τῇ παραπλησίᾳ τυφλώσει παραφρονεῖ. [3] Καὶ γὰρ εἰ τὸν σταυρὸν τοῦ Δεσπότου ψευδῆ μὴ νενόμικε, καὶ τὸ πάθος τὸ ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου σωτηρίας [4] ἀναδεχθὲν, ἀληθῶς γενόμενον οὐδαμῶς· [5] ἀμφιβάλλει· οὗ τινος οὐκοῦν ἐπιγινώσκει τὸν θάνατον, ἐπιγενωσκέτω [6] καὶ τὴν σάρκα· καὶ μηδὲ τῆς ἡμετέρας αὐτὸν σαρκὸς ἄνθρωπον ἀπαρνείσθω, ὃν παθητὸν ἔγνω γενόμενον, ἐπειδήπερ ἡ ἄρνησις B τοῦ ἀληθοῦς σώματος ἄρνησίς ἐστι καὶ τοῦ πάθους τοῦ σώματος. Εἰ τοίνυν δέχεται πίστιν Χριστιανῶν, καὶ ἀπὸ τοῦ κηρύγματος τοῦ Εὐαγγελίου μὴ τὴν οἰκείαν ἀκοὴν ἀποστρέφει, σκοπείτω ποία φύσις διαπεπαρμένη τοῖς ὅλοις [7] ἐν τῷ τοῦ σταυροῦ ξύλῳ ἐκρέματο, καὶ [8] ἀνοιγείσης τῆς πλευρᾶς προσπεπηγότος τῷ σταυρῷ διὰ τοῦ δόρατος τοῦ στρατιώτου, νοείτω πόθεν τὸ αἷμα, καὶ τὸ ὕδωρ ἐρρύη, ὥστε τὴν **832** Ἐκκλησίαν τὴν τοῦ Θεοῦ τῷ τε λουτρῷ καταρδεύεσθαι, καὶ τῷ πόματι. Ἀκουέτω δὲ καὶ τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου καρύττοντος· ὅτι ὁ καθαρισμὸς [9] τοῦ Πνεύματος διὰ τοῦ ῥαντισμοῦ γίνεται τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ· μηδὲ παροδικῶς ἀναγινωσκέτω τοῦ αὐτοῦ ἀποστόλου τὰ ῥήματα λέγοντος· Εἰδότες ὅτιπερ [10] οὐ φθαρτοῖς, ἀργυρίῳ, ἢ χρυσίῳ ἐξηγοράσθητε ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν πατροπαραδότου ἀναC στροφῆς, ἀλλὰ τῷ τιμίῳ αἵματι, ὡσανεὶ Ἀμνοῦ ἀχράντου, καὶ ἀμώμου [11] Χριστοῦ Ἰησοῦ. Καὶ τοῦ μακαρίου δὲ Ἰωάννου τοῦ ἀποστόλου τῇ μαρτυρίᾳ [12] μὴ ἀνθιστάσθω λέγοντος· Καὶ τὸ αἷμα τοῦ Ἰησοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ καθαρί-

[a] Codd. collect. 24 cum vulgatioribus editis, *et sacramentum fidei, per quod salvati sumus.* Omnes nostri codd. cum prima editione lectionem a Quesn. textui insertam confirmant, exceptis duobus, in quibus vox *unum* omittitur. Vide not. 29 ejusdem.

[b] Vat. Hisp. et Isid., *qui crucem.*

[c] Cum plerisque et optimæ notæ codd. nec non cum prima editione, et Conciliorum, quibus Græca versio cohæret, reposuimus *ergo* pro *enim*, quod in paucioribus mss. et in Leonis editis habetur. Cod. Vat. collect. 3 habet *Qui ergo* pro *Si ergo.* Quidam codd. præsertim collect. Chalcedon., *suscepit* pro *suscipit*; ac dein, *non avertat* pro *non avertit* in Vindebon. Hisp.

[d] Ratisp., *in cruce et aperto.* Mox, *militis lancea* in Vat. collect. 11, primo loco. Dein pro *fluxerit* aliqui nostri codd., *fluxerunt, fluxerint*, vel *effluxerint* cum editis ante Quesn.

[e] Solus Vindebon. Hisp., *regeneretur.* Mox Vindebon. collect. 5, Ratisp. et niss. collect. 24, atque Baluzii omittunt *et* ante *beatum.* Postea, *fiat sanguinis Jesu Christi* in Vat. Hisp., Isid., Veron. 58 et Vat. 1322.

[f] Codd. utrique Vindebon. addunt *Christi* post vocem *Jesu.*

[g] Duo codd. Veron. et Ratisp., et hic, et post pauca, *vicit* pro *vincit.* Dein, *fides nostra* pro *fides vestra* scripsimus ex plerisque ac potioribus mss. cum editione prima, et Conciliorum, ac interpretatione Græca. Mox Veron. 8, Vindebon. collect. 5 et Ratisp. ignorant conjunctionem *et.* In Joanne quidem post versum antecedentem immediate subjiciuntur versus sequentes, *Quis est*, etc. Post pauca in iisdem Veron. et Ratisp., *quia Jesus est Filius Dei.*

[h] Editi ante Quesn. cum mss. Vindebon. Hisp. et Vat. collect. 11, 21 et 24, habent: *Christus est veritas,* itemque

[1] Ms. Ven. secundum, loco secundo, τοῦ Ἀντιχρίστου.

[2] In marg. edit. Rom., διαιρεῖν *L.* Atque ita in ms. quoque Ven. secundo, secundo loco.

[3] Ms. Basil., καὶ γὰρ σταυρὸν τοῦ Δεσπότου ψευδῆ μὲν ἐνόμισεν.

[4] Ms. Bas. et Ven., ἀναδειχθέν.

[5] Ita legendum monent codd. Bas. et Ven. primus. Perperam in vulgatis, ἀμφιβάλλοι. Ut enim supra νενόμικε dixit, indicativo modo, ita et hic ἀμφιβάλλει dicere debuit.

[6] Ita cod. Bas., juxta Latinum, *agnoscat et carnem*; καὶ in vulgatis non apparet.

[7] Ms. Bas., ἐν τῷ σταυρῷ ξύλῳ κεκρέμαστο: quæ ultima vox habetur etiam in ms. Ven. 2, secundo loco; primo vero, ἐκρέμαστο.

[8] Codd. Bas. et Ven. secundus, utroque loco, νυγείσης: Venetus vero primus, ἀνυγείσης: quod certe corruptum a νυγείσης; quæ lectio minime spernenda, derivatur enim a νύσσω, *pungo.*

[9] Ms. Bas., τοῦ Θεοῦ.

[10] Ms. Bas., οὐ φθαρτοῖς ἀργυρίου ἢ χρυσίου ἠγοράσθητε. Ms. Ven. secund., utroque loco, οὐ τοῖς φθαρτοῖς.

[11] Ms. Bas., Ἰησοῦ Χριστοῦ.

[12] Ms. Bas., μὴ ἐπανιστάσθω.

Digitized by Google

sunt, qui testimonium dant, spiritus, aqua, et sanguis, et tres unum sunt. Spiritus utique sanctificationis, et sanguis redemptionis, et aqua baptismatis : quæ tria unum sunt, et individua manent, nihilque eorum a sui connexione sejungitur ; quia catholica Ecclesia hac fide vivit, [a] hac **833** proficit, ut in Christo Jesu nec sine vera Divinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate Divinitas.

A ζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας· καὶ πάλιν· αὕτη ἐστὶν ἡ νίκη ἡ νικήσασα τὸν κόσμον, ἡ πίστις ἡμῶν· [1] καὶ τίς ἐστιν, ὃς ἐνίκησε τὸν κόσμον, εἰ μὴ ὁ πιστεύων, ὅτι [2] Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ; οὗτος ὁ ἐρχόμενος δι' ὕδατος, καὶ αἵματος, Ἰησοῦς Χριστός· οὐκ ἐν τῷ ὕδατι μόνον, ἀλλ' ἐν ὕδατι, καὶ αἵματι· καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν, [3] ἐπειδὴ τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια. Τρεῖς γάρ εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα [4] καὶ οἱ τρεῖς τὸ ἕν εἰσι,, τὸ πνεῦμα δηλονότι τοῦ ἁγιασμοῦ, καὶ τὸ αἷμα τῆς λυτρώσεως. καὶ τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος· [5] ἅπερ τρία ἓν ἐστι, καὶ ἀμέριστα μένει· καὶ οὐδὲν αὐτῶν [6] ἀπὸ **834** τῆς αὐτῶν χωρίζεται συναφείας· ἐπειδήπερ ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία ἐν ταύτῃ ζῇ, καὶ προκόπτει τῇ πίστει. Ἵνα [7] μήτε δίχα τῆς ἀληθοῦς θεότητος [8] ἡ ἀνθρωπότης, μήτε δίχα τῆς ἀληθοῦς ἀνθρωπότητος [9] ἡ θεότης πιστεύηται.

CAP. VI. *Eutychis prava et subdola confessio. Qua ratione, si resipiscit, communioni sit restituendus. Legati mittuntur in Orientem.* — Cum autem [b] ad interlocutionem examinis vestri Eutyches responderit, dicens : *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem vero unam naturam confiteor :* miror tam absurdam tamque perversam ejus professionem nulla judicantium increpatione reprehensam, et sermonem nimis insipientem [c] nimisque blasphemum, [d] ita omissum, quasi nihil quod offenderet esset auditum ; cum tam impie duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quam nefarie postquam *Verbum caro factum est*, natura in eo singularis asseritur. Quod ne Eutyches ideo vel recte vel tolerabiliter æstimet dictum, quia nulla vestra est sententia • confutatum, sollicitudinis tuæ diligentiam commonemus, frater charissime, ut si per inspirationem misericordiæ Dei ad satisfactionem

Πρὸς μέντοι γε τὴν διαλαλιὰν τῆς ὑμετέρας ἀκροάσεως [10] ὁ Εὐτυχὴς ἀπεκρίνατο, λέγων· Ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι τὸν Κύριον ἡμῶν πρὸ τῆς ἑνώσεως· [11] μετὰ μέντοι τὴν ἕνωσιν μίαν φύσιν ὁμολογῶ· θαυμάζω B τὴν οὕτως ἀλλόκοτον, καὶ οὕτω διεστραμμένην ὁμολογίαν, μηδεμιᾷ τῶν δικαζόντων ἐπιτιμήσει δόξασαν ἐπιλήψιμον· καὶ τὸν οὕτως ἄφρονα λόγον ἐν παραδρομῇ γεγονότα, [12] ὡς τῶν ἀκουσθέντων οὐδενὶ προσκρουσάντων· ὁπότε τὸν αὐτὸν τρόπον ἐστὶν ἀσεβὲς τὸ λέγειν, ὡς ἐκ δύο φύσεων πρὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως [13] ὁ μονογενής ἐστιν Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὥσπερ ἐστὶν ἀθέμιτον τὸ διαβεβαιοῦσθαι, ὡς μετὰ τὸ τὸν λόγον σάρκα γενέσθαι, μία ἐν αὐτῷ φύσις ἐστίν· ὅπερ ὅπως ἂν μὴ Εὐτυχὴς ὀρθῶς, [14] ἦτ οὖν ἀνεκτῶς ὑπολάβῃ ῥηθέν· ἐπειδήπερ ἐξ οὐδεμίας ἡμῶν ἐπεστόμισται ψήφου, τὴν τῆς σῆς ἀγάπης ὑπομιμνήσκομεν ἀκρίβειαν, ἀδελφὲ τιμιώτατε, ἵνα, εἰ διὰ τῶν τοῦ Θεοῦ οἰκτιρμῶν εἰς [15] ἀπολογίαν περιΐσταται τὰ τοῦ πράγματος, ἡ ἀγνωσία τοῦ ἀμαθοῦς ἀνθρώπου καὶ ἀπὸ ταύτης [16] τῆς φθορᾶς κατὰ τὴν οἰκείαν **836** διάνοιαν [17] καθαρθῇ.

---

itemque in Vindebon. collect. 5, secunda manu : ac propterea restringenda est Quesnelli propositio, qua not. 31 lectionem textui insertam contineri affirmavit in omnibus mss., sed explicanda de codicibus suis. Postea duo codd. Veron. utrique Vindebon., Chigianus ac Ratisp., *et aqua*. Dein Veron. 57, Vat. collect. 3, cum alio Vat., *Hi tres unum sunt*. Editi ante Quesn. cum quibusdam mss., *et hi tres*.

[a] *Hac* pro *ac* reposuimus ex prima editione, et quinque antiquioribus et optimis mss. Mox voces *in Christo Jesu* desunt in decem codd. et in Græca versione. Prima editio et Vindebon. Hisp., *in Domino Jesu Christo*.

[b] Editi ante Quesn. cum mss. collect. 24, *ad interrogationem*. Vide not. 32 Quesn. Post pauca, *responderet* pro *responderit* in duobus mss. Veronens. Dein in quatuor codd. abest vox *nostrum*, et postea in decem vox *ejus*.

[c] Voces *nimisque blasphemum* omittuntur in duobus mss. Veron., in Vat. 1322, in Vindebon. Hisp., in Ratisp. et in duobus Thuaneis a Quesnello memoratis not. 33, et apud Facundum.

[d] Vide not. 34 Quesn., ubi exhibet variantem codicis Corb. et Facundi, apud quem mox, *ante adunationem* legitur pro *ante incarnationem*, ut idem Quesn. animadvertit not. 35.

[e] Cod. Veron. 58, *confutatus*. Mox, *dilectionis tuæ diligentiam* habent plerique etiam vetustiores codices cum editis Concilior. et Græca versione, nec non quinque a Quesnello laudati not. 36. Ex his nonnulli addunt *igitur* post voces *dilectionis tuæ*. Lectionem tamen editionum Leonis aliis codd. confirmatam præsertim Vindebon. collect. 5 Ratisp. et Romanæ Ecclesiæ Lectionario Vat. 3836, utpote valde congruam haud excludendam putavimus. Prima edi- C tio, *sollicitudinis tuæ diligentiam commonentes, hortamur, frater charissime*, etc.

[1] Ms. Bas., τίς ἐστιν ὁ νικήσας τὸν κόσμον.

[2] Ms. Bas., Ἰησοῦς ἐστιν ὁ ἐρχόμενος δέ ὕδατος. Ms. Ven. primum non habet Ἰησοῦς.

[3] In marg. edit. Rom., ὅτι Χριστός ἐστιν ἡ ἀλήθεια.

[4] Ms. Ven. secundum, primo loco, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι.

[5] Ms. Ven. secundum, primo loco, ἅπερ τὰ τρία.

[6] Deest αὐτῶν in ms. Ven. primo. In Basil. autem legitur αὐτοῦ : quæ quidem lectio melior nobis videtur, nisi quod αὐτοῦ pro αὐτοῦ libentius legeremus. In ms. Ven. secundo, utrobique, ἑαυτῶν, quod itidem minime spernendum.

[7] In marg. edit. Rom. notantur hæc verba, tamquam exciderint, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. L. Scilicet, ἵνα ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ μήτε, etc.

[8] Ms. Bas., ἡ ἀνθρωπότης γνωρίζηται.

[9] Ms. Bas., ἡ θεότης εἶναι πιστεύεται.

[10] Mss. Bas. et Ven. secundum utrobique, ὡς Εὐτυχὴς ἀπεκρίνατο. D

[11] Mss. Bas. et Ven. secundum utroque loco, μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν ; quam veram lectionem esse vix dubitamus.

[12] Ms. Bas., ὡς τῶν ἀκουσάντων, ὁπότε τὸν αὐτὸν τρόπον ; corrupte.

[13] Ms. Bas., ὁ μονογενὴς ἐστιν ἀθέμιτον. Amanuensis scilicet hic dormitabat.

[14] Ms. Bas., ἤγουν ἀνεκτός. In marg. edit. Rom. εἴτ' οὖν. Atque ita in ms. Ven. secundo utroque loco, sed conjunctim, εἴτουν.

[15] In marg. edit. Rom., πληροφορίαν.

[16] Ms. Ven. sec. utrobique, τῆς φθορᾶς τῆς κατὰ, etc.

[17] In marg. edit. Rom., διὰ σοῦ καθ.

Digitized by Google

causa perducitur; imprudentia hominis **835** impe-
riti etiam ab hac sensus sui [a] peste purgetur. Qui quidem, sicut gestorum ordo patefecit, bene cœperat a sua persuasione discedere, cum vestra sententia coarctatus profiteretur se dicere quod ante non dixerat, et ei fidei acquiescere cujus prius fuisset alienus. Sed cum anathematizando impio dogmati noluisset præbere consensum, intellexit eum fraternitas vestra in sua manere perfidia, dignumque esse qui judicium condemnationis excideret. De quo si fideliter atque utiliter dolet, et quam recte mota sit episcopalis auctoritas vel sero cognoscit; vel si ad satisfactionis plenitudinem omnia quæ ab eo male sunt sensa viva voce et præsenti subscriptione damnaverit, non erit reprehensibilis erga correctum quantacumque miseratio: quia Dominus noster verus et bonus pastor, qui *animam suam posuit pro ovibus suis* (*Joan.* x, 11), et qui venit animas hominum salvare, non perdere (*Luc.* ix, 56), imitatores nos suæ vult esse pietatis: ut peccantes quidem justitia coerceat, conversos autem misericordia non repellat. Tunc enim demum fructuosissime fides vera defenditur, quando etiam a sectatoribus suis opinio falsa damnatur. Ad omnem vero causam pie ac fideliter exsequendam, **837** [b] fratres nostros Julium episcopum et Renatum presbyterum [c] tituli

Ὃς τις μὲν οὖν, ὡς ἡ τάξις τῶν πεπραγμένων δηλοῖ, καλῶς ἀναχωρεῖν ἦν ὁρξάμενος ἀπὸ τῆς ἰδίας ἐνστάσεως, ὀπηνίκα τῇ ὑμῶν ἀποχάσει συνεχόμενος, ὡμολόγει λέγειν ἑαυτὸν, [1] ὃ πρότερον οὐκ εἰρήκει, καὶ ταύτῃ ἐφησυχάζειν τῇ πίστει, ἧς ἐτύγχανε πρώην ἀλλότριος. Ἀλλ' ὑπότε ἐν τῷ ἀναθεματιστέῳ ἀσεβεῖ δόγματι συναινεῖν οὐκ ἠβούλετο, ἔγνω αὐτὸν ἡ ὑμῶν ἀδελφότης, ἐν τῇ οἰκείᾳ [2] διαμένοντα κακοδοξίᾳ, καὶ ἄξιον εἶναι τοῦ δέχεσθαι τὴν κρίσιν τῆς καθαιρέσεως· ἐφ' ᾧπερ, εἰ πιστῶς, καὶ συμφερόντως ἀλγεῖ, καὶ εἰ βράδιον γοῦν, ὅμως ἐπιγινώσκει, ὅπως εἰς δέον ἡ τῶν ἐπισκόπων ἐπ' αὐτῷ αὐθεντία κεκίνηται· [3] ἢ εἰ πρὸς τὸ τέλειον τῆς ἀπολογίας ἴδοι, ὥστε πάντα τὰ παρ' αὐτοῦ κακῶς φρονηθέντα, ἐναργεῖ, καὶ παρούσῃ τῇ φωνῇ, καὶ οἰκείᾳ δὲ καταδικασθῆναι ὑπογραφῇ, οὐκ ἔσται καταγνώσεως ἄξιος ὁ περὶ τὸν διορθωθέντα [4] ὁποσοσοῦν ἔλεος· ἐπειδήπερ ὁ Κύριος ἡμῶν ὁ ἀληθινὸς, καὶ ἀγαθὸς ποιμὴν, [5] ὁ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ θεὶς ὑπὲρ τῶν προβάτων τῶν [6] ἑαυτοῦ, καὶ ὃς ἦλθε τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων σῶσαι, οὐκ ἀπολέσαι, μιμητὰς ἡμᾶς τῆς οἰκείας ἀγαθότητος εἶναι βούλεται· ἵνα τοὺς μὲν ἁμαρτάνοντας σωφρονίσῃ τὸ δίκαιον, [7] τοὺς δὲ ἐπιστρέψαντας ὁ τῆς συμπαθείας οἶκτος μηδαμῶς ἀπώσηται. Τότε γὰρ ὄντως, τότε σὺν ἀγαθῷ τῷ κέρδει τὸ τῆς πίστεως ἀληθὲς ἐκδικεῖται, ὅτε καὶ παρὰ τῶν τῆς δυσσεβείας [8] ἐξάρχων ἡ οἰκεία κακοδοξία [9] καταδικάζεται. Πρὸς δὲ τὸ πᾶσαν τὴν **838** ὑπόθεσιν [10] εὐσεβῶς, καὶ πιστῶς [11] ἐξανυσθῆ-

[a] Cod. Veron. 58, *per te*, perperam pro *peste*. In Hisp. et Isid. nec non in Vat. collect. 3 et in mss. collect. 11, 21 et 24 cum editis ante Quesn., *macula per te purgetur*; quæ lectio orta videtur ex emendatione antiqui librarii, qui nactus in aliquo codice simili laudato Veron. voces *per te*, videns sensum imperfectum, ex ingenio addidit vocem *macula*. In ms. Vercell. collect. 8, *pravitate purgetur*. Cætera exemplaria lectionem a Quesnello inductam approbant. Confer ejus notam 37.

[b] Prima editio et illa Chiffletii cum paucis nostris mss. codd., *fratrem nostrum*, cæteri cum Græca versione, *fratres nostros*. Vide not. 38 Quesn. Mox, *Julianum* pro *Julium* habent mss. libri Vindebon. collect. 5 utrique Hisp., Vat. Isid., alius Vat. collect. 11, unus Patavinus S. Justinæ, duo Veron. et Colbert. Baluzii cum editis ante Quesn. *Julium* autem præferunt, præter codices ab isto allegatos not. 39, antiqui libri Vat. collect. 3, item alius Vat. 5845, ac Vercell. collect. 8, Ratisp., Lectionarium Vat. 3836, et omnes codices collectionis Chalcedon. tum nostri tum Baluzii, nec non Græca interpretatio, quam ex mss. Venetis emendavimus. *Julium* quidem, non autem *Julianum* Romanæ sedis legatione functum et probat Quesnellus laudata nota 39, et nos multo magis confirmabimus, cum eumdem Julium Puteolanum episcopum, non autem Julianum Coensem pseudosynodo Ephesinæ interfuisse in observationibus ad eamdem notam ostendemus.

[c] Voces *tituli S. Clementis* in omnibus suis codicibus, uno Barberino excepto, se reperisse affirmat Quesnellus nota 40, ac proinde leguntur inter cæteros in codd Corb. collect. 2, Trecopith. et Thuan. collect. 5, in Grimanico collect 18, et in aliis quibus ille usus est. Nos, qui in hunc præcipue locum plures codices contulimus, eas voces desiderari deprehendimus in codicibus octo collectionum, nimirum 3, 9, Hisp. 13, 17, 19, 21, 22 et 23, nec non in Græca versione et duobus peculiaribus mss. Veron. 8 et 58. Econtra invenimus in mss. quinque collectionum epistolarum, scilicet 5, 8, 10, 12 et 24, quibus si addas Quesnelli codices Corb. collect. 2, et Grimanum collect. 18, eæ voces septem collectionibus comprobantur. Accedunt Lectionaria et codices sermonum quibus hæc epistola inseritur, nec non exemplar Sichardi. In mss. Ottobon. 93, et Vat. 3791 collect. 11, bis hæc epistola describitur, et primo loco eadem verba exhibentur, secundo autem desiderantur. De codice Vat. Reginæ collect. 1 nihil memoravimus, cum in eo hæc epistola desinat antecedentibus verbis, *opinio falsa damnetur*, uti similiter desinit in duobus Lectionariis Bas. Vat. 105 et 107. Inter hæc tam diversa utrinque documenta, pro negativa sententia plurimi inter cæteros habendi sunt codices collectionis Chalcedonensis et Græcæ interpretationis, quæ in Chalcedonensi synodo lecta fuit. Pro affirmativa vero maximam auctoritatem habent præ cæteris Lectionaria, ac præsertim vetustissimum Vaticanum 3836, quod usui fuit ipsi Ecclesiæ Romanæ in basilica SS. apostolorum

[1] Ms. Bas., ὃ πρότερον εἰρήκει.

[2] Ms. Ven. primum, *μένοντα*.

[3] Ms. Bas., ὡς εἴγε πρὸς τὸ τέλειον. Ms. Ven. primum, *ἴη εἰ*, secundum vero utrobique, *εἰ* tantum.

[4] Hanc, quæ vera lectio est, hausimus e ms. Ven. secundo, primo loco, qui quidem habet, *πόσος οὖν*, sed prima syllaba ὁ errore amanuensis decst. In vulg., ὁπωσοῦν; perperam.

[5] Placuit addere αὐτοῦ auctoritate cod. Bas. juxta Latinum, *animam suam*. In vulg., ὁ τὴν ψυχὴν θείς.

[6] Ms. Bas., αὐτοῦ.

[7] Præstabimus, utpote minus implexam, lectionem hanc cod. Basil. in vulg., τοὺς ἐπιστρέψαντας δὲ ὁ τῆς συμπαθείας μηδαμῶς οἶκτος ἀπώσηται In ms. Ven. primo, *ὑποστρέψαντας*.

[8] In marg. edit. Rom., *ἀντεχομένων*.

[9] In hoc verbo καταδικάζεται desinunt mss. Ven. 164 et 505, secundo loco, nec non alius Ven. 163, utroque loco; et hic ultimus sequitur, *ἐδόθη εἴδοξ ἰουνίαις*. In ms. Bas., καταδικάσθηται; qui sequitur, *πρὸς δὲ καὶ τὸ*.

[10] Ms. Bas., *ἀκριβῶς*.

[11] Ms. Bas., *ἀνυσθῆναι*.

Digitized by Google

sancti Clementis, sed et filium meum Hilarum diaconem vice nostra direximus. Quibus Dulcitium notarium nostrum, cujus fides nobis est [a] probata, sociavimus : confidentes adfuturum Divinitatis auxilium, ut is qui erraverat, damnata sensus sui pravitate, salvetur. [b] Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Data idibus Junii, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus [c].

ναι, τοὺς ἀσελφοὺς ἡμῶν [1] Ἰουλιὸν τὸν ἐπίσκοπον, καὶ Ῥενάτον τὸν πρεσβύτερον, ἔτι γε μὴν καὶ τὸν [2] υἱόν μου Ἱλάρον τὸν διάκονον, εἰς τὸν ἡμῶν ἀπεστάλκαμεν τόπον. [3] Οἷς Δουλκίτιόν τὸν νοτάριον τὸν ἡμέτερον, οὗ τὴν πίστιν ἐδοκιμάσαμεν, συνεζεύξαμεν, θαῤῥοῦντες, [4] τὴν τοῦ Θεοῦ παρεσομένην βοήθειαν, ὥστε τὸν πλανηθέντα καταδικάσαντα τὴν σκαιότητα τοῦ φρονήματος τοῦ οἰκείου σωθῆναι. Ὁ Θεὸς ἐῤῥωμένον σε [5] διαφυλάττοι, ἀδελφὲ προσφιλέστατε. Ἐδόθη εἰδοῖς Ἰουνίαις [6].

EPISTOLA [d] XXIX.

[e] AD THEODOSIUM AUGUSTUM.

SYNOPSIS. — *Legatos vice sua aestimat ad Synodum Ephesinam, occasione Eutychis indictam. De eodem meliora spetat.*

839 [f] Cæsari THEODOSIO, religiosissimo et piissimo Augusto, LEO papa Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ.

Quantum rebus humanis consulere providentia divina dignetur, sollicitudo clementiæ vestræ, Spiritu Dei incitata demonstrat, quæ in catholica Ecclesia nihil impacatum, nihil vult esse diversum : quoniam FIDES, quæ non nisi una est, in nullo potest sui esse dissimilis. Unde licet Eutyches, quantum gestorum episcopalium ordo patefecit, imperite atque imprudenter errare detectus sit, debueritque [g] a sua,

840 Τῷ ἐνδοξοτάτῳ καὶ φιλανθρωποτάτῳ Θεοδοσίῳ Αὐγούστῳ, Λέων ἐπίσκοπος.

[7] Ὅσοι τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων κατὰ δύναμιν προνοεῖν καταξιοῖ τῆς ὑμετέρας φιλανθρωπίας ἡ φροντὶς, [8] πνεύματι Θεοῦ κινηθεῖσα, εὖ ἂν ἔχοι, μὴ βουλομένη περὶ τὴν καθολικὴν Ἐκκλησίαν διαφοράν, ἀλλ' εἰρήνην [9] τυγχάνειν. Καίπερ ἡ πίστις μία οὖσα, ἑαυτῆς οὐκ ὀφείλει τυγχάνειν ἀνομοία. Ὅθεν, εἰ καὶ Εὐτυχὴς, ὡς αἱ τῶν ἐπισκοπικῶν ὑπομνημάτων τάξεις ἐφανέρωσαν, ἀπείρως καὶ ἀσυνέτως πεπλανῆσθαι ἀποδέδεικται, καὶ

apostolorum Philippi et Jacobi. Difficile tamen videri potest Leonem, qui in tot epistolis alios Romanæ Ecclesiæ presbyteros, et hunc ipsum Renatum nominans, numquam titulum designavit, hac tantum in epistola *titulum S. Clementis* eidem affixisse. Num hic titulus ad marginem olim a quopiam, qui Renati titulum noverat, annotatus, in textum deinceps irrepserit, aliis judicandum relinquimus. Mox quidam codices et prima editio *Hilarum*, vel *Ilarium diaconum*.

[a] Codd. coll. Chalcedon. Vat. collect. 3, Veron. 8, Florentin. collect. 13, et exemplaria collect. 21 cum editione prima, et Conciliorum addunt, *sæpe*. Confer notam 41 Quesn.

[b] Sex voces sequentes desunt in duobus Veron., in Vat. collect. 3, in utrisque Vindebon. collect. 5, et Hisp. in Vat. collect. 8, in Ratisp. Florentino, Vat. 1322, et mss. collect. 24 cum prima editione. Jure autem recipiendæ fuerunt auctoritate aliorum codicum, ac potissimum collectionis Chalcedonensis, ac Græcæ interpretationis. Vid. not. 42 Quesn.

[c] In mss. utrisque Hisp. ac in Isidorianis et aliis libris, qui ab Hispanica vel Isidoriana procedunt, notatur *æra* CCCCLXXXVI. Est notatio chronica Hispanorum propria, quæ ab Hispanis adjecta fuit. Legendum *æra* CCCCLXXVII, ut respondeat anno 449. Vide not. 44 Quesnell. In uno codice Divionensi Bohierii collectionis Chalcedonensis hæc peculiaria addunt : *Tiburtius notarius jussu domni mei venerabilis Papæ Leonis edidi.* Quo ex fonte amanuensis Bohieriani codicis sumpserit hanc notationem, quæ non tam in omnibus aliis nostris et Baluzii codicibus Latinis ejusdem collectionis Chalcedonensis, sed etiam in Græca interpretatione omittitur, conjici nequit. Antiquam sane originem prodit. A Leonis I ætate alienam affirmat Quesnellus not. 43 vocem *domni*. Eam vero Leoni præfixam invenimus in vetustiss. ms. Lectionario Vat. 5835, quod fuit usui basilicæ SS. Philippi et Jacobi. Sic enim ibi pag. 176 : *Explicium sermones domni Leonis papæ de Ascensione Domini nostri Jesu Christi numero duo.* Baluzius in notis ad hanc epistolam Quesnelli notationem impugnat, sed rationibus quæ non satisfaciunt.

[d] Al. 26. Quæ autem antea 29 erat, nunc 23. Scr. 13 Junii an. 449.

[e] Exstat hæc epistola in mss. collect. 2, 5, 11, 12, 13, 17, 18, 19 et 21 usque ad 24, ac in exemplo Sichardi. Relegimus ad codices undecim, quibus alii tres Baluzii adjiciendi sunt. In collectione 5 hic titulus legitur cap. 89 : *Ad Theodosium imp. de synodo Ephesi celebranda.*

[f] Soli codd. collect. 17 Chalcedon., ad quos unus Thuaneus a Quesnello not. 1 memoratus pertinet, hanc inscriptionem præferunt : *Gloriosissimo et clementissimo Theodosio Augusto Leo episcopus.* Cæteræ collectiones vulgatam inscriptionem præferunt, si excipias Ratisp. collect. 19, in qua inscriptiones abbreviatæ exhibentur : *Leo episcopus Theodosio Augusto.* In ms. Florentino collect. 13 exigua varietate habetur : *Cæsari Theodosio religiosissimo et piissimo Augusto Leo Ecclesiæ catholicæ episcopus in Domino salutem.*

[g] Ita ex Ratisponensi et omnibus nostris ac Baluzii codd. collection. Chalcedon. Editi cum aliis mss., *a sua merito reprobabili persuasione.* Mox, *quia* pro *quoniam* in mss. Veron. 57 atque Ratisp.

[1] Ita duo codd. Ven. 184 et 5735, in epistola primo loco descripta, qui soli hunc locum exhibent, uti monuimus paulo ante annot. *x* (*Col.* 780, *n.* [9]). Editi perperam, Ἰουλιανὸν. Confer annot. 81 (*Col.* 779, *n.* [b]) in Latinum textum.

[2] Ms. Bas., υἱὸν μάλλαρον.

[3] Ms. Bas., εἰς Δουλκήτιον τὸν ἐμὸν νοτάριον, ὃν καὶ τὴν πίστιν.

[4] Ms. Bas., τὴν θείαν.

[5] Ms. Bas., διαφυλάξει, ἀδελφὲ θεοφιλέστατε. Quæ autem sequuntur, Ἐδόθη, etc., in eodem ms. desiderantur.

[6] Vulgati addunt, ὑπατείας Ἀστερίου καὶ Πρωτογένους τῶν λαμπροτάτων ὑπάτων; sed hæc nostri codd. prætermittunt; nec dubitamus Romanorum editorum arbitrio ex Latino textu suppleta fuisse.

[7] In marg. edit. Rom., ὅσης ἡ θεία πρόνοια ἐπιμελείας καταξιοῖ τὰ ἀνθρώπινα, δείκνυσι τῆς ὑμετέρας φιλανθρωπίας ἡ φροντὶς πνεύματι Θεοῦ κινηθεῖσα, μὴ βουλομένη, etc.

[8] Ms. Ven., νεύματι.

[9] Ms. Ven., ὑπάρχειν. Mox in marg. edit. Rom., καὶ γὰρ, pro καίπερ, ex conjectura.

Digitized by Google

quæ merito reprobatur, persuasione discedere, quoniam tamen pietas vestra, quæ in honorem Dei religiosissime catholicam diligit veritatem, [a] apud Ephesum constituit synodale [b] judicium, ut imperito seni ea in qua nimis caligat veritas innotescat : fratres meos [c] Julium episcopum, **841** et Renatum presbyterum, et filium meum Hilarum diaconem misi, qui ad vicem præsentiæ meæ pro negotii qualitate sufficerent ; et qui [d] eum secum deferrent justitiæ ac benignitatis affectum, ut quia dubitari non potest, quæ sit christianæ confessionis integritas, et totius erroris pravitas damnaretur : et si resipiscens, qui deviaverat, [e] pro venia supplicaret, sacerdotalis ei benevolentia subveniret ; cum in libello suo, quem ad nos misit, hoc saltem sibi ad promerendam veniam reservaverit, ut correcturum se esse promitteret quidquid nostra sententia de his, quæ male senserat, improbasset. [f] Quid autem catholica Ecclesia universaliter de sacramento Dominicæ incarnationis credat et doceat, ad fratrem et coepiscopum meum Flavianum plenius continent scripta, quæ misi. Data idibus Junii, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

A ὤφειλεν ἀπὸ τῆς ἰδίας συνειδήσεως τῆς ἀξίως ἀποδεκαμαζομένης ἀναλαβεῖν· ὅμως, ἐπείπερ ἡ ὑμετέρα εὐσέβεια, ἡ εἰς τιμὴν τοῦ Θεοῦ τὴν εὐλαβεστάτην καθολικὴν ἀλήθειαν [1] ἀγαπῶσα, τετύπωσε συνοδικὸν κριτήριον, ὥστε τῷ ἀπείρῳ γέροντι τὴν ἀλήθειαν, περὶ ἣν μάλιστα διέσφαλται, φανεροποιηθῆναι, τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς ἡμετέρους, Ἰούλιον τὸν ἐπίσκοπον, καὶ Ῥενάτον **842** τὸν πρεσβύτερον, καὶ τὸν ἐμὸν υἱὸν διάκονον Ἱλάρον πέπομφα, τοὺς εἰς τόπον ἐμὸν κατὰ τὴν τοῦ πράγματος ποιότητα δυναμένους ἀρκεῖν, [2] καὶ ἰσχύοντας αὐτὸν εἰς τὴν τοῦ δικαίου καὶ ἀγαθοῦ μεταγαγεῖν διάθεσιν· ἵν' ὅτι περ ἀμφιβάλλεσθαι οὐ δύναται, [3] ὁποῖόν τι τυγχάνει τῆς τῶν χριστιανῶν ὁμολογίας τὸ ἀκέραιον, καὶ πάσης τῆς πλάνης τὸ φαῦλον καταδικασθείη, καί, [4] εἰ ἀνανήψειεν, ὃς πεπλάνηται, ὑπὲρ συγγνώμης παρακαλέσων, [5] τὴν τῶν ἐπισκόπων αὐτῷ βοήθειαν ἐπικουρῆσαι. Ἐπείπερ ἐν τῷ ἑαυτοῦ λιβέλλῳ τῷ πρὸς ἡμᾶς ἀποσταλέντι [6] καὶ τοῦτο ἑαυτῷ πρὸς τὸ ἀξιωθῆναι συγγνώμης ἐφύλαξεν, ἐπαγγελλόμενος ἑαυτὸν διορθοῦν, εἴ τι ὃ ἂν ἡ ἡμετέρα γνώμη περὶ τούτων, περὶ ὧν κακῶς ἤσθετο, [7] ἀποδοκιμάσειεν. Τί δὲ ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία καθόλου περὶ τοῦ θείου μυστηρίου τῆς Δεσποτικῆς σαρκώσεως πιστεύει, καὶ διδάσκει, τῷ ἀδελφῷ ἡμῶν, καὶ συνεπισκόπῳ Φλαυιανῷ, σαφέστερον τὰ ἀπεσταλμένα γράμματα περιέχει.

B

C

[a] Voces *apud Ephesum* desunt in cod. Ratisp. et in Græca versione.

[b] Editi ante Quesn. cum aliquot mss. etiam antiquiorum collectionum, *concilium*. Retinuimus *judicium*, quod Quesnellus induxit auctoritate cod. Grim. et unius Thuanei ab eo allegati not. 2 ; quippe eamdem lectionem confirmant noster Ratispon. et omnes codd. præstantissimæ collect. Chalcedon. nec non Græca versio.

[c] Ms. cod. Vindebon. collect. 5 et alii collect. 11 ac 24, nec non Colbertinus apud Baluzium cum editis ante Quesn., *Julianum*. Reliqui codices melius *Julium*, ut videre est ex annot. 81 (*Col.* 779, *n.* [b]) in epist. præcedentem. Similiter quidam codices et antiquæ editiones Leonis paulo post habent *Hilarium* perperam pro *Hilarum*.

[d] Duo codd. a Quesnello allegati in margine, *meum secum ferrent.... affectum*.

[e] In Ratispon. deest *pro venia*. Mox in Vindebon. collect. 5, *supplicet*.

[f] Codd. Corb. et Divion. Baluzii, *Quid autem* R. *catholica Ecclesia*, id est, ut idem Baluzius interpretatur, *Quid autem Romana catholica Ecclesia*.

[1] Ms. Ven., ἀγαπᾷ ; optima lectio, et Latino textui adamussim conveniens, si supra pro ἡ legatur ἦ.

[2] In marg. edit. Rom., καὶ οὕτω πρός τε δικαιοσύνην καὶ φιλανθρωπίαν διαθέσεως ἔχοντας, ὥστε ὅτι περ ἀμφιβάλ., etc.

[3] Ms. Ven., ποῖόν τε.

[4] Ita scribimus auctoritate ms. Ven. Perperam in vulg., εἰ ἀνανήψειεν.

[5] In marg. edit. Rom., ἡ τῶν ἐπισκόπων αὐτῷ βοήθεια ἐπικουρήσαι.

[6] In marg. edit. Rom., ἂν τοῦτο, ex Lat

[7] Ita legendum omnino ex ms. Ven. Male in vulg., ἀποδοκιμάσειεν.

ADMONITIO IN EPISTOLAS SEQUENTES XXX ET XXXI.

1. Etsi duæ quæ ad Pulcheriam eadem die ac de eadem re scriptæ inveniuntur epistolæ, aliquot non tam sententiis quam verbis sint plane similes, in multis nihilominus discrepant inter se, et altera ob insertas additiones est longe prolixior. Styli autem ratio et codicum atque collectionum antiquarum auctoritas, quibus utraque fulcitur, nequaquam sinunt ut alterutra alii quam Leoni tribuatur. Exemplaria tum Latina, tum Græca antiquissimæ collectionis 17 Chalcedonensis, et Ratisponensis collectio 19, præter collectionem duodecimam et vigesimam secundam, primam epistolam satis vindicant ; codices vero collectionum 2, 5, 11, 12, 13, 18, 20, 21, 22, 23 et 24, cum exemplo Sichardi, et peculiari ms. Vat. Reginæ 293, alteram tuentur. Cur autem eodem die duæ ejusmodi epistolæ ad Pulcheriam traditæ fuerint, et quæ prius, quæ autem posterius scripta censenda sit, curiosus inquiri potest, quam nulla satis tuta ratione definiri.

2. Quesnellus in prima editione (*Tom. II primæ edit. pag.* 850) existimavit a pontifice primo scriptam fuisse epistolam 30, et ad Pulcheriam transmissam per legatos, cum adhuc spes nonnulla superesset fore ut synodus in conventum simplicem apud Constantinopolim commutaretur. Idcirco enim sub finem ejusdem epistolæ scriptum putat : *Sed ei qui in errore est melius consuletur, si ubi desipuit, ibidem resipiscat ; et ubi damnationem meruit, illic indulgentiam consequatur.* Cum vero impedimenta inciderint, quibus hæc epistola Pulcheriæ data non fuerit ; ejusdem exemplum ad eam Leo iterum post pseudosynodum Ephesinam transmisit, ut liquet ex epist. 45. Hac autem occasione eam epistolam paucis demptis, quæ de Eutyche jam recitavimus, nonnullis etiam mutatis, auctiorem ab ipso Leone factam fuisse censuit, uti est epistola 31. At si post Ephesinum latrocinium in eadem epistola, cum ad Pulcheriam iterum missa fuit, aliquid fuisset immutatum, quod tempori ac circumstantiis non amplius congrueret, illud procul dubio additamentum non accessisset, quo sanctus pontifex se ab adeunda Ephesina synodo sollicitus excusat.

3. Hanc autem primam sententiam ipse Quesnellus deseruit in editione secunda, et in contrariam prorsus opinionem transiens, docuit epistolam longiorem 31 a Leone scriptam et missam fuisse ad Pulcheriam statim

Digitized by Google

post acceptas Theodosii litteras, id est paulo post III idus Maias; notam enim chronicam, quæ idus Junias signat, et in pluribus mss. deest, ex breviori epistola 30 sumptam ac perperam translatam est opinatus. Breviorem vero epistolam 30 missam fuisse per legatos idibus Junii manifestum est.

4. Hæc tamen opinio nec probari, nec defendi potest. Cum enim Leo imperatoris litteras acceperit III Idus Maias, si statim scripsisset ad Pulcheriam, ad ipsum etiam imperatorem rescripsisset. Liquet autem eum accepta imperatoris epistola III idus Maias, et Flaviani litteris per idem circiter tempus acceptis una cum gestis Constantinopolitanæ synodi adversus Eutychem, mox scripsisse ad eumdem Flavianum brevissimam epistolam 27, XII kal. Junias, qua eum de acceptis gestis monuit, nec non de fusiori epistola quam citius fieri posset transmittenda, ubi de controversia judicium ferretur. Huic autem studio intentus, nec non legatis eligendis atque instruendis, qui concilio jam indicto vice sui interessent, epistolas pluribus tradendas in illud tempus distulit, quo legati cum dogmatica epistola transfretarent. Hinc plures ejusdem epistolæ datæ leguntur iisdem idibus Juniis, quibus dogmatica ad Flavianum epist. 28 signata fuit, ac in omnibus nominantur legati, et eadem epistola ad Flavianum illis jam tradita memoratur. Horum vero omnium satis expressa fit mentio etiam in longiori epist. 31 ad Pulcheriam, legatorum quidem illis verbis cap. 4 : *In his fratribus meis, quos vice mea misi;* epistolæ autem dogmaticæ scriptæ idibus Junii illis capitis ultimi : *Quod etiam S. Flaviano episcopo me clementia tua scripsisse cognoscat;* quæ verba pariter inserta leguntur epistolæ 30 iisdem procul dubio idibus Junii scriptæ. Quomodo ergo epist. 31 aliquanto ante Junium mensem exarata ac transmissa dici potest?

5. Quid autem dicendum? Ut omittantur incerta, cum brevior epistola 30 in Græca et Latina collectione Chalcedonensi inveniatur, et legatorum nomina distincte præferat, ut epistolæ cæteræ, quæ cum litteris ad Flavianum iisdem legatis traditæ fuere, hæc quoque ad Pulcheriam transmissa, eidemque al quando tradita, ac in Oriente vulgata, ac exinde Græce reddita negari non potest. Auctior vero epistola 31, etsi in Græca collectione desideretur, cum tamen exstet in pluribus Latinis antiquis collectionibus, quæ breviori epistola carent, Leoninamque rationem ubique referat, a Leone abjudicari nequit. Eodem autem die iduum Junii data dici debet, ut eæ quoque collectiones præferunt, quæ carent epistola 30; neque enim chronicam ejusmodi notam harum collectionum auctores transcribere potuerunt, ut conjecit Quesnellus, ex epistola breviori, quam ignorarunt. Sine ullo autem certiori documento aliud quidpiam affirmare seu divinare non licet. Solum probabiliter credi potest duo ejusdem epistolæ exemplaria a Leone fuisse lucubrata, alterum longius, brevius alterum; hoc autem brevius in Orientem misisse, unde in Græcam linguam translatum fuit; alterum vero longius retinuisse apud se, et in Occidente aliquando vulgatum, in plerasque Latinas collectiones transisse.

6. Longior epistola in eo potissimum discrepat a breviori, quod in illa a cap. 2 ad medium cap. 3 catholicum dogma aliquot probationibus statuitur, quæ in breviori omittuntur. Forte post scriptam epist. 28, ad Flavianum, in qua idem dogma similibus probationibus plenius constituitur, ex litteris ad Pulcheriam eas probationes detrahendas censuit, et hac occasione eam quoque partem subduxit, qua se excusabat ne ad synodum accederet, aliaque pauca suo more mutavit vel addidit, quæ in breviori epistola leguntur. Hac autem in Orientem missa, epistola longior ob dogmaticam fusiorem institutionem Occidentalibus maxime placuit, et idcirco hæc potissimum inter Latinos vulgata fuit.

7. Unum hic suspicari quispiam posset, epistolam 31, ad Pulcheriam, cum aliquot sententias contineat similes sententiis epistolæ 37, ad Theodosium datæ die 20 Junii, eodem die scriptam ac eadem occasione missam fuisse. Leo nimirum acceptis imperialibus litteris, quæ ipsum invitabant ad synodum, sicut hac de re bis ad Theodosium scripsit, ita etiam bis ad Pulcheriam scripsisse videri potest. Primum ad utrosque per legatos scripsit idibus Junii, ad Theodosium epistola 29, ad Pulcheriam vero epistola 30. Dein cum ad imperatorem iterum dedit epistolam 37 die 20 Junii, ea forte de causa quod metueret ne in ea angustia temporis synodo præstituti legati Ephesum properare coacti, epistolam 29 eidem Augusto tradere non possent, hac eadem occasione et causa ad Pulcheriam quoque scripsisse epistolam 31 non improbabile judicabitur. Sed contra fidem earum collectionum quæ chronicam notam iduum Junii exhibent, eamque ex epistola 30 non potuerunt sumere, hanc opinionem inducere nequivimus. Id autem multo minus potuimus alia ratione, quæ conjecturam numero præcedenti propositam magis magisque confirmabit. *Si epistolæ*, inquit Leo epist. 45, *quæ in fidei causa per nostros clericos directæ sunt, ad vestram pietatem pervenissent, certum est remedium vos his rebus quæ contra fidem factæ sunt... præstare potuisse.* Indicatur epistola 30, per legatos missa quæ, his Ephesum profectis ad Augustam non pervent. Aliam ergo eadem in re et pleniorem quidem epistolam ad eamdem Pulcheriam se alia occasione post legatorum discessum non direxisse præsumit; alias hæc, non æque ac illa prior alio traducta, eumdem effectum multo magis peperisset, ita ut opus non fuerit prioris epistolæ 30 exemplum ad eamdem una cum epist. 45 iterum mittere. Igitur epistola 31 ad Pulcheriam missa non fuit, sed ab ipso Leone apud se retenta, solaque epist. 30 ad eam prius per legatos directa, et iterum cum epist. 45, unde hæc sola in Græcum traducta fuit, ut numero 6 conjecimus. Hanc autem breviorem epistolam, cum ad Pulcheriam certo missa fuerit, primum proferemus.

[a] EPISTOLA XXX.

[b] AD PULCHERIAM AUGUSTAM.

Synopsis. — I. *Christum nostri generis hominem esse. Nestorii et Eutychis errores.* — II. *Cum veritas carnis in Christo impetitur, totam fidem concuti.*

847 [b] Leo episcopus, Pulcheriæ Augustæ.

Cap. I. — Quantum sibi fiduciæ de fide vestræ clementiæ Ecclesia Dei debeat polliceri, multis sæpe probavimus documentis, dum sicut Spiritu sancto

848 Τῇ ἐνδοξοτάτῃ, καὶ φιλανθρωποτάτῃ θυγατρὶ Πουλχερίᾳ, Λέων ἐπίσκοπος

Ὅσην πεποίθησιν περὶ τῆς πίστεως τῆς ὑμετέρας φιλανθρωπίας ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία ὀφείλει ἐπαγγέλλεσθαι, πολλαῖς πολλάκις διδασκαλίαις [1] ἐπεδείξαμεν. Τοῦτο τοῦ

[a] Scripta 13 Junii an. 449.

[b] In mss. Latinis collectionis Chalcedonensis inscriptio desideratur; solum enim habetur hic titulus: *Epistola Leonis archiepiscopi Romæ ad Pulcheriam Augustam.* Ex antiqua autem versione, quæ in Græcis codd. Chalcedonensibus invenitur, hæc inscriptio Latine reddi potest: *Gloriosissimæ et humanissimæ filiæ Pulcheriæ Leo episcopus.* Retinuimus inscriptionem vulgatam, quæ in cæteris nostris Latinis codicibus legitur.

[1] In marg. edit. Rom., ἐπέγνωμεν. Ex Lat.

Digitized by Google

docente didicistis, illi per omnia potestatem vestram subjicitis, cujus munere et protectione regnatis. Unde quia contra integritatem fidei Christianæ, dissensionem quamdam in Constantinopolitana Ecclesia, Eutyche auctore generatam, fratris et coepiscopi mei Flaviani relatione cognovi, ita ut totius causæ speciem synodalium gestorum textus ostenderet, dignum gloriæ vestræ est ut error qui de imperitia magis quam de versutia natus est auferatur, priusquam ullas vires de consensu imprudentium pertinacia pravitatis acquirat. Nam quantum Nestorius a veritate excidit, dum Dominum Jesum Christum de matre virgine hominem solum asserit natum, tantum etiam hic a catholico tramite deviavit qui de eadem virgine editum non nostræ credit esse naturæ : ut quod formam servi gessit, quod nostri similis fuit atque conformis, **849** quædam postræ carnis fuerit imago, non veritas. Nihil autem prodest Dominum nostrum beatæ [a] Mariæ virginis filium, hominem dicere, si non illius generis ac seminis homo creditur, cujus in ipso Evangelii exordio prædicatur. Unde multum doleo, multumque contristor, quod hic qui antea de humilitatis proposito laudabilis videbatur, contra unicam spem nostram patrumque nostrorum, vana et nimis perversa audet astruere. Qui cum videret insipientiæ suæ sensum catholicis auribus displicere, revocare se a sua opinione debuerat, [b] nec ita Ecclesiæ præsules commovere, ut sententiam damnationis exciperet. Quam utique si in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. Sedis enim apostolicæ moderatio hanc temperantiam servat, ut et severius agat cum obduratis, et veniam cupiat præstare correctis.

Cap. II. — Quia ergo mihi multa fiducia est de pietatis tuæ sincerissima fide, obsecro [c] gloriosissimam clementiam tuam, [d] ut sicuti sancto studio tuo catholica prædicatio semper adjuta est, ita nunc quoque ejusdem faveas libertati. Non enim portiuncula aliqua fidei nostræ, quæ minus lucide sit clara, pulsatur; sed hoc imperita resultatio audet incessere quod Dominus in Ecclesia sua neminem voluit ignorare. **851** Et ideo pro vestræ pietatis consuetudine elaborare dignemini, [e] ut quod contra singulare sacramentum salutis humanæ blasphema insipientia protulit, ab omnium animis repellatur. Ac si

A ἁγίου πνεύματος διδάσκοντος μεμαθήκατε. Ταύτῃ τὴν ὑμετέραν ἐξουσίαν ὑπετάξατε. Διὰ ταύτας τὰς δωρεὰς, καὶ τῆς ἐκδικίας [1] βασιλεύετε. Ὅθεν ἐπείπερ κατὰ τῆς ἀκεραίου πίστεως τῶν Χριστιανῶν διχόνοιάν τινα ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τῇ κατὰ Κωνσταντινούπολιν Εὐτυχοῦς αὐθεντοῦντος γεγενῆσθαι, τοῦ ἀδελφοῦ μου, καὶ συνεπισκόπου Φλαυιανοῦ διὰ τῆς ἀναφορᾶς ἔγνων, καθὼς καὶ πάσης τῆς ὑποθέσεως τὸ εἶδος τῶν πεπραγμένων ἐν τῇ συνόδῳ δείκνυσι, ἄξιόν ἐστι τῆς ὑμετέρας δόξης τὴν πλάνην, τὸν δ' ἀπειρίαν μᾶλλον ἢ κακοθέλειαν εἰσδυομένην ἀφελέσθαι, πρὶν τινα δύναμιν ἐκ τῆς [2] συνέσεως τῶν ἀτείρων τὰ ἐπίμονα τῆς φευλότητος προσπορίσοιτο. [3] Καὶ ὅσα Νεστόριος, ὃς ἀπὸ τῆς ἀληθοῦς ἐξέπεσε πίστεως, τὸν δεσπότην Ἰησοῦν Χριστὸν ἐκ τῆς παρθένου Μαρίας ἄνθρωπον μόνον φύσαντα γεγενῆσθαι, τοσούτῳ καὶ οὗτος ἀπὸ τῆς καθολικῆς ὁδοῦ

B ἀπεπλανήθη· ὃς τὸν ἀπὸ τῆς αὐτῆς παρθένου γεννηθέντα, οὐ τῆς ὑμετέρας εἶναι πεπίστευκε φύσεως· ὥστε τὸν τὰ μορφὴν τοῦ δούλου φορέσαντα, καὶ ὁμοῖον γενόμενον, καὶ τῆς αὐτῆς ὄντα μορφῆς, τινὰ τυγχάνειν τοῦ ὑμετέρου σώματος εἰκόνα, **850** καὶ μὴ ἀλήθειαν. Οὐδὲν δὲ ὠφελεῖ, τὸν ὑμέτερον Δεσπότην τὸν τῆς μακαρίας Παρθένου Υἱὸν, ἄνθρωπον λέγειν, εἰ μὴ τοῦ γένους αὐτῆς, καὶ τῆς ῥίζης ἄνθρωπος εἶναι [4] πιστεύοιτο περὶ οὗ ἐν αὐτῷ τῷ προοιμίῳ τοῦ εὐαγγελίου προλέγεται. Ὅθεν πάνυ πονῶ, καὶ στυγνάζω, ὅτιπερ οὗτος, ὃς πρὸ τούτου περὶ τῆς προθέσεως τῆς ταπεινότητος ἐπῃνεῖτο, κατὰ τῆς ἐλπίδος [5] τῶν μονογενοῦς ἡμῶν, καὶ τῶν ὑμετέρων πατέρων, μάταια, καὶ πάνυ διεστομμένα τολμᾷ λέγειν. Ὁρῶν γὰρ ἑαυτοῦ τῆς ἀφροσύνης τὴν αἴσθησιν ταῖς καθολικαῖς ἀκοαῖς ἀπαρίσκουσαν, ὤφειλεν ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς αἰκείας ὑπονοίας

C ἀνακαλέσασθαι, καὶ μήτε τοὺς ταῖς Ἐκκλησίαις παραμένοντας κινῆσαι, τῆς καταδίκης τὴν ἀπόφασιν [6] ἀναμένοντα. Δῆλον γὰρ, ὡς εἰ ἐν τῇ αὐτῇ αἰσθήσει παραμένειν θελήσει, οὐδεὶς αὐτὸν ἀπολῦσαι δυνήσεται. Καὶ γὰρ τοῦ θρόνου τοῦ ἀποστολικοῦ τὸ σύμμετρον τοῦτον φυλάττει τὴν εὐκράτειαν, ὥστε καὶ σκληρότερον πράττειν κατὰ τῶν ἐπιμενόντων, καὶ συγγνώμης ἀξιοῦν τοὺς τὰ διόρθωσιν ἐπιγινώσκοντας. Ἐπειδὴ τοίνυν πολλὴ πεποίθησίς ἐστι περὶ τῆς εὐσεβείας [7] τῆς μακαριωτάτης πίστεως, παρακαλῶ τὴν ὑμετέραν φιλανθρωπίαν, ἐπιφανεστάτῃ καὶ εὐσεβεστάτῃ θύγατερ, [8] ἣν ὥσπερ ἐκ σπουδῆς θείας [9] ἐν τῷ καθολικῷ τῆς Ἐκκλησίας ἀξιώματι τῆς ἐλευθερίας συνδρόμους [10], οὐδὲ γὰρ μέρος τι τῆς πίστεως τῆς ὑμετέρας μὴ ὂν σαφῶς μεθοδεύεται. Ἀλλ' ὥσπερ ἡ ἄπειρος

D ἀντίστασις τολμᾷ διαθρυβεῖν, τοῦτο πειράσθω ὅπερ

[a] Codd. Ratisp. et Veron. 57, cum Græca versione omittunt *Mariæ*.

[b] Hæc lectio ms. Ratisp. melior visa est, quam vulgata et aliorum codicum, *ne ita Ecclesiæ præsules commoveret*, eo quod eadem præfertur in epistola sequenti, ubi hæc pericope totidem verbis repetita invenitur.

[c] Cod. Veron., *gloriosam*. Mox, *tuam* pro *vestram* emendavimus ex Ratisp. et quinque aliis codd. cum magis cohæreat antecedentibus *pietatis tuæ*, et subsequentibus *studio tuo* huic eidem periodo insertis.

[d] In editis Concilior. additur ex Græca versione *illustrissima et gloriosissima filia*.

[e] Editi Leonis, *ut contra singulare sacramentum salutis humanæ, quod blasphema*, etc. Prætulimus lectionem ms. Ratisp., cui edni Concilior. astipulantur.

[1] In ms. Ven., βασιλεύοντες.

[2] In marg. edit. Rom., συναινέσεως.

[3] In marg. edit. Rom., καὶ γὰρ ὅσα Νεστόριος ἀπὸ τῆς ἀληθοῦς.

[4] Ms. Ven., πιστεύεται.

[5] In marg. edit. Rom., τοῦ γένους, ἢ ἴσως, τῆς μονογενοῦς.

[6] In marg. edit. Rom., ἀναμένοντας.

[7] In marg. edit. Rom., ἴσως, τῆς σῆς μακαριωτάτης.

[8] In marg. edit. Rom., ἣν ὥσπερ τῇ θείᾳ σου σπουδῇ τῷ καθολικῷ πάντοτε κηρύγματι βεβοήθηκας, οὕτω καὶ νῦν τῇ ἐκείνου συμπράττῃς ἐλευθερίᾳ.

[9] Cod. Ven. 104, εἰς τὸ καθολικὸν τῆς Ἐκκλησίας ἀξίωμα, In marg. edit. Rom., εἰς τὸ τῆς καθολικῆς.

[10] In marg. edit. Rom., ἴσως, οὕτω καὶ νῦν τῆς αὐτῆς τῇ ἐλευθερίᾳ συνεργὸν παρέχῃς.

Digitized by Google

ipse, qui [a] in hanc tentationem incidit, resipiscit, ita ut quod male senserat propria voce et subscriptione condemnet, communio illi sui ordinis reformetur. Quod etiam fratri et coepiscopo meo Flaviano me clementia vestra scripsisse cognoscat; et his, quos misimus, delegasse, ut venia concedatur, si error aboletur. Ne autem piissimi principis [b] dispositioni, qua episcopale concilium voluit congregari, nostra videretur præsentia defuisse, fratres meos [c] Julium episcopum, Renatum presbyterum, et filium meum Hilarum diaconem misi, qui vicem præsentiæ meæ implere suffeerent. Sed ei, qui in errore est, melius [d] consuletur, si ubi desipuit, ibidem resipiscat; et ubi damnationem meruit, illic indulgentiam consequatur. Data idibus Junii, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

A ὁ ἡμέτερος Δεσπότης ἐν τῇ ἰδίᾳ Ἐκκλησίᾳ οὐδαμῶς ἀγνοεῖσθαι ἠθέλησε. Καὶ διὰ τοῦτο κατὰ τὴν **852** συνήθειαν τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας καμεῖν καταξιώσατε. [1] Τοῦτο, [2] ὅπερ κατὰ [3] τῆς μονογενοῦς θρησκείας τῆς ἀνθρωπίνης σωτηρίας βλασφήμῳ τινὶ ἀφροσύνῃ προήνεγκεν, ἀπὸ τῆς διανοίας πάντων ἀποκινηθείη, [4] καὶ ἵνα αὐτὸς ὁ εἰς τοῦτον τὸν πειρασμὸν ἐμπεσών, ἀνανήψειεν. Οὕτω μέντοι, ὥστε τοῦτο, ὅπερ κακῶς [5] ἐνενόησε, τῇ ἰδίᾳ φωνῇ, καὶ ὑπογραφῇ καταδικάσῃ. Καὶ [6] τῇ οἰκείᾳ τάξει ἑαυτὸν ἀποκαταστήσῃ· ὅπερ καὶ τῷ ἐμῷ ἀδελφῷ, καὶ συνεπισκόπῳ Φλαυιανῷ [7] ἡ ὑμετέρα φιλανθρωπία γεγραφηκέναι με γινωσκέτω· καὶ τούτοις, οἷς ἐπέμψαμεν ἐντετάλθαι, πρὸς τὸ συγγνώμης [8] ἀξιωθῆναι, εἰ τὰ τῆς πλάνης διορθωθείη· ἵνα δέ με τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως [9] τῇ διανοίᾳ. τὴν σύνοδον τῶν ἐπισκόπων συνελθεῖν θελησάσῃ

B δόξειε τὸ τῆς ἡμετέρας παρουσίας ἀπολιμπάνεσθαι, τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς ἐμοὺς, [10] Ἰούλιον τὸν ἐπίσκοπον, καὶ Ρενάτον τὸν πρεσβύτερον, καὶ τὸν ἐμὸν υἱὸν Ἵλαρον τὸν διάκονον πέμψαι. τοὺς εἰς τάξιν τῆς ἐμῆς παρουσίας ἀρκοῦντας. [11] Ἀλλὰ τούτῳ μᾶλλον τῷ πλανηθέντι κρεῖττ ὸν ἐστι [12] συνελθεῖν· ἐπεί περ ἐκείνῳ περὶ ὧ παριφρόνησε, ἀνανῆψαι ἦν· καὶ ἔνθα τὴν καταδίκην ὑπέμεινε, αὐτόθι καὶ συγγνώμης φιλοτιμίας ἀξιωθήσεται.

853 EPISTOLA [e] XXXI.

[f] AD PULCHERIAM AUGUSTAM.

SYNOPSIS. — I. *Pulcheriæ zelum adversus Eutychen sollicitat.* — II. *Humanæ saluti interesse, ut Christus non solum homo, sed ejusdem nobiscum generis homo sit.* — III. *Generationem Christiani ex Christi generatione fluere. Eutychetis pervicacia. Sedis apostolicæ moderatio.* — IV. *Ne concilio intersit Leo, vetant consuetudo, conditio temporis, concivium charitas. Symbolum apostolorum nova hæresi concutitur.*

[g] LEO PULCHERIÆ Augustæ.

C

CAP. I. — Quantum præsidii Dominus Ecclesiæ suæ in vestra clementia præpararit, multis sæpe probavimus documentis. Et quidquid nostris tempo-

ribus contra impugnatores catholicæ veritatis industria sacerdotalis obtinuit, ad vestram maxime gloriam redundavit: dum, sicut Spiritu sancto docente didicistis, illi per omnia potestatem vestram subjicitis, cujus munere et protectione regnatis. Unde quia contra integritatem fidei Christianæ, dissensionem quamdam in Constantinopolitana Ecclesia Eutyche auctore generatam, fratris et coepiscopi mei Flaviani relatione cognovi, ita ut totius causæ speciem synodalium gestorum textus [h] ostenderit, dignum gloriæ **854** vestræ est, ut error, qui, ut arbitror, de imperitia magis quam de versutia natus est, auferatur, priusquam ullas sibi vires de consensu imprudentium [i] pertinacia pravitatis acquirat. Quia

[a] Male in editis Leonis, *in hac tentatione.*

[b] **Quesnellus**, in marginali postilla notavit: *Concilium imperiali dispositione convocatum.* Nota autem secunda monuit *dispositionis* vocem significare edictum principis. At S. Leo, epist. 33, ad synodum Ephesinam animadvertit in ipsis Theodosii litteris, quæ interciderunt, requisitam fuisse apostolicæ sedis auctoritatem ex institutione divina, ut hæc imperialis dispositio effectum consequeretur. Ait enim cap. 1: *Religiosa clementissimi principis fides... hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sanctæ* DISPOSITIONIS *effectum, auctoritatem apostolicæ sedis adhiberet.*

[c] **Cod. Colbert.**, *Julianum*; et mox Veron., *Hilarium.* Cæteri, *Julium* et *Hilarum.* Confer annot. 81 (*Col.* 779, *n.* [b]) in epist. 28.

[d] **Quinque** nostri codd., *consulitur.*

[e] **Al. 27.** Quæ autem antea 31 erat, nunc 34. **Scripta 13 Junii an. 449.**

[f] **Confer** admonitionem in epistolam præcedentem, ubi etiam undecim collectiones, in quibus hæc epistola continetur, recensuimus. In tabula collect. 5 hic titulus legitur cap. 79: *Ad Pulcheriam de damnatione hæresis Nestorianæ et Eutychianæ.*

[g] **Cod. Florentin. S. Marci** collect. 13 sic: *Leo urbis Romæ episcopus Pulcheriæ Augustæ.* In editis ante Quesn., *Leo catholicæ Romanæ Ecclesiæ episcopus piissimæ Pulcheriæ Augustæ.* Inscriptionem a Quesnello præfixam, et aliquot nostris codd. confirmatam retinuimus. Vetustiores inscriptionem omittunt.

[h] **Codd. Vat. Reginæ 293, Vindebon.** collect. 5 ac Vat. collect. 11, *ostenderet.* Mox, *dignum gloriæ vestræ,* quod erat in anterioribus Leonis editionibus, revocavimus ex iisdem ac duobus aliis mss. Quesnellus et editiones Concilior. cum mss. collect. 21, *dignum gloria vestra.*

[i] Delevimus particulam *et* a Quesnello insertam, quam omnes nostri codices, duobus exceptis, ignorant.

[1] In marg. edit. Rom., ἵνα τοῦτο.

[2] In marg. edit. Rom., ἵν' ὅπερ κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου μυστηρίου τῆς ἀνθρωπίνης σωτηρίας ἡ βλάσφημος ἀφροσύνη.

[3] Ms. Ven., τῆς τοῦ μονογενοῦς.

[4] In marg. edit. Rom., ex Lat., καὶ εἴπερ αὐτὸς, etc., ἀνανήψειεν, ὅπερ κακῶς ἐπενόησεν ἰδίᾳ φωνῇ καὶ ὑπογραφῇ ἀποδοκιμάζων, τῇ κοινωνίᾳ τῆς οἰκείας αὐτοῦ τάξεως ἀποκαταστῇ

[5] Ms. Ven., ἐνόησε. Paulo post idem ms., καὶ ὑπογραφῇ τὸ κοινὸν καταδικάσει. In marg. quoque edit. Rom. hic notatur τὸ κοινόν.

[6] In marg. edit. Rom., κοινωνίᾳ τῆς αὐτῷ [leg. αὐτοῦ] τάξεως αὐτῷ ἀποκατασταθῇ. L.

[7] Hæc verba ἡ ὑμετέρα φιλανθρωπία desunt in ms. Ven.

[8] In marg. edit. Rom., ex Lat., ἀξιοῦν, etc.

[9] In ms. Ven., τῇ διανοίᾳ τυπώσῃ τὴν σύνοδον τῶν ἐπισκόπων συνελθεῖν θελήσας ἢ δόξειεν.

[10] In marg. edit. Rom., Ἰουλιανόν.

[11] In marg. edit. Rom. L. ex Lat.: ἀλλὰ τῷ πλανηθέντι μᾶλλον ἂν εἴη σύμφορον, ἔνθα παρεφρόνησεν, ἐκεῖ ἀνανῆψαι. καὶ ὅπου τὴν καταδίκην δικαίως ὑπέστη, ἐκεῖ τυχεῖν καὶ συγγνώμης.

[12] Ms. Ven., συνεισελθεῖν.

Digitized by Google

etiam ignorantia graves nonnumquam incidit [a] in lapsus, et plerumque in diaboli ruit foveam incauta simplicitas, per quam supradicto subrepsisse intelligo spiritum falsitatis, [b] ut dum æstimat se religiosius de Filii Dei majestate sentire, si ei naturæ nostræ veritatem inesse non diceret, [c] totum illud quod *Verbum caro factum est*, unius atque ejusdem putaret esse substantiæ. Et quantum Nestorius a veritate excidit, dum Christum de matre solum hominem [d] asseruit natum, tantum etiam hic a catholico tramite deviat, qui de eadem virgine non nostram credit editam esse substantiam; volens utique eam solius Deitatis intelligi · [e] ut quod formam servi gessit, et quod nostri similis fuit atque conformis, quædam nostræ naturæ fuerit imago, non veritas.

Cap. II. — Nihil [f] autem prodest Dominum nostrum beatæ Mariæ Virginis filium, verum perfectumque hominem dicere, si non illius generis homo creditur, cujus in Evangelio prædicatur. Dicit enim Matthæus: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* I, 1); et ita humanæ originis ordinem sequitur, ut generationum lineas usque ad Joseph, cui mater Domini erat desponsata, deducat. Lucas vero retrorsum successionum gradus relegens, ad ipsum humani generis principem redit (*Luc.* III, 23), ut Adam primum et Adam novissimum ejusdem ostendat esse naturæ. [g] Potuerat qu ppe omnipotentia Filii Dei sic ad docendos [h] justificandosque **855** homines apparere, quomodo et patriarchis et prophetis in specie carnis [i] apparuit, cum aut luctamen iniit (*Gen.* XXXII, 24), aut sermonem conseruit, cumve officia [j] hospitalitatis non abnuit, vel etiam appositum cibum sumpsit (*Gen.* XVIII). Sed illæ imagines hujus hominis erant [k] indices, cujus veritatem ex præcedentium patrum stirpe sumendam significationes mysticæ nuntiabant. Et ideo sacramentum reconciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum, nullæ implebant figuræ, quia nondum supervenerat Spiritus sanctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbraverat ei; [l] ut intra intemerata viscera, [m] ædificante sibi sapientia domum (*Prov.* IX, 1), Verbum caro fieret (*Joan.* I, 14); et forma Dei ac forma servi in unam conveniente personam, creator temporum nasceretur in tempore; et per quem facta sunt omnia, [n] ipse inter omnia gigneretur. Nisi enim novus homo, factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem, et consubstantialis Patri, consubstantialis esse dignaretur et matri, naturamque sibi nostram solus a peccato liber uniret, sub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas; [o] nec uti possemus triumphantis victoria, si extra nostram esset conserta naturam.

Cap. III. — De hac autem participatione [p] mirabili sacramentum nobis regenerationis illuxit, ut per ipsum Spiritum per quem Christus et conceptus est et natus, etiam nos, qui per concupiscentiam carnis sumus geniti, spirituali rursus origine nasceremur. Propter quod ab evangelista de credentibus dicitur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,* **856** *sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I, 13). Cujus ineffabilis gratiæ particeps non est, [q] nec potest in filiorum Dei adoptione censeri, quisquis a

[a] Præpositionem *in* ex cod. Vat. Reg. adjecimus; et mox *foveam*, pro *foveas* ex eodem codice et Vat. collect. 11 prætulimus. Post pauca editi ante Quesn. cum quibusdam nostris codd., *in supradicto*.

[b] Cod. Vat. Reginæ omittit *ut;* et post verbum *sentire* affixo puncto prosequitur: *Si enim naturæ nostræ*, etc. Vulgati ante Quesn. cum mss. collect. 24 et Sichardo, pro *non diceret*, et *putaret*, habent *non dicat*, et *putet*.

[c] Totum scilicet illud quod ex natura Verbi et natura hominis simul unitis factum est, nihil est aliud, apud catholicos, quam Christus, qui in una persona complectitur quidquid utrisque naturis convenit; unde Leo epist. 124, ad Palæstinos, c. 7: *Nec interest*, inquit, *ex qua Christus substantia nominetur, cum inseparabiliter, manente unitate personæ, idem sit et totus hominis filius propter carnem, et totus Dei Filius propter unam cum Patre Deitatem.* At Eutyches, *unius ejusdemque substantiæ*, id est naturæ, putans quod incarnatione Verbi factum est, solam naturam divinam astruebat; et hac ratione æstimabat *se religiosius de Filii majestate sentire*, ac si eum naturæ humanæ ipsi unitæ veritas dedeceret. Voce *totum* ad indicandam personam a veteribus usitata Eutychiani abutebantur, ut naturas confunderent: unde theologi catholici Leonem secuti *totum* de naturis, *totus* de persona prædicarunt.

[d] Editi ante Quesn. cum aliquot posterioribus collectionum codicibus, *asserit*. Mox pro *deviat* mss. collect. 21, *deviavit*, uti legitur in epistola antecedenti, ex quo male in aliis *deviarit*, vel *deviaret*. Postea cod. collect. 11 *credidit* pro *credit*. Idem legebatur in Vindebon. collect. 5, sed secunda manu emendatum *credit*.

[e] In Vindebon. collect. 5, *ut in quod formam;* in Vat. collect. 24 et apud Sichardum, *ut quod in formæ*. Alias variantes hujus loci vide apud Quesn. not. 1.

[f] Codices collect. 5, 11 et 21, *tamen*.

[g] Vat. collect. 11, *Potuit*.

[h] Codd. collect. 24 omittunt, *justificandosque*.

[i] Vide not. 2 Quesn.

[j] Quesn. in marg.: Al. *humanitatis*.

[k] Mss. collect. 24 cum editis ante Quesn., *indicia*.

[l] Cod. Vindebon., *et ut intra*. Melius in Vulgatis, *ut et intra*. Cæteri tamen codices delent *et*.

[m] Similia leguntur ep. 28, c. 2.

[n] Voces *ipse inter omnia* delet cod. Grimanicus, ut Quesn. notavit in margine.

[o] Editi Concilior., *nec aliter uti*. Editiones autem Leonis vetustiores cum mss. collect. 24, *nec aliter possideremus triumphantis victoriam*. Quesnellus emendavit ex suis mss., quibus et nostri codices favent. Dein editi cum plerisque nostris codicibus ac uno Theodoriciano Quesnelli habent *confecta* pro *conserta;* quam vocem Quesnellus induxit aliorum suorum exemplarium auctoritate, ut videre est not. 3. Noster etiam Vindebonensis codex collect. 5 hanc lectionem confirmat.

[p] Vocem *mirabili* in editis Concilior. receptam et a Quesnello margini affixam revocavimus, eo quod omnibus nostris mss. probetur, excepto Vat. collect. 24, in quo cum editis Leoninis etiam Quesnelli, *mirabile*. Mox, *indulsit* pro *illuxit* in vulgat. ante Quesn. et quibusdam nostris codd. atque Grimanico. Alii duo nostri ac tres Quesnelli cum editione Canisii, *induxit*. Conter notam ejus 4.

[q] Vulgati ante Quesn. cum mss. collect. 24, *nec potest filiorum Dei adoptionem consequi quisquis*, etc. Cæteri nostri codd. lectionem a Quesnello inductam probant. Vide ejusdem not. 5.

Digitized by Google

fide sua, hoc quod nos [a] principaliter salvat, excludit. Unde multum doleo multumque contristor quod hic qui antea de humilitatis proposito laudabilis videbatur, contra unicam spem nostram patrumque nostrorum vana et nimis [b] stolida audet astruere. Qui [c] cum videret insipientiæ suæ sensum catholicis auribus displicere, revocare se a sua opinione debuerat; nec ita Ecclesiæ præsules commovere, ut [d] damnationis sententiam mereretur excipere; quam utique, si [e] in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. Sedis enim apostolicæ moderatio hanc temperantiam servat, ut et severius agat cum obduratis, et veniam cupiat præstare correctis. Quia ergo multa mihi fiducia est de pietatis tuæ [f] sublimissima fide, obsecro gloriosam clementiam tuam, ut sicut sancto studio tuo catholica prædicatio semper adjuta est, ita nunc quoque ejus faveas libertati; quam forte ideo permisit Dominus hac tentatione pulsari, ut quales intra Ecclesiam [g] laterent, possent agnosci. Quorum plane non est negligenda curatio, [h] ut nec ipsorum nos contristet amissio.

CAP. IV. — Augustissimus vero et Christianissimus imperator cupiens quam celerrime turbata componi, episcopali concilio, quod Ephesi vult haberi, nimium breve et angustum tempus indixit, diem kalendarum Augustarum præstituendo conventui; cum [i] a tertio iduum Maiarum, quo serenitatis ejus [j] scripta suscepimus, major pars reliqui sit temporis absumenda, ut profectio **857** sacerdotum, qui negotio sufficiant, valeat ordinari. Nam illud quod pietas ipsius [k] etiam me credidit debere interesse concilio, etiamsi secundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri: quia rerum præsentium nimis incerta conditio a tantæ urbis populis me abesse non sineret; et in desperationem quamdam animi tumultuantium mitterentur, si [l] pro occasione causæ ecclesiasticæ viderer patriam et sedem apostolicam velle deserere. Quia igitur ad publicam utilitatem pertinuisse cognoscitis, ut salva clementiæ vestræ venia, charitati me et precibus civium non negarem; in his fratribus meis, quos vice mea misi me quoque adesse cum cæteris qui adfuerint, æstimate: quibus secundum causam satis mihi ex gestorum serie, et ipsius de quo agitur, professione, patefactam, evidenter [m] et plene quid servandum esset ostendi. Non enim de portiuncula aliqua fidei nostræ, [n] quæ minus lucide declarata sit, quæritur; sed hoc [o] stultissima resultatio audet incessere, quod Dominus [p] noster in Ecclesia neminem sexus utriusque voluit ignorare. Siquidem ipsa catholici [q] Symboli **858** brevis et perfecta confessio, quæ duodecim apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. Cujus Symboli plenitudinem si Eutyches puro et simplici voluisset corde concipere, in nullo a decretis sacratissimi Nicæni concilii deviaret; et hoc a sanctis Patribus intelligeret constitutum, ut contra apostolicam fidem, quæ nonnisi una est, nullum se ingenium, nullum elevaret eloquium. Et ideo pro vestræ pietatis consuetudine elaborare dignemini, ut quod contra singulare sacramentum salutis humanæ [r] blasphema insipientia protulit, ab omnium animis repellatur. Ac si ipse, qui in hanc tentationem incidit, resipiscat, ita ut per libellarem satisfactionem proprium damnet errorem, communio ei sui ordinis non [s] negetur. Quod etiam sancto Fla-

[a] Confer not. 6 Quesn.

[b] Cod. Vat. Reginæ, *stulta*.

[c] Ita melius ex mss. Vindebon. collect. 5, Vat. collect. 11, duobus collect. 21 et Vat. Reg., ut in epistola antecedenti cap. 1. Antea ut in aliis codd., *dum videret*.

[d] 24, qu. 2, *Damnationis sententiam*, c. 5.

[e] Vulgati ante Quesn. cum mss. collect. 24, *in sua sententia*.

[f] Ita omnes nostri codd., excepto Vat. collect. 24, in quo cum Vulg. ante Quesn., *sincerissima*. Vat. Reginæ ac tres Quesnelli addunt *et solidissima*. Mox, *gloriosam* deest in quatuor mss. Editi anteriores Quesnello cum codd. collect. 21 habebant, *gloriam clementiæ tuæ*

[g] Editiones Leonis cum eodem Vat. collect. 24, *lateant, possit agnosci*. Cod. Vat. collect. 11 cum edit. Concil., *laterent, posset agnosci*. Mss. collect. 21, *quales sint intra Ecclesiam, possit agnosci*. In Vindebon. collect. 5, *laterent, possit agnosci*.

[h] Tres mss. libri cum editis Concilior., *ne ipsorum*.

[i] Ms. Vindebon. collect. 5, *a die* III *idus Maias, quo*.

[j] Indicantur Theodosii litteræ, quibus Leo ad Ephesinam synodum invitatus fuerat. Julius autem legatus in Ephesino concilio inserto actioni primæ synodi Chalcedonensis post lectas imperiales litteras ad Dioscorum Alexandrinum datas III kal. Aprilis testatus est, eas ad Leonem non *eodem*, sed *simili tenore* scriptas fuisse, ut emendatiores codices et Græcus textus præferunt. Aliquod sane discrimen in ratione scribendi ad Leonem indicant illa Hilari eadem actione: *Gloriosissimi et Christianissimi imperatores..... beatissimum episcopum nostrum Leonem apostolicæ sedis præsulem, ut huic venerabili et sancto concilio adesset, dirigentes venerabiles epistolas supplicaverunt*. Hæc scribendi observantissima ratio in epistola quæ superest, ad Dioscorum non apparet.

[k] Cod. Vindebon. omittit *etiam*. Mox, *credit* in Va collect. 11.

[l] Editi ante Quesn. cum nonnullis mss., *per occasionem*.

[m] Cod. Griman. delet *et plene*.

[n] Vulgati Leonis ante Quesn. cum Vat. collect. 24, *quod minus lucide clarescat*.

[o] Editi Concil., *stolidissima insultatio*. Vulg. anteriores Quesnello, *stultissima insultatio*. Vat. collect. 11 et 21, *solidissima resultatio audet assercre*. Vat. Reg., *stolidissima*. Vindebon. collect. 5, *Stolidissime*, et *inserere*.

[p] Idem cod. Vindebon. et alius Vat. delent *noster*. Cod. Vat. Reg. et editiones Concil., *in Ecclesia sua*. In epistola antecedenti, *Dominus in Ecclesia sua*.

[q] Quesnellus in margine: *Vide de hoc Symbolo Hieronymum epist. 61, ad Pammachium, Rufin præfationem exposit. Symboli, S. Augustinum serm 115, de Tempore*, etc., *Dissertationes Vossii et nostram 14*, quam tomo tertio dabimus.

[r] Duo codd., *blasphemiæ insipientia*. Postea duo alii codices, *At si ipse*.

[s] Ita mss. codd. novem Quesnelli, et omnes nostri excepto Vat. collect. 24, qui cum antiquioribus Leonis editionibus, *reformetur*, ut in epistola præcedenti.

Digitized by Google

viano episcopo me Clementia tua scripsisse cognoscat; ut charitas [a] non negligatur, si error aboletur.

[b] Datum idibus Junii, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [c] XXXII.

[d] AD FAUSTUM, MARTINUM ET RELIQUOS ARCHIMANDRITAS CONSTANTINOPOLITANOS.

SYNOPSIS. — *Sensum Eutychis exsecratur : ipsum ad saniorem mentem redire cupit, et sic communioni restitui.*

859 Dilectissimis filiis FAUSTO, [e] MARTINO et reliquis archimandritis LEO episcopus.

Cum propter causam fidei, quam Eutyches perturbare tentavit, [f] de latere meo mitterem, qui defensioni veritatis assisterent, congruum credidi, ut etiam ad vestram dilectionem scripta dirigerem : quos [g] certum habeo ita studere pietati, ut blasphemas et impias voces nullatenus æquanimiter audire possitis; manente in cordibus vestris apostolica institutione, qua dicitur : *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* I, 9). Sensum autem prædicti [h], qui, sicut gestorum lectione cognovimus, merito reprobatus est, etiam nos detestandum esse decernimus : ita ut si assertor insipiens in sua pravitate voluerit permanere, habeat cum his consortium, quorum est secutus errorem. Merito **861** enim fiet extra Christi Ecclesiam, qui in Christo humanam, id est nostram, negat esse naturam. Sed si idem spiritu Dei miserante correctus, impietatem sui erroris agnoverit, et quæ catholici exsecrantur, plena satisfactione damnaverit, volumus ei misericordiam non negari, ut Ecclesia Domini nullum sentiat damnum; cum et resipiscens possit recipi, et solus debeat error excludi. De sacramento autem pietatis magnæ, in qua nobis per incarnationem Verbi Dei iustificatio est et redemptio,

860 Ἀγαπητοῖς τέκνοις, Φαύστῳ καὶ [i] Μαρτίνῳ, καὶ λοιποῖς ἀρχιμανδρίταις, Λέων ἐπίσκοπος.

Ἐπειδὴ διὰ τὴν αἰτίαν τῆς πίστεως, ἣν Εὐτυχὴς διαθορυβῆσαι ἐπεχείρησεν ἐντεῦθεν ἐπέμπομεν τοὺς συστησομένους τῇ ἀληθείᾳ, ἀκόλουθον ἐνόμισα καὶ πρὸς τὴν ὑμετέραν ἀγάπην γράμματα διαπέμψασθαι· οὓς οἶδα σαφῶς οὕτω σπουδάζειν τῇ εὐσεβείᾳ, ὥστε τὰς βλασφήμους καὶ ἀσεβεῖς φωνὰς μηδ' ὅσον ταῖς ἀκοαῖς προσδέχεσθαι δύνασθαι, μενούσης ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν τῆς ἀποστολικῆς παραδόσεως, ἣν ᾗ λέγεται· Εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω. Τὴν δὲ γνώμην τοῦ προλεχθέντος, ὅς τις, [j] ὡς ἐκ τῆς ἀναγνώσεως τῶν ὑπομνημάτων ἔγνωμεν, ἀξίως ἀπεχειροτονήθη, καὶ ἡμεῖς ἐκβλητέον ἐκρίναμεν. Καὶ ἐὰν μὲν ὁ ἄφρων συνήγορος τῇ ἰδίᾳ σκαιότητι ἐπιμεῖναι βουληθείη, ἐχέτω μετὰ τούτων μοῖραν, ὧν ἠκολούθησε τῇ πλάνῃ. **862** δικαιότατα γένοιτο ἂν ἔξω τῆς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας, ὅστις ἐν τῷ Χριστῷ τὴν ἀνθρωπίνην, τουτέστι τὴν ἡμετέραν ἀρνεῖται φύσιν. Ἐὰν δὲ ὁ αὐτὸς ἔλεει τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ διορθωθείς, [k] τὴν ἑαυτοῦ πλάνην ἐπιγνοίη, καὶ ἅπερ οἱ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ἀναθεματίζουσιν, ἐξ ὅλης ψυχῆς ἀναθεματίσαι βουληθῇ, τοῦτον ἔλεου τυχεῖν βουλόμεθα, ὥστε τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Δεσπότου μηδεμίαν ἔσεσθαι ζημίαν· ἐπεὶ δὲ καὶ μετανοῶν δύναται δέχεσθαι, καὶ μόνη ἡ πλάνη ὀφείλει [l] συγχωρεῖσθαι. Περὶ δὲ τῆς ἁγιότητος τῆς μεγάλης πίστεως, ἐν ᾗ ἡμῶν διὰ τῆς ἐν-

[a] Quesnellus cum Leonis vulg. et tribus nostris codicibus, *non negetur*. Ne autem hoc verbum paulo ante positum præter Leonis morem bis repetatur, magis placuit lectio mss. Vindebon collect. 5, Florentin. collect. 13, et plurium collect. 21, nec non Vat. Reginæ, quam etiam editi Concilior. præferunt. Mox. *si error abdicetur*, in uno ms. Vat.

[b] Hanc chronicam notam exhibent codd. collect. 21, 22 et 23. In cæteris omnibus desideratur, sicut etiam in mss. a Quesn. indicatis not. 7. Cum vero is inter codices, qui hac nota carent non referat antiquissimum exemplar Corbeiense collect. 2 quo in hac epistola emendanda usus est, notam chronicam in hoc etiam reperiri suspicamur, ex quo sane plurimum auctoritatis accederet.

[c] Al. 28. Quæ autem antea 32 erat, nunc 36. Scr. 13 Junii an. 449.

[d] Invenitur hæc epistola in quatuor mss. collectionibus Chalcedon. 17, Grimān. 18, Ratisp. 19 et Veneta 22.

[e] In mss. collect. Chalcedon., *Marciano et reliquis archimandritis Constantinopolis*. Cod. Ratisp., *et Martino presbyteris et cæteris archimandritis*. In Græca versione καὶ Μαρκελλίνῳ, *et Marcellino*, vel Μαρκελλιάνῳ, *Marcelliano*, perperam. Nam *Martinus* vocatur non tam in emendationibus Latinis codd., verum etiam in inscriptione Græca alterius epistolæ 53, quæ iisdem archimandritis data fuit, nec non in Græca ipsius subscriptione Constantinopolitanæ synodo sub Flaviano, quæ exhibetur tom. IV Concilior. Ven. editionis pag. 1024.

[f] Falsum est, quod Quesnellus affirmavit not. 1, *S. Leonem primum omnium pontificum Romanorum de legatis a latere missis mentionem fecisse*. Legatorum enim nomen non habetur neque hic, nec in epist. 34, c. 2, sed eorum tantum fit mentio, *quos e latere* pontificis *missos* appellat, in quibus fuit etiam Dulcitius, non legatus utique proprie dictus, sed notarius. Cæterum Bonifacius primus, ante Leonem, Severum apostolicæ sedis notarium *de nostro proprio latere* destinatum scripsit. epist. 13, ad Rufum Thessalonicensem, num. 5. Ante hunc etiam auctor, quicumque fuerit, epistolæ ad Orientales ab Hilario Fragmentis insertæ, num. 4, tres Romanæ Ecclesiæ presbyteros *e latere* pontificis Alexandriam directos memorat. *De latere* autem pontificis vocabantur formula ex imperatorum stylo assumpta, qui pontificibus adhærebant in Romana Ecclesia, uti erant Renatus presbyter, Hilarus diaconus, et Dulcitius notarius, sive etiam in concilio Romano, ad quos Julius Puteolanus episcopus pertinebat. Etiam in Sardicensi concilio, c. 7, *ut e latere suo* presbyter a Romano antistite mitteretur, Patres rogarunt.

[g] Id Leoni notum erat saltem ex gestis synodi Constantinopolitanæ adversus Eutychem, quibus hos archimandritas subscriptos viderat.

[h] Vocem *Eutychis* hoc loco insertam in omnibus editis, delevimus auctoritate potissimum nostrorum exemplarium collect. Chalcedon. atque Balutii, nec non ms. Ratispon. quibus et Græca versio congruit.

[i] Plerique codd. cum vulgatis, Μαρκελλίνῳ. Ms. Vat. 1455, Μαρκελλιάνῳ. Cur Μαρτίνῳ sine hæsitatione posuerimus, vide annot. 2 in textum Latinum, infra (*Supra*, n. [e]).

[j] Ita ms. Ven., atque ita omnino legendum postulat textus Latinus, *sicut gestorum lectione cognovimus*. In vulg., ὡς ἐκ τῆς ἀναγνώσεως ἔγνωμεν.

[k] Ms. Ven., τῆς ἑαυτοῦ πλάνης.

[l] Ἐκβάλλεσθαι ἢ, ἐκκλείεσθαι. L.

Digitized by Google

quæ sit nostra ex Patrum traditione sententia, [a] in litteris, quas ad fratrem meum Flavianum episcopum misi, nunc sufficienter, quantum arbitror, explicatum est; ut per insinuationem præsulis vestri, quid secundum Evangelium Domini nostri Jesu Christi [b] in omnium fidelium cordibus fixum esse cupiamus, noscatis. [c] Datum idibus Junii, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

σωματώσεως τοῦ Λόγου τοῦ Θεοῦ ἡ δικαίωσις καὶ ἡ ἐξαγόρασίς ἐστι, τί φρονοῦμεν ἐκ τῶν Πατέρων παραδόσεως, ἐν τοῖς γράμμασιν, ἃ πρὸς τὸν ἀδελφὸν τὸν ἐμὸν Φλαυιανὸν τὸν ἐπίσκοπον νῦν ἔπεμψα, ἱκανῶς, καθ' ὅσον οἶμαι, εἴρηται· ὥστε ὑμᾶς ἐμφανίζοντος τοῦ ἰδίου προέδρου μαθεῖν, τί κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ ἡμετέρου Δεσπότου [1] λεχθέν, ταῖς πάντων τῶν πιστῶν ψυχαῖς βέβαιον μένειν ἐπιθυμοῦμεν. Ὁ Θεὸς ὑμᾶς φυλάττοι, τέκνα ἀγαπητά.

EPISTOLA [d] XXXIII.

[e] AD EPHESINAM SYNODUM SECUNDAM.

[f] Synopsis. — I. *Incarnationis fides ex confessione Petri probari.* — II, *Concilium ad errorem abolendum, et reducendos errantes convocari.*

863 [g] Leo episcopus sanctæ Synodo, quæ apud Ephesum convenit.

Cap. I. — Religiosa clementissimi principis fides sciens ad suam gloriam maxime pertinere, si intra Ecclesiam catholicam nullius erroris germen exsurgeret, hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sanctæ [h] dispositionis effectum auctoritatem apostolicæ sedis adhiberet: tamquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari quid in ejus confessione [i] laudatum sit, quando dicente Domino: *Quem me esse dicunt homines Filium hominis* (*Matth.* XVI, 13)? Varias quidem diversorum opiniones discipuli memorarunt; sed cum ab eis, quid ipsi crederent, [j] quæreretur, princeps apostolorum plenitudinem fidei brevi sermone complexus, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi*; hoc est, Tu qui vere es Filius hominis, idem vere es Filius Dei vivi; tu, inquam, verus in Deitate, verus in carne, et [k] salva geminæ **865** proprietate naturæ [l] utrumque unus. Quod si Eutyches intelligenter ac vivaciter crederet, [m] nequaquam ab hujus

864 Λέων ἐπίσκοπος τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τῇ ἐν Ἐφέσῳ συγκροτουμένῃ, ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς, ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Ἡ τοῦ ἡμιερωτάτου βασιλέως εὐσεβεστάτη πίστις, εἰδυῖα μάλιστα τοῦτο τῇ δόξῃ [1] κύτων διαφέρειν, εἴγε κατὰ τὴν καθολικὴν Ἐκκλησίαν μηδεμιᾶς πλάνης βλαστὸς ἀναφύοιτο, τοῦτο τοῖς θείοις δόγμασι τὸ σέβας ἀπένειμεν· ὥστε πρὸς ἀποτέλεσμα τῆς θείας διατυπώσεως, τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας ἐπιβεῖναι τὸ κῦρος ὡς ἂν ἀπ' αὐτοῦ τοῦ μακαρίου Πέτρου βουλομένη γενέσθαι κατάδηλον τὸν ἐν τῇ τούτου ὁμολογίᾳ ὑμνούμενον [2] ὅτε λέγοντι τῷ Κυρίῳ· Τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι τὸν Υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; διαφόρους μὲν τινων ἔφασκον οἱ μαθηταὶ εἶναι τὰς δόξας· ὁπηνίκα δὲ ἐπύθετο παρ' αὐτῶν, αὐτοὶ τί πιστεύοιεν, ὁ τῶν ἀποστόλων ἀρχηγὸς, τὸ πλῆρες τῆς πίστεως βραχεῖ λόγῳ περιλαβών, Σὺ εἶ, φησὶν ὁ Χριστὸς, ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. Τουτέστι, [3] Σὺ εἶ, ὃς τις εἶ ἀληθῶς Υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου· ὁ αὐτὸς ἀληθῶς εἶ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος· σὺ εἶ ἀληθὴς ἐν θεότητι, καὶ ἀληθὴς ἐν σαρκί· καὶ σωζομένης τῆς ἐν **866** τῇ διττῇ φύσει συγκεκυφυίας ἰδιότητος, εἷς ὑπάρχων [4] ἑκάτερον·

[a] Editi Leonis ante Quesn. omittunt hæc, *in litteris, quas ad fratrem meum Flavianum episcopum misi.* Quesnellus ex suis mss. et Græca versione supplevit defectum, uti supplent etiam omnes nostri codices et editi Concil. Solum ille habet *in his litteris, et nunc misi, sufficienter.* Nostrorum et Baluzii codicum lectionem prætulimus.

[b] Cod. Veron. 57 collect. Chalcedon., *in omnibus fidelium cordibus.*

[c] Græca versio addit: *Deus vos custodiat, dilectissimi filii.*

[d] Alias 29. Quæ autem antea 33 erat, nunc 37. Scr. 13 Junii an. 449.

[e] Hanc epistolam præferunt tredecim collectiones 5 Hisp. Isid. 11, 12, 13, 17, 18, 19, et 21, usque ad 24.

[f] In collect. Hispanica et cæteris ex ea profectis hic titulus exhibetur: *Epistola papæ Leonis ad Ephesinam synodum, in qua provocat congregatos episcopos Eutychetis blasphemias condemnare.* In tabula collect. 5, cap. 85: *De damnanda hæresi Eutychiana.* Tandem in mss. Chalcedonensibus Græcis sic: Ἐπιστολὴ τοῦ αὐτοῦ Λέοντος ἀρχιεπισκόπου Ῥώμης πρὸς τὴν ἐν Ἐφέσῳ δευτέραν σύνοδον, ἥτις ὑπεβλήθη μὲν ἀπεκρύβη δὲ διὰ τὸ μὴ συγχωρηθῆναι δημοσιευθῆναι τοῖς ἐπισκόποις, ὑπὸ τοῦ δυσσεβοῦς Διοσκόρου τοῦ Ἀλεξανδρείας ἐκισκόπου. In Latinis autem c. 15: *Sanctissimi archiepiscopi Romæ Leonis epistola scripta ad secundum concilium Ephesinum contra Eutychem, quæ producta quidem est, occultata vero, propter quod non fuerit concessa publicari episcopis a Dioscoro.*

[g] Inscriptio in mss. Latinis Chalcedonensibus deest: illi autem, quæ in Græco legitur, vulgata accedit. Ms. codex Florent. collect. 13: *Leo Urbis Romæ episcopus dilectissimis fratribus in Ephesina synodo congregatis in Domino salutem.*

[h] Cod. Florentin. addit *veræ.* Porro *dispositio* indicat edictum principis de cogenda synodo, uti liquet ex epist. 30, c. 2, in quod confer nostram annot. 8 (*Col.* 789, *n.* [b]).

[i] Antiquissimus cod. Veron. 57 collect. 17, *declaratum sit* Mox in Ratispon., *dicenti Domino.*

[j] Vindebon. Hisp., *quæritur.*

[k] Vat. Hisp. et Isid., et editi ad marginem, *sub geminæ.*

[l] Editi, *utrinque.* Ex omnibus nostris variarum collectionum mss. et ex illis Baluzii emendavimus.

[m] Cod. Vat. 846 collect. 21, *profecto non ab hujus fidei tramite devieret; sed digne ei responderetur a Domino.*

[1] Forte, δεχθέν.

[2] In marg. edit. Rom. L., αὐτοῦ. Mox βλαστὸς scripsimus pro πλαστός, auctoritate trium codd. Vat. Græc. 1278 et 1455 ac Vat. Ottob. 99.

[3] Ita legendum cum mss. Ven., ut viderunt etiam editores Romani, qui ad marginem annotarunt, ὅτε λέγοντι τῷ Κυρίῳ. In vulg., ὅτε γὰρ λέγουσι.

[4] In marg. edit. Rom. σὺ, ὅστις εἶ ἀληθῶς.

[5] Vulg., ἑκάτερον. Correximus cum laudatis mss. Romanis et Veneto.

Digitized by Google

fidei tramite deviaret. Propter quam ei respondetur a Domino: *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI, 17). Nimis autem a compage hujus ædificationis alienus est qui et beati Petri confessionem non capit, et Christi Evangelio contradicit: [a] ostendens se nullum umquam studium cognoscendæ veritatis habuisse, et superfluo honorabilem visum, qui nulla [b] maturitate cordis ornavit canitiem senectutis.

CAP. II. — Verum quia etiam talium non est negligenda curatio, et pie ac religiose Christianissimus imperator haberi voluit episcopale concilium, ut pleniore judicio omnis possit error aboleri, [c] fratres nostros Julium episcopum, Renatum presbyterum, et Filium meum Hilarum diaconem, cumque his Dulcitium notarium probatæ nobis fidei, misi; qui vice mea sancto conventui vestræ fraternitatis intersint, et communi vobiscum sententia, quæ Domino sint placitura, constituant. Hoc est, ut primitus **867** pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, restitutione tractetur; si tamen doctrinam [d] veritatis amplectens, sensus hæreticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, plene aperteque propria voce et subscriptione damnaverit: quod etiam in libello quem ad nos miserat est professus, spondens per omnia nostram se secuturum esse sententiam. Acceptis autem fratris et coepiscopi nostri Flaviani litteris, plenius ad eum de his quæ ad nos videtur retulisse rescripsimus: ut abolito hoc [e] qui natus videbatur errore, in laudem et gloriam Dei per totum mundum una sit fides et una eademque confessio, et *in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* [f] Data idibus Junii, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

ὡς [1] εἴγε Εὐτυχὴς νοητῶς, καὶ ἐκτενῶς [2] ἐπεπιστεύκει, οὐδαμῶς ἂν ἀπὸ τῆς εὐθείας τῆς πίστεως τῆς τοιαύτης ἀπέκλινε· δι' ἣν ἀπόκρισις αὐτῷ τῷ ἀποστόλῳ παρ' αὐτοῦ γίνεται τοῦ Δεσπότου· Μακάριος εἶ, Σίμων Βὰρ Ἰωνᾶ, ὅτι σὰρξ, καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ' ὁ πατήρ μου ἐν τοῖς οὐρανοῖς· κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς· σφόδρα οὖν τῆς ἁρμονίας τῆς τοιαύτης οἰκοδομῆς ἐστιν ἀλλότριος, ὅς τις καὶ τὴν τοῦ μακαρίου Πέτρου ὁμολογίαν οὐ δέχεται καὶ τῷ Εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ ἀντιλέγει· δεικνὺς ἑαυτὸν μηδεμίαν πώποτε σπουδὴν ἰσχηκέναι πρὸς τὸ γνῶναι τὸ ἀληθές· μάτην τε τιμῆς ἄξιος ὤφθη, ὅς τις οὐδενὶ τῆς καρδίας τῷ ἀκμαίῳ τὴν τοῦ γήρως ἐκόσμησε πολιάν. Ἀλλ' ἐπειδή περ, ἀδελφοὶ τιμιώτατοι, καὶ τῆς τῶν τοιούτων θεραπείας οὐκ ἔστι παραμελεῖν, καὶ ὁ εὐσεβὴς δὲ, καὶ φιλόχριστος βασιλεύς, εὐσεβῶς ἅμα, καὶ εὐλαβῶς ἔχων, τὴν τῶν ἐπισκόπων ἀθροισθῆναι σύνοδον ἠβουλήθη, ὥστε κρίσει τελειωτέρᾳ δυνηθῆναι πᾶσαν ἀπαλείφισθαι πλάνην, τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν [3] Ἰούλιον τὸν ἐπίσκοπον, καὶ Ῥενάτον τὸν πρεσβύτερον, καὶ τὸ τέκνον μου Ἵλαρον τὸν διάκονον, καὶ μετὰ τούτων Δουλκίτιον τὸν ἐμὸν νοτάριον, δοκιμασθείσης ἡμῖν τῆς αὐτῶν πίστεως, ἀπεστείλαμεν. Οἵ τινες εἰς τάξιν ἐμὴν τῇ ἁγίᾳ τῆς ὑμῶν ἀδελφότητος συνόδῳ παρίσονται· [4] καὶ τὰ τῇ κοινῇ μεθ' ὑμῶν γνώμῃ τὰ κατὰ Θεὸν **868** ἀρίσκοντα ψηφιοῦνται· Τουτέστιν, ὥστε ἐν πρώτοις τῆς φθοροποιοῦ [5] πλάνης αὐτοῦ καταδικασθείσης, [6] καὶ οὕτως περὶ τῆς ἑαυτοῦ ἀμαθοῦς πλάνης ἀποκαταστάσεως σκοπηθῆναι· [7] εἴγε ὅλως τὴν τῆς ἀληθείας διδασκαλίαν δεχόμενος, τὸ αἱρετικὸν φρόνημα· [8] ὅπερ ἡ κακοδοξία αὐτοῦ πέφηνεν ἐμπλακεῖσα, [9] εἰς πλῆρες, καὶ σαφῶς οἰκεία φωνῇ, καὶ ὑπογραφῇ, καταδικάζειν ἀνέχοιτο. Ὅπερ καὶ ἐν τῷ λιβέλλῳ, ὅπερ πρὸς ἡμᾶς ἀπέστειλε, ποιεῖν ἣν ὑποσχόμενος· διὰ πάντων ἐπαγγελλόμενος, ταῖς ἡμετέραις [10] ἀκολουθεῖν ἀποφάσεσι· [11] δεξάμενος δὲ τὰ γράμματα τοῦ ἐπισκόπου, καὶ συναδελφοῦ ἡμῶν Φλαυιανοῦ, τελειότερον πρὸς αὐτὸν περὶ τούτων, ἅπερ ἔδοξεν ἐφ' ἡμᾶς ἀναφέρειν, ἀντεγράψαμεν· ἵνα τῆς πλάνης ἀπαλειφομένης τῆς νῦν ἀναφυείσης, εἷς ὕμνον, καὶ δόξαν τοῦ Θεοῦ μία πίστις εἴη κατὰ τὸν πάντα κόσμον, καὶ μία, καὶ ἡ αὐτὴ ὁμολογία· καὶ ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ, ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων· καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται, ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρός. Ἀμήν.

[a] Ms. Vindebon. collect. 5, *ostendit.*

[b] Editiones ante Quesn. cum mss. collect. 24, *auctoritate.* In uno cod. collect. Chalced. et ad marginem edit. Concil., *ordinavit*, pro *ornavit.* Vat. collect. 11, *ornabat.*

[c] Vindebon. Hisp., *fratrem nostrum.* Mox editi ante Quesn. cum Vat. Hisp. et Isid. aliisque inde derivatis, *Julianum*, perperam. Vide annot. 81 (*Col.* 779, *n.* b.) in epist. 28. *Julium* recte præferunt utrique codd. Vindebon. collect. 5 et Hisp. nec non Ratisp. et mss. collect. Chalcedon., inter quæ Veron. 57, cum Græca versione. Dein habent, *et Renatum.* Postea *filium nostrum* in Vindebon. Hisp.

[d] Cod. Grimanic., *pietatis;* et mox *sensus hæreticorum* in eodem codice.

[e] Ita novem mss. libri Quesn. et undecim nostri atque Baluzii. Solus Vat. 546 collect. 21 cum editis ante Quesn., *quo inquinatus*, male.

[f] Latini codd. collect. Chalcedonensis addunt: *Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi*, al. *dilectissimi.* Quesnellus notæ diei hanc postillam apposuit, nullo indicato codice vel editione: Al., *Id. Mai.* vel *Id. Januar.* Neutrum usquam in nostris codicibus invenimus. Erroneæ quidem sunt hæ variantes, cum laudetur epist. 28, ad Flavianum, data hoc eodem anno idibus Junii.

[1] Ita legere maluimus cum ms. Ven., quam cum vulgatis, εἴ τι Εὐτυχής. In marg. quoque edit. Rom. notatum reperies, εἴ γε.

[2] Ms. Ven., πεπιστεύκει. Mox in eodem ms. ἀπὸ τῆς εὐθείας πίστεως.

[3] In marg. edit. Rom., Ἰουλιανόν.

[4] In marg. edit. Rom., ἴσως, καὶ τῇ.

[5] In marg. edit. Rom., πλάνης καταδικασθείσας, μετὰ ταῦτα καὶ περὶ τῆς ἀποκαταστάσεως αὐτοῦ τοῦ ἀμαθῶς πλανηθέντος σκοπηθῆναι.

[6] Ms. Ven., εἰθ' οὕτως; melius quidem, si etiam cætera quomodo sanari possent indicaret.

[7] Ms. Ven., εἴ γε ὅμως.

[8] In marg. edit. Rom., ὅπερ.

[9] Ms. Ven., εἰς πλήρης.

[10] In marg. edit. Rom., ἀκολουθήσειν.

[11] In eodem marg., ἴσως, δεξάμενοι.

Digitized by Google

868 EPISTOLA [a] XXXIV.

[b] AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM.

SYNOPSIS. — I. *Eutychen ab unitate fidei excidisse dolet.* — II. *Legatos ad synodum a latere mittit.*

LEO episcopus [c] JULIANO episcopo charissimo fratri.

CAP. I. — Litteræ dilectionis tuæ, quæ mihi nuper sunt redditæ, quam spiritali catholicæ fidei vigeas amore, demonstrant; et multum gaudere me faciunt, quod [d] in eamdem sententiam pia corda concurrunt, ut secundum doctrinam Spiritus sancti impleatur in nobis quod Apostolus ait : *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata ; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* (I *Cor.* I, 10). Cujus unitatis nimium se Eutyches [e] fecit extraneum, si in sua perversitate veterascit, nec adhuc, quibus vinculis [f] a diabolo sit obligatus, intelligit : et quemquam sacerdotum Domini reperiendum putat, qui ejus imperitiæ amentiæque **870** consentiat. Diu apud nos incertum fuit, quid in ipso catholicis displiceret : et cum fratris nostri Flaviani nullas litteras sumeremus, ipse autem scriptis suis Nestorianam hæresim repullulare quereretur, non plene potuimus discere unde procederet, vel quo tenderet tam dolosa causatio. Sed postquam gestorum ad nos episcopalium documenta perlata sunt, omnia illa quæ fallacium querelarum velamine tegebantur, quam essent detestanda, patuerunt.

CAP. II. — Et quia clementissimus imperator, pro benevolentia ac pietate animi sui, de statu hujus, qui ante honorabilis videbatur, diligentius voluit judicari, atque ob hoc indicendum credidit episcopale concilium, per fratres nostros [g] Julium episcopum, et Renatum presbyterum, sed et filium meum diaconem Hilarum, quos ex latere meo vice mea misi, ad fratrem nostrum Flavianum sufficientia pro qualitate causæ scripta direxi, quibus et vestra dilectio, et Ecclesia universa cognoscat, de antiqua et singulari fide, quam indoctus impugnator incessit, quid divinitus traditum teneamus, et quid [h] incommutabiliter prædicemus. Quia tamen non debemus partes miserationis omittere, [i] congruere moderationi credidimus sacerdotum, ut si condemnatus presbyter plena satisfactione corrigitur, sententia, qua obstrictus est, relaxetur : si vero in eodem insipientiæ suæ luto jacere delegerit, statuta permaneant; et cum eis habeat sortem, quorum est secutus errorem. Data idibus Junii, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

[a] Alias 31. Quæ autem 34 erat, nunc 38. Scripta 13 Junii an. 449.

[b] Hæc epistola inventa est hactenus in solis mss. collect. 12, 18 et 19.

[c] Cod. Ratisp., *Juliano episcopo Coensium.*

[d] Vulgati, *in eadem sententia.* Magis placuit lectio cod. Ratisponensis.

[e] Iidem editi, *facit extraneum, qui in sua.* Codd. Vat. et Venet. collect. 12, *fecit extraneum, qui*, etc. Prætulimus exemplar Ratisponense.

[f] Vulgati ante Quesn., perperam *a Domino.*

[g] Iidem vulgati cum mss. collect. 12, *Julianum.* Vide annot. 81 in epist. 28 (*Col.* 779, *n.* [b]).

[h] Ratisp., *immutabiliter.*

[i] Ita cum ms. Grim. Quesnelli etiam nostri codices. Solum Ratisp. *credimus* pro *credidimus* præfert; et postea omittit vocem *presbyter*, forte melius. Vulg. ante Quesn., *congrua moderatione credidimus sanciendum, ut si*, etc.

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. Verba cap. 1 et 4, *direximus* atque *miserimus*, quibus legati ab Urbe *directi*, et epistola ad Flavianum data idibus Junii *missa* traditur, indicare videntur sequentem epistolam scriptam fuisse post laudatas litteras ad Flavianum, immo etiam post legatorum discessum, qui *profecti* dicuntur in epist. 38, data die 23 Julii, quin et epist. 36, data die 20 Junii, ut probabilius ostendemus annot. 3 in ipsam epistolam (*Col.* 812, *n.* [c]); quod tamen in rem præsentem nihilum refert. In eadem epist. 38, memoratur adventus Basilii diaconi, qui profectis jam legatis, Flaviani epistolam ad Leonem detulerat. Si is esset idem Basilius, qui Juliani quoque litteras attulisse traditur, multo evidentius hæc epistola scripta dicenda esset post idus Junias, quando legati nondum ab Urbe erant profecti. Ita ex duabus epistolis ad Julianum, quas de eadem re eodem die scriptas credere videtur difficile, sola præcedens epistola data fuisset idibus Junii, sequens vero in posterius tempus protrudenda esset. At omnes codices resistunt, et licet collectiones plures ac diversæ sequentem epistolam contineant, in omnibus tamen *idibus Junii* data notatur.

2. Quesnellus, ut hæc conciliet, not. 8, observat in aliquibus epistolis, quæ idus Junii nunc præferunt, nullam fieri Ephesinæ synodi jam indictæ mentionem. Conjecit autem Leonem acceptis primis Flaviani litteris cum gestis synodi Constantinopolitanæ consilium cepisse mittendi legatos quatuor in Orientem, qui rem totam Constantinopoli componerent. Ad hunc unice finem scriptas primum credit *epistolas plures, quæ 13 Junii datæ nunc leguntur.* Solas autem duas nominat, scilicet epist. 28 ad Flavianum, et 32 ad archimandritas Constantinopolitanos, *in quibus reapse nihil de synodo habetur, sed de fidei tantum causa per legatos curanda.* Addit porro : *At antequam legati profecti essent, acceptæ sunt a Leone Theodosii litteræ, quibus de indicta synodo monebatur; statimque iidem legati, qui ad fidei negotium cum Flaviano tractandum destinati erant, ad synodum directi sunt, eorumque tarduta profectio, quo novis litteris scribendis tempus daretur, vel prioribus amplificandis;* et in his de concilio fit mentio. Hac autem de causa et anterioribus et ultimis litteris eamdem chronicam notationem *idibus Junii* affixam innuit.

3. Nemini tamen hæc satisfacere poterunt. Primo enim Flaviani litteras cum gestis Constantinopolitanæ synodi a Leone acceptas, antequam Theodosii epistola de indicto concilio deferretur, non solum absque ullo fundamento, verum etiam contra documentorum fidem præsumit. Priores enim Flaviani litteras cum gestis Constantinopolitanis ad ersus Eutychen sese recepisse Leo significavit solum epist. 27, data die 21 Maii, cum Theodosii epistolam die 13 ejusdem mensis sibi traditam fuisse testetur epist. 31. Præterea ante diem 13 Maii scripta præsumitur celebris epist. 28 ad Flavianum, et legati jam destinati. At die 21 ejusdem mensis, quo data fuit epist. 27, se eidem epist. 28 scribendæ operam dare profitetur, nondumque cogitasse eam legatis tradere, inquit enim : *De hac re plenius per eum qui ad nos tuæ dilectionis portavit epistolam,*

Digitized by Google

rescribemus. Epistola autem 31 affirmat, post acceptas Theodosii litteras legatorum profectioni ordinandæ exiguum tempus superfuisse : *Cum* a tu *iduum Maiarum*, inquit, *quo serenitatis ejus scripta suscepimus, major pars reliqui sit temporis assumenda, ut profectio sacerdotum qui negotio sufficiant valeat ordinari.* Secundo etiamsi hæc aliqua ratione conciliari possent in Quesnelli sententia, nodum tamen solvitur alia difficultas, qua dies iduum Junii signatur in hac epistola, siquidem profectis jam legatis scripta dicenda sit, ut initio notavimus.

4. Quid ergo? auctoritatem tot et antiquarum et præstantissimarum collectionum, quæ nulla varianti *idus Junii* constanter præferunt, deserere nefas ducimus: ac propterea Leonem eadem die duas ad eumdem Julianum Coensem dedisse epistolas arbitramur, alteram brevem per legatos afferendam, longiorem alteram per Basilium diaconum ab illo diversum, qui profectis jam legatis Flaviani litteras detulit. Verba autem præteriti temporis *direximus* et *miserimus* nihil movebunt, si considerentur quæ observavimus in annot. 17 (*Col.* 727, *n.* [b]) ad epist. 22, ubi similia exempla præteriti temporis de re præsenti vel mox futura ab ipso Leone adhibita allegavimus. Duas autem epistolas eodem die ad eosdem dari a Leonis more alienum non est, ut ex exemplis in admonit. ad epist. 17 laudatis patet.

5. Unum monendum restat quoad Græcam hujus epistolæ versionem, quæ cum in editionibus Conciliorum puncta alicubi præferat lacunas indicantia, de laxato exemplari Romanorum editorum initio dubitavimus. At Græcum textum conferentes cum ms. Vat. 1455, alterius originis ab eo quo Romani editores usi sunt, ac præterea cum duobus codd. Venetis S. Marci 164 et 555 deprehendimus, nec puncta in illis esse, neque luxationem ullam, sed omnia distincte uno contextu describi; nec tamen quæ in editionibus Græcis desunt, suppleri. Hinc antiquum Græcum interpretem ea quæ desiderantur in Græca versione consulto omisisse non improbabiliter conjicimus. Forte Julianus, qui Leonis epist. 93 ad synodum Nicænam Græce interpretatus videtur, uti animadvertemus in actionem meditam concilii Chalcedonensis, quam in appendice publicabimus, hanc quoque ad se missam statim Græce reddidit; et cum magnæ turbæ tunc effervescerent, quæ in Græco desunt, consulto prætermittenda putavit. Libertatem quidem dissimulandi apud Græcos nonnulla alterius epistolæ Leonis ad synodum Chalcedonensem idem Julianus Leoni indicaverat, uti colligitur ex ep. 127, c. 3. Ut autem indicentur quæ in Græca versione omissa fuerunt, ea in Latino textu uncis clausa exhibebimus.

EPISTOLA [a] XXXV.

[b] AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM.

SYNOPSIS. — I. *Eutychen apem Christianam omniumque mysteriorum veritatem pervertere.* — II. *Utriusque naturæ proprietates in Christo servari.* — III. *Animam Christi non præexstitisse corpori, nec corpus ex nihilo conditum; sed utrumque ejusdem nobiscum esse naturæ.*

875 [c] LEO urbis Romæ episcopus dilectissimo fratri JULIANO episcopo.

A 876 Τῷ [ἀγαπητῷ ἀδελφῷ Ἰουλιανῷ Κῴων ἐπισκόπῳ.

CAP. I. — Licet [d] per nostros, quos ab Urbe [e] pro fidei causa direximus, plenissimas ad fratrem [f] nostrum Flavianum litteras miserimus contra nimiæ impietatis errorem, tamen quia per filium nostrum Basilium diaconem scripta tuæ dilectionis accepimus, quæ multum nobis catholici sensus fervore placuerunt, etiam hanc paginam quæ illis epistolis consonaret adjecimus, ut [g] unanimiter atque constanter his qui Evangelium Christi corrumpere cupiunt resistatis : quoniam sancti Spiritus in nobis atque in vobis una est eruditio eademque doctrina : quam [h] quicumque non recipit, **877** non est membrum corpo-

Εἰ καὶ διὰ τῶν ἡμετέρων γε. ὧν ἀπεστάλκαμεν ἐκ τῆς πόλεως ἐπὶ τοῦ πράγματος τῆς πίστεως, πληρέστατα πρὸς τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν φλαυιανὸν διεπεμψάμεθα γράμματα κατὰ τῆς πλάνης τῆς πολλῆς ἀσεβείας. Ὅμως ἐπειδὴ διὰ τοῦ τέκνου ἡμῶν Βασιλείου τὰ γράμματα τῆς σῆς ἀγάπης ἐδεξάμεθα ἅπερ ἡμῖν ἤρεσε πάνυ τῷ ζήλῳ τοῦ καθολικοῦ φρονήματος ζέοντα. καὶ τόδε τὸ γράμμα, ὅπερ οὐκ ἀπᾴδει τῶν γραμμάτων ἐκείνων. καὶ νῦν προσεθήκαμεν· ὥστε ὑπὲρ τῆς ἀληθείας τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ ὁμοψύχως, καὶ σαθρῶς τούτοις ὑμᾶς [i] ἀντιθεῖναι, οἵ τινες τὸ τοῦ θεσπότου εὐαγγέλιον διαφθείρειν ἐπιθυμοῦσιν, ἐπείπερ ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐν

[a] Alias 25. Quæ autem antea 35 erat, nunc 39. Scripta 13 Junii an. 449.

[b] Exstat hæc epistola in mss. collectionibus 2, 5, 11, 12, 13 et 17 usque ad 24, ac in peculiari codice Vat. Reginæ 293. In tabula collect. 5 hic titulus legitur c. 88 : *Ad Julianum episcopum de damnatione hæresis Eutychianæ.*

[c] Codd. collect. Chalcedon., *Dilectissimo fratri Juliano Leo.* in Ratisponensi cæteroquin emendatissimo hæc erronea inscriptio legitur : *Juvenali episcopo Hierosolymitano.*

[d] Mss. collect. 21 habent, *per eos propter nostros.* Mox editi Leonis ante Quem. cum ms. Florentino, *ad Urbem.* In solo ms. Chig. collect. Chalced. omittitur *ab Urbe.*

[e] Voces *pro fidei causa* desunt in septem Quesnelli codicibus indicatis in margine, et in duobus nostris Vat. collect. 11 et Florentino collect. 13. Item Quesnellius not. 8 has voces expungendas credit, *ut quæ*, inquit, *ex Græca versione in textum Latinum irrepserunt, quæ versio longe plura habet a textu originali discrepantia.* Perperam : exstant enim in tredecim

B nostris codicibus, inter quos Vindebonensis collect. 5 et Ratisponensis a Græco non pendent, ipsi etiam mss. libri Latinæ collectionis Chalcedonensis adeo non dimanant a Græca versione, ut careant quibusdam additamentis, quæ sunt in Græco textu, et tria membra exhibeant, quæ in Græco desiderantur; unde Latinus textus hujus collectionis ab ipso originali Leonis originem ducit.

[f] Vocem *nostrum* a Quesnello insertam omittunt plerique nostri codices, sicut et anteriores editiones. At illam exhibent mss. Vindebon. collect. 5 et Florent. collect. 13 ac Græca versio.

[g] Græca versio, observante etiam Quesnello not. 4 addit : *Pro veritate humanitatis Christi.* Post puncta, loco verborum *in nobis atque in vobis*, eadem Græca versio, Quesnello pariter animadvertente not. 2, habet, *in universa catholica Ecclesia.*

[h] Mss. Veron. 57, Vindebon. collect. 5, Vat. collect. 11 et Ratisp., *quisque*, vel *quisquis non recipit.* Mox codd. collect. 21, *nec membrum corporis Christi esse potest, nec capite gloriari.*

C

[i] In marg. edit. Rom.. ἴσως, ἀντιτεῖναι.

Digitized by Google

rit Christi; nec potest eo capite gloriari, in quo naturam sudm asserit non haberi. Quid autem prodest imprudentissimo seni, Nestorianæ hæreseos nomine, eorum lacerare opinionem, quorum piissimam convellere non potest fidem; cum quantum Nestorius a veritate discessit, Deitatem Verbi ab assumpti hominis substantia [a] separando, tantum a recto tramite etiam iste desciscat, qui Unigenitum Dei Filium sic de utero beatæ Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanæ carnis veritas Verbo unita non fuerit? De quo prodigio falsitatis quis non videat quæ opinionum monstra nascantur? [b] Qui enim negat verum hominem Jesum Christum, necesse est ut multis impietatibus impleatur, eumque aut Apollinaris sibi vindicet, aut Valentinus usurpet, aut Manichæus obtineat: quorum nullus in Christo humanæ carnis credidit veritatem. Qua utique non recepta, non solum quod secundum carnem atque animam rationalem, qui erat in forma Dei, manens idem in forma servi, homo natus denegatur; sed etiam, quod crucifixus est et mortuus ac sepultus, quodque die tertio [c] resurrexit, et quod ad dexteram Patris [d] sedens ad judicandos vivos **879** et mortuos, in eo corpore sit venturus, in quo est judicatus [e], abnuitur: quia hæc redemptionis nostræ sacramenta vacuantur, si Christus veram veri hominis, totamque naturam suscepisse non creditur.

CAP. II. — An quia manifesta erant signa divina, falsa dicentur documenta corporea: et testimonia utriusque naturæ valebunt, ut Creator intelligatur; non valebunt, ut creatura salvetur? Quod Deitatis est, caro non minuit; quod carnis est, Deitas non peremit. Idem enim et sempiternus ex Patre, et temporalis ex matre, in sua virtute inviolabilis, in nostra infirmitate passibilis, in Deitate Trinitatis cum Patre et Spiritu sancto unius ejusdemque naturæ; in susceptione autem hominis non unius substantiæ, sed unius ejusdemque personæ: [ut idem esset dives *in* paupertate, omnipotens in abjectione, impassibilis in supplicio, immortalis in morte.] Nec enim Verbum aut in carnem, aut in animam aliqua sui parte conversum est; cum simplex et incommutabilis natura Deitatis, tota in sua sit semper essentia, nec damnum sui recipiens, nec augmentum; et sic assumptam

A πάσῃ τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ μία ἐστὶ μάθησις, καὶ ἡ αὐτὴ διδασκαλία· ἣν εἴ τις μὴ δέχεται, οὐκ **878** ἔστι μέλος τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, οὔτε δύναται ταύτῃ δοξάζεσθαι τῇ κεφαλῇ ἐν ᾗ τὴν οἰκειαν φύσιν διαβεβαιοῦται μὴ περιέχεσθαι. Τί δὲ ὄφελος τῷ ἀμαθεῖ γέροντι, ὀνόματι τῆς τῶν Νεστοριανῶν αἱρέσεως, ἐκείνων διαβάλλειν τὴν δόξαν, ὧν τὴν εὐσεβεστάτην πίστιν καταλῦσαι μὴ δύναται; ὁπότε Νεστόριος ὅσον ἀπὸ τῆς ἀληθείας ἀπέστη, τὴν Θεότητα τοῦ Λόγου [1] χωρίζων ἀπὸ τῆς οὐσίας τοῦ προσληφθέντος ἀνθρώπου, καὶ ἀπ' αὐτῆς τῆς συλλήψεως τῆς Παρθένου, τοσοῦτον ἀπὸ τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ οὗτος ἀφηνιᾷ· ὃς τὸν Μονογενῆ τοῦ Θεοῦ οὕτως ἀπὸ τῆς γαστρὸς τῆς μακαρίας Παρθένου νομίζει τεχθέντα, ὥστε ἀνθρωπίνου σώματος εἰκόνα ἔχειν αὐτόν. ἀνθρωπίνης δὲ σαρκὸς μὴ ἀνειληφέναι ἀλήθειαν. [2] Περὶ οὗ τερατώδους B ψεύδους τίς οὐκ ἂν ἴδοι ποῖα βλασφημιῶν ἀτοπήματα τίκτεται; ὁ γὰρ ἀρνούμενος τὸν ἀληθινὸν ἄνθρωπον τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἀναγκαίως πλείστων ὅσων ἐμπαιγμάτων πληροῦται τοῦ διαβόλου· καὶ τοῦτον ὡς οἰκεῖον Ἀπολλινάριος ἔχει, ἡ Οὐαλεντῖνος ἑαυτῷ προσκυρεῖ, ἢ Μανιχαῖος κρατεῖ· ὧν οὐδὲ εἷς ἐν τῷ Σωτῆρι ἡμῶν τῆς ἀνθρωπίνης σαρκὸς ἐπίστευσε τὴν ἀλήθειαν· ἧς τινος δηλαδὴ μὴ ἀληθῶς ἀναληφθείσης, οὐ μόνον εἰς ἄρνησιν πίπτει [3] τὸ ὅτι κατὰ σάρκα καὶ ψυχὴν λογικὴν [4] ὁ ὢν ἐν μορφῇ τοῦ Θεοῦ, ὁ αὐτὸς μένων, ἐν μορφῇ δούλου ἄνθρωπος ἐγεννήθη ἀλλὰ γὰρ καὶ ὅτι σταυρωθεὶς, καὶ ἀποθανών. καὶ ταφεὶς, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀνέστη· καὶ ὅτι [5] καθεζόμενος ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρὸς, ἐπὶ τῷ κρίνειν ζῶντας καὶ νεκροὺς ἐν τούτῳ τῷ σώματι **880** ἐστιν ἐλευσόμενος, ἐν ᾧπερ ἦν παραδικασθείς, οὐδαμῶς ὁμολογεῖ· ταῦτα γὰρ ἅπαντα τῆς ἡμετέρας λυτρώσεως τὰ μυστήρια C ματαιοῦται εἴγε ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱὸς ὢν ἀληθὴς [6] τοῦ ἀληθοῦς, ἀνθρώπου τὴν ὅλην φύσιν ἀνειληφὼς οὐ πιστεύεται· [7] καὶ ἐπειδήπερ ἀληθῆ τὰ θεῖα σημεῖα γεγένηται, ψευδῆ τὰ διὰ τοῦ σώματος ἀποδεικνύμενα λέγεται, ὥστε τὰς μαρτυρίας ἑκατέρας τῆς φύσεως ἔχειν μὲν [8] ὅπως ὁ Σωτὴρ νοεῖσθαι δυνηθῇ, μὴ ἔχειν δὲ ἀφ' ὧν μέλλει τὸ ἡμέτερον γένος σωθῆναι; ὁ τοίνυν ἐστὶ Θεότητος. ἡ σὰρξ οὐκ ἐμείωσεν· [9] ὃ δέ ἐστι σαρκὸς, ἡ Θεότης οὐκ ἐφθειρεν· ὁ γὰρ αὐτός ἐστι καὶ προαιώνιος ἐκ Πατρὸς, καὶ κατὰ χρόνους ἀπὸ μητρός· καὶ ἐπὶ μὲν τῆς οἰκείας δυνάμεως ἄφθαρτος ἐπὶ δὲ τῆς ἀσθενείας τῆς ἡμῶν παθητός· καὶ ἐν μὲν τῇ Τριάδι τῆς Θεότητος μετὰ τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, μιᾶς καὶ τῆς αὐτῆς φύσεως, ἐν δὲ

[a] Græca versio, observante Quesn. not. 3, addit: *et ab ipsa Virginis conceptione.* Dein aliqui codd. *discedat* pro *desciscat.*

[b] Potior visa est hæc lectio, quam codex Ratisponensis et quatuor nostri ac totidem Baluzii collect. Chiffletian. approbant. Concinit etiam Græca versio. Quesnellus cum suis mss. Thuan., Grim. Corbei. et Victor. ac Surio: *Qui enim negat mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum.* Cæteri editi cum ms. Vindobon. collect. 5, et codd. collect. 21 ac 24, atque exemplo Sichardi: *Negator enim mediatoris Dei et hominum hominis Jesu Christi necesse est,* etc. Cod. Vat. collect. 11: *Negato enim mediatore Dei et hominum homine Jesu Christo necesse est,* etc. Mox pro *implebitur* Quesnellus in marg.: Al., *implicetur.*

[c] Vulgati ante Quesn. addunt *a mortuis;* delent mss. etiam Quesnelli, et Baluzii, ac Græca versio.

[d] Ratispon. *sedet, et ad judicandos.*

[e] Vulgati ante Quesn. addunt *ad mortem;* codices ignorant ac interpretatio Græca.

[1] Ita juxta textum Latinum, *ab assumpti hominis substantia separando,* restituimus hunc locum ope mss. Ven. et Vat. In vulgatis, χωρίζων ἀπὸ τοῦ προσληφθέντος ἀνθρώπου.

[2] In marg. edit. Rom., ἀφ' οὗ.

[3] In marg. edit. Rom., ἴσως, τοῦ

[4] Ms. Ven., ὁ Θεὸς ἦν ἐν μορφῇ τοῦ Θεοῦ.

[5] Abest καθεζόμενος a ms. Ven.

[6] Mss. Ven., τοῦ ἀληθοῦς ἀνθρώπου ἣν ἡμῶν φύσιν ἀνειληφώς, mendose. Etiam ms. Vat. habet ἡμῶν.

[7] In marg. edit. Rom., ἤ.

[8] In marg. edit. Rom., ὅπως πλάστης νοηθῇ μὴ ἔχει (leg., ἔχειν) δὲ, ἀφ' ὧν μέλλει σωθῆναι (leg., σωθῆναι τὸ πλάσμα. In mss. vero Ven. et Vat. hæc ultima verba sic, sed corruptissime, repræsentantur: ἀφ' ὧν μέλλει καὶ ἡ μήτηρ γεννησομένη σωθῆναι.

[9] Ms. Ven., ὁ δὲ ἔν ἐστι.

Digitized by Google

naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat [Cur autem inconveniens **881** aut impossibile videatur ut Verbum et caro atque anima unus Jesus Christus, et unus Dei hominisque sit filius, si caro et anima, quæ dissimilium naturarum sunt, unam faciunt etiam sine Verbi incarnatione personam : cum multo sit facilius ut hanc unitatem sui atque hominis Deitatis præstet potestas, quam ut eam in substantiis [a] suis obtineat solius humanitatis infirmitas?] Nec Verbum igitur in carnem, nec in Verbum caro mutata est ; sed utrumque in uno manet, et unus in utroque est, non diversitate divisus, non permixtione confusus : nec alter ex Patre, alter ex matre ; sed idem aliter ex Patre ante [b] omne principium, aliter de matre in fine sæculorum : ut esset *mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus* (I *Tim.* II, 5), in quo inhabitaret *plenitudo Divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9) : quia assumpti, non assumentis provectio est, quod *Deus illum exaltavit et donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum ; et omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Jesus* [c] *Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 9-11).

CAP. III. — [In eo vero quod Eutyches in episcopali judicio ausus est dicere *ante incarnationem duas in Christo fuisse naturas, post incarnationem autem, unam*, necessarium fuerat ut ad reddendam rationem professionis suæ crebris atque sollicitis judicum interrogationibus urgeretur, ne tamquam inane aliquid præterflueret, quod non nisi de haustu venenatorum dogmatum apparebat [d] effusum. Arbitror enim talia loquentem hoc habere persuasum, quod anima quam Salvator assumpsit prius in cœlis sit commorata quam de Maria virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero [e] copularet. Sed hoc catholicæ mentes auresque non tolerant : quia nihil secum Dominus de cœlo veniens nostræ conditionis exhibuit; nec animam enim quæ anterior exstitisset, nec carnem quæ non materni corporis esset, accepit. Natura quippe nostra non sic assumpta est ut prius [f] creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. Unde quod in Origene merito damnatum est, qui animarum, antequam [g] corporibus insererentur, non solum vitam, sed et diversas fuisse asseruit actiones, necesse est ut etiam in isto, nisi maluerit sententiam [h] abdicare, plectatur.] Nativitas enim Domini secundum carnem,

A τῷ μυστηρίῳ τοῦ ἀναληφθέντος [1] ἀνθρώπου, οὐ μιᾶς οὐσίας, ἀλλ' ἑνὸς προσώπου, καὶ τοῦ αὐτοῦ. Οὔτε γὰρ ὁ Λόγος εἰς σῶμα, ἢ εἰς ψυχὴν κατά τι μέρος οἰκεῖον ἐτράπη· ὁπότε ἁπλῆ, καὶ ἀναλλοίωτος ἡ τῆς Θεότητος φύσις, ὅλη ἐν τῇ οἰκείᾳ ἀεὶ ὑπάρχει οὐσίᾳ, οὐδεμίαν ἑαυτῆς μείωσιν δεχομένη, οὔτε προσθήκην· καὶ πάλιν, οὕτω τὴν προσληφθεῖσαν μακαρίαν [2] ἀποτελέσασα φύσιν, ἵνα ἡ δοξασθεῖσα ἐν τῇ δοξασάσῃ μεμενηκυῖα τυγχάνῃ. Οὔτε οὖν ὁ λόγος εἰς σῶμα, ὡς εἴπομεν, οὔτε εἰς λόγον τὸ σῶμα ἠλλοίωται· ἀλλ' ἑκάτερον ἐν ἑνί, καὶ [3] ἐν ἀμφοτέροις ὁ εἷς· οὐ διαφορᾷ διῃρημένος, οὐ τῷ μεμίχθαι συγκεχυμένος· ὥστε ἕτερος μὲν ἐκ πατρὸς, ἕτερος δὲ ἐκ μητρός· ἀλλ' ὁ αὐτὸς ἄλλως μὲν ἐκ πατρὸς πρὸ πάσης ἀρχῆς. Ἄλλως δὲ **882** ἐκ μητρὸς ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν· ἵνα γένηται μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων B ἄνθρωπος Χριστὸς Ἰησοῦς· ἐν ᾧ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς κατοικεῖ· ἐπειδήπερ τοῦ προσληφθέντος, οὐ τοῦ προσλαβόντος ἐστὶν ἡ προκοπή· ὅτι καθάπερ ὁ Ἀπόστολος λέγει, Ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα, τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται, ὅτι κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, εἰς δόξαν Θεοῦ πατρός· τοιγαροῦν ἡ κατὰ σάρκα τοῦ δεστότου γέννησις, εἰ καὶ τὰ μάλιστα ἔχει τινὰς ἰδιότητας, δι' ὧν τὰ τῆς ἀνθρωπίνης παρόδου τῆς εἰς τὸν βίον ὑπερβαίνει προοίμια, εἴτε καθὸ μόνος ἐξ ἁγίου πνεύματος ἀπὸ ἀφθάρτου παρθένου χωρὶς ἐπιθυμίας συλληφθεὶς ἐστι καὶ τεχθεὶς, εἴτε καθὸ οὕτως ἐκ τῆς γαστρὸς τῆς μητρὸς ἀπεκυήθη, ὥστε καὶ τὴν εὐγονίαν τεκεῖν, καὶ μεῖναι τῆν παρθενίαν· C ὅμως οὐχ ἑτέρας ἦν φύσεως ἡ τούτου σὰρξ, ἥπερ ἐστὶν ἡ τῆς ἡμῶν· οὐδὲ καθ' ἑτέραν ἀρχὴν ἐνεπνεύσθη τούτῳ ἡ ψυχὴ παρὰ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, ἤ τις ὑπερεῖχεν οὐ κατὰ τὸ τοῦ γένους διάφορον, ἀλλὰ κατὰ τὸ τῶν δυνάμεων ὑπερβάλλον. Καὶ γὰρ οὐδὲν εἶχεν ἐναντιούμενον ἐξ ἐπιθυμίας σαρκὸς· ἐπείπερ ἤκμαζον αἰσθήσεις τοῦ σώματος δίχα νόμου τινὸς ἁμαρτήματος, καὶ ἡ ἀλήθεια τῶν κινήσεων ὑπὸ τῷ τῆς θεότητος καὶ τῷ τῆς διανοίας οἴακι· οὔτε ἐπηρεάζετο διὰ τῶν δελεασμάτων, οὔτε παρεχώρει τοῖς πάθεσιν. Ὥστε [4] ὁ **884** ἀληθὴς Θεὸς ἄνθρωπος ἐγεννήθη· καὶ οὔτε κατὰ προϋπάρχουσαν ψυχὴν ἐξ οὐρανοῦ [5] κατενεχθεὶς, οὔτε κατὰ σάρκα ἐκ στοιχείου τινὸς προσληφθεὶς ἢ τεχθεὶς ἐκ τοῦ μηδενός· ἀλλὰ [6] τὸ αὐτὸ ἔχων ἐν θεότητι καὶ ἀνθρωπότητι πρόσωπον, καὶ τὴν κοινὴν ἡμῶν κρατῶν φύσιν ἐν σώματι καὶ ψυχῇ· οὐ γὰρ D [7] ἂν ἦν Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων μεσίτης, εἰ μὴ ὁ αὐτὸς Θεὸς, καὶ ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος ἐν τῷ αὐτῷ καὶ εἷς ὑπῆρχεν, [8] καὶ

[a] Codex Ratisp. delet *suis*.
[b] Idem codex delet *omne*.
[c] Duo codd. omittunt nomen *Christus*.
[d] Ita omnes nostri codices et editi ante Quesn. apud quem *affusum*, et in margine ed., *effusum*.
[e] Ratisp. cum codd. collect. 21 et editis Leonis anterioribus Quesnello, *copularit*.
[f] Quesn. in margine : Al., *creata sumeretur*.
[g] Veron. 57, *in corporibus*. Mox pro *insererentur* Quesn. in marg.: Al., *misceantur*. Dein editi et aliqui codd., *non solum vitas*. Quesnelli emendationem noster cod. Vindebon. collect. 5 et omnes coll. Chalcedon. approbant.
[h] Ratispon. addit *suam*.

[1] Mss. Ven. et Vat., ἀνθρώπου, ἑνὸς προσώπου.
[2] Ita ex ms. Vat. legendum Videtur suffragari etiam Ven. cod. qui habet ἀποτελέσασαν. Male in vulgatis ἀποτελέσας.
[3] Ms. Ven., ἐν ἀμφοτέραις, sicque notatur etiam in marg. edit. Rom.
[4] In marg. edit. Rom., ὁ ἀληθὴς Θεὸς, ἀληθὴς ἄνθρωπος, ex Lat.
[5] Mss. Ven et Vat., καταχθεὶς.
[6] Mss. Ven. et Vat., τὸ αὐτὸ ἡμῖν ἔχων, pessime.
[7] Vulgati omittunt ἄν : quod tamen supplendum ex ms. Vat., ut vis verbi *esset*, quod est in Latino textu, exprimatur.
[8] Deest καί, sed male, in ms. Ven.

Digitized by Google

quamvis habeat quædam propria quibus humanæ conditionis initia transcendat, **883** sive quod solus [a] ab inviolata Virgine sine concupiscentia est conceptus et natus, sive quod ita visceribus matris est editus, ut et fecunditas pareret, et virginitas permaneret; non alterius tamen naturæ erat ejus caro quam [b] nostræ; nec alio illi quam cæteris hominibus anima est inspirata principio, quæ excelleret, non diversitate generis, sed sublimitate virtutis. Nihil enim carnis suæ habebat adversum [c] nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum]. Sensus corporei vigebant [d] sine lege peccati, et veritas affectionum sub moderamine Deitatis et mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis. Verus homo vero unitus est Deo, nec secundum existentem prius animam deductus est [e] e cœlo, nec secundum carnem creatus ex nihilo; [f] eamdem gerens in Verbi Deitate personam, et tenens communem nobiscum in corpore animaque naturam. Non enim esset Dei hominumque mediator (I *Tim.* II, 5), nisi idem Deus idemque homo in utroque et unus esset et verus. [g] Incitat quidem nos ad latitudinem disserendi materiæ magnitudo; sed apud eruditionem tuam non est [h] copiose laborandum : præsertim cum jam per nostros ad fratrem Flavianum sufficientes litteras miserimus, ad confirmandos animos non solum sacerdotum, sed etiam laicorum. Præstabit, ut credimus, misericordia Dei, ut absque cujusquam animæ detrimento possint adversum diaboli dolos, et sana defendi, et vulnerata curari. [i] Data idibus Junii, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

A ἀληθής. Καί κινεῖ ἡμᾶς, ἀδελφὲ τιμιώτατε, πρὸς διαλέξεως πλάτος τὸ τῆς ὑποθέσεως μέγεθος· ἀλλὰ πρὸς τὴν ἀγάπην τὴν σὴν οὐ διὰ πλειόνων ἐστὶ καμεῖν, ὁπότε μάλιστα καὶ περ ἤδη διὰ τῶν [1] ἡμετέρων, ὡς προείρηται, πρὸς τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν Φλαυιανὸν τὰ ἀρκοῦντα ἀπεστάλκαμεν γράμματα, πρὸς τὸ μὴ μόνον τοὺς τῶν ἱερέων βεβαιοτέρους ἐράσασθαι λογισμούς, [2] ἀλλὰ καὶ τοὺς τῶν λαϊκῶν. Παράσχοι δέ. ὥσπερ πιστεύομεν, ὁ ἔλεος τοῦ Θεοῦ, ὥστε δίχα τοῦ γενέσθαι ζημίαν ψυχῆς τινος δυνηθῆναι κατὰ τῶν τοῦ διαβόλου βελῶν καὶ τὰ ὑγιῆ διαφυλαχθῆναι, καὶ τὰ τραυματισθέντα θεραπευθῆναι. Ὁ Θεὸς ὑγιαίνοντά σε [3] διαφυλάξοι, ἀδελφὲ τιμιώτατε.

885 EPISTOLA XXXVI.

[k] AD FLAVIANUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

SYNOPSIS. — *Litteras et gesta synodi adversus Eutychem se accepisse monet.*

FLAVIANO charissimo fratri LEO papa.

Litteras tuæ dilectionis accepi cum gestis, quæ B apud vos [l] de fidei quæstione confecta sunt. Et quia clementissimus imperator pro Ecclesiæ pace sollicitus synodum voluit congregari, quamvis evidenter appareat, rem, de qua agitur, nequaquam synodali indigere tractatu; tamen, frater charissime, [m] subsecutos esse significo, quos in hac re placuit desti-

[a] Omnes mss. libri collect. Chalcedon. et Græca versio, nec non Sichardus cum codd. collect. 24 et vulgatis Quesnello anterioribus addunt, *ex Spiritu sancto*. Cæteri nostri codd. et novem Quesnelli ab eo citati not. 5 has voces ignorant. Mox, *sine concupiscentia carnis* in codd. collect. 11 et 21 atque in vulgatis ante Quesn., qui vocem *carnis* in aliis nostris et Baluzii mss. omissam auctoritate suorum codicum rectius expunxit.

[b] Ita ex Ratisponensi ac tribus mss. collect. Chalcedon. et ex Vat. collect. 11. Alias, *nostra*.

[c] Unus noster codex cum editis conciliorum, *nec discordiam desideriorum gignebat compugnatio* (editi, *compugnantia*) *voluntatum*. Ratisponensis : *Nec discordia desideriorum gignebat compugnantia voluntatum*; ubi vel *discordia* pro *discordiam* perperam scriptum fuit, vel *compugnantia* pro *compugnantiam*.

[d] Cod. Corb. Quesnelli, *sine sorde peccati*.

[e] Ms. Ratisp., *ex alto*. Quidam codd., *deductus e cœlo*, omisso verbo *est*.

[f] In Græca versione, Quesnello observante not. 7, sic : *Sed eamdem habens in divinitate et humanitate personam*.

[g] Cod. Ratisp., *Incitat enim nos*. Chig. collect. Chalcedon.: *At incitet quidem nos*. Græca versio addit, *frater honorabilissime*.

[h] Melior visa est hæc lectio cod. Florentini quam aliorum et editorum, *copia laborandum*.

[i] Græca versio addit : *Deus te servet incolumem, honorabilissime frater*.

[j] Al. 32. Quæ autem 36 erat, nunc 40. Scripta 20 Junii an. 449.

[k] Edita fuit hæc epistola a Merlino ex mss. collect. 12. Quesnellus eamdem invenit in cod. Grimanico collect. 18. Nos solos codices collect. 12 conferre potuimus. Leo autem hac epistola respondet epistolæ 26 Flaviani.

[l] Editi ante Quesn. cum mss. collect. 12, *super hac quæstione*.

[m] Ita anteriores editiones cum nostris codd. collect. 12, Vat. et Veneto. Quesnellus ex Grimanico emendandum putavit *subsecuturos*, quia legatos nondum profectos liquere censuit tum ex hac epistola ob verbum futuri temporis *portabunt*, tum ex epist. 38 data 23 Julii, ubi legati profecti traduntur. Hæc paucis indicavit in marginali postilla scribens : *At nondum profectos esse legatos constat ex hac epistola, et ex* 34, *nunc* 38. Sed hæc nihil evincunt. *Portabunt* enim dici potuit de legatis jam profectis, qui tamen nondum Constantinopolim pervenerant. *Profecti* autem affirmantur legati epist. 38, cum Basilius Flaviani C litteras attulit : quod verum est, etiamsi illi ante diem 20 Julii dicessisse credantur. Id autem nobis satis probabile est tum ex data iduum Junii, qua præcedentes epistolæ per legatos transmissæ paulo ante eorum profectionem signatæ videntur, tum ex die kalendarum Augusti Ephesino concilio præstituta, quæ longiores legatorum moras in Urbe nequaquam ferebat. Hæc satis videntur ad præferendam vocem *subsecutos*. Hinc epist. 39 *frequenter per occasiones idoneas* litteræ ad Flavianum scriptæ dicuntur, quod epistolam 38 per legatos tunc transmissos directam, hanc vero et epist. 38 aliis occasionibus post legatorum discessum missas, non obscure indicat. Quod si Flaviani litteræ cum Constantinopolitanis in Eutychem gestis a Leone acceptæ, quæ hic indicantur, quæque procul dubio sunt secundæ ejusdem litteræ (priores enim Leo acceperat ante diem 27 Maii ex epist. 27); si, inquam, hæ secundæ Flaviani litteræ eædem sunt, ac *scripta* ejusdem ad Leonem memorata in epist. 38, ut Quesnellus præsumpsit (vide annot. D 2 (*Col* 812, [o]) in eamdem epist. 38), cum hæc *scripta* per

[1] Abest ἡμετέρων, sed perperam, a ms. Ven.

[2] Ms. Ven. ἀλλὰ γὰρ καὶ τούς.

[3] Sic ex ms. Vat. Latino cohærentius. Vulgati, φυλάξει.

Digitized by Google

nare. Nec necessarium fuit nunc amplius scribi, cum, propitio Deo, de his quæ causæ credimus convenire per ea quæ ipsi portabunt scripta sis plenius instruendus. Data [a] duodecimo kalendas Julii, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

886 EPISTOLA [b] XXXVII.

[c] AD THEODOSIUM AUGUSTUM,

SYNOPSIS. — *Fidei et confessionis unitatem esse servandam. Legatos ad synodum Ephesinam missos, ad quam ut se conferret, necessitas non sinit.*

LEO THEODOSIO Augusto.

Acceptis clementiæ vestræ litteris, multum universali Ecclesiæ gaudendum esse perspexi, quod christianam fidem, qua [d] divina Trinitas honoratur et colitur, in nullo dissimilem, in nullo vultis esse discordem. Quid enim rebus humanis ad exorandam misericordiam Dei efficacius suffragetur, quam si una gratiarum actio, et unius confessionis sacrificium majestati ejus ab omnibus offeratur? [e] In quo sacerdotum et cunctorum fidelium ita demum erit plena devotio, si in his quæ per unicum Dei Filium Deum Verbum pro nostra redemptione sunt gesta, nihil aliud sentiatur, quam quod [f] ipse de se et prædicari jussit et credi. Unde quamvis [g] ad diem, quem concilio episcopali pietas vestra constituit, 887 occurrere me ratio nulla permittat; cum nec aliqua [h] ex hoc ante exempla præcesserint, et temporalis necessitas me non patiatur deserere civitatem præsertim cum tam evidens fidei causa sit, ut [i] rationabilius ab indicenda synodo fuisset abstinendum: tamen in quantum Dominus juvare dignatur, meum studium commodavi, ut Clementiæ vestræ statutis aliquatenus pareatur, ordinatis hinc fratribus meis, qui amputandis scandalis pro causæ [j] qualitate sufficiant, quique præsentiæ meæ impleant vicem: quia non talis quæstio orta est [k] de qua aut possit, aut debeat dubitari. Data [l] duodecimo kalendas Julii, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [m] XXXVIII.

[n] AD FLAVIANUM EPISCOPUM CP.

SYNOPSIS. — *Eum de receptis litteris monet; de fide defensa laudat; ad misericordiam, si hæreticus resipiscit, hortatur.*

LEO FLAVIANO episcopo Constantinopolitano.

Profectis jam nostris, quos ad vos in fidei causa direximus, per filium nostrum Basileum diaconum [o] scripta tuæ dilectionis accepimus, quibus merito parum de negotio communis sollicitudinis [p] indidisti, quoniam et gesta [q] ante delata, de omnibus nos sufficienter instruxerant, et ad familiarem interrogationem idoneus, erat sermo prædicti, per quem nunc alloquia reddentes, dilectionem tuam per Dei nostri gratiam, [r] in qua fidimus, cohortamur, utentes verbis apostolicis, atque dicentes: 888 *In nullo terreamini ab adversariis, quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis* (*Philip.* I, 28). Quid enim tam exitiabile,

per Basilium allata Leo acceperit *profectis* legatis; multo evidentius demonstratur legendum *subsecutos*; nec Quesnellus satis cohærenter *subsecuturos* potuit inserere in laudata ejus hypothesi; de qua tamen confer quæ in citata annot. 2 (*mf.*, [o]) observabimus.

[a] Ita melius ex cod. Grimanico. Quesnellus emendavit, quam in editis ex mss. collect. 12 AV *kal.*, ubi facile librariorum lapsu u *in* v junctis unitatibus migrare potuit. Eodem scilicet die XII kalendarum Julii data fuit subsequens ad Theodosium epistola, cujus occasione hanc quoque ad Flavianum Leo statim reddidisse videtur.

[b] Al. 33. Quæ autem antea 37 erat, nunc 43. Scripta 20 Junii an. 449.

[c] Exstat hæc epistola in mss. collect. 12, 18 et 19. Hac autem Leonem respondere credimus eidem imperiali evocatoriæ epistolæ ad synodum Ephesinam, cui per legatos antea responderat epistola 29. Duplicem enim evocatoriam a Theodosio ad Leonem datam fuisse, cui duplex responsio reddita fuerit, incredibile est. In ea vero rerum perturbatione et angustia temporis synodo præfiniti, cum S. Pontifex forte assis timeret ne legati, Ephesum potius quam Constantinopolim contendentes, priores illas litteras Theodosio traderent, novam hanc epistolam alia occasione Constantinopolim ad eumdem scribendam putavit.

[d] Ita Ratisponen. collect. 19 cum Grimanico et Herovalliano Quesnelli. Aliæ editiones cum mss. Veneto collect. 12, *Divinitas honoratur*, et postea, *in nullo vult.*

[e] Sic ex nostris codicibus collect. 12 et 19 cum editis ante Quesn., apud quem, *in qua.*

[f] Hanc Quesnelli lectionem approbat cod. Ven. collect. 12. Ratisp. omittit primum *et*. Alii editi, *ipse prædicari de se jussit.*

[g] Præstulimus lectionem cod. Ratisponensis. Alios, *ad diem concilii episcopalis, quem pietas.*

[h] Sic codex Venetus cum Quesnello. Ratisp., *ex hac parte exempla.* Cæteræ editiones omittunt *ante.*

[i] Sic nostri codices cum duobus Quesnelli. Alii editi, *rationabilibus causis.* Mox in Ratisp., *abstentum* pro *abstinendum.*

[j] Ita Ratisp., cum Grim. et epist. 34. Codex Venetus cum aliis editis, *æquitate.*

[k] Sic nostri codd. cum Grim.; al., *undè* pro *de qua.* Ratisp. omittit primum *aut.*

[l] Solus Griman. cod., XIII *kal.*

[m] Al., 34. Quæ autem antea 38 erat, nunc 42. Scripta 23 Julii an. 449.

[n] Continetur hæc epistola in mss. collect. 12 et Ratisp. collect. 19.

[o] Hæc *scripta* Quesnellus in postilla ad marginem vocavit *secundam Flaviani ad Leonem epistolam*: quod iterum ingerit diss. 1 ad an. 449, num. 3. Indicaretur ergo epistola 26, quam cum Constantinopolitanis in Eutychem gestis a Flaviano secundo missam probavimus in admonitione ad epist. 22. Sed non videmus quomodo de epist. 26, vel, si placet, de epist. 22, quam Quesnellus secundam censuit, Leo hic potuerit affirmare, in ea Flavianum *parum de negotio indidisse*; et quomodo epist. 39, de Basilio diacono, qui has litteras detulit, potuerit scribere: *Basilium ad te, ut volueras, ipsi remisimus*; quæ indicant aliquid in iisdem litteris fuisse insertum de remittendo citius Basilio, cujus tamen nec in epist. 26 nec in epist. 22 ulla mentio est. Serius etiam multo videretur remissus, si delata per ipsum epistola secunda Flaviani cum Constantinopolitanis gestis ante diem 20 Junii ex epist. 27. Solum paulo ante diem 23 Julii fuisset remissus. Hinc autem tertiam, quæ desideratur, Flaviani epistolam a Basilio Julio mense allatam hic indicari probabilius credimus.

[p] Mss. collect. 12 cum editis ante Quesn., *indidisses*, et in margine *indidisti*, ut in nostro Ratisponensi.

[q] Indicantur gesta ante Basilii adventum delata primum cum epist. 22, dein cum epist. 26.

[r] Sic ex nostris codd. Ratisp. et collect. 19 cum editis ante Quesnellum, apud quem *in quo.*

Digitized by Google

quam negata [a] veritate incarnationis Christi, omnem spem salutis humanæ velle dissolvere, et Apostolo contraire dicenti manifeste : *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne* (I *Tim.* III, 16)? [b] Quid tam gloriosum quam contra inimicos nativitatis et crucis Christi pro fide evangelica dimicare? De cujus purissimo lumine, invictaque virtute, datis jam ad tuam dilectionem litteris, quid in nostro esset corde patefecimus : ne [c] de his quæ secundum doctrinam catholicam didicimus et docemus aliquid inter nos videri possit ambiguum. Quia vero tam clare et tam valida sunt testimonia veritatis, ut nimis cæcus nimisque obduratus habendus sit, qui ad coruscationem lucis atque rationis non confestim se a tenebris falsitatis excusserit; ad curandam imperitorum insaniam, etiam patientiæ vos adhibere volumus medicinam : ut per paternas increpationes hi, qui in senectute carnis suæ mente sunt parvuli, discant obedire majoribus. Ac si deposita imperitiæ suæ vanitate resipiscunt, omnique errore damnato, fidem veram singularemque suscipiunt, [d] misericordia eisdem episcopalis benevolentiæ non negetur : mansuro judicio quod præcesserit, si impietas merito condemnata in sua pravitate perstiterit. Data decimo kalendas Augusti, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

889 EPISTOLA [e] XXXIX.

[f] AD EUMDEM FLAVIANUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Synopsis. — *De ejus silentio conqueritur, cujus causa Leoni tunc ignota erat Ephesina deprædatio.*

Leo episcopus Flaviano episcopo.

Auget sollicitudinem nostram taciturnitas tua, quod jamdiu nulla dilectionis tuæ scripta suscepimus; cum nos curarum tuarum participes pro fidei defensione solliciti, frequenter per occasiones idoneas ad dilectionem tuam litteras miserimus : ut adhortationum nostrarum consolationibus te juvaremus, ut adversariorum stimulis pro fidei defensione non cederes, cum laboris tui participes nos probares. Olim ad fraternitatem tuam nostros credimus pervenisse, per quos plenius scriptis mandatisque nostris instructum te esse retines, et Basilium ad te, ut volueras, ipsi remisimus. Nunc, ne aliqua prætermissum occasione te crederes, per filium nostrum honorabilem et amabilem nobis virum [g] Eupsychium hanc paginam dedimus, ut tota celeritate [h] ad scripta nostra respondeas, nosque subinde de tuis [i] actionibus nostrorumque, et de totius causæ absolutione facias certiores; ut sollicitudinem quam nunc pro fidei defensione gerimus, prosperioribus [j] nuntiis molliamus. Data tertio idus Augusti, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

890 EPISTOLA [k] XL.

[l] AD EPISCOPOS PER ARELATENSEM GALLIÆ PROVINCIAM CONSTITUTOS.

Synopsis. — *Gaudet de bona ac pacifica electione Ravennii : cui ut bonæ de eo conceptæ opinioni satisfaciat, exoptat.*

Dilectissimis fratribus, Constantino, Audentio, Rusticio, Auspicio, Nicetæ, Nectario, Floro, Asclepio, Justo, Augustali, [m] Ynantio, et [n] Chrysaphio, Leo papa.

Justa et rationabilis [o] nobis causa gaudendi est, cum a sacerdotibus Domini ea gesta cognoscimus quæ et paternorum canonum regulis, et apostolicis

[a] Codd. Vat. et Venetus collect. 12, *veritate carnis Christi.*

[b] Ratisp., *Et quid tam.* Mox in laudatis mss. collect. 12 desunt voces *nativitatis et.*

[c] Sic ms. Ratisp. Alias, *de illis.* Postea in eodem codice, *videri possit.*

[d] Ita nostri codices et vulgati ante Quesn. qui prætulit *misericordiæ eisdem episcopalis benevolentia non negetur.*

[e] Al. 35. Quæ autem antea 39 erat, nunc 43. Scripta 11 August. an. 449.

[f] Hanc epistolam invenimus tantum in mss. collectionis 12, ex quibus contulimus Vat. 1340 et Ven. 169.

[g] Vulgati ante Quesn. cum Merlino, *Esitium.* Nostri codices, *Esychium.* Quesnellus ex alio codice forte Grimanico, *Eupsychium.*

[h] Nostri codd., *scripta nostris.*

[i] Vulgati ante Quesn. cum nostris mss., *actibus.* In verba autem, *de totius causæ absolutione facias certiores*, hanc postillam Quesnellus apposuit ; *Causarum absolutio conciliorum est.* Hic non est Leoninorum verborum sensus. Num concilium Ephesi habendum, quod hic Leo respicit, totam causam absolverit, an potius Eutychis absolutione et S. Flaviani condemnatione implicaverit, seu potius averterit; quæ sane absolvenda fuerat, si Leonis litteræ non occultatæ, sed lectæ et a Patribus executioni mandatæ fuissent, ut in anteriori vero Ephesino concilio accidit, in quo Cœlestini judicium in Nestorii causa Patres secuti sunt; quisque rerum ubique gestarum peritus facile intelliget.

[j] Quesnellus, *nuntiatis.* Vulgatam lectionem ex nostris codd. revocavimus, quippe quæ Leonis stylo congruentior videtur.

[k] Al. 36. Quæ autem 40 erat, nunc 44. Scripta 22 August. an. 449.

[l] Extat in una collectione Arelatensi 15. Baronius eam primus edidit ex antiquo ms. Ecclesiæ Arelatensis, cujus apographum e Gallia transmissum, et in cod. Vallicell. G, 99, contentum non inutiliter relegimus. Utemur etiam editione Sirmondi, qui alia hujus collectionis exemplaria in Galliis perspexit.

[m] Ita cum Sirmondo Quesnellus. Cæteri vulgati cum Baronio et ms. Vallicell., *Hymnatio ;* qui tamen codex in alia epist. 65 habet *Unantio*, V pro Y facile commutato. In concilio Arelatensi sub Ravennio, quod Sirmondus evulgavit ex ms. Lugdunensis Ecclesiæ tom. V Concil., pag. 23 editionis Venetæ, *Ynantius* scribitur.

[n] Quesn. in marg. : Al., *Chrisatio*, cum nullum tamen codicem nisi Arelatensem annot. 1 indicatum viderit, in quo legitur *Chrysaphio;* hanc varietatem colligere potuit ex synodo Arelatensi ante laudata, ubi tamen *Chrysantius* appellatur, sicut et in concilio Carthaginensi an. 525, in quo ejusdem Arelatensis synodi documentum insertum fuit. Num vero idem hic, an vero alius sit qui Leoninæ epistolæ inscribitur, nisi alios codices observare liceat, definiri nequit. Certe in epist. 99 et 102 inter Gallicanos episcopos *Chrisaphius* censetur.

[o] Pronomen *nobis* a Baronio omissum et a Sirmondo atque Quesnello suppletum invenimus in ms. Vallicell.

Digitized by Google

congruant institutis. Necesse est enim ut omne corpus Ecclesiæ salubri crescat augmento, si membra quæ præsunt, et vigore excellant auctoritatis, et tranquillitate moderaminis. Quod ergo in Arelatensium civitate, defuncto sanctæ memoriæ Hilario, virum etiam nobis probatum fratrem Ravennium, secundum desideria cleri, honoratorum, et plebis, unanimiter consecrastis, bonum fraternitatis vestræ opus nostro judicio roboramus. [a] Quia electionem pacificam atque concordem, cui nec merita morum, nec studia civium defuerunt, postulationis quidem humanæ, sed inspirationis credimus fuisse divinæ. Utatur itaque, fratres charissimi, Dei munere memoratus antistes, et secundum consonantia omnium ordinum vota, quid ex ipso devotionis exspectetur intelligat : ut dispensationis sibi creditæ diligens ac temperans exsecutor, vestro testimonio non inferior, et nostro per omnia **891** favore sit dignior. Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi. Data [b] XI kalend. Septembr., Asturio et Protogene coss.

EPISTOLA [c] XLI.

[d] AD RAVENNIUM ARELATENSEM EPISCOPUM.

SYNOPSIS. — *Ravennio in episcopum electo gratulatur; virtutes episcopales commendat; ut ad ipsum sæpius scribat hortatur.*

[e] Dilectissimo fratri RAVENNIO LEO.

Provectionem dilectionis tuæ, quæ summi sacerdotii adepta est dignitatem, ita nobis placere cognosce, ut non solum tibi de honoris augmento, sed etiam Arelatensi Ecclesiæ, cui te Dominus præposuit, gaudeamus. Ad omnium enim fidelium decus atque utilitatem redundat, cum talis habetur antistes, cujus plurimi et adjuventur præsidio, et incitentur exemplo. Unde quia non ignoras quid de sinceritate animi tui secundum [f] præcedentem notitiam senserimus, justissime nos [g] agnoscis exigere ut quod præsumimus hoc probemus, frater charissime. [h] Modestiæ igitur tuæ non desit auctoritas, constantiam mansuetudo commendet, justitiam lenitas temperet, patientia contineat libertatem; et declinata superbia, cui proximum est ut decidat, ametur humilitas, cui semper debetur ut crescat. Ecclesiasticarum legum non ignara est dilectio tua, ut intra earum regulas **892** atque mensuras omnia potestatis tuæ jura contineas. [i] Justo quippe ideo dicitur lex non esse posita (I *Tim.* I, 9), quia normam præceptionis implet judicio voluntatis, cum verus recti amor [j] in semetipso non habeat et apostolicas auctoritates, et canonicas sanctiones. Quarum devotus sectator et diligens exsecutor in eorum procul dubio consortio gloriaberis, qui de creditorum sibi profectibus talentorum audire meruerunt : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 23; *Luc.* XIX, 17). Ut autem fiduciam dilectionis erga te nostræ habere non dubites, sæpius nos de processu actuum tuorum facias certiores : quoniam judicii nostri memores cupimus semper de tuis profectibus in Domino gloriari. Deus te incolumem custodiat, frater charissime [k].

EPISTOLA [l] XLII.

[m] AD EUMDEM RAVENNIUM ARELATENSEM EPISCOPUM.

SYNOPSIS. — *De Petroniano vago et diaconum se Leonis mentiente admonet, eumque ab omnium Ecclesiarum communione expelli postulat.*

Dilectissimo fratri RAVENNIO LEO papa.

Circumspectum te volumus esse atque sollicitum ne quid sibi plectenda possit vindicare præsumptio; quæ cum aditum falsa subreptione repererit, ad majorem se **893** temeritatem nomine usurpatæ dignitatis extendit. Petronianum quemdam vagum et semper erroneum, certa nos [n] clericorum tuorum

[a] Cod. Vallicel., *Qui*; quæ lectio, si esset admittenda, aliam interpunctionem flagitaret.

[b] Quesnellus cum Rainaudo pro XI *kal.* posuit II *kal.*, ubi numerum Romanum II pro Arabico 11 sumpsisse videtur; nam in margine notavit diem 22 Augusti, qui respondet diei 11 kal. Septembris. Erronee quidem die II *kal.* poneretur, cum epist. 42, data VII kal. ejusdem mensis hisce litteris posterior sit. Sirmondus has quoque litteras signavit VII *kal. Septembris.* Secuti sumus codicem Vallicellanum.

[c] Al. 37. Quæ autem 41 erat, nunc 45. Scr. sub idem tempus antecedentis.

[d] Invenitur in mss. coll. 12 et 24 ac in Vat. 541.

[e] Quesnellus cum vulgatis Leonis et nonnullis codd., *Domino fratri.* Insuetum titulum emendavimus ex Vat. 541, cui emendationi editiones conciliorum post Sirmondum et sequentis epistolæ inscriptio concinunt; ex quo jure expungenda fuit Quesnelli postilla : *Nota Domino.*

[f] Ita cum ms. Thuaneo legendum, non vero *præsentem*, ut habent editi et plerique codd., optime statuit Quesnellus not. 1, cui et Sirmondi lectio suffragatur.

[g] Editi Leonis, *agnoscitis*, quod non cohæret cum antecedenti, *non ignoras.* Correximus ex duobus nostris codd. Vat. 541 et Veneto 169. Sirmondus etiam favet.

[h] Vulgati Leonis ante Quesn. cum mss. collect. 12 : *Modestiæ igitur tuæ non auctoritas constantiam, sed mansuetudo commendet.* Quesnelli emendationem probant duo nostri codd. Vat. 544 collect. 24 et Vat. 541, atque editio Sirmondi. Vide not. 2 Quesn.

[i] Ita cum Quesn. et Sirm. nostri mss. libri collect. 24 et Vat. 541. Cæteri codices et impressi, *Justo tamen dicitur.*

[j] Editi ante Quesn., *in semetipso habeat.* Quesn. cum duobus mss. et Hincmaro, quibus et tres nostri codd. favent, edidit *in semetipso habet;* at simul not. 3 confessus est hanc quoque lectionem carere vero sensu. *Etsi enim*, inquit, *verus recti amor mentem hominis legi Dei subjiciat, perfectamque inspiret pro humanis etiam præceptis obedientiam, numquam vel apostolicarum auctoritatum, vel canonicarum sanctionum, quæ leges, ut aiunt, positivæ sunt, notitiam per semetipsum potest impertire.* Hæc autem difficultas tollitur addendo particulam negativam *non*, quam cod. Vat. 1348 collect. 12 suppeditavit.

[k] Licet huic epistolæ desit nota chronica, tamen sub idem tempus quo antecedens, scripta fuit, ut Quesnellus probe ostendit not. 4.

[l] Al. 38. Quæ autem 42 erat, nunc 49. Scripta 26 August. an. 449.

[m] Baronius hanc quoque epistolam edidit ex laudato codice Arelatensi, cujus apographum ab eo acceptum vidimus in ms. Vallicellano, G, 99.

[n] Qui scilicet epistolas Ravennii et comprovincialium de ejusdem Ravennii promotione ad Leonem attulerant.

Digitized by Google

suggestione didicimus per Gallias se nostrum esse diaconum jactitasse, et sub hujus honoris obtentu diversas ejus provinciæ Ecclesias circuire. Cujus audaciæ tam nefandæ dilectionem tuam, frater 894 charissime, ita volumus obviare, ut eum, admonitis etiam totius provinciæ episcopis, in sua falsitate A detectum, ab omnium Ecclesiarum communione, ne ulterius hoc usurpet, expellas. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Data sub die VII kalendas Septembr., Asturio et Protegene, VV. clarissimis consulibus.

ADMONITIO IN SEQUENTEM EPISTOLAM.

1. Duæ sequentes epistolæ, 43 et 44, de re eadem ac eodem, uti præfertur, die ad eumdem imperatorem Theodosium scriptæ, easdem fere, si Latinum textum spectes, nedum sententias, sed etiam voces in partem maximam exhibent. Id aliquam suppositionis suspicionem injecit. Porro epistola 43 duplici manifesto vitio laborat. Primo certum errorem contra historiæ veritatem præfert illis verbis cap. 1 : *Hæc nobis comperta sunt. . . . ab ipsis reverendissimis episcopis, qui a nobis missi sunt.* Solus enim Julius episcopus Puteolanus ad synodum legatus fuit : ac præterea unus Hilarius diaconus, qui ex pseudosynodo Ephesina fugit, res gestas ad pontificem coram retulisse, nulla umquam ipsius Julii mentione facta, traditur epist. 44 et 45. Deinde eodem cap. 1 aperta lacuna detegitur. Cum enim verba *pro supradicti sacerdotis arbitrio* ad Dioscorum referantur, Dioscori mentionem præcessisse innuunt, uti præcedit in epist. 44, quæ tamen mentio non apparet in epist. 43. Quapropter hæc epistola veluti spuria nonnullis repudianda visa est, inter quos legendus Tillemontius not. 31 in Leonis vitam.

2. Nos vero ne de suppositione ac falsitate hujus epistolæ suspicemur, Græcæ collectionis Chalcedonensis, in qua non minus hæc epistola describitur, quam epistola 44, auctoritas cogit. Etsi enim eamdem epistolam satis vindicare possit Chalcedonensis collectio Latina, quæ ante medium VI sæculum lucubrata hanc epistolam exhibet, multo tamen evidentius omnem suspicionem amovere debet Græca collectio, quippe quæ ipso Leone vivente compacta fuit inter an. 453 et 455, ut in præfat. ad epistolas demonstravimus num. 34. Igitur hoc tempore exstitit apud Græcos Latinum hujus epistolæ autographum, ex quo Græca interpretatio manavit. Majus et antiquius germanitatis testimonium desiderari nequit, quod nulla lacuna, errore nullo, qui nunc in ea epistola appareant, vocari potest in dubium : secus alia documenta, quæ cum erroribus vel lacunis ad nos pervenerunt, etsi aliunde essent certissima, repudiari vel in suspicionem vocari possent.

3. Dum vero ob tantam auctoritatem stet hanc epistolam 43 supposititiciam non esse; quoad ea quæ difficultatem afferunt, etsi non æque certo definire, aliquid tamen non improbabiliter conjecturi licebit. Antea vero præmittendum est, hactenus quidem præsumptum fuisse epistolam 43, uti Latine edita est ex Latina collectione Chalcedonensi, ipsum esse originale Latinum S. Leonis, quod vetus collector invenerit, suæque collectioni inseruerit, ut in cæteris plerisque Leonis epistolis accidit, ac præsertim in epistola 44, cujus originale Latinum ab eodem repertum, Latinæ collectioni insertum fuit : id quod confirmare posse videtur chronica nota huic epistolæ Latinæ apposita, quæ cum in Græca versione ex more Græci interpretis omissa fuerit, ex invento originali Latino derivari videtur. At hanc præsumptionem esse falsam, et Latinum textum, quem habemus epistolæ 43, non esse originale, nec originalis Latini exemplum, satis manifeste deteximus. Cum enim in Græca versione hujus epistolæ ea non exigua lacuna sit, quam paulo ante indicavimus; si auctor Latinæ collectionis Chalcedon. Latinum exemplum, quod insereret, nactus fuisset, ita in Latino ipsius epistolæ textu suppleta legeretur memorata lacuna, sicuti ex Latino exemplo, quod invenit epistolæ 33 ad Julianum, suppletæ noscuntur lacunæ quatuor quæ in Græca, ejusdem interpretatione deprehenduntur: licet ex his non perinde vitietur ipsius epistolæ sensus, uti ex unica maxime læditur sensus epistolæ 43. Ideo igitur collector non supplevit in textu Latino versionis Græcæ lacunam hujus epistolæ, quia Latinum ipsius originale, vel exemplum nequaquam invenit. Adde quod si Latinum exemplum invenisset collector, non solum lacunam supplesset, sed errorem etiam historicæ veritati contrarium exinde emendasset. Exemplar enim Latinum æque mendosum ac mutilum ab eo fuisse inventum, sicuti mendosa ac mutila est Græca versio, omnino incredibile est. De nota chronica, quæ in Latino præfertur, dicemus paulo post.

4. Cum ergo Latino collectori defuerit hujus epistolæ originale vel exemplar Latinum, ac præ oculis habuerit tantum Græcam versionem, Latinum textum quem dedit sic ab eodem compactum arbitramur. Cum reperisset Latinum exemplar solius epistolæ 44, quæ plures exhibet sententias similes epistolæ 43, ubi similia vel fere similia in utrisque deprehendit, abstinens ab interpretatione Græci textus hujus epistolæ, qui loco originalis habendus erat, transcripsit Latina verba integrasque periodos ex originali Latino epistolæ 44, eaque aptavit epistolæ 43. Ubi vero diversas sententias perspexit, quæ non exstant in epistola 44, uti accidit præsertim in epistolæ exordio, interpretationem ex Græco facere coactus fuit. Interpretationis quidem indicium proditur in nonnullis capitis primi, quæ a Leonina ratione scribendi non modicum discrepant, nec non in illo imperatoris titulo initio cap. 2 inserto *tranquillissime principum*, quem a Leoninis formulis abhorrentem, ad Græcam locutionem propius accedere idem Tillemontius laudato loco persensit. Titulus etiam *reverendissimi*, qui episcopis legatis capite primo tribuitur, a Leonis more alienus, ex Græco manare dignoscitur; quod enim Græce εὐλαβέστατος scribitur, in antiqua versione concilii Chalcedonensis *reverendissimus* redditur.

5. Si vero Latinus textus ab auctore Latinæ collectionis Chalcedonensis ita ex arbitrio confectus, Leoninus originalis nec est, nec haberi potest; jam tota disquisitio versari debet non circa Latinum textum, sed circa Græcum, qui ex originali in Orientem misso profectus, ubi deest originale Latinum, loco originalis habendus est. Græcum autem textum expendentibus palam fiet, non unum exordium epistolæ differre ab exordio epistolæ 44, sed totas litteras discrepare, adeo ut, licet similes sententiæ plerumque concurrant in utrisque, in pluribus tamen quamvis minutioribus differant : quæ non interpretationi diversæ earumdem litterarum, sed Latinis originalibus dissimilibus tribuenda sunt. Nam aliæ sententiæ brevioribus verbis in Græco epistolæ 43 expositæ, quæ latius explicantur in epist. 44, nonnulla commata omittunt, quæ interpres non præterisset; aliæ vero diversa etiam ratione proponuntur, ut, exempli gratia, est illud : *Atque isti, quorum est causa gravior, vel consiliis acquiescant, vel ab una Ecclesia exscindantur :* quæ sententia aliter exponitur in epist. 44, his verbis: *Ipsique, quorum est causa durior, si consiliis melioribus acquiescant, ab Ecclesiæ unitate non excidant.* Hæc duplex ejusdem sententiæ explicandæ ratio non a diverso Græco ejusdem epistolæ interprete, sed ab exemplo Latino diverso manifeste pendet. Ex his epistolam 43, quæ collato Græco textu tot capitibus discrepare cognoscitur ab epistola 44, aliam esse epistolam, nihil dubitandum est; ac proinde

Digitized by Google

necessarium fuit, Græci textus, qui originalis vicem gerit, Latinam interpretationem dare, non solum ut Græcæ linguæ minus peritis patefieret apertum discrimen, verum etiam ut haberetur Latine hæc epistola, quæ solum Græce prostat; Latinus enim textus, quem habemus, nec originalis, nec integra versio est, ut vidimus, et epistolam 44 potius quam epist. 43 in partem maximam exhibet.

6. Fatendum vero est, in Græco textu præter lacunam et errorem his oriundum, quorum initio meminimus, alia loca vel luxata et corrupta, vel certe obscura et implexa inveniri. At errorem historicum facili duarum litterarum mutatione emendari in Græco textu, nullo autem modo in veteri interpretatione Latina, eumque antiquo librario potius quam Græco interpreti tribuendum, annotatione 5 observavimus. Lacuna vero, quæ primo capite evidens est, utrum ab interpretis, an vero ab amanuensis salta derivet, dijudicari nequit. Cætera autem loca luxata, vel implexa et involuta, partim forte ab amanuensi, partim vero ab ipso imperito interprete proficiscuntur, quod tamen aliis Græcis versionibus in hac collectione insertis commune est; identidem enim Græcus interpres ob Latini sermonis imperitiam non admodum exacte auctoris mentem assecutus, minus recte reddidit quædam loca, quæ probe intelligentibus Latinam linguam ex collatione originalium quæ supersunt aliter reddenda fuisse noscuntur. Hæc autem obscura et implexa loca quid ex Leonis mente significent, colligi quidem potest ex originali Latino epistolæ 44, quod similes sententias præfert; at ex hoc eadem verba transferenda non sunt in epistolam 43, ut collector Latinus fecit. Etsi enim Leonis mos fuerit eandem nonnumquam epistolam renovare, et nedum easdem sententias, sed eadem fere verba in posterius exemplum traducere, ut patet ex epist. 30 et 31 ad Pulcheriam; cum tamen nonnulla etiam addere, vel detrahere, aut mutare consueverit, incertum est unum in locis memoratis aliquid tale contigerit. Solum in annotationibus indicare licebit verba quæ vel supplenda videntur, vel Leonis mentem aperient, ut ne tamen ea huic epistolæ ab eodem inserta affirmare possimus. Ita solutæ sunt vel omnes, vel saltem præcipuæ difficultates, quæ contra hanc epistolam opponebantur, adeo ut vel ex hoc de ejus germanitate nihil sit ambigendum.

7. In ea vero quæstione, cur duæ tam similes epistolæ ad eumdem imperatorem traditæ fuerint, Quesnellus suspicatus est epistolam 43 forsitan esse exemplar epistolæ 44, quod nonnullis mutatis S. Leo miserit ad Pulcheriam Augustam; nam in epist. 45 ad eamdem scribens, ejusmodi exemplar se ad ipsam misisse testatur. At hoc in hypothesi ejusdem chronicæ notationis in utraque epistola satis ingeniose dictum videri potest, non tamen probabiliter, verisimillimum enim est Leonem ad Pulcheriam misisse exemplar, quod originali ad Theodosium tradito responderet. Hypothesim vero ejusdem diei in epistola signati, ex Latino textu pendet, quod non esse proprium hujus epistolæ, sed ex epist. 44 sumptum jam demonstravimus. Repudiata vero hac hypothesi id ita evenisse conjici potest. S. pontifex primo scripsit epistolam 43. Hæc sane in omnibus tum Venetis, tum Vaticanis Græcis codicibus, nec non in illis quos vetus interpres Latinus, seu Rusticus vidit, primo loco constanter describitur ante epistolam 44, quod anterioris temporis indicium est; at post aliquot dies, cum jam discessissent ii quibus epist. 43 tradita fuerat, eamdem S. Leo aliquibus mutatis, ac pluribus additis, renovavit, aliisque tradidit perferendam, ita ut, prout, si fieri posset, revocata vel suppressa, hanc Theodosio offerrent; ejusdemque exemplum litteris ad Pulcheriam scriptis junxit. Ita porro factum est ut ambæ in Orientem pervenerint, et a Græco collectionis Chalcedonensis auctore utræque inveniri et insertæ fuerint.

8. Tandem dicendum est aliquid de canone, qui licet in vulgatis conciliorum subjiciatur Græcæ versioni epistolæ 44, eo quod hæc editorum arbitrio primo loco edita fuit; in codicibus tamen subnectitur huic epistolæ 43, quæ in iisdem, uti jam diximus, primo loco describitur. Cum S. pontifex *canonum Nicæa habitorum decreta subter annexa* memoret epist. 44, non unum tantum canonem subjecisse videtur, sed plures, illos scilicet qui de appellatione in Sardicensi concilio lati, ex vetusta Latinæ ac præsertim Romanæ Ecclesiæ consuetudine Nicænis canonibus adjecti Nicænorum nomine circumferebantur. Cum vero idem pontifex pluralem numerum, ex. gr., *epistolæ, exemplaria*, etc., pro una *epistola*, uno *exemplari* significando adhibere soleat, ut vidimus annot. 3 in epist. 13 (*Col.* 664, [1]) et 7 in epist. 45 (*Col.* 853 [a]) hic quoque laudatis vocibus pluralis numeri unum canonem quartum ejusdem Sardicensis concilii indicasse dicendus est, eo quod hunc unum canonem vetus interpres Græcus reddidit, ut omnes Græci codices ostendunt. Similiter cum Galla Placidia epist. 56 plurali numero allegavit *secundum definitiones Nicæni concilii*, unum canonem quintum Sardicensem innuit, ut in margine editorum notatur. Porro in editionibus conciliorum ex aliquo Romano codice hic titulus canoni præfigitur, qui in tribus Venetis mss. non legitur: Ἀντίτυπον συνοδίου ἐν τῷ τοπῷ τῶν Καινῶν, ἐν οἷς διελάλησαν; nimirum Latine: *Exemplum concilii in loco Novorum, ubi locuti sunt.* Canon vero ad Venetos codices exactus sic effertur: Γαυδέντιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Εἰ ἀρέσκει προστεθῆναι ταύτῃ τῇ ἀποφάσει, ὧν τινα πλήρη ἀγιότητος προσενέγκατε, ὁπηνίκα ἄλλος ἐπίσκοπος καθ' ἑαυτὸν κρίσει ἐπισκόπων καὶ διεμαρτύρατο ἐν πόλει τῶν Καινῶν κινηθῆναι τὰ τοῦ πράγματος, ὁ δὲ ἕτερος ἐπίσκοπος ἐν ταύτῃ τῇ καθέδρᾳ μετὰ τὴν αἴτησιν τοῦ φανομένου καθῃρῆσθαι, παντελῶς ἐν ἑτέρῳ τόπῳ τυπωθῆναι τὰ τοῦ πράγματος μὴ δύνασθαι, εἰ μὴ παρὰ τῶν ἐκεῖσε κριτῶν δέξηται τὸν ὅρον. Latine autem sic: *Gaudentius episcopus dixit: Si placet, ut adjiciatur huic sententiæ, quam plenam protulistis; quoties alius* (legendum *aliquis*) *episcopus depositus fuerit episcoporum judicio, et proclamaverit ut in civitate Novorum causa agitetur, alter autem episcopus in eadem cathedra post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino in altero loco causam pro firma haberi non posse, nisi illic a judicibus finem accipiat.* Depravatissimam interpretationem ejus Latini canonis quem S. Leo suæ epistolæ subjecit, verus Latinus canon Sardicensis demonstrabit. Hunc proferimus ex iis antiquissimis codicibus et collectionibus canonum in quibus cum Sardicenses ex Romanæ Ecclesiæ more Nicænis accenseantur, lectionem inde sumptam eam esse quam Leo suis litteris subtexuit, indubium videtur: *Gaudentius episcopus dixit: Addendum est, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitatis protulistis, ut cum aliquis depositus fuerit episcopus eorum episcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma; alter episcopus in ejus* (al. *eadem*) *cathedra post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur* (quidam codd. addunt *in loco ipsius*), *nisi causa fuerit in judicio Romani episcopi determinata.* Nunc si conferas hunc verum canonem cum Græca versione quam dedimus, omissionem harum vocum *qui in vicinis locis commorantur*, et sententiam in fine involutissimam deprehendes: ac propterea voces *in urbe Roma* perperam redditas ἐν πόλει τῶν Καινῶν, *in civitate Novorum*, et voces *in judicio Romani episcopi* redditas παρὰ τῶν ἐκεῖσε κριτῶν, *illic a judicibus*, ita ut Romanæ urbis, ac episcopi mentio nulla sit; quod nam casu, an consulto acciderit, alii judicent. Jure itaque editores Romani notarunt; *Hunc canonem simul cum epistola interpres illius temporis Græce reddidit satis depravatum, et mancum, sicut et cæteras etiam ejusdem B. Leonis epistolas, quæ in hoc Chalcedonensi concilio sunt insertæ.* Jam vero Græcam interpretationem cum Latina ejusdem versione primum exhibeamus; dein subjiciemus antiquam editionem Latinam, quæ ex mss. collectionis Chalcedonensis prodiit, licet hanc pro originali Leonis epistola haberi non possit.

Digitized by Google

EPISTOLA [a] XLIII.

AD THEODOSIUM AUGUSTUM.

902 *Epistola Leonis ad Theodosium divæ memoriæ, per quam rogavit specialem synodum in partibus Italiæ fieri, et nullo alio in loco; propterea quod sit contraria canonibus secunda synodus Ephesina.*

Gloriosissimo et serenissimo Theodosio imperatori Leo episcopus.

Antea et ab initio in iis quæ facta sunt synodis tantam nos accepimus fiduciam a sanctissimo Petro et principe apostolorum, ut potestatem habeamus et veritatis vindicandæ pro nostra pace, et nemini ipsam liceat, cum munita adeo sit, concutere, dum sine mora lasio removetur. Quoniam igitur concilium episcoporum quod in Ephesina civitate propter Flavianum fieri jussistis, et ipsam lædit fidem, et omnes sauciat Ecclesias . . . . . .

. . . . . B

Atque hæc non ab incerto nuntio nobis cognita sunt, sed ab ipsis quos misimus, religiosissimo episcopo et fidelissimo Hilaro diacono nostro, qui quæ acta sunt nobis exposuerunt. Quod autem accidit hanc habet causam quod non pura conscientia rectoque judicio secundum consuetudinem ii qui convenerunt, de fide et **904** de iis qui decepti fuerunt, sententiam protulere. Cognoscimus enim ad concilium non omnes quos oportebat convenisse, sed alios quidem ejectos, alios autem intromissos, qui [b] prædicti episcopi circumventione impiis subscriptionibus capti sunt. Talis namque ab ipso prolata sententia, ut omnibus per ipsum Ecclesiis injuria inferretur. Hujusmodi enim rem valde impiam fideique repugnantem ii testes de visu, qui per nos missi sunt, C nobis significarunt. Unde, serenissime imperator, a vestra pia conscientia periculum causa fidei avertere dignare, neque humana præsumptio Christi Evangelio vim inferat. Hæc ego, o christianissime et venerabilis imperator, cum iis qui mecum sunt episcopis, sincero affectu cupiens vos ante omnia placere Deo, ad quem ab universa Ecclesia unanimiter pro vestro imperio preces funduntur, ut facias, consilium do, ne forte pœnas persolvamus ante tribunal Christi,

901 [1] Ἐπιστολὴ Λέοντος ἀποσταλεῖσα πρὸς Θεοδόσιον τὸν τῆς θείας μνήμης, δι' ἧς ἠτήσατο ἰδικὴν σύνοδον, ἐν τοῖς τῆς Ἰταλίας γενέσθαι, καὶ ἐν μηδενὶ ἑτέρῳ τόπῳ [2] διὰ τὸ ὑπεναντίαν εἶναι τῶν κανόνων τὴν ἐν Ἐφέσῳ δευτέραν σύνοδον.

Τῷ ἐνδοξοτάτῳ καὶ γαληνοτάτῳ Θεοδοσίῳ βασιλεῖ, Λέων ἐπίσκοπος.

Ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐν ταῖς γενομέναις συνόδοις, τοσαύτην ἡμεῖς εἰλήφαμεν παῤῥησίαν παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου Πέτρου, καὶ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, ὡς ἔχειν τὴν αὐθεντίαν [3] καὶ ἐκδικεῖν τὴν ἀλήθειαν ὑπὲρ τῆς [4] ἡμῶν εἰρήνης, καὶ μηδενὶ δύνασθαι ὀχυρὰν οὕτως ὑπάρχουσαν παρασαλεύειν, παραχρῆμα τῆς βλάβης ἀποσειομένης. Ἐπεὶ οὖν τὸ συνέδριον τῶν ἐπισκόπων, ὅπερ γενέσθαι προσετάξατε ἐν τῇ Ἐφεσίων [5] πόλει διὰ Φλαυιανὸν αὐτήν τε καταβλάπτει τὴν πίστιν, καὶ πάσας τραυματίζει τὰς ἐκκλησίας [6] ..... καὶ ταῦτα ἡμῖν ἔγνωσται οὐ παρὰ ἀβεβαίου τινὸς ἀγγέλου, ἀλλὰ [7] παρ' αὐτῶν τῶν παρ' ἡμῶν ἀποσταλέντων [8] εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου, καὶ τοῦ πιστοτάτου Ἱλάρου τοῦ ἡμετέρου διακόνου, τῶν τὰ πεπραγμένα ἡμῖν ὑφηγησαμένων. Τὸ δὲ συμβὰν ταύτην ἔχει τὴν αἰτίαν, τὸ μὴ καθαρᾷ συνειδήσει, καὶ ὀρθῇ κρίσει κατὰ τὸ σύνηθες, τοὺς συνελθόντας τῇ τε πίστει, **903** καὶ τοῖς πεπλανημένοις τὴν ἀπόφασιν ἐκφωνῆσαι· ἔγνωμεν γὰρ, ἐν τῷ συνεδρίῳ μὴ πάντας συνεληλυθέναι τοὺς ὀφείλοντας, ἀλλ' ἑτέρους μὲν ἐκβεβλῆθέντας, ἑτέρους δὲ εἰσδεχθέντας· οἵ τινες τῇ ὑπολήψει τοῦ προλεχθέντος ἐπισκόπου [9] ἀσεβέσιν ἐάλωσαν ἀπογραφαῖς. Τοιαύτη γὰρ ἡ παρ' αὐτοῦ ἐξενεχθεῖσα ἀπόφασις, ὡς πάσας δι' αὐτῆς τὰς ἐκκλησίας καταβλάπτεσθαι. Ἐφέδρα γὰρ ἀσεβὴς, καὶ τῇ πίστει πολεμοῦν τὸ τοιοῦτο θεασάμενοι οἱ παρ' ἡμῶν ἀποσταλέντες, ἡμῖν κατεσήμαναν. Ὅθεν γαληνότατε βασιλεῦ, τῆς ὑμετέρας εὐσεβοῦς συνειδήσεως τὸν κίνδυνον ἕνεκα τῆς πίστεως ἀποσοβῆσαι καταξίωσον. Καὶ μὴ πρόληψις ἀνθρωπίνη τὸ τοῦ Χριστοῦ εὐαγγέλιον βιάσηται. Ταῦτα ἐγὼ, ὦ χριστιανικώτατε, καὶ προσκυνητὲ βασιλεῦ, μετὰ τῶν σὺν ἐμοὶ ἐπισκόπων, εἰλικρινεῖ διαθέσει ποθῶν ὑμᾶς πρὸ πάντων Θεῷ ἀρίσκειν, ᾧ παρὰ πάσης ἐκκλησίας συμφώνως ὑπὲρ τοῦ ὑμετέρου κράτους δεήσεις

[a] Al., 39. Quæ autem erat 43, nunc 47. Scripta paulo ante 13 Octob. an. 449.

[b] Id est, Dioscori episcopi.

[1] Hunc titulum ad mss. Veneta revocavimus. In vulgatis, post Λέοντος, additur, Ἐπισκόπου Ῥώμης, et omittuntur, τὸν τῆς θείας μνήμης. Alius præterea titulus in iisdem codd. Ven. subjicitur sic : Ἐπιστολὴ Λέοντος ἐπισκόπου Ῥώμης πρὸς Θεοδόσιον βασιλέα περὶ τοῦ τὴν σύνοδον ἐν τοῖς τῆς Ἰταλίας γενέσθαι μέρεσιν.

[2] Ex Vat. cod. Græcus 1455, qui sincerum et integrum textum suggessit. Vulg., διὰ τὸ τοῦτο ὑπεναντίον εἶναι τῶν κανόνων.

[3] Deest καὶ in ms. Ven.

[4] Vulgati, ὑμῶν. Editores Romani in margine, ἴσως ἡμῶν; et ita legit etiam vetus interpres, qui hujus capitis exordium e Græco reddidit, uti in admonitione ostendimus; ac proinde sine trepidatione emendavimus.

[5] In editis, πολεμεῖ Φλαυιανῷ, perperam; unde Romani emendarunt in margine; emendationem autem textui inseruimus, quia et contextus exigit, et sic legit in textu antiquus interpres.

[6] Hoc loco suspensus sensus lacunam ostendit, quæ punctis signanda fuit, tametsi in mss. non appareat. Hic enim mentio aliqua erat inserta Dioscori, qui Ephesino latrocinio præsidens, in causa fuit ut eadem pseudosynodus et fidem læderet et omnes sanciaret Ecclesias. Proculdubio, inquam, erat inserta, ut ad eum referantur voces sequentes, τοῦ προλεχθέντος, *supradicti episcopi*, quæ non ad Flavianum, sed ad Dioscorum pertinent.

[7] Ita ex mss. Venet. magis clara syntaxi, quam in editis, παρ' αὐτῶν, παρ' ἡμῶν. Paulo post Ἱλαρίου pro Ἱλάρου perperam in eodem cod.

[8] Vulg. et codd. plurali numero, εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων. Cum vero manifestus sit error (unus enim *episcopus* Julius missus fuit), certa emendatione locum restituimus. Facilis autem librariorum lapsus scribentium ων pro ου levissima duarum litterarum mutatione sanatur.

[9] Cod. Ven., ἀσεβέσιν ἁλόντες ὑπογραφαῖς ἐβασανίσθησαν.

Digitized by Google

si hujuscemodi rem silentio involvamus. Obsecro igitur coram unius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ per ea quæ male acta sunt læditur, quæque vestri est custos imperii, et coram sanctis angelis Christi, ut cuncta maneant intacta, sicut et ante judicium existebant. Exspectent autem majus criterium concilii, in quo omnis ex toto orbe episcoporum numerus congregetur; neque sinatis vos de alieno peccato onus sustinere; quod ut manifestius edicamus, urgentis necessitatis timore constringimur. Sed ante oculos proponite beatissimi Petri gloriam communesque cum ipso omnium apostolorum coronas, et martyrum gaudia, quibus non alia fuit causa **906** patiendi, nisi confessio veræ Deitatis, et in Christo [a] perfecta permansio. Quæ confessio cum impie nunc a paucis quibusdam lædatur, omnes nostrarum partium Ecclesiæ, omnesque sacerdotes mansuetudini vestræ cum lacrymis supplicant propter appellationem in Flaviani episcopi libello contentam, ut speciale concilium jubeatis in Italiæ partibus peragi, ut omnis conflictus repellatur vel mitigetur, nihilque devians vel dubium in fide sit; convenientibusque insuper etiam episcopis ab Orientalibus provinciis omnibus, quorum si qui de veritatis via exorbitarunt, salutaribus curationibus in integrum revocentur, et hi quorum est causa gravior, vel consiliis acquiescant, vel ab una Ecclesia exscindantur: ita ut necessarium sit et eadem servare quæ Nicænus canon et quæ constitutio totius orbis episcoporum præcipit, secundum catholicæ Ecclesiæ consuetudinem et nostrorum Patrum liberam fidem, per quam serenitas vestra stabilitur. Iis enim qui Ecclesiam lædunt, expulsis, vestrisque provinciis jure, quod justum est, potientibus, atque vindicta adversus hæreticos exercita; vestrum etiam imperium Christi dextera defendetur.

A ἀκαπέμπονται, συμβουλεύω· μή ποτε δίκας ὑφέξωμεν ἔμπροσθεν τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ, τὸ τοιοῦτο παρασιωπήσαντες. Δέομαι τοιγαροῦν ἐνώπιον τῆς μιᾶς θεότητος τῆς ἀχωρίστου τριάδος, τῆς ἀδικουμένης διὰ τῶν κακῶς πεπραγμένων, φύλακος ὑπαρχούσης τῆς ὑμετέρας βασιλείας, καὶ ἐνώπιον τῶν ἁγίων ἀγγέλων τοῦ Χριστοῦ, ἵνα πάντα μείνωσιν [1] ἀῤῥαγῆ, καθὼς καὶ πρὸ δίκης ἐτύγχανε· περιμείνωσι δὲ τὸ μεῖζον τῆς συνόδου κριτήριον, ἐν ᾧ ὁ πᾶς ἀριθμὸς τῶν ἐπισκόπων ἐκ πάσης τῆς οἰκουμένης συνάγεται. Καὶ μὴ συγχωρήσητε [2] ἡμᾶς τῷ ἑτέρων πταίσματι βάρος ὑπομεῖναι. Ὅπερ σαφέστερον εἰπεῖν ἀναγκῆς ἐπειγούσης τῷ δέει κρατούμεθα. Ἀλλὰ λαβεῖν πρὸ ὀφθαλμῶν, τοῦ μακαριωτάτου Πέτρου τὴν δόξαν, καὶ τοὺς κοινοὺς στεφάνους σὺν αὐτῷ πάντων τῶν ἀποστόλων, καὶ τὰς τῶν μαρτύρων χαράς, οἷς οὐ γέγονεν

B ἑτέρα τις αἰτία τοῦ παθεῖν, εἰ μὴ ἡ ὁμολογία τῆς ἀληθοῦς **905** θεότητος, [3] καὶ ἡ ἐν Χριστῷ τελεία διαμονή. Ἧς τινος ὁμολογίας ἀσεβῶς ὑπό τινων νῦν ὀλίγων καταβλαπτομένης, πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι τῶν ἡμετέρων μερῶν, καὶ πάντες οἱ ἱερεῖς, τὴν ὑμετέραν ἡμερότητα μετὰ δακρύων ἱκετεύουσι κατὰ τὴν αἴτησιν τοῦ λιβέλλου Φλαυιανοῦ τοῦ ἐπισκόπου· ὥστε κελεῦσαι ἰδικὴν σύνοδον ἐν τοῖς τῆς Ἰταλίας ἐπιτελεσθῆναι· ὅπως πᾶσα ἐναντιότης ἐκβληθείη ἢ καταπραϋνθείη, καὶ μηδὲν ἢ παρέλκον, ἢ ἀμφίβολον ἐπὶ τῇ πίστει· συνιερχομένων ἔτι καὶ τῶν ἐπισκόπων ἀπὸ πασῶν τῶν ἀνατολικῶν ἐπαρχιῶν· [4] ὧν εἴ τινες ὕβρεις κατὰ τὴν ὁδὸν τῆς ἀληθείας ὤφλησαν, σωτηριώδεσι θεραπείαις εἰς τὸ ὁλόκληρον ἀνακληθῶσι, καὶ οὗτοι, ὧν ἐστιν αἰτία βαρυτέρα, ἢ διὰ τῆς συμβουλίας ἡσυχάσωσιν ἢ ἀπὸ τῆς μιᾶς ἐκκλησίας ἐκκοπῶσιν. Ὥστε

C καὶ ταῦτα ἀναγκαῖον παραφυλάξαι, ὅσα ὁ ἐν Νικαίᾳ κανὼν παρακελεύεται, ὅσα τε ὁ ὅρος ὁ ἀπὸ πάσης τῆς οἰκουμένης τῶν ἐπισκόπων κατὰ τὸ ἔθος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἡμετέρων πατέρων [5] ἐλευθέραν τὴν πίστιν· δι' ἧς ἡ ὑμετέρα γαληνότης συνίσταται. Τῶν γὰρ βλαπτόντων τὴν ἐκκλησίαν ἀπελαθέντων, καὶ τῶν ὑμετέρων ἐπαρχιῶν ἀπολαυουσῶν τοῦ δικαίου[1], καὶ τῆς κατὰ τῶν αἱρετικῶν ἐκδικήσεως γενομένης, καὶ τὸ ὑμέτερον βασίλειον τῇ δεξιᾷ τοῦ Χριστοῦ σκεπασθείη.

907 EADEM EPISTOLA

[b] AD THEODOSIUM AUGUSTUM.

Uti prodiit ex mss. Latinis collectionis Chalcedonensis.

[c] SYNOPSIS. — I. *De Ephesino latrocinio conqueritur apud imperatorem.* — II. *Postulat ut in eodem statu res maneant quo ante pseudosynodum erant.* — III. *Supplicat ut concilium intra Italiam celebrari jubeat imperator.*

Gloriosissimo et clementissimo THEODOSIO Augusto LEO episcopus.

CAP. I. — Olim et ab initio in conciliis celebratis tantam nos percepimus a [d] beato Petro apostolorum principe fiduciam, ut auctoritatem habeamus ad veritatem pro nostra pace defendendam: quatenus nulli liceat sic eam munitam in aliquo commovere, dum repente læsio removetur. Igitur quia concilium episcoporum quod propter Flavianum in Ephesina civitate fieri præcepistis, et ipsi fidei probatur obesse, et omnes Ecclesias vulnerare; [e] . . . . . Et hæc a nobis comperta sunt non incerto nuntio, sed ab ipsis

D

[a] Leg. *perfectæ* seu *veræ humanitatis*. Vide annot. 3 (*infer.*, [3]) in textum Græcum.

[b] Etsi Latinus textus hujus epistolæ quam hic proferimus contineatur in mss. Latinæ collectionis Chalcedonensis, in quibus originales plerumque Leonis epistolæ describuntur, non esse tamen textum originalem, sed partim versionem ex Græco, partim transumptum ex epistola sequenti 44 in admonitione ostendimus. Invenitur etiam hæc epistola in cod. Germanico collect. 18 et in ms. Veneto collect. 22 qui e Chalcedonensi collectione plura receperunt.

[c] In mss. collect. Chalcedon. hic titulus legitur: *Epistola sanctissimi archiepiscopi Romæ Leonis ad imperatorem Theodosium, qua rogavit speciale concilium in Italia fieri, et non in alio loco, eo quod contraria sit canonibus secunda synodus Ephesina.*

[d] Sic plures nostri et Baluzii codd. Alias, *beatissimo*.

[e] De lacuna hujus loci vide annot. 5 in textum Græcum hujus epistolæ (*inferius* [5])

[1] Editores Rom. in margine, ἴσως, ἁρπαγῆ.

[2] In margine iidem editores ὑμᾶς; et sic legendum.

[3] Editores Romani in margine, καὶ τῆς ἀληθοῦς ἐν Χριστῷ ἀνθρωπότητος, *et veræ in Christo humanitatis*, quam Eutyches negabat.

[4] Ita codd. Græc. Vat. 1453 et Ottob. 29. Erat in vulgatis, οἵ τινες ὕβρεις.

[5] Hic aliquid involutum apparet, et forte lacuna aliqua. Clarius in epist. 44 Leonis mens elucescit.

Digitized by Google

[a] reverendissimis episcopis qui a nobis missi sunt, et fidelissimo rerum quæ gestæ sunt narratore Hilaro diacono nostro. Hæc autem ideo culpa processit, eo quod non pura conscientia et recto judicio secundum consuetudinem hi qui collecti sunt de fide et [b] errantibus protulerunt. In ipso autem judicio non omnes qui convenerant interfuisse cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromissos, qui pro [c] supradicti sacerdotis arbitrio impiis subscriptionibus captivas manus [d] dederent, et **908** nociturum statui suo scirent, nisi imperata fecissent, talemque ab ipso prolatam esse sententiam, ut in omnes per eam sæviretur Ecclesias. Quod nostri ab apostolica sede directi, adeo impium et catholicæ fidei contrarium videntes, nobis significare noscuntur.

Cap. II. — Unde, [e] tranquillissime principum, removete, quæsumus, a vestræ pietatis conscientia periculum religionis et fidei : ut Christi Evangelio vim non inferat humana præsumptio. [f] Ecce ego, christianissime et venerabilis imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reverentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiensque vos per omnia placere Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Domini, rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cum ipsa vestri sit custos et auctor imperii, et coram sanctis angelis Christi, ut omnia in eo statu esse jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur; nec alieno peccato patiamini vos gravari : quia, quod necesse est nos dicere, veremur ne cujus religio dissipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete, et tota mentis acie reverenter aspicite beati Petri gloriam, et communes cum ipso omnium apostolorum coronas, cunctorumque martyrum palmas, quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio veræ Divinitatis et veræ humanitatis in Christo.

Cap. III. — Cui sacramento, quia impie nunc a paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus et lacrymis supplicant sacerdotes, ut quia et nostri fideliter reclamarunt, et eisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit, generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari, **909** quæ omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne ultra aliquid sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum; convenientibus utique Orientalium provinciarum episcopis, quorum si qui superati minis atque injuriis a veritatis tramite deviarunt, salutaribus remediis in integrum revocentur : ipsique, quorum est causa durior, [g] si consiliis melioribus acquiescant, ab Ecclesiæ unitate non excidant. Quam autem post appellationem interpositam hoc necessarie postuletur, canonum **910** Nicææ habitorum decreta testantur, quæ a totius mundi sunt sacerdotibus constituta. Favete catholicis vestro more parentumque vestrorum, date defendendæ fidei libertatem. Cum enim Ecclesiæ [h] causas, tum regni vestri agimus et salutis, ut provinciarum vestrarum quieto jure potiamini. Defendite contra hæreticos inconcussum Ecclesiæ statum : ut et vestrum Christi dextera defendatur imperium. [i] Datum tertio idus Octobris, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [j] XLIV.

[k] AD EUMDEM THEODOSIUM AUGUSTUM.

[l] Synopsis. — I. *Pseudosynodum Ephesinam, cum privatis odiis favet, omnia perturbasse in Ecclesia; ab ea apostolicæ sedis scripta rejecta; omnia vi acta esse; Hilarum unum vix evasisse, ex legatis qui contradixerunt; numquam a sede apostolica recipiendam istam synodum.* — II. *Omnia usque ad majorem synodum in eo-*

[a] Confer annot. 2 (*Col.* 822, [a]) in eumdem textum Græcum; ubi hujus loci errorem deteximus historicæ veritati contrarium, quem vetus hujus loci interpres Latinus, postpositis præterea vocibus, *qui a nobis missi sunt*, quæ in Græco textu præmittuntur, ita confirmavit et involvit, ut qui error in Græco facile detegi et emendari potest, in ejusmodi versione Latina nullo modo possit. Notandum insuper est titulum *reverendissimi*, quem S. Leo episcopis numquam tribuit, interpreti referendum esse, qui vocem Græcam εὐλαβεστάτων sic Latine reddidit, cum alias reddi etiam soleat *religiosissimus*.

[b] Crabbus et editio Antuerp. an. 1583, *erratibus*. Ita etiam secunda manu in ms. Veronensi 57. In editione Labbei, *erratis*.

[c] Id est Dioscori Alexandrini, qui in lacuna annot. 5 (supra [a]) indicata nominatus procuidubio fuit, uti nominatur in epistola sequenti.

[d] Quesnellus cum anterioribus editis, *dederunt, quod nociturum*. Nostrorum et Baluzii codicum lectionem, quæ probatur etiam in epistola sequenti, anteponendam credidimus.

[e] Sic meliores codices et Græcus textus, ex quo hæc pauca hujus capitis verba reddita fuerunt. Quesnellus cum editis Leonis et nonnullis mss., *tranquillissimi*.

[f] Retinuimus vulgatam lectionem, nulli licet codices suffragentur. Nam quod est in mss., *Ista ego*, vel *Ista ergo*, *Istum ego*, vel *Istum ergo*, cum contextu Latino hujus epistolæ nullo modo congruit, uti congruit *Hæc ego* in textu Græco : et aliunde certum sit collectorem Latinum hæc excerpsisse ex epist. 44, ubi *Ecce ego* legitur.

[g] Edit. Concil.: *sic consiliis melioribus acquiescant, ut ab Ecclesiæ unitate*.

[h] Sic plerique codices, uti etiam in epistola sequenti. Quesnellus, *causam*; aliæ editiones Leonis: *causa statum regni vestri agimus, et salutis*.

[i] Hanc chronicam notationem non esse hujus epistolæ propriam, sed a collectore Latino cum aliis multis traductam ex epistola sequenti, in præmissa admonitione demonstravimus.

[j] Al. 40. Quæ autem antea 44 erat, nunc 48. Scripta 13 Octob. an. 449.

[k] Exstat hæc epistola in mss. collect. 5 Hisp. Isid. 13, 17 et 19, usque ad 24, et apud Sichardum.

[l] In tabula collect. 5, cap. 86, hic titulus legitur: *Ad Theodosium imperatorem, ut rescissa synodo Ephesina in Italia concilium ejus consensu debeat celebrari.* In Hisp. et Isid. ac exinde in editis ante Quesn.: *De secunda synodo Ephesina, in qua Eutychetis hæresis quorumdam Episcoporum pravo intellectu adjuta est: unde hortatur eumdem Augustum, ut priscæ fidei constitutio ab eis non violetur; sed Dei sacerdotes totius*

Digitized by Google

dem statu permanere postulat a Theodosio cum omnibus Occidentalibus. — III. Generalem intra Italiam synodum petit.

Leo episcopus, et sancta Synodus, quæ in urbe Romæ convenit, Theodosio [a] Augusto.

Cap. I. — Litteris clementiæ vestræ, quas dudum ad beati Petri apostoli sedem pro catholicæ fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendæ per vos veritatis et pacis, ut in causa tam simplici, **911** tamque munita nihil putaremus posse existere, quod noceret; præsertim cum ad episcopale concilium, quod haberi apud Ephesum præcepistis, tam [b] instructi sint missi, ut si scripta quæ vel ad sanctam synodum, vel ad Flavianum episcopum detulerunt, episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset antistes, ita manifestatione purissimæ fidei, quam divinitus inspiratam et accepimus, et tenemus, omnium [c] concertationum strepitus quievisset, ut nec imperitia ultra desiperet, nec occasionem nocendi æmulatio reperiret. Sed dum privatæ causæ religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum, quod universam Ecclesiam vulneraret. Comperimus enim, non incerto nuntio, sed fidelissimo rerum, quæ gestæ sunt, [d] narratore Hilaro diacono nostro, qui vix, ne subscribere per vim cogeretur, effugit, convenisse ad synodum plurimos sacerdotes, quorum utique frequentia [e] consultationi et judicio profuisset, si is qui sibi locum principem vindicabat, sacerdotalem moderationem custodire voluisset; ut, sicut moris est, omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo et æque constitueretur examine, quod et fidei congrueret, et errantibus subveniret. In ipso autem judicio non omnes qui convenerant, interfuisse cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromissos, qui [f] pro supradicti **913** sacerdotis arbitrio, impiis subscriptionibus captivas manus dederent, [g] et nociturum statui suo scirent, nisi imperata fecissent; talemque ab ipso

Τῷ φιλανθρωποτάτῳ καὶ φιλησυχοτάτῳ Θεοδοσίῳ Αὐγούστῳ, Λέων ἐπίσκοπος, καὶ ἡ ἁγία σύνοδος, ἡ ἐν τῇ Ῥωμαίων πόλει συναχθεῖσα.

Τοῖς γράμμασι τῆς ὑμετέρας φιλανθρωπίας ἐντυχόντες, οἷς περ πρώην εἰς τὴν καθέδραν Πέτρου τοῦ μακαριωτάτου ἀποστόλου πόθῳ τῆς καθολικῆς πίστεως ἐξεπέμψατε, τοσαύτην παῤῥησίαν ἐλάβομεν εἰς ἐκδίκησιν [a] τῆς δι' ὑμῶν ἀληθείας, καὶ τῆς εἰρήνης, [b] ἵνα ἐν πράγματι οὕτως ἁπλουστέρῳ, καὶ **912** ἀσφαλεῖ, μηδὲν ὑπονοήσωμεν δύνασθαι καινοτομεῖσθαι πρὸς βλάβην· μάλιστα ὅταν εἰς τὸ ἐπισκοπικὸν κριτήριον, ὅπερ ἐν τῇ Ἐφεσίων συναχθῆναι προσετάξατε, οὕτως ἀσφαλεῖς ἀπεστάλησαν, ὡς, εἰ τὰ γράμματα, ἃ πρὸς τὴν σύνοδον, ἃ καὶ πρὸς Φλαυιανὸν τὸν ἐπίσκοπον διεπεμψάμεθα, τῶν ἐπισκόπων ταῖς ἀκοαῖς δημοσιευθῆναι ὁ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος συνεχώρησεν, οὕτω τῇ φανερότητι τῆς καθαρᾶς πίστεως, ἣν τινα θείθεν, [c] ἐμπνευσθεῖσαν καὶ παρελάβομεν, καὶ φυλάττομεν, πᾶσα φιλονεικία, καὶ ταραχὴ ἡσύχασεν ἄν· [d] ἵνα μήτε ἡ ἀπαιδευσία περαιτέρω παρεφρόνησε, μήτε ἀφορμὴν βλάβης ἡ ἀφροσύνη ἐξεύρεν. [e] Ἀλλ' ὅταν τὰ [f] ἴδια πράγματα τῆς Ἐκκλησίας ἀφορμῇ ἐγυμνάζετο, ἐτολμήθη δι' ὀλίγων [g] ἀσεβείας, ὅπερ τὰς ἁπανταχοῦ Ἐκκλησίας ἐτραυμάτισε. Μεμαθήκαμεν γὰρ οὐχὶ ἀδήλῳ φήμῃ, ἀλλὰ βεβαίῳ διαγγέλματι διὰ Ἱλάρου τοῦ ὑμετέραν διακόνου, ὃς τις [h] πέφευγε διὰ τὸ μὴ ἀναγκασθῆναι βιαίως ὑπογράψαι· καὶ ἐπίσθαμεν μὲν ἐν τῇ συνόδῳ συνελθεῖν πλείστους ἐπισκόπους· [i] οἱ δηλαδὴ τῇ χρησίμῃ συγχύσει προνοίᾳ ἐν τῷ κριτηρίῳ συμβαλέσθαι ἠδυνήθησαν, εἰ ἐκεῖνος, ὃς τις ἑαυτῷ τόπον ἄρχοντος ἐξεδίκησεν, ἐπισκοπικὴν ἐπιείκειαν φυλάξαι ἠνέσχετο, [j] ἵνα, ὡς τὸ ἔθος ἔχει, πάντων [k] ἐλευθερίως προενεχθεισῶν τῶν ἀποφάσεων, ἐκεῖνο ἡσύχῳ καὶ δικαίᾳ ὁρισθῇ διαγνώσει, ὅπερ καὶ τῇ πίστει συνέτρεχε, καὶ σοῖς πλαταμένοις συνεβάλλετο· ἐν αὐτῇ γὰρ τῇ κρίσει οὐ [l] πάντας, οὓς συνελθεῖν συνιέναι μεμαθήκαμεν εἰσαχθέντας, οἵ τινες κατὰ γνώμην **914** τοῦ προλεχθέντος

orbis coadunentur. Tandem in mss. Latinis collectionis Chalcedon. concinente plerumque Græco textu; *Epistola alia sanctissimi archiepiscopi Romæ Leonis ad imperatorem Theodosium culpans Ephesinum concilium, quod adversus sanctissimum Flavianum factum est, potentis aliud concilium in partibus Italiæ celebrari.*

[a] Vulgati addunt *semper*, quod ex omnibus nostris codicibus delevimus. In mss. collect. Chalcedon. hæc inscriptio præfigitur: *Gloriosissimo et clementissimo Theodosio Augusto Leo episcopus, et sancta synodus, quæ in urbe Roma convenit.* In ms. Florentino collect. 13: *Leo urbis Romæ episcopus, et omnes episcopi pro sancta religione in eadem urbe congregati Theodosio Augusto.* Plures quidem episcopos convenisse Leo indicat. epist. 61, cap. 1, ubi de hac synodo ait: *Quæ ad nos* FREQUENS *convenerat.*

[b] Quesnellus, *instructi sunt.* Anteriorum edit. lectionem pluribus et potioribus nostris codicibus confirmatam, uti meliorem revocavimus.

Editi ante Quesn. cum mss. collect. 24, *congressionum*; et in margine, *concertantium.*

[d] Mss. Vat. Hisp. et Isid., *narrante.*

[e] Vulgati ante Quesn. cum Merlino, *collationi.* Codd. Hisp. et Isid., *consolationi.*

[f] Ratisp. et mss. collect. 24 omittunt *pro.*

[g] Mss. Vat. Hisp. et Isid., *et nocituros.* In edit. Concil. et codd. collect. 24, *quod nociturum.*

[a] In marg. edit. Rom., ἴσως, τὴν.

[b] In marg. edit. Rom.: ὥστε νομίζειν ἐν οὕτως ἁπλῷ καὶ ὠχυρωμένῳ πράγματι μηδὲν εἶναι δύνασθαι βλάβην ἐπιφέρειν, μάλιστα ἐκεῖ εἰς.

[c] Ms. Ven., ἐμπνευσθεῖσαν ἣν καί.

[d] In marg. edit. Rom., ὥστε μήτε τὴν ἀπαιδευσίαν περαιτέρω παραφρονεῖν, μήτε τὸ ζιζάνιον ἐξευρίσκειν ἀφορμὴν βλάβης.

[e] In marg. edit. Rom., νῦν δὲ ἐν προσχήματι εὐσεβείας ἰδίων πραγμάτων ἀναπεμομένων ἐπράχθη δι' ἀσεβείας ὀλίγων.

[f] Cod. Ven., τὰ ἰδιαὰ πράγματα.

[g] Ms. Ven., ἀσέβεια; atque ita in marg. etiam edit. Rom. annotatur: Cur vero sane non videmus.

[h] In marg. edit. Rom., μόγις πεφ.

[i] In marg. edit. Rom., ὧν ὅπου ἡ πληθὺς συνήνεγκεν ἂν πρὸς συμβουλίαν καὶ κρίσιν, εἰ ἐκεῖνος.

[j] Cod. Ven., corruptissime, ἵνα, ὡς τὸ ἔθος ἔχει, πάντων ταῖς ἀποφάσεσιν ἐλευθερίως προσενεχθεισῶν, ἐκεῖνο.

[k] In marg. edit. Rom., ἴσως, ἐλευθέρως.

[l] In marg. edit. Rom., οὐ πάντας τοὺς συνελθόντας συνιέναι μεμαθήκαμεν· τοὺς μὲν γὰρ ἐκβληθέντας ἐμάθομεν, τοὺς δὲ συναχθέντας, οἵ τινες.

Digitized by Google

prolatam esse sententiam, ut dum homo unus impetitur, in omnem Ecclesiam [a] sæviretur. Quod nostri ab apostolica sede directi adeo impium et catholicæ fidei contrarium esse viderunt, ut ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli; constanterque in eadem synodo, ut decuit, fuerint protestati, nequaquam id quod constituebatur sedem apostolicam recepturam; quoniam revera omne Christianæ fidei sacramentum, quod absit a temporibus vestris pietatis, [b] exscinditur, nisi hoc scelestissimum factum, quod cuncta sacrilegia excedit, aboletur.

CAP. II. — Quia vero diabolica nequitia subtiliter fallit incautos, et ita quorumdam imprudentia per similitudinem pietatis illudit, ut pro salubribus persuadeat nocitura, removete, quæsumus, a vestra pietatis conscientia periculum religionis et fidei, quodque in sæcularibus negotiis legum vestrarum æquitate conceditur, in rerum divinarum pertractatione præstate: ut Christi Evangelio vim non inferat humana præsumptio. Ecce ego, Christianissime et venerabilis imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reverentiam clementiæ vestræ [c] sinceri amoris officium, cupiensque vos placere 815 per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal [d] Christi Domini rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cum ipsa vestri sit custos et [e] auctor imperii, et coram sanctis angelis Christi, ut omnia in eo statu esse jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos gravari: quia quod necesse est nos dicere, veremur, [f] ne cujus religio dissipetur, indignatio provocetur. Pro oculis habete, et tota mentis acie reverenter aspicite beati Petri gloriam, et communes cum ipso omnium apostolorum coronas, sanctorumque martyrum palmas, quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio veræ divinitatis et veræ humanitatis in Christo.

CAP. III. — Cui sacramento quia impie nunc a paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus et lacrymis supplicant sacerdotes, ut quia et nostri fideliter reclamarunt, et eisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit, generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra sit

A ἐπισκόπου τῆς ἀσεβείας ὑπογραφὴν ἀκριβωθέντος τῆς χειρὸς ἐνέδωκαν. Ἤδεισαν γὰρ βλαβερὸν τῇ ὑγιεῖ δόξῃ ἀξίωμα εἶναι, εἰ μὴ τὰ κελευσθέντα ποιήσαιεν. Τοιοῦτον δὲ παρ' αὐτοῦ γενέσθαι τῇ [1] πρόφασιν, ἵν' ἑνὸς ἀνθρώπου ἀδίκως ἐκτρομάνου, πᾶσι πάσης τῆς ἐκκλησίας χολήσαιεν. Ὅπερ οἱ ἡμέτεροι ἀπὸ τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας ἀποσταλέντες, [2] τοσοῦτον ἀσεβὲς ἰδόντες ἐπὶ τῇ συγκαταθέσει, μηδαμῇ πατρικοῖσι δυνηθῆναι συγκαταθέσθαι· ὅστε μετὰ παῤῥησίας ἐν αὐτῇ τῇ συνόδῳ διεμαρτύραντο, εὐδαμῶς τοῦτο τὸ παρ' αὐτῶν δογματισθὲν, δύνασθαι πάμπαν δέξασθαι τὴν ἀποστολικὴν καθέδραν· ὅτι ὡς ἐληθὲς πάσης τῆς καθολικῆς πίστεως τὸ μυστήριον, ὅπερ ἀπεὶ ἀπὸ τῶν καιρῶν τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας, σχίζεται, εἰ μὴ αὐτὴ ἡ χαλεπωτάτη πρᾶξις, ἥτις πᾶσαν ἀσέβειαν [3] ὑπερβάλλει, ἐξαλειφθείη. Ἀλλ' ἐπειδὴ ἡ διαβολικὴ πανουργία, λεπτομερῶς ἀπατῶσα τοὺς ἀφελεστέρους, τῷ τρόπῳ τούτῳ τὴν ἀπαιδευσίαν ἐπὶ ὁμοιώματι τῆς εὐσεβείας ἀπατῆν ἐπεχείρησεν, ἵνα [4] ἀντὶ τῶν ὑγιαινόντων τὰ βλαβερὰ συμβουλεύσῃ ἀποκινήσατε, παρακαλοῦμεν, ἀπὸ τῆς συνειδήσεως τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας τὸν κίνδυνον τῆς θρησκείας, καὶ τῆς πίστεως· καὶ ὅπερ ἐπὶ τοῖς κοσμικοῖς πράγμασι τῇ ἰσότητι τῶν ὑμετέρων νόμων συγχωρεῖται, καὶ ἐν τοῖς θείοις δόγμασι σκοπεῖσθε παράσχητε. Ἵνα τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ βίαν μὴ [5] ἐπενέγκῃ ἡ ἀνθρωπίνη προπέτεια. Ἰδοὺ γὰρ ἐγὼ, Χριστιανὲ καὶ αἰδέσιμε βασιλεῦ, μετὰ [6] τοῦ συλλειτουργοῦ μου πληρῶν τὰ περὶ τὴν αἰδῶ τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας, καθαρῷ πόθῳ [7] ποιοῦμαι τὴν διακονίαν, ἐπιθυμῶν ὑμᾶς 816 ἐν πᾶσιν ἀρέσαι Θεῷ· πρὸς ὃν ὑπὲρ ὑμῶν αἱ ἐκκλησίαι καταβίονται, μὴ ἐπὶ τοῦ βήματος τοῦ Κυρίου αἴτιοι τῆς σιωπῆς κριθῶμεν· παρακαλοῦμεν ἐνάπιαν τῆς μιᾶς θεότητος τῆς ἀδιαιρέτου τριάδος, [8] ἵνα φύλαξ οὕτω ὑμετέρα, καὶ ἀνθέστερα τῆς βασιλείας, καὶ ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ, πάντα ἐν τῇ αὐτῇ καταστάσει εἶναι κελεύσατε, ἐν ᾗ γεγόνασι πρὸ πάσης κρίσεως, [9] ἕως ἂν ἐκ παντὸς τοῦ κόσμου μείζων ἀριθμὸς συναχθείη τῶν ἐπισκόπων· μήτε μὴν ἀλλοτρίᾳ ἁμαρτίᾳ ἀνίχεσθε ἑαυτοὺς βαρυνθῆναι· ἐπειδὴ, ὅπερ ἀναγκαῖον ἡμῖν ἐστιν εἰπεῖν, δεδοίκαμεν, μὴ ἀπ' ἐκείνου, οὗ ἡ θρησκεία βλάπτεται, ἀγανάκτησις παρακαλουθήσῃ. Πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχετε, καὶ τῇ τῆς καρδίας ὀξύτητι εὐλαβῶς [10] προσίχετε τοῦ μακαρίου Πέτρου τὴν δόξαν, καὶ τοὺς κοινοὺς στεφάνους πάντων τῶν μετ' αὐτοῦ ἀποστόλων, πάντων τε τῶν μαρτύρων τὰ νικητήρια· οἷς οὐ γέγονεν ἄλλη ἀφορμὴ τοῦ πάθους, εἰ μὴ ἡ ὁμολογία τῆς ἀληθινῆς θεότητος, καὶ τῆς ἀληθινῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ. ὯΙ τινι μυστηρίῳ ἐπειδὴ νῦν ἀσεβῶς ἀπὸ ὀλι-

[a] Vulg. Leonis ante Quesn. cum mss. collect. 21, *sævire videretur*.
[b] Edit. Concil. cum iisdem mss., *excluditur*. Post pauca quidam codices, *aboletur*.
[c] Ratisp., *sinceritatis officium*.
[d] Codd. Veron. 57, utrique Vindebon. et Ratisp. delent *Christi*.
[e] Vulg. Leonis anteriores Quesnello cum mss. collect. 24, *auctrix*; et postea, *in eo statu manere jubeatis*.
[f] Mss. Vat. Hisp., Isid. et Vat. collect. 11, *ne si hæc religio dissipetur, in vos indignatio provocetur*.
[1] In marg. edit. Rom., ἴσως, ἀπόφασιν.
[2] In marg. edit. Rom., τοσοῦτον εἶδον ἀσεβὲς καὶ τῇ καθολικῇ πίστει ἐναντίον, ὅστε μηδεμίᾳ δυνηθῆναι πρὸς τὸ συγκαταθέσθαι παρακινῆσαι προσδιασθῆναι.
[3] Ms. Ven. et in marg. edit. Rom., ὑποβάλλει.
[4] Ms. Ven. et edit. Rom. ad marg., ὑπὲρ.
[5] Ἐπενέγκῃ emendavimus cum mss. Vat. Græc. 1455 et Ottob. 29, pro eo quod erat in vulgatis ἐπενήνεται.
[6] In marg. edit. Rom., τῶν συλλειτουργῶν μου L.
[7] Ita in ms. Ven. In vulgatis errore operarum, ποισύμαι.
[8] In marg. edit. Rom., ἥτις τῷ νῦν γεγονότι ἀτιμωθεῖται, φύλαξ.
[9] Ms. Ven., ὡς ἐν παντός. In marg. itidem edit. Rom., ὡς ἄν.
[10] In marg. edit. Rom., θαύμασθε.

Digitized by Google

vel in fide dubium, vel in charitate divisum : convenientibus utique Orientalium provinciarum episcopis : quorum si qui superati minis [a] atque injuriis a veritatis tramite deviarunt, **917** salutaribus remediis in integrum revocentur ; ipsique quorum est causa durior, si consiliis melioribus [b] acquiescant, ab Ecclesiæ unitate non excidant. Quam autem post appellationem interpositam hoc necessarie postuletur, [c] canonum Nicææ habitorum decreta testantur, quæ a totius mundi sunt sacerdotibus constituta, quæque subter annexa sunt. Favete catholicis vestro more, parentumque vestrorum. Date defendendæ fidei libertatem, quam salva clementiæ vestræ reverentia, nulla vis, nullus poterit, mundanus terror auferre. Cum enim Ecclesiæ [d] causas, tum regni vestri agimus et salutis, ut provinciarum vestrarum quieto jure potiamini. Defendite contra hæreticos inconcussum Ecclesiæ statum, ut et vestrum Christi dextera defendatur imperium. Datum [e] III idus Octobris, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

A γων ἀρρόνων ἐναντιοῦται, πάντων τῶν μερῶν ἡμῶν αἱ ἐκκλησίαι πᾶσαι τῆς ὑμετέρας φιλανθρωπίας καταδέονται· διὰ τῶν ἐπισκόπων. ἐπειδὴ καὶ οἱ ἡμέτεροι πιστῶς ἀντειρήκασι καὶ αὐτὸς ἐκεῖνος Φλαυιανὸς ὁ ἐπίσκοπος λίβελλον ἐκλήτου ἐπιδέδωκε, γενικὴν σύνοδον κελεύσατε ἐν τῇ Ἰταλίᾳ συνελθεῖν. Ἤ τις πάντα τὰ προσκόμματα οὕτως ἀποκινήσει καὶ καταπραΰνει· ἵνα μὴ περαιτέρω τί ποτε ἡ περὶ τῆς πίστεως εὑρεθῇ ἀμφίβολον, ἢ ἐν τῇ ἀγάπῃ μεμερισμένον· συνερχομένων δηλαδὴ [1] τῶν κατὰ τὴν ἀνατολὴν ἐπαρχιῶν ἐπισκόπων· ἵνα ὅσοι καταπονηθέντες ἀπειλαῖς, καὶ ὕβρεσιν, ἀπὸ τῆς ὁδοῦ τῆς ἀληθείας ἐξέκλιναν. **918** εἰς σωτηρίας παραμυθίαν ὁλόκληρον ἀνακληθῶσι· καὶ αὐτοὶ δὲ ὧν ἐστιν [2] ἡ σκληροτάτη ἀπόφασις, ἐὰν γνώμαις κρείττοσιν ἐπακολουθήσωσιν, ἀπὸ τῆς ἑνότητος τῆς ἐκκλησίας μηδαμῶς ἀποστῶσιν. Ὅπως

B γὰρ μετὰ τὴν ἔκκλητον τοῦτο ἀναγκαίως αἰτοῦμεν, τῶν κατὰ Νικαίαν κανόνων αἱ ψῆφοι μαρτυροῦσιν· αἵ τινες ἀπὸ τῶν πανταχοῦ τοῦ κόσμου ἐπισκόπων καθιδρύθησαν, ὥσπερ ὑπετάξαμεν. Συνέλθετε τοῖς καθολικοῖς τῷ ὑμετέρῳ πατρῴῳ ἔθει, καὶ δότε παῤῥησίαν τῆς πίστεως εἰς ἐκδίκησιν· ἣν τινα, σωζομένης [3] τῆς αἰδοῦς τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας, οὐδεμία βία, οὐδεμία κοσμικὴ ἀπειλὴ δυνήσεται ἀποκινῆσαι. Ὅταν γὰρ τῆς ἐκκλησίας τὰ δόγματα γυμνάζωμεν, τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας, καὶ σωτηρίας φροντίζομεν. ἵνα τῶν ὑμετέρων ἐπαρχιῶν ἡσύχῳ δικαιώματι [4] ἀπολαύητε· ἐκδικήσατε κατέναντι τῶν αἱρετικῶν τὸν ἀσάλευτον τῆς ἐκκλησίας θεσμόν· ἵνα καὶ τῆς ὑμετέρας βασιλείος τῇ δεξίᾳ τοῦ Χριστοῦ ἐκδικηθείη τὸ κράτος.

EPISTOLA [f] XLV.

[g] AD PULCHERIAM AUGUSTAM.

[h] SYNOPSIS. — I. *Mittit exemplar epistolæ a se ad eam scriptæ ante synodum.* — II. *Pseudosynodi infausta gesta*

[a] Vat. collect. 11 et tres codd. collect. Chalcedon., *aut injuriis.* Mox *salubribus remediis* in tribus nostris et duobus Baluzii mss. ejusdem collect. Chalcedon.

[b] Vat. Hisp., et Isid., *acquiescent.... non excedant.* Codd. collect. 24, *non discedant.* Vat. 546 collect. 21 : *Sic consiliis melioribus acquiescant, ut ab Ecclesiæ unitate non discedant.*

[c] In hæc Leonis verba hanc notationem Quesnellus subjecit : « Canones Nicænos, quos sub finem hujus epistolæ allegat Leo noster, quosque subter annexos dicit, alios non esse quam Sardicenses merito suspicantur viri eruditi. Certum quippe est ex eorum primum ac potissimum auctoritate jus appellationum Romanis pontificibus esse assertum, eosdemque sæpe sæpius nomine Nicænorum canonum fuisse adornatos. Hoc ex Græcis concilii Chalcedonensis actis confirmatur, quæ in calce hujus epistolæ subjectum habent Sardicensem canonem 4, quem dissertationi nostræ 8 inserimus, ubi de appellatione Flaviani ex professo agimus. » Hæc ille, optime quidem, quatenus monuit Nicænorum canonum nomine hoc loco intelligi Sardicenses, quos sane in pluribus antiquissimis collectionibus Latinis canonibus Nicænis subjectos sine distinctione ulla, pro Nicænis habitos et appellatos fuisse alibi demonstrabimus. Confer admonitionem præmissam epistolæ antecedenti num. 8, ubi canonem quartum Sardicensem non huic, sed præcedenti epistolæ in mss. Græcis subnexum ostendimus. At falsum est, quod addit, ex Sardicensium canonum *auctoritate primum et potissimum jus appellationum Romanis pontificibus esse assertum;* quatenus enim hoc jus ex primatu divinæ institutionis dimanet, demonstrabimus in observationibus ad diss. 5 ipsius Quesnelli part. 1, cap. 7.

[d] Ita edit. concil. cum potioribus nostris codd. Quesnellus cum Vindebon. collect. 5, *causam.* Vindebon. Hisp. erronee, *causa statutum regni vestri.* Hic error emendatus fuit in Vat. Hisp. et Isid., *causa statum regni vestri;* quam lectionem antiquiores Leonis editiones receperunt. Mox eædem editiones, *agamus.*

[e] Quesnellus cum Vindebon. collect. 5 cum utrisque nostris Hisp., et cum Vat. Isid. aliisque codd. collect. 11 et 21, *idibus Octobris;* sed perperam. Cum enim Leo hujus epistolæ exemplar ad Pulcheriam miserit una cum epistola sequenti scripta III *idus Octobris*, hæc biduo post data dici nequit. Tres codd. collect. Chalcedon. et Quesnellus in margine : IV *idus Octobris.* Lectionem vero ante editorum confirmatam aliis codd. collect. Chalcedon., Ratisp. et Florent. S. Marci, nec non mss. collectionis 24, ac exemplo Sichardi idcirco prætulimus, quia cæteræ epistolæ hac occasione scriptæ ac missæ in Orientem, III *idus* signantur; Leo autem in negotiis quæ plures epistolas postulabant per eumdem hominem transmittendas, omnes eodem die notare consuevit. Adde quod dies III *idus* signatus in veteri exemplo epistolæ præcedentis, sumptus fuit ex his litteris, ut in admonitione probavimus; unde hæc nota chronica in hac epistola ab antiquo collectore Latino inventa dignoscitur.

[f] Al. 41. Quæ autem antea 45 erat, nunc 50. Scripta 13 Octob. an. 449.

[g] Hæc epistola in iisdem collectionibus, in quibus anterior, continetur. Græcam vero versionem habemus solum ex Cotelerio tom. I Monument. Ecclesiæ Græcæ, pag. 54, nec in ullo nostro Græco ms. reperire potuimus.

[h] In tabula collect. 5, cap. 87, hic titulus tantum præfertur *de eodem*, ac in superiori scilicet epistola. In Hisp. autem : *Contra eamdem secundam Ephesinam synodum, ut ejus errores in alia synodo retractentur.*

[1] Supplevimus τῶν ex ms. Ven., quod errore non levi excidit a vulgatis.

[2] In marg. edit. Rom., χαλεπώτερα τὰ ἐγκλήματα, ἐάν.

[3] Ms. Ven., τῆς αἰδῶ.

[4] Ms. Ven., ἀπολαύετε.

Digitized by Google

deplorat. Mittit exemplar epistolæ ad Theodosium scriptæ. Concilium in Italia petit. — III. *Legationem apostolicam apud Theodosium Pulcheriæ committit.*

919 [a] Leo episcopus, et sancta Synodus, quæ in urbe Roma convenit, Pulcheriæ Augustæ.

Cap. I. — Si epistolæ [b] quæ in fidei causa per nostros clericos directæ sunt ad vestram pietatem pervenissent, certum est remedium vos his rebus quæ contra fidem factæ sunt, aspirante vobis Domino, præstare potuisse. Quando enim sacerdotibus, quando Christianæ religioni aut [c] fidei defuistis? Sed cum ad mansuetudinem vestram adeo non potuerint pervenire qui missi sunt, ut ad nos vix annus [d] eorum Hilarus diaconus noster fugiens sit reversus, iteranda scripta credidimus. Et ut validiores preces nostræ esse mereantur, ipsorum scriptorum quæ ad clementiam vestram non pervenerunt, [e] exempla subjecimus; amplioribus vos obtestationibus obsecrantes, ut **921** quanto acerbiora facta sunt quibus [f] pro fide regia vos convenit contraire, tanto majore gloria curam ejus in qua excellitis religionis habeatis; ne catholicæ fidei integritas ulla humanarum concertationum occasione violetur. Quæ enim, congregata apud Ephesum synodo, [g] sopienda et sananda pacis remedio credebantur, hæc non solum in majora pacis dispendia, sed, quod nimis dolendum est, etiam in ipsius fidei qua Christiani sumus excidia processerunt.

Cap. II. — Et hi quidem qui missi sunt, [h] quorumque unus vim Alexandrini episcopi sibi omnia vindicantis effugiens, rerum gestarum nobis ordinem fideliter nuntiavit, reclamarunt in synodo, sicut oportuit, unius hominis non tam judicio quam furori; protestantes ea quæ per vim metumque gererentur, [i] sacramentis Ecclesiæ et ipsi Symbolo ab apostolis

920 Τῇ ἐνδοξοτάτῃ καὶ φιλανθρωποτάτῃ θυγατρὶ Πουλχερίᾳ ἀεὶ Αὐγούστῃ, Λέων ἐπίσκοπος καὶ ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Ῥώμῃ συναχθεῖσα.

Εἰ ἐπιστολαὶ αἱ περὶ τῆς πίστεως πρὸς τὴν ὑμετέραν εὐσέβειαν διὰ τῶν κληρικῶν ἀποσταλεῖσαι, ἦσαν ἀποδοθεῖσαι, δῆλον ἦν βοήθειαν καὶ θεραπείαν ὑμᾶς τούτοις τοῖς πράγμασι τοῖς κατὰ τῆς πίστεως γινομένοις, συμπνέοντος ὑμῖν τοῦ Θεοῦ δύνασθαι παρασχεῖν. Πότε γὰρ τοῖς ἱερεῦσι, ἢ πότε τοῖς [Forte τῆς] τῶν Χριστιανῶν θρησκείας ἢ τῆς πίστεως κατόπιν γένεσθε; ἀλλ' ἐπείπερ πρὸς τὴν ὑμετέραν φιλανθρωπίαν οὐκ ἠδυνήθησαν παραγενέσθαι οἱ ἀποσταλέντες, ὡς μόλις πρὸς ἡμᾶς ἕνα τούτων διάκονον ὀνόματι Ἱλάριον φεύγοντα ὑποστρέψαι, ἐπαναλαμβάνειν ἐπιστεύσαμεν τὰ γράμματα. Καὶ ὥστε τὰς ἡμετέρας δεήσεις τυγχάνειν ἰσχυρὰς, αὐτῶν τῶν γεγραμμένων πρὸς τὴν ὑμετέραν φιλανθρωπίαν ὑπετάξαμεν τάδε τῇ ἀντιγραφῇ [Forte τῇδε τὰ ἀντίγραφα], μείζοσιν ὑμᾶς διαμαρτυρίαις παρακαλοῦντες, ἵν' ὅσῳ χαλεπώτερα γέγονεν, οἷς ὑπὲρ τῆς Ῥωμαϊκῆς πίστεως **922** προσῆκόν ἐστι ἀντιμαχήσασθαι, τοσοῦτον μείζονι δόξῃ καθυπερέχετε, φροντίσητε τῆς θρησκείας [*F. leg.* μείζονι δόξῃ φροντίσ. τῆς θρησκείας ἢ κατυπερ.], πρὸς τὸ τῆς καθολικῆς πίστεως ἀκέραιον μὴ ἀπό τινος ἀφορμῆς καὶ φιλονεικίας ἀνθρωπίνης παρατιτρώσκεσθαι. Ἡ γὰρ ἐν Ἐφέσῳ συνελθοῦσα σύνοδος, πιστευομένη τῇ τῆς εἰρήνης θεραπείᾳ καταπραῦνεσθαι, οὐ μόνον ταύτην [Forte αὐτὴ] εἰς μείζονα τῆς εἰρήνην, ζημίαι. ἀλλ' ὅπερ ἐστὶ λύπης καὶ ἀγανακτήσεως ἄξιον, καὶ αὐτῆς τῆς πίστεως πρὸς ὄλεθρον καὶ ἀνατροπὴν τοῖς Χριστιανοῖς προεχώρησε. Καὶ οὗτοι μὲν οἱ ἀποσταλέντες, ὧν εἷς τὴν βίαν τοῦ ἐπισκόπου Ἀλεξανδρέων ἑαυτῷ πάντα ἐνδικοῦντος ἐκφυγών, τῶν πεπραγμένων πραγμάτων ἡμῖν τὴν τάξιν μετὰ πίστεως ἀπήγγειλεν, ἀντέστησαν ἐν τῇ συν-

[a] Mss. collect. Chalcedon. : *Gloriosissimæ et clementissimæ filiæ Pulcheriæ Augustæ Leo episcopus et sanctum concilium Romæ collectum.* Cod. Florent. collect. 13: *Leo urbis Romæ episcopus, et omnes fratres pro divina religione inibi congregati Pulcheriæ Augustæ.*

[b] Hanc vulgatam lectionem approbant non solum mss collect. 21, verum etiam Vindebon. collect. et Vat. Hisp. ac Isid. Cæteri nostri codices solo verborum ordine aliquantulum mutato habent : *Quæ in fidei causa ad pietatem vestram directæ sunt, per nostros clericos pervenissent.* Intelligitur autem epistola 30, quam legati, ob angustiam temporis ad Ephesinum concilium divertere coacti, Constantinopolim perferre aut per alios transmittere non potuerunt. Confer inferius annot. [e].

[c] Male ex Græco, *a fide retrocessistis.*

[d] Sic meliores codices. Al., *illorum Hilarus diaconus noster effugiens.*

[e] Editiones Leonis cum mss. Vindebon. collect. 5 et alio collect. Hisp., *exemplar.* Prætulimus nihilominus lectionem edit. Conciliorum, quam cæteri nostri codices, præsertim Ratisp. et collect. Chalcedon. præferunt, nec non exemplaria Merlini ac Sichardi. Licet vero S. Leo unam tantum epistolam 30 hoc loco indicet, quam solam ad Pulcheriam misisse in admonitione eidem præmissa ostendimus, tamen sicut unicam epistolam plurali numero *epistolas* appellare nonnumquam consuevit, ut aliquot exemplis animadvertimus annot. 3 (*Col.* 664 [i]) in epist. 13, ita et hic initio capitis plurali numero *epistolæ*, nunc autem *ipsorum scriptorum exempla*, unam eamdemque epistolam vocare potuit. Similiter epist. 61, cap. 2, *exemplaria eorumdem* scriptorum S. Leo vocavit exemplum unius epistolæ 51, ut ostendemus annot. 11 (*Col.* 875 [c]) in eamdem epist. 61.

[f] Sic omnes codices, exceptis illis collect. 24 ex quibus ante Quesnellum editum fuit, *pro sede regia.* Ex Græca autem versione quam Cotelerius vulgavit, legendum esset, *pro fide Romana.* Quesnellus in notis id contra Leonis mentem affirmat, quippe qui hortatur Pulcheriam ut *pro fide*, hoc est, *secundum eam fidem qua pollet*, seu *illius fidei vigore* novellis erroribus resistat. Econtra Baluzius auctoritate antiquæ versionis Græcæ, originale Latinum habuisse *pro fide Romana* suspicatur; lectionem vero Latinorum exemplarium ex eo profectam conjicit, quod fortassis in primo autographo, ex quo reliqua exempla manarunt, scriptum fuerit *pro fide* ῆ, uti eodem Baluzio observante nonnulli codices præferunt in epist. 29, quam sigiam ῆ cum librarii forte non intelligerent, *regia* posuerunt pro *Romana.* Græcus quidem interpres præ oculis habuit exemplum, in quo vel *Romana* vel sigla ῆ legebatur, quam pro *Romana* reddidit; alias vocem *regia* aliter interpretatus fuisset.

[g] Cod. Veron. collect. Chalced., *sopiendæ et sanandæ pacis remedia.*

[h] Vindebon. Hisp., *quorumque idem unus.* Vat. Hisp. et Isid, *quorum quidem unus.* Mox pro *vim* Quesn. in marg. : Al., *insidias.*

[i] Ex Græco, *juribus.*

Digitized by Google

nstituto præjudicare non posse, nec se ab ea fide ulla injuria separandos, quam plenissime expositam atque digestam a sede beati apostoli Petri ad sanctam synodum detulissent. [a] Cujus cum recitatio, poscentibus episcopis, non sit admissa, ut scilicet remota ea fide quæ patriarchas, prophetas, apostolos et martyres coronavit, generatio Jesu Christi Domini nostri secundum carnem, et veræ mortis [b] ac resurrectionis ejus **923** confessio, quod horremus dicere, solveretur [c]; scripsimus de hac re, ut potuimus, ad gloriosissimum principem, et quod maximum est, Christianum, cujus epistolæ pariter [d] exemplar subjecimus, ut fidem in qua renatus per Dei gratiam regnat, nulla [e] sineret novitate corrumpi: quoniam Flavianus episcopus in nostra omnium communione persistit, atque hoc, quod factum est sine consideratione justitiæ, et contra omnem canonum disciplinam, ratum haberi ratio nulla permittit; et quia dissensionis scandalum [f] non abstulisset Ephesina synodus, sed auxisset, habeondo intra Italiam concilio et locus constitueretur, et tempus, omnibus querelis et præjudiciis partis utriusque suspensis; quo diligentius universa quæ offensionem [g] generaverunt retractentur, et absque vulnere fidei, absque religionis injuria, in pacem Christi redeant, qui [h] per impotentiam subscribere cœcti sunt sacerdotes, et soli auferantur errores.

CAP. III. — Quod ut obtinere mereamur, probatissimæ nobis fidei [i] pietas tua, quæ labores Ecclesiæ semper adjuvit, supplicationem nostram apud clementissimum principem, sibi specialiter a beatissimo Petro apostolo legatione commissa, dignetur asserere: ut priusquam civile hoc et exitiale bellum intra Ecclesiam convalescat, [j] redintegrandæ unitatis copiam, Deo auxiliante, concedat; **925** sciens imperii sui viribus profuturum, quidquid catholicæ libertati benigna ipsius fuerit dispositione collatum. Data 22 [k] in idus Octobris, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

A ὁδῷ καὶ ὡς ἔχρην, ἐνὸς ἀκριβῶσαι, οὐ τῇ πρίσει μᾶλλον, ἀλλὰ τῇ μανίᾳ, διαμαρτυρούμενοι ἅπερ κατὰ βίαν καὶ φόβον ἐπράττετο, τοῖς τῆς ἐκκλησίας δικαίοις, καὶ αὐτῷ τῷ συμβόλῳ τῷ (ἀπὸ) τῶν ἀποστόλων εἰσηγηθέντι, πρόκριμα φέρειν οὐ μὴ δύνωσθαι· καὶ οὔτε ἐκείνους ἀπὸ ταύτης τῆς πίστεως, ἣν πλήρη ἐπεδείξαντο καὶ διετυπώθησαν, ἐν τοῦ θρόνου τοῦ μακαριωτάτου ἀποστόλου Πέτρου τῇ τῶν ἁγίων συνόδῳ (θεσμοῖς) εἰρηνεύοντας ἀφίστασθαι κατὰ δόσιν τινός. Ὅτι πάντως ἡ ἀνάγκαιος, παρακαλούντων τῶν ἐπισκόπων, οὐ προσεδέχθη· ὥστε τῆς αὐτῆς ἀποκυηθείσης πίστεως, ἥτις τοὺς πατριάρχας (καὶ προφήτας) καὶ ἀποστόλους καὶ μάρτυρας στεφάνωσε, τὴν γέννησιν τοῦ δεσπότου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ σάρκα, καὶ τὸν αὐτοῦ θάνατον, καὶ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ τὴν ὁμολογίαν, ὅπερ **924** φρικῶδες ἐστι καὶ λέγειν, θεολυθῆναι B ἐπιφανεστάτη καὶ φιλανθρωποτάτῃ βασιλείᾳ θυγάτηρ Ἀνγούστα, ἐγράψαμεν περὶ τούτου τοῦ πράγματος, ὡς ἠδυνήθημεν πρὸς τὸν ἐνδοξότατον βασιλέα, υἱὸ, ὅπερ ἐστὶ (μέγιστον), Πρεστανίου· ἧς ἐπιστολὴς τὸ ἀντίτυπον ὑποτάξαμεν· ὡς τὴν πίστιν, δι' ἧς ἀναγεννηθεὶς θεὰ τῆς τοῦ θεοῦ χάριτος βασιλεύει, μηδαμῶς συγχωρῆσαι καινοτομῆ τινι διαφθεῖραι· ἐπείπερ Φλαβιανὸς ὁ ἐπίσκοπος ἐν τῇ ἡμετέρᾳ πάντων κοινωνίᾳ μεμένηκε· καὶ τοῦτο ὅπερ γέγονεν ἄνευ δικαίου καὶ παρὰ τὴν ἐπιστήμην πάντων τῶν κανόνων, μηδενὶ βεβαίου τίνα λόγου ἐπιτρεπῆ· καὶ ἐν εἴδει, τῆς διχονοίας τὸ σκάνδαλον οὐκ ἀφείλατο ἡ τῆς Ἐφέσου σύνοδος, ἀλλὰ μᾶλλον αὔξησε· συνόδου γενομένης ἐν Ἰταλίᾳ καὶ ὁ τόπος καὶ ὁ χρόνος ὁρισθήσεται, πάντων τῶν μέμψεων καὶ τῶν προκριμάτων ἑκατέρου μέρους ἀναρτηθέντων, ἵνα ἐπιμελέστερον πάντα ποιήσαντα τὴν πρόσκρουσιν ἀνεφληλαφηθεῖσι, καὶ χωρὶς τοῦ τραύματος (τῆς πίστεως) καὶ βλάβης τῆς θρησκείας τῇ εἰρήνῃ τοῦ θεοῦ ἐκκλησίᾳ, εἰ θεὰ τὴν θυναστείαν ὑπογράψαι κατεναγκασθέντες ἱερεῖς, καὶ ἡ πλάνη μόνον ἀφαιρεθείη. Ὅπερ ἵνα κρατήσειε, τῆς δεδοκιμασμένης ἡμῖν πίστεως ἡ εὐσέβεια (σὴ), ἡ τοῖς καιρίοις ἀεὶ τῆς Ἐκκλησίας συνελθοῦσα, τὴν ὑμετέραν ἱκετείαν, τῷ φιλανθρωποτάτῳ βασιλεῖ, ἰδικῶς ὡς ἀπὸ τοῦ μακαριωτάτου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου τῆς πρεσβείας ἐπιτραπείσης, καταξιωσάτω διασαφῆσαι· ὥστε πρὶν τὸν πολεμικὸν τοῦτον καὶ ὀλέθριον πόλεμον εἰς τὴν ἐκκλησίαν κρατῆσαι, τοῦ ἀνανεῶσαι τὴν ἀφθονίαν τῆς ἑνότητος, τοῦ Θεοῦ βοηθοῦντος συγχωρῆσε· γνώσεων δυνάμει **926** τῇ σαυτοῦ βασιλείας συνοίσειν, τὸ τῇ καθολικῇ ἐλευθερίᾳ διὰ τῆς σὴς φιλανθρώπου διατυπώσεως συνεισφερόμενον.

[a] Vat. Hisp. et Isid., *Cumque recitatio*; pro quo Ratisp. et Vindebon. collect. 5, *cujusque recitatio*. Quidam alii codices, *cujus recitatio*.

[b] Ex Græco, *ex regenerationis*; ubi Græcus interpres respicit vocem superioris lineæ γένεσιν Latine *generatio*. Ita Quesnellus in margine secundæ editionis.

[c] Græca versio addit, *splendidissima et clementissima domina filia Augusta*.

[d] Plures et potiores codices cum Sichardo, et editionibus Conciliorum, *exempla*. Codd. duo collect. Chalcedon., *exempla subjiciemus*. Alii duo, *et exempla subjecimus*. Indicatur autem exemplum epist. 44. Confer præcedentem annot. 7 (*Col.* 833, [e]).

[e] Ita omnes nostri codd. et editi ante Quesn., apud quem, *sinat*.

[f] Cod. Veron. *non abstulit Ephesina synodus, sed auxit*.

[g] Codd. Ratisp., Vindebon., Hisp. aliique nonnulli cum editis ante Quesn., *generaverant*. Mox, *absque religionis infamia* in Vat. Hisp. et Isid.

[h] Quesn. in margine: « Ms. Cantabrig., *per potentiam*, cui Græca versio respondet. » Sed *impotentia* pro immoderata potentia apud optimos notæ scriptores adhiberi solet.

[i] Mss. Vat. Hisp. et Isid. addunt *veritatem*. Mox Ratisp., *quæque labores*. Editi ante Quesn. cum Græca versione, et mss. collect. 24, *adjuvat* pro *adjuvit*, male.

[j] Ratisp., *redintegrationi unitatis*. Mox in editi ante Quesn., *capiam et modum, Deo auxiliante*.

[k] Ita tres codd. Quesnelli, omnes Balearii, et nostri, exceptis illis collect. 24 ac exemplo Sichardi, qui cum editionibus Quesnelliana anteriores habent, *Pridie idus Octobris*, perperam ex annot. 20 (*Col.* 832, [a]) in epist. 44.

Digitized by Google

EPISTOLA [a] XLVI.

[b] HILARI ROMANÆ ECCLESIÆ TUNC DIACONI, POSTEA EPISCOPI, AD PULCHERIAM AUGUSTAM.

Synopsis. — I. *Sibi per Dioscori improbos anuus non licuisse eam adire, et litteras sancti Leonis reddere.* — II. *Se Dioscori ereptum insidiis Romam venisse : Ephesinam pseudosynodum a Leone reprobari.*

Gloriosissimæ [c] et plissimæ PULCHERIÆ Augustæ HILARUS Diaconus.

Τῇ φιλανθρωποτάτῃ καὶ εὐσεβεστάτῃ Πουλχερίᾳ Αὐγούστᾳ Ἱλαρίων διάκονος.

CAP. I. — Studium mihi fuisse, post synodum advenire Constantinopolim, dicere non debeo : quoniam manifesta necessitas erat, quæ me litteras beatissimi papæ ad vestram clementiam directas offerre compelleret, ut pariter et vestræ pietati ac invictissimo et Christianissimo principi officium quod debebam venerationis exsolverem. Sed huic congruo meo proposito illud impedimentum evenit, quod omnium bonorum inimicum est, et Christianorum ingemiscit affectus, hoc est, Alexandrinus episcopus, in damnatione virorum inculpabilium potentissimus. Nam posteaquam injustæ ejus **928** voluntati atque sententiæ communicare non potui, ad aliud [d] concilium terroribus atque insidiis me evocare conatus est : quatenus me, quod absit, aut seductionibus, faceret consentire ad condemnandum sanctissimum Flavianum episcopum, aut resistentem teneret, ut mihi non esset licentia ad pietatem vestram Constantinopolim percurrere, aut ad Romanam Ecclesiam remeare.

CAP. II. — Verumtamen confidens [e] de auxilio Christi nostri Dei, a damnatione reverendissimi et sanctissimi viri innocentem me integrumque servavi; licet nulla flagella, nulla tormenta me possent facere ejus consentire sententiæ; sed omnibus derelictis exinde discessi, per incognita et invia loca Romam veniens [f] et reverendissimo papæ, omnium quæ in Epheso gesta sunt idoneus nuntiator existens. Vestra itaque veneranda clementia cognoscat a præfato papa cum omni occidentali concilio [g] reprobata omnia, quæ in Epheso contra canones per tu-

Σπουδὴν μοι γεγενῆσθαι, μετὰ τὴν σύνοδον παραγενέσθαι κατὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν, λέγειν οὐκ ὀφείλω, ἐπειδήπερ φανερὰ ἦν ἀνάγκη, ἥτις τὰ γράμματα τοῦ μακαριωτάτου Πάπα πρὸς τὴν ὑμετέραν φιλανθρωπίαν ἀποσταλέντα δοῦναί με τῷ διακομίζοντι ἠνάγκαζεν, ἵν' ἅμα καὶ τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας καὶ τοῦ ἀηττήτου Χριστιανικωτάτου βασιλέως τὸ καθῆκον ὅπερ ὤφειλον τὸ κατὰ τὴν θρησκείαν ἐναργῶς ἀποτίσαι. Ἀλλὰ τῇ προθέσει τῇ ἐμῇ τῇ οὕτως ἱερᾷ προσέμπροσθεν ἐγένετο ἐκεῖνο, τὸ πάντων τῶν ἀγαθῶν ἐχθρὸν, (καὶ ὃ Χριστιανῶν) ἡ διάθεσις ἀποδύρεται, ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, ὁ ἐπὶ τῇ καταδίκῃ τῶν ἀνενδύνων δυνατός· μετὰ γὰρ τὸ μὲ τῇ ἀδίκῳ αὐτοῦ **927** γνώμῃ καὶ ἀποφάσει κοινωνεῖν μὴ δύνασθαι, συναλλαγεῖν εἰς ἄλλην σύνοδον, ἀπειλαῖς καὶ ἐπιβουλαῖς προσκαλούμενος· πρὸς τό μὲ, ὅπερ ἀπέστω, ἢ ἐξ ἀπάτης [Forte ἐξαπάτης] συναινέσαι εἰς τὸ καταδικάσαι τὸν ἁγιώτατον Φλαβιανὸν τὸν ἐπίσκοπον, ἢ ἀνθιστάμενον κατέχειν, ἵνα μοι μὴ γένοιτο μήτε τοῦ ἐκδραμεῖν πρὸς τὴν εὐσέβειαν τὴν ὑμετέραν καὶ τὴν Κωνσταντινούπολιν, ἢ ἀναδραμεῖν εἰς τὴν Ῥώμης ἐκκλησίαν παρασχεθείη ἄδεια. Ὅμως τεθάρρηκα, βουθοῦντος τοῦ Χριστοῦ τοῦ ἡμετέρου θεοῦ, ἀπὸ τῆς καταδίκης τοῦ εὐλαβεστάτου καὶ ὁσίου ἀνδρὸς, ἀθῶον (με) καὶ ἀκήραιον φυλάξαι· εἰ καὶ ὅτι οὐδὲ μία μάστιξ, οὐδὲ βάσανος ἠδύνατό με τῇ ἀδίκῳ αὐτῶν ἀποφάσει ποιεῖν συναινέσαι· ἀλλὰ πάντων καταλειφθέντων, ἐκεῖθεν ἀνεχώρουν, διὰ ἀγνώστων καὶ ἀνοδεύτων τόπων εἰς τὴν Ῥώμην ἀπῆλθον· τῷ εὐλαβεστάτῳ Πάπᾳ πάντων τῶν ἐν Ἐφέσῳ πεπραγμένων ἱκανῶς μεμήνυται [Forte ἱκανὸς μεμυνται]. Ὅν ἡ ὑμετέρα προσκυνητὴ φιλανθρωπία μανθανέτω, μετὰ πάσης τῆς δυτικῆς (συνόδου) ἀποδοκιμάσει πάντα τὰ ἐν Ἐφέσῳ κατὰ τῶν κανό-

[a] Ante post epist. 47. Quæ autem erat 46, nunc 59. Eodem tempore quo epist. antecedens.

[b] Exstat in Latinis codd. collect. Chalcedon. ex quibus traducta fuit in mss. collect. 22. In plerisque autem codicibus Græcis ejusdem collect. Chalcedon. desideratur; at a Cotelerio inventa fuit in duobus mss. Regiis, ex quibus eam edidit tom. I Monument. Ecclesiæ, pag. 60. Originale Latinum hujus epistolæ intercidisse credimus. Latinus enim textus qui superest vetus interpretatio potius ex Græco, quam originalis videtur; unde chronica notatio non minus in Græco quam in Latino textu deest, quam Latinus collector semper supplevit, quoties originale Latinum nactus fuit. Hinc Græco textui, qui originalis vicem gerit, primum locum, Latino autem secundum vindicavimus. Porro epistolæ præcedenti istam subjicimus, non solum quia hoc ordine describitur in collect. Chalcedon. cap. 17, sed multo magis quia Hilarus, qui in epistolis 44 et 45 Romam reversus traditur, in fine hujus epistolæ scribens : *Quæ vero constanti ac forti auctoritate pro fide a me nuntiata sunt .... ex litteris beatissimi papæ poteritis agnoscere;* præcedentes utique Leonis litteras indicat, quibuscum hanc quoque epistolam missam fuisse cognoscimus.

[c] Sic omnes codices, et edit. Concil. Solus Quesnellus *et clementissimæ*. Græcus textus pro *gloriosissimæ* habet φιλανθρωποτάτῃ *clementissimæ*, seu *humanissimæ*; at hic εὐσεβεστάτῃ, *piissimæ*.

[d] Quesnellus, *consilium*, ut contextus flagitare videtur. In orginali quidem ita scriptum fuisse nihil dubitamus. At sicut Græcus interpres reddens σύνοδον, legit *concilium*, ita *concilium* Latinus interpres reddere debuit; et *concilium* quidem in codd. Latinis scribitur non minus quam in editis Conciliorum, unde hæc lectio mutanda non fuit.

[e] Quesnellus cum editis Conciliorum, *de auxilio Christi, quod attinet ad damnationem reverendissimi*, etc. Secuti sumus lectionem exemplarium collectionis Chalcedonensis et Veneti 79 collect. 22, quam quidem lectionem esse anteponendam confirmat etiam Græcus textus. Solum duo nostri codd. Vat. 4166 et Venetus laudatus omittunt *Christi nostri*.

[f] Ita omnes quinque nostri codices. Solum Veron. 57. pro *nuntiator* habet *relator*. Vulgati, *ut reverendissimo papæ ..... idoneus nuntiator existerem.*

[g] Sic iidem omnes nostri codices melius quam editi, *reprobari*. Concinit enim Græcus textus, qui præteritum tempus præfert; ex quo hic locus reddendus esset : *Quem* (papam) *vestra veneranda clementia sciat cum omni Occidentali synodo reprobasse omnia, quæ*, etc.

Digitized by Google

multus et odia sæcularia a Dioscoro episcopo gesta sunt, et nulla ratione hæc in his partibus suscipi posse, quæ per potentiam prædicti, non sine læsione fidei, et præjudicio sanctissimi viri innoxiique, commissa sunt. Quæ vero constanti ac forti auctoritate pro fide a me nuntiata sunt superfluum credo narrare : nam hæc ex litteris beatissimi papæ poteritis agnoscere. Unde, [a] domina splendidissima, **930** atque clementissima Augusta, adoranda vestra pietas in quibus libenter fecit initium, relinquere non debet, sed hæc zelo religioso fidei constanti voluntate [b] servare.

νων διὰ θορύβου καὶ μίσους βιωτικοῦ ἀπὸ Διοσκόρου τοῦ ἐπισκόπου γενόμενα, καὶ μηδενὶ λόγῳ ταῦτα ὑποδεχθῆναι δύνασθαι ἀπὸ τῶν μερῶν τούτων, ἅπερ κατὰ δυναστείαν τοῦ προειρημένου, οὐκ ἀνευ βλάβης τῆς πίστεως, εἰς πρόκριμα τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς καὶ ἀθώου ἐπλημμέλησε [Forte ἐπλημμελήθη]. Καὶ ἅπερ τῇ σταθηρᾷ καὶ ἰσχυρᾷ αὐθεντίᾳ ὑπὲρ τῆς πίστεως σχεδὸν ἀπ' ἐμοῦ μεμήνυται, περιττὸν ἡγοῦμαι λέγειν· καὶ γὰρ ἀπὸ τῶν γραμμάτων τοῦ εὐλαβεστάτου Πάπα μαθήσεσθε. Ὅθεν δέσποινα **929** ἐπιφανεστάτη καὶ φιλανθρωποτάτη Αὐγούστα, ἡ προσκυνητή σου εὐσέβεια, ἥ τις καὶ τὴν ἀρχὴν λαβόντα καταλιμπάνειν οὐκ ὀφείλει, τοῦ εὐλαβοῦς τῆς ἀκεραίου πίστεως ζήλῳ, μονίμῳ διανοίᾳ συνταξάτω.

EPISTOLA [c] XLVII.

[d] AD ANASTASIUM EPISCOPUM THESSALONICENSEM.

SYNOPSIS. — I. *Quod pseudosynodo non interfuerit gratulatur.* — II. *Monet ut fidem servet, Flaviano adhæreat, fratres confirmet.*

LEO episcopus urbis Romæ dilectissimo fratri ANASTASIO episcopo Thessalonicensi.

CAP. I. — Quantum relatione Hilari diaconi nostri cognovimus, magnum facinus Alexandrino episcopo auctore vel exsecutore commissum est ut dum in fratrem nostrum Flavianum veteres æmulationes et odia privata desæviunt, nec innocentiæ probatissimi sacerdotis, nec Christianæ fidei parceretur. Unde multum dilectioni tuæ congratulamur quod te ad illam synodum ire cupientem opportunis obstaculis manus divina detinuit : ne abstenturus proculdubio a tanto scelere, indignis injuriis subjaceres, et furori impio militibus, quantum didicimus, armisque suffulto contraire non posses. Quia ergo prorupit [e] in apertum perfidia quæ latebat, et in nefandissimum hæresim unius imperitissimi senis asseclæ transierunt, tempus probationis nostræ debemus agnoscere, et contra impetus adversantium munitionibus cœlestibus freti, incommutabilis animi constantiam præparare. Scimus, frater charissime, quia sacramento magnæ pietatis suæ aderit divina protectio.

CAP. II. — Si quid igitur fraternitati tuæ de impiis constitutionibus fuerit ingestum, protestamur pariter ac monemus ne vel [f] in damnationem fratris insontis, vel in receptionem nefarii dogmatis consensum tui cordis immisceas. Major est enim qui in nobis est quam qui adversus nos (I *Joan.* IV, 4). Annitere potius, quantum te ipse naturæ nostræ susceptor et glorificator adjuverit, ut omnium fratrum nostrorum corda confirmes. Nobis enim ab Evangelio generationis, et mortis ac resurrectionis Domini [g] nostri Jesu Christi nullatenus recedentibus definitissimum est, in nostræ communionis numero non futuros eos qui conantur antiqua catholicæ fidei fundamenta convellere. Data tertio idus Octobris, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [h] XLVIII.

[i] AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM.

SYNOPSIS. — *Post Ephesinam cladem consolatur, hortaturque ut fidem teneat.*

LEO JULIANO fratri et coepiscopo salutem.

Cognitis quæ apud Ephesum unius hominis præsumptione sunt gesta, magno quidem dolore affecti sumus de his quæ impie furioseque commissa sunt; sed ad Dominum [j] nostrum animos dirigentes, multam fiduciam ab ipsa quam sequimur veritate concipimus, non omittentes omnia agere quæ auxiliante Dei gratia credimus profutura. Tenendum ergo nobis est quod tenemus, et sæviente [k] unius turbinis procella, serenissimæ fidei est amplectenda tranquillitas; donec radios suos veritas per universa diffundat, et caliginem infidelitatis consumat. Quæ autem [l] disposita sint, per latoris sermonem agnosces. Data tertio idus Octobris, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

[a] Hæc formula Græcorum propria ex Græco dimanat, unde in antecedentis epistolæ Græca versione legitur, in Latino originali non legitur. Vide in eamdem epistolam annot. 14 (*Col.* 835, [c]).

[b] Veron., *servate.*

[c] Al. 43. Quæ autem antea 47 erat, nunc 51. Scripta 13 Octob. an. 449.

[d] Edita fuit ex mss. collect. 12, in quibus solus ipsam invenimus,

[e] Duo codd. laudatæ collect. 12, Vat. 1340, et Venetus S. Marci 169, omittunt *in apertum.*

[f] Ita ex iisdem codicibus melius quam in vulgatis, in quibus ex Merlino habebatur quidem *in damnationem*, sed postea *in receptione.* Apud Quesnellum vero *in damnatione*, et *in receptione.*

[g] Addidimus *nostri* ex cod. Grim., cujus exactum apographum adhibuit P. Cacciarius in Romana editione.

[h] Al. 44. Quæ autem antea 48 erat, nunc 60. Scripta 13 Octob. an. 449.

[i] Hanc quoque epistolam in mss. solius collect. 12 reperimus.

[j] Sic ex nostris codd. et editis ante Quesn. apud quem *nostros.*

[k] Ita iidem codices et editiones Quesnello anteriores. Is autem, *unius turbidæ nubis procella.*

[l] Magis placuit hæc lectio, quam præfert cod. Venetus 109, ac prima Quesnelli editio. Al., *disposita sunt.*

Digitized by Google

931 EPISTOLA [a] XLIX.

[b] AD FLAVIANUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

SYNOPSIS. — *Flavianum, in quem Dioscorus immaniter sævierat, consolatur, eique opem promittit.*

LEO FLAVIANO episcopo Constantinopolitano.

Quæ et quanta dilectio tua pro catholicæ fidei defensione patiatur, per Diaconem, qui ab Epheso furtim est elapsus, agnovimus. Et licet magnificemus **932** Deum, qui te gratiæ suæ virtute confortat, necesse est tamen nos dolere eorum ruinas, per quos veritas impugnatur, et ipsa totius Ecclesiæ fundamenta quatiuntur. Quia vero providentia Dei semper suis necessarium præstat auxilium, scire debet fraternitas tua, nos pro communi causa nihil eorum, quæ agenda sunt, prætermittere: ut primitus ad ea, quæ universitati fidelium prosint, pervenire mereamur. [c] Superest ut fortiter interim dilectio tua toleret, quæ sibi ad æternam gloriam non dubitat profutura. Perlator sane brevis hujus epistolæ fideli sermone poterit enarrare, quidquid illud est, ad quod, adjuvante Domino, studio fidei et charitatis intendimus. Data [d] III idus Octobris, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [e] L.

[f] AD CONSTANTINOPOLITANOS, PER EPIPHANIUM ET DIONYSIUM ROMANÆ ECCLESIÆ NOTARIUM.

SYNOPSIS. — I. *Post pseudosynodum Ephesinam hortatur Constantinopolitanos ut fidei et Flaviano adhæreant.* — II. *Consolatur de Flaviani injusta depositione.*

LEO episcopus et sancta SYNODUS quæ in urbe Roma convenit, clero, honoratis, et plebi consistenti Constantinopoli, [g] dilectissimis filiis in Domino salutem.

CAP. I. — In notitiam nostram, quæ Ephesi contra opinionem omnium sunt acta, perlatis, magno animum nostrum fatemur mœrore confusum: nec tantum licuisse iniquitati, **933** facile potuissemus credere, nisi [h] filius noster Hilarus diaconus, qui a nobis vice nostra cum aliis ut interesset synodo missus fuerat, fugiens revertisset, declinans, ne injustæ particeps esset sententiæ. Quippe cum vox illic a nostris contradictionis emissa sit, quam Alexandrinus antistes, qui totum solus [i] impotentiæ suæ vindicavit, audire contempsit, in consortium suæ voluntatis invitos [j] pertrahens sacerdotes, ut per vim coacti subscriberent, qui nullam damnationis causam idoneam reperissent. Sed hos ausus pio et [k] Christiano principi confidimus minime placituros. [l] Nunc quia Ecclesiam vestram hac ratione cognovimus dissipatam, consolandos adhortandosque vos esse [m] credidimus nostris epistolis, ut pro catholicæ fidei defensione perfidorum nequitiæ resistatis. No-

Λέων ἐπίσκοπος, καὶ ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν τῇ πόλει Ῥωμαίων συναχθεῖσα, κλήρῳ. ἀξιωματικοῖς, καὶ παντὶ τῷ λάῳ, τοῖς οἰκοῦσιν ἐν Κωνσταντινουπόλει, ἀγαπητοῖς υἱοῖς, ἐν Κυρίῳ χαίρειν.

Εἰς γνῶσιν ἡμῖν ἐλθόντων ἅπερ ἐν τῇ Ἐφέσῳ παρὰ τὴν προσδοκίαν πάντων πέπρακται, μεγάλῃ λύπῃ τὴν ψυχὴν ἡμῶν ὁμολογοῦμεν συγχυθῆναι, οὐδὲ τοσοῦτον ἐξεῖναι τῇ ἀνομίᾳ εὐχερῶς **934** ἠδυνήθημεν πιστεῦσαι, εἰ μὴ ὁ υἱὸς ἡμῶν Ἱλαρίων ὁ διάκονος, ὃς τις εἰς τόπον τὸν ἡμέτερον μετ' ἄλλων ἵνα παραγένηται ἐν τῇ συνόδῳ ἀποσταλείς, φεύγων ὑπέστρεψεν, ἐκκλίνων τῆς ἀδικίας κοινωνὸς γενέσθαι. Εἰ καὶ τὰ μάλιστα φωνὴ ἀντιλογίας ἐκεῖσε ἀπὸ τῶν ἡμετέρων προβέβληκεν· ἦν τινα ὁ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, ὃς τις ἑαυτῷ διὰ τῆς ἀμέτρου δυναστείας τὸ πᾶν ἐξεδίκει, ἀκοῦσαι κατέπτυσεν, εἰς κοινωνίαν τῆς αὐτοῦ προαιρέσεως ἄκοντας ἕλκων τοὺς ἐπισκόπους, ἵνα διὰ τὴν βίαν ἀναγκασθῶσιν ὑπογράψαι, οἵ τινες οὐδὲ μίαν καθαιρέσεως ἀφορμὴν ἱκανὴν εὑρεῖν ἠδυνήθησαν. Ἀλλὰ ταύτην τὴν τόλμην τῷ εὐσεβεῖ καὶ Χριστιανῷ βασιλεῖ πιστεύομεν οὐδαμῶς ἀμέσαι δύνασθαι. Νῦν μέντοι ἐπειδὴ τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν ταύτῃ τῇ πράξει ἐγνωμεν διασκορπισθεῖσαν, παραμυθητέους καὶ προτρεπτέους ὑμᾶς εἶναι πιστεύομεν διὰ τῶν ἡμετέρων ἐπι-

[a] Al. 42. Quæ autem antea 49 erat, nunc 61. Scripta 13 Octob. an. 449.

[b] Hæc epistola a nobis inventa fuit in mss. collect. 12 et 23.

[c] Ita cum Quesnello nostri codices. Alii editi, *Sin est, ut fortiter.*

[d] Editi ante Quesn. ex Merlino, qui codice usus est collect. 12, habent, III *kal. Octobris.* At duo nostri codices ejusdem collect. 12 Quesnelli emendationem probant. Proxime accedit ms. Ottobon. 297 collect. 25, in quo legitur, *idibus Octobris;* sed *tertio idus* magis placet, cum hoc eodem die aliæ epistolæ signentur, et valde probabile sit S. Leonem prima occasione ad Flavianum scripsisse, ut eum citius consolaretur.

[e] Al. 45. Quæ autem antea 50 erat, nunc 66. Scripta 15 Octob. an. 449.

[f] Exstat hæc epistola in mss. collect. 12, 17, 18, 19, 22 et 23; Græca autem versio edita fuit a Coteterio tom. I Monument. Ecclesiæ Græcæ, pag. 57. Missam vero fuisse hanc epistolam per Epiphanium et Dionysium discimus ex epist. 59, c. 1.

[g] Quinque voces, *dilectissimis filiis in Domino salutem*, adjecimus ex omnibus mss. tum nostris, tum Baluzii collect. 17 Chalcedon. nec non ex codice Veneto collect. 22, quibus concinit etiam Græca versio.

[h] Voces *ad nos* hic a Quesnello insertas delevimus auctoritate codicis Ratisp. et manuscriptorum collect. Chalcedonen-is, nec non interpretationis Græcæ, quæ mox perperam pro *Hilarus* præfert Ἱλαρίων, sicut et duo nostri Latini codices *Hilarius.*

[i] Ita plures et potiores nostri codices, et omnes Baluzii; ubi *impotentia* pro immoderata potentia accipitur. Editi, *potentiæ suæ.*

[j] Sic melius ex Ratisp. ex codd. collect. Chalcedon. et ex Veneto collect. 22, quam in editis, *protrahens.*

[k] Vulgati, *Christianissimo.* Secuti sumus præstantissimos codices Ratisp. et collect. Chalcedon., quibus suffragatur Græca versio.

[l] Quesnellus cum duobus nostris codd. inferiorum collectionum, *Nunc qui.* Alii editi, *At nunc quia.* Mss. collect. Chalcedon., *Sed nunc quia.* Lectionem optimi codicis Ratisponensis prætulimus. Mox pro *hac ratione* ex Græco legendum esset *hac actione.*

[m] Ita fere omnes nostri codices et editi ante Quesnellum, apud quem, *credimus.*

Digitized by Google

lumus enim dilectionem vestram hoc mœrore percelli, [a] cum major gloria vestram sit subsecutura constantiam, si a probabili sacerdote vestro nullæ vos minæ, nulla formido [b] divellerit. Quisquis enim incolumi atque superstite Flaviano episcopo vestro, sacerdotium ejus fuerit ausus invadere, numquam in communione nostra habebitur, nec inter episcopos poterit numerari. Nos enim sicut Nestorium in sua perversitate [c] anathematizavimus, ita eos qui veritatem carnis nostræ in Domino **935** Jesu Christo denegant, pari exsecratione damnamus.

CAP. II. — State igitur in spiritu catholicæ veritatis, et apostolicam cohortationem ministerio nostri oris accipite : *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini* (*Philip.* I, 29). Nolite arbitrari, dilectissimi, quod sanctæ Ecclesiæ suæ desit, aut defutura sit divina protectio. SPLENDESCIT enim fidei puritas, cum ab ea sordes separantur errorum. Unde iterum iterumque vos ante conspectum Domini obtestamur pariter et monemus ut a fide in qua fundati estis, et in qua Christianissimum principem novimus permanere, non insidiis, non cujusquam [d] persuasionibus moveamini; sed in persona episcopi vestri illum [e] in oculis cordis habeatis, pro quo idem omnia pati, [f] quæ fuerint illata, non metuit : cujus per omnia imitatores vos esse cupimus, ut commune cum ipso præmium fidei habere possitis. Data [g] idibus Octobris, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

A στολῶν, ἵνα ὑπὲρ τῆς καθολικῆς πίστεως τῆς ἐκδικίας, τῇ τῶν ἀπίστων ἀνομίᾳ ἐναντιώσησθε. Οὐ γὰρ βουλόμεθα τὴν ἀγάπην ὑμῶν, ταύτῃ τῇ λύπῃ καταφορτίζεσθαι, ὅταν μείζων δόξα τῇ ὑμετέρᾳ παραμονῇ ἐπακολουθῇ, ἵνα ἀπὸ τοῦ δεδοκιμασμένου ἐπισκόπου ὑμῶν, οὐδὲ μία ὑμᾶς ἀπειλὴ, οὐδὲ εἷς φόβος ἀποσπάσαι δυνήσεται· εἴ τις γὰρ ὑγιαίνοντος καὶ ζῶντος Φλαβιανοῦ τοῦ ἐπισκόπου (ὑμῶν) τὴν ἀρχιερωσύνην αὐτοῦ τολμήσει ὑπεισελθεῖν, οὐδέποτε εἰς κοινωνίαν ἡμετέραν γενήσεται, οὐδὲ μεταξὺ τῶν ἐπισκόπων δυνήσεται ἀριθμηθῆναι. Ἡμεῖς γὰρ καθάπερ Νεστόριον ἐν τῇ αὐτοῦ διαστροφῇ ἀναθεματίσαμεν, οὕτως καὶ ἐκείνους οἵ τινες τὴν ἀλήθειαν τῆς σάρκος ἡμῶν ἐν τῷ Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ **936** ἀρνοῦνται, ὁμοίᾳ ἀφοσιώσει καταδικάζομεν. Στήκετε τοίνυν ἐν τῷ πνεύματι τῆς (καθολικῆς) ἀληθείας, καὶ τὴν ἀποστολικὴν προτροπὴν B τῇ διακονίᾳ τοῦ ἡμετέρου στόματος δέξασθε· ἐπειδὴ ὑμῖν κεχάρισται ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ, οὐ μόνον ἵνα εἰς αὐτὸν πιστεύητε, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν. Μὴ θέλητε ὑπολαμβάνειν, ἀγαπητοί, ὅτι τῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ ἀπολειφθήσεταί ἢ ὑστερήσει ποτὲ ἡ θεία Ἐκκλησία [Forte ἐκδικία]. Ἐκλάμπει γὰρ τῆς πίστεως τὸ καθαρὸν, ὅταν ἀπ' αὐτῆς ὁ ῥύπος τῆς πλάνης χωρισθῇ. Ὅθεν πάλιν καὶ πάλιν ὑμᾶς ἐνώπιον τοῦ Κυρίου διαμαρτυρόμεθα ὁμοῦ καὶ ὑπομιμνήσκομεν, ἵνα ἀπὸ τῆς πίστεως ἐν ᾗ τεθεμελιωμένοι ἐστέ, καὶ ἐν ᾗ τὸν Χριστιανικώτατον βασιλέα οἴδαμεν παραμένειν, μήτε ἐξέδρας, μήτε τισὶν ἀπάταις μετακινηθείητε· ἀλλ' εἰς τὸ πρόσωπον τοῦ ἐπισκόπου ὑμῶν ἐκεῖνον τοῖς ὀφθαλμοῖς κατέχητε, ὑπὲρ οὗ αὐτὸς πάντα παθεῖν ἅπερ ἐπηνέχθη οὐκ ἀφοβήθη· οὕτινος ἐν πᾶσι μιμητὰς ὑμᾶς γενέσθαι ἐπιθυμοῦμεν, ἵνα κοινὸν μετ' αὐτοῦ τὸν στέφανον τῆς πίστεως λαμβάνειν δυνηθείητε.

[h] EPISTOLA LI.

[i] AD FAUSTUM, ET CÆTEROS ARCHIMANDRITAS CONSTANTINOPOLITANOS.

SYNOPSIS. — *Adhortatur eos ad constantiam in omni bono, maxime fidei et charitatis, et detestatur acta secundi concilii Ephesini.*

937 [i] LEO et sancta SYNODUS, quæ in urbe Roma convenit, FAUSTO, MARTINO, PETRO, et EMMANUELI presbyteris et archimandritis Constantinopolitanis, dilectissimis filiis in Domino salutem.

Quamvis ea quæ ad Constantinopolitanam Eccle-

C **938** Δέων ἐπίσκοπος, καὶ ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν τῇ πόλει Ῥωμαίων συναχθεῖσα, Φαυστίνῳ, Μαρτίνῳ, Πέτρῳ, Μανουηλίῳ, πρεσβυτέροις καὶ ἀρχιμανδρίταις μοναστηρίων Κωνσταντινουπόλεως.

Εἰ καὶ τὰ μάλιστα ἐκεῖνα ἃ τῇ τῶν Κωνσταντινουπο-

[a] Cod. Ottobon. collect. 23, *ut major.*

[b] Sic rectius ex ms. Ratisp. aliisque collect. Chalcedon. quam in editis, *divulserit.*

[c] Cod. Ottobon., *anathematizamus.*

[d] Cod. Ratisp., *persuasione.*

[e] Ms. Ottobon. addit *vestri.* Mox pro *idem* cod. Veron. 57 habet *quidem.*

[f] Sic ex pluribus ac potioribus nostris codicibus. Alias, *quæ fuerunt.*

[g] Mss. Ratisp. et Divion. Baluzii, III *idus Octobris*, ut in anterioribus epistolis præsertim 44 et 45, quæ synodi Romanæ nomine similiter inscribuntur. Forte melius. Certe ex epist. 59 liquet has litteras traditas fuisse Epiphanio tribuno, cui ex epist. 54 tradita pariter fuit epist. 44 ad Theodosium data III *idus Octobris*; unde omnes synodi nomine inscriptæ, uti etiam sequens, eodem die in laudatis duobus codicibus Ratisp. et Divion. notantur.

[h] Al. 47. Quæ autem 51 erat, nunc 67. Scripta 15 Octob. an. 449.

[i] Hæc epistola in iisdem collectionibus invenitur in quibus præcedens. Hujus quoque Græcam interpretationem debemus Cotelerio, qui eamdem ex mss. Regiis edidit tom. I Monum. Eccl. Græcæ, pag. 64.

[i] Mss. collect. Chalcedonensis habent : *Leo episcopus et sancta synodus, quæ in Romana civitate collecta est, Fausto, Martino, Petro, Magno, Eliæ presbyteris et archimandritis monasteriorum Constantinopolitanorum dilectissimis filiis in Domino salutem.* Parum absimiliter Vulgati, quos Quesnellus secutus est. Solum in secunda editione post nomen *Eliæ* addidit *et Emmanueli*, qui in Græca versione legitur, et hanc notationem subjecit : « Cotelerius in notis ad Græc. vers. suspicatur ex Magno et Elia coaluisse Manuelium. Pace viri doctissimi dixerim, contrarium mihi apparet verisimilius. Nam Emmanuel inter archimandritas Constantinopolitanos semper nominatur, et apud Leonem epist. 53 (nunc 71) et in actis Chalced. concilii act. 4, in qua iidem synodum ingredi jubentur, et eorumdem supplex ad Marcianum Augustum libellus refertur; nusquam vero Magnus et Elias legntur. Quamobrem errore librarii *Magnus et Elias* pro Manuelio positi sunt; vel certe dicendum utrumque post scriptam hanc epistolam vel fato functum esse, vel Eutychi adhæsisse, eamque ob causam esse prætermissos. » Nos ob rationem ejusmodi prætulimus

Digitized by Google

siam scripsimus sollicitudinem devotionis vestræ latere [a] non possent, tamen etiam specialibus dilectionem vestram litteris cohortandam esse credidimus, ut memores sanctæ [b] professionis vestræ, quæ proprie in fide et charitate consistit, omnia scandala quæ contra pacem Ecclesiæ orta sunt a vestris cordibus repellatis, beati Apostoli sententiam pia mente retinentes : *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* I, 9); et custodientes [c] unanimitatem cum fratre nostro Flaviano episcopo, quem ad tempus Dominus permisit impiorum factione tentari, ut probatum sibi sacerdotem suum perseverantiæ merito faceret **939** clariorem. Hæ autem perturbationes necesse est ut, auxiliante Dei gratia, celeriter destruantur, [d] et omne quod reprobum est ab Ecclesiæ puritate, quæ nec maculam nec rugam recipit (*Ephes.* v, 27), reputatur : maxime cum ab insana imperitia in hoc usque proruptum sit, ut contra sacramentum salutis humanæ, incarnationis Domini nostri Jesu Christi veritas denegetur, et antiquæ fidei prædicator atque defensor, quia non acquievit blasphemiis quas olim sancti Patres nostri in multis hæreticis damnaverunt, subjiciatur injuriis; in quo utique omnium Domini sacerdotum reverentia [e] cæditur, et universa corporis Christi membra pulsantur. Sed quia gloriosum nobis est quidquid nos pati Deus voluerit pro veritate tolerare, in consortium vos patientiæ paternis exhortationibus advocamus, ut per dilectionem vestram omnibus Deo servientibus quæ scripsimus immotescant, et inimicis Evangelii resistentes, nec pastoris vestri dilectionem, nec [f] unitatem catholicæ fidei deseratis. Quoniam ea quæ in Epheso nuper contra justitiam vel canonum disciplinam per unius hominis [g] impotentiam gesta sunt, nulla catholicæ fidei ratio rata esse permittit. Data [h] idibus Octobris, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

λιτῶν Ἐκκλησίᾳ γεγραφήκαμεν, τὴν φροντίδα τῆς ὑμετέρας ἀγάπης λαθεῖν οὐκ ἠδυνήθη, ὅμως καὶ ἰδικοῖς γράμμασι τὴν ἀγάπην ὑμῶν προτρέψασθαι ἀκόλουθον εἶναι ἡγησάμεθα, ἵνα μεμνημένοι τῆς ἁγίας (ἐπαγγελίας ὑμῶν,) ἤ τις ἰδικῶς ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ συνίσταται, πάντα τὰ σκάνδαλα τὰ κατέναντι τῆς ἐκκλησίας διεγερθέντα, ἀπὸ τῆς ὑμετέρας καρδίας ἀποβάλησθε· τοῦ μακαρίου ἀποστόλου τὰς ἀποφάσεις εὐσεβεῖ γνώμῃ διακατέχοντες· Εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω· καὶ φυλάττοντες ὁμοψυχίαν μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν Φλαβιανοῦ τοῦ ἐπισκόπου, ὃν τινα πρὸς καιρὸν ὁ κύριος συνεχώρησε τῶν ἀσεβῶν ταῖς ἐπισκευαῖς πειραθῆναι, ἵνα δόκιμον ἑαυτῷ τὸν ἴδιον ἀρχιερέα, **940** διὰ τῆς ὑπομονῆς ποιήσῃ λαμπρότερον, αὗται γὰρ αἱ ταραχαὶ ἀναγκαίως, βοηθούσης τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος, τάχιον διαλυθήσονται, καὶ πᾶν τὸ ἀποδοκιμασθέν, ἀπὸ τῆς καθαρότητος τῆς ἐκκλησίας, ἥτις οὔτε σπίλον οὔτε ῥυτίδα ἐπιδέχεται, ἀπορριφήσεται· μάλιστα ὅτι ἀπὸ τῆς μανιώδους αἰτίας [Forte ἀμαθίας] εἰς τοσοῦτον ἔφθασαν, ἵνα κατέναντι τοῦ μυστηρίου τῆς σωτηρίας τῶν ἀνθρώπων, ἡ τῆς ἐνσαρκώσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀλήθεια ἀρνήσηται, καὶ ὁ τῆς ἀρχαίας πίστεως κήρυξ καὶ ἔκδικος, ἐπειδὴ οὐ συνέθετο ταῖς βλασφημίαις, ἅς τινας πρὸ πολλοῦ οἱ ἅγιοι πατέρες ἡμῶν εἰς πολλοὺς αἱρετικοὺς καθεῖλαν, ὑποβληθείη ὕβρεσιν· ἐν ᾧ δηλαδὴ πάντων τῶν τοῦ κυρίου ἱερέων ἡ αἰδὼς τύπτεται, καὶ ὅλα τὰ μέλη τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. Ἀλλ' ἐπειδὴ ἔνδοξον ἡμῖν ἐστιν, εἴ τι ἂν ἡμᾶς παθεῖν ὁ θεὸς βουληθείη, [καὶ] ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ὑπενέγκαι, εἰς κοινωνίαν ἡμεῖς τῆς ὑπομονῆς πατρικαῖς προτροπαῖς παρακαλούμεθα· ἵνα διὰ τῆς ἀγάπης ὑμῶν πᾶσι τοῖς τῷ Θεῷ δουλεύουσιν ἃ ἐγράψαμεν φανερωθείη· ἵνα τοῖς ἐχθροῖς τοῦ εὐαγγελίου ἀντεστηκότες, μήτε τοῦ ποιμένος (ὑμῶν) τὴν ἀγάπην, μήτε τὴν μονάδα τῆς καθολικῆς πίστεως καταλείψητε. Ἐπειδὴ ἐκεῖνα τὰ ἐν Ἐφέσῳ ἐπὶ τοῦ παρόντος κατέναντι τῆς ἀληθείας καὶ τῶν κανόνων τῆς ἐπιστήμης δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἄμετρον δυναστείαν πεπραγμένα, οὐδὲ μία τῆς καθολικῆς πίστεως ἀκολουθία δεκτέα εἶναι συγχωρεῖ.

EPISTOLA [i] LII.

[j] THEODORITI EPISCOPI CYRI AD S. LEONEM PAPAM.

SYNOPSIS. — I. *Merito se accurrere ad apostolicam sedem, tot prærogativis supra cæteras eminentem.* — II. *In laudes S. Leonis excurrit, commendatque zelum in Manichæos, et epistolam ad Flavianum.* — III. *Quam*

lectionem codicis Ratisponensis, quæ dum *Magnum et Eliam* omittit, *Emmanuel* autem exhibet. Græca etiam antiqua versione confirmatur, probabilissimamque demonstrat Quesnelli conjecturam *Magnum et Eliam pro Manuele* perperam irrepsisse.

[a] Ita ex mss. Ratisp. et collect. Chalcedon. atque Veneto collect. 22. Editi, *non possunt*. Codex Ottobon. collect. 23. *non possint*.

[b] Cod. Grim. et Ottobon., *promissionis*. In Ratispon. deest *sanctæ*.

[c] Vulgati *unitatem*. Prævalnit auctoritas mss. Ratisp. et collectionis Chalcedon. nec non Veneti collect. 22. Favet et cod. Ottobon. collect. 23, in quo, *unanimitatem cum fratre et coepiscopo nostro Flaviano*.

[d] Sic plerique codices ac editiones. Quesnellus, *ut omne*. Duo codd. Vatt. collect. Chalcedon., *ut quod reprobum est*.

[e] Quesnellus *læditur* in margine.

[f] Idem Quesn. in marg. : Alias, *unanimitatem*. Cod. Ottobon., *veritatem*.

[g] Editi, *impudentiam*. Cod. Ratisp., *impatientiam*. Codd. collect. Chalced. et Veneti S. Marci, *potentiam*. Solus codex Divionensis Baluzii habet *impotentiam*, ita tamen ut litteris *in* affixa sint puncta quæ indicant illas esse expungendas. Vocis *impotentiæ* significatio pro immoderata potentia Leoni familiaris in superioribus epistolis, ubi de Dioscoro loquitur, ignota fuisse videtur iis qui vel puncta affixere, vel ex *impotentiam* scripserunt *impudentiam* aut *impatientiam*. *Impotentiam* quidem legit etiam Græcus interpres, ex cujus versione *immodicam potentiam* Cotelerius reddidit.

[h] Ita mss. Quesnelli cum duobus Baluzii et quatuor nostris collect. Chalcedon. nec non Veneto collect. 22 et Ottobon. collect. 23. Codd. Divion. Baluzii. et noster Ratisp., XI *idus Octobris*, forte melius ut videre est ex annot. 15 (col. 843 [g]) in ep. præced. Vulgati Quesnello anteriores, VIII *idus Octobris*.

[i] Al. post epist. 47. Quæ autem erat 52, nunc 69. Scripta sub finem an. 449.

[j] Hæc epistola sumpta est ex Theodoreti editione. Scripta fuit post ipsius depositionem in pseudosynodo

Digitized by Google

immerito depositus fuerit, nec in jus vocatus, conqueritur. — IV. Susceptos a se pro Ecclesia labores enumerat. — V. Orat ne sedem apostolicam appellans repellatur; cui fidem suam probari optat ex scriptis suis; quæ indicat. — VI. Sibi a Leone cupit induci quid de Ephesina sententia agere debeat. — VII. Legatos suos Leoni, seque ejus precibus ac sollicitudini commendat; se aliosque litteris imperatoriis retineri, ne ad pontificem se conferant.

942 LEONI episcopo Romæ.

CAP. I.— Si Paulus, præco veritatis, tuba Spiritus sancti, ad magnum Petrum se contulit, ut iis qui Antiochiæ de legali conversatione ambigebant explicationem ab illo referret, multo magis nos humiles et pusilli ad apostolicam sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit. Multis siquidem prærogativis ornatur sedes vestra. Etenim alias urbes ornat vel magnitudo, vel pulchritudo, vel habitatorum frequentia; nonnullas etiam quæ his carent spiritualia quædam dona illustrant: vestræ vero bonorum affluentiam, bonorum largitor dedit. Illa enim omnium maxima et clarissima, quæ et orbi terrarum præsidet, et incolarum multitudine redundat. Ad hæc **944** imperium, quod rerum nunc potitur, et suum ipsa nomen subditis impertiit. Præcipue autem illam fides ornat, cujus testis idoneus est divinus Paulus clamans: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo* (*Rom.* I, 8). Quod si statim post suscepta salutaris prædicationis semina mirabiles hos fructus uberrime protulit, prædicandæ quæ in ea nunc viget pietati quænam par esse possit oratio? Habet præterea communium patrum magistrorumque veritatis Petri et Pauli sepulcra, fidelium animas illuminantia. Quorum beatissimum ac divinum par, in Oriente quidem exortum est, et radios quaquaversum diffudit; sed in Occidente vitæ occasum ultro subiit, atque inde nunc orbem universum collustrat. Hi sedem vestram nobilissimam reddiderunt; hic bonorum vestrorum est apex. At illorum sedem nunc etiam illorum Deus illustravit, dum in ea sanctitatem vestram rectæ fidei radios fundentem constituit.

CAP. II. — Cujus quidem rei cum alia multa in promptu sint argumenta, sufficit zelus vester adversus infames Manichæos, quem sanctitas vestra [a] nuper exeruit, et quo rerum divinarum studio vester in Deum sit amor patefecit. Sufficiunt et quæ nunc a vobis scripta sunt, ut apostolicum characterem vestrum ostendant. Incidimus namque in illa quæ de Dei Salvatorisque nostri incarnatione sanctitas vestra [b] scripsit, et admirati sumus exactam operis diligentiam. Utraque enim eamdem opera declarabat, et

941 Λέοντι ἐπισκόπῳ Ῥώμης.

Εἰ Παῦλος τῆς ἀληθείας ὁ κήρυξ, ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος σάλπιγξ, πρὸς τὸν μέγαν ἔδραμε Πέτρον, ὥστε τοῖς ἐν Ἀντιοχείᾳ περὶ τῆς κατὰ νόμον πολιτείας ἀμφισβητοῦσι παρ' αὐτοῦ κομίσαι τὴν λύσιν, πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς οἱ εὐτελεῖς καὶ σμικροὶ, πρὸς τὸν ἀποστολικὸν ὑμῶν τρέχομεν θρόνον. Ὥστε παρ' ὑμῶν λαβεῖν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ἕλκεσι θεραπείαν. Διὰ πάντα γὰρ ὑμῶν τὸ πρωτεύειν ἁρμόττει. Πολλοῖς γὰρ ὁ ὑμέτερος θρόνος κοσμεῖται πλεονεκτήμασι. Τὰς μὲν γὰρ ἄλλας πόλεις ἡ μέγεθος, ἡ κάλλος, ἡ πλῆθος τῶν οἰκητόρων κοσμεῖ. Τούτων δὲ ἐστερημένας πνευματικά τινα λαμπρύνει χαρίσματα· τῇ δὲ ὑμετέρᾳ φορὰν ἔδωκεν ἀγαθῶν ὁ τῶν ἀγαθῶν χορηγός. Ἡ γὰρ αὐτὴ πασῶν μεγίστη, καὶ λαμπροτάτη, καὶ τῆς οἰκουμένης προκαθημένη, καὶ τῷ πλήθει τῶν οἰκητόρων κυμαίνουσα. Πρὸς δὲ τούτοις, **943** καὶ νῦν κρατοῦσαν ἡγεμονίαν ἐβλάστησε· καὶ τῆς οἰκείας προσηγορίας τοῖς ἀρχομένοις μετέδωκε. Κοσμεῖ δὲ αὐτὴν διαφερόντως ἡ πίστις· καὶ μάρτυρ ἀξιόχρεως ὁ θεῖος ἀπόστολος βοῶν, ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. Εἰ δὲ εὐθὺς δεξαμένη τὰ τοῦ σωτηρίου κηρύγματος σπέρματα, τοῖς ἀξιαγάστοις τούτοις ἐξεβρίθει καρποῖς, τίς ἀπόχρη λόγος τὴν νῦν ἐν αὐτῇ πολιτευομένην εὐσέβειαν εὐφημῆσαι; ἔχει δὲ καὶ τῶν κοινῶν πατέρων καὶ διδασκάλων τῆς ἀληθείας Πέτρου καὶ Παύλου τὰς θήκας, τῶν πιστῶν τὰς ψυχὰς φωτιζούσας. Ἡ δὲ τρισμακαρία τούτων καὶ θεῖα ξυνωρὶς ἀνέτειλε μὲν ἐν τῇ ἑῴᾳ, καὶ πάντοσε τὰς ἀκτῖνας ἐξέπεμψεν. Ἐν δὲ τῇ δύσει προθύμως ἐδέξατο τὰς τοῦ βίου δυσμὰς, κἀκεῖθεν νῦν καταυγάζει τὴν οἰκουμένην. Οὗτοι τὸν ὑμέτερον περιφανέστατον ἀπέφηναι θρόνον. Οὗτος τῶν ἀγαθῶν τῶν ὑμετέρων ὁ κολοφών. Ὁ δ' ἐκείνων θεὸς καὶ νῦν τὸν ἐκείνων ἐλάμπρυνε θρόνον, τὴν ὑμετέραν ἁγιωσυνὴν ἱδρύσας ἐν τούτῳ τῆς ὀρθοδοξίας τάξ, ἀκτῖνας ἀφιεῖσαν.

Καὶ τούτου πολλὰ μέν ἐστιν εὑρεῖν καὶ ἄλλα τεκμήρια· ἀρκεῖ δὲ ὑμῶν καὶ ὁ κατὰ τῶν δυσωνύμων Μανιχαίων ζῆλος, ὃν πρώην ὑμῶν ἡ ὁσιότης ἐγύμνασε, δείξασα τὴν περὶ τὰ θεῖα τῆς ὑμετέρας φιλοθεΐας σπουδήν. Ἀπόχρη καὶ τὰ νῦν παρ' ὑμῶν γραφέντα τὸν Ἀποστολικὸν ὑμῶν χαρακτῆρα δηλῶσαι. Ἐντετυχήκαμεν γὰρ τοῖς παρὰ τῆς σῆς γραφεῖσι ὁσιότητος περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ὑμῶν ἐνανθρωπήσεως, καὶ ἐθαυμάσαμεν τὴν τῶν γεγραμμένων ἀκρίβειαν. Ἀμφότερα γὰρ κατὰ ταυτὸν ἐδήλου, καὶ τὴν ἐκ τοῦ ἀϊδίου πατρὸς ἀΐδιον θεότητα τοῦ μονογενοῦς,

Ephesina. Cum enim legatos eidem contradixisse intellexit, et celebri Leonis ad Flavianum epistola accepta, suam doctrinam in ea confirmatam, et a doctrina ejusdem pseudosynodi alienam deprehendit, ad eumdem pontificem, ut ei suam causam commendaret, epistolam dedit. Igitur paulo post eam pseudosynodum scripta fuit, cum præsertim ipsa saltem integra concilii gesta nondum acceperit: credidit enim Renatum R. E. presbyterum eidem interfuisse, qui tamen in itinere ante synodum obierat. Probabiliter ergo exarata fuit sub finem an. 449. Enimvero in ipsa epistola c. 4 testatur se jam rexisse Ecclesiam *annis sex et viginti*; in alia autem epistola 116 totidem annos sui episcopatus memorat cum **Ephesi** depositus fuit die 10 Augusti an. 449. Igitur eodem anno epistolam scripsit, quo depositus fuit. Eodem tempore duas alias epistolas dedit, alteram 116 **ad** Renatum, quem vivum præsumebat, alteram 118 **ad** Romanæ Ecclesiæ archidiaconum, in quibus ut **sibi** apud Leonem adjutores sint exorat. Cum eadem **plenius** in epistola ad Leonem contineantur, has epistolas inter Leoninas inserere superfluum judicavimus. Hinc quoque Quesnellus solam epistolam ad **Leonem** suæ editioni adjecit.

[a] An. scilicet 444, quo edita fuit ep. 7 in **Manich.**

[b] Laudatur epist. 28, ad Flavianum.

Digitized by Google

æternam ex æterno Patre Unigeniti Divinitatem, et ejusdem ex Abrahæ et David semine humanitatem, ac similem per omnia nobis fuisse assumptam naturam, hoc uno dissimilem quod peccati expers manserit, quippe quæ non ex natura, sed ex libera voluntate nascitur. Et hoc præterea litteræ continebant, unum esse unigenitum Dei Filium, et impatibilem ejus **946** Divinitatem, quæ nec verti queat, nec mutari, sicut et qui ipsum genuit Pater, et Spiritus sanctus. Ideoque patibilem naturam sumpsisse, quia divina natura passionem non recipiebat : ut per carnis propriæ passionem impassibilitatem iis qui in ipsum crederent largiretur. Hæc et alia his cognata litteris continebantur. Nos vero spiritualem sapientiam tuam admirati, Spiritus sancti gratiam, quæ per vos locuta est, laudibus extulimus, rogamusque, et obsecramus, et precamur, et supplices oramus sanctitatem tuam, ut tempestate jactatis Dei Ecclesiis opem ferat.

καὶ τὴν ἐκ σπέρματος Ἀβραὰμ καὶ Δαβὶδ ἀνθρωπότητα. A Καὶ ὅτι κατὰ πάντα ἡμῖν ἡ ληφθεῖσα φύσις ἐφκει, μόνον δὲ ἀνόμοιος ἦν τῷ πάσης ἁμαρτίας ἀμύητος διαμεῖναι ἐπειδήπερ οὐκ ἐκ φύσεως, ἀλλ' ἐκ προαιρέσεως αὕτη φύεται. εἶχε δὲ καὶ τοῦτο τὰ γράμματα, ὡς εἷς μὲν ὁ **945** μονογενὴς τοῦ Θεοῦ Υἱὸς, ἀπαθὴς δὲ αὐτοῦ ἡ θεότης, καὶ ἄτρεπτος, καὶ ἀναλλοίωτος, καθάπερ ὁ γεννήσας αὐτὸν πατὴρ, καὶ τὸ πανάγιον πνεῦμα. Καὶ διὰ τοῦτο τὴν παθητὴν ἔλαβε φύσιν, ἐπειδήπερ ἡ θεῖα φύσις οὐκ ἐδέχετο πάθος· ἵνα τῷ πάθει τῆς ἰδίας σαρκὸς τὴν ἀπάθειαν τοῖς εἰς αὐτὸν πεπιστευκόσι χαρίσηται. Ταῦτα καὶ ὅσα τούτοις ἐστὶ συγγενῆ, περιεῖχε τὰ γράμματα. Ἡμεῖς δὲ τὴν πνευματικήν σου σοφίαν θαυμάσαντες, τὴν δι' ὑμῶν φθεγξαμένην τοῦ ἁγίου πνεύματος ἀνυμνήσαμεν χάριν καὶ παρακαλοῦμεν, καὶ ἀντιβολοῦμεν, καὶ δεόμεθα, καὶ ἱκετεύομέν σου τὴν ἁγιωσύνην, ἐπαμμῦναι ταῖς τοῦ B Θεοῦ ἐκκλησίαις χειμαζομέναις.

Cap. III. — Cum enim[a] per eos quos sanctitas tua Ephesum misit tempestatis exitum speraremus, in graviorem procellam delapsi sumus. Alexandrinorum quippe justissimus antistes haudquaquam contentus fuit iniqua hac et injustissima depositione sanctissimi Deoque charissimi Constantinopolitanorum episcopi Domini Flaviani, neque ipsius animam explevit consimilis strages aliorum episcoporum; sed me quoque absentem calamo similiter jugulavit, nec in jus vocatum, nec præsentem accusatum, nec interrogatum de Dei ac Salvatoris nostri incarnatione quid sentiam. Et homicidas quidem, ac sepulcrorum effractores, alienarumque nuptiarum invasores, non prius condemnant judices, quam vel ipsi objecta crimina confessione sua firmarint, vel ab aliis aperte fuerint C convicti. Nos autem hic in divinis legibus enutritus [b]triginta quinque mansionibus distantes condemnavit ut voluit. Neque nunc tantum hoc fecit, sed anno etiam superiore, cum eo profecti essent duo viri Apollinaris morbo infecti, **948** et calumnias in nos texuissent, consurgens in Ecclesia nos anathemate confixit; idque cum ad eum scripsissem, et quæ sentirem per litteras exposuissem.

Cap. IV. — Ego vero Ecclesiæ sane tempestatem defleo, cæterum quieti studeo. Sex enim et viginti annis commissam mihi ab universorum Deo Ecclesiam precum vestrarum auxilio cum rexerim; neque sub beatissimo Theodoto antistite Orientis, neque sub iis qui illi in Antiochenorum sede successerunt, vel minimam reprehensionem sustinui; sed divina mihi cooperante gratia, supra mille animas Marcionis morbo liberavi, multasque alias ex Arii et Eunomii D partibus ad Christum Dominum perduxi. Et octingentarum Ecclesiarum pastoralem curam sortitus sum, tot enim Cyrus habet parœcias, in quibus pre-

Αὐσιν γὰρ ἔσεσθαι τοῦ κλύδωνος προσδοκήσαντες διὰ τῶν παρὰ τῆς ὑμετέρας ἁγιωσύνης εἰς τὴν Ἔφεσον ἀποσταλέντων, χαλεπωτέρᾳ περιπεπτώκαμεν ζάλῃ. Ὁ γὰρ τῆς Ἀλεξανδρείας δικαιότατος πρόεδρος οὐκ ἠρκέσθη τῇ ἀνόμῳ ταύτῃ καὶ ἀδικωτάτῃ καθαιρέσει τοῦ ἁγιωτάτου καὶ θεοφιλεστάτου τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ἐπισκόπου τοῦ Κυρίου Φλαυιανοῦ, οὐδὲ ἐνέπλησεν αὐτοῦ τὸν θυμὸν τῶν ἄλλων ἐπισκόπων ἡ παρεμπλησία σφαγή. Ἀλλὰ κἀμὲ τὸν ἀπόντα ὁμοίως καλάμῳ κατέσφαξεν, οὔτε καλέσας εἰς κριτήριον, οὔτε παρόντα κρίνας, οὐκ ἐρωτήσας τίνα φρονῶ περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἐνανθρωπήσεως. Καὶ τοὺς μὲν ἀνδροφόνους, καὶ τυμβωρύχους, καὶ τοὺς τὰς ἀλλοτρίας συλήσαντας εὐνὰς, οὐ πρότερον κατακρίνοισιν οἱ δικάζοντες, ἕως ἂν ἢ αὐτοὶ τὰς κατηγορίας C ταῖς ὁμολογίαις κυρώσωσιν, ἢ παρ' ἑτέρων ἐναργῶς ἐλεγχθῶσιν. Ἡμᾶς δὲ ὁ τοῖς θείοις νόμοις ἐντεθραμμένος πέντε καὶ τριάκοντα σταθμοῖς ἀφεστηκότας κατέκρινεν ὡς ἠθέλησε. Καὶ τοῦτο οὐ νῦν μόνον πεποίηκεν, ἀλλὰ καὶ πέρυσι μετὰ δύο ἄνδρας τῶν τὴν Ἀπολιναρίου νόσον **947** εἰσδοξαμένων ἐκεῖσε δραμόντας, καὶ συκοφαντίας καθ' ἡμῶν ὑφήναντας, ἀναστὰς ἐπ' ἐκκλησίας ἡμᾶς ἀνεθεμάτισε. Καὶ ταῦτα ἐμοῦ γράψαντος πρὸς αὐτὸν, καὶ ἃ φρονῶ διὰ γραμμάτων δηλώσαντος.

Ἐγὼ δὲ ὀδύρομαι μὲν τῆς ἐκκλησίας τὸν κλύδωνα, τὴν δὲ ἡσυχίαν ἀσπάζομαι. Ἐξ γὰρ καὶ εἴκοσι ἔτη τὴν ἐγχειρισθεῖσάν μοι παρὰ τῶν ὅλων Ἐκκλησίαν ἰθύνας διὰ τὰς ὑμετέρας εὐχὰς, οὐκ ἐπὶ τοῦ μακαριωτάτου Θεοδότου τοῦ τῆς ἀνατολῆς προέδρου, οὐκ ἐπὶ τῶν μετὰ ἐκεῖνον τὸν τῶν Ἀντιοχέων διαδεξαμένων θρόνον, τὴν τυχοῦσαν μέμψιν ὑπέμεινα, ἀλλὰ τῆς θείας μοι χάριτος συνεργησάσης πλείους μὲν ἢ χιλίας ψυχὰς ἠλευθέρωσα τῆς Μαρκίωνος νόσου, πολλοῖς δὲ ἄλλοις ἐκ τῆς Ἀρείου καὶ Εὐνομίου συμμορίας προσήγαγον τῷ δεσπότῃ Χριστῷ. Καὶ ἐν ὀκτακοσίαις ἐκκλησίαις ἔλαχον ποιμαίνειν· τοσαύτας γὰρ ὁ Κύρρος παροικίας ἔχει, ἐν αἷς οὐδὲ ἓν

[a] Apud Baronium ad an. 449, num. 116 et seqq., hæc epistola Latine describitur ex versione Federici Metii utriusque linguæ peritissimi, ut liquet ex num. 124. Hic autem voces διὰ τῶν ἀποσταλέντων neutrius generis accipiens, reddidit, *per ea quæ a vestra sanctitate Ephesum scripta sunt*; qua in significatione intelligendæ essent litteræ ad synodum Ephesinam, id est epist. 33, quam quidem Theodoritum accepisse una cum epist. 28 ad Flavianum diximus ex ejusdem epist. 121 ad Anatolium.

[b] Apud Quesnellum; *triginta mansionibus*. Vocem *quinque* ex Græco supplevimus.

Digitized by Google

cum vestrarum auxilio lolium nullum relictum est, sed omnibus hæreticis erroribus grex noster ereptus est. Novit qui omnia conspicit, quot lapides ab infandis hæreticis in me conjectos exceperim; quot mihi multis in urbibus Orientis certamina fuerint adversus gentiles, adversus Judæos et adversus errorem omnem hæreticum. Et post tantos sudores ac labores indicta causa condemnatus sum.

CAP. V. — At ego apostolicæ vestræ sedis exspecto sententiam, et oro atque obtestor sanctitatem vestram ut mihi rectum ac justum tribunal vestrum [a] invocanti opem ferat, jubeatque ad vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhærentem ostendere. Sunt enim mihi, quæ partim ante annos viginti, **950** partim ante octodecim, partim ante quindecim, partim ante duodecim scripsi, quædam contra Arianos et Eunomianos, quædam contra Judæos et gentiles, quædam contra magos, qui sunt in Perside, alia de universali providentia, et alia rursus de theologia, deque divina incarnatione. Exposita etiam sunt a me per divinam gratiam tum apostolica scripta, tum prophetica oracula. Et facile est ex his cognoscere an stabilem fidei regulam servarim, an ab ejus rectitudine deflexerim. Sed nolite, obsecro, supplices meas preces respuere, nec miseram meam exanitiem post multos labores contumeliose tractatam despicere.

CAP. VI. — Ante omnia ut a vobis docear oro an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere, an non; vestram enim sententiam exspecto. Quod si in judicatis manere me jusseritis, manebo, neque ulli hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei Salvatorisque nostri judicium exspectabo. Me quidem, testis est Dominus Deus, honoris et gloriæ cura non tangit, sed scandali quod injectum est: quia multi e simplicioribus, atque ii maxime qui ex diversis hæresibus opera nostra emerserunt, sedem illorum qui condemnarunt, attendentes, hæreticos nos fortasse existimabunt, cum dogmatis perfectionem perspicere non possint, quodque episcopatu tot annis gesto, non domum acquisierim, non agrum, non obolum, non sepulcrum; sed spontaneam paupertatem amplexus sim, et ea quæ a parentibus ad nos pervenerant, post illorum mortem statim distribuerim, ut sciunt omnes qui habitant in Oriente.

CAP. VII. — Præ omnibus autem sacrum Deoque charum caput vestrum obsecro ut precibus mihi opem et auxilium ferat. Hæc per reverentissimos Deoque charissimos presbyteros, Hypatium et Abramium chorepiscopos, et Alypium monachorum qui apud nos sunt exarchum, sanctitati vestræ suggessi: quandoquidem ne ad vos **952** contenderem, regiarum litterarum vincula retinuerunt, quemadmodum

[a] Græcus textus habet ἐπικαλουμένῳ. Verbum autem ἐπικαλέομαι pro *appellare* ad superiorem judicem frequenter accipitur. Ita Actor. c. xxv, v. 11: Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι, *Cæsarem appello*; et Jo. Chrysostomus in epistola ad Innocentium papam apud Constantium epist. 4, p. 778, ἡμῶν σύνοδον ἐπικαλουμένων, *nobis synodum appellantibus*. Alia tria Plutarchi exempla

A διὰ τὰς ὑμετέρας εὐχὰς μεμένηκα ζιζάνιον· ἀλλὰ πάσης αἱρετικῆς ἐλεηθέντες πλάνης τὸ ἡμέτερον ποίμνιον. Οἶδεν ὁ πάντα ἐφορῶν πόσους ἐδεξάμην λίθους ὑπὸ τῶν δυσωνύμων κατ' ἐμοῦ πεμφθέντων αἱρετικῶν, πόσους ἐν ταῖς πλείοσι τῆς ἀνατολῆς πόλεσιν ἔσχον ἀγῶνας πρὸς Ἕλληνας, πρὸς Ἰουδαίους, πρὸς πᾶσαν πλάνην αἱρετικήν. Καὶ μετὰ τοσούτους ἱδρῶτας καὶ πόνους μὴ δικασάμενος κατεκρίθην.

Ἐγὼ δὲ τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον. Καὶ ἱκετεύω, καὶ ἀντιβολῶ τὴν σὴν ἁγιότητα, ἐπαμῦναί μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καὶ δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον, καὶ κελεῦσαι δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐπιδεῖξαί μου τὴν διδασκαλίαν τοῖς ἀποστολικοῖς ἴχνεσιν ἑπομένην. Ἔστι γάρ μοι τὰ μὲν πρὸ εἴκοσι ἐτῶν συγγεγραμμένα, τὰ δὲ πρὸ **949** ὀκτωκαίδεκα, τὰ δὲ πρὸ πεντεκαίδεκα,
B τὰ δὲ πρὸ δυοκαίδεκα. Τὰ μὲν πρὸς Ἀρειανοὺς, καὶ Εὐνομιανούς, τὰ δὲ πρὸς Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας, τὰ δὲ πρὸς τοὺς ἐν Περσίδι μάγους, ἀλλὰ περὶ τῆς καθόλου προνοίας, ἕτερα δὲ περὶ θεολογίας, καὶ τῆς θείας ἐνανθρωπήσεως. Ἑρμήνευταί μοι διὰ τὴν θείαν χάριν, καὶ τὰ ἀποστολικὰ συγγράμματα, καὶ τὰ προφητικὰ θεσπίσματα· καὶ ῥᾴδιον ἐκ τούτου καταμαθεῖν, εἴτε ἀκλινῆ τὸν κανόνα τῆς πίστεως διετήρησα, εἴτε τὴν τούτου παρίδην εὐθύτητα. Ἀλλὰ μὴ διαπτύσητέ μου τὴν ἱκετείαν παρακαλῶ, μηδὲ τὴν ἀθλίαν μου παρίδητε πολιὰν μετὰ πολλοὺς ὑβρισμένην καμάτους.

Πρὸ δὲ πάντων, μαθεῖν ἀντιβολῶ παρ' ὑμῶν, εἴτε χρή με τέρψαι τὴν ἄδικον ταύτην καθαίρεσιν, εἴτε μή. Τὴν γὰρ ὑμετέραν προσμένω ψῆφον. Εἰ μὲν κελεύσητε τοῖς κατεψηφισαμένοις ἐμοῦ ἔμμενεῖν, ἐμμενῶ καὶ οὐδενὶ ἀνθρώπων
C ἐνοχλήσω λοιπόν, ἀλλὰ μενῶ τὰ ἀκλινῆ τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν κριτήριον. Ἐμοὶ δέ, ὡς ὁ δεσπότης μαρτυρεῖ Θεὸς, οὐ τιμῆς μέλει καὶ δόξης, ἀλλὰ μόνου τοῦ γεγενημένου σκανδάλου· ὅτι πολλοὶ τῶν ἀπλουστέρων, καὶ μάλιστα οἱ ἐκ διαφόρων αἱρέσεων παρ' ἡμῶν ἐγερθέντες, τῷ θρόνῳ τῶν κατακρινάντων προσεχόντες αἱρετικοὺς ἴσως ἡμᾶς ὑπολήψονται, τὴν τοῦ δόγματος ἀκρίβειαν κατιδεῖν οὐ δυνάμενοι· ὅτι τοσοῦτον χρόνον ἐπισκοπεύσας, οὐκ οἰκίαν ἐκτησάμην, οὐκ ἀγρὸν, οὐκ ὀβολὸν, οὐ τάφον, ἀλλὰ τὴν αὐτομάτην πενίαν, καὶ τὰ παρὰ τῶν πατέρων εἰς ἡμᾶς ἐλθόντα μετὰ τὴν ἐκείνων τελευτὴν εὐθὺς διανείμας, ὡς ἴσασιν ἅπαντες οἱ τὴν ἐφ' ὑμῖν οἰκοῦντες.

Πρὸ δὲ πάντων, ἱκετεύω τὴν ἱερὰν ὁρᾶν καὶ τῷ Θεῷ φίλην κεφαλὴν, παρασχεῖν μοι τῶν προσευχῶν τὴν βοήθειαν. Ταῦτα διὰ τῶν εὐλαβεστάτων καὶ θεοφιλεστάτων πρεσβυτέρων Ὑπατίου καὶ Ἀβραμίου τῶν χωρεπισκόπων, καὶ Ἀλυπίου τοῦ ἐξάρχου τῶν παρ' ἡμῖν μοναζόντων τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην ἐδίδαξα. Ἐπειδήπερ εἰς τὰ δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς τὰ τῶν βασιλικῶν γραμμάτων ἐπίσχε δεσμά,
951 ὥσπερ οὖν καὶ τοὺς ἄλλους. Καὶ παρακαλῶ τὴν

in Lexico Roberti Constantini invenire licebit. Hinc *appellantis* potius quam *invocantis* significationem Metii interpretatio expressit his verbis apud Baronium loco allegato n. 121: *Supplico et obsecro ut mihi appellanti justum vestrum et rectum judicium opem ferat*, etc. De hac vero Theodoreti appellatione vide nostras observationes in Quesnelli dissert. 10.

Digitized by Google

et alios. Et sanctitatem vestram ore ut et paterno affectu illos videat, et sinceras aures vestras illis benignas præbeat, et calumniis vexatam ac sine causa impugnatam senectutem meam studio et providentia vestra dignetur, tum ante omnia fidei insidiis appetitæ quam maximam potest curam gerat, paternamque hæreditatem Ecclesiis integram custodiat : ut pro his etiam paratas remunerationes a munifico et liberali Domino sanctitas vestra recipiat.

A ὑμετέραν ὁσιότητα, καὶ ἰδεῖν αὐτοὺς πατρικῶς, καὶ τὰς ἀκλινεῖς ὑμῶν ἀκοὰς εὐμενεῖς αὐτοῖς παρασχεῖν. καὶ τὸ συκοφαντούμενον καὶ μάτην πολεμούμενόν μου γῆρας τῆς ὑμετέρας ἀξιῶσαι κηδεμονίας, καὶ πρὸ πάντων τῆς ἐπιβουλευομένης πίστεως παντὶ σθένει φροντίσαι, καὶ φυλάξαι ταῖς ἐκκλησίαις τὸν πατρῷον κλῆρον ἀκήρατον· ἵνα καὶ τὰς ἀντὶ τούτων ἀντιδόσεις δέξηται ὑμῶν ἡ ἁγιότης παρὰ τοῦ μεγαλοδώρου δεσπότου.

ADMONITIO IN SEQUENTIS EPISTOLÆ FRAGMENTUM.

1. Insigne quod subjicimus epistolæ Anatolii fragmentum, ex quo hunc post Flaviani mortem ordinatum discimus, e codice Regio 940 a Cotelerio editum fuit inter Ecclesiæ Græcæ Monumenta tom. I, pag. 66. Istud Quesnellus secundæ Leonis editioni inseruit, præmisitque epistolis 69, 70 et 71, datis mense Julio an. 450, in quibus de ipsius Anatolii ordinatione sermo est. In observationibus autem ad hoc fragmentum affirmat, *circa hæc tempora* (prædictarum scilicet epistolarum Leonis) Flavianum obiisse; cui proinde Anatolius suffectus, circa idem tempus eam ad eumdem Leonem epistolam dederit ex qua hoc fragmentum excerptum fuit. Non assentimur. Flavianum enim paulo post Ephesinum latrocinium habitum mense Augusto anni 449, *inter manus eorum a quibus in exsilium ducebatur glorioso ad Christum fine transisse* eodem an. 449 testatur Prosper in Chronico. Concinit Historia Eutychianistarum, quæ eum, dum in exsilium deportaretur, ipso in itinere apud Epipam Lydiæ civitatem defunctum indicat. Potuit quidem hæc mors a Flaviani inimicis aliquamdiu occultari ob Constantinopolitanos qui illi maxime favebant : unde archimandritæ, clerus et populus Constantinopolitanæ urbis qui ad Leonem litteras dedere citius circa Octobrem an. 449 (ut colligere licebit ex admonitione in epistolam 59), ejusdem episcopi mortem ignorabant. At nihilominus Anatolium ordinatum fuisse ante finem anni 449, ex Theodoro lectore manifestum est. In fragmentis enim ejusdem a Valesio collectis, ordinatione Anatolii ac nonnullis ejusdem ordinationis circumstantiis commemoratis, ait : *Agebantur autem hæc consulatu Protogenis et Asterii*. Igitur sub finem ejusdem anni hæc epistola ad Leonem scripta videtur ; sicut et alia ordinatorum ejus, cujus fit mentio in epistola 71 ; nam statim post ordinationem ejusmodi epistolæ scribebantur.

2. Sub idem tempus de eadem re ad Leonem litteras dedere Theodosius atque Pulcheria, et omnes hæ epistolæ simul videntur transmissæ. Nondum tamen Romam pervenerant mense Martio anni 450, cum Leo scripsit epistolas 60 et 61, in quibus Flavianum adhuc vivum præsumit. Eas pontifex accipere potuit mense Aprili vel Maio ; cujus moræ quid in causa fuerit ignoramus. Cum autem difficilem rem proponerent, quæ maturiorem consultationem flagitabat, forte hac de re Leo habuit illum *tractatum*, cujus gratia Petronium et Regulum Gallicanos *diu* se retinuisse scribit epist. 67, ad Ravennium, in quam vide annot. 2 (885 d). Hæc quidem Anatolii causa adeo magnum pontifici negotium facessivit, ut quatuor legatos eligendos, instruendos, atque Constantinopolim transmittendos crediderit, quod non exiguam in respondendo dilationem flagitabat : unde nihil mirum si epistolæ 69, 70 et 71 quibus hac de ordinatione respondet, datæ fuerint mense Julio anni 450. Interim hoc fragmentum excerptum ex Anatolii epistola, quæ statim post ejus ordinationem ante finem anni 449 exarata fuit, cum certa dies ac mensis lateat, præmittendum censuimus epistolæ Leonis ad Theodosium, quæ die 25 Decembris signatur.

EPISTOLA [a] LIII,

seu

EPISTOLÆ ANATOLII CONSTANTINOPOLITANI EPISCOPI AD S. LEONEM FRAGMENTUM.

De ordinatione sua.

954 Ex epistola Anatolii Constantinopolitani ad Leonem Romanum.

Etenim piissimus et Christi amans noster imperator Theodosius, qui cuncta in secundis post res ad Deum pertinentes ponit, cum sanctissima Constantinopolitana Ecclesia pastore orbata esset, deberetque accipere qui eam posset regere, plurimam ejusce rei curam suscepit. Ac primo quidem demandavit religiosissimo ejusdem urbis clero ut ad gubernationem aptiores decernerent cum probatione, sibi electionem omnium præcipui reservans. Deinde in his exorta immoderata dissensione, cunctisque hinc erga multos in varia studia scissis, jubet imperator conquiri clericos in regia urbe etiam ex aliis civitatibus ob quædam (ita ut fit) negotia degentes, quo inter illos præstantior absque **956** ullo affectu in episcopatum dignitatem promoveretur. Quod cum factum

B **952** Ἐκ τῆς ἐπιστολῆς Ἀνατολίου Κωνσταντινουπόλεως πρὸς τὸν Ῥώμης Λέοντα·

Καὶ γὰρ ὁ εὐσεβέστατος καὶ φιλόχριστος ἡμῶν. Βασιλεὺς Θεοδόσιος, ὁ δεύτερα τὰ λοιπὰ τῶν θείων ἡγούμενος, τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἁγιωτάτης ἐκκλησίας τοῦ ποιμαίνοντος χηρευούσης ὀφειλούσης τε τυχεῖν, τοῦ ταύτην ἰθύναι δυναμένου, πλείστην τούτου ποιησάμενος τὴν φροντίδα. Πρότερον μὲν ἐπέτρεψε τῷ κατ' αὐτὴν εὐλαβεστάτῳ κλήρῳ τοὺς ἐπιτηδειοτέρους εἰς ἐπιστασίαν μετὰ δοκιμασίας ψηφίσασθαι, τὴν ἐπιλογὴν ἑαυτῷ τοῦ πάντων ἐκκρίτου ταμιευσάμενος. Εἶτα διχονοίας ἀμέτρου ἐν τούτοις ἀναφυείσης, καὶ πάντων ἐντεῦθεν περὶ πολλοὺς μεριζομένων τὰς γνώμας, κελεύει τοὺς διάγοντας ἐν τῇ Βασιλευούσῃ, καὶ ἐξ ἑτέρων πόλεων, τινῶν ἕνεκεν, οἷα συμβαίνει, χρειῶν, κληρικοὺς ἀνερευνᾶσθαι, ἐφ' ᾧ τε C τὸν ἐκ τούτων ἄμεινον [Leg. ἀμείνω vel ἀμείνονα] **955** δίχα πάσης προσπαθείας εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προαχ-

[a] Al. post epist. 51. Quæ autem erat 53, nunc 71. Scripta sub finem anni 449.

Digitized by Google

fuisset, postea placuit iis qui in cuncta potestatem obtinent, permitti clero electionem primatis. Et ecce suffragia in me omnium minimum venerunt; non propter justitiam meam, sed ut Christus Jesus in me ostenderet omnem patientiam suam, juxta Apostolum (I *Timoth.* I, 16). Unde id operis incubuit sanctæ synodo episcoporum Constantinopoli versantium, ut ad me ordinandum sine mora procederent.

A θῆναι. Οὗπερ γεγονότος, ἔδοξε λοιπὸν τοῖς κρατοῦσι τῶν ὅλων, ἐπιτραπῆναι κλήρῳ τὴν ἐπιλογὴν τοῦ πρωτεύοντος. Καὶ ἰδοὺ φθάνει ψῆφος ἐπ' ἐμὲ τὸν ἐλάχιστον, οὐ κατὰ τὴν ἐμὴν δικαιοσύνην, ἀλλ' ἵνα πάντως ἐν ἐμοὶ ἐνδείξηται Χριστὸς Ἰησοῦς τὴν πᾶσαν μακροθυμίαν αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀπόστολον. Ὅθεν γέγονεν ἔργον τῇ ἐνδημούσῃ ἁγίᾳ συνόδῳ, ἀνυπερθέτως εἰς τὴν ἐπ' ἐμοὶ χειροτονίαν ἐλθεῖν.

EPISTOLA [a] LIV.

[b] AD THEODOSIUM AUGUSTUM.

SYNOPSIS. — *Nicænæ fidei se inhærere scribit; Eutychen non minus quam Nestorium esse damnandum; concilium intra Italiam haberi postulat.*

LEO urbis Romæ episcopus THEODOSIO semper Augusto.

Pro integritate fidei catholicæ Christianissimum principem convenit esse sollicitum, et hoc indefessis precibus divinam misericordiam posco, ut cordi vestro id quod est veritatis inspiret, neque falli vos in aliquo [c] humanarum æmulationum fraude patiatur. A me autem atque ab omnibus catholicis sacerdotibus quæ evangelicæ [d] atque apostolicæ fidei pietas defendatur, satis plene ac lucide [e] litteris meis, quas clementiam vestram jam dudum per famulum vestrum EPIPHANIUM tribunum, qui pro hac causa missus est, arbitror accepisse, [f] reseratum est: nec ambigi potest, hoc nos purissime credere, hoc constanter asserere, quod etiam venerandi Patres, quondam [g] apud Nicæam congregati, secundum fidem Symboli credendum et confitendum, sacratissima auctoritate sanxerunt. Nos enim, venerabilis imperator, sicut Nestorii dogma perversum merito anathematizavimus; ita juste etiam horum impietatem, qui veritatem carnis nostræ negant a Domino [h] nostro Jesu Christo susceptam esse, damnamus, Gloriosissime.

B Unde si pietas vestra suggestioni ac supplicationi
957 nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubeatis episcopale concilium, cito auxiliante Deo poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari: ut per universum regnum vestrum catholicæ fidei integritate
958 servata, et pacem Christianam manere, et vestram apud Deum crescere gloriam gaudeamus. Data [i] octavo kalendas Januarias, Asturio et Protogene viris clarissimis consulibus.

[a] Al. 23. Quæ autem antea 54 erat, nunc 70. Scr. 25 Decemb. an. 449.

[b] Relegimus hanc epistolam cum mss. Vat. et Venet. collectionis 12, ex qua edita fuit a Merlino; ac præsertim cum præstantissimo codice Ratisp. collect. 19.

[c] Antiquiores vulgati, *humanarum calliditatum æmulatione patiatur*. Quesnelli lectionem nostri quoque codices approbant.

[d] Voces *atque apostolicæ* addidimus ex memorato cod. Ratisp. Mox editi ante Quesn., *defendat*, non tamen nostri codices.

[e] Intelligit epistolam 44, quam quidem Epiphanio tribuno traditam ex eo colligimus, quia per Epiphanium directa fuit epistola 50 ad Constantinopolitanos, quæ sub idem tempus scripta quo epistola 44, ad imperatorem data est, hujus præsertim transmittendæ occasione eidem Epiphanio tradita videtur. Confer epistolam 59, c. 2.

[f] Editi ante Quesn. cum mss. collect. 12, *ratum est*. Corrupte. Emendationem Quesnelli noster codex Ratisp. confirmat.

[g] Nicænæ fidei apertam professionem facit, eo quod Eutyches ejusque fautores solam hanc fidem efferentes, ut patet ex ipsius Eutychis epist. 21, inter Leoninas, nollent cogi ad duas naturas in Christo profitendas, perinde ac si id contrarium esset Nicæno Symbolo, cui nihil addendum prædicabant; et hoc nomine se veluti catholicos venditantes, econtra catholicos a Nicæna fide desciscere traducebant. Hinc Theodosius ab Eutychianis deceptus, *sæpe* scripsit se non permissurum ut a Nicæna synodo sacerdotes Domini deviarent. Vide epist. 69, c. 1. Hanc Eutychianorum artem atque censuram solum post pseudosynodum Ephesinam ex posterioribus nuntiis et ex recentibus Theodosii litteris, de quibus in dissert. de epistolis deperditis num. 38, S. pontifex detexit; et idcirco tum in hac, tum in aliis subsequentibus epistolis Nicænam fidem expresse profitetur; ita tamen ut simul declaret ab hac fide non minus Nestorianos, quibus Eutychiani maxime adversabantur, quam Eutychianos ipsos plurimum dissidere. Confer C annot. 5 (col. 886 [g]) in epist. 67.

[h] Ex eodem Ratisp. supplevimus vocem *nostro*.

[i] Erat in editis *octavo kal. Junias*. Hæc chronica notatio ipsi Quesnello suspecta fuit: unde hanc notam eidem subjecit. « Cum ex epistola 27 (nunc 31) ad Pulcheriam disertis verbis testetur Leo acceptas a se tertio idus Maias litteras synodi a Theodosio convocatæ indices, mirum cur de eadem synodo nullam apud principem mentionem faciat. Forte dissimulandum censuit pontifex, ut liberius synodum intra Italiam congregandam postulare a Theodosio posset; vel dicendum in alterutra epistola mendosum esse numerum diei aut mensis. » Adde quod in solis litteris post Ephesinum latrocinium scriptis et datis die 13 Octobris ac in sequentibus concilium in Italia se desiderare Leo indicavit, ut remedium afferretur scandalis, quæ ex eodem latrocinio orta fuerant. Epiphanius etiam, qui in hac epistola memoratur, solum mense Octobri Roma discesserat cum epistolis D 44 et 50, ut innuimus annot. 4 sup. [e]. Igitur in mensem *Junium* certissimum mendum irrepsit, ac propterea non minus erronea est lectio laudatorum codicum collectionis XII, qui solummodo unum diem antevertunt IX *Kal. Junias*. Emendavimus autem ex præclaro codice Ratisp. ex quo facili librariorum lapsu *Jan.* in *Jun.* migrasse cognoscitur. Ex hac autem emendatione alia plura corriguntur et componuntur, quæ alias magnam confusionem apud eruditos pepererunt.

ADMONITIO IN SEQUENTES IMPERIALES EPISTOLAS.

1. Cur epistolæ sequentes Leoninis insertæ fuerint, probe notavit Quesnellus in brevi admonitione eisdem epistolis præmissa his verbis: *Ex epistolarum subjectarum serie manifestum est scriptas eas fuisse consilio et*

Digitized by Google

hortatu sancti Leonis totiusque synodi, ex qua et cujus nomine datæ sunt superiores pontificis litteræ. Has igitur pro utrarumque affinitate hoc loco excudendas putavimus. Nam et clariorem illius synodi nobis ingerunt notitiam, cujus locum, tempus, materiem aliasque circumstantias aperiunt; et ab ipso Leone dictatæ videntur. De quibus plura in dissertatione I de Vita et rebus gestis S. Leonis ad annum 449. Ipsæ epistolæ tres imperiales ad Theodosium, et alia ad Pulcheriam Leonis consilium palam testantur; has vero ab ipso Leone dictatas nihil indicat; quin nonnulla Leoninæ scribendi rationi haudquaquam congruunt.

2. Quoad tempus vero, cum omnes tum quæ traditæ tum quæ redditæ fuerunt Augustorum epistolæ, in una Chalcedonensi collectione exhibitæ, chronica notatione careant, alii aliter opinati sunt. De quatuor prioribus epistolis in Orientem missis in primis statuendum est. Totum pendet ex interpretatione illorum verborum Valentiniani epist. 55 : *Cum advenissem Romam ad Divinitatem placandam, sequenti die ad basilicam apostoli Petri processi, et illic post venerabilem noctem diei Apostoli, et a Romano episcopo, et ab aliis cum eo ex diversis provinciis congregatis rogatus sum scribere tuæ mansuetudini.* Ex recitatis autem verbis colligitur Valentinianum Romam accessisse pridie ante festivitatem apostoli Petri; die autem sequenti, id est ipso die festo ad basilicam apostoli Petri processisse; et illic post nocturnum officium a Leone aliisque episcopis qui ad idem festum convenerant, exoratum fuisse ut ad Theodosium scriberet. Idipsum Placidiam et Eudoxiam Augustas rogatas fuisse, ex aliis earumdem epistolis liquet.

3. Cardinalis Baronius ad an. 449, n. 164, arbitratus est has quatuor epistolas eodem anno scriptas fuisse post diem dedicationis basilicæ S. Petri, quæ celebrari solet die decima octava Novembris, et ad eam diem usque retentos fuisse existimat episcopos, qui synodo Romanæ superioribus epistolis 44 et seqq. memoratæ interfuerant. Sed præterquam quod non est verosimile episcopos, qui in kal. Octobris in Urbe convenerant, per quinquaginta dies Romæ fuisse detentos absoluta jam synodo die 13, aut serius 15 Octobris, ut liquet ex epist. 44 et sequentibus; præter hoc, inquam, nullum antiquum documentum superest, quo probetur Leone pontifice dedicationem basilicæ S. Petri celebratam fuisse die 18 Novembris. Adde quod Valentinianum an. 449 Romæ fuisse nullum aliunde indicium est; nonnulla autem suppetunt documenta quæ eum anno 450 ibidem exstitisse probant.

4. Quesnellus diss. 1 ad an. 450, n. 1, Baronii sententiam impugnans, in aliam apertius erroneam transiit, contendens has epistolas scriptas fuisse post festum S. Petri die 29 Junii an. 450. Error ex duobus manifeste detegitur. Primum quia hoc anno Valentinianus Romæ erat mense Martio, quo legem edidit Novellis insertam tit. 7, de Indulgentiis reliquorum, nec non mense Aprili ex tit. 38, de Naviculariis annuis, etc., ex quibus dies festus S. Petri, ante quem ille pridie Romam advenerat, dies 29 Junii esse non potest. Secundo quia cum Theodosius obierit die 28 Julii anni ejusdem 450, si post diem 29 Junii scriptæ ac missæ ad eum fuissent epistolæ, post ejus mortem Constantinopolim pervenissent, nec potuisset alias, quæ exstant, epistolas reddere. Alius igitur dies festus S. Petri cum Tillemontio et Pagio quærendus est, et anterior quidem die III nonas Martii an. 450, quo memorata lex de Indulgentiis reliquorum data fuit. Ex antiquissimo Kalendario Bucheriano, in quo dies festi Romanæ Ecclesiæ notantur, discimus VIII *kal. Martii* Romæ celebratum fuisse festum hoc titulo ibidem signatum : *Natale Petri de Cathedra.* Hoc itaque anno Valentinianus cum Augustis Romam pervenit IX kal. Martii; ipso autem festo Leo cum episcopis ab eisdem petiit ut ad Theodosium scriberent. Porro ex Placidiæ epist. 58 ad Pulcheriam colligitur eos scripsisse antequam eamdem Pulcheriam bonæ causæ favere ex ipsius litteris exploratum fieret; alias hujus rei aliqua mentio a Placidia eidem epistolæ inserta fuisset. Id autem Romæ innotuit ante diem 17 Martii hujus anni 450, quo S. Leo hac de re gratulatus Pulcheriæ dedit epistolam 60. Igitur quatuor priores epistolæ exaratæ fuerunt paulo post diem 22 Februarii, et ante diem 17 Martii anni ejusdem, ac probabilius sub Februarii finem.

5. Cuique epistolæ sive a Valentiniano, sive ab Augustis scriptæ Quesnellus subjecit epistolam quam Theodosius reddidit. Nos collectionis Chalcedonensis methodum et rationem etiam temporis sequendam putavimus. Ut autem idoneum intervallum tribuatur transmissioni litterarum, Theodosii epistolæ in Aprilem referendæ videntur, ac propterea post epistolas 60 et 61 scriptas mense Martio easdem locavimus.

6. Quamvis probabilius existimemus omnes has epistolas scriptas fuisse Latine, uti Latine pariter scribebantur leges, etiamsi in Oriente darentur, interiisse tamen credimus originale Latinum, solamque superesse Græcam versionem, et Latina exempla, quæ ad nos transmissa fuerunt, esse antiquam interpretationem ex Græco, eamque ab homine lucubratam Latini sermonis minus perito, ut constabit ex aliquot locis valde obscuris et pessime redditis, quæ Augustorum originali nequaquam congruunt. Hac etiam de causa notatio temporis a Græco collectore semper omissa, in Latino textu pariter desideratur, quæ suppleta fuit, cum Latinæ Chalcedonensis collectionis auctor Latina originalia invenit. Confer Præfat. in epistolas num. 36.

7. Nunc titulum, qui tribus imperialibus epistolis 55, 56 et 57, in collectione Chalcedonensi præfigitur, exhibemus. In Græca collectione sic : Θεῖον γράμμα κατατεμφθέν, τοῦτο μὲν τοῦ δεσπότου ἡμῶν Οὐαλεντινιανοῦ, τοῦτο δὲ τῆς θείας μνήμης Πλακιδίας, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῆς προσκυνητῆς Βασιλίδος Εὐδοξίας. πρὸς τὸν τῆς θείας μνήμης Θεοδόσιον, ὥστε κελεῦσαι ἐν τοῖς μέρεσι τῆς Ἰταλίας σύνοδον ἐπιτελισθῆναι. In Latina vero nostri codices ita reddunt : *Sacræ litteræ tam a domino nostro Valentiniano, quam a divæ memoriæ Placidia, nec non et Eudoxia Augusta ad Theodosium divæ memoriæ, ut juberet in partibus Italiæ concilium celebrari.*

EPISTOLA [a] LV.

VALENTINIANI IMPERATORIS AD THEODOSIUM AUGUSTUM.

962 Domino [b] meo Theodosio, gloriosissimo, victori et triumphatori, perpetuo imperatori et patri, Valentinianus gloriosus, victor ac triumphator semper Augustus et filius.

A 961 Τῷ δεσπότῃ Θεοδοσίῳ, ἐνδόξῳ, νικητῇ, καὶ τροπαιούχῳ, αἰωνίῳ Βασιλεῖ, καὶ πατρὶ, νικητὴς Οὐαλεντινιανός, ἔνδοξος, τροπαιοῦχος, ἀεὶ βασιλεὺς, καὶ υἱός.

Cum advenissem in urbem Romam ad Divinitatem placandam, sequenti die ad basilicam apostoli Petri processi, et illic post venerabilem noctem diei apostoli, et a Romano episcopo, et ab aliis cum eo ex

Παραγενομένου μου ἐν τῇ πόλει Ῥώμῃ ἐξευμενίσασθαι τὸ θεῖον, τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ ἐν τῷ εὐκτηρίῳ τοῦ ἀποστόλου Πέτρου προῆλθον· κἀκεῖσε μετὰ τὴν σεβάσμιον νύκτα τῆς ἡμέρας τοῦ ἀποστόλου, ὑπό τε τοῦ Ῥώμης ἐπισκόπου,

[a] Al. post epist. 47. Quæ autem erat 55, nunc 74. Scripta sub finem Febr. an. 450.

[b] Vulgati Græco textui cohærentius omittunt *meo*, et dein habent *glorioso*. Lectionem mss. coll. Chalcedonensis tum nostrorum, tum Baluzii edidimus.

Digitized by Google

diversis provinciis congregatis rogatus sum scribere vestræ mansuetudini de fide, quæ cum sit conservatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata: quam nos a nostris majoribus traditam, debemus cum omni competenti devotione defendere, et dignitatem propriæ venerationis beato apostolo Petro inviolatam et in nostris temporibus conservare: quatenus beatissimus Romanæ civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide et sacerdotibus judicare, domine [a] sacratissime pater, et venerabilis imperator. Hac enim gratia [b] secundum solemnitatem conciliorum et Constantinopolitanus episcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem quæ orta est de fide. Huic itaque postulanti et conjuranti salutem nostram communem annuere 964 non negavi, quatenus ad tuam mansuetudinem meam petitionem ingererem, ut prædictus sacerdos congregatis ex omni orbe etiam reliquis sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio submoto, a principio omnem causam quæ vertitur, sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat, quam fides et ratio veræ Divinitatis expostulat. Non debet enim nostris temporibus [c] contra religionem turbarum petulantia prævalere, [d] dum incommota fides hactenus fuerit conservata. Ad perfectiorem vero agnitionem vestræ [e] divinitatis, direximus etiam [f] gesta per quæ et desideria et exclamationes omnium pietas vestra cognoscat.

ὑπό τε ἑτέρων αὐτῷ ἅμα ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν συνελθόντων, ἠξιώθην γράψαι πρὸς τὴν σὴν ἡμερότητα περὶ τῆς πίστεως· ἥ τις φύλαξ ὑπάρχουσα πασῶν τῶν πιστευουσῶν ψυχῶν, λέγεται τεταράχθαι· ἣν ἡμεῖς ἀπὸ τῶν προγόνων παραδοθεῖσαν, ὀφείλομεν μετὰ τῆς προσηκούσης καθοσιώσεως ἐκδικεῖν, καὶ τῆς ἰδίας εὐλαβείας τὴν ἀξίαν τῷ [1] μακαρίῳ ἀποστόλῳ Πέτρῳ ἄτρωτον καὶ ἐν τοῖς ἡμετέροις χρόνοις διαφυλάττειν· ἵνα ὁ μακαριώτατος ἐπίσκοπος τῆς Ῥωμαίων πόλεως, ᾧ τὴν ἱερωσύνην κατὰ πάντων ἡ ἀρχαιότης παρίσχε, χώραν καὶ εὐπορίαν ἔχειν περί τε πίστεως καὶ ἱερέων κρίνειν, δέσποτα ἁγιώτατε πάτερ, καὶ σεβάσμιε βασιλεῦ. Τούτων γὰρ χάριν κατὰ τὸ ἔθος τῶν συνόδων καὶ ὁ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος αὐτὸν ἐπεκαλέσατο διὰ λιβέλλου, ἕνεκα τῆς [2] ἀνακυψάσης φιλονεικίας περὶ τῆς πίστεως. [3] Τοῦτο οὖν αἰτοῦντι, καὶ ἐνευχομένῳ τὴν κοινὴν σωτηρίαν ἡμῶν, ἐπινεῦσαι 963 οὐκ ἠρνησάμην τὸ πρὸς τὴν σὴν ἡμερότητα τὴν ἐμὴν αἴτησιν οἰκειῶσαι· ἵνα ὁ προλεχθεὶς ἱερεὺς, συναχθέντων ἐκ πάσης τῆς οἰκουμένης καὶ τῶν λοιπῶν ἱερέων, ἐντὸς τῆς Ἰταλίας, παντὸς προκρίματος ἀποκινηθέντος, ἐξ ὑπαρχῆς τὴν στρεφομένην αἰτίαν περφροντισμένῃ δοκιμασίᾳ διαγνούς, ἐξοίσῃ τὴν ἀπόφασιν, ἣν ἡ πίστις, καὶ ὁ τῆς ἀληθοῦς θειότητος λόγος ἀπαιτεῖ. Οὐ γὰρ ὀφείλει ἐν τοῖς ἡμετέροις καιροῖς καινότης θρησκείας εἰσάγεσθαι θορύβῳ προπετείας, ἀσαλεύτου τῆς πίστεως μέχρις ὧδε διαφυλαχθείσης. Πρὸς δὲ τελείαν διδασκαλίαν τῆς σῆς θειότητος ἀπεστείλαμεν καὶ τὰ πεπραγμένα· δι' ὧν καὶ τὰς ἐπιθυμίας, καὶ τὰς ἐκβοήσεις πάντων, [4] ἡ ὑμετέρα εὐσέβεια καταμάθοι.

EPISTOLA [5] LVI.

GALLÆ PLACIDIÆ AUGUSTÆ AD THEODOSIUM.

Domino victori Theodosio et triumphatori, semper Augusto filio, Galla Placidia piissima et florens, perpetua Augusta et mater.

Δεσπότῃ νικητῇ Θεοδοσίῳ, καὶ τροπαιούχῳ, ἀεὶ βασιλεῖ, υἱῷ, Γάλλα Πλακιδία ἡ εὐσεβεστάτη, καὶ ἀνθοῦσα, [2] αἰωνία βασιλὶς, καὶ μήτηρ.

[b] Dum in ipso ingressu civitatis antiquæ hanc curam habuissemus ut cultum beatissimo Petro apostolo redderemus, in ipso adorando altari martyris reverendissimus Leo episcopus, paululum se post orationem retinens, propter catholicam fidem apud nos deflevit, ipsum similiter 966 summum apesto-

Ὀπήικα ἐν αὐτῇ τῇ εἰσόδῳ τῆς ἀρχαίας πόλεως ταύτην ἐτιθέμεθα τὴν φροντίδα, ἀποδοῦναι τὴν προσκύνησιν τῷ μακαριωτάτῳ ἀποστόλῳ Πέτρῳ ἐν αὐτῷ τῷ προσκυνητῷ θυσιαστηρίῳ τοῦ μάρτυρος ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος Λέων, ὀλίγον ἐπισχὼν ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς εὐχῆς, ἕνεκα τῆς καθολικῆς πίστεως πρὸς ἡμᾶς ἀπωδύρατο· 965 αὐ-

[a] Ita fidem codices. Editi, *sanctissime pater.... Hujus enim rei gratia;* quæ lectio, etsi Græci textus vim melius exprimit, antiquam tamen interpretationem edere volentibus textui inserenda non fuit.

[b] Id est ex Græco *secundum usum* seu *consuetudinem conciliorum*. Pluralis numerus *conciliorum* non unum, sed plura concilia indicat, in quibus Romani pontifices *ex suo principatu sacerdotii* exercuere facultatem quam habent, *de fide et sacerdotibus judicare;* sicut Julius papa in Romana synodo judicavit in causa Athanasii, et Innocentius in causa Joannis Chrysostomi, etc., qui in Oriente depositi ad apostolicam sedem confugerant. Forte etiam respicitur synodus Sardicensis, quæ consuetudinem appellandi ad summum pontificem disertis canonibus comprobat.

[c] Cod. Divionensis Baluzii, *adversus religionem*. Male in aliis, *atque religione*. Noster Veronensis 57, *fidei atque religioni*.

[d] Ita mss. libri. Editi melius *cum*. Sed antiquam versionem damus.

[e] Sic melius antiqui codices, quam in excusis, *dignitatis*.

[f] Hæc *gesta* et *exclamationes*, nec non episcoporum congregatorum mentio innuunt speciem quamdam synodi habitæ ipso die festo S. Petri 22 Februarii an. 450. De quo die vide admonit. num. 4. Dein pro *exclamationes* cod. Divionensis habet *explanationem*, at in margine *exclamationes*.

[g] Quæ erat 56, nunc 75. Scripta eodem tempore quo præcedens.

[h] Editi melius *Cum*. Sed non quid melius, at quid vetus interpres reddidit quærendum est, cum antiqua versio exhibetur; antiqua autem versio, quæ in mss. exstat, *Dum* præfert.

[1] In marg. edit. Rom., μακαριωτάτῳ; codex vero Ven., μακαρίῳ τε.

[2] In marg. edit. Rom., περικυψάσης.

[3] In marg. edit. Rom., τούτῳ L.

[4] Ita ms. Ven., atque ita postulat textus Latinus, *pietas vestra*. In vulgatis male, ἡ ὑμετέρα εὐσέβεια.

[5] Ms. Ven., ἀεὶ βασιλίς.

Digitized by Google

lorum, quem nuper [a] adieramus, testem objiciens, episcoporum multitudine circumseptus, [b] quos ex innumerabilibus civitatibus Italiæ pro principatu proprii loci seu dignitate collegit; et verbis permiscens lacrymas, ad communionem sui fletus nostros quoque gemitus provocavit. Non enim modicum detrimentum est ex his quæ gesta sunt, ut fides, quæ antis temporibus regulariter custodita est a sacratissimo patre nostro Constantino, qui primus imperio splenduit Christianus, [c] nuper turbata sit ad arbitrium unius hominis, qui in synodo Ephesinæ civitatis odium et contentiones potius exercuisse narratur, militum præsentia et metu [d] appetens Constantinopolitanæ civitatis episcopum Flavianum, eo quod libellum ad apostolicam sedem miserit, et ad omnes episcopos harum partium, per eos qui [e] directi fuerant in concilio a reverendissimo episcopo Romæ, qui secundum definitiones [f] Nicæni concilii consueti sunt interesse, domine sacratissime fili, venerabilis imperator. Hac itaque gratia, tua mansuetudo tantis turbis resistens, veritatem fidei catholicæ religionis immaculatam servari præcipiat: ut secundum formam et definitionem apostolicæ sedis, quam etiam nos tamquam præcellentem similiter veneramur, in statu sacerdotii illæso manente per omnia Flaviano, [g] ad concilii et apostolicæ sedis judicium 968 transmittatur, in qua primus ille, qui cœlestes claves dignus fuit accipere, principatum episcopatus [h] ordinavit; quando scilicet decet nos huic maximæ civitati, quæ domina omnium est [i] terrarum, in omnibus reverentiam conservare. Diligentius autem etiam in hoc [j] providete, ne quod priscis temporibus nostra generatio custodivit, [k] sub nos imminui videatur, et per præsens exemplum schismata generentur inter episcopos et sanctas Ecclesias.

Α τόν τε ὁμοίως τὸν κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων, ᾧ καὶ ἐναγχος [1] προστήμεν, μάρτυρα συλλαβόμενος, περιστοιχισμένος τε πλήθει ἐπισκόπων, οὓς τινας ἀπὸ ἀναριθμήτων πόλεων ἐν τῇ Ἰταλίᾳ συνήγαγεν ὑπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ ἰδίου τόπου, καὶ τῆς ἀξίας, καὶ τοῖς ῥήμασι συνάπτων τὰ δάκρυα, εἰς κοινωνίαν τῶν ἰδίων θρήνων καὶ τὰς ἡμετέρας οἰμωγὰς ἐξεκαλεῖτο. Οὐ μικρὰ γὰρ ἐκ τῶν γεγενημένων ζημία, τὴν τοσούτοις χρόνοις φυλαχθεῖσαν τοῦ καθολικοῦ κανόνος πίστιν ἀπὸ τοῦ θειοτάτου πατρὸς ἡμῶν Κωνσταντίνου, ὃς πρῶτος ἐν τῷ βασιλείῳ διέλαμψε χριστιανὸς, ἔναγχος τεταράχθαι πρὸς ὑπόληψιν ἑνὸς ἀνθρώπου· ὅς τις ἐν τῇ συνόδῳ τῆς Ἐφεσίων πόλεως μῖσος, καὶ ἀψιμαχίαν μᾶλλον λίγεται γεγυμνακέναι, τῇ τε τῶν στρατιωτῶν παρουσίᾳ, καὶ τῷ φόβῳ καταπλήττων τὸν ἐπίσκοπον τῆς [2] Κωνσταντινουπόλεως Φλαυιανόν, διὰ Β τὸ λίβελλον στεῖλαι πρὸς τὸν ἀποστολικὸν θρόνον, καὶ πρὸς πάντας τοὺς ἐπισκόπους τῶν μερῶν τούτων. διὰ τῶν ἀποσταλέντων ἐν τῇ συνόδῳ παρὰ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ῥώμης· οἵ τινες κατὰ τοὺς ὅρους τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου εἰθίσθησαν συνιέναι, δέσποτα [3] ἁγνότατε υἱὲ βασιλεῦ προσκυνητέ. Τούτου χάριν ἡ σὴ ἡμερότης τοῖς τοσούτοις θορύβοις ἀντιτιθεῖσα τὴν ἀλήθειαν ἄσπιλον τὴν πίστιν τῆς καθολικῆς θρησκείας παραφυλαχθῆναι προσταξάτω. Ἵνα κατὰ τὸν τύπον, καὶ τὸν ὅρον τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, ὃν καὶ ἡμεῖς ὁμοίως, ὡς προηγούμενον, προσκυνοῦμεν, ἐν τῇ στάσει τῆς ἱερωσύνης ἀβλαβοῦς μένοντος ἐν πᾶσι Φλαυιανοῦ, [4] ἐν τῇ συνόδῳ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἡ δίκη παραπεμφθείη 967 ἐν ᾧ πρῶτος ἐκεῖνος, ὁ τὰς οὐρανοῦ κλεῖς ἀξιωθεὶς ὑποδέξασθαι, τὴν ἐπισκοπὴν τῆς ἀρχιερωσύνης ἐκόσμησε δηλαδή· ὁπότε πρέπει ἡμᾶς ταύτῃ τῇ μεγίστῃ πόλει, ἥ τις δέσποινα πασῶν ὑπάρχει τῶν [5] γεῶν, ἐν πᾶσι τὸ σέβας παραφυλάξαι. Ἐπιμελέστερον δὲ κἀκείνου προνοῆσαι· ἵνα μὴ ὅπερ ἐν τοῖς ἀνωτέροις χρόνοις ἡ ἡμετέρα γενεὰ διεφύλαξεν, ἐφ' ἡμῶν δόξῃ [6] μιαίνεσθαι, καὶ διὰ τοῦ παρόντος ὑποδείγματος σχίσματα προχωρῆσαι ἔν τε τοῖς ἐπισκόποις, καὶ ταῖς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις.

EPISTOLA [1] LVII.

LICINIÆ EUDOXIÆ AUGUSTÆ AD EUNDEM THEODOSIUM.

De Ecclesiæ catholicæ turbatione.

[m] Domino Theodosio inclyto, semper Augusto, et patri, Licinia Eudoxia piissima et perpetua Augusta filia.

Omnibus notum est tuam mansuetudinem, curam

Δεσπότῃ Θεοδοσίῳ τροπαιούχῳ, ἀεὶ βασιλεῖ, καὶ πατρὶ, Αἰκιννία Εὐδοξία ἡ εὐσεβεστάτη, καὶ ἀνθοῦσα, αἰωνία βασιλὶς θυγάτηρ.

Πᾶσιν ἔγνωσται τὴν σὴν ἐπιείκειαν μέριμναν, καὶ φρον-

[a] Sic omnes codices et Quesn. in margine. Vulgati perperam, *audieramus*.

[b] Editiones in margine, *quos in unum e mirabilibus*.

[c] Ita tres nostri, et totidem Baluzii codices. Duo Vatt. omittunt adverbium *nuper*. Excusi, *perturbata sit*. Dein in ms. Chig., *arbitrio*.

[d] Sic veteres libri. Editi, *impetens*.

[e] Vulgati melius, *directi fuerunt ad concilium*. Sed veterem interpretationem, quam omnes nostri et Baluzii codices exhibent, emendare noluimus.

[f] Indicari videtur canon Sardicensis septimus apud Dionysium, in Græco autem quintus, ubi de Pontificis legatis agitur, qui ejus nomine et auctoritate in conciliis utantur. Cánones autem Sardicenses ex antiqua Romanæ præsertim Ecclesiæ consuetudine Nicænis accensitos, et Nicænorum nomine appellatos alibi ostendimus.

[g] Ita vetus interpretatio in omnibus et nostris et Baluzii codd. male. Emendatum in vulgatis, et ex Græco redditum: *Ad concilium apostolicæ sedis judicium transmittatur*; ubi judicium nominativi locum obtinet. Similem Latini interpretis barbaram versionem observabimus etiam in ep. 58, ann. (col. 865 f).

[h] Editi ad marginem, *ornavit*.

[i] Sic mss. Veron. et Colbert. ut in Græco, et Quesn. in marg. Ita quoque Dion., nisi quod in margine habet: Al., *tuarum*; lectio Corb. exemplaris, ut notavit Baluzius. Editi cum aliis codd., *civitatum*.

[j] Vulgati cum uno Vat., *providere*.

[k] Sic omnes codd. Editores emendarunt, *Sub nobis*.

[l] Quæ erat 57, nunc 72. Sc. tempore præcedentis.

[m] Hæc est inscriptio Latinæ versionis antiquæ. In vulgatis ex Græco pro *inclyto* habetur *triumphatori*, et ante vocem *perpetua* additur *florens*.

[1] Ms. Ven., προστείη, atque ita etiam in marg. edit.

[2] Ms. Ven., Κωνσταντινοπολιτῶν.

[3] In marg. edit. Rom., ἴσως, ἁγιώτατε.

[4] Legendum, εἰς τὴν σύνοδον.

[5] In marg. edit. Rom., ἴσ. γαιῶν.

[6] In marg. edit. Rom., μιεῖσθαι. Lat.

Digitized by Google

atque sollicitudinem habere Christianorum et catholicæ fidei, in tantum ut juberetis ad injuriam ejus nihil omnino faciendum. Cum igitur feliciter [a] Romæ fuissemus ingressæ, et in liminibus basilicæ sanctissimi apostoli Petri venissemus, Leo beatissimus Romanæ civitatis episcopus, etiam cum aliis plurimis episcopis **970** postulationem nobis [b] obtulit, dicens omne dogma religionis per Orientem fuisse turbatum, et accidisse, quatenus tota Christianorum fides ad confusionem [c] omnem perduceretur. Nam Flavianum Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopum propter inimicitias Alexandrini episcopi ingemiscebat expulsum; et hoc cum aliis episcopis postulavit, protestans et ipsorum venerabilium locorum cultum, et mansuetudinis nostræ salutem, quatenus ad tuam clementiam ex hac [d] causa meas litteras destinarem, domine sanctissime pater, et adorabilis imperator. Salutans igitur justa posco, quatenus [e] his litteris curam vestra tranquillitas præbere dignetur, et quæ male gesta sunt emendari præcipiat, donec omnibus quæ [f] jam definita sunt revocatis, ex integro causa fidei et Christianæ religionis, quæ mota est, in partibus Italiæ congregato concilio, perquiratur. Scriptum est enim [g] hic omnem contentionem motam, quatenus Flavianus episcopus [h] ex humanis rebus potuisset auferri.

A τίδα ποιεῖσθαι [1] τῶν χριστιανῶν, καὶ τῆς καθολικῆς πίστεως ἐπὶ τοσοῦτον, ὡς ἐπιτρέπειν ἐφ' ὕβρει ταύτης μηδὲν παντάπασι γίνεσθαι. Ὁπηνίκα τοίνυν εὐτυχῶς ἐν τῇ Ῥώμῃ εἰσεληλύθαμεν, καὶ [2] τοῖς οὐδοῖς τοῦ εὐκτηρίου τοῦ ἁγιωτάτου ἀποστόλου Πέτρου παραγεγόναμεν, Λέων, ὁ μακαριώτατος ἐπίσκοπος τῆς Ῥωμαίων πόλεως, μετὰ καὶ ἑτέρων πλειόνων ἐπισκόπων, ἀξίωσιν ἡμῖν προσήγαγε, **969** φάσκων, ὅλον τὸ δόγμα τῆς θρησκείας κατὰ τὴν ἀνατολὴν τεθορυβῆσθαι, καὶ τοῦτο [3] συμβέβηκεν, ὥστε πᾶσαν τῶν χριστιανῶν τὴν πίστιν εἰς σύγχυσιν ἐλάσαι, καὶ γὰρ Φλαυιανὸν τὸν ἐπίσκοπον τῆς Κωνσταντινουπόλεως Ἐκκλησίας, διὰ τὰς ἔχθρας τοῦ Ἀλεξανδρέων ἐπισκόπου, ἀπωδύρατο ἐκβεβλῆσθαι, καὶ τοῦτο μετὰ τῶν ἄλλων ἐπισκόπων ᾔτησεν, ἐπιμαρτυρόμενος αὐτῶν τε τῶν σεβασμίων τόπων τὴν προσκύνησιν, καὶ τῆς [4] ὑμετέρας ἡμε- B ρότητος τὴν σωτηρίαν. Ὥστε πρὸς τὴν σὴν φιλανθρωπίαν ἀπὸ τοῦ μέρους τούτου ἡμᾶ γράμματα καταπεμφθῆναι, δέσποτα [5] ἁγνότατε πάτερ, βασιλεῦ προσκυνητέ. Προσαγορεύουσα τοιγαροῦν, δίκαια αἰτῷ· ὥστε τούτοις τοῖς πράγμασι θεραπείαν ἡ ὑμετέρα γαληνότης ἐπιτρέψαι παρασχεθῆναι· καὶ τὰ κακῶς πεπραγμένα διορθωθῆναι [6] κελεύσαι· ἄχρις οὗ πάντων τῶν ἤδη τετυπωμένων ἀνακληθέντων, ἐξ ὁλοκλήρου πίστεως, καὶ τῆς τῶν χριστιανῶν θρησκείας, ἡ κινουμένη αἰτία, ἐν τοῖς τῆς Ἰταλίας συναχθείσης τῆς συνόδου, δοκιμασθείη. Ἐγράφη γὰρ [7] ἐνταῦθα πᾶσαν φιλονεικίαν κεκινῆσθαι, ὥστε Φλαυιανὸν τὸν ἐπίσκοπον ἐκ τῶν [8] ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἁπαρθῆναι.

EPISTOLA [1] LVIII.

GALLÆ PLACIDIÆ [1] AD PULCHERIAM AUGUSTAM,

Qua concilium Ephesinum secundum detestatur.

972 GALLA PLACIDIA piissima semper Augusta, ÆLIÆ PULCHERIÆ piissimæ semper Augustæ filiæ.

Ut Romam frequentibus concursionibus adæque [k] desideremus inspicere, causa nobis est amplectendæ religionis, ut terminis sanctorum nostram exhiberemus præsentiam, quos certum est pro sua virtute in cœlestibus constitutos, neque inferiora despicere. Nos itaque [l] sacrilegum esse credimus, si

C **971** Γαλλὰ Πλακίδια ἡ εὐσεβεστάτη καὶ ἐπιφανεστάτη ἀειαυγούστα Αἰλίᾳ Πουλχερίᾳ τῇ εὐσεβεστάτῃ ἀειαυγούστᾳ θυγατρί.

Ὅτι τὴν Ῥώμην συνεχίσιν ἐκδρομαῖς ὁμοίως ἐπιποθοῦμεν ὁρᾶν, τῆς θρησκείας ἐστὶν ἐξαίρετον ἡ ὑπόθεσις, ὥστε τοῖς ὅροις τῶν ἁγίων τὴν ἡμετέραν ἀποδιδόσθαι παρουσίαν, οὓς ἀληθῶς ἐστιν ἐν τοῖς οὐρανίοις κατὰ τὴν αὐτῶν ἀρετὴν κατασταθέντας, οὐδὲ τῶν κατωτέρω καταφρονεῖν. ἡμεῖς τοίνυν ἱεροσυλίας γένος εἶναι νομιζόμεθα,

[a] Editi, *Romam* et *ad limina*. Veterum exemplarium, quæ antiquam versionem præferunt, lectionem etsi perperam ex Græco redditam retinuimus: ex his enim erroribus minus periti interpretis versio confirmatur, et originale Latinum excluditur.

[b] Corbeiensis Baluzii, *attulit*. Ita etiam Divionensis codex et editi in margine.

[c] Vulgati in margine, *omnino*.

[d] Iidem vulgati in margine, *regione has*, vel *eas litteras*.

[e] Vulgati pariter in margine, *his rebus*.

[f] Cod. Chig., *etiam definita*. Dein *perquiratis* pro *perquiratur* in eodem codice et in vulgatorum margine.

[g] Ita omnes nostri codd. et Græcus textus. Editi, *hinc*.

[h] Editi, *ex ecclesiasticis rebus*. Omnia vero tum nostra, tum Baluzii exemplaria, quibus et hic et infra epist. 63 congruit Græcus textus, habent *ex humanis rebus*, id est, ut recte interpretatur idem Baluzius, ab hominum communione remotus, ab humanarum rerum administratione expulsus; neque enim per hoc tempus de Flaviani morte Romæ auditum fuerat. In epistola autem 64 Theodosii ad Placidiam tum in Græca, tum in Latina versione Flavianus *ab ecclesiasticis rebus* expulsus dicitur. Quare hæ duæ formulæ eodem recidunt.

[1] Quæ erat 58, nunc 78. Scripta eodem tempore D quo præcedens.

[1] Latina hujus epistolæ interpretatio ex mss. Latinis collectionis Chalcedon. solum edita fuerat, antequam Græcam item versionem Cotelerius ederet tom. I Monument. Eccles. Græcæ, pag. 62.

[k] Ita codices. Vulg., *desideraremus*.

[l] Cod. Veron. 57, *sacrilegium*.

[1] Ms. Ven., τῆς Χριστιανῶν.

[2] Ita optime ms. Ven. Male in vulgatis, ταῖς οὐδοῖς.

[3] In marg. edit. Rom., συμβεβηκέναι, in L. Hard.

[4] In marg. edit. Rom., ἡμετέρας. L.

[5] In marg. edit. Rom., ἴσως, ἁγιώτατε.

[6] In marg edit. Rom., παρακελεύσει.

[7] In eodem marg., ἐντεῦθεν. L.

[8] In marg. eodem, ἐκκλησιαστικῶν. L.

Digitized by Google

solemnium ordinem denegemus. Cum igitur beato apostolo Petro nostram præsentiam dedissemus, illic multitudine sacerdotum reverendissimus Leo papa circumdatus, pro dignitate sui loci nos primus adiit: qui propter interpositam gemitus sui tristitiam, desiderium suum verbis [a] pene insinuare non poterat. Vicit tamen constantia sapientiæ sacerdotis, ut lacrymas paululum retineret, et causam violatæ fidei, tamquam hujus vindex, manifesto sermone proferret. In quo sermone cognovimus nostris temporibus catholicam fidem esse turbatam, quam a divo patre nostro Constantino nostri generis parentes hactenus servaverunt. Secundum voluntatem namque cujusdam, pravum aliquid adversus sacerdotem Constantinopolitanum **974** [b] excitatum dicitur. Nos itaque in Ephesino concilio, in quo nullos ordinem sacerdotum custodivit, neque mensuram, sine consideratione Divinitatis omnia esse gesta cognovimus, quatenus præsumptio et injustitia in quorumdam damnationem vim [c] obtinere dicatur, quæ nostris temporibus terribilia esse videntur. Debet itaque fides proprie valere, sanctissima atque venerabilis filia Augusta. Igitur tua clementia secundum catholicam fidem, quod semper nobiscum fecit, et nunc similiter conspirare dignetur, ut quidquid [d] illo tumultuoso miserrimoque concilio constitutum est, omni virtute [e] submoveatur, et omnibus integris permanentibus, [f] ad apostolicæ sedis, in qua primus apostolorum beatus Petrus, qui etiam claves [g] regnorum cœlestium suscipiens, sacerdotii principatum tenuit, [h] episcopatus causa mittatur. Debemus enim primatum in omnibus immortali conversationi tribuere, quæ totum mundum propriæ virtutis dominatione complevit, et nostro imperio orbem gubernandum servandumque commisit.

A εἰ ἀρνησόμεθα τῶν εἰωθότων τὴν τάξιν. Ἐπεὶ οὖν τῷ μακαριωτάτῳ ἀποστόλῳ Πέτρῳ τὴν ἡμετέραν παρουσίαν ἀποδεδώκαμεν, κἀκεῖσε τῷ πλήθει τῶν ἱερέων ὁ εὐλαβέστατος περιλαβόμενος Πάπας Λέων, κατὰ τὴν ἀξίαν τοῦ ἰδίου τόπου πρῶτος ὑπέβαλε· καὶ διὰ τὴν παρεντιθεμένην τοῦ στεναγμοῦ λύπην, τὴν ἑαυτοῦ ἐπιθυμίαν σχεδὸν διὰ ῥημάτων δηλοῦν οὐκ ἠδύνατο. Νενίκηκεν ὅμως τὸ σταθηρὸν τοῦ φρονήματος τοῦ ἱερέως, ἐπισχεῖν ὀλίγον τὰ δάκρυα, καὶ τὴν ὑπόθεσιν τῆς παρατρωθείσης πίστεως, ὡς ταύτης ἔκδικος, σαφεῖ τῷ λόγῳ προήνεγκεν. Ἐν ᾧ λόγῳ διέγνωμεν, ἐν τοῖς ἡμετέροις καιροῖς τὴν καθολικὴν πίστιν τεταράχθαι, τὴν [Leg. ἣν] ἐκ τοῦ θείου πατρὸς ἡμῶν Κωνσταντίνου μέχρι τῆς σήμερον οἱ τοῦ ἡμετέρου γένους ἐφύλαξαν πρόγονοι. Κατὰ γνώμην τινὸς ὅσον φαῦλον κατὰ τοῦ ἱερέως Κωνσταντινουπόλεως ἐκγυμνάσαι [Leg. ἐκγυμνᾶσθαι] λέγεται. **973** Ἡμεῖς οὖν ἐν τῇ κατὰ τὴν Ἔφεσον συνόδῳ, τῇ μηδεμίαν τάξιν ἱερωσύνης φυλαξάσῃ, ἢ μηδὲ συμμετρίαν, ἄνευ τῆς προσοχῆς τῆς θειότητος πάντα πεπρᾶχθαι μεμαθήκαμεν, ὅστε τὴν πρόληψιν καὶ τὴν ἀδικίαν καὶ εἰς τινῶν καταδίκην λέγεσθαι κρατεῖν· ἃ τοῖς ἡμετέροις καιροῖς φρικτὰ εἶναι δοκεῖ. Ὀφείλει τοίνυν ἡ πίστις ἰδικῶς κρατεῖν, δέσποινα ἀγιωτάτη καὶ προσκυνητὴ θύγατερ Αὐγούστα. Τοιγαροῦν ἡ σὴ φιλανθρωπία κατὰ τὴν καθολικὴν πίστιν, ὅπερ ἀεὶ μεθ' ἡμῶν πεποίηκε, καὶ νῦν ὁμοίως συμπνεῦσαι καταξιωσάτω· ὥστε πᾶν ὃ ἐν ἐκείνῃ τῇ τεταραγμένῃ καὶ ἀθλίᾳ συνόδῳ τετύπωται, πάσης ἀποκινηθείσης δυμάμεως· καὶ πάντων ἀκεραίων μενόντων, εἰς τὸν ἀποστολικὸν θρόνον, ἐν ᾧ πρῶτος ὁ μακαριώτατος τῶν ἀποστόλων Πέτρος, τὰ κλεῖθρα τῶν οὐρανῶν ὑποδεξάμενος, τὴν ἀρχιερωσύνην ἐκόσμησε, τοῦ ἐπὶ [Leg. κληρωσαμένῃ] ὑπόθεσις παρακεμφθείη. Ὀφείλομεν γὰρ τῇ ἀθανάτῳ πόλει ἀπονέμειν ἐν πᾶσι τὰ πρωτεῖα, τῇ διὰ τῆς ἰδίας ἀρετῆς, τοῦ κόσμου κληρῶσαι μὲν, ἢ τὴν δεσποτείαν, καὶ τῇ ἡμετέρᾳ βασιλείᾳ τὸν κύκλον καὶ διοικητέον καὶ φυλακτέον ἐπιτρεψάσῃ.

975 EPISTOLA [i] LIX.

[j] AD CLERUM ET PLEBEM CONSTANTINOPOLITANÆ URBIS.

[k] SYNOPSIS. — I. *Gratulatur quod et Flaviano semper adhæreant et errori resistant.* — II. *Veritas carnis in Christo ex mysterio Eucharistiæ probatur.* — III. *Probatur etiam ex ejus super universa provectione, et ex actionibus passionibusque ejus corporeis.* — IV. *Ex necessitate incarnationis ad culpam Adæ eluendam, et prophetiis illam prænuntiantibus.* — V. *Varii errores contra incarnationis fidem.*

Leo episcopus [l] clero, honoratis et plebi consistenti Constantinopoli.

CAP. I. — Licet de his quæ in concilio sacerdotum

B

C

D

[a] Ita codices et Quesnellus in secunda editione. Alii vulg., *plene*, et ad marginem, *pene*.

[b] Baluzii codices, *exercitatum*. Cotelerius, *actum*.

[c] Quidam nostri codices omittunt *vim*.

[d] Codex Chigianus, *in illo*. Duo alii codd., *in illorum*. Mox *luctuoso* pro *tumultuoso* in duobus mss.

[e] Sic nostri et Baluzii codices. Editi, *removeatur, ut omnibus*.

[f] Ita codices et vulgati ante secundam editionem Quesnelli, qui emendavit *ad apostolicam sedem*, hanc notationem subjiciens : « Ita reponendum censui Græca secutus, εἰς τὸν ἀποστολικὸν θρόνον, cum antea hiatus esset in Latino textu : *ad apostolicæ sedis*. Epistolam hanc pluribus in locis interpolatam ab interprete Græco observat Cotelerius, quem videsis in notis p. 723 et 724. » Optime quidem, sed non ita reddidit vetus interpres quem hic exhibemus. Solum, post voces *ad apostolicæ sedis*, deesse videtur vel subintelligitur *judicium*.

[g] Sic iidem codices. Cotelerius ex Græco simpliciter, *cælorum* ; vulgati, *regni cælestis*.

[h] Cod. Divion. et Quesnellus in margine, *episcoporum causa*.

[i] Al. 46. Quæ autem antea 59 erat, nunc 79. Scripta circa medium Martium an. 450.

[j] Exstat hæc epistola in mss. collect. 2, 5, 12, 13, 18 et 20 usque ad 24, ac in exemplo Sichardi.

[k] In tabula collect. 5 hic titulus legitur cap. 80 : *Ad Constantinopolitanos super stabilitate fidei ipsorum cohortatio*.

[l] Editi ante Quesn., cum mss. posteriorum collect. 20, 21, 23 et 24 addunt, *et sancta synodus, quæ in urbe Roma convenit*. Hæc autem verba jure expunxit Quesnellus auctoritate vetustiorum collectionum et codicum, quos recenset not. 6, nimirum Corb. collect. 2, Trecoplith. et Thuan. collect. 5 ac Griman. collect. 18, quibus concinunt noster Vindebon. collect. 5 ac Florentin. S. Marci collect. 13, in quo postremo legitur : *Leo urbis Romæ episcopus Constantinopolitanis*. Cod. Vat. collect. 11 et exemplum Sichardi nullam quoque synodi mentionem præferunt. Error ex eo ortus est quod hæc epistola

Digitized by Google

nuper apud Ephesum gesta memorantur, multus nos mœror afficiat, eo quod, sicut consonans fama dispersit, et ipso rerum monstratur effectu, nec justitiæ illic moderatio, nec fidei est servata religio; [a] de vestræ tamen devotionis pietate gaudemus, et in sanctæ plebis acclamationibus, quarum ad nos exempla delata sunt, omnium vestrum probavimus affectum : quia [b] vivit ac permanet apud bonos filios optimi patris justa dilectio, [c] et catholicæ doctrinæ 976 eruditionem in nulla patimini parte corrumpi. Non dubie enim, sicut [d] vobis Spiritus sanctus reseravit, Manichæorum confœderantur errori, qui ab unigenito Dei Filio verum [e] et nostræ naturæ hominem negant esse susceptum, omnesque ejus corporeas [f] actiones simulatorii volunt fuisse phantasmatis. Cui impietati [g] ne in aliquo præbere- A tis assensum, jam per filium meum Epiphanium et Dionysium Romanæ Ecclesiæ [h] notarium cohortatoria ad dilectionem vestram scripta direximus, quibus confirmationem quam [i] expetistis ultro præbuimus : ut nos paternam vobis curam non dubitetis impendere, ac modis omnibus laborare ut, auxiliante misericordia Dei, omnia quæ ab imperitis et insipientibus excitata sunt scandala destruantur. Nec quisquam sibi audeat de sacerdotali honore blandiri, qui potuerit [j] in exsecrandi sensus impietate convinci. [k] Nam si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in eis qui præsunt, non excusatione est digna nec venia : maxime cum etiam defendere perversarum opinionum commenta præsumunt, et in consensum suum aut terrore aut gratia [l] instabiles quosque traducunt?

CAP. II.—[m] Spernuntur hujusmodi a sanctis membris corporis Christi, neque sibi catholica libertas infidelium jugum patietur imponi. Extra domum enim divinæ gratiæ et extra sacramentum habendi sunt salutis humanæ, qui negantes naturam nostræ carnis in Christo, et Evangelio contradicunt, et Symbolo 977 reluctantur. Nec sentiunt se in hoc præruptum sua obcæcatione duci, ut nec in passionis Dominicæ, nec in resurrectionis veritate consistant : quia utrumque in Salvatore vacuatur, si in eo nostri generis caro non creditur. [n] In quibus [o] isti ignorantiæ tenebris, in quo hactenus desidiæ torpore jacuere? ut nec audito discerent, [p] vel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas corporis et sanguinis Christi [q] inter communionis sacramenta taceatur. Quia in illa mystica distributione spiritalis alimoniæ hoc impartitur, hoc sumitur : ut accipientes virtutem cœlestis cibi, in carnem ipsius qui caro nostra factus est transeamus. Unde et ad confirmationem charitatis vestræ, quæ laudabili fide inimicis veritatis obmittitur, apto aliquo opportune sermone affectuque [r] Apostoli utar, et dicam : *Propterea et ego audiens fidem vestram, quæ est [s] in Domino Jesu, et dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis : ut Deus Domini nostri [t] Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapien-*

---

signabatur *idibus Octobris* anni præcedentis, quæ chronica notatio legitur in alia epistola 50, ad eosdem Constantinopolitanos scripta in Romana synodo; unde utramque in eadem synodo datam fuisse existimatum est. At per errorem cam chronicam notationem huic epistolæ affixam ostendemus inferius, annotatione ultima.

[a] Deletur præpositio *de* in Vindebon. collect. 5 et in mss. collect. 11 et 24, ac in exemplo Sichardi. Mox *bonitate* pro *pietate* in cod. Corb. Dein, in voces *plebis acclamationibus*, vide not. 2 Quesn.

[b] Vindebon. collect. 5 cum editis ante Quesn., *et vivit ac permanet*. Simile quiddam est in codd. collect. 21.

[c] Cod. Griman., *et catholicam doctrinam in nulla*. Dein Quesnellus inseruit *ejus* ante vocem *doctrinæ*. Delevimus autoritate omnium nostrorum codicum et anteriorum editionum.

[d] Cod. Vat. collect. 11 omittit *vobis*.

[e] Particulam *et* a Quesnello deletam ex omnibus nostris codicibus et editis revocavimus.

[f] Quatuor mss. Quesn., *sanctiones*.

[g] Idem Quesnellus, *ne aliquem* Restituimus anteriorum editorum lectionem confirmatam omnibus nostris codicibus excepto Vindebon. collect. 5, in quo erronee, *ne aliqua*.

[h] Retinuimus cum Quesnello *notarium* potius quam *notarios*, ut in plerisque nostris codicibus etiam Vindebon. collect. 5, et in anterioribus editionibus legitur, propterea quod Epiphanius titulo *filii* singulari numero decoratus, in epistola 54 *tribunus* vocatur, quod *Romanæ Ecclesiæ notario* non videtur convenire. *Scripta* autem, quæ a Leone per Epiphanium et Dionysium ad Constantinopolitanos *jam directa* traduntur, sunt epistola 50, data III *idus*, aut C *idibus Octobris* anni præcedentis.

[i] Cod. Vat. collect. 11 addit *ter*, perperam : nam ultro Leo jam præbuerat, quod ex acceptis posterioribus litteris a Constantinopolitanis expetitum fuisse deprehendit, uti colligitur etiam ex epist. 61, cujus locum dabimus inferius annot. 48 (col. 871 [m]).

[j] Vindebon. collect. 5 delet *in*. Mox Vat. collect. 11, *operis impietate*.

[k] Dist. 28, *Si in laicis*, c. 3.

[l] Editi ante Quesn. et non pauci codices perperam, *insanabiles*.

[m] Ita codd. novem Quesnelli et sex nostri. Alii cum anterioribus vulgatis, *separentur*.

[n] De Consecr. dist. 2, *In quibus istis*, c. 38.

[o] Sic omnes nostri codices et editi ante Quesnellum, apud quem, *In quibus sunt ignorantiæ*.

[p] Tres sequentes voces delet ms. Corb., ut Quesnellus notavit in margine.

[q] Erroneam lectionem vulgatorum Leonis ante Quesnellum, *inter communis sacramenta fidei teneatur*, in nullo nostro codice invenimus. Mss. collect. 12 et 24 ac exemplar Sichardi præferunt lectionem edit. Conciliorum, *inter communis sacramenta fidei taceatur*. Tres alii codices Vat. 541 collect. 21, Venet. 79 collect. 22, et Ottobon. 297 collect. 23, *in communionis sacramento taceatur*. Septem vero præstantiores codices ut in textu, quem cum Quesnello retinuimus, eo quod sex aliis ejusdem codicibus confirmetur. Vide ejus not. 2.

[r] Editi ante Quesn. cum mss. collect. 21, *apostolico*.

[s] Quidam mss. libri cum antiquioribus editis, *in Christo Jesu*.

[t] Voces *Jesu Christi* desunt in exemplari Sichardi et in mss. collect. 24.

Digitized by Google

tiæ et revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri; ut scialis quæ sit spes vocationis ejus, [a] *et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus* [b] *in nobis, qui credidimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens* [c] *illum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro; et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput* [d] *supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur* (*Ephes.* I, 15-23).

Cap. III.—Dicant [e] hic adversarii veritatis quando omnipotens Pater vel secundum quam **978** naturam Filium suum super universa provexerit, vel cui substantiæ cuncta subjecerit, Deitas enim Verbi per in omnibus et consubstantialis est Patri, et sempiterne atque intemporaliter una eademque potentia est genitoris et geniti. Creator quippe omnium naturarum, quoniam *per ipsum omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3), [f] superior est omnibus quæ creavit, nec unquam Creatori suo non fuerunt subjecta quæ condidit : cui proprium et sempiternum est, nec aliunde quam de Patre, nec aliud esse quam Pater est. Huic si additu est potestas, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat provehente qui crevit, nec habebat divitias ejus naturæ cujus indiguit largitate. Sed talia sentientem in societatem suam Arius rapit, cujus perversitati multum hæc suffragatur impietas, negans Verbo Dei humanam inesse naturam, ut dum humilitatem in Dei majestate fastidit, aut [g] falsam in Christo asserat imaginem corporis, aut omnes actiones ejus passionesque corporeas, Deitatis potius fuisse dicat quam carnis. Quodlibet autem defendere audeat, prorsus insanum est : quia nec pietas fidei, nec ratio recipit sacramenti, ut aut aliquid passa sit Deitas, aut in illo mentita sit veritas. Impassibilis igitur Dei Filius, [h] cui cum Patre et cum Spiritu sancto in una incommutabilis Trinitatis essentia, hoc quod est esse perpetuum est : in ea plenitudine temporis, quæ sempiterno consilio fuerat præstituta, et prophetica dictorum atque gestorum significatione promissa, factus filius hominis non suæ conversione substantiæ, sed nostræ assumptione naturæ, *venit quærere et salvare quod perierat* (*Luc.* XIX, 10). Venit autem non locali accessu, nec motione corporea, tamquam præsens futurus unde abfuisset, aut illinc recessurus unde venisset; sed venit per hoc quod erat visibile et commune cernentibus declarandus, humanam scilicet carnem atque animam in visceribus Virginis matris accipiens, ut manens in forma **979** Dei, [i] formam servi sibimet et similitudinem carnis peccati uniret, per quam non minueret divina humanis, sed augeret humana divinis.

Cap. IV. — Talis enim erat omnium a primis ducta genitoribus causa mortalium, ut originali peccato transeunte per posteros, nullus pœnam damnationis evaderet, nisi Verbum caro fieret, et habitaret in nobis (*Joan.* I, 14), in ea scilicet natura quæ nostri et sanguinis esset et generis. Propter quod dicit Apostolus : *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines ad justificationem* [j] *vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius hominis obedientiam justi constituentur multi* (*Rom.* V, 18, 19). Et iterum : *Quia enim per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 2). Hi utique omnes, qui licet in Adam sint nati, in Christo tamen [k] inveniuntur renati, habentes fidei testimonium, et de justificatione gratiæ, et de communione naturæ : quam qui susceptam ab unigenito Dei Filio in utero Davidicæ virginis diffitetur, ab omni sacramento Christianæ religionis alienus est; et nec sponsum agnoscens, nec sponsam intelligens, nuptiali non potest interesse convivio. Caro enim Christi velamen est Verbi, quo omnis [l] qui ipsum integre confitetur induitur. Erubescens autem illud, et quasi indignum refutans, nullum ex eo habebit ornatum : ac licet se regio [m] inserat festo, sacrisque se epulis importunus immisceat, discretionem tamen regis fallere improbus conviva non poterit; sed, sicut ipse Dominus protestatus est, tolletur, et ligatis manibus et pedibus mittetur in tenebras exteriores, [n] ubi erit fletus et stridor dentium (*Matth.* XXII,

[a] Vindebon. collect. 5 delet conjunctionem *et*.

[b] Quesnellus in margine : Alias, *in nos*. Ms. Grim., *in vos*, *qui credidistis*. Tres nostri codices, *qui credimus*.

[c] Vindebon. delet *illum*.

[d] Idem Vindebon. collect. 5 et alii collect. 21, nec non quatuor Quesnelli cum anterioribus editis in margine, *supra omnia Ecclesiæ*. Consule not. 3 ejusdem Quesnelli, qui paulo post, pro *adimpletur*, notavit in margine : Alias, *adimplet*, vel *adimplevit*.

[e] Aliquot codices cum editis ante Quesn., *hi adversarii*.

[f] Mss. collect. 11 et 24 cum Sichardo, *superest omnibus*. Codd. collect. 21, *superior est in omnibus*.

[g] Ita Quesn. Nostri codices cum anterioribus editis, *falsatam*.

[h] Iidem editi cum Vindebon. collect. 5 aliisque nostris codd. addunt *Deus*.

[i] Codd. collect. 21, *formam servi sumeret, et similitudinem carnis peccati Deo uniret*.

[j] Vindebon. collect. 5, item mss. libri collect. 11, inter quos est Barberinus a Quesnello laudatus in margine, aliique collect. 21 et 24 cum Sichardo delent *vitæ*. Paulo post, pro *constituentur*, Vat. collect. 11 habet, *constituuntur*.

[k] Ms. Vindebon., *invenientur*. Mox Vat. collect. 11, *fidei testamentum*.

[l] Editi ante Quesn. cum exemplo Sichardi, *qui Christum confitetur, integre induitur*. Emendationem Quesnelli nostri codices approbant. Solum duo mss. collect. 21 præferunt *inducitur*.

[m] Iidem editi cum mss. collect. 11 et 21, *infertur*.

[n] Iidem codices, *ibi erit*.

Digitized by Google

13). Unde quicumque in Christo non confitetur corpus humanum, noverit se mysterio incarnationis indignum, nec ejus sacramenti habere consortium, quod Apostolus prædicat, dicens: *Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ,* **980** *et erunt duo in carne una.* Et exponens quid per hoc [a] significaretur, adjecit: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* v, 30-32). Ab ipso ergo principio generis humani [b] omnibus hominibus Christus est denuntiatus in carne venturus. [c] In qua, sicut dictum est, *Et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24), utique duo sunt, Deus et homo, Christus et Ecclesia, quæ de sponsi carne prodiit, quando ex latere Crucifixi manante sanguine et aqua, sacramentum redemptionis et regenerationis accepit. Ipsa est enim [d] novæ conditio naturæ, quæ in baptismate non indumento veræ carnis, sed contagio damnatæ vetustatis exuitur, ut efficiatur homo corpus Christi, quia et [e] Christus corpus est hominis.

Cap. V. — Unde non Deum tantum dicimus Christum, sicut hæretici [f] Manichæi; nec hominem tantum, sicut hæretici Photiniani; nec ita hominem, ut aliquid ei desit quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam, sive mentem rationalem, sive carnem, [g] quæ non de femina sumpta sit, sed facta de Verbo in carnem converso atque mutato: quæ tria falsa et vana [h] Apollinaristarum hæreticorum tres partes varias protulerunt. Nec dicimus quod beata Virgo Maria hominem sine Deitate conceperit, qui creatus a Spiritu sancto postea sit susceptus a Verbo, quod Nestorium prædicantem merito justeque damnavimus; sed dicimus Christum Dei Filium, Deum verum, natum de Deo Patre sine ullo initio temporis, eumdemque hominem verum, natum de matre homine certa plenitudine temporis; nec ejus humanitatem, qua major est Pater, minuere aliquid [i] ejus naturæ, qua æqualis est Patri. Hoc autem utrumque unus est Christus, qui verissime dixit, et secundum Deum: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30); et secundum hominem: *Pater major me est* (*Joan.* xiv, 28). Hanc fidem, dilectissimi, veram et indissolubilem, quæ sola veros efficit Christianos, quamque, ut intelligimus et probamus, pio studio et laudabili amore defenditis, perseveranter tenete et constanter asserite. **981** Et quoniam oportet [j] vos post divinum auxilium etiam catholicorum principum gratiam promereri, humiliter ac sapienter exposcite ut petitioni nostræ, qua plenariam indici synodum [k] postulavimus, clementissimus imperator dignetur annuere: [l] qua citius, adjuvante misericordia Dei, et sanis fortitudo augeatur, et morbidis, si curari acquiescant, medicina præstetur. [m]

[a] Exemplar Sichardi, *significetur.*

[b] Vulgati ante Quesn. delent *omnibus.* Codd. collect. 11 et 24 delent *hominibus.* Sichardus utrumque.

[c] Sichardus: *In hoc sicut.*

[d] Quinque nostri codd. et editi Quesnello anteriores, *nova.*

[e] Vat. collect. 24 et editi ad marginem, *Christi.*

[f] Vide notam 4 Quesn.

[g] Editi antiquiores cum Vat. collect. 24, *quam non de femina sumpsit, sed factam de Verbo,* etc.

[h] Vide notam 5 Quesnelli, et nostram annot. 7 (000 i) in epist. 109. Mox excusi ante Quesn. et mss. collect. 24, *varie protulerunt.*

[i] Duo codd. Vatt. collect. 21, *ei naturæ.*

[j] Vat. collect. 11 et alius 546 collect. 21, *nos.*

[k] Non pauci nostri codices, etiam Vindebon. collect. 5 cum antiquioribus editis et exemplo Sichardi, *postulamus.* Respicere videtur epistolas scriptas ad Theodosium atque Pulcheriam anno præcedenti, quibus concilium postulaverat.

[l] Ita cum Quesnello noster Vindebon. collect. 5 et mss. collect. 21. Cæteri codices et editi, *quo citius.* Paulo post, *si reparari acquiescant* in Vat. collect. 11.

[m] Vulgati affigunt chronicam notam sic: *Data idibus Octobris Asterio et Protogene viris clarissimis consulibus.* Quamvis autem hæc temporis notatio inveniatur in nostris codd. collect. 20, 21, 22 et 23, quarum tres ultimæ quoad hanc epistolam eamdem originem habent, deest tamen in cæteris antiquioribus et præstantioribus collectionibus 5, 11, 12, 13, 18 et 24, ac in exemplo Sichardi. Utrum inveniatur in codice Corbeiensi collect. 2 ignoramus. Vide not. 6 Quesnelli, ubi eam addititiam opinatus est. Enimvero scripta dici nequit hæc epistola idibus Octobris anni 449, nam capite 1 memorantur aliæ litteræ ad eosdem Constantinopolitanos jam directæ per Epiphanium ac Dionysium. Indicatur autem epist. 50 data III idus vel idibus Octobris ipsius anni 449, quam quidem una cum aliis epistolis sub idem tempus scriptis Epiphanium et Dionysium Constantinopolim deferendam accepisse colligimus ex epistola 54, ubi alia epistola 44 ad Theodosium III idus Octobris signata per eumdem Epiphanium missa traditur. Prius ergo scripta et transmissa fuit epistola 50, posterius vero hæc epistola 59. Id autem incidisse circa medium Martium anni 450 nonnulla suadent ex epistola 61, scripta die 17 Martii anni ejusdem ad Constantinopolitanos archimandritas Martinum et Faustum, ad quos epistola 51 cum epistola 50 per Epiphanium et Dionysium missa fuerat. Ex epistola nimirum 61 palam fit Leonem accepisse eorum litteras, ex quibus cognovit se per epistolam 51 in synodo exaratam eisdem præstitisse quod expetebant. Id enim innuunt illa capitis primi: *Siquidem inter discretarum spatia longinqua regionum unum sumpserunt corda nostra consilium, ut quod a nobis desiderabatis, eo vobis tempore quo epistolæ vestræ mittebantur occurrerit; si tamen dilectioni vestræ tradi scripta nostra potuere, quæ non solum apostolicæ sedis auctoritate, sed etiam sanctæ synodi..... unanimitate directa sunt.* Idem vero nuntius, qui horum archimandritarum litteras ad Leonem attulit, epistolam etiam cleri et populi Constantinopolitani simul detulisse credendus est. Hinc quidem in præsenti epistola 59, cap. 1, Leo similiter scribit ac in epistola 61: *Quod expetistis, ultro præbuimus.* Archimandritæ scilicet nec non clerus et populus Constantinopolitanus uno consilio simul ad Leonem litteras dederant in quibus idipsum expetebatur; et dederunt eodem circiter tempore quo ad ipsos Leo misit epistolas 50 et 51, unde utrisque illorum epistolis simul acceptis Leo similiter respondit, se *jam* per epistolas 50 et 51 Octobri anni præcedentis directas ultro quod expetebant præstitisse, et eodem etiam tempore quo ipsorum epistolæ mittebantur. Igitur tum hæc epistola 59, tum epistola 61 sub idem tempus

Digitized by Google

EPISTOLA [a] LX.

[b] AD PULCHERIAM AUGUSTAM.

SYNOPSIS. — *Per Eutychen fidei fundamenta concuti; adversus quem concilium generale Pulcheria annitente celebrari cupit.*

982 LEO episcopus [c] PULCHERIÆ Augustæ.

Gaudere me plurimum et exsultare in Domino pietatis tuæ scripta fecerunt, quibus evidenter ostenditur quantum catholicam diligas fidem, et quantum hæreticum detesteris errorem. Hæresis quippe est nimis impia et [d] Evangelio veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa Christianæ religionis conatur fundamenta convellere, negans sempiterni Patris Filium sempiternum de utero beatæ Virginis matris veram carnem nostræ sumpsisse naturæ, et eos damnatione percellens, qui ab evangelica et apostolica fide nullo deduci errore potuerunt, illudque frustra prætendens quod Nicænæ synodi fidem teneat, cujus eum esse constat alienum, gloriosissima Augusta. Unde quia non deserit Ecclesiam suam divina protectio, dicente Domino : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem* **983** *sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20); eodemque opere [e] et tempore spiritus Dei et clementiæ vestræ sollicitudinem et curam nostri cordis accendit, ut de remediis procurandis eadem utrique cuperemus : quæ prius [f] poposci, nunc quoque instantius peto, majore utens fiducia deprecandi, posteaquam præsidium venerandæ exhortationis accepi. [g] Spero autem affuturam misericordiam Dei, ut cooperante clementia vestra, pestiferi erroris possit morbus auferri : ut quidquid, ipso inspirante atque auxiliante, potuerit salubriter fieri, cum vestræ fidei laude peragatur : quoniam [h] res [i] humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, et regia et sacerdotalis defendat auctoritas. Data decimo sexto kalendas Aprilis, Valentiniano Augusto septies, et Avieno, v. cl. consulibus [j].

EPISTOLA [k] LXI.

[l] AD MARTINUM ET FAUSTUM PRESBYTEROS.

[m] SYNOPSIS. — I. *De litteris ad eos scriptis monet.* — II. *Hortatur ut fidei causam adjuvent, iisque sollicitudinem suam spondet.*

LEO episcopus, [n] MARTINO, et FAUSTO presbyteris et archimandritis.

CAP. I. — Bonorum operum et spiritalium studiorum Deum auctorem esse non dubium est; qui quorum incitat mentes, adjuvat actiones. Quod nobis præsenti experimento **984** evidenter apparuit. Siquidem inter discretarum spatia longinqua regionum, unum sumpserunt corda nostra consilium, ut quod a nobis desiderabatis, eo vobis tempore quo epistolæ vestræ [o] mittebantur occurrerit, si tamen dilectioni vestræ tradi [p] scripta nostra potuere, quæ non solum apostolicæ sedis auctoritate, sed etiam sanctæ synodi, quæ ad nos frequens convenerat, unanimitate directa sunt, ut in his quantam curam totius Ecclesiæ habeamus appareat; hortando scilicet omnium fidelium mentes et clementissimorum principum præsidia ad defensionem fidei postulando : [q] quorum pios et catholicos animos non diffidimus opem atque auctoritatem suam justis petitionibus præstituros; quo citius, auxiliante Domino, perniciosa hæresis, et dudum sanctorum Patrum auctoritate damnata, quæ nuper Ephesi male adjuta est, auferatur.

CAP. II. — Interim vero det operam, quantum fieri potest, vestra dilectio ut omnibus Ecclesiæ filiis innotescat [r] quid contra impium sensum secundum doctrinam evangelicam et apostolicam prædicemus. Quia licet plene, quæ semper fuisset atque esset catholicorum sententia scripserimus, tamen nunc quoque ad confirmandas omnium mentes non parum exhortationis [s] addidimus. Memor enim sum me

---

rescriptæ fuerunt; illa vero primum : nam ad eam referri putamus verba epistolæ 61 : *Licet plene, quæ semper fuisset atque esset catholicorum sententia, scripsimus* (nimirum in epistola præsertim 28. ad Flavianum, in qua de catholico dogmate latissime disserit), *tamen* NUNC *quoque ad confirmandas omnium mentes non parum exhortationis addidimus.* Plurimum quidem exhortationis in hac epistola 59 continetur, quæ *nunc*, id est, paulo ante ipsam epistolam 61 et forte eodem die scripta dicenda est, eademque occasione Constantinopolim directa.

[a] Alias 48. Quæ autem antea 60 erat, nunc 89. Scripta 17 Martii an. 450.

[b] Invenitur hæc epistola in mss. collect. Hisp. Isid. 11, 12, 19 et 21 usque ad 24 ac in exemplo Sichardi.

[c] Mss. codd. Vat. Hisp. et Isid., et alius collect. 11 addunt, *gloriosissimæ atque piissimæ.* Quesnellus in margine notavit : *Hoc exordium fictitiæ epistolæ primæ Xysti II papæ ad Gratum aptatum est ab impostore Isidoro.*

[d] Iidem codd. Vat. Hisp. et Isid., cum alio collect. 24, *Evangelicæ veritatis.*

[e] Iidem Vat. Hisp. et Isid., *eadem mente spiritus.*

[f] Mss. Vat. collect. 11 et 21, *petivi.*

[g] Vulgati ante Quesn. cum Vindebon. Hisp. et mss. collect. 24, mutata interpunctione præferunt, *sperans affuturam.* Dein duo codd., *quod cooperante.*

[h] 23, qu. 5, *Res autem humanæ.*

[i] Vat. Hisp. et Isid., *res omnes.*

[j] In antiquis editionibus ex mss. ab Hispanica prodeuntibus additur, *Æra* CCCCLXXXVIII.

[k] Al. 49. Quæ autem antea 61 erat, nunc 89. Scripta 17 Martii an. 450.

[l] Exstat in iisdem collectionibus in quibus epistola præcedens.

[m] In codd. collect. Hisp et Isid. hic titulus præfigitur : *De damnatione concilii Ephesini secundi.*

[n] Editi ante Quesn. ex mss. Vat. Hisp. et Isid. aliisque inde prolectis perperam, *Martiano.* Voces *et archimandritis* ex Ratisponensi adjecimus.

[o] *Emittebantur* in Vat. collect. 11 et in Ratisp., qui præterea habet *occurreret.*

[p] Indicat epistolam 51. Confer. annot. 48 (*Col.* 871, *n.* [m]) in epist. 59.

[q] Vindebon. Hisp. perperam, *quorum posset catholicos.* Emendatum vero in Vat. Hisp., *quorum utpote catholicos;* quæ lectio non Leoni, sed emendatori tribuenda est.

[r] Editi ante Quesn. cum mss. collect. 24 et Sichardo, *quod.... prædicamus.*

[s] Vat. Hisp. et Isid., *addimus;* male : nihil enim vel parum admodum additur exhortationis. Hæc autem referri ad epist. 59 ostendimus annot. 48 (*Col.* 871, *n.* [m]) in eamdem epistolam.

Digitized by Google

[a] sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus a Domino Jesu Christo est glorificata confessio, et cujus fides omnes quidem hæreses destruit, sed maxime impietatem præsentis erroris expugnat; et intelligo mihi [b] aliud non licere quam ut omnes conatus meos ei causæ in qua universalis Ecclesiæ salus infestatur impendam. Ne autem aliqua negligentiæ occasione A scripta nostra ad vos non potuerint pervenire, [c] exemplaria eorumdem 985 nunc mittenda credidimus : ut nullo modo fidei quam defendimus prædicatio vestræ notitiæ subtrahatur. Data decimo sexto 986 kalendas Aprilis, Valentiniano Augusto septies et Avieno, v. cl. consulibus [d].

EPISTOLA [e] LXII.

[f] THEODOSII IMPERATORIS AD VALENTINIANUM AUGUSTUM,

Qua respondet epistolæ LV.

Domino meo VALENTINIANO [g] Augusto THEODOSIUS.

Δεσπότῃ ἐμῷ Οὐαλεντινιανῷ αἰωνίῳ Αὐγούστῳ Θεοδόσιος.

Et [h] Romæ pervenisse tuam mansuetudinem, et petitionem oblatam a Leone reverendissimo patriarcha, [i] in ipso litterarum textu a tua majestate significatum est. Et de tua quidem incolumi [j] in Romana urbe reversione gratias competentes divinæ majestati reddimus, domine sanctissime fili et venerabilis imperator. De his autem quæ dixit memoratus reverendissimus vir indicatum est ad eumdem [k] latius atque plenius, sicut arbitrati sumus, 988 et cognovit nos in nulla parte a paterna religione et majorum traditione resiliisse. Nihil enim aliud volumus quam sacramenta paterna per successionem nobis tradita inviolabiliter [l] custodiri. Propter hanc igitur causam, [m] quoniam quosdam cognovimus sanctissimas Ecclesias nocibili novitate turbare, synodum decrevimus Ephesi fieri. In præsentia quippe reverendissimorum episcoporum, cum multa libertate ac integra veritate et indigni sacerdotio remoti sunt, et qui judicati sunt esse digni suscepti sunt. Nihil igitur ab his contrarium [n] regulæ fidei aut justitiæ factum esse C

Καὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ παραγεγενῆσθαι τὴν σὴν ἡμερότητα, καὶ αἴτησιν προσενηνέχθαι παρὰ Λέοντος τοῦ εὐλαβεστάτου πατριάρχου, δεδήλωται παρὰ τῆς σῆς μεγαλειότητος ἐν τῷ αὐτῷ ὕφει τῶν γραμμάτων. καὶ περὶ μὲν τῆς σῆς ὑγιοῦς ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπανόδου χάριτας ἀποδιδώκαμεν ἀξίως τῇ θειᾳ μεγαλειότητι, δέσποτα ἐγκότατε υἱέ, καὶ προσκυνητὲ βασιλεῦ. Περὶ δὲ τούτων, ὧν ἔφη ὁ μνημονευθεὶς εὐλαβέστατος ἀνήρ, δεδήλωται πρὸς αὐτὸν πλατύτερον, καὶ πληρέστατον, [i] καθὼς ὑπολαμβάνομεν, 987 καὶ ἐν μηδενὶ μέρει ἔγνω ἡμᾶς ἀπὸ τῆς πατρῴας θρησκείας, καὶ τῆς τῶν προγόνων παραδόσεως ἀποπεπηδηκέναι. οὐδὲν γὰρ ἄλλο βουλόμεθα, ἢ εὐχόμεθα, ἥπερ τὰ μυστήρια τὰ πατρῷα, τὰ κατὰ διαδοχὴν ἡμῖν παραδοθέντα, ἀκίνητα φυλαχθῆναι. Διὰ ταύτην τοιγαροῦν τὴν αἰτίαν, ἐπειδή τινας ἐγνωμεν τὰς ἁγιωτάτας ἐκκλησίας ἐπιβλαβεῖ καινισμῷ θορυβεῖν, σύνοδον ὡρίσαμεν ἐν Ἐφέσῳ γενέσθαι. Δηλαδὴ παρουσίᾳ τῶν εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων μετὰ πολλῆς ἐλευθερίας, καὶ ὁλοκλήρου ἀληθείας, καὶ οἱ ἀνάξιοι τῆς ἱερωσύνης ἀπεκινήθησαν, καὶ οἱ κριθέντες ἄξιοι προσεδέχθησαν. Οὐδὲν τοίνυν ὑπεναντίον παρὰ τοῦ-

[a] His verbis Quesnellus postillam affixit : *Papa sub nomine Petri regit Ecclesiam : unde et plurimi Romani episcopi vicarios se Petri nuncupant.* Cum dicitur pontifex Ecclesiam regere *Petri nomine*, potestate et auctoritate eadem regere intelligitur, quam in successores suos eamdem omnino cum primatu transisse, uti erat in Petro, et Leo et catholica Ecclesia docet. Hinc nomen *vicarii Petri* non delegatum, sed successorem innuit, qui in Petri locum cum eadem auctoritate successit, ut pluribus optimorum auctorum exemplis ostendere liceret, si hac de re disputatio esset. Legi potest, si libet, annotatio 12 in tract. 15 S. Zenonis lib. II, pag. 191 nostræ editionis Veron. *Nostræ autem Patrol.* tom. XI, col. 439.

[b] Codd. tres collect. 11 et 21, *aliter non licere.*

[c] Ratisp. addit *et* in significatione, ut videtur, adverbii *etiam. Exemplaria* plurali licet numero vocat exemplum epistolæ 51, de qua cap. 1 scripsit : *Si tamen dilectioni vestræ tradi scripta nostra potuere.* Paulo post Vat. Hisp. et Isid. cum mss. collect. 11 et 21, *credimus.* D

[d] Quesnellus hanc notationem in fine subjecit : *Superiore epistola effrenate abusus est epistolarum veterum pontificum consarcinator in epp. Aniceti ad Galliæ episcopos; in prima Felicis I ad Paterium; secunda ad Galliæ episcopos; Sixti II ad Gratum, et Callixti I ad Benedictum.*

[e] Alias post ep. 47. Quæ autem erat 62, nunc 82. Scripta circa April. an. 450.

[f] Hæc et duæ sequentes epistolæ exstant in sola collectione Chalcedonensi, et in ms. Veneto 79 collect. 22, cui ex Chalcedonensi collectione aliquot epistolæ adjectæ fuerunt. Quoad tempus circa Aprilem anni 450, vide admonitionem præmissam epist. 55, num. 5.

[g] Vulgati cum Græca versione addunt *semper*; at Latina versio, quam hic ex mss. exhibemus, omittit.

[h] Ita omnes codd. et nostri et Baluzii, eadem ratione qua paulo post habent, *in Romana urbe reversione*, et epist. 57, *Romæ fuissemus ingressæ*; quæ imperiti interpretis versionem ex Græco demonstrant. In editis emendatum fuit *Romam*, uti recte erat reddendum. Sed hic antiquam versionem, quæcumque fuerit, edendam suscepimus.

[i] Editi post Crabbum, *in ipso principio litterarum a tua majestate.* Haud dubie deerat hic aliquid, inquit Baluzius, in codice quo Crabbus utebatur; et cum videret sensum non esse plenum, vocem *principio* addidit, nimirum male divinans : nam legendum esse *in ipso litterarum textu*, docent antiqua exemplaria. Idem habent et nostri codices, et Græca versio idipsum confirmat. Quesnellus in margine, *in eodem contextu litterarum.*

[j] Ita omnes codices. Editi, *in Romanam urbem.* Vide annot. 3 (*Supra*, n. [d]).

[k] Vulgati, *latius atque plenissime, sicut arbitramur.* Codicum lectionem induximus.

[l] Quidam codices, *custodire.* Græca versio aliorum codicum, et vulgatam lectionem probat.

[m] Vocem *quoniam* in editis omissam ex omnibus mss. supplevimus.

[n] Solus codex Divion. Baluzii, et Quesnellus in margine, *rectæ fidei aut injuste factum.*

[i] Addere placuit cum ms. Ven. conjunctionem *καί*, quæ conjunctio clariorem mirum in modum atque expeditiorem reddit sententiam. In vulgatis, *καὶ πληρέστατον, καθῶς ὑπολαμβάνομεν· ἐν μηδενί*, etc.

Digitized by Google

cognovimus. Omnis igitur contentio sacro judicio examinata est. Flavianus autem, qui reus inventus est lædibilis novitatis, [a] debitum recepit. Et hoc remoto omnis pax et omnis concordia regnat in Ecclesiis, et nihil aliud quam veritas viget.

A τῶν τοῦ κανόνος τῆς πίστεως, ἢ τοῦ δικαίου, ἔγνωμεν γεγενῆσθαι. Πᾶσα τοιγαροῦν ἀμφιβολία τῷ θείῳ δικαστηρίῳ ἐξήτασται. Φλαυιανὸς δὲ ὁ φωραθεὶς αἴτιος τοῦ βλαβεροῦ καινισμοῦ, τὴν ὀφειλομένην ἑαυτῷ τίμιην ἀπηνέγκατο· καὶ τούτου ἀποκινηθέντος, πᾶσα εἰρήνη, καὶ πᾶσα συμφωνία ἐν τοῖς ἐκκλησίαις βασιλεύει, καὶ οὐδὲν ἕτερον κρατεῖ, εἰ μὴ καθαρὰ ἡ ἀλήθεια.

EPISTOLA [b] LXIII.

EJUSDEM THEODOSII AD GALLAM PLACIDIAM AUGUSTAM,

Qua respondet epistolæ LVI.

990 Dominæ meæ PLACIDIÆ venerabili Augustæ THEODOSIUS.

Ex litteris tuæ mansuetudinis nostra cognovit [c] æternitas quid reverendissimus patriarcha Leo a tua æternitate poposcerit. His itaque litteris indicamus quoniam de his quæ dicta sunt a reverendissimo episcopo plenius atque apertius [d] sæpius scriptum est: ex quibus sine dubitatione manifestum est nihil nos præter paternam fidem, aut dogmata divina, vel definitiones reverendissimorum, qui tam sub divæ memoriæ Constantino in Nicæa civitate, quam dudum nostro præcepto in Epheso congregati sunt, definisse, aut decrevisse, aut intellexisse; sed hoc solum in Epheso constitui jussimus, ut omnes qui nocibili læsione Ecclesias sanctas turbaverunt, digne removerentur. Hæc sunt quæ non ad refragationem, sed ad concordiam et purum vinculum adorandæ religionis a reverendissimis [e] Patribus sunt decreta. Flavianus autem, princeps contentionis hujus, sacra sententia ab ecclesiasticis rebus expulsus est. Hæc igitur sciens tua mansuetudo, domina sacratissima mater et venerabilis Augusta, nihil nos aliquando contrarium a tradita fide sentire, sicut a quibusdam dicitur, [f] suspicemini aut cogitetis.

Δεσποίνῃ τῇ ἐμῇ Πλακιδίᾳ, προσκυνητῇ Αὐγούστᾳ, **989** Θεοδόσιος.

Ἐκ τῶν γραμμάτων τῆς σῆς ἡμερότητος ἡ ἡμετέρα ἔγνω αἰωνιότης, ὅ τι ὁ εὐλαβέστατος πατριάρχης Λέων παρὰ τῆς σῆς ᾔτησεν αἰωνιότητος. Τούτοις τοιγαροῦν δηλοῦμεν τοῖς γράμμασιν, ὅτι περὶ τούτων τῶν εἰρημένων παρὰ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου, ἐντελέστερον καὶ σαφέστερον πολλάκις ἐγράφη· ἐξ ὧν ἀναμφιβόλως πεφανέρωται, μηδὲν ἡμᾶς παρὰ τὴν πατρῴαν πίστιν, ἢ τὰ θεῖα δόγματα, ἢ τοὺς ὅρους τῶν εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων, οἵ τινες τοῦτο μὲν [1] ὑπὸ τῆς θείας μνήμης Κωνσταντίνου ἐν τῇ Νικαίων πόλει, τοῦτο δὲ [2] πάλαι ἡμετέρῳ προστάγματι ἐν Ἐφέσῳ συνελήλυθασιν, ὡρικέναι, ἢ ἐψηφίσθαι, ἢ νενοηκέναι. Ἀλλὰ τοῦτο μόνον ἐν Ἐφέσῳ τετυπῶσθαι, ἵνα πάντες, οἵ τινες τῷ βλαβερῷ καινισμῷ τὰς ἁγιωτάτας ἐθορύβησαν ἐκκλησίας, ἀξίως ἀποκινηθῶσι, προσετάξαμεν. Ταῦτά εἰσιν, ἃ τινα οὐκ εἰς ἀνατροπὴν, ἀλλ' εἰς συμφωνίαν, καὶ καθαρὸν σύνδεσμον τῆς προσκυνητῆς θρησκείας, παρὰ τῶν εὐλαβεστάτων τετυπωται πατέρων. Ὁ δὲ λεγόμενος Φλαυιανὸς ἔξαρχος τῆς τοιαύτης φιλονεικίας, θείᾳ ψήφῳ τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἐκβέβληται πραγμάτων. ταῦτα τοιγαροῦν εἰδυῖα ἡ σὴ ἡμερότης, δέσποινα ἀγνοτάτη, μῆτερ, καὶ προσκυνητὴ Αὐγούστα, μηδὲν ἡμᾶς ποτε ὑπεναντίον τῆς παραδοθείσης πίστεως διανοῆσθαι, καθὼς παρά τινων εἴρηται, ὑπολάβῃ, ἢ λογίσηται.

EPISTOLA [g] LXIV.

EJUSDEM THEODOSII AD LICINIAM EUDOXIAM,

Qua respondet epistolæ LVII.

992 Dominæ meæ EUDOXIÆ venerabili Augustæ THEODOSIUS.

Semper equidem [h] tui desiderii litteris delectamur, [i] et has tota animæ suavitate complectimur, et omnibus tuis petitionibus consuevimus gratanter annuere, domina, [j] sacratissima filia, venerabilis Augusta; sed de præsenti causa, hoc est de Flaviano qui fuit episcopus, quæ in hac causa subsecuta sint, reverendissimo archiepiscopo Leoni perfecte nostra

991 Δεσποίνῃ τῇ ἐμῇ Εὐδοξίᾳ τῇ προσκυνητῇ βασιλίδι, Θεοδόσιος.

Ἀεὶ μὲν οὖν τῆς σῆς ποθεινότητος τοῖς γράμμασι τερπόμεθα, καὶ ταῦτα ὅλῃ ψυχῇ ἡδέως περιπτυσσόμεθα, καὶ πάσαις ταῖς σαῖς αἰτήσεσι μετὰ πολλῆς τῆς χαρᾶς εἰώθαμεν ἐπινεύειν, δέσποινα ἀγνοτάτη θύγατερ, προσκυνητὴ βασιλίς· ἀλλὰ περὶ τοῦ ἐνεστῶτος πράγματος, τουτέστι, περὶ Φλαυιανοῦ, τοῦ ποτε ἐπισκόπου, τὰ τῇ αἰτίᾳ παρακολουθήσαντα τῷ εὐλαβεστάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ Λέον-

[a] **Ita** omnes codices et editiones Concil. ante Romanam, in quam inducta fuit lectio a Quesnello aliisque recepta, *debitam pœnam recepit.*

[b] **Quæ** antea erat 63, nunc 83.

[c] **Ita** codices tum nostri tum Baluzii, nec non editi in margine; at in textu, *serenitas*, et post pauca, *a tua serenitate.*

[d] **Sic** mss. et editiones ante Romanam, in qua et sequentibus *sæpe.* Quid autem adverbio *sæpius* innuatur explicabimus in dissert. de epistolis deperditis num. 38.

[e] **In** editis perperam, *presbyteris;* et post *autem* additur *qui dicitur.* Codicum lectionem dedimus.

[f] **Romani** editores Conciliorum primi vulgarunt, *suspiceatur aut cogitet.* Antea vero legebatur optimo sensu, sed barbare, ut ex omnibus mss. restituimus.

[g] Quæ antea erat 64, nunc 84.

[h] Quesnellus cum editis Conciliorum in margine, *tuæ amabilitatis.*

[i] Idem Quesn. cum iisdem edit. Concil., *ac tota animæ suavitate.* Cod. Chig., *ac ex tota animi sinceritate.* Secuti sumus aliorum quatuor nostrorum codicum lectionem, quam et Baluzii mss. approbant.

[j] Sic omnes codd. et editiones ante Romanam, quam secutus Quesnellus edidit *sanctissima.*

[1] In ms. Ven., ὑπὸ τοῦ τῆς θείας, etc.

[2] In marg. edit. Rom., ἴσ. πάλιν.

Digitized by Google

mansuetudo significavit. Tuæ vero dulcedini hoc solum approbavimus intimandum, quia memoratus Flavianus [a] sacro judicio [b] ab humanis rebus ablatus est, quatenus totius dubietatis contentio a sacris removeretur Ecclesiis; [c] et nihil ulterius post hæc definire possibile est, cum jam ista semel decisa sint.

993 EPISTOLA [d] LXV,

seu

[e] PRECES MISSÆ AB UNIVERSIS COMPROVINCIALIBUS EPISCOPIS METROPOLIS ARELATENSIS AD S. LEONEM PAPAM.

SYNOPSIS. — I. *Præmissis nonnullis de Ravennii electione ac moribus, antiqua Ecclesiæ Arelatensis privilegia a Leone redintegrari postulant.* — II. *Eadem ex variis hujus Ecclesiæ prærogativis confirmant, ac præsertim ex S. Trophimi in Gallias adventu.* — III. *Civilia Arelatensium jura ac privilegia imperatorum commemorant,* — IV. *Variis officiorum testimoniis Leonem demulcent.*

CAP. I. — Memores quantum honoris et reverentiæ, beatissimæ sedi apostolicæ, cui vos Dominus noster Jesus Christus pro meritis sanctitatis voluit præsidere, semper debitum fuerit, semperque debeatur, ordinationem qua sanctus frater et coepiscopus noster Ravennius in civitate Arelate post transitum beatæ recordationis Hilarii episcopi, concordantibus omnium votis, ad summum pontificium, Domino favente, provectus est, missis continuo [f] litteris apostolatui vestro indicare curavimus. Quibus a beatitudine vestra, tanta dignatione et charitate fuisse responsum, immensas gratias agimus, etsi tantas, quantas debemus, referre non possumus. Notum

[a] Quesnellus in margine, *divino.*

[b] Ita omnes codices nostri, et Baluzii. Græcus etiam textus cohæret. Editi, *ab ecclesiasticis rebus*, ut in epistola præcedenti tum in Græco, tum in Latino textu legitur. Sed Theodosius hisce litteris respondens epistolæ 57 Eudoxiæ, eadem formula utitur, quam illa ibidem usurpaverat, *ex humanis rebus potuisset auferri*, ubi sane Flaviani mortem, de qua tum Eudoxia nihil acceperat, indicare non potuit; sed depositionem ejus intellexit, uti explicavimus annot. 9 (*Col.* 863, *n.* [h]) in laudatam epistolam 57. Eodem itaque sensu hanc formulam hic accepit etiam Theodosius: unde corrigendus est Quesnellus, qui hunc textum de Flaviani morte interpretatus est not. ultima in epistolam nobis 59, ac si ejus mors, quæ sane præcesserat, a Theodosio hoc loco nuntiata fuerit.

[c] Restituimus *et* ex codicibus, ut erat apud Crabum.

[d] Alias post ep. 49. Quæ autem erat 65, nunc 85. Scripta diu ante Maium an. 450. Exstat hæc epistola in unica collectione 15 Arelatensi. Vindicatur a Quesnello in observationibus quas notis præmittit. Contulimus cum ms. Vallicellano G, 99, apographo vetustioris codicis Ecclesiæ Arelatensis, ex quo illam Baronius edidit. Cum nota chronica careat, certum tempus ignotum est. Solum affirmari potest scriptam fuisse ante diem 5 Maii anni 450, quo Leo hisce litteris respondit epistola sequenti, et non modico quidem tempore ante. Cum enim hæ Gallicanorum *preces* ad Leonem missæ fuerint per Petronium et Regulum, ut liquet ex epistola sequenti cap. I, hos autem *diu* apud se retinuisse S. pontifex affirmet epistola 67 data eodem die 5 Maii, sequitur *diu* ante Maium has preces transmissas fuisse. In hac vero temporis incertitudine, eas sequenti Leonis epistolæ qua iis-

A τι τελείως ἡ ἡμετέρα κατεσήμασεν [*pro* κατεσήμηνεν] ἠμερότης· τῇ δὲ σῇ γλυκύτητι τοῦτο μόνον ἐδοκιμάσαμεν γνωρίσαι, ὅτι ὁ μνημονευθεὶς Φλαυιανὸς θείᾳ κρίσει τῶν [i] ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἀφῃρέθη· ὅπως πᾶσα ἀμφιβολίας φιλονεικία ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἐκκλησιῶν ἀποκινηθῇ· καὶ οὐδὲν ἕτερον τοῦ λοιποῦ μετὰ ταῦτα δυνατὸν ὁρίσαι περὶ τῶν ἅπαξ ἤδη τετυπωμένων.

994 licet nobis ante jam fuerit prædictum sanctum fratrem et coepiscopum nostrum maxime [g] coronæ vestræ [h] gratiam morum suorum mansuetudine et sanctitate meruisse, perceptis nunc tamen beatitudinis vestræ litteris, quanta eum charitate complectamini evidenter agnovimus. Unde præmissis officiis quæ apostolatui vestro jure debentur, suggestionem nostram, quæ justitiæ partibus fungitur, audiendam a corona vestra minime dubitamus: B quippe cum non aliqua nova institui, sed prisca per vos optamus et antiqua reparari. Nec enim justum est ut honorem [i] ejus quem, ut probavimus, impense diligitis, illa res minuat, [j] qua pietatem vestram alter offendit. Et sane manifestum est Ecclesiæ Arelatensi divinæ gratiæ favorem adesse, cui talem habere contigit sacerdotem per quem privilegia dignitatis antiquæ, quæ dolebat sibi [k] pro tempore diminuta, gauderet in perpetuum recentioribus apostolicæ sedis auctoritatibus reformata.

CAP. II. — Omnibus etenim regionibus Gallicanis [l] notum est, sed nec sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatensis civitas missum a beatissimo Petro apostolo sanctum Trophimum habere meruit sacerdotem, et

C dem precibus respondet, præmittendas censuimus.

[e] In laudato ms. Vallic.: *Preces missæ ab universis episcopis Galliar. ad Leonem papam.* Sed vox *Galliar.* linea superinducta deleta fuit. Utrum vero in antiquo codice Arelatensi unde sumptum fuit hoc apographum ad Baronium transmissum eadem vox *Galliar.* desit, an cum eadem litura legatur, ignoramus. Baronius et Sirmondus omittunt *comprovincialibus.*

[f] Indicantur epistolæ 40 et 41 anni præcedentis.

[g] Vide not. 1 Quesn.

[h] Ita cum Quesnello etiam Sirmondus, qui Arelatensem codicem consuluit. Baronius cum ms. Vallic., *gratia morum suorum mansuetudinem et sanctitatem meruisse.*

[i] Ravennii scilicet, quem Leo sibi probatum tradidit epistola 40. Confer etiam epist. 41.

[j] Ita cum Quesnello cod. Vallic. Aliæ editiones, *quæ pietatem vestram ante offendit.* Respicit Hilarii D factum in Celidonii causa, ob quod Leo illum metropolitico jure privavit, ut liquet ex epistola 10. Hinc autem cognoscitur hanc Hilarii pœnam personalem habitam fuisse; ac propterea mox privilegia Arelatensis Ecclesiæ *pro tempore diminuta* traduntur.

[k] Nimirum sub Hilario, qui metropolitico jure exutus fuerat epist. 10, quam pœnam temporalem fuisse quoad ille viveret, ostendemus in observationibus ad dissert. 5 Quesnelli tom. II.

[l] Respiciuntur Zosimi litteræ *ad episcopos per Gallias et septem provincias constitutos*, quibus Arelatensis sedis privilegia et jura statuta fuerant, ac exinde omnibus Galliarum regionibus innotuere. Hæ autem Gallorum preces Zosimi litteris adeo innituntur, ut nonnumquam ipsa fere earum verba descripta præferant.

[i] In eod. marg., ἐκκλησιαστικῶν. L.

Digitized by Google

exinde aliis paulatim regionibus Galliarum [a] bonum fidei et religionis infusum; priusque alia loca ab hoc rivo fidei quem ad nos apostolicæ institutionis fluenta miserunt, meruisse manifestum est sacerdotem, quam Viennensis civitas, quæ sibi nunc impudenter ac notabiliter primatus exposcit indebitos. Jure enim ac merito ea urbs semper apicem sanctæ dignitatis obtinuit, quæ in sancto Trophimo primitias **995** nostræ religionis prima suscepit, ac postea intra Gallias hoc quod divino munere fuerat consecuta, studio doctrinæ salutaris effudit. Cujus honoris obtentu Ecclesiam Arelatensem omnes decessores prædecessoresque nostri velut matrem debito semper honore coluerunt, tenentesque traditionem [b] totam ab hac sibi [c] civitates nostræ sede episcopos postularunt. Ab hujus Ecclesiæ sacerdote tam decessores nostros quam nos ipsos constat in summum sacerdotium, donante Domino, consecratos. Quam quidem antiquitatem sequentes prædecessores beatitudinis vestræ, hoc quod erga privilegia Arelatensis Ecclesiæ institutio vetusta tradiderat, promulgatis (sicut et scrinia apostolicæ sedis procul dubio continent) [d] auctoritatibus confirmarunt : credentes plenum esse rationis atque justitiæ, ut sicut per beatissimum Petrum apostolorum principem sacrosancta Ecclesia Romana teneret supra omnes totius mundi Ecclesias principatum, ita etiam intra Gallias Arelatensis Ecclesia, quæ sanctum Trophimum ab apostolis missum sacerdotem habere meruisset, ordinandi pontificium vindicaret. His secundum religionem utitur privilegiis Ecclesia memorata.

CAP. III. — Cæterum multa sunt quibus secundum instituta principum cunctis intra regiones nostras civitatibus præferatur. Hæc in tantum a gloriosissimæ memoriæ Constantino peculiariter honorata est, ut ab ejus vocabulo præter proprium nomen, quo *Arelas* **996** vocitatur, *Constantina* nomen acceperit. Hanc clementissimæ recordationis Valentinianus et Honorius fidelissimi principes specialibus privilegiis, et, ut verbo ipsorum utamur, [e] Matrem omnium Galliarum appellando decorarunt. In hac urbe quicumque intra Gallias ex tempore prædictorum ostentare voluit insignia dignitatis, [f] consulatum suscepit et dedit. Hanc sublimissima præfectura, hanc reliquæ potestates, velut communem omnibus patriam, semper inhabitant. Ad hanc ex omnibus civitatibus multarum utilitatum causa concurritur; et plane ita sibi erga privilegia memoratæ vel Ecclesiæ vel civitatis, divina, ut credimus, dispensatione, omnia consenserunt, ut semper sicut Ecclesia Arelatensis intra Gallias primatum in sacerdotio antiquitatis merito, ita etiam civitas ipsa principatum in sæculo opportunitatis gratia possederit. Unde factum est ut non solum provinciæ Viennensis ordinationem, sed etiam [g] trium provinciarum, contemplatione sancti Trophimi, sicut et sanctorum prædecessorum vestrorum [h] patefacta sibi testatur auctoritas, Arelatensis Ecclesiæ sacerdos ad sollicitudinem semper suam curamque revocarit. Cui id etiam honoris dignitatisque collatum est, ut non tantum has provincias potestate propria gubernaret, verum etiam omnes Gal-

[a] Sic cod. Vallicel. cum Baronio et Sirmondo. Quesnellus, *donum fidei*. Quæ autem hic de S. Trophimi missione narrantur, e Zosimi litteris surrepta sunt. Hac vero in re legenda erunt quæ fusius disseremus in memoratis observationibus ad dissert. 5 Quesnelli part. II, c. 2.

[b] Quesn. in margine : Forte, *notam*.

[c] Baronii et Sirmondi editiones, *civitatis*; perperam.

[d] Zosimi epistolæ pro sede Arelatensi editæ indicantur. Litteras autem Romanorum antistitum *auctoritates* appellatas hinc etiam confirmatur.

[e] Perperam in vulgatis ante Quesnellum atque Sirmondum cum nostro codice Vallicell., *matrimonium Galliarum*. Honorius in Constitutione ad Agricolam an. 418 Arelatem *metropolitanam civitatem* appellat. In hac constitutione continentur pleraque ex his quæ de privilegiis civilibus Arelatensis urbis hoc capite referuntur. Valentiniani autem constitutio desideratur. Quid vero circa has constitutiones et circa titulum *matris omnium Galliarum* sentiendum sit, explicabimus in observationibus allegatis part. II, c. 4, n. 2 et 3.

[f] Vide not. 2 Quesn.

[g] Cum in sequentibus, *prædecessorum vestrorum auctoritas*, indicet epistolas Zosimi, in quibus tres provinciæ, Viennensis et duæ Narbonenses, Arelatensi tributæ tantummodo memorantur, dubium exoritur num. hic quoque *trium provinciarum* nomine eædem provinciæ tres solummodo intelligendæ sint, ita ut Viennensis in tribus his comprehendatur. At formulæ, *non solum provinciæ Viennensis, sed etiam trium provinciarum*, has tres ab illa videntur distinguere. Aliunde restituta jam per Bonifacium Zosimi successorem provincia Narbonensi prima episcopo Narbonensi, hi episcopi de eadem provincia ad Arelatensem sedem revocanda non videntur cogitasse; cum præsertim S. Leo epist. 10, Bonifacii judicium laudans, hanc provinciam ab Arelatensis jure alienam declaraverit, ut palam fiet in observ. in dissert. 5, part. II, cap. 2, n. 7. Hi porro episcopi trium provinciarum sunt, Viennensis, Narbonensis secundæ et Alpium maritimarum. Id colligitur ex episcoporum nominibus, quæ sequenti Leonis responsioni præfiguntur. Licet enim cujus sedis episcopi fuerint ibidem non exprimatur, aliis tamen ex documentis, quæ hujus ævi episcopos cum suis sedibus exhibent, satis probabile est Constantinum fuisse episcopum Diensem, et Fonteium Vasensem provinciæ Viennensis; Maximum vero fuisse episcopum Reiensem, Asclepium Aptensem, Armentarium Antipolitanum, ac Theodorum Forojuliensem in Narbonensi secunda; ad Alpes autem maritimas pertinere Valerianum Cemellensem, Ursum Senecensem, Nectarium Diniensem, et Ingenuum Ebredunensem. Has ergo tres provincias tantum ut Leo Arelatensi sedi præservaret, hi episcopi postulasse videntur; nisi quis forte inter episcoporum nomina aliunde non cognita exstitisse putet episcopum Tarantasiæ in Alpibus Graiis, et hanc quoque provinciam laudatos antistites comprehendisse arbitretur, adeo ut præter Viennensem indicaverint provincias tres, Narbonensem secundam, Alpes maritimas et Alpes Graias. Alpes quidem Graias eosdem etiam fuisse complexos, judicium Leonis confirmat; cum inter quatuor oppida Arelatensi non concessa, sed Viennensi adjudicata recenseat Tarantasiam, quæ ad Alpes Graias ex omnibus notitiis pertinet.

[h] Sirmondus, *patefactum*.

Digitized by Google

lias sibi [a] apostolicæ sedis vice mandata, sub omni ecclesiastica regula contineret.

CAP. IV. — His itaque omnibus intimatis, et in notitiam **997** beatitudinis vestræ fideli assertione perlatis, quæsumus et obsecramus coronam sanctimoniæ vestræ per nomen Domini nostri Jesu Christi, qui in vobis justitiam, patientiam, tranquillitatem et bona totius sanctitatis ac perfectionis elegit, et per beatissimum apostolum Petrum, quem vita et conversatione vestra nobis divino munere redditum credimus, ut quidquid Arelatensis Ecclesia, sicut superius indicavimus, [b] vel ab antiquitate suscepit, vel postea auctoritate sedis apostolicæ vindicavit, id omne ad suum pontificium revocare ejusdem Ecclesiæ sacerdotem beatitudinis vestræ auctoritas in perpetuum mansura præcipiat. Ipsi autem vel officiorum causa, vel hujus legationis obtentu, sanctimoniæ vestræ nos præsentassemus aspectibus, nisi alios infirmitas, alios anni præsentis penuria ab hac votorum nostrorum cupiditate revocasset. Sed confidimus in Domino Jesu Christo, qui precibus et desideriis nostris effectum promptissimæ pietatis vestræ præstitit, quod qui nunc legationis officio fraudamur, gratiarum postea referendarum per nosmetipsos actione fungemur.

998 EPISTOLA [c] LXVI.

[d] SANCTI LEONIS PAPÆ AD PRÆCEDENTES COMPROVINCIALIUM EPISCOPORUM METROPOLIS ARELATENSIS PRECES RESPONDENTIS.

SYNOPSIS. — *Sententiam suam S. Leo interponit super antiqua controversia inter Arelatensem et Viennensem Ecclesias, et cuique suos limites assignat.*

Dilectissimis fratribus, CONSTANTINO, [e] ARMENTARIO, AUDENTIO, SEVERIANO, VALERIANO, URSO, STEPHANO, NECTARIO, CONSTANTIO, MAXIMO, ASCLEPIO, THEODORO, JUSTO, INGENUO, AUGUSTALI, SUPERVENTORI, [f] YNANTIO, FONTEIO, PALLADIO, LEO papa.

CAP. I. — Lectis dilectionis vestræ litteris, quas ad nos filii nostri Petronius presbyter et [g] Regulus diaconus detulerunt, quam benevolum fratri et coepiscopo nostro Ravennio impendatis affectum evidenter agnovimus: siquidem postulatis ut ei quod decessor ipsius merito nimiæ præsumptionis amiserat, reformetur. Sed petitionem fraternitatis vestræ Viennensis episcopus, missis litteris et legatis, sua suggestione prævenerat, conquerens Arelatensem episcopum ordinationem sibi [h] Vasensis antistitis usurpasse. Cum itaque nobis ita et paternarum reverentia sanctionum, et omnium vestrum servanda sit gratia, ut in Ecclesiarum privilegiis nihil convelli, nihil patiamur excidi, consequens fuit ut ad conservandam [i] intra Viennensem provinciam **999** pacem, adhiberetur justitiæ moderatio, quæ nec antiquitatis usum, nec desideria vestra negligeret.

CAP. II. — Consideratis enim allegationibus utriusque partis præsentium clericorum, ita semper intra [j] provinciam vestram, et Viennensem et Arelaten-

[a] Apostolica quædam delegatio hic indicatur Arelatensi episcopo Zosimi litteris concessa, cum præcepit ut quicumque ex qualibet Galliarum parte Romam aut alio proficisceretur, ab eodem episcopo formatas acciperet. Jus etiam cogendæ synodi ex alienis quoque Galliarum provinciis ab eodem Zosimo, ut videtur, attributum, hanc delegatam vicem magis magisque constituit. Confer quæ in hanc rem dicemus in observ. ad Dissert. 5, part. II, c. 6, num. 8.

[b] Hæc ad S. Trophimum referuntur, de quo supra annot. 10 (*Col.* 881, *n.* [a]). Sequentia vero, *vel postea auctoritate sedis apostolicæ vindicavit*, indicant ea, quæ cum *apostolicæ sedis vice* Arelatensi episcopo collata antecedenti annotatione memoravimus.

[c] Al. 50. Quæ autem antea 66, nunc 86. Scr. 5 Maii an. 450.

[d] Invenitur in collectione 15 Arelatensi, in qua exstat superior.

[e] Baronius, secutus antiquæ manus correctionem in codice Vallicellano G, 99, indicatam edidit *Armatario*, cum prima manu legeretur, ut apud Quesnellum, *Armantario*. Prætulimus lectionem Sirmondi, quam exhibent etiam subscriptiones epistolæ 99 et inscriptio epistolæ 102.

[f] Baronius cum cod. Vallic., *Unantio*. *V* et *Y* in mss. facile commutantur, *Ynantius* legitur in utrisque laudatis epist. 99 et 102.

[g] Cod. Vallicell., *Regulinus*. At in sequenti epistola habetur, *Regulum*.

[h] Male *Vasatensis* in quibusdam codicibus, ut notavit Quesn. in margine.

[i] Vulgati cum mss. Baronii et Sirmondi, *intra Viennensem et Arelatensem provincias*. Quesnellus emendavit ex suo codice: « Unica enim, inquit, erat tunc provincia Viennensis appellata. » Quinam fuerit hic suus codex in postilla non indicat. Sed Thuaneum fuisse ex notatione ejusdem huic epistolæ subjecta colligi potest. Sic enim ille: Superius Leonis rescriptum primus emisit in lucem eminentissimus cardinalis Baronius cum ipso supplici libello et aliis epistolis quæ res Arelatensis Ecclesiæ attinent: easque accepisse se testatur ex Arelatensi cod. ms. In eumdem nos codicem incidimus, ni fallor; qui quidem in bibliotheca Thuanea asservatur. Etsi enim nonnullæ discriminis notæ appareant, leviores tamen sunt quam ut alter codex credatur a Baroniano, cum quo in cæteris convenit; velut in additione subjecta superiori epistolæ de confirmato Leonis decreto per Symmachum papam. » Hunc vero non eumdem esse codicem ex quo Baronius hanc epistolam edidit, ipsæ variantes lectiones quantumvis leviores ostendunt. Ejusdem quidem collectionis Arelatensis uterque Baronii et Quesnelli codex fuit, sicut et cæteri omnes ad eamdem collectionem pertinentes: unde nil mirum si in plerisque conveniant et omnes additionem in fine subjectam exhibeant. Sed lectiones alicubi discrepantes, ac inter cæteras hæc non omnino levis, diversa ejusdem collectionis exemplaria manifestant. Duos hujus collectionis mss. libri bibliothecæ Colbertinæ, in quam Thuanei transierunt, P. Coustantius memorat in præfatione ad tom. I Epist. Roman. pontificum, n. 161. Unus ex his fuit quondam Arelatensis, cujus exemplum diligenter exscriptum, ad Baronium a Fabro transmissum fuit, et in hoc nunc Vallic. G, 99, exstat vulgata lectio, *intra Vienniensem et Arelatensem provincias*. Alius autem Thuaneus codex a Baroniano diversus erit ille qui correctionem Quesnello suggessit. Hanc autem idcirco amplectimur, quia Leo in hac epistola semper unius provinciæ, non duarum meminit, uti patebit ex c. 2, *intra provinciam vestram, reliquæ civitates ejusdem provinciæ*. Confer annot. sequentem.

[j] Unam *provinciam* singulari numero, id est Viennensem antea memoratam appellat, intra quam *Viennensem et Arelatensem civitates* concludit. Hanc *provinciam vestram* vocat, licet episcopi decem et novem epistolæ inscripti trium saltem provinciarum fuerint.

Digitized by Google

sem civitates claras fuisse reperimus, ut quarumdam causarum alterna ratione, nunc illa in ecclesiasticis privilegiis, nunc ista præcelleret, cum tamen eisdem commune jus quondam fuisse a gentibus proderetur. Unde Viennensem civitatem, quantum ad ecclesiasticam justitiam pertinet, inhonoratam penitus esse non patimur; præsertim cum de receptione privilegii, auctoritate jam nostræ dispositionis utatur; quam potestatem Hilario episcopo ablatam, Viennensi episcopo credidimus deputandam. Qui ne repente semetipso factus videatur inferior, vicinis sibi quatuor oppidis præsidebit, id est, Valentiæ, et Tarantasiæ, et Genavæ, et Gratianopoli, ut cum eis ipsa Vienna sit [a] quinta, ad cujus episcopum omnium prædictarum Ecclesiarum sollicitudo pertineat. Reliquæ vero civitates ejusdem provinciæ, sub Arelatensis antistitis auctoritate et ordinatione consistant: quem pro modestiæ suæ temperantia, ita futurum credimus studiosum charitatis et pacis, ut neq.aquam sibi credat ablatum, quod fratri videat esse concessum. Data III non. Maii, Valentiniano Aug. 7 et Avieno v. c. conss.

1000 *In fine hujus epistolæ, hæc quæ sequuntur verba habentur in codd. Arelatensi et Vallicellano:* Hoc præceptum domini Leonis confirmatum est a sede apostolica, præsidente Symmacho papa, Probo v. c. consule.

EPISTOLA [b] LXVII.

[c] AD RAVENNIUM ARELATENSEM EPISCOPUM.

SYNOPSIS. — *Mittit Ravennio celebrem suam ad Flavianum epistolam de incarnatione Verbi Dei adversus Eutychen, ut pro defensione fidei, per eum hæc, vel Cyrilli Alexandrini epistola cunctis Galliæ episcopis fideliter innotescat. Secreta etiam mandata legatis commissa indicat.*

Dilectissimo fratri RAVENNIO, LEO papa.

Diu filios nostros Petronium presbyterum et Regulum diaconum in Urbe tenuimus: quoniam et de nostra hoc gratia merebantur, et fidei quæ nunc quorumdam errore [d] incessitur, ratio postulabat. Voluimus enim eos nostro interesse [e] tractatui, et universa cognoscere quæ per te cupimus ad omnium fratrum et consacerdotum nostrorum notitiam pervenire, [f] charissime; hoc dilectioni tuæ specialiter delegantes, ut sollicitudine vigilantiæ tuæ epistola **1001** nostra, quam ad Orientem pro fidei defensione direximus, [g] vel sanctæ memoriæ Cyrilli, quæ

Viennensis, Narbonensis secundæ, et Alpium maritimarum, uti ostendimus annot. 16 (*Col.* 881, *n.* [g]) in ep. præcedentem. Num Viennensis provinciæ nomine non civilem, sed ecclesiasticam provinciam intellexit, quæ plures civiles provincias comprehenderet? An præscindere voluit a memorandis iis provinciis, quæ ex decreto Bonifacii ad Hilarium Narbonensem singulæ suum habere debebant metropolitam, uti pluribus dicemus in observ. ad dissert. 5 Quesn., part. II, c. 6, n. 5 et seqq. Forte vero S. pontifex eam solam controversiam quæ inter Viennensem et Arelatensem episcopos mota, ad se delata fuerat, et in qua sola allegationes utrinque fuerant productæ, dijudicare in hac epistola voluit; adeo ut hac de causa præterierit etiam illa quæ circa Arelatensis sedis privilegia antistites in præmissis litteris postulaverant. De sola autem Viennensi provincia quæstio fuit ob ordinationem episcopi civitatis Vasensis, quæ in ea provincia sita est; et in hanc rem allegationes productæ, ac legati utrinque directi.

[a] Ita Quesn. et Sirm. Baronius, *conjuncta*. Cod. Vallicell., *juncta* pro *quinta*.

[b] Alias 51. Quæ autem antea 67 erat, nunc 87. Scripta 5 Maii an. 450.

[c] Habetur hæc epistola in codicibus solius collectionis 15 Arelatensis.

[d] Ita cod. Thuaneus a Quesnello allegatus, nec non apud Sirmondum. Alias ex Baronio *vexata est*, cum tamen in ms. Vallicellano G, 99, quo Baronius usus est, legatur *incessit*, errore utique librarii, pro *incessitur*.

[e] Suspicari quispiam posset hic intelligi tractatum a Leone et multis episcopis habitum, cum Valentinianus, Placidia et Eudoxia Februario mense Romam venerunt, de quo vide annot. 7 (*Col.* 860, n [f]) in epist. 55. At ob ejusmodi tractatum, qui Februario mense videtur exactus, Petronius et Regulus usque ad diem 5 Maii retineri non poterant. Alium ergo posteriorem tractatum indicari probabilius est. Conjicimus autem respici tractatum in Anatolii causa, cum scilicet receptis circa Aprilem litteris de ordinatione ejusdem, quæ plurimum negotii facessebat, longiori consultatione opus fuit, qua in maximo rerum periculo utile consilium caperetur, et aptæ instructiones legatis traderentur. Vide epist. 69, c. 2. Id apertius fiet ex annot. 5 (*Infra*, *n.* [e]).

[f] Vocem *charissime*, a Quesnello expunctam, ex codice Vallicellano ac Sirmondo revocavimus, ut in editis legebatur.

[g] *Vel* pro *et* aliquando in nostris mss. Leoninis usurpatur, ut videre est annot. 22 (893, *n.* [1]) in ep. 80. Certecum epistola 113, c. 3, ordinato Proterio Alexandrino Leo epistolas se dedisse scripsit *ad episcopum*, VEL *ordinatores ipsius*, SEU *clericos*, VEL *et* SEU pro ET accepit: ita enim ad singulos, qui distinctis litteris scripserant, distinctas ex more dedit epistolas, quæ intercidere, uti distinctas habemus ejusdem epistolas 171, 172 et 173 in ordinatione Timothei Alexandrini, qui Proterio successit. Aliud manifestius exemplum præsto est ex epist. 131, c. 1: *Qualia ad clementissimum imperatorem*, VEL *ad ipsum Alexandrinæ urbis episcopum scripta direxerim, subdita huic epistolæ exempla monstrabunt*. Cum indicentur exempla duarum epistolarum 129, ad Proterium Alexandrinum, et 130, ad Marcianum Augustum, quæ quidem supersunt; *vel* pro *et* hic quoque sumptum liquet. In re autem præsenti *vel* pro *et* adhiberi ex eo cognoscitur quod non ita S. Leo Cyrilli epistolam Gallicanis commendet, ut, si hæc illis Ravennii opera *innotescat*, permittat suam ad Flavianum epistolam supprimi, quam præcipue recipiendam ac subscriptionibus signandam transmisit, uti colligitur ex epist. 99. Confer. annot. 8 (*Col.* 893, *n.* [1]) in epist. 70. Innuitur vero Cyrilli epistola secunda ad Nestorium, qua S. Leo adversus Eutychem usus est, ut liquet ex longiori illo ejusdem fragmento, quod subjectum legitur epistolæ 165 ad Leonem Augustum. Hæc prima hujus epistolæ Cyrilli mentio est in Leonis litteris, sicuti dein in epist. 69 et 70 quæ scriptæ fuerunt in Anatolii causa, et in his (quod maxime observandum est) eædem Cyrilli litteræ una cum celebri Leonis epistola 28, ad Flavianum, pari sollicitudine junguntur et commendantur Orientalibus, ut hic Gallicanis; unde Petronium et Regulum ob tractatum in causa Anatolii Romæ *diu* fuisse detentos, atque de toto negotio instructos, vel ex hoc loco maxime comprobatur. Cur vero inter plura Patrum testimonia, quæ hoc tempore diligenter collecta, legatis hac de causa in Orientem missis tradita fuerunt, et postea subjecta epistolæ 165 (vide admonitionem præmissam epist. 28, num. ult.), cur, inquam, hæc una Cyrilli epistola et hic et aliis in locis a Leone potissimum ingeratur, et tanta

Digitized by Google

nostris sensibus tota concordat, universis fratribus innotescat : ut [a] certiores effecti contra eos qui incarnationem Domini pravis persuasionibus æstimant temerandam, spirituali se virtute præmuniant. Habes probabilem facultatem, qua cunctis Ecclesiis et Deo nostro episcopatus tui possis commendare primordia, si hæc ita, ut credimus atque mandavimus, impleveris, frater charissime. Quæ autem committenda [b] litteris non fuerunt, cum prædictorum filiorum nostrorum insinuatione dideceris. Domini fretus auxilio efficaciter, **1002** ut diximus, ac laudabiliter exsequeris. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Data III non. Maii, gloriosissimo Valentiniano Aug. VII et Avieno v. c. conss.

1003 EPISTOLA [c] LXVIII.

[d] CERETII, SALONII ET VERANI, EPISCOPORUM GALLORUM, AD S. LEONEM PAPAM.

[e] SYNOPSIS. — I. *Pro accepta ejus ad Flavianum epistola gratias agunt, quam et per omnes Ecclesias asserunt celebrari.* — II. *Illius exemplar a se descriptum mittunt, a Leone corrigendum ac remittendum.*

Domino sancto, beatissimo patri et [f] apostolica sede dignissimo papæ LEONI CERETIUS, SALONIUS et VERANUS.

CAP. I. — Recensita epistola beatitudinis vestræ, quam de fidei instructione conscriptam ad Constantinopolitanum episcopum destinastis, dignum esse censuimus ut [g] tantæ doctrinæ abertate ditati debitas gratias saltem oblato litterarum officio redderemus. Paternæ siquidem erga nos pietatis vestræ sollicitudinem comprobantes, anticipationi curationis vestræ hoc nos magis obnoxios confitemur, quod remediorum beneficia ante malorum experimenta cognovimus. Scientes namque pene sera esse remedia quæ adactis jam vulneribus apponuntur, ut apostolicis illis munitionibus induamur, providæ pietatis vocibus [h] præmonetis. Agnoscimus plane, beatissime papa, qua ad nos interiora pectoris vestri peculiari affectione transmiseritis, quorum incolumitati aliorum curatione succurritis; et dum ex aliorum præcordiis infusa antiqui serpentis venena **1004** producitis, quasi in quadam charitatis specula constituti, apostolica [i] illa cura ac sollicitudine conclamatis, ne cum sollicitudine conjungatur cum epistola 28, ad Flavianum, satis colligitur ex epist. 69 et 70. Eutychiani scilicet solam Nicænam fidem efferebant atque inculcabant; et cum se ei adhærere, tum vero catholicos suis erroribus inimicos ab ea deviare dictitabant. Confer annot. 6 (*Col.* 855, *n.* x) in epist. 54. Cum porro iidem Nestorianis essent infensissimi, epistolas Cyrilli, qui Nestorianam hæresim profligaverat, maxime prædicabant. Leo itaque ut omnem Nicænæ fidei læsæ suspicionem removeret a catholico dogmate, quod in epistola ad Flavianum vindicaverat, perutilem credidit Cyrilli epistolam secundam ad Nestorium, in qua ille Nicænam quidem fidem explicans eadem tradidit ac in sua epistola 28. Hinc ergo utramque simul junxit, ut ex utriusque collatione idem dogma Eutychianis contrarium agnosceretur; et simul etiam pateret quam illi perperam Nicænam fidem venditarent, a qua, ipso Cyrillo interpretante, maxime dissidebant. Ex his porro quæ Leo hoc loco tradit missa dignoscitur in Gallias hæc Cyrilli epistola; ac idcirco fortassis ex ea versione quam Leo illuc misit et adhibuit in testimoniis subjectis epist. 165 inserta legitur in antiquissima collectione 5 et in alia posteriori 12, quas in Galliis compactas alibi demonstrabimus. Ex hac porro epistola cognoscimus S. Leonem ad Ravennium misisse tum suam epist. 28, ad Flavianum, tum epistolam S. Cyrilli ad Nestorium. Ex Idacio autem Hispano et coævo scriptore præterea colligimus transmissam etiam fuisse epistolam ipsius Flaviani ad Leonem cum aliis documentis ad Eutychianam hæresim pertinentibus : quæ quidem omnia laudatus Ravennius ex Leonis mandato non ad Gallicanos solum, sed etiam ad Hispanos episcopos direxit. *De Galliis*, inquit ille in Chronico ad olymp. 150, *epistolæ deferuntur Flaviani episcopi ad Leonem episcopum missæ cum scriptis Cyrilli episcopi Alexandrini ad Nestorium Constantinopolitanum, de Eutyche et Ebionita hæretico, et Leonis episcopi ad eumdem responsa : quæ cum aliorum episcoporum et gestis* (forte synodi CP. contra eumdem Eutychem) *et scriptis ad Ecclesias diriguntur.* Hinc factum est ut Flaviani epist. 22, quæ incipit *Nulla res*, pluribus Latinis collectionibus et præsertim Hispanicæ inserta fuerit.

[a] Cod. Vallicell. addit *charissime*, et post *præmuniant* addit *Frater*.

[b] Cum pro Anatolii causa scripsisset imperator Theodosius, qui Eutychi patrocinabatur, quædam in eumdem imperatorem sive querelæ, sive præcautiones litteris committendæ non fuere. Pseudosynodo enim Ephesinæ, qua totam causam definitam Theodosius contendens epist. 64 aliud concilium recusabat, opponere volebat pontifex præter synodum Romæ habitam etiam Gallicanorum subscriptiones suæ epistolæ ad Flavianum, quæ (etsi serius) transmissæ fuerunt epist 99 Quin ex cap. 4 hujus epistolæ 99 colligitur, Leonis mentem fuisse ut ipsi Gallicani ad eumdem imperatorem scriberent; quod tamen mutatis paulo post rebus ob Theodosii mortem necessarium non fuisse ibidem tradunt. Ex his ergo quæ fuerint mandata secreta Gallicanis legatis tradita satis perspicitur; simulque patet quam commentitia et falsa sit interpretatio hujus loci a Quesnello allata dissert. 5, part. II, cap. 9, in fine.

[c] Alias post epist. 76. Quæ autem erat 68, nunc 88. Aliquandiu post Maium an. 450.

[d] Reperitur hæc epistola in mss. collect. 5 et 12. Hanc autem epistolam præcedenti immediate subjicimus, eo quod ob defectum chronicæ notæ certum ejus tempus statuere non liceat, et aliunde post præcedentem Leonis epistolam scripta sit, acceptis scilicet a Ravennio litteris ad Flavianum, quas per Gallias disseminandas idem pontifex antecedenti epistola præceperat. Cum vero sparsis per Ravennium pluribus earumdem litterarum exemplis Leonis doctrina *in omnium Ecclesiarum conventiculis celebrari* dicatur, in id sane a transmissis iisdem litteris non modicum tempus excurrere debuit; ac propterea hæc epistola aliquot mensibus post diem 5 Maii, quo superiores litteræ datæ fuerunt, scripta dicenda est.

[e] In tabula collect. 5, cap. 65, hic titulus legitur : *Ceretii, Salonii et Verani, episcoporum Gallorum ad Leonem papam gratias super doctrinam agentium.*

[f] Ita ex Vindebonensi collect. 5. Vulgati, *apostolicæ sedis*. In eodem codice *Verranus* cum duplici *rr* scribitur. Qui autem fuerint Ceretius, Salonius et Veranus, Quesnellus in notis fuse perquirit.

[g] Idem cod., *tanta*.

[h] Duo codd. collect. 12, Vat. 1340 et Venet. 169, alia interpunctione, *præmoniti, agnoscimus*, etc. Retinuimus vulgatam lectionem, quæ est in cod. Vindebon. collect. 5, quæque videtur respicere illa epistolæ præcedentis, quibus Ravennio Leo suam epistolam 28 ad universos episcopos dirigendam præcepit, *ut certiores effecti contra eos qui incarnationem Domini pravis persuasionibus æstimant temerandam, spirituali servitute præmuniant.* Postea codices, *transmiseris*.

[i] Mss. collect. 12 delent *illa*.

Digitized by Google

inopinantibus improvisus hostis adveniat, ne vulneri locum præbeat incauta securitas, domine sancte, beatissime pater, et apostolica sede dignissime papa. Magna præterea et ineffabili quadam nos peculiares tui gratulatione succrescimus, quod illa specialis doctrinæ vestræ pagina ita per omnium Ecclesiarum conventicula celebratur, ut vere consona omnium sententia declaretur, merito illic principatum sedis apostolicæ constitutum, unde adhuc apostolici spiritus oracula reserentur.

Cap. II. — Idcirco si dignanter admittitis, deprecamur ut opus et præsentibus et futuris temporibus profuturum, quod nos asservandi studio foliis mandare curavimus, sanctitas vestra percurrere, et si quid [a] librarii errore defuerit, emendare dignetur; vel, si salutarem lecturis omnibus paginam aliquo studii vestri accumulastis augmento, idipsum addi libello huic sollicita pietate jubeatis: ut non solum plures sancti episcopi fratres nostri per Gallias, verum etiam multi ex laicis filii vestri, qui epistolam istam magnopere pro veritatis manifestatione desiderant, remissam ad nos, et sancta manu vestra emendatam transcribere, legere et tenere mereantur. [b] In rem missos, si dignum ducitis, redire mox cupimus: ut quia incolumitas vestra exsultatio et salus nostra est, citius ad nos relatu desiderabili salutis vestræ gaudia recurrant. *Et alia manu:* Memorem coronam vestram humilitatis nostræ Christus Dominus longæva ætate conservet, domine sancte beatissime pater, et apostolica sede dignissime Papa.

Ceretius susceptus vester apostolatum vestrum saluto, commendans me orationibus vestris.

1005 Salonius venerator vester, apostolatum vestrum in Domino saluto, orationum vestrarum subsidia deposcens.

Veranus cultor vestri apostolatus, beatitudinem vestram saluto, et ut pro me oretis peto.

EPISTOLA [c] LXIX.

[d] AD THEODOSIUM AUGUSTUM.

[e] Synopsis. — I. *Consensum suum ad ordinationem Anatolii CP. suspendit; professionem fidei exigit.* — II. *Petit ut idem hæreticorum communionem abdicet, communi fidei subscribat. Legatos mittit. Synodum postulat intra Italiam fieri.*

Leo episcopus Theodosio [f] semper Augusto.

Cap. I. — [g] Omnibus quidem vestræ pietatis epistolis, inter eas sollicitudines quas pro fide patimur, spem securitatis nobis maximam præstitistis, Nicænum commendando concilium: adeo ut ab illo, sicut sæpe jam scribitis, non patiamini sacerdotes Domini deviare. Sed ne aliquid in præjudicium catholicæ defensionis viderer egisse, de ordinatione ejus, qui Constantinopolitanæ cœpit Ecclesiæ præsidere, nihil interim in alterutram [h] partem temere rescribendum putavi, non dilectionem negans, sed manifestationem catholicæ veritatis exspectans. Quod æquanimiter ferat, **1006** obsecro, vestra clementia: ut cum talem se erga fidem catholicam qualem cupimus approbarit, de sinceritate ipsius [i] et copiosius et securius gaudeamus. Ne vero aliqua illum de nostro animo mordeat sinistra suspicio, occasionem totius difficultatis amoveo, nec aliquid exigo quod aut arduum videatur aut [j] dubium; sed ad id quod nullus catholicorum refutet invito. Noti enim sunt per universum mundum atque manifesti, qui ante nos, sive Græca, sive Latina lingua in catholicæ veritatis prædicatione fulserunt, ad quorum [k] scientiam atque doctrinam quidam etiam nostræ ætatis accedunt, de quorum scriptis par et multiplex profertur instructio. Quæ sicut Nestorianam hæresim destruxit, ita

[a] Ex epistola scilicet ad Flavianum, quam Leo ad Ravennium miserat per Gallias disseminandam, plura exempla transumpta fuere, et in exemplo quod ad Ceretium, Salonium atque Veranum missum fuerat, *si quid librarii errore defuerit*, emendandum efflagitant. Leonem quidem hoc exemplar emendasse quam accuratissime ex eo patet quod episcopos provinciæ Mediolanensis idem pontifex monuit ut ejusdem epistolæ exemplar a Ceretio procurarent. Vide epist. 97, c. 2.

[b] Codices collect. 12, *Ire missos... ac redire mox cupimus*. Quesnellus cum codd. collect. 5, *In re missos*. Anteriorum editorum lectionem prætulimus.

[c] Al. 52. Quæ autem antea 69 erat, nunc 89. Scripta 16 Julii an. 450.

[d] Exstat hæc epistola in mss. collect. Hisp. Isid. 11, 12, 18, 19 et 21, usque ad 24, ac in exemplo Sichardi.

[e] In collect. Hisp. hic titulus legitur: *Item Leonis papæ ad Theodosium Augustum, ubi scribit ut id quod de incarnatione Filii Dei ab Anatolio Constantinopolitano episcopo prædicatur agnoscat, et universale concilium in Italia fiat.*

[f] Vox *semper* deest in ms. Vindebon. Hisp. In aliis nonnullis omittitur etiam *Augusto*.

[g] Mss. collect. 21. *Per omnes quidem vestræ pietatis epistolas.* Plures autem Theodosii epistolæ pro Nicænæ synodi custodia in Occidentem directæ, quæ hic indicantur, sunt duæ ad Leonem, altera paulo post Ephesinum latrocinium scripta, cui Leo respondit epist. 54, altera cum de ordinatione Anatolii ad eumdem pontificem scripsit, cui is nunc responsum dat: nec non imperialis epist. 63, ad Placidiam Augustam. Cur autem imperator, qui Eutychi favebat, Nicænam synodum inculcarit, explicavimus not. 6 (*Col.* 855, *n* 8) in epist. 54.

[h] Editi Leonis addunt *tibi*. Quesnellus recepit hanc vocem, sed delevit *temere*, ac præterea pro *rescribendum* posuit *scribendum*. Mss. collect. 21 delent *tibi* et *temere*. Vat. Hisp. et Isid. solum omittunt *temere*, at habent *rescribendum*. Vindebon. Hisp. ignorat *tibi*, et errore librarii, *terre scribendum*. Prætulimus lectionem codicis Ratisp., cui concinunt cod. Grim. mss. collect. 24 et exemplar Sichardi, nec non editiones Conciliorum. In epistola sequenti solum dicitur de Anatolio: *Scribere ei interim distuli, non dilectionem negans, sed manifestationem catholicæ veritatis exspectans.*

[i] Addidimus *et* ex optimo cod. Ratisp.

[j] Vulgati Leonis ante Quesn., *ambiguum*.

[k] Codex Ratisp., *sententiam*. Instructio vero quæ ex scriptis Græcorum et Latinorum Patrum collecta *par et multiplex* traditur, comprehendit tum illam collectionem *contra Nestorii impietatem a sanctæ memoriæ Cyrillo insertam Ephesinæ synodi gestis*, quæ indicatur paulo post; tum præsertim auctoritates ab ipso Leone collectas, et per legatos ad imperatorem transmissas, de quibus loquitur cap. 2. Vide annot. 19 (*Col.* 891, *n.* [k]).

Digitized by Google

etiam hunc, qui nunc [a] repullulat, abscidit errorem. Relegat itaque sollicite quæ a sanctis Patribus incarnationis Dominicæ fides fuerit custodita, semperque similiter prædicata, et cum sanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini episcopi [b] epistolam (qua Nestorium corrigere et sanare voluit, pravas prædicationes ipsius arguens, et evidentius fidem Nicænæ definitionis exponens, quamque ab eo missam [c] apostolicæ sedis scrinia susceperunt) præcedentium sensui perspexerit consonantem; Ephesinæ etiam synodi gesta recenseat, quibus contra Nestorii impietatem, a sanctæ memoriæ Cyrillo inserta et allegata sunt de incarnatione Domini catholicorum testimonia sacerdotum. Non aspernetur etiam meam epistolam recensere, quam pietati Patrum per omnia concordare reperiet. Cumque a se hoc quod eidem profuturum sit expeti desiderarique cognoverit, catholicorum sententiis toto corde consentiat : **1007** ita ut sinceram [d] communis fidei professionem, absolutissima subscriptione, coram omni clero et universa plebe declaret, apostolicæ sedi et universis Domini sacerdotibus atque Ecclesiis publicandam : ut pacificato per unam fidem mundo, [e] possimus omnes dicere, quod angeli, nato de Maria Virgine Salvatore, cecinerunt : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14).

CAP. II. — Quia vero et nos et beati Patres nostri, quorum doctrinam et veneramur et sequimur, in unius fidei concordia sumus, sicut provinciarum omnium protestantur antistites, agat clementiæ vestræ devotissima fides, ut quam primum ad nos Constantinopolitani episcopi, qualia [f] debent, probati et catholici sacerdotis scripta perveniant, aperte A scilicet atque [g] dilucide protestantia quod si quis de incarnatione Verbi Dei aliud aliquid credat aut asserat, quam catholicorum omnium et mea professio protestatur, hunc a sua communione secernat, [h] ut ei fraternam in Christo charitatem merito possimus impendere. Ut autem salubribus [i] curis velocior pleniorque, auxiliante Domino per vestræ clementiæ fidem præstetur effectus, ad pietatem vestram fratres et coepiscopos [j] meos, Abundium et Asterium, sed et Basilium et Senatorem, presbyteros, quorum mihi devotio est probata, direxi, per quos, [k] quæ nostræ forma sit fidei, manifestatis instructionibus quas misimus possitis dignanter agnoscere : ut si Constantinopolitanus antistes in eamdem confessionem toto corde consentit, securi, ut dignum est, de ecclesiastica B pace lætemur, neque aliquid residere videatur ambiguum, **1008** [l] unde superfluis forsitan suspicionibus laboremus. Sin vero aliqui a puritate nostræ fidei atque Patrum auctoritate dissentiunt, concilium universale intra Italiam, sicut [m] synodus quæ ob hanc causam Romæ convenerat, mecum petiit, clementia vestra concedat : ut in unum convenientibus [n] omnibus his qui aut ignorantia aut [o] terrore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur, nec cuiquam ultra sit liberum ita [p] Nicænæ synodi facere mentionem, ut ejus inveniatur esse fidei contrarius : quoniam et universæ Ecclesiæ et vestro [q] hoc imperio profuturum est, si unus Deus, una fides [r] et unum sacramentum salutis humanæ, una totius mundi confessione teneatur. Data [s] decimo septimo Kalendas C Augusti, Valentiniano septies et Avieno v. c. consulibus.

[a] Vulgati Leonis ante Quesn., *male repullulat, abscindet errorem.* Editi Concil. habent pariter *male*, sed *abscidit.* Nostri codices cum Sichardo et Quesnello, ut in textu.

[b] Indicatur epistola secunda Cyrilli ad Nestorium. Confer annot. 5 (*Col.* 886, *n.* [g]) in epist. 67.

[c] Memoratam Cyrilli epistolam ad S. Cœlestinum transmissam fuisse liquet ex epistola 8, apud Coustantium pag., 1091. Probata ab eodem pontifice cognoscitur ex epist. 11, pag. 1102. Hinc eam *apostolicæ sedis scrinia susceperunt.*

[d] Editi ante Quesn. et Sichardus perperam, *communionis fidei.* Post pauca, *et apostolicæ sedi*, in Vat. Hisp. et Isid.

[e] Ratisp., *possint.*

[f] Vat. Hisp. atque Isid., *debentur.*

[g] Sic melius cum anterioribus editis codd. Vindebon. Hisp. Ratisp., mss. collect. 24 et exemplar Sichardi. Quesnellus et Merlinus, *lucide*; Vat. Hisp. et Isid., *lucide protestantis.* D

[h] Vat. Hisp. et Isid., *ut ejus fraternam in Christo charitatem merito possimus intendere.* Infinitum *intendere* est etiam in Vindebon. Hisp.

[i] Mss. collect. 21, *dispositionibus.*

[j] Excusi ante Quesn., *nostros.* Mox in Vat. Hisp., *Sabundium*; in Isid., *Sabuldium* pro *Abundium*; male, ut ex aliis epistolis liquet. Cod. Grim. pro *Asterium* habet *Etherium* tum hic, tum in duabus sequentibus epistolis. Ratisp. hic *Eterium* præfert, in sequenti autem epistola *Aterium.*

[k] Cod. Grim., *quæ nostra fides.* Quod porro additur, *manifestatis instructionibus, quas misimus*, complectebatur sane *sufficientem paternarum auctoritatum instructionem*, quæ ad Theodosium directa traditur epist. 71. Vide ibidem annot. 9 (*Col.* 896, *n.* [k]).

[l] Editiones ante Quesn. cum plerisque mss. etiam Vindebon. Hisp. et exemplo Sichardi, *ut de superfluis.* Quesnelli lectionem codex Ratisp. confirmat.

[m] Id factum fuerat epist. 44 Leonis et Romanæ synodi nomine data die 13 Octobris anni præcedentis.

[n] Vindebon. Hisp. delet *omnibus.*

[o] Ratisp. cum Vat. Hisp. ac Isid., *errore*, ubi forte omissa fuit initio littera *t* ob concursum ejusdem litteræ in fine vocis præcedentis. *Error* ad *ignorantiam* anteriori voce expressam refertur. Hic autem indicatur vis in Ephesino latrocinio illata, cui nonnulli *terrore* perculsi cesserunt. Vide epist. 44, cap. 1. Hinc retinuimus cum editis Leoninis vocem *terrore*, cui affinis est vox *timore*, quæ in editionibus Concil. post Merlinum, ac in exemplari Sichardi legitur. Post pauca *ne cuiquam* in Vat. collect. 11.

[p] Vide annot. 6 (*Col.* 855, *n.* [g]) in epist. 54.

[q] Vat. Hisp. atque Isid. et mss. collect. 24 delent *hoc.*

[r] Conjunctionem *et* omittunt Vindebon. Hisp. Vat. collect. 11 et Ratisp., qui paulo post habet, *una totius mundi confessio teneatur.*

[s] Hanc diem, quæ est in antiquioribus editis, et apud Sichardum, nec non in Vat. Hisp. et in mss. collect. 21, 23 et 24, ac præcipue in codice Ratisp. revocandam putavimus. Quesnellus prætulit XVI *kal. Augusti*, quam chronicam notam in mss. Vindebon. Hisp. Vat. Isid., alio Vat. collect. 11 et in Merlini exemplo collect. 12 reperimus.

Digitized by Google

1009 EPISTOLA [a] LXX.

[b] AD PULCHERIAM AUGUSTAM.

[c] SYNOPSIS. — *Anatolii professionem fidei se exspectare. Legatos a se missos in Orientem. Per concilium generale removenda esse omnia scandala.*

LEO episcopus PULCHERIÆ Augustæ.

Gaudeo fidei clementiæ vestræ, quod religiosum studium dignanter impenditis ut pax ecclesiastica renovetur, quæ quorumdam dissensionibus [d] videtur esse turbata. Debetur enim hoc vestræ specialiter gloriæ, ut ablatis omnibus scandalis quæ contra catholicam fidem inimicus [e] excitaverat, una eademque sit per totum mundum confessio veritatis, quæ facilius certiusque reparabitur, si pravorum sensuum nulla semina, nulla vestigia relinquantur. Quod tamen mearum partium est, præterire non debeo, ut scilicet quid de incarnatione Filii Dei a Constantinopolitano episcopo teneatur agnoscam; præsertim [f] cum ordinationem ipsius dura præcesserint, taliaque ad nos debuerit scripta dirigere, quæ illum a contagione hujus qui nuper emersit erroris alienum evidenter ostenderent. **1010** [g] Optans itaque securam cum eo habere concordiam, gratiamque illi fraternæ charitatis impendere, scribere ei interim distuli; non dilectionem negans, sed manifestationem catholicæ veritatis exspectans. Simplex enim est absolutumque quod posco, ut remoto longarum [h] disputationum labore, sanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini episcopi epistolæ, quam ipse ad Nestorium miserat, acquiescat; in qua et errorem Nestorii arguit, et fidem Nicænæ definitionis exposuit; [i] vel epistolæ meæ quæ ad sanctæ recordationis Flavianum episcopum est directa, consentiat. Quibus [j] vigilanter inspectis, Constantinopolitanus antistes repudiandum sibi, [k] quod ausa est contra puram et singularem fidem imperita insipientia definire, incunctanter agnoscat: quia et mea et sanctorum Patrum de incarnatione Domini concors per omnia et una confessio est. Quam si quis existimaverit non sequendam, ipse se a compage catholicæ unitatis [l] abscidit; cum tamen nos ut in integrum omnia revocentur optemus. Ad effectum vero salubrium dispositionum velocius obtinendum, fratres et coepiscopos meos [m] Abundium et Asterium, sed et Basilium et Senatorem presbyteros probatissimos viros misi, qui clementiæ vestræ formam fidei quam secundum doctrinam venerabilium Patrum prædicamus offerrent, et remotis circumlocutionibus quibus obscurari veritas solet, **1011** quid de incarnatione Filii Dei a totius [n] orbis probatis sacerdotibus defensum fuisset ostenderent: quos post divinam gratiam sancto vestræ pietatis auxilio dignum est adjuvari, ne in totius Ecclesiæ perturbationem imprudens procedat [o] intentio: cum correctione adhibita omnes oporteat in unius confessionis redire [p] concordiam. A qua si forsitan ab aliquibus discrepatur, universale concilium sacerdotum haberi intra Italiam, clementia vestra [q] annitente, jubeatur: quo remota arte fallendi, tandem pateat quid altiore tractatu aut coerceri

[a] Alias 54. Quæ autem antea erat 70, nunc 91. Scripta 16 Julii an. 450.

[b] Est in iisdem collectionibus in quibus superior.

[c] In collect. Hisp. hic titulus habetur: *Pro his quæ superius a Theodosio Augusto postulavit.*

[d] Sic omnes nostri diversarum collectionum codices cum Sichardo et Merlino, exceptis Vat. Hisp. et Isid., in quibus, *videatur*, et Vindebon. Hisp. ac mss. libris collect. 21 qui cum editis etiam Quesnelli, *videbatur*.

[e] Ita cum editis cod. Grim., Vindebon, Hisp., et mss. collect. 24 ac Sichardus. Ratisp., *exciverat*. Vat. Hisp. et Isid. aliique aliarum collectionum codices, *exstruxerat*, cum quibus consentiunt tres Thuanei a Quesnello in margine allegati.

[f] Lectionem hanc a Quesnello inductam ex ms. Grimanico confirmat præstantissimus cod. Ratisp., cui propius accedunt cod. Vindebon. Hisp. et ms. collect. 24, inter quæ est Victorinum ab eodem Quesnello citatum; in quibus habetur, ut etiam apud Merlinum atque Sichardum, *in ordinatione ipsius dura præcessent*. Reliqui nostri mss. libri ac tres Thuanei Quesnelli cum cæteris editis, *in ordinatione ipsius plura præcesserint*. Vide not. 1 ejusdem Quesnelli.

[g] Vat. Hisp. et Isid., *Opto*.

[h] Duo codd. Quesnelli, unus Thuan. et Grim., ac totidem nostri Ratisp. ac Vatic. collect. 11, *dispositionum*. Vide not. 2 ejusdem Quesn. Mox pro *Alexandrini episcopi* Vat. Hisp. ac Isid., *Alexandrinæ Ecclesiæ episcopi*.

[i] Ita cum Grimanico et Cantabrig. Quesnelli habent etiam nostri mss. libri Ratisp., utrique Hisp., Vat., Isid., alius Vat. collect. 11 et duo collect. 21. Vulgati antiquiores cum Sichardo, *et epistolæ meæ*. Hic optionem Anatolio datam putat Quesnellus not. 3, ut vel Cyrilli epistolæ vel suæ subscribat; ac idcirco præferendum putavit *vel* pro *et*. Sed *vel* pro *et* seu *etiam* sumptum credimus. Confer annot. 5 (*Col.* 886, *n.* 8) in epist. 67. Enimvero in antecedenti epistola ad Theodosium, qui Eutychi favebat, Leo hanc optionem non indicat, sed absolute, licet modeste, post memoratam Cyrilli epistolam de Anatolio ait: *Non aspernetur etiam meam epistolam recensere*. Subscriptionem quidem hujus epistolæ alibi sæpius inculcat, uti omnino necessariam. Ipsos Gallicanos, quibus una cum suis ad Flavianum litteris Cyrilli epistolam innotescere voluit ex epist. 67, solam epistolam ad Flavianum in synodo suscepisse, ut Leo flagitaverat, liquet ex epist. 99. Idem Anatolius nonnisi post subscriptam eamdem epistolam anno sequenti receptus fuit, ut probant epistolæ 78, 79 et 80.

[j] Vat. Hisp. et Isid. ac mss. collect. 21, *diligenter*.

[k] Male in editis cum mss. collect. 24, *quod ausus est*. Correctionem a Quesnello receptam ex codice Griman. confirmant noster Ratisp. et Vindebon. Hisp. Affinis est lectio Vat. Hisp. ac Isid. nec non mss. collect. 11 et 21, in quibus legitur: *Repudianda sibi, quæ ausa est*. Vide not. 4 Quesn.

[l] Varie in mss. habetur. In Ratispon., *abscidet;* in mss. collect. 21 cum editis ante Quesn., *abscindet*. Retinuimus præteritum tempus a Quesnello inductum ex suis codd., quod in utrisque Hisp. et in Vat. Isid. ac in alio collect. 11 reperimus.

[m] Tres codd. Vat., Hisp., Isid. et alius collect. 11, *Sabundium;* Grim. pro *Asterium* habet *Etherium;* Ratisp., *Aterium*.

[n] Ratisp. cod., *urbis*, in quam vocem *u* pro *o* perperam irrepsisse videtur.

[o] Vulgati ante Quesn. cum mss. collect. 24 et Sichardo, *contentio*.

[p] Ratisp., *unitatem;* et mox, *discreparetur*.

[q] Editi Quesn. anteriores cum mss. collect. 24, *annuente*.

Digitized by Google

debeat aut sanari. Data [a] XVII kalendas Augusti, Valentiniano Augusto septies, et Avieno v. c. consulibus.

EPISTOLA [b] LXXI.

[c] AD ARCHIMANDRITAS CONSTANTINOPOLITANOS.

SYNOPSIS. — *De silentio Anatolii et ordinatorum ejus circa errorum abdicationem conqueritur. De missis legatis pro causa fidei certiores eos facit.*

LEO episcopus FAUSTO, [d] MARTINO, PETRO, MANUELI, JOB, ANTIOCHO, [e] ABRAHAMIO, THEODORO, PIENTIO, EUSEBIO, HELPIDIO, PAULO, ASTERIO et CHAROSO presbyteris et archimandritis, et JACOBO diacono et archimandritæ.

1012 Causa fidei in qua salus Christiana consistit, multa me sollicitudine laborare compellit metuentem ne [f] improbitas quæ in suis fuerat amputanda principiis, processu temporis et [g] pertinacior fiat et latior. Nam cum clementissimus imperator talia ad nos scripta direxerit quibus solicitudinem suam pro pace universalis Ecclesiæ demonstraret, ipse Constantinopolitanus episcopus, et hi qui eumdem [h] consecrarunt, præter id quod ad ordinationem novi antistitis pertinebat, nihil nobis de compressis vel abdicatis erroribus indicarunt; quasi in illa Ecclesia nullum scandalum, nulla exstitisset offensio, aut non hinc præcipue fuerit ordinati meritum demonstrandum, si aliena a se, quæ catholicorum sensibus sunt adversa, docuisset. Ne ergo, quod inter longinquas regiones accidere solet, in nimias dilationes [i] tenderet veritatis examen, fratres et coepiscopos nostros [j] Abundium, et Asterium, sed et Basilium, et Senatorem presbyteros, probatissimos viros, ad piissimum principem cum sufficienti paternarum [k] auctoritatum instructione direximus. Quos in omnibus, fratres charissimi, [l] diligentia ac sollicitudine vestra cupimus adjuvari, ut impietas, quæ cæcis ausibus in exitialia abrupta processit, simplices quosque decipiendi ulterius non habeat potestatem; cum aptiore medicina etiam illis cupiamus per correctionis remedia subveniri, qui aut imperitia sunt lapsi, [m] aut terrore traducti. Et ideo vos, qui justificamini per fidem, **1013** [n] quia catholicam diligitis veritatem, et de singulari sacramento salutis humanæ per Spiritum sanctum estis educti, collaborate nobiscum, et quanta potestis devotione [o] satagite ut, falsitate destructa et fidei soliditate **1014** defensa, secura per totum mundum Dei pace [p] potiamur. Data [q] XVI kal. Augusti, Valentiniano Augusto septies, et Avieno v. c. consulibus.

[a] Hanc chronicam notam, quam exhibuit cod. Ratisp. uti cohærentem antecedenti epistolæ, prætulimus lectioni vulgatæ et aliorum codicum XIII *kal. Aug.*; omnes enim ejusdem negotii epistolæ per eosdem legatos transmittendæ eadem die a Leone signari solebant, ut ex aliis exemplis liquet. Forte vero in his codd. disjunctis lateribus numeralis notæ v, perperam scriptum fuit XIII pro XVI *kal.*, uti aliquot mss. in antecedenti, et omnia in sequenti epistola præferunt. Sed optimum Ratisp. noluimus deserere.

[b] Al. 53. Quæ autem antea erat 71, nunc 92. Scr. 17 Julii an. 450.

[c] Invenitur in iisdem collectionibus in quibus duæ præcedentes, excepta collect. 19 Ratisp. Quesnellus addidit *a pari*, quod nulli nostri codices præferunt, et contextus pluralis numeri hanc epistolam ad omnes simul directam astruit.

[d] Vulgati Quesnello anteriores cum mss. collect. 21, *Martiano*.

[e] Editi inserunt *Vivantiaco*. Delevimus autem non solum auctoritate utriusque Hisp. et Vat. Isid. atque codd. collect. 11 et 24, verum etiam quia, cum cætera nomina legantur in subscriptionibus synodi Constantinopolitanæ sub Flaviano, solus *Vivantiacus* non apparet. In codd. porro collect. 21, qui carent nominibus *Job*, *Antiocho*, ex his vocibus *Vivantiaco* perperam scriptum agnoscitur, et utrumque ex diversis mss. in editionibus expressum.

[f] Editi vetustiores cum mss. collect. 24, *pravitas*.

[g] Iidem editi, *perniciosior*. Mox *altior* pro *latior* in Vat. Hisp. et Isid.

[h] In iisdem editis, *consecrarant*.

[i] Iidem excusi cum nostris mss., *tenderent veritatis examina*. Meliorem Quesnelli lectionem haud deserendam putavimus.

[j] Codd. Vat. Hisp. Isid. et alius collect. 11, *Sabundium*. Mox pro *Asterium* cod. Grim. constanter habet *Etherium*, ut in duabus epistolis præcedentibus.

[k] Hæ *auctoritates* sunt sanctorum Patrum testimonia de incarnatione Christi, de quibus vide annot. 9 (928, *n.* 1) in epist. 88, et admonitionem præmissam epistolæ 28. Hac autem occasione eas a Leone diligenter fuisse collectas et ad principem missas ex hoc loco discimus: unde illum ad hujusmodi auctoritates tum Græcorum, tum Latinorum Patrum relegendas hortatur epist. 69, cap. 1. Confer annot. 8 (*Col.* 890, *n.* [k]) et 19 (*Col.* 891, *n.* [k]) in eamdem epistolam.

[l] Codd. collect. 21, *diligentiam et sollicitudinem vestram cupimus adjuvare*. Post pauca unus cod. Vat., *scelestis ausibus*. Dein pro *exitialia* Quesnellus in margine: Alias, *exitiabilia*. Postea *simplices quoque* in utrisque mss. Hisp. et in Vat. Isid., et *altiore* pro *aptiore* in Vindebon. Hisp. et in codd. collect. 21 et 24.

[m] Editi antiquiores cum quibusdam mss., *aut errore*. Quesnelli emendatio placuit, quam in aliis nostris codd. invenimus, quæque cohæret cum saniori lectione epist. 69, in quam vide annot. 23 (*Col.* 892, *n.* [o]).

[n] Editi Quesnello anteriores cum mss. collect. 24 et Sichardo, *qui catholicam*. Cod. Vat. collect. 11, *qua catholicam*. Quesnelli lectionem *quia* approbant utrique codd. Hisp., Vat., Isid. et nonnulli collect. 21.

[o] Iidem excusi cum iisdem codd. collect. 24, Sichardo et cum Vindebon. Hisp., *id agite*.

[p] Vat. Hisp., *potiamini*.

[q] Hanc quoque epistolam die XVII *kal. Octobris* libenter signaremus ob rationem allatam annot. 17 (*supra*, *n.* [a]) in epistolam præcedentem, si alicujus codicis auctoritate fulciremur, et non desideraretur hæc epistola in ms. Ratisp., cujus præsidio diem in anteriori epistola vulgatam emendavimus.

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. Quesnellus sequentem epistolam chronica nota expertem collocavit primo loco inter epistolas anni 451, post epistolam 75, ad eumdem Faustum scriptam VI idus Novembris an. 450. At epistola 75 exarata fuit, *cum propitio Domino multum catholicorum est aucta libertas*, nimirum post Theodosii mortem, qui Eutychianis

Digitized by Google

patrocinabatur. Epistola vero nunc subjicienda scripta fuit, cum aliqua humana ratio seu metus aliquis ab aperta veritatis defensione poterat cohibere : unde pontifex Fausto animum acuens, *Exhortor*, inquit, *tuam beatitudinem, ut non confundaris de Evangelio generationis Domini Jesu Christi;* quod vivum adhuc Theodosium præsumit. Hinc ante Theodosii mortem, quæ incidit exeunte Julio anni 450, vel saltem ante mortis ejus notitiam, quæ ad Leonem pervenit antequam scriberet VI idus Novembris epistolam 75, sequentes litteræ datæ videntur.

2. In collectione Chalcedonensi, ex qua una hanc epistolam habemus, describitur cap. 6 post Flaviani epistolam inter Leoninas 22, et ante epist. 28, datam idibus Junii an. 449, ex quo sub hoc tempus lucubrata videri potest. Cum vero Chalcedonensis collectionis auctor exactum temporum ordinem non usquequaque servaverit, ut ex aliis documentis liquet, locus huic epistolæ in ea collectione tributus, cogere non debet : cum præsertim prima epistolæ verba, *Gratum semper est mihi tuam alloqui charitatem*, indicent jamdiu inter Leonem et Faustum intercessisse litterarum commercium, quod ab initio Eutychianæ causæ cœpisse videtur. Inter epistolas quæ ad nos pervenere, prima ad Faustum et cæteros archimandritas est epistola 32, data idibus Junii an. 449. Dein alia ad eosdem, scilicet epist. 51, ex Romana synodo scripta idibus Octobris anni ejusdem ; et hæc est prima post latrocinium Ephesinum, quando Theodosio patrocinante Eutychianorum vis et impotentia innotuit. Post hanc sequitur epistola 61, ad Faustum et Martinum, exarata die 17 Martii an. 450. Cum in hac Leo memoret eorum litteras ad se transmissas eodem tempore quo ipse dederat epistolam 51, uti animadvertimus annot. 48 (*Col.* 871, *n.* [m]) in epist. 59, exploratum videtur has Fausti et Martini litteras tunc acceptas, fuisse primas post latrocinium Ephesinum, et epistolam 61 fuisse primam epistolam, quam ad eosdem misit post epistolam 51, ac propterea metuens ne hæc epistola 51 ad eos forte pervenerit, hac prima occasione ejus exemplum ipsi epistolæ 61 adjecit. Hinc sequens epistola 72, qua aliis Fausti posterioribus litteris per Parthenium directis S. pontifex respondet, ante epistolam 61 collocanda non fuit. Cum porro ex dictis vivente Theodosio vel ante nontiam mortis ejusdem tradita fuerit, certus autem dies ac mensis ignorentur, in fine litterarum quæ vivo Theodosio datæ fuerunt eam collocavimus, ita tamen ut affirmare solum possimus eam exaratam inter Martium et Novembrem anni 450.

3. Originale Latinum hujus epistolæ desiderari credimus : Latinus enim textus, quem ex mss. Latinis collectionis Chalcedonensis habemus, versio videtur ex interpretatione Græca : unde, præter nonnulla a Leonis stylo aliena, nota chronica abest, uti deest in omnibus epistolis ejusdem collectionis, quæ e Græco redditæ fuerunt. Hinc primum locum tribuimus interpretationi Græcæ, quæ originalis vicem supplet.

EPISTOLA [a] LXXII.

AD FAUSTUM PRESBYTERUM.

SYNOPSIS. — *Fidem ejus laudat ; ad sollicitudinem hortatur.*

1016 Dilectissimo [b] Fausto presbytero Leo episcopus.

Gratum semper est mihi tuam alloqui charitatem, et affectum salutationis exsolvere : quoniam [c] et scio te probabilem et sincerissimæ fidei esse custodem, et qui non circumducitur omni vento doctrinæ, sed in fundamento prophetarum et apostolorum, qui Christus est, firme consistere : ut cum venerit filius hominis in Divinitate sua ad purgationem totius mundi, [d] in electione reperiaris frumentum æternitatis, qui dignus thesaurizari possis in horreis. Susceptis itaque litteris per filium meum Parthenium, reciprocam salutationem exsolvens, exhortor tuam [e] beatitudinem, fili charissime, ut non confundaris de Evangelio **1018** generationis Domini [f] Jesu Christi filii David, filii Abraham secundum carnem : quoniam hæc fides vincit mundum, quando quis credit quia Christus Jesus est Filius Dei. Si quæ vero fidei quæstiones inveniuntur, admonemus ut de his quæ ad communem utilitatem pertinent latius nobis scribas, libenter [g] suscipientibus qui ista detulerint.

A **1015** Τῷ ἀγαπητῷ υἱῷ Φαύστῳ πρεσβυτέρῳ Λέων ἐπίσκοπος.

Κεχαρισμένον ἐστὶν ἀεί μοι τὸ τὴν σὴν ἀγάπην προσφθέγγεσθαι, καὶ πρὸς τὴν προσηγορίαν τὰ ἥδιστα ἔχω. Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀγνοῶ δεδοκιμασμένον σε [1] τῆς ἁγίας πίστεως εἶναι φύλακα, μὴ περιφερόμενον παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, ἀλλ' ἐν τῷ θεμελίῳ τῶν προφητῶν καὶ ἀποστόλων, ὅς ἐστι Χριστὸς, βέβαιον διαμένειν. Ἵνα ὁπότε ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν θεότητι αὐτοῦ πρὸς καθαρισμὸν παντὸς τοῦ κόσμου, ἐν ἐπιλογῇ εὑρεθείης τοῦ σίτου τῆς ἀϊδιότητος τοῖς ὁρίοις θησαυρίζεσθαι ἄξιος. Ἀποδοθέντων τοιγαροῦν τῶν γραμμάτων διὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἐμοῦ Παρθενίου, τὴν ὁμοίαν προσηγορίαν πληρῶ, προτρεπόμενος τὴν σὴν τελειότητα, υἱὲ ἀγαπητέ, ἵνα μὴ ἐπαισχυνθῇς τὸ **1017** εὐαγγέλιον τῆς γενέσεως τοῦ **B** δεσπότου Χριστοῦ, τοῦ υἱοῦ Δαυὶδ, υἱοῦ Ἀβραὰμ κατὰ σάρκα· ἐπειδὴ αὕτη ἡ πίστις ἐνίκησε τὸν κόσμον, εἴ τις πιστεύει, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Εἰ δέ τινες τῆς πίστεως παρευρέσεις εὑρίσκοιντο, ὑπομιμνήσκομεν, ἵνα γράφῃς ἡμῖν πλατύτερον, ἡδέως ἔχοντες πρὸς τοὺς [2] ταύτας διακομίζοντας.

[a] Alias 57. Quæ autem antea 72 erat, nunc 93. Scripta inter Mart. et Nov. an. 450.

[b] Quesnellus cum editoribus Romanis addit *filio*, quæ tamen vox in anterioribus Leonis editionibus, in Græca versione et in omnibus Latinis codicibus deest.

[c] Editiones Leonis. *Scio te et probabilem.* Secuti sumus lectionem edit. Concil., cum sit etiam omnium codicum lectio.

[d] Hic locus usque ad finem periodi non Leonem, sed interpretem prodit, qui nec satis bene Græcum textum reddidit. Nam aptius ex Græco : *In electione reperiaris frumenti æternitatis, dignus recondi in horreis.*

[e] Sic omnes codices et editiones ante Romanam, in qua ex Græco, *perfectionem.* Cæterum *beatitudinis* titulus presbyteris a Leone tributus numquam in originalibus ejus litteris invenietur. In epist. 74, ad Martinum archimandritam et presbyterum, ut erat Faustus, *dilectionis tuæ* vocibus utitur. Interpretatio vel ex hoc confirmatur hominis, qui *beatitudinis* titulo monachos presbyteros appellare solebat.

[f] Quidam codices omittunt vocem *Jesu*, et infra *Christus*, quemadmodum etiam in Græco desiderantur.

[g] Editiones Concil. cum nonnullis codd. addunt *nobis.*

[1] In ms. Ven., τῆς ὑγιοῦς πίστεως. Fortasse rectius.

[2] In marg. edit. Rom., ἴσως, ταῦτα.

Digitized by Google

EPISTOLA [a] LXXIII.

[b] VALENTINIANI ET MARCIANI [c] AD ARCHIEPISCOPUM ROMÆ LEONEM.

De electione sua et de concilio celebrando.

Victores VALENTINIANUS et MARCIANUS gloriosi triumphatores, semper Augusti, LEONI reverendissimo [d] archiepiscopo gloriosæ civitatis Romæ.

Ad hoc maximum imperium [e] venimus Dei providentia et electione senatus excellentissimi cunctæque militiæ. Unde [f] pro reverenda et catholica religione fidei Christianorum, cujus auxiliis virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam sanctitatem principatum in Episcopatu, divinæ **1019** fidei possidentem, sacris litteris in principio justum credimus alloquendam: invitantes atque rogantes ut pro firmitate et statu nostri imperii æternam Divinitatem tua sanctitas deprecetur, ut et tale propositum atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato per celebrandam synodum, te auctore, maxima pax circa omnes episcopos fidei catholicæ fiat, ab omni scelere pura et intemerata consistens. Actum Constantinopoli, [g] consulatu VII domni Valentiniani Augusti PP., et Avieni. v. c.

Νικηταὶ Οὐαλεντινιανὸς καὶ Μαρκιανὸς, ἔνδοξοι, τροπαιοῦχοι, ἀεὶ βασιλεῖς, Λέοντι τῷ εὐλαβεστάτῳ ἐπισκόπῳ τῆς ἐνδόξου πόλεως Ῥώμης.

Εἰς τοῦτο τὸ μέγιστον βασίλειον [1] ἤλθομεν Θεοῦ προνοίᾳ καὶ ἐπιλογῇ τῆς ὑπερφυοῦς συγκλήτου, καὶ παντὸς τοῦ στρατοῦ, ὅθεν ὑπὲρ τῆς εὐλαβοῦς, καὶ καθολικῆς θρησκείας τῆς πίστεως τῶν χριστιανῶν, οὗ τινος τῇ βοηθείᾳ τοῦ ἡμετέρου κράτους πεποίθαμεν ἰθύνεσθαι τὴν δύναμιν, τήν τε σὴν [2] ἁγιωσύνην ἐπισκοπεύουσαν, καὶ ἄρχουσαν τῆς θείας **1020** πίστεως, ἱεροῖς γράμμασιν ἐν πρώτοις δίκαιον ἡγησάμεθα προσειπεῖν, προτρεπόμενοι καὶ παρακαλοῦντες, ἵνα ὑπὲρ ἑδραιότητος, καὶ στάσεως τοῦ ἡμετέρου βασιλείου, τὴν αἰώνιον θειότητα ἡ σὴ [3] ἱκετεύῃ ὁσιότης· διὰ τὸ καὶ τὴν ἡμετέραν πρόθεσιν, καὶ τὸν πόθον τοιοῦτον ὑπάρχειν, ὥστε πάσης ἀσεβοῦς πλάνης ἀποκινηθείσης, διὰ τῆς [4] συγκροτηθείσης ταύτης συνόδου, σοῦ αὐθεντοῦντος, μεγίστη εἰρήνη περὶ πάντας τοὺς ἐπισκόπους τῆς καθολικῆς πίστεως ὑπαρχθείη, παντὸς μύσους καθαρὰ καὶ ἄσπιλος γενομένη. Ἐπράχθη ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐν ὑπατείᾳ τοῦ δεσπότου ἡμῶν Οὐαλεντινιανοῦ τοῦ αἰωνίου Αὐγούστου τὸ ἕβδομον, καὶ Ἀβιηνοῦ τῶν ὑπάτων.

EPISTOLA [h] LXXIV.

[i] AD MARTINUM PRESBYTERUM.

SYNOPSIS. — *Quam bonum sit pro veritate pati, cujus unitatem locorum spatia non scindunt. De legatis mentio.*

LEO episcopus MARTINO presbytero.

Gratias agimus Deo, et multam fiduciam piæ exsultationis [j] accipimus, cum dilectionem tuam et catholicam fraternitatem ita spiritu fidei vigere cognoscimus, ut cordibus vestris nihil infirmitatis hæretica possit inferre tentatio: ad quam divinitus destruendam nec defuit, ut scitis, sollicitudo nostra, nec deerit, donec omnipotentis dextera Dei omnia diaboli arma confringat: cui ob hoc aliquid audere permittitur, ut a fidelibus Christi gloria majore vincatur. Si quid autem aut difficultatum intervenit aut moratitiam præbeat, ea paulo post electionem ejus scripta fuit. Nonnulli cum Baronio crediderunt Marcianum imperium suscepisse ante mensem Augustum hujus an. 450, eo quod in Cod. Justinianeo lex ejusdem imperatoris contra Eutychianos lata tradatur *kal. Aug. Valentiniano* VII *et Avieno coss.* Sed hanc chronicam notam perperam a Treboniano assutam fuisse huic legi ult. de Apostatis patet ex collectionibus Chalcedonensi, Hispanica, etc., in quibus eadem lex integra describitur cum *data* XV *kal. Aug. CP. Sporatio v. c. et qui fuerit nuntiatus coss.*, id est 18 Julii an. 452. Porro Marcianum ad imperium ascendisse die 24 Augusti an. 450 ex Chronico Paschali colligitur. Igitur hæc epistola scripta fuit hoc anno aut Augusto exeunte, aut ineunte Septembri.

[a] Alias post ep. 57. Quæ autem erat 73, nunc 90. Scripta exeunte Aug. aut initio Septemb. an. 450.

[b] Hæc Marciani imperatoris epistola invenitur in sola collectione Chalcedonensi et in ms. Veneto collect. 22, cui additiones ex Chalcedon. collectione accesserunt. Græcum textum originalem esse non dubitamus ex loci et consulatus notatione, quæ in interpretatione Græca omissa fuisset, ut in aliis epistolis Græce redditis constanter observatur. Num vero Latinus quoque textus sit originalis, an versio ex Græco, inquirî potest. Certum est imperatorem Marcianum quædam scripsisse Latine et Græce, uti Latine et Græce in ipsa Chalcedonensi synodo allocutus traditur actione 6, pag. 1472. Vide not. *o* Baluzii. Sic etiam Latine et Græce scriptam videbimus aliam ejusdem imperatoris epistolam 100 ad Leonem. Plura ejusdem generis proferre possemus exempla, si opus esset. Gravitas quidem et dignitas Latinæ locutionis præsentis epistolæ non interpretem e Græco in aliis epistolis reddendis valde humilem et minus peritum, sed Latinum auctorem præfert.

[c] Ita codd. Latini et Græcus textus, nec non in edit. Concil. Solus Quesnellus, *ad episcopum*.

[d] Idem Quesnellus cum Græco: *Episcopo*. Lectionem vulgatam Conciliorum ex Latinis codicibus revocavimus.

[e] Cod. Divionensis, *nos venire contigit*. Alii Baluzii codices, *veni*.

[f] Ms. Ver. 57, *pro reverentia*.

[g] Ita optime ex eodem ms. Veron., cui cæteri nostri codd. accedunt, et solum tres Baluzii pro *Avieni v. c.* perperam habent *Avieneni*, *Abieni*, vel *Avenieni* VI. Dies et mensis in codd. et in Græco desunt. Cum vero Marcianus hac in epistola suæ assumptionis notam perperam a Treboniano assutam fuisse huic legi ult. de Apostatis patet ex collectionibus Chalcedonensi, Hispanica, etc., in quibus eadem lex integra describitur cum *data* XV *kal. Aug. CP. Sporatio v. c. et qui fuerit nuntiatus coss.*, id est 18 Julii an. 452. Porro Marcianum ad imperium ascendisse die 24 Augusti an. 450 ex Chronico Paschali colligitur. Igitur hæc epistola scripta fuit hoc anno aut Augusto exeunte, aut ineunte Septembri.

[h] Alias 55. Quæ autem antea 74 erat, nunc 94. Scripta 13 Septemb. an. 450.

[i] Est in ms. Grim. collect. 18 et in nostris codd. Vat. ac Veneto collect. 12, qui postremi perperam *Martiano* hanc epistolam inscribunt. Notat in postilla marginali Quesnellus: «Non uni Martino inscriptam fuisse a Leone hanc epistolam, sed cæteris pariter ejus collegis, patet ex epistolæ contextu.» Sed ad solum Martinum initio scribens, ut indicant verba *dilectionem tuam* mox ad *catholicam fraternitatem*, id est ad omnes Constantinopolitanos, et præsertim monachos catholice sentientes sermonem dirigit.

[j] Ita ex duobus nostris codicibus collect. 12, ipso exigente contextu, non ut in vulgatis, *accepimus*.

[1] Ms. Ven., ἦλθον.

[2] Sic ex codd. Græc. Vat. 1178 et Ottob. 29, pro ἀγνωσύνην, lectione vulgata.

[3] Ms. Ven., ἱκετεύος.

[4] In marg. edit. Cotel., συγκοτηθησομένης συνόδου.

Digitized by Google

rum, cum æquanimitate tolerandum est : quoniam ubi veritas est magistra, numquam desunt divina solatia, fratres charissimi. Quamvis ergo magna locorum intervalla nos dividant, unitate tamen fidei vobiscum sumus, et toto corde Jesum Christum Dominum nostrum verum Deum et verum hominem confitentes, nulla in vobis detrimenta perpetimur, cum de vestræ professionis concordia gloriamur : tantum ut sit auxiliante Domino constantia perseverans, dicente Apostolo : **1021** *Vobis enim* [a] *donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo* [b] *patiamini* (*Philip.* I, 29). Ad quam fortitudinem sanctarum mentium roborandam, fratres nostros atque legatos, quos pro apostolicæ fidei libertate direximus, et quos dudum apud vos esse confidimus, plurimum credimus profuturos : cum totius actionis nostræ didiceritis affectum, et curam vestram atque consilium [c] pio operi junxeritis. De qua re non necesse est nunc latius scribere, cum jam per supradictos sufficientes [d] epistolas miserimus, quibus abundantissime omnis catholica fraternitas instruatur. Divinæ erit virtutis et gratiæ ut Dei Filius, qui naturam humani generis suam fecit, amplius quam [e] videmus aut sapimus, magnum pietatis suæ asserat sacramentum (1 *Tim.* III, 16), quod impia temeritas sibi quidem fraudavit, sed rectis cordibus auferre non potuit. Data [f] idibus septembris, Valentiniano et Avieno v. c. consulibus.

EPISTOLA [g] LXXV.

[h] AD FAUSTUM ET MARTINUM PRESBYTEROS.

SYNOPSIS. — I. *Intolerabile esse scribit Occidentalibus episcopis, quod Ephesi contra fidem actum est.* — II. *Antichristo militare tam Nestorium quam Eutychen; contra quos Ecclesia profitetur non unam naturam, sed unam se adorare personam.*

1022 LEO FAUSTO et MARTINO presbyteris [i] et archimandritis.

Per MAXIMINUM *comitem.*

CAP. I. — Omnes scribendi occasiones libenter amplectens, alloqui dilectionem vestram sacerdotali affectione non desino : ut ex ipsa frequentia litterarum possitis agnoscere quantam curam Ecclesiæ universalis habeamus, pro cujus piissima fide studiosius defendenda vestram quoque devotionem oportet laborum nostrorum esse consortem. Nam et per fratres nostros episcopos atque presbyteros, quos pro Christianæ religionis statu misimus, quosque dudum vobiscum esse confidimus, plenissime ex omni instructione quam dedimus potuistis advertere quam intolerabile habeatur apud cunctos nostrarum partium sacerdotes, quod profana quorumdam insipientia contra sacramentum redemptionis humanæ inferre molita est. Et nunc per filium nostrum Maximinum comitem continuatim vos alloquiis cohortamur, ut quia propitio [j] Domino multum catholicorum est aucta libertas, [k] assumatis constantiam spiritalem contra Antichristi præcursores, dicente beato Joanne : *Omnis* [l] *spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Jesum Christum ex Deo non est, et hic est Antichristus* (I *Joan.* IV, 2, 3).

CAP. II. — Cui Nestorius et Eutyches sub diversa quidem erroris specie, sed sub eodem spiritu falsitatis militare voluerunt, cum catholica fides apostolicis [m] atque evangelicis imbuta doctrinis utrumque detestetur, utrumque condemnet; quæ ex quo [n] coæternum Patri *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), quem credit Filium Dei, eumdem etiam filium hominis confitetur; et in uno vero Deo ac **1023** vero homine Domino Jesu Christo non unam naturam, sed unam se profitetur adorare personam. In hac fide nobiscum inseparabiliter atque indifferenter uniti, state [o] constanter et viriliter agite; ac si quæ sunt moræ de his quæ poscimus ordinandis, per occasiones tamen, quas fidas gratia divina providerit, litteris nos vestræ dilectionis instruite. Quia multum solatii est, **1024** cum sollicitis animis

[a] Sic mss. et Quesnellus. Cæteræ editiones, *datum est.*

[b] Hæc scripta sunt a Leone, dum nondum Theodosii, qui Eutychianis favebat, mortem acceperat; unde catholicos adhuc vexatos præsumit.

[c] Codd. collect. 12 cum editis Quesnello anterioribus ignorant *pio*. Iste in margine pro *operi* alias *opere*.

[d] Id est epistolam 71.

[e] Ita nostri codd. cum editis ante Quesn., apud quem, *prævidemus*.

[f] Hæc dies, mensis, et consulum notatio deest in mss. Grim. Legitur autem in nostris mss. et in editis. Solum post vocem *Valentiniano* supplendum esset *Aug.* VII. Utrique codices collect. 12 statim post consularem notam addunt, *per Carterium et Asclepiadem diaconos Constantinopolitanum;* corrupte. Cum enim epistola 80, cap. 1, mentio fiat Casterii, alias Carterii presbyteri, et Asclepiadis diaconi Constantinopolitani, legendum credimus *per Carterium*, seu *Casterium presbyterum, et Asclepiadem diaconum Constantinopolitanum*. Cum porro in iisdem mss. huic epistolæ subjiciatur epistola 78, quæ per hos Casterium et Asclepiadem Constantinopolim missa fuit anno sequenti idibus Aprilis, censemus hanc notationem ad eamdem epistolam 78 potius quam ad præsentem esse referendam : neque enim eos clericos bis transmisisse et hoc et sequenti anno ullum indicium, ulla probabilitas est.

[g] Al. 56. Quæ autem erat 75, nunc 95. Die 8 vel 9 Nov. an. 450.

[h] Edita fuit a Quesnello ex ms. Grimanico collect. 18. Nos eamdem contulimus cum Ratisponensi collect. 19.

[i] Voces *et archimandritis* adjecimus ex cod. Ratisp. Quesnellus addidit, *a pari*, quod noster codex ignorat, et contextus pluralis numeri excludit.

[j] Ratisp., *Deo*. Idcirco autem *multum catholicorum aucta libertas* dicitur, quia Marcianus novus imperator catholicis favebat. Hoc primum indicium est electionis Marciani, quam quidem Maximinum comitem ejusdem imperatoris ministrum attulisse, ut a Valentiniano approbaretur, satis credibile est.

[k] Quesnellus ex Grimanico, *sumatis*. Magis placuit lectio Ratisp.

[l] Ratisp. omittit *spiritus*, et secundo loco *Christum*.

[m] In eodem codice desunt voces *atque evangelicis*.

[n] Sic noster Ratisp. Quesnellus ex Grim., *æternum Patris*.

[o] Grim. ms. et Quesnellus, *confidenter*. Melius in Ratisponensi.

Digitized by Google

rerum desideratarum actio nuntiatur. Volumus autem ut hæ litteræ nostræ, quas ad vestram dilectionem misimus, etiam cæteris catholicis innotescant: quo intelligant se quoque ad defensionem fidei [a] hi- A sce nostris exhortationibus incitari. Data [b] sexto idus Novembris, Valentiniano Augusto septies et Avieno consulibus.

EPISTOLA [c] LXXVI.

[d] MARCIANI IMPERATORIS AD ARCHIEPISCOPUM ROMÆ LEONEM.

[e] *Decimo kalendas Decembris Constantinopoli, domino nostro Valentiniano imperatore nostro piissimo septimum et Avieno clarissimis consulibus, sacræ litteræ missæ sunt a domino nostro Marciano perpetuo imperatore ad sanctissimum episcopum Leonem, quibus significabat eos qui ab eodem viro reverendissimo missi fuerant hilariter fuisse susceptos: quare cum omni alacritate eo se conferre dignetur, et synodum celebrare; vel, si hoc ei grave videbitur, suis litteris significet ut, sacris litteris episcopis vocatis, in qua placuerit civitate, fidei convenientia decernantur.*

Τῇ πρὸ δέκα καλανδῶν Δεκεμβρίων ἐν Κωνσταντινουπόλει, τοῦ Δεσπότου ἡμῶν Οὐαλεντινιανοῦ τοῦ εὐσεβεστάτου ἡμῶν βασιλέως [1] τὸ ὄγδοον, καὶ Ἀβιηνοῦ. τῶν λαμπροτάτων ὑπάτων, θεῖα γράμματα κατεπέμφθη παρὰ τοῦ δεσπότου ἡμῶν τοῦ αἰωνίου βασιλέως Μαρκιανοῦ πρὸς τὸν ἁγιώτατον ἐπίσκοπον Λέοντα σημαίνοντα, ὅτι καὶ οἱ ἀποσταλέντες παρὰ τοῦ αὐτοῦ εὐλαβεστάτου ἀνδρὸς ἡδέως ἐδέχθησαν· ὥστε μετὰ πάσης προθυμίας ἐν τοῖς μέρεσι τούτοις παραγενέσθαι κατεξιώση, καὶ τὴν σύνοδον ἐπιτελέσαι ἤ. εἰ τοῦτο ἐπαχθὲς αὐτῷ ὀφθείη, διὰ ἰδίων γραμμάτων δηλώση· ὥστε θείοις γράμμασι κληθέντας τοὺς ἐπισκόπους, ἐν ᾗ ἂν ἀρέσῃ πόλει τὰ ἁρμόζοντα τῇ πίστει ὁρισθῶσιν.

1025 LEONI reverentissimo episcopo Ecclesiæ B [1] gloriosissimæ civitatis Romæ, MARCIANUS.

De studio et [g] oratione nostra sanctitas tua non dubitat: quoniam veram Christianorum religionem et apostolicam fidem firmam volumus permanere, et ab omni populo pia mente servari. [h] Denique securitatem nostræ potentiæ ex recta religione et propitiatione Salvatoris nostri consistere non ambigimus. Quapropter reverendissimos viros quos ad nostram pietatem sanctitas tua direxit libenter et sicut decebat animo grato suscepimus. Superest ut si placuerit tuæ beatitudini in has partes advenire et synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur: nostris utique desideriis vestra sanctitas satisfaciet, et sacræ religioni quæ utilia sunt decernet. Si vero hoc onerosum est ut tu ad has partes C advenias, hoc ipsum nobis propriis litteris tua sanctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem et in ipsam Thraciam et Illyricum sacræ nostræ litteræ dirigantur, ut ad quemdam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes sanctissimi episcopi debeant convenire, et quæ Christianorum religioni atque catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum

1026 Λέοντι τῷ εὐσεβεστάτῳ ἐπισκόπῳ [2] ἐκκλησίας τῆς ἐνδόξου πόλεως Ῥώμης, Μαρκιανός.

Περὶ τῆς σπουδῆς, καὶ τῆς εὐχῆς τῆς ἡμετέρας, οὐκ ἀμφιβάλλει ἡ σὴ ἁγιότης· ὅτι περ ἀληθῆ τὴν τῶν χριστιανῶν θρησκείαν, καὶ τὴν ἀποστολικὴν πίστιν βεβαίαν διαμένειν βουλόμεθα, καὶ παρὰ πάντων τῶν δήμων εὐσεβεῖ διανοίᾳ φυλάττεσθαι. Καὶ γὰρ τὴν ἀμεριμνίαν, καὶ τὴν ἰσχὺν τοῦ ἡμετέρου κράτους, ἐκ τῆς ὀρθῆς θρησκείας, καὶ εὐμενοῦς τοῦ σωτῆρος ὑμῶν συνιστάναι, οὐκ ἔστιν ἀμφίβολον. Διὸ τοὺς εὐλαβεστάτους ἄνδρας οὓς πρὸς τὴν ἡμετέραν εὐσέβειαν πέπομφεν ἡ σὴ ἁγιότης, ἡδέως, καὶ ὡς ἐχρῆν, λογισμῷ [3] ἡδεῖ ὑπεδεξάμεθα Λοιπόν ἐστιν, ἵνα εἰ ἀρέσκῃ τῇ σῇ ὁσιότητι ἐπὶ ταῦτα τὰ μέρη παραγενέσθαι, καὶ τὴν σύνοδον ἐπιτελέσαι, τοῦτο ποιεῖν τῷ περὶ τὴν θρησκείαν ἔρωτι καταξιώσῃ. Καὶ γὰρ ταῖς ἡμετέραις ἐπιθυμίαις ποιήσει τὸ ἱκανὸν ἡ σὴ ὁσιότης, καὶ τῇ ἱερᾷ θρησκείᾳ τὰ χρήσιμα διατυπώσει Εἰ δὲ ἐπαχθές τοῦτό ἐστι, τὸ, σὲ πρὸς ταῦτα παραγενέσθαι τὰ μέρη, τοῦτο αὐτὸ ἡμῖν ἰδίοις καταμηνύσει γράμμασιν ἡ σὴ ἁγιωσύνη· ὥστε πρὸς ἅπασαν τὴν ἀνατολήν, καὶ τὴν Θράκην, καὶ τὸ Ἰλλυρικὸν, θεῖαι ἡμέτεραι [4] ἀποσταλήσονται προσφωνήσεις· ὅπως πρός τινα ὡρισμένον τόπον. ἔνθα ἂν ἡμῖν δόξῃ, πάντες οἱ ἁγιώτατοι ἐπίσκοποι παραγένωνται· καὶ

[a] Ratisp., *iisdem*.
[b] Idem codex, v *idus*.
[c] Alias post epist. 71. Quæ autem erat 76, nunc 96. Scripta 22 Nov. an. 450.
[d] Est in mss. collect. Chalcedon. 17 et 22, in quibus *ad archiepiscopum* legitur, sicut etiam in titulo Græco; non *ad episcopum*, ut in editione Quesnelli.
[e] In codicibus Latinis nulla synopsis huic epistolæ præmittitur; at legitur in mss. Græcis, ex quibus editores Romani Græcum textum vulgarunt, et ex synopsi Græca hanc Latinam reddidere. Solum pro *Decembris*, qui mensis in Græco legitur, perperam D correxerunt, *Septembris*, eo quod ex erroneo consulatu cujusdam legis Marciani, imperium ante diem 24 Augusti ab eo assumptum, et has litteras paulo post assumptionem ad imperium scriptas credideriut. Epistola quidem 74 data fuit statim post susceptum imperium, ad quod eum evectum fuisse die 24 Augusti ex Chronico Paschali Antonius Pagius ostendit. Hæc autem epistola post legatorum adventum exarata fuit, quem in mensem Novembrem incidisse ex hisce litteris discimus.
[f] Ita nostri quinque codices. Vulgati, *gloriosæ*. Cod. Divion. et Quesnellus in margine, *reverendissimæ*.
[g] Editi in margine ex Græco, *voto nostro*.
[h] Vulgati item in margine ex Græco, *etenim*. Mox pro *securitatem* quidam codices habent *sollicitudinem*.
[1] Lege, τὸ ἕβδομον.
[2] In vulgatis non apparet vox ἐκκλησίας; nos addidimus ex mss. Ven. potissimum et ex Latino textu
[3] Ms. Ven., ἡδέως.
[4] Edit. Rom. in margine, ἀποσταλήσοιται. [*F. leg.* ἀποσταλήσωνται].

Digitized by Google

ecclesiasticas regulas [a] definivit, sua dispositione declarent [b].

ἅπερ τῇ τῶν χριστιανῶν θρησκείας εἰρήνῃ, καὶ τῇ καθολικῇ πίστει συμφέρουσι, καθὼς ἡ σὴ ἁγιωσύνη κατὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας διετύπωσε, κατατεθήσονται.

EPISTOLA [c] LXXVII

PULCHERIÆ AUGUSTÆ [d] AD SANCTISSIMUM ARCHIEPISCOPUM ROMÆ LEONEM.

1028 [e] *Missæ sunt etiam* [f] *divinæ syllabæ a divæ memoriæ Pulcheria ad eumdem virum sanctissimum, nuntiantes Deo amicissimum archiepiscopum Constantinopolitanum Anatolium, omni errore sepositio, epistolæ nuper missæ ad sanctæ memoriæ Flavianum absque ulla mora subscripsisse, et* [g] *sustineri jam ut quædam synodus fieret in partibus Orientis; corpus vero ejusdem sanctæ memoriæ Flaviani Constantinopolim fuisse perductum, ut in basilica apostolorum sepeliretur. Episcopi etiam, qui unanimes erant sanctæ memoriæ Flaviano,* [h] *et ad exsilium fuerunt destinati, et hos revocandos fore, ut ad recipiendas Ecclesias suas synodi sententiam sustinerent.*

1030 Leoni reverendissimo episcopo Ecclesiæ gloriosæ civitatis Romæ, Pulcheria venerabilissima Augusta.

Litteras tuæ beatitudinis [i] cum decenti omni episcopo veneratione suscepimus; per quas tuam fidem puram et talem cognovimus, qualis debet cum sanctitate sacro præberi templo. Ego vero similiter ac meus dominus tranquillissimus imperator, meus conjux, in eadem semper et mansimus et manemus, omnem pravitatem atque pollutionem et maleficium declinantes. Sanctissimus igitur gloriosæ Constantinopolis episcopus Anatolius in eadem fide permansit atque religione, et tuarum litterarum apostolicam confessionem complectitur, illo errore sublato qui ab aliquibus nunc ortus est, sicut ex ejus quoque litteris clarius tua sanctitas agnoscere poterit; [j] *et* epistolæ namque similiter catholicæ fidei, quam ad sanctæ memoriæ Flavianum episcopum tua beatitudo direxit,

1027 Θεῖαι συλλαβαί [1] ἀπεστάλησαν γὰρ παρὰ τῆς θείας μνήμης Πουλχερίας πρὸς τὸν αὐτὸν ἁγιώτατον ἄνδρα, μηνύουσαι τὸν θεοφιλέστατον [2] ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως Ἀνατόλιον, χωρισθείσης πλάνης, ἔναγχος τῇ πεμφθείσῃ ἐπιστολῇ πρὸς τὸν τῆς ἁγίας μνήμης Φλαυιανόν, ἄνευ τινὸς μελλησμοῦ [3] ὑπογεγραφηκέναι· καὶ τινα ἤδη ἐν τοῖς τῆς ἀνατολῆς μέρεσι σύνοδον εἶναι ἐπιτελεστέαν. Καὶ [4] τὸ λείψανον δὲ τοῦ αὐτοῦ τῆς ἁγίας μνήμης Φλαυιανοῦ ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει κατηνέχθη, ἐν τῇ τῶν ἀποστόλων βασιλικῇ κατατεθησόμενον· καὶ οἱ ἐπίσκοποι δέ, οἱ ὁμονοήσαντες τῷ τῆς θείας μνήμης Φλαυιανῷ εἰς ἐξορίαν ἦσαν ἀποσταλέντες, [5] τούτους ἀνακλητέους πρὸς ἀναληπτέας τὰς ἰδίας ἐκκλησίας, συνόδου ἀναμενούσης τὴν ἀπόφασιν.

1029 Λέοντι τῷ εὐσεβεστάτῳ ἐπισκόπῳ τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐνδόξου πόλεως Ῥώμης παρὰ τῆς δεσποίνης ἡμῶν Πουλχερίας, καὶ σεβασμιωτάτης βασιλίδος.

Τὰ γράμματα τῆς σῆς μακαριότητος μετὰ τῆς πρεπούσης παντὶ ἐπισκόπῳ σεβασμιότητος ὑπεδεξάμεθα, δι' ὧν τὴν πίστιν καθαρῶς, καὶ τοιαύτην ἐπέγνωμεν, ὁποίαν ὀφείλει μετὰ ἁγιότητος τῷ θείῳ παρέχεσθαι ναῷ. Ἐγὼ δὲ ὁμοίως, καὶ ὁ δεσπότης, ὁ γαληνότατος βασιλεὺς, ὁ ἐμὸς σύζυγος, ἐν τῇ αὐτῇ διὰ παντὸς καὶ [6] διεμείναμεν, καὶ διαμένομεν, πᾶσαν σκαιότητα, καὶ μιασμὸν, καὶ φαρμακείαν ἐκκλίνοντες. Ὁ ἁγιώτατος τοίνυν τῆς ἐνδόξου Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος Ἀνατόλιος ἐν τῇ αὐτῇ διέμεινε πίστει τε, καὶ θρησκείᾳ, καὶ τῶν σῶν γραμμάτων τὴν ἀποστολικὴν ὁμολογίαν περιπτύσσεται, τῆς πλάνης ἀποβληθείσης ἐκείνης, ἥ τις παρά τινων νῦν ἀνέκυψε· καθὼς καὶ ἐκ τῶν αὐτοῦ γραμμάτων ἔτι σαφέστερον ἐπιγνῶναι ἡ σὴ δύναται ἁγιότης· τῇ τε γὰρ ἐπιστολῇ ὁμοίως τῆς καθολικῆς πίστεως, ἣν τινα πρὸς τῆς ἁγίας μνήμης Φλαυια-

[a] Ita nostri et Baluzii codices, concinente Græco textu : qua lectione indicatur id declarandum in generali concilio quod religioni et fidei prosit, sicut Leo antea in sua præsertim ad Flavianum epistola definierat. Similem sententiam præfert etiam sequens epistola Pulcheriæ; ubi *de catholica confessione* a concilii Patribus decernendum affirmat *te auctore*, quod quidem solemni receptione litterarum Leonis ad Flavianum in Chalcedonensi factum fuit.

[b] Tempus hujus epistolæ, id est diem 22 Novembris an. 450, nobis conservavit titulus, quem ex Græcis codd. loco synopsis præfiximus.

[c] Al. post epist. 58. Quæ autem antea 77 erat, nunc 102. Sub idem tempus quo præcedens.

[d] Exstat in iisdem codicibus in quibus præcedens invenitur, et in his *archiepiscopum* legitur, non *episcopum*, ut Vulgati cum Græco præferunt.

[e] Hæc synopsis invenitur in mss. libris Latinæ collectionis Chalcedonensis, qui integram et perfectam Rustici editionem continent, cujusmodi sunt tres Baluzii et noster Chigianus 483. Deest autem in Vat. 1323 et 4166, qui quædam Rustici præferunt, quædam prætereunt. In antiquissimo Veron. 57 et Veneto S. Marci 79, hæc synopsis aliis verbis expressa præmittitur : *Incipit epistola Pulcheriæ Augustæ ad eumdem sanctissimum archiepiscopum Romæ Leonem, quæ significat reverentissimum Anatolium Constantinopolitanum, errore relicto, episcopum confirmatum, subscriptione maxime epistolæ ejus dogmaticæ ad S. Flavianum directæ, cujus Flaviani etiam corpus significat suæ sedi perductum, et in Apostolorum basilicam depositum, et alia quæ tenor sacrorum apicum ejus demonstrat.*

[f] Ita cod. Chigianus collect. Chalced. ex integra editione Rustici, uti etiam in Græco. Editi, *sacræ litteræ.*

[g] Ita exemplaria ejusdem Rustici. Vulgati, *sustinere.*

[h] Conjunctionem *et* hoc loco necessariam, quæ deest in mss. Baluzii, reperimus in codice Chigiano, et fuit etiam in illo ms. ex quo ab editoribus Conciliorum vulgata fuit.

[i] Vulgati, *cum omni decenti omnem episcopum veneratione*, nullo nostro vel Baluzii codice suffragante. Cod. Divion. ipsius Baluzii, *cum decenti omni episcopali veneratione*. Prætulimus lectionem quinque nostrorum mss. et aliorum duorum Baluzii. Leonis litteræ, quæ hic a Pulcheria memorantur, sunt epistola 70.

[j] Cum propositi nostri sit proferre veterem ex Græco versionem, quæcumque fuerit; retinuimus *et epistolæ*, licet ex Græco reddendum fuisset, uti etiam contextus exigit, *etenim epistolæ;* et mox adjecimus ex mss. particulam *namque*, quam ut incongruam editores omiserunt.

[1] In marg. edit. Rom., ἀπεστάλησαι (leg., ἀπεστάλησαν) παρά.

[2] Ms. Ven., ἀρχιεπίσκοπον τῆς κωνσταντινουπόλεως.

[3] Ita sanavimus hunc locum, sequentes, ductum cod. Ven., qui habet, ὑπογεγράφηκεν, addendo scilicet unam diphthongum, et legendo ὑπογεγραφηκέναι, uti per conjecturam notarunt in margine etiam edit. Rom. Male in vulg., ὑπογεγραφήκαμεν.

[4] In marg. edit. Rom., ἐς. ὅτι τό.

[5] Ms. Ven., οὓς.

[6] In ms. Ven., διέμεινεν.

Digitized by Google

sine aliqua dilatione subscripsit. Et propterea tua reverentia quocumque modo [a] perspexerit, significare dignetur; ut omnes etiam totius Orientis episcopi, Thraciæ atque Illyrici, sicut etiam nostro domino piissimo imperatori meo conjugi placuit, in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant convenire; et illic facto concilio, et de catholica [b] confessione, et de his episcopis qui ante hoc segregati sunt, sicut fides **1032** et Christiana pietas exigit, te auctore decernant. Super hæc autem sciat tua sanctitas, quoniam præcepto nostri domini et tranquillissimi principis mei conjugis [c] in gloriosa civitate Constantinopoli sanctæ memoriæ episcopi Flaviani corpus allatum est, et in basilica Apostolorum, in qua consueverunt præcessores episcopi sepeliri, competenter est positum. Et hos similiter episcopos, qui propter eamdem causam, quoniam cum sanctissimo Flaviano ad concordiam fidei catholicæ concurrerant, exsilio deportati sunt, reverti [d], robore pragmatici sui præcepit; quatenus per approbationem synodi, atque sententiam omnium episcoporum [e] convenientium, episcopatum et ecclesias proprias recipere decernantur [f].

νὸν τὸν ἐπίσκοπον ἡ σὴ μακαριότης ἀπέστειλε, δίχα τινὸς ὑπερθέσεως ὑπέγραψε· καὶ διὰ τοῦτο ἡ σὴ εὐλάβεια, καθ' ὃν ἂν φανείη τρόπον, σημᾶναι καταξιώσει· ἵνα πάντες, καὶ πάσης τῆς ἀνατολῆς οἱ ἐπίσκοποι, Θράκης τε, καὶ Ἰλλυρικοῦ, καθὼς καὶ τῷ ἡμετέρῳ δεσπότῃ τῷ εὐσεβεστάτῳ βασιλεῖ τῷ ἐμῷ συζύγῳ ἀρέσκει, εἰς μίαν πόλιν τὴν ταχίστην ἀπὸ τῶν ἀνατολικῶν μερῶν παραγένωνται· κἀκεῖσε γενομένης συνόδου περί τε τῆς καθολικῆς ὁμολογίας, καὶ περὶ τούτων τῶν ἐπισκόπων, οἵ τινες πρὸ τούτου ἐχωρίσθησαν, **1031** καθὼς ἡ πίστις, καὶ ἡ χριστιανικὴ εὐσέβεια ἀπαιτεῖ, σοῦ αὐθεντοῦντος ὁρίσωσιν. Ἔτι δὲ γνώτω ἡ σὴ ἁγιότης, ὡς προστάγματι τοῦ ἡμετέρου δεσπότου καὶ γαληνοτάτου βασιλέως τοῦ ἡμετέρου συζύγου, ἐν τῇ ἐνδόξῳ πόλει τῆς Κωνσταντινουπόλεως τοῦ τῆς ἁγίας μνήμης ἐπισκόπου Φλαυιανοῦ τὸ σῶμα διακεκόμισται, καὶ ἐν τῇ βασιλικῇ τῶν ἀποστόλων, ἐν ᾗ εἰώθασιν οἱ προλειτουργήσαντες ἐπίσκοποι θάπτεσθαι, τῇ χρεωστουμένῃ τιμῇ [i] ἀποτίθειται· καὶ τούτους ὁμοίως τοὺς ἐπισκόπους, οἵ τινες διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, ἐπειδὴ μετὰ τοῦ ἁγιωτάτου Φλαυιανοῦ τῇ συμφωνίᾳ τῆς πίστεως τῆς καθολικῆς συνέτρεχον, ἐξορίᾳ ὑπεβλήθησαν, ἐπανελθεῖν διὰ κυριώσεως ἰδίου πραγματικοῦ προσέταξεν· ὥστε διὰ τῆς δοκιμασίας τῆς συνόδου, [g] καὶ πάντων τῶν ἐπισκόπων τῶν συνελθόντων [h] τῆς ἀποφάσεως, τὴν ἐπισκοπὴν, καὶ τὰς ἰδίας ἐκκλησίας κριθῶσιν ἀπολαβεῖν.

1033 EPISTOLA [s] LXXVIII.

[b] AD MARCIANUM AUGUSTUM.

Pro datis litteris et fide defensa gratias agit.

LEO episcopus MARCIANO semper Augusto.

[i] Litteras pietatis vestræ accepisse me gaudeo, et ad significationem totius prosperitatis pertinere cognosco, [j] cum sermones vestri initia pro fidei nos faciant **1034** integritate securos. Quantas itaque clementiæ vestræ gratias referamus, non ex verbis nostris, sed ex beneficiis vestris, quæ Ecclesiæ contulistis, agnoscite: non ambigentes quidem illam

[a] Ita codd. omnes collect. Chalcedon. Cod. Venetus collect. 22, cum editis, *prospexerit*.

[b] Ms. Chig., *religione vel confessione*.

[c] Sic vetera exemplaria, quemadmodum epist. 62, *in Romana urbe revgrsione*, *Romæ pervenisse;* et similia, quæ interpretem Græco textui adhærentem, at a Latina ratione scribendi alienum manifestant. Editi, *in gloriosam civitatem Constantinopolim*.

[d] Vulgati inserunt *debere*, non vero codices.

[e] Vulgati in margine addunt *una*.

[f] Cum Leo huic et præcedenti epistolæ eodem die responderit epistolis 78 et 79, eas simul missas et a pontifice simul acceptas fuisse indicium est; unde in utrisque similia leguntur quoad concilium cogendum ex episcopis *Orientis*, *Thraciæ et Illyrici*, etc. Hinc sicut præcedens epistola Marciani scripta fuit die 22 Novembris an. 450, ita etiam hæc Pulcheriæ. Unum obstare videtur Marciani silentium de facto Anatolii, quod Pulcheriæ litteris indicatur. Si enim hoc præcessisset epistolam imperatoris, hic honorificam legatorum susceptionem memorans, non videtur fuisse omissurum tam prosperum factum, quod legatio potissimum spectabat, et pontifex maxime expetebat. Sed cum scopus epistolæ Marciani fuerit concilii indicendi consilium aperire, sola legatorum susceptione commemorata, præterire potuit cætera quæ ex aliis aliorum litteris ac ex gestis simul transmissis Leonem cognitarum sciebat. Si tamen hæc de causa posterior creditur Pulcheriæ epistola, non tamen multo posterior dicenda erit. Susceptis enim legatis ante diem 22 Novembris, hos in rem suam statim sedulam operam adhibuisse, facileque iisdem fuisse, Pulcheria et Marciano faventibus, rem transigere dubitandum non est: ita ut paucorum dierum intervallo rebus omnibus confectis et Romam statim transmissis cum Pulcheriæ litteris, S. pontifex Marciano simul et Pulcheriæ eadem die respondere potuerit. Ita in hac quoque sententia epistola Augustæ non multo post diem 22 Novembris ante finem anni 450 scripta dicenda erit.

[g] Al. 58. Quæ autem antea 78 erat; nunc 104. Scripta 13 Aprilis an. 451.

[h] Edita fuit a Merlino ex ms. collect. 12. Quesnellus contulit cum Grimanico collect. 18; eamdem relegimus cum cod. Ratisp. collect. 19 et duobus collect. 12.

[i] Indicari videtur epistola 76. Nam epistolæ 73 ejusdem imperatoris Leonem antea respondisse cum præcipua gratulatione de assumptione ejusdem indubium credimus. Epistolam nimirum 73 ab imperatore fuisse transmissam per Maximinum comitem, qui notitiam assumptionis ejus in Urbem attulit, valde probabile est; et sicut per hunc Leo ad Faustum et Martinum Constantinopolitanos misit epist. 75 datam VI idus Novembris an. 450, in qua primum indicium electionis ejus elucet, uti observavimus annot. 3 (*Col.* 902, *n.* 1) ita per eumdem etiam gratulatorias litteras ad ipsum imperatorem rescripsisse haud ambigendum videtur.

[j] Vulgati antiquiores, *cum sermones vestri vos faciant*. Idem est in nostris codd. collect. 12, qui dumtaxat melius mutant *vos* in *nos*. Quesnellus ex Grimanico, *cum sermones vestri pro fidei nos faciant*. Potior visa est lectio præstantissimi ms. Ratisp., in quo voces *sermonis vestri initia* innuunt epistolam 76, qua Marcianus primo ad pontificem de negotio fidei scripsit; in epistola enim 73 simplicem assumptionis suæ notitiam dederat.

[k] In marg. edit. Rom., ἀποτίθεται.

[l] Deest *nal* in ms. Ven.

[m] In ms. Ven., καὶ τῆς ἀποφάσεως.

Digitized by Google

retributorem in omnibus habeatis [a] pro cujus tam pie A estis religione solliciti; et qui vos, ut res ipsa demonstrat, ad hoc ut fides catholica ab insidiis inimicorum suorum defenderetur, elegit, [b] gloriosissime. Hæc me nunc breviter per fratris mei Anatolii clericos pietas vestra [c] scripsisse dignanter accipiat. Pleniora autem de omnibus quæ ad curam meam pro statu Ecclesiarum et concordia pertinent Domini sacerdotum, per legatos nostros [d] scripta direximus. Data idibus Aprilis, **1035** [e] Adelfio viro clarissimo consule.

EPISTOLA [f] LXXIX.

[g] AD PULCHERIAM AUGUSTAM.

[h] SYNOPSIS. — I. *De repressis ejus auctoritate Nestorio et Eutychete gratias agit.* — II. *De legatis adjutis, reductis ad sedes suas sacerdotibus, revocatis in urbem Flaviani reliquiis, et lapsis, si subscribant fidei, recipiendis.* — III. *De Eusebio communione* B *sedis apostolicæ fruente, et Juliano Coensi; et de clericis CP. Flaviano faventibus.*

LEO episcopus urbis Romæ, PULCHERIÆ Augustæ.

CAP. I. — Quod semper de sancta pietatis vestræ mente præsumpsimus, id plenissime experiendo cognovimus, Christianam fidem, quamvis diversis pravorum appeteretur insidiis, vobis tamen præsentibus et in defensionem ejus a Domino præparatis, non posse turbari. Non enim Deus aut suæ [i] misericordiæ sacramentum, aut vestri laboris deserit meritum, quo dudum subdolum sanctæ religionis hostem ab ipsis visceribus Ecclesiæ [j] depulistis; cum hæresim suam tueri impietas Nestoriana non potuit, quia non fefellit famulam et discipulam veritatis, quantum simplicibus infunderetur veneni per illa loquacis hominis colorata mendacia. De quo virtutum **1036** agone processit ut per sollicitudinem vestram ea [k] quæ per Eutychen diabolus molitus est, non laterent,

[a] Idem Vulgati cum mss. collect. 12, *tam pia*: Emendationem Quesnelli probat cod. Ratisponensis.

[b] Vox *gloriosissime* a Quesnellio inducta eodem ms. Ratisp. confirmatur.

[c] Ita omnes nostri codd. Quesnellus, *conscripsisse*. In anterioribus editis et *scripsisse* et *conscripsisse* deerat.

[d] Hæc ac tres sequentes epistolæ datæ idibus Aprilis, per Constantinopolitanos clericos missæ fuerunt. Cum autem S. pontifex has epistolas scriberet, legatos pariter cum aliis plenioribus litteris et instructionibus simul dirigere cogitabat: unde sicut de clericis Constantinopolitanis scribit epist. 80, cap. 1: *Post venerabilem diem festi Paschatis remisimus*, sic de legatis epist. 81 ait: *Nostros post diem venerabilem dirigemus*. At causas aliquas subinde incidisse dicendum est, quæ hanc legatorum transmissionem in longius tempus distulerunt, nimirum in mensem Junium, cum per Lucentium episcopum et Basilium presbyterum apostolicæ sedis legatos Constantinopolim misit epistolas 83, 84, 85 et 86, signatas die 9 Junii: ubi sermonem esse de legatis quos memorat in his epistolis traditis idibus Aprilis, patet ex epist. 83, c. 1, in qua se legatos mittere ait, *ut præcedentibus litteris indicavi*, et epist. 84, c. 1, *quod facturum me aliis litteris indicaveram*. Causam hujus dilationis fuisse arbitramur serum reditum priorum legatorum, quos exspectandos credidit, ante quam novos legatos Constantinopolim dirigeret. Cum has litteras scripsit, sperabat eos brevi perventuros, eo quod fortassis sive ex clericis Anatolii, sive ex ipsorum legatorum litteris intellexerat, discedentibus clericis Constantinopoli, eos quoque in eo fuisse, ut proxime subsequerentur. Hinc novos legatos una cum iisdem clericis Constantinopolim reversuris post Pascha dirigendos indicavit. At cum illorum reditum differri vidit, clericos cum his litteris dimisit quidem idibus Aprilis; at novam legationem protraxit usque ad Junium, quo illi in Urbem rediere. Ita porro de novis D legatis, qui nondum missi fuerant, S. Leo hoc loco inquit *direximus*, quemadmodum de clericis Constantinopolitanis, qui, cum hæc scriberet, Roma nondum discesserant, ait epist. 80, c. 1: *Cum epistolis nostris remisimus*: quippe qui in eo erant ut Constantinopolim redirent. Similiter epist. 75, c. 2, de eadem mox transmittenda scribit: *Volumus autem ut hæ litteræ nostræ, quas ad vestram dilectionem misimus*, etc., ac epist. 83, de legatis quibus eamdem deferendam tradidit, *Fratres*, inquit, *meos ... direxi*. Familiare scilicet Leoni est præteritum tempus usurpare de rebus vel actionibus quæ futuræ quidem erant dum scriberet: at relatæ ad tempus quo epistolæ legerentur, præteritæ fuissent. Hinc conciliantur formulæ quæ videntur contrariæ, cum de iisdem legatis mox, uti meditabatur, transmittendis nunc præterito utitur epist. 79 et 80, *quos misimus*; nunc autem futuro, *nostros .... dirigemus* epist. 81. Illud enim ad tempus quo litteræ legendæ erant, istud vero ad tempus quo scribebantur, ex Leonis mente referendum est. Observamus porro neque in hac neque in sequenti epistola quidquam responderi de concilio quod imperator et ejus conjux Pulcheria in suis litteris expetiverant. Id vero Leonem remisisse *plenioribus scriptis*, quæ per legatos dirigenda commemorat, liquet ex epist. 82, c. 2, ad eumdem Marcianum: *Piissimæ sollicitudini vestræ, quam de indicenda synodo habere dignamini, per legationem, quæ confestim ad clementiam vestram Deo annuente perveniet, quidquid ad causæ utilitatem arbitror pertinere, plenius atque opportunius suggeretur*. Id autem consulto factum C fuit, eo quod mutatis rerum circumstantiis post Theodosii mortem (cum scilicet novo imperatore rectæ fidei patrocinante, Eutyches ejusque fautores repressi et catholici episcopi in Epheso depositi, ab exsilio fuerant revocati, plures vero jam decepti ad sanam mentem in dies revertebantur), Leo non ita necessarium generale concilium credidit ut antea judicaverat; vel saltem eo quod illud non in Oriente habendum putaret, sed in Italia, ubi cum per hoc tempus bellum ingrueret, concilium differendum censuit, uti traditur epist. 83, 90 et 94. Hæc et similia per legatos utilius et plenius viva voce quam litteris tractanda existimavit.

[e] Editi, *Adelphio*. At ms. Ratisp. semper *Adelfio*; et similiter habent in aliis epistolis antiquissimus codex Vat. 1322, utrique codd. Hisp. et Vat. Isid. aliique veteres libri. Ita etiam Prosper et Marcellinus tum in vulgatis, tum in mss. Idipsum confirmatur inscriptione apud Aringhium t. II, p. 419: ADELFO.

[f] Al. 59. Quæ autem antea 79 erat, nunc 105. Scripta 13 Aprilis an. 451.

[g] Exstat hæc epistola in mss. collect. Hisp., Isid. 11, 12, 18 usque ad 24, et in exemplari Sichardi.

[h] In collect. Hispanica hæc synopsis legitur: *Epistola Leonis ad Pulcheriam Augustam, in qua gratias agit quod Nestorianam et Eutychianam hæresim fidei defensione destruxerit.*

[i] Vat. Hisp. et Isid. ac mss. collect. 11 et 21, cum quatuor codd. Quesnelli, *fidei sacramentum*.

[j] Vat. Hisp. et Isid., *depulisti*.

[k] Quatuor mss. libri Quesn. et duo nostri, *quæ pereunti diabolus*.

Digitized by Google

et qui sibi singulas partes geminæ impietatis elegerant, una catholicæ fidei virtute procumberent. Secunda ergo hæc vobis de peremptо Eutychetis errore victoria est; [a] quem, si quid sani cordis habuisset, dudum in auctoribus suis perculsum olimque prostratum facile potuerat declinare, ne de sepultis cineribus rediviva tentaret incendia commovere, ut in eorum transiret consortium, quorum secutus esset exemplum, gloriosissima Augusta. Libet igitur exsultare cum gaudio, et pro vestræ clementiæ prosperitate digna Deo vota persolvere, qui tibi per omnes mundi partes in quibus Domini Evangelium prædicatur [b] duplicem jam et palmam contulit et coronam.

CAP. II. — Clementia igitur vestra cognoscat omnem Romanam Ecclesiam de universis fidei vestræ operibus plurimum gratulari, sive quod legationem nostram pio per omnia juvistis affectu, et quod sacerdotes catholicos, qui de ecclesiis suis injusta [c] fuerant ejecti sententia, reduxistis, sive quod reliquias sanctæ memoriæ Flaviani innocentis et catholici sacerdotis ad Ecclesiam cui bene præfuit fecistis [d] cum honore debito revocari. In quibus utique omnibus gloriæ vestræ multiplicatur augmentum, dum et sanctos pro suis meritis veneramini, et ab agro Dominico spinas et tribulos vultis [e] auferri. Quosdam vero episcopos de his qui rebus impiis videntur præbuisse consensum, reconciliationem poscere, et Catholicorum communionem desiderare, tam [f] nostrorum quam fratris et coepiscopi **1037** [g] mei Anatolii, cui testimonium ferre dignamini, relatione cognovimus; quorum desideriis sic præbemus [h] effectum, ut correctis, et quæ male sunt facta, propria subscriptione damnantibus, participata [i] nostrorum quos misimus cura cum supradicto episcopo pacis gratia tribuatur: QUIA devotionis utrumque est Christianæ, ut et pertinaces veritas justa coerceat, et conversos charitas non repellat.

CAP. III. — Quia vero novimus, quantum piæ sollicitudinis catholicis sacerdotibus mansuetudo vestra dignetur impendere, indicandum esse curavimus, fratrem et coepiscopum [j] meum Eusebium nobiscum degere, et nostræ communionis esse consortem, cujus commendamus Ecclesiam, quam dicitur vastare qui illi injuste asseritur [k] subrogatus; illud etiam [l] a tua pietate poscentes, quod vos spontaneo facere non dubitamus arbitrio, ut tam fratrem et coepiscopum meum Julianum, quam Constantinopolitanos clericos, qui sanctæ memoriæ Flaviano fidelibus officiis adhæserunt, ea qua debetis gratia [m] foveatis. De omnibus vero pietatem vestram [n] per nostros quid fieri aut ordinari deberet instruximus. Data idibus Aprilis, Adelfio viro clarissimo consule.

1038 EPISTOLA [o] LXXX.

[p] AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

[q] Prima pro pace.

SYNOPSIS (Ex collectione Hispanica). — I. *De fide*

[a] Quesnellus, *qui si quid sani cordis habuisset, errorem dudum*, etc. Anteriorum editionum lectionem omnibus nostris novem codicibus probatam et satis congruam revocavimus.

[b] Vat. Hisp. et Isid., *duplicis gloriæ palmam contulit.*

[c] Ita ex plerisque et potioribus nostris codicibus. Vulgati cum mss. collect. 21, *fuerunt.*

[d] Quidam codd. omittunt *cum.*

[e] Sic ex Ratisp. et exemplo Sichardi, ac mss. collect. 24, uti erat in editis ante Quesnellum apud quem *auferre.* Mox pro *vero* quidam codices et antiquiores editi habent *sane.*

[f] Intelliguntur legati quos Leo Anatolii causa Constantinopolim miserat an. 450. Vide epist. 69 et seqq. Hi autem, quos post Anatolii clericos Romam missos Constantinopoli discessisse videbimus annot. 4 (*Col.* 919, *n.* [e]) in epist. 83, iisdem clericis rerum gestarum relationem ad Leonem dederunt, quæ cum Anatolii litteris eidem pontifici tradita fuit; unde ex utrisque didicit quosdam episcopos lapsos reconciliationem poscere, et catholicam communionem desiderare. Cum vero eosdem legatos per hoc tempus Constantinopoli jam discessisse Leo præsumeret, huic reconciliationi perficiendæ novam legationem dirigendam constituit, ad quam referenda sunt sequentia: *Participata nostrorum quos misimus*, etc. Hæ duæ legationes distinguendæ sunt, ne maxima confusio gignatur. Ita in epistola sequenti cap. 2, verba: *Illud quidem quod præsentibus et agentibus nostris constitutum est approbamus*, ad priorem legationem pertinent; verba autem, quæ mox subjiciuntur: *Sed cum legatis nostris quos misimus*, etc., spectant ad legationem secundam, quam una cum his litteris transmittere meditabatur, sed distulit in mensem Junium, uti observavimus annot. 7 (*Col.* 909, *n.* [d]) in epist. 78. Hic præterea notare libet, verba laudatæ epist. 80, c. 2, *quod præsentibus et agentibus nostris constitutum est*, videri innuere quæ legati primæ legationis gesserunt dum Constantinopoli essent præsentes: sicut indicant etiam illa cap. 3: *Dilectionem tuam hoc decet custodire quod nostri ibidem constituti dixerunt*; ac si illi non amplius ibidem præsentes essent: quæ eorum discessum confirmant. Hinc de iisdem cap. 1 S. Leo scribit: *Fratrum nostrorum, quos Constantinopolim miseramus, relatione cognoscimus*, ubi observandum tempus *miseramus.* Vide annot. 5 (*Col.* 913, *n.* [c]) in epist. sequentem.

[g] Vat. Isid., *nostri.* In Vat. Hisp. errore librarii *vestri.*

[h] Vat. Hisp. et Isid., *affectum.*

[i] Significantur ii, quos Leo Constantinopolim misit legatione secunda, de qua annot. [f] *supra.*

[j] Vindebon. Hisp., *nostram.*

[k] Id saltem Romæ per hoc tempus ferebatur. Nullum vero Eusebio Dorylæensi subrogatum tradit Liberatus in Breviario cap. 12, ut in postilla marginali observavit Quesnellus.

[l] Ita ex Ratisp. utrisque Hisp., nec non ex Vat. Isid, aliisque mss. collect. 11 et 24, atque exemplo Sichardi. Editi cum codd. collect. 21, *a vestra pietate.* Mox, *facturam* pro *facere* in Vat. Hisp. atque Isid.

[m] Editi cum aliquot codd., erronee, *faveatis.* Correximus ex ms. Ratisp. ac ex Vat. Hisp. et Isid.

[n] Intelliguntur legati qui cum his litteris mittendi credebantur; sed tantum mense Junio missi fuere, uti explicavimus annot. 7 (*Col.* 909, *n.* [d]) in epistolam præcedentem. Confer etiam annot. 11 (*supra* [f]) in præsentem epistolam. Post pauca, pro *ordinari*, editi ante Quesn. habent, *declinari.* Quesnelli emendationem ex Grimanico ac tribus aliis codicibus omnes nostri antiqui libri approbant.

[o] Al. 60. Quæ autem antea 80 erat, nunc 106 Scr. 13 Aprilis an. 451.

[p] Exstat in mss. collect. 3, 8 Hisp. Isid. 11, 12 et 18 usque ad 24, ac in exemplo Sichardi, nec non in illo ex quo primæ Romanæ sermonum editioni aliquot epistolæ subjectæ fuerunt.

[q] Ita cod. Grim. Quesnello annotante in margine.

Digitized by Google

ejus scriptis missis probata. — II. *De his qui metu in hæresim lapsi sunt, ut si conversi fuerint recipiantur.* — III. *De nominibus hæreticorum ad sacrum altare non recitandis.* — IV. *De commendatione* [Al. *commemoratione*] *Juliani episcopi, vel eorum clericorum qui Flaviano episcopo in fide adhæserunt.*

Leo episcopus Anatolio episcopo.

Cap. I. — [a] Gaudemus in Domino, et in dono gratiæ ipsius gloriamur, [b] qui, sicut dilectionis tuæ [c] litteris et fratrum nostrorum quos Constantinopolim miseramus relatione cognovimus, sequacem te evangelicæ eruditionis ostendit : ut per sacerdotis probabilem fidem merito præsumamus quod tota Ecclesia eidem credita nec rugam cujusquam sit erroris habitura nec maculam, dicente Apostolo : *Despondi enim* **1039** *vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI, 2). Illa est enim virgo Ecclesia, sponsa unius viri Christi, quæ nullo se patitur errore vitiari : ut per totum mundum una nobis sit unius castæ communionis integritas, in qua societatem tuæ dilectionis amplectimur ; et [d] gestorum quæ sumpsimus, seriem necessariis, sicut oportuit, munitam subscriptionibus approbamus. Ut ergo invicem dilectionis tuæ animus nostris confirmaretur alloquiis, filios nostros [e] Casterium presbyterum, Patricium et Asclepiadem diaconos, qui ad nos tua scripta [f] detulerunt, cum epistolis nostris post venerabilem [g] diem festi paschalis remisimus, indicantes nos, ut supra diximus, de Constantinopolitanæ Ecclesiæ pace gaudere, cui hanc curam semper impendimus, ut eam nulla velimus hæreticorum fraude violari.

Cap. II. — De fratribus vero quos et epistolis tuis et legatorum nostrorum relatione communionis nostræ [h] cupidos esse cognovimus, eo quod doleant se contra potentiam contraque terrores non tenuisse [i] constantiam, sed alieno sceleri præbuisse consensum, cum ita eos formido turbasset ut in damnationem catholici atque innocentis antistitis, et in receptionem detestabilis pravitatis trepido famularentur obsequio, illud quidem quod præsentibus et agentibus [j] nostris constitutum est approbamus, ut suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti ; sed cum legatis nostris quos misimus participata tecum sollicitudine volumus disponatur, quatenus hi qui **1040** plenis satisfactionibus male gesta condemnant, et [k] accusare se magis eligunt quam tueri, pacis et communionis nostræ unitate lætentur ; ita ut digno prius anathemate quæ contra fidem catholicam sunt recepta damnentur. Aliter enim [l] in Ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec [m] rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, [n] verus immaculati Agni sanguis emundet. Qui licet in Patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne quam sumpsit ex Virgine sacramentum propitiationis exsequitur, dicente Apostolo : *Christus Jesus, qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est* [o] *in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (*Rom.* VIII, 34). Neque enim potest in aliquo benignitas nostra reprehendi, cum satisfacientes recipimus quos doluimus esse deceptos. Nec aspere igitur communionis nostræ gratia deneganda est, nec temere largienda : quia Sicut plenum pietatis est oppressis charitatem Dominicam redhiberi, ita [p] justum est omnia perturbationis auctoribus imputari.

Cap. III. — De nominibus autem [q] Dioscori, Juvenalis et Eustathii ad sacrum altare [r] recitandis dile-

[a] Ms. Vat. Hisp., *Gaudeamus*, cum exemplari primæ editionis, et cum mss. collect. 24, ac uno Vat. collect. 21, in quibus post pauca, *gloriemur*.

[b] Tres codices, *quia*. Vulgati ante Quesn., *quia... ostendis*.

[c] Hæc distinctio *litterarum* Anatolii et relationis legatorum indicare videri potest legatos non per epistolas, sed viva voce retulisse quæ hac in epistola memorantur, ac si jam Romam pervenerint. Sed *relationis* nomine Leo usus est in epistola præcedenti, c. 2, cum loqueretur de Anatolio, qui sane per epistolam retulit ; ac præterea eos legatos serius in Urbem ingressos patebit ex annot. 4 (*Col.* 919, *n.* [e]) in epist. 83.

[d] Horum gestorum fragmentum, quod superest ex Vita S. Abundii apostolica legatione functi, in appendice edetur.

[e] Cod. Vallicell. A, 5 collect. 8 et exemplar primæ editionis, *Caterium*. Vat. 5845 ejusdem collect. 8, *Carnerium*. Quesnellus in margine : Al., *Castorium*, vel *Carterium* ; quod postremum invenimus in mss. collect. 21.

[f] Unus Vat., *detulerant*. Prima editio, *qui vestra scripta detulerunt*.

[g] Exemplum primæ editionis, *diem festum paschalem*. Cod. Grim., *diem Paschæ emisimus*. Cum clericis Constantinopolitanis hic memoratis hæ litteræ traditæ fuerint, præteritum tempus *remisimus* a Leone accipitur, uti explicavimus annot. 7 (*Col.* 909, *n.* [d]) in epist. 78.

[h] Prima editio, *cupiditate inflammatos esse*. Post pauca Vindebon. Hisp. et Vat. collect. 11, *contra impotentiam*, id est, immoderatam potentiam.

[i] Vat. Hisp., *sententiam*. Mox cum Merlinus sine ulla interposita particula ediderit, *constantiam alieno sceleri*, ante vocem *alieno* addita fuit in editionibus particula *sed*, quam quidem invenimus in Vindebon. Hisp., in Vat. collect. 3 et in duobus collect. 8. At cæteri novem codices diversarum collectionum præferunt *et*.

[j] Vide annot. 11 (*Col.* 911 *n.* [f]) in epist. præcedentem, ubi hic legatos, qui antea Constantinopolim missi fuerant, dein vero alios legatos, qui transmittendi erant, indicari ostendimus. In verba autem, *ut suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti*, confer not. 1 Quesn.

[k] Vat. Hisp. et alius Vat. collect. 11, *accusari*.

[l] 1 qu. 1, *In Ecclesia Dei qua corpus*, c. 68.

[m] Codd. collect. 8 cum Grimanico collect. 18 et Barberino collect. 3, *sacrata sunt*. Prima editio, *sacra*.

[n] Cod. Vat. collect. 3, et unus collect. 21, *et verus*.

[o] Unus cod. Vat., *ad dexteram*. Mox codd. Vat. Hisp. et Isid., *Neque enim poterit*.

[p] Cod. Vat. Isid. et alius collect. 11, cum duobus Thuaneis, et uno Cantabrig. Quesnelli, *justum est omnia perturbantis auctoritatem amputari*.

[q] Vide notam 2 Quesnelli.

[r] Editi cum utrisque Hisp. aliisque posterioribus collectionibus inserunt *non*. Delevimus autem auctoritate præstantiorum et vetustiorum collectionum, nimirum ms. Vat. collect. 3, duorum collect. 8, et præstantissimi Ratisp. collect. 19, cum quibus concinunt exemplaria primæ editionis atque Sichardi. Enimvero hac in re Anatolius dubitasse videtur,

Digitized by Google

etionem tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidem constituti faciendum esse dixerunt, quodque honorandæ S. Flaviani memoriæ non repugnet, et a gratia tua Christianæ plebis animos non avertat. Nam [a] iniquum nimis est atque incongruum eos qui innocentes et catholicos sua persecutione vexarunt sanctorum **1041** nominibus sive discretione misceri; cum damnatam impietatem non deserentes [b] ipsi se sua pravitate condemnent; quos convenit, aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.

CAP. IV. — Fratrem vero et coepiscopum [c] nostrum Julianum, et clericos qui sanctæ memoriæ Flaviano fidelibus officiis adhæserunt, dilectioni quoque tuæ volumus adhærere : ut quem [d] fidei suæ meritis vivere apud Deum nostrum novimus, in te sibi eum præsentem esse cognoscant. Illud quoque dilectionem tuam nosse volumus, fratrem et coepiscopum nostrum Eusebium, qui causa fidei multa discrimina laboresque toleravit, nobiscum interim demorari et in nostra nunc communione persistere : cujus Ecclesiam tua sollicitudine volumus esse defensam, [e] ut nihil eodem absente depereat, et nullus ei in aliquo præjudicare præsumat, donec cum litterarum nostrarum ad vos prosecutione perveniat. Et ut major circa te vel nostra vel totius Christianæ plebis affectio provocetur, hoc quod ad dilectionem tuam scripsimus in omnium volumus notitiam pervenire : ut qui Deo nostro [f] deserviunt de confirmata apud te pace sedis apostolicæ gratulentur. [g] De cæteris vero causis atque personis dilectio tua litteris, quas per nostros [h] accipiet, plenius instruetur. Data [i] idibus Aprilis, Adelfio viro clarissimo consule.

1042 EPISTOLA I LXXXI.

[k] AD JULIANUM EPISCOPUM.

SYNOPSIS. — *Julianum diu per Dioscori improbitatem vexatum monet lapsos in communionem recipi non debere, nisi perfidia cum auctoribus damnata.*

LEO episcopus JULIANO episcopo.

Litteras fraternitatis tuæ per filios nostros Constantinopolitanos clericos, nuntias tuæ salutis accepi; quibus te magnis tribulationibus gravatum fuisse significas : cum utique non defuerit materia sollicitudinis et laboris, quæ inter procaces catholicæ fidei adversarios inhærentem veritati animum fatigarent; [l] isque, ut scribis, fuerit animus ut per occasionem necessitatis et nobis te et patriæ præsentares. Quod vere futurum speraveram, ut apertius omnium hæreticorum ambages tuo ore [m] recognoscerem. Sed gratias Deo, quod ita et incolumitas tua, et Ecclesiæ causa profecit, ut liberum tibi fuerit apud eos interim degere, quorum nobis probabilis consensus innotuit, sicut et fratris Anatolii scripta profitentur, et gesta quæ apud ipsum coram nostris sunt confecta demonstrant, frater charissime. Remeantibus ergo prædictis, salutationis vicissitudinem reddo, et ut contra falsitatis astutias perseverantem diligentiam teneas fidenter exhortor; cum tibi ad hoc et tuus animus et nostra auctoritas suffragetur. Quoniam licet de multis meliora indicata sint, quod scilicet doleant se deceptos, et damnata perfidia cum auctoribus suis, gratiam nostræ communionis exposcant (quod nos adeo libenter accepimus, reddituri his hanc quam desiderant communionem, cum promissa [n] compleverint), quosdam tamen **1043** persistere in sua obduratione cognovimus : quos oportet districtius comprimi, si nequeunt benignitate sanari. Ad quam rem nostros post diem venerabilem [o] Paschæ dirigemus, qui tecum participato consilio ea quæ a

tametsi legati, dum Constantinopoli essent, Dioscorum, Juvenalem, et Eustathium, e diptychis non recitandos affirmassent, eo quod Ephesinæ impietatis capita haberentur. Ratio quam S. Leo subjicit legatorum sententiam approbat. Hinc ex codicibus Vat. 5845 collect. 8, Ratisp. et mss. collect. 24, nec non ex prima editione ac Sichardo prætulimus *dixerunt* pro vulgato *dixerint*.

[a] Vat. Hisp. et Isid. cum tribus laudatis a Quesnello codd., *inimicum*.

[b] Exemplum primæ editionis, *ipsa sua pravitate condemnentur*.

[c] Cod. Ratisp. omittit *nostrum* : et dein habet *vel clericos*, sumpto *vel* pro *et*, quod pariter legitur in Vindebon. Hisp. et hic et in titulo hujus capitis, in codicibus collect. 11 et 24, nec non in exemplis Sichardi et primæ editionis.

[d] Cod. Barb. collect. 3 et Vat. 5845 collect. 8, nec non Grim. et prima editio, *fidei sacramentis*.

[e] Sex voculas subsequentes desiderat Grimanicus codex. Quidam codices, *et nihil*. Ratisp., *ut et nihil*, qui mox supprimit *ei*.

[f] Exemplum primæ editionis, *nunc serviunt*.

[g] Idem exemplar : *De cæteris vero dissidii causis atque perversionis dilectio tua*, etc.

[h] Indicatur epistola 85. Vide annot. 7 (*Col.* 909, n. [d]) in epist. 78.

[i] Sic omnes nostri codices et editi. Quesnellus in margine. Al., VI *idus*.

[j] Al. 61. Quæ autem antea 81, nunc 107. Scripta 13 Aprilis an. 451.

[k] Invenitur hæc epistola in mss. collect. 12, 18 et 19.

[l] Duo codd. collect. 12, *idque, ut scribis, fuerit animi*. Ratisp. habet *idque*, sed *animus*.

[m] Ita ex mss. superiori annotatione memoratis. Vulgati ex aliquo codice, *cognoscerem*, omisso *re* ob earumdem litterarum concursum in fine vocis præcedentis.

[n] Ratisp., *promissa*.

[o] Vocem *Paschæ*, quæ in nostris mss. et editis deest, a Quesnello insertam ex codice Grimanico retinuimus, eo quod similiter in epistola præcedenti cap. 1, *post venerabilem diem festi paschalis* Constantinopolitani clerici ad Anatolium remissi seu potius remittendi tradantur, cum quibus suos quoque legatos S. Leo transmittere jam destinaverat, uti monuimus annot. 7 (*Col.* 909, n. [d]) in epist. 78. Hanc autem postillam idem Quesnellus margini adjecit : *Grimanicus addit* Paschæ, *hoc forte intelligens de octava Paschatis, quod fuerat* 8 *Aprilis*. Id censuit, propterea quod hanc epistolam exaratam credidit ipsis idibus Aprilis quibus signatur. Sed omnes has epistolas notatas idibus Aprilis ante Pascha fuisse scriptas, cum Leo cogitabat legatos Constantinopolitanis clericis remeantibus jungere; signatas autem fuisse ea die qua mutato consilio legationem distulit, et solos Constantinopolitanos clericos dimisit, probabilius est. Sic enim conciliantur quæ in hujusmodi litteris difficultatem facessunt. Hinc autem pro die Paschatis, ejus octavam hoc loco intelligere opus non est.

Digitized by Google

nobis constituta fuerint exæquantur. Data idibus Aprilis, Adelfio viro clarissimo consule.

EPISTOLA [a] LXXXII.

[b] AD MARCIANUM AUGUSTUM.

[c] SYNOPSIS. — I. *Pro conservatione catholicæ fidei gratulatur, cui pax imperii reponditur.* — II. *De solis errantibus agendum esse, non de fide vel Scripturis, quas aliter quam SS. Patres interpretari nefas sit.*

LEO episcopus MARCIANO Augusto.

CAP. I. — [d] Quamvis per Constantinopolitanos clericos ad pietatem tuam ante [e] rescripserim, sumptis tamen clementiæ vestræ [f] litteris per virum illustrem præfectum 1044 urbis filium [g] meum Tatianum, magnam materiam gratulationis accepi : quia studiosissimos vos ecclesiasticæ pacis agnovi. Cui sancto desiderio [h] digna equitate confertur, ut quem statum esse cupitis religionis, eumdem habeatis et regni. Nam inter principes Christianos Spiritu Dei confirmante concordiam, gemina per totum mundum fiducia roboratur : quia profectus charitatis et fidei utrorumque armorum potentiam insuperabilem facit, ut propitiato per unam confessionem Deo, simul et hæretica falsitas et barbara destruatur hostilitas, gloriosissime imperator. Aucta igitur per imperialem amicitiam spe cœlestis auxilii, confidentius pietatem vestram pro sacramento salutis humanæ incitare præsumo : ne cujusquam procaci [i] impudentique versutia quasi de incerto quid sequendum sit sinatis inquiri. Et cum ab evangelica apostolicaque doctrina [j] ne uno quidem verbo liceat dissidere, aut aliter de Scripturis divinis sapere, quam beati apostoli et patres nostri didicerunt atque docuerunt, nunc demum indisciplinatæ [k] moventur et impiæ quæstiones, quas olim mox ut eas per apta sibi corda diabolus excitavit, per discipulos veritatis Spiritus sanctus exstinxit.

CAP. II. — Nimis autem [l] iniquum est ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum et [m] ad carnalium disputationum bella revocemur, tanquam reparata disceptatione 1045 tractandum sit [n] utrum Eutyches impie senserit, et utrum perverse Dioscorus judicarit, qui in sanctæ memoriæ Flaviani condemnatione se perculit, et simpliciores quosque, ut in eamdem ruinam provolverentur, impegit. Quorum multis jam, ut cognovimus, ad satisfactionis remedia conversis, et veniam de inconstanti trepidatione poscentibus, non cujusmodi sit fides [o] tenenda tractandum est, [p] sed quorum precibus et qualiter annuendum. Unde piissimæ sollicitudini vestræ, quam [q] de indicenda synodo habere dignamini, per legationem, quæ confestim ad clementiam vestram, [r] Deo annuente, perveniet, quidquid ad causæ utilitatem arbitror pertinere, plenius atque opportunius suggeretur. Data [s] nono kalendas Mali, Adelfio viro clarissimo consule.

[a] Al. 62. Quæ autem antea 82 erat, nunc 103. Scripta 15 Aprilis an. 451.

[b] Exstat in mss. collect. Hisp. Isid. 11, 12, 18 et 21 usque ad 24, ac in exemplo Sichardi.

[c] In Hispanica : *Ejusdem Leonis ad Marcianum Augustum, ubi de illo pro conservatione catholicæ fidei gratulatur.*

[d] Exemplum Sichardi, *Etsi per Constantinopolitanos.* Post pauca, *ad pietatem vestram* in editis ante Quesn. cum mss. collect. 24.

[e] Indicatur epistola 78.

[f] Hæ Marciani litteræ a Tatiano delatæ, diversæ sunt a præcedentibus 73 et 76. Hæc enim ultima data fuit die 22 Novembris an. 450. Tatianus vero præfectus urbis Constantinopolitanæ nondum Constantinopoli discesserat die 18 Decembris anni ejusdem, ut liquet ex lege 2 Cod. Justinianei, tit. *de Officio prætorum*, quæ eidem Tatiano inscribitur, data XV *kal. Januarii Constantinopoli, Valentiniano* VII *et Avieno coss.* ubi perperam *præfectus prætorio* appellatur, cum et apud Leonem et in aliis documentis ann. 451 et 452 semper *præfectus urbis* nominetur. Hunc quidem Tatianum post traditam Constantinopolitanis clericis epistolam 78 signatam die 13 Aprilis Romam advenisse, et imperiales litteras Leoni tradidisse hoc loco non obscure significatur. Hæ igitur Marciani litteræ, quibus Leo hic respondet, desiderantur.

[g] Vindebon. Hisp., *nostrum.* Grim. perperam, *Titianum.*

[h] Quesnellus, *divina.* Anteriorum lectionem restituimus, quippe quam omnes nostri codices et exemplar Sichardi approbant.

[i] Vat. Hisp. et Isid., *imprudentique.*

[j] Utrique Hisp. et Vat. Isid., *nec in uno quidem.* Duo alii codd. cum Sichardo, *nec uno.* Mox, *deviare* pro *dissidere* in mss. collect. 21. Dein *habere* pro *sapere* in Vat. Hisp. et Isid.

[k] Editi cum nonnullis mss., *movemur.* Ne autem sensus maneat suspensus, magis placuit *moventur* ex Vat. Hisp. et Isid. Mox, pro *quæstiones* Vat. collect. 11 habet *suggestiones.*

[l] Vat. Hisp. et Isid., *inimicum.*

[m] Editi ante Quesn., *ad carnalium disceptationum bella provocemur.* Exemplar Sichardi et mss. collect. 24 omittunt *ad carnalium disceptationum.* Mox Quesnellus, *reparata disputatione.* Secuti sumus lectionem cod. Vindebon. Hisp. et mss. collect. 21.

[n] Cod. Griman. transilit quinque subsequentes voces librarii saltu ab *utrum Eutyches* ad *utrum perverse;* ubi editi cum mss. collect. 24 pro *perverse* habent *impie.* Hic autem notandum est Leonem noluisse in disputationem adduci vel fidem quam ipse contra Eutychem definierat, vel judicium Dioscori, sive Pseudoephesinum adversus S. Flavianum, quod jam antea irritum declaraverat. De solis lapsis qui reconciliationem petebant agendum credidit, ut pateret *quorum precibus et qualiter annuendum;* et in hanc rem legatos Constantinopolim die 9 Junii direxit.

[o] Exemplar Sichardi et codd. collect. 24 omittunt *tenenda.*

[p] Vat. Hisp. et Isid. ac mss. collect. 11 et 21, *sed eorum precibus qualiter sit annuendum,* quibus affines sunt editiones ante Quesnellum ac exemplar Sichardi, in quibus tantum deletur *sit.*

[q] Idem codd., *de colligenda synodo.* Cur responsionem quoad synodum legatorum instructioni remiserit, diximus annot. 7 (*Col.* 909, *n.* d) in epist. 78.

[r] In Vindebon. Hisp. erronee omittitur *Deo.* Hunc defectum supplevit auctor collect. Vat. Hisp., scribens, *annuente Christo,* et inde hæc lectio in Vat. Isid. aliosque similes codices manavit.

[s] Ita enim editis omnes nostri codices. Quesnellus in margine. At., VIII *kal.*

Digitized by Google

EPISTOLA [a] LXXXIII.

[b] AD EUMDEM MARCIANUM.

[c] SYNOPSIS. — I. *Pro patefacta Anatolii fide, Eutyche represso, revocatis episcopis, reductis in urbem S. Flaviani reliquiis, gratulatur.* — II. *Legatos se mittere pro reconciliandis lapsis episcopis. Concilio convocando opportunum tempus non esse.*

1046 LEO episcopus MARCIANO Augusto.

CAP. I. — Multam mihi fiduciam [d] scribendi ad clementiam vestram, et litteræ vestræ, quas veneranter accepi, et [e] coepiscopi mei revertentes a Constantinopoli præbuerunt, non sola assertione verborum, sed ipsis jam [f] operum effectibus demonstrantes, ad defensionem catholicæ fidei divinum in vobis vigere præsidium. Quo utique non solum Ecclesiæ status, sed etiam vestri robur munitur imperii: ut merito [g] ejus exspectetis protectionem, cujus colitis veritatem, gloriosissime imperator. Nam ut et fratris mei Anatolii citius manifestaretur integritas, et olim damnati erroris [h] redivivus assertor locum in Christi Ecclesia non haberet: ut catholici episcopi, quos nuper hæreticorum persecutio depravare non potuit, ab injustis revocarentur exsiliis; utque reliquiis beatæ memoriæ Flaviani digno honore susceptis, impietatem suam [i] condemnator ejus agnosceret: vestræ virtutis titulus, vestræ pietatis est fructus. Cui confido etiam aliarum insignia accumulanda palmarum: ut sicut Constantinopolitana Ecclesia, recepta apostolicæ fidei libertate, lætatur, ita omnes regni vestri provinciæ emundatas [j] se esse a diabolici dogmatis contagio glorientur. Ut ergo præcedentibus [k] litteris indicavi, fratres meos [l] Lucentium episcopum et Basilium presbyterum, qui sollicitudinis meæ partes possint implere, direxi: favori eos pietatis vestræ in omnibus quæ A sunt agenda commendans. Nam [m] cum et **1047** fratris mei Anatolii scriptis, et nostrorum sermone cognoverim multos de his qui apud Ephesum Dioscori factione compulsi detestabilibus statutis [n] pœnitendum præbuere consensum, inconstantiæ suæ veniam postulare, et communionem catholicam per satisfactionem correctionis expetere, non fuit talium negligenda conversio, qui non proprio sensu, sed [o] improbi præsumptoris impulsu in hæc incidisse noscuntur, in quibus liberum non habuerant judicium.

CAP. II. — Ne [p] igitur vel resipiscentium desideria mora longior fatigaret, vel incuriosa facilitas temere aliquos ac sine discretione susciperet, injunctum est ab apostolica sede directis, ut in consortium B [q] suæ deliberationis adscito Constantinopolitanæ urbis antistite, et pestilentiæ contagia non admittantur, et sanitatis remedia non negentur. Quæ industria in omnibus quæ nequiter gesta sunt emendandis, celerem juvante Domino consequetur effectum, si reparationi pacis ecclesiasticæ opem suam vestra pietas dignetur adjungere: ut [r] vobis ita regnantibus, et Dei regnum intra vos habere mereamini, et catholicam fidem nulla falsitas violet, nulla hæresis inquietet; nec cuiquam liceat doctrinam evangelicam deserere, et sacerdotali honore gaudere. Synodum vero fieri, ut meminit clementia vestra, etiam ipsi poposcimus. Sed sacerdotes provinciarum omnium congregari præsentis temporis necessitas nulla ratione permittit: quoniam illæ C provinciæ, de quibus maxime sunt evocandi, [s] inquietatæ bello ab Ecclesiis suis eos non patiuntur abscedere. Unde opportuniori tempori, [t] propitiante Domino, cum firmior fuerit restituta securitas, jubeat vestra clementia reservari. De qua re plenius

[a] Al. 63. Quæ autem antea 83 erat, nunc 108. Scripta 9 Junii an. 451.

[b] Existit in mss. collect. Hisp. Isid. 11, 12, 18, 19 et 21 usque ad 24, ac in exemplo Sichardi.

[c] In Hisp. hic titulus cum editis ante Quesn. exhibetur: *Ubi inter cætera pro defensione fidei catholicæ gratulatur.*

[d] Quesnellus, *rescribendi*, ut in nostris mss. collect. 21. Ex Ratisp. utrisque Hisp. Vat. Isid. aliisque codicibus anteriorum editionum lectionem revocavimus.

[e] Cum hi Leonis legati Constantinopoli in Urbem reduces novas imperatoris litteras ad eumdem pontificem attulerint, quibus nunc respondet, paulo ante hoc tempus Romam pervenisse noscuntur. D

[f] Ms. Ratisp. delet *operum*.

[g] Idem codex, *exspectatis*. Mox editi ante Quesn., nullus tum ejus tum nostris mss. suffragantibus, *cujus colitis religionem et veritatem*.

[h] Vat. Hisp. et Isid., *qui redivivus affertur, locum*, etc.

[i] Idem codd., *condemnatus agnosceret*.

[j] Vindebon. Hisp. delet *se*. Ratisp. et Sichardus delent *esse*. Mox, *contagione* in sex nostris codicibus.

[k] Intelliguntur epist. 78 et 82.

[l] Ratisp. hic habet *Lucensium*, in tribus autem sequentibus epistolis *Lucensem*; quemadmodum hac in epistola præferunt etiam utrique Hisp. Vat. Isid., alius Vat. collect. 11 et exemplar Sichardi; sed in aliis litteris habent *Lucentium*.

[m] Vat. Hisp. ac Isid. et alius collect. 11 cum Vindebon. Hisp. omittunt *cum*; sed illi, non autem Vindebon. postea pro *cognoverim* emendarunt *recognovi*, vel *cognovi*.

[n] Editi antiquiores, *præbuere consensum pœnitendo*. Quesnellus emendavit ex Grimanico tribusque aliis codicibus, quibus addi possunt octo nostri ac exemplum Sichardi.

[o] Editi anteriores Quesn. cum mss. collect. 24, *impii*.

[p] Ratisp. Vindebon. Hisp. et mss. collect. 11 ac 24 cum Sichardo, *Ne itaque*.

[q] Codd. collect. 21 omittunt *suæ*. Dein, *adscito* ex Ratisp. et duobus aliis codd. magis placuit quam in Vulg., *accito*; Constantinopolitanum enim antistitem legatis adjunctum innuit. Postea in Vindebon. Hisp., *Constantinopolitanæ antistite*; correctum in Vat. Hisp. et Isid., *Constantinopolitano episcopo*.

[r] Editi ante Quesn. cum mss. collect. 24, *vobis in terra regnantibus*.

[s] Editi antiquiores cum Vat. Hisp. Isid. et mss. collect. 11, 21 et 24 atque Sichardo, *inquietante bello*. Quesnellus cum nostro Vindebon. Hisp., *inquieta bellorum*. Ratisponensis lectionem prætulimus. Indicatur bellum quod Attila hoc anno adversus Valentinianum commoverat, unde Occidentis provinciæ perturbatæ fuerunt.

[t] Ratisp. et codd. collect. 24 cum Sichardo, *propitiato Domino*.

Digitized by Google

inter cætera apud pietatem vestram poterunt allegare quos misi. Data [a] v idus Junii, Adelfio viro clarissimo consule.

1048 EPISTOLA [b] LXXXIV.

[c] AD PULCHERIAM AUGUSTAM.

SYNOPSIS. — I. *Legatos mittit qui cum lapsis summa prudentia et moderatione agant.* — II. *Extra unitatem fieri qui naturam nostram in Christo negat.* — III. *Rogat ut Eutyches ad longinquiora transferatur, ejusque monasterio catholicus præficiatur.*

LEO episcopus PULCHERIÆ Augustæ.

CAP. I. — Religiosam pietatis vestræ sollicitudinem, qua universo mundo, Deo inspirante, consulitis, crebrioribus alloquiis incitare præsumo, ut operum [d] vestrorum profectum necessaria perfectio subsequatur; ac sicut de statu Constantinopolitanæ Ecclesiæ gratulamur, cujus et sacerdos et populus catholicæ puritatis fidem jam tenere cognoscitur, ita etiam aliorum concors nobiscum sit de Verbi incarnatione confessio. Unde quod facturum me aliis litteris indicaveram, Lucentium episcopum, et Basilium presbyterum fratres meos dirigere [e] properavi, qui dispositiones meas, fratris mei Anatolii devotione sociata, secundum eas quas acceperunt regulas exsequantur, gloriosissima Augusta. Sicut enim prædicti episcopi scriptis et clericorum ejus suggestione patefactum est, multa sunt quæ indulgentius sunt curanda, multa quæ justius [f] coercenda: ut in causa tantæ perturbationis, nec districtio sit nimis aspera, nec remissio parum cauta; cum aliud satisfacientibus, aliud pertinacibus debeatur.

CAP. II. — Offertur ergo pietati vestræ digna materia, **1049** quæ placitam [g] Domino curam sancti cordis exerceat, et præcedentium meritorum coronas etiam de præsentis erroris abolitione multiplicet. Sicut enim Nestoriana impietas, ita et Eutychiana blasphemia [h] ab omnium est catholicorum eliminanda consortio. Quia tam impium est, consempiternam et consubstantialem Patri Filii Deitatem, etiam ex utero Virginis matris partu editam negare corporeo, quam unam in Dei Filio post incarnationis sacramentum affirmare naturam: ut scilicet aut humanitas ejus refutetur aut Deitas: cum [i] unitione utriusque essentiæ, nec altera sit in alteram versa, nec assumpta in assumente finita; sed et Verbi incommutabilitas, et carnis atque animæ veritas maneant inseparabiliter in unitate personæ. Quod qui testificante lege, credentibus patriarchis, annuntiantibus prophetis, prædicante Evangelio, docentibus apostolis, et toto mundo confitente non credunt, extra sacramentum corporis Christi, extra unitatem sunt nominis Christiani.

CAP. III. — Quorum sicut ruinam dolemus, ita perfidiam detestamur. Ut autem circa talium personas sincerum servetur ubique judicium, et aliud correctis, aliud pertinacibus rependatur, vestra pietas nostros, qui ab apostolica sede sunt missi, fovere dignetur; eorumque omnes quas injunximus adjuvet actiones; quo citius ac facilius, auxiliante Domino, quæ ad vestram gloriam et ad totius Ecclesiæ pacem proficiant exsequantur. De Eutyche autem totius scandali et pravitatis auctore, hoc clementia vestra præcipiat, ut ab eo loco qui Constantinopolitanæ urbi nimis vicinus est, longius transferatur: ne frequentioribus solatiis eorum quos ad impietatem suam traxit utatur. Monasterio quoque ipsius, cui perniciose indigneque præsedit, catholicum abbatem jubete præponi, qui illam servorum Dei congregationem et a pravo dogmate liberare, et institutis veritatis possit **1050** imbuere. Data [k] v idus Junii, Adelfio viro clarissimo consule.

EPISTOLA [l] LXXXV

[m] AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

[n] SYNOPSIS. — I. *Ut qui hæreticorum erroribus metu, non voluntate implicati sunt, per satisfactionem et non dubiam professionem suscipiantur.* — II. *Principes hæreticorum sibi reservat discutiendos; eorum nomina ad altare interim recitari vetat.* — III. *De commonitorio ei respondet; ad sollicitudinem hortatur; cuncta sibi referri postulat.*

LEO episcopus ANATOLIO episcopo.

CAP. I. — Licet sperem dilectionem tuam ad omne opus bonum esse devotam, ut tamen efficacior tua fieri possit industria, necessarium [o] et congruum fuit fratres meos Lucentium episcopum, et Basilium presbyterum, ut promisimus, destinare; quibus tua dilectio societur, ut nihil in his quæ ad universalis Ecclesiæ statum pertinent, aut dubie agatur aut

[a] Retinuimus diem editorum ante Quesn., quippe qui non solum legitur in exemplo Sichardi, et in mss. collect. 12 et 24, verum etiam in præstantissimo Ratisp. et in Vindebon. Hisp. Quesnellus ex Grim. et noster Vat. collect. 11, VII *idus*. Vat. Hisp. et Isid., VI *idus*. Mss. duo collect. 21, *idus*, ubi numeralis nota collectoris vel librarii errore omissa fuit.

[b] Alias 64. Quæ autem antea 81 erat, nunc 111. Scripta 9 Junii an. 451.

[c] Est in mss. collect. 12, 18 et 19.

[d] Cod. Ratisp., *nostrorum*.

[e] Vulgati ante Quesn. male, *præparavi*.

[f] Cod. Grim., *inquirenda*.

[g] Ratisp., *Deo*.

[h] Idem Ratisp., *ab omni catholicorum est abominanda consortio*.

[i] Idem codex, *unione*.

[j] Vulgati, *annuentibus*. Melior trium nostrorum codicum lectio.

[k] Quesnellus ex Grimanico, VII *idus*. Cæteri editi cum codd. collect. 12, *idibus*. Ratisponensem sequimur, qui in quatuor epistolis per eosdem legatos transmissis eumdem diem more Leonis constanter præfert.

[l] Alias 65. Quæ autem antea 85 erat, nunc 112. Scripta 19 Junii an. 451.

[m] Exstat hæc epistola in iisdem mss. in quibus superior 83.

[n] In Hispanica hic titulus legitur: *De his qui in hæreticorum erroribus metu, non voluntate implicantur, ut per satisfactionem in Ecclesia suscipiantur, et ut hæreticorum nomina ad altare non recitentur.*

[o] Apud Ratramnum lib. IV contra Græcos tom. I Spicil. Acher. pag. 109, *et commodum fuit*.

Digitized by Google

segniter · cum, [a] residentibus vobis, quibus executionem nostræ dispositionis injunximus, ea possint agi cuncta moderatione, ut nec benevolentiæ partes nec justitiæ negligantur, sed absque personarum acceptione divinum in omnibus **1051** judicium cogitetur. [b] Quod ut recta observantia valeat custodiri, catholicæ primitus fidei servetur integritas; et quia per omnia *angusta et ardua via est, quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 14); neque in sinistram neque [c] ad dexteram ab ejus tramite devietur. Et quia evangelica et apostolica fides omnes expugnat errores, et ab uno latere Nestorium dejicit, ab alio Eutychen et participes ejus elidit hanc regulam memento te servandam, ut quicumque in illa synodo, quæ nomen synodi nec habere [d] poterit nec meretur, et in qua malevolentiam suam Dioscorus, [e] imperitiam autem Juvenalis ostendit, dolent, ut dilectionis tuæ relatione comperimus, se metu victos et terrore superatos ad consensum scelestissimi judicii potuisse compelli, et communionem catholicam obtinere desiderant, satisfactioni eorum pax fraterna præstetur; ita ut non dubiis professionibus Eutychen cum suo dogmate, cumque consortibus suis anathematis exsecratione condemnent.

Cap. II. — De his autem qui in hac causa gravius peccavere, et ob hoc superiorem sibi locum in eadem infelici synodo vindicarunt, ut [f] humiliorum fratrum simplicitatem arrogantiæ suæ præjudiciis aggravarent, si forte resipiscunt, [g] et a facti sui defensione cessantes, in condemnationem proprii convertuntur erroris; horum si satisfactio talis accedit quæ non refutanda videatur, maturioribus apostolicæ sedis consiliis reservetur, ut examinatis omnibus atque prepensis, de ipsis eorum actionibus quid constitui debeat æstimetur. Neque prius in Ecclesia, cui te Dominus voluit præsidere, cujusquam talium, ut [h] ante jam scripsimus, nomen ad altare recitetur, quam quid de eis constitui debeat rerum processus ostendat.

Cap. III. — De commonitorio vero, a clericis dilectionis tuæ nobis oblato, necessarium non fuit epistolis quid videretur inserere cum sufficeret legatis cuncta committi, quorum sermone ex omnibus diligentius instrueris. Annitere itaque, frater charissime, ut quæ Ecclesiæ Dei congruunt, fideliter et efficaciter **1052** cum his fratribus, [i] quos tantæ rei idoneos auctores elegimus, exsequaris; præsertim cum in ipsa vos causæ ratio, spesque divini auxilii cohortentur, et clementissimorum principum tam sancta sit fides, tam religiosa devotio, ut in eis non solum Christianum, sed etiam sacerdotalem experiamur [k] affectum. Qui utique pro ea pietate qua se esse Dei famulos gloriantur, omnes suggestiones vestras fidei catholicæ profuturas, dignanter accipient, ut ipsorum quoque [l] opere et pax Christiana reparari, et error impius possit aboleri. Ac si de aliquibus amplius fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio dirigatur: ut pertractata qualitate [m] causarum, nostra, quid observari debeat, sollicitudo constituat. Data [n] V idus Junii, Adelfio viro clarissimo consule.

EPISTOLA [o] LXXXVI.

P AD JULIANUM COMESEM EPISCOPUM.

Synopsis. — *Pro communi amicitia et Ecclesiæ bono sollicitudinem Juliani legatorum suorum curæ junqi postulat ad reliquias hæreticorum exstinguendas.*

Leo Juliano episcopo.

Quam gratum mihi semper est epistolas tuæ di-

[a] Ita cum anterioribus vulgatis codex Ratisp. utrique Hisp. Vat. Isid. Ratramnus, Sichardus aliique nostri veteres libri, exceptis duobus collect. 21, qui omittunt *nobis*. Quesnellus, *residentibus his*, ex cod. Grimanico. Laudat etiam Trecopith. ac duos Thuaneos; ex quibus duo sunt collectionis 5. At in hac collectione hæc epistola non invenitur; et si quidem exstat in his duobus codicibus, additamentum profecto est quod ad hanc collectionem non pertinet: unde in Thuanei ipsius tabula ab eodem Quesnello edita, quæ omnia ejus collectionis documenta recenset, nequaquam apparet. Notat porro idem Quesnellus in marginali postilla, improbans nostram lectionem, *residentibus vobis*, his verbis: « Quasi Leo dispositionis suæ executionem episcopo Constantinopolitano injunxisset Romanus. » Sed Anatolium hac in re delegatum, seu legatis specialiter adjunctum ostendunt verba paulo ante præmissa *quibus tua dilectio societur*; et in ep. 83, c. 2: *Injunctum est ab apostolica sede directis, ut in consortium suæ deliberationis adscito Constantinopolitanæ urbis antistite*, etc. Exsecutionem autem pontificiæ dispositionis eidem injunctam ostendunt sequentia capitis tertii: *Annitere itaque, ut..... fideliter et efficaciter... exsequaris*. Paulo post apud Ratramnum, et in tribus codd., *ea possint agi cuncta cum moderatione*.

[b] *Quæ ut recta observantia valeant custodiri* in Ratisp. cod. legitur. Vat. Hisp. et Isid. ac mss. collect. 11, *Quod ut... valeant custodire*.

[c] Ratisp. cum duobus aliis codd., Vat. *in dexteram*.

[d] Editi ante Quesn. cum exemplo Sichardi, *potuit*, Ratisp., *potuerit*.

[e] Vindebon. Hisp., *inertiam*. Vat. Hisp., *mœstitiam*. Ratramnus cum Vat. Isid. et alio collect. 11, *industriam*.

[f] Vat. Hisp. et Isid. cum Ratramno et mss. collect. 11 ac 21, *humilium*.

[g] Vat. Isid., *et facti sui defensionem cessantes*. Paulo post apud Ratramnum, *accedat*.

[h] Vat. Hisp. et Isid., *ad te jam scripsimus*, nimirum epistola 80.

[i] Lectionem vulgatorum ante Quesnellum restituimus auctoritate Ratisp. exempli Sichardiani, et codicum collect. 12 et 24. Accedit Vindebon. Hisp., in quo solum errore amanuensis *constanter ei* pro *quos tantæ rei* scriptum fuit. In Vat. Hisp. et Isid. emendatum arbitrio primi scriptoris, *constanter quos idoneos*; sed in Vat. Hisp. voci *constanter* subjiciuntur puncta, quæ hanc vocem delendam indicant. Quesnellus cum uno nostro Vat. collect. 21, *quos tantæ curæ idoneos*.

[j] Ratisp. Vat. Hisp. ac Isid. addunt *et* Paulo post Vindebon. Hisp., *cohortetur*.

[k] Vat. Hisp. et Isid., *effectum*.

[l] Quesnellus in margine. Alias, *ope*.

[m] Vat. Hisp. Isid. et mss. collect. 11 ac 21, *horum*, *nostra*.

[n] Sic Ratisp. et mss. collect. 12 ac 24, cum Sichardo. Quesnellus, VII *idus*. Vindebon., VI *idus*. In Vat. Hisp. et alio collect. 11 erronee VI *idus Januarii*. Codd. collect. 21, *idus Junii*.

[o] Al. 66. Quæ autem antea 86 erat, nunc 115. Scripta 9 Junii an. 451.

[p] Edita fuit a Quesnello ex ms. Grim. collect. 18. Relegimus cum Ratisp. collect. 19.

Digitized by Google

lectionis accipere, tam etiam nostra ad te congruum est scripta deferri, præsertim cum hoc non pro amicitia tantum communi, sed multo magis pro statu universalis Ecclesiæ faciamus. Unde per fratres nostros Lucentium episcopum, et Basilium presbyterum, quos Constantinopolim [a] indicaveramus nos esse missuros, **1053** debitum reddo colloquium, admonens ut studium diligentiæ tuæ [b] eisdem in omnibus sociare digneris; ut reliquiæ scandalorum, si quæ adhuc supersunt, sagaciter auferantur. Quamvis enim ubique jam catholicæ fidei lumen eluceat, et, quod est validissimum, Christianorum principum divinis auctoritatibus corda famulentur : quædam tamen sunt quæ ita Ephesinus ille turbo confudit, ut magno moderamine sit agendum, ne mala dissensionum quæ inde sunt orta permaneant. Quid itaque legatis nostris injunctum atque commissum sit, ipsorum insinuatione cognosces, cum mihi atque illis impensurus affectum, ut quæcumque ipsis mandata sunt, dilectionis tuæ studio et sollicitudine sociata, adjuvante Domino [c], perveniant ad eum quem optamus effectum. Data [d] v idus Junii, Adelfio viro clarissimo consule.

[a] Nimirum epist. 81.

[b] Sic melius ex Ratisp. quam apud Quesnellum ex Griman., *eisdem hominibus*. Idem tamen Ratisp. omittit *tuæ*.

[c] Ratisp., *Deo*.

[d] Sic Ratisp. ut in tribus aliis epistolis antecedentibus, quæ simul transmissæ eodem die Leonino more notantur. Quesnel. ex Grim., VI *idus*.

[e] Al. 67. Quæ autem antea 87 erat, nunc 114. Scripta 19 Junii an. 451.

[f] Exstat in mss. collect. 12 et 18 ac in præstantissimo Vat. 1322, ex quo millenariam ætatem præferente nonnulla emendavimus.

[g] Editi, *longinquo*. Emendavimus ex laudato Vat.

1054 EPISTOLA LXXXVII [e].

[f] AD ANATOLIUM EPISCOPUM CP.

SYNOPSIS. — *Ei commendat Basilium et Joannem presbyteros, qui hæresis accusati Romam venerunt rationem fidei suæ reddituri.*

LEO episcopus ANATOLIO confratri episcopo Constantinopolitano.

Ad declinandam erroris maculam, qua nonnullos aut Nestoriana impietas, aut Eutychiana labefactavit insania, laudabilem curam filii nostri Basilius et Joannes presbyteri suæ æstimationis habuerunt : ut inter compugnantia dogmata falsitatis vera catholicæ fidei pace gauderent. Siquidem [g] longinquæ peregrinationis labore suscepto, sensum cordis sui in apostolica sede [h] patefecerunt, damnantes utramque hæresim, quarum supra fecimus mentionem, et de incarnatione Domini nostri Jesu Christi non aliud recipientes, quam quod, instruente sancto Spiritu, et didicimus, et docemus. Per hos ergo, frater charissime, cum testimonio nostro ad propria revertentes, dilectioni tuæ nostra scripta direximus, fideliter [i] hortantes ut qui gratia apostolicæ communionis ornantur, etiam tuo favore per omnia se gaudeant adjuvari. Data i decimo tertio kalendas Julii, Adelfio viro clarissimo consule.

[h] Ita melius codd. collect. 12, cum antiquioribus editis. Quesnellus, *patefecerint*.

[i] Sic non solum Grim., sed etiam antiquissimus Vat. Quesnellus cum editis et mss. collect. 12, *orantes, ut qui*. In Grimanico tamen pro *qui* habetur *quia*.

[j] Laudatus cod. Vat., XVIII *kal. Junias*. In hoc autem ms. librarium pro *Julias* perperam scripsisse *Junias* suspicamur, cum in epistola 89 certissimo errore *Junias* pro *Julias* pariter scripserit. Dies vero pari lapsui tribui nequit : facilius enim ab exscriptoribus erratur omittendo v quam inserendo. At codicum aliarum duarum collectionum 12 et 18 auctoritatem haud deserendam putavimus.

ADMONITIO

in *epistolam sequentem, et in cæteras inferius afferendas, quæ agunt de Paschate anni* 455.

1. Quæstio jamdiu ante agitata circa Pascha anni 444, sollicitum Leonem effecit, ut maturius scriberet circa diem Paschatis ann. 455, in quo Romanorum et Alexandrinorum cyclos dissidere non ignorabat. Hinc jam inde ab an. 451, quo sequens epistola scripta fuit, in hanc diem unanimi consensu statuendam studium intendit. Novem præterea ejusdem pontificis epistolas subsequentibus annis in eamdem rem exaratas habemus, præter alias non paucas, quæ desiderantur; et unam Proterii Alexandrini ad eumdem pontificem, quas suis locis dabimus.

2. Ex laterculo Paschali Theophili Alexandrini annorum centum, quod ex cyclis quinque decemnovennalibus, et annis quinque constabat, Pascha an. 455 affigebatur VIII kal. Maias. Ex cyclo autem Latinorum annorum LXXXIV ascribebatur XV kal. ejusdem mensis, ac propterea octo dierum discrimen intercedebat. Hoc autem discrimen oriebatur ex lunæ saltibus, quos Latini crebriores, Alexandrini autem rariores admittebant. Cum enim Alexandrini ex suo cyclo decemnovennali lunæ saltus, quibus ætati lunæ una dies per saltum augetur, decimo nono quoque anno astruerent, Latini vero ex suo cyclo annorum LXXXIV usque ad emendationem Prosperi eos saltus admitterent quovis anno duodecimo, post emendationem autem Prosperi singulis quatuordecim annis : ætas lunæ, ex qua paschalis dies decernitur, apud Romanos ob crebriores quam apud Alexandrinos saltus anno 455 triduo crescebat, adeo ut quæ Alexandrinis eo anno XV kal. Maii die Dominico erat luna 14, Romanis esset luna 17. Cum vero luna 14 nequeat celebrari Pascha, ne cum Hebræis conveniamus, hinc Alexandrini in Dominicam sequentem VIII kal. Maii Pascha protrahere cogebantur. Apud Latinos vero cum eo die XV kal. Maias esset luna 17, nihil prohibebat quin Pascha eo die celebrarent : plura autem obstabant ne cum Alexandrinis illud festum transferrent in diem VIII kal. Maias.

3. Primum hoc die ipsis erat lunæ ætas 24, quo si celebrassent Pascha, excessissent biduo extremum lunæ ætatis limitem, qui penes ipsos erat luna 22. Deinde excessissent præterea triduo limitem ultimum Dominicarum paschalium, qui ipsis erat XI kal. Maias. Quoad hos quidem Dominicarum paschalium limites anno 444 res conciliata est, eo quod persuasum Leoni fuit sufficere, si eum limitem XI kal. Maias Passionis dies

Digitized by Google

nequaquam excederet : quo factum est ut, servato hoc limite, in quem tum incurrit dies Passionis, Pascha etiam a Latinis Alexandrinorum calculum secutis eo anno celebratum fuerit biduo post, id est IX kal. Maii. Sed hæc conciliandi ratio nihil proderat in quæstione de Paschate anni 455, quo non solum biduum, sed triduum paschali die prorogato, ipse dies Passionis eum limitem ultimum præteribat. Putabant tandem Latini in Alexandrinorum rationem Pascha celebratum iri mense secundo, cum ex lege primo mense celebrandum sit; primum enim mensem a die æquinoctii 21 Martii ad diem 21 Aprilis computasse videntur.

4. Multa Alexandrini adversus hæc Latinorum objecta protulerunt. Sed cum semper disputaverint in hypothesi quod VIII kal. Maii esset luna 14, nec umquam, saltem ex monumentis quæ supersunt, erroris convicerint Latinos, dum ea die diversam ætatem lunæ tribuebant, nec quidquam attigerint de lunæ saltibus diversis, ex quibus diversa lunæ ætas proficisceb tur (in quo si persuasissent Latinos errare, proculdubio obtinuissent eorumdem assensum : neque enim hi luna solum 14, verum etiam 15 Pascha celebrare ex suis regulis vetabantur), nihil mirum si S. Leo se Alexandrinorum rationibus non convictum prodidit, et solum studio unitatis ac pacis, Pascha in ipsorum sententiam indixit. Hæc paucis præmonuisse satis sit, ut ea quæ in epistolis de hac controversia exhibendis indicantur, intelligi queant. Alia nonnulla, ubi opus fuerit, in annotationibus subjicientur. Hanc autem admonitionem sequenti epistolæ præfiximus, eo quod prima sit quæ de hac controversia paschali indicium præbet.

1057 EPISTOLA [a] LXXXVIII.

[b] AD PASCHASINUM EPISCOPUM LYLIBÆTANUM.

SYNOPSIS. — I. *Mittit ad Paschasinum celebrem suam ad Flavianum CP. epistolam, qua legatus in synodo futurus instrueretur.* — II. *Duplicem in Christo asserit naturam adversus Eutychen.* — III. *Testimonia SS. Patrum de incarnatione Domini mittit, nuntiatque Orientalis diœcesis episcopos subscripsisse eidem epistolæ ad Flavianum.* — *De Paschate anno 455 diligentius inquiri postulat.*

[c] LEO episcopus PASCHASINO episcopo Lylibætano.

CAP. I. — Quamvis non dubitem fraternitati tuæ omnem originem scandalorum, quæ de incarnatione Domini nostri Jesu Christi in Orientalibus Ecclesiis commota sunt, ad plenum esse comperta, tamen ne quid forte sollicitudinem tuam latere potuisset, epistolam nostram, quam ad sanctæ memoriæ Flavianum de hac re plenissimam misimus, quamque Ecclesia universalis amplectitur, diligentius tibi recensendam cognoscendamque direxi : ut intelligens qua **1058** plenitudine totius hujus erroris impietas, [d] Deo adjuvante, destructa sit, ipse quoque eumdem spiritum pro tuo in Deum amore suscipias, sciasque penitus detestandos Qui secundum Eutychis impietatem atque dementiam in Domino nostro unigenito Filio Dei suscipientis in se reparationem salutis humanæ, dicere ausi sunt duas non esse naturas, hoc est perfectæ Divinitatis et perfectæ humanitatis ; et putant quod possint nostram diligentiam fallere, cum aiunt [e] se unam Verbi naturam credere incarnatam ; cum utique [f] Verbo Dei in Divinitate Patris, et sua, et Spiritus sancti, una natura sit; suscepta autem veritate carnis A nostræ illi inconvertibili substantiæ nostram quoque unitam esse naturam : nam nec incarnatio dici posset, nisi caro susciperetur a Verbo. Quæ susceptio tanta et talis unitio est, ut a carne animata, non solum in partu beatæ Virginis, sed etiam in conceptu nulla Divinitatis sit credenda divisio : quoniam in unitate personæ Divinitas atque humanitas et conceptu Virginis convenit et partu.

CAP. II. — Abominanda ergo est [g] in Eutyche impietas, quæ olim a Patribus in præcedentibus hæreticis damnata atque destructa [h] est; quod huic stultissimo homini prodesse debuerat : ut quod non poterat sensu apprehendere, [i] vel præcedenti caveret exemplo, ne salutis nostræ singulare sacramentum veritatem carnis humanæ in Christo Domino nostro B negando vacuaret. Quoniam **1059** si vera et perfecta in illo humanitatis natura non est, nulla est nostra susceptio; et totum quod credimus, quod docemus, secundum ipsius impietatem vanitas est atque mendacium. Sed quia nec mentitur veritas, nec passibilis est Divinitas, manet in Deo Verbo utraque substantia in una persona, et ita Salvatorem suum Ecclesia confitetur, ut eum et Divinitate impassibilem, et carne passibilem fateatur, dicente Apostolo : *Etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei* (II *Cor.* XIII, 4).

CAP. III. — Ut autem in omnibus plenius tua sit instructa dilectio, sanctorum Patrum nostrorum, de C sacramento incarnationis Domini quid senserint, et quid Ecclesiis prædicaverint, ut evidenter agnoscere, aliqua ad dilectionem tuam [j] scripta transmisi,

[a] Al. 68. Quæ autem antea 88 erat, nunc 117, Scripta 24 Junii an. 452.

[b] Hanc epistolam, quam ex ms. Grim. collect. 18 Quesnellus edidit, contulimus cum ms. Ratisp. collect. 19.

[c] Hanc inscriptionem exegimus ad ms. Ratisp. Quesnellus ex Grim., *Leo Paschasino episcopo.*

[d] Voces *Deo adjuvante* desunt in ms. Ratisp.

[e] Eutychiani scilicet hac formula se posse fallere putabant catholicos, eo quod eamdem a Cyrillo usurpatam ingererent. At Cyrillus ita unam naturam Verbi incarnatam dixit, ut divinæ humanæque naturæ distinctionem pluribus in locis professus earum unionem hypostaticam in incarnatione adversus Nestorianos astrueret, uti Petavius late ostendit lib. IV de Incarn. cap. 7 et seqq., quo quidem catholico sensu hæc locutio a nonnullis catholicis, et a synodo V recepta fuit. Eutychiani vero ita unam naturam Verbi dicebant incarnatam, ut duarum naturarum distinctionem tollentes, humanam a divina absorptam traderent, et hac ratione *veritatem carnis humanæ in Christo Domino nostro negando vacuarent;* quem hæreticum sensum Leo capite sequenti detegit atque perstringit.

[f] Codex Ratisp., *Verbi Dei in Deitate;* et deinceps, *Deitatis sit credenda;* et mox, *Deitas atque humanitas,* et similiter in sequentibus.

[g] Sic ex Ratisp. Concinit cum sequentibus, *in præcedentibus hæreticis.* Quesnellus ex Grim., *Eutychis.*

[h] Verbum *est* ex Ratisp. supplevimus.

[i] Apud Quesn., *id præcedenti caveret exemplo ; nec salutis nostræ,* etc. Melior visa est lectio cod. Ratisp. *Vel* pro *saltem* passim usurpatur.

[j] Indicat testimonia sanctorum Patrum quæ in Græcis exemplaribus Chalcedonensis concilii ante gesta epistolæ 28 Leonis ad Flavianum subjecta inve-

Digitized by Google

quæ nostri quoque apud Constantinopolim cum mea epistola allegarunt. [a] Et totam Constantinopolitanam Ecclesiam cum monasteriis omnibus et multis episcopis noveris præbuisse consensum, et subscriptionibus suis Nestorium atque Eutychen cum suis anathematizasse dogmatibus. Noveris etiam proxime me epistolam Constantinopolitani episcopi accepisse, quæ refert Antiochenum episcopum missis per provincias suas tractoriis [b] universos episcopos et epistolæ meæ præbuisse consensum, et Nestorium et Eutychen pari subscriptione damnasse.

Cap. IV. — Illud quoque curæ tuæ credimus injungendum, ut quia ratio paschalis festi experientiam tuam non latet, de eo quod in Theophili [c] annotatione invenimus, quodque nos permovet, diligentius [d] inquiras illic, atque pertractes cum his qui possunt supputationis et regulæ istius habere peritiam : qualiter quarti [e] anni futuri Dominicæ resurrectionis dies sit tenendus. Nam cum venturum Pascha [f] propitio Deo, decimo kalendarum aprilium die sit tenendum, **1060** sequenti [g] autem pridie idus April. Tertio [h] pridie nonas Aprilis; quarto sanctæ memoriæ Theophilus [i] kalendas Maii constituit observandum : quod [j] regula ecclesiastica penitus invenimus alienum; in nostris autem paschalibus [k] cyclis, quod bene nosse dignaris, decimo quinto kalend. Maii ejusdem anni Pascha celebrandum esse sit scriptum. Et ideo, ut [l] nobis omnibus ambiguitas auferatur, cum peritis quibusque diligentius hoc tua sollicitudo pertractet, ut in futurum hujusmodi caveamus errorem. Data octavo kalend. Julii, Adelfio viro clarissimo consule.

EPISTOLA [m] LXXXIX.

[n] AD MARCIANUM AUGUSTUM.

Synopsis. — *De legatis ad concilium generale missis vice ejus acturis; ubi omnia ad fidei et pacis unitatem revocanda.*

Leo episcopus Marciano semper Augusto.

Credebamus clementiam vestram id desiderio nostro posse præstare, ut præsenti necessitate respecta, differri ad opportunius tempus sacerdotalem synodum juberetis : ut evocatis de cunctis provinciis sacerdotibus, vere [o] possit esse universale concilium. Sed quia vos amore catholicæ fidei congregationem [p] nunc fieri voluistis, **1061** ne devoto obviare viderer arbitrio, fratrem et coepiscopum meum [q] Paschasinum de ea provincia quæ videtur esse securior evocatum, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi; Bonifacio [r] fratre et compresbytero meo sociato, et his quos antea miseramus adjunctis, consortem illis fratrem quoque meum Juliannm addentes episcopum. Quos ea moderatione universa, Domino auxiliante, credimus esse gesturos, ut quæcumque in quærelam perturbationemque venerunt ad unitatem pacis et fidei, compressa omni dissensione revocentur; nec ullum in aliquorum cordibus sacerdotum vel Nestorianæ vel Eutychianæ impietatis vestigium relinquatur : quoniam catholica fides, quam instruente nos Spiritu Dei per sanctos Patres a beatis apostolis didicimus et docemus, neutrum subrepere [s] permittit errorem gloriosissime **1062** impe-

niuntur; qua de re plura in fine admonitionis ad eamdem epistolam 28. *Nostri*, quos hic nominat, sunt ii legati qui in Anatolii causa Constantinopolim missi jam redierant.

[a] Quesnellus in margine. Forte, *cui*, vel *ei*.

[b] Idem Quesn. in margine : Forte, *ad universos*, vel aliquid aliud deesse videtur. Hac de re in concilio Chalcedonensi actione de Photio Tyri Eustathius Beryti dixit : *Cum pauci Constantinopoli convenissent* (sub finem anni 450), *missa est epistola almi archiepiscopi Leonis iis qui ubique essent metropolitis et subscripta est.* Confer aliud Leonis testimonium in fine epistolæ 91.

[c] Annotatio Theophili idem est ac laterculum Paschale annorum centum ab eodem digestum, de quo vide annot. 8 (*Col.* 1056, *n.* 1) in epist. 121.

[d] Sic ms. Ratisp. Quesnellus, *requiras*. Particula *illic* ad annotationem seu laterculum Theophili referenda videtur, in quo de die Paschatis cum peritis ejus supputationis diligenter inquirere jubet.

[e] Id est, an. 455.

[f] Anno 452, die 23 Martii.

[g] Anno 45, die 12 April.

[h] Anno 454, 4 April.

[i] Anno 455, Pascha ; secundum Alexand. 24 April., sec. Rom. 17.

[j] Id est a regulis paschalibus Latinorum, de quibus in præmissa admonitione, num. 3.

[k] Non unum, sed plures paschales cyclos annorum LXXXIV apud Latinos fuisse liquet. Pascha autem an. 455 die XV kal. Maii in omnibus ascribebatur, nimirum tum in illis antiquioribus, qui lunæ saltum singulis duodecim annis admittebant, tum in illis qui Leonis ætate recepti eumdem saltum in singulos annos quatuordecim prorogabant, uti dicemus pluribus annot. 14 (*Col.* 1056, *n.* 9) in epist. 121. Mox in ms. Ratisp., *ejus anni Pascha*.

[l] Ita melius ex ms. Ratisp. quam apud Quesnellum ex Grimanico, *modis omnibus*.

[m] Al. 76. Quæ autem erat 89, nunc 115. Scripta 24 Junii an. 451.

[n] Exstat in codd. collect. 12 et in vetustissimo Vat. 1322.

[o] Sic duo nostri codd. collect. 12 et Vat. 1322. Editi, *posset*.

[p] Concilii scilicet indictionem editam die 17 Maii ignoraverat S. pontifex die 9 Junii, cum Lucentium et Basilium Constantinopolim ob lapsos recipiendos misit : unde hos aliis litteris, quæ desunt, legatis nunc transmissis adjunxit, uti traditur epist. 94. Post diem itaque 9 Junii hujus indictionis notitia ad Leonem pervenit ; cumque de legatis instruendis et ad concilium transmittendis, prout angustiæ temporis ferebant, aliquot diebus cogitasset, hac tandem die 24 Junii indicti concilii mentionem fecit.

[q] Epistola qua Paschasinum uti legatum suum Leo ad concilium direxit desideratur : nihil enim expresse ejusmodi delegationis legitur in epistola præcedenti eodem die signata, quam per Bonifacium legationis socium ad eumdem misit; ac idcirco delegationis litteræ ad Paschasinum scriptæ videntur paucis diebus ante epistolam præcedentem, quæ quidem cap. 1 eum præfert satis instructum, novæque instructionis additamentum exhibet.

[r] Vulgati antiquiores Quesnello, *fratre nostro*, *et compresbytero sociato*. Quesnelli lectionem nostri codices confirmant.

[s] Sic melius ex nostris mss. Vulgati, *permittet*. Vat. 1322, pro *subrepere* habet, *sibi misceri*. Porro voces

Digitized by Google

rator. Si quid ergo morborum, si quid est vulnerum quod sincera possit correctione curari, ut ad veram sanitatem revocetur optamus. [a] Quæ tunc utique non erit dubia, nec cujusquam simplicitati deinceps nocitura, si nullis se excusationibus voluerit obumbrare; cum [b] abolitionem peccati non obtineat nisi vera confessio. Quia vero quidam de fratribus, [c] quod sine dolore non dicimus, contra turbines falsitatis non valuere catholicam tenere constantiam, prædictum fratrem et coepiscopum meum vice mea synodo convenit præsidere. Certus [d] sum enim quod absque odio et gratia ibidem ab his quibus hoc committimus laboretur, ut cum sollus hæreticæ impietatis excidio, in omnibus Ecclesiis Dei veritas regnet et charitas. Data [e] octavo kalendas Julii, Adelfio viro clarissimo consule.

A

1063 EPISTOLA [f] XC.

[g] AD EUMDEM MARCIANUM AUGUSTUM,

[h] *Pro concilio Nicænam primum convocato, postea Chalcedonem translato*

Per Bonifacium presbyterum.

Synopsis. — I. *Concilio generali congregando annuit, etsi propter temporis perturbationem in aliud mallisset differri.* — II. *Fidem in illo tractandam non esse ut dubiam, nec a Nicæna discedendum.*

Leo episcopus Marciano Augusto.

Cap. I. — Poposceram [i] quidem a gloriosissima clementia vestra ut synodum, quam [j] ad reparandam Orientalis Ecclesiæ pacem etiam a nobis petitam, necessariam [k] judicatis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis: ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque episcopi, quos

gloriosissime imperator a Quesnello additæ desunt quidem in eodem Vat. at in aliis codd. leguntur. Etsi vero auctoritate antiquissimi Vat. expungendæ crederentur, non tamen idcirco hæc epistola ad Pulcheriam potius quam ad Marcianum data dicenda esset, ut Tillemontius suspicatur not. 41 in S. Leonis Vitam tom. XV, pag. 914; omnes enim codices Marciani inscriptionem præferunt, et Marciano conveniunt verba *juberetis*, et *voluistis:* nam ab eo Leo poposcerat, epist. 83, cap. 2, ut concilium differri juberet; idemque Marcianus illud *nunc fieri voluit* per indictionis litteras, quas annot. 3 (*Col* 930, *n.* r) memoravimus. Epistola vero ad Pulcheriam, quam hac eadem in re a Leone scriptam non ambigimus, hac tenus desideratur, sicut aliæ multæ. Difficultas quæ Tillemontium permovit pendebat ex chronica nota ejusdem diei huic et sequenti ad eumdem Marcianum epistolæ in vulgatis præfixa; sed ea ex emendatione chronicæ notæ sublata est.

B

[a] Editi, *Quæ nunc utique non erunt dubia.* Nostrorum codicum lectio magis placuit. *Quæ*, ad correctionem refertur. Mox editi ante Quesn. cum mss. Veneto collect. 12, *nullus* pro *nullis*.

C

[b] Vulgati ante Quesn., *absolutionem*, ex erronea lectione mss. collect. 12, *a pollutione*. Quesnelli emendationem, cui favet cod. Vat. 1522, retinuimus.

[c] Nostri codd. collect. 12 addunt, *nostris*. Quesnellus in postilla huic loco affixa ait: *Nota qua de causa Leo legatum suum synodo universali præsidere cupiat.* Hæc valde æquivocum, et pontificiis prærogativis minus congruum sensum exhibent. Sicut pontifex totius Ecclesiæ primas et caput est, ita jure illi competit concilliis præsidere: unde Patres Chalcedonenses in Synodica ad Leonem inferius afferenda epist. 98, cap. 1, professi sunt: *Quibus* (ejusdem concilii episcopis) *tu quidem ut membris caput præeras.* Hoc ejus jus ipse Marcianus satis professus fuerat epist. 73, cum generalem synodum Leone *auctore celebrandam* significavit: quod item reperit Pulcheria epist. 77. Hoc autem jus sibi competens etiam suis legatis competere Leo hac in epistola insinuavit verbis *vice mea*, quæ sicuti suam his auctoritatem delegatam, ita idem præsidentiæ jus ostendunt. (Leonem quidem in legatis præsedisse ab ipso Chalcedonensi concilio traditur infra epist. 98, c. 3.) Verbum autem *convenit* modestiæ gratia Leo adhibuit. Aliam porro rationem, quæ in oculos magis incurreret, addere ac expressius proponere voluit ex latrocinio Ephesino, in quo cum apostolicæ sedis legati non præsederint, plures contra impios Dioscori præsidis nisus *non valuere catholicam tenere constantiam:* quæ ratio pontificium jus non restringit, nec excludit. Hoc quidem jus in Chalcedonensi actione prima, indicaturus Lucentius Leonis legatus memorato Dioscoro succensuit, quod Ephesi præsidis personam, quam non habebat, sibi arrogans, omniaque suo arbitrio gerens apostolicis legatis contemptis, *synodum ausus sit facere sine auctoritate sedis apostolicæ, quod numquam licuit, numquam factum est.* Quam vero præsidendi tam Leo hac in epistola modeste insinuat, a legatis suis omnino exigi voluit. Hinc enim Paschasinus in eadem synodo initio actionis tertiæ tom. IV Concil. Venetæ editionis pag. 1350, dixit: *Nostram parvitatem huic sancto concilio pro se præsidere præcepit.*

D

[d] In omnibus nostris codd. omittuntur voces *sum enim.* Cum vero prima editio hujus epistolæ apud Merlinum sumpta fuerit ex codice collect. 12, si hæ voces ita desunt in omnibus ejusdem collectionis mss. exemplaribus, uti desiderantur in duobus quæ vidimus, nec non in cod. Vat. 1522, qui aliam originem habet, suppletæ fuerunt ad perficiendum sensum. Suppleri tamen aptius poterat *sum autem;* siquidem particula *enim*, quæ præcedentis sententiæ rationem indicat, minus congruit: nam in antecedenti periodo de solo Paschasino, hic autem de omnibus legatis sermo est. Forte vero quispiam existimabit hoc loco certe luxato ante vocem *certus* aliquid deesse quo legati Paschasino sociati indicarentur, et subsequens sensus omnibus communis melius cohæreret. Ita additione *sum enim*, vel *sum autem* opus non esset.

[e] Editi et mss. collect. 12, VI *kal. Julii.* Antiquissimus Vat., VIII *kal. Junii.* Apertius est librarii error in mense, cum indictionem concilii Leo ignoraverit die 9 Junii, uti vidimus annot. 3 (*Col.* 930, *n.* r). Diem autem VIII *kal.* retinuimus, eo quod concordat cum die præcedentis epistolæ ad Paschasinum, quæ simul per Bonifacium missa fuit, et multo magis quia VI *kal.* Julii alias habemus Leonis litteras ad eumdem imperatorem, in quibus de eadem omnino re agitur: eadem autem die de re eadem duplicem epistolam ad eumdem imperatorem scriptam fuisse, nisi quid cogat, haud facile credimus.

[f] Al. 73. Quæ autem antea 90 erat, nunc 116. Scripta 26 Junii an. 451.

[g] Legitur in mss. collect. Hisp., Isid. 11, 12, 18, 19 et 21 usque ad 24, ac in exemplo Sichardi.

[h] Hunc titulum optime præfixit Quesnellus, cujus notam 1 consule. In Hispanica hic titulus legitur: *De directa vicis suæ legatione Constantinopolim pro Chalcedonensi concilio faciendo.*

[i] Vid. epist. 83, c. 2.

[j] Vat. Hisp. et Isid. cum mss. collect. 11 et 24, *pro reparanda Orientalis Ecclesiæ pace.*

[k] Iidem codd. nec non illi collect. 24 et exemplar Sichardi cum editis ante Quesn., *judicastis.* Lectionem a Quesnello inductam nostri Vindebon. Hisp. et Ratisp. confirmant.

Digitized by Google

hostilitatis metus detinet, convenirent. Sed quia pio studio humanis negotiis divina præponitis, et rationabiliter ac religiose regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in sacerdotum sensibus dissonantia, nulla sit in Evangelii prædicatione discordia: ego etiam vestris dispositionibus **1084** non renitor, optans ut in omnium cordibus catholica fides, quæ non potest nisi una esse, firmetur. A cujus integritate et Nestorius antea, et nunc Eutyches, diversis quidem callibus, sed impietate non impari deviarunt: abominandi prorsus in persuasionibus suis, quas contra sincerum veri luminis fontem, de cœnosis lacubus diabolicæ falsitatis hauserunt. Prior itaque synodus Ephesina Nestorium cum dogmate suo merito justeque damnavit: et quisquis in illo errore persistit, ad nullius potest spem remedii [a] pertinere. Sequens vero in prædicta civitate, [b] non potest vocari concilium, quod in eversionem fidei fuisse constat agitatum; quodque vestra clementia amore veritatis catholicis adfutura, aliud statuendo [c] cassavit, gloriosissime imperator.

Cap. II. — Unde per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui regni vestri est auctor et rector, obtestor et obsecro clementiam vestram ut in præsenti synodo fidem quam beati [d] Patres nostri ab apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari; et quæ olim majorum sunt auctoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari; illudque potius jubeatis ut antiquæ Nicænæ synodi constituta, remota hæreticorum interpretatione, [e] permaneant. Nec me quoque, ut voluit vestra clementia, ab illo credatis abesse concilio, cum in his fratribus quos direxi, id est [f] Paschasino et Lucentio episcopis, **1085** Bonifacio et Basilio presbyteris, sed [g] et in fratre meo Juliano, quem eorum volui esse participem, etiam mea sit æstimanda præsentia. Quos, [h] auxiliante Christo, ita acturos esse confido, ut ea quæ Domino nostro placeant, decernantur, antecedente pietatis vestræ studio, quod [i] et paci prosit, et religioni, et custodiæ veritatis. Data [j] sexto kalendas Julii, Adelfio viro clarissimo consule.

EPISTOLA [k] XCI.

[l] AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Synopsis. — *Etsi brevius spatium cogendo concilio datum esset, se tamen legatos mittere vicem suam impleturos.*

Leo Anatolio episcopo.

Cognita clementissimi principis ex his quas ad nos misit [m] litteris voluntate, mirati sumus congregandæ

[a] Editi ante Quesn. cum uno ms. Vat., *pervenire.*

[b] Ratisp., *non possumus vocare.* Vindebon. Hisp. cum Vat. collect. 24, *non possum vocare.* His concinit dictum Cecropii episcopi Sebastopolitani in synodo Chalcedonensi act. 10 : *Illud* (Ephesinum) *concilium dicere non debemus.*

[c] Vulgati ante Quesn., *cassabit*, cum Vat. Hisp. et Isid. et mss. collect. 11, 12, 21, 22 et 23, quæ tamen omnes collectiones hanc epistolam ex Isidoriana derivarunt. Quesnellus ex Grimanico et Victor. induxit *cassavit*, idemque præferunt Vindebon., Hisp., Ratisponen. et mss. collect. 24. Proxime accedunt exemplaria Sichardi et Merlini, in quibus *quassavit.* Ita quatuor saltem præstantiores et diversi originis collectiones huic lectioni favent, nimirum Hisp. 18, 19 et 24. Cumque cæteræ præferentes *cassabit* ex Isidoro, ut monuimus, originem ducant, Isidorus autem sumpserit ex minus puro codice Hispanico simili Vat. 1341, cujus primus scriptor in multis a puriori Hispanico fonte discessit, uti ex multorum locorum collatione didicimus, hinc retinendum putavimus *cassavit*, quod in puriori Vindebon. Hisp. et in aliis collectionibus ac præsertim in Ratisponensi legitur. Cæterum si respicienda esset Marciani lex data pridie nonas Julii an. 452, qua constitutio Theodosii pro latrocinio Ephesino cassata fuit, quemadmodum legati Leonis cum aliis Patribus petierunt act. 10 concilii Chalcedonensis, præferendum esset *cassabit.* At cum Marcianus in ipso imperii exordio catholicis ob Ephesinum conciliabulum in exsilium pulsis *affuturus eos robore pragmatici sui* ex epist. 77 revocaverit, et sancti Flaviani corpus Constantinopolim cum honore jusserit transferendum, aliaque præstiterit quibus ejusdem pseudosynodi acta reprobavit, hæc Leonem spectasse verosimilius arbitramur.

[d] Vat. Hisp. cum alio collect. 11, *Patres nostri apostoli sibi traditam prædicaverunt.* Vat. Isid., *Patres nostri apostoli prædicavere*, omissis vocibus *sibi traditam.*

[e] Sic nostri codices et editi ante Quesn., qui cum solo nostro Vindebon. Hisp., *permanerent.*

[f] Vindebon. Hisp., *Paschasino episcopis*, ubi ob plurale *episcopis* librarii saltu omisso agnoscitur Lucentius. Hunc saltum ignorans primus scriptor ejus liberioris collectionis Hispanicæ, quæ continetur in Vat. 1341, ex ingenio emendavit *Paschasino episcopo.* In Vat. Isid. omissum etiam fuit *episcopo.*

[g] Vide not. 2 Quesn. et observationes nostras eidem subjectas.

[h] Cum in puriori Vindebon. Hisp. scriptum legatur, *auxiliante ita*, suppletum fuit arbitrio librarii in Vat. Hisp., *auxiliante divina gratia, ita*, etc., eademque lectio fuit traducta in Vat. Isid.

[i] Vulg., *et paci prosit religionis, et custodiæ veritatis.* Utrique Hisp. cum Vat. Isid., *et paci prosit, et religionis custodia*, vel *custodiæ veritatis.* Vat. collect. 24, *et paci prosit, et religioni custodia veritatis.* Sichardus, *et religioni sit custodia veritatis.* Merlinus, *et religionis sit custodia.* Ratisponensis codex veram lectionem præbuit.

[j] Ita codd. Grim. et Thuan. Quesnelli, ac nostri Ratisp. utrique Hisp. Vat. Isid., aliique collect. 11 et 21. Male in vulgatis cum mss. collect. 24 ac Merlino et Sichardo, *sexto kal. Junii.* Codex Venetus collect. 12 item erronee, *sexto idus Julii.*

[k] Alias 70. Quæ autem antea 91 erat, nunc 118. Scripta 26 Junii an. 451.

[l] Hanc epistolam e ms. Grimanico a Quesnello editam cum Ratisp. contulimus.

[m] Tomo IV Concilior. editionis Venetæ pag. 837 exstant Græcæ Marciani litteræ Anatolio inscriptæ, quibus invitatur ad synodum. In mss. autem Græcis bibliothecæ Cæsareæ apud Lambecium tom. VIII, pag. 495, eædem litteræ inscribuntur, Λέοντι καὶ Ἀνατολίῳ, *Leoni et Anatolio.* Antiqua earumdem litterarum versio pag. 1985 tom. IV Concil. generalem encyclicam præfert cum titulo : *Sacræ litteræ eorumdem piissimorum imperatorum ubique ad Deo amantissimos episcopos.* Cum vero in ipsis litteris de Leone dicatur : *Sicut etiam epistola religiosissimi episcopi gloriosæ civitatis Romæ ostendit;* quæ verba in litteris ad hunc pontificem vel omitti vel aliter efferri debuerunt, si exemplar simile nulla peculiari epistola sociatum ad Leonem directum fuit; hinc ipsam epistolam ad eumdem nos habere, affirmare non licet. Hæ autem litteræ datæ proferuntur in Græco xvi kal. Junias, in Latinis vero exemplaribus collect. 5 Quæ-

Digitized by Google

synodo tam angustum tempus appositum, cum etsi nulla necessitas hostilitatis existeret, ipsa interjectorum dierum paucitas necessarios Sacerdotes nos evocare non sineret. Quando enim per diversas longinquasque provincias mitteremus, ut [a] vere possit fieri universale **1066** concilium? sed quia clementissimi principis eo affectu amplectimur voluntatem, ut huic dispositioni ipsius noluerimus obsistere, maxime cum magno desiderio a nobis hoc etiam ipse deposcas, fratrem et coepiscopum nostrum PASCHASINUM nobis probabilem virum de securiore provincia fecimus navigare : cui fratrem et compresbyterum [b] nostrum BONIFACIUM de Urbe conjunximus; illos quoque eisdem sociantes, qui prius fuerant ordinati, ut participe in omnibus [c] actionibus fratre et coepiscopo nostro JULIANO, cujus fidem sæpe probavimus, nostra vice utantur in futuro concilio. Neque enim illic ullis contentionum difficultatibus credimus laborandum, cum et ipse indicare dignatus sis, quod in suscipienda catholica fide et damnatione Eutychis atque Nestorii omnes orientales subscripserint sacerdotes. Data sexto kalendas Julii, Adelfio viro clarissimo consule.

EPISTOLA [d] XCII.

[e] AD JULIANUM COENSEM EPISCOPUM.

SYNOPSIS. — *Ut Julianus legatus ad concilium generale missis curam suam consiliumque jungat, mandat pontifex.*

LEO JULIANO episcopo.

Quid de dilectionis tuæ animo judicemus, sæpius agnovisti : præcesserunt enim plurima, quæ nos facerent ista præsumere. Unde cum ob hoc, secundum christianissimi **1067** principis voluntatem, in urbe [f] Nicæna sacerdotalis habenda sit synodus, ut omnium scandalorum strepitus auferatur, necessarie fraternitati tuæ quod omni Ecclesiæ prosit injungimus, ut cum fratribus et coepiscopis nostris Paschasino et Lucentio, sed et fratribus et compresbyteris nostris Bonifacio et Basilio, quos vice nostra ad præ- B dictum conventum ire præcipimus, curam tuam actionemque conjungas **1068** in omnibus, auctoritate nostræ præceptionis usurus : quoniam scimus omnium illic [g] actarum rerum majorem te quam nostros habere notitiam : ut dum curam tuam illis consiliumque sociaveris, in nulla parte fallantur; sed omnia, Deo adjuvante, veniant in effectum, quæ fidei et paci probaveris convenire. Data sexto kalendas Julii, Adelfio viro clarissimo consule.

EPISTOLA [h] XCIII.

[i] AD SYNODUM, QUÆ NICÆAM PRIMUM INDICTA, POSTEA VERO CHALCEDONE CONGREGATA EST.

[j] SYNOPSIS. — I. *Necessitatem temporis et consuetudinem vetare ne intersit synodo; se tamen per legatos quos mittit, præsentem futurum.* — II. *Disputandi contra fidem auduciam esse comprimendam.* — III. *Episcopos propter fidem ejectos esse restituendos, manentibus contra Nestorium in Epheso decretis.*

LEO episcopus S. SYNODO [k] apud Nicæam constitutæ. Dilectissimis fratribus in Domino salutem.

CAP. I. — Optaveram quidem, dilectissimi, pro

Λέων ἐπίσκοπος τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ [l] τῇ ἐν Νικαίᾳ, ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς, ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Ἐμοὶ μὲν ἦν εὐκταῖον, ἀγαπητοί, κατὰ τὴν προσοῦσαν

snellianæ, et Rustici x kal. Junias; concilio autem C Nicææ habendo, uti tum indictum fuit, præstituitur dies kal. Septembris.

[a] *Vere* inquit, cum concilium *vere*, seu proprie *universale* exigat ut ex universo catholico orbe episcopi evocentur. Nihilo tamen minus pro œcumenicis habita sunt Chalcedonense et Ephesinum primum, licet generali ejusmodi evocationi idoneum tempus defuerit. Id approbationi apostolicæ sedis tribuendum est, quæ quidem postquam aliquando recepit concilium Constantinopolitanum primum quod sine ipsius Romani pontificis notitia habitum fuit, in generalium conciliorum numero censeri cœpit.

[b] Ita ex Ratisp. cohærentius cum antecedentibus *coepiscopum nostrum*, et cum subsequentibus *coepiscopo nostro*. Quesnellus ex Grim., *meum*.

[c] 5 Ratisp., *actibus*.

[d] Alias 71. Quæ autem antea 92 erat, nunc 119. Scripta 26 Junii an. 451.

[e] Hanc quoque epistolam a Quesnello ex cod. Grimanico editam cum Ratisponensi relegimus.

[f] Synodus nimirum quæ postea Chalcedone habita est, prius Nicænam indicta fuit.

[g] In Quesnelli editione, forte per errorem typographi, *auctorum*. Correximus ex Ratisp.

[h] Alias 72. Quæ autem antea 93 erat, nunc 120. Scripta 26 Junii an. 451.

[i] Exstat in mss. collect. 5 Hisp. Isid. 11, 12, 13, et 18 usque ad 24, nec non in exemplo Sichardi, et in peculiari ms. Vat. 1322. In collectione 18 Chalcedonensi Græci quidem, non vero Latini codices illam præferunt : quod indicio est Græcum codicem, quo usus est Latinus interpres, hac epistola caruisse. Edita est Græce inter epistolas ante gesta. Eamdem vero invenimus in duobus mss. Græcis Venetis S. Marci 164 et 555, tum inter epistolas ante gesta, uti a Romanis editoribus inventa fuit, tum insertam ipsi concilio (quemadmodum in excerptis Theodori lectoris describebatur) et in eo recitatam actione 16 hactenus inedita, quæ in appendice publicabitur.

[j] In tabula collect. 5, cap. 92, sic : *Ad synodum Chalcedonensem de restituendis episcopis in propriis sedibus, qui dudum fuerant pro fide catholica pulsi, et Ephesinæ prioris synodi firmitate.* In collectione Hispanica sic : *Ad synodum Chalcedonensem, ubi hortatur per legatos suos Dei sacerdotes, ut secundum Scripturas cuncta disponerent.*

[k] Ita ex Ratisp., et verius quidem, quam alias, *apud Chalcedonam*. Cum enim hanc epistolam Leo dedit, synodus Nicæam, non vero Chalcedonem indicta fuerat. Theodorus Lector in Excerptis testatur Leonem *mirabilem epistolam scripsisse ad Synodum, quæ Nicææ congreganda esse credebatur;* et similiter Evagrius, quem allegavit Quesnellus not. 1. Solum D cum mutato subinde concilii loco hæc ipsa epistola in Chalcedonensi lecta fuerit actione inedita 16, ut eidem synodo congrueret inscriptio, urbis nomen fuit mutatum; ac propterea hæc epistola in laudatis Græcis codicibus S. Marci ante gesta quidem *Nicæam*, act. autem 16 *Chalcedonem* præfert. Hinc etiam Latini codices fuerunt emendati, cum vere concilium non Nicæa, sed Chalcedone habitum fuerit. Verba *urbis Romæ* in editis subjecta voci *episcopus* delevimus, cum in potioribus nostris codd. et in antiqua Græca versione omittantur. Econtra, voces *dilectissimis fratribus in Domino salutem* adjecimus ex Vindebon. collect. 5 et Florentino S. Marci collect. 13, cum in eadem Græca versione inveniantur.

[l] Sic codex uterque Venetus ante gesta : in gestis, τῇ ἐν Χαλκηδόνι.

Digitized by Google

[a] nostri charitate collegii, omnes Domini sacerdotes in una catholicæ fidei devotione [b] persistere, nec quemquam gratia aut formidine potestatum sæcularium **1069** depravari, [c] ut a via veritatis abscederet. Sed quia multa sæpe, quæ pœnitudinem possint generare, proveniunt, et superat culpas delinquentium misericordia Dei, atque ideo suspenditur ultio, ut possit locum habere correctio, amplectendum est clementissimi principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli, et ad reformandam ecclesiasticam pacem [d] voluit convenire, beatissimi Petri apostoli jure atque honore servato, adeo ut nos quoque suis ad hoc litteris invitaret, ut venerabili synodo nostram præsentiam præberemus : quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla [e] poterat consuetudo permittere. Tamen in his fratribus, [f] hoc est Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, qui ab apostolica sede directi sunt, me synodo [g] vestra fraternitas æstimet præsidere, [h] non abjuncta a vobis præsentia mea, qui nunc in vicariis meis adsum, et jamdudum [i] in **1071** fidei catholicæ prædicatione non desum : [j] ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus.

CAP. II.— Unde, fratres charissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat; nec liceat defendi quod non licet credi : cum secundum [k] evangelicas auctoritates, secundum prophetici-

A [1] διάθεσιν τῷ ἡμετέρῳ συστήματι, τοὺς τοῦ κυρίου πάντας ἱερέας [2] ἐν ἑνὶ ζήλῳ τῆς καθολικῆς πίστεως συνιστάναι, καὶ μηδένα πρὸς χάριν, ἢ φόβον βιωτικῆς δυναστείας τὸ φαῦλον αἱρούμενον, τῆς **1070** ὁδοῦ τῆς ἀληθείας ἐκτρέπεσθαι Ἀλλ' ἐπειδὴ πολλὰ συμβαίνει πολλάκις τὰ δυνάμενα μετάνοιαν ἐμποιεῖν, καὶ ὁ ἔλεος τοῦ Θεοῦ νικᾷ τῶν ἁμαρτανόντων τὰ πλημμελήμματα, καὶ διὰ τοῦτο τὰ τῆς τιμωρίας ἐν ἀναρτήσει καθίσταται. ὅπως ἂν [3] χώραν σχεῖν ἡ διόρθωσις δυνηθῇ, περιπτύσσεσθαι δίκαιον πλῆρες εὐσεβείας ὑπάρχον τοῦ γαληνοτάτου βασιλέως τὸ βούλημα· δι' οὗ τὴν ἁγίαν ὑμῶν ἀδελφότητα πρὸς ἀνατροπὴν μὲν [4] τῶν ἐπιβουλῶν τοῦ διαβόλου, τῆς δὲ ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης ἀνάκτησιν συνελθεῖν ἐβουλήθη, [5] φυλαττομένων τῷ θρόνῳ τοῦ μακαριωτάτου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου τῶν τε δικαίων, καὶ τῆς τιμῆς ἐπὶ τοσοῦτον, [6] ὡς καὶ ἡμᾶς

B ὑπ' αὐτοῦ πρὸς τοῦτο δι' οἰκείων προτραπῆναι γραμμάτων, ἐφ' ᾧ τε [7] τὴν οἰκείαν παρουσίαν ἡμᾶς παρασχεῖν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ· ὅπερ μὲν οὖν [8] οὐκ ἠδύνατο, οὐδὲ ἡ ἀνάγκη τοῦ καιροῦ, οὐδὲ μήν τις ἐπιτρέψαι συνήθεια. Πλὴν ἐν τούτοις τοῖς ἀδελφοῖς, [9] τουτέστι Πασχασίνῳ, καὶ Λουκηνσίῳ τοῖς ἐπισκόποις, καὶ Βονιφατίῳ, καὶ βασιλείῳ τοῖς πρεσβυτέροις, τοῖς ἀπεσταλμένοις [10] ὑπὸ τοῦ θρόνου τῶν ἀποστόλων, ἐμὲ τῆς συνόδου προεδρεύειν, ἡ ὑμῶν ἀδελφότης ἠγείσθω· [11] μὴ κεχωρισμένης ὑμῶν τῆς ἐμῆς παρουσίας· ὅς τις διὰ τῶν τοποτηρητῶν ὑμῖν πάρειμι τῶν ἐμῶν καὶ διὰ **1072** τοῦ κηρύττειν τὴν καθολικὴν πίστιν οὐκ ἀπολείπομαι· ὡς ὑμᾶς τοὺς [12] ἀγνοεῖν μὴ δυναμένους, τί περὶ τῆς ἀρχαίας πιστεύομεν παραδόσεως. [13] ἀμφιβάλλειν μὴ δύνασθαι, ποία τίς ἐπιθυμία ἡμῖν καθίστηκεν. Ὅθεν, ἀδελφοὶ προσφιλέστατοι,

[a] Ita codd. quinque Quesnelli et undecim nostri. Vulgati Leonis ante Quesn. cum uno cod. collect. 21, *vestri*.

[b] Ratisp., *consistere*. Mox pro *potestatum* Vat. Hisp. et Isid. ac alius Vat. collect. 11 habent *sacerdotum*. Utrumque omittit Ratrammus lib. IV contra Græcos tom. I Spicileg. Acher. pag. 110.

[c] Laudati codd. tres cum Ratramno, *aut a via veritatis abscedere*. Dein in iisdem mss. et in Vind. Hisp. deest *sæpe*.

[d] Idem codices tres *maluit*. Post pauca Ratisp. et Vat. collect. 24 omittunt *apostoli*. Dein in eodem Ratisp., *honore reservato*; et mox, *ut et venerabili*.

[e] Ms. Vindebon. collect. 5, *potuit*. Hanc eamdem rationem, ne ad Ephesinum concilium proficisceretur, Leo allegavit in epist. 31, c. 4, et similiter Paschasinus in Chalcedonensi act. 3, t. IV, p. 1250: *Quoniam*, inquit, *nec antiqua hoc tenuit consuetudo, neque generalis temporis necessitas permittere videbatur*.

[f] Voces *hoc est* adjecimus ex vetustissimo Vat. 1322, Vindeb. collect. 5, Vat. Hisp. Isid. et Ratramno, concinente Græca versione. Ratisp. habet *id est*; qui mox cum Vindeb. collect. 5 præfert *Lucensi* pro *Lucentio*.

[g] Codices Vat. 1322, Ratisp. et Grim., *vestra sanctitas*.

[h] Ita potiores nostri et Quesnelli codices. Vat. Hisp. et Isid., *non sejunctam a vobis præsentiam meam*, quibus verbis in mss. collect. 21 additur *æstimet*, et antea pro *æstimet* habetur *confidat*. In antiquioribus autem Leoninis editionibus, *nec sejunctam a vobis præsentiam meam confidat*.

[i] Præpositionem *in*, quam editiones Leonis præterierunt, ex Vat. 1322, Vindebon. Hisp. et alio Vat. collect. 11 cum vulgatis conciliorum adjecimus.

[j] Vat. Hisp. et Isid., *et qui*; et mox pro *non possitis* cum Vindebon. Hisp. habent *non potestis*. Dein

C *quid cupiam* est in Vindebon. collect. 5, in alio Hisp., in Ratisp., in Vat. collect. 24 et apud Sichardum.

[k] Ratisp., *evangelicam auctoritatem*, cui lectioni Græca versio astipulatur.

[1] Mss. Ven., σχέσιν.

[2] Mss. Ven., ἑνὶ ζήλῳ.

[3] Codd. Ven., χώραν ἔχειν.

[4] Mss. Ven., τοῦ ἐπιβουλεύοντος διαβόλου, τῆν δὲ τῆς ἐκκλησιαστικῆς, etc.

[5] Mss. Ven., τῷ θρόνῳ τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου φυλαττομένων.

[6] Codd. Ven., ὡς καὶ ἡμᾶς αὐτὸν ἐπὶ τούτῳ... προτρέψαι.

[7] Idem codd., τὴν ἑαυτῶν παρουσίαν παρασχεῖν ἡδέως τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ.

[8] Codd. Ven., οὐκ ἦν δυνατὸν, οὐδὲ ἡ ἀνάγκη... ἐπιτρέπει.

[9] Ita scribimus e duob. mss. Ven. In vulg., τουτέστιν ἐν Πασχασίνῳ, quod non placet. Cæterum pro Πασχασίῳ unus e præcitatis codd. ante gesta habet Πασχασίνῳ; quod et in marg. Rom. edit. notatum invenies.

D [10] Codd. Ven., παρὰ τοῦ θρόνου.

[11] Ita correximus e duobus mss. Ven. suffragante Latino textu, *non abjuncta, a vobis præsentia mea*. In vulg., μὴ κεχωρισμένων ὑμῶν, etc. In marg. tamen edit. Rom. annotatum videtur κεχωρισμένης. L.

[12] Adjecimus articulum τοὺς, qui deest, sed male, in vulgatis, auctoritate codd. Ven., qui quidem in gestis habent ambo, ὡς καὶ ὑμᾶς τοὺς ἀγνοεῖν μὴ δυναμένους, ante gesta autem unus tantum, ὡς ὑμᾶς τοῦ ἀγνοεῖν, etc., ut videre sit illud τοῦ mendum esse pro τοὺς. Adjecto autem hoc articulo perspicuitatem sententiæ non parum juvari cuilibet animadvertenti palam fiet.

[13] Codd. Ven., ἀμφιβάλλειν μὴ δύνασθαι περὶ τῆς ἡμετέρας βουλήσεως.

Digitized by Google

cas voces, apostolicamque doctrinam plenissime et lucidissime per litteras quas ad beatæ memoriæ Flavianum episcopum misimus, fuerit declaratum quæ sit de sacramento incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia et sincera confessio.

Cap. III. — Quia vero non ignoramus per pravas æmulationes, multarum Ecclesiarum statum fuisse turbatum, [a] plurimosque episcopos, quia hæresim non reciperent, sedibus suis pulsos, et in exilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos : his primitus vulneribus [b] adhibenda est medicina justitiæ, [c] nec quisquam ita careat propriis, **1073** ut alter utatur alienis : cum si, ut cupimus, errorem omnes [d] reliquunt, nemini quidem perire suus honor debeat ; sed illis qui pro fide laboraverunt cum omni privilegio suo oporteat jus proprium reformari. Prioris autem Ephesinæ synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus episcopus [e] tunc præsedit, contra Nestorium specialiter statuta permaneant : ne tunc damnata impietas [f] ideo sibi in aliquo blandiatur, quia Eutyches justa exsecratione percellitur. Puritas enim fidei atque [g] doctrinæ, quam eodem quo sancti Patres nostri spiritu prædicamus, et Nestorianam et Eutychianam cum suis auctoribus condemnat pariter et persequitur pravitatem. [h] Bene valete in Domino, fratres charissimi. Date [i] sexto kalendas Julii, Adelfio viro clarissimo consule.

A [1] πᾶσα κατελῶς ταλμηρὰ διάλεξις ὑπεναντίον τῇ θείᾳ ἐμπνευσθείσῃ πίστει, καὶ μανία τῶν πεπλανημένων ἀπιστία τῶν ἡσυχίαν ἀγέτω· ἐκδικείτω τε τοῦτο μᾶθος, ὃ πιστεύειν οὐθέμις· ὁπότε κατὰ τὴν τῶν εὐαγγελίων αὐθεντίαν, [2] κατὰ τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν, καὶ τὴν τῶν ἀποστόλων διδασκαλίαν, πληρέστατα, καὶ σαφέστατα, δι' ὧν πρὸς τὸν [3] τῆς ὁσίας μνήμης Φλαυιανὸν τὸν ἐπίσκοπον ἐπιστείλαμεν, ἤδη δεδήλωται, ποία τίς ἐστιν ἡ περὶ τοῦ μυστηρίου τῆς ἐνσωθρωπήσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εὐσεβὴς ὁμολογία, καὶ καθαρά. Ἐπειδὴ δὲ πολλῶν καταστάσεις ἐκκλησιῶν ὑπό φαύλων τινῶν ἀντιστάσεων διατεταραγμένας ἐγνώκαμεν, καὶ πλείστους ἐπισκόπους τοὺς οὐ καταδεξαμένους τὰ τῶν αἱρετικῶν ἐκβεβλῆσθαι [4] τῶν θρόνων ἑαυτῶν, καὶ ἐξορίᾳ παραδοθέντας, [5] εἰς τόπους τε τῶν ἔτι περιόντων ὑποκαταστάντας ἑτέρους, τούτοις πρὸ πάντων τοῖς τραύμασιν ἡ τοῦ δικαίου προσαγέσθω θεραπεία· καὶ μηδεὶς οὕτως ἐστερημένος ἔστω τῶν ἑαυτοῦ, ὡς ἄλλου κεχρῆσθαι [6] τοῖς ἄλλου· ὁπότε ἔξεστι, καθάπερ ἡμῖν ἐστι καταθύμιον, τὴν πλάνην ἀπολομένην ὑπ' ἔπαντες. **1074** [7] παραπολείσθωσαν μὲν ὀφείλει τὰ τις τιμῆς οὐδενί· τοῖς δέ γε κεκμηκόσιν ὑπὲρ τῆς πίστεως, [8] κατὰ τῶν προνομίων τῶν οἰκείων ἁπάντων, ὀφείλει τὸ δίκαιον ἀποκατεστάναι τὸ ἴδιον. Οἱ μέντοι γε τῆς προτέρας ἐν Ἐφέσῳ συνόδου, ἧς τοῦτο ὁ τῆς ἁγίας μνήμης Κύριλλος [9] τότε προήδρευε, κατὰ Νεστορίου ἐθικῶς ὁρισθὲν διαμενέτωσαν· μήπως ἡ τότε καταδικασθεῖσα δυσσέβεια, διὰ τοῦτο παρ' ὑτιοῦν ἑαυτὴν ἀπατήσῃ, ὅτιπερ Εὐτυχὴς δικαίως ἀνεθεματίσθη κατεδίβλητο. Ἡ καθαρότης γὰρ ἡ τῆς πίστεως, καὶ τῆς διδασκαλίας, [10] ἣν τῷ αὐτῷ πνεύματι συ-

[a] Cum in Vindebon. Hisp. perperam legatur, *plurimosque spiritus*, in Vat. Hisp. ac exinde in Isid. correctum fuit antiqui librarii arbitrio, *plurimosque fratres*. Mox Ratrammus et mss. collect. 21 enim editis ante Quesnellum, *receperunt*, vel *recepérint*. Dein *expulsos* in cod. Ratisp.

[b] Ita undecim nostri codices cum Ratramno et editis anterioribus Quesnellio, qui cum solo nostro Vindebon. collect. 5 prætulit, *adhibenda est medicina*.

[c] Antiquam pariter lectionem ex nostris codicibus revocavimus. Solum Vat. 1322, *ne quisquam*, omisso *ita*. Vindebon. collect. 5, *ne quisquam ita*, etc. Vindebon. Hisp. detet dumtaxat *ut ita*. Nuldbi autem invenimus lectionem Quesnellii, *nec quisquam careat propriis, aut alter utatur alienis*.

[d] Cod. Ratisp., *relinquant*. Mox, *apud neminem* in Vindebon. collect. 5. Dein Vulgati antiquiores cum mss. collect. 21 et 24 omittunt *suus*, et *jus suo*. Quesnellius inserait *suus*, uti legitur etiam in nostris codd. Vat. 1322. Vindebon. collect. 5 et Vat. Hisp. ac Isid. Nos autem inseruimus quoque *suo* post vocem *privilegio* ante oritare habiti Vat. 1322, Vindebon. collect. 5, alterius Hisp. et Vat. collect. 11 ac præstantissimi Ratisp.

[e] Vide not. 2 Quesnelli. Notandum vero est S. Cyrillum in Ephesinis gestis se Cœlestini papæ vicem gerentem semper præferre, quippe cui apostolicæ sedis auctoritatem in Nestorii causa idem pontifex delegaverat.

[f] Vindebon. Hisp., *idem sibi*. Hic error emendatus in Vat. Hisp. et exinde in Isid. et in mss. collect. 11 ac 21 atque apud Ratrammum, *demum sibi in aliquo blandiatur, qua Eutyches*.

[g] Vat. Hisp. et Isid., *doctrina*.

[h] Sex voces, *Bene valete in Domino, fratres charissimi*, in Leoninis editionibus desiderantur ; leguntur vero in editis Concilior., easque revocavimus non solum quia sunt in Vindebon. collect. 5 et in Florentino S. Marci collect. 13, verum etiam in antiquis ima interpretatione Græca, quæ ex ipso Leonis originali sumpta fuit, et in Chalcedonensi concilio lecta actione 16.

[i] Omnes editi cum mss. collect. 21, v. *kal. Julii* ; cui lectioni astipulatur etiam Græcus textus cum in editis, tum in nostris mss. libris e collectionis Chalcedonensis ante gesta. Codices Vindebon. collect. 5 et Florentinus S. Marci collect. 13, v *kal. Junias*, vertó mensis errore, ut patet ex annot. 11 (932, *n.* e) in epist. 89. Putamus diem vi *kal. Julii*, qui cum anterioribus epistolis concordat, auctoritate Vat. 1322, utriusque Hisp. Isid., Ratisp. et codd. coll. 11 ac 21.

[1] Mss. Ven., vestigii Latini textus pressius instantes, γενράνης ἐκ ποδῶν τῆς τολμηρᾶς διαλέξεως... ἢ ματαία... ἡσυχίαν ἀγέτω

[2] Mss. Ven., κατά τι καὶ φωνάς.

[3] Mss. Ven., τῆς μακαρίας μνήμης

[4] Mss. Ven., τῶν τόπων τῶν ἑαυτῶν.

[5] Mss. Ven., εἰς τόπον. Nihil mutamus, licet Latinus textus habeat *in locum*.

[6] Ita et bene, mss. Ven. ambo tam in gestis quam ante gesta. Male in Vulg., τοῖς ἄλλοις. Hæc enim vox ἄλλον numquam significavi, neque significat *quod est alius*.

[7] Mss. Ven., παραπόλλυται μὲν οὐδενὸς ἡ τιμή.

[8] In marg. edit. Rom., μετὰ προνομίου πάντος ἀφεῖται.

[9] Addimus τότε, quod aberat a vulgatis, auctoritate codd. Ven. nec non et textus Latini, in quo legitur, *tunc præsedit*. Cæterum in præfatis codicibus totus hic locus sic repræsentatur : καὶ μέντοι γε τῆς προτέρας ἐν Ἐφέσῳ συνόδου, ἧς τοῦτο ὁ τῆς ὁσίας μνήμης Κύριλλος τότε προήδρευε, κατὰ Νεστορίου ἰδικῶς τὰ συνοδικῶς πραχθέντα διαμενέτωσαν.

[10] Ita emendamus, recti nem Ven. codd. secuti, respondentem adamussim Latino textui, *eodem quo*

Digitized by Google

ρίτταμεν, ὥσπερ οἱ ἅγιοι πατέρες ἡμῶν, καὶ τὸν Νεστορίου. καὶ Εὐτυχοῦς [1] μετὰ τῶν ἡγουμένων αὐτῶν ἐπίσης [2] πανευφήμει, καὶ δίφυσιτα πανοδεῖαν. Ἔῤῥωσθε ἐν κυρίῳ, ἀδελφοὶ προσφιλέστατοι. [3] Ἐδόθη τῇ πρὸ πέντε καλανδῶν Ἰουλίων.....

1075 EPISTOLA [a] XCIV.

[b] AD MARCIANUM AUGUSTUM.

SYNOPSIS. — *Legatos quos ad synodum misit, commendat Augusto, postulatque ne disputatio de fide illic instauretur.*

LEO episcopus MARCIANO Augusto.

Sanctum clementiæ vestræ studium, quo ad reparationem pacis ecclesiasticæ synodum habere voluistis, adeo libenter accepi, ut, quamvis eam fieri intra Italiam poposcissem [c], et aptius exspectari tempus optassem, quo scilicet plurimi possent episcopi etiam [d] de longinquioribus provinciis evocari, mox tamen ut mihi pietatis vestræ [e] scripta sunt tradita, et Bonifacium de compresbyteris meis ab Urbe direxerim, et de episcopis fratrem meum Paschasinum de Sicilia fecerim navigare, qui vicem meum sufficienter implerent, datis per eosdem [f] epistolis ad eos qui legationem ante susceperant, ut ipsi quoque prædictis ad implendas partes meæ præsentiæ jungerentur, gloriosissime imperator. Unde quamvis nimis arctus dies synodo fuerit constitutus, spero tamen affuturum Dei omnipotentis auxilium, quo omnes valeant ad præfinitum tempus occurrere, et unanimiter cum sanctæ fraternitatis assensu, quæ universali Ecclesiæ congruant definire. Compressa enim vel remota inquietudine ac pravitate paucorum, facile firmabitur probanda concordia, si in eam fidem quam evangelicis et apostolicis prædicationibus declaratam, [g] per sanctos Patres nostros accepimus et tenemus, omnium corda concurrant, nulla penitus disputatione cujusquam retractationis admissa : ne per vanam fallaceinque versutiam aut infirma videantur, aut dubia, [h] quæ in ipso **1076** angulari lapide, qui est Christus Dominus (*Ephes.* II, 20), ab initio sunt fundata, et sine fine mansura : hoc nobis indesinenter orantibus, ut a sacramento singularis fidei nemo inveniatur alienus, sed damnata impietate hæreseos, nullum de perditione cujusquam catholica Ecclesia sentiat detrimentum. Quod autem pietatem vestram [i] his quas per meos misi epistolis obsecravi, nunc quoque simili fiducia precor, ut vice mea acturos, commendatos per omnia habere dignemini, quo facilius ac diligentius, quæ optimo fidei vestræ ordinata sunt studio, salubri impleantur effectu. [j] Data XIII kalendas Augusti, Adelfio viro clarissimo consule.

EPISTOLA [k] XCV.

[l] AD PULCHERIAM AUGUSTAM

[m] *Per Theoctistum magistrianum.*

SYNOPSIS. — I. *Ad concilium legatos se misisse, licet in Italia congregari optasset.* — II. *Servandam esse in causis ecclesiasticis moderationem quæ procul ab Ephesino latrocinio abfuit.* — III. *Numquam se correctis veniam denegasse.* — IV. *Etiam hæresiarchas indulgentiam poscentes rejiciendos non esse, etsi non temere recipiendos.*

LEO episcopus PULCHERIÆ Augustæ.

CAP. I. — Religiosam clementiæ vestræ sollicitudinem, quam catholicæ fidei indesinenter impenditis, per omnia recognosco; et Deo gratias ago, quod tantam universalis Ecclesiæ curam habere vos video, ut quod [n] et justitiæ et benevolentiæ congruere arbitror, confidenter insinuem, quo celerius, quæ, propitio Christo, pietatis vestræ studio irreprehensibiliter hactenus gesta sunt, ad gratulandum perducantur effectum, **1077** [o] gloriosissima Augusta. Quod ergo [p] synodum Nicænæ haberi clementia vestra præ-

sancti Patres nostri spiritu. In vulg., ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι. Admonemus tamen paulo post ὥσπερ legendum esse pro ὥστε.

[a] Alias 71. Quæ autem antea 94 erat, nunc 121. Scripta 20 Julii an. 451.

[b] Hanc epistolam legitur in mss. collect. 12, 18, 19, 24, et in peculiari codice Vat. 1522, nec non in exemplo Sichardi.

[c] Vid. epist. 83.

[d] Editi ante Quesn. cum mss. collect. 24, *de longinquis.*

[e] Confer. annot. 2 (*Col.* 953, *n.* [m]) in epist. 91.

[f] Eæ epistolæ ad Lucentium episcopum et Basilium presbyterum desunt.

[g] Vulgati ante Quesn. cum mss. collect. 24, *per antiquos Patres.*

[h] Idem vulgati et codices, *quæ in ipso angulari lapide Christo fundata sunt, et sine fine*, etc. Quæ nelli emendationem ex Grimanico comprobant nostri Ratisp. et Vat. 1522.

[i] Idem codd. et editi, *de his per quos meas misi epistolas.* Lectionem a Quesnello inductam ex Grimanico præferunt etiam Vat. 1522 et Ratisp. qui postremus solum loco *per meos* habet *per eos.*

[j] Ita nostri codices Ratisp. et Vat 1522, nec non Quæ notilas in margine, ut credimus, ex Grimanico, consentaneque cum chronica notatione epistolæ sequentis. Vulgati cum mss. collect. 12 et 24, *Data XIV kal. Augusti.*

[k] Alias 75. Quæ autem antea 93 erat, nunc 122. Scripta 20 Julii an. 451.

[l] Est in codd. collect. 12, 18, 19, 24, et in exemplo Sichardi.

[m] Hæc verba inveni mus in solis mss. collect. 12. *Magistriani* dicebantur *agentes in rebus*, qua magistro officiorum suberant. De his vide Gothofredum in Comment. ad legem 3 Cod. Theod., *de agentibus in rebus*, ubi inter eorum officia recenset imperiales epistolas perferre.

[n] Addidimus *et* ex cod. Ratisp.

[o] Voces *gloriosissima Augusta* omissæ in editis ante Quesn., etiam in nostris codicibus desiderantur, nec non in exemplo Sichardi. Inductæ fuerunt ex uno cod. Grim.

[p] Editi, *synodum Chalcedonensem;* cum tamen hoc tempore synodus Nicæna indicta, nondum Chalcedonem translata fuerit. Veram lectionem dedit præstantissimus Ratisp. Nec mirum videatur scribi Pulcheriam.

[q] Male excidit a vulg. præpositio μετά, quam nos supplemus ope mss. Ven., atque indicio Latini textus, qui habet, *cum suis auctoribus.*

[r] Mss. Ven., κατηδικάζεται.

[s] Desunt hæc in codd Ven. secundo loco, nimirum in actione Chalcedonensi inedita, quam in appendice dabimus. Sed ante gesta, ubi eadem epistola pariter prolertur, uti a Romanis exinde edita fuit, in iisdem Ven. mss. leguntur

Digitized by Google

cepit, cum a me ut in Italia haberetur mansuetudo vestra retineat postulatum, ut omnes nostrarum partium convocati antistites, si securitas temporis suppeteret, convenirent, adeo tamen non aspernanter accepi, ut binos de coepiscopis meis et compresbyteris ordinarem, qui vicem meam implere sufficerent, [a] etiam datis ad venerabilem synodum congruentibus scriptis, quibus fraternitas advocata cognosceret quam formam servare in hac dijudicatione deberet : ne ulla temeritas aut fidei regulis, aut canonum statutis, aut benignitatis remediis obviaret.

CAP. II. — Sicut enim [b] a principio hujus causæ frequentissime scripsi, hanc inter discordes sensus et carnales æmulationes moderationem volui custodiri, ut integritati quidem fidei nihil evelli, nihil liceret apponi; ad unitatem vero pacemque redeuntibus, remedium veniæ præstaretur. Quia TUNC OPERA diaboli potentius destruuntur, cum ad Dei proximique dilectionem hominum corda revocantur. Sed quam contraria tunc his monitis atque obsecrationibus meis acta sint, multum est explicare; nec opus est epistolari pagina comprehendi quidquid in illo Ephesino non judicio, sed latrocinio potuit perpetrari; [c] ubi primates synodi nec resistentibus sibi fratribus [d] nec consentientibus pepercerunt : cum ad infringendam catholicam fidem, et ad exsecrabilem hæresim roborandam, alios privilegio honoris **1078** exuerent, alios consortio impietatis inficerent : sæviores profecto in eos quos persuadendo ab innocentia separabant, quam in illos quos beatos confessores persequendo faciebant.

CAP. III. — Verumtamen quia tales sibi maxime sua iniquitate nocuerunt, et majoribus vulneribus diligentior est adhibenda medicina, nullis umquam epistolis definivi etiam talibus, si resipiscerent, veniam denegandam. Et quamvis incommutabiliter inimicissimam Christianæ religioni hæresim detestemur, ipsos tamen, si [e] non dubie corrigantur, et digna se satisfactione purificent, ab ineffabili misericordia Dei non judicamus alienos : sed potius cum gementibus gemimus, cum flentibus flemus, et SIC UTIMUR justitia commotionis, ut [f] non amittamus remedia charitatis : quod, sicut pietas vestra cognoscit, non verbis solis promittitur, sed etiam factis docetur. Siquidem [g] pene omnes qui in consensum præsidentium aut traducti fuerant aut coacti, [h] rescindendo quod statuerant, et condemnando quod scripserant, perpetuam culpæ abolitionem et apostolicæ pacis gratiam sint adepti.

CAP. IV. — Si ergo clementia vestra propositum [i] meum considerare dignetur, probabit me eo consilio cuncta gessisse, ut sine cujusquam animæ detrimento, hæreseos tantum obtineretur exstinctio, et ob hoc circa auctores sævissimorum turbinum quiddam consuetudinis minuisse, ut ad indulgentiam postulandam compunctione aliqua [j] possit eorum tarditas excitari. Qui etsi post illud **1079** judicium suum tam impium quam injustum non sunt catholicæ fraternitati [k] ita honorabiles uti fuerunt, suas tamen adhuc obtinent sedes, et episcopatus sui honore potiuntur, aut per veram et necessariam satisfactionem pacem [l] totius Ecclesiæ recepturi, aut si hæresim, quod absit, [m] tuentur, professionis suæ merito judicandi. Data decimo tertio kalendas Augusti, Adelfio viro clarissimo consule.

---

cheriam præcepisse synodum, quæ Marciani litteris indicta fuit. Nam ipsa Pulcheria in epist. ad Strategum consularem Bithyniæ de eadem synodo Nicææ tunc coacta similiter scripsit : *Secundum nostram sanctionem reverendissimi quidem episcopi convenerunt.* Commune scilicet Marciano et conjugi, cui ille imperium debebat, in indicenda synodo consilium fuit, licet in imperiali sanctione feminæ nomen prætermissum fuerit, eo quod hujusmodi inscriptio a consuetudine earumdem sanctionum esset aliena.

[a] In ms. Veneto S. Marci collect. 12 et in Ratisp. omittitur *etiam*.

[b] Nimirum in epist. 28 et seqq. scriptis idibus Junii an. 449, ubi Eutychi, si resipisceret, et professionem fidei cum damnatione erroris emitteret, suum gradum relinquendum monuerat; nec non in epist. 14, cap. 3, ubi omnibus etiam scandalorum auctoribus, qui Ephesi prævaricati fuerant, si melioribus consiliis acquiescerent, veniam spopondit. Post nonnulla editi Quesnello anteriores cum mss. collect. 11 et Sichardo : *Operum diaboli potentiæ destruuntur.*

[c] Eædem editiones cum codd. collect. 12 et 24, atque Sichardo, præmisso puncto : *Ibi primates.*

[d] Ratisp. omittit *nec consentientibus.* Respicitur autem Domnus Antiochenus; qui licet infirmitate animi in Flaviani condemnationem et in Eutychis absolutionem actione prima consenserit, nihilominus paulo post in eadem pseudosynodo depositus fuit, Maximo in ejus locum subrogato.

[e] Adverbium *non dubie* ex Ratisp. supplevimus.

[f] Quesnellus, *non omittamus.* Antea editorum lectionem omnibus nostris codd. etiam Ratisponensi confirmatam revocavimus. Paulo post *promittimus* in cod. Ven. collect. 12.

[g] In Ratisp. deest *pene;* sed necessarium est, cum quidam per hoc tempus nec rescisso quod statuerant, nec condemnato quod scripserant, apostolicæ pacis gratiam nondum promeruerint.

[h] Sichardus, *resistendo ei, quod statutum fuerat ab illis, et condemnando*, etc. Idem est in codd. collect. 12 et 24, qui solum omittunt *ei.* Editi ante Quesn., *rescindendo quod statutum fuerat ab illis.* Quesnelliana lectionem ex Grim. præfert etiam Ratisp.

[i] Exemplar Sichardi cum antiquis edit., *nostrum.*

[j] Ratisp., *posset.* Hæc autem referri videntur ad Leonis decretum, ne nomina auctorum latrocinii Ephesini ad altare recitarentur, ut idem pontifex rescripsit Anatolio epist. 80, cap. 4. Id autem licet ex usu nonnullis forsitan differendum crederetur, quoad illi deponerentur, Leoni tamen necessarium visum est *consuetudinem* in hoc *minuere*, ut quoniam illi hactenus post impium scelus nihil pœnæ debitæ incurrerant, et suis adhuc episcopatibus potiebantur, hoc saltem stimulo ad petendam indulgentiam excitarentur.

[k] Particulam *ita* a Quesnello omissam ex omnibus nostris codd. et Sichardo revocavimus. Cæteri editi, *ita honorabiles ut fuerunt.*

[l] Vocem *totius* a Quesn. additam nostri mss. libri approbant.

[m] Mss. collect. 12 et 24 ac exemplar Sichardi cum editis ante Quesn., *tuebuntur.* Melior Grim. et Ratisp. lectio. Mox in citatis collectionibus et apud Sichardum perperam *Ælpidio* pro *Adelfio.*

Digitized by Google

EPISTOLA [a] XCVI.

[b] AD RAVENNIUM ARELATENSEM EPISCOPUM.

De solemnitate paschali anni sequentis 452.

SYNOPSIS. — *Unitatem in celebrando Paschate maxime servandam; quam solemnitatem ad Romanum pontificem pertinet indicare.*

Dilectissimo fratri RAVENNIO episcopo LEO episcopus.

Ad præcipuum religionis nostræ pertinet sacramentum, ut in festivitate paschali nulla sit toto orbe diversitas. Et quia hoc divina institutio et paterna traditio ad nostram sollicitudinem voluit pertinere, fraternitatem tuam solemniter admonemus ut Pascha Domini celebrandum nobis die decima kalendarum Aprilium recognoscas; quod manifesta ratio patefecit sacræ observantiæ hunc diem esse legitimum: cujus notitiam per dilectionem quoque tuam, frater charissime, omnibus voluimus **1080** declarari; ut quorum in fide est una confessio, sit etiam in hac festivitate una devotio.

EPISTOLA [c] XCVII.

SYNODICA [d] EUSEBII MEDIOLANENSIS EPISCOPI AD S. LEONEM PAPAM.

[e] SYNOPSIS. — I. *Gaudet de reditu fratrum suorum ex Oriente.* — II. *Epistolam ad Flavianum in synodo Mediolanensi lectam esse et approbatam.* — III. *Se cum suis Eutychianorum damnationi subscribere profitetur.*

Domino sancto et beatissimo Patri LEONI EUSEBIUS Mediolanensis episcopus.

CAP. I. — Reversis, Domino annuente, [f] fratribus nostris, quos ad Orientem fidei causa sollicite provida beatitudo vestra direxerat, decursisque litteris quas per eos tua sanctitas destinavit, omni exsultatione in Christo relevatus sum, quod effectum commissæ sibi legationis eosdem reportasse vestra pagina designavit. Nec mirum quod Dominus noster Jesus Christus catholicæ [g] fidei, quam tenemus, majestatis suæ gratiam custodiamque præstiterit: quando vos [h] idoneos cultus sui assertores in apostoli sui sede præsulem collocavit, qui et recta sentire de incarnationis Dominicæ sacramento, et eadem potestis rectius custodire.

CAP. II. — Admonitis ergo fratribus et coepiscopis meis, habitoque conventu, vestrarum formam **1081** tenuimus litterarum. Nam [i] recensita epistola beatitudinis vestræ in sacerdotum Domini concilio, quam sanctus frater et coepiscopus noster Abundantius, et compresbyter meus [j] Senator detulerant, agnitaque eorum narratione, sicut scripta vestra signaverant, rerum gestarum ordine continuo [k] requisita est recitataque epistola, quam fidei assertione plene digestam, ad Orientem dudum sanctitas vestra transmiserat, quæ ad nos ex vestra admonitione, sancto fratre et coepiscopo nostro [l] Ceretio mutuante pervenit. Claruit eam plena fidei simplicitate fulgere, prophetarum etiam assertionibus, evangelicis auctoritatibus, et apostolicæ doctrinæ testimoniis, nitore quodam lucis [m] ac veritatis splendore radiare, omnibusque sensibus convenire, quos beatus [n] Ambrosius, de incarnationis Dominicæ mysterio suis libris Spiritu sancto excitatus inseruit.

CAP. III.—Et quia omnia majorum fidei nobis antiquitus traditæ tota puritate conveniunt, Domine sancte et beatissime pater, placuit omnibus, quorum subscriptio subter annexa nomina poterit declarare, ut eos qui impie de incarnationis Dominicæ sacramento sentiunt, quamvis intellectus sui pravitate a catholicæ fidei veritate recedentes, seipsos dignos

[a] Alias 76. Quæ autem erat 96, nunc 123. Scr. circa Julium an. 451.

[b] Ed ita fuit a Sirmondo ex cod. Bonævallis. Hic autem eam idcirco posuimus, quia credi potest scripta exeunte Julio an. 451. Ibi enim indicitur Pascha an. 452. Constat autem ex epist. 131, c. 2, certos dies indictioni Paschatis fuisse constitutos, quos imminere ibidem affirmat. Hos autem dies in Julium mensem incidisse colligere licet ex epist. 138, qua S. Leo formatam pro Paschate an. 455 ad Gallos et Hispanos dedit die 22 Julii an. 454.

[c] Alias 77. Quæ autem erat 97, nunc 124. Scripta Aug. vel Sept. an. 451.

[d] Exstat hæc synodica in mss. collect. 5, 11, 21, 22 et 23

[e] In tabula collect. 5, c. 56, et paulo dissimiliter in aliis aliarum collectionum codd. et editis loco synopsis additur: *Per quam fidei ejus quam ad Orientem direxerat, asserendo cum aliis episcopis consensit atque subscripsit.*

[f] Abundio scilicet episcopo Comensi, qui *Abundantius* in hac epistola et subscriptionibus vocatur, et Senator presbyter, qui in Orientem missi mense Julio an. 450 ex epistola 69 Romam reversi fuerant mense Junio an. 451, ex epist. 83, c. 1. Ut autem æquum tempus detur moræ istorum in Urbe, itineri Mediolanum, et coitioni synodi, cui Abundius, seu Abundantius Comensis, nomine etiam Asinionis Curiensis subscribens, intermedio tempore Comum revisisse potuerit, et hac occasione vidisse Asinionem finitimum episcopum, qui ei suam vicem delegavit; ut, inquam, his omnibus æquum tempus detur, hæc epistola mense Augusto vel Septembri scripta videtur.

[g] Vocem *fidei* Quesnellus expunxit, qui eam deesse reperit in duobus Thuaneis et uno Cantabrigensi: eo quod de Ecclesia, non autem de fide Eusebius loqui eidem videretur. Quamvis autem eam vocem pariter omissi reperimus in Vat. collect. 11, cum tamen eam nacti simus in aliis codicibus, ac præsertim in Vindebon. antiquissimæ collectionis 5, ad quam pertinent duo codd. Thuan. et Trecopithœanus, ab eodem Quesnello laudati not. 1, reponendam censuimus; cum præsertim de fide incarnationis sermonem esse sequentia demonstrent.

[h] Ita Quesnellus et nostri codd. Vindebon. collect. 5 et Vat. collect. 11. Cæteri editi cum mss. collect. 21, *veros.*

[i] Vulgati. *recensens epistolam*, qui nominativus suspensus remanet. Necessariam correctionem suppeditavit Vindebon. collect. 5.

[j] Vide not. 2 Quesn.

[k] Ita melius ex eodem Vindebon. collect. 5 et Vat. collect. 11, quam in vulgatis, *requisita recitataque.*

[l] Vulgati Quesnello anteriores cum uno Vat. collect. 21, *Cyriaco.* Vat. collect. 11, *Ceritio.* Cæteri codd., *Ceretio.* Vide not. 3 Quesnelli. Mox *plenam* in antiquis editionibus nullo nostro codice suffragante.

[m] Editiones Leonis ante Quesn. cum mss. collect. 21, *ad veritatis splendorem.*

[n] Vide not. 4 Quesn. Post pauca pro *mysterio* in Vindebon. collect. 5 prima manu scriptum fuit *sacramento.*

Digitized by Google

objectione fecerint, suo etiam consensu, auctoritatis A vestræ præcedente sententia, damnatione congrua persequendos. Litterarum ergo vestrarum formam secuti, modum præscriptæ ordinationis nos servasse, his per fratrem et coepiscopum [a] nostrum Cyriacum missis [b] ostendimus. Superest ut, annuente Domino perfectis rebus, palmam fidei et consummati certaminis coronam quiete perpetua retinentes, **1082** hoc futuris memorabile sæculis relinquatis, ut ob hoc extitisse præsenti tempore impiæ sectæ contumacia videatur, ut vobis propugnatoribus in æternum prostrata succumberet. *Et alia manu :* Incolumem fraternitatem tuam summa Divinitas [c] tueatur atque custodiat, domine sancte ac beatissime pater.

Eusebius [d] episcopus Mediolanensis Ecclesiæ, in omnia supra scripta consensi et subscripsi : Anathema B dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Faventius episcopus Regiensis Ecclesiæ, in omnia supra scripta consensi et subscripsi : Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Majorianus episcopus Ecclesiæ Placentinæ, in omnia supra scripta consensi et subscripsi : Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Cyprianus episcopus Ecclesiæ [e] Brixillianæ, in omnia supra scripta consensi et subscripsi : Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego [f] Quintus episcopus Ecclesiæ Dertonensis, in omnia supra scripta consensi et subscripsi. Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Crispinus episcopus Ecclesiæ Ticinensis, in omnia supra scripta consensi et subscripsi : Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego [g] Florentius presbyter, jussus a præsente **1083** sancto Eulogio episcopo meo Ecclesiæ Iporiensis, quia ipse propter infirmitatem subscribere non potest, subscripsi ad omnia supra scripta, eo consentiente, et Anathema dicente his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Maximus episcopus Ecclesiæ Taurinatis, in omnia supra scripta consensi et subscripsi : Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego [h] Gratus presbyter, directus ab episcopo meo *Euthasio* Ecclesiæ Augustanæ, vice ipsius in omnia supra scripta consensi et subscripsi : Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Cyriacus episcopus Ecclesiæ [i] Laudensis, in omnia supra scripta consensi et subscripsi : Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego [j] Abundantius episcopus Ecclesiæ Comensis, in omnia supra scripta consensi, et pro me et pro absente sancto fratre meo Asinoe, episcopo Eccle-

[a] Editi *meum* cum uno ms. collect. 21. Cæterus C non tam ejusdem collectionis codices, quam alios collect. 5 et 11 secuti sumus.

[b] Editi Leonis ante Quesn., vitiata lectione : *Ostendimus superesse ut annuente Domino perpetue retinentes, hoc futuris memorabile sæculis relinquatis, ut ab hoc tempore præsenti extincta impiæ sectæ contumacia videatur, ut noris purgationibus in æternum prostrata succumberet.* Idem est in nonnullis mss. collect. 21 hac varia transpositione vocum, *ut ab hoc extincta præsenti tempore.* Alii tamen hujus collectionis codices, nec non Ottob. collect. 23 habent : *Superest,... ut ab hoc tempore extincta præsenti* (al., *præsentis*) *impiæ sectæ contumacia*, etc. Editiones Conciliorum supplent ut in textu; et solum in fine periodi habent : *Ut ab hoc tempore præsenti extincta impiæ sectæ contumacia videatur, ut vobis propugnatoribus in æternum prostrata videretur.* Melior et congruentior visa est Quesnelli emendatio ex mss. Thuan. et Trecopith. antiquissimæ collect. 5 a nobis pariter inventa in præstanti ms. Vindebon. ejusdem collectionis, ad quam accedunt Vat. Ottobon. 93 et Vat. 3791 antiquæ collect. 11, in quibus solum pro *extitisse* per errorem *extincta se* scriptum fuit. Hunc eumdem retinuimus; et solum ex prædicto Vindebon. collect. 5, *propugnatoribus* scripsimus pro eo quod apud Quesn. editum fuit *pugnatoribus.*

[c] Vulgati Leonis cum mss. collect. 21, *adornet.*

[d] Vide n. 6 Quesnelli, cui, dum ordinem episcoporum ab editis Leoninis diversum ex suis mss. instituit, nostri etiam codices favent.

[e] In cod. Vindebon. collect. 5, ad quem accedunt mss. collect. 11 et 21, in quibus legitur *Brixellanæ.* Vulg., *Brixellensis.*

[f] Quædam editiones, *Quintinus.*

[g] In editis ante Quesn. hæc subscriptio, Maximi subscriptionem sequitur; et discrepant sequentia : *Quia ipse propter infirmitatem subscribere non potuit, in omnia subscripta consensi et subscripsi, anathema dicens his*, etc. In solo Trecoph tuæano collect. 5, pro *Florentius* habetur, *Florentias.* Vat. collect. 11 pro *Iporiensis* habet *Eporæ* in marg. edit. Labbei, *Eporegiæ.*

[h] *Gradus* vocatur in cod. Vat. collect. 11 et in editis ante Quesn. *Gerardus* in marg. Concilior. Pro *Futhasio* in Vindebon. collect. 5 et in Vat collect. 11 nec non in marg. Concil., *Eustasio.*

[i] Editi, *Laodensis.* Emendavimus ex Vat. collect. 11.

[j] Hæc subscriptio unica in omnibus nostris codicibus et apud Quesnellum, in anterioribus editionibus dividebatur in duas, quarum altera *Abundantius* pro se, altera pro *Asimoe* (sic enim ille) subscripsit. Quesnellus hunc Abundantium Comensem suspicatur alium ab Abundio, qui cum Senatore apostolicæ sedis legationem gessit in Oriente, quique a legatione reversus Leonis epistolam ad Eusebium attulit, adeo ut Abundium nec Comensem episcopum dicere necesse sit, nec concilio Mediolanensi interfuisse. Tota ejus ratio in eo sita est, quod legatus Leonis in omnibus documentis vocatur *Abundius*, e contra vero hic in omnibus mss. quæ vidi, et similiter in nostris subscribitur *Abundantius.* At non tam in subscriptione hic *Abundantius* dicitur, verum etiam in epistolæ textu, ubi cum de legato Leonis, qui cum Senatore ex Oriente rediit, ipso Quesnello non diffitente, sermo sit; idem esse cognoscitur hic Abundantius, ac qui Abundius in Leonis epistolis vocatur, et cum Senatore quidem altero legato jungitur. Cum vero hi cap. 1 dicantur reversi a legatione Orientali, sicut Senator Ecclesiæ Mediolanensis presbyter init, ita Abundius seu Abundantius provinciæ Mediolanensis episcopus aquos eudys est, Abundii quidem nomine Ecclesia Comensis hunc veneratur. Concilio autem Mediolanensi eumdem interfuisse ipsa verba epistolæ c, 2 ostendunt, *agnitaque eorum narratione*, quæ præsentem indicant.

Digitized by Google

siæ Curiensis, [a] primæ Rhætiæ, subscripsi: Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Pascasius episcopus Ecclesiæ Genuensis, in omnia supra scripta consensi et subscripsi: Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

1084 Ego Pastor episcopus Ecclesiæ Astensis, in omnia supra scripta consensi et subscripsi: Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego [b] Simplicianus episcopus Ecclesiæ Novariensis, in omnia supra scripta consensi et subscripsi: Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Joannes episcopus Ecclesiæ Cremonensis, in omnia supra scripta consensi et subscripsi: Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego [c] Optatianus episcopus Ecclesiæ Brixianæ, in omnia supra scripta consensi et subscripsi: Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego [d] Justianus episcopus Ecclesiæ Vercellensis, in omnia supra scripta consensi et subscripsi: Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego [e] Quintius episcopus Ecclesiæ Albigaunensis, in omnia supra scripta consensi et subscripsi: Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego [f] Præstantius episcopus Ecclesiæ Bergomatis, in omnia supra scripta consensi et subscripsi: Anathema dicens his qui de incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt.

[a] Voces *primæ Rhætiæ* a Quesn. inductæ ex suis codd. leguntur etiam in nostris.

[b] Edd. *Simplicius*. Emendavimus ex omnibus nostris codicibus, quibus addendi sunt etiam tres a Quesnello in notis memorati.

[c] Editi ante Quesn., *Octavianus*. Vindebon., *Obtitianus*. In sermone autem Ramperti episcopi Brixiæ de S. Philastrii translatione, ubi hujus successores recensentur, *Optatianus* appellatur.

[d] Ita nostri veteres libri, excepto uno Vat. 546 collect. 21, qui cum nonnullis vulgatis habet *Justinianus*. Eumdem forte codicem pro *Justiniani* nomine allegavit Ferrerius in libro de episcopis Vercellensibus.

[e] Sic editi cum Vindebon. collect. 5 et codd. collect. 21, Vat. collect. 11. *Quintus*. Unus Thuan. Quesnelli, *Quintianus*, alius Cantabrig., *Quintinus*.

[f] Cod. Cantabrig. Quesn., *Pristinus*. In marg. Concil., *Præstius*.

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. Quesnellus præstantissimam epistolam seu relationem synodi Chalcedonensis ad S. Leonem Græce et Latine inter Leonis Opera primus inseruit, ut in editionibus Conciliorum exhibetur; nullo tamen codice vel Græco vel Latino usus est. Nos Græcum textum, qui est originalis, cum duobus mss. Venetis S. Marci 164 et 585 recensuimus. Quod Latinum vero, duplex hujus relationis Latina versio habetur. Quesnellus eam unam dedit quæ primum vulgata a Crabbo, in cæteras Conciliorum editiones transivit. At alia exstat interpretatio vetustior, quippe quæ paulo post ipsum Chalcedonense concilium exarata fuit, et ex qua Vigilius papa in Constituto testimonium allegavit. Hanc primus edidit Baluzius. In tribus tantum codicibus adhuc inventa est, nimirum in Parisiensi, in Vaticano Reginæ Suecorum, et in alio Vat. 1322. Hic autem postremus codex, qui quondam fuit Veronensis Ecclesiæ, eo præstantior est quod quamplures subscriptiones Patrum nobis conservavit, quæ in ipso originali Græco desiderantur. Nobis sane, qui hanc versionem haud omittendam credidimus, istum codicem accurate relegere non inutile fuit.

2. Altera versio recen ior Rusticum Romanæ Ecclesiæ diaconum habet auctorem. Hanc enim ille annotationem præfixit, quæ in puris Rustici exemplaribus et in editione Crabbi legitur: *Relationes sanctæ synodi ex codice Acumitensi Græco in Latinum transtuli ego ipse.* Et in fine ipsius relationis hæc ejusdem annotatio subjicitur: *Scripsi pridie kal. Aprilis, feria tertia, indictione* XIII, quæ indictio in aliis pariter annotationibus constanter signata, si ad illud tempus referenda sit quo Rusticus in Oriente versabatur, convenit cum solo anno 550, quidquid sit de die vel feria, in quibus non minus hic quam alibi difficultates occurrunt. Romani Conciliorum editores has annotationes a Crabbo editas submoverunt, propterea quod eas Rustici esse ignorarunt. In quo excusandi sunt, quippe nullum purum et integrum Rustici codicem, qui ejusdem Rustici annotationes exhibeat, reperierunt. Nos enim, qui codices Latinos collectionis Chalcedonensis Romæ diligenter inquisivimus, ex quinque Vaticanis 1321, 1322, 1323, 4166 et 5405, quos Romani editores potuerunt expendere, nullum purum Rustici invenimus. Solus autem Chigianus 485 purus et integer est, qui tamen post editionem Romanam Alexandro VII pontifice indeptus fuit. In ipsa vero Rustici versione emendanda Baluzius duobus mss. Rustici usus est, Corbeiensi et Divionensi. Tria alia exemplaria nos adhibuimus, Chigianum laudatum, Vat. 1323, et antiquissimum Veronensis capitulo signatum num. 57. Hanc interpretationem uti Græco magis cohærentem e regione Græci originalis dabimus: dein antiquiorem cum subscriptionibus subjiciemus.

3. Hic vero præmonendum est editores Romanos et ex iisdem Quesnellum interpretationi Rustici affixisse in margine nonnullas lectiones ex Græco accuratius redditas, quæ a nobis in annotationibus non omittentur; ac præterea alias lectiones nonnunquam adjecisse, quas cum ex antiquiori versione codicis Vaticani 1322 sumptas deprehenderimus, prætermittendas credidimus: satis enim ex ipsa antiqua versione, quæ subjicietur, elici poterunt.

4. Quoad tempus hujus relationis, quod in omnibus et Græcis et Latinis codicibus deest, pauca. Cum ultima concilii actio habita sit kal. Novembris an. 451, hac eadem die vel paulo post hæc ad Leonem relatio, antequam synodi Patres dimitterentur, scripta fuit.

Digitized by Google

EPISTOLA [a] XCVIII.

SANCTÆ SYNODI CHALCEDONENSIS AD SANCTISSIMUM PAPAM ROMANÆ ECCLESIÆ LEONEM

De gestis in synodo.

SYNOPSIS. — I. *Leonem synodus laudat vocis B. Petri omnibus constitutum interpretem, quem in suis legatis præfuisse declarat.* — II. *De Dioscori Alexandrini tyrannide et impiis gestis.* — III. *Quid circa eum actum sit, ac de definitione fidei.* — IV. *Canonis de prærogativa sedis Constantinopolitanæ edendi causam exponit, et confirmationem petit.*

1088. [b] Sancta et magna et universalis SYNODUS, quæ per gratiam Dei et sanctionem piissimorum et amatorum Christi imperatorum nostrorum congregata est in Chalcedonensium metropoli provinciæ Bithyniæ, sanctissimo et beatissimo Romanorum archiepiscopo LEONI.

CAP. I. — *Repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione* (*Psal.* CXXV, 2). Hanc tamquam propriam nobis prophetiam gratia coaptavit, a quibus [c] pietatis est restitutio confirmata. Quid enim fide sublimius ad lætandum? Quid agnitione Dominica festivius [d] ad coronas, quam nobis olim Salvator ipse tradidit ad salutem, inquiens: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII, 19, 20)? Quam veluti auro textam [e] seriem, ex præcepto legislatoris venientem usque ad nos ipse servasti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres, [f] et **1090** ejus fidei beatificationem super omnes adducens. Unde et nos, quippe [g] ut inchoatore bonorum te ad utilitatem utentes, Ecclesiæ filiis hæreditatem sortemque veritatis ostendimus, non singillatim [h] faciente in occulto unoquoque doctrinam, sed uno spiritu, una conspiratione atque concordia confessionem fidei declarantes; et eramus in communi [i] corona gaudii, quasi in imperialibus coenis, deliciis spiritualibus epulantes, quas per tuas litteras Christus præparaverat invitatis, et supercœlestem sponsum inter nos conversantem nos cernere putabamus. Si enim ubi sunt duo aut tres congregati in nomine ejus (*Matth.* XVIII, 20), [j] ibi se in medio eorum fore perhibuit; quantum [k] circa sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare, qui et patriæ et labori suæ confessionis notitiam prætulerunt? Quibus tu quidem, sicut membris caput, præeras in his qui [l] tuum tenebant ordinem benevolentiam præferens. Imperatores vero [m] fideles ad ornandum

1087 Ἡ ἁγία, καὶ μεγάλη, καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος ἡ κατὰ Θεοῦ χάριν καὶ θέσπισμα τῶν εὐλαβεστάτων καὶ φιλοχρίστων ἡμῶν βασιλέων συναχθεῖσα ἐν τῇ Χαλκηδονέων μητροπόλει τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας, τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ τῆς Ῥωμαίων ἀρχιεπισκόπῳ Λέοντι.

Ἐπλήσθη χαρᾶς τὸ στόμα ἡμῶν, καὶ ἡ γλῶσσα ἡμῶν ἀγαλλιάσεως· τοῦτον ὡς οἰκείαν ἡμῖν ἡ χάρις τὴν προφητείαν ἐφήρμοσεν, οἷς τὸ τῆς εὐσεβείας ἐβεβαιώθη κατόρθωμα. Τί γὰρ πίστεως πρὸς εὐφροσύνην ἀνώτερον; τί τῆς δεσποτικῆς γνώσεως πρὸς χορείαν φαιδρότερον; ἣν αὐτὸς ἄνωθεν ὁ σωτὴρ πρὸς σωτηρίαν ἡμῖν παρέδωκε, φήσας· Πορευθέντες, μαθεύσατε πάντα τὰ ἔθνη βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν. Ἣν αὐτὸς ὥσπερ χρυσῆν σειρὰν τῷ προστάγματι τοῦ θεμένου καταγομένην εἰς ἡμᾶς διεφύλαξας, πᾶσι τῆς τοῦ μακαρίου Πέτρου φωνῆς ἑρμηνεὺς [i] καθιστάμενος. **1089** καὶ τῆς ἐκείνου πίστεως τοῖς πᾶσι μακαρισμὸν ἐφελκόμενος· ὅθεν καὶ ἡμεῖς ὡς ἀρχηγῷ σοι τοῦ καλοῦ πρὸς ὠφέλειαν χρησάμενοι, τῆς ἀληθείας τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις τὸν κλῆρον ἐδείξαμεν, οὐ καθ' ἕνα ἕκαστος ἐν παραδύστῳ τὴν διδασκαλίαν ποιούμενοι, ἀλλὰ κοινῷ πνεύματι, μιᾷ συμπνοίᾳ καὶ ὁμονοίᾳ τῆς πίστεως τὴν ὁμολογίαν γνωρίσαντες. Καὶ ἦμεν ἐν κοινῇ χορείᾳ, τοῖς πνευματικοῖς, ὡς ἐν βασιλικοῖς δείπνοις, ἐντρυφῶντες ἑδέσμασιν. Ἅπερ διὰ τῶν σῶν γραμμάτων ὁ χριστὸς τοῖς εὐωχουμένοις ἠτρέπισε· καὶ τὸν ἐπουράνιον νυμφίον ἐν ἡμῖν ὁρᾶν ἐδοκοῦμεν ἐνδιατώμενον. Εἰ γὰρ ὅπου εἰσὶ δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ αὐτοῦ ὄνομα, ἐκεῖ ἔφη εἶναι ἐν μέσῳ αὐτῶν· πόσην περὶ πεντακοσίου εἴκοσιν ἱερέας τὴν οἰκείωσιν ἐπεδείκνυτο, οἳ καὶ πατρίδος καὶ πόνου τῆς εἰς αὐτὸν ὁμολογίας τὴν γνῶσιν προέθηκαν; ὧν σὺ μὲν, ὡς κεφαλὴ μελῶν, ἡγεμόνευες ἐν τοῖς τὴν σύντοξιν ἐπέχουσι. τὴν [j] εὔνοιαν ἐπιδεικνύμενος. Βασιλεῖς δὲ πιστοὶ πρὸς εὐκοσμίαν ἐξῆρχον, ὡς Ζοραβάβελ τῷ (Ἰησοῦ, τῆς ἐκκλησίας, καθάπερ) Ἱερουσα-

[a] Alias post epist. 77. Quæ autem erat 98, nunc 125. Scripta initio Novemb. an. 451.

[b] Interprete Rustico diacono.

[c] Editores Romani ex Græco: *Pietas egregio confirmata est opere.*

[d] Idem ex Græco, *ad choreas.*

[e] Ex Græco, *catenam.* Mox vulgati, *ex veste Christi et præcepto legislatoris.* Voces *veste Christi et* perperam insertas et a Græco originali alienas expunximus auctoritate optimi cod. Veronen. 57. Notavit hoc loco Baluzius in mss. Corb. et Divion. legi, *ex vestem*, χρυσῆν στιρᾶν, *præcepto.* Hunc ortum putat aliorum interpretum vel editorum errorem, quia non animadverterunt esse verba Græca, quæ respondent his verbis, *auro textam seriem.*

[f] Conjunctionem *et* adjecimus ex nostris et Baluzii codd.

[g] Ex Græco: *Tamquam boni duce et auctore ad communem utilitatem utentes.*

[h] Item ex Græco, *quisque in abdito docentes.*

[i] Græc., *chorea*; et paulo post, *convivantibus* pro *invitatis.*

[j] Codd. Baluzii, *ipse in medio.*

[k] Ita omnes codices hujus versionis tum nostri, tum Baluzii, nec non editiones ante Romanam; in qua ex Græca et ex antiqua versione suppletum fuit, *circa quingentos viginti sacerdotes.*

[l] Ex Græco, *tuas vices gerebant.*

[m] Vox *fideles* deest in duobus codd. Baluzii, et in nostro Chigiano, qui integram editionem Rustici continent. At legitur in Veronen. 57 et Vat. 1323, qui Rustici sane codices sunt, at annotationes ejus pretereunt, et in nonnullis aliis quoad ordinem discrepant. Mox pro *ornandum*, quod ex codd. et editionibus ante Romanam restituimus, hæc et sequentes præferunt *ordinandum.*

[i] E duobus mss. Ven., nempe 555 et 164, hoc insigne supplementum eruimus. Mutile in vulgatis, καθιστάμενος· ὅθεν, etc.

[j] Uterque ms. Ven., εὐβουλίαν.

Digitized by Google

decentissime præsidebant, sicut [a] Zorobabel Jesu (I *Esdr.* III, 2), Ecclesiæ, tamquam Jerusalem, ædificationem renovare circa dogmata [b] invitantes.

CAP. II. — Et fuerat utique adversarius tamquam bestia extra caulas apud semetipsum rugiens, nullum prævalens capere, nisi semetipsum ei ad capiendum injecisset is qui Alexandrinorum quondam pontifex fuit. Qui multa prius [c] pessima operatus, supervicit priora sequentibus. Nam beatum illum inter sanctos Constantinopolis pastorem Flavianum, **1092** apostolicam proferentem fidem, et [d] Deo amicissimum episcopum Eusebium, præter omnem canonum consequentiam deposuit atque damnavit; [e] et Eutychen pro impietate damnatum suæ tyrannidis decretis innoxium statuit, et dignitatem quæ a vestra illi ablata fuerat sanctitate (quippe ut ab eo qui hac gratia erat indignus) ille restituit, et in summa, sicut singularis ferus, in vineam irruens, quam [f] optimam reperit plantationem, evertit (*Ps.* LXXIX, 14); [g] quam vero, quippe ut infructuosam, eradicatam, rursus indovit; et eos quidem qui ea quæ pessima sunt sapiunt abscidit; eos vero qui lupi [h] demonstrati sunt super oves imposuit. Et post hæc omnia, insuper et contra ipsum, cui vineæ custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est contra tuam quoque [i] dicimus sanctitatem; et excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ unire festinas. Et dum de talibus pœnitere eum potius oporteret, dum deberet misericordiam lacrymis postulare, tamquam de factis sobriis exsultabat, epistolam quidem tuæ respuens sanctitatis, omnibus vero dogmatibus veritatis adversans.

CAP. III. — Et quidem oportebat eum mox inter illos [k] in quorum se ipse statuit parte, relinquere. Quoniam vero Salvatoris profitemur nos esse discipulos, *qui omnes homines salvos fieri vult,* [l] *et ad cognitionem veritatis accedere* (I *Tim.* II, 4); opere hanc in eo misericordiam festinavimus confirmare, et eum cum fraterna mansuetudine ad judicium vocabamus, non quasi tentantes abscindere, **1094** sed excusa-

λῆμ, τὴν ἐν τοῖς δόγμασιν οἰκοδομίαν ἀνατεῖσθαι προθυμούμενοι. Καὶ ἦν ἂν ὁ ἀντικείμενος ὡς θὴρ ἔξω τῆς μάνδρας καθ' ἑαυτὸν ὠρυόμενος, οὐδένα ἔχων λαβεῖν, εἰ μὴ ἑαυτὸν αὐτῷ πρὸς θήραν ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων πάλαι γενόμενος ἐπέρριψε πρόεδρος· ὃς πολλὰ πρότερον εἰργασμένος δεινὰ, ἀπέκρυψε τοῖς δευτέροις τὰ πρότερα· τόντε γὰρ μακάριον ἐκεῖνον [1] τὸν ἐν ἁγίοις τῆς Κωνσταντινουπόλεως **1091** ποιμένα Φλαυιανὸν, τὴν Ἀποστολικὴν προϊσχόμενον πίστιν, καὶ τὸν Θεοφιλέστατον ἐπίσκοπον Εὐσέβιον, παρὰ πᾶσαν τὴν τῶν κανόνων ἀκολουθίαν καθεῖλε· καὶ τὸν ἐπὶ δυσσεβείᾳ κατακεκριμένον Εὐτυχῆ. ταῖς τῆς τυραννίδος αὐτοῦ ψήφοις ἠθώωσε, καὶ τὴν παρὰ τῆς ὑμῶν ὁσιότητος, [2] ὡς παρ' ἀναξίου τῆς χάριτος, ἀφαιρεθεῖσαι ἀξίαν ἀπέδωκε· καὶ ὡς μονιὸς ἅπαξ ἄγριος ἐπιπεσὼν τῇ ἀμπέλῳ ἣν μὲν ἀρίστην εὗρε φυτείαν, ἀνέτρεψεν ἣν δὲ ὡς ἄκαρπον, ἐρρίμμένην, εἰσήγαγε· καὶ τοὺς μὲν τὰ ποιμένων φρονοῦντας ἀπέτεμε, τοὺς δὲ λύκους, ἀποδεδειγμένους τοῖς προβάτοις ἐπέστησε· καὶ πρὸς τούτοις ἅπασιν. ἔτι καὶ τὰ κατ' αὐτοῦ τοῦ τῆς ἀμπέλου τὴν φυλακὴν παρὰ τοῦ σωτῆρος ἐπιτετραμμένου τὴν μανίαν ἐξέτεινε· λέγομεν δὴ τῆς σῆς ὁσιότητος· καὶ ἀκοινωνησίαν κατὰ τοῦ τὸ σῶμα τῆς ἐκκλησίας ἑνοῦν σπουδάζοντος ἐμελέτησε. Καὶ δέον ἐπὶ τούτοις μετανοῆσαι, δέον δάκρυσιν αἰτῆσαι τὸν ἔλεον, ὡς ἐπὶ σεμνοῖς ἐπηγάλλετο, [3] τὴν μὲν ἐπιστολὴν τῆς σῆς ὁσιότητος διεπτύων, πᾶσι δὲ τοῖς τῆς ἀληθείας δόγμασιν ἀνθιστάμενος. Καὶ ἔδει μὲν αὐτὸν εὐθὺς ἐφ' ἧς ἑαυτὸν ἔταξε, καταλεῖψαι μερίδος· Ἐπειδὴ δὲ τοῦ σωτῆρος τὴν μαθητείαν [4] ἐπαγγελλόμεθα, ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, ἔργῳ ταύτην ἐπ' αὐτῷ κυρῶσαι τὴν φιλανθρωπίαν ἐσπεύσαμεν· καὶ [5] πρὸς κρίσιν ἀδελφικῶς ἐκαλοῦμεν, οὐχ ὡς ἀποτέμνειν πειρώμενοι, ἀλλ' ἀπολογίας αὐτῷ χώραν πρὸς ἰατρείαν παρέχοντες. Καὶ τυχόμεθα, **1093** κρείττονα φανῆναι τῶν ποικίλαις αὐτὸν γραφαμένων αἰτιάσεσιν, ἵνα φαιδροὶ φαιδρῶς τὸν σύλλογον διαλύσαντες, ἐν μηδενὶ πλεονεκτηθῶμεν ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ. [6] Ἀλλ' οὗτος ἔγγραφον ἐν ἑαυτῷ τοῦ συνειδότος ἔχων τὸν ἔλεγχον, τῇ παραιτήσει τῆς κρίσεως ταῖς κατηγορίαις συνέθετο. καὶ τὰς ἐνθέσμους τρεῖς ἐπ' αὐτῷ γενομένας, κλήσεις παρώσατο· διὰ ταῦτα τοιγαροῦν, ἣν αὐτὸς καθ'

[a] Ita omnes codices. Vulgati, *Zorobabel et Jesus.*

[b] Editi, *annitentes. Et erat utique.* Codices secuti sumus.

[c] Sic mss. Editiones post Romanam, *pessime operatus, priora sequentibus superavit.* In anterioribus autem editionibus, *pessime operatus supervicit; priora sequentibus superavit;* ubi vox *superavit* glossema est, quod in textum irrepsit, ut probe animadvertit Baluzius.

[d] Ita veteres libri. Editi, *Deo amantissimum.*

[e] Conjunctionem *et*, quæ in mss. Baluzii atque in Chig. nec non in antiquis editionibus desideratur, retinuimus, eo quod legitur in Veronen. et Vaticano, sicut etiam in Græco.

[f] Veteres editiones, *optime reperit plantatam.* Quesnellus ex editione Romana, *optimam reperit plantationem*, et in margine *plantam*, quam lectionem ex codd. prætulimus.

[g] Vulgati, *quam vero infructuosam.* Voces *quippe ut* ex codd. adjecimus.

[h] Editores Romani ex Græco, *manifesti erant.*

[i] Editi pro voce *dicimus*, quam ex mss. invenimus, habent *apostolicam.*

[k] Duo codd. Baluzii et unus noster, *ut quorum.* Veteres editiones, *ut in quorum.* Vat. 1325, *ex quorum.* Ms. Veron. ut in textu.

[l] Ita codices et editiones antiquæ. Romani, *et ad agnitionem.*

[1] Ms. Ven. primus, καὶ ἐν ἁγίοις.

[2] Ita legere placuit cum utroque ms. Ven., consentiente ad amussim Latina versione, quæ habet, *quippe ut ab eo qui hac gratia erat indignus.* In vulg., ὥσπερ ἀναξίου.

[3] Ambo mss. Ven., τῆς μὲν ἐπιστολῆς, etc.

[4] Male in utroque ms. Ven., ἐπαγγελλόμενος.

[5] Mss. Ven. ambo, πρὸς κλῆσιν.

[6] Sic emendavimus ex utroque ms. Ven., non renuente Latina versione, ubi habetur: *Ille in semetipso inscriptam convictionem conscientiæ habens.* In vulg., Ἀλλ' οὗτος ἐν ἑαυτῷ ἄκρατον τοῦ συνειδότος, etc. E regione autem verba ἄκρατον in marg. edit. Rom. annotatur, ἔγγραπτον.

Digitized by Google

tionis [a] ei locum salvandi causa tribuentes; et orabamus eum declarari victorem contra eos qui eum diversis accusationibus inscribebant, ut festi celebri lætitia concilium consummantes, in nullo superaremur a Satana. Sed ille [b] in semetipso inscriptam convictionem conscientiæ habens, refutatione judicii accusationibus suis assensit, et legitimas ad se factas tres evocationes abjecit. Propterea ergo decretum quod ipse contra semetipsum peccando protulerat, hoc (prout potuimus levigando) firmavimus, lupum pastorali pelle nudantes, qua prius quoque figura tantummodo [c] convincebatur obtectus. Usque ad hæc nobis tristia provenientia cessaverunt, et bonorum gratia mox effulsit; et unum [d] zizaniorum evellentes, mundo tritico universum mundum cum voluptate complevimus. Et tamquam evellendi ac plantandi potestatem sumentes, [e] incisione quidem unius tantummodo ingemuimus, bonorum vero uberiatem diligenter plantavimus. Deus enim erat qui operabatur, et quæ suo [f] sponso concilium coronavit ornata decore victoriæ Euphemia: quæ tamquam propriam confessionem, fidei definitionem suscipiens a nobis, suo sponso per piissimum imperatorem et amicam Christi Augustam obtulit, omnem quidem perturbationem contrariorum sedans, veritatis autem confessionem roborans, [g] ut amicam, et manu ac lingua universorum decretis **1096** pro demonstratione subscriptam. Hæc sunt quæ tecum, qui spiritu præsens eras, et complacere tamquam fratribus deliberasti, et qui pene per tuorum vicariorum sapientiam videbaris a nobis, effecimus.

Cap. IV. — Indicamus vero quia et [h] altera quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, et propter ecclesiasticorum statutorum definivimus firmitatem, scientes quia et vestra sanctitas addiscens et probatura et confirmatura est eadem. Eam namque consuetudinem, quæ ex longo jam tempore [i] permansit, quam habuit Constantinopolitanorum sancta Dei Ecclesia ad ordinandum metropolitanos provinciarum tam Asianæ quam Ponticæ [j] vel Thraciæ; et

A ἑαυτοῦ τοῖς πλημμελήμασιν ἐξήνεγκε ψῆφον, ταύτην ὡς ἐνῆν μετρίως ἐκμαλάξαμεν, τῇ ποιμαντικῇ δορᾷ τὸν λύκον γυμνώσαντες, ὃν καὶ πάλαι σχήματι περικείμενος ἀπηλέγχετο. Μέχρι τούτων ἡμῖν ἵστατο τὰ στυγνά, καὶ τῶν καλῶν ἡ χάρις εὐθὺς ἐπέλαμψε· καὶ ἓν ζιζάνιον ἀνασπάσαντες. πᾶσαν τοῦ καθαροῦ σίτου τὴν οἰκουμένην μεθ' ἡδονῆς ἐπληρώσαμεν· καὶ ὡς ἐκριζοῦν καὶ καταφυτεύειν τὴν ἐξουσίαν δεξάμενοι, [1] τὴν μὲν ἐκτομὴν μέχρις ἑνὸς ἐστενώξαμεν, τῶν δὲ καλῶν τὴν εὐκαρπίαν ἐπιμελῶς ἐρριζώσαμεν. Θεὸς γὰρ ἦν ὁ ἐνεργῶν, καὶ ἡ [2] τὸν σύλλογον τῷ νυμφῶνι στεφανοῦσα καλλίνικος Εὐφημία· ἣ ὥσπερ οἰκείαν ὁμολογίαν, τῆς πίστεως παρ' ἡμῶν δεξαμένη τὸν ὅρον, τῷ ἑαυτῆς νυμφίῳ διὰ τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως καὶ τῆς φιλοχρίστου βασιλίδος προσήγαγε, πᾶσαν μὲν τῶν ἀντικειμένων ταραχὴν κατευνάσασα, τὴν

B δὲ τῆς ἀληθείας, ὡς φίλην, ὁμολογίαν κρατύνασα, καὶ χειρὶ καὶ γλώττῃ ταῖς **1095** πάντων ψήφοις [3] ἐπιψηφίσασα πρὸς ἀπόδειξιν. Ταῦτά ἐστιν, ἅπερ σὺν σοὶ τῷ πνεύματι παράντι, καὶ συνευδοκεῖν, ὡς ἀδελφοῖς, ἐγνωκότι, καὶ μονοκουχεῖ διὰ τῆς τῶν σῶν τοποτηρητῶν ὁραμένῳ σοφίας, εἰργάσμεθα. Γνωρίζομεν δέ, ὡς καὶ ἑτέρα τινα τῆς τῶν πραγμάτων εὐταξίας, καὶ τῆς τῶν ἐκκλησιαστικῶν θεσμῶν εὐσταθείας ἕνεκα ὡρίσαμεν, πεπεισμένοι καὶ τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην διδαχθεῖσαν ἀποδέχεσθαί τε ταῦτα, καὶ βεβαιοῦν. Τὸ γὰρ ἐκ πολλοῦ κρατῆσαν ἔθος,

C ὅπερ ἔσχεν ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν ἁγία τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία εἰς τὸ χειροτονεῖν μητροπολίτας τῶν διοικήσεων τῆς τε Ἀσιανῆς. καὶ Ποντικῆς καὶ Θρᾳκικῆς. καὶ νῦν κατὰ συνοδικὴν ἐκυρώσαμεν ψῆφον, οὐ τοσοῦτον τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεως τε παρέχοντες, ὅσον ταῖς μητροπόλεσι τὴν εὐταξίαν πρυτανεύοντες, διὰ τὸ πολλοὺς πολλάκις, τελευτώντων τῶν ἐπισκόπων, ἀνακύπτειν βαρύθους, ἀνημεμονεύτων ὄντων [4] τῶν ἐν αὐτῇ κληρικῶν τε καὶ [5] λαϊκῶν, καὶ τὴν ἐκκλησιαστικὴν τάξιν συγχεόντων. Ὅπερ οὐδὲ τὴν ὑμετέραν [6] λήθην ἀγνότατα, μάλιστα τῶν Ἐφεσίων ἕνεκεν, πλειόνως ὑμῶν διενοχληθέντων. Ἐβεβαιώσαμεν δὲ καὶ τὴν τῶν ρν' ἁγίων πατέρων, τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει [7] συνηθροισθέντων ἐπὶ τοῦ τῆς εὐσεβοῦς μνήμης τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου,

D [8] κανόνα τὸν διεγραμμένον, μετὰ τὸν ὑμέτερον ἁγιώτατον

[a] Editores Rom. ex Græco in margine: *Ei locum ut mederemur tribuentes; et optabamus illis superiorem evadere, qui eum diversis criminibus accusabant;* et prosequuntur in textu: *Ut festiva celebrique lætitia concilium dimittentes, in nullo superaremur a Satana.* Codicum lectionem recepimus.

[b] Ex Græco: *In semetipso vehementi conscientiæ redargutione convictus, refutatione judicii*, etc.

[c] Vulgati addunt *seu in speciem.* Est synonymum præcedentium, quod in mss. non legitur.

[d] Ita mss. et editiones ante Regiam Parisiensem, cum qua Quesnellus, *zizanium.*

[e] Ita mss. Veron. et Vat. Cod. Chig. et duo Baluzii cum antiquis editionibus, *incisionem.* Editiones autem post Romanam elegantius, sed non ex versione Rustici, *incisionem quidem uno homine tenus coangustavimus, bonarum*, etc.

[f] Ita codices et editiones antiquæ. Quesnellus cum aliis vulgatis, *thalamo* Mox ex Græco, *coronavit victrix Euphemia.* Hunc locum, qui hactenus fuit obscurus, et ex quo orta creditur historia quam enarrant Zonaras aliique posteriores Græci apud Baronium ad an. 451, num. 119, explicatum invenies epistola 101, quæ nunc primum in lucem prodit. Vide ibi annot. 14 (*Col.* 979, n. c),

[g] Ex Græco, *ut omnibus manifesta essent subscribens.* Porro ex codd. et veteribus editionibus reposuimus *subscriptam*, dum in aliis vulgatis legeretur *subscribens.*

[h] Editi, *alia*, melius; sed versionem Rustici ex codicibus damus.

[i] Ex Græco, *obtinuit.*

[j] Editi, *et Thraciæ.*

[1] Supplevimus μὲν ex utroque ms. Ven., quam particulam agnovit et interpres Latinus, qui vertit, *incisione quidem.* In Vulg., τὴν ἐκτομήν.

[2] Ita scribendum auctoritate utriusque ms. Ven. Errore forte operarum in vulg., τὸ σύλλογον.

[3] Mss. Ven. ambo, ἐπισφραγίσασα; quæ quidem vox, si sequentia consideres, nempe πρὸς ἀπόδειξιν, melius sonat quam altera, ἐπιψηφίσασα.

[4] Abest τῶν ab utroque ms. Ven.

[5] In marg. edit. Rom. et in uno e mss. Ven., λαῶν.

[6] Ita, majori cum elegantia scribere placuit ex ambobus mss. Ven. In vulgatis, ἔλαθεν.

[7] Ms. Ven. primus, συναθροισθέντων κανόνα ἐπί, etc.

[8] Deest hoc loco vox κανόνα in utroque ms. Ven.

Digitized by Google

nunc synodali decreto firmavimus, [a] non tantum sedi aliquid Constantinopolitanæ præstantes, quantum metropolitanis urbibus quietem [b] congruam providentes, eo quod frequenter episcopis vitam finientibus multæ turbæ [c] nascuntur, absque rectore clericis ac populis remanentibus, qui per easdem sunt civitates, et ecclesiasticum confundentibus ordinem : quod nec vestram latuit sanctitatem, maxime propter Ephesios, [d] unde quidam vobis sæpius importuni fuerunt. Confirmavimus autem et centum quinquaginta sanctorum Patrum [e], qui in Constantinopoli congregati sunt, regulam sub piæ memoriæ majore Theodosio, quæ præcepit, post vestram sanctissimam et apostolicam sedem, honorem habere Constantinopolitanam (quæ **1098** secunda est ordinata), confidentes quia [f] lucente apud vos apostolico radio, et usque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam, consuete [g] gubernando parentes, hunc exopus expandetis, eo quod absque invidia consueveritis vestrorum bonorum participatione ditare [h] domesticos. Quæ igitur definivimus ad interemptionem quidem totius confusionis, confirmationem vero ecclesiasticæ ordinationis, hæc sicut propria et amica, et ad decorem convenientissima, dignare complecti, sanctissime et beatissime pater. Qui enim locum vestræ sanctitatis obtinent sanctissimi episcopi Paschasinus et Lucentius, et qui cum eis est reverendissimus presbyter Bonifacius, his ita constitutis vehementer resistere tentaverunt, procul dubio a vestra providentia inchoari et hoc bonum volentes : ut sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Nos enim [i] curantes tam piissimos et Christi amicos imperatores, qui super hoc delectantur, quam clarissimum senatum, et totam, sicut dicere convenit, imperii civitatem, opportunum credidimus esse honoris ejus confirmationem ab universali concilio celebrari, et velut hæc a tua sanctitate fuerint inchoata, eo quod fovere semper studeas, [j] roboravimus, præsu-

A καὶ Ἀποστολικὸν [k] θρόνον, τὰ πρεσβεῖα τὴν Κωνσταντινουπόλεως ἔχειν, **1097** [l] δευτέρου τεταγμένου· πεπεισμένοι, ὡς τῆς ἀποστολικῆς παρ' ὑμῖν κρατούσης ἀκτῖνος, καὶ ἐπὶ [m] τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίαν, συνήθως κηδόμενοι, πόλλακις ταύτην ἠπλώσατε. διὰ τὸ ἄφθονον ὑπάρχειν ὑμῖν τὴν τῶν οἰκείων ἀγαθῶν πρὸς τοὺς γνησίους μετάδοσιν. Ἅπερ τοίνυν ὡρίσαμεν πρὸς ἀναίρεσιν μὲν πάσης συγχύσεως, βεβαίωσιν δὲ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εὐταξίας, ταῦτα ὡς οἰκεῖά τε καὶ φίλα, καὶ πρὸς εὐκοσμίαν ἁρμόδια, περιπτύξασθαι καταξιώσατε καὶ μακαριώτατε πάτερ. Οἱ γὰρ τὸν τόπον τῆς ὑμετέρας ἁγιότητος ἐπέχοντες ὁσιώτατοι ἐπίσκοποι Πασχασῖνος καὶ Λουκήνσιος, καὶ ὁ σὺν αὐτοῖς θεοφιλέστατος πρεσβύτερος Βονιφάτιος, τοῖς ῥῦτω τυπωθεῖσι σφοδρῶς ἀντειπεῖν ἐπειράθησαν, πάντως ἀπὸ τῆς ὑμετέρας

B ἄρξασθαι καὶ τοῦτο τὸ καλὸν προνοίας βουλόμενοι, ἵνα καθάπερ τῆς πίστεως, ῥῦτω καὶ τῆς εὐταξίας ὑμῖν λογισθῇ τὸ κατόρθωμα. Ὑμεῖς γὰρ θεραπεύοντες τοὺς τε εὐσεβεστάτους καὶ φιλοχρίστους βασιλέας ἐπὶ τούτῳ ἡδομένους, τήν τε λαμπρὰν σύγκλητον, καὶ πᾶσαν, ὡς εἰπεῖν, τὴν βασιλεύουσαν, εὔκαιρον [n] ἐνομίσαμεν τὴν ἐπ' αὐτῇ [o] παρὰ τῆς οἰκουμένης συνόδου βεβαίωσιν τῆς τιμῆς· καὶ ὡς ἐκ τῆς σῆς ὁσιότητος ταύτην ἐναρχθεῖσαν, δι' ὧν ἀεὶ θέλπειν ἐσπούδασας. θαῤῥήσαντες ἐκυρώσαμεν, εἰδότες ὡς πᾶν παρὰ τῶν τέκνων γενόμενον κατόρθωμα εἰς τοὺς οἰκειουμένους πατέρας ἀνατρέχει· παρακαλοῦμεν τοίνυν, τίμησον καὶ ταῖς σαῖς ψήφοις τὴν κρίσιν, καὶ ὥσπερ ἡμεῖς τῇ κεφαλῇ τὴν ἐν τοῖς καλοῖς συμφωνίαν **1099** εἰσεινηνόχαμεν, οὕτω καὶ ἡ κορυφὴ τοῖς παισὶν ἀναπληρώσει τὸ πρέπον. Οὕτω γὰρ καὶ βασιλεῖς εὐσεβεῖς

C θεραπευθήσονται, οἱ τὴν τῆς σῆς ὁσιότητος, ὡς νόμον, βεβαιώσαντες κρίσιν, καὶ ὁ Κωνσταντινουπόλεως θρόνος τὴν ἀμοιβὴν ἀποδέξεται, πᾶσαν ἀεὶ σπουδὴν πρὸς τὴν τῆς εὐσεβείας ὑμῖν ἐκπληρώσας ὑπόθεσιν, καὶ τῷ ζήλῳ συνάψας ἑαυτὸν ὑμῖν πρὸς ὁμόνοιαν. Ἵνα δὲ γνῶτε, ὡς οὐδὲν πρὸς χάριν ἢ πρὸς ἀπέχθειαν πεποιήκαμεν, ἀλλ' ὡς θείῳ κυβερνώμενοι πνεύματι, πᾶσαν ὑμῖν τῶν πεπραγμένων τὴν δύναμιν ἐγνωρίσαμεν εἰς σύστασιν ἡμε-

[a] Sic veteres libri. Vulgati, *non tam sedi Constantinopoli anæ aliquid præstantes, quam*, etc.

[b] Mss. Baluzii, *congruam videntes*. Veteres editiones, *congruere visum est*. Nostri codices cum posterioribus vulgatis concinunt.

[c] Romani editores elegantiæ studio lectionem Rustici inverterunt sic : *Nascuntur, clericis ac populis, qui per easdem sunt civitates, absque rectore remanentibus, et ecclesiasticum ordinem confundentibus; quod nec vestrum*, etc.

[d] Ex Græco, *quorum causa sæpe molestia affecti fuistis*. Indicatur autem controversia de Ephesino episcopatu inter Bassianum et Stephanum, quæ Constantinopolitanæ sedis prærogativæ ingerendæ, et canoni pro eadem subinde efformando occasionem dedisse videtur. In hac vero controversia ante Chalcedonensem synodum *sæpe* scriptum fuisse ad Leonem ex hoc loco colligimus. Ipsum autem pontificem eadem in re scripsisse epistolam, quæ desideratur, cognoscimus ex act. 11 ejusdem concilii.

[e] Editi hic inserunt *regulam*, quam ex codicibus suo loco posuimus.

[f] Codd. Baluz., *tenente apud vos*.

[g] Ita omnes codices. Solus Vaticanus pro *gubernando* habet *e gubernaculo*. Editi vero, *gubernando, illum spargentes, hunc sapius expanditis*.

[h] Ex Græco, *sincera charitate conjunctos*. Postea Romani editores verbum *definivimus* collocarunt post nomen *ordinationis*; veteres autem editiones utroque loco exhibent.

[i] Ex Græco : *Obsequentes non modo piissimis et Christianissimis imperatoribus, quibus id gratum erat, verum etiam clarissimo senatui et toti, ut sic dicamus, regiæ urbi, opportunum credidimus*, etc.

[j] Item ex Græco : *Roborare ausi sumus, scientes quia quidquid a filiis recte geritur, ad proprios recurrit parentes*

[k] Addimus θρόνον, quæ vox certe necessaria est, ex utroque ms. Ven. In vulgatis ἀποστολικὸν tantum. In marg. tamen edit. Rom. annotatur, *f. d.* θρόνον.

[l] Hæc duo verba δευτέρου τεταγμένου haud quidem necessaria sunt; sed cum ea legerit interpres Latinus, ut apparet ex illis verbis, *quæ secunda est ordinata*, ideo et nos posuimus, auctoritatem secuti amborum mss. Ven. In vulg., εἶλεῖν πεπεισμένοι.

[m] Mss. Ven. ambo, τὴν Κωνσταντινουπόλεως Ἐκκλησίαν.

[n] Mss. Ven. ambo, ἐνομίσαμεν εἶναι τὴν, etc. Haud spernenda lectio, quam et interpretem Latinum agnovisse non obscure conjici potest ex ejus versione, quæ hic habet, *opportunum credidimus esse*.

[o] Ita legendum ex mss. Ven. amborum et Latina versione. In marg. quoque edit. Rom. annotatur, παρὰ. Lat. In vulg., περὶ τῆς, etc.

Digitized by Google

mentes, dum noverimus quia quidquid rectitudinis a filiis fit, ad patres recurrit, facientes hoc proprium sibi. Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora judicium; et sicut nos capiti in bonis [a] adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat. Sic enim et pii principes complacebunt, qui tamquam legem tuæ sanctitatis judicium firmaverunt, et Constantinopolitana sedes suscipiet præmium, quæ omne semper studium vobis ad causam pietatis exp'evit, et semetipsam vobis ad concordiam eodem zelo conjunxit. Ut autem cognoscatis quia nihil [b] cuilibet donando per gratiam fecimus, aut per inimicitias adversando, [c] sed ut nutu gubernati divino, omnem vobis gestorum vim insinuavimus, ad comprobationem nostræ sinceritatis, et ad eorum quæ a nobis gesta sunt [d] firmitatem et consonantiam.

A τέραν [1] καὶ τῶν παρ' ἡμῶν πεπραγμένων βεβαίωσίν τε καὶ συγκατάθεσιν.

EJUSDEM EPISTOLÆ.

Alia antiquior versio.

Exemplar relationis archetypi sanctæ magnæ et universalis synodi, quæ in Chalcedonensi metropoli congregata est, ad sanctæ memoriæ papam Leonem.

Sancta et magna et universalis synodus, quæ secundum Dei gratiam, et sanctionem piissimorum et Dei amatorum principum collecta est in Chalcedone metropoli Bithyniæ provinciæ, sanctissimo ac beatissimo Leoni.

1100

Cap. I. — *Repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exsultatione* (*Ps.* CXXV, 2), quod hanc ut propriam nobis gratiam prophetiam aptavit, quibus pietatis confirmatum est votum. Quid enim fide ad lætitiam superius? Quid dominica agnitione ad exsultationem clarius, quam ipse desuper nobis Salvator ad salutem tradidit dicens : *Ambulantes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia* [e] *quæcumque mandavi vobis.* Quam ipse tamquam auream catenulam præcepto imponentis deductam in nos conservasti, vocis beati Petri omnibus interpres existens, et illius fidei omnibus beatitudinem attrahens. Unde et nos tamquam principi tibi hujus boni ad utilitatem usi, veritatis filiis Ecclesiæ sortem ostendimus, non per singulos singu'i tamquam in secreto doctrinam facientes, sed communi spiritu, uno consensu et concordia fidei confessionem cognoscentes. Et fuimus in communi exsultatione spiritalibus tamquam imperialibus cœnis, epulationibus in cibis quas per tuas litteras Christus epulantibus apparavit. Et cœlestem Sponsum inter nos cernere [f] videbamus epulantem. Si enim ubi sunt duo aut tres congregati in nomine ipsius, ibi ait se esse in medio eorum (*Matth.* XVIII, 20); quantam circa quingentos viginti sacerdotes familiaritatem [g] monstrabit, qui et patriæ et labori circa eum scientiam confessionis præposuerunt, quibus ut tamquam caput membris præpositus eras per eos qui tuam continent vicem, rectum consilium demonstrans? Principes autem fideles ad ornatum præsidebant, sicut Zorobabel, [h] Ecclesiæ Jesum (I *Esdr.* III, 2), quemadmodum Hierusalem, ædificationem dogmatum renovare festinantes.

1101

B Cap. II. — Et erat adversarius tamquam bestia foris a septis, secum fremens, neminem habens quem capiat, nisi se ipsum ei ad prædam Alexandrinæ urbis factus olim præsul objiceret; qui dum multa prius mala fecisset, secundis priora celavit. Beatum enim illum et in sanctis connumerandum Constantinopolitanæ urbis pastorem Flavianum apostolicam præferentem fidem, et Dei amatorem episcopum Eusebium contra omnem canonum disciplinam deposuit, et impietate condemnatum Eutychen tyrannicis decretis suis restituit, et a vestra sanctitate, utpote ab immerito gratia, ablatam reddidit dignitatem; et ut omnino ferox singularis incumbens vineæ, quam bonam invenit plantationem evertit (*Ps.* LXXIX, 14), infructuosam autem et [i] derelictam introduxit, et pastoralem habentes sapientiam C amputavit, lupos autem [j] manifestatos ovibus introduxit. Super hæc omnia etiam contra eum qui custodiam vineæ a Salvatore susceperat, furorem suum extendit (dicimus autem de sanctitate vestra), et excommunicationem contra eum qui corpus Ecclesiæ [k] adunare festinavit, cogitavit. Et cum oportuisset eum pro his pœnitere, et debuisset lacrymis postulare misericordiam, tamquam pro honestis lætabatur, epistolam quidem vestræ sanctitatis aspernens, omnibus autem veritatis dogmatibus resistens.

Cap. III. — Et oportuerat quidem eum mox in hac in qua se ipsum ordinavit parte relinquere. Quoniam autem Salvatoris disciplinam profitemur, *qui omnes homines salvos esse vult et venire ad cognitionem veritatis* (I *Tim.* II, 4), hanc opere in eo firmare misericordiam festinavimus, et in judicium fraterne [l] convocavimus, non tamquam resecare tentantes, sed satisfactionis ei locum ad medicinam præbentes; et orabamus superiorem eum [m] existere variis incusationibus quæ adversus ipsum scriptæ sunt, quate-

[a] Ex Græco *impendimus;* et mox, *piis principibus gratum erit. qui*, etc.

[b] Ita omnes codices. Vulg., *alicui donando.*

[c] Ita cum editis codd. Veron. et Vat. Duo mss. Baluzii cum nostro Chigiano : *Sed quippe ut in nutu.*

[d] Ex Græco, *confirmationem atque consensionem.*

[e] Vat. 1322, *quæ demandavi.*

[f] Editi, *videbamur.* Correximus ex laudato codice.

[g] Idem codex, *monstrabat.*

[h] Ita cum editis habet etiam idem Vat., non vero, ut in margine Baluzii, *et Deum Jesum*

[i] Vat., *abjectam.*

[j] Cod. Reginæ, *manifestos.*

[k] Sic ex Vat. Edit. Concil., *adunire*, forte typographi errore.

[l] Cod. Reginæ, *convocabamus.*

[m] Idem codex, *insistere.*

[1] Sic ambo mss. Ven., astipulante Latino interprete, qui vertit, *eorum quæ a nobis gesta sunt.* In vulg., *καὶ τῶν πεπραγμένων* tantum.

Digitized by Google

nus [a] clari cum celebritate conventum dimittentes, in nihilo a Satana læderemur. Iste autem [b] inscriptum in se ipso conscientiæ habens testem [c] recusatione judicii, accusationibus consensit, et legitimas circa eum tres factas vocationes repudiavit. Ideo ergo quam ipse contra suas culpas protulit sententiam, hanc, ut possibile erat, mediocriter firmavimus, pastorali lupum pelle [d] nudantes, quo pridem habitu convincebatur indutus. Huc usque nobis constabat tristitia, **1102** et statim bonorum gratia resplenduit; et unum zizanium revellentes, totum mundum tritico puro cum [e] voluptate replevimus; et tamquam evellendi et plantandi potestatem suscipientes, sectionem quidem usque ad unum coarctavimus, bonorum autem feracitatem diligenter plantavimus. Deus enim operabatur, et quæ conventum thalami coronabat venerabilis Euphemia, quæ sicut propriam confessionem fidei a nobis suscipiens definitionem, suo sponso per piissimum principem et amatricem Dei imperatricem obtulit, omnem quidem adversariorum perturbationem sopiens, veritatis autem ut [f] amicam confessionem confirmans, et manu et lingua omnium sententiis assignans ad manifestationem. Hæc sunt quæ tecum præsenti spiritu, et ut fratribus favere scienti, qui nobis in tuorum pene comparuit sapientia, operati sumus.

CAP. IV. — Innotescimus autem quod et alia quædam de ordine rerum et regularium ecclesiasticarum constantiæ causa statuimus, scientes et vestram sanctitatem, si agnoverit, probaturam hæc et confirmaturam. Qui enim ante multa tempora mos fuit, quem tenuit Constantinopolitana sancta Dei Ecclesia ad ordinandos metropolitanos Asianæ et Ponticæ et Thracicæ diœcesis, et nunc per synodicam firmavimus sententiam, non tantum sedi Constantinopolitanæ aliquid præstantes, quantum metropolitanis quietem providentes : propterea quia plurimis sæpe morientibus episcopis, exoriuntur tumultus, dum sine regimine fuerint et [g] clerici et populi qui in eis sunt, et ordinem ecclesiasticum confundant, quod vestram sanctitatem non latet, præsertim causa Ephesiorum, qui vobis sæpe molestiam ingesserunt. Firmavimus autem et centum quinquaginta sanctorum Patrum qui in Constantinopolim congregati sunt, canonem temporibus divæ memoriæ magni Theodosii, qui pronuntiat post vestram sanctissimam et apostolicam sedem primatum Constantinopolim habere loci secundi; scientes quia radium apostolicæ vestræ sedis nimis [h] potentem in Constantinopolitanam Ecclesiam more solito protegentes sæpius [i] extendistis, dum sine invidia consueti estis bona vestra familiaribus mutuari. Quæ igitur statuimus ad amputandam omnem confusionem, ad confirmandam autem ecclesiasticam disciplinam, hæc ut propria et amica et ad ornatum apta complecti dignare, sanctissime et beatissime pater. Qui enim locum vestræ sanctitatis continent sanctissimi episcopi **1103** Paschasinus et Lucensius, et qui cum eis est reverentissimus presbyter Bonifacius, his ita constitutis vehementer resistere tentaverunt, procul dubio a vestra providentia inchoari et hoc bonum volentes; ut quemadmodum fidei, sic et ordinis vobis imputetur restitutio. Nos autem satisfacientes piissimis et amatoribus Christi principibus, qui pro hac causa gaudent, et clarissimo senatui, et toti, sicut est dicendum, regiæ urbi, congruum esse putavimus honorem ejus ab universali synodo confirmari, et tamquam ex tua initium sumpserit sanctitate, per hos quos fovere semper festinasti, confidenter firmavimus, scientes quia omne bonum quod a filiis fit, ad proprios recurrit parentes. Rogamus igitur, honora et tuis sententiis nostrum judicium; et quemadmodum nos consensum in bonis capiti contulimus, sic et caput filiis quod decet adimpleat. Sic enim et piissimi principes curabuntur, qui tuæ sanctitatis sicut legem affirmaverunt judicium, et Constantinopolitana sedes vicissitudinem suscipiet, quæ vobis semper omne studium ad causam pietatis exhibuit, et zelo se ipsam conjunxit vobis ad concordiam. Ut autem sciatis quia nihil gratiæ causa aut offensionis efficimus, sed nutu divino [j] gubernati, omnem vobis gestorum [k] vim insinuavimus ad consistentiam nostram et ad eorum quæ a nobis acta sunt confirmationem et dispositionem.

ET SUBSCRIPTIONES.

ANATOLIUS episcopus Constantinopolitanus. [l] Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

MAXIMUS episcopus magnæ [m] civitatis Antiochiæ. Valere me in Domino ora, sanctissime et beatissime pater.

[a] Sic etiam Vat., non *clare*, ut in marg. Baluzius ex eodem codice notavit.

[b] Ita Vat. Baluzius, *scriptum*.

[c] Baluzius, *recusationem*.

[d] Cod. Vat., *denudantes*.

[e] Idem cod., *voluntate*.

[f] Idem codex, *unicam*. Ex eodem magis placuit *confirmans*, quam *confortans*, ut editi præferebant.

[g] Vat., *cleri*.

[h] Melior hæc lectio Vat. Editi, *potestatem*.

[i] Vat., *extendentes*.

[j] Baluzius, *gubernanti*. Melius ex Vat., *gubernati*.

[k] Editi omittunt *vim*, quam vocem ex Vat. supplevimus. Hunc locum ex hac versione recitat Vigilius papa in Constituto tom. V Concilior. edit. Venetæ, pag. 1355, hac lectione, quæ aliam emendationem suggessit : *Omnem vobis gestorum vim insinuare curavimus ad consistentiam nostram, et eorum quæ nobis acta sunt confirmationem et dispositionem*. Editi, pro *dispositionem*, habebant *depositionem*.

[l] Labbeus primas tres subscriptiones nactus in ms. olim Jolyano, nunc capituli Parisiensis, quæ leguntur tom. IV Concilior. pag. 1781 edit. Venet., sic in omnibus edidit : *Valere vos in Domino oro*. Baluzius hanc solam primam subscriptionem similiter exhibuit; in duabus autem sequentibus, *Valere me in Domino oro*, et in margine ex Vat., *ora*. In cæteris, quas unus Vaticanus codex ad nos transmisit, ejusdem lectionem secutus vulgavit, *Va ere me ora*. Nos Vaticanum in omnibus cohærentem sequendum putavimus. Non diffitemur tamen probabilius scriptum fuisse, *Valere vos in Domino oro*.

[m] Baluzius, *urbis*, ex ms. Parisiensi.

Digitized by Google

JUVENALIS episcopus Hierosolymitanus. Valere me in Domino ora, sanctissime et beatissime pater.

CYRIACUS episcopus Heracleæ metropolis subscripsi [a] per Deo amantissimum episcopum Lucianum. Ut supra.

1104 DIOGENES episcopus metropolis Cyaici. Ut supra.

PHOTIUS episcopus Tyri metropolis. Ut supra.

FLORENTIUS episcopus Sardensium civitatis metropolis Lydiæ. Valere me ora, [b] Deo amantissime pater.

CONSTANTIUS episcopus metropolis Bostræ. Valere me ora, domine sanctissime et beatissime pater.

THEODORUS episcopus metropolis Damasci. Valere me ora in Domino, Deo amantissime pater.

SELEUCUS gratia Dei episcopus metropolis Amasiæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

CONSTANTINUS misericordia Dei episcopus metropolitanus Meletenus. Valere me in Domino ora, reverentissime pater.

FRANCION episcopus metropolitanus Philippopolis. Valere me in Domino ora, amantissime pater.

PERGAMIUS episcopus Antiochiæ Pisidorum metropolis. Valere in Domino ora, Deo amantissime pater.

LUCIANUS episcopus Byzæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

GREGORIUS episcopus Adrianopolis. Valere ora Deo amantissime pater.

THEODORITUS episcopus Cyri. Valere me in Domino ora, domine, Deo amantissime pater.

MELETIUS episcopus Larissæ, vices agens beatissimi episcopi domni Apamiæ Syriæ, subscripsi. Valere ora, sanctissime pater.

ACACIUS misericordia Dei episcopus civitatis [c] Arthiæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

JOANNES episcopus Germaniciæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

[d] JOSEPHUS episcopus Iliopolis. Valere me in Domino ora, Deo amantissime et sanctissime pater.

CALOGERUS episcopus Claudiopolis. Valere me ora, Deo amantissime pater. Et subscripsi per Euphrosynum diaconem.

HERACLIUS misericordia Dei episcopus Comanorum. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

1105 ISAS episcopus Edessenæ metropolis. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

SOPHRONIUS episcopus Constantinæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

URANIUS episcopus Emisæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

EUSEBIUS episcopus Doryiæi. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

ÆTHERIUS episcopus Smyrnæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

ZENOBIUS episcopus. Ut supra.

THOMAS episcopus Theodosiopolis. Valere me in Domino, amantissime pater.

SABAS episcopus Palti. Valere me in Domino, [e] Deo, amantissime pater. Subscribens per Patricium episcopum.

PATRICIUS episcopus Neocæsareæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

RINUS gratia Dei episcopus Junopolis. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

EUDOXIUS episcopus poleos Chomatis. Valere me in Domino ora, sanctissime pater.

NICOLAUS misericordia Dei episcopus Acarasseorum. Valere me in Domino ora, amantissime pater.

[f] EVODIUS episcopus Saumatis. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

TRIPHON episcopus Ecclesiæ Chii. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

PAULUS episcopus sanctissimæ Dei Ecclesiæ Philiomelei. Valere me in Domino ora, domine pater.

THEOCTISTUS episcopus Tyrai. Valere me in Domino ora, sanctissime pater.

OLYMPIUS episcopus Sozopolitanæ sanctissimæ Dei Ecclesiæ. Valere me ora, Deo sanctissime pater.

JOANNES humilis episcopus civitatis Barbilcorum. Valere me ora, Deo amantissime pater.

VALERIUS episcopus civitatis Laodiciæ Phinicæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

BASILIUS episcopus civitatis Nacholiæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

NOE episcopus civitatis. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

URANIUS episcopus civitatis Ibororum. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

MANASSES episcopus Theodosiopolis magnæ Armeniæ. Valere me ora in Domino, Deo amantissime pater.

AURELIUS episcopus. Ora pro nobis, pater beatissime.

1106 RESTITUTIANUS episcopus. Ora pro nobis, sancte ac venerabilis papa.

AMACIUS episcopus civitatis Sotorum. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

MELETIUS episcopus Larissæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

FONTEIANUS episcopus Sagalassi. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

[a] Ita codex Vat. Perperam in editis, *pro Deo amantissimo episcopo Luciano*. Is enim Cyriaci sui metropolitæ vice hoc loco subscripsit, postea vero suo nomine.

[b] Vulgati, non autem codex, *sanctissime et beatissime pater*.

[c] Ita codex. Baluzius, *Ariathiæ*. Ex aliis autem ejusdem episcopi subscriptionibus, quæ in concilio Chalcedonensi leguntur, corrigendum esset, *Ariarathiæ*.

[d] Baluzius, *Joseph*; dein vero omittit *et sanctissime*. Codicem Vat. semper sequimur.

[e] Baluzius inseruit *ora*. Deest in codice.

[f] Legendum, *Evoltius episcopus Zeugmatis*, ut notavit Baluzius.

Digitized by Google

THEODORUS misericordia Dei episcopus Antifelli A Lyciæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

MELIPHTONGUS misericordia Dei episcopus Heliopolis. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

THALASSIUS episcopus civitatis Parii. Valere me in Domino, Deo amantissime pater.

ALEXANDER episcopus civitatis Seleuciæ Pisidiæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

MUSIANUS episcopus Limenorum. Valere me in Domino, Deo amantissime pater.

[a] FLORENTIUS episcopus Lesbiereæ li.... et litteris. Valere me ora Deo amantissime pater.

EPIPHANIUS episcopus civitatis Midai. Valere me ora, Deo amantissime pater.

CYRUS episcopus civitatis Siniandi. Valere me in B Domino ora, sanctissime pater.

PANCRATIUS episcopus [b] Lybiadis. Valere me in Domino ora, sanctissime pater.

POLYCHRONIUS episcopus Antipatridis. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater.

CYRIACUS episcopus civitatis Trognadorum subscripsi per presbyterum meum Chrysippum. Valere me in Domino ora, sanctissime pater.

EUNOMIUS episcopus Nicomediæ metropolis. Valere me ora, sanctissime pater.

ANASTASIUS episcopus Nicææ metropolis. Valere me ora, sanctissime pater.

SEBASTIANUS episcopus civitatis Berissæ. Valere me in Domino, Deo amantissime pater.

JOVINUS episcopus sanctissimæ Dei Ecclesiæ Debel- C torum. Valere me ora, amantissime pater.

Similiter et reliqui omnes episcopi subscripserunt.

Explicit relatio sanctæ synodi Chalcedonensis ad papam Leonem.

1107 EPISTOLA [c] XCIX.

[d] SYNODICA RAVENNII ALIORUMQUE EPISCOPORUM GALLORUM AD S. LEONEM PAPAM [e].

SYNOPSIS. — I. *Tarditatem suam in rescribendo excusant.* — II. *Omnes in Gallia Leonis epistolam ad Flavianum, ut fidei symbolum recepisse.* — III. *In ea fidelibus et infidelibus arcanum incarnationis mysterium retegi.* — IV. *Nuntiis ex Oriente allatis se a scribendo ad imperatorem abstinuisse.* — V. *Leonem pontificem a Deo datum esse Ecclesiæ gratulantur.*

Domino vere sancto, merito in Christo beatissimo, et apostolico honore venerando papæ LEONI, [f] RAVENNIUS, RUSTICUS, VENERIUS, [g] CONSTANTIANUS, MAXIMUS, [h] ARMENTARIUS, FLORUS, SABINUS, [i] VALERIANUS, CONSTANTIUS, [j] NECTARIUS, MAXIMUS, ASCLEPIUS, item MAXIMUS, URSUS, INGENUUS, JUSTUS, VALERIUS, SUPERVENTOR, CHRYSAPHIUS, FONTEIUS, PETRONIUS, IDATIUS, ÆTHERIUS, EULALIUS, [k] EUSTATHIUS, FRATERNUS, VICTURUS, EUGENIUS, [l] HILARUS, VERUS, AMANDUS, GERONTIUS, [m] ROGULEIANUS, JULIANUS, HELLADIUS, ARMENTARIUS, HONORATUS, [n] EPARCHIUS, ANEMIUS, DYNAMIUS, MAXIMINUS, [o] YNANTIUS et PALLADIUS.

CAP. I. — Perlata ad nos [p] epistola beatitudinis vestræ, quam ad Orientem pro catholicæ fidei assertione misistis, optassemus statim apostolatui vestro pro tam immenso **1108** munere gratiarum actionem referre; nisi nobis difficultatem, qua in unum celeriter non potuimus convenire, vel spatia, quibus a nobis [q] dispalati sumus, longa terrarum, vel auraram, quæ in regionibus nostris præter consuetudinem fuit, intemperies attulisset. Dei ergo apostolatus vester nostræ veniam tarditati, quæ non de otio aut dissimulatione, sed de certa necessitate descendit; quæque a nobis, etsi celeritatis gratiam abstulit, exsultandi tamen materiam auferre non potuit.

CAP. II. — Exsultavimus itaque Christo propitio lectis beatitudinis vestræ litteris, et omni instructione patefacta, [r] omnes intra Gallias constitutos exsultare mox fecimus: dolentes pariter pro his vobiscum, qui

[a] Hanc subscriptionem a Baluzio omissam ex ms. supplevimus. Hic Florentius in aliis subscriptionibus Chalcedonensis dicitur episcopus *Lesbitenedi*.

[b] Cod. Vat., *Libandi*. Baluzius ex aliis subscriptionibus ejusdem episcopi emendavit.

[c] Al. post epist. 76. Quæ autem erat 99, nunc 126. Scripta circa decemb. an. 451.

[d] Est in mss. collect. 5, 11, 12, 22, 23 et 24. Cum S. Leo huic synodicæ responderit die 27 Januarii anni sequentis epist. 102, circa decembrem anni currentis hæc synodica exarata credi potest, et probabilius ante epistolam sequentem datam die 18 Decembris.

[e] Mss. collect. 5, aliique inde profecti addunt loco D synopsis: *Fidei ejus, quam ad Orientem direxit, laudem dicentium.*

[f] Vide not. 1 Quesn.

[g] Quesnellus, *Constantinus*. Prætulimus lectionem Raimundi, quippe quam noster Vindebon. collect. 5 et alius Thuan. Quesn. approbant; cum præsertim eidem lectioni suffragetur cod. Ratisp. in responsione Leonis ep st. 102.

[h] Duo mss. Thuan., *Armaturus*. Codd. collect. 11 et 24, *Armatarus*. Trecenth., *Armatharius*. Ratisp. in epist. 102, *Armasarius*.

[i] Sic nostri codd. ac præsertim collectionis 5 cum Sirmondo et editis ante Quesn. Epistola Leonis 102 et subjectæ subscriptiones concinunt, quæ primo loco *Valerianum* exhibent, deinde *Valerium*. Apud Quesnellum diverso ordine, primo *Valerius*, deinde *Valerianus* legitur.

[j] Quidam inferioris notæ codices, *Nestorius*. Alii melius, *Nectarius*, ut in epist. 102.

[k] Ita Quesn. et nostri codd. collect. 5 et 24. In Vat. collect. 11, *Eustasius*. In alio Vat. collect. 24, *Eustasius*. Sirmondus, *Eustachius*. Vulgati Leonis, *Eutychius*, ad quos accedit Ratisp. in epist. 102.

[l] Vulgati Leonis ante Quesn. cum Vat. collect. 11. et cum aliis quatuor codicibus epistolæ 102, *Hilarius*.

[m] *Proculianus* in codd. collect. 11 et 24.

[n] Vulgati Leonis ante Quesn., *Hypartius* Sirmondus in margine, *Epatius*. Cod. Ratisp. in epist. 102, *Apartius*. Antiquus Thuaneus, *Ebartius*.

[o] Mss. collect. 11 et 24 ac Sirmondus in margine, *Inzantius*.

[p] Epistola 67, cui rescribunt.

[q] Ita plerique editiones cum nostro Vindebon. collect. 5. Cæteri codices cum Sirmondo *disparati*. Post pauca, pro *auraram*, in ms. Vat. collect. 24, *aquarum*, quod quibusdam magis placebat. Vide not. 2 Quesn.

[r] Vide not. 3 Quesnelli. Paulo post *nobiscum* pro *vobiscum* in eodem Vat. collect. 24.

Digitized by Google

catholicæ fidei lumine derelicto, errorum tenebras inciderunt. Quæ apostolatus vestri scripta, [a] ita ut symbolum fidei, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis ascribit, et tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit. Multi itaque in ea gaudentes pariter et exsultantes, recognoverunt fidei suæ sensum, et ita se semper ex traditione paterna tenuisse, ut vester apostolatus exposuit, jure lætantur. Nonnulli sollicitiores facti, beatitudinis vestræ admonitione percepta modis, omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, qua libere ac fiducialiter, suffragante etiam apostolicæ sedis auctoritate, eloquantur, et asserat unusquisque quod credit.

CAP. III. — Quis autem apostolatui vestro pro hoc tanto munere, [b] quo non solum Gallias, sed totum mundum, velut quibusdam pretiosissimis gemmis ornavit, dignas æstimet gratias posse persolvi? Doctrinæ post Deum vestræ debet [c] fidelis, ut constanter teneat quod credebat; debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat, **1109** et apostolicæ institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur et credat, quod per os vestrum Dominus noster Jesus Christus de sacramento incarnationis suæ docet, quam id teneat quod diabolus humanæ salutis et veritatis inimicus [d] instillat.

CAP. IV. — Optassemus etiam ad filium vestrum, gloriosissimum ac fidelissimum principem, super eamdem causam litteras dare, quibus congratulantes fidei ipsius, humilitatis quoque nostræ sollicitudinem, qua vos in Christo sequimur, prodereemus, nisi ad nos de Orientalibus partibus [e] nuntio perlato, fieri hoc minime necessarium putassemus. Meritis autem apostolatus vestri pius D minus præstitit ut hæresim jam diu occulte nutritam [f] vestris temporibus proderet. Ad laudem enim sollicitudinis vestræ pertinet quod malorum error latere non potuit; [g] ad gloriam fidei redundat quod prava persuasio participes aut non invenit aut inventos amisit. [h] Respiciat itaque, oramus, conservando apostolatum vestrum, misericors Dominus Ecclesiam suam toto orbe diffusam; vobis enim ita invigilantibus, et hi qui curam animæ suæ gerunt, sollicitiores in fide redduntur, et hi qui paulo desides sunt, tanto ad sollicitudinem accenduntur exemplo.

CAP. V. — Quod nos ante oculos semper habentes, [i] non desinemus Domino ac Deo nostro gratias agere et pariter supplicare, gratulantes quod tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantaque doctrinæ apostolicæ sedi, unde religionis nostræ, propitio Christo, fons et origo manavit, antistitem dederit; petentes etiam ut datum concessumque munus pontificii vestri, longissima ad ædificationem Ecclesiarum suarum ætate custodiat. Nos autem etsi impares meritis, pari tamen fide, si quid (quod absit) contra Ecclesiam catholicam profana infestatione tentetur, parati sumus, confortante Domino, cum beatitudine vestra pro veritate fidei **1110** animas nostras ponere, et vitam hanc auctori salutis nostræ et largitori æternitatis impendere. *Et alia manu:* Ora pro me, domine merito beatissime, et apostolico honore venerande papa.

[j] RUSTICUS episcopus apostolatum vestrum in Domino venerans saluto, et ut digneris pro me orare, supplex rogo.

VENERIUS te dominum in Christo meum, reverendissime, saluto; et ut digneris pro me orare, supplex rogo.

[k] CONSTANTIANUS episcopus beatitudinem vestram saluto.

MAXIMUS episcopus beatitudinem vestram saluto.

ARMENTARIUS episcopus beatitudinem vestram saluto.

FLORUS episcopus beatitudinem vestram in Domino venerans saluto, et ut ores pro me plurimum quæso.

SABINUS episcopus beatitudini vestræ me repræsento, et orationem apostolatus vestri nostri memorem quæso.

[a] Codd. collect. 21 delent *ita*. Mox *ascripsit* pro *ascribit* est in Vat. collect. 24 nec non in editis ante Quesn.

[b] Idem codex et editi ante Quesn., *quod non solum*.

[c] Vulgati inserunt *quisque*. Delevimus ex omnibus nostris codd. atque Sirmondo.

[d] Tres codd. Quesn. et quinque nostri, *stillat*.

[e] *Nuntium* intelligunt de mutata rerum facie post Theodosii mortem, et de suscepta jam in toto Oriente Leonis epistola; ac propterea ad novum imperatorem scribere, uti vivente Theodosio Leo postulaverat ex annot. 7 (*Col.* 887, *n.* [b]) in ep. 67, necessarium amplius non putarunt. Aliqui codices carent voce, *partibus*.

[f] Antiquæ editiones, *nostris*.

[g] Ita duo codices Quesn. et tres nostri melioris notæ. Alii, *Ad gloriosæ fidei ædificationem*, vel *cumulum*.

[h] *Vos itaque respiciat conservando apostolatum vestrum misericors Deus, et Ecclesiam*, etc., in mss. collect. 21. Cod. Vindebon. collect. 5, *Respiciat ita conservando*, etc.

[i] Vindebon. collect. 5, *non desinimus*.

[j] In antiquis editionibus et in codd. collect. 12, 21 et 24, tres priores subscriptiones tantummodo legebantur; in mss. autem collect. 11 sola prima Rustici subscriptio. Integræ inveniuntur in mss. collectionis 5, et primum editæ fuerunt a Sirmondo ex cod. Nicolai Fabri, qui in Thuaneam bibliothecam transivit. Mirum est omitti subscriptionem Ravennii, qui tamen primus in titulo inscribitur. At ad Ravennium pertinere videntur illa, quæ *alia manu* Rustici subscriptioni præmittuntur: *Ora pro me, Domine.* Harduinus vero hanc notationem subscriptionibus affixit: *Subscriptiones integræ, ut sunt in ms. olim Thuaneo, nunc Colbertino, Ravennius episcopus Arelatensis, Venerius Narbonensis, Maximus Regiensis*, etc. At Rusticus est Narbonensis, Venerius autem Massiliensis. Ante Maximum ponendus erat Constantianus. Præterea nomina civitatum in editis non leguntur, licet hæ subscriptiones a Sirmondo e codice olim Thuaneo sumptæ fuerint. Ipsas ergo subscriptiones, ut in codice exprimebantur, Harduinus ea notatione non exhibuit. In codice quidem Vindebonensi collect. 5, quem Thuaneo planesimilem deprehendimus, subscriptiones vulgatis similes sunt, nec Ravennii nomen ibidem legitur.

[k] Vulgati, *Constantinus*. Correximus ex Vindebon. Confer annot. 4 (*Col.* 965, *n.* [g]).

Digitized by Google

Valerianus episcopus beatitudinem vestram saluto.

Nectarius episcopus beatitudinem vestram saluto.

Constantius episcopus beatitudinem vestram saluto.

Maximus episcopus apostolatum vestrum saluto.

Ego Asclepius episcopus apostolatum vestrum venerans in Domino plurimum saluto.

Ego Maximus episcopus apostolatum vestrum saluto.

Ego Ursus episcopus beatitudinem vestram saluto.

Ingenuus episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.

Justus episcopus coronam vestram venerans saluto.

Valerius episcopus apostolatum vestrum saluto.

Ego Superventor episcopus coronam vestram venerans saluto.

1111 Verus episcopus apostolatum vestrum reverenter saluto.

Helladius episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Ætherius episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Eulalius episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Anemius episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Chrysaphius episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.

Petronius episcopus sanctitatem vestram in Domino saluto, et ut pro me orare dignemini, quæso.

Ego Fonteius episcopus apostolatum vestrum reverenter saluto, et rogo ut mei meminisse dignemini.

Ydatius episcopus apostolatum vestrum in Domino saluto.

Hilarus episcopus apostolatum vestrum plurima in Christo veneratione saluto.

Icturus episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.

Eugenius episcopus beatitudinem tuam saluto.

Palladius episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Fraternus episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Amandus episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Gerontius episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Proculeianus episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Dynamius episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Julianus episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Armentarius episcopus coronam vestram venerans saluto.

Ego Honoratus episcopus coronam vestram venerans saluto.

Eparchius episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Eustathius episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.

1112 Ego Maximus episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.

Ego Ynantius coronam vestram venerans saluto.

EPISTOLA [a] C.

[b] MARCIANI IMPERATORIS AD LEONEM PAPAM.

Synopsis. — I. *De fide apud Chalcedonem roborata et pace Ecclesiæ restituta gratulatur.* — II. *Fidem juxta litteras S. Leonis a synodo esse expositam.* — III. *Petit ut sedi CP. secundus locus juxta statuta secundæ et quartæ synodi tribuatur.* — IV. *Per Lucianum et Basilium consensum ejus super eodem negotio postulat.*

Victores Valentinianus et Marcianus, inclyti triumphatores, semper Augusti, sancto patri merito venerabili Leoni episcopo [c].

Cap. I. — Divina humanaque scripta consentiunt Divinitatem in primis esse venerandam, et ibi omnipotentem Deum esse propitium, ubi colitur rite religio. Id ergo quod quærebamus invenimus, et effectum vota nostra meruerunt. Invenit religionis fidem religiosus affectus; nec dubium est Deo auctore definitum quod de majestate quærebatur. Explosa igitur contentione atque discordia quam livor fidei inimicus objecerat, Deum omnes una mente cognoscunt. Jam non incusamus [d] perfidos, nec sumus ingrati.

[a] Alias post 77. Quæ autem erat 100, nunc 127. Scripta 18 Decemb. an. 451.

[b] Hanc epistolam edidit Holstenius in collectione Romana ex ms. Barberino 3386 collect. 16 Thessalonicensis, cum quo eamdem relegimus. Latinus hujus epistolæ textus originalis videtur Tillemontio art. 135, in Leonis Vita. Verba quidem ante finem *et alia manu* sequentem salutationis formulam ipsa imperatoris manu additam videntur innuere. Hanc autem formulam Latine expressam fuisse ex eo colligi potest, quod non ita dicatur scripta Græce, ut in eadem Thessalonicensi collectione affirmatur de subscriptione Anatolii subjecta epistolæ 132; nam de hac legitur: *Et subscriptio litteris Græcis.* Si vero imperatoris salutatio in originali Latine exarata fuit, idem de ipsa epistola censendum est. Ipsa etiam Latina syntaxis satis congrua, ab usitata ejus temporis interpretandi ratione, quæ in aliis documentis Latine redditis detegitur, plurimum abest. Adde tandem quod Græcus textus, quem subjiciemus, est nonnullibi quibusdam commatibus auctior, caret autem illis, *et alia manu;* ac propterea textus Latinus ex Græco redditus dici nequit. Num vero Latine et Græce scripta fuerit hæc epistola, uti non tam Latine quam Græce scripta fuisse videtur memorata Anatolii epistola 132, aliis dijudicandum relinquimus. Commatum quidem discrimen Græcum quoque textum originalem insinuare videtur. Marcianum sane utriusque linguæ peritum, notum est ex concilio Chalcedonensi act. 6, in qua Latine et Græce allocutus traditur.

[c] In codice Barb. et apud Holstenium hæc adduntur, quæ synopsis vicem gerunt: *Ut speraverit Ecclesia Constantinopolitana secundam sedem fieri debere, quod non est concessum.*

[d] Voces, *perfidos, nec sumus*, quæ Holstenio exciderunt, et sensui necessariæ sunt, ex eodem codice supplevimus.

Digitized by Google

Religionis inimici præstiterunt nobis ut Deum studiosius quæreremus, **1113** manifestius inveniremus. Majus etenim lumen videtur, quod post tenebras fulserit; dulcior est sitientibus potus, fessis otium. Lætetur igitur sanctimonia tua victoria fidei, cujus laurea omnipotenti Christo referenda est, qui de perfidis egit triumphum. Atque ideo ipsi interesse sanctæ synodo festinavimus, quamvis nos in aliis locis expeditiones et necessitates publicæ detinerent.

Cap. II. — Itaque omnia pro votis atque oratione religionis tuæ, quæ fidei conveniunt, auctore Deo sunt ordinata. Totius orbis, qui sub imperio nostro est, reverendissimis episcopis Chalcedonem convocatis, tractatu habito, post multa certamina vera fides obtinuit, et juxta litteras sanctitatis tuæ universi assenserunt expositioni prout veritas postulavit. Nec dubitamus hujus rei gratulationem nobis et sanctitati tuæ esse communem, pariterque lætari quos pariter manifestum est optasse veritatem. Superest ut universis pro catholica fide et veritate compositis et pace Ecclesiis restituta, votis omnibus in perniciem hostium sanctitas tua divinam provocet majestatem; quod te et ante litteras nostras facere certissimum est.

Cap. III. — Quoniam vero et hoc statutum est ut ea quæ centum quinquaginta sanctissimi episcopi sub [a] divo Theodosio Majore de **1114** honore venerabilis Ecclesiæ Constantinopolitanæ statuerunt, et quæ nunc a sancta synodo de eadem re statuta sunt, firma serventur: scilicet ut post sedem apostolicam Constantinopolitanæ urbis antistes secundum obtineat locum; quoniam et eadem splendidissima civitas junior Roma nuncupatur: dignetur sanctitas tua etiam huic parti proprium adhibere consensum, quamvis reverentissimi episcopi, qui tuæ religionis vicem agentes ad sanctam synodum convenerunt, contradixerint. Vehementer enim prohibebant de hac venerabili Ecclesia a synodo aliquid ordinari.

Cap. IV. — Speramus autem quod concordantibus toto orbe sacerdotibus, ea quæ reipublicæ Romanæ proderunt, divinus favor præstare dignabitur. Qua de re per Lucianum virum religiosum episcopum, et Basilium diaconum harum portitores omnia vere insinuari oportere censuimus. Et petimus ut ea quæ sancta synodus statuit, etiam religio tua in perpetuum præcipiat observari. *Et alia manu:* Divinitas te servet per multos annos, sancte ac religiosissime Pater. Data decimo quinto kalendas Januarias, Constantinopoli, D. N. Marciano PP. Aug., et qui fuerit nominatus, consulibus.

EJUSDEM EPISTOLÆ.

Græcum exemplar cum nova interpretatione Latina.

1116 *Epistola piissimi imperatoris Marciani ad beatissimum archiepiscopum Romæ Leonem.*

Victores Valentinianus et Marcianus gloriosi, triumphatores Augusti, sanctissimo et vere venerabili patri archiepiscopo Leoni.

Cap. I. — Divinæ humanæque litteræ consentiunt Divinitatem in primis esse adorandam, ibique omnipotentem Deum esse propitium, ubi colitur recte fides. Hoc igitur quod quærebamus invenimus et assecuti sumus nostris precibus. Invenit enim religionis fidem fidelis affectus, et nullum dubium est Dei auxilio esse definitum, quod de ipsius potentia quærebatur. Expulsa enim omni contentione et discordia, quam invidus dæmon fidei injecerat, Deum omnes una mente cognoscunt. Cæterum non accusamus infideles, quin et gratiam habemus religionis inimicis: præstiterunt enim nobis ut Deum studiosissime quæreremus manifesteque cognosceremus. Majus enim lumen esse videtur post tenebras apparens: dulcis est sitientibus potus, fessis otium. Lætetur

1115 [1] Ἐπιστολὴ τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως Μαρκιανοῦ πρὸς τὸν μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον Ῥώμης Λέοντα.

Νικηταὶ Οὐαλεντινιανὸς καὶ Μαρκιανὸς, ἔνδοξοι, τροπαιοῦχοι, αὔγουστοι, τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ ἀληθῶς σεπτῷ [2] πατριάρχῃ ἐπισκόπῳ Λέοντι.

Αἱ θεῖαι καὶ ἀνθρώπιναι γραφαὶ συμφωνοῦσι τὸ θεῖον ἐν πρώτοις εἶναι προσκυνητὸν, κἀκεῖ τὸν παντοκράτορα Θεὸν εἶναι ἵλεω, ὅπου θρησκεύεται [3] ὀρθῶς ἡ πίστις. Τούτου τοίνυν, ὅπερ [4] ζητοῦμεν, εὕρομεν καὶ ἐπιτυγχάνομεν ἡμετέραις εὐχαῖς· εὗρε γὰρ τῆς θρησκείας τὴν πίστιν ἡ πιστὴ διάθεσις, καὶ οὐδὲν ἀμφίβολόν [5] ἐστι συνεργείᾳ τοῦ Θεοῦ τετυπῶσθαι, ὅπερ περὶ τῆς αὐτοῦ δυνάμεως ἐζητεῖτο. Ἐκβεβλημένης τοίνυν πάσης φιλονεικίας καὶ διχονοίας, ἵν' τινα ὁ βάσκανος δαίμων τῇ πίστει [6] ἐβέβλαπτε, τὸν Θεὸν πάντες [7] διανοίᾳ γινώσκουσι. Λοιπὸν οὐ κατηγοροῦμεν τῶν ἀπίστων, ἀλλὰ καὶ χάριν ὁμολογοῦμεν τοῖς τῆς θρασκείας ἐχθροῖς· παρέσχον γὰρ ἡμῖν, ὅπως τὸν Θεὸν σπουδαιότατα ζητήσωμεν, φανερῶς τε ἐπέγνωμεν. Μεῖζον γὰρ φῶς εἶναι δοκεῖ τὸ μετὰ τὴν σκοτίαν φαῖνον· γλυκὺς [8] ἐστι τοῖς διψῶσιν ὁ πότος, τοῖς κεκμηκόσιν ἡ

[a] Vocem *divo* item adjecimus ex eodem codice et editione Holstenii. In Græco autem textu habetur, *sub divæ memoriæ Theodosio.*

[1] Hæc epistola anno 1685 ab Andrea Arnoldo in syntagmate Athanasii edita fuit ex cod. Barocciano in Bodleianam bibliothecam translato, et dein a Quesnello secundæ editioni inserta. Græcum textum relegimus et emendavimus ex cod. Vat. Græco 1455; Latinam interpretationem Arnoldi Quesnellus recusit; nos ob insignes emendationes Græci textus novam interpretationem afferendam credidimus.

[2] Ita et ms. Vat. Sed, ut monuit etiam Arnoldus, pro πατριάρχῃ ἐπισκόπῳ legendum forte πατρὶ ἀρχιεπισκόπῳ. Vide epist. ejusdem Marciani 110.

[3] Addidimus ὀρθῶς, quod aberat a vulg., auctoritate cod. Vat. Consonat et textus Latinus, qui habet *rite.*

[4] Ms. Vat., ζηλοῦμεν. Cæterum lege ἐζητοῦμεν.

[5] Ita cod. Vat. In vulg. non satis bene, ἀμφίβολον ἐπὶ συνεργείᾳ, etc.

[6] Ms. Vat., ἐμβεβλήκει. Legendum forte ἐνεβεβλήκει.

[7] Supple ex textu Latino antiquo, et lege μιᾷ διανοίᾳ.

[8] Ita ms. Vat. atque ita in textu Latino. Abest ἐστὶ a vulgatis.

Digitized by Google

igitur sanctitas tua super victoria **1118** fidei, cujus corona omnipotenti Christo referenda; hic enim dedit contra infidelem victoriam. Et ideo nos ipsi adesse sanctæ synodo festinavimus, quamquam nos in aliis locis et expeditiones et publicæ necessitates detinerent.

CAP. II. — Ergo omnia secundum vota sanctitatis tuæ, quæ fidei consonant, definita sunt, totius orbis, qui sub nostro imperio est, piissimis episcopis Chalcedone convocatis, et deliberatione habita, post multas contentiones vera fides obtinuit, et juxta litteras sanctitatis tuæ omnes assenserunt expositioni, sicut veritas postulavit; nihilque ambigimus hujus rei gratiam nobis et sanctitati tuæ communem esse, et ex æquo lætari quos palam est æquali studio amare veritatem. Superest ut omnibus juxta catholicam fidem et veritatem compositis, et pace Ecclesiis restituta, votis omnium in perniciem hostium sanctitas tua divinam provocet potentiam: quod te et ante nostras litteras facere in confesso est.

CAP. III. — Quoniam vero et hoc constitutum est, ut ea quæ a centum quinquaginta episcopis sub divæ memoriæ Majore Theodosio honoris gratia erga venerabilem Constantinopolitanam Ecclesiam statuta sunt, quæque nunc a sancta synodo de eadem re sunt sancita, firma serventur, videlicet ut post apostolicam sedem Constantinopolitanus statim episcopus secundum habeat locum, **1120** quoniam splendidissima urbs junior Roma appellatur, dignetur sanctitas tua etiam hunc partem assensum præbere; licet reverendissimi episcopi, qui loco tuæ in Deo charitatis ad sanctam synodum convenerunt, contradixerint: vehementissime enim prohibebant de eadem venerabili Ecclesia quidquam in synodo decerni. Speramus autem quod consentientibus totius orbis sacerdotibus, quæ Romanis rebus utilia sunt, divina providentia præstare dignabitur. Quapropter per Lucianum Dei amantissimum episcopum et Basilium diaconum ut omnia vobis significarentur decrevimus, rogamusque ut quæ a sancta synodo constituta sunt, etiam tua in Deum pietas in perpetuum observari præcipiat. Divina te providentia servet multis temporibus, sanctissime et Dei amantissime pater. Data ante diem decimum quintum kalend. Januar. Constantinopoli, consulatu domini nostri Marciani semper Augusti, et ejus qui fuerit nuntiatus.

A ἀργία. Χαιρέτω τοίνυν ἡ σὴ ἁγιωσύνη ἐπὶ τῇ νίκῃ τῆς **1117** πίστεως [1] οὗτινος ὁ στέφανος τῷ παντοκράτορι χριστῷ ἀναθετέος· Οὗτος γὰρ δέδωκε [2] κατὰ τῶν ἀπίστων νίκην· καὶ διὰ τοῦτο ἡμεῖς αὐτοὶ παραγενέσθαι τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ [3] ὑπείχθημεν, εἰ καὶ ὅτι ἡμᾶς ἐν ἄλλοις τόποις ἐκστρατεῖαι τε καὶ δημοσίαι χρεῖαι κατεῖχον Τοιγαροῦν ἅπαντα κατ' εὐχὰς τῆς σῆς ἁγιωσύνης, αἵτινες τῇ πίστει συμφωνοῦσι, [4] τετύπωται. Παντὸς τοῦ κόσμου τοῦ ὄντος ὑπὸ τὴν ἡμετέραν βασιλείαν τῶν εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων ἐν τῇ χαλκηδονίων συγκληθέντων, καὶ σκέμματος γενομένου, μετὰ πολλὰς φιλονεικίας ἡ ἀληθὴς πίστις κατίσχε, καὶ κατὰ τὰ γράμματα τῆς σῆς ἁγιωσύνης πάντες συνήνεσαν τῇ ἐκθέσει, καθὼς ἡ ἀλήθεια ἀπήτησε· καὶ οὐδὲν ἀμφιβάλλομεν τούτου τοῦ [5] πράγματος τὴν χάριν ἡμῖν καὶ τῇ σῇ ἁγιωσύνῃ κοινὴν εἶναι, καὶ ἐπ' B ἴσης χαίρειν, οὕστινας φανερόν ἐστιν ὁμοίως [6] εἰρῆσθαι τὴν ἀλήθειαν. Λείπει ὅπως πάντων [7] κατὰ τὴν καθολικὴν πίστιν καὶ τὴν ἀλήθειαν συντεθέντων, καὶ εἰρήνης ταῖς ἐκκλησίαις ἀποδοθείσης, συμπάσαις εὐχαῖς εἰς ἀπώλειαν τῶν πολεμίων ἡ σὴ ἁγιωσύνη τὴν θείαν προσκαλέσηται δύναμιν· ὅπερ σὲ καὶ πρὸ τῶν ἡμετέρων [8] ποιεῖν ὡμολόγηται. Ἐπειδὴ δὲ καὶ τοῦτο τετύπωται, ὥστε τὰ παρὰ τῶν ρν' ἐπισκόπων ἐπὶ τοῦ τῆς θείας λέξεως [9] τοῦ ἀνωτέρου θεοδοσίου τῆς τιμῆς ἕνεκα τῆς σεπτῆς ἐκκλησίας τῶν κωνσταντινουπολιτῶν τυπωθέντα, καὶ ἄτινα νῦν ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος τετύπωται, βέβαια φυλαχθῆναι, δηλαδή, ἵνα μετὰ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον ὁ τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν εὐθὺς ἐπίσκοπος δεύτερον [10] ἔχοι **1119** τόπον, ἐπειδὴ περιφανεστάτη πόλις νεωτέρα Ῥώμη προαγορεύεται [11] καταξιώσει C ἡ σὴ ἁγιωσύνη καὶ τούτῳ τῷ μέρει συναινέσαι· εἰ καὶ οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι εἰς τόπον τῆς σῆς θεοφιλείας ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ συνελθόντες ἀντεῖπον· σφοδρότατα γὰρ ἐκώλυον περὶ τῆς αὐτῆς σεπτῆς ἐκκλησίας τυπωθῆναί τι ἐν τῇ συνόδῳ. Ἐλπίζομεν δὲ ὡς συμφωνούντων τῶν τοῦ παντὸς κόσμου ἱερέων τὰ τοῖς ῥωμαϊκοῖς πράγμασι λυσιτελοῦντα ἡ θεία πρόνοια παρασχεῖν καταξιώσει. Διὸ δὴ διὰ λουκιανοῦ τοῦ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου, καὶ βασιλείου τοῦ διακόνου πάντα ὑμῖν γνωρισθῆναι ἐθεσπίσαμεν, καὶ αἰτοῦμεν τὰ παρὰ τῆς ἁγίας συνόδου τυπωθέντα ἵνα καὶ ἡ σὴ εὐσέβεια εἰς τὸ διηνεκὲς παραφυλαχθῆναι προστάξῃ. Ἡ θεία σε πρόνοια φυλάττοι πολλοῖς χρόνοις, ἁγιώτατε καὶ θεοφιλέστατε πάτερ· Ἐδόθη πρὸ δεκαπέντε καλανδῶν Ἰανουαρίων ἐν Κωνσταντινουπόλει ὑπατείας τοῦ δεσπότου ἡμῶν Μαρκιανοῦ τοῦ αἰωνίου αὐγούστου, καὶ D τοῦ δηλωθησομένου.

[1] Ita etiam ms. Vat., sed legendum ἧς τινος.
[2] Ita legimus cum ms. Vat. Male in vulgatis, παρὰ τῶν ἀπίστων.
[3] Ita et ms. Vat., sed legendum ὑπείχθημεν: quod non admonisse Arnoldum, neque post eum Quesnellum, miramur.
[4] Ita manifeste ms. Vat. Male in vulgatis, τετύπεθαι; quamquam in margine annotatum fuerit: Leg., τετύπωται.
[5] Ita perspicue cod. Vat. In vulg., γράμματος; in margine annotatum fuit: Forte, πράγματος.
[6] Ita et ms. Vat., sed legendum forte, ἐρᾶσθαι.
[7] Supplemus κατὰ ex ms. Vat., quæ præpositio male abest a vulgatis.
[8] Supplendum hic ex veteri textu Latino, et legendum, ἡμετέρων γραμμάτων.
[9] Veram hic tibi lectionem exhibet ms. Vaticanus. Corrupte in vulgatis, τοῦ ἀωτέρου; cujus vocis e regione in margine annotatum fuit: Forte, προτέρου.
[10] In vulg., ἔχῃ.
[11] Forte, καταξιώσῃ.

Digitized by Google

EPISTOLA [a] CI.

[b] ANATOLII EPISCOPI CONSTANTINOPOLIS AD S. LEONEM ARCHIEPISCOPUM ROMÆ.

Nunc primum ex ms. Vaticano edita.

SYNOPSIS. — I. *Leonis zelus contra hæreticos quos prostravit. De actis Chalcedone Romam allatis.* — II. *Legati Anatolii cum aliis actis Romam missi. De damnatione Dioscori.* — III. *De epistola Leonis recepta ab omnibus, et de definitione fidei edita in synodo Chalcedonensi.* — IV. *De aliis gestis Chalcedonensibus post definitionem fidei, primum quoad canones, dein quoad particulares causas ecclesiasticas. Tandem de privilegio Ecclesiæ Constantinopolitanæ.* — V. *Contradictio legatorum Leonis huic privilegio. Confirmatio ejus petitur.*

1122 Sanctissimo et beatissimo patri et commi- nistro archiepiscopo antiquæ Romæ LEONI, ANATOLIUS in Domino salutem.

CAP. I. — Vestræ sanctitatis zelus erga pietatem, et sollicitudo rectæ fidei omnium salvatori Deo chara et grata, digna facta est omnium admiratione. Mos enim vobis est, qui ita magni estis, in recte factis assurgere, et probationem Christi Ecclesiarum in vestris laudibus ponere. Unde non despexit vestra sanctitas veram fidem profanis suffossam insultibus; sed exsecrans malos operarios, armis implacabilibus contra pravitatem vehementer illos prostravit. Quoniam igitur piissimi et Christo charissimi nostri imperatores, optimum pietatis zelum præseferentes, omnem radicem amaram pullulantem rescindere solliciti, ne ab ipsa polluantur (cum ad hoc maxime ad regnum evecti sint, ut fidei Patrum, cum **1124** sub [c] tyrannide est, auxilium ferant) ex omni fere loco qui sub sole est sacerdotes colligi jusserunt, ut hi communi sententia confirmantes beatorum et venerabilium Patrum fidem, et consonam illis tuæ sanctitatis epistolam, omnem innovationem dissipent peregrinorum sophismatum, quæ pietatis sensum lædit. Et quoniam oportebat omnia [d] necessario ad notitiam tuæ sanctitatis referri, quæ consecuta sunt, mittentes hinc electos Dei amantissimum fratrem et coepiscopum nostrum Lucianum, et religiosissimum diaconum Basilium, scribimus etiam [e] rursus ista significantes, quod jam quidem Dei amantissimus frater et coepiscopus noster [f] Lucentius simul cum piissimo presbytero vestro Bo-

A **1121** Τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ μακαριωτάτῳ πατρὶ, καὶ συλλειτουργῷ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης Λέοντι Ἀνατόλιος ἐν Κυρίῳ χαίρειν.

Τῆς μὲν ὑμετέρας ἁγιωσύνης ὁ περὶ τὴν εὐσέβειαν ζῆλος, καὶ ἡ περὶ τῆς ὀρθῆς πίστεως τῶν πάντων σωτῆρι Θεῷ φίλη τε καὶ ἀρέσκουσα φροντὶς ἀξία παντὸς γέγονε θαύματος. Ἔθος γὰρ [1] ὑμῖν τοὺς οὕτω μεγάλους εὐδοκιμεῖν, καὶ δοκίμιον τῶν τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησιῶν τὰς αὐτῶν ποιεῖσθαι σπουδάς. Ὅθεν οὐ παριεῖδεν ἡ ὑμῶν ὁσιότης τὴν ἀληθῆ πίστιν βεβήλαις ὑποροττομένην ὁρμαῖς, ἀλλὰ βδελυξαμένη τοὺς κακοὺς ἐργάτας, τῷ ὅπλῳ τῆς μισοπονηρίας εὐτόνως τούτους [2] κατέτρωσεν. Ἐπεὶ τοίνυν καὶ οἱ εὐσεβέστατοι, καὶ φιλόχριστοι ἡμῶν βασιλεῖς ἄριστοι τῆς εὐσεβείας ὑπάρχοντες ζηλωταὶ, πᾶσαν ῥίζαν πικρίας ἀναφύουσαν φροντίσαντες ἐκτεμεῖν, ἵνα μὴ διὰ αὐτῆς μιανθῶσι (διὰ τοῦτο πλέον εἰς βασιλείαν προαχθέντες· **1123** ὅπως τυραννουμένη τῇ πίστει τῶν πατέρων ἀμύνωσιν) ἐκ πάσης σχεδὸν τῆς ὑφ' ἡλίῳ τοὺς Θεῷ ἱερουργοὺς ἐθέσπισαν συναχθῆναι, ἵνα οὗτοι κοινῇ κρίσει βεβαιώσαντες τὴν μακαρίων καὶ ἀοιδήμων πατέρων πίστιν, καὶ τὴν σύμφονον ταύτῃ τῆς σῆς ἁγιότητος ἐπιστολὴν, πᾶσαν καινοτομίαν τῶν ἐπεισάκτων σοφισμάτων τῆς εὐσεβείας τὸ φρόνημα καταβλάπτουσαν ἀποσκεδάκωσι, καὶ ἔδει ἅπαντα εἰς γνῶσιν τῆς σῆς ἁγιότητος ἀνενεχθῆναι τὰ παρακολουθήσαντα ἀναγκαίως· ἀποστέλλοντες αὐτόθι, κατ' ἐπιλογὴν τὸν θεοφιλέστατον ἀδελφὸν, καὶ συνεπίσκοπον ἡμῶν [3] Λουκιανὸν, τόν τε εὐλαβέστατον διάκονον βασίλειον γράφομεν καὶ αὖθις, ταῦτα δηλοῦντες, ὡς ἤδη μὲν ὁ θεοφιλέστατος ἀδελφὸς καὶ συνεπίσκοπος ἡμῶν Λουκιανὸς· ἅμα τῷ θεοσεβεστάτῳ πρεσβυτέρῳ [4] ἡμῶν Βονιφατίῳ

[a] Quæ autem erat 101, nunc 128. Scripta eodem tempore quo præcedens.

[b] Hanc epistolam nunc primum proferimus ex Vaticano Græco 1455, in quo etiam præcedentes Marciani litteras Græcas invenimus. Cum utræque de eadem re agant, et per eosdem legatos Lucianum episcopum ac Basilium diaconum fuerint transmissæ, eodem tempore quo superior hæc quoque epistola ab Anatolio scripta cognoscitur. Hinc etiam sicut antecedenti epistolæ Marciani Leo respondit epist. 104, data die 22 Maii, ita huic Anatolii eodem die responsum dedit epist. 106.

[c] Nimirum uti erat Dioscoro prædominante, cum Marcianus ad imperium evectus fuit.

[d] Observa necessitatem referendi ad apostolicam sedem; unde iterum paulo post, *quæ debent necessario ad vestram cognitionem venire.*

[e] Aliam igitur epistolam Anatolius ad Leonem scripserat, cum Lucentius et Bonifacius post concilium remigraverant: quæ tamen esse potest ipsa epist. 98 totius concilii nomine ad Leonem missa, cui quidem Anatolius primo loco subscripsit, ut ex antiqua versione liquet. At paulo post hanc epist. 98 uti a concilio scriptam allegat. Hinc porro colligitur eosdem Lucentium et Bonifacium ante hoc tempus discessisse cum actis et relatione ejusdem synodi, ac proinde paulo post kalendas Novembris, cum postrema concilii actio habita fuit.

[f] In Græco quidem Λουκιανὸς *Lucianus* legitur. At cum ipsi jungatur presbyter Bonifacius, qui simul cum concilii gestis discesserat, palam est legendum esse *Lucentius*, qui una cum Bonifacio apostolicæ sedis legatione functus Romam repetiit. Idem confirmant evidentius sequentia, ubi *post ipsos* hic nominatos, qui chartas concilii detulerant, aliæ chartæ etiam *per nostros* mittendæ dicuntur. Hinc enim colligitur *ipsos* fuisse Occidentales distinctos a *nostris; nostri* autem intelliguntur Lucianus atque Basilius Constantinopoli Romam directi, qui pariter in antecedenti epistola a Marciano memorantur. In *ipsis* ergo Occidentalibus non solus Bonifacius intelligendus est, sed etiam Lucentius. Neque moveat quod Paschasinus omittatur, qui tamen primus inter legatos Romanæ sedis exstitit. Nam sicut S. Leo Paschasinum ad concilium misit non ex Urbe, ut Bonifacium, sed ex Sicilia, ut indicatur epist. 89, 91, et præcipue 94, ita Anatolius idcirco fortassis memorat solummodo Lucentium et Bonifacium, quod hi tantum Romam profecturi essent, Paschasinus autem in Siciliam reversurus demigraverit. Quis porro fuerit Marcianus diaconus, qui cum his legatis Occidentalibus discessit, inopia monumentorum ignoramus.

[1] Forte, τοῖς οὕτω *μεγάλοις*.

[2] Forte, *κατέστρωσεν*.

[3] Leg., Λουκίντιον.

[4] Leg., ὑμῶν.

Digitized by Google

nifacio et Marciano religiosissimo diacono, patentibus chartis quæ continent ea quæ in œcumenica synodo gesta sunt, acceptis ex hac urbe discessit.

Cap. II. — Quoniam vero post ipsos par erat ut [a] reliquæ chartæ, quæ debent necessario ad vestram cognitionem venire, etiam per nostros homines mitterentur, eo quod specialiter quædam a nobis acta sunt, ea de causa **1126** eligentes virum pietate et intelligentia et simplicitate in fide abundantissima præditum memoratum religiosissimum episcopum cum supradicto diacono ad vestram magnam Romam legavimus, ut cum alia quidem per litteras, alia vero per se ipsos manifesta fecerint, convenienti vobisque digno responso, ad nos cum gaudio revertantur, celebrantes cum omnibus dilectionem et benignitatem, qua uti consuevit paternæ vestræ sollicitudo beatitudinis erga sedem hujus urbis regiæ. Quo pacto vero sancta et universalis synodus scrutata diligenter exortam tempestatem contra communem pacem invenerit auctorem, Dioscorum dico, qui Alexandrinorum fuit olim episcopus, et sacerdotio excidit, ea quæ a sancto et œcumenico concilio distincte [b] scripta fuerunt, significant. Oportebat enim, oportebat tolli de medio improbum, qui et replevit totum orbem tempestatibus et procellis. Verum his quidem optime constitutis etiam vestram sanctitatem confidimus esse [c] assensuram propter innatum vestrum odium contra pravitatem.

Cap. III. — Quoniam vero post judicium de illo [d] opus erat (quem in finem diligentissime pius imperator sanctam synodum congregavit) ut in rectæ vestræ fidei sensum omnium conveniret intelligentia, cum oratione et lacrymis, astante nobis in spiritu et cooperante per isthinc missos Deo charissimos viros tua sanctitate, habentes protectricem sanctissimam et speciosissimam Euphemiam martyrem, salutari [e] huic operi nos ipsos omnes reliquis depositis curis dedidimus; et cum tempus postularet ut **1128** omnes congregati sanctissimi episcopi [f] concordem definitionem ederent ad explicationem, et clariorem intelligentiam confessionis in Dominum nostrum Jesum Christum; Dominus Deus inventus, et non quærentibus apparens, apparens autem etiam non interro-

A σὺν Μαρκιανῷ τῷ εὐλαβεστάτῳ διακόνῳ φανεροὺς χάρτας περιέχοντας τὰ ἐν τῇ ἁγίᾳ, καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ πεπραγμένα λαβὼν ταύτης τῆς βασιλευούσης ἐξεδήμησε πόλεως.

Ἐπειδὴ δὲ μετ' ἐκείνους πρέπον ἦν τοὺς ὑπολελειμμένους καὶ εἰς γνῶσιν ἡμῶν ἀναγκαίως ἐλθεῖν ὀφείλοντας χάρτας, καὶ δι' ἡμετέρων ἀνδρῶν ἀποσταλῆναι· διὰ τὸ ἰδικῶς ἡμῖν πεπρᾶχθαί τινα, τούτου χάριν ἐπιλεξάμενοι ἄνδρα εὐσεβείᾳ τε, **1125** καὶ συνέσει, καὶ τῇ περὶ τὴν πίστιν ἀκεραιότητι πλουτοῦντα τὸν μνημονευθέντα θεοσεβέστατον ἐπίσκοπον, ἅμα τῷ προειρημένῳ διακόνῳ εἰς τὴν ὑμετέραν μεγίστην Ῥώμην ἐξαπεστείλαμεν· ἵνα τὰ μὲν διὰ τῶν χαρτῶν, τὰ δὲ δι' ἑαυτῶν σαφῆ ποιήσαντες ἀποκρίσεως προσφόρῳ τε, καὶ ὑμῖν πρεπούσης χαίροντες πρὸς ἡμᾶς ἐπανέλθωσιν, ἀνυμνοῦντες μετὰ πάντων τὴν ἀγάπην, καὶ τὴν φιλοφροσύνην τὴν συνήθη περὶ τὸν τῆς βασιλευούσης ταύτης πόλεως θρόνον, τῇ πατρικῇ κηδεμονίᾳ τῆς ὑμετέρας μακαριότητος· ὅπως μὲν γὰρ ἡ ἁγία, B καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος ἐρευνήσασα τὴν γεγενημένην ζάλην κατὰ τῆς κοινῆς εἰρήνης εὗρε τὸν αἴτιον, Διόσκορόν φημι, τὸν τῆς Ἀλεξανδρέων γεγονότα πρώην ἐπίσκοπον, καὶ ἀπέτεμε τῆς ἱερωσύνης, τὰ παρὰ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου λεπτομερέστερον γεγραφέντα δηλοῖ. Ἔδει γάρ, ἔδει ἐξαρθῆναι τὸν πονηρὸν ἐκ μέσου, τὸν καὶ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην χειμῶνος καὶ ζάλης ἐμπλήσαντα. Ἀλλ' ἐπὶ μὲν τούτοις καλῶς δόξασι, καὶ τὴν ὑμετέραν ἀγιότητα πεπείσμεθα [1] τίθεσθαι διὰ τὴν ἔμφυτον μισοπονηρίαν ὑμῶν· ἐπειδὴ δὲ μετὰ τὸν ἐπ' ἐκείνῳ τύπον ἐχρῆν (διὸ μάλιστα σπουδαίως ὁ εὐσεβὴς βασιλεὺς τὴν ἁγίαν σύνοδον ἤθροισεν), ἐπὶ τὸν τῆς ὀρθῆς [2] ἡμῶν πίστεως λόγον [3] πάντως συνελθεῖν τὴν διάνοιαν. μετὰ προσευχῆς, καὶ δακρύων συμπαρούσης ἡμῖν τῷ πνεύμματι, καὶ συμπραττούσης διὰ τῶν αὐτόθεν ἀποσταλέντων θεοφιλεστάτων C ἀνδρῶν τῆς σῆς ὁσιότητος· ἔχοντες ὑπερασπίζουσαν τὴν ἁγιωτάτην, καὶ καλλίστην Εὐφημίαν τὴν μάρτυρα τῷ σωτηρίῳ τούτῳ ἑαυτοὺς ἅπαντες μετὰ πάσης σχολῆς δεδώκαμεν πράγματι, καὶ **1127** ἀπαιτοῦντος τοῦ καιροῦ πάντας τοὺς συνειλεγμένους ἁγιωτάτους ἐπισκόπους σύμφωνον ὅρον ἐξενεγκεῖν· πρὸς σαφήνειαν, καὶ τρανοτάτην κατάληψιν τῆς εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ὁμολογίας ὁ Δεσπότης Θεὸς εὑρισκόμενος, καὶ τοῖς μὴ ζητοῦσιν ἐμφανιζόμενος· ἐμφανιζόμενος δὲ καὶ τοῖς μὴ ἐπερωτῶσιν αὐτὸν. Εἰ καί τινες τὴν ἀρχὴν διαφιλονεικεῖν ἐπεχείρησαν, ἀνέδειξεν ὅμως τὴν ἑαυτοῦ ἀλήθειαν, καὶ ᾠκονόμησε

[a] Hæ chartæ *quædam a nobis specialiter acta* continere traduntur. Sub finem vero epistolæ ad Leonem missa dicitur definitio pro sede Constantinopolitana, quæ cum post absolutam actionem diei 31 Octobris, absentibus legatis, lucubrata fuerit gesta in eamdem rem iisdem absentibus *specialiter* acta, suæ scilicet sedis favore indicari videntur.

[b] Intelligitur relatio synodi ad Leonem, quam superius dedimus epist. 98.

[c] Nota assensum Romanorum pontificum actis concilii requisitum, et omnino liberum.

[d] Adverte necessitatem conveniendi cum fide Romani pontificis ab Anatolio assertam. *Fidei* autem nomine intelligit epistolam 28, ad Flavianum, cujus quidem lectio in concilio præmissa fuit definitioni fidei. Cumque nonnulli episcopi minus recte assecuti Leonis mentem, aliquot difficultates in ea recipienda proposuissent, hinc in concilio actum fuit ut difficultates ejusmodi dissolverentur, sicque *in rectum vestræ fidei sensum omnium conveniret intelligentia.* Adverte præterea hæc gesta fuisse *post judicium de illo*, id est de Dioscoro.

[e] Nimirum disjiciendis difficultatibus et persuadendis episcopis, qui epistolam ad Flavianum minus intelligentes, ineunte concilio actione secunda, apud Anatolium convenere, ut tractatu habito omnem dubitationem exuerent, quod feliciter evenit, quemadmodum traditur actione quarta, pag. 1382 et 1383 tom IV Concil. D

[f] Post concordiam omnium in recipienda epistola S. Leonis, de concordi definitione edenda actum fuit actione quinta.

[1] Leg., *συντίθεσθαι.*

[2] Leg., *ὑμῶν.*

[3] Leg., *πάντων.*

Digitized by Google

gaudibus eum, etsi [a] quidam ab initio contentiose obstare conati sunt, ostendit tamen suam veritatem, et disposuit, ut [b] unanime et contradictionis expers ab omnibus publicaretur scriptum, quod tum confirmaret constantium animos, tum invitaret ad viam veritatis omnes qui a veritate declinabant. Et quidem cum subscripsissemus unanimi consensu hujusmodi libello, qui conveneramus in consessu universalis nostræ synodi in confessione ejusdem sanctissimæ et victricis martyris Euphemiæ, cumque cum piissimi et Christi amantissimi imperatoris nostri Marciani, et piissimæ perque omnia fidelissimæ imperatricis et Augustæ filiæ nostræ Pulcheriæ oratione et gaudio atque hilaritate scriptam ad confirmandam eam quæ Patrum nostrorum fuit fidei definitionem juxta vestram illam sacram epistolam **1130** [c] supra sanctum altare posuissemus, ipsam eorum pietati tradidimus, sic eam ut acciperent, cum ipsi rogavissent: qui accipientes gloriam dederunt nobiscum Christo Domino, qui expulit quidem obscuritatem pravæ opinionis, et illustravit summa consensione verbum veritatis. Et quæ quidem ad ecclesiasticam pacem concordiamque sacerdotum in fide pura spectant, per gratiam Salvatoris hoc pacto contigerunt.

Cap. IV. — Quoniam vero etiam de aliis rebus oportebat nos considerare, ut tanta synodus omnia videretur agere sine ulla omissione, quæ correctionis indigent, atque approbationis tum [d] in canonicis, tum in ecclesiasticis capitibus, cura adhibita est et ab iis

σύμφωνον, καὶ [1] ἀντίλεκτον ἐκφωνηθῆναι παρὰ πάντων ἔγγραφον· στηρίζοντα μὲν τῶν βεβαίων τὰς ψυχάς, προσκαλούμενον δὲ πάντας εἰς τὴν ὁδὸν τῆς ἀληθείας τοὺς ἀπὸ τῆς ἀληθείας ἐκκλίνοντας· καὶ δὴ ὑποσημηνάμενος συμφώνως τῷ τοιούτῳ χάρτῃ παραγενόμενοι εἰς τὸ συνέδριον τῆς οἰκουμενικῆς ἡμῶν συνόδου ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῆς αὐτῆς ἁγιωτάτης καὶ καλλινίκου μάρτυρος Εὐφημίας· τοῦ τε εὐσεβεστάτου, καὶ φιλοχρίστου βασιλέως ἡμῶν Μαρκιανοῦ, καὶ τῆς εὐσεβεστάτης κατὰ πάντα πιστοτάτης βασιλίδος, καὶ αὐγούστης τῆς θυγατρὸς ἡμῶν Πυλχερίας μετὰ προσευχῆς, χαρᾶς τε καὶ εὐφροσύνης, τὸν ἐπὶ τῇ βεβαιώσει τῆς τῶν πατέρων ἡμῶν ἔγγραφον πίστεως ὅρον κατὰ τὴν ὑμετέραν ἐκείνην ἱερὰν ἐπιστολήν, ἐπιτεθεικότες **1129** τῷ ἁγίῳ θυσιαστηρίῳ προσδεδώκαμεν τῇ αὐτῶν εὐσεβείᾳ· οὕτως αὐτὸν δέξασθαι τούτων ἁπαιτησάντων· οἵπερ δεξάμενοι ἐδόξασαν σὺν ἡμῖν τὸν δεσπότην Χριστὸν τὸν ἀπελάσαντα μὲν πάντα ζόφον κακοδοξίας· τρανώσαντα δὲ ὁμογνωμόνως τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, καὶ τὸ μὲν περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης, καὶ τῆς περὶ τὴν εὐαγῆ πίστιν ὁμονοίας τῶν ἱερέων τῇ χάριτι τοῦ σωτῆρος οὕτω συνέβραμεν. Ἐπειδὴ δὲ καὶ περὶ ἑτέρων ὑποθέσεων ἐχρῆν ἡμᾶς διασκοπῆσαι· ἵνα ἡ τοσαύτη σύνοδος πάντα δόξῃ πράττειν ἀπαραλείπτως τὰ δεόμενα διορθώσεως τε καὶ βεβαιώσεως, ἔν τε κανονικοῖς, καὶ ἐν ἑτέροις ἐκκλησιαστικοῖς κεφαλαίοις, ἐγένετο φροντὶς τοῖς τε κρατοῦσι τῶν ὅλων, καὶ τοῖς μεγαλοπρεπεστάτοις, καὶ ἐνδοξοτάτοις ἄρχουσι, τῇ τε λαμπρῷ καὶ ἐνδόξῳ συγκλήτῳ, τῷ τε κλήρῳ παντὶ, καὶ λαῷ αἰσθησιν λαβεῖν προσθήκης τινὸς εἰς τιμὴν, τὸν κατὰ τὴν βασιλεύουσαν

[a] Novæ scilicet definitioni fidei oppositiones exortæ fuerunt, quæ eadem actione quinta indicantur.

[b] Vide actionem sextam.

[c] Respicitur actio sexta Chalcedonensis, in qua tamen non omnes circumstantiæ hic propositæ leguntur. Ex his autem explicatur recteque intelligitur perobscurus locus epistolæ 98 ejusdem concilii ad Leonem, ubi traditur sancta Euphemia *tamquam propriam confessionem fidei definitionem suscipiens a nobis, suo sponso per piissimum imperatorem et amicam Christi Augustam obtulisse.* Quid autem id fuerit, præsens epistola manifestat. Hinc etiam apertius refelluntur illa commenta, quæ nonnulli posteriores Græci induxerunt, de quibus vide Baronium ad an. 451. num. 118 et 119. Hinc pariter cognoscimus ipsam Pulcheriam Augustam una cum Marciano interfuisse actioni sextæ, quod negaverant Baluzius tom. IV Concil. pag. 1470, not. 11, in eamdem actionem, Pagius ad an. 451, num. 31, et Tillemontius in Leone art. 119, et nota 51. Verum est, Pulcheriæ nomen nec legi in actis Græcis hujus actionis, quæ ad nos pervenerunt, nec in integra eorumdem actorum versione Latina. At non idcirco negandum est huic actioni adfuisse Pulcheriam, quam Anatolius præsentem tam explorate testatur, quamque item præsentem ipsa Chalcedonensis relatio cum Anatolii textu cohærens, recitatis verbis significat. In originalibus quidem concilii gestis Pulcheriæ nomen fuisse insertum, nihil dubitandum est. Antequam enim integra concilii gesta Latine redderentur (quod serius aliquanto factum credimus, nimirum circa Hormisdæ tempora, uti contra Quesnellum statuetur in observationibus ad notam 3 ejusdem in epist. 86, nobis 113), Latine statim ab initio versa fuere quædam præcipua concilii capita, quæ eodem loco recensebimus. Hinc in mss. codd. antiquissimarum collectionum Latinarum pauca capita hujus concilii leguntur interpretationis omnino diversæ ab interpretatione omnium actorum ejusdem synodi. Harum collectionum antiquitas, ipsaque interpretationis minus accuratæ ruditas primam horum capitum versionem ipso Leone vivente ex allatis gestis Græcis lucubratam insinuant. In mss. autem collectionis Quesnellianæ, quam quintam appellare solemus, nec non in antiquissimo cod. Vat. 1322, ubi initium actionis sextæ ex Græco redditum legitur, Pulcheriæ nomen occurrit, nec non in alia perantiqua versione, quæ collectionibus Hispanicæ et Isidorianæ inserta fuit, ut videre est tom. IV Concil. p. 2031. Igitur Græca illa exemplaria, quibus primi ac vetustiores interpretes usi sunt, præferebant Pulcheriæ nomen; ac proinde falsitatis accusari nequit cum Sirmondo auctor Breviculi historiæ Eutychianistarum (quem esse Gelasium probabiliter ostendemus in observationibus ad Quesnelli notas in epist. 28), cum de synodo Nicææ primum indicta, ac dein Chalcedonem translata scripsit: *In qua et ipse* (imperator) *et Pulcheria resedit.* Hinc etiam in dubium vocari nequit num Pulcheriæ sit epistola ad Strategum consularem Bithyniæ, quæ ante gesta Chalcedonensia ipsius nomine in omnibus et Græcis et Latinis mss. inscribitur, eo quod se præsentem concilio futuram spondet. Immo ex hoc quoque testimonio ejus præsentia in synodo haud incredibilis comprobatur. Difficultas ex indictione synodi, quæ in ea epistola Pulcheriæ tribuitur, satis solvitur ex annot. 5 (*Col.* 942, *n.* P) in ep. 95.

[d] Animadvertendus est hic ordo. Post definitionem fidei editam act. 6, primum canones 27 constituti fuerunt; dein de causis ecclesiasticis actum fuit, nimirum de Maximo Antiocheno, et Juvenali Hierosolymitano, de Theodoreto, de Iba, etc. Hinc canones collocandi sunt actione septima, non autem, ut in editis, act. 15. Plura de hoc disseremus tom. II, annot. 18 in dissert. I Quesnelli ad annum 451.

[1] Leg., ἀνσντίλεκτον.

Digitized by Google

qui omnia moderantur, et a magnificentissimis gloriosissimisque judicibus et illustri et glorioso senatu et clero universo et populo, ut adiiceretur aliquo honoris additamento sanctissima sedes hujus regiæ urbis Constantinopolis per consensum hujus sanctæ synodi circa canonem centum quinquaginta sanctorum Patrum, qui congregati fuerant sub magno Theodosio piæ recordationis, qui fuit Constantinopolis imperator, præsidente tunc [a] Nectario quidem Constantinopoli, Timotheo vero Alexandriæ, et Meletio Antiochiæ, Helladio **1132** Cæsareæ Cappadociæ, Cyrillo Hierosolymis, et reliquis. Et hanc rem aggressi sumus confidentes merito vestræ beatitudini fore ut proprium reputet honorem sedis Constantinopolitanæ, quippe jamdiu apostolicus vester thronus sollicitudinem erga ipsam et concordiam habet, ipsique per omnia proprium, quibus rebus indigebat, auxilium elargitus est abundanter. Etenim cum nullum sit dubium quin gaudeat omnino vestra beatitudo, quod quæ ab ipsis celebratur congregatio, præstantiorem habuerit honorem, [b] prompto animo progressa est ad confirmandum quidem ipsum canonem centum quinquaginta sanctorum Patrum statuentium, ut Constantinopolitanus episcopus habeat honorem et primum locum post Romanam sanctissimam sedem, eo quod etiam Constantinopolis sit nova Roma, definivitque etiam ut ordinationes ipse faceret metropolitarum Ponticæ, et Asianæ, et Thracicæ diœcesis; [c] episcopis, qui sub ipsorum ditione sunt, a propriis metropolitis ordinationem accipientibus, ut in hoc potius auferantur throno Constantinopolitano ordinationes complurium episcoporum, quas per sexaginta et septuaginta annos facere consueverat.

CAP. V. — Ita vero cum omnes res bene essent progressæ, atque in lætitiam desiissent, piissimi protinus episcopi Paschasinus et Lucentius et reverendissimus presbyter Bonifacius, sæpe quidem de hac ipsa re a nobis edocti, et ignorantes intentionem vestræ sanctitatis, quam habetis erga Constantinopolis sanctissimam Ecclesiam, postquam signavit sancta synodus, et subscriptione confirmavit hujusmodi definitionem, rejiciunt synodum, turbant et confusione implent **1134** consessum, pro nihilo

A τούτων Κωνσταντίνου ἁγιώτατου θρόνου, διὰ τῆς συνελθούσης τῆς ἁγίας ταύτης συνόδου τῆς περὶ τὸν κανόνα τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα ἁγίων πατέρων ἅπερ ἐτύγχανον συνελεγμένοι ἐπὶ τοῦ τῆς εὐσεβοῦς μνήμης μεγάλου Θεοδοσίου τοῦ γενομένου βασιλέως ἐν Κωνσταντινουπόλει· ἡγουμένων τότε Νεκταρίου μὲν Κωνσταντινουπόλεως, Τιμοθέου δὲ Ἀλεξανδρείας, καὶ Μελετίου Ἀντιοχείας, Ἑλλαδίου Καισαρείας, **1131** καὶ Καππαδοκίας, Κυρίλλου Ἱεροσολύμων, καὶ τῶν λοιπῶν. Καὶ πρὸς τὴν τοιαύτην πρᾶξιν ὡρμήσαμεν θαῤῥοῦντες εἰκότως τῇ ὑμετέρᾳ μακαριότητι, ὡς οἰκειώσεται τὴν τιμὴν τοῦ Κωνσταντινουπόλεως θρόνου, εἶα δὴ ἄνωθεν τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου ἔχοντος τὴν περὶ αὐτὸν κηδεμονίαν καὶ ὁμόνοιαν, κατὰ πάντα τε τῆς οἰκείας, ἐφ' οἷς ἐδεῖτο, ῥοπῆς, αὐτῷ μεταδεδωκότος ἀφθόνως. Καὶ γὰρ ἀμφιβολίας οὐκ οὔσης, ὡς B ἥδεται πάντως ἡ ὑμετέρα μακαριότης, ἐφ' οἷς ἡ συγκροτουμένη παρ' αὐτῶν Ἐκκλησία ἐπιδοξοτέραν ἔσχηκε τὴν τιμήν, προθύμῳ γνώμῃ ἦλθεν εἰς τὸ βεβαιῶσαι μὲν τὸν αὐτὸν κανόνα τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα ἁγίων πατέρων τῶν διατυπούντων τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὴν τιμήν, καὶ τὰ πρεσβεῖα μετὰ τὸν Ῥώμης ἁγιώτατον θρόνον, διὰ τὸ καὶ τὴν Κωνσταντινουπόλιν νέαν εἶναι Ῥώμην· ὥρισέ τε καὶ τὰς χειροτονίας τῶν μητροπολιτῶν ποιεῖσθαι τῆς Ποντικῆς, καὶ τῆς Ἀσιανῆς, καὶ τῆς Θρᾳκικῆς διοικήσεως, τῶν ἐπισκόπων τῶν ὑπ' αὐτοὺς τελούντων ὑπὸ τῶν ἰδίων μητροπολιτῶν χειροτονουμένων, ὡς ἐν τούτῳ ἀφαιρεῖσθαι μᾶλλον τοῦ θρόνου Κωνσταντινουπόλεως χειροτονίας πλείστων ἐπισκόπων, ὥσπερ ἀπὸ ἑξήκοντα, καὶ ἑβδομήκοντα ἐνιαυτῶν ἐτύγχανεν ἐπιτελῶν. Οὕτω τε πάντων καλῶς προβάντων, καὶ εἰς εὐφροσύνην C ληξάντων, οἱ εὐσεβέστατοι αὐτόθεν ἐπίσκοποι Πασχασῖνος, καὶ Λουκίνσιος, καὶ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος Βονιφάτιος πολλάκις μὲν περὶ τούτου αὐτοῦ παρ' ἡμῶν διδαχθέντες· ἀγνοοῦντες δὲ τὸν σκοπὸν τῆς ὑμετέρας ἁγιωσύνης, ὃν ἔχετε περὶ τὴν Κωνσταντινουπόλεως ἁγιωτάτην Ἐκκλησίαν μετὰ τὸ τυπῶσαι τὴν ἁγίαν σύνοδον, καὶ δι' ὑπογραφῆς βεβαιῶσαι τὸν τοιοῦτον ὅρον, ἀνασοβοῦσι μὲν τὴν σύνοδον, ταράττουσι δὲ καὶ συγχύσεως **1133** πληροῦσι τὸ συνέδριον, τὸν θρόνον τοῦτον ἐξουθενοῦντες, καὶ πάντα ποιοῦντες ὅσα ὕβρεως αἴτια, ἐμοί τε, καὶ τῇ Κωνσταντινουπόλεως ἁγιωτάτῃ Ἐκκλησίᾳ. Καθίστατο καὶ ταῦτα νεύματι τῶν εὐσεβεστάτων ἡμῶν βασιλέων παραγενομένων, καὶ τῶν μεγαλοπρεπεστάτων καὶ ἐνδοξοτάτων

Hos scilicet quinque episcopos veluti præcipuos Constantinopolitani concilii Patres distincte nominat. Photius in libro de Synodis ejusdem concilii præsides vocat Timotheum Alexandrinum, Meletium Antiochenum, Cyrillum Hierosolymitanum, et Nectarium CP., quem tamen primum locum habuisse affirmat. At Meletius ante Nectarii ordinationem obierat; unde huic concilio una cum Nectario nec interesse nec præesse potuit. Cum vero in antiquis catalogis Latinis ac Græco provenientibus episcoporum, qui interfuerunt eidem concilio, nomina describantur, et in his Meletius et Nectarius cum cæteris nominentur, Anatolium et Photium simili catalogo Græco usos credimus, in quo nimirum duorum conciliorum CP. ejusdem anni 384 nomina antiquissimis temporibus permixta fuerint, in quorum primo Meletius, non autem Nectarius, in secundo vero, de quo hic sermo est, Nectarius recens ordinatus, non autem Meletius, qui jam obierat, adfuit atque præsedit. Quod si cum Tillemontio in S. Gregorii Nazianzeni Vita credamus unum concilium CP. eo anno habitum fuisse, quod in aliquot menses productum fuerit, ita ut initio Meletius, hoc autem mortuo Nectarius ibidem ordinatus præfuerit, proprius ac strictius Anatolii et Photii testimonia intelligentur.

D

[b] Perspicuitatis gratia supple nominativum *synodus Chalcedonensis*.

[c] In ms. quidem Græco deest τῶν ἐπισκόπων, *episcopis*: sed ex ipso canone Chalcedone edito act. 16, ad quem hæc referuntur, hoc nomen ab amanuensi perperam omissum necessario supplevimus. Constantinopolitano enim episcopo ibidem concessæ fuerunt ordinationes metropolitarum trium diœceseon Ponti, Asiæ et Thraciæ; ordinationes vero episcoporum earumdem diœceseon, quas CP. episcopi, per sexaginta vel septuaginta annos sibi vindicaverant, eisdem ademptæ propriis metropolitis restitutæ fuere.

Digitized by Google

hanc sedem habentes, et facientes omnia quæ injuriam afferunt tum mihi, tum Constantinopolis sanctissimæ Ecclesiæ. Constituta sunt etiam hæc nutu piissimorum nostrorum imperatorum, astantibus et magnificentissimis gloriosissimisque judicibus concilio, et pronuntiantibus definitionem sanctæ synodi esse firmam, obnixeque et ipsis contendentibus et cupientibus ea quæ ad honorem sedis spectant, ut diximus, quorum ex multis pauca vobis nota fecimus, ne videamur [a] ipsos quidem gravare, aures vero vestras obtundere. Nos enim et ante et post ipsorum adventum, quæ ad vestram gloriam et honorem debitum pertinent, curavisse in omnibus, et Deus est testis, et ipsa facta manifestant, quomodo scilicet et ipsos honore et munerum reverentia dignati simus: et honoris gratia, quo vos prosequimur, ejusmodi etiam decretum ad vestram sanctitatem sancta synodus retulit, et nos [b] ut approbationem a vobis confirmationemque consequamur; obsecramusque ut hoc etiam per vos, o sanctissimi, efficiatur. Nam sedes Constantinopolis habet patrem thronum apostolicum vestrum, præcipuo atque excellenti modo se ipsam vobiscum conjungens, ut ex vestra de ipsa sollicitudine, omnes quidem intelligant, vos jamdiu ipsius commodis sincere consulentes, etiam nunc eamdem curam habere de illa. Et sicut utilia ecclesiastico statui omnia quæ consecuta sunt, et rite gesta in sanctissima et universali synodo rata habere [c] dignabimini, ipsam quoque definitionem supradictam de sede Constantinopolitana curavimus mittendam ad vestram sanctitatem, ut cognoscere possit quemadmodum vestris **1136** precibus ex divina sapientia omnia fuerunt peracta; vehementerque obtestamur ut congruam responsionem recipiat unaquæque propositio, docente vos omnia Dei amantissimo episcopo Luciano, qui et ipse præsens sancto concilio, et summa cum prudentia pro virili parte allaborans nostro studio erga fidem, electus est a nobis, ut bene ac feliciter nostri obsequii erga vos vices susciperet, cum sit vir perfectus, atque piissimis et Christi amantissimis nostris imperatoribus jamdudum amicus, quem vestra bonitate gaudentem, lætum ad nos mittere dignemini. Totam fraternitatem cum vestra beatitudine in Christo et ego, et qui mecum sunt plurimum salutamus. Incolumis in Domino, et pro nobis orans, doneris nobis, Deo charissime et beatissime Pater.

A ἀρχόντων τῷ συνεδρίῳ, καὶ ἀποφαινομένων τὸν παρὰ τῆς ἁγίας συνόδου ὅρον βέβαιον εἶναι, καὶ προσφιλοτιμουμένων καὶ αὐτῶν τὰ εἰς τιμὴν, καθάπερ εἰρήκαμεν, τοῦ θρόνου συντείνοντα, ἅπερ ἐκ πολλῶν ὀλίγα ὑμῖν ἐγνωρίσαμεν, ἵνα μὴ δόξωμεν αὐτοὺς μὲν βαρεῖν, ταῖς δὲ ἀκοαῖς ταῖς ὑμετέραις παρενοχλεῖν. Ἡμεῖς γὰρ ὅτι καὶ πρὸ τῆς αὐτῶν παρουσίας, τὰ εἰς δόξαν ὑμετέρκν καὶ τιμὴν τὴν ὀφειλομένην ἐν πᾶσι διεπραξάμεθα, καὶ μετὰ τὴν αὐτῶν παρουσίαν, θεός τε μάρτυς, καὶ αὐτὰ πεπραγμένα δηλοῖ. Ὅπως γε καὶ αὐτοὺς τιμῆς τε, καὶ δορυφορίας ἠξιώσαμεν αἰδοῖ, καὶ τιμῇ τῇ περὶ ὑμᾶς, καὶ τὸν τοιοῦτον τύπον ἐπὶ τὴν ὑμετέραν ὁσιότητα ἡ ἁγία σύνοδος ἀνήνεγκε καὶ ἡμεῖς, ἐφ' ᾧ τε παρ' ὑμῶν τυχεῖν συναινέσεως, καὶ βεβαιότητος, παρακαλοῦμέν τε, καὶ τοῦτο παρ' ὑμῶν γενέσθαι, ἀγιώτατοι. Ὁ γὰρ θρόνος B Κωνσταντινουπόλεως ἔχει πατέρα τὸν ἀποστολικὸν θρόνον ὑμῶν κατεξαίρετον ἑαυτὸν συνάψας [1] ἡμῖν, ἵνα καὶ διὰ τῆς ὑμῶν περὶ αὐτὸν φροντίδος ἅπαντες μὲν πεισθεῖεν, ὅτι γνησίως ἄνωθεν προνοησάμενοι, καὶ νῦν τὴν αὐτὴν ἔχοντες διαμένετε περὶ αὐτὸν φροντίδα, καὶ ὡς λυσιτελοῦντα δὲ τῇ ἐκκλησιαστικῇ καταστάσει [2] καταξιώσατε ἅπαντα κυρῶσαι τὰ παρακολουθήσαντα ἐγγράφως ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ καὶ οἰκουμενίκῃ συνόδῳ, καὶ αὐτὸν δὲ τὸν προειρημένων περίτεοῦ θρόνου τῆς Κωνσταντινουπόλεως ὅρον ἐσπουδάσαμεν ἀποστεῖλαι πρὸς τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην· ἵνα ἔχητε εἰδέναι, ὡς εὐχαῖς ταῖς ὑμετέραις **1135** θεοσέφως ἅπαντα ᾠκονόμηται, καὶ παρακαλοῦμεν πρόσφορον ἀπόκρισιν δέξασθαι ἑκάστην ὑπόθεσιν διδάσκοντος ὑμᾶς ἅπαντα τοῦ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου Λευκιανοῦ, ὃς καὶ αὐτὸς παρὼν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, καὶ ἐμφρόνως τὰ δυνατὰ C εἰσενεγκὼν τῷ περὶ τῆς πίστεως ἡμῶν ἀγῶνι ἐπιλέγα παρ' ἡμῶν ὑπηρετήσασθαι τῇ πρὸς ὑμᾶς ἐπ' ἀγαθοῖς διακονίᾳ· ἀνὴρ τέλειος ὑπάρχων, τοῖς τε εὐσεβεστάτοις, καὶ φιλοχρίστοις ἡμῶν βασιλεῦσιν ἄνωθεν φίλος· ὑπὲρ ἀπολαύσαντα τῆς ὑμετέρας ἀγαθότητος χαίροντα πρὸς ἡμᾶς ἐκπέμψαι καταξιώσατε. Πᾶσαν τὴν σὺν τῇ ὑμετέρᾳ μακαριότητι ἐν Χριστῷ ἀδελφότητα ἐγώ τε, καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ πλεῖστα προσαγορεύομεν. Ἐρρωμένος ἐν Κυρίῳ, καὶ ὑπερευχόμενος ἡμῶν, χαρισθείης ἡμῖν, θεοφιλέστατε καὶ μακαριώτατε Πάτερ.

EPISTOLA [d] CII.

[e] AD EPISCOPOS GALLIARUM.

De damnatione hæreticorum.

SYNOPSIS. — I. *Se Gallorum episcoporum epistolam cœlesti doctrina plenam accepisse nuntiat.* — II. *De synodo œcumenica. Humanis de fide ratiociniis locum esse non debere.* — III. *Nestorii et Eutychetis dogmata pariter esse fugienda.* — IV. *Synodum et epistolæ Leonis consensisse, et Dioscorum proscripsisse.* — V. *De his omnibus gratias Deo esse agendas; pro legatorum reditu orandum; victoriam fidei Hispanis per Gallos esse nuntiandam.*

D

LEO Romanæ urbis episcopus, RAVENNIO, RUSTICO, VENERIO, [f] CONSTANTIANO, MAXIMO, [g] ARMENTARIO,

[a] Ad legatos pontificis hæc referuntur, sicut et sequentia, *ipsos honore et munerum reverentia dignati simus.*

[b] Concinunt quæ idem Anatolius ad Leonem deinceps scripsit epist. 132, cap. 4: *Cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestræ beatitudinis fuerit reservata.*

[c] In Græco quidem legitur καταξιώσατε, *dignemini.* At syntaxis et sensus legendum ostendit καταξιώσετε, *dignabimini;* de approbatione enim et confirmatione actorum a Leone præstanda agitur.

[d] Alias 77. Quæ autem antea 102 erat, nunc 134. Scripta 27 Januarii an. 452.

[e] Exstat in mss. collect. 12, 18, 19 et 24, ac in Vat. 541, cui additiones accesserunt ex collect. 24. Est responsio epistolæ 99.

[f] Ita cod. Ratisp. ut in epist. 99. Al., *Constantino.*

[g] Idem codex, *Armazorio.*

[1] Leg., ὑμῖν.

[2] Leg., καταξιώσετε, vel καταξιώσατε.

Digitized by Google

FLORO, [a] SABINO, [b] VALERIANO, CONSTANTIO, MAXIMO, ASCLEPIO, NECTARIO, MAXIMO, URSO, INGENUO, JUSTO, VALERIO, SUPERVENTORI, CHRYSAPHIO, FONTEIO, PETRONIO, YDATIO, ÆTHERIO, EULALIO, [c] EUSTATIO, FRATERNO, VICTURO, EUGENIO, [d] HILARO, VERO, AMANDO, GERONTIO, PROCULEIANO, JULIANO, HELLADIO, ARMENTARIO, HONORATO, [e] EPARCHIO, ANEMIO, DYNAMIO, MAXIMINO, YNANTIO et PALLADIO, episcopis per Gallias constitutis.

CAP. I.— Optassemus quidem fraternitatis vestræ litteras eo tempore quo promiseratis accipere, ut profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad sanctam synodum vice nostra pro catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio jungeretur. Sed cum multa obstacula inopinatam vobis intulerint tarditatem, quamlibet seras et diu exspectatas epistolas per **1137** fratrem et coepiscopum nostrum Ingenuum gratanter accepimus, easque cum gaudio recensentes probavimus, sicut confidebamus, eruditione Spiritus sancti cœlestem in vobis vigere doctrinam, quam in Orientalibus Ecclesiis versutia hostis antiqui, per eos [f] quos sequaces suæ reperit falsitatis, fatigare conata est; cum catholica fides, quæ nulla sui est parte mutabilis, per ipsas adversantium exercitationes et validior semper efficiatur et clarior, operante hoc gratia Dei, ut si qui forte ad hæc subtilia inimici jacula declinanda minus erant instructi minusque solliciti, perceptis veritatis armis, fierent contra impiorum mendacia fortiores. Quod ergo, sicut causa poscebat, fiduciam nostram, quam de vobis habemus in Domino, fideliter atque obedienter auxistis, multa exsultatione gaudemus.

CAP. II. — Et merito nos cognoscimus fratribus et coepiscopis nostris Orientalibus intimasse quod secundum evangelicam apostolicamque traditionem de Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, una esset omnium nostrum et indiscreta confessio; neque ullis [g] hæreticorum disputationibus obtineri ut aliter aliquid de summi et salutiferi sacramenti veritate sapiamus, quam ex prædicatione sanctorum Patrum, et ex auctoritate incommutabilis Symboli didicimus ac docemus, damnatis ab universali Ecclesia, et nunc Eutyche, et antea Nestorio. Quorum si quis non ferendis impietatibus inhærere delegerit, ipse se a corpore Christianæ unitatis [h] abscindet. Non enim ultra jam cuiquam excusationis refugium [i] de ignorantiæ inscitia vel de intelligentiæ difficultate conceditur; cum [j] ob hoc ipsum sexcentorum fere fratrum coepiscoporumque nostrorum synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium disserendi [k] contra fundatam divinitus **1138** fidem spirare permiserit: quoniam annitentibus per auxilium gratiæ Dei fratribus [l] et vicariis nostris, quorum plenissima exstitit in omni actione devotio, non solum sacerdotibus Christi, sed etiam principibus et potestatibus Christianis, [m] cunctisque cleri et plebis ordinibus, plene atque evidenter apparuit hanc esse vere apostolicam [n] et catholicam fidem, ex divinæ pietatis fonte manantem, quam sinceram et ab omni fæce totius erroris alienam, sicut accepimus, prædicamus, et universo jam mundo consentiente defendimus; exstinctis toto orbe dogmatibus quæ vel præcedens hæreticus ausus est inferre, vel subsequens, dissimili quidem [o] mendacio, sed impietate non impari.

CAP. III. — Nam sicut Nestorius non est toleratus, affirmans beatam Mariam hominis tantummodo fuisse genitricem, qui postmodum sit [p] a Verbi Deitate susceptus, duabus scilicet [q] personis distinctis atque divisis, ut non esset filius hominis qui Filius Dei; neque unus Christus in utraque natura, sed alter sempiternus ex Patre, alter temporalis ex matre: cum evangelica auctoritas ita Verbum carnem prædicet factum (*Joan.* I, 14), ut non duos Christos, nec duos filios, sed in uno Domino Jesu Christo et Dei et hominis nobis insinuet veritatem: ut utriusque substantiæ, id est salvantis atque salvatæ, nec proprietas possit confundi, nec persona geminari. Sicut ergo

[a] Nostri codd., *Savino*.

[b] Sic omnes nostri codd. et dein, *Valerio*. Vide annot. 6 (*Col.* 965, [i]) in epist. 99. Alias prius *Valerio*, ac dein *Valeriano*.

[c] Cod. Ratisp., *Eutychio*. Vat. collect. 12 et 24, cum alio Vat. 541, *Euticio*. Mox ex cod. Ratisp. emendavimus *Victuro*, quod conciuit cum lectione epist. 99. Vulgati, *Venturo*.

[d] Idem codd., *Hilario*.

[e] Ms. Ratisp., *Aparcio*. Vat. collect. 12, *Epartio*. Vat. 541, *Epatrio*.

[f] Editi cum mss. collect. 24, *quos sequaces, suos reperit, falsitasque fatigare conata est*. Vat. collect. 12 et alius 541 omittunt conjunctionem *que*. Correximus ex Ratisp.

[g] Sic melius ex eodem Ratisp. quam in Vulgatis aliisque codicibus, *eorum disputationibus detineri*.

[h] Ita idem codex. Editi ante Quesn. cum mss. collect. 12 et 24, *abscidit*. Quesnellus, *abscindit*. Cod. Grim. collect. 18, *ipse a corpore Christianæ unitatis abscedet*.

[i] Ita Quesnellus. Editi Leonis cum Vat. collect. 12 et 541, *de ignorantia et inscitia*. Vulgati Concil. cum mss. collect. 24, *de ignorantia et inscientia*. Ratisp., *de ignorantiæ inscientia*.

[j] Sic cum Griman. noster Ratisp. Sirmondus, *hæc ipsa*. Editi Leonis, *hoc ipsum*. Cod. Victor. et tres nostri, *hoc ipso*.

[k] Ita ex Ratisp., in quo paulo post legitur quidem *inspirare* pro *spirare*; sed puncta subjecta litteris *in* has delendas indicarunt. Editi antiquiores cum Vat. 541, *contra fundamentum fidei inspirare*. Vat. collect. 12, *respirare*. Quesnellus cum codd. collect. 24, *contra fundamentum fidei divinitus inspiratæ permiserit*; qui tamen not. 1 fatetur omnes suos codices, etiam Grim. habere *inspirare*.

[l] Conjunctionem *et* a Quesnello insertam noster etiam Ratisp. approbat.

[m] Vulg. et plerique codd., *cunctisque clericis, plebibus, ordinibus*. Lectionem Ratisp. prætulimus.

[n] Voces *et catholicam* a Quesnello adjectas in Ratisp. et mss. collect. 24 invenimus.

[o] Editi, *commento*. Quesn. in marg.: Al., *mendacio*, quam vocem recepimus auctoritate omnium nostrorum codd. ac præsertim Ratisp., ex quo præterea *non impari* substituimus vulgato *compari*.

[p] Melior hæc Ratisp. lectio quam cæterorum codd. et editionum, *a Verbo Deitatis*.

[q] Erat in antiquis edit. cum aliquot mss., *naturis et personis distinctis, ut neque ipse esset filius*, etc. Correctionem Quesnelli ex Grim. noster Ratisp. confirmat. Vide ejus not. 2.

Digitized by Google

Nestorius in suo dogmate exsecrabilis [a] fuit, sic et Eutyches, damnatum olim sectatus errorem, alia profanitate blasphemans, a catholicæ soliditatis compage resectus est : quia indoctis quibusdam nimiumque simplicibus persuadere tentavit quod Verbum Dei ita caro sit factum ut veram carnem [b] de matre non sumpserit; nec nostri illum generis corpus habuisse, sed Divinitatis ejus et carnis unam esse naturam aut unum Dominum 1139 nostrum Jesum Christum et falsum hominem et Deum diceret esse passibilem. Quod nec pietas fidei, nec ratio recipit sacramenti, ut aut in sua natura passibilis fuerit Deitas, aut [c] in susceptione humana mentita sit veritas.

Cap. IV. — Quæ diabolicorum sensuum prodigiosa commenta, sancta nunc synodus, humilitatis nostræ scriptis, auctoritate Domini mei beatissimi Petri apostoli et merito roboratis, religiosa unanimitate consentiens [d] abominandum hoc ab Ecclesia Dei amputavit opprobrium : Dioscoro quoque Alexandrino in sua impietate damnato : ne illa Ecclesia, quæ inter ipsa Evangelii principia beatum Marcum beatissimi Petri apostoli discipulum in omnibus utique [e] doctoris sui magisterio consonantem habuit fundatorem, quæque postea recentioribus a nostra ætate temporibus Athanasium, Theophilum, et proxime Cyrillum probatissimos præsules habuit, indignam captivitatem sub hæretici dominatione pateretur. Unde secundum magnam misericordiam Dei universos diaboli conatus, quibus Ecclesiam [f] Dei conturbare molitus est, noveritis esse destructos.

Cap. V. — [g] Reddita igitur Deo, fratres charissimi, digna gratiarum actione, oret nobiscum vestra dilectio, ut fratres nostros, quos exspectatio nostra desiderat, incolumes quam primum rediisse lætemur, et de omnibus quæ Domino adjuvante sunt gesta plenius vos possimus instruere. Nam fratrem Ingenuum [h] noluimus hac exspectatione tardari; 1140 cum ob hoc ipsum properantius remeare [i] deberet, ne diutius vobis esset incognita communium materia gaudiorum : quæ volumus per curam dilectionis vestræ etiam [j] ad fratres nostros Hispaniæ episcopos pervenire : ut quod Deus operatus est nulli possit esse incognitum. [k] Data VI kalendas Februarii Herculano viro clarissimo consule.

EPISTOLA [l] CIII.

[m] AD EPISCOPOS GALLIARUM.

Synopsis. — *Reversis legatis a synodo Chalcedonensi, acceptisque gestis, et sententia adversus Eutychen et Dioscorum prolata, hujus exemplar mittit ad Gallicanos episcopos.*

Dilectissimis fratribus [n] Rustico, Ravennio, Venerio, et cæteris episcopis per Gallias constitutis, Leo.

Impletis per misericordiam Dei communibus votis, dignum est fraternitatem vestram sanctorum gaudiorum habere consortium. Nam fratres mei, qui vice mea Orientali 1141 synodo præsederunt, quæ acta [o] retulerint significo, confirmata catholica fide, et glorificato apostolicæ prædicationis triumpho : quod etiam hi qui ad deviandum vel seducti fuerant vel impulsi, recepta veritatis luce lætantur. Siquidem omnes Domini sacerdotes [p] in unam sententiam

[a] Verbum *fuit* addidimus ex codice Ratisp., qui mox delet *et* ante vocem *Eutyches*; et paulo post pro *resectus est* habet *secatus est*.

[b] Sic Quesn. cum Grim. et nostro Ratisp. Al., *de ventre Virginis*.

[c] Cod. Ratisp., *in susceptionem humanam*.

[d] Ita ex eodem Ratisp. Vulgati, *abominando, ab Ecclesia Dei amputavit; Dioscorum quoque Alexandrinum in sua impietate manentem, ne illa Ecclesia*, etc. Cum nostra emendatione concinit Quesnellus, qui solum *abominando* pro *abominandum* retinuit.

[e] Idem Ratisp. cum Grim. Quesnelli expungunt vocem *doctrinis*, quam hic inserebant anteriores editiones cum mss. Vat. collect. 12 et 24 ac 541.

[f] Sic Ratisp. et duo nostri codd. Al., *Domini*.

[g] Vulgati antiquiores, *Reddite igitur Deo gratias, fratres charissimi, et dignam gratiarum actionem, et oret*. Quesnellus : *Reddite igitur Deo, fratres charissimi, dignam gratiarum actionem, et oret*. Ratisponensis lectio visa est sincerior.

[h] Sic idem Ratisp. et duo alii codd. Alias, *nolumus*.

[i] Ita idem Ratisp. Al., *debuerit, ne diutius vobis esset incognita omnium materia gaudiorum*.

[j] Vide not. 4 Quesn.

[k] Emendatissimi cod. Ratisp. chronicam notationem diei prætulimus. Alii codd. et editi, *Data kal. Februarii*; in quibus nota VI facilius excidit, quam in Ratisp. librarii arbitrio addita fuerit.

[l] Alias 82. Quæ autem antea 103 erat, nunc 129. Scripta circa Febr. an. 452.

[m] Edita fuit a Merlino ex ms. cod. collect. 12, cujus duos nos relegimus Vat. 1340, et Venetum 169. Sirmondus duos insigniores codices reperit, Corbeiensem collect. 2 et Pithœanum. Quoad tempus, hac in epistola legatorum apostolicæ sedis adventus nuntiatur, qui in antecedentibus litteris datis die 27 Januarii exspectari dicuntur cap. 5. Cum vero ex epist. 101 constet, eos Constantinopoli discessisse ante diem 18 Decembris anni præcedentis, et probabilius paulo post Chalcedonensem synodum mense Novemb., uti ibidem animadvertimus annot. 4 (*Col.* 975, *n.*) Romam illi pervenere mense Februario vel Martio, et certe aliquanto antequam S. pontifex scriberet quatuor epistolas subsequentes; hæ enim rescriptæ fuerunt litteris diei 18 Decembris allatis per Lucianum atque Basilium, qui post ipsorum legatorum discessum Constantinopoli transmissi, circa Aprilem in Urbem venerant, ex qua, exacta jam sua legatione, cum sequentibus epistolis Constantinopolim rediere sub diem 22 Maii.

[n] Rusticus Narbonensis Ravennio Arelatensi hac in epistola præmittitur, cum in antecedenti postponatur. Ratio discriminis facilis est. In antecedenti epistola Leo respondet synodicæ episcoporum epistolæ 99, in qua cum Ravennius Rustico præcederet, eumdem ordinem sequendum credidit. Rustico autem in ea synodica præcessit Ravennius, eo quod scripta fuerit in synodo Arelatensi; in synodis autem metropolitanus ejusdem provinciæ primum locum obtinere solet, etiamsi alii aliarum provinciarum metropolitæ antiquiores aut celebriores intersint; unde in subscriptionibus concilii Aquileiensis an. 381 præcedit Valerianus Aquileiensis provinciæ metropolita, tametsi S. Ambrosius Mediolanensis tot nominibus celebris eamdem synodum rexerit, et in aliis documentis Valeriano præponatur. In præsenti autem epistola Leo non respondet ulli Gallorum synodicæ; ac propterea ætatis ratione habita, Rusticum Ravennio præmittit.

[o] Antiquiores vulgati, *retulere*.

[p] Alias, *in una sententia*.

Digitized by Google

tiam, sancto Spiritu docente, consensere; et de sacramento Dominicæ incarnationis, in qua multorum intelligentia caligabat, ita tenebræ erroris ablatæ sunt, ut in uno Domino nostro, vero et Dei et hominis Filio, nec de humanitatis ambigatur natura, nec de Deitatis essentia. In impios autem nefandi erroris auctores, qui indignos se Dei gratia judicantes, correctionis uti remediis noluerunt, qualis sit lata sententia, [a] exemplaria quæ misimus edocebunt: ut agnoscat vestra dilectio, fratres charissimi, in sancto examine divinum non defuisse judicium, quo et vindicta retributa est obduratis, et pax impensa correctis. Dominus vos incolumes custodiat, fratres charissimi.

1142 *Exemplar* [b] *sententiæ.*

Paschasinus episcopus Lilybætanus, [c] Lucentius episcopus Asculanus, et Bonifacius presbyter Ecclesiæ maximæ urbis Romæ, vicarii sanctissimi ac beatissimi papæ Leonis apostolicæ sedis antistitis, pronuntiaverunt. Manifesta sunt quæ Dioscorus Alexandrinæ urbis antistes contra canonum disciplinam regulasque ecclesiasticas, illicita præsumptione commisit, [d] sicut præterita gestorum, seu præsens declaravit assertio. Is namque, ut plura relinquamus, Eutychen consortem perfidiæ suæ, a proprio episcopo sanctæ recordationis Flaviano jure damnatum, in gratiam communionis, antequam cum his qui congregati fuerant in Ephesina urbe episcopis resideret, suscepisse cognoscitur. Sed illis quidem sedes apostolica veniam tribuit, quia contra votum gesta esse quæ patrata sunt approbantur; ita ut nunc usque adhæreant et beatissimo **1143** papæ, et universali sanctoque concilio: qua de re sacrosanctæ communionis consecuti sunt medicinam. Prædictus vero, qui malorum perseverantia ornari se æstimat, cum debeat submissa fronte usque ad terram cum gemitu, ut convenit, inclinari, quoniam nos beatissimi papæ epistolam legi permisit ad venerandæ memoriæ Flavianum Christi antistitem scriptam: quippe cum ab his qui detulerant petitus ut legi sineret, sacramenti satisfactione quod promiserat implere contempsit: quatenus pravi dogmatis augeretur impietas, et occasio læsionis vel scandali cunctis generaretur Ecclesiis. Patratis tamen his voluimus his sceleribus indulgere, et veniam quam cæteris episcopis præstitimus, dignanter impendere, cum nec similem judi-

[a] Ex voce pluralis numeri *exemplaria* collegit Sirmondus, *missa fuisse aliarum etiam sententiarum exemplaria, ut contra Eutychem et alios, vel pro his qui post pseudosynodum Ephesinam correcti, pacem Chalcedone impetrarunt.* At Leo unius *sententiæ exemplaria* memorat, et in codd. Corb. ac Pithœano, post hanc Leonis epistolam unius tantum sententiæ exemplar subjicitur. Sicut autem Leo *epistolas* plurali numero pro unica Gallorum *epistola* dixit in antecedentibus litteris cap. 1, ita hic *exemplaria* pro unius sententiæ exemplo scribere potuit. (Confer annot. 7 (*Col.* 833, *n.* [e]) in ep. 45.) Nisi forte plura ejusdem sententiæ exemplaria misit inter plures dispertienda, quippe qui ad episcopos non coactos in synodo, sed suis in sedibus residentes hanc epistolam scripsit.

[b] Hæc sententia, quæ in antiquis Leonis editionibus et in mss. collect. 12 desideratur, post Crabbum vulgata jam fuerat in antiquis Conciliorum editionibus ad calcem actorum Chalcedonensium. Primus autem Sirmondus illam subjecit huic Leonis epistolæ, cui eam subjunctam reperit in codd. Corb. et Pithœano, uti sane simul cum eadem epistola eam in Galliam missam idem Leo testatur his verbis: *Qualis sit lata sententia, exemplaria quæ misimus* (*misimus* pro *mittimus* more suo S. Pontifex adhibet) *edocebunt.* Igitur dubium non est quin hoc exemplar in Gallicanis mss. huic epistolæ subjectum illud sit, quod a Leone in Gallias transmissum fuit. Hæc eadem sententia a legatis pontificiis lata, inserta legitur in actis concilii Chalcedonensis act. 3, tom. IV Concil. pag. 1303 edit Venet. Licet vero quæ hic profertur rebus ipsis conveniat cum textu Græco et cum antiqua versione ejusdem concilii, verbis tamen plurimum discrepat. Antiqua illa totius concilii interpretatio Leone posterior est. Solum statim post concilium quædam præcipua ejusdem documenta Latine reddita fuisse ostendimus annot. 14 (*Col.* 979, *n.* [c]) in epist. 101. Num vero hoc Latinum exemplar sententiæ ad Gallos a Leone transmissum versio sit ex Græco textu actis concilii inserto, qui ab hac Latina sententia verbis multum discrepat; an vero sit ipsum originale Latinum a legatis Latine procul dubio editum, et secum Romam allatum, quod in synodo sive a Paschasino Græcam linguam callente, sive ab aliis Græce redditum fuit: aliorum judicium sit. Mirum porro est Quesnellum in observationibus ad hanc epistolam affirmasse superfluum ex mss. codd. hoc documentum eruere, quod jampridem a Crabbo editum fuerat. Immo cum separatim a Leonis litteris in calce actorum concilii Chalcedonensis fuerit evulgatum, ibique *epistola* perperam appelletur; illud ex mss. proprio loco post Leonis epistolam, et proprio *sententiæ* titulo recudere necessarium fuit. Verum hoc nomen *sententiæ* Quesnello displicuit. *Fallit*, inquit, *titulus, qui sententiam dicit, quod suffragium tantum est sententiæ prævium.* Perperam: nam ex ipsis concilii gestis patet, instantibus Patribus legatos pronuntiasse et promulgasse sententiam, cui alii subinde episcopi suis interlocutionibus ac subscriptionibus accesserunt. Paschasinus enim non de suffragio, sed de sententia in Dioscorum ferenda interrogavit synodum, inquiens: *Jubet religiositas vestra ut ecclesiastica sententia adversus eum utamur. Sancta synodus dixit: Etiam consentimus.* Et Julianus episcopus Hyprensis legatos alloquens subjecit inter alia: *Petimus vestram sanctitatem, qui habes, magis autem qui habetis locum sanctissimi papæ Leonis, promulgare in eum et regulis insitam contra eum proferre sententiam. Omnes enim et tota universalis synodus sensorem efficitur vestræ sanctitatis sententiæ.* Et Maximus Antiochenus: *Quod videtur sanctitati vestræ, et nos concordes efficimur.* Post hæc autem omnes simul legati Leonis nomine, qui beati Petri auctoritate prædictus est, deposuere et condemnavere Dioscorum iis verbis quæ sententiam proprie dictam manifestissime præferunt. Hinc etiam Evagrius lib. II, cap. 4, ubi historiam concilii Chalcedonensis contexit, et cap. 18, ubi ejusdem gesta in compendium redigit, legatorum apostolicæ sedis verba non pro mera interlocutione, sed pro vera *sententia* aperte refert. Idem Quesnellus not. 2 in epist. 86, nunc 115, a Leone transmissum fatetur ad Gallos *exemplar sententiæ adversus utrumque*, Eutychem scilicet et Dioscorum, quæ verba hanc Leonis epistolam, et hanc sententiam respiciunt.

[c] Sirmondus ex suis codicibus, *Lucensis.*

[d] In versione antiqua hæc ex Græco clarius efferuntur act. 3 concil. Chalcedon. tom. IV, pag. 1303, his verbis: *Tam ex iis quæ dudum examinata sunt in priori consessu* (id est act. 1) *quam ex iis quæ hodie acta sunt.*

Digitized by Google

candi [a] reperiantur habuisse fiduciam. [b] Adjecit etiam accusatorum supplicatio variis referta **1144** criminibus, et tertio evocatus per reverentissimos fratres et coepiscopos nostros admonitione canonica, venire contempsit conscientiæ detentus arcano. Episcopos etiam a provinciali synodo, cui subdebantur, jure damnatos iniqua usurpatione suscipiens, ipse contra se damnationis sententiam provocavit, veterum patrum sæpius statuta conculcans. Unde A sanctus ac beatissimus papa caput universalis Ecclesiæ Leo, per nos vicarios suos, sancta synodo consentiente, Petri apostoli prædito dignitate, qui Ecclesiæ [c] fundamen et petra fidei, cœlestis regni janitor nuncupatur, episcopali eum dignitate nudavit, et ab omni sacerdotali opere fecit extorrem. Superest uti congregata venerabilis synodus canonicam contra prædictum Dioscorum proferat justitia suadente sententiam.

EPISTOLA [d] CIV.

[e] AD MARCIANUM AUGUSTUM.

[f] *De ambitu Anatolii episcopi Constantinopolitani.*

Per Lucianum episcopum et Basilium diaconum.

SYNOPSIS. — I. *De fidei victoria, et errorum utilitate in Ecclesia.* — II. *Multa ex Anatolii ambitu mala exsurgere.* — III. *Constantinopolitanam sedem, quæ regia est, non apostolica, aliarum depressione attolli non posse.* — IV. *Rogat Marcianum ut Anatolii cupiditatem comprimat.* — V. *Ex prioribus excessibus Anatolium animos sumpsisse.*

[g] Leo episcopus MARCIANO Augusto.

B Τῷ πανευδοξοτάτῳ, καὶ φιλανθρωποτάτῳ υἱῷ Μαρκιανῷ Λέων Ἀρχιεπίσκοπος Ῥώμης.

CAP. I. — Magno munere misericordiæ Dei totius Ecclesiæ catholicæ multiplicata sunt gaudia, cum sancto et glorioso clementiæ vestræ studio perniciosissimus error **1145** exstinctus est; [h] ut labor noster citius ad desideratum perveniret effectum, quem Deo serviens principatus vester, et fide et potestate juvisset. Quia etsi in virtute Spiritus sancti, inter quaslibet [i] dissensiones per sedis apostolicæ famulatum Evangelii erat defendenda libertas, manifestior tamen apparuit gratia Dei, quæ præstitit mundo ut in victoria veritatis auctores tantum violatæ fidei [j] deperirent, et sua integritas Ecclesiæ redderetur. Bellum igitur quod pacis nostræ inimicus [k] excitaverat, adeo feliciter, dextera Domini pugnante, confectum est, ut C triumphante Christo, omnium sacerdotum esset una victoria, et coruscante lumine veritatis, solæ erroris tenebræ cum suis assertoribus pellerentur. Nam sicut in ipsa Domini resurrectione credenda, ad corroboranda initia fidei multum securitatis accessit, quod

Μεγάλῃ χάριτι [1] ἐλεημοσύνη Θεοῦ πάσης τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπολυπλασιάσθη χαρά· ὁπότε ἁγίας καὶ ἐνδοξοτάτης τῆς σῆς φιλανθρωπίας **1146** σπουδῇ ὀλεθριωτάτη πλάνη ἐπεσβέσθη, ὥστε τὸν ἡμέτερον κάματον τάχιστα εἰς ἔργον ἐκβῆναι, ᾧτινι τῷ Θεῷ [2] δουλεύων τῇ βασιλικῇ καὶ πίστει καὶ ἐξουσίᾳ ἐβοήθησας. Εἰ γὰρ καὶ ἐν τῇ ἀρετῇ τοῦ ἁγίου πνεύματος μεταξὺ τῶν διεχόντων διὰ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἐκδικητέα ἦν ἐλευθερία, τηλαυγεστέρα ὅμως ὤφθη ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ ἡ ἰδία ἀποκατέστη καθαρότης. Ὁ πόλεμος τοίνυν, ὑπὲρ ὃ τῆς ἡμετέρας εἰρήνης ἐχθρὸς διέγειρεν, ἐπὶ τοσοῦτον εὐτυχῶς τῆς δεσποτικῆς δεξιᾶς μαχομένης καθώρθωται, ὥστε [3] τριαμβεύοντος τοῦ Χριστοῦ, μίαν πάντων τῶν ἱερῶν εἶναι τὴν νίκην· καὶ τοῦ φωτὸς ἐκλάμποντος τῆς ἀληθείας, μόνας τὰς τῆς σκοτείας πλάνας μετὰ τῶν ἰδίων διδασκάλων ἐκβληθῆναι [4] τῇ ἀναστάσει εἰς βεβαίωσιν τῶν ἀρχῶν τῆς πίστεως πολλὴ ἀμεριμνία ἐπῆλθε· καὶ γὰρ τινῶν ἀποστόλων περὶ τῆς σωματικῆς τοῦ δεστότου Χριστοῦ ἀληθείας ἀμφι-

[a] Sirmondus in textu et Quesn. in marg., *reperiatur*. At *reperiantur* prætulimus, quia ex Græco hæc referuntur ad cæteros episcopos, quibus venia præstita fuit, eo quod ipsi non similem Dioscoro judicii causam habuerint.

[b] Ex Græco et versione antiqua sensus postulat corrigendum *accessit;* sed sine codicibus textum immutare noluimus. Porro ex eodem Græco textu post vocem *fiduciam* et ante vocem *adjecit*, sive *accessit*, excidisse noscuntur, quæ ex antiqua versione hic appendimus : *Sed quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valde transcendit : præsumpsit enim et excommunicationem dictare adversus sanctissimum et beatissimum archiepiscopum magnæ Romæ Leonem.* Dein additur adversus Dioscorum oblatos fuisse accusatorum libellos, ad quos referuntur sequentia : *Accessit etiam accusatorum supplicatio variis referta criminibus.*

[c] Alias, *fundamentum.*

[d] Alias 88. Quæ autem antea 104 erat, nunc 130. Scripta 22 Maii an. 452.

[e] Est in codicibus collect. 5 Hisp., Isid. 16, 18 et reliquis usque ad 24, ac in exemplari Sichardi. Respondet epistolæ 100. Græca versio nunc primum profertur ex cod. Vat. Græco 1455.

[f] Hic titulus legitur in mss. collect. 5, cap. 90. In Hispanica autem sic : *Ubi de ejus gratulatur fide, quæ in Chalcedonensi concilio gesta est ; et de Anatolio Constantinopolitano episcopo, qui in eodem concilio Alexandrinam et Antiochenam Ecclesias contra constituta per ambitum sibi voluit subjugare.*

[g] In editionibus Leonis post Canisianam et ante Quesnellum hæc inscriptio legitur : *Leo episcopus Romanæ et universalis Ecclesiæ Marciano Augusto.* Ex Græca autem versione sic : *Per omnia gloriosissimo et clementissimo filio Marciano Leo archiepiscopus Romæ.*

[h] Cod. Ratisp., *et labor.... pervenit.* Post pauca omittit *vester*, sicuti etiam omittitur in Vindebon. D Hisp. et in versione Græca.

[i] Mss. codd. tres Quesn., *dispensationes.*

[j] Ita Ratisp. et utrique Vindebon. collect. 5 et Hisp., cum aliis nostris codd. et vulgatis ante Quesn., apud quem, *perirent.*

[k] Idem Ratisp., *exciverant.* Postea *confractum est* pro *confectum est* legitur in utrisque Vindebon. atque in mss. collect. 21.

[1] Leg., ἐλεημοσύνης.

[2] Locus quidem haud plane corruptus, sed Leonis textui non respondens.

[3] Leg., θριαμβεύοντος.

[4] Locus mutilus et male acceptus, quem sic corrigere possis : Ὡς γὰρ ἐν τῇ ἀναστάσει τοῦ Κυρίου..... ἐπῆλθε, ὅτι τινῶν ἀποστόλων, etc.

Digitized by Google

quidam apostoli [a] de corporea Domini nostri Jesu Christi veritate dubitavere, et visu atque contactu fixuras clavorum [b] et vulnus lanceæ perscrutando, ambiguitatem cunctis, dum ambigunt, abstulerunt: ita nunc quoque, dum aliquorum infidelitas confutatur, omnium hæsitantium corda [c] firmata sunt, et proficit universis ad illuminationem, quod quibusdam intulit cæcitatem. In quo opere digne et juste [d] exsultat vestra clementia, quæ fideliter proprieque prospexit ut Orientalibus Ecclesiis diabolicæ insidiæ non nocerent; sed ad propitiandum Deum efficaciora [e] ubique offerrentur holocausta: quando per mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum eadem confessio **1147** plebium, eadem sacerdotum, eadem esset et regum, [f] gloriosissime filii et clementissime Auguste.

Cap. II. — His autem, propter quæ tanta facta est congregatio sacerdotum, bono et optabili fine [g] compositis, miror et doleo quod pacem universalis Ecclesiæ divinitus reformatam, ambitionis rursus spiritus [h] inquietat. Quamvis enim necessarie sibi frater meus Anatolius consuluisse videatur ut ordinatorum suorum errorem deserens, in assensum catholicæ fidei salubri correctione transiret, custodire tamen debuit ut quod [i] vestro beneficio noscitur consecutus, nullius [j] cupiditatis pravitate turbaret. Nos enim vestræ fidei et interventionis habentes intuitum, cum secundum suæ consecrationis auctores, ejus initia titubarent, benigniores circa ipsum quam justiores esse voluimus: quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus: quæ illum modestum magis quam immoderatum facere debuerunt. Qui etiam si præcipuis meritis optimoque judicio legitime fuisset ac solemniter ordinatus, contra reverentiam tamen canonum paternorum, contra statuta Spiritus sancti, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragiis adjuvari. Apud Christianum et vere religiosum vereque orthodoxum principem loquor, multum Anatolius episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento.

1149 Cap. III. — Habeat, sicut optamus, Con-

βαλλόντων, καὶ τῇ ὄψει, καὶ τῇ ἁφῇ τοὺς τύπους τῶν ἥλων, καὶ τῆς λόγχης τὸ τραῦμα διερευνησαμένων, ἡ ἀμφιβολία ἅπασιν, ἐν ᾧ ἀμφίβαλλον, ἀφῃρέθη· οὕτω καὶ νῦν ὁμοίως ἐν τῷ τὴν ἀπιστίαν τινῶν ἐλέγχεσθαι, πάντων τῶν ἀμφιβαλλόντων αἱ καρδίαι ἐθεμελιώθησαν, καὶ ἐχρησιμεύθη ἅπασιν εἰς φωτισμόν, ὅπερ τισὶν ἐπήνεγκε τύφλωσιν. Ἐν ᾧ ἔργῳ ἀξίως, καὶ δικαίως μεγαλαυχεῖ ἡ ὑμετέρα μεγαλειότης, ἥτις πιστῶς, καὶ κυρίως προενόησεν, ὅπως τὰς ἀνατολικὰς ἐκκλησίας ἡ τοῦ διαβόλου ἐπιβουλὴ μὴ βλάψῃ, ἀλλ' εἰς τὸ ἱλεώσασθαι τὸν Θεὸν δεκτὰ πανταχοῦ προσενεχθεῖεν ὁλοκαυτώματα· ὁπότε διὰ τοῦ μεσίτου Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων Ἰησοῦ Χριστοῦ **1148** ἡ αὐτὴ ἐξομολόγησις τῶν δήμων, καὶ αὐτὴ τῶν ἱερέων [1] ἡ αὐτὴ τῶν βασιλέων, γαληνότατε υἱέ, καὶ αὐτόκρατορ αὔγουστε.

[2] Τούτων δὲ ἡ εὐοδία, ἡ τοσαύτη, γεγένηται σύνοδος, καλῷ καὶ εὐκταίῳ τέλει συντεθέντων, θαυμάζω καὶ πάσχω, ὅτιπερ τὴν εἰρήνην τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τὴν θεόθεν τεθεμελιωμένην ἀμβιτίονος πάλιν ἐπιχείρησις ταράττοι· εἰ καὶ τὰ μάλιστα γὰρ χρησίμως ἑαυτοῦ ὁ ἀδελφὸς ὁ ἐμὸς Ἀνατόλιος προνενοηκέναι φαίνεται, ὥστε τῶν [3] αὐτῶν χειροτονησάντων τὴν πλάνην παραλιμπάνων, εἰς τὴν σύνεσιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας σωτηριώδει διορθώσει παρῆλθε, φυλάξαι δὲ ὅμως ὤφειλεν, ἵνα ἐκεῖνο, οὗπερ [4] ὑμετέρᾳ χάριτι φαίνεται, ἐπιτυχών, μηδεμιᾶς ἐπιθυμίας φαυλότητι ταράξει. Ἡμεῖς γὰρ τῆς ὑμετέρας πίστεως, καὶ τῆς μεσιτείας ἔχοντες τὴν προσοχήν, ὁπότε [5] καὶ τὴν αὐθεντίαν τῆς ἰδίας χειροτονίας αἱ ἀρχαὶ αὐτοῦ ἔσκαζον, ἀγαθοί τε περὶ αὐτὸν, ἥπερ δίκαιοι εἶναι ἐβουλήθημεν· ὅπως τὰς ταραχὰς ἁπάσας, αἵτινες ἐργαζομένου τοῦ διαβόλου ἐξηγέρθησαν, προσληφθεισῶν θεραπειῶν, καταπραΰνωμεν, ἅτινα αὐτὸν ἐπιεικῆ μᾶλλον, ἥπερ ἄμετρον ποιῆσαι ὤφειλεν, ὅστις εἰ καὶ ἐξαιρέτοις τισὶ πράξεσι, καὶ καλλίστῃ κρίσει νομίμως ἦν, καὶ εἰωθότως χειροτονηθείς, κατὰ κανόνων ὅμως τῶν πατρικῶν, κατὰ τῶν τύπων τοῦ ἁγίου πνεύματος, κατὰ τῶν τῆς ἀρχαιότητος ὑποδειγμάτων, οὐδαμῶς ὤφειλε βοηθεῖσθαι, παρὰ χριστιανῷ, καὶ ἀληθῶς εὐλαβεῖ, καὶ ὀρθοδόξῳ βασιλεῖ φθέγγομαι· πολὺ Ἀνατόλιος ὁ Ἀρχιεπίσκοπος τῆς ἰδίας ἀφαιρεῖται ἀξίας, εἰ παρανόμῳ αὔξεσθαι προκοπῇ εὔχεται· ἐχέτω, καθὼς εὐχόμεθα, **1150** Κωνσταντινουπόλις τὴν ἰδίαν δόξαν, καὶ σκοπούσης τῆς τοῦ Θεοῦ δεξιᾶς, πολυχρονιούσης ὑμε-

[a] Sic omnes nostri codd. cum Sichardo, excepto Vat. 544 collect. 24, qui cum editis, *de corporis*.

[b] Vindebon. Hisp., *et vulnus perscrutando*. Vat. Hisp. et Isid., *et vulnera perscrutando*.

[c] Vat. Hisp. et Isid., *confirmata sunt*. Mox *proficit* loco *profecit* posuimus ex Ratisp. Vindebon. collect. 5 et Vat. collect. 11, cum magis cohæreat vocibus *nunc quoque*.

[d] Al., *exsultet*; et mox loco *proprieque* alias legitur *pieque*.

[e] Quesnellus in prima editione cum Raynaudo, *usque offerrentur*. Emendationem secundæ editionis alii editi et nostri codices approbant.

[f] Quinque voces sequentes delent Vindebon. collect. 5, Ratisp. et mss. collect. 24 atque Sichardus. Grim. et Thuan. codd. habent tantum, *Gloriosissime imperator*. Græca versio: *Clementissime fili et imperator Auguste*.

[g] Al., *completis* in mss. collect. 11 et 21. Paulo post Ratisp. delet *divinitus*.

[h] Vulg. antiquiores, *inquietet*. Mox Vat. Hisp. et Isid. delent *sibi*.

[i] Editiones Leonis ante Quesn. cum Vat. Hisp. et Isid., *nostro*. Cæteri nostri codices cum aliis a Quesnello laudatis not. 2, *vestro*. Solum Ratisp. cod. habet, *vero beneficio*. Paulo post c. 3 dicitur: *Vestræ pietatis auxilio et mei favoris assensu episcopatum tantæ urbis obtinuit*.

[j] Al. *pravitatis cupiditate* in eisdem editionibus Leoninis cum mss. collect. 24 atque exemplo Sichardi.

[1] Locus hians, quem tu supple: Αὐτὴ τε εἴη.

[2] Locus corruptissimus, cui sic medearis: Τούτων δέ, δι' ἃ ἡ τοσαύτη, etc.

[3] Leg., αὐτόν.

[4] Primis curis ex mss. Vat. 1455 exscripseramus ἡμετέρᾳ, et notaveramus *Forte*, ὑμετέρᾳ, ut cum Latina voce concordet. Hanc autem deinde lectionem textui inseruimus auctoritate ms. Ottob. 29.

[5] Leg., καὶ τὴν, etc.

Digitized by Google

stantinopolitana civitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia divinarum; nec præter illam petram quam Dominus in fundamento [a] posuit (*Matth.* XVI, 18), stabilis erit ulla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto quod vestræ pietatis auxilio, et mei favoris assensu, episcopatum tantæ urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, quam [b] apostolicam non potest facere sedem; nec ullo speret modo quod per aliorum possit offensiones augeri. [c] Privilegia enim Ecclesiarum, sanctorum Patrum canonibus instituta, et venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate [d] mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exsequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita est, et ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in synodo Nicæna, ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei instruente, sunt conditæ, me (quod absit) connivente, violentur; et major sit apud me unius fratris voluntas, quam universæ domus Domini communis utilitas.

CAP. IV. — Et ideo sciens gloriosam clementiam vestram ecclesiasticæ studere concordiæ, et **1151** his quæ pacificæ congruunt unitati, piissimum præstare consensum, precor et sedula suggestione vos obsecro, ut ausus improbos unitati Christianæ pacique contrarios ab omni pietatis vestræ abdicetis assensu, et fratris mei Anatolii, nocituram ipsi, si perstiterit, cupiditatem salubriter comprimatis: ne ea quæ vestræ gloriæ atque temporibus inimica sunt cupiens, major suis velit esse prioribus; liberumque illi sit quantis potuerit splendere virtutibus; quarum non aliter particeps erit, nisi charitate magis voluerit ornari quam ambitione distendi. Hanc autem improbi desiderii conceptionem numquam quidem debuit intra cordis sui recipere secretum; sed cum illi [e] fratres et coepiscopi mei, qui vice mea aderant, obviarent, ab illicito appetitu ex eorum [f] saltem salubri contradictione cessasset. Nam et vestræ pietatis apices, et ipsius scripta declarant, legatos sedis apostolicæ, sicut oportuit, contradictione justissima [g] resti-

τέρας [1] ἀπολαύσει βασιλείας· ἄλλος [2] γὰρ λόγος τῶν κοσμικῶν ἐστι πραγμάτων, καὶ ἄλλος τῶν θείων, καὶ μὴ παρ' ἐκείνην τὴν πέτραν, ἥντινα ὁ δεσπότης ἐν τῷ θεμελίῳ τέθηκεν, [3] ἔστω ἰσχυρὸν οἷον δή ποτε κατασκεύασμα. Τὰ ἴδια ἀπόλλυσιν, ὁ τῶν μὴ κεχρεωστημένων ἐπιθυμῶν. [4] Ἀρκέσει τῷ προλεχθέντι, ὅτι βοηθείᾳ τῆς σῆς εὐσεβείας, καὶ σπουδῇ τῆς ἐμῆς συναινέσεως τῆς τοσαύτης πόλεως τὴν ἐπισκοπὴν κατέσχε, μὴ ἀπαξιώσῃ ἔχειν βασιλίδα πόλιν, ἥντινα ἀποστολικὸν θρόνον ποιῆσαι οὐ δύναται· [5] ἀλλ' οὐδέτινι τρόπῳ ἐλπίσει, ὅπερ διὰ τὸ προσκροῦσαι ἑτέρους, δύναται αὐξηθῆναι. Τὰ γὰρ προοίμια τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν τοῖς τῶν πατέρων κανόσι, καὶ τῆς ἑπτῆς συνόδου τῆς ἐν Νικαίᾳ τοῖς δόγμασι τετυπωμένα, ἐξ οὐδεμιᾶς δύναται ἀναιδείας παρασπασθῆναι· οὔτε μὴν οὐδεμιᾷ καινότητι ἐναλλάττεσθαι. Ἐν ᾧπερ ἔργῳ ἐπαμύνοντος τοῦ Χριστοῦ πιστῶς ἐκβιβασθησομένῳ, ἀναγκαῖόν ἐστιν ἐπίμονον παρασχεῖν με σπουδήν. Ἐπειδήπερ [6] διοικήσεώς μοι ἐγκεχείρισται, καὶ εἰς ἐμὴν τείνει κατηγορίαν, εἰ τῶν πατρικῶν δογμάτων οἱ κανόνες, οἵτινες ἐν τῇ συνόδῳ τῇ ἐν Νικαίᾳ εἰς διοίκησιν πάσης τῆς ἐκκλησίας, πνεύματος Θεοῦ διδάσκοντος, τετύπωνται, ἐμοῦ, ὅπερ ἀπεῖη, συνδυάζοντος, παρασαλευθεῖεν. Καὶ μείζων εἴη παρ' ἐμοὶ ἑνὸς ἀδελφοῦ γνώμη, ἥπερ ἁπάσης τῆς οἰκίας τοῦ δεσπότου ἡ κοινὴ λυσιτέλεια. Καὶ διὰ τοῦτο γινώσκων τὴν ἐνδοξόν σου γαληνότητα τῇ ἐκκλησιαστικῇ σπουδάζειν ὁμονοίᾳ, **1152** καὶ τοῖς τῇ εἰρηνοποιῷ ἑνώσει ἁρμόζουσιν εὐσεβῆ παρασχεῖν [7] σύναισιν, δέομαι, καὶ σπουδαιοτάτῃ αἰτήσει ὑμᾶς παρακαλῶ, ὅπως τὰς ἐπιχειρήσεις τὰς ἀναιδεῖς τὰς ἐναντίας τῇ ἑνώσει, καὶ τῇ εἰρήνῃ τῶν Χριστιανῶν, ἀπὸ πάσης συναινέσεως τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας [8] ἀποκαρύξητε. καὶ τοῦ ἐμοῦ ἀλειφοῦ τοῦ Ἀνατολίου τὴν ἐπιβλαβῆ ἑαυτῷ, εἰ ἐπιμένοι, ἐπιθυμίαν σωτηριωδῶς ἐπίσχητε, ἵνα μὴ τούτων, ἅπερ τῇ ὑμετέρᾳ δόξῃ καὶ τοῖς χρόνοις ἐχθρὰ τυγχάνει, ἐπιθυμῶν, μείζων θελήσῃ εἶναι τῶν ἤδη ὄντων πρώτων, καὶ ἐπ' ἀδείας ἐκείνῳ εἴη, ὅσαις ἂν ἐθέλοι, ἐκλάμπειν ἀρεταῖς, ὧν οὐχ ἑτέρως κοινωνός [9] ἐστιν, εἰ μὴ διαθέσει μᾶλλον ἐθέλοι κοσμεῖσθαι, ἅπερ ἀμβιτίνοι ἐκτείνεσθαι. Ταύτην δὲ τὴν ἀναιδῆ ἐπιθυμίαν οὐδέποτε μὲν ὤφειλεν ἐν τῇ αὐτοῦ ἔχειν τῇ ψυχῇ, ἀλλ' ὁπηνίκα αὐτῷ οἱ ἀδελφοὶ, καὶ συνεπίσκοποι ἐμοὶ, οἱ ὑπὲρ ἐμοῦ πράττοντες, ἀντέδησαν, ἀπὸ τῆς παρανόμου τόλμης κἂν ἐκ τῆς αὐτῶν ὤφειλεν ἀργῆσαι ἀντιλογίας· καὶ γὰρ καὶ τῆς ὑμετέρας

[a] Adverbium *mire* inseruit Quesnellus: omnium nostrorum codicum et aliarum etiam editionum auctoritate delevimus. Similiter expunximus adverbium *Sed* a Quesnello præpositum voci *Propria*, cum desideretur non solum in anterioribus editis, verum etiam in præstantioribus codd. Ratisp., utrisque Vindebon. collect. 5 et Hisp. in Vat. collect. **24**, nec non in interpretatione Græca.

[b] Vide not. 3 Quesn.

[c] Hunc locum, sed aliquot verbis mutatum, citat Gratianus 25, q. 2, c. 2, et ante eum Anselmus lib. IV, c. 2, atque Deusdedit l. III, c. 35, ut in mss. Vat. observavimus. Pro privilegiis quibuscumque, quæ non tam Ecclesiis quam monasteriis fuerunt concessa, generatim affertur; cum S. Leo de solis privilegiis ecclesiarum a Nicænis Patribus can. 6 decretis loquatur.

[d] Ita omnes nostri codd. et editi, excepto Quesn., apud quem *violari*.

[e] Vindebon. Hisp. addit *etiam*. Vat. Hisp. et Isid. addunt *charissimi*.

[f] Ratisp. delet *saltem*, et pro *salubri* habet *salutari*. Utrique codd. Vindebon. delent *salubri*. Vat. collect. 11 delet *saltem* et *salubri*.

[g] Vulgati inserunt *ei*: delevimus auctoritate mss. Ratisp. Vindebon. collect. 5, ac trium aliorum codd. cum Sichardo, nec non interpretationis Græcæ.

[1] Forte, ἀπολαύσοι.

[2] Hæc particula γὰρ nihil hic facit ad rem: legendum potius, ἄλλος ὁμως ὁ λόγος, etc.

[3] Leg., ἔσται.

[4] Forte, ἀρκίσῃ.

[5] Leg., οὐδένι τε τρόπῳ ἐλπίσῃ, ὅπερ διὰ τοῦ, etc., vel, οὐδέ τινι τρόπῳ, etc.

[6] Leg., διοίκησις.

[7] Leg., συναίνεσιν.

[8] Leg., ἀποκαρύττητε.

[9] Forte, ἔσται.

Digitized by Google

tisse: ut inexcusabilior esset præsumptio quæ se nec increpata [a] cohiberet.

Cap. V. — Unde quia convenit fidei vestræ [b] vel gloriæ, ut sicut hæresis, Deo per vos agente, destructa est, ita etiam omnis ambitus retundatur; agite, quod et Christianæ est probitatis et regiæ, ut prædictus episcopus pareat Patribus, consulat paci, neque sibi æstimet licuisse quod Antiochenæ Ecclesiæ **1153** sine ullo exemplo, contra instituta canonum episcopum ordinare præsumpsit; quod [c] nos amore reparandæ fidei et pacis studio retractare cessavimus. Abstineat ergo ab ecclesiasticarum injuria regularum, et illicitos declinet excessus: ne se ab universali Ecclesia, dum inimica paci tentat, [d] abscidat. Quem opto magis irreprehensibiliter agentem diligere, quam in hac præsumptione, quæ illum ab omnibus separare poterit, perdurare. Frater autem et coepiscopus meus Lucianus, qui cum filio meo Basilio diacono clementiæ vestræ ad me scripta portavit, omni devotione partes susceptæ legationis implevit; [e] quia non est æstimandus negotio defuisse, quem potius causa deseruit. Data [f] undecimo kalendas Junii, Herculano clarissimo consule.

εὐσεβείας αἱ συλλαβαί, καὶ τὰ αὐτοῦ γράμματα σημαίνει τοὺς πρεσβεντὰς τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας, καθὼς ἐχρῆν, δικαιοτάτῃ ἀντιῤῥήσει ἀντιβεβηκέναι, ὥστε μὴ παραίτησιν ἔχειν τὴν ἐπιχείρησιν, ἥτις ἑαυτὴν οὐδὲ ἐατυπωθεῖσα ἐπίσχεν. Ὅθεν ἐπειδὴ ἁρμόζει τῇ ὑμετέρᾳ πίστει καὶ δόξῃ, ἵνα καθ' ὃν τρόπον αἱ αἱρέσεις δι' ὑμῶν, τοῦ Θεοῦ πράττοντος [1] οὕτω καὶ πᾶσα ἀμβιτίων ἐκκοπείη· ὅπερ καὶ τῆς Χριστιανῶν ἐστιν εὐδοκιμήσεως, καὶ τῆς βασιλικῆς. Καὶ ὁ προλεχθεὶς ἐπίσκοπος [2] φειδέσθω τέρων πρυνοήσει τῆς εἰρήνης, καὶ μὴ ἐξεῖναι ἑαυτῷ πάντα ἀπολαμβανέτω. Ἐπειδήπερ τῇ Ἀντιοχέων ἐκκλησίᾳ ἄνευ τινὸς **1154** ὑποδείγματος παρὰ τοὺς κανόνας ἐπίσκοπον χειροτονῆσαι ἐτόλμησεν· ὅπερ ἡμεῖς ἔρωτι τοῦ ἀνανεωθῆναι τὴν πίστιν, καὶ σπουδῇ τῆς εἰρήνης ἀναψηλαφῆσαι [3] ἠρτήσαμεν. Ἀποσχέσθω τοίνυν ἀπὸ τῆς τῶν ἐκκλησιαστικῶν κανόνων ὕβρεως, ταῖ τὰς παρανόμους ἐκκλινάτω παραβάσεις· ἵνα μὴ ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ἕως οὗ ἔχθρα τῇ εἰρήνῃ ἐπιχειρεῖ, ἀποσχίσῃ· ὄντινα εὔχομεν μᾶλλον ἀδιαβλήτως πράττοντα φιλεῖν, ἤπερ ταύτῃ προσκαρτερεῖν τῇ τόλμᾳ, ἥτις αὐτὸν δύναται ἀπὸ πάντων χωρίσαι. Ὁ ἀδελφὸς δὲ ὁ ἐμὸς, καὶ συνεπίσκοπος Λουκιανὸς, ὃς μετὰ τοῦ ἐμοῦ τέκνου Βασιλείου τοῦ διακόνου τῆς ὑμετέρας γαληνότητος γράμματα πρὸς ἐμὲ ἐβάστασε, πάσῃ τῇ καθοσιώσει τὴν ἐνταλθεῖσαν αὐτοῖς πρεσβείαν ἐπλήρωσεν, ὃς οὐκ ἂν λογισθείη ἀπολελεῖφθαι τοῦ πράγματος, ὄντινα μᾶλλον ἡ ὑπόθεσις ἀπολέλοιπεν. Ἐδόθη πρὸ ἑνδεκα καλανδῶν Ἰουνίων ὑπατείας Ἐρκουλάνου τοῦ λαμπροτάτου.

EPISTOLA 6 CV.

[h] AD PULCHERIAM AUGUSTAM.

De ambitu Anatolii.

Synopsis. — I. *Plenam esse fidei victoriam in qua superant tam qui ceciderunt quam qui steterunt.* — II. *Nihil valere posse contra canones Nicænos, qui soli firmandæ paci sufficiunt.* — III. *Anatolio Flaviano exemplo esse debere; et per se ruere quod Nicænæ synodo contrarium est.* — IV. *Ut ipsa Anatolium a proposito revocet hortatur.*

Leo episcopus Pulcheriæ Augustæ.

Cap. I. — Sanctis et Deo placitis clementiæ vestræ studiis defensam contra hæreticos catholicam fidem, et [i] universæ Ecclesiæ redditam pacem, ineffabiliter cum vestra pietate gaudemus: gratias agentes [j] misericordi et omnipotenti Deo, quod exceptis his qui magis dilexerunt tenebras quam lucem (*Joan.* III, 19), neminem passus est evangelica veritate fraudari: ut abstersa erroris caligine, in omnium cordibus purissimum lumen oriretur, [k] nec de infirmis quorumdam animis tenebrosus ille exsultaret inimicus, quem non solum hi qui illæsi steterunt, sed etiam [l] hi quos fecerat mutare, superaverunt: ut, errore abolito, per totum **1155** mundum fides vera regnaret, *et omnis lingua confiteretur,* [m] *quoniam Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 11). Confirmato autem in unitate Evangelii universo orbe terrarum, et [n] in eumdem sensum directis cordibus omnium sacerdotum, optimum fuerat, supra illa, propter quæ sancta est synodus congregata, et quæ secundum pietatis vestræ studium probabili sunt fine conclusa, nihil quod tanto bono contrarium esset, inferri, nec per occasionem episcopalis concilii, [o] id importune appeti, quod non licuit concupisci.

Cap. II. — Frater enim et coepiscopus meus Anatolius parum considerans quanto pietatis vestræ be-

[a] Duo Vat. collect. 21, *coerceret.*

[b] Particulam *vel* a Quesnello expunctam, ex omnibus nostris codicibus atque Sichardo revocavimus. Ex Græco, *et gloriæ.*

[c] Addidimus *nos* ex iisdem codicibus et Græco textu.

[d] Al., *abscedat.*

[e] Ratisp. cod., *qui non æstimandus est negotio defuisse, quem causa deseruit.* Vat. Hisp. et Isid., *quem novimus negotio non defuisse, quem potius causa deseruit.*

[f] Solus Vindebon. collect. 5 habet XII *kal. Junii.*

[g] Alias 79. Quæ autem antea 105 erat, nunc 134. Scripta 22 Maii an. 452.

[h] Reperitur in mss. collect. 12, 18, 19 et 24, ac in exemplari Sichardi.

[i] Codd. Ratisp., *universali.*

[j] Editi ante Quesn. cum mss. collect. 12 et 24, *misericordiæ omnipotentis Dei.*

[k] Cod. Venetus collect. 12. *ne de infirmis.* Ratisp., *nec de infirmitatis* (forte, *infirmatis*) *quorumdam animis.*

[l] Adjecimus *hi* ex ms. Ratisponensi.

[m] Idem Ratisp., *quia Dominus Jesus in gloria.*

[n] Sic melius ex eodem Ratisp. Quesnellus, *in eodem sensu.* Cæteræ editiones, *in eodem spiritu sensus.*

[o] Ita cum Grimanico nostri codd. Ratisp. et Ven. collect. 12. Alias, *id in commune.*

[p] Deest hic aliquid, puta ἡρανίσται, aut quid simile.

[q] Locus plane corruptus, cui ut aliquam sanitatem afferas, legere debes. φειδέσθω τῶν πατέρων. προνοήσῃ τῆς εἰρήνης. Neque mireris si vertit interpres, φειδέσθω τῶν πατέρων; namque pro *parcat Patribus*, quod in textu est, legit, ut putamus, *parcat Patribus.*

[r] Forte, ἠρτήσαμεν.

Digitized by Google

neficio et mei favoris assensu Constantinopolitanæ Ecclesiæ sacerdotium fuerit consecutus, non tam de adeptis gavisus, quam de immodicis appetendis supra mensuram sui honoris accensus est; credens huic tam intemperanti cupiditati posse prodesse quod ei quorumdam consensum [a] suum præbuisse dicitur extorta subscriptio; cum tamen destruendis mox conatibus, contradictio fratrum et coepiscoporum meorum [b] vice mea agentium fideliter et laudabiliter obviaret. Quoniam contra statuta paternorum canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique [c] audere conceditur : ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat quam illa corrumpat. Quæ si, ut oportet, a cunctis pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax et firma concordia : nullæ [d] de mensura honorum dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de privilegiis ambiguitates, nulla erunt [e] de alieni usurpatione certamina; [f] sed æquo jure charitatis, rationabilis et morum et officiorum ordo servabitur; et ille vere **1156** erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino : *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus : sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (*Matth.* xx, 26; *Marc.* x, 43). Et tamen hæc illis tunc insinuabantur qui de pusillo volebant crescere, et de infimis ad summa transire. Constantinopolitanæ vero [g] præsul Ecclesiæ, quid amplius quam assecutus est concupiscit? aut quid illi satisfaciet si tantæ urbis magnificentia et claritudo non sufficit? Superbum nimis est et immoderatum ultra proprios terminos tendere, et antiquitate calcata alienum jus velle præripere, [h] atque ut unius crescat dignitas, tot metropolitanorum impugnare primatus, quietisque provinciis, et olim sanctæ synodi Nicænæ moderatione dispositis, bellum novæ perturbationis inferre; atque ut venerabilium Patrum decreta solvantur, quorumdam episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negavit effectum. Nam sexagesimus fere annus hujus [i] conventiæ esse jactatur, qua se prædictus episcopus æstimat adjuvari, frustra cupiens id sibi prodesse quod etiam si quisquam ausus est velle, nullus tamen potuit obtinere.

Cap. III. — Agnoscat cui successerit viro, et repulso omni spiritu elationis, [j] Flaviani fidem, Flaviani modestiam, Flaviani humilitatem, quæ illum usque ad confessoris gloriam provexit, imitetur. Cujus si velit splendere virtutibus, laudabilis erit, et in omni loco plurimum dilectionis acquiret, non ambiendo humana, sed promerendo divina. [k] Hac autem observantia meum quoque illi animum spondeo copulandum, et apostolicæ sedis dilectionem, quam Constantinopolitanæ Ecclesiæ semper impendit, nulla mutabilitate violandam. Quia si interdum **1157** immoderati præsules aliquas incidunt culpas, Ecclesiarum tamen Christi [l] integritas perseverat. Consensiones vero episcoporum, sanctorum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, et per auctoritatem beati Petri apostoli, generali prorsus definitione [m] cassamus, in omnibus ecclesiasticis causis his legibus obsequentes quas [n] ad pacificam observantiam omnium sacerdotum, per trecentos decem et octo antistites Spiritus sanctus instituit : ita ut etiam si multo plures [o] aliud quam illi statuere decernant, in nulla reverentia sit habendum, quidquid fuerit a prædictorum constitutione diversum.

1158 Cap. IV. — Prolixitatem itaque epistolæ meæ, qua necesse habui explicare quid sentiam, rogo ut per fratrem et coepiscopum meum Lucianum, qui (quantum in ipso est) sollicitudinem susceptæ legationis est fideliter exsecutus, et per filium meum Ba-

[a] Vox *suum* a Quesnello addita nostris etiam codd. confirmatur. Apud Sichardum, *prodesse quorumdam consensum, quem ei præbuisse dicitur.*

[b] Sic Ratisp. cum Quesn., ante quem legebatur, *vicem meam.* Mox *obviarit* in Ratisp.

[c] Vulgati ante Quesn., *addere.*

[d] Iidem vulgati cum mss. collect. 24, *de mensuris harum.* Quesnelli lectionem nostri codd. Ratisp. et Ven. approbant.

[e] In iisdem vulg., *de aliena.* Omnes nostri codd. et Sichardus Quesnelli emendationem confirmant.

[f] Editi ante Quesn. cum Sichardo : *sed ea quæ jure charitatis rationabilis est, et morum et officiorum servabitur unanimitas.* Cod. Victor. a Quesn. in notis allegatus, et unus noster Fesulanus eamdem lectionem præferunt, omissa tantum ultima voce, *unanimitas.* Idem est in Vat. Reginæ 139 collect. 24, qui solum in fine habet, *et officiorum mensura servabitur.* Secuti sumus lectionem præstantiorum codd. Grim. collect. 18 et Ratisp. collect. 19, et Vat. ac Venet. collect. 12, quam lectionem satis bonam atque perspicuam haud scimus cur Quesnellus deseruerit, ut hanc aliam ex universis variantibus proprio, ut videtur, marte compactam supponeret : *Sed is qui jure charitatis rationabilis est, et morum et officiorum ordo servabitur.*

[g] Vulgati ante Quesn., *præsuli Ecclesiæ* (*quia amplius quam assecutus est concupiscit*) *quid illi*, etc. Sichardus, *præsul Ecclesiæ* (*quoniam amplius*), et reliqua, ut in iisdem vulgatis. Nostri codices Quesnelli emendationem approbant.

[h] Ratisp. et hic et paulo post, *utque.*

[i] Vulg. antiquiores cum Sichardo, *jactantiæ.*

[j] Voces *Flaviani fidem* optimus Ratisp. adjiciendas suggessit.

[k] Sic cum Quesnello mss. Grim., Ratisp. et Venet. Antiqui vulg. Leonis cum Sichardo : *Hæc autem observantia eum quoque illi animum spondet copulandum, et apostolicæ sedis dilectionem, quam Constantinopolitanæ Ecclesiæ semper impendimus, nulla mobilitate violandam.* Idem est in ms. cod. Vat. collect. 24, qui solum pro *eum* habet *meum.* Vulg. Concilior.: *Hæc autem observantia uniuscujusque illi animum spondet*, etc., ut in iisdem Leonis editionibus.

[l] Edit., *integra gratia.* Ex Ratisponensi optimam lectionem inseruimus.

[m] Vide nostras observationes in not. 2 Quesn. Mox in editis ante Quesn. deerat vox *causis*, quam etiam in nostris mss. invenimus. In Ratisp. deest *his.*

[n] Ita Ratisp. et Grim. Alias, *ad pacificationem omnium sacerdotum.* Cod. Venet. collect. 12, *ad pacem omnium sacerdotum.*

[o] Vulgati ante Quesn., *alii quam illi statuere decernerent*, vel (ut in ms. Veneto) *decernere voluerint.*

Digitized by Google

silium diaconem pietas vestra dignanter accipiat. Et quia moris vestri est pro pace et unitate Ecclesiæ laborare, fratrem meum Anatolium episcopum ex vestra [a] mihi insinuatione dilectum, salubriter in his quæ ipsi profutura sint continete : ut gloria clementiæ vestræ, sicut magnificatur de fide reparata, ita prædicetur de ambitione compressa. Data undecimo kalendas Junii, Herculano viro clarissimo consule.

EPISTOLA [b] CVI.

[c] AD ANATOLIUM EPISCOPUM CP.

Increpat de ambitu.

[d] SYNOPSIS. — I. *Anatolii fidem esse laudandam, cupiditatem damnandam.* — II. *Nicæni concilii prærogativa, quam Anatolii ambitus petit.* — III. *Chalcedonensi synodo in solo negotio fidei convocata eum abuti.* — IV. *Numquam se in præjudicium Nicæni concilii illicitis ausibus consensurum.* — V. *Canones synodi CP. ad sedem Romanam numquam missos, Anatolio male patrocinari.* — VI. *Satius esse ut cupiditatem deponat, charitatem sectetur.*

[e] LEO episcopus ANATOLIO episcopo.

Τῷ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ Ἀνατολίῳ ἀρχιεπισκόπῳ Κωνσταντινουπόλεως Λέων ἀρχιεπίσκοπος Ῥώμης.

CAP. I. — Manifestato, sicut optavimus, per gratiam Dei lumine [f] evangelicæ veritatis, et ab universali Ecclesia perniciosissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus **1159** in Domino quod creditæ nobis dispensationis labor ad desideratum pervenit effectum, sicut etiam epistolæ tuæ textus eloquitur; *ut*, secundum apostolicam doctrinam, *idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata : simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem* [g] *scientia* (I *Cor.* I, 10). In cujus operis devotione gratulamur dilectionem tuam esse consortem : ut et corrigendis tua prodesset industria, et [h] ab omni te deviantium participatione purgares. Decessore enim tuo beatæ memoriæ Flaviano, propter defensionem catholicæ veritatis ejecto, non immerito credebatur quod ordinatores tui, contra sanctorum canonum constituta, viderentur sui similem consecrasse. Sed affuit misericordia Dei, in hoc [i] te dirigens atque confirmans, ut malis principiis bene utereris; et non te judicio hominum, sed Dei provectum benignitate monstrares : quod vere ita accipiendum est, si hanc divini muneris gratiam alia offensione non perdas. [j] Virum enim catholicum, et præcipue Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate [k] corrumpi. Dicente quippe Scriptura sancta : *Post concupiscentias tuas* [l] *non eas, et a voluntate tua*

Φανερωθέντος, ὡς ηὐχόμεθα, διὰ τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος, τοῦ φωτὸς, [1] καὶ τῆς εὐαγγελικῆς ἀληθείας, καὶ ἀπὸ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τοῦ σκότους τῆς ὀλεθριωτάτης πλάνης ἐκδιωχθέντος, **1160** ἀφράστως χαίρομεν ἐν τῷ δεσπότῃ, ὅτι τῆς πιστευθείσης ἡμῖν διοικήσεως ὁ κάματος εἰς τὸ πεποθημένον ἔργον ἐξέβη, καθὼς καὶ τῆς σῆς ἐπιστολῆς ὁ τύπος σημαίνει· ὥστε κατὰ τὴν ἀποστολικὴν διδασκαλίαν τὸ αὐτὸ λεχθῆναι παρὰ πάντων, καὶ μὴ εἶη ἐν ὑμῖν σχίσματα, εἶημεν δὲ τέλειοι ἐν τῷ αὐτῷ νῷ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ εἰδήσει. Οὗτινος κατορθώματος χαίρομεν τὴν σὴν ἀγάπην εἶναι συνεργόν· ὥστε καὶ τοῖς ὀφείλουσι διορθωθῆναι τὴν σὴν λυσιτελῆσαι σπουδήν, καὶ ἀπὸ πάσης τῶν πλανωμένων κοινωνίας καθαρισθῆναί σε. Τοῦ γὰρ προηγησαμένου σε τοῦ τῆς μακαρίας μνήμης Φλαυιανοῦ διὰ τὴν ἐκδίκησιν τῆς καθολικῆς πίστεως ἐκβληθέντος, οὐκ ἀδίκως ἐπιστεύετο, ὅτιπερ οἱ χειροτονήσαντές σε παρὰ τοὺς κανόνας τοὺς ἁγίους [2] ὡς ἑαυτὸν ὅμοιον ἐφαίνοντό [3] σε χειροτονήσαντες. Ἀλλ' ἔφθασεν ἡ τοῦ Θεοῦ ἐλεημοσύνη, εἰς τοῦτό σε φέρουσα καὶ βεβαιοῦσα, ὡς ἂν ταῖς μὲν κακαῖς ἀρχαῖς καλῶς χρήσασθαι, καὶ μὴ ἀνθρώπων κρίσει, ἀλλὰ Θεοῦ ἀγαθότητι χειροτονηθῆναι ὀφθείης· ὅπερ ἀληθῶς οὕτως ἐστὶ δεκτέον, εἰ ταύτην τῆς θείας δωρεᾶς τὴν χάριν ἑτέρᾳ μὴ ἀπολέσιας προσκρούσει· τὸν γὰρ καθολικὸν ἄνδρα, καὶ μάλιστα τὸν τοῦ δεσπότου ἱερέα, ὥσπερ οὐδεμιᾷ πλάνῃ προσπλέκεσθαι, οὕτως οὔτε τινὶ ἐπιθυμίᾳ φθείρεσθαι χρή. [4] Βοώσης τῆς θείας γραφῆς, Τὰς

[a] Vox *mihi* a Quesnello inserta legitur etiam in Ratisp.

[b] Alias 80. Quæ autem antea 106 erat, nunc 135. Scripta 22 Maii an. 452.

[c] Exstat in mss. collect. 5 Hisp., Isid. 11, 12, 16 et 18 usque ad 24, nec non in Vallicellano 18 tit. 398, ac in exemplari Sichardi. Græcam præterea versionem invenimus in ms. Vat. Græco 1455, ex quo illam nunc primum in lucem proferimus. Leo his litteris respondet Anatolii epist. 101. In memorato ms. Vallicellano hic titulus præfigitur : *Epistola S. Leonis papæ ad Anatolium, qui S. Flaviano CP. episcopo in exsilium destinato* (addendum fuerat *et in itinere mortuo*) *in loco ejus ordinatus est.*

[d] In tabula collect. 5, cap. 91, hæc synopsis legitur : *Ad Anatolium episcopum CP. de ejus ambitu objurgatio, et de Alexandrinæ et Antiochenæ sedis antiquius honore prælato.* In collectione Hispanica sic : *Ubi in primis eumdem episcopum de fide in Chalcedonensi concilio laudat; deinde arguit quod contra Nicænam synodum Alexandrinam atque Antiochenam Ecclesias sibi subdere voluisset.*

[e] Ex Græco : *Dilectissimo fratri Anatolio archiepiscopo CP. Leo archiepiscopus Romæ.*

[f] Vindebon. collect. 5, et Vallicell. ignorant *evangelicæ.*

[g] Ita cum Quesn. Vindebon. collect. 5, Vallicell. et mss. collect. 21 cum Græca versione. Alii codices cum anterioribus editis, *sententia.*

[h] Sic melius Vindebon. collect. 5, Ratisp. et mss. collect. 11 et 24 cum antiquis editis et Sichardo, quibus concinit etiam interpretatio Græca. Quesnellus, *ab omnium.* Mox post vocem *participatione* antiquæ editiones et Sichardus addunt, *et factione.* Delent quinque codd. Quesnelli et undecim nostri, nec non Græca versio.

[i] Vallicell. omittit *te.* Barb. 3386 collect. 16 et Vat. collect. 11, pro *dirigens* habent *diligens.*

[j] Dist. 47, *Virum catholicum*, c. 6.

[k] Ita ex mss. Vindebon. collect. 5, Ratisp. Vallicell. et Barb. collect. 16. Alias in vulg., *violari.*

[l] Cod. Barb. collect. 16 et Vat. collect. 24, *ne eas.* Mox in mss. Vindebon., Hisp., Ratisp., Vallicell. et duobus collect. 21 cum editis ante Quesn., *avertere* pro *vetare*, ab eo inductum ex quatuor suis codd., quibus alii sex nostri cum Sichardo suffragantur.

[1] Hæc conjunctio abundat.

[2] Abundat ὡς; deinde lege, ἑαυτῶν.

[3] Hoc pronomen superfluit, proindeque delendum.

[4] Forte, βοώσης γὰρ, aut βοώσης δηλαδή.

Digitized by Google

vetare (*Eccli.* XVIII, 30): multis mundi hujus illecebris, multis vanitatibus resistendum est, ut veræ continentiæ obtineatur integritas : cujus prima est labes superbia, initium transgressionis, et origo peccati. Quoniam MENS potentiæ avida nec abstinere novit vetitis, nec gaudere concessis; dum inordinato pravoque **1161** progressu, impunitarum transgressionum augentur excessus, et crebrescunt culpæ, quæ toleratæ sunt studio fidei reparandæ et amore concordiæ.

CAP. II. — Post illa itaque ordinationis tuæ [a] non inculpata principia, post consecrationem Antiocheni episcopi, quam tibimet contra canonicam regulam [b] vindicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris infringere; tamquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, [c] quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit: ut his locis juri tuo subditis, omnes metropolitani episcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis et numquam ante tentatis ita [d] præveniris, excessibus, ut sanctam synodum, ad exstinguendam solum hæresim, et ad confirmationem fidei catholicæ studio Christianissimi principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, et ut conniventiam suam tibi • dedat, impellas : tamquam refutari nequeat quod illicite voluerit multitudo, et illa Nicænorum canonum per Spiritum [f] vere sanctum **1163** ordinata conditio in aliqua cuiquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum vel comparare se audeat, vel præferre; cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum.

CAP. III. — Nimis ergo hæc improba, nimis sunt prava, quæ sacratissimis canonibus inveniuntur esse contraria. In totius Ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit concilio syno-

A ἐπιθυμίας τὰς σὰς ἀπὸ τῆς σῆς προαιρέσεως πάλαι, τῆς παλλοῖς τούτων τοῦ κόσμου δελεάσμασι, καὶ τῇ πολλῇ ματαιότητι ἀντιβῆναι χρή· ὥστε τῆς ἀληθοῦς ἐγκρατείας τὴν καθαρότητα κατασχεθῆναι, ἧστινος πρώτος ἐστιν ὄλεθρος ὑπερηφία, ἀρχὴ τῆς μεταβάσεως, καὶ ἀρχιγονία τῶν ἁμαρτημάτων. **1162** Ἐπειδὴ [1] δὲ ἐπιθυμητικὴ τῆς δυναστείας τυγχανουσα οὔτε ἀποσχέσθαι ἔγνω τῶν κεκωλυμένων, οὔτε χαίρειν τοῖς συγκεχωρημένοις, [2] τῇ ἀκολούθῳ καὶ φαύλῃ προκοπῇ τῶν ἀτιμωρήτων παραβάσεων αὔξονται αἱ ὁδοί, καὶ στυγνάζουσιν αἱ ἁμαρτίαι, αἵτινες ἐβαστάχθησαν ἕρωτι τοῦ ἀνανεωχθῆναι τὴν πίστιν, καὶ τὴν ὁμόνοιαν. Μετ' ἐκεῖνα τοίνυν τὰ ἐπὶ τῇ σῇ χειροτονίᾳ ἡμαρτημένα προοίμια, μετὰ τὴν χειροτονίαν τοῦ Ἀντιοχείας ἐπισκόπου, ἥντινα ἑαυτῷ παρὰ τοὺς κανονικοὺς θεσμοὺς ἐξεδίκησας, πάσχω, καὶ εἰς τοῦτο τὴν σὴν B ἀγάπην ἐξολισθῆσαι, ὥστε τὰς θείας διατυπώσεις τῶν ἐν Νικαίᾳ κανόνων ἐπιχειρεῖν σε παραλύειν· καθάπερ ἐπιτηδείου σοι προσενεχθέντος καιροῦ, [3] ὅπως τῆς δευτέρας τιμῆς τὸ προοίμιον ὁ ἀλεξανδρέων θρόνος, καὶ ἡ ἀντιοχέων ἐκκλησία τὴν κυριότητα τῆς τρίτης [4] ἀπωλέσει ἀξίας· ὥστε τούτων τῶν τόπων τῷ σῷ δικαίῳ ὑπαχθέντων πάντας τοὺς μητροπολίτας ἐπισκόπους τῆς ἰδίας τιμῆς στερηθῆναι· ἅτινα μήτε ἀκουσθέντα, μήτε ἐπιχειρηθέντα ποτὲ οὕτω προσίλαβες τῇ παραβάσει, ὥστε τὴν ἁγίαν σύνοδον τὴν εἰς τὸ ἀποσθέσαι μόνον τὴν αἵρεσιν, καὶ βεβαιῶσαι τὴν καθολικὴν πίστιν σπουδῇ τοῦ χριστιανικωτάτου βασιλέως συναθροισθεῖσαν εἰς ἀφορμὴν ἀμβιτίονος ἑλκυσθῆναι παρὰ σοῦ, καὶ εἰς συνδυάσαι σοι ἀναγκασθῆναι καθάπερ οὐ δυναμένου ἀνατραπῆναι τοῦ παρανόμως δόξαντος πολλοῖς· ἀλλὰ κἀκείνη ἡ τῶν ἐν Νικαίᾳ κανονισθέντων κανόνων διὰ τοῦ ἁγίου **1164** ἀληθῶς πνεύματος διατύπωσις ἓν τινι μέρει τισὶν εἴη ἀναλυτέα· μηδαμῶς [5] ἑαυτῷ ἐκ τοῦ συνηγμένου πλήθους συνοδικὸν συνέδριον ἀπατήσῃ, μήτε τῶν τριακοσίων δεκαοκτὼ ἐπισκόπων ὅσος δήποτε ἀριθμὸς ἱερέων ἢ συγκρῖναι ἑαυτὸν [6] τολμήσει, ἢ προκρῖναι· ὁπότε τοσαύτῃ Θεοῦ χάριτι ἡ ἐν Νικαίᾳ σύνοδος συνηθροίσθη, ὥστε εἴτε δι' ἐλασσόνων, εἴτε διὰ πλειόνων ἐκκλησιαστικὰ συγκροτηθείη δικαστήρια, πάσης στερεῖσθαι αὐθεντίας πᾶν ὅτι ἂν τυπωθείη τῇ ἐκείνων διατυπώσει ἐναντιούμενον. Ἄγαν τοίνυν ἀναιδῆ, ἄγαν φαῦλα τυγχάνει τὰ τοῖς θείοις κανόσιν ἐναντιούμενα· εἰς τάραχον πάσης ἐκκλησίας ἡ παροῦσα τείνει ὑπεροψία, ἥτις οὕτως ἀποχρήσασθαι ἠθέλησε τῇ συνόδῳ,

[a] Principia *non inculpata* dicuntur ob ordinatorem Dioscorum, qui S. Flavianum deposuerat et Eutychem receperat. Vide plura apud Quesn. not. 1.

[b] Anatolius scilicet ordinaverat Maximum in Antiochena sede, quæ cum ad Constantinopolitanum episcopum non pertineret, ordinatio ejusmodi canonicæ regulæ adversabatur. Regulæ autem canonicæ nomine sive intelligantur canones Nicæni, qui sua quibusvis provinciis privilegia servari jubent, sive alii quicumque canones, aut consuetudo Ecclesiarum, de qua Quesnellus nota 2, parum refert. Paulo post loco *protapsam* Vindebon. collect. 5 et Vallicell., *progressam*. Dein idem Vallicell., *conaris*, forte, *coneris*.

[c] Vindebon. Hisp., *cum secundum honoris privilegium*. Vat. Hisp. et alius Vat. collect. 11, *quo suum honoris privilegium*. Vat. Isid., *quo suum secundi honoris privilegium*.

[d] Ratisp., *prævenires*. Mss. Vat. Hisp. et Isid., Græca versione suffragante, *prævenisti*.

Editi Leonis et Sichardus cum mss. collect. 5 et 24 *det*. Prætulimus lectionem vulgatam Concilior. quæ est in Ratisp., in utrisque Hisp., in Vat. Isid. et in mss. collect. 11 ac 21. Paulo ante pro *conniventiam* in Ratisp. et Grim. aliisque nonnullis codd. *conhibentiam;* Vallicell. et apud Facundum, *cohibentiam*. Paulo post duo mss. Vat. collect. 21, *voluit* pro *voluerit*.

[f] Vat. collect. 11, omittit *vere*. Post pauca pro *cuiquam* editi antiqui cum quinque nostris codd. habent *umquam*. At potiores libri utrique Vindebon., Vallicell., Ratisp., Grim. et mss. collect. 24, cum Quesnello et Sichardo *cuiquam*. Dein pro *solubilis* utrique Hisp. Vat., Isid. et Barb. *resolubilis*.

[1] Hanc particulam, utpote redundantem, dele ; deinde supple ἡ, aut quid hujusmodi.

[2] Deest hic aliquid, outa ὅταν, aut quid simile.

[3] Forte, ὥπερ.

[4] Forte, ἀπολέσει.

[5] Leg., ἑαυτὸ

[6] Forte, τολμήσῃ.

Digitized by Google

dali, ut fratres in fidei tantummodo [a] negotio convocatos, et [b] definitione ejus causæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad consentiendum sibi, aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres nostri ab apostolica sede directi, qui vice mea synodo præsidebant, probabiliter atque constanter illicitis [c] ausibus obstiterunt, aperte reclamantes, ne contra instituta Nicæni concilii, præsumptio reprobæ novitatis assurgeret. Nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in epistola tua etiam ipse conquereris, quod conatibus tuis voluerint obviare. In quo quidem multum illos mihi hæc scribendo commendas, sed temetipsum, quod eis parere nolueris, dum illicita moliris, accusas, superflue non concedenda [d] appetens, et insalubriter tibi contraria concupiscens, quæ nullum umquam poterunt nostrum obtinere **1165** consensum. Absit enim a conscientia mea ut tam prava cupiditas meis studiis adjuvetur, ac non potius et meo et omnium qui non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt, opere subruatur.

Cap. IV. — Sancti illi et venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos et in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt; et si quid [e] usquam aliter quam illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur; ut [f] quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur; nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa: et manentibus terminis, quos constituerunt Patres, [g] nemo in jus tendat alienum; sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit in latitudine se charitatis exerceat; cujus satis uberes fructus Constantinopolitanus potest antistes acquirere, si magis humilitatis virtute nitatur, quam si spiritu ambitionis [h] infletur.

Cap. V. — *Noli*, frater, *altum sapere, sed time* (*Rom.* xi, 20), et Christianorum principum piissimas aures improbis petitionibus inquietare desiste, quibus certum habeo modestia te magis quam elatione placiturum. Persuasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam episcoporum ante sexaginta

ὥστε τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς τῆς πίστεως ἕνεκα μόνης συγκληθέντας, πληρώσαντάς τε ἅπερ τούτου ἕνεκα τοῦ μέρους φροντισθῆναι ὤφειλεν, εἰς τὸ συναινέσαι [1] ἑαυτῆς τῇ ἀπάτῃ ὑπάγειν, ἢ φόβῳ συνελάσαι. Ἐντεῦθεν γὰρ οἱ ἀδελφοὶ οἱ ἡμέτεροι παρὰ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἀποσταλέντες, οἵτινες ἐν τῇ συνόδῳ ἐτοποτήρουν ἐμοί, εὐδοκίμως, καὶ γενναίως τοῖς παρανόμοις τολμήμασι ἀντέστησαν, φανερῶς βοῶντες, μή τις κατὰ τῶν ἐν Νικαίᾳ κανόνων ἐπιχείρησις ἀναιδὴς ἐξανασταίη· ἀλλ' οὐδὲ ἀμφιβάλλεται ἀντιβῆναι αὐτοὺς, οἵστισι καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς ἑαυτοῦ γράμμασι μέμφῃ, ὅτι δὴ ταῖς σαῖς ἐπιχειρήσεσιν ἠθέλησαν ἀντιβῆναι. Καὶ ἐμοὶ μὲν οὖν πάνυ αὐτοὺς ταῦτα γράφων παρατίθης· αὐτοῦ δέ, ὅτι περ αὐτοῖς πειθαρχῆσαι οὐκ ἠνέσχου παράνομα ἐπιχειρῶν, κατηγορεῖς, περιττῶς τὰ ἀσυγχώρητα ἁρπάζων, [2] ἀθέσμως ἐπιθυμῶν ἐκείνων, ἅτινα οὐδεμιᾷ ἀπάτῃ δυνήσονται ἡμετέραν ἔχειν [3] σύνεσιν.

1166 Ἀπίστω γὰρ τῆς ἡμετέρας συνειδήσεως, ὥστε τὴν οὕτως φαύλην ἐπιθυμίαν ἐμαῖς σπουδαῖς βοηθηθῆναι, καὶ οὐχὶ μᾶλλον καὶ ἐμοῦ, καὶ πάντων τῶν [4] μεγάλα φρονούντων, ἀλλὰ ταπεινά, σπουδῇ καταχωσθῆναι. Οἱ ἅγιοι ἐκεῖνοι, καὶ σεπτοὶ πατέρες, οἵτινες ἐν τῇ Νικέων πόλει τοῦ ἱεροσύλου Ἀρείου μετὰ τῆς ἰδίας δυσσεβείας κατακριθέντος νόμους διαιωνίζοντας τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἔθεντο κανόνων, καὶ παρ' ἡμῖν, καὶ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ ταῖς ἰδίαις διατάξεσι ζῶσι, καὶ εἴ τι ποτὲ ἄλλως, ἅπερ αὐτοὶ ἐτύπωσαν, ἐπιχειρηθείη, ἄνευ ἀμφιβολίας καταργεῖται, [5] καὶ ὅπως μηδεμιᾷ ἐναλλαγῇ παραβαθείη τὰ εἰς διηνεκῆ [6] χρησιμώτατα γενικῶς τυπωθέντα· μήτε εἰς ἰδικὸν ἑλκυσθείη δίκαιον, ἅτινα εἰς κοινὴν λυσιτέλειαν τετύπωται· μενόντων τε τῶν ὅρων, οὓς ἐπήξαντο οἱ πατέρες, μηδεὶς κατὰ δικαίου ἀλλοτρίου ἔλθοι· ἀλλ' ἐντὸς οἰκείων καὶ νομίμων ὅρων, καθὼς ἂν ἕκαστος ἰσχύσῃ, εἰς πλάτος ἀγάπης ἑαυτὸν ἐκγυμνάσει, ἧς τινος εὐθαλεῖς καρποὺς ὁ Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος δύναται πορίσασθαι, εἰ μᾶλλον τῆς ταπεινοφροσύνης ἀρετῇ σπουδάσει, ἥπερ τῷ τῆς ἀμβιτίονος πνεύματι φυσηθείη. Μὴ βούλου δὲ ἀδελφὲ ὑπέρογκα φρονεῖν, ἀλλ' εὐλαβοῦ, καὶ τὰς τῶν χριστιανῶν βασιλέων εὐσεβεῖς ἀκοὰς ἀναιδέσιν αἰτήσεσιν παρενοχλεῖν ἀπόσχου, οἵστισιν ὁμολογουμένως ἐπίσταμεν ἐπιεικείᾳ σε μᾶλλον ἢ ὑπεροψίᾳ ἀρέσοντα· τῇ γὰρ γνώμῃ τῇ σῇ κατ' οὐδὲν συμβάλλεται ἡ παρά τινων ἐπισκόπων πρὸ ἐξήκοντα, ὡς φῄς, ἐνιαυτῶν γενομένη συγγραφή, καὶ οὐδέποτε παρὰ τῶν προτιμησαμένων

[a] Vat. collect. 24 et Sichardus, *negotium*.

[b] Cod. Grim. apud Quesn. not. 3, *definitione ejus causæ curanda perfunctos*. Apud Pelagium in epistola ad Heliam et alios Istriæ episcopos, *Definitionis ejus causa quæ erat curanda, pertractos*. Omnes nostri decem et septem variarum collectionum codices vulgatam lectionem præferunt, quam etiam Quesnellus in aliis suis codicibus reperit. Hic locus in Sichardi exemplo omittitur. Mox Vindebon. Hisp. delet *sibi*.

[c] Ratisp. omittit *ausibus*. Et paulo post idem codex cum mss. Vindebon. collect. 5 et Vallicell. habet, *contra statuta Nicæna*. Mss. collect. 24 cum Sichardo, *contra instituta Nicæna*. Vindebon. Hisp., *contra institiuta Nicæne*, corrupte pro *Nicæna*; quæ forte verior lectio.

[d] Cod. Grim., *appetis, et insalubre contraria concupiscis*. Sex nostri codd. cum Græco textu similiter omittunt *tibi*.

[e] Alias, *umquam*.

[f] 25, qu. 1, *Quæ ad perpetuam*.

[g] Vat. collect. 24, *Nemo invadat alienum*. Apud Sichardum et Merlinum similiter; solum pro *nemo* habent *non*. Vat. Hisp., *nemo damnet alienum*. In Vat. Isid. utraque lectio jungitur sic: *Nemo in jus tendat, atque damnet alienum*.

[h] Vindebon. Hisp., *impletur*. Emendatum in Vat. Hisp. ac Isid., *impleatur*.

[1] Leg., *ἑαυτῇ*.

[2] Leg., *καὶ ἀθέσμως*.

[3] Leg., *συναίνεσιν*.

[4] Supple οὐ.

[5] Hæc conjunctio superfluit, ideoque eliminanda.

[6] Leg., *χρησιμότατα*.

Digitized by Google

(ut [a] jactas) annos facta conscriptio [b] numquamque a prædecessoribus tuis ad apostolicæ sedis **1167** transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ sera nunc et inutilia subjicere [c] fulcimenta voluisti, eliciendo a fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata præberet. Memento quid Dominus ei qui unum de pusillis [d] scandalizaverit comminetur (*Matth.* XVIII, 6; *Marc.* IX, 41), et sapienter intellige quale sit Dei judicium subiturus, qui tot Ecclesiis, tot sacerdotibus scandalum inferre non metuit. Fateor enim ita me dilectione universæ fraternitatis obstringi, ut nemini prorsus in his quæ contra se poscit assentiar, possisque evidenter agnoscere me dilectioni tuæ benevolo animo contraire, ut saniore consilio ab universalis te Ecclesiæ perturbatione contineas. Non convellantur provincialium jura [e] primatuum, nec privilegiis antiquitus institutis metropolitani fraudentur antistites. Nihil Alexandrinæ sedi ejus, quam per sanctum Marcum evangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis; nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum prædicante beato apostolo Petro, [f] Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseveret, et in gradu tertio collocata numquam [g] se fiat inferior. Aliud enim sunt sedes, **1169** aliud præsidentes; et magnus unicuique honor est integritas sua. Quæ cum in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat, quanto magis in Constantinopolitanæ urbis magnificentia potest esse gloriosa, si per observantiam tuam, [h] et defensionem paterni canones, et exemplum probitatis multi habeant sacerdotes?

σε, εἰς γνῶσιν τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου πεμφθεῖσα, ἤτινι τὴν **1168** ἀρχὴν ἀνυποστάτῳ καὶ ὀλισθηρᾷ τυγχανούσῃ βραδέως νῦν καὶ ἀχρίστως ὑποβαλεῖν ἠβουλήθης στηρίγματα, παρὰ τῶν ἐμῶν ἀδελφῶν σχῆμα συναινέσεως, ἥντινά σοι εἰς [1] σὴν ὕβριν τὴν [2] σχυλθεῖσαν αἰδῶ παρεσχηκέναι [3] γινώσκει· Μνήσθητι τί ὁ Δεσπότης τῷ ἵνα τῶν μικρῶν τούτων σκανδαλίζοντι ἀπειλεῖ, καὶ συνετῶς νόησον ὁποῖον εἴη τοῦ Θεοῦ δικαστήριον ὑπεισελευσόμενος ὁ τοσαύταις ἐκκλησίαις, τοσούτοις ἱερεῦσι σκάνδαλον ἐμβαλεῖν μὴ φοβηθείς. Ὁμολογῶ γὰρ ἐμαυτὸν οὕτως τῇ ἀγάπῃ πάσῃ τῆς ἀδελφότητος συνέχεσθαι, ὥστε μηδενὶ πάντη αὐτῶν ἐν τούτοις, ἅπερ καθ' ἑαυτῶν αἰτοῦσι, συντίθεσθαι. Δυνήσῃ δὲ σαφέστερα γνῶναι ἐμὲ τῇ σῇ ἀγάπῃ καλοτελεῖ ψυχῇ ἀντιβαίνειν, ὅπως ἂν ὑγιεῖ λογισμῷ ἀπὸ πάσης τῆς ἐκκλησιαστικῆς ταραχῆς σαυτὸν ἐπίσχῃς· μὴ παρασπαθείῃ τῶν ἐπαρχιωτῶν τὰ δίκαια· μήτε τῶν ἀρχῆθεν τετυπωμένων προνομίων οἱ μητροπολῖται ἀποστερηθεῖεν ἐπίσκοποι [4] μηδέ που Ἀλεξανδρέων θρόνου τῆς τιμῆς, ἧς τινος διὰ τοῦ ἁγίου Μάρκου τοῦ εὐαγγελιστοῦ τοῦ μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Πέτρου ἠξιώθη, παραπόληται· μήτε διὰ Διόσκορον διὰ τὴν ἰταμότητα τῆς ἰδίας δυσσεβείας πεσόντα, τὸ φῶς τῆς τοσαύτης Ἐκκλησίας σκότῳ ἀλλοτρίῳ ἀμαυρωθείη. καὶ ἡ Ἀντιοχέων ὁμοίως Ἐκκλησία, ἐν ᾗ τὸ πρῶτον διδάσκοντος τοῦ μακαριωτάτου ἀποστόλου Πέτρου τὸ [5] τοῦ Χριστοῦ ὄνομα ἤρξατο, ἐν τῇ τῶν πατέρων διατυπώσει παραμενέτω, καὶ ἐν τῷ τρίτῳ βαθμῷ ἱδρυνθεῖσα μήποτε [6] ἑαυτοῖς γένηται **1170** ἐλάσσων· [7] ἄλλο γάρ ἐστι θρόνος, καὶ ἄλλο προκαθεδρία, καὶ μεγάλη ἑκάστου τιμὴ ἐστιν ἡ ἰδία καθαρότης, ἥτις ὁπότε ἐν οἵοις δήποτε τόποις τὸν ἴδιον τόπον οὐκ ἀπόλλυσι, πόσῳ μᾶλλον ἐν τῇ Κωνσταντινουπολιτῶν πόλει ἐπίδοξος δύναται εἶναι [8] ἡ μεγαλειότης· [9] ἡ διὰ τῆς σῆς παραφυλακῆς, καὶ ἐκδικήσεως οἵτε πατρικοὶ κανόνες, καὶ πολλοὶ ἱερεῖς ὑπόδειγμα [10] ἔχομεν

[a] Anatolius in epist. 101, cap. 4, *per sexaginta*, inquit, *et septuaginta annos*. Verius Lucentius apostolicæ sedis legatus act. 16 concil. Chalcedon. octoginta annos recensuit: *Accedit ad cumulum*, inquit, *quod trecentorum decem et octo constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in synodicis canonibus non habentur, mentionem tantum fecisse noscuntur, quæ dicunt ante octoginta prope annos constituta fuisse.*

[b] Mira in hoc textu codicum varietas. Ratisp., *nec umquam a prædecessoribus tuis ad apostolicæ sedis missa notitia.* Vindebon. Hisp., *nec umquam quoniam a prædecessoribus tuis ad apostolica sede transmissa notitia.* Vat. Hisp. et Isid., *nec umquam jam* (pro *quoniam*)... *ad apostolicam sedem transmissa notitia.* Cod. Grim. corrupte apud Quesn. not. 4, *cum quam a prædecessoribus*, etc. Thuan. unus, *cum quando a prædecessoribus tuis audieris ad apostolicam dudumque sedem.* Duo alii Thuanei ultima verba sic efferunt, *ad apostolicam sedem transmissa notitia.* Vindebon. collect. 5, *ne cum quando a prædecessoribus*, etc., ut in textu. Duo collect. 21, *cum quadam a prædecessoribus tuis ad apostolicam sedem transmissa notitia.* Sequentia tamen contextus verba editam lectionem aliis codicibus, præsertim Vallicellano et Græca versione, approbatam confirmant: *Caduca* enim, *dudumque collapsa conscriptio*, Constantinopolitanorum Patrum pro sede CP. decretum intelligitur, quod quidem Romanæ sedi ante hoc tempus ignotum fuisse alibi ostendemus.

[c] Utrique Hisp., Merlin. et Sichardus cum antiquis Leonis editionibus, *fomenta*. Post pauca pro *tibi*, Vat. Hisp. et Isid. cum Ratisp., *sibi*.

[d] Vindebon. Hisp. addit *illis*.

[e] Sic omnes codices, excepto Sichardiano, in quo *primatum*.

[f] Vindebon. collect. 5 et Vallicell., *Christianorum*, forte melius. Respicitur illud Actorum cap. XI, ℣ 26, *ut cognominaremur primum Antiochiæ discipuli Christiani*; ubi tamen id non Petro, sed Paulo ac Barnabæ prædicantibus tribuitur. Idem vero S. pontifex mentem suam satis explicavit serm. 82, c. 5, ubi de Petro, qui Antiochenam sedem instituit, *Jam Antiochenam*, inquit, *Ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras.*

[g] Vat. Hisp. et Isid. delent *se*. Mox Ratisp., *infirmior* pro *inferior*.

[h] Cod. Grim. apud Quesn. not. 6, et mss. collect. 24, cum editis Concil., *et defensionem paterni canonis exemplum probitatis multi habeant sacerdotes.* Prætulimus aliorum codicum et editorum lectionem, qua significari

[1] Leg., ἣν, vel σφήν.
[2] Leg., σκυλθεῖσαν.
[3] Forte, γινώσκεται.
[4] Leg., μηδέ τι τοῦ, etc.
[5] Forte, τῶν Χριστιανῶν.
[6] Leg., ἑαυτῆς.
[7] Hæc quidem ab interprete, sed minus bene. Vide Leonis textum.
[8] Et hoc perperam; vertere debuerat, ἐν τῇ Κωνσταντινουπολιτῶν πόλεως μεγαλειότητι ἐπίδοξος δύναται εἶναι.
[9] Leg., εἰ.
[10] Forte, ἔχωμεν.

Digitized by Google

Cap. VI. — Hæc tibi scribens, frater, in Domino hortor ac moneo ut, deposito ambitionis desiderio, spiritu potius ferveas charitatis, ejusque virtutibus, secundum doctrinam apostolicam, proficienter orneris. Est enim *patiens et benigna, et non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt* (I Cor. XIII, 4). Unde si charitas non quærit propria, quantum peccat, qui concupiscit aliena? A quibus volo ut te prorsus abstineas, memorque sis ejus sententiæ quæ dicit: *Tene* [a] *quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* (Apoc. III, 11). Nam si inconcessa quæsieris, ipse [b] te tuo opere atque judicio universalis Ecclesiæ pace privabis. Frater autem et coepiscopus noster Lucianus, et filius noster Basilius diaconus, quantum in ipsis fuit, studiose his [c] quæ injunxeras affuere; sed actioni eorum justitia negavit effectum. Data [d] undecimo kalendas Junii, Herculano viro clarissimo consule.

A ἀγαθότητος· ταῦτά σοι γράφω, ἀδελφέ, ἐν τῷ Δεσπότῃ ἡμῶν προτρεπόμενος, καὶ ὑπομιμνήσκω, ὅπως ἀφέμενος τῆς ἐπιθυμίας τῆς ἀμβιτίονος, πνεύματι μᾶλλον ζέοις διαθέσεως, καὶ ταῖς ἀρεταῖς ταύτης κατὰ τὴν διδασκαλίαν τὴν ἀποστολικὴν λυσιτελῶς κοσμηθείης· ἔστιν ἀνεξίκακος, καὶ καλοθελής, καὶ οὐκ ἐριστική, οὐδὲ πράττει μάτην, οὐδὲ ὀγκοῦται, οὐδὲ ἀμβιτιονεύει· οὐδὲ ζητεῖ, ἅπερ ἑαυτῆς ἰδιά ἐστιν. Ὅθεν [1] ἡ ἀγάπη οὐ ζητεῖ τὰ ἴδια. πόσον ἁμαρτάνει ὁ ἐπιθυμῶν τῶν ἀλλοτρίων; ὧν θέλω πάντως ἀποσχῆς, καὶ ἔχοις κατὰ νοῦν ταύτην τὴν γνώμην, ἣν προαιρορεύει, Κάτεχε ὅπερ ἔχεις, μή ἄλλος δέξηται τον σον στέφανον. Καὶ γὰρ εἰ [2] μὴ τὰ συγκεχωρημένα ζητήσειας, αὐτὸς σεαυτὸν τῷ σῷ ἔργῳ, καὶ τῇ σῇ κρίσει τῆς εἰρήνης πάσης τῆς ἐκκλησίας ἀποστερήσειας. Ὁ ἀδελφὸς καὶ συνεπίσκοπος ἡμῶν Λουκιανὸς, καὶ ὁ ἐμὸς υἱὸς ὁ διάκονος Βασίλειος, B ὅσον τὸ κατ' αὐτοὺς, σπουδαιότατα τὰ ἐγχειρισθέντα διήνυσαν, ἀλλὰ τῇ πράξει αὐτῶν τὸ ἔργον τὸ δίκαιον ἠρνήσατο. Ἐδόθη πρὸ ἑνδεκα καλανδῶν Ἰουνίων ὑπατείας Ἐρκουλάνου τοῦ λαμπροτάτου.

1171 EPISTOLA [e] CVII.

AD JULIANUM COENSEM EPISCOPUM.

Synopsis. — I. *Nicæni concilii auctoritas quanti facienda sit.* — II. *Julianum arguit quod Anatolio CP. faveat.* — III. *Contra universalis Ecclesiæ statum, sine reatu utriusque ipsorum, nec sibi licere quidquam concedere, nec ei obtinere.*

Leo papa Juliano Coensi episcopo.

[g] Cum frequentibus experimentis probaverit dilectio tua quam constanti fixoque proposito [h] sanctorum Nicænorum canonum statuta custodiam, dissolvi omnes ecclesiasticas regulas æstimans, si quidquam ex illa sacrosancta Patrum constitutione violetur, miror talia te per fratrem et coepiscopum nostrum Lucianum **1172** dirigere scripta potuisse, quibus in tantum pro appetitu novæ [i] transgressionis intervenis, ut tibi putes aliquid speciale præstandum, si his [j] quæ illicite concupiscuntur annuero. Quantumlibet autem te affectione complectar, nullo tamen modo poteris obtinere ut me in excidium ecclesiastici status, vel suadendo impellas, vel supplicando traducas. Frater enim et coepiscopus noster Anatolius, si divina beneficia et mei favoris assensum sapienter intelligit, satis illi [k] sufficit obtinuisse quod summus antistes de honore episcopatus sui gratias Deo referat, et se ab illicitorum cupiditate contineat; et quicumque illum specialiter diligunt, tali eum debent confirmare consilio; ut impossibilia omnino non quærat, et sibi talia concupiscendo non noceat: quia [l] nullis apud me patrociniis ita poterit adjuvari, ut his quæ postulat, calcata Patrum constitutione, consentiam. Rescribens itaque ad epistolas tuas, pro ea qua diligo affectione, te moneo ut major apud te sit universalis Ecclesiæ status, saluberrima olim et vera C ordinatione munitus, quam [m] ut in cujusquam gratiam ea a me velis postulare, quæ sine reatu utriusque nostrum, nec mihi concedere, nec tibi liceat obtinere. Dat. XI kalend. Junias, Herculano viro clarissimo consule.

---

significari videtur per Anatolii observantiam fore ut et paterni canones, id est Nicæni, defensionem, et multi sacerdotes probitatis exemplum habeant. Græca etiam interpretatio *paterni canones* exhibet.

[a] Mss. collect. 24 et Sichardus, *quod tenes*.

[b] Iidem codd. delent *te*. Et dein, *privaberis*.

[c] Vindebon. Hisp. cum quinque aliis codd. et antiquiores editiones, *quæ eis injunxeras*.

[d] Solus cod. Vindebon. collect. 5, XII *kal.*, ut similiter solus eamdem diem signavit in epist. 104.

[e] Alias 81. Quæ autem antea 107 erat, nunc 136. Scripta 22 Maii an. 452.

[f] Gerardus Vossius in calce operum S. Gregorii Thaumaturgi Moguntiæ an. 1604, primus hanc epistolam edidit e ms. libro cardinalis Sirleti, quem ex aliarum epistolarum exinde editarum complexu colligimus fuisse codicem collect. 25, qualis est Vat. Ottob. 297. Quesnellus eamdem invenit in Grimanico; nos præter laudatum Vaticanum etiam in Ratisponensi.

[g] Quesnellus hanc integram et veram lectionem ex ms. Grimanico eruit, eamque nos pariter in Ratisp. ac in Vat. Ottob. reperimus. Anteriores vero editiones post Vossium, omissis quatuor primis vocibus, et duabus aliis *non ignorat* insertis, sic inchoabant: *Dilectio tua non ignorat quam constanti*, etc. Cod. tamen Vossii Ottoboniano similis veram lectionem prætulisse credimus. Sed cum ille legisset *quem* pro *cum*, quatuor primas voces titulo adjecit sic: *Leo papa Juliano episcopo, quem frequentibus experimentis probaverat;* et inchoans epistolam a verbis *Dilectio tua*, ut sensum perficeret addidit *non ignorat*. Posteriores autem editores deleverunt tituli verba, *quem frequentibus experimentis probaverat*.

[h] Ratisp., *sacrorum*.

[i] Editi antiqui ex cod. Sirleti, *litterarum gressionis*, in textu, et in margine, Al., *transgressionis*, quam lectionem Quesnellus ex Grimani. inseruit, et nos cum Ratispon. retinuimus. Vat. Ottob. lectionem codicis Sirleti præfert, adeo hic ejusdem collectionis fuit.

[j] In iisdem editionibus antiquis, *qui illicite concupiscunt*. Grim., Ratisp. et Vat. Ottob. ut in textu; et solum duæ voces in cod. Vat. Ottob. simili ms. card. Sirleti abbreviatæ *q* et *concupiscunt* errandi occasionem dedisse videntur.

[k] Vulg. antiqui, *suffecerit*. Vat. Ottob., *sufficeret*.

[l] Cod. Sirleti et Vat. Ottob. cum antiquis editis, *nullus*.

[m] Ratisp. omittit *ut* et *a me;* addit autem *ea*, quam vocem inserendam credidimus.

[1] Leg., *εἰ*.

[2] Lege potius, *τὰ μή*.

Digitized by Google

1173 EPISTOLA [a] CVIII.

[b] AD THEODORUM FOROJULIENSEM EPISCOPUM.

[c] SYNOPSIS. — I. *Unumquemque episcopum ad metropolitanum in dubiis recurrere debere.* — II. *Duplex esse peccati remedium; et quis reconciliationis ordo esse debeat.* — III. *Pœnitentem, qui ante reconciliationem decedit, reconciliari post mortem non posse.* — IV. *Nemini in extremis posito et reconciliationem petenti eam esse denegandam.* — V. *Quam periculose in finem pœnitentia reservatur. Nemini per signa poscenti negandam esse, observatis circa apostatas canonicis regulis.* — VI. *Ut cum metropolitano responsa ad consultationem communicet.*

[d] LEO episcopus THEODORO Forojuliensi episcopo.

CAP. I. — Sollicitudinis quidem tuæ [e] hic ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo primitus [f] de eo quod quærendum esse videbatur conferres, ac si id quod ignorabat dilectio tua [g] etiam ipse nesciret, instrui vos pariter [h] posceretis : quia in causis quæ ad generalem observantiam pertinent [i] omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet inquiri. **1174** [j] Sed ut quoquomodo instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu ecclesiastica habeat regula non tacebo.

CAP. II. — [k] Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, [l] ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent : sic divinæ [m] bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus [n] actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Cui utique operi [o] incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec umquam ab his abest quæ ministris suis exsequenda commisit, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20) : ut si quid per servitutem nostram bono ordine et [p] gratulando impletur effectu, non ambigamus per Spiritum sanctum fuisse donatum.

CAP. III. — Si autem aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo, a munere indulgentiæ præsentis [q] exciderit, et priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore [r] non recepit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos eorum qui sic obierint merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus **1175** judicia nequeunt comprehendi, quod [s] sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit : ita potestatem suam timeri volens, ut hic [t] terror omnibus prosit, et quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur.

CAP. IV. — [u] His autem qui in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda :

[a] Alias 83. Quæ autem antea 108 erat, nunc 137. Scripta 11 Junii an. 432.

[b] Est hæc epistola in mss. collect. 5 et 8, Hisp. Isid., et bis in Vat. 3791 collect. 11, item in codd. collect. 12 et 20 usque ad 24. Præterea in duobus peculiaribus mss. Vat. 1343 et Vat. Reg. 612. In mss. antiquæ collect. 8 nec non in ms. Ottobon. 297 collect. 23 hic titulus legitur : *S. Leonis papæ de pœnitentia ad Theodorum episcopum Galliensem de civitate Forojuliensi.*

[c] In tabula collect. 5 cap. 70 : *Constitutio ad Theodorum episcopum Forojuliensem super pœnitentiæ statu.* In collect. Hisp. : *Ut his qui in exitu sunt pœnitentia et communio non negetur.*

[d] In mss. collect. 8, *Leo papa Theodoro episcopo Gallo Forojuliensi.* Vat. 5845 ejusdem collectionis addit *salutem.* In ms. Vindebon. collect. 5, *Dilectissimo fratri Theodoro episcopo Forojuliensi Leo episcopus.*

[e] Vat. Hisp. et Isid., *iste ordo.* Editi ante Quesn. cum Vat. collect. 11, *is ordo.*

[f] Duo mss. collect. 21 omittunt *de eo.* Alias, *de hoc.*

[g] Utrique Hisp. cum Vat. Isid. delent *etiam.* Vallicell. an. 5 collect. 8, *etiam ipse diceret se nescire.*

[h] Quesnellus, *posceritis.* Ex sex nostris mss. veterem lectionem, quam contextus exigit, revocavimus.

[i] Voces *omnium Domini sacerdotum* omittunt tres Quesnelli codices, et utrique nostri Hisp. cum aliis quatuor mss. Paulo post, *sine primate suo* in quatuor mss. collect. 8; forte melius.

[j] Vat. collect. 11 utroque diversæ licet originis exemplo : *Sed quomodo instruatur ambiguitas consulentis, vel quid,* etc. *Sed quoquomodo* est in utrisque Hisp. et in Vat. Isid.

[k] De Pœnit. dist. 1, *Multiplex,* c. 49.

[l] Vindebon. collect. 5, Vat. Hisp. et Vercell. collect. 8 cum Merlino collect. 12, *et qui.* Mox, *donari* in Vat. collect. 11 et in editis ante Quesn.

[m] Vat. Hisp. et Isid. cum tribus aliis mss., *voluntatis.*

[n] Iidem quinque codices, *pœnitentiæ sanctionem darent.* Id derivare videtur ex arbitraria emendatione lectionis mendosæ Vindebon. Hisp., *agationem* pro *actionem.* Mox, *et eadem salubri sanctificatione* in duobus mss. Vat. collect. 21.

[o] Vox *incessabiliter* in Vindebon. collect. 5 desideratur. Sirmondus in marg. : Al., *incessanter.* Post pauca, cum in Vindebon. Hisp., desint, *quæ ministris suis exsequenda commisit dicens,* in Vat. Hisp. et Isid. ac tribus aliis inde proficiscentibus, ut sensus perficeretur, scriptum fuit : *Nec umquam ab iis abest, quibus ait : Ecce vobiscum,* etc.

[p] Utrique codd. Hisp. Vat. Isid. cum tribus aliis mss. et Sirmondus in margine, *grato impletur affectu;* et mox in iisdem codd. ante verbum *fuisse* additur *nobis.*

[q] Alias, *excesserit* in iisdem mss., excepto Vindebon. Hisp. Dein, *perveniret* in utrisque Vindebon. et in aliis ex collect. Hisp. profectis.

[r] Antiquiores vulg. cum Vat. collect. 11 primo loco, *non receperit.*

[s] Quinque codd., *sacerdotum;* et in quatuor ex his, *implere ministerium non sinit;* in Vindebon. Hisp., *non sinebit.*

[t] Quesnellus cum nostro Vindebon. Hisp., *error.* Veterem lectionem ex novem nostris codd. collect. 5, 8, 11, 21 ac Vat. Hisp. et Isid., *revocavimus.*

[u] De Pœnit. dist. 1, *Multiplex,* cap. 49; et 26, qu. 6, *His qui tempore,* c. 10.

Digitized by Google

quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras [a] vera conversio, dicente Spiritu Dei per prophetam : *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris* (*Isai* XXX, 15, *sec. LXX*). Et alibi : *Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris* (*Isai.* XLIII, 26, *sec. LXX*). Et iterum : *Quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio* (*Ps.* CXXIX, 7). In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere, cum ipsam [b] pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo : *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo* [c] *captivi tenentur ad ipsius voluntatem* (II *Tim.* II, 25).

CAP. V. — Unde oportet unumquemque [d] Christianum conscientiæ suæ habere judicium, ne **1176** converti ad Deum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituat : [e] quia periculose hac se conditione fragilitas et ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum se reservet incertum ; et cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, [f] quo vix inveniat spatium vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis. [g] Verum, ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, [h] ut et actio illis pœnitentiæ, et communionis gratia, si eam, etiam amisso vocis officio, per indicia integri sensus postulant, non negetur. At si [i] aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur ; servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas [j] qui in Deum a fide discedendo peccarunt.

CAP. VI. — Hæc autem, [k] frater, quæ ad interrogationem dilectionis tuæ ideo respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantiæ excusatione [l] gereretur, in metropolitani tui notitiam facies pervenire : ut si qui forte sunt fratrum qui de his antea putaverint ambigendum, per ipsum de omnibus quæ ad te scripta sunt instruantur. [m] Data III idus Junii, Herculano viro clarissimo.

1177 EPISTOLA [n] CIX.

AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM.

Nunc primum edita e ms. Ratisponensi.

SYNOPSIS. — I. *De Palæstinorum monachorum turbis et violentiis, quibus catholicos exagitabant, ac in Eutychianam hæresim assensum extorquebant, queritur.* — II. *Eos ab imperatore cohibendos, et pertinaces in exsilium pellendos.* — III. *Epistolam S. Athanasii ad Epictetum eisdem opponendam mittit.* — IV. *De Juvenali episcopo Hierosolymorum ab eisdem pulso, et de alio ei subrogato.*

LEO papa JULIANO episcopo.

CAP. I. — Gravia sunt, et non parvo mœrore lugenda, quæ [o] falsorum monachorum turbas fraternitas tua perpetrare significat, Eutyche impio per

[a] Vindebon. Hisp. cum aliis quatuor mss. ejusdem originis omittit *vera*. Vat. collect. 11 in utroque exemplari, et Quesnellus in margine, *vera confessio*.

[b] Codd. Vat. et Vallicell. collect. 8, *pœnitentiæ affectionem*. Ms. Vat. collect. 24 cum editis ante Quesn., *ipsam pœnitentiam ex Dei*, etc. Cæteri nostri et omnes Quesnelli codd. ut in textu.

[c] Vindebon. collect. 5 et Quesn. in marg., *capti*. Mox Vindebon. Hisp., *in ipsius voluntate*. Vat. Hisp. et Isid., *in ipsius voluntatem*.

[d] Utrique Hisp. et Vat. Isid. delent *Christianum*.

[e] Vindebon. Hisp. corrupte : *Quem periculose se ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum spatium se reservet incertum*. Eamdem lectionem receperunt vulgati ante Quesn., omissa tantum primo loco voce *se*. Emendationem a Quesnello inductam nostri codd. collect. 5, 8 et 24, ac Vat. collect. 11 secundo loco approbant.

[f] Vindebon. collect. 5 et Vallicell. collect. 8, *in quo*.

[g] Vindebon. Hisp., *Ita ergo etiam talium necessitati auxiliandum est*. Vat. collect. 11 primo loco : *Ita ergo necessitatibus talium auxiliandum est*. Vat. Hisp. et Isid. cum duobus collect. 21 : *Ita ergo necessitati auxiliandum est*.

[h] Editi ante Quesn., *ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam omisso ab eis vocis officio, per indicium integri sensus quærere comprobentur. Quod si aliqua*, etc. Paulo dissimilis est lectio in utrisque Hisp., in Vat. Isid. et in alio collect. 11 primo loco, nec non in mss. collect. 21. Postrema verba, *per indicium integri sensus quærere comprobentur*, leguntur etiam in exemplo Merlini collect. 12 et in Vat. collect. 24. Lectionem textus codd. collect. 8 et Vat. collect. 11 secundo loco præferunt ; iisdemque accedit Vindebon. collect. 5.

[i] Quesn. cum quibusdam mss., *aliqua ægritudine*. Melior visa est lectio antiquiorum editionum, quam vetustiores codd. Vindebon. collect. 5. Vat. et Vallicell. collect. 8 cum Vat. collect. 24 exhibent.

[j] Vindebon. Hisp. et duo Vat. collect. 21, *qui in Dominica fide*. Paulo ante in utrisque Hisp. omittitur *paternorum*.

[k] Vindebon. collect. 5, *frater charissime*.

[l] Codd. collect. 8, *generetur*. Dein *innotescant* pro *instruantur* in Vindebon. Hisp.

[m] Vindebon. collect. 5 et exemplum Merlini collect. 12 chronicam notam prætermittunt. Vat. et Vallicell. collect. 8, III *idus Jan.*, ubi *Jan.* pro *Jun.* facile subrepere potuit. Vindebon. Hisp., III *Jul.*, sine notatione iduum. Hunc defectum, ut videtur, correctum fuit ex arbitrio in Vat. Hisp. et Isid. aliisque codd. inde profectis scribendo, III *kal. Jul.* Editi cum Vat. 3791 secundo loco, et alio Vat. collect. 24, IV *idus Junias*. Prætulimus III et *Junias*, cum in his plerique codd. et potiores collectiones conveniant. *Kalendas* autem deseruimus eo quod *kalendarum* notatio arbitrio antiqui scriptoris in memoratis codd. ex Hispanica collectione provenientibus suppleta videatur. Post consularem notam in Vat. 3791 secundo loco hæc subjiciuntur : *Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Dat.* II *nonas Martii* ; quæ verba ex fine epist. 168 ad Campanos sumpta sunt.

[n] Quæ antea erat 109, nunc 138. Scripta 25 Nov. 452.

[o] De monachis Palæstinis loquitur, qui duce Theodosio statim post Chalcedonensem synodum ad suos reverso Hierosolymis primum, dein in tota Palæstina ingentes turbas excitarunt. Vide imp. Marciani et Pulcheriæ Augustæ epistolas hac de re scriptas, quæ ejusdem synodi gestis subjiciuntur, et Evagrium lib. II, c. 5.

Digitized by Google

deceptorum furorem bellum evangelicis et apostolicis prædicationibus inferente, retorquendo in ipsius et sociorum ejus exitium; quod ideo differtur per patientiam Dei, ut inimici crucis Christi quantum diabolo famulentur appareat; dum hæretica pravitas antiquum velamen suæ simulationis excedens, intra limites hypocrisis suæ continere se amplius non potest, totumque, quod diu texerat, virus effudit, non solum [a] stylo in discipulos veritatis, sed etiam [b] manu sæviens, ut consensum aut simplicitatis indoctæ, aut trepidæ fidei violenter extorqueat. Sed non ita debent filii lucis filios metuere tenebrarum, ut sani furentibus acquiescant, **1178** aut æstiment hujusmodi hominibus aliquid præstandum esse reverentiæ, qui si perire malunt quam resipiscere, prospiciendum est ne impunitate sua latius noceant, et in multorum perniciem, dum diu tolerantur insurgant.

CAP. II. — Non ignoro quid charitatis et gratiæ filiis nostris sanctis et veris monachis debeatur, qui professionis suæ modestiam non relinquunt, et quod proposito voverunt, moribus exsequuntur. Superbi autem et inquieti, qui [c] sacerdotum contemptu et injuriis gloriantur, non servi Christi, sed Antichristi milites sunt habendi; maximeque in suis sunt præpositis humiliandi, qui imperitam multitudinem ad defensionem suæ perversitatis instigant. Unde cum clementissimus princeps toto religiosi cordis affectu catholicam diligat fidem, et multum, sicut ubique percrebuit, rebellium hæreticorum hac offendatur audacia, agendum est apud ipsius clementiam, ut incentores harum seditionum ab insanis congregationibus separentur; nec tantum Eutyches et Dioscorus, sed etiam quicumque studiosius furiosam adjuvant pravitatem, in his constituantur locis, in quibus nullum cum suis sociis blasphemiarum possint habere commercium: forte enim aliquorum simplicitas hac medendi ratione curabitur, et ad incolumitatem mentium facilius revocabuntur, si liberiores fuerint ab instigationibus pestilentium magistrorum.

CAP. III. — Ne autem ad confirmandos piorum animos, vel ad hæreticos confutandos necessaria aut deesset, aut lateret instructio, misi [d] epistolam sanctæ memoriæ Athanasii episcopi ad Epictetum episcopum datam, cujus testimoniis sanctæ memoriæ Cyrillus usus est in Ephesina synodo contra Nestorium, quia incarnationem Verbi tam lucide ac diligenter astruxit, ut Nestorium et **1179** Eutychen in illius jam temporis hæreticis debellarit. Audeant hunc tantæ auctoritatis virum Eutychis et Dioscori sectatores aut imperitiæ, aut pravitatis arguere, qui [e] prædicationem nostram a doctrina atque intelligentia Patrum jactitant deviare. Prodesse autem debet confirmandis sensibus omnium Domini sacerdotum, quos hæretici olim in auctoribus suis præsciti atque damnati, apertius jam cœperunt dogma suæ impietatis astruere, ne latente intra silentium sensu dubitabile videretur an vere in ipsis et [f] triplex Apollinaris error, et in-

[a] Marcianus imperator in epistola ad synodum Palæstinam tom. IV Concil. pag. 1823 edit. Venet. de Theodosio turbarum auctore ait: *Quasdam excogitavit et composuit litteras, quas solus poterat fingere diabolus; ac per eas sanctam, quæ Chalcedone habita est, synodum calumniari non destitit.*

[b] Idem Marcianus ad archimandritas et monachos Ælienses pag. 1803 ait: *Vos autem..... gladiis, aliisque crudelitatibus, et injuriis et tormentis in mulieres honestas et nobiles perpetratis, necessitatem plurimis non dubitastis inferre, ut consentirent perversis doctrinis*, etc.

[c] Severianum episcopum Scythopolitanum hæretici tumultuantes occiderunt: et occidissent etiam Juvenalem Hierosolymorum antistitem, nisi se fuga subduxisset. Confer eamdem Marciani epistolam.

[d] Hujus epistolæ fragmentum a Leone subjectum fuit epistolæ 165. Integra autem hæc epistola ex eadem qua Leo usus est, antiqua versione, inserta legitur non solum in collectione 5 c. 52, verum etiam post Leonis epistolas in mss. collect. 12. Notandum præterea est his Athanasii litteris in iisdem collectionibus subjici S. Cyrilli epistolam ad Joannem Antiochenum, in qua de ea Athanasii epistola Cyrillus disserit, ejusque emendatum exemplum ad eumdem transmisit. Cum vero Cyrillus hujus suæ epistolæ ad Joannem exemplar cum cæteris gestis pacis cum eodem constitutæ misisset ad Xistum pontificem, inter hæc forte erat etiam ipsa sincera epistola Athanasii ad Epictetum, et fortassis omnia missa fuerant Latine reddita, uti ad Cœlestinum prædecessorem ejus Latinitate donata jam pridem direxerat alia similia Græce scripta in Nestorii causa, ut liquet ex epistola Cyrilli 8 inter litteras Cœlestini apud Coustantium num. 9. Certe hæc omnia documenta a Cyrillo directa ad Xistum (Latine profecto reddita) lecta fuisse in Romana synodo, colligitur ex ejusdem Xisti epistola 5. Sicut autem documenta ad Cœlestinum missa, et Latine, ut vidimus, reddita, *apostolica scrinia susceperunt*, ut Leo testatur epist. 69, c. 1, ita idem credendum est de gestis ad Xistum directis; ac propterea ex horum versione in scriniis custodita, ea Leoni cognita fuerunt, indeque in memoratas collectiones transiere.

[e] Palæstini scilicet Eutychiano errore impliciti, præter Chalcedonensem definitionem Leonis etiam epistolam 28 ad Flavianum repudiabant, quam idem Leo vindicavit epist. 124.

[f] Superius epistola 59 ad Constantinopolitanos cap. 5 Leo scripsit: *Tria falsa et vana Apollinaristarum hæreticorum tres partes varias protulerunt.* Has autem tres partes antecedentibus verbis indicavit: *Nec ita hominem* (dicimus Christum) *ut aliquid ei desit quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam, sive mentem rationalem, sive carnem, quam non de femina sumpsit, sed factam de Verbo in carnem converso atque mutato.* Hæc tria Apollinaristarum capita, id est *sive animam, sive mentem rationalem, sive carnem*, Augustinus, ex quo Leo videtur sumpsisse, in libro de Hæresibus c. 55 ita describit. Primo dixerunt Verbum carnem *sine anima* susceplsse; et rationem eorum affert Leo serm. 4 de Nativitate c. 5, *quia vicem ejus expleverit ipsa Divinitas.* Secundo priorem sententiam emollientes docuere non totam animam humanam defuisse Christo, sed partem animæ rationalem, seu *mentem*, ita ut Verbum loco mentis in Christo fuerit. Tertio tandem carnem et Verbum unius esse substantiæ asseruere, et in hoc potissimum conveniebant omnes. Hoc autem tertium Apollinaristarum caput Leo tantummodo Eutychi tribuens epist. 124 c. 2, et 165 c. 2, latius proponit ita ut non tam corpus quam animam unius cum Verbo naturæ Eutychem cum illis asseruisse tradat: *Tertium*, inquit, *Apollinaris dogma delegit, ut negata humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominum nostrum Jesum Christum unius assereret esse naturæ,*

Digitized by Google

sana [a] Manichæorum opinio pullularet. Qui cum jam non se occulere studeant, sed contra Christi Ecclesias audacter insurgant, nonne prospiciendum est quatenus eis vires omnium conatuum subtrahantur, servato, ut dixi, eo districtionis moderamine, ut a quietioribus inconvertibiles dividantur : *Corrumpunt* enim *mores bonos colloquia mala* (I *Cor.* XV, 33); et, *Castigato pestilente sapiens astutior erit* (*Prov.* XXI, 11): ut quolibet modo dissipata societate reproborum, aliqua diabolo vasa rapiantur? Non enim ita conviciis et vaniloquiis **1180** debemus offendi, ut nullam curam ipsorum correctionis habeamus.

CAP. IV. — Episcopus vero Juvenalis, cujus injuriæ sunt dolendæ, nimis temere se [b] hæreticorum blasphemiis copularat et dum Eutychem Dioscorum- A que [c] amplectitur, multos imperitos suo in præceps egit exemplo, licet postea se consilio saniore correxerit. Hi tamen, qui avidius impietatis virus hauserunt, facti sunt ejus adversarii, cujus fuerant ante discipuli, ut sua ipse nutrimenta pateretur : qui ut eamdem emendationem, quam ille elegit, imitentur optandum est, si vel ipsa sanctorum locorum circa quæ habitant testificatione resipiscant. Qualis autem sit [d] qui in locum episcopi viventis obrepsit, ex ipsa qualitate facti non potest dubitari, nec ambigendum est eum esse perversum quem impugnatores fidei dilexerunt. Interim fraternitas tua curam piæ sollicitudinis continuare dignetur, ut frequentioribus scriptis, quo res proficiant, scire me facias. Data VII kal. Decembris, Herculano consule.

EPISTOLA [*] CX.

[f] MARCIANI AUGUSTI AD LEONEM PAPAM.

SYNOPSIS. — *Confirmationem synodi Chalcedonensis a pontifice uti necessariam petit. Ejus constantiam in vindicandis canonibus et reprimenda novitate laudat.*

1182 Epistola piissimi imperatoris MARCIANI ad LEONEM archiepiscopum Romæ.

Victores VALENTINIANUS et MARCIANUS gloriosi triumphatores, semper Augusti, sanctissimo et vere venerabili LEONI archiepiscopo.

Beatitudinem tuam valere syllabis nostræ serenitatis studiosissime precamur, postulantes ut favorem omnipotentis Dei tuarum nobis impertias precum intercessione : ut misericors et pacifica ipsius magnificentia omnia fausta et optabilia nostro regno concedere dignetur. Miramur supra modum quod post Chalcedonensem synodum, et [e] litteras venerabilium episcoporum ad tuam sanctitatem missas, quibus omnia in ipsa synodo acta significabant, nullo prorsus pacto a tua clementia ejusmodi epistolæ remissæ sint, quas videlicet [h] in sanctissimis Ecclesiis perlectas, in omnium oportebat notitiam venire. Quod nonnullorum animis qui Eutychetis etiam nunc pravam opinionem et perversitatem sectantur, ambiguitatem multam injecit, utrum tua beatitudo quæ in sancta synodo decreta sunt confirmaverit. Et ob eam rem tua pietas

1181 Ἐπιστολὴ τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως Μαρκιανοῦ πρὸς Λέοντα ἀρχιεπίσκοπον Ῥώμης.

Νικηταὶ Οὐαλεντινιανὸς καὶ Μαρκιανὸς ἔνδοξοι, τροπαιοῦχοι, ἀεὶ αὔγουστοι. τῷ ἁγιωτάτῳ πατρὶ καὶ ἀληθινῶς σεπτῷ Λέοντι ἀρχιεπισκόπῳ.

Τὴν μακαριότητα τὴν σὴν ταῖς συλλαβαῖς τῆς ἡμετέρας γαληνότητος σπουδαιότατα ὑγιαίνειν εὐχόμεθα, ἐξαιτοῦντες, [1] ὅπως ἂν τὴν σπουδὴν τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ τῇ τῶν σῶν εὐχῶν ἡμῖν [2] παράσχοις μεσιτείᾳ, ὥστε τὴν ἴλεω καὶ εἰρηνοποιὸν αὐτοῦ μεγαλειότητα πάντα τὰ αἴσια καὶ εὐκτὰ τῇ ἡμετέρᾳ βασιλείᾳ παρασχεῖν [3] καταξιώσῃ. Θαυμάζομεν τὰ μάλιστα, ὅτιπερ μετὰ τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον καὶ τὰ γράμματα τῶν σεβασμίων ἐπισκόπων τὰ πρὸς τὴν σὴν θεοφίλειαν σταλέντα, δι' ὧν ἅπαντα τὰ ἐν τῇ αὐτῇ συνόδῳ ἐμήνυσαν, οὐδαμῶς πάντη παρὰ τῆς σῆς ἁγιωσύνης τὰ τοιαῦτα γράμματα ἐξαπέσταλται, ἅτινα δηλονότι ἐν ταῖς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις ἀναγνωσθέντα εἰς τὴν τῶν ἁπάντων ὤφειλε γνῶσιν ἐλθεῖν· ὅπερ τινῶν ταῖς ψυχαῖς, οἵτινες Εὐτυχοῦς ἔτι καὶ νῦν τὴν κακοδοξίαν καὶ τὴν διαστροφὴν μεταδιώκουσιν, ἀμφιβολίαν πολλὴν ἐνέβαλε, πότερον ἡ σὴ μακαριότης τὰ ἐν τῇ

tamquam Verbi Deitas ipsa se in carnem animamque converterit, et concipi ac nasci, nutriri et crescere, crucifigi et mori..... divinæ tantum essentiæ fuerit.

[a] Manichæorum quoque errorem Leo in laudata epist. 124 c. 2 eo sensu Eutychianis attribuit, quatenus, si Apollinaristarum errorem declinantes negent Christum in Divinitate natum, passum, etc., et nihilominus verum hominem fateri recusent; cum Manichæis affirmare cogantur, *Jesum Christum simulatorie omnia egisse, nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium;* quem Manichæorum errorem fusius exagitat serm. 4 de Epiph. c. 4.

[b] Cum scilicet in pseudosynodo Ephesina Dioscoro adhærens Eutychem absolvit, etc., quod postea in Chalcedonensi synodo *consilio saniore* emendavit.

[c] Lege, *amplectebatur.*

[d] Is est idem Theodosius qui Palæstinarum turbarum auctor fuit. Vide Marciani epistolas et Evagrium locis laudatis annot. 1 (*Col.* 1014, n. [o]).

[*] Alias post epist. 88. Quæ antea erat 110, nunc 130. Scripta 15 Februarii an. 453.

[f] Edita fuit ab Andrea Arnoldo ex codice Bodleiano, et a Quesnello secundæ editioni inserta. Græcum originale contulimus cum ms. cod. Vat. Græco 1455, qui nonnullas emendationes suggessit. Novam interpretationem Latinam ad Græcum textum perinde emendatum exactam, quæ clarior multo efficitur, adjiciemus. His Augusti litteris S. pontifex respondet epist. 115.

[e] Epist. 98.

[h] Litteræ ergo apostolicæ sedis, quibus confirmabantur synodi generales, legendæ erant in Ecclesiis Orientis, hæcque confirmatio in omnium notitiam deducenda erat, ne quis de eadem ambigens, decretis synodi reluctari posset. Ecce ergo necessariæ confirmationis pontificiæ manifestissimum testimonium.

[1] ὅπως ἄν. Ita ms. Vat. Male in Vulg., ὅτι ἄν.

[2] Παράσχοις. Ms. Vat. παράσχοι, haud omnino male; refertur enim ad μακαριότητα, quod præcessit.

[3] καταξιώσῃ. In ms. Vat., καταξιώσει; sed legendum forte, καταξιῶσαι, ut et Arnoldus in margine suæ editionis annotavit.

Digitized by Google

litteras mittere dignabitur, **1184** per quas omnibus Ecclesiis et populis manifestum fiat in sancta synodo peracta, a tua beatitudine rata haberi. Illud profecto, ut [a] decebat episcopum apostolicæ sedis, excellenter tua sanctitas præstitit, ut ecclesiasticos canones custodiendo, nihil antiqui moris et ordinis olim constituti et ad hanc usque diem inviolabiliter observati passa sit innovari. Propter [b] litteras autem tuæ beatitudinis quæ et quanta ab aliquibus facta sint, poterit [c] ab aliis tua sanctitas clarissime ediscere, quibus adversari noluimus, [d] *nondum* affirmante tua in Deo charitate, catholicæ fidei et veræ orthodoxæ Chalcedonensem synodum, omnibus consentientibus episcopis, esse obsecutam. Quam ob rem tua veneranda dignitas decretum quam celerrime emittat quo confirmare ipsam Chalcedonensem synodum manifestissime ostendat, ut ii qui exoptant invia diverticula, nullam habere possint suspicionem de judicio tuæ sanctitatis. Data XV kalendas Martias Constantinopoli.

A ἁγίᾳ συνόδῳ τυπωθέντα ἐβεβαίωσε· καὶ διὰ τοῦτο ἡ σὴ εὐλάβεια γράμματα **1183** ἐκπέμψαι καταξιώσει, δι' ὧν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις καὶ [1] τοῖς δήμοις [2] φανερὰ γενήσεται τὰ ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ πεπραγμένα παρὰ τῆς σῆς μακαριότητος βεβαιῶσθαι· ἐκεῖνο δηλαδή, ὡς ἔπρεπεν ἐπίσκοπον ἀποστολικοῦ θρόνου, ἐξόχως ἡ σὴ ἁγιωσύνη ἐποίησε, ὅτι τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας φυλάττουσα, οὐδὲν ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ ἔθους καὶ τῆς τάξεως τῆς ποτε διατετυπωμένης καὶ ἀσαλεύτου μέχρι καὶ σήμερον [3] διαμενάσης ἠνέχετο καινοτομηθῆναι. Διὰ τὰ γράμματα δὲ τῆς σῆς ὁσιότητος οἷα καὶ ὁπόσα παρά τινων πέπρακται, δυνήσεται ἐξ ἑτέρων ἡ σὴ ἁγιωσύνη σαφέστατα καταμαθεῖν, οἷς ἀντιβῆναι οὐκ ἂν ἐβουλόμεθα,

B [4] διαβεβαιουμένης τῆς σῆς θεοφιλείας, τῇ καθολικῇ πίστει καὶ ἀληθῶς ὀρθοδόξῳ τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον, πάντων τῶν συναινούντων τῶν ἐπισκόπων, ἠκολουθηκέναι· διά τοι τοῦτο καὶ ἡ σεβασμιότης ἡ σὴ διαγράμματα τάχιστα ἐκπέμψει, δι' ὧν βεβαιοῦν αὐτὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον φανερώτατα ἐπιδείκνυσιν, ἵνα μὴ οἱ ἐπιθυμοῦντες [5] τῶν ἀνοδιῶν, δυνηθεῖέν τινα ἔχειν ὑπόνοιαν περὶ τῆς κρίσεως τῆς σῆς ἁγιωσύνης. Ἐδόθη πρὸ δεκαπέντε καλανδῶν μαρτίων [6] ἐν Κωνσταντινουπόλει.

1185 EPISTOLA [e] CXI.

[f] AD MARCIANUM AUGUSTUM.

De Aetio et Andrea.

SYNOPSIS. — I. *Ordinationis Anatolii suspicionem per fidei ejus professionem esse sublatam.* — II. *Male ab eo Aetium ab archidiaconi officio esse submotum.* — III. *Marcianum rogat ut Anatolium ab illicitis retrahat, et faveat Juliano.*

LEO episcopus MARCIANO Augusto.

CAP. I. — Quam excellenti pietate et quam glorioso clementiæ vestræ studio in integrum nuper fides Christiana revocata sit, totus mundus agnoscit, et salutis suæ singulare præsidium per vos a Domino esse reparatum. [g] Ac si quid adversum tanti operis consummationem de contrario spiritu sentitur oborirl, necesse est ut ad vestræ revocetur pietatis auxilium, quod ad custodiam catholicæ veritatis divina providentia præparavit: ut cum potestatis vestræ sit scandala etiam in longinquo nata resecare, multo magis ea quæ sub vestris audent oculis surgere, non

[a] Leonis constantiam hoc loco commendat, qua ille privilegia Ecclesiarum secundum Nicænos canones sarta tecta servari contendens, canoni Chalcedonensi pro Constantinopolitana sede edito fortiter restitit epist. 104, 105, 106, et 107, scriptis die 22 Maii anni præcedentis; idque (quod maxime observandum est) imperator commendat, etiamsi pro hoc canone confirmando ad eumdem Leonem efficaces litteras dederit superius descriptas epist. 100. Hanc observationem jamdiu ante fecit Gelasius papa in epistola ad Dardanos, qualis amplior exstat in præstantissima collectione 14 Avellana, et legitur tom. V Concil. Ven. edit. pag. 333, ubi has Marciani litteras pontifex innuens, *Audiant*, inquit, *Marcianum ejusdem principem civitatis, posteaquam pro augmento urbis ipsius sacerdotis intercessor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit, sanctæ memoriæ papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus.*

[b] Intelligit potissimum epistolam 106 ad Anatolium, quæ etsi satis confirmasset fidei decretum latum in Chalcedonensi, cum tamen simul contradixisset canoni pro sede Constantinopolitana, manifestata non fuit ut Leo tradit epist. 144, 115, 116, et 117. Hinc vero rumore in vulgum sparso, pontificem Chalcedonensi concilio contraria scripsisse, ita ut hac de causa ejus litteræ publicatæ non fuerint. Eutychiani tumultus excitarunt, occasionemque sumpserunt dubitationis ingerendæ de ipsa Chalcedonensi definitione fidei: illi enim, ut ait idem pontifex epist. 117, *occasione vetandæ perfidiæ suæ infirma vel dubia videri volunt statuta concilii, quæ nulla sint consensus mei sententia roborata.*

[c] A Juliano quidem episcopo Coensi hæc Leo didicit, ut liquet ex epist. 115, c. 2, unde etiam patet monachos Palestinos fuisse illos qui turbas commoverunt. Quod porro additur, *quibus adversari noluimus*, eo quia scilicet deerat ea pontificia et publica Chalcedonensis definitionis confirmatio, quæ ad omne dubium amovendum requirebatur, intelligendum est de resistentia per vim et potestatem sæcularem; litteris enim ad eosdem monachos datis imperatorem studuisse eos *cohibere pariter et docere*, certum est ex eadem epist. 115, c. 2.

[d] Adverbium *nondum* in Latino, sicut et in Græco οὔπω, aut aliquid simile supplere necessarium fuit, ex sequentibus enim petitur aperta et publica confirmatio et responsio ad synodum, quæ *nondum* missa fuerat.

[e] Alias 84. Quæ autem antea 111, nunc 140. Scripta 10 Martii an. 455.

[f] Exstat in codd. collect. 12, 18 et 24, ac in exemplari Sichardi.

[g] Ita Quesnellus cum Sichardo et omnibus nostris codd. Aliæ editiones, forte melius, *At si quid.*

[1] Τοῖς δήμοις. Addimus articulum e ms. Va.

[2] Forte, φανερόν.

[3] Διαμενάσης. Optimam hanc lectionem ms. Vat. debes; διαμενούσης, quæ lectio est vulgatorum, rejicienda.

[4] Διαβεβαιουμένης. Supplendum hic aliquid necessario, puta οὕπω, vel quid simile, ut legas, οὕπω διαβεβαιουμένης, etc.

[5] Τῶν ἀνοδιῶν. Ita et ms. Vat., nisi quod caret articulo τῶν; cæterum si a recto ἀνοδία hanc vocem deducas, ut nos fecimus in translatione, non ἀνοδιῶν scribendum est, sed ἀνοδίων.

[6] Ἐν Κωνσταντινουπόλει. Ms. Vat., ἐκ Κωνσταντινουπόλει; sed perperam. Si enim ἐκ retineas, scribere debes deinceps Κωνσταντινουπόλεως.

Digitized by Google

sinatis accrescere. Anatolii episcopi ordinationem, sicut scientia Dei testis est, suspectam (quod fatendum est) mihi fecerant consecrationis ejus auctores, nec dissimilem ab eligentibus arbitrabar electum; secutumque est ut [a] cum communionem apostolicæ sedis expeteret, diu dandis ad eum pacis epistolis abstinerem. Sed cum illi pietatis vestræ testimonium **1186** suffragaretur, [b] et de fide atque unanimitate ejus optanda quæque et placitura promitteret, professionem ejus ita credidi esse sinceram, ut tamen, qua observantia se agere deberet, non desinerem commonere, sedulo ipsi ac diligenter inculcans, ut de persecutoribus beatæ memoriæ Flaviani neminem auderet in suo habere consortio, [c] et Eutychis hæretici sectatores tamquam inimicos Christi veraciter perhorreret. Quod adeo obedienter visus est accepisse, ut Andream diaconum Eutychianæ hæreseos defensorem a se indicaret esse dejectum. Secutumque est ut de his quæ pro catholica fide in synodali concilio fuerant definita, talia ad me scripserit, qualia catholicum sacerdotem scribere congruebat:

Cap. II. — Cum ergo ad commendanda ipsius primordia ista præcesserint, [d] nescio quid causæ aut occasionis emerserit, ut virum catholicæ fidei, et Nestorianis atque Eutychianis hæreticis [e] constanter etiam adversum, archidiaconem sub honoris specie degradaret, et [f] dispensationem totius causæ et curæ ecclesiasticæ in Andream Eutychianistam repente transferret: adeo nimia commotione turbatus, ut consecrationem quam pro injuria dabat, [g] sexta sabbati, traditionis apostolicæ aut nescius aut oblitus, inferret: quasi non ad episcopum magis quam ad presbyterum ordinationis illius vitium pertineret: qui non inveniens quod argueret in fide, quod improbaret in moribus, dejectionem innocentis per speciem provectionis implevit; addens [h] in sententia illud injuriæ, ut eum cœmeterio [i] deputando, quodam damnaret exsilio. Quem tamen pietati vestræ commendare præsumo, ne ullis ulterius noxiis ingravari possit [j] insidiis, quem Dominus, ut comperi, sub vestra defensione constituit.

1187 Cap. III. — Adjicio autem etiam hanc obsecrationem, ut prædictum episcopum a professione sua dissonum, et [k] nimium testimonii vestri ac favoris oblitum, [l] necessarie increpare dignemini. Cesset catholicos insectari; cesset eos qui sanctæ memoriæ Flaviano placuere, conterere, et eorum societatem, quos improbavit, eligere. Fraternam enim illi charitatem non aliter poterimus impendere, quam ut se [m] inimicos catholicæ fidei approbet exsecrari, [n] ejusque a se consortium, quem merito abjecit, abscindat. Qui etiam si magna fuisset satisfactione purgatus, post dubium tamen reversus errorem, catholicis diaconibus postponi debuit, non præponi. Illud quoque clementiæ vestræ benevolentiam peto, ut venerabilem vestrum fratrem meum Julianum episcopum, in vestro, sicut facere dignamini, habeatis affectu; cujus obsequiis præsentiæ meæ vobis imago reddatur. Nam et de fidei ejus sinceritate confidens, vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi; atque propter Ecclesiarum pacisque custodiam, ut [o] a comitatu vestro non abesset, exegi. Cujus suggestiones, pro concordia catholicæ unitatis, tamquam meas audire dignemini, placentes Deo, qui vobis

[a] Editi ante Quesn. cum Sichardo, *dum communione apostolicæ sedis existeret alienus, diu dandis ad eum epistolis pacis me abstinerem.* Idem legitur in mss. collect. 24, in quibus solum est, *pacis meæ abstinerem.* Lectionem a Quesnello jure insertam ex Grimanico, de qua vide ejus not. 1, invenimus etiam in mss. Vat. 1340, et Veneto 169 collect. 12; solum in his particula *dum* substituitur pro *cum.* De epistolis pacis confer notam ejusdem 2.

[b] Ita melius nostri codd. collect. 12 quam in editis, *cum de fide.*

[c] Omnes editiones non solum cum mss. collect. 24 ac exemplo Sichardi, verum etiam cum Grim. collect. 18, aliquot lineas omittunt, transilientes a voce *Eutychis* ad vocem *Eutychianæ*, sic: *Consortio et Eutychianæ hæreseos*; quo saltu sententia corrumpitur, et notitia sequentibus probe intelligendis necessaria adimitur. Soli duo laudati codd. collect. 12 hoc insigne supplementum nobis suppeditarunt: quibus ex Constantio, in Vindiciis veterum Patrum confirmatis, pag. 572, Remigianum exemplar, ut credimus, ejusdem collectionis 12 adjici potest.

[d] Editi Leonis omittunt verbum *nescio*, quod ex mss. collect. 12 supplevimus; at præferunt *emerserit*; solus Quesnellus, *emersit.* Editiones autem Concil., pro *nescio*, habent *miror.*

[e] Ita cum vulgatis omnes nostri codd. Quesnellus alia collocatione verborum, et alia etiam interpunctione, quæ sensum mutant, habet: *constanter adversum, etiam archidiaconem;* et in margine pro *etiam* notavit legendum forte *Aetium*, quod emendata lectione necessarium non est.

[f] Vide not. 3 Quesn.

[g] Confer epist. 9, c. 1, et not. 2 Quesn. in eamdem.

[h] Codd. collect. 24 cum editis ante Quesn., *sententiæ.*

[i] Cod. Grim., *deputandum.* Mox laudatæ editiones cum iisdem mss., *condemnaret* pro *quodam damnaret*; cui lectioni a Quesnello inductæ ex Grimanico accedunt nostri codd. collect. 12. Vide not. 4 Quesn.

[j] Sichardus, *aut insidiis.*

[k] Sic nostri codd. cum antiquis editionibus. Quesnellus, *nimis.* Mox pro *vestri* cod. Venetus habet *nostri*, sed perperam; nam imperator pro Anatolio testimonium dederat.

[l] Vide not. 5 Quesnelli. Post pauca, *infestare*, pro *insectari* apud Sichardum.

[m] Editi, *ab inimicis* passiva significatione, accepto infinitivo *exsecrari.* Melior visa est lectio nostrorum codd. collect. 12, qua idem infinitivum communiori et congruentiori significatione active sumitur.

[n] Editiones antiquiores et exemplum Sichardi habebant: *Eorumque a se consortium atque commercium abscindat.* Quesnellus ex Grimanico emendavit, et recte; nam de Andrea Eutychianista, quem jampridem Anatolius *ipse professus fuerat a se esse rejectum* ex epistola sequenti, hic sermo est, ut quæ subjiciuntur ostendunt. Eamdem lectionem probant etiam nostri codd. collect. 12 ac veteres editiones Conciliorum, ex quibus *abscindat* reposuimus pro *abscedat*, ut ille ex Grim. scripsit. In mss. collect. 24, *ejusque consortium a se atque commercium abscidat.*

[o] Vide not. 6 Quesn.

Digitized by Google

præter regiam coronam etiam sacerdotalem conferat palmam. Data [a] sexto idus Martii, Opilione viro clarissimo consule.

1188 EPISTOLA [b] CXII.

[c] AD PULCHERIAM AUGUSTAM.

De Aetio et Andrea.

SYNOPSIS. — I. *Andream ecclesiasticis rebus, amoto Aetio, præpositum esse conqueritur.* — II. *Omnia in statum pristinum restitui postulat.*

LEO episcopus PULCHERIÆ Augustæ.

CAP. I. — Multis exstantibus documentis, quibus [d] in dilectione Ecclesiæ Dei pietatis vestræ manifestatur affectio, merito quoties aliquid nascitur scandalorum, vestrum desideratur auxilium: ut fides, quæ annitentibus vobis, contra hæreticorum commenta defensa est, securæ pacis perpetem obtineat firmitatem. Nam quid prodest foris adversarios veritatis oppressos, si eosdem habeamus intra Dominica septa redivivos? Quod itaque circa personam filii mei Aetii gestum esse cognovi, nimium me anxium facit, et metuere certa ratione compellit ne pœnitendum mihi sit quod de episcopo Constantinopolitano, qui ab impugnatoribus fidei fuerat ordinatus, vobis adhortantibus, acquievi meliora sentire, cum tanto pietatis vestræ testimonio juvaretur, ne illum gravaret suæ ordinationis infirmitas, ubi vestra interventio præstaretur. Unde gratulari cœperam quod beati Flaviani [e] honorare memoriam, et hæreticorum conatibus obsistere diceretur. Sed doleo illum, sicut prædicti lacrymabilis querela demonstrat, in deteriora mutatum, et eum nunc constituisse archidiaconum, quem ipse professus est a se esse rejectum, qui Eutychianæ hæreseos se [f] apud nos prodiderat defensorem. Quem quia nunc ecclesiasticis negotiis præposuit, propter hæreticam perversitatem eidem favorem suum præstare convincitur; qui etiamsi magna satisfactione potuisset indulgentiam promereri, **1189** nequaquam debuit his qui in fide permanserant anteferri.

CAP. II.—Undè quia non latet clementiam vestram quantum periculi aut per pudendam socordiam, aut per dolosam nequitiam nutriatur, dignamini episcopum ad professionem suæ fidei auctoritate vestræ clementiæ revocare. [g] Non sibi has maculas superducat, nec existimationem suam, quam vestro acquisivit favore, contemnat; societatem hæretici, quem dudum a se removit, abscidat, [h] et persequi eum quem gratiorem debuit habere desistat. Cujus innocentiæ vos ita affuisse gaudeo, ut mœrori ejus digna consolatione vestra pietas subveniret. Circa fratrem meum, veneratorem vestrum Julianum episcopum, quantum debeat crescere vestra dignatio, apostolicæ sedis æstimate judicio: cum in causa fidei, cui gloria vestra famulatur, vicem ipsi meam eatenus delegarim, ut ab ea quæ vobis debetur observantia non recedens, pietati me vestræ præsentare non desinat: exsequens in custodia fidei, et in ecclesiasticis disciplinis per omnia sollicitudinem [i] meam, et opportunis suggestionibus, quod universali Ecclesiæ prosit, insinuans: ut in ipso nec catholicis vestrum præsidium, quibus volumus [j] subveniri, nec meum vobis desit obsequium. Data sexto idus Martii, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA [k] CXIII.

[l] AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM.

De Aetio et Andrea.

SYNOPSIS.—I. *Quod ipsi multa patienti compassus sit, gratias agit, simul de Aetii dejectione expostulans.*— II. *Julianum CP. in speculis esse vult pro causa fidei. Anatolium ab imperatore esse increpatum.* — III. *De tumultu monachorum Ægyptiorum et Palæstinorum.* — IV. *De epistola sua et de actis Chalcedonensis synodi in Latinum convertendis.*

1190 LEO episcopus Romæ JULIANO episcopo Coensi.

CAP. I.—Agnovi in dilectionis tuæ litteris fraternæ charitatis affectum: quod [m] de malis, quæ multa et sæva pertulimus, pio nobiscum dolore compateris. Sed utinam hæc, quæ nos perpeti Dominus aut permisit aut voluit, ad correctionem proficiant [n] servatorum, et ut desinant adversitates, finiantur offensæ. Quod utrumque de magna erit misericordia Dei, si et flagella removeat, et ad se suorum corda convertat. Sicut autem fraternitatem tuam ea quæ apud nos [o] desæviit contristavit hostilitas, ita me anxium facit, quod in Constantinopolitana Ecclesia, quantum tuæ indicant litteræ, hæreticorum insidiæ non quiescunt, et [p] exquisitis occasionibus, hi qui catholicæ fidei defensores fuere, vexantur. Nam dum Aetius ab officio archidiaconatus [q] per speciem provectionis amovetur, et in locum ejus Andreas, qui ob hæreticorum societatem fuerat abjectus, assumitur; dum beatæ

[a] In marg. editorum, v *idus*.

[b] Alias 85. Quæ autem antea 112 erat, nunc 142. Scripta 10 Martii an. 453.

[c] Relegimus cum mss. collect. 12 et 24, nec non cum Vat. 541 atque cum exemplo Sichardi, in quibus tantum hanc epistolam reperire licuit.

[d] Al., *in dilectionem*.

[e] Al., *honoraret*.

[f] Id Andreas vel absens per epistolam ad Leonem scriptam præstiterat, vel coram verbis, si quidem eum Romam accessisse ex hoc loco colligendum sit, ut nonnullis videtur.

[g] Nostri codd. et Sichardus, *Ne sibi... ne existimationem*. Vulgati ante Quesn., *Et ne sibi... ne existimationem*.

[h] Octo sequentes voculas a Quesnello suppletas omittunt editi cum mss. collect. 12 et exemplar Sichardi.

[i] Duo codd. collect. 12 et Vat. 541 cum omnibus vulgatis ante Quesnellum delent *meam*.

[j] Al., *subvenire*.

[k] Alias 86. Quæ autem antea 113 erat, nunc 141. Scripta 11 Martii an. 453.

[l] Exstat in mss. collect. 12, 18 et 24, nec non in exemplari Sichardi.

[m] Editi anteriores Quesnello cum mss. Vat. 1340, ac Ven. 169 collect. 12 et cum Vat. 544 et Vat. Reginæ 139 collect. 24 addunt *multis*; et similiter Sichardus. *Mala*, quæ *multa et sæva* hic indicantur, Attilæ irruptionem in Italiam respiciunt.

[n] Ita Grim. Al., *multorum*.

[o] Sic ex eodem Grim. Al., *fuit*.

[p] Antiqui vulgati et Sichardus, *quæsitis*.

[q] Vide not. 1 Quesn.

Digitized by Google

memoriæ Flaviani accusatoribus honor redditur, et piissimi confessoris participes aut discipuli [a] consternuntur, nimis aperte quid episcopo Ecclesiæ ipsius placeat demonstratur. In quem pro causæ merito differo commoveri; et quid ipse mecum cum suis epistolis agat, quas missurum eum filius noster Aetius indicavit, exspecto: dans locum voluntariæ emendationi, qua dolorem meum cupio mitigari. Clementissimo tamen principi et piissimæ Augustæ de his quæ ad custodiam pacis ecclesiasticæ pertinent scripsi; quos devotione suæ fidei provisuros esse non dubito, ne contra gloriam operis ipsorum, damnata hæresis [b] valeat pullulare.

Cap. II. — Studeat ergo dilectio tua, frater charissime, piam et necessariam curam sollicitudini apostolicæ sedis impendere, quæ tibi apud se nutrito catholicam contra Nestorianos et Eutychianos hæreticos actionem materno jure commendat, ut divino fultus auxilio, speculari de Constantinopolitanæ urbis opportunitate non desinas; [c] ne prædictorum dogmatum impius usquam turbo consurgat. Et quia tanta est gloriosorum principum [d] fides, ut confidenter eis possis quæ sunt insinuanda suggerere, pietate ipsorum ad utilitatem Ecclesiæ universalis **1191** utaris. [e] Consulente autem dilectione tua de his in quibus putaveris ambigendum, non deerit relationibus tuis meæ responsionis instructio: [f] ut sequestrata earum actione causarum, quæ in quibusque Ecclesiis præsulum suorum debent cognitione firmari, hanc specialem curam vice mea functus assumas, ne hæresis vel Nestoriana vel Eutychiana in aliqua parte revirescat: quia in episcopo Constantinopolitano catholicus vigor non est, nec multum aut pro sacramento salutis humanæ, aut pro sua est æstimatione sollicitus: cum si quid illi inesset spiritualis industriæ, ita et a quibus ordinatus sit, et cui viro successerit cogitare deberet, ut magis beatum Flavianum, quam sui honoris sequeretur auctores. Et ideo cum piissimi principes [g] secundum obsecrationem meam dignati fuerint fratrem Anatolium de his quæ merito in querelam veniunt increpare, [h] jungat charitas tua diligentiam suam, ut universa scandala, adhibita plenissima correctione resecentur, et a filii nostri Aetii cesset injuriis. Nam apud catholicum episcopum, [i] etiam si erat quod quacumque de causa succensendum archidiacono videretur, propter fidei reverentiam debuit prætermitti, potius quam locum catholici nequissimus hæreticus obtineret. Cum itaque quæ sequantur agnovero, tunc manifestius quid agi oporteat æstimabo. Nam interim, dolore **1192** cohibito, [j] malui indulgere patientiæ, ut locus esset veniæ.

Cap. III. — De Palæstinis vero monachis, qui jam pridem in tumultu dissensionis esse dicuntur, quo adhuc animo moveantur ignoro. Neque cujusquam sermone mihi patefactum est quas causas videantur antefatæ præferre discordiæ: utrum scilicet [k] Eutychianæ perversitati tali furore famulentur, an implacabiliter doleant episcopum suum in hanc impietatem [l] potuisse traduci, quod contra ipsorum locorum sanctorum testimonia, quibus totus mundus instruitur, ab incarnationis Dominicæ veritate desciverit, et quod in aliis per indulgentiam curari placuit, in illo putent non esse veniale. Unde cupio me super his plenius edoceri, ut etiam talium correctioni congrue studeatur: quia aliud est contra fidem impie armari, [m] aliud pro fide immoderatius commoveri. Chartas etiam quas Aetius presbyter ante indicavit

[a] Sic Quesn. ex Grim. Cæteri editi et codices, *conteruntur*.

[b] Al., *queat*.

[c] Editi ante Quesn., *ut prædictorum dogmatum impius numquam turbo consurgat*.

[d] Al., *clementia*.

[e] Ita editi ante Quesn. melius quam apud hunc, *consulenti autem dilectioni tuæ*.

[f] Vulgati ante eumdem Quesn., perperam, *ut sequestrata eorum actione, causæ, quæ in quibuscumque Ecclesiis præsulum suorum debent cognitione firmari, hac speciali cura vice mea functus utaris, ne hæresis*, etc. Quesnelli emendationem ex Grimanico nostri codd. collect. 24 confirmant, exceptis postremis vocibus, pro quibus habent æque bene, *hac speciali cura vice mea functus utaris*.

[g] Al., *secundum obsecrationes meas*. Hæc videntur respicere petitionem a Leone propositam epist. 104 ad Marcianum et 105 ad Pulcheriam, quos cap. 4 rogavit ut Anatolii cupiditatem pro Constantinopolitanæ sedis prærogativa comprimerent.

[h] Iidem vulgati male, *videat charitas tua diligentia sua*. Nostri quatuor codices et Sichardus, *vigeat charitas tua diligentia sua*. Grimanici codicis lectionem a Quesnello inductam sequimur.

[i] Locus hic a Quesnello restitutus ope Grimanici codicis. Cæteri cum editis, *etiam si erat utcumque decus sacerdotale, sacerdoti archidiaconus propter fidei reverentiam debuit præmitti, potius quam*, etc.

[j] Exemplum Sichardi, *malim*.

[k] Ex epistola 109 ad eumdem Julianum, quam ex codice Ratisponensi publicavimus, liquet Leonem pro Eutychianis habuisse hos monachos qui tot turbas in Palæstina excitaverant. Satis etiam quoad cætera instructus jam ab initio cognoscitur. Quid autem supervenerit, ex quo de eorumdem monachorum mente dubitationem induxerit, plenioremque instructionem desiderarit, ignoramus. Forte Romam fama pertulerat eos monachos qui, Juvenali ejecto, Theodosio intruso favebant, Eutychem palam anathemate condemnare, ut in ipso libello supplici ad Pulcheriam professi fuerant. Vide tom. IV Concil. Ven. edit. collect. 1799. Hinc autem Leoni dubitatio exoriri potuit utrum hi monachi Juvenali episcopo infensi, Eutychiani vere essent, quemadmodum antea putabat; an vero essent catholici, qui nimio rectæ fidei zelo abrepti, cum Eutychis antea fautorem, licet correctum, episcopatu indignum arbitrarentur. In hac ergo re ut exactius edoceretur a Juliano petere potuit.

[l] Ita melius apud Quesn. ex ms. Grim., quam in vulgatis aliisque codd., *posse traduci, quæ contra ipsorum*, etc., vel in exemplari Sichardi, *non posse traduci, quæ*, etc. Sermo enim est de Juvenale, qui in pseudosynodo Ephesina Eutychi faverat, postea vero se *saniori consilio* correxerat, uti traditur epist. 109, c. 4.

[m] Vulgati ante Quesn., qui ex Griman. emendavit, cum aliis codd. et Sichardo, *aliud in errore quemviam detineri*.

Digitized by Google

esse directas, et [a] Breviarum fidei, quod te misisse significas, necdum ad me noveris pervenisse. Unde, si [b] expeditioris occasio se præbuerit perlatoris, libenter habeo, ut si qua est, quæ utilis videatur, quam primum ad me mittatur instructio. De [c] Ægyptiis monachis quam quieti, aut cujus sint fidei, scire desidero, et de Alexandrinæ Ecclesiæ pace quid ad vos veris nuntiis perferatur; ad cujus [d] episcopum vel ordinatores **1193** ipsius, seu clericos, qualia scripta direxerim, missis exemplaribus scire te volui. Ad clementissimum quoque principem, et ad religiosissimam Augustam quis nunc meus sermo sit [e] missus, directa exemplaria perdocebunt.

CAP. IV. — Utrum autem [f] epistola mea, quam de incarnationis Dominicæ fide incolumi adhuc sanctæ memoriæ Flaviano, ad dilectionem tuam per Basilium diaconum miseram, fraternitati tuæ tradita sit, scire desidero : quoniam suspectum habeo quod de ejus textu nullum umquam indicium reddidisti. **1194** Gestorum synodalium, quæ omnibus diebus concilii in Chalcedonensi civitate confecta sunt, [g] parum clara propter linguæ diversitatem apud nos habetur instructio. Et ideo fraternitati tuæ specialiter injungo ut in unum codicem universa facias congregari, in Latinum scilicet sermonem absolutissima interpretatione translata : ut in nulla parte actionum dubitare possimus, neque ullo modo esse possit ambiguum, quod ad plenam intelligentiam te fuerit studente perductum. Data quinto idus Martii, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA [h] CXIV.

[i] AD EPISCOPOS, QUI IN SANCTA SYNODO CHALCEDONENSI CONGREGATI FUERUNT, DIRECTA.

[j] SYNOPSIS. — I. *Se consentire his quæ Chalcedone circa fidem constituta sunt.* — II. *Numquam id a se ratum esse habendum, quod adversus Nicænos canones ibidem actum est.*

[k] Leo episcopus, sanctæ SYNODO apud Chalcedonem habitæ.

Λέων ἀρχιεπίσκοπος Ῥώμης τῇ ἐν Χαλκηδόνι ἁγίᾳ συνόδῳ.

CAP. I. — Omnem quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo, [1] definitionem sanctæ synodi, quæ ob confirmationem fidei in Chalcedonensi civitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum : quia nulla **1195** sinebat ratio ut qui unitatem catholicæ fidei dolebam ab hæreticis fuisse turbatam, non exsultanter in integrum rediisse gauderem. Hoc autem non solum ex ipso beatissimæ consensionis [m] effectu, sed etiam ex epistolis meis, quas post re-

Πᾶσαν μὲν τὴν ἀδελφότητα ὑμῶν εἰδέναι οὐκ ἀμφιβάλλω τοὺς ὅρους τῆς ἁγίας συνόδου, ἥτις διὰ τὸ βεβαιωθῆναι τὴν πίστιν ἐν τῇ Χαλκηδονίων πόλει γεγένηται, ὅλῃ ψυχῇ με περιπλέκεσθαι· ἐπειδὴ [l] δὲ οὔτε εἷς λόγος συνεχώρει, ἵν' ἐγώ, ὅστις τὴν ἕνωσιν **1196** τῆς καθολικῆς πίστεως παρὰ τῶν αἱρετικῶν τεταραγμένην ἔπασχον μὴ εἰς τὸ ὑγιὲς ἀποκατασθῆναι χαρείην· τούτου δὲ οὐ μόνον ἐξ αὐτοῦ ἔργου τῆς μακαρίας συναινέσεως, ἀλλὰ γὰρ καὶ ἐκ τῶν ἐπιστολῶν τῶν ἐμῶν ἃς μετὰ τὴν ἐπάνοδον τῶν

[a] Vide nostras observationes in not. 2 Quesnelli, ubi quid hoc Breviarium fuerit detexisse arbitramur.

[b] Nostri codd. cum antiquis vulgatis, *expeditior occasio.*

[c] Magna exstiterat inter Ægyptios dissensio ob ordinationem Proterii, qui in Dioscori depositi locum subrogatus fuerat. Vide Evagrium lib. II, c. 5, et Liberatum in Breviario cap. 14.

[d] Hæ ad Proterium novum episcopum Alexandrinum litteræ desunt. In his Leo pleniorem et manifestiorem fidei expositionem ab eo petiisse videtur, ut colligere licet ex epistola 127, ubi sibi satisfactum fuisse testatur, nec non ex epist. 129, qua acceptis plenioribus a Proterio litteris respondet. Vide etiam epist. 134 et 131, c. 1.

[e] Ita Quesn. ex ms. Griman. Cæteræ editiones et alii codd., *missa exemplaria.*

[f] Indicatur epistola 35.

[g] Ex hoc loco colligi posse arbitramur integra quidem Græca gesta Chalcedonensis concilii apud Romanos hoc tempore exstitisse; at *propter Græcæ linguæ diversitatem*, quam isti fere ignorabant, *parum clara* erat eorumdem gestorum apud ipsos *instructio*. Præcipua nimirum ejusdem concilii capita tantummodo nota erant, Latine reddita ante integram omnium actorum versionem; quæ præcipua capita recensebimus in observationibus ad not. 3 Quesnelli in hanc epistolam. Cum vero quæ ex his ante scriptas istas Leonis litteras Latinitate donata fuerant, minima pars esset actorum Chalcedonensium, ut omnia hæc gesta *absolutissima interpretatione* redderentur Latine, Leo a Juliano petiit. Id autem ab eo factum non fuisse ostendemus in citatis observat. ad not. 3 Quesnelli.

[h] Alias 87. Quæ autem antea 114 erat, nunc 143. Scripta 21 Martii an. 453.

[i] Exstat in mss. collect. 5, 11, 12, 17, 18, 19, 21 usque ad 24, et in Sichardi codice, ac in præstantissimo Vat. 1322. Græcam præterea interpretationem ex cod. Vat. Græco 1455 erutam nunc primum proferimus.

[j] In tabula collect. 5 c. 92, hic titulus legitur : *Ad synodum Chalcedonensem, ut ea tantum valeant quæ de fide contra Eutychen decreta sunt : cætera effetanda.* In integris mss. collect. Chalcedonensis 17 ex editione Rustici, is hanc inscriptionem præfixit : *Epistola sanctissimi et beatissimi atque apostolici, Dei gratia per omnia pleni Leonis papæ, omnia gesta sanctæ Chalcedonensis synodi firmans, et sola illa infringens, quæ per ambitionem Constantinopolitanorum gesta sunt contra Nicæni statuta concilii. Quæ subjecta epistola respondit ad relationem sanctæ synodi supra scriptam*, quam ille antea præmiserat, nos autem dedimus epist. 98.

[k] Ex versione Græca, *Leo archiepiscopus Romæ.* In editionibus Leonis Quesnello anterioribus, et apud Sichardum primus quidem titulus sic præfertur : *Epistola ad Juvenalem et cæteros episcopos, qui in sancta synodo Chalcedonensi congregati fuerunt, directa;* at inscriptio exhibetur ut in textu. Mss. collect. 24 in priori titulo Juvenalis nomen omittunt. Alii plerique codd. solam inscriptionem exhibent.

[l] Mss. collect. Chalcedon. Ratisp. et Vat. collect. 11, *definitiones*, sicut etiam in epistola sequenti cap. 1. Mox *sanctæ fidei* in Vat. 1322.

[m] Hanc lectionem, de qua Quesnellus not. 2, nostri quoque codices approbant. Solum quædam editiones, forte errore typographorum, *affectu.*

[l] Hæc particula δέ huic loco importunissima, ideoque delenda, aut in δή commutanda.

Digitized by Google

dium meorum ad Constantinopolitanæ urbis antistitem dedi, potuissetis agnoscere, si vobis responsionem sedis apostolicæ manifestare voluisset [a]. [b] Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur utrum quæ in synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt [c] approbem, hæc ad omnes fratres et coepiscopos nostros, qui prædicto concilio interfuerunt, scripta direxi, quæ gloriosissimus et clementissimus princeps, sicut [d] poposci, in notitiam vestram mittere pro catholicæ fidei amore dignabitur: ut et fraterna universitas, et omnium fidelium corda cognoscant me non solum per fratres, qui [e] vicem meam exsecuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium, propriam vobiscum [f] unisse sententiam: in sola **1197** videlicet causa fidei, quod sæpe dicendum est, propter quam generale concilium, et ex præcepto [g] Christianorum principum, et ex consensu apostolicæ sedis placuit congregari; [h] ut damnatis hæreticis, qui corrigi noluissent, nulla penitus resideret de vera Domini nostri Jesu Christi incarnatione dubitatio. Unde si quis [i] umquam ausus fuerit vel Nestorii tueri perfidiam, vel Eutychis ac Dioscori impium dogma defendere, a catholicorum communione resecetur; nec habeat ejus corporis participationem, cujus abnegat veritatem, [j] fratres charissimi.

Cap. II. — De custodiendis quoque sanctorum Patrum statutis, quæ in synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis 348

διαφερόντων μοι πρὸς τὸν [1] τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐπίσκοπον διεπεμψάμην, δύνασθε καταμαθεῖν, εἴπερ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τὴν ἀπόκρισιν φανερῶσαι [2] ἐβουλήθην. Ἵνα τοίνυν μὴ διὰ τῶν κακοθελῶν ἑρμηνευτῶν ἀμφίβολον δόξῃ, πότερον [3] συνόδῳ τῇ ἐν Χαλκηδόνι διὰ τῆς ὁμοφωνίας ἡμῶν περὶ τῆς πίστεως τετύπωται, ταῦτα πρὸς πάντας τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν καὶ συνεπισκόπους, οἵτινες ἐν τῇ προλεχθείσῃ συνόδῳ γεγόνασι, γράμματα ἐξαπέσταλκα, ἅτινα ὁ ἐπίδοξος καὶ φιλανθρωπότατος βασιλεὺς, καθὼς ᾔτησα, εἰς γνῶσιν ὑμετέραν πέμψαι κατὰ τὸν ἔρωτα τῆς καθολικῆς πίστεως καταξιώσει· ὡς ἂν καὶ πάντες οἱ ἀδελφοί, καὶ πάντων τῶν ἀπίστων αἱ ψυχαὶ μάθοιεν ἐμὲ μὴ μόνον διὰ τῶν διακόνων μου, οἵτινες ἐτοποτήρησαν, ἀλλὰ γὰρ καὶ διὰ τῆς συναινέσεως τῶν συνοδικῶν ὑπομνημάτων τὴν ἰδίαν μου ὑμῖν ἑνῶσαι γνώμην. Ἐν μόνῃ δηλαδὴ **1198** τῆς πίστεως αἰτίᾳ (ὅπερ πολλάκις λεκτέον ἐστι) δι' ἣν τὸ γενικὸν συνέδριον καὶ ἀπὸ προστάγματος Χριστιανῶν βασιλέων καὶ ἀπὸ συναινέσεως τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἤρεσε συναθροισθῆναι· ὡς ἂν κατακριθέντων τῶν αἱρετικῶν, οἵτινες διορθωθῆναι οὐκ ἠνέσχοντο, μηδεμιὰ περιλιμπάνηται ἀμφιβολία περὶ τῆς ἀληθοῦς τοῦ δεσπότου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ σαρκώσεως. Ὅθεν εἴ τις ποτὲ τολμήσει τὴν Νεστορίου ἀπιστίαν ἀσφαλίζεσθαι, ἢ Εὐτυχοῦς ἢ Διοσκόρου τὸ ἀσεβὲς δόγμα ἐκδικεῖν, ἀπὸ τῆς τῶν καθολικῶν κοινωνίας ἀποκοπείη, μήτε ἐχέτω τούτου τοῦ σώματος κοινωνίαν, οὗτινος ἤρνηται τὴν ἀλήθειαν, ἀλελφοὶ τιμιώτατοι. Περὶ τοῦ φυλαχθῆναι ὁμοίως τῶν ἁγίων πατέρων τοὺς κανόνας, οἵτινες ἐν τῇ τῆς Νικαίων συνόδῳ ἀτρέπτοις δόγμασι συντέθεινται, τὴν παρατήρησιν τῆς ἡμετέρας ἁγιωσύνης

[a] In Rustici codicibus additur: *Sed quia in eisdem litteris ea quæ per occasionem synodi male sunt attentata reprehenderam, maluit prædictus antistes meam gratulationem tacere, quam suum ambitum publicare. Ne ergo*, etc. Nos quinque Rustici codices vidimus, Chig. 483, tres Vat. 1323, 4166 et 5405, ac vetustissimum Veron. 57, et in omnibus hanc additionem invenimus. Duos alios codices ejusdem Rustici Corbeiensem ac Divionensem cum eodem additamento allegat Baluzius, qui tamen fatetur, *ista verba, quamvis consequenter scripta, divisa tamen ac separata esse a textu epistolæ in antiquis exemplaribus.* Addita ergo videntur a Rustico in marginali notatione, ex qua dein irrepserunt in textum. Sumpsit vero illa ex sequenti epistola 115, quam ejus collectio non præfert. In omnibus autem mss. diversarum collectionum hæc verba desunt; immo prætermittuntur etiam in Græca versione, quæ ex originali in Orientem misso derivat, nec non in antiquissimo Vat. cod. 1322, qui licet Chalcedonensem synodum ex editione, non tamen integra, Rustici exhibeat, hanc tamen epistolam non recepit ex Rustico: affertur enim hæc in principio codicis, quod alio charactere exaratum, cum editione Rustici nihil commune habet. Vide not. 3 Quesn.

[b] Hæc refert Pelag. II, in epistola 2, ad episcopos Istriæ.

[c] Apud Pelagium II, epist. 2, ad episcopos Istriæ, *approbarim.*

[d] Ita cum Pelagio II omnes nostri codd., excepto Vat. 1322, qui cum editis ante Quesn., *poposcit.* Confer notam ejus 4.

[e] Codd. collect. 17 Chalc., tum nostri tum Baluzii, *vices meas.*

[f] Sic cum ms. Grim. etiam Ratisp. et codd. Rustici. Alias, *iniisse.* Pelagius hunc locum similiter legisse traditur a Quesnello nota 5. Sane Romana editio et cæteræ, quæ postea prodierunt ante Labbeum, habent *iniisse*, sicut *iniisse* etiam legitur in epist. 3 ejusdem Pelagii, ubi idem Leonis testimonium inseritur. At Baronius, qui primus hanc Pelagii epistolam ex codice Nicolai Fabri edidit, et Labbeus, qui veterem lectionem revocavit, sic expresserunt hunc locum, ut in eodem codice Fabri postea Colbertino 4064, Baluzio teste, scribitur *vobiscum munisse;* cui lectioni affinis est illa ipsius epistolæ Leonis expressa in Vat. 1322, *vobis communisse;* ubi postrema syllaba *cum* vocis *vobiscum* perperam mutatam in *com* peperit *communisse;* quo errore emendato, ut par est, detegitur vera laudatorum codicum lectio *vobiscum unisse*, quam etiam Græca interpretatio confirmat.

[g] Cod. Ratisp. cum Pelagio II, *Christianissimorum.*

[h] Editi ante Quesn., deleto *ut*, habebant *damnatis hæreticis, qui si corrigi voluissent.* Emendationem Quesnelli ex ms. Grimanico nostri codd. collect. Chalcedon., Ratisp. et Vat. 1322, ac alius Vat. collect. 11 approbant. Vindebon. collect. 5 pariter suffragatur; solum enim ante verbum *corrigi* addit *sic.*

[i] Cod. Ratisp., *usquam.* Paulo post *secernetur* pro *resecetur* in mss. collect. Chalcedon. tum nostris tum Baluzii.

[j] In antiquioribus vulgatis Leonis, sicut et in mss. collect. 24 deerant voces *fratres charissimi*, quas alii codices et editi præferunt, sicut etiam interpretatio Græca.

[1] Lege aut, τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν, aut, τῆς Κωνσταντινουπόλεως.

[2] Leg., ἐβουλήθη.

[3] Locus mutilus et corruptus, quem sic redintegres: Ἅπερ ἐν τῇ συνόδῳ τῇ ἐν Χαλκηδόνι διὰ τῆς ὁμοφωνίας ὑμῶν, περὶ τῆς πίστεως τετύπωται, ἐπικυρῶ, ταῦτα, etc.

Digitized by Google

Patribus divinitus [a] inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum [b] improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim [c] extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, et appetitus suos conciliorum æstimet nomine reborandos, infirmum atque irritum erit quidquid a prædictorum Patrum canonibus [d] discreparit. Quorum regulis [e] apostolica **1199** sedes quam reverenter utatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, [f] et me auxiliante Domino catholicæ fidei et paternarum [g] constitutionum esse custodem. Data duodecimo kalendas Aprilis, Opilione viro clarissimo consule.

A ὑπομιμνήσκω, ὅπως τὰ δίκαια τῶν ἐκκλησιῶν καθῶς παρ' ἐκείνων τῶν τριακοσίων δίκα καὶ ὀκτὼ πατέρων θεόθεν ἐμπνευσθέντων τετύπωται διαμείνοιεν· μηδὲν δέ ἡ ἀναιδὴς ἀμβιτίων ἐπιθυμήσοι, μήτε δι' ἐλαττώσεως ἑτέρου αὔξησίν τινα [1] ἑαυτῷ περιποιῆσαι θελήσειε. Ἐφ' ὅσον γὰρ δήποτε ἀποσπασθεισῶν συναινέσεων ἑαυτὴν [2] τῇ τῆς ματαιότητος ὑπεροψίᾳ ὠχύρωσε. καὶ τὰς ἰδίας ἐγχειρήσεις τῷ τῶν συνεδρίων ὀνόματι οἴεται βεβαιοτέρας, ἀνίσχυρον, καὶ ἀβέβαιον ἔσται πᾶν ὁτιοῦν ἀπάδει τῶν κανόνων τῶν προλεχθέντων· [3] ὁ ἀποστολικὸς θρόνος σεπτῶς **1200** κέχρηται ταῖς ἐμαῖς γραφαῖς, δι' ὧν τῷ Κωνσταντινουπόλεως ἐπισκόπῳ, τὰς ἐπιχειρήσεις παρωσάμην, δυνήσεται ἡ ὑμετέρα ἁγιωσύνη διὰ τῆς ἀναγνώσεως μαθεῖν, ἐμὲ βοηθείᾳ τοῦ Θεοῦ ὑμῶν καὶ τῆς πατρικῆς πίστεως καὶ καθολικῶν κανόνων εἶναι φύλακα.

EPISTOLA [h] CXV.

[i] AD MARCIANUM AUGUSTUM

[i] Synopsis. — I. *De pace Ecclesiæ reddita, compressis hæreticorum reliquiis, et Anatolio increpato gratias agit.* — II. *De monachis a Marciano cohibitis, et approbatione Chalcedonensis synodi per se ad episcopos missa.*

[k] Leo episcopus Marciano Augusto.

B Τῷ ἐνδοξοτάτῳ καὶ φιλανθρωποτάτῳ υἱῷ Μαρκιανῷ Αὐγούστῳ Λέων ἀρχιεπίσκοπος Ῥώμης.

Cap. I. — Multa mihi in omnibus clementiæ vestræ [1] litteris causa [m] gaudendi est, dum ex magna divinæ providentiæ misericordia [n] præstitum humanis rebus experior, quod ecclesiasticam pacem, quæ non nisi unitate prædicationis evangelicæ custoditur, piissimo studio juvare dignamini: ut fidei vestræ gloria non solum utilitate reipublicæ, **1201** sed etiam religionis profectibus augeatur, [o] gloriosissime Auguste. Unde ineffabiliter Deo gratias ago, [p] qui eo tempore quo oboritura hæreticorum scandala præsciebat, vos in imperii fastigio collocavit; in quibus ad totius mundi salutem, et [q] regia potentia, et sacerdotalis

Πολλή μοι αἰτία χαρᾶς γίνεται ἐν πᾶσι τοῖς γράμμασι τῆς σῆς ἡμερότητος· καὶ γὰρ ἐκ μεγίστης φιλανθρωπίας τῆς θείας προνοίας τοῖς πράγμασι [4] σε τοῖς ἀνθρωπίνοις παρεσχημένον εὑρίσκω, ὁτιπερ τῇ ἐκκλησιαστικῇ εἰρήνῃ, [5] καὶ ἑνώσει κατὰ τὸ εὐαγγελικὸν κήρυγμα φυλάττεσθαι εὐσεβεῖ σπουδῇ βοηθεῖν κατεξιοῖς, ὡς ἂν τῆς ὑμετέρας πίστεως ἡ δόξα μὴ μόνον **1202** ἐπὶ τῇ τῶν δημοσίων διοικήσει, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς πράξεσιν [6] αὐξηθείη, ἐνδοξότατε καὶ φιλανθρωπότατε υἱέ, αὐτόκρατορ Αὔγουστε. Ὅθεν ἀφράστους τῷ Θεῷ χάριτας ὁμολογῶ, ὅστις ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ, ἐν ᾧ τῶν αἱρετικῶν τὰ σκάνδαλα ἐγείρεσθαι προ-

[a] Idem vulgati Leonis cum Vindebon. collect. 5 et mss. collect. 11 ac 24, *inspirata sunt, ordinata permaneant.* Lectionem Conciliorum a Quesnello receptam ex ms. Grimanico et codd. Chalcedon. atque Facundo, etiam Ratisp. et Græca versio exhibent.

[b] Apud Facundum, *improbe concupiscat.*

[c] Vat. 1322, *exortis assentationibus sic instruat*, quam lectionem vulgati Leonis Quesnello antiquiores secuti cum mss. collect. 11 et 24, solum pro *sic* habent *sese.* Mox *ut appetitus* legitur in Ratisp. Sed in aliis epistolis consensus extortus traditur, ac præsertim epist. 105, c. 2: *Ei quorumdam consensum suum præbuisse dicitur extorta subscriptio.* Quesnellus in margine: Isid. Merc., *extortis assensionibus.*

[d] Mss. Vat. 1322 et 5971, *discreparet.*

[e] Epist. 106.

[f] Ratisp. et codd. collect., Chalcedon. concinente Græca versione, transposita conjunctione *et*, sic præferunt: *me, auxiliante Deo nostro, et catholicæ fidei.* Similiter editiones Leonis ante Quesn., quæ solum retinent *Domino.*

[g] Ita Quesn. ex Grim. Barb. et Vict. ac Facundo; et similiter editiones Concil., quibus suffragantur omnes nostri codd. et Græca versio, in qua *canones* appellantur, et adjectiva sic transferuntur, *paternæ fidei et catholicorum canonum.* Cæteræ editiones Leonis, *paternarum traditionum.*

[h] Alias 89. Quæ autem antea 115 erat, nunc 145. Scripta 21 Martii an. 453.

[i] Exstat in mss. collect. Hisp., Isid. 11, 12, 18, 19 et 21 usque ad 24 ac in exemplari Sichardi. Græcam interpretationem eruimus ex ms. Vat. Græco 1155.

[i] In collect. Hisp. hic titulus legitur: *Ubi gratias agit quod per Chalcedonense concilium pax Ecclesiæ catholicæ reddita sit.*

[k] Ex Græca versione: *Gloriosissimo et clementissimo filio Marciano Augusto Leo archiepiscopus Romæ.*

[l] Nempe epist. 110.

[m] Ita codd. Grim. et Ratisp. Vindebon. Hisp., *gaudens*, mendose. Hinc prodiit emendatio quæ in aliis codd. et editis ante Quesn. invenitur, *gaudii.*

[n] Vulgati Leonis ante Quesn. per errorem, nullo nostro codice suffragante, *præstitutum.* Mox pro *experior* in Vat. Hisp., Isid. aliisque inde profectis, *exstat.*

[o] Alias in antiquis editionibus, *gloriosissime imperator.* Ex Græca autem versione sic: *Gloriosissime et clementissime fili, et imperator Auguste.* Cod Ratisp. hæc omnia omittit.

[p] Ms. Vindeb. Hisp., *quod eo.*

[q] Vide not. 1 Quesn., et in eam observationem nostram.

[1] Leg. et Lat., ἑαυτῷ τις.

[2] Hoc mendum evidens. Corrige, ἡ τῆς ματαιότητος ὑπεροψία.

[3] Quam implexus corruptusque sit hic locus nemo non videt: sic restituere possis: Ὧν ὑφηγήσεσιν ὡς σεπτῶς ὁ ἀποστολικὸς θρόνος κέχρηται, τῶν ἐμῶν γραφῶν, δι' ὧντοῦ Κωνσταντινουπόλεως ἐπισκόπου τὰς ἐπιχειρήσεις παρωσάμην, δυνήσεται, etc.; τῶν paulo post pro ἐμέ lege καὶ ἐμέ.

[4] Melius hinc abesset pronomen σέ.

[5] Locus corruptus, cui sic mederi possis: ἢ οὐκ ἄλλως εἰ μὴ τῇ ἑνώσει τοῦ εὐαγγελικοῦ κηρύγματος φυλάττεσθαι, etc.

[6] Primis curis cum ms. Græc. 1455 scripsimus αὐξηθείη. Prætulimus vero lectionem alterius codicis Vat. Ottob. 29, quam posterius accepimus

vigeret industria. Nam cum vestro præcipue opere sit effectum ut per synodale concilium damnatis impii dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegus error amitteret, ad ejusdem devotionis pertinet palmam, si malum quod in suis ducibus est oppressum etiam in quibuscumque reliquiis deleatur. Quod facilius clementia vestra [a] arbitratur implendum, si per universas Ecclesias definitiones sanctæ synodi Chalcedonensis apostolicæ sedi placuisse doceantur. De quo quidem ratio non fuit ambigendi, cum ei fidei omnium [b] subscribentium consensus accesserit, quæ a me secundum formam apostolicæ doctrinæ ac paternæ traditionis emissa est ; et per fratrem meum Lucianum episcopum [c] talia et ad gloriam vestram, et ad Constantinopolitanum episcopum [d] scripta direxerim, quæ evidenter ostenderent me ea quæ de fide catholica in prædicta synodo definita fuerant approbare. [e] Sed quia in eisdem litteris ea **1203** quæ per occasionem synodi male sunt attentata, reprehenderam, maluit prædictus antistes meam gratulationem tacere, quam suum ambitum publicare. Mihi autem multum fiduciæ, Deo per vos operante, collatum est, quod probasse vos observantiam meam de custodia canonum paternorum, pietatis vestræ affatibus [f] indicastis. Et merito geminatur gaudium meum, cum vobis religiosissime placere cognosco, ut et [g] fides Nicæna suam teneat firmitatem, et privilegia Ecclesiarum illibata permaneant.

Cap. II. — Quamvis autem de præclaro fidei vestræ opere nihil vestra pietas indicarit, mihi tamen per veneratorem [h] una mecum specialiter vestrum, fratrem meum Julianum episcopum innotuisse significo, quam pio dignati fueritis responso imperitorum monachorum animos [i] et cohibere pariter et docere : ut, si illos non penitus deseruit divina

A εγίνωσκεν, ὑμᾶς ἐν τῇ βασιλείᾳ καθίδρυσεν, ἐν αἷς εἰς σωτηρίαν τοῦ παντὸς κόσμου, καὶ ἡ βασιλικὴ δύναμις, καὶ ἡ ἱερατικὴ ἀνθεῖ σπουδή. Καὶ γὰρ ὁπότε ἐξαιρέτῳ ὑμῶν ἔργῳ γεγένηται, ὥστε συνόδου κατακεκριμένων τῶν ἐκδικούντων τὸ δυσσεβὲς δόγμα πάσας τὰς δυνάμεις ἡ ἱερόσυλος πλάνη ἀπολέσει, εἰς νίκην τῆς αὐτῆς ἀνῆκε [1] διαθέσεως, εἰ τὸ κακὸν, ὅπερ ἐν τοῖς ἰδίοις ἡγεμόσιν [2] εὑρίσκεται, καὶ παρ' οἷοις δήποτε ἑτέροις ἐξαλειφθείη· ὅπερ εὐχερίστερον ἡ σὴ γαληνότης ὑπολαμβάνει [3] πληροῦν, εἰ ἀνὰ πάσας τὰς ἐκκλησίας τοὺς τύπους τῆς ἁγίας συνόδου τῆς ἐν Χαλκηδόνι τῷ ἀποστολικῷ θρόνῳ ἁρίσαι διδαχθείη· περὶ οὗ οὐδὲ ὑπόνοια ἐγένετο ἀμφιβολίας, ὁπότε τῇ πίστει ταύτῃ πάντων ὑπογραψάντων ἡ [4] σύνεσις [5] προτέθειται, ἥτις παρ' ἐμοῦ κατὰ τὸν τύπον τῆς ἀποστολικῆς διδασκαλίας καὶ τῆς πατρικῆς παραδόσεως

B ἐξεπέμφθη, καὶ διὰ τοῦ ἐμοῦ ἀδελφοῦ Λουκιανοῦ τοῦ ἐπισκόπου τοιαῦτα καὶ πρὸς τὴν σὴν ἐνδοξότητα, καὶ πρὸς τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἐξαπέσταλται γράμματα, δι' ὧν ἐναργίστατα δείκνυται ἐμὲ τῶν περὶ τῆς καθολικῆς πίστεως ἐν τῇ προλεχθείσῃ συνόδῳ τυπωθέντων ἔχεσθαι. Ἀλλ' ἐπείπερ **1204** ἐν τοῖς αὐτοῖς γράμμασι τὰ διὰ τὴν τῆς συνόδου ἀφορμὴν κακῶς ἐπιχειρηθέντα [6] διαβεβλήκει, μᾶλλον ἠθέλησεν ὁ προλεχθεὶς ἐπίσκοπος τὴν ἐμὴν εὐχαριστίαν σιωπῆσαι, ἥπερ τὴν [7] ἐμὴν ἀμβιτίονα δημοσιεῦσαι· ἐμοὶ δὲ πολλὴ παῤῥησία, τοῦ Θεοῦ δι' ὑμῶν παρέχοντος, συνεισηνέχθη, ὅτιπερ ἀποδέξασθαι ὑμᾶς τὴν ἐμὴν ἀσφάλειαν, ἣν τοῖς πατρικοῖς κανόσι φυλάττω, τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας τοῖς γράμμασιν ἐμηνύσατε. Καὶ δικαίως διπλασιάζεταί μοι ἡ

C χαρὰ, ὁπότε ὑμῖν, ὦ ἐνδοξότατε βασιλεῦ, ἀρίσκειν γινώσκω, ὡς ἂν καὶ ἡ ἐν Νικαίᾳ πίστις τὴν ἰδίαν κατάσχοι [8] πίστιν, καὶ τὰ προνόμια τῶν ἐκκλησιῶν ἀσάλευτα διαμείνοιεν· εἰ καὶ τὰ μάλιστα δὲ περὶ τοῦ λαμπροῦ ἔργου τῆς ὑμετέρας πίστεως οὐδέν μοι ἡ σὴ εὐσέβεια ἐμήνυσεν, ὅμως ἐμοὶ διὰ τοῦ σέβοντος ὑμᾶς ἰδικῶς μετ'

[a] Vulgati antiqui cum Sichardo, *arbitretur*.

[b] Vindebon. Hisp. cum ms. Vat. collect. 24, *subscribendum*, male. Hic error in Vat. Hisp. originis Gallicanæ emendatus fuit minus recte *subscribendo*, quæ lectio ab Isidoro et in aliis codd. exinde proficiscentibus suscepta, in editiones Quesnello anteriores transiit. Veram lectionem suppeditarunt codd. Grim. et noster Ratisp., quibus Græca versio concinit. Dein in vulgatis antiquis, *quæ ad me*, perperam; nam de fide a Leone emissa in epistola 28, ad Flavianum, et omnium episcoporum subscriptionibus recepta sermo est. Emendationem Quesnelli ex Grim. inductam confirmant nostri codices Vindebon. Hisp., Ratisp. et Vat. collect. 24, nec non interpretatio Græca. Vide not. 2 Quesn.

[c] Ratisp. omittit *talia*, et pro *episcopum* cum Vindebon. Hisp. habet, *antistitem*. De Luciano autem vide not. 3 Quesn.

[d] Epist. 104 et 106.

[e] Vat. Hisp. et Isid., *Et quia*.

[f] Ita omnes nostri codd. et editiones. Solus Quesnellus, *indicatis*. Confer annot. 3 (*Col.* 1019, *n* [a]) in epist. 110. Post pauca ex versione Græca, *cum vobis, gloriosissime imperator, placere cognosco*.

[g] Licet in Marciani epistola 110, cui nunc Leo respondet, nulla sit expressa Nicænæ fidei mentio, non tamen hinc suspicandum est cum nonnullis aliquid in ea epistola desiderari. Ad Nicænam enim fidem referuntur illa ejusdem epist. 110, quibus imperator se sollicitum præbuit pro confirmatione catholicæ fidei contra Eutychianos in Chalcedonensi concilio definitæ, quæ eadem ac Nicæna fides (exactius pro necessitate temporis contra novam hæresim declarata) communi locutione dicebatur. Vide ipsam definitionem Chalcedonensem actione 5. Forte etiam S. pontifex his verbis respicit Marciani litteras ad monachos Palæstinos, quas a Juliano Coensi transmissas una cum imperatoris epistola acceperat; in ipsis enim Nicæna fides a Patribus Chalcedonensibus confirmata et explicata traditur. Confer tom. IV Concil. Venetæ editionis pag. 1803.

[h] Voces *una mecum* Quesnellus omisit; restituimus ex nostris mss. ac præsertim ex Vindebon. Hisp. et Græca versione, quibus accedit Ratisp., præferens *mecum*.

[i] Particulam *et* ex Ratisp. et Græca versione adjecimus. Indicantur autem imperiales litteræ contra tumultuantes Palæstinæ monachos editæ, quæ gestis Chalcedonensibus subjiciuntur tom. IV, pag. 1798.

[1] Al., *προθέσεως*.

[2] Aut post *εὑρίσκεται* deest aliquid, puta *καταβληθὲν* vel quid simile, aut longe aliter quam nos, interpres legit.

[3] Forte, *πληρωθησόμενον*.

[4] Leg., *συναίνεσις*.

[5] Leg., *προστέθειται*.

[6] Leg., *διαβεβλήκειν*.

[7] Leg., *ἑαυτοῦ*.

[8] Forte, *τὴν ἰσχὺν*

Digitized by Google

[a] miseratio, sentiant sé et didicisse quod credant, et agnovisse quod timeant. Quia vero omnibus modis obediendum est [b] pietatis vestræ religiosissimæ voluntati, constitutionibus synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei catholicæ, et [c] de hæreticorum **1205** damnatione placuerint, libens adjeci sententiam meam; quæ ut ad notitiam omnium sacerdotum Ecclesiarumque perveniat, vestræ clementiæ præceptio ordinare dignabitur. Affuturam credo et spero gratiam Dei, quæ tam sanctam tanti principis curam plenissimum desiderii sui fructum faciat obtinere, ut omnibus dissentiendi occasionibus amputatis, apostolicæ ubique doctrinæ pax regnet et veritas. Fratri autem meo Juliano [d] episcopo noverit vestra clementia hoc me proprie delegasse, ut quidquid illic ad custodiam fidei pertinere probaverit, meo nomine vestræ fiducialiter suggerat pietati: quoniam certus sum vos ad hæc omnia [e] emendanda vel defendenda, Deo auxiliante, sufficere. Data duodecimo kalendas Aprilis, Opilione viro clarissimo consule.

Α ἐμοῦ τοῦ ἐμοῦ καὶ συνεπισκόπου καὶ ἀδελφοῦ Ἰουλιανοῦ δεδηλῶσθαι σημαίνω. ὡς εὐσεβεῖ [1] κατηξιώσατο ἀποκρίσει τῶν ἀπείρων μοναχῶν τὰς ψυχὰς καὶ ἐπιστήμην ὁμοῦ, καὶ διδάξαι, ὥστε [2] μὴ πάντη αὐτοὺς ἡ θεία φιλανθρωπία καταλείψειεν, αἰσθάνεσθαι, καὶ δεδιδάχθαι αὐτοὺς ὑπὲρ πιστεύουσι, καὶ εἰδέναι ὅπερ εὐλαβεῖσθαι ὀφείλουσιν. Ἐπειδὴ δὲ παντὶ σθένει πείθεσθαι δεῖ τῇ τῆς σῆς εὐσεβείας εὐλαβεῖ προαιρέσει, τρισὶ τόποις τῆς συνόδου, οἵτινές μοι περὶ τῆς βεβαιώσεως τῆς καθολικῆς πίστεως, καὶ περὶ τῆς **1206** τῶν αἱρετικῶν κατακρίσεως ἤρεσαν, ἁδρῶς τὴν ἐμαυτοῦ [3] προτεθεικα γνώμην, ἥτις ὡς ἂν εἰς γνῶσιν πάντων τῶν ἱερέων καὶ τῶν ἐκκλησιῶν ἔλθοι, τῆς σῆς ἡμερότητος [4] προτάξει τυπῶσαι καταξιώσει. Χάριν Θεοῦ [5] ἔσεσθαι ἐλπίζω καὶ πιστεύω, ἥτις τὴν οὕτως ὁσίαν τοῦ τοσούτου βασιλέως φροντίδα Β τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας τοῦ καρποῦ παρασκευάσῃ ἐπιτυχεῖν· [6] πρὸς τὸ, πάσης διχονοίας ἀποτμηθείσης, τῆς ἀποστολικῆς πανταχοῦ διδασκαλίας, εἰρήνη, καὶ ἀλήθεια κρατήσει. Τῷ ἀδελφῷ τῷ ἐμῷ Ἰουλιανῷ τῷ ἐπισκόπῳ γινωσκέτω με ἡ σὴ γαληνότης τοῦτο ἰδικῶς προστεταχέναι, ἵνα εἴ τι δηποτοῦν αὐτόθι εἰς παραφυλακὴν τῆς πίστεως ἀνήκειν δοκιμάσει, ἐμῷ ὀνόματι τῇ ὑμετέρᾳ εὐσεβείᾳ θαρρῶν [7] ὑποβάλλει· ἐπειδὴ ὁμολογουμένως ἐπίσταμαι εἰς πάντων τούτων διόρθωσιν καὶ ἐκδίκησιν, τοῦ Θεοῦ ἐπιτρέποντος, ὑμᾶς [8] ἐπαρκεῖν.

EPISTOLA [f] CXVI.

[g] AD PULCHERIAM AUGUSTAM.

SYNOPSIS. — I. *Pro vigore fidei et sanctionibus contra rebelles monachos editis gratias agit.* — II. *Se ad Chalcedonenses episcopos litteras dedisse consensus sui testes.*

LEO episcopus PULCHERIÆ Augustæ.

CAP. I. — Quamvis nullas nunc litteras tuæ pietatis acceperim, scribente tamen gloriosissimo principe, non aliter dignatione ipsius sum gavisus, quam si C mihi etiam tuæ serenitatis redderentur alloquia. Unde [h] consuetudinem debiti a me officii oportuit custodiri, qua me significarem clementiæ vestræ salute gaudere, et incessabilibus a Deo precibus postulare ut vos, et Romanæ reipublicæ, et catholicæ Ecclesiæ in omni prosperitate conserver. De vigore autem fidei vestræ, [i] qua indesinenter Domino sacrificium laudis offertis, quantas Deo gratias agam, enarrare non valeo; quoniam principibus temporis nostri non **1207** solum potentiam regiam, sed etiam sacerdotalem cognoscimus inesse [j] doctrinam. Indicante enim fratre meo Juliano episcopo, pervenerunt ad nos in exemplaribus præceptionum vestrarum saluberrimæ sanctiones, quibus insanam imperitiam monachorum dignati estis parcendo plectere, et docendo punire; ut, si eos ad pœnitentiam miseratio divina converterit, multis lacrymis, et a nefandis cædibus, et ab hæreticorum blasphemiis diluantur.

CAP. II. — Quod vero piissimus imperator ad omnes episcopos, qui Chalcedonensi synodo interfuere, voluit me [k] scripta dirigere, quibus ea quæ illic de fidei regula sunt definita firmarem libenter implevi, ne fallax cujusquam simulatio sententiam meam haberi vellet incertam, cum per Constantinopolitanum episcopum, cui lætitiam meam largiter indicavi, in omnium potuerit notitiam pervenire, quod [l] scripseram,

[a] Sic Ratisp. et mss. collect. 11 et 21. Alias, *misericordiæ*. Codd. Vat. Hisp. et Isid., *miseratio*, *sciant se et didicisse*.

[b] Iidem codd. Vat. Hisp. et Isid. aliique inde profecti cum editis ante Quesn., *Pietati vestræ et religiosissimæ voluntati*. Vindebon. Hisp., Grim. et Ratisp., cum Græca versione, ut in textu.

[c] Vide not. 4 Quesn.

[d] Ratisp. ms. delet *episcopo*.

[e] Codd. Grim. et Thuan. a Quesn. laudati, et unus noster cbll. 21 *emundanda*. Mox Ratisp. omittit *Deo auxiliante*.

[f] Alias 90. Quæ autem ante 116 erat, nunc 115. Scripta 21 Martii an. 453.

[g] Hanc epistolam relegimus cum ms. Ratisp. collect. 19 et cum Veneto S. Marci collect. 12, in quibus collectionibus tantum eam reperire licuit.

[h] Vulgati cum mss. collect. 12, *consuetudinem debitam mei officii oportuit me custodire*, *per quam significarem clementiæ vestræ*, *absolute me gaudere*. Locus egregie restitutus ex optimo codice Ratisponensi.

[i] Ita idem Ratisp. Al., *quo*.

[j] Marcianus scilicet et Pulcheria in litteris adversus Palæstinos monachos datis, quæ leguntur tom. IV Concil. edit. Ven. pag. 1798 et 1819, catholicam fidem optime vindicant. Exemplaria autem earumdem litterarum, quæ hic appellantur, si in commodiorem Leonis intelligentiam Latine reddita erant, eam forte præferebant versionem, quam Epiphanius Scholasticus Codici encyclio præmisit, ut indicatur tom. V Concil. pag. 33. D

[k] Epist. 114.

[l] Epist. 106.

[1] Leg., κατηξιώσατε.

[2] Leg., εἰ μή.

[3] προστέθεικα.

[4] Leg., πρόσταξις.

[5] Leg., παρέσεσθαι.

[6] Hæc quidem, ut puto, ab interprete, sed male omnino. Vertere debuerat hoc aut simili modo: ὥστε, πάσης διχονοίας ἀποτμηθείσης, τῆς ἀποστολικῆς πανταχοῦ διδασκαλίας εἰρήνην καὶ ἀλήθειαν κρατεῖν.

[7] Leg., ὑποβάλλοι, ὑποβάλλῃ.

[8] Leg., ἐπαρκεῖν.

Digitized by Google

nisi maluisset meum gaudium tacere, quam repulsam sui ambitus, publicare. Fratri et coepiscopo meo Juliano, cui sollicitudinem meam in causa fidei delegavi, rogo ut eam fiduciam præbere dignemini, qua pietati vestræ possit quæ universali Ecclesiæ sint profutura, suggerere. Data duodecimo kalendas Aprilis, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA [a] CXVII.

[b] AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM.

SYNOPSIS. — I. *Se ut imperatori satisfaceret et occasionem hæreticis auferret, ad episcopos Chalcedonenses de consensu suo litteras dedisse.* — II. *De monachis edicto Marciani repressis, et archimandritis Pulcheriæ responsione increpatis.* — III. *De Eudocia y Leone monita ex secreto imperatoris mandato.* — IV. *Aetii dejectionem patienter habendam esse, ne aliarum Ecclesiarum regimini se immiscens mensuram propriam videretur excedere.* — V. *Anatolium ab Illyricianis subscriptionem in sui ambitus patrocinium elicere voluisse. De epistola ad Chalcedonenses episcopos scripta.*

1208 LEO JULIANO episcopo.

CAP. I. — Quam vigilanter, quamque devote pro catholica fide fraternitas tua excubet, litterarum tuarum textus ostendit, quibus [c] instruentibus multum mea sollicitudo relevatur; accedente religiosi imperatoris religiosissima pietate, quam evidenter appareat ad universalis Ecclesiæ firmamentum a Domino præparatam; ut dum sancto studio pro fide agunt Christiani principes, fideliter pro eorum regno supplicent Domini sacerdotes.

[d] Quod ergo necessarium credidit clementissimus imperator, libenter implevi, ut ad omnes fratres, qui Chalcedonensi synodo interfuerunt, scripta dirigerem, quibus placuisse mihi, quæ a sanctis fratribus nostris de regula fidei confirmata sunt, demonstrarem : propter eos scilicet, qui ad occasionem velandæ perfidiæ suæ, infirma vel dubia videri volunt statuta concilii, quæ nulla sunt consensus mei sententia roborata; cum tamen post reversionem fratrum, quos vice mea miseram, ad Constantinopolitanum episcopum epistolas dederim : ut, si eas publicare voluisset, abunde ex ipsis potuisset agnosci quanto gaudio ea quæ [e] de fide synodus sanxerat approbarem. Sed quia in eisdem continebatur quale responsum accepisset ambitio, ignorari A voluit quod de fraternis constitutionibus sentiebam, ne simul cognosceretur quod pro inviolabili Nicænorum canonum auctoritate rescripseram. Unde studeat dilectio tua piissimum principem crebris suggestionibus commonere, ut adjunctis affatibus suis ad singularum provinciarum sacerdotes deferri apostolicæ sedis scripta præcipiat : ne ulterius quisquam veritatis inimicus de silentio meo se excusare præsumat.

CAP. II. — De edicto autem Christianissimi imperatoris, quo imperita quorumdam monachorum insania quid mereretur ostendit, et [f] de responsione piissimæ Augustæ, qua monasteriorum præsules increpavit, multum me gaudere significo; non ignorans hunc ipsis fervorem fidei divina inspiratione conferri, ut [g] omnibus excellentiam ipsorum non solum regii B culminis, sed etiam sacerdotalis esse appareat sanctitatis, apud quos ut fraternitati tuæ familiarior esset fiducia, et nunc et antea postulavi, confidens de eorum benevolentia, quod necessariis suggestionibus

1209 non difficulter dignabuntur annuere.

CAP. III. — Et quia secretius mihi clementissimus imperator per filium nostrum Paulum mandare dignatus est, de admonenda filia nostra clementissima Augusta [h] Eudocia; feci quod voluit, ut [i] litteris meis quam fructuosum ipsi foret, si catholicæ fidei faveret, agnosceret, et ut clementissimi principis filii sui litteris super hoc admoneretur, obtinui; non ambigens ipsam quoque pio studio elaboraturam ut auctores seditionum propositum suæ professionis agnoscant, et si non intelligunt docentium prædicationem, saltem vindicantium timeant potestatem. Quem itaque C profectum hæc nostra cura obtineat, protinus litteris dilectionis tuæ opto cognoscere, et utrum tandem rebellis imperitia conquiescat; quæ si de nostra putat ambigendum esse doctrina, saltem beatæ memoriæ Athanasii, Theophili et Cyrilli Alexandriæ sacerdotum scripta non renuat; cum quibus ita fidei nostræ forma concordat, ut in nullo a nobis discrepet, qui se illis consentire profitetur.

CAP. IV. — Filio nostro Aetio presbytero in suo mœrore compatimur; et cum in locum officii ejus is fuerit ascitus, qui reprobatione dignus fuerat judicatus, non est dubium hanc commutationem ad ca-

Alias 88. Quæ autem antea 117 erat, nunc 136. Scripta 21 Martii an. 453.

[b] Hanc epistolam a Quesnello ex ms. Grim. editam, cum Ratisponensi contulimus.

[c] Sic codex Ratisp. Quesnellus ex Grimanico, *intervenientibus*.

[d] Hæc uncinis inclusa referuntur in epist. Pelagii papæ II ad Eliam, c. 6.

[e] Quesnellus cum Grimanico, *de fide sanxerant*. Ratisponensis cod. supplementum et emendationem suggessit.

[f] Litteræ Pulcheriæ *responsio* vocantur, quippe quæ libello supplici monachorum redditæ fuerunt. Vide not. 4 Quesn. Vide annot. 4 (*Col.* 1056, *n.* i) in epistolam præcedentem.

[g] Ms. Ratisp., *omnem excellentiam*.

[h] Ita hoc nomen in Ratisponensi melius scribitur, sicut et in aliis nostris codicibus in titulo epistolæ 123, cujus scribendæ stimulus ex hoc loco cognoscitur. Sermo est de Eudocia Theodosii junioris uxore, quæ in Palæstina degens, monachis tumultuantibus aliquamdiu favit. Quesnellus *Eudoxia*, sicut et in inscriptione epistolæ 123 *Eudoxiæ* ex Grimanico edidit; perperam. Eudoxia enim Valentiniani III uxor hujus D Eudociæ ex Theodosio filia fuit. Quesnellus in postilla marginali : *Nota ex hoc unico monumento, unde Eudoxia* (lege, *Eudocia*) *in melius mutata, catholicæ fidei favere cœperit*. Immo ex hoc loco colligitur eam Eutychianis favisse, ita ut hac de causa imperator ipsam a Leone admonendam duxerit. Enimvero solum resipuit anno 456 post auditam Valentiniani necem et Eudoxiæ filiæ captivitatem, uti ex Vita S. Euthymii in Analectis Græcis a PP. Benedictinis edita discimus.

[i] Hæ ad Eudociam Leonis litteræ desiderantur; neque enim credendæ sunt epistola 123, quæ multo post, id est die 15 Junii, scripta fuit.

[j] Valentinianum intelligit, cui Eudoxia Eudociæ filia nupserat.

Digitized by Google

tholicorum injuriam pertinere. Sed patienter interim A
ista toleranda sunt, ne mensuram [a] moderationis
solitæ videamur excedere; cum possit pro tempore
satis esse prædicto, quod clementissimorum princi-
pum favore munitur, quibus eum proxime [b] litteris
meis ita commendavi, ut apud religiosissimas mentes
gratiam ipsius augendam esse non dubitem.

CAP. V. — Illud etiam nosse te volumus, Anato-
lium episcopum post coercitionem nostram in suæ
præsumptionis adeo temeritate persistere, ut Illyri-
cianos episcopos, ut sibi subscriberent, conveniret;
quod nobis episcopus qui a Thessalonicensi [c] ordina-
tionis nuntius missus est intimavit. [d] Cui ideo scri-
bere noluimus, quamvis ipse hoc peteres debere
fieri, quia eum corrigi nolle perspeximus. **1210**
Duas a pari ad synodum epistolas feci : unam cui B
exemplaria epistolæ meæ ad Anatolium episcopum
datæ subdi feci, alteram, quæ exemplaria subdita
non haberet; tuo permittens arbitrio, ut quam dan-
dam esse clementissimo principi duxeris, hanc tra-
das, altera apud te retenta. Data duodecimo kalen-
das Aprilis, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA [e] CXVIII.

[f] AD EUMDEM JULIANUM COENSEM EPISCOPUM.

SYNOPSIS. — I. *Nihil se pro causa fidei et Ecclesiæ omisisse.* — II. *Prædicandi munus solorum sacerdotum, non monachorum esse; contra parricidas Alexandrinos imperatoris zelum accendendum esse.*

LEO episcopus JULIANO Coensi episcopo.

CAP. I. — Litteras dilectionis tuæ, quas per filium
meum virum illustrem [g] Esychium direxisti, eo tem- C
pore accepi, quo recentioribus epistolis tuis [h] iterata
jam occasione responderam. Unde quia etiam in his
alloquiis tuis eadem de impiissimis hæreticis justo
dolore conquestus es, congruum fuit, quia scribendi
opportunitas exstitit, non tacere. In causa itaque
fidei, quidquid pro nostro officio [i] agi potuit ac po-
test, juvante Domino, et sollicite et libenter exsequi-
mur : ut Evangelio Christi irreprehensibiliter ser-
viamus, ne per desidiam nostram ulla pars Ecclesiæ
catholicæ neglecta videatur. Propter quod, sicut
omnibus notum est, non destiti laborare, ut mani-
festata atque defensa incarnationis Dominicæ veritate,
omnis fraternitas, quid ubique secundum doctrinam
apostolicam, et tenendum et docendum esset, agno-
sceret, accedente gloriosissimorum principum studio D
divinitus inspirato, ut in civitate Chalcedonensi sy-
nodo **1211** congregata, hæretica damnaretur im-
pietas, ne vel quisquam sectator Nestorii, vel ullus
discipulus Eutychis liberum possit cum catholicis
habere consortium : cum quod ad sancti concilii au-
ctoritatem pertinet, nulla usquam remanserit dis-
cordia. Si qui autem sua obduratione cæcati, ita in
reprobi sensus amentiam transierunt, ut malint fu-
rere quam sanari, ad imperialem pertinet potestatem
ut perturbatores [j] ecclesiasticæ pacis et reipublicæ,
quæ Christianis principibus merito gloriatur, inimici,
sollicitius comprimantur.

CAP. II. — Ut autem imperialis est, ut diximus,
potestatis, tumultus publicos ac seditiones sacrilegas
severius coercere, ita auctoritatis est sacerdotalis,
monachis prædicandi aliquam contra fidem licentiam
non præbere, et omni virtute resistere, ne ea quæ ad
sacerdotes pertinent, sibi audeant vindicare. Unde
miramur fratrem [k] Thalassium episcopum, quod
Georgio nescio cui, qui præsumendo illicita, et pro-
positum monachi et nomen amisit, scribendi vel
prædicandi aliquam permiserit facultatem. Ad quem
episcopum, si dilectioni tuæ visum fuerit, ex hac
parte competentia scripta [l] mittemus. Agat itaque
fraternitas tua opportunis suggestionibus, ut clemen-
tissimus princeps quæ Domino sunt placitura præci-
piat, et incentores cruentarum seditionum jubeat
competentius coerceri, ut nec [m] illi impuniti sint,
quorum manus scelera perpetrarunt, nec illi qui
talium utuntur insania. Si autem inquisitio judiciaria
et confessio reorum ad eas personas pervenit, qua-
rum vel consilio vel impulsu mala tanta commissa
sunt, nullius favoris eis sunt præstanda solatia.
Quantum enim meliora de ipsis sunt credita, tanto
sunt amplius detestandi, quorum nunc impietas, quæ
per hypocrisim fuerat velata, detegitur. Et ideo agat
Christianissimus et piissimus imperator, quod paci
ecclesiasticæ intelligit profuturum. Quem superna
inspiratione ita instruendum esse confido, ut et dis-
ciplina inquietos [n] revocari, et a sanguine eorum
jubeat abstineri : quamvis nihil ultionum non
mereantur subire, qui ausi sunt et divinis et humanis
constitutionibus **1212** repugnare. [o] Data quarto no-
nas Aprilis, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA [p] CXIX.

[q] AD MAXIMUM ANTIOCHENUM EPISCOPUM.

Per Marianum presbyterum et *Olympium diaconum.*
SYNOPSIS. — I. *Fidem inter duo extrema mediam esse.*

[a] Ita Ratisp. ms. Quesnellus ex Grim. perperam, *solidationis.*
[b] Epistt. 111 et 112.
[c] Euxithæi Thessalonicensis episcopi in Anastasii locum subrogati, ad quem Leo dedit epist 150, ordinatio et ordinationis tempus ex hoc loco dignoscitur.
[d] Ad Anatolium hæc referuntur.
[e] Alias 91. Quæ autem antea 118 erat, nunc 149. Scripta 2 Aprilis an. 453.
[f] Invenitur in mss. collect. 12, 18 et 24, ac in exemplari Sichardiano.
[g] Editi ante Quesn., *Isichium*; Sichardus, *Isicium.*
[h] Epistt. 113 et 117.
[i] Alias, *oportuit* ex mss. collect. 24. Sichardus, *oportuit ac possumus.*
[j] Ita Quesnellus. Alias, *Ecclesiæ pacis et reipublicæ.*
[k] Hic Thalassius videtur esse ille episcopus Cæsa reæ Cappadociæ, qui etsi inter pseudoephesinæ synodi capita exstitit, tamen facti pœnitens in Chalcedonensi receptus fuit.
[l] Ita probe Quesnellus. Antea perperam, *mittamus.*
[m] Vox *illi* a Quesnello prætermissa, ex nostris codicibus restituitur.
[n] Editiones Quesnello anteriores male, *revocare.*
[o] Hæc nota chronica a Quesnello addita ex ms. Grimanico collect. 18, in mss. aliarum collectionum desideratur.
[p] Alias 92. Quæ autem antea 119 erat, nunc 150. Scripta 11 Junii an. 453.
[q] Exstat in mss. collect. 3, 8, 12, 18, 19, 23, et in

Digitized by Google

— II. Maximum in Orientalibus Ecclesiis pro fidei puritate vigilare debere. — III. Ecclesiarum privilegia inconcussa esse oportere. — IV. Anatolii conatus Nicænis canonibus adversos, irritos fore. — V. Si quid legati in synodo approbarint præter fidei causam, esse rescindendum. — VI. Nemini præter episcopos prædicandi munus esse concedendum.

[a] Leo Maximo Antiocheno.

Cap. I. — Quantum dilectioni tuæ placeat communis fidei sacratissima unitas, et pacis ecclesiasticæ tranquilla concordia, litterarum tuarum textus ostendit, quas ad me filii nostri [b] Marianus presbyter et Olympius diaconus detulerunt, eo nobis gratiores quod [c] per ipsas alloquia alterna miscemus, et magis magisque [d] innotescit gratia Dei, qua fit ut per totum mundum de manifestato catholicæ veritatis lumine gaudeatur. Quamvis, quod multum dolemus, quidam adhuc (sicut sermo indicat nuntiorum) tenebras suas diligant, et cum ubique diei splendor exortus sit, etiam nunc cæcitatis suæ delectentur obscuro, et perdita fide, solo ac vacuo nomine **1213** remanserint Christiani; non habentes intelligentiam qua errorem ab errore discernant, et blasphemiam Nestorii ab Eutychis impietate distinguant. Nec enim ideo excusabilis videri aliqua eorum falsitas potest, quia ipsi sibi sunt in sua perversitate contrarii. Nam [e] licet Nestorium Eutychis discipuli detestentur, et Eutychen anathematizent Nestorii sectatores, catholicorum tamen judicio pars utraque damnatur, et ambæ simul hæreses a corpore Ecclesiæ resecantur, quia neutra falsitas nobiscum potest habere concordiam. Nec interest quo sacrilegio ab incarnationis Dominicæ veritate discordent, cum id quod pravissime sentiunt, [f] nec auctoritas Evangelii, nec ratio suscipiat sacramenti.

Cap. II. — Et ideo, frater charissime, oportet dilectionem tuam toto corde [g] perspicere, cujus Ecclesiæ gubernaculis te Dominus voluerit præsidere, et ejus meminisse doctrinæ, quam præcipuus apostolorum omnium beatissimus Petrus, per totum quidem mundum uniformi prædicatione, sed speciali [h] magisterio in Antiochena et Romana urbe fundavit: ut illum in suæ glorificationis domicilio præeminentem ea intelligas reposcere, instituta quæ tradidit, sicut ab ipsa quam confessus est veritate suscepit. Neque ullo modo sinas [i] in Orientalibus Ecclesiis, maximeque in his quas Antiochenæ sedi sacratissimorum Patrum Nicæni canones deputaverunt, ab improbis hæreticis Evangelio resultari, et vel Nestorii vel Eutychis a quoquam dogma defendi. Quoniam, sicut dixi, catholicæ fidei petra, cujus cognomen beatus apostolus Petrus sumpsit a Domino, nullum recipit [j] ab utraque impietate vestigium; sed evidenter atque perspicue et Nestorium anathematizat, qui Verbi carnisque naturam in beatæ Virginis [k] conceptione sejungens, unumque **1214** Christum in duos dividens, aliam Deitatis, et aliam humanitatis voluit esse personam; cum omnino unus idemque sit, qui et secundum sempiternam Deitatem de Patre est natus sine tempore, et secundum veram carnem de matre est natus in tempore; et Eutychen similiter exsecratur, qui in Domino Jesu Christo veritatem humanæ carnis evacuans, ipsum Verbum in carnem [l] asserit transformatum, ut nasci, nutriri, proficere, pati, mori, atque sepeliri, et die tertio suscitari, solius fuerit Deitatis, quæ servilis formæ non veritatem susceperit, sed figuram.

Cap. III. — Summa itaque vigilantia cautum te esse convenit, ne quid sibi hæretica pravitas audeat vindicare: cum te deceat his sacerdotali auctoritate resistere, nosque sæpius de profectu Ecclesiarum tuis relationibus quid agatur instruere. Dignum est enim te apostolicæ sedis in hac sollicitudine esse consortem [m] et ad agendi fiduciam privilegia tertiæ sedis agnoscere, [n] quæ in nullo cujusquam ambitione mi-

Vat. 541, inter epistolas, quæ collectioni 21 subjiciuntur, ac tandem in exemplari primæ editionis sermonum S. Leonis.

[a] In vulgatis post Canisium et ante Quesnellum: *Leo catholicæ Ecclesiæ episcopus Maximo charissimo fratri episcopo Antiocheno.* Hanc inscriptionem nulli nostri codices præferunt. Vide not. 1 Quesn.

[b] Ms. Ratisp., *Martinianus.*

[c] Idem Ratisp. et Vallicell. collect. 8, ac exemplum primæ editionis, *per ipsos.* Mox duo postremi libri, *eloquia.*

[d] Ita cum editis Conciliorum. Vulgati Leonis, *innotesceret.* Cod. Ratisp., *ut magis magisque innotesceret.* Post pauca, *de manifesto* in editis ante Quesnellum, et in primæ editionis exemplo.

[e] Ita omnes nostri codd. Barb. et Vat. collect. 3, quatuor collect. 8, et Ratisp. collect. 19, cum prima editione; et sane melius quam in vulgatis, *cum Nestorium.*

[f] Prima editio, *nec auctoritas Evangelii habeat, nec ratio sacramenti.* Dein, *suscipiat* pro *recipiat* ex Ratisp. cod. prætulimus.

[g] Duo codices cum prima editione, *præseire.*

[h] Ms. Barb. collect. 3, *ministerio.* Mox ante vocem *Romana* Ratisp. et prima editio repetunt *in.*

[i] Eadem prima editio, *in Orientis Ecclesiis.* Late hæc sumi, non autem stricte, de solis scilicet Ecclesiis Antiocheno episcopo subditis, recte probat Quesnellus not. 2; cum qua confer nostras observationes eidem subjiciendas.

[j] Cod. Vallicell. et prima editio, *ad utramque impietatem.*

[k] Vulgati mendosissime, *conjunctione.* Quesnelli emendationem ex Grim. et uno Barb. nostri quoque codd. Vat. collect. 3, tres collect. 8, Ratisp. collect. 19 et exemplum primæ editionis confirmant. De *conceptione* activa, qua Virgo concepit Dei Filium, hunc locum intelligendum recte Quesnellus monuit not. 3. Paulo post additionem vocum *secundum veram carnem* ab eodem Quesnello inductam iidem nostri codices, et prima editio approbant.

[l] Ratisp. et Vat. collect. 8 cum prima editione, *asseruit.*

[m] Editi ante Quesn., *et ad augendam fiduciam.* Duo codd. collect. 8, *et ad augendi fiduciam.* Mox Quesnellus *privilegia tertia* induxit, pro *privilegia tertiæ sedis.* Veterem lectionem ex omnibus nostris codicibus et prima editione restituimus.

[n] Ita cum Quesn. Ratisp. et codd. collect. 3. Editi, *ut in nullo cujusquam ambitione minuantur.* Primæ editionis exemplar: *Quæ* (scilicet *sedes*) *in nullo cu-*

Digitized by Google

muentur : quia tanta apud me est Nicænorum canonum reverentia, ut ea quæ sunt a sanctis Patribus constituta, [a] nec permiserim, nec patiar aliqua novitate violari. Etsi enim diversa nonnumquam sunt merita præsulum, jura tamen permanent [b] sedium; quibus etsi possint æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Unde cum aliquid pro Antiochenæ Ecclesiæ privilegiis dilectio tua agendum esse crediderit, [c] propriis litteris studeat explicare, ut nos consultationi tuæ absolute et congrue respondere possimus.

CAP. IV. — Nunc autem ad omnia [d] generaliter pronuntiare sufficiat, quod si quid a quoquam contra Nicænorum canonum statuta in quacumque synodo, vel tentatum est, **1215** vel ad tempus videtur extorum, nihil præjudicii potest inviolabilibus inferre decretis; et facilius erit quarumlibet consensionum pacta dissolvi, quam prædictorum canonum regulas ex ulla parte corrumpi. [e] Subripiendi enim occasiones non prætermittit ambitio, et quoties ob occurrentes causas generalis congregatio facta fuerit sacerdotum, [f] difficile est ut cupiditas improborum non aliquid supra mensuram moliatur appetere; sicut etiam [g] in Ephesina synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis episcopus ad obtinendum Palæstinæ provinciæ principatum **1216** credidit se posse [h] proficere, et insolentes ausus per commentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus episcopus merito perhorrescens, scriptis suis [i] mihi quid prædicti cupiditas ausa

jusquam ambitione inventur excessisse. Idipsum legitur in cod. Vat. 5845 collect. 8, qui solum omittit *excessisse.*

[a] Idem Vat. cum prima editione, *nec permiscerī patiar, nec aliquâ novitate violari.*

[b] Prima editio, *Ecclesiarum.*

[c] Eadem editio, *propriis studeat nuntiis explicari.* Hoc loco probabilius respici cessionem trium Palæstinarum in Antiochenæ sedis præjudicium, ostendemus in observationibus ad diss. 9 Quesnelli.

[d] Cod. Ratisp. addit. *me*, et post pauca pro *exortum* tres codd. Vat., Vallicell. et Ratisp., *exortum.*

[e] Editi ante Quesn., *Subrependi.*

[f] Prima editio, *difficilè est cupiditatis improborum non aliquid supra mensuram moliri atque appetere.* Ratisp., *supra mensuram suam.*

[g] Idem Ratisp. et Hincmarus, opusc. 1. c. 23, *de Ephesina synodo.* Hunc locum Blondello perperam contra omnium præstantissimorum codicum fidem in suspicionem vocatum Quesnellus optime vindicat not. 4.

[h] Ita ex omnibus codd. collect. 8 ex Ratisp. et prima editione. Alias, *sufficere.* Notatio vero quam Quesnellus in secunda editione huic testimonio subjecit prætermittenda non est. « Observandum, inquit, ad hæc eadem verba Leonem de solo Palæstinæ principatu verba facere., deque eo solo tunc temporis obtinendo cogitasse Juvenalem, si Leonis verbis quam merentur fidem adhibeamus. Neque tamen inde calumniosa censenda, ut censetur a R. P. Lupo, Joannis Antiocheni collegarumque ejus suspicio, qua in contestatione sua prima e Chalcedone adversus Cyrillum cæterosque synodi Ephesinæ Patres emissa suggillant Juvenalem velut utriusque Phœniciæ et Arabiæ provincias sibi subjicere molientem: *Nos vero olim quidem*, inquiunt, *dum quædam præsumpta sint a reverendissimo quondam Jerosolymitanorum Juvenali, quievimus, dum certe quæ debeamus bellare pro regulis videremus. Tunc quasdam festinationes et phantasias ejus hujusmodi contra utramque Phœniciam et Arabiam minime ignoramus.* Hæc sunt verba contestationis illius, non ex versione quæ actis Ephesinæ synodi i inserta, sed quæ in monumentis Ephesinis a Christiano Lupo publicatis et a Baluzio recusis. Quibus inspectis, luce meridiana clarius est diversam esse hanc Juvenalis molitionem a Joanne objectam, ab illa qua eidem Leo noster exprobrat. Nondum enim soluta erat synodus Ephesina, cum contestatio Orientalium emissa est, et tamen de re jam pridem præsumpta a Juvenale disserit, ut voculæ istæ *olim* et *tunc* indicant; Leo vero noster de re Ephesini concilii tempore attentata verba facit. » Hactenus ille. Num vero Leo hoc loco id solum voluerit indicare, quo Juvenalis per hocce tempus erat contentus (solum autem Palæstinæ principatum sibi attribui in Chalcedonensi consenserat), an vero affirmare voluerit eumdem etiam in Ephesino concilio soli Palæstinæ inhiasse, et non etiam Arabiæ atque Phœniciæ, affirmari nequit. Has quidem provincias non appetisse solum, sed et possedisse tempore concilii Chalcedonensis, palam fit ex actione ejusdem synodi, quam ex vetustissimo ms. Vat. 1322 a Baluzio editam, sed non satis observatam, recudemus et vindicabimus in observationibus ad diss. 9 Quesnelli. In legatorum enim sententia, quæ in memorata actione describitur, Juvenalis eas provincias restituisse indicatur illis verbis : *Phœnicem primam vel secundam simulque Arabiam, quas* (Antiochena sedes) *nuper amiserat, revocari ad jus pristinum, sancta synodo consentiente decrevimus.* Mox, *per commendatitia scripta* in cod. Vallicell. et prima editione.

[i] Prima editio, *mihi quoque, quæ prædicti cupiditas ausa sit.* Concinunt codd. Vat. et Vallicell. collect. 8, qui solum omittunt *quæ*, forte ob concursum *que* in voce præcedenti *quoque.* Ratisp. cum editis antiquioribus, *mihi quid prædicta cupiditas ausa sit.* Quesnelli lectionem aliis nostris codicibus et ab Hincmaro confirmatam immutare noluimus. Cum hæc Cyrillus Leoni indicavit Ephesinæ synodi tempore, id est anno 431, archidiaconatu Romanæ Ecclesiæ idem Leo potiebatur Cœlestino pontifice. Num vero hæc ad Leonem eadem epistola sit, quam in Romanæ Ecclesiæ scrinio authenticam se reperisse post pauca noster Auctor subjicit, an vero quæ in Romano scrinio inventa traditur, alia intelligenda sit ejusdem Cyrilli epistola ad Cœlestinum, definiri nequit. Novum non est in gravissimis causis litteras ad plures Romam missas fuisse, uti Theodoretus in re sua non solum ad Leonem papam; sed etiam ad Romanæ Ecclesiæ archidiaconum scripsit. Particula vero *nam*, quæ præcedentium rationem reddit, de eisdem litteris ad Leonem scriptis, et in Romano scrinio inventis sermonem esse significare videtur. Cur autem litteræ ad Leonem tum archidiaconum in Romano archivo reponerentur, illud in causa fuisse Coustantius probabiliter censet tom. I Epist. Rom. pontif., pag. 1323, num. 15, quia Leoni scriptæ fuerant, ut per ipsum Cœlestino pontifici communicarentur; ac idcirco quasi ad Cœlestinum scriptæ in eodem archivo collocatæ fuerunt. Cum vero formulæ *ad nos, decretorum nostrorum*, et aliæ similes, nonnumquam pro dignitate apostolica prædecessoribus et successoribus communi ita sumptæ inveniantur, ut indicent vel epistolas ad prædecessores missas, vel prædecessorum decreta; ut vidimus in admonitione ad epist. 1, num. 25, hic quoque pronomen *mihi* de epistola ad Cœlestinum directa fortassis accipiendum quispiam suspicabitur. Quantum porro S. Cyrillus, licet Juvenalis amicus, ejus ambitum reprobaverit, constat ex ipsius epistola 48, ex qua solius œconomiæ causa ei apertius non restitisse cognoscitur.

Digitized by Google

esset, indicavit; et sollicita prece multum [a] poposcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur assensio. Nam cujus epistolæ ad nos exemplaria direxisti sanctæ memoriæ Cyrilli, eam in nostro scrinio requisitam, nos authenticam noveris reperisse. Hoc tamen proprium [b] definitionis hujus est, ut quantumlibet amplior numerus Sacerdotum aliquid per quorumdam subreptionem 1217 decernat, quod illis trecentorum decem et octo Patrum constitutionibus inveniatur adversum, id justitiæ consideratione cassetur: quoniam universæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia intemerata servetur.

CAP. V. — Si quid sane ab his fratribus quos ad sanctam synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat gestum esse [c] perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab apostolica sunt sede directi, ut excisis hæresibus, catholicæ essent fidei defensores. Quidquid enim præter speciales causas synodalium conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo [d] est a sanctis Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis et constitutione discordat, apostolicæ sedis numquam poterit obtinere consensum. Quanta vero hoc diligentia custodiatur a nobis, exemplaribus ejus [e] epistolæ, quam ad Constantinopolitanum episcopum, refrenantes ipsius cupiditatem, direximus, instrueris: quam in omnium fratrum et consacerdotum nostrorum facies notitiam pervenire, ut noverint pacem ecclesiasticam per concordiam Deo placitam debere servari.

CAP. VI. — Illud quoque dilectionem tuam convenit præcavere, ut præter eos qui sunt Domini [f] sacerdotes, nullus sibi docendi et prædicandi jus audeat vindicare, sive ille [g] monachus, sive sit laicus, qui alicujus scientiæ nomine glorietur. Quia etsi optandum est ut omnes Ecclesiæ filii quæ recta et sana sunt sapiant, non tamen permittendum est ut quisquam [h] extra sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi prædicatoris assumat, cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore et excellentiora membra suum officium 1218 impleant, et inferiora superioribus non resultent. Data [i] in idus Junii, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA [j] CXX.

[k] AD THEODORITUM EPISCOPUM CYRI.

De fidei perseverantia.

SYNOPSIS. — I. *Hæreses non sine Ecclesiæ utilitate ortas irretractabili judicio comprimi.* — II. *Christi esse victoriam, quam de hæreticis Ecclesia reportat.* — III. *Dioscori pervicacia etiam adversus Leonem sævientis.* — IV. *Scribentibus de rebus fidei sua verba esse librandâ.* — V. *Theodoritum ab omni hæreseos macula mundum esse demonstratum ab invincibili veritate.* — VI. *Vigilandum esse etiam post victoriam. Neminem sive monachum, sive laicum, præter sacerdotes, prædicandi munus arrogare sibi debere.*

Dilectissimo fratri THEODORITO episcopo LEO episcopus.

CAP. I. — Remeantibus ad nos fratribus, et consacerdotibus nostris, quos ad sanctum concilium sedes beati Petri direxit, agnovimus dilectionem tuam, superno adjutorio, nobiscum tam Nestorianæ impietatis 1219 quam Eutychianæ vesaniæ, exstitisse victricem. Unde gloriamur in Domino, cum propheta canentes: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram* (*Ps.* CXXIII, 8): qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quæ [l] nostro prius ministerio definierat, universis

[a] Prima editio, *prospexit, ne ulla.*

[b] Quesnellus cum quibusdam nostris codd., *defensionis.* Melior visa est lectio anteriorum editionum, quam ex mss. Ratisp. et Vallicell. ac ex Hincmaro revocavimus. Paulo post, *per quorumdam subscriptionem discernat,* in mss. collect. 8 et prima editione.

[c] Ms. Ratisp., *perhibeatur.* Hæc indicant assensum quo legati apostolicæ sedis cessionem trium Palæstinarum Juvenali Hierosolymitano factam in Antiochenæ sedis præjudicium probarunt.

[d] Exemplum primæ editionis, *sit.*

[e] Epist. 106.

[f] Hoc idem tangitur epistola antecedenti c. 2, et epistola sequenti c. 6. Confer not. 5 Quesnelli.

[g] Hujus decreti occasio colligitur ex epistola sequenti c. 6, ob Theoditi scilicet querelas, quas legati e concilio Chalcedonensi revertentes pontifici significarunt, de quibusdam monachis Orientalibus, qui prædicationis officium sibi arrogabant. Forte indicatur Barsumas abbas cum suis asseclis, qui quantum Eutychi faveret, non tam ex pseudosynodo Ephesina liquet, quam ex actione quarta Chalcedonensi, ubi totam Syriam commovisse traditur. Quatenus vero monachi a laicis hic distinguantur, vide not. 6 Quesn.

[h] Cod. Vallicell. collect. 8 et prima editio, *extra sacerdotum ordinem;* et mox idem codex cum Vat. ejusdem collect. 8, *prædicationis assumat.*

[i] Ita cum editis ante Quesn. nostri codd. Barb. et Vat. collect. 3, Vat. et Vallicell. collect. 8, Ratisp. collect. 19, exemplar primæ editionis, et antiquissimus Veron. 55, qui hujus epistolæ postremum caput exhibet. Quesnellus in textu, IV *idus;* in margine vero: Alias, III *idus.*

[j] Alias 93. Quæ autem antea 120 erat, nunc 152. Scripta 11 Junii an. 453.

[k] Exstat in mss. collect. 11, 12, 18 et 21, usque ad 24, ac in exemplari Sichardi. Quesnellus laudat etiam codices Thuan. et Trecopithœanum, qui sunt collectionis 5. Sed hæc epistola in his codicibus additamentum est ad hanc collectionem nequaquam pertinens, uti monuimus occasione alterius additamenti annot. 4 (*Col.* 923, *n* [a]) in epist. 85. Hujus epistolæ exempla olim valde rara et non satis vulgata fuisse ex eo cognoscimus quod ejusdem non meminerunt Facundus Hermianensis et alii qui in causa trium Capitulorum Theodoritum vindicarunt, cum tamen hæc præter cætera documenta Theodorito perhonorifica fuisset. Hinc etiam in vetustioribus collectionibus non invenitur. Porro duo peculiaria in hac epistola observamus. Primum stylus secundi ac tertii capitis aliquantulum obscurior, ab usitato Leonis stylo non nihilum discrepat, ut conferenti patebit. Secundum in fine epistolæ formula *et alia manu* earum litterarum propria, quæ diversum characterem in clausula exhibent, in nulla alia Leonis epistola reperitur. Quid ex his colligere licet aliis judicent.

[l] Mss. codd. Thuan. et Trecopith. a Quesnello laudati: *Nostrum prius ministerium definierat, universæ fraternitatis irretractabilis firmavit assensus.* Quesnellus hic postillam affixit: *Irretractabili concilii œcumenici assensu firmantur etiam primæ sedis judicia,* quibus

Digitized by Google

fraternitatis irretractabili firmavit assensu : ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius [a] a prima omnium sede formatum, totius Christiani orbis judicium recepisset : ut in hoc quoque [b] capiti membra concordent. In quo [c] amplior nobis accrescit gaudendi materia, dum tanto magis se perculit inimicus, quanto [d] contra Christi ministros sævius insurrexit. Nam ne aliarum sedium ad eam quam cæteris omnium Dominus [e] statuit præsidere, consensus assentatio videretur, **1220** aut alia quælibet subrepere posset adversa suspicio ; [f] inventi prius sunt qui de judiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli [g] a dissensionis incitati auctore ad contradictionum bella prosiliunt, ad majus bonum, [h] malo ejus, auctore totius bonitatis dispensante, perventum est. Dulcius siquidem munera gratiæ divinæ proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur ; et minus bonum videri solet pax continuata per otium, quam reddita [i] per labores. Ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum quæ fides prius [j] docuerat, hæc postea examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, [k] ut in nullo inferiorum putetur imminuta [l] libertas. **1221** Et ad

similia alibi sæpe in postillis inculcat. Sed non eum sensum Leonis verba præferunt, ut judicia Romanæ sedis, quasi per se non satis firma, concilii œcumenici assensu et confirmatione indigeant. Verbum enim *firmavit* non afficit ipsa primæ sedis judicia, sed ad ea refertur quæ ejusdem sedis judicio prius fuerant definita, ita ut irretractabilis sit concilii assensus, cum ea confirmat quæ prius ab apostolica sede definita fuerunt. Cæterum alibi jam vidimus Leonem satis firmam et irretractabilem per sese agnovisse suam definitionem editam in epist. 28, ad Flavianum, quæ hic indicatur, ita ut nullam concilii necessitatem agnoverit, nec in concilio de fide voluerit quæstionem moveri, ac si dubia et anceps esset doctrina quam in eadem epistola definierat. Vide epist. 82, 90 et 93, c. 2, et epist. 94. Quod si sub Theodosio concilium petiit, illud non ob incertitudinem doctrinæ jam definitæ, quam retractari nolebat, sed ob removenda scandala et ob pacem facilius conciliandam postulasse, fuse ostendemus in observationibus ad diss. 8 Quesnelli. Econtra vero cum ipsi Patres Chalcedonenses, ac dein Marcianus imperator Chalcedonensis definitionis confirmationem a pontifice petierunt, ne dubium haberetur quod in concilio fuerat definitum (vide inter cæteras epist. 98 et 110) concilii judicia ut irretractabilia sint, primæ sedis confirmatione indigere professi sunt. Post nonnulla *ostenderit* in Vat. collect. 24 et apud Sichardum.

[a] Mss. quatuor Thuan., *a prima omnium fide et sede ;* cui lectioni affinis est cod. Barb. 57, *a prima omnium fideliter sede.* Mox pro *formatum* duo codd. Vat., alter collect. 11, alter collect. 21, *firmatum.* Cecropius episcopus, cum definitionem a Patribus Chalcedonensibus judices quærerent, ea opus non esse insinuans act. 2, pag. 1267 ait : *Emerserunt quæ ad Eutychem pertinebant ; et super iis* FORMA *data est a sanctissimo archiepiscopo Romanæ urbis, et sequimur eum, et epistolæ* (23, ad Flavianum) *omnes subscripsimus.* Nec solus Cecropius ita sensit, sed universum etiam concilium ; subditur enim : *Reverendissimi episcopi clamaverunt : Ista omnes dicimus ; sufficiunt quæ exposita sunt : alteram expositionem non licet fieri.*

[b] In relatione concilii Chalcedon. ad Leonem, seu epist. 98, cap. 1, *quibus quidem sicut caput membris præeras.*

[c] Alias, *amplius.... et tanto magis.* Cod. Vat. collect. 24 et Sichardus, *amplior nobis in hac re fit gaudendi materia, dum tanto magis,* etc.

[d] Ms. Vat. collect. 11, *etiam in Christi ministros.* Mss. collect. 21 item habent, *in Christi ministros.*

[e] Tres codd. Vat. collect. 11 et 21, *instituit.*

[f] Illyriciani scilicet et Palæstini, dum legeretur epist. 28, ad Flavianum, actione 2, dubitationem tribus in locis protulerunt, quam statim Aetius et Theodoritus excludere nisi sunt. Vide tom. IV Concil. Ven. editionis pag. 1238. Illyriciani vero, quibus adhuc nonnihilum ambigentibus ac inducias petentibus quinque dies concessi fuerunt, didicere quæ ob diversitatem linguæ in Leonis epistolam non recte intellexerant ; et similiter Palæstini, uti traditur actione 4, pag. 1382 et 1393.

[g] Editi ante Quesn., *dissensionum incitati auctore, ad contradictionis bella prosiliunt.* Mss. codd. tres Quesnelli et totidem nostri ac Surii editio *coacti* pro *incitati.* Apud Sichardum, *ad dissensiones incitati ab auctore contradictionis, ad insana bella prosiliunt.*

[h] Sic correximus ex mss. codd. Vat. collect. 21 et aliis quatuor a Quesnello allegatis nota 1, inter quos est Grimanicus ; quæ lectio præferenda fuit vulgatæ ab eodem Quesnello retentæ, *malum ejus :* neque enim impersonale *perventum est* passivæ significationis hoc nominativum patitur. Recipi posset *malum ejus*, si legeretur *provectum est ;* sed nulli codices huic emendationi suffragantur. Sichardus, *malum ejus.... proventum* (forte, *provectum*) *convertitur.*

[i] Editi ante Quesn. cum ms. Vat. collect. 24, *post laborem.*

[j] Codd. collect. 21, *docuerit.* Dein erat in editis cum mss. collect. 24, *confirmaret.* Potior visa est lectio mss. collect. 21, quibus concinit etiam cod. Vat. collect. 11, in quo est *confirmaverit.*

[k] In Vulgatis et in solo cod. Grim. Quesnellus reperit septem voces sequentes, *ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas.* Nos præterea invenimus in mss. collect. 12 et 24, ac in exemplari Sichardi. Desiderantur vero in cæteris nostris codd. collect. 11 et 21, sicut etiam in septem a Quesnello memoratis not. 2. In uno Thuan., in Cantabrig. et Trecopith., sic per saltum sequitur, *ut ad majorem Dei gloriam.* Nostra exemplaria collect. 11, pro *summorum* habent *summopere ;* septem laudati codices Quesnelli *summopere*, vel *summoperum ;* ex quo omnes ex eodem fonte prodire noscuntur.

[l] Indicatur *libertas* examinis a Patribus Chalcedonensibus utiliter adhibita, ut nonnullis episcopis, qui de Leonis definitione ambigebant, difficultates suas in concilio proponentibus, per tractatum ac discussionem catholici dogmatis satisfacerent, eosdemque catholicum sensum, quem minus intelligebant, edocerent, atque confirmarent in fide. Ita fit, ut *ipsa veritas et clarius renitescat, et fortius retineatur, dum quæ fides prius docuit* per pontifices, *hæc postea examinatio confirmarit ; et ad majorem Dei gloriam proficiat finis examinis, quando ad hoc se accipit exerendi* (alius, *exercendi*) *fiducia, ut vincatur adversitas,* eorum nimirum qui definitis sese opponebant. Cum vero hunc finem tantum ejusmodi *libertas*, et examen spectent, ut quæ definierunt summi pontifices, episcopi confirment, et oppugnantes edoceant, ac ab errore removeant, facile intelligitur quatenus *sic summorum servetur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas.* Falluntur nimium qui ex his verbis colligunt Leonem putasse episcopis in Chalcedonensi concilio liberum et licitum fuisse suam definitionem in epistola 28 ad Flavianum expositam ita examini subjicere, ut possent ab ea dissentire, et judicium ei contrarium pronuntiare. Ad eam definitionem et epistolam referuntur illa *quæ fides prius docuerat*, et illa

Digitized by Google

majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exerendi fiducia, ut vincatur adversitas : ne quod per se probatur reprobum, silentii præjudicio videatur oppressum.

Cap. II. — Exsulta igitur, charissime frater, [a] et in unico Dei Filio victor exsulta. Vicit per nos ille pro se, cujus carnis veritas negabatur. Vicit per nos et pro nobis ille, cui vicimus. [b] Secunda est post adventum Domini hæc orbi festivitas. Redditum sæculo est, prædone prostrato, incarnationis divinæ mysterium : quod humani generis inimicus, quia rebus ipsis auferre non poterat, calumniis obscurabat. Quinimmo ab incredulorum corde perierat immortale mysterium, quia nihil prodest tanta salus incredulis, ipsa Veritate suis dicente discipulis : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit,* **1222** *salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur* (*Marc.* xvi, 16). [c] Solis justitiæ jubar, densis per Orientem Nestorii et Eutychis nebulis impeditum, pure ab Occidente resplenduit, [d] ubi culmen summum in apostolis et doctoribus principaliter collocavit. Quamvis nec illic umquam defuisse credendus sit, quo confessores sibi egregios reservavit, ita ut dum denuo conaretur hostis antiquus, [e] per secundi Pharaonis impœnitens cor, fidei Abrahæ semen et filios repromissionis exstinguere, Deo miserante, languescens nisi sibi nocere nihil posset. De quo et illud Omnipotens mirabilius egit, quia et quos sibi [f] socios ad Israelitici populi cædes asciverat, non cum tyrannidis auctore submersit, sed cum suo populo congregavit; et, sicut revera se dignum, et soli sibi possibile fons misericordiæ noverat, [g] victos **1223** a nobis, nobiscum fecit esse victores. Nam dum solus vere sit humani generis hostis spiritus falsitatis, omnes de illo jam triumphare non dubium est, quos sibi veritas vindicavit. Nunc prorsus illa Redemptoris nostri dicta quam sint divinæ auctoritatis apparet, dum contra hostes fidei sic aptantur, ut de ipsis [h] dictum esse dubitare non liceat : *Vos*, inquit, *ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis implere. Ille homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas in eo non est Quando loquitur mendacium,* [i] *ex suis loquitur, quia mendax est, et pater ejus* (*Joan.* viii, 44).

Cap. III. — Nihil ergo mirandum est quod hi qui in veritate Dei nos ræ naturæ mendacium crediderunt, patri suo et circa ista concordant; quidquid visum, quidquid auditum, quidquid denique, teste Evangelio, tactum est atque palpatum in unico Dei Filio, non ejus cujus probatum est, asserentes, sed coæternæ et coessentialis Patri fuisse substantiæ : quasi aut Divinitatis [j] natura crucis ligno transfixa

pariter paulo ante præmissa : *Quæ* (Deus) *nostro prius ministerio definierat.* Num ab iis quæ *fides docuit*, quæ Deus *definivit*, per quodcumque examen recedere cuiquam licet? Quid quod concilii Chalcedonensis tempore agebatur non solum de definitione primæ et apostolicæ sedis, quam Leo etiam ab initio ita tenendam credidit, ut hæreticos declararit qui aliter saperent, cujusque proinde subscriptionem uti omnino debitam requisivit, verum etiam de definitione episcoporum subscriptionibus *ab universa Ecclesia* recepta, uti traditur epist. 88, c. 1 et 3, ac epist. 91. Quis etiam in liberiori nonnullorum systemate definitioni ejusmodi contrarium sentire, aut contrariam sententiam ferre licitum opinetur? Leonem quidem non ita sensisse testes sunt ejusdem epistolæ 90 et 93, cap. 2, ubi fidem jam in ea epistola definitam, in concilio retractari ac in disputationem adduci, ac si anceps esset atque dubia, omnino interdixit. Sicut concilium cogi, ita et tractatum in eo haberi consensit, ut qui decepti fuerant, *ad unitatem paris ac fidei compressa omni dissensione revocarentur.* Vide epist. 89, ac plura in observationibus ad dissert. 8 Quesnelli. Addemus tandem et aliud. Cum post ipsam Chalcedonensem synodum ad compescendas, seu revincendas injustas Eutychianorum de ejusdem synodi definitione querelas, novum examen, Leone imperatore postulante, institutum fuit, editæque episcoporum totius orbis sententiæ, quæ in Codice encyclio continentur, non alia tributa fuit, nec tribui potuit episcopis novi examinis libertas, nisi ut quæ concilium definierat, hæc novum examen confirmaret; ac propterea Chalcedonensis concilii auctoritas nihil exinde detrimenti cepit; et qui, ea libertate abusi, Chalcedonensem definitionem repudiarunt, hæretici habiti fuere. Similis *libertas* hic quoque intelligenda est.

[a] Conjunctionem *et* a Quesnello omissam auctoritate mss. collect. 11 et 12 revocavimus. Dein codd. collect. 11, *per se*, loco *pro se;* codd. vero collect. 21 et 24 ac Sichardus utrumque desiderant. Postea pro *vicimus* editi Leonis ante Quesn. perperam *vivimus.*

[b] Pleræque editiones ante Quesn. cum mss. collect. 21, *per quem secunda est.*

[c] In margine Concil. ex mss. collect. 21, *Sol justitiæ subardens per Orientem.* Hic error ortus est ex arbitraria emendatione depravatæ lectionis, quam invenimus in cod. Vat. collect. 11, *Solis justitiæ subardensis;* ubi tamen lectio textui inserta satis emicat.

[d] Vulgati Leonis antiqui cum mss. collect. 24 et Sichardo, *ubi commercium in apostolis.* Binius, *ubi culmen sanctum.* Quesnellus ex cod. Grimanico, et cum editione Romana, *ubi culmen suum.* Prætulimus lectionem sex aliorum mss. Quesnelli, et nostrorum collect. 11, 12 et 21 ac editionis Surii. Labbeus, *ubi culmen in apostolis*, et *summum* in margine. Innuitur *culmen summum*, seu prærogativa Romanæ Ecclesiæ supra cæteras etiam principales ob apostolos Petrum et Paulum. Nam, ut Leo ait serm. 82, cap. 1, *isti sunt qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut.... per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione divina, quam dominatione terrena.*

[e] Codd. collect. 11 et 21, *per sequentis Pharaonis.* Indicatur Dioscorus Ægyptius, qui in latrocinio Ephesino multa in catholicos per vim molitus est, ut Eutychianam hæresim induceret. Qui autem terrore victi ei cesserunt, remota vi ad sanam mentem et Ecclesiam rediere.

[f] Cod. Vat. collect. 24, *conscios.* Dein, *cædem sociaverat* in alio Vat. collect. 11.

[g] Quesnellus in margine : « Codd. Cantabr. et Barb., *victor nobiscum nos secum fecit esse victores.* » Antiquiores editiones Leonis pro *victores* habent *victuros.*

[h] Sic melius ex Vat. collect. 11. Alias, *dicta dubitare.*

[i] Idem codex, *ex suo.* Mss. collect. 12, 21 et 24, cum exemplo Sichardi et editis ante Quesn., *ex suis propriis loquitur.* Binius, *ex propriis.*

[j] Nominativum *natura* a Quesnello omissum, ex cæteris editis omnibusque codicibus restituimus. Dein, *cresceret per ætatem* in duobus mss. collect. 21. Postea, *spiritu Dei* in plerisque editis ante Quesnel. lum cum cod. Vat. collect. 24.

Digitized by Google

sit, aut inconvertibilis crescere per ætates; et in sapientia proficere sapientia sempiterna, vel Spiritu Deus, qui Spiritus est; subinde repleri potuerit. In hoc quoque se acerba vesania, ex quo auctore [a] accesserit, prodit, quod quantum in se est, universis nocere molita est. Nam qui [b] vos persequendo afflixit, cæteros ad consensum sceleris impellendo depravavit. Sed nec nos, licet in singulis fratribus, quia membra nostra sunt, vulnerasset, a speciali dolore fecit exceptos, quibus nova et inaudita [c] prius atque incredibili audacia inferre contra suum caput est molitus injuriam. Sed utinam vel post tot pessima resipiscens, non nos etiam de suo æternæ damnationis interitu contristasset. Quam mensuram sceleris prætermisit, cui nec hoc sufficere potuit, quod nec vivis parcendo, nec mortuis, etiam in sanguine innocentis et catholici sacerdotis pollutas [d] jampridem, abdicata veritate atque approbata falsitate, manus intinxit? Et cum scriptum sit : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (I *Joan.* III, 15); ille quod odio jam fecisse [e] addictus est, implevit operibus, quasi nec hæc audisset, nec illud quod Dominus ait : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* [f] *est* (*Matth.* XI, 29, 30). Dignus diabolici prædicator erroris, Ægyptius vastator inventus est; qui tamquam sævissimus tyrannus Ecclesiæ, nefandas blasphemias per violentam seditiosorum turbam, et per cruentas manus militum venerandis fratribus imponebat. Et cum voce Redemptoris nostri firmatum sit, unum eumdemque homicidii esse et falsitatis auctorem (*Joan.* VIII, 44), ille pariter utrumque complevit : quasi non ut caveantur, sed ut perpetrentur, scripta sint, ad perditionis suæ cumulum trahens, quæ Dei Filius monuit ad salutem. Illud quoque surda nimis aure præteriens, quod ab eodem Domino dictum est : *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor, et vos* [g] *quod vidistis apud patrem vestrum, facitis* (*Ibid.*, 38).

CAP. IV. — Igitur dum sanctæ memoriæ Flaviano vitam præsentis sæculi moliretur auferre, [h] se veræ vitæ luce privavit. Dum vos ab Ecclesiis vestris conaretur expellere, se a Christianorum collegio segregavit. Dum [i] trahit plurimos, et impellit ad erroris assensum, multiplici animam suam vulnere saucia-vit : solus ultra omnes, et per omnes, ac pro omnibus reus, qui causa reatus omnibus fuit. Sed licet his tua fraternitas solido cibo firmata indigere minime videatur, tamen, ut quod nostri loci est impleamus circa vocem dicentis Apostoli : *Præter ea quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana,* **1225** *sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI, 28, 29)? Hoc præcipue præsenti occasione credimus admonendum, frater charissime, ut quotiescumque divina gratia administrante, illos qui foris sunt [j] fonte doctrinæ aut submergimus aut purgamus, in nullo ab illis quas Spiritus sancti Divinitas in Chalcedonensi concilio protulit, fidei regulis recedentes, inter [k] utrumque hostem novellæ perfidiæ sermonem nostrum cum omni cautela libremus : non jam, quod absit, tamquam de dubiis disceptantes, sed auctoritate [l] summa quæ bene definita sunt astruentes; cum et in apostolicæ sedis epistola universalis sanctæ synodi assensu firmata, tanta divinæ auctoritatis testimonia noverimus esse congesta, ut

1224

[a] Vulg. ante Quesn., cum eodem codice et Sichardo, *processerit*.

[b] Editiones Leonis ante Quesn. et Labbeus cum mss. collect. 11 et 24 ac Sichardo, *nos*. Retinuimus *vos* aliis mss. et Binio suffragantibus; hic enim Leo Theodoritum alloquitur, quem Dioscorus persequendo afflixit.

Vocem *prius* a Quesnello restitutam præferunt nostri codices collect. 11 et 21. Innuitur excommunicatio a Dioscoro lata contra ipsum suum *caput* Romanum pontificem; quem ausum antea inauditum et incredibilem detestatur synodus Chalcedonensis in epist. 98, ad Leonem, cap. 2. Vide not. 5 Quesnelli. Dein quidam codices omittunt *utinam*.

[d] Quid hic Leo respiciat vide apud Quesn. not. 4, qui mox pro *abdicata* scripsit *addicta*, et in margine : *Ita mss. omnes*. Id quidem invenimus in codd. collect. 21. At in aliis collect. 11, 12, 24, ac in exemplo Sichardi cum anterioribus editionibus, *abdicata*.

[e] Ita omnes Quesnelli et plerique nostri codd. atque Sichardus. Alias *dictus*, vel *dictum est*. Post pauca vulg. ante Quesn. cum mss. collect. 12, *quasi nec audisset illud quod Dominus ait*. Idem legitur in cod. Vat. collect. 11, qui solum addit *idem* ante vocem *Dominus*. Recepimus lectionem Binii et mss. collect. 24, ad quam accedit Quesnellus cum codd. collect. 21, præmittentibus *idem* ante *Dominus* non satis apte, cum in antecedenti Scripturæ testimonio nulla Christi Domini mentio occurrat.

[f] Codd. collect. 11 delent *est*. Postea *quia tamquam* legitur in antiquis Leonis vulg. et apud Labbeum cum codd. collect. 24 et Sichardo.

[g] Codd. collect. 11 et 24 cum Sichardo et Binio addunt *ergo*.

[h] Cod. Barb., *se veritate et duce*. Vat. collect. 24 et Sichardus, *se serenæ vitæ luce*.

[i] Vat. collect. 11 et duo collect. 21, *tradit*. Postea idem codex collect. 11, *solus ultra omnia ac pro omnibus reus*.

[j] Catecheses indicat quibus instruebantur qui ad baptisma accedebant, vel ad unitatem Ecclesiæ revertentes, ab hæresi vel schismate purgandi erant.

[k] Id est inter Eutychianos ac Nestorianos, qui oppositis erroribus catholicam fidem impetentes, maximam loquendi cautionem exigebant, ut S. pontifex explicat capite sequenti. Post pauca pro *libremus* quædam editiones cum ms. Vat. collect. 11 et Sichardo, *liberemus*.

[l] Ita Quesn. ex codd. Trecopith. et Thuan., cum quibus concordant duo nostri collect. 21. Vulgati antiquiores *sua* cum duobus codd. Quesn. et nostro Vat. collect. 24 atque Sichardo. Mox post verba *in apostolicæ sedis epistola* codices Vat. collect. 11 et 21, ac sex a Quesnello laudati not. 5, qui partim ad easdem collectiones pertinent, partim e simili fonte dimanant, per saltum aliquot periodos transiliunt usque ad illa capitis sequentis : *Sed benedictus Deus noster*, earumque loco substituunt hæc verba : *Et cætera quæ per ordinem supra posuimus, continuo agit. Sed benedictus Deus.* Ipsa formula *et cætera* omissionem indicat. Integrum vero textum exhibent codices collect. 12, 18 ac 24 et exemplar Sichardi.

Digitized by Google

nullus queat ulterius dubitare, nisi qui sibimetipsi erroris tenebras inferre maluerit; [a] et synodalia gesta, vel quibus [b] primum definitio fidei legitur esse formata, vel quibus præfatæ litteræ apostolicæ sedis, etiam [c] tuæ fraternitatis studio defensæ sunt, et [d] maxime ad pissimos principes totius concilii allocutio [e], tot sint præcedentium Patrum testimoniis roborata, ut cuivis imprudenti ac pertinaci animo, si tamen non jam cum diabolo pro sua impietate damnatus est, valeant suadere.

1226 Cap. V.—Unde hoc quoque nos contra hostes Ecclesiæ providere condignum est, ut eis [f] nullam calumniandi occasionem, quod ad nos attinet, penitus relinquamus, nec umquam contra Nestorianos aut Eutychianos agentes, alteri eorum videamur terga vertisse; sed utrosque Christi hostes æqua lance vitemus atque damnemus: ita ut eos, quoties audientium quantalibet poscit utilitas, cum dogmatibus eorum digno anathemate promptissime atque evidentissime feriamus: ne si hoc a nobis aut obscurius fieri videatur aut tardius, putetur invitum. Quod qualibvis prudentiam tuam [g] res ipsa admonere sufficiat, jam tamen et experimenta docuerunt. Sed benedictus Deus noster, cujus invincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundum te, secundum [h] sedis apostolicæ judicium, demonstravit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam; si talem te qualem probavimus ac probamus, pro universalis Ecclesiæ defensione servaveris. Nam quod Deus omnium calumniosorum fallacias solvit, maximam beatissimi Petri curam pro cunctis nobis agnoscimus; qui postquam suæ sedis judicium in fidei definitione firmavit, nec circa cujusquam vestrum, qui nobiscum pro catholica fide [i] laborastis, personam; quidquam reprobum videri permisit: quia nec potuit; Spiritu sancto judicante, quisquam **1227** ex eis non victor exire, quorum jam vicerat fides.

Cap. VI. — Quod superest, exhortamur ut quia illic nonnullas Eutychiani ac Nestoriani erroris reliquias cognovimus remansisse, nunc etiam sedi apostolicæ collabores. Victoria enim quam Christus Dominus noster suæ donavit Ecclesiæ, quamdiu in hoc mundo versamur, licet fiduciam majorem tribuat, non tamen in totum sollicitudinem perimit; nec ut dormiamus donata est, sed ut suavius laboremus. Unde in hoc quoque tuæ vigilantiæ sollicitudine volumus adjuvari, ut tua relatione currente [j] quid apud illas regiones doctrina Dominica proficiat, apostolicam sedem festines instruere: quatenus illius regionis sacerdotes, in quocumque usus exegerit, adjuvemus. De his vero quæ [k] in sæpe dicto concilio illicita contra venerabiles Nicænos canones præsumptione tentata sunt, [l] ad fratrem et coepiscopum nostrum Antiochenæ sedis præsulem scripsimus; [m] adjicientes et illud, quod nobis propter improbitatem monachorum quorumdam regionis vestræ verbo mandasti per vicarios nostros, et hoc specialiter statuentes, ut præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare, seu monachus, sive ille sit laicus, qui cujuslibet scientiæ nomine glorietur. Quas tamen litteras, pro utilitate universalis Ecclesiæ, per prædictum fratrem et coepiscopum nostrum Maximum, ad omnium [n] voluimus pervenire notitiam: et ob hoc his noluimus earum exemplar adjicere, quia quæ prædicto fratri et coepiscopo nostro injunximus, non dubitamus implenda. *Et alia manu:* Deus te

[a] Vulgati ante Quesn. cum mss. collect. 12 et 24, *cum synodalia*, ac postea, *tot sit*. Quesnelli emendationem, forte ex Grimanico ms. contextus exigit.

[b] Fidei definitio in Chalcedonensi actione quinta formata fuit; litteræ autem Leonis ad Flavianum antecedentibus actionibus secunda et quarta, vindicatæ ac totius synodi assensu receptæ fuere; ac propterea *primum* de ordine temporis intelligi nequit, vel exactum ordinem Leo secutus non est.

[c] Cum actione secunda Leonis epistola 28 legeretur, cumque adversus quamdam ejusdem epistolæ sententiam ab Illyricianis et Palæstinis difficultates ingererentur, Theodoritus simile S. Cyrilli testimonium afferens, eam propugnavit. Vide tom. IV Concil. pag. 1238.

[d] *Maxime*, inquit, quia in allocutione concilii plura testimonia Patrum recitata fuere.

[e] Part. III concil. Chalced. n. 1.

[f] Hæc admonitio Theodoritum respicit, qui ob defensum antea Nestorium, et ob impugnatum Cyrillum in Nestorianismi suspicionem venerat; unde in synodo Chalcedonensi, ut se catholicum probaret, Nestorio anathema expresse dixit; quod ne exigentibus Patribus invite fecisse videatur, hic eidem Leo insinuat, ut data occasione non tam Eutychem quam Nestorium cum suis impiis dogmatibus, *digno anathemate, promptissime atque evidentissime feriat.*

[g] Ita nostri codices cum Sichardo et editis ante Quesn., apud quem, *res ipsæ admonere sufficiant.* Quod additur, *experimenta docuerunt*, innuit quæ Ephesi et Chalcedone Theodorito contigerunt.

[h] Hujus judicii sedis apostolicæ testimonium exstat in Chalcedonensi act. 1, ubi judices dixerunt pag. 874: *Ingrediatur et reverendissimus episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, quia et restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo;* et act. 8, pag. 1523, iidem judices concilii sententiam pro Theodorito postularunt, *sicut et sanctissimus Leo archiepiscopus judicavit.* Quibus concinens totum concilium dixit: *Post Deum Leo judicavit;* et legati pontificis pag. 1526: *Theodoretum sanctissimus et beatissimus universæ Ecclesiæ episcopus urbis Romæ Leo dudum in communione suscepit ita, sicut litteræ ab eo ad nostram humilitatem testantur.* Post pauca *retribuas* in ms. Vat. collect. 11.

[i] Sic cum Quesnello et Binio nostri codd. collect. 11 et 21. Alias, *laboratis*. Paulo post *videre* in ms. Vat. collect. 11. Dein pro *exire* quædam editiones *existere*.

[j] Veteres editiones cum mss. collect. 11, 12 et 24, ac exemplo Sichardi, *quid apud illos religionis doctrina Dominica proficiat;* et postea, *illius religionis sacerdotes*. Veram lectionem a Quesnello receptam mss. collect. 21 approbant. Deinde *in quoscumque usus necessitas exegerit* unus cod. Vat. collect. 21.

[k] Alias, *in supradicto*. Respicitur canon Chalcedonensis pro Constantinopolitanæ sedis prærogativa. Confer epistolam præcedentem ad Maximum, quæ hic indicatur; ubi etiam monachorum improbitas reprehenditur, de qua vide ibidem annot. 30 *Col.* 1045, n. 8).

[l] Epist. 119.

[m] 16, qu. 1, *Adjicimus illud*, c. 19

[n] Al., *volumus*.

Digitized by Google

incolumem custodiat, frater charissime. Data [a] tertio idus Junii, Opilione viro clarissimo consule.

1228 EPISTOLA [b] CXXI.

[c] AD MARCIANUM AUGUSTUM.

De Paschate.

SYNOPSIS. — I. *Curam paschalis cycli Alexandrino episcopo olim esse demandatam.* — II. *Quid difficultatis ex illo ortum sit.* — III. *Ut de hac difficultate jubeat inquiri, postulat.*

[d] LEO episcopus MARCIANO Augusto.

CAP. I. — [e] Tam multis documentis per omnes Christi Ecclesias fides vestræ pietatis innotuit : ut si quid sollicitudinum pro communi religione generatur, merito vestrum quæratur auxilium. Et quia memor dispensationis mihi creditæ, necesse habeo curas meas etiam in ea quæ sunt futura præmittere, non improbe cupio clementiæ vestræ studiis adjuvari : ut in ea observantia, quæ certa semper ratione variatur, nihil possit erroris incurri. Paschale etenim festum, quo sacramentum salutis humanæ maxime continetur, quamvis in primo semper mense celebrandum sit, ita tamen est lunaris cursus conditione mutabile, ut plerumque sacratissimæ diei ambigua [f] occurrat electio, et ex hoc fiat plerumque, quod non licet, ut non simul omnis Ecclesia quod nonnisi unum esse oportet, observet. Studuerunt itaque sancti Patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino [g] episcopo delegantes (quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita **1229** esse videbatur peritia) [h] per quem, quotannis dies prædictæ solemnitatis sedi apostolicæ indicaretur, cujus scriptis ad longinquiores Ecclesias indicium generale percurreret.

CAP. II. — Sed sanctæ memoriæ Theophilus [i] Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus, cum hujus observationis annos [j] centum numero collegisset, septuagesimi sexti anni paschale festum longe aliter quam alii decreverant tenendum esse constituit. [k] Nam a primo augustæ memoriæ Theodosii senioris [l] consulatu [m] succedentem sibi sacræ observantiæ ordinem ponens, ut longioris temporis ratio ejus litteris teneretur ascripta, cujus **1230** complexionis [n] septuagesimus et quartus est annus, [o] in quo pridie idus Aprilis sanctum Pascha celebravimus; sequenti vero anno pridie nonas Aprilis eadem, propitio Deo, [p] agenda erit festivitas, sicut [q] regulariter centenariæ annota-

[a] Vulgati ante Quesn. cum nostris codicibus collect. 11, 12, 21 et 24, ac exemplo Sichardi, IV *idus*. Solus Quesnellus ex cod. Grim., III *idus*. Id autem immutare noluimus, propterea quod hoc eodem die signetur epistola 119, ad Maximum, cum qua hæc simul eadem occasione transmissa, ac ex Leonis more eodem die signata credenda sit. Secus epistola ad Maximum, quæ hic scripta præsumitur, die sequenti exarata fuisset. Facile autem fuit librariis ex III *idus*, duabus unitatibus junctis, IV *idus* scribere.

[b] Alias 94. Quæ autem antea 121 erat, nunc 153. Scripta 15 Junii an. 453.

[c] Exstat in mss. collect. 12, 18, 19 et 24, ac in Vat. 541.

[d] Cod. Ratisp., *Leo papa.*

[e] *Etiam multis* in mss. Laurentiano Florentino et Fesulano. *Jam multis* in Vat. 1340, in quo etiam paulo post, *geratur* pro *generatur*.

[f] Prima editio Quesn. cum anterioribus editis, *currat*. Emendatum fuit in editione secunda, ut in potioribus nostris codd.

[g] Ms. Ratisp., *antistiti*. Alluditur Nicænis Patribus, de quibus Cyrillus cum Leone consentiens, in Prologo Paschali tradiderat an. 437 : *Sanctorum totius orbis synodi consensione decretum est, ut quoniam apud Alexandriam talis esset reperta Ecclesia, quæ in hujus scientia clareret, quota kalendarum, vel idnum, quota luna Pascha debeat celebrari, per singulos annos Romanæ Ecclesiæ litteris intimaret, unde apostolica auctoritate universalis Ecclesia per totum orbem definitum Paschæ diem sine ulla disceptatione cognosceret.*

[h] Lectionem vetustissimi Ratisponensis ms. præferendam duximus, quæ potior et clarior est, et cum Cyrilli testimonio, antecedenti annotatione descripto, ex quo forte Leo sententiam sumpsit, maxime congruit. In editis antiquioribus Leoninis corrupte legebatur : *Per quam quamvis singulis dies prædictæ solemnitatis eveniret, Sedi apostolicæ indicaretur, ut hujus scripti ad longinquiores Ecclesias judicium generaliter percurreret.* Idem legitur in vulgatis Concil. cum Merlino ex codd. collect. 12, hac sola exceptione, *qui annis* pro *quamvis*. Hanc postremam lectionem Quesnellus suscipiens, duas emendationes addidit, *cujus scriptis* pro *ut hujus scripti*, et *indicium* pro *judicium*, ut in aliis nostris codicibus reperimus.

[i] Ratisp., *Alexandrinæ urbis.*

[j] Theophili Laterculum Paschale annorum centum hic indicatur, quod incipiebat ab anno 380. ita ut annus 76 hujus Laterculi incideret in an. 455, de cujus Paschate præsens vertebatur quæstio. Distinguendum est autem hoc Laterculum a periodo seu circulo paschali ejusdem Theophili annorum 418, quos Cyrillus in Prologo paschali expresse memorat; non vero annorum 437, uti Quesnellus not. 1 in hanc epistolam scripsit. Neque Laterculum, ut idem Quesnellus eadem nota asseruit, annos centum a periodo memorata decerptos exhibebat. Nam periodum annorum 418 initium sumpsisse ab anno Christi 475, post quinque Cyclos decemnovennales, quos Theophilus in Laterculo ediderat, absolutos anno ejusdem Laterculi 96, optime demonstravit Joannes Vander Haagen in dissertatione de Theophili Cyclo paschali 418 annorum, § 8.

[k] Particula *Num* deest in editis ante Quesnellum, sicut etiam in nostris codicibus, excepto Ratisponensi, qui eam exhibet. Vide not. 2 Quesn.

[l] Anno 380.

[m] Ita cum Quesn. idem cod. Ratisp. Alii editi cum cæteris nostris mss., *succedentes sibi sacræ observantiæ ordines.*

[n] Tria Paschata sibi succedentia in Laterculo Theophiliano notata indicantur, nimirum Pascha an. 453, quod *in complexione*, seu Laterculo Theophili ad annum 74 assignabatur *pridie id. Aprilis;* item Pascha anni 454, quod ad an. 75 Laterculi affigebatur *pridie nonas Aprilis*, et in his nullum erat cum Latinis dissidium; ac tandem Pascha an. 455, quod ad an. 76 Laterculi VIII *kal. Maii* signabatur; et in hoc Paschate Latini ab Alexandrinis dissidebant.

[o] Sic emendavimus ex mss. Ratisp. et Vat. collect. 24. Editi perperam, *in qua*. Mox *sanctum paschale* in eodem Ratisp

[p] Editi et plerique codd., *habenda*. Melior visa est lectio ms. Ratisp

[q] Vox *regulariter* indicat dies paschales annorum 453 et 454 in Theophili Laterculo notatos non discrepasse a regula, seu Cyclo Latinorum annorum 84, quo Romana Ecclesia tum utebatur. Si Latinorum

Digitized by Google

tionis ordo declarat; sed in anno qui erit septuagesimus sextus, [a] is Paschæ dies invenitur ascriptus, quem a passione Domini nullius exempli, nullius constitutionis admittit auctoritas. Nam diem octavum kalendarum Maiarum ab eo cognoscimus præfinitum, [b] qui nimie limitem antiquæ constitutionis excedit; cum alii quintum decimum kalendarum Maiarum huic festivitati deputaverint **1231** diem. Siquidem [c] ab undecimo kalendarum Aprilium, usque in undecimum kalendarum Maiarum, legitimum spatium sit præfixum, intra quod omnium varietatum necessitas concludatur: ut Pascha Dominicum nec prius possimus habere nec tardius. Quod enim in decimum et in nonum kalendarum Maiarum videtur [d] nonnumquam pervenisse festivitas, quadam ratione defenditur. Quia etsi dies Resurrectionis ultra terminum videtur exisse, dies tamen Passionis limitem positum non invenietur egressus. Ad octavum autem kalendarum Maiarum paschalem observantiam perducere, nimis insolens et aperta transgressio est.

Cap. III. — Quia ergo in illa, ut dixi, centenaria Cyclus æque ac Laterculum Theophili anno 454 signabant diem Paschatis *pridie nonas Aprilis*, sequitur evidenter hoc anno Romanos usos fuisse Cyclo annorum 84 quo lunæ saltus decimo quarto Cycli anno admittebatur; in Cyclo enim annorum 84, qui recipiebat saltum lunæ anno Cycli duodecimo, Pascha notabatur v kal. Aprilis. Hinc autem *regulariter* susceptam fuisse patet emendationem Cycli Latinorum, qua saltus lunæ ab anno 12 ad annum 14 prorogatus fuit. Hic porro observatione dignus est alius textus epist. 88 ad Paschasinum, cap. 4, ubi cum esset sermo de Paschate anni 455, quod Romani affligebant diei xv kal. Maii, S. pontifex scribit: *In nostris autem paschalibus Cyclis, quod bene nosse dignaris*, xv *kal. Maii ejusdem anni Pascha celebrandum esse sit scriptum.* Cum non unum, sed plures Latinorum Cyclos indicet, et in omnibus Pascha eo die notari affirmet, procul dubio duos saltem Cyclos designat, quorum alter saltum lunæ admittebat singulis annis duodecim, alter singulis quatuordecim annis; ac proinde vel ex hoc testimonio postremus iste Cyclus jam receptus agnoscitur; alias unius tantum Cycli saltum lunæ astruentis duodecimo quoque anno S. Leo meminisset. Utrosque autem Cyclos pro Paschate anni 455 idcirco indicavit S. pontifex, quia licet hi dissiderent in statuendo Paschate anni 454, in Pachate tamen anni 455 omnes convenichant. Vulgati cum aliquot mss. habebant, *centenariæ annorum rationis ordo.* Emendationem Quesnelli confirmat cod. Ratisp.

[a] Ex eodem Ratisp. supplevimus vocem *is*. Quidam editi cum uno codice, *invenietur*. Indicatur Paschæ dies viii kal. Maii, seu 24 Aprilis, qui in Theophili Laterculo anno tantum 455 notabatur, cum hoc Laterculum inciperet ab anno 380. Quod vero Leo subdit, *nullius exempli, nullius constitutionis admittit auctoritas*, de Romanis intelligendum est, non autem de Alexandrinis, qui cum semper decemnovennali Cyclo usi sint, anno pariter 371 eodem die Pascha celebraverant. Id autem forte ignoravit S. Leo, quod solum Theophili Laterculum a posteriori anno 380 incipiens cognosceret.

[b] Editi ante Quesn. cum plerisque mss. perperam legebant, *qui anni limitem antiquitus constitutum excedit.* Lectioni a Quesnello restitutæ suffragatur ms. Ratisp. Diem autem viii kal. Maii, seu Aprilis 24, cui Pascha anni 455 ab Alexandrinis deputabatur, limitem ultimum *antiquitus constitutum* (scilicet a Latinis) *nimie* excedere Leo affirmavit, quia limes apud A supputatione Theophili, septuagesimus sextus annus diem Paschæ contra morem ecclesiasticum statuisse monstratur, et non leviter delinquitur si in principio sacramenti veritas et unitas ab universali Ecclesia non tenetur, obsecro clementiam vestram ut studium vestrum præstare dignemini: quatenus Ægyptii, vel si qui sunt alii qui certam hujus supputationis videntur habere notitiam, scrupulum [e] hujus sollicitudinis absolvant, ut in eum diem generalis observantia dirigatur, qui nec paternarum constitutionum normam relinquat, nec ultra præfixos terminos evagetur. Quidquid autem pietas vestra de hac consultatione cognoverit, ad meam jubeat mox notitiam pervenire: ut in divinis mysteriis nulla dissonantiæ culpa nascatur. Data [f] decimo septimo kalendas Julii, Opi- B lione viro clarissimo consule.

1232 EPISTOLA [g] CXXII.

[h] AD JULIANUM EPISCOPUM.

Synopsis. — *Rogat eum ut de controversia Paschatis anni sequentis diligentius inquirat, rescribatque.*

Leo Juliano episcopo.

[i] De paschali observantia sanctæ memoriæ Theo- C eosdem Latinos ultimus erat xi kal. Maii, seu Aprilis 21, unde tribus diebus excedebat; ac proinde *alii*, id est iidem Latini, ex suo Cyclo annorum 84 Pascha deputaverant xv kal. Maii, seu Aprilis 17. In hoc autem octo dierum discrimine Latinorum et Alexandrinorum quæstio vertebatur.

[c] Dies xi kal. Aprilis seu Martii 22 erat apud Romanos limes citimus Dominicarum paschalium; sicut dies xi kal. Maii, seu Aprilis 21, erat ultimus limes. Post pauca pro *præfixum* Quesnellus in margine: Alias, *præfinitum*. Confer ejusdem Quesnelli not. 3.

[d] Respicit hoc loco S. Leo Pascha anni 444, quod Paschasini et Cyrilli rationibus adductus celebraverat ix kal. Maii; nec non Pascha anni 417, quod ex ejusdem Paschasini epistola nobis 3 celebrandum noverat cum Alexandrinis x kal. Maii ultra ultimum Romanorum limitem, quem in xi kal. Maii seriusproductum affirmaverat. Hanc autem objectionem S pontifex ea ratione diluit pro Paschate anni 455 quia etsi dies x et ix kal Maii extra hunc limitem ultimum supradictis annis exierit, dies tamen passionis eumdem limitem non excesserit; quæ ratio Leoni olim persuasit ut in die Paschatis anni 444 Paschasino consentiret. Confer annot. 18 (*Col.* 608, *n.* 1) in epist. 3. At cum dies viii kal. Maii hanc rationem et conciliationem non reciperet, eo quod hoc casu non tantum Resurrectionis, verum etiam Passionis dies eum limitem præteriret, hinc Alexandrinis se non posse assentiri profitetur.

[e] Cod. Ratisp., *ejus sollicitudinis.* Paulo post editi ante Quesn., *ut eum diem generalis observantia dirigat.* Lectionem Quesn. approbat noster Ratisp., qui mox, *nec ultra præfixus terminus evagetur*

[f] Ita vetustus et emendatissimus cod. Ratisp., ut in duabus sequentibus epistolis eadem occasione transmissis. Editi cum aliis mss., *decimo sexto kal. Julii*

[g] Alias 93. Quæ autem antea 122 erat, nunc 148. Scripta 15 Junii an. 453.

[h] Exstat in iisdem collectionibus et codicibus in quibus præcedens. In vulgatis inscribebatur, *ad Eudochiam Augustam*, et deinceps *Eudochiæ Augustæ*. Errorem satis indicat formula *fraternitatem tuam*, pro qua in editis contra manuscriptorum fidem suppositum fuit *serenitatem tuam*. Emendationem a Quesnello inductam ex Grimanico noster Ratisp. approbat. Vide ejusdem not. 1.

[i] Hæc verba, *De paschali observantia*, quæ tituli loco Quesnellus posuit, ex fide Ratisponensis codicis epistolam inchoant.

Digitized by Google

philus ad Augustum Theodosium seniorem scribens, per centum annos, a primo prædicti principis consulatu, digessit ordinem festi, cujus institutionis septuagesimus quartus nunc annus evolvitur; quo, Opilione consule, pridie idus Aprilis celebrata est sacra solemnitas; unde sequenti anno, pridie nonas Aprilis, eadem festivitas rationabiliter [a] consequetur. Sed annus qui erit septuagesimus sextus memorati episcopi annotationem habere cognoscitur, quæ a totius antiquitatis exemplo et ab omni Patrum auctoritate discordat. Siquidem in octavum kalendarum Maiarum Dominicum Pascha transtulerit, præfinitos [b] antiquitus limites nimis [c] evidenter excedens, cum in die quinto decimo kalendarum Maiarum paschalem solemnitatem, sicut constituerunt [d] alii, potuerit annotare. Unde quia non mediocris mihi sollicitudo generatur, ne apud Ægyptios hæc persuasio [e] roboretur, ad Christianissimum et clementissimum principem scripta direxi, quibus causam scrupuli diligenter **1233** exposui, et suppliciter postulavi ut operam suam, quemadmodum consuevit, religionis cultui dignanter impendat : ut [f] eos qui hujus supputationis perfectam videntur habere notitiam, in unum jubeat convenire et diligenter inquirere : ne forte hæc definitio teneatur, et hic excessus, qui prioribus videtur repugnare temporibus, nostræ conniventiæ vel negligentiæ deputetur, et fiat in nostris diebus quod numquam ante præsumptum est. Quia vero oportet [g] fraternitatem tuam curæ istius mecum esse participem, et ne quid tale accidat præcavere, crebrius [h] religiosissimo et fidelissimo principi dignare suggerere, ut indissimulanter [i] Ægyptios jubeat admoneri ne in summæ festivitatis die, aut dissensione aliqua, aut transgressione peccetur. Quidquid autem de hac re [j] diligentior sollicitudo repererit, cito ad notitiam meam gloriosissimus imperator jubeat pervenire : quia et ad ipsius et ad omnium salutem pertinet ut Dei cultus nullo errore lædatur. [k] Data xvi kalendas Julii, Opilione viro clarissimo consule.

1234 EPISTOLA [l] CXXIII.

[m] AD EUDOCIAM AUGUSTAM.

De monachis Palæstinis.

SYNOPSIS. — I. *Rogat ut curam suam reducendis ad fidem et quietem monachis Palæstinis impendat.* — II. *Recepta Chalcedonensi synodo tam Eutychen quam Nestorium exsecrentur, si catholici videri volunt. Quid autem profecerit exhortatio Eudociæ, ipsius litteris instrui cupit.*

LEO episcopus EUDOCIÆ Augustæ.

CAP. I. — Quanta mihi catholicæ cura sit fidei, et qua sollicitudine, in quantum Dominus adjuvat, [n] debeam præcavere ne umquam ab imperitis aut impiis veritatis Evangelio resistatur, pietatem vestram scire non dubito. Et ideo cum salutationis officio, quo semper mihi est vestra [o] honoranda clementia, obsecro Dominum ut me de tua incolumitate lætificet, et causam fidei, in qua quorumdam intra provinciam Palæstinam monachorum fuerant corda turbata, magis magisque per vos faciat adjuvari : ut quantum pietatis tuæ studio fieri potest, hæreticæ perversitati omnis fiducia subtrahatur. Quos enim nec ratio sacramentorum, nec auctoritas [p] Scripturarum, nec ipsa sacratorum locorum testimonia commovebant, quid eis nisi abruptum periculum timeretur? Prosit ergo Ecclesiis, sicut favente Deo [q] prodest, et generi ipsi **1235** prosit humano in Verbi

[a] Tres codd. cum vulg. ante Quesn., *consequitur*. Sed cum hæc scripta sint anno 453, et hoc loco sit sermo de Paschate anni 454, correctio potioribus mss. fulcitur.

[b] Quidam codices, *antiquitatis*.

[c] Editi cum pluribus mss., *audenter*. Potior et sententiæ aliis epistolis expressæ conformior visa est lectio ms. Ratisp. Vide annot. 16 (*Col.* 1057, *n.* [b]) in epistolam præcedentem.

[d] Id est Latini. Confer eamdem annotationem.

[e] Vulgati antiquiores cum plerisque inferioris notæ mss., *probaretur*. Codd. Grim. et Ratisp. in correctione conveniunt.

[f] Alexandrinos præsertim intelligit ex cap. 2 et 3 epistolæ antecedentis, ut indicant etiam sequentia.

[g] Cur editiones ante Quesn. hic præferant, *serenitatem tuam*, diximus annot. 1 (*Col.* 1058, *n.* [b]).

[h] Ratisp. delet, *religiosissimo et*.

[i] Sic ex Ratisp. Alias, *jubeat Ægyptios admonere*.

[j] Editi antiqui cum aliquot codd., *diligentius investigare sollicitudo tua* (Al., *vestra*) *potuerit*. Quesnelli lectionem in Grimanico inventam confirmat noster cod. Ratisp.

[k] Ita cod. Ratisp. Cæteri codd. et editi, *data* xvi *kal. Julii*.

[l] Alias 96. Quæ autem antea 123 erat, nunc 154. Scripta 15 Junii an. 453.

[m] Exstat in mss. collect. 12, 18, 19 et 24, ac in exemplo Sichardi. Vulgati Leonis inscribunt, *Ad Liciniam Eudochiam*; Quesnellus, *ad Liciniam Eudoxiam*, notans legi *Eudoxiam* in ms. Grim. Perperam. Liciniæ Eudoxiæ nomen non uxori Theodosii Juniorис, ad quam hic Leo scribit, sed Valentiniani uxori hujus filiæ convenit. Ratisp. hic habet *Eudochiam*, at in epist. 117 *Eudociam* præfert, ut in aliis codd. et editis concil. hoc nomen scribitur. Confer annot. 6 in epist. 117 (*Col.* 1037, *n.* [b]), ex qua harum litterarum causam seu impulsum discimus.

[n] Vulg. cum mss. collect. 12 et 24 atque Sichardo, *debeat præcaveri*. Emendationem Quesn. ex Grimanico noster Ratisp. confirmat. Mox *et impiis* in codd. collect. 12 et antiquis editis : apud Sichardum, *et inimicis veritatis*.

[o] Iidem vulg. cum iisdem codd. atque Sichardo corrupte, *oranda clementia, obsecro Dominum, ut me tuam incolumitatem in causa fidei... magis magisque faciat adjuvare, ut tantum quod pietatis tuæ*, etc. Ratisp. et Grim. in emendatione semper consentiunt.

[p] Ita melius Ratisp. quam in vulgatis et aliis etiam Quesnelli codicibus, *Scriptorum*. Mox, *commonebant* in Ratisp. et mss. collect. 12.

[q] Editi, *et prodest, et prosit generi humano*. Ratisponensis codicis lectio melior. Cum Leo ad hanc Augustam alias litteras scripserit, quibus eam ab Eutychianorum patrocinio revocare, et ad favendum catholicis permovere studuit, ut vidimus annot. 7 in epist. 117 (*Col.* 1038, *n.* [i]), has litteras effectum obtinuisse præsumit, ut sic facilius ex præsumpta de ea fiducia eamdem impelleret. Dici etiam potest verbum *prodest* indicare alia ejusdem Augustæ pia opera, quibus aliquot in Palæstina ecclesias, hospitalia et monasteria ædificavit, largiterque ditavit, ut narrant Evagrius lib. 1 cap. 21 et 22, et auctor Vitæ S. Euthymii. Idem præterea codex Ratisponensis sequentium emendationem a Quesnello inductam approbat, cum in antecedentibus vulg. sicut et in aliarum collectionum mss.

Digitized by Google

Dei incarnatione susceptο, quod domicilium habitationis vestræ ibi esse voluistis, ubi vobis Dominum nostrum Jesum Christum sicut verum Deum, ita et verum hominem, in unitate personæ, et mirabilium indicia, et passionum documenta loquuntur.

Cap. II. — Si ergo prædicti nomen catholicum venerantur et diligunt, et [a] inter Domini corporis volunt membra numerari, pravos errores, quos temere admiserant, detestentur, et agant pœnitentiam impiarum blasphemiarum, crueutorumque factorum. Succumbant pro salute animarum suarum synodalibus, quæ in civitate Chalcedonensi sunt confirmata, decretis. Et quia ad intelligendum sacramentum salutis humanæ, nisi fides vera et humilitas quieta non pervenit, credant quod legunt in Evangelio, quod confitentur in symbolo, nec impiis dogmatibus misceantur. Fides enim catholica sicut damnat Nestorium, qui in uno Domino nostro Jesu Christo duas ausus est prædicare personas, ita damnat etiam Eutychen cum Dioscoro, qui ab unigenito Deo Verbo [b] negant in utero Virginis matris veritatem carnis humanæ susceptam. Si quid autem erga prædictorum conversionem exhortatio vestra profecerit, quod gloriam vobis præstabit æternam, peto hoc mihi clementiæ vestræ litteris indicetis; [c] ut et vos boni operis fructum cepisse, et illos gaudeam misericordia Domini non periisse. Data [d] decimo septimo kalendas Julii, Opilione viro clarissimo consule.

1236 EPISTOLA [e] CXXIV.

[f] AD MONACHOS PALÆSTINOS.

[g] Synopsis. — I. *Ex perversa epistolæ S. Leonis ad Flavianum interpretatione impositum esse Palæstinis.* — II. *Tam Eutychen, qui naturas confundit in Christo, quam Nestorium, qui personas geminat, esse detestandos.* — III. *Christi non esse participem, qui nostram in eo naturam non confitetur.* — IV. *Illos solum Christi sanguine mundari, in quorum corpore oblatus, passus et mortuus triumphavit.* — V. *Utriusque ejus naturæ proprietates ex operum qualitate declarari.* — VI. *Utramque inconfuse in una persona convenire.* — VII. *Nihil Filio Dei accessisse de novo nisi in forma servi.* — VIII. *Cum iisdem monachis de scandalis ipsorum furore ortis expostulat.* — IX. *Ut resipiscant et fidem communem amplectantur, exhortatur.*

Leo episcopus universis [h] Monachis per Palæstinam constitutis.

Cap. I. — Sollicitudini meæ, quam universali Ecclesiæ omnibusque ejus filiis debeo, multorum relatione patefactum est dilectionis vestræ animis quiddam offensionis illatum, dum aut imperiti, ut apparet, interpretes, aut maligni, quædam vos aliter

1237 intelligere, quam a me sunt [i] prædicata, fecerunt, non valentes in Græcum eloquium apte et proprie Latina transferre, cum in rebus subtilibus et difficilibus explicandis, vix sibi etiam in sua lingua disputator quisque sufficiat. Quod tamen apud me eo [j] profecit, ut, dum ea quæ catholica fides respuit improbatis, intelligamus vos veris amicitiores esse quam falsis; et id merito refutare, quod ex antiquæ institutione doctrinæ etiam ipse detestor. Quamvis enim epistola mea ad sanctæ memoriæ Flavianum episcopum data, satis sibi ad manifestationem sui ipsa sufficiat, neque in aliquo aut purgationis aut expositionis indigeat; [k] et alia tamen cum eadem mea scripta concordant, in quibus similiter prædicationis meæ sensus in aperto est. Necessitatem enim habens contra hæreticos, qui multos Christi populos conturbaverant, disserendi, et clementissimis principibus, et sancto concilio synodali, et Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quid de incarnatione Verbi, secundum evangelicam apostolicamque doctrinam, debe-

legatur: *In verbis Dei vestram ibi esse voluntatem, ubi Domini nostri Jesu Christi vobis sicut verum Deum*, etc.

[a] Antiquæ editiones cum mss. collect. 12 et 24, *inter Domini corpus se volunt membra nominari.* Quesnellus ex Grimanico: *Intra Domini corpus volunt membra numerari.* Lectio Ratisp. præferenda fuit.

[b] Vulgati, *negat.* Ex cunctis nostris codd. atque Sichardo et Binio emendavimus.

[c] Ita cum Grim. noster Ratisp. Alii codices cum vulg. ante Quesn., *ut et in vobis boni operis fructum, et in illis gaudeam misericordiam Domini non periisse.*

[d] Omnes editi, *septimo kal.* Correximus ex optimo codice Ratisp., sic enim hæc epistola eodem die quo duæ præcedentes signantur, idque ex Leonis more, cum omnes eadem occasione simul transmissæ videantur.

[e] Alias 97. Quæ autem erat 124, nunc 155. Scripta sub idem tempus quo præcedens.

[f] Invenitur hæc epistola in mss. collect. 5, 11, 12, 13 et 20 usque ad 24, et in exemplo Sichardi. Licet autem hæc epistola chronica nota careat, certe tamen scripta hoc anno, et probabiliter una cum antecedenti in Palæstinam missa fuit. Leo enim monachorum Palæstinorum tumultus primum audivit ante diem 25 Novembris anni 452, ex epist. 109; sed quo animo moverentur, ignorabat: unde pleniorem instructionem petiit epist. 113, c. 3. Paulo post hanc instructionem accepit, cum Julianus ad eum transmisit Marciani et Pulcheriæ scripta ad eosdem monachos, in quibus eorum ausus ac turbæ describuntur, ut patet ex epist. 115, 116 et 117, datis die 21 Martii anni 453. Sicuti vero hac de causa ad Eudociam in Palæstina degentem, eorumque monachorum patronam antecedentes litteras dedit, ita etiam hanc epistolam ad ipsos monachos eum scripsisse probabilissimum est. Cum vero horum monachorum tumultus jam sopitos Leo acceperit ante diem 9 Januarii anni sequentis ex epist. 126 et 127, hæ procul dubio litteræ ad Palæstinos in annum sequentem differri non possunt.

[g] In tabula collect, 5 hic titulus legitur c. 81: *Ad Palæstinos super mobilitate fidei ipsorum in Eutychianam hæresim devolutos correctio.*

[h] Vulgati ante Quesn. cum mss. collect. 13 et 21, perperam, *episcopis;* cum ex contextu ad monachos in Palæstina tumultuantes hæc epistola scripta fuerit. Hinc jure Quesnellus Binium secutus *monachis* pro *episcopis* substituit. Confer notam ejus 1. Cæterum mss. collect. 5, 11 et 12 inscriptione carent, et solum titulum præferunt, *Epistola Leonis papæ ad Palæstinos*, vel ad *Palæstinum*. Codices vero collect. 24 hanc inscriptionem exhibent, *Leo episcopus Palæstinis.*

[i] Vulg. Leonis antiqui, cum Vat. collect. 24 et Sichardo, *prædicta.*

[j] Vat. collect. 11, *proficit.* In margine Concil., *profuit.* Dein in editorum margine notatum fuit ex mss. collect. 24 et Sichardo, *etiam ipse Eutyches detestatur.*

[k] Particulam *et* sumptam pro *etiam*, quam delevit Quesnellus, revocavimus ex Vindebon. collect. 5. Vat. collect. 11 ac 24 atque exemplo Sichardi.

Digitized by Google

remus sapere ac sentire, patefeci, et in nullo a sanctorum Patrum confessione discessi : quia una est, vera, singularis, [a] catholica fides, qui nihil addi, nec minui potest; quam Nestorius prius, et nunc Eutyches, diversa quidem assertione, sed simili impietate impugnare conati sunt, et Ecclesiæ Dei duas hæreses sibimet contrarias inferre tentarunt, ut uterque a discipulis veritatis merito damnaretur : quia insanum nimis et sacrilegum fuit, quod varia falsitate ambo senserunt.

Cap. II. — [b] Anathematizetur ergo Nestorius, qui beatam virginem Mariam hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis, [c] nec unum Christum in Verbo Dei et carne sentiret, sed separatim atque sejunctim, alium filium Dei, alium hominis prædicaret : cum, manente illa incommutabilis Verbi essentia, quæ ei cum Patre et Spiritu sancto intemporalis atque coæterna est, ita intra virginea viscera Verbum caro sit factum, ut uno conceptu unoque partu eadem virgo, secundum unionem utriusque substantiæ, et ancilla Domini esset et mater. **1238** Quod etiam [d] Elizabet, sicut Lucas evangelista declarat, intellexit et dixit : *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* (*Luc.* I, 43)? Eutyches quoque eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum hæreticorum volutatus errores, tertium Apollinaris dogma delegit : ut negata humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominum nostrum Jesum Christum unius asserat esse naturæ, tamquam verbi Deitas ipsa se in carnem animamque converterit; et concipi et nasci, nutriri et crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere, et ascendere in cœlum, et in Patris dextera, unde ad judicandos vivos e mortuos veniet, consedere, [e] ejus tantum essentiæ fuerit, quæ nihil horum in se sine carnis recipit veritate : quoniam natura Unigeniti, natura est Patris, natura est Spiritus sancti, simulque impassibilis, simul est incommutabilis, sempiternæ Trinitatis indivisa unitas et consubstantialis æqualitas. Unde si ab Apollinaris perversitate hæreticus iste desciscit, ne convincatur Deitatem passibilem sentire atque mortalem; et tamen Verbi incarnati, id est, Verbi et carnis unam audet pronuntiare naturam, non dubie in Manichæi et Marcionis transit insaniam, et mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum simulatorie omnia credit egisse, nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium.

Cap. III. — Quæ impietatis mendacia quoniam olim fides catholica detestatur, et talium sacrilegia concordibus per totum mundum beatorum Patrum sunt damnata sententiis, quicumque illi sunt ita obcæcati et a lumine veritatis alieni, ut Verbo Dei a tempore incarnationis humanam, id est nostram, negent inesse naturam, ostendant in quo sibi Christianum nomen usurpent, et cum Evangelio veritatis qua ratione concordent, [f] si per beatæ Virginis partum, aut caro sine Deitate, aut Deitas est orta sine carne. Sicut enim negari non potest, quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14); *ita* negari non potest, quod *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* I). Quæ autem reconciliatio esse potest, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi **1239** [g] omnium causam mediator Dei hominumque susciperet? Qua vero ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis erat Patri, in forma servi particeps esset et nostri : ut per unum novum hominem fieret renovatio vetustatis; et mortis vinculum unius prævaricatione contractum, unius morte, qui solus morti nihil debuit, solveretur? [h] Effusio enim pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent : quoniam, sicut Apostolus ait, *ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia* (*Rom.* v, 20). Et cum sub peccati præjudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quam debitum servitutis.

Cap. IV.— Quam itaque sibi in hujus sacramenti præsidio spem relinquunt qui in Salvatoris nostri corpore negant humanæ substantiæ veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati, dicant quo sanguine sint redempti? Quis est *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (*Ephes.* v, 2)? aut quod umquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamvis enim multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit (*Ps.* CXV, 15), nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas; et de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit : cum inter filios hominum unus solus Dominus noster Jesus Christus

[a] Editiones ante Quesn. cum Sichardo addunt *perfecta, inviolabilis :* desunt in mss. undecim Quesnelli, et in nostris collect. 5, 11, 21 et 24. Postea *nihil minui* in codd. collect. 11, 21 et 24.

[b] Ab hoc c. 2 usque ad cap. 8 eadem leguntur in ep. 165, al. 97, ad Leonem Augustum.

[c] Duo codd. Vat. collect. 21, *ne unum.* Mox *ex Verbo Dei* in Vat. collect. 11. Dein in iisdem codd. collect. 21, *separatum atque sejunctum.* Postea *incommutabili* legitur in ep. 165, cap. 2.

[d] Codd. collect. 21, *Elizabet Lucas evangelista declarat intellexisse, cum dicit.*

[e] Vulgati addunt *divinæ*, et habent *considere*. Secuti sumus codd. Vindebon. collect. 5, Vat. collect. 11, 21 et 24, atque Sichardum. Idem Quesnellus, licet vocem *divinæ* retinuerit, monuit tamen in margine hanc vocem in quatuor suis mss. desiderari.

[f] Vindebon. collect. 5 et Vat. Collect. 11, *si beatæ Virginis partus.* Melius in duobus Vat. collect. 21, *si beatæ Virginis partu*, et similiter in ep. 165, c. 4.

[g] Ita anteriores editiones cum nostris codd. Vindebon. collect. 5, Vat. collect. 24, atque Sichardo melius quam apud Quesnellum cum mss. collect. 21, *hominum;* nam et in epistola 165, c. 4, *omnium* pariter legitur.

[h] Habentur hæc in ep. 165, ut dictum est, et insuper in serm. 64, c. 3.

Digitized by Google

exstiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati. De quibus ipse dicebat : *Cum exaltatus fuero* [a] *a terra, omnia traham ad me* (*Joan.* XII, 32). Fides etenim vera justificans impios, et creans justos, ad humanitatis suæ tracta participem, in illo acquirit salutem, in quo solo homo se invenit innocentem; liberum habens per gratiam Dei de ejus potentia gloriari, qui contra hostem superbum in carnis nostræ humilitate congressus, his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphavit.

CAP. V. — Quamvis ergo in uno Domino nostro Jesu Christo, vero Dei atque hominis Filio, Verbi et carnis una persona sit, et utraque essentia communes habeat actiones; intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, et sinceræ fidei contemplatione **1240** cernendum est, ad quæ provehatur humilitas infirmitatis, et ad quæ inclinetur altitudo virtutis : quid sit quod caro sine Verbo non agit, et quid sit quod Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia nec conciperet Virgo, nec pareret (*Luc.* I, 31) : et sine veritate carnis obvoluta pannis infantia non jaceret (*Luc.* II, 7). Sine Verbi potentia non adorarent magi puerum novo sidere declaratum (*Matth.* II, 11) : et sine veritate carnis non juberetur transferri in Ægyptum puer, et ab Herodis persecutione subduci : sine Verbi potentia non diceret vox Patris missa de cœlo : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi* [b] *complacui* (*Matth.* III, 17) : et sine veritate carnis non protestaretur Joannes : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium, et vivificatio mortuorum : et sine veritate carnis, nec cibus jejuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremo, sine Verbi potentia non se Dominus Patri profiteretur æqualem, et sine veritate carnis non idem diceret Patrem [c] se esse majorem : cum catholica fides utrumque suscipiat, utrumque defendat, quæ secundum proprietatem divinæ humanæque substantiæ unum Dei Filium, et hominem credit, et Verbum.

CAP. VI. — [d] Quamvis ergo ab illo initio, quo in utero virginis *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), nihil umquam inter divinam humanamque substantiam divisionis exstiterit, et per omnia incrementa corporea, unius personæ fuerint totius temporis actiones; ea ipsa tamen, quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus; sed quid cujus formæ sit, ex operum qualitate sentimus. Nec divina enim humanis præjudicant, nec humana divinis, cum ita in idipsum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas absumatur, nec persona geminetur. [e] Dicant igitur isti phantasmatici Christiani, quæ substantia Salvatoris affixa sit ligno, quæ jacuerit in sepulcro, et revoluto monumenti lapide, quæ tertio die caro surrexerit; vel quale corpus Jesus discipulorum visui, clausis ad eos ostiis ingressus intulerit : cum ad abigendam cernentium diffidentiam, inspici oculis digitisque tractari patentes adhuc fixuras clavorum, et recens compuncti lateris vulnus [f] exigeret (*Joan.* XX). At si in tanta luce veritatis tenebras suas hæretica obduratio non relinquit, ostendant unde sibi spem vitæ polliceantur æternæ, ad quam nis per mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, non potest perveniri. *Non enim est aliud nomen datum hominibus sub cœlo, in quo oporteat* **1241** *salvos fieri* (*Act.* IV, 12) : nec est redemptio captivitatis humanæ, nisi in sanguine ejus, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* (1 *Tim.* II, 6). [g] Qui, sicut prædicat beatus apostolus, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II, 6-11).

CAP. VII. — Quamvis ergo unus sit Dominus Jesus Christus, et veræ Deitatis veræque humanitatis in ipso una prorsus eademque persona sit, neque hujus [h] unitionis soliditas ulla possit divisione sejungi, exaltationem tamen, qua illum exaltavit Deus, et donavit illi nomen quod super omne nomen excellit, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei æqualis erat Filius Patri, et inter Genitorem atque Unigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in majestate diversitas; nec per incarnationis mysterium aliquid decesserat Verbo, quod [i] ei Patris munere redderetur. Forma autem servi, per quam impassibilis Deitas sacramentum magnæ pietatis implevit, humana humilitas est, quæ in gloriam divinæ potestatis evecta est, in tantam unitatem ab ipso conceptu Virginis Deitate et humanitate connexa, ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana. Propter quod sicut Dominus majestatis dicitur crucifixus, ita qui ex sempiternitate æqualis est [j] Deo, dicitur exaltatus. Nec interest ex qua Christus substantia nominetur, cum inseparabiliter, manente unitate personæ, idem sit et totus hominis filius propter carnem, et totus Dei Filius propter unam cum Patre Deitatem. Quidquid ergo in tempore ac-

[a] Vindebon. collect. 5 et Vat. collect. 24, cum Sichardo, delent *a terra*.
[b] Codd. collect. 21 addunt *bene*.
[c] Pronomen *se* deest in Vindebon. collect. 5, in Vat. coll. 24, atque Sichardo.
[d] Habentur hæc in serm. 65, c. 1.
[e] Hæc habentur eodem sermone 65, c. 4.
[f] Unus Vat. collect. 21, *exegerit* : alius, *ab ipsis discipulis exegerit*. Mox *ac si* in Vindebon. collect. 5, ac Vat. collect. 24, atque Sichardo.
[g] Codd. collect. 21, *et qui*.
[h] Quesnellus in marg. : Alias, *unionis*.
[i] *Dei Patris* in mss. collect. 21.
[j] Iidem codices, *Deo Patri*.

Digitized by Google

cepit Christus, secundum hominem accepit, cui [a] quæ non habuit conferuntur. Nam secundum potentiam Verbi, indifferenter omnia quæ habet Pater etiam Filius habet, et quæ in forma servi a Patre **1242** accepit, eadem in forma Patris etiam ipse donavit. [b] Est idem ipse et dives et pauper (II *Cor.* VIII, 9). Dives, quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1-3). Pauper vero, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*, 14). Quæ autem est ejus exinanitio, quæve paupertas, nisi formæ servilis acceptio, per quam, Verbi majestate velata, dispensatio humanæ redemptionis impleta est? Nam quia captivitatis nostræ resolvi originalia vincula non poterant [c], nisi existeret homo nostri generis nostræque naturæ, quem veteris debiti præjudicia non tenerent, et qui immaculato sanguine suo chirographum lethale dilueret (*Coloss.* II, 14), sicut ab initio erat divinitus præordinatum [d] ita est in plenitudine præfiniti temporis factum, ut multis modis significata promissio in diu exspectatum veniret effectum; nec posset esse ambiguum quod continuis [e] testificationibus sempor fuerat nuntiatum.

CAP. VIII. — Destructis itaque tot hæresibus, quæ per sanctam devotionem præsidentium Patrum a corpore sunt catholicæ unitatis abscissæ, quæque ideo extorres a Christo esse meruerunt, quia Verbi incarnationem, quæ singularis est recte credentium salus, fecerunt sibi lapidem offensionis et petram scandali (I *Petr.* II, 8); miror dilectionem vestram in discernendo veritatis lumine laborare. Et cum multis manifestationibus declaratum sit quam recte et Nestorium et Eutychen cum Dioscoro fides Christiana damnaverit, nec Christianus possit vocari qui vel illius vel horum impietati præbet assensum, doleo vos evangelicæ et apostolicæ doctrinæ, ut audio, resultare, exagitando seditionibus civitates, conturbando Ecclesias, nec solum injurias, sed etiam cædes presbyteris atque episcopis inferendo: ut præ furore et sævitia, [f] propositi vestri et professionis sitis immemores. Ubi est regula mansuetudinis et quietis? ubi longanimitas patientiæ? ubi tranquillitas pacis? ubi firmamentum dilectionis et tolerantiæ fortitudo? Quæ vos ab Evangelio Christi aut persuasio abduxit, aut persecutio separavit? Vel quæ tanta exstitit decipientis astutia, ut obliti prophetarum et apostolorum, obliti symboli salutaris et confessionis quam pronuntiantes **1243** coram multis testibus, sacramentum baptismi suscepistis, diabolicis vos illusionibus subderetis? Quid apud vos acturæ fuerant ungulæ, quid sæva tormenta, si ad expugnandam fidei vestræ integritatem tantum vana hæreticorum commenta valuerunt? Pro fide vos agere creditis, et fidei contraitis. Ecclesiæ nomine armamini, et contra Ecclesiam dimicatis. Hoccine a prophetis, hoc ab evangelistis, hoc ab apostolis didicistis? ut negantes veram Christi carnem, et ipsam Verbi essentiam passioni mortique subdentes, alienam faciatis nostram a suo reparatore naturam, totumque quod crux intulit, quod lancea vulneravit, quod sepulcri lapis [g] suscepit et reddidit, solum fuisse opus divinæ potentiæ, non etiam humilitatis humanæ? Propter quam Apostolus dicit: *Non enim erubesco Evangelium* (*Rom.* I, 16): quoniam noverat quale Christianis ab inimicis objiceretur opprobrium. Et ideo etiam Dominus protestabatur, dicens: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor illum coram Patre meo* (*Matth.* X, 32). Hi enim non erunt digni confessione Filii et Patris, quibus nunc caro Christi verecundiam facit; probabuntque se nullam de signo crucis sumpsisse virtutem, qui quod præferendum frontibus acceperunt, promere labiis erubescunt.

CAP. IX. — Declinate, filii, ab his diabolicis persuasionibus declinate. Veritatem Dei nulla res violat, sed Veritas nos nisi in nostra carne non salvat. *Veritas* quippe, sicut propheta ait, *de terra orta est* (Ps. LXXXIV, 12); et sic Verbum Maria Virgo concepit, ut uniendam ipsi carnem de sua substantia ministraret, nec cum adjectione personæ, nec cum evacuatione naturæ: quoniam qui erat in forma Dei, ita accepit formam servi, ut unus atque idem in forma utraque sit Christus: inclinante se Deo usque ad infima hominis, et proficiente homine usque ad summa Deitatis, dicente Apostolo: *Quorum Patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen* (*Rom.* IX, 5).

1244 EPISTOLA [h] CXXV.

[i] AD JULIANUM COENSEM EPISCOPUM.

Per comitem Romanum.

De silentio Juliani amice expostulat; de omnibus vult instrui.

LEO episcopus JULIANO episcopo.

i Sæpissime dilectionem tuam ad hanc curam et

[a] Exemplar Sichardi, *quod non habuit confertur.* In epist. 165, c. 8, aliquot codices habent *conferrentur*; alii tamen, *conferuntur.*

[b] Vindebon. collect. 5: *Et idem ipse est et dives*; cui lectioni affinis est Sichardus, qui solum omittit *est.* Concinit epist 165. c. 8.

[c] Vulgati antiqui cum exemplo Sichardi addunt, *et ab hostis imperio relaxari.* Desunt tum in nostris tum in Quesnelli codd., nec non in epist 165, c. 9.

[d] Idem vulgati et Sichardus, non vero codices, addunt, *et prophetarum oraculis prænuntiatum.*

[e] Unus Vat. collect. 21 cum iisdem vulgatis, *significationibus.*

[f] Hæc indicant sermonem esse cum monachis. Quesnellus not. 1 Carosum et Dorotheum duces monachorum intelligit. At hi Constantinopolitani, non vero Palæstini fuerunt. Respicit S. Leo Palæstinos monachos, qui duce Theodosio totam Palæstinam bello et cædibus perturbarunt, ut pluribus narrant Marcianus in epistola Chalcedonensibus gestis subjecta, et Evagrius lib. II c. 5. Confer annot. 1 (*Col.* 1014, *n.* [c]) in epist. 109.

[g] Duo Vat. collect. 21, *suscepit, creditis solum fuisse opus.*

[h] Alias 98. Quæ autem antea 125 erat, nunc 156. Scripta 25 Junii an. 453.

[i] Exstat in mss. collect. 12, 18, 24, ac in exemplo Sichardi.

i Vulgati ante Quesn., *Frequentissime*, et in margine, *Sæpissime.*

Digitized by Google

diligentiam meis sum litteris cohortatus, ut de his quæ circa fidem aguntur sollicitudinem meam indesinenter instrueres. Et cum omnibus occasionibus scribere non quiescam, quibusdam tamen [a] scriptis meis, [b] id est, per filium nostrum subadjuvam Rodanum, domesticum filii nostri, viri illustrissimi Asparacii datis, nullum responsum tuæ fraternitatis accepi; tamquam ratio temporis non habuerit, ut quid post mea scripta sit gestum, potueris indicare. Et ideo per filium meum [c] comitem Rodanum his litteris te saluto; [d] et ut nullam opportunitatem scribendi negligas, quo æstus sollicitudinis meæ relevetur, admoneo. Cum enim in te quamdam mei Constantinopolitani habeant portionem, dignum est et pro communi amicitia, et pro totius Ecclesiæ dilectione, incessabili te vigore prospicere ne quid possit de statu fidei me latere. Quæ ergo [e] per prædictos, vel ad gloriosissimum principem, vel ad tuam dilectionem scripsi, ut celerrime tradantur effectui, opportunis suggestionibus elabora. Et quidquid fuerit, Deo auxiliante, dispositum, scire me facito : ut perductis in effectum his quæ rationabiliter ordinata sunt, pax fidei canonumque custodia et securior ubique habeatur et fortior. Data septimo kalendas Julii, Opilione viro clarissimo consule.

1245 EPISTOLA [f] CXXVI.

[g] AD MARCIANUM AUGUSTUM.

SYNOPSIS. — *Gratias agit pro sedatis Palæstinæ tumultibus, et restituto in suam sedem Juvenali Jerosolymitano; Dioscorum etiam ejusque sequaces Ægyptios perstringens.*

LEO MARCIANO Augusto.

Geminis clementiæ vestræ lætificatus alloquiis, cum debita gratiarum actione [h] rescribo, gaudens de misericordia Dei, qui in virtutibus providentiæ vestræ, et ad utilitatem Romanæ reipublicæ, [i] et ad catholicæ Ecclesiæ pacem, gloriosissimum præsidium collocavit. Unde confido utramque [j] hanc pietatis vestræ saluberrimam curam ita divinitus adjuvandam, ut plena tranquillitas et Christianæ religioni et vestro [k] tribuatur imperio. Quod ergo in provinciis Palæstinis plebes Dei ad unitatem sunt fidei revocatæ, et compressis errantium motibus ad evangelicam apostolicamque doctrinam omnium, ut indicare dignamini, corda directa sunt, quodque fratri et coepiscopo meo Juvenali ad sacerdotii [l] sui sedem tandem licuit, non jam resultante populo, sed desiderante, remeare, vestræ fidei opus, vestræ pietatis est fructus. Pro cujus augmento per omnes Christi Ecclesias concors multiplicatur oratio ut si qua adhuc apud Ægyptum caligo [m] residet, quæ nondum recepit radios veritatis, totius mundi precibus remedia illuminationis accipiat, et exsecrabilis Dioscori ultra contagiis non gravetur; nec in illo Dominicæ oves [n] imprudenti affectu personam diligant pastoralem, quem experti sunt sævissimum **1246** fuisse morum et fidei vastatorem. Et ideo in sancto et mirabili studio suo perseveret vestra clementia, ut si quid usquam aut ægrum invenitur aut turbidum, et sanitati reddatur et paci, quia dignum est ita vos præsidere rebus humanis, ut gaudeatis sacramentis servire divinis. Data quinto idus Januarii, Aetio et Studio viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [o] CXXVII

[p] AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM.

SYNOPSIS. — I. *De restituto Jerosolymitano episcopo, conversis Palæstinis monachis, et receptis Proterii litteris.* — II. *De Paschate anni 455 diligentius in-*

[a] Epist. 117 vel 118.

[b] Sichardi exemplum dolet *id est*. Deia vox *subadjuvam* ex ms. Grimanico a Quesnello addita est; quæ, ut idem in postilla notavit, significat « *satellitem ex eorum ordine qui adjutores adjuvant*. Synesius epist. 144. Vide et Pancirolli Commentarium ad Notitiam imperii c. 16. »

[c] Vulgati cum mss. collect. 12 et 24 atque Sichardo desiderant *comitem*. Quesnellus ex codice Grimanico adjecit. Vide Pancirolum de comitis Officio.

[d] Editi cum iisdem mss., *et ut opportunitatem scribendi non negligas, in quo quæstus sollicitudinis meæ relevatur, admoneo*. Quesnellus ex eodem ms. Grim. emendavit.

[e] Si epistolæ *antea* scriptæ hic indicantur, ut videtur, *per prædictum*, id est per subadjuvam Rodanum legendum est. Nondum enim comes Rodanus cum litteris abierat, et quæ nunc per eumdem ad Julianum scribuntur, nihil peculiare continent quod effectui tradendum esset. Probabilius itaque innuuntur epistolæ 115 ad Marcianum, et 117 ad Julianum, in quibus gravia proposita fuerant quæ ad pacem fidei canonumque custodiam pertinebant; neque enim intelligi possunt epistolæ 121 ad Marcianum, et 122 ad Julianum, cum nihil exhibeant quod ad fidem canonesque referatur. Alias litteræ quæ interciderint significarentur.

[f] Alias 99. Quæ autem antea 126 erat, nunc 157. Scripta 9 Januarii an. 454.

[g] Hanc Quesnellus edidit ex ms. Grimanico collect. 18. Contulimus cum Ratisponensi collect. 19.

[h] Sic Ratisp. Quesnellus ex Grim., *scribo*. Geminæ Marciani litteræ, quibus nunc Leo respondet, desiderantur.

[i] Conjunctionem *et* ex eodem Ratisp. supplevimus.

[j] Ita melius ex nostro codice, quam apud Quesnellum ex Grimanico, *nunc pietatis*.

[k] Verbum *tribuatur*, quod in Grimanico deerat, suppeditavit noster cod. Ratisp. Defectum Quesnellus persensit, unde in margine notavit : « Supple *danda sit*, vel quid simile. »

[l] Ex eodem Ratisp. addidimus *sui*. Hierosolymitanam scilicet sedem, quam paulo post synodum Chalcedonensem Juvenalis ob Palæstinorum monachorum turbas deserere coactus fuerat, iisdem turbis ab imperatore sopitis, ac Theodosio monachorum duce, qui in eam sedem fuerat intrusus, per fugam subducto, repetere eidem episcopo licuit.

[m] Ita noster codex. Quesnellus, *resedit*.

[n] Quesnellus ex Grimanico, *imprudentiæ defectu*. Melius noster Ratisp. Innuitur affectus quo Ægyptii Dioscorum, quantumvis in Chalcedonensi depositum, atque in exsilium pulsum, prosequebantur, adeo ut ad novi episcopi electionem difficile adducti fuerint, et contra Proterium tandem electum non pauci ejusdem Dioscori amore dissensiones excitaverint. Vide Liberatum c. 14, et Evagrium lib. II, c. 5 et seqq.

[o] Alias 100. Quæ autem antea 127 erat, nunc 158. Scripta 9 Januarii an. 454.

[p] Exstat in mss. collect. 12, 18, 19, 24, atque in exemplo Sichardi.

Digitized by Google

quiri cupit. — III. *De epistola sua ad Chalcedonenses episcopos lecta CP. Aetii discussione, et variis epistolis ultro citroque scriptis.*

LEO urbis Romæ episcopus JULIANO episcopo.

CAP. I. — Christianissimi principis fidem sæpe evidentissimis probavimus documentis, ac Deo nostro gratias ago, qui talem dignatus est rebus humanis concedere pro sua pietate rectorem, qui et fidei causas et reipublicæ [a] summa vigilantia tueretur, hæreticorum ausibus semper obsistens, et nihil eorum insaniæ adversum catholicam fidem licere permittens; cujus post Deum beneficiis hoc debetur, quod et Jerosolymitanus episcopus est receptus, et monachos, quos perfidia hæreticæ falsitatis invaserat, ad sanitatem [b] augusta auctoritate revocavit. Mox itaque ut accepi epistolas tuas, talia continentes, non solum eadem die, sed **1247** prope eadem hora responsum reddere maturavi; ut certior de omnibus quæ scripseras reddereris. Fratrem Proterium Alexandrinæ urbis episcopum gratulor plenas satisfactionis de fide sua ad nos litteras direxisse, et [c] manifestius quid teneat indicasse; cui me dignam gratiam necesse est pro fidei ipsius sinceritate præstare, ut honorem in nullo suæ perdat Ecclesiæ, [d] sed sedis suæ privilegia, paternæ antiquitatis exemplo, juxta canonum illibata [e] jura possideat.

CAP. II. — De præsentis anni Pascha [f] nulla dubitatio esse nobis potuit, sed de futuro quæsivimus quod Theophilus Alexandrinæ urbis episcopus, [g] octavo kalendarum Maiarum diei, quod numquam ita a tempore Dominicæ resurrectionis celebratum est, credidit ascribendum. Unde sollicitius congruit hoc requiri, ut omnis occasio tollatur erroris. **1248** Nam in nostris annalibus [h] quintus decimus kalendarum Maiarum dies apertissime a Patribus nostris et constitutus legitur et celebratus. Ac ne vel apud nos vel apud Orientales nascatur ex hac parte diversitas, hoc instantius nostro nomine cum Christianissimo principe agere tua dignetur dilectio : quamvis et ipse clementissimus princeps se inquisitione sollicitissima curam hanc Ægyptiis delegasse, suis epistolis dignatus sit indicare.

CAP. III. — Epistolam sane [i] meam ad Chalcedo-

[a] Editi ante Quesn. cum plerisque posterioris ævi codd., *summæ vigilantiæ studio tueretur*. Lectioni Quesnellianæ Ratisponensis codex suffragatur.

[b] Editi ante Quesn. minus recte, *augusta auctoritas*.

[c] Ita ex Grinan. Quesnellus, et similiter noster Ratisponensis. Alias, *manifeste*. *Manifestius* autem inquit, quia Proterius ad Alexandrinam sedem evectus litteras quidem de fide sua ad Leonem dederat, quibus is respondit, sicut etiam ad ordinatores ejus et clerum, uti colligitur ex epist. 113, c. 3. At cum pleniorem fidei expositionem desiderarit S. pontifex, litteras plenam ejusmodi expositionem continentes se jam accepisse hoc loco significat, quibus sane responsum dedit epist. 129.

[d] Cod. Vat. collect. 12, *et sedis*. In Vat. 541, qui additiones exhibet ex collect. 24, tum *sed*, tum *et* omittuntur.

[e] In cod. Ratisp. deest *jura*. Aliquid autem hic desiderari sensus ostendit; quod cum posteriorum codicum exscriptores deprehendissent, post vocem *illibata* inseruerunt *jura*, cum tamen vox *illibata* prorius referenda videatur, non ad *jura*, sed ad *privilegia*, quæ *juxta canonum* forte *sanctiones* vel *regulas* in Nicæno constitutas, Alexandrinæ Ecclesiæ *illibata* servanda Leo contendit adversus eam prærogativam, quæ cum Alexandrinæ sedis præjudicio in synodo Chalcedonensi Constantinopolitano episcopo tributa fuerat.

[f] Loquitur de Paschate anni 454, quod tum in Laterculo Theophili apud Alexandrinos, tum in Cyclo Romanorum notabatur pridie nonas Aprilis. Vide annot. 14 (*Col.* 1056, *n.* q) in epist. 121.

[g] Sermo est de Paschate anni 455, de quo erat inter Romanos et Alexandrinos quæstio. Vulgati Leonini ante Quesn. perperam habebant *nono*. Vide ejus not. 1, et confer. annot. 15 (*Col.* 1057, *n.* a) in epist. 121, sicut et alias in eam annotationes, quibus sequentia intelligentur. Ex ms. Ratisp. *diei* pro *die* emendavimus.

[h] Erat in editis ante Quesn. ac in inferioris notæ codicibus, *kalendarum Maiarum die aptissime a Patribus*, etc. Raynaudus pro *die* emendavit *dies;* Labbeus vero in margine et Quesnellus in textu suppleverunt *quinto decimo*, retento *die*. Veram lectionem suppeditavit Ratisp. Quod porro ad nomen *annalium* pertinet, in quibus paschales dies signabantur animadvertendum est etiam apud Constantinopolitanam Ecclesiam hujusmodi *annales* exstitisse. Nam cum Hormisda ob dubium diem Paschatis anni 520 interrogasset Joannem episcopum Constantinopolitanum num Orientales in eo cum Occidentalibus concordarent, is respondit tom V Concil. pag. 654 : *Instantis autem Dominicæ passionis numerum, qui vestris continetur litteris, ex repositis apud nos diei paschalis annalibus recte habere significamus*. Idem S. Leo epist. 137, c. 1, loquens de Paschate anni 455, plures ejusmodi annales apud Romanos commemorat scribens : *Cum a passione Domini in omnibus nostris annalibus decimus quintus kalendarum Maiarum dies legatur ascriptus*. Cum de Paschate anni 455 quæstio inter Alexandrinos et Romanos in eo sita esset, quod illi die VIII *kal.* isti vero die XV *kal. Maii* Pascha celebrandum contenderent, Leo in omnibus Latinorum annalibus reperiri quidem tradit Pascha ascriptum diei XV, non vero VIII kal. Maii. *Annalium* autem nomine intelligit tum Cyclos Paschales annorum 84, in quibus Pascha XV kal. Maii assignatum fuerat annis ejusdem Cycli primo, undecimo, vigesimo secundo, etc., et ita quidem celebratum fuerat annis 382, 393, 404, etc., qui memoratis Cycli annis respondent, tum alia ecclesiastica Latina monumenta, in quibus paschales item dies quovis anno celebrati notari solebant : nullibi autem descriptus reperiebatur dies VIII kal. Maii. *Annalium* scilicet nomen latius pro quibusvis publicis actis sumptum liquet ex synodo Romana Bonifacii II anni 531, in qua post lectum supplicem libellum Stephani Larissæ episcopi pontifex dixit : *Quæ lecta sunt ecclesiasticis indantur annalibus;* et ex L. 65, de Appellat. Cod. Theod. lib. II, tit. 30 : *Appellatio litigantium... nectatur annalibus*. Porro vox *constitutus* convenire videtur Cyclis annorum 84, in quibus jamdiu ante ascribi solebat paschalis dies quovis Cycli anno celebranda, ut videre est in veteri *Cyclo* 84 *annorum* apud Muratorium tom. III Anecdot. Latinorum; et hos quidem Cyclos S. Leo commemorans epist. 88, ad Paschasinum, c. 4, ait : *In nostris autem paschalibus cyclis* XV *kal. Maias ejus anni* (455) *Pascha* CELEBRANDUM *esse sit scriptum*. Vox autem *celebratus* ecclesiastica gesta videtur respicere, quibus Pascha ita sane celebratum notabatur, ut in laudatis Cyclis præstitutum fuerat.

[i] Est epistola 114, et ex ea solum lectum fuit capitulum primum, quo decretis synodi in negotio fidei

Digitized by Google

nensem synodum datam præsentibus episcopis et clericis lectam fuisse tuis epistolis retulisti; sed usque ad illud capitulum, quo ea quæ de fide acta sunt meus videtur firmasse consensus. Unde miratus sum quod reliqua quæ secuta fuerunt non pariter in notitiam eorum quibus sunt lecta prolata sint; cum maxime omnibus **1249** innotescere debuisset, [a] improbum a nobis ambitum notatum fuisse, et novis usurpationibus obviatum: ut vetustas, quæ est canonibus constituta, inviolata, ut semper scripsimus, servaretur. Aetium [b] vero presbyterum, quem asseris fuisse discussum, gratulamur, cognitione habita, in omnibus fuisse purgatum. [c] Epistolam quoque ad Christianissimum principem noveris me misisse, in qua illi gratias egi, quia curam mihi suam, tam pro fidei causa quam pro securitate reipublicæ dignatus est indicare. Aliam quoque ad nos epistolam dedit, interveniens pro Anatolio episcopo, ut nostri illi animi gratia præbeatur, quoniam correctionem ejus promittit, et in omnibus se satisfacturum esse quæ ad fidei observantiam pertinent pollicetur. Data quinto idus Januarii, Aetio et Studio viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [d] CXXVIII.

[e] AD MARCIANUM AUGUSTUM.

SYNOPSIS. — *Laudata principis fide ac religione testatur se libenter Anatolium in gratiam suam recepturum, modo satisfaciat canonibus, et sacerdotum jura non convellat.*

LEO MARCIANO AUGUSTO.

Si quantum vestra clementia pro evangelicæ fidei integritate sollicita est, tantum Constantinopolitanæ urbis episcopus in custodiendis ecclesiasticis regulis vellet esse devotus, omnia compressis dissensionum scandalis ad statum proprium jam rediissent, nec quidquam sibi, vobis in imperio constitutis, qui omnia justa defenditis, et erroribus obviatis, eorum adhuc pravitas vindicaret, qui curationem sibi non patiuntur adhiberi. Sed vestræ mansuetudini hæc palma pontificius assensus accedebat; non vero capitulum alterum, quo adversus Constantinopolitani episcopi prærogativam in Chalcedonensi constitutam S. Leo, Nicænorum observantiam inculcans, restitit. Integra tamen Græce reddita fuit, et aliquando vulgata; unde illius interpretationem ex Vat. codice Græco edidimus.

[a] Ita Ratisp. cum Grimanico concinens Quesnellianæ emendationi suffragatur; cum in editis erronee legeretur: *Innotescere debuisset, improbum a vobis ambitum notatum fuisse, ne novis usurpationibus constituta, inviolata (ut semper scripsimus) servarentur.*

[b] Particulam *vero* ex Ratisp. adjecimus.

[c] Epist. 126.

[d] Alias 101. Quæ autem antea 128 erat, nunc 163.

A servatur, ut vobis omnium, qui ad Christum Dominum nostrum per catholicam fidem **1250** revocantur aut redeunt, sanitas debeatur. Sicut itaque gloriamur in vobis, ita contristamur in eos quibus carnali æmulatione præoccupatis vos pro statu Ecclesiarum et pace omnium sacerdotum, spiritu tam Christiano quam regio in tantum videmus esse sollicitos, ut interventionum vestrarum pro his quos deviare cognoscitis commodetis [f] adhortando me vestris [g] epistolis, ut coepiscopo meo Anatolio animi mei gratiam fraterna charitate restituam, quam illi et amabiliter, ut meministis, impendi, et præbere semper opto; si tamen, ut hortatus ante sum, ab ea quæ illum [h] prægravavit ambitione desciscceret, et [i] eos qui ipsum obfuscabant in suo consortio non B haberet. Sed ad epistolas meas pia affectione transmissas hactenus respondere nihil voluit, et cum de persona Aetii, [j] vel Andreæ, qui illi fuerat substitutus, ea secuta sint quæ debeant improbari, non otiosum est quod de his quæ maxime fuerant curanda reticetur. Præceptioni itaque pietatis vestræ parere volueram, et litteras dare ad episcopum supradictum, si priores, quas ad illum direxi, vel effectu rerum, vel scriptis ipsius proficere aliquid probavissem. At cum nihil de ambitionis pœnitudine voluerit profiteri, nihilque ad hæc respondere quæ a me sunt scripta curaverit, colloquia quidem mea ab illo suspendi, sed animum, quo illum corrigi et meliorem esse desidero, non mutavi. Proinde, si placet vestræ clementiæ, immo, quia id vobis placere cognosco, C satisfaciat canonibus, et omnium gratiam sacerdotum pacifica humilitate servaturum se esse rescribat, ambitumque culpabilem se abjecisse significet; ego me illum in eam gratiam spondeo recepturum, ut in omnibus quæ sunt Domino placitura consortium ejus amplectar: quoniam illa pax vera, illa charitas erit firma, in qua simul studebimus et catholicam fidem et Nicænorum canonum decreta servare. Data septimo idus Martii, Aetio et Studio viris clarissimis consulibus.

Scripta 9 Martii an. 454.

[e] In solo codice Grimanico collect. 18 hactenus inventa et a Quesnello edita fuit.

[f] Quesnellus in margine: Suipple, *favorem*, vel quid simile.

[g] Has Marciani litteras Leo jam acceperat v idus D Januarii, ut patet ex epistola præcedenti cap. 3.

[h] Correximus ex ms. Grim. cujus apographum P. Cacciarius adhibuit.

[i] Confer epist. 111, c. 3.

[j] Quesnellus, *et Andreæ*. Lectionem Grimanici codicis, ex quo hæc epistola edita fuit, a P. Cacciario notatam prætulimus: ubi *vel* pro *et* usurpatur, ut aliis exemplis Leonis animadvertimus not. 5 (*Col.* 886, *n.* 6) in epist. 67.

ADMONITIO IN TRES EPISTOLAS SEQUENTES.

1. Cur in edendis tribus sequentibus epistolis alium a Quesnelliano ordinem secuti simus, paucis dicendum est. Quesnellus primum ediderat epistolam hac in editione 131 ad Julianum cum data VII *idus Martii;* tum epist. 129, ad Proterium, cum data VI *idus;* ac tandem post insertam Proterii epistolam 133, ad Leonem, subjecit epist. 130, ad Marcianum, cum data V *idus* ejusdem mensis, rejecto in marginem VI *idus*. Hæ datæ diversæ hunc ordinem exigebant. At cum in epist. 131, ad Julianum, c. 1, S. pontifex testetur se ad ipsum

Digitized by Google

mittere exempla litterarum quas *ad clementissimum imperatorem vel ad ipsum Alexandrinæ urbis episcopum* (id est Proterium) *direxerat*, quibus duas ad Marcianum et Proterium traditas epistolas respicit, hæ jam scriptæ noscuntur antequam ad Julianum litteras exararet, ac proinde chronicarum notationum quas Quesnellus prætulit manifestus error agnoscitur, quo ad eum ordinem statuendum adductus fuit. Melius igitur ex nostro Ratisponensi notas chronicas emendavimus, ex quibus colligitur omnes has epistolas eodem die VI *idus Martias* signatas fuisse.

2. Quoad ordinem vero, cum ex laudato testimonio epistolæ 131 liquet S. pontificem scripsisse litteras ad Marcianum et Proterium antequam ad Julianum scriberet, tum vero ex initio cap. 2 epistolæ 130, ad Marcianum, ubi Leo se Proterio rescripsisse testatur, palam fit litteras ad Proterium epistolæ ad Marcianum præcessisse. Itaque licet omnes hæ epistolæ eodem die notentur, ex ipsarum tamen contextu Leo scripsit primum ad Proterium, dein ad Marcianum, ac tandem ad Julianum, et hunc ordinem in editione servabimus.

1253 EPISTOLA [a] CXXIX.

[b] AD PROTERIUM EPISCOPUM ALEXANDRINUM.

SYNOPSIS. — I. *Episcoporum esse vigilare ne fidei unitas violetur, quod vel litterulæ immutatione fieri potest.* — II. *Ex traditione SS. PP. et suam epistolam catholicam, et docendos esse populos, asserit.* — III. *Fidem, disciplinam et privilegia Ecclesiarum ex norma vetustatis esse servanda.*

LEO PROTERIO episcopo Alexandrino.

CAP. I. — Lætificaverunt me [c] litteræ dilectionis tuæ, quas frater et coepiscopus noster [d] Nestorius pio apportavit officio. Oportebat enim ut ab Alexandrinæ Ecclesiæ præsule talia scripta ad sedem apostolicam mitterentur, quæ ostenderent magisterio beatissimi Petri apostoli hoc ab initio per beatum Marcum ejus discipulum didicisse Ægyptios, quod constat credidisse Romanos [e] : quoniam præter Dominum Jesum Christum *non est aliud nomen datum hominibus sub cœlo, in quo oporteat* [f] *nos salvos fieri* (*Act.* IV, 12). Sed quia non omnium est fides, et insidiosus ille tentator nullis magis corda hominum gaudet sauciare vulneribus, quam ut incautas mentes his inficiat erroribus, qui sint evangelicæ veritatis inimici, magna sancti Spiritus eruditione nitendum est ut diabolicis falsitatibus nequeat intelligentia Christiana violari. Contra quod periculum præcipue convenit vigilare Ecclesiarum rectores, et quadam verisimilitudine colorata [g] mendacia ab animis simplicis plebis avertere. *Angusta enim et ardua via est quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 14). Nec tantum laqueorum in actionum observantia, quantum inter discrimina sensuum latet, **1254** dum vis sententiarum brevissima adjectione aut commutatione corrumpitur et confessio, quæ operabatur salutem, subtili nonnumquam transitu vergit in mortem. Cum autem dicat Apostolus : *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis* (I *Cor.* XI, 19), ad totius Ecclesiæ tendit profectum, quoties contrariorum sensuum se prodit impietas, ne quæ sunt noxia sint occulta et aliorum lædant incolumitatem, quæ revocari non poterunt ad salutem. Unde sibi imputent ruinas et obcæcationes suas, qui imprudenti pertinacia jacere in reatu suo, quam oblatum remedium sumere, maluerunt. Quorum merito fraternitati tuæ displicet obduratio, et laudabiliter eam doctrinam, quæ a beatis apostolis et sanctis Patribus in nos manavit, amplecteris.

CAP. II. — Non enim novæ prædicationis est epistola mea, qua ad relationem sanctæ memoriæ Flaviani contra Eutychen de Domini nostri Jesu Christi incarnatione respondi, in nullo discedens ab ejus fidei regula, quæ evidenter a nostris vestrisque est defensa majoribus. Quos si Dioscorus sequi imitarique voluisset, in Christi corpore permaneret, habens et in beatæ memoriæ Athanasii opusculis unde instrueretur, et in sanctæ recordationis Theophili et Cyrilli sermonibus, unde damnato olim dogmati laudabiliter contrairet, potius quam consortium Eutychianæ impietatis eligeret. Hoc igitur, frater charissime, pro sollicitudine fidei communis admoneo, ut quia [h] inimici crucis Christi omnibus et verbis nostris insidiantur et syllabis, nullam illis vel tenuem occasionem demus, qua Nestoriano nos sensui congruere mentiantur. Plebem autem et clerum, omnemque fraternitatem ita debet diligentia tua ad profectum fidei cohortari, ut nihil te novum docere demonstres, sed ea omnium insinuare pectoribus quæ venerandæ memoriæ Patres consona prædicatione docuerunt, cum quibus nostra in omnibus concordat epistola. Hoc autem non solum tuis verbis,

[a] Alias 103. Quæ autem antea 129 erat, nunc 159. Scripta 10 Martii an. 454.

[b] Hanc epistolam ex cod. Grimanico a Quesnello editam in Ratisponensi invenimus, ac ex eo emendavimus.

[c] Hujus epistolæ fragmentum Beda inseruit cap. 42, de Ratione temporum; at erravit existimans Leonem hac epistola respondisse Proterii litteris de Paschate, quas Leo posterius accepit, ut patebit ex epist. 137. Vide Quesnelli not. 1. Hæc autem reddita fuit aliis anterioribus Proterii litteris, quæ desiderantur. Primum is ad pontificem scripserat de sua fide, cum ad Alexandrinam cathedram evectus fuit, et huic epistolæ ille rescripsit, nec non ad ordinatores ejus et plebem, ut indicatur epist. 113, cap. 3. Pleniorem vero fidei declarationem ab eodem Leo desideravit, uti significatur epist. 127, c. 1. Huic autem pleniori declarationi nunc respondet.

[d] Apud Bedam *Nectarius*, male. Nestorius etiam vocatur in codice Ratisp., et fuit unus ex illis quatuor Ægyptiis qui Dioscorum deseruere et Proterii ordinationi interfuerunt. Vide Liberatum cap. 14.

[e] Initium hujus epistolæ ad hæc usque verba refert Beda lib. de Ratione Temporum c. 42.

[f] Addidimus nos ex ms. Ratisp.

[g] Eutychianorum dolum perstringit, quo *omnibus et verbis insidiantes et syllabis* epistolæ 28, ad Flavianum, eam *Nestoriano sensui congruere mentiebantur*, uti traditur cap. 2, et apertius epistola sequenti c. 3 : *Quorumdam hæreticorum versuta nequitia ad conturbandam nostrorum simplicitatem, epistolam meam.... falsasse perhibetur, ut commutatis quibusdam verbis vel syllabis receptorem me Nestoriani erroris assereret.* Hinc paulo post sententiarum vim neque adjectione neque commutatione corrumpendam monet.

[h] Hæc usque ad seq. periodum habet S. Thomas 2-2, qu. 11, art. 2, ad 2.

Digitized by Google

sed et ipsa præcedentium [a] expositionum recitatione **1255** monstrandum est : ut plebs Dei noverit ea sibi præsenti doctrina insinuari, quæ Patres et acceperunt a præcedentibus suis, et posteris tradiderunt. Unde [b] lectis primitus prædictorum sacerdotum assertionibus, tunc demum mea quoque scripta recitentur : ut aures fidelium probent non aliud nos quam quod a majoribus [c] accepimus prædicare. Et quia ad hæc discernenda minus exercitatos habent sensus, ex Patrum saltem litteris discant quam antiquum hoc malum sit, quod nunc [d] a nobis tam in Nestorio quam in Eutyche, qui erubuerunt Evangelium Christi secundum ipsius Domini doctrinam prædicare, damnatur.

Cap. III. — Per omnia igitur et in fidei regula, et in observantia disciplinæ, vetustatis norma servetur, et dilectio tua constantiam providi rectoris exerceat; ut prosit Alexandrinæ Ecclesiæ, quod improbæ quorumdam ambitioni, servato [e] veterum privilegiorum jure, sollicitus obviavi, et [f] metropolitanis omnibus illæsam manere volui dignitatem, sicut [g] ex epistolarum mearum, quas ad sanctam synodum, vel ad Christianissimum principem, sive ad Constantinopolitanum episcopum misi, tenore cognosces; manifesteque perspicies hoc speciale esse sollicitudinis meæ, ut neque a fidei regula in Ecclesiis Domini devietur, neque in privilegiis aliquid cujusquam improbitate minuatur. Quæ cum ita sint, teneat fraternitas tua suorum consuetudinem decessorum, et comprovinciales suos episcopos, qui Alexandrinæ sedi [h] ex antiqua constitutione subjecti sunt, congrua sibi auctoritate contineat : ut mori ecclesiastico non resultent, sed vel statutis temporibus, vel cum ratio causæ alicujus exegerit, ad charitatem tuam [i] convenire non differant; et si quid, quod Ecclesiæ sit utilitatibus profuturum, ex communi collatione tractandum est, collecta in unum fraternitate unanimiter ordinetur. Non enim ulla causa est quæ illos ab hac obedientia debeat revocare, **1256** cum talis nobis et fide et moribus innotuerit fraternitas tua, ut tibi de auctoritate præcedentium decessorum tuorum nihil patiamur imminui, aut te impune contemni. Data sexto idus Martii, Aetio et Studio viris clarissimis coss.

EPISTOLA [j] CXXX.

[k] AD MARCIANUM AUGUSTUM.

[1] Synopsis. — I. *De fide Proterii Alexandrini episcopi gratulatur.* — II. *Alexandrinos ex suæ Ecclesiæ traditione ab illo esse edocendos.* — III. *Ut epistola Leonis ad Flavianum ab hæreticis falsata in Græcum transferatur de novo, et Alexandrinis publice recitetur.*

Leo episcopus Marciano Augusto.

Cap. I. — Puritatem fidei Christianæ, qua clementia vestra præfulget, etiam his litteris quas frater et coepiscopus meus [m] Nestorius detulit, demonstrastis, justissimum fratri meo Proterio Alexandrinæ urbis antistiti impendentes favorem, quo mihi per omnia esset acceptior. Nam cui vestra pietas testimonium [n] perhibere dignatur, indubitanter esset probandus, etiamsi taceret. Sed accedit ad gratiam, quod proprio quoque sermone [o] cognoscitur, et quam sincerus sit catholici dogmatis prædicator, ipsius professione clarescit. Unde plenissimo affectu dilectionem orthodoxi fratris amplector, et Deo gratias ago, quod [p] amoto eo qui Evangelio Christi voluit contraire, et a sanctorum Patrum intelligentia dissidere, [q] talem prospexit Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotem, qui præcedentibus rectoribus et fide concordaret et vita. Nam cum **1257** amplecti se epistolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flavianum contra Eutychen [r] impium misi, toto corde profitetur, quid aliud quam apostolorum se ostendit [s] esse discipulum? Quoniam doctrina veritatis in lumine suo permanet, et non potest esse diversum, quod unum est [t] atque individuum.

[a] Quesnellus, *expositione et recitatione.* Ratisponensis lectionem prætulimus. *Præcedentes expositiones*, Patrum paulo ante memoratorum, qui Alexandrinam sedem obtinuerunt, testimonia significant, quæ quidem aliquanto post in Ecclesia legi jubet; quod item repetit ep stola sequenti, cap. 3.

[b] Vide not. Quesnelli.

[c] Sic ms. Ratisp. Quesnellus, *accipimus.*

[d] Ratisp. delet *a nobis*, sed postea habet *damnavimus.*

[e] Quesnellus, *verorum.* Ex Ratisp. emendavimus.

[f] Metropolitanorum nomine ipsum Alexandrinæ Ecclesiæ episcopum comprehendit, et videtur respicere Nicænum canonem sextum, in quo sola metropolitanorum nuncupatio legitur. Hinc etiam totius Ægypti episcopos paulo post *comprovinciales* vocat, eo quod pro una provincia tota Ægyptus haberetur.

[g] Quesnellus, *et epistolarum.* Correctionem suppeditavit codex Ratisp., qui mox omittit *mearum.* Dein vero habet, *sed et Constantinopolitanum*, ac postea, *sollicitudini meæ, ut neque a fide in Ecclesiis Domini*, etc.

[h] Propositionem *ex* idem codex Ratisp. suggessit.

[i] Ita ex eodem codice. Alias, *venire.*

[j] Alias 104. Quæ autem antea 130 erat, nunc 160. Scripta 10 Martii an. 454.

[k] Exstat in mss. collect. Ilisp., Isid. 11, 12, 18, 19 et 21 usque ad 24, ac in exemplo Sichardi.

[l] In Ilisp. hic titulus legitur : I. *De Proterio Alexandrino episcopo, ut priorum suorum decreta conservet.* II. *Ubi postulat imperatorem ut epistolam quam ad Flavianum Constantinopolitanum miserat in Græco translatam Alexandrinæ Ecclesiæ destinet.*

[m] Vulg. antiqui cum mss. collect. 24 et Sichardo perperam, *Nestorianus.* Confer annot. 3 (*Col.* 1075, *n.* [d]) in epist. præcedentem.

[n] Ms. Ratisp., *præbere.* Mox *probatus* in mss. Vat. collect. Hisp. et Isid. 11 et 21.

[o] Editi anteriores Quesn. cum mss. collect. 11 et 21, *cognoscatur*, et dein *clarescat.* Postea *Inde* pro *Unde* in Ratisp.

[p] Cod. Grim., *damnato.* Dein *dissentire* pro *dissidere* in antiquis Vulg. cum mss. collect. 24 et Sichardo.

[q] Codd. Vat. Hisp., Isid., et collect. 11 et 21, *alterum prospexit*; et dein *amplexus esset epistolam meam.*

[r] Iidem codices, *quæ cum impium in toto corde profitetur, misi, quid aliud*, etc.

[s] Verbum *esse* ignorant veteres editiones, et codd. Ratisp. Vat. collect. 24 atque Sichardus.

[t] Vulg. ante Quesn. cum Vind. bon. Ilisp., Ratisp.

Digitized by Google

Cap. II. — Rescripsi itaque prædicto fratri quod debui, atque [a] in sancto studio ut perseveraret admonui. Qui sine dubio constantior erit, si etiam clementiæ vestræ cohortationibus adjuvetur. Nec in aliquo eum terreat quorumdam imperita dissensio, quos paucorum hæreticorum instigationibus ignorantia [b] facit obnoxios. Quod ergo sua [c] diligentia assequi nequeunt, opportune eorum insinuetur auditui. Et ne memoratus nova inferre, et propria videatur astruere, venerabilium Patrum qui eidem Ecclesiæ præfuerunt, scripta [d] relegantur; et quid B. Athanasius, quid Theophilus, quid Cyrillus, quid etiam [e] alii Orientales magistri de incarnatione Domini senserint, recognoscant; [f] nec repullulantibus decipiantur erroribus, qui olim evangelici sermonis sunt virtute prostrati : quoniam omnes fere hæreses quæ diversis temporibus exstiterunt, dum sacramentum corporeæ nativitatis et passionis ac resurrectionis Christi non intelligunt, ab Evangelio deviarunt. Et **1258** [g] possemus minus laborare in hæreticis repellendis, si rudes animos [h] ea non turbarent mendacia quæ peremit antiquitas. Sed nunc, ut dixi, hic docendi optimus modus est, ut paternorum sensuum [i] lineæ Alexandrinæ plebis et cleri auribus innotescant; ac si qui sunt qui nostra scripta despiciant, illis saltem qui nobiscum apostolicis sensibus consentiunt acquiescant. In quo opere multum consacerdotis [j] mei devotione gaudebo, et semper ipsius unanimitate lætabor : quia fraterna pax non nisi [k] in una fidei confessione servatur.

Cap. III. — Quia vero quorumdam hæreticorum versuta nequitia ad conturbandam [l] nostrorum simplicitatem, epistolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flavianum dedi, falsasse perhibetur, ut commutatis quibusdam [m] verbis vel syllabis, receptorem me Nestoriani erroris assereret : obsecro venerabilem clementiam vestram ut eamdem epistolam per fratrem meum Julianum episcopum, vel eos quos idoneos ad hoc opus pietas vestra delegerit, in Græcum sermonem jubeatis integre diligenterque translatam, per idoneum [n] perlatorem sub vestri signaculi impressione deferri, tradendam judicibus Alexandrinis, qui eam clero et plebi ipsius civitatis cum prædictorum episcoporum prædicationibus, [o] quibus et mea scripta consentiunt, faciant recitari, ut **1259** agnoscant se fallacium hominum fraude ulterius decipi non debere; [p] et probentur apostolicæ sedis sinceri esse discipuli, apud quam nec Eutyches nec Nestorius ullum obtinent locum, quia sicut alios hæreticos, ita et istos Ecclesia universalis damnavit. Data [q] sexto idus Martii; Aetio et Studio viris clarissimis consulibus.

et mss. collect. 24 ac Sichardo, *atque divinum*. Emendationem Quesnelli ex Grim. et Barber. collect. 11 inductam confirmant cæteri nostri codices.

[a] Mss. Vat. Hisp. et Isid., *ut in sancto studio perseveret*. Ratisp., *utque in sancto studio perseveraret*.

[b] Al., *fecit* in mss. collect. 21.

[c] Vulgati antiqui cum mss. Vat. Hisp., Isid. et aliis inde proficiscentibus, *negligentia*. Mss. vero Grim., Ratisp., Vindebon., Hisp. et Vat. collect. 24 cum Sichardo, *diligentia*.

[d] Vat. Hisp., Isid. et alius collect. 11, *legantur*. Ex hoc Leonis testimonio profecisse videtur imperator Marcianus, cum in epistola ad monachos Alexandrinos edita tom. IV Concilior. Ven. editionis pag. 1794, nec non in lege ad Palladium præfectum prætorio pro Ægyptiis præcipue data anno 455, pag. 1832, Athanasii, Theophili ac Cyrilli doctrinæ Chalcedonensem fidem cohærentem pronuntiavit.

[e] Adjecimus *alii* ex Ratisp. utrisque Hisp., Vat., Isid. et alio collect. 11. Quesnellus in postilla explicat, *id est, antistites Antiocheni Orientalis diœcesis primates, vel episcopi ex eadem diœcesi, qualis Theodoretus*. Sed *Orientalium* nomen hic late, non autem stricte sumi de solis episcopis Antiochenis, vel Antiocheno subjectis colligi potest ex epist. 119, c. 2, in quam vide annot. 10 (*Col.* 1042, *n.* [k]). Enimvero inter testimonia Patrum subjecta epistolæ 165 ad Leonem Augustum, præter tres laudatos Alexandrinos antistites ex Orientalibus laudat tantum Joannem Chrysostomum, Basilium et Gregorium Nazianzenum, quorum nemo ad Antiochenam diœcesim pertinet.

[f] Vat. Hisp., Isid. et alius collect. 11, *ne repullulantibus*.

[g] Iidem codices, *possent*. Mss. Vat. collect. 24 cum Sichardo et Merlino, *possumus*. Duo Vatt. collect. 21, *possunt*.

[h] Ita utrique Hisp. cum Isid., Ratisp. et Vat. collect. 11; alias, *ipsa*. Paulo post *nunc* deest in Vat. Hisp., Isid. et alio Vat. collect. 11.

[i] Vulg., *linea..... innotescat*. Prætulimus lectionem ms. Ratisp. Mox pro *cleri* utrique codd. Hisp. cum Isid. et mss. collect. 11 et 21 habent *clericorum*.

[j] Vat. Hisp., Isid. et mss. collect. 11 et 21, *nostri*.

[k] Particulam *in* ex Ratisponensi addidimus.

[l] Sic ex optimo Ratisp. Accedit Vindebon. Hisp., in quo *nostræ*. Hunc errorem emendavit studiosus librarius collectionis Hispanicæ originis Gallicanæ, qui substituit ex arbitrio *sanctorum*, ut legitur in Vat. Hisp., in Isid. ac in mss. collect. 11 et 21. Vulgati ex mss. collect. 12 et 24, cum Sichardo, *aliorum*. Leo *nostrorum* nomine catholicos intelligit. Quod porro de falsata suæ ad Flavianum epistolæ 28 Græca versione hoc loco indicat, confer cum iis quæ dicentur annot. 6 (*Col.* 1123, *n.* [b]) in epist. 152, ac præsertim observationem tertiam in dissert. I Quesnelli ad annum 454.

[m] Editi cum Vat. collect. 24, *litteris vel syllabis*. Prætulimus veteres libros Ratisp., utrumque Hisp. et codd. collect. 11, 12 ac 21, cum Binio. Mox *Nestorianæ hæresis asserant* in mss. Vat. Hisp., Isid. et collect. 11. ac 21. Ratisp. et Vat. collect. 24, *assererent*.

[n] Alias, *latorem*.

[o] Vulgati antiqui cum mss. collect. 24, *qui et meo scripto consentiunt*. Quesnelli lectionem ex Grimanico cæteri nostri codices approbant. Solum ex Ratisp. addidimus *et* a Quesnello omissum.

[p] Hanc veterum editionum lectionem confirmant nostri codices Ratisp., Vat. collect. 12 et 24, atque exemplum Sichardi. Huc accedit Vindebon. Hisp., in quo pro *sinceri esse* erronee scriptum est *sinceritate*; qui error emendatus fuit in Vat. Hisp., Isid. et cæteris ejusdem originis, *sine errore*. Quesnellus ex solo Grim., *et probetur apostolicæ sedis sinceritas, apud quam*, etc. Quod autem notavit in postilla, vulgatam lectionem *sensui repugnare*, verum est si hæc sententia regi credatur particula *ut*, non vero si conjungatur cum antecedenti sententia, *faciant recitari..... et probentur apostolicæ sedis sinceri esse discipuli*, dum ejusdem sedis fidem sequentur. Hanc peculiarem Alexandrinæ Ecclesiæ prærogativam Leo fusius exponit epist. 9 in exordio.

[q] Ita omnes nostri codd. et Sichardus ac Binius. Quesnellus cum aliis vulgatis, *v idus*, et in margine : Alias, VI

Digitized by Google

EPISTOLA [a] CXXXI.

[b] AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM.

SYNOPSIS. — I. *Julianum de receptis Proterii Alex. litteris monet; suam ad Flavianum epistolam ex Latino in Græcum ab eodem transferri cupit ac mandat, quam sub signaculo Augusti missam Alexandrinæ plebi in Ecclesia recitari vult.* — II. *De Paschate sequentis anni ut rescribatur.*

LEO JULIANO episcopo.

CAP. I. — Sumptis fratris et coepiscopi nostri Proterii Alexandrini antistitis litteris indubitanter agnovi catholicæ eum studere doctrinæ, et recto corde hæreticis obviare : ut merito sperare possimus eum Ecclesiæ **1260** cui præsidet, et exemplo morum, et insinuatione fidei profuturum. Sed quia non parum ipsi laboris Eutychianorum factionibus excitatur, qui epistolam meam ad beatæ memoriæ Flavianum datam, fallaci interpretatione corruptam simplicibus quibusque aut indoctis ita dicuntur ingerere, ut quædam loca Nestoriano congruere videantur errori : ut hæc malignitas non possit de conturbatione fidelium gloriari, hoc fraternitati tuæ laboris injungo, ut eamdem epistolam meam, quam in omnibus apostolicæ concordare doctrinæ consonantia majorum exempla testantur, diligenti interpretatione ex Latino in Græcum transferre digneris, quam gloriosissimus et fidelissimus princeps ad Alexandrinos judices, sicut [c] poposci, sub signaculi sui impressione transmittat, Christianæ plebi in Ecclesia recitandam, cum prædicationibus sanctorum virorum qui ipsi Ecclesiæ præfuerunt : quo facilius hi qui [d] ignoranter fluctuare dicuntur, veritate comperta, pravis persuasionibus in errorem ulterius non trahantur. Ne autem fraternitatem tuam aliquid præteriret, qualia ad clementissimum imperatorem vel ad ipsum Alexandrinæ urbis episcopum scripta direxerim, subdita huic epistolæ exempla monstrabunt.

CAP. II. — De futuro Paschate, ut sæpe jam scripsi, esto sollicitus, et clementissimo principi meo nomine opportunius intimato, ut quid sibi rescriptum sit faciat certiorem, quoniam imminent dies ut nosse possimus quem diem Formatis ascribere debeamus, et omnium ex hac parte suspicio evidentius possit absolvi. [e] Data VI idus Martii, Aetio et Studio viris clarissimis consulibus.

1261 EPISTOLA [f] CXXXII.

[g] ANATOLII EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI AD LEONEM PAPAM.

SYNOPSIS. — I. *De intermisso litterarum commercio amice conqueritur. Debitam pontifici obedientiam ostendit.* — II. *Aetium restitutum esse, Andream vero depositum scribit.* — III. *Litteris sancti pontificis recreari peroptat.* — IV. *Ambitionis culpam a se amolitur, eamque in cleri sui episcoporumque Orientalium studium refundit. Gestorum Chalcedonensium confirmatio pontificiæ auctoritati reservata traditur.*

Sanctissimo ac beatissimo coepiscopo papæ LEONI ANATOLIUS in Domino salutem.

CAP. I. — Omne quidem solatium prorsus atque auxilium quod vitæ laboriosæ curisque vallatæ ratio flagitaret, in vestra positum sperans esse beatitudine, totius sarcinam mihi sollicitudinis inde merito leviorem fore credideram; nunc vero cunctis **1262** aliis acrior me pressit anxietas, quam [h] diutina peperit vestræ non solita sanctitatis intermissio litterarum, maxime cum mihi, quæ scriptæ essent a vobis aliis, ostenderentur epistolæ, quæ [i] majus facerent doloris augmentum, qui frequentius cuperem potiri vestris affatibus : ut illa vobis obediendo complerem, quæ vestris omnifariam perfectissimis sensibus placita videbantur. Nam penitus absit ut eis ego quæcumque mihi fuissent mandata per litteras adversarer. Quia tamen piissimus et Christianissimus princeps, qui consultissimæ suæ providentiæ bono tam res universas regit humanas, quam philosophia divina-

[a] Alias 102. Quæ autem antea 131 erat, nunc 161. Scripta 10 Mart. an. 454.

[b] Ex Grimanico codice editam cum Ratisponensi relegimus.

[c] Epist. 130.

[d] Ratisp. omittit *ignoranter*.

[e] Ita ex eodem Ratisp., ut in duabus epistolis præcedentibus. Quesnellus ex Grimanico, VII *idus*.

[f] Alias post. epist. 105. Quæ autem antea 132 erat, nunc 162. Scripta circa April. an. 454.

[g] Est in una collectione 16 Thessalonicensi. Contulimus cum cod. Barber, 3336, ex quo illam Holstenius edidit. Ante eum vero eamdem ediderat Allatius in Concordia Ecclesiæ Occident. ex codice Vaticano, quem frustra quæsivimus. Quoad tempus, dum Leo die 8 Martii anni præsentis 454 scripsit epistolam 128, nondum has quas exspectabat ab Anatolio litteras acceperat; ibidemque idcirco ab imperatore petiit, efficeret ut idem episcopus ea rescriberet quæ his litteris continentur. Id Marcianus præstitit, ut liquet ex cap. 1 epistolæ præsentis. Leo autem epist. 136, data die 29 Maii, cap. 1, se hanc Anatolii epistolam *nunc* accepisse testatur una cum ejusdem imperatoris litteris; unde utrisque statim respondit epist. 135 et 136. Ut autem congruum tempus detur transmissioni litterarum ac responsioni, hanc epistolam Anatolii post Martium et ante Maium exaratam, seu circa Aprilem collocamus. Cum porro in fine dicatur, *Et subscriptio litteris Græcis*, hic proculdubio indicatur autographa ipsius Anatolii subscriptio, qui cum Latinam scripturam ignoraret, Græcis litteris usus est. Hinc etiam significatur, exemplum hujus epistolæ ad Leonem transmissum, fuisse scriptum Latine, et solam Anatolii subscriptionem Græcam fuisse. Anatolium quidem Græce lucubrasse hanc epistolam, sicut Græce scripsit epistolam 101 quam nunc primum edidimus, nihil dubitandum videtur. At sicuti S. Cyrillus ut promptiorem et faciliorem Cœlestino papæ redderet lectionem quorumdam documentorum quæ Græce erant scripta, ea antea Latine interpretanda curavit, ac Latine reddita ad eumdem pontificem misit, quemadmodum liquet ex epistola ejusdem octava inter epistolas Cœlestini apud P. Constantium num. 9, ita etiam Anatolius hanc epistolam abs se quidem Græce scriptam, at Latine per alios redditam, et abs se litteris Græcis signatam ad Leonem misisse videtur; unde hic Latinus textus pro ipso originali Anatolii manu subscripto haberi debet.

[h] Allatius, *diuturna*.

[i] Ita melius Allatius quam alias *magis*.

Digitized by Google

rum pollet ubique virtutum, cum quibus semula [a] pietatis zelare non cessat, cum sic moderatur genus humanum, ut id studio religionis in Deum reddat attentius, vestræ beatitudinis litteras mihi sublegit, ea statim quæ continebantur eis ut placita [b] vobis implevi, quod me facere vel communis pacis utilitas, vel quod decuerat hortabatur.

Cap. II. — Et reverentissimus quidem sacrosanctæ Ecclesiæ nostræ presbyter Aetius in priore loco atque honore ecclesiastico [c] nobis est restitutus : omne quod [d] episcopi nostri est modeste faciens [e] ipse responsum. Andreas autem, qui non provectus a nobis, sed gradu faciente archidiaconi dignitate fuerat honoratus, [f] ab Ecclesia separatus est, cum his qui contra sanctæ memoriæ patrem nostrum atque episcopum fuerant Flavianum ; qui etiam partis antea perfidissimi fuerant Eutychetis ; quamvis excusationibus plurimis et subscriptionibus propriis, quas epistolæ **1263** sanctitatis vestræ subdiderant, jam viderentur satisfecisse præteritis, eo usque quamdiu quod vobis placitum [g] super istis fuerit ordinatum.

Cap. III. — Considerans ergo beatitudo vestra quam nostræ conjunctio charitatis ipsi Domino Christo, qui pax nostra consistit, grata futura sit, et quantum fidelissimi principis animus exsultabit, et quam pariter universa plebs Dei et Ecclesiæ Christi procul ab omni discordia liberæ permanebunt, litteris suis nos lætificare dignetur, quibus illo perfici valeamus affectu, quem prudentissimis vestris insitum coplose jam novimus vigere præcordiis : ut perceptis alacriter vestræ sanctitatis epistolis, et gratias agamus Domino Deo nostro Christo, qui totius difficultatis vincula disrupit, eidemque vota solemnia pro vestra beatitudine persolvamus.

Cap. IV. — De his autem quæ Constantinopolitanæ gratia sedis sancita sunt in Chalcedonenti nuper universali synodo, pro certo beatitudo vestra hoc habeat, nullam esse culpam in me, homine qui semper otium et quietem, in humilitate me continens, ab ineunte mea ætate dilexerim, sed Constantinopolitanæ Ecclesiæ reverentissimus [h] clerus est, qui hoc habuit studium, et istarum partium religiosissimi sacerdotes qui in hoc fuere concordes et sibi pariter adjutores; cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestræ beatitudinis fuerit reservata. Hoc igitur bene compertum sanctitas vestra cognoscat, nihil ex me istius causa factum esse negotii, qui semper omnem jactantiæ levitatem et aliena appetendi cupiditatem mihi vitandam crediderim. Omnem fraternitatem in Christo quæ cum vestra est sanctitate, tam ego ipse **1264** quam mei plurimum salutamus. *Et subscriptio litteris Græcis.*

EPISTOLA [i] CXXXIII

[j] SANCTI PROTERII ALEXANDRINI EPISCOPI AD BEATISSIMUM PAPAM LEONEM ROMÆ URBIS EPISCOPUM.

De Ratione Paschalis.

Domino meo dilectissimo fratri et consacerdoti Leoni Proterius in Domino salutem.

Cap. I. — Piissimus et fidelissimus imperator noster Marcianus litteris [k] ad nos nuper venerabilibus usus est, quibus asseruit æstimare quosdam non di-

[a] Allatius, *pietatis Ecclesia non cesset*. Cod. Barb., *pietatis zelo non cessat*. In depravato loco vulgatam lectionem mutare noluimus.

[b] Cod. Barb. cum Allatio, *nobis implevit*. Holstenii emendationem sensus postulat.

[c] Lege, *a nobis*.

[d] Forte, *episcopii*.

[e] Quid hoc loco corrupto et valde obscuro indicetur, colligi potest ex illis epist. 127, cap. 3, Aetium *presbyterum, quem asseris fuisse discussum, gratulamur cognitione habita in omnibus fuisse purgatum*. Archidiaconus fuerat, et forte circa administrationem bonorum accusationem aliquam incurrerat.

[f] Ita editi et codex, non vero, ut legendum credit Tillemontius art. 62, in Leone, *ab ecclesiasticis separatus est*. Leo quidem epist. 135, c. 2, et 136, c. 3, Andream ab archidiaconi ministerio submotum tantummodo indicat. Cum autem hæc epistola apud Græcos Latine reddita fuerit, ut annot. 1 (*Col.* 1081, *n.* 8) vidimus, forte interpres minus peritus non satis apte *ab Ecclesia separatum* reddidit, ut significaret Andream fuisse omni gradu et officio ecclesiastico privatum, quoad Leo rescriberet quid de ipso agendum judicaret.

[g] Allatius, *superstitibus*.

[h] Hoc testimonium laudat Gelasius in epistola ad Dardanos, uti auctior edita est ex præstantissima collectione 14 Avellana, et legitur tom. V Concilior. Venetæ editionis pag. 333 : *Audiant*, inquit, *Anatolium ejusdem sedis antistitem, clerum potius Constantinopolitanum, quam se tentasse talia confitentem, atque in apostolici præsulis totum dicentem positum potestate.*

[i] Alias post epist. 103. Quæ autem antea erat 133, nunc 164. Scripta paulo post 4 April. an. 454.

[j] Duplex hujus epistolæ a Proterio Græce scriptæ Latina versio exstitit. Alia vetustior Leonis tempore translata ab interprete Latini sermonis minus perito, cujus fragmentum recitatur ab Hadriano I, in epistola 97, ad episcopos Hispaniæ, et a Quesnello in observationibus exhibetur; altera est hæc, quam esse Dionysii Exigui, cujus meminit Sigebertus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum c. 27; immo ipse Dionysius in præfatione ad Cyclum Paschalem, ubi eam a se translatam eidem operi subjecisse testatur, illud evidenter evincit, quod ei quidem Cyclo subjecta in codicibus inventa est. Istam ex Sirmondiano ms. ediderunt Petavius in append. operis de Doctr. temp. tom. II; Ægidius Bucherius in Comment. ad Victorii Canonem Paschalem pag. 82, et accuratius P. Labbeus in Conciliis. Quesnellus ad Oxoniensem codicem eamdem relegit. Tandem Joannes Guilielmus Janus in Historia Cycli Dionysiani edit. Vittemberg. an. 1718, pag. 95, emendatiorem recusit ex tribus Dionysii codd. Bodleiano, Cottoniano, et Digbæano, e quibus multum profecimus. Agitur in hac epistola de die Paschatis anni 455, et scripta fuit post Pascha anni 454, indictione septima ; nam c. 3, Pascha, de quo quærebatur, *solemnitas futura*, et c. 1, octava indictio ejusdem Paschatis *indictio futura* vocatur. Igitur post diem 4 Aprilis septimæ indictionis, in quem inciderat Pascha anni 454, scripta fuit; cumque illam jam recepisset die 29 Maii ex epist. 136, c. 1, palam fit inter diem 4 Aprilis, et 29 Maii an. 454 fuisse exaratam; et, ut congruum tempus detur transmissioni ejusdem Romam ex Ægypto, paulo post diem 4 Aprilis.

[k] Janus, *nuper ad nos;* et post pauca, *Domino præstante.*

Digitized by Google

ligenter ascriptam diem festi paschalis, quæ per octavam Indictionem futuram, Deo præstante, celebranda est. Verumtamen non velut a se commotus hoc indicavit, sed quia [a] scripta tuæ [b] sanctitatis acceperit, et præcipiebat oportere nos causam diligenter inquirere adhibita nimis tenuissima scrutatione, quæ multum sollicitudinis ac studii contineret. Quapropter negligendum non fuit quominus statim negotium ventilarem ; quando ex illo jam tempore, quo [c] commonitorium tuæ venerationis accepi, plurimam curam rei hujus habuerim, nunc [d] legales libros inspiciens, nunc antiquorum [e] doctorum **1265** instituta contingens, ex quibus possibile est hujusmodi computum investigare solertius. Sumens etiam et centenalem cursum Paschæ descriptum a beatissimo patre et [f] episcopo nostro Theophilo, omnemque percurrens, ita reperi diligenter integreque compositum, ut quicumque ille sit, auctoritatem scripturæ hujus quolibet modo reprehendere [g] ac vituperare non possit. Erat enim inconsequens virum ita vigilantem Deoque charissimum, divinarum etiam ditatum scientia Scripturarum, in negotio tam magno ac necessario, prætermisso diligentiæ labore potuisse delinquere. Sed forte, sicut tua sanctitas [h] scribit, mendosi codicis [i] aut librarii error est, et propterea nos [j] oporteret diem sanctæ illius festivitatis transferre, [k] quod absit. [l] Celebretur autem ita potius ut centenarius annorum cursus ejusdem beatissimi patris nostri et [m] episcopi Theophili continet, qui antiquorum paginis omnino concordat, id est XXIX dies mensis Pharmuthi juxta Ægyptios, qui est VIII kal. Maias. Et nos enim, et tota Ægyptia regio, atque Oriens universus, [n] sic ipsum diem celebraturi sumus, Deo præstante.

Cap. II. — Ut autem non [o] arbitremur absolute quæ nobis videntur scribere seu velle firmare, inseruimus [p] etiam causas huic epistolæ, quibus tua sanctitas forte æstimet non se debere reprehendere Ægyptiorum Ecclesiæ veritatem, quæ mater hujuscemodi laboris **1266** exstitit, diligenterque conscripsit. Olim quidem Dominus per Moysem tempus paschale significavit dicens : *Custodi mensem novorum* (*Deut.* XVI, 1); primum hunc esse pronuntians, sicut iterum dicit : *Mensis iste vobis initium mensium, primus erit in mensibus anni* (*Exod.* XII, 2); et : *Facies Pascha Domino Deo tuo quarta decima die mensis primi* (*Levit.* XXIII, 5; *Num.* XXVIII, 16). Sed qui hæc per Moysem locutus est Dominus, plenitudo legis existens, quando dignatus est homo fieri, [q] quinta sabbatorum XIV luna mensis primi in cœnaculo cum discipulis pascha manducans, paulo post a Juda traditur, et [r] sequenti die XV luna crucifigitur, id est VI feria, et ad inferos descendens, ac dispensationes salutis nostræ perficiens, vespere sabbati lucescente [s] Dominico resurrexit a mortuis, in quo die lunam XVII primi mensis juxta Hebræos exstitisse manifestum est. Nos ergo Christiani non solum XIV lunam in Pascha requirimus (hoc enim Judæi facientes sine festivitate sunt), sed etiam Resurrectionis diem Redemptoris nostri, qui est XVII luna præfati primi mensis novorum, sollicitius observamus. Quod si eodem modo plenilunium [t] semper occurreret quinta sabbatorum, quando Salvator pascha cum discipulis manducavit, omne tolleretur ambiguum. Quia vero lunæ circulus ad solis cursum inæqualis est, et XIV luna paschalis in die Dominico sæpe contingit, non est autem possibile tunc festum celebrare, sed nec pridie, sabbato, luna XIII [u] jejunium solvere, in septima-

[a] Vid. epist. 121, c. 2; epist. 127, c. 2; et epist. 131, c. 1.

[b] Ms Oxon., *fraternitatis;* et postea *teneret* pro *contineret.*

[c] Hoc Leonis commonitorium ad Proterium de Paschate ann. 455 desideratur.

[d] *Legalium librorum* nomine videtur intelligere libros legis Moysis, in quibus primum Pascha præceptum fuit, et ascriptum primo mensi, qui et *Novorum* vocatur, luna 14.

[e] Ms. Cotton., *dicta instituta.* Melius cod. Oxon., *docta instituta.* Intelligere videtur Cyclos et monumenta paschalia antiquiora centenario Theophili Latereculo seu cursu, de quo sane paulo post testatur : *Qui antiquorum paginis omnino concordat.*

[f] Janus, *coepiscopo nostro Theophilo, omnemque decurrens.*

[g] In mss. Oxon. voces *ac vituperare* omittuntur.

[h] Mss. Cotton. et Digb., *scripsit.*

[i] Erat in editis, *aut scriptoris librarii.* Quesnellus notavit hæc omnia deesse in ms. Oxon. Solam vocem *scriptoris*, quæ abundat, auctoritate trium codicum Jani delevimus.

[j] Codd. Cotton. et Digb., *oportet.* In Theophili Latereculo ac Alexandrinorum computatione Pascha anni 455 statuebatur VIII kal. Maii; ex Leonis autem sententia, qui errorem in eo Latereculo repsisse putabat, transferendum erat pascha in diem XV kal. ejusdem mensis, ut Latinis videbatur.

[k] Editi ex Sirmondianis schedis, *quod abiit.* Quesnellus ex ms. Oxon. et Janus ex tribus suis codd. emendarunt.

[l] Ita legendum cum Jano ex ms. Cotton., pro *celebratur*, quod erat in aliis editis.

[m] Editio Jani, *coepiscopi.*

[n] Cod. Digb., *sic ipsius diei celebraturi auctoritatem sumus.*

[o] *Arbitremur* passive hic sumitur pro *existimemur*, uti passive pariter sumitur a Cœlio apud Priscianum lib. VIII, et ab Ulpiano D. II, 7, 12.

[p] Particula *etiam* ex Jani editione et mss. inserta est. Mox *forte* deest in ms. Oxon., et *spernere* pro *reprehendere.*

[q] Ita ex ms. Oxon, et tribus codd. Jani, pro *quinta feria*, ut erat in editis.

[r] Voces *sequenti die* absunt a ms. Oxon.

[s] Apud Labbeum *Dominus* pro *Dominico*, perperam. Respiciuntur illa Evangelii : *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati*, id est Dominica, qua Christus resurrexit.

[t] Ita Bucherius, et ms. Oxon., ac Janus ex cod. Digb. rectius quam in aliis editis, *super occurrerit*, et paulo post, *tolletur*, quæ sensum plane perturbant.

[u] Duas Proterius rationes affert quibus eo casu quo luna 14 incidit in Dominicam, Pascha celebrari nequeat ipsa die Dominica luna 14, sed differendum sit in Dominicam sequentem, 1° quia *tunc* paschale festum celebrari nequit, 2° quia pridie, sabbato, luna 13, jejunium solvere non licet. Has easdam rationes, quas Proterius iterum urget c. 5 eodem scopo in si-

Digitized by Google

nam **1267** sequentem differendum est.[a] Maxime cum habeamus intra eam XV lunam, quando, sicut scripsit Apostolus, *Pascha nostrum immolatus est Christus* (I *Cor.* V, 7); XIV namque luna primi mensis, juxta Hebræos, ut superius dictum est, Jesus pascha typicum manducavit; sequenti[b] vero sexta feria XV luna, ut ovis occisionis, cruci pro nobis affixus est, et vespere sabbati lucescente[c] Dominico XVII luna resurrexit a mortuis.

CAP. III. — Quia ergo in solemnitate futura paschali per octavam indictionem, XXII die[d] Pharmuthi mensis novorum, qui est XV kalendas Maias, [e] occurrit XIV luna die Dominico, in septimanam differre convenit subsequentem. Habentes enim intra eam triduanum mysterium, hoc est XV lunam, quando crucifixus est Christus, quartæ decimæ cohærentem, necnon et sextam decimam, et sequentem decimam

A septimam, vicesimo quidem octavo die mensis Pharmuthi, qui est IX kalendas Maias, jejunia solvemus vespere sabbatorum, sequenti vero lucescente Dominico, die XXIX mensis ipsius Pharmuthi, qui est VIII kalendas Maias, **1268** festivitatem sincerissime celebrabimus.

CAP. IV. — Nam et priscis temporibus, si quando die Dominico luna XIV reperta est, in sequentem septimanam est dilata festivitas, sicut in[f] octogesimo nono, et nonagesimo tertio anno a Diocletiani probatur imperio. Sic enim et tunc beatissimi Patres nostri fecisse declarantur. In octogesimo quidem nono anno ab imperio Diocletiani, superstite beatæ memoriæ patre nostro et episcopo[g] Athanasio, cum luna XIV paschalis die XXVIII mensis[h] Phamenoth, id est B nono kalendarum Aprilium die provenisset, die Dominico, [i] in subsequentem translatum est hebdoma-

mili controversia jamdiu ante protulerant etiam Ambrosius in epistola ad episcopos per Æmiliam constitutos, ac Theophilus Alexandrinus in Prologo Paschali agentes de Paschate an. 387. Ex horum autem testimoniis colligitur totam earum rationum vim ad jejunium revocari, ita ut sensus sit paschale festum non posse die Dominica luna 14 celebrari, eo quod nec jejunare liceat ea die luna 14, nec liceat antipaschale jejunium solvere seu terminare luna 13. Si nimirum celebrandum esset paschale festum luna 14 cum incidit in Dominicam, hac eadem luna jejunium esset servandum, et solvendum solum in vespere, ut lex præcipiebat; sicque jejunandum esset die Dominico, quod tamen omnino faciendum non est, ne cum Manichæis Dominica jejunantibus consentiamus. Si vero ob evitandam hanc cum Manichæis similitudinem non jejunemus ipso Dominico die luna 14, quo Pascha celebrandum putemus, jejunium antepaschale cogemur solvere, seu terminare die sabbati præcedentis luna 13, quod tamen ex veteris legis præceptione ante decimam quartam lunam, qua agnus paschalis comedendus erat, solvi seu terminari nequit. Vide c. 5 hujus epistolæ. Igitur ut declinetur utrumque, paschale festum in Dominicam sequentem protrahendum est.

[a] Ms. Oxon., *Maxime quod;* et paulo post perperam, 14 *lunam* pro 15. Indicatur autem *intra eam septimanam sequentem* haberi lunam 15, qua Christus passus est, quæque in hypothesi lunæ 14 concurrentis cum die Dominico, in feriam secundam incidit; et similiter intra eam septimanam haberi lunam 17, qua Christus resurrexit, quæque in feriam quartam eadem in hypothesi incurrit. Hoc autem argumento, quo pariter usi fuerant S. Ambrosius ac Theophilus, Proterius insinuare nititur. Paschatis dilationem in Dominicam sequentem esse licitam, quia in eadem septimana per ejusmodi dilationem lunares dies passionis et resurrectionis Christi comprehenduntur, quos utrosque subsequi sane potest dies Paschatis, D præcedere autem non potest. Hæc probe statuebantur in supputatione Alexandrinorum, in qua dies XV kal. Maii anni 455 concurrebat cum luna 14 die Dominico, non vero in Latinorum supputatione, quibus alio cyclo utentibus dies XV kal. Maii eo anno incidebat in lunam 17, ut annot. 27 (*Infra, n.* [e]) explicabimus. Quare totum hoc Proterii argumentum, pro Alexandrinis quidem congruum, Romanos movere non poterat.

[b] Particulam *vero* adjecimus et per eam planiorem sensum reddidimus, ope mss. Cotton. et Digb.

[c] Vox *Dominico* abest a ms. Oxon. Vide annot. 20 (*Col.* 1086, *n.* [a]).

[d] Editi ante Janum hic inserunt vocem *Dominico*, quæ in codd. Cotton. et Digb. abest, et abundabat.

[e] Ita ex Jano reposuimus pro *occùrrerit*, uti etiam contextus postulat. Indictione autem 8 an. 455, luna 14 occurrebat quidem XV kal. Maii ex Alexandrinorum supputatione, non vero apud Romanos, qui eo die habebant lunam 17. Tantum vero discrimen inter Alexandrinos et Romanos ex diverso cyclo, et ex lunæ saltibus diversimode constitutis oriebatur. Cum enim illi ex suo cyclo decemnovennali decimo nono quoque anno saltum lunæ admitterent, isti vero ex cyclo annorum 84 olim quidem duodecimo quoque anno, postremum vero anno quolibet decimo quarto eumdem saltum receperint, successu temporis evenit ut ætas lunæ an. 455 triduo discreparet, et Romanis XV kal. Maii esset luna 17, quæ Alexandrinis erat 14. Hinc Romanis ea dies apta erat Paschati, quæ si apud ipsos fuisset luna 14, uti erat apud Alexandrinos, non solum ex Alexandrinorum, verum etiam ex Romanorum regulis paschalis esse non po- C tuisset. Mirum vero accidit Proterium non advertisse hanc lunæ ætatem apud Romanos diversam, quam satis indicaverat S. Cyrillus in Prologo Paschali, quamque si ille pariter observasset, deprehendisset suum argumentum soli lunæ 14 innixum exinde nutare, nisi in alia lunæ ætate statuenda Romanos errare docuisset.

[f] Alexandrini æra Diocletianea utebantur, quæ incipit anno æræ vulgaris 284, unde annus æræ Diocletiani 89 fuit annus æræ vulgaris 373, et annus æræ Diocletianeæ 93 fuit annus æræ vulgaris 377. Hæc autem duo exempla S. Ambrosius in eumdem finem attulerat pro statuendo die Paschatis an. 387, qui fuit annus æræ Diocletiani 103. Licet enim is Latinus esset et Latinæ Mediolanensis Ecclesiæ episcopus, non tamen Romanorum, sed Alexandrinorum cyclo, mensibus æraque utebatur, ut ex epistola ad Æmiliæ episcopos liquet.

[g] Editi, *Anastasio*. Quesnellus emendavit ex codice Oxon. Janus vero ex mss. Bodl. et Digb. Confer illius notam, ubi Athanasium in Paschate anni 373 adhuc superstitem ex hoc testimonio ad fidem unius codicis emendato, cui nunc duo alii codices accedunt, optime colligit, idque nos confirmavimus lib. I Observationum in Hist. Pelagianam card. Norisii c. 2, n. 3, auctoritate anonymi Athanasiani, qui postea ex antiquissimo ms. 57 capituli Veronensis a Marchione Scipione Maffeio editus fuit in append. Hist. Theolog. pag. 269.

[h] Pro *Phamenoth* editi *Phaminoth*. Ms. Oxon., *Parmothi.*

[i] Idem ms., *in subsequentem Dominicam translatum est Pascha, ita ut pridie kal. Aprilium*, etc. Et paulo post, *in sequentem item Dominicam* pro *in sequentem item septimanam*. QUESN.

Digitized by Google

dem, ita ut quinta die mensis Pharmuthi, hoc est pridie kalendarum Aprilium celebraretur Pascha Dominicum. In nonagesimo autem tertio anno ab imperio ejusdem Diocletiani, cum luna XIV paschalis die XIV mensis Pharmuthi qui est V idus Aprilis, die Dominico contigisset, in sequentem item septimanam dilatio facta est, ita ut Dominicum Pascha die XXI mensis Pharmuthi, qui est XVI kalend. Maiar. solemniter ageretur. In centesimo quoque tertio anno ab imperio **1269** præfati Diocletiani, cum luna paschalis XIV Pharmuthi XXIII die, qui est XIV kalend. Maiar., esset die Dominico superventura, iterum septimana quæsita est, et Dominicum Pascha XXX die mensis ipsius Pharmuthi, qui est VII kalend. Maiar., constat esse celebratum, [a] propter angustiam temporis imminentem. Item cum in centesimo sexagesimo anno a Diocletiani imperio XIV luna paschalis Pharmuthi XXIII die qui est XIV kalend. Maiar., [b] occurrerit tertia feria septimanæ, et Dominicum Pascha XXVIII die mensis ipsius Pharmuthi, qui est IX kalend. Maiar., [c] nos celebrasse meminimus.

CAP. V. — Necesse est igitur et [d] in CLXXI anno a Diocletiani imperio, in futuro paschali festo indictionis octavæ, 22 die Pharmuthi, qui est XV kalend. Maiar., luna XIV occurrente die Dominico, in proximam septimanam juxta præcedentem formam convenienter extendi, ut die XXIX mensis Pharmuthi, qui est VIII kalend. Maiar., Dominicum celebremus Pascha propter apprehendentem rursus angustiam, sicut patres nostri fecerunt, decimas quartas lunas occurrentes die Dominico, differentes. Nam si XXII die mensis Pharmuthi, qui est XV kalend. Maiar., luna XIV, sicut dixi sæpius, occurrente die Dominico Pascha celebremus, inveniemur pridie, id est sabbato XXI die mensis ejusdem, qui est XVI kalend. Maiar., XIII luna tunc existente, non rite jejunia solvere. Nec enim in XIII luna comeditur **1270** Pascha. Unde quia XXII die mensis Pharmuthi, qui est XV kalend. Maiar., Dominico die XIV luna contingit, non autem convenit die Dominico jejunare, quia hoc Manichæorum est proprium, consequens est in proximam tendere septimanam, intra quam, ut diximus, habemus et XV lunam, quando crucifixus est [e] Dominus et XVI lunam, simul et XVII, quando resurrexit a mortuis: ita ut XXVIII die mensis Pharmuthi, qui est IX kalend. Maiar., vespere sabbati jejunia pro more solvamus, et sequenti Dominico, XXIX die mensis ipsius, qui est VIII kalend. Maiar., festum paschale celebremus.

CAP. VI. — Illud etiam necessario vobis innotescimus, quod et in futuro [f] centesimo nonagesimo octavo anno ab imperio Diocletiani, XIV luna rursus occurrente XXIII die mensis Pharmuthi, qui est XIV kalend. Maiar., Dominicum Pascha [g] XXX die mensis ipsius, qui est VII kalend. Maiar., Deo præstante celebrabitur.

CAP. VII. — Sed nonnulli subtilitatem paschalis computi forsitan ignorantes [h] Judaicis seducti fabulis, æstimabunt nos [i] in secundum mensem recedere, si festivitatem eatenus exigamus. Nescio prorsus unde hoc [j] asserentes. Nam XIV luna ipsius mensis occurrente XXII die mensis Pharmuthi, qui est XV kal. Maiar., quomodo querelam sustinebimus, [k] quod in secundo mense Pascha celebremus? Judæi namque ignorantes Dominum, tempus quoque Paschæ ignorant. **1271** Unde sæpius a primo mense recedunt, et in duodecimo mense Pascha [l] celebrare aliquate-

[a] Hæc verba, *propter angustiam temporis imminentem*, et cap. sequenti, *propter apprehendentem angustiam* (quibus concinunt illa Theophili in Prologo Paschali, *propter intercurrentem necessitatem*), indicant quod si luna 14 tam sero concurrat cum XIV vel XV kal. Maii die Dominico, cum Pascha ea lunæ ætate celebrari nequeat, et differendum sit in Dominicam sequentem, propter ejusmodi angustias atque necessitatem ultimus paschalis Latinorum limes, qui figebatur die 21 Aprilis, servari non possit, et Pascha in diem 24 vel 25 Aprilis transferendum sit.

[b] Mss. Bodl. et Digb., *occurrit*. Sermo est de Paschate anni 444, quod priori controversiæ sub pontificatu ipsius Leonis occasionem dedit.

[c] *Nos* pro *tunc* ex Jano prætulimus. Cæterum etiam S. Leo Paschasini litteris acquiescens, eadem die Pascha celebravit, ut ex integro Chronico Prosperi didicimus.

[d] Editi ex Sirmondi apographo et cod. Cotton. *in* CCLV *anno*. Ms. Oxon. et Bodl., *in* CLXV *anno;* Digb., *in* CCLXV *anno*. Hæc varietas mss. errorem innuit, qui evidens fit ex quæstione Paschatis an. 455, de qua hic sermo est. Annus enim 455 æræ vulgaris est annus æræ Diocletiani CLXXI, unde textum sine ulla dubitatione correximus, ut sane corrigendum eruditi omnes cognoverunt.

[e] Ex editione et mss. Jani supplevimus vocem *Dominus*.

[f] Editi ex Sirmondo, CCLXV *anno*. Mss. Oxon. et Bodl., CCLXVII *anno*. Alius codex S. Augendi, quem in emendationibus citat Bucherius, CCLVIII *anno*. Correximus eadem ratione, quam indicavimus annot. 35 (*Supra*, *n.* [d]) cum Auctor loquatur de Paschate anni 482, qui convenit cum anno æræ Diocletiani CXCVIII. Janus forte ex suis codd. omisit particulam *et* ante verba *in futuro*.

[g] Editi et mss., 28 *die Pharmuti*, perperam; nam hic dies respondet diei IX kal. Maiarum, ut ipse Proterius cap. antecedenti testatur; ac proinde correctio tutissima est, quam alii margini ascribendam scrupulosius censuere.

[h] Ex his et sequentibus, quæ de Judæis traduntur, colligendum videtur Judæorum supputationem Romanis favisse, quos tamen æque errasse Auctor pronuntiat.

[i] Hæc eadem objectio facta Alexandrinis fuit a Romanis etiam an. 387, cum illi similiter diem Paschatis integra hebdomada post Latinos statuebant, ut ex Ambrosii epistola ad episcopos Æmiliæ, ac ex Theophili Prologo Paschali manifestum est; ejusdemque objectionis meminit etiam Cyrillus in Prologo. Quo autem sensu Latini contenderent Alexandrinos celebrare Pascha mense secundo, cum istud in hebdomadem protenderent, Proterius indicat capite sequenti, in quod vide annot. 47 (*Infra*, *col.* 1091, *n.* [d]).

[j] Forte, *asserant*, vel aliquid desideratur. Mox voces *mensis Pharmuti* perperam desunt in ms. Oxon.

[k] Ita ex editione Jani; al., *quia*. In sequentibus objectionem in Latinos retorquet, quasi ipsi non tam secundo quam duodecimo mense Pascha celebrent, cum Judæorum more Pascha celebrant eo mense qui Alexandrinis embolismalis est, ut annot. sequenti explicabimus.

[l] Pronomen *se* hic additum in plerisque mss. et omnibus editis, excepto Petavio, delevimus auctoritate ms. Cotton., sensu quoque exigente: nam ver,

Digitized by Google

nus arbitrantur. Sed beatissimi Patres nostri cyclum decemnovennalem [a] certius affigentes, quem violari impossibile est velut crepidinem ac fundamentum et regulam, hunc eumdem decemnovennalem computum statuerunt, non juxta Judæorum nunc indoctas atque ineptas [b] actiones, neque secundum exterorum putativam fictamque prudentiam, sed secundum gratiam Spiritus sancti instituti, in revolutione sæpe memorati decemnovennalis circuli [c] decimas quartas paschales lunas diligentius annotarunt.

1272 Cap. VIII. — His itaque confectis, illud etiam oportet attendere quod [d] errent nimium qui primi mensis initium lunaris cursus a XXV die mensis Phamenoth, qui est XII kal. Aprilium, omnino esse constituunt, eo quod tunc initium verni temporis ab his qui hoc invenire [e] valuerunt, cum omni diligentia præfixum esse videatur. Et manifeste quidem secundum cursum solis XXV die mensis Phamenoth, qui A est XII kalendar. Aprilium, æquinoctium esse cognoscitur; sed non oportet ab hoc æquinoctio primi mensis exordium juxta cursum lunæ prorsus affigere. Alioquin per omnia solis circulo lunæ discursus concordare **1273** debuerat. Verum quia cunctis habentibus intellectum certum est quod velocissimum lunæ motum cursus solis minime consequatur, age jam nunc breviter, Deo præstante, dubios instruamus, quod in secundum mensem nullo modo possimus excedere. Si enim in æquinoctio, id est XXV die mensis Phamenoth, qui est XII kal. Aprilium juxta cursum lunæ mensis constitueretur initium, rationis esset opinari nonnullos in secundum mensem nos posse recedere. Nunc autem, quia XIV luna primi mensis per indictionem VIII, quæ ventura est, XXII die mensis Pharmuthi, qui est XV kal. Maiar., invenitur, certum est quod initium ejusdem mensis primi juxta B lunæ cursum nono die Pharmuthi, qui est pridie non.

bum *arbitrantur* non active sumitur, sed passive pro *existimantur*, ut supra, cap. 2. Vide annot. 16 (*Col.* 1086, *n.* °). Neque enim Judæi umquam arbitrati sunt se celebrare Pascha mense 12, sed ita celebrare ab aliis aliquatenus credebantur. Id autem accidit cum Judæi annum faciebant communem, qui Alexandrinis erat embolismalis. Tunc nimirum Judæi celebrabant Pascha mense quidem ipsis primo, sed Alexandrinis, qui rectius embolismum admittebant, ultimo, ac proinde ex istorum sententia recedebant a mense primo in lege constituto. Mensis autem embolismalis antecedens mensem primum, licet additus in fine anni præcedentis mensium duodecim, decimus tertius mensis reipsa fuerit, accensebatur tamen a Judæis mensi duodecimo, eodemque nomine Hebraice appellatus cum 12 mense, quasi *alter mensis* 12 pro duodecimo mense *aliquatenus* habebatur.

[a] Voces *certius affigentes* innuunt Christianos Patres cyclum decemnovennalem melius ordinasse quam Judæi; ac proinde Judæis tribuere videntur eumdem cyclum, in quo embolismos ac decimas quartas paschales lunas aliter et indiligentius annotaverant, indoctis ducti rationibus, et decepti ficta et falsa prudentia exterorum, hoc est, Græcorum ethnicorum, qui etiam decemnovennalem cyclum adhibebant. Mox verba *violari impossibile est* desunt in ms. Oxon. Et post pauca Janus omittit vocem *eumdem*.

[b] Forte, *rationes*, inquit Bucherius. Dein *sed gratia Spiritus sancti* in ms. Bodl.

[c] Lunæ tantum 14 paschalis diem in decemnovennali Alexandrinorum cyclo quovis anno notatum indicat. Et licet ex luna paschali 14 facile esset Dominicas paschales colligere, non tamen hæ in eo cyclo designabantur, eo quod in revolutione annorum 19 ipsius cycli non ita redirent ad caput paschales Dominicæ, sicut redibant lunæ decimæ quartæ. Id in cyclo Romanorum ann. 84 aceidebat, qui proinde cyclus erat Dominicarum paschalium, ubi ille erat cyclus lunarum paschalium 14.

[d] Proterius hic respondere nititur objectioni antecedenti capite propositæ, qua Romani opponebant Alexandrinos ex suo cyclo Pascha anni 455 rejicere in mensem secundum, eo quod istud festum celebrarent post diem 21 Aprilis, qui Romanis extremus limes erat Dominicarum paschalium; ac si extremus Dominicarum paschalium limes esset dies ultimus mensis primi. Infert vero eos hac ratione primum mensem inchoare a XII kal. Aprilis, id est, a die 21 Martii, in quem incidit æquinoctium vernum. Id autem ex eo probat erroneum, quia initium primi mensis, qui lunaris est, et juxta lunæ cursum computari debet, non est sumendus a die certo æquinoctii verni, sed a cursu lunæ, quæ cum suum cursum tum annuum tum menstruum citius quam sol absolvat, initium primi mensis non potest certo diei cursus solaris affigi, sed per singulos annos cycli decemnovennalis variet necesse est. Cum porro luna 14 primi mensis hoc anno ex Alexandrinorum supputatione incideret in diem XV kal. Maiarum, sequebatur neomeniam paschalem, ac proinde initium primi mensis occurrere pridie non. Aprilis. Hinc dies VIII kal. Maii, cui iidem pascha assignabant, erat luna 21 seu dies 21 primi mensis, ut ne hoc festum in secundum mensem rejicere dici possent. Lunam autem 14 in eumdem diem XV kal. Maiarum cadere Proterius nullibi probat, ut superius annot. 27 (*Col.* 1088, *n.* °) monuimus, sed ex solo cyclo decemnovennali certum præsumit. Monendum præterea est Victorium Aquitanum in Prologo Paschali aliter ex Latinorum sententia primi mensis initium statuere. *Latini namque*, inquit, *a* III *non. Martii usque ad* III *nonas Aprilis, diebus scilicet* 29 *observandum maxime consuevererunt, ut quocumque eorum die luna fuerit nata, efficiat primi mensis initium.* Igitur primi mensis initium non ab æquinoctio verno, ut illis Proterius tribuit, sumebant, sed Proterius id cum Alexandrinis ex Latinorum objectionibus et rationibus collegit. Enimvero haud intelligi potest Alexandrinos rejicientes Pascha anni 455 a die XV kal. Maii, ut Romani volebant, in diem VIII kal., seu a die 17 Aprilis in diem 24, ex Romanorum sententia transire in secundum mensem, si Leonis tempore primum mensem incœpissent, ut Victorius postea exposuit, a neomenia paschali. Cum enim hæc incidisset apud Romanos in diem primam Aprilis, dies vigesima quarta ejusdem mensis, in quem Alexandrini Pascha prorogabant, excedebat quidem limitem Dominicarum paschalium Romanorum; at cum esset dies Lunæ apud Latinos 21, primi mensis limites non præteribat, ita ut in secundum mensem a neomenia sequenti inchoandum transiret. Igitur hoc tempore Romani non a neomenia lunæ paschalis, sed post ultimum Dominicarum paschalium terminum secundum mensem inchoasse videntur, ac proinde eosdem mensem primum ab æquinoctio verno exorsos Proterius non male argumentatus credi potest. In ms. quidem auctiore Chronico Prosperi, quod Bucherius allegat pag. 89, ad annum 455 hæc leguntur, quæ in editione Labbei desunt: *In quo* (Paschate scilicet cum Latinis celebrando die 17 Aprilis) *nec in ratione plenilunii, nec in primi mensis limite fuisset erratum*; ubi primi mensis limitem pro limite Dominicarum paschalium Auctor videtur accipere.

° Ita cum Jano. Alias, *voluerunt*.

Digitized by Google

April., occurrat. Cum ergo 14 luna XXII die mensis Pharmuthi inveniatur, qui est XV kal. Maiar., Dominicum Pascha XXIX die mensis ipsius Pharmuthi qui est VIII kal. Maiar., celebrantes, in secundum mensem minime recedimus, cum lunam tunc XXI [a] indubitanter habeamus. Quomodo igitur excurremus in mensem secundum, quandoquidem initium primi mensis juxta lunæ cursum, sicut paulo ante dictum est, IX die mensis Pharmuthi, qui est pridie non. April., existat, et XIV luna XXII die mensis ipsius, id est XV kal. Maiar., [b] die proveniat? Hoc autem ita declarato, certum est quod in secundum mensem nullatenus excurramus, XXIX die mensis Pharmuthi, qui est VIII kal. Maiar., Dominicum Pascha celebrantes.

CAP. IX. — Cognoscant itaque per tuam sanctitatem, qui in illis partibus ambigunt, quod legitime per octavam indictionem Pascha [c] peragemus. Propterea enim scripsi, Patrum et in hoc ecclesiasticas formulas subsequens, et exinde occasiones rei hujus assumens. Sic namque et [d] præcessores nostri, si quando dubietas orta est, prædicere festinabant, ut ubique consonanter ageretur [e] sacra festivitas. Quod etiam nunc juxta priscam consuetudinem [f] credimus in Domino prædicari in Ecclesiis et unam fidem, unum baptisma, unam solemnitatem **1274** sacratissimam paschalem ab omnibus Christianis ubique celebrari in Christo Jesu Domino nostro, quia *in ipso vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28).

Transferre vero hanc epistolam in Latinæ vocis eloquium non satis certum esse putavimus, ne forte Græcizantes potius [g] apud vos, hæc jam valentes hæc diligenter exprimere, læderent veritatem propter informem sermonem atque incongruum; et qui forte non ita possit ardenter scienterque transferri, sicut causa poscebat. Saluta eam quæ tecum est fraternitatem. Te quæ nobiscum est salutat in Domino. *Et alia manu :* Valere te, et nostri meminisse, domine, precor, dilectissime et desideratissime [h] frater

EPISTOLA [i] CXXXIV.

AD MARCIANUM AUGUSTUM.

[k] SYNOPSIS. — I. *Laudato Marciana, promittit Anatolio gratiam suam, si resipiscat.* — II. *Rogat ut Eutychen virus suum in exsilio spargentem ad secretiora loca releget.* — III. *De paschalis diei inquisitione gratias agit, et ut catholicis faveat precatur.*

LEO episcopus MARCIANO Augusto.

CAP. I. — Quod sæpissime multa jam experimenta docuerunt sanctum pietatis vestræ studium circa religionem Christianam gloriosis perseverat et crescit augmentis; et hæc fides clementiæ vestræ non solum me, sed et omnes Domini sacerdotes consolatur et roborat; dum in Christianissimo principe sacerdotalem [l] experimur affectum. Quem si Orientalium partium sacerdotes **1275** studeant imitari, [m] nihil scandalorum neque pax, neque fides Christiana patietur. Unde cum Constantinopolitanus [n] episcopus ad omnem pietatis profectum præsenti clementiæ vestræ doceatur exemplo, si fideliter vestris acquiescat hortatibus, [o] habet in me sinceræ gratiæ animum : tantum ut quod verbis spondet [p] perficiat. Si vero, quæ Deo et pietati vestræ displicent, pertinaci intentione delegerit, salva mansuetudinis vestræ reverentia, utar cum omnibus, et pro omnibus, vobis quoque annitentibus, adversum superbientem liberiore [q] constantia,

[a] Jani editio, *indubitate*.

[b] Eadem Jani editio omittit *die*.

[c] Ita correximus ex ms. Digb. Al., *peragimus*. Mox idem codex habet *scripta* pro *scripsi*.

[d] Ita Janus cum mss. Bodl. et Digb., quibus concinit Oxonien., *prædecessores*. Cæteri editi, *præcursores*. Cod. Bodl., pro *nostri*, habet *mei*.

[e] Janus, *sancta*.

[f] Ita Janus ex suis, ut credimus, mss., cui concinunt alii antiquiores editi, qui solum omittunt conjunctionem *et* ante voces *unam solemnitatem*. Apud Quesn., *debemus in Domino prædicare in Ecclesiis, sicut unam fidem, unum baptisma, ita unam solemnitatem sacratissimam paschalem ab omnibus Christianis ubique celebrari*; in quibus *celebrari* cum verbo *debemus* non satis cohæret.

[g] Magis placuit hæc lectio Jani, cui ejus codd. suffragantur, nec non editio Petavii, quam lecto Bucheriana et Quespelliana, *apud vos*; agitur enim de his Græcizantibus apud Proterium, quos, cum timeret ne valeret exacte exprimere sermone Latino, noluit hanc epistolam Latine reddere. Mox apud Labbeum et Quesnellum intra parenthesim (*nec enim jam valemus hæc diligenter exprimere*); alii vero editi, *nec enim jam valentes*, etc. quæ sensum turbant. Janum sequi maluimus.

[h] Ultimam hanc vocem, quæ additur a Quesn. et Jano ex suis codd. Petavius, Bucherius, et Labbeus omiserunt.

[i] Alias 165. Quæ autem antea 134 erat, nunc 165. Scripta 15 Aprilis an. 454.

[k] Exstat in mss. collect. Hispanicæ, Isidorianæ, 11, 12, 18, et 21 usque ad 24, nec non in exemplo Sichardi.

[l] Hispanica hunc titulum præfert : *Item Leonis ad Marcianum Augustum, ubi scribit de exsilio Eutychetis, ut ad secretiora loca eum transferret, quia ubi positus erat, adhuc prava docebat.*

[l] Mss. collect. 21, *exprimit affectum*.

[m] Ita omnes editi cum mss. collect. 12, 18, et 24, quibus concinit cod. Vindebon. Hisp., in quo erronee legitur, *nihil scandalum*. Hic error ex arbitrio correctus fuit in Vat. Hisp. et Isid. aliisque inde proficiscentibus, *nullum scandalum*.

[n] Mss. Vindebon. Hisp. et Vat. collect. 21, *antistes*. Mox in plerisque codd. inferioris ætatis, *provectum præsentis*, pro *profectum præsenti*.

[o] Ita cum Merlino, Sichardo et Quesnello ms. Vat. collect. 24, cum in ms. Vindebon. Hisp. *habet* desideretur; in Vat. Hisp., Isid. et cæteris suppletum fuit *habebit*, ut etiam legitur in vulgatis ante Quesn.

[p] Auctoritate plurium nostrorum codicum delevimus *corde*, quam vocem editi ex Merlino cum Sichardo ac mss. collect. 24 præmittunt ante verbum *perficiat*.

[q] Monuit Quesnellus in suis mss. legi, *liberiore conscientia, quia (quod sæpe dicendum est) male pullulantia fraterna charitate oportet resecari, gloriosissime imperator*. Idipsum etiam exhibent nostri codd. Vat. Hisp., Isid. cum mss. collect. 11 et 21. Prætulimus tamen lectionem editorum ex Merlino, quam in Vindebon. Hisp et Vat collect 24 ac Sichardo reperimus. Restituimus tantum *mallem* pro *malim*, quod apud Quesnellum duntaxat legebatur. Hæ autem

Digitized by Google

quem (quod sæpe dicendum est) mallem pro sanctis actibus fraterna charitate complecti, gloriosissime imperator.

CAP. II. — Quia vero suggestiones meas pro tranquillitate catholicæ fidei libenter accipitis, significatum [a] mihi esse fratris et coepiscopi mei Juliani sermone cognoscite, Eutychen impium pro suis quidem meritis exsulare; sed in ipso suæ damnationis loco multa adversus integritatem catholicam blasphemiarum desperatius venena profundere; et quod in illo totus mundus [b] exhorruit atque damnavit, impudentia majore, ut innocentes decipere possit, evomere. Plenum itaque rationis existimo ut vestra clementia [c] ad longinquiora eum **1276** jubeat et secretiora transferri. [d] Monasterio vero ejus Constantinopoli constituto, in quo habitatores monachi evangelica apostolicaque doctrina crebrius sunt et plenius roborandi, salubriter (ut arbitror) fiet, si is qui ipsi monasterio præpositus esse dicitur, a societate veneratoris vestri Juliani episcopi, quem in speculis propter fidem illic esse constitui, non recedat; cujus assidua visitatione profectus servorum Dei illic habitantium possit augeri.

CAP. III. — Petitionem [e] autem meam de festivitate paschali gaudeo ita a vestra pietate susceptam, ut confestim [f] agentem in rebus Alexandriam mitteretis de errore admonendo, quem sanctæ memoriæ Theophili constitutio videtur inferre. De qua re, sicut scribere dignamini, quidquid ad pietatis vestræ notitiam perlatum fuerit, jubete me nosse; ut de observantia quam non licet esse diversam, quid potissimum sit tenendum, Ecclesia universalis agnoscat. Precor autem, quod vestræ novi clementiæ convenire, ut eos maxime tueamini contra omnes insidias, quos mihi et vestræ mansuetudini propter amorem fidei placere cognoscitis, ut eos Constantinopolitanus episcopus lædendi non habeat facultatem. Data [g] decimo septimo kalendas **1277** Maii, Aetio et Studio viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [h] CXXXV.

[i] AD ANATOLIUM EPISCOPUM.

[j] *Per Nectarium agentem in rebus.*

[k] SYNOPSIS. — I. *Intermissi litterarum commercii rationem reddit.* — II. *De destituto Andrea archidiacono et aliis in Ecclesia CP. restitutis laudat.* — III. *Majorem in agnoscenda culpa sinceritatem desiderat.*

LEO episcopus ANATOLIO episcopo.

CAP. I. — Si firmo incommutabilique proposito dilectio tua curam gratiæ communis habuisset, nihil profecto, quod ullam anxietatem tibi ingereret, exstitisset. Non enim sinebat ratio ut ejus charitatem spernerem, quem amore pacis et studio reparandæ catholicæ fidei inter ipsa episcopatus rudimenta juvissem, optans in ecclesiasticis curis talem habere consortem; ut mihi de sanctis [l] præcessoribus tuis, nec Joannis spiritualem copiosamque doctrinam, nec auctoritatem Attici, nec industriam Procli, nec fidem beati FLAVIANI deesse sentirem: et ita studiis tuis uterer, ut nullus auderet vel fidei catholicæ resultare, vel Nicænis venerabilium Patrum regulis contraire. Sed cum in injuriam canonum, ut agnoscis, illa [m] tentata sint, quæ omnibus Ecclesiis scandalum maximum generarent; quid aptius ac modestius facerem, quam ut te primum, ut ab hac intentione

Leonis, *quod sæpe dicendum est*, ea videntur respicere, quæ in anterioribus ad Marcianum litteris 78, similiter ac in textu hujus epistolæ de Anatolio scripserat c. 5: *Quem opto magis irreprehensibiliter agentem diligere, quam in hac præsumptione... perdurare.*

[a] Codices Vat. Hisp., Isid. et collect. 11 ac 21, *significatum mihi fratris quem excepistis piissime, Juliani sermone cognoscite.* Lectionem a Quesnello inductam retinuimus, cum a nostris codd. Vindebon. Hisp. ac collect. 24 ac exemplis Merlini et Sichardi confirmetur. Solum in nostris codicibus et Sichardo verbum *esse* desideratur. Vulgati ante Quesnellum utramque lectionem simul præferunt.

[b] Ita Vindebon. Hisp. ac Vat. collect. 11 cum editis Concilior. Alias, *norruit.*

[c] Sic Merlinus, Sichardus, et Quesnellus cum mss. Vindebon. Hisp. ac Vat. collect. 24. Antiquiores editi, *ad longinquiora loca.* Monet Quesnellus in plerisque suis codd. haberi, *ad tutiora*, quod nos invenimus in Vat. Hisp. ac in mss. collect. 11 et 21, et solus cod. Vat. Isid. præfert, *ad tutiora loca eum.*

[d] Quesnellus addit præpositionem *de*, quam non tam anteriorum editionum quam plurium nostrorum codicum auctoritate delevimus. Dein duo mss., *salubriter id fiet, ut arbitror, si*, etc.

[e] Ita ex Merlino editi et nostri codd. Vindebon. Hisp. ac Vat. collect. 24 cum Sichardo, qui solum omittunt *meam.* Mss. Vat. Hisp. et Isid. cum cæteris inde profectis: *Petitionem autem de festivitate paschalis gaudii ita novi a vestra pietate susceptam.*

[f] Vulgati ante Quesn. cum uno ms. collect. 21 addunt *Nectarium*, quod ignorant alii codd., et Quesnellus jure expunxit. Nectarius enim agens in rebus cum Marciani et Anatolii litteris Romam missus fuerat, ut ex titulo sequentis epistolæ palam fiet. Mox in Vindebon. Hisp., *mittere*, et *de errore movendo.* Hos errores correxit antiquus librarius, prout legitur in Vat. Hisp., Isid. et aliis mss. ejusdem originis cum editionibus antiquioribus, *mitteret* pro *mitteretis* et *de errore removendo.* Etiam apud Sichardum et in codd. collect. 24, qui ab Hispanica Gallicana non derivant, legitur *removendo.* Retinuimus tamen lectionem a Quesnello inductam ex cod. Grim., *admonendo*, eo quod sequentia non absolutam correctionem erroris, sed monitionem de errore qui in Laterculo Theophili inesse videbatur factam indicent, ita ut quidquid hac de re Alexandrini responsuri sint, Leo sibi significandum petat.

[g] Cod. Griman., Quesnello annotante, VII *kal. Maii.* Tres nostri codd. collect. 11 ac 21, XVI *kal. Maii.* Mss. Vat. collect. 24 et in margine editorum, XVII *kal. Martii.*

[h] Alias 106. Quæ autem antea 135 erat, nunc 166. Scripta 29 Maii an. 454.

[i] Exstat in mss. collect. 5, 11, 12, 13, 16, 18 et 21 usque ad 24.

[j] Hæc invenimus in mss. collect. 5 et 12.

[k] In tabula collect. 5, cap. 86, hic titulus legitur: *Ad Anatolium episcopum de receptione Andreæ archidiaconi et Euphratæ, et de appetiti honoris Constantinopolitanæ sedis abjectione rescriptum.*

[l] Codd. Vatt. collect. 11 et 24; nec non apud Hincmarum opuscul. 1, c. 23, edit. Paris. an. 1615, *præcursoribus.* Vide not. 1, 2 et 3 Quesn.

[m] Ita nostri codd. collect. 5, 11 et 24, atque exemplum Hincmari. Vulg., *tentata sunt.* Vide not. 4 Quesn. et in eam observationes nostras.

Digitized by Google

recederes, fraterno animo missis [a] litteris admonerem? Ad quas cum non rescriberes, ipse te a colloquii mei consortio separasti. Denique inde jam tacui, sed clementissimo principi, custodi fidei, frequenti litterarum petitione suggessi, ut pro pace Ecclesiarum, quam tibi maxime prodesse **1278** cognoscis, hæc quæ nunc a tua dilectione facta sunt, implerentur. Cui ineffabiles gratias ago, quod secundum eruditionem Spiritus sancti, cujus est virtute plenissimus, sacerdotali [b] dignatur studere concordiæ, sciens sibi orationes supplicantium copiosius profuturas, si famuli unius Domini in nullo sint a veræ pacis unitate divisi.

Cap. II. — Quod ergo in Constantinopolitana Ecclesia quædam in officiis clericorum correcta significas, ut et [c] Aetium presbyterum in gratiam tuam affectionemque revocaveris, et Andream ab archidiaconi actione submoveris, nobis placuisse rescribo: quia existimationem tuam, ut optabam, plurimum erigit atque commendat. Et merito post correctionem in oblivionem perducitur, quod reprehensioni obnoxium videbatur, cum hæreticorum provectione, et discipulorum sanctæ memoriæ Flaviani injuria gravareris, quæ nunc simul ab omni offensione, cum tui, ut volui, laude cessarunt: quia in ordinem suum, quæ fuerant turbata, redierunt. Andream sane, qui rationabiliter archidiaconi est privatus officio, et Eufratam, qui sanctæ memoriæ Flaviani, ut comperi, improbus exstitit accusator, si professionibus plenissime scriptis non minus Eutychianam [d] hæresim quam Nestorianum exsecrabile dogma condemnant, quoniam venia est præstanda correctis, presbyteros consecrabis: ut sibi remedium catholicæ fidei sentiant profuisse, electo primitus et probato, qui archidiaconi officium possit implere, id est, quem nulla umquam prædictarum impietatum fama resperserit. Cæteri vero, quos par reatus involverat, si veniam simili professione cum satisfactione deposcunt, suis ordinibus reformentur: his tantum ad officiorum primatum admissis, quos ab omni errore liberos fuisse constiterit.

Cap. III. — Illam autem culpam, quam de augenda potestate, aliena (ut asseris) adhortatione contraxeras, efficacius atque sincerius tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola clericorum consilia transtulisses. Quia sicut in mala suasione delinquitur, ita et in mala • consensione peccatur. Sed gratum mihi, frater charissime, est, quod dilectio tua id profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ **1279** communis regressum professio dilectionis tuæ, et attestatio principis Christiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit. Abjiciatur penitus inconcessi juris, qui dissensionem fecerat, appetitus. Sufficiant limites, quos sanctorum Patrum providentissima decreta posuerunt: ut quieta sit suis meritis et antiquis privilegiis dignitas omnium sacerdotum. Renovetur et maneat in te Dominicæ charitatis affectio, ad quam dilectionem tuam sæpius cohortatus sum, cum fratre et coepiscopo nostro Juliano, qui communem gratiam semper optavit; cujus industria et sollicitudine tuæ relevabuntur, et fides catholica munietur. Super omnia autem fraterna charitate hortor et moneo ut ea quæ ad gloriam vel ad munimen pertinent sacerdotalis officii, Nicænorum canonum universalis Ecclesiæ pacem servantia decreta custodias. Sic enim inter Domini sacerdotes inviolata charitas permanebit, si paribus studiis, quæ sunt a sanctis Patribus constituta, servetur. Data [f] IV kalendas Junii, Aetio et Studio viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [g] CXXXVI.

[h] AD MARCIANUM AUGUSTUM.

De correctione Anatolii.

Synopsis. — I. *Cur Anatolio scribere intermiserit.* — II. *Quibus conditionibus illi reconcilietur.* — III. *De Andrea ab archidiaconatu dejecto, et Juliano commendato.* — IV. *Ut Carosus monachus compescatur.*

Leo episcopus Marciano Augusto.

Cap. I. — Litterarum clementiæ vestræ multiplex gratia debita a me veneratione suscepta est, et gratulanter agnovi quam piam curam Christianæ religionis, ut consuevistis, **1280** habeatis; cum inter Domini sacerdotes eam vultis firmare concordiam, quæ et universali Ecclesiæ et divino apta sit cultui. Illa enim probabilis pax et charitas vera est, quam plenissime beatus apostolus prædicat dicens: *Charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I *Tim.* I, 5). Obsequens itaque et libenter assentiens sanctis vestræ pietatis hortatibus, fratris et coepiscopi mei Anatolii scriptis reciproco, ut debui, sermone respondi, qui cessationem alloquii mei suo silentio [i] debuit imputare: cum ad litteras meas, quibus eum fraterna charitate monueram ut a reprehensibili ambitione discederet, ulterius respondere neglexit. Ego vero, qui apud illum tacui, clementiæ

[a] Epist. 106.
[b] Al., *dignetur.*
[c] Vide not. 5 Quesn.
[d] Vocem *hæresim* a Quesnello omissam ex anterioribus editis, et nostris codd. revocavimus.
[e] Quesnellus ex Grimanico, *confessione*, et in margine lectioni vulgatæ, *consensione*, quam ex nostris codd. et ex Hincmaro restituimus, affixit notam *male;* cum tamen melior et verior sit; significat enim clericorum consiliis consensisse Anatolium, de quo Leo dixit paulo ante: *Quod tentari sine tua voluntate non potuit.*
[f] Cod. Barb. collect. 11, notante Quesnello in margine, IV *nonas Julii*, male, quippe Vat. 3791 ejusdem collect. 11, cum cæteris aliarum collectionum mss., habent, IV *kal. Junii*, eademque dies signatur in epistola sequenti, quæ simul scripta et transmissa fuit.
[g] Alias 107. Quæ autem antea 136 erat, nunc 168. Scripta 29 Maii an. 454.
[h] Hanc epistolam primus edidit Lucas Holstenius ex ms. Barb. 3336 collect. 16. Eamdem emendavit Quesnellus ex Grim. collect. 18. Nos invenimus in Ratisponensi collect. 19, ex quo non pauca restituimus.
[i] Codd. Barb. et Ratisp. cum Holstenio, *potuit.*

Digitized by Google

vestræ pro pace universalis Ecclesiæ quæ essent profutura suggerere pro mea cura non destiti. Nam et vestra mansuetudo insinuationem meam [a] tam libenter accepit, ut et semper rescribere dignaretur, et hæc ageret ut quæ nunc correcta sunt vestræ gloriæ debeantur : [b] quod tales nunc misit epistolas, quibus notabilem ambitus culpam aliis potius quam sibi assereret deputandam.

CAP. II.—Agnoscat ergo, Auguste venerabilis, prædictus antistes quanto amplius humilitate quam elatione crescatur, et memor limitum paternorum salubritatem canonum ad pacem universalis Ecclesiæ conditorum ea qua debet in posterum observatione custodiat; defensioni quoque catholicæ fidei indesinenter invigilet, pro custodia Dominici gregis diligentes prætendat excubias, utatur in omnibus devotissimo vestræ pietatis auxilio, et si quid usquam sub catholico nomine hostilium fraudum latet, id prodendum gloriæ vestræ instanter [c] indaget. Qui enim sacrilegum errorem a longinquioribus quoque provinciis expulistis, et ad veritatis lucem contenebrata Palæstinorum corda revocastis, quomodo eum sub vestræ fidei radiis [d] spirare patiemini? cum etiam per Ægyptum, Deo vos in omnibus adjuvante, celerius credamus omnes pravi dogmatis exstinguendas esse reliquias. Benigne enim his consulitis, quibus licentiam exsecrabilis erroris aufertis.

CAP. III. — Gaudeo itaque, gloriose, quæ perturbata fuerant esse composita; cum et memoria beati Flaviani [e] in consolationem discipulorum ejus excolitur, cum Andreas ab archidiaconi ministerio submovetur, cum **1281** postremo a sanctorum Patrum injuria temperatur, et a violandis canonibus abstinetur : ut regnum vestrum Christo regnante tranquillum, [f] Christo defendente sit validum. Unde cum per omnia me clementiæ vestræ parere delectet, fratris mei Anatolii charitatem toto corde scipio. Amabilem fidumque se præbeat, et ab ea quam illi spondeo charitate, nulla se deinceps varietate dissociet, eos sibi sincera affectione conjungens, quos catholicæ fidei probavimus defensores. Habet in omnibus vestræ pietatis quod sequatur exemplum; maxime cum benignitatis vestræ adjuvetur auxilio. Suggestiones autem fratris et coepiscopi mei Juliani, quem pietati vestræ commendo, quæso ut benignius, sicut facitis, audiatis. Hoc etiam fratri meo Anatolio proderit, si eum, quem pro catholico dogmate illic esse volui, dignanter habeatis.

CAP. IV. — Illud etiam, quod Constantinopolitanæ Ecclesiæ est saluberrimum, rogo, ut Carosus monachus nimis imperitus nimisque perversus, qui, ut comperi, multorum corda subvertit, sua venena, pietatis vestræ beneficio, ultra non exerat : ne ubi sancto mansuetudinis vestræ studio omnis pene hæreticorum est conatus exstinctus, ibi per vilem ac reprobum damnatæ perfidiæ defensorem et fidei vestræ gloria, et synodalis violetur auctoritas. Datum quarto kalendas Junii, Aetio et Studio viris clarissimis consulibus.

1282 EPISTOLA [g] CXXXVII.

[h] AD EUMDEM MARCIANUM.

SYNOPSIS. — I. *Gratias agit pro perfecta inquisitione de die paschali, de qua Proterii litteras se accepisse significat.* — II. *Œconomorum Ecclesiæ rationes, non judicum, sed sacerdotum examine discutiendas esse.*

LEO MARCIANO Augusto.

CAP. I. — Sollicitudinem meam, quam de paschali observantia habui, sancto clementiæ vestræ studio pro mea petitione gratulor absolutam, qui diligentius in Alexandrina Ecclesia jussistis inquiri utrum recte possit octavo kalendarum Maiarum secundum definitionem Theophili episcopi contra veterem observantiam futura paschalis festivitas celebrari; cum a passione Domini in omnibus nostris annalibus, decimus quintus kalendarum Maiarum dies legatur ascriptus. Sed cum Ægyptiis alia ratio placeat, consensum meum, ne qua discrepantia per provincias de observantia tam venerabilis festi fieret, commodavi : ut resurrectionis Dominicæ maximum sacramentum nusquam die alia celebretur, et inter Domini sacerdotes nihil in tanta solemnitate sit varium, sed per universas Ecclesias Deo nostro pro vestræ pietatis prosperitate vel regno pariter supplicetur. Litteras autem fratris et coepiscopi mei Proterii Alexandrinæ civitatis episcopi me accepisse significo, quibus apud pietatem vestram [i] de mea consensione respondi :

[a] Ex cod. Barb. et Holstenio additur particula *tam*, quam sequens *ut* videtur exigere. Similiter *et* ante *semper* ex iisdem adjecimus.

[b] Ita Holstenius et cod. Ratisp. Apud Quesnellum, *qui tales*; male : neque enim imperatoris, de quo contextus loquitur, sed Anatolii epistola 132 indicatur.

[c] Ita cum Quesn. noster Ratisp. Cod. Barb., *indiget*; Holstenius ex ingenio correxit, *indicet*.

[d] Holstenius cum ms. Barb., *sperare*, et in margine : Forte, *spirare*. Id Quesnellus recepit ex Grimanico, cui noster cod. Ratisp. astipulatur. Mox Barb., *patiamini*. Quesn., *patimini*. Ratisp., *patemini*, pro quo melius Holst., *patiemini*.

[e] Ita Ratisp. Quesn., *in consolatione*.

[f] Ratisp. hoc loco delet, *Christo*.

[g] Alias 104. Quæ autem antea 137 erat, nunc 169. Scripta 29 Maii an. 454.

[h] Hanc epistolam ex cod. Grimanico a Quesnello editam nullibi reperire licuit.

[i] Hinc colligitur solo pacis bono, non autem Alexandrinorum rationibus, quæ non omnino persuaserant (ut in admonitione ad epist. 88 indicavimus) Leonem consensisse ut Pascha VIII kal. Maii celebraretur. Huc autem potissimum alludere videtur Prosper in Chronico integro Labbeano ad an. 455, ubi Leonis ad Marcianum epistolam memorat. *Eod m anno*, inquit, *Pascha Dominicum die VIII kal. Maii celebratum est pertinaci intentione Alexandrini episcopi, cui omnes Orientales consentiendum putaverunt; quamvis S. papa Leo XV kal. Maii potius observandum protestaretur. Exstant ejusdem papæ epistolæ ad clementissimum principem Marcianum datæ, quibus ratio veritatis soli citatæ evidenter patefacta est, ex quibus Ecclesia catholica instrui potest quod hæc persuasio studio unitatis et pacis tolerata sit potius quam probata, non deinceps imitanda, ut quæ exitialem attulit offensionem, omnem in perpetuum perdat auctoritatem.* Confer epist. 142, c. 1. Licet vero Latini in posterioribus annis suum cyclum annorum 84 aliquamdiu re-

Digitized by Google

non quia hoc ratio manifesta docuerit, sed quia unitatis, quam maxime custodimus, cura persuaserit.

CAP. II. — Illud etiam rationabiliter huic epistolæ credidi copulandum, ut de eo quod pietatem **1283** vestram prioribus petii litteris, deprecarer, [a] ut œconomos Constantinopolitanæ Ecclesiæ novo exemplo, et præcipue pietatis vestræ temporibus, a publicis judicibus non sinatis audiri; et hanc quoque injuriam sacris removeatis ordinibus; sed rationes Ecclesiæ secundum traditum morem sacerdotali examine jubeatis inquiri. Datum quarto kalendas Junii, Aetio et Studio viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [b] CXXXVIII.

[c] AD EPISCOPOS GALLIARUM ET HISPANIARUM.

De Paschate.

SYNOPSIS. — *Hanc formatam paschalis diei indicem ad Gallicanos episcopos mittit, per eosdem ad Hispaniarum Ecclesias transmittendam; ubi et controversiæ status exponitur.*

Dilectissimis fratribus universis episcopis catholicis per Gallias et Hispanias constitutis, LEO Romæ episcopus.

Cum in omnibus divinorum præceptorum regulis exsequendis sacerdotalem observantiam oporteat esse concordem, maxime [d] nobis et principaliter providendum est, **1284** ne in paschalis festi die, vel ignorantia, [e] vel præsumptio peccatum diversitatis incurrat. Unde quia tempus sacratissimæ solemnitatis ita dispositos habet limites suos, ut salutare sacramentum nunc citius, nunc tardius oporteat celebrari, non desinit apostolicæ sedis sollicitudo prospicere ne devotio ecclesiastica aliquo turbetur incerto. Cum autem in quibusdam [f] ascriptionibus Patrum futurum proxime Pascha Domini ab aliis in diem XV kalendarum Maiarum, ab aliis in diem VIII kalendarum earumdem inveniretur ascriptum, tantum me diversitas ista permovit, ut clementissimo principi Marciano curam de hac re animi mei panderem, ut præcipiente ipso ab his qui habent hujus supputationis peritiam, diligentius illic discussa ratione quæreretur quo die posset veneranda solemnitas rectius celebrari. Quo [g] rescribente, octavo kalendas Maias definitus est dies. Quia ergo studio unitatis et pacis malui Orientalium definitioni acquiescere, quam in tantæ festivitatis observantia dissidere, noverit fraternitas vestra die octavo kalendas Maias ab omnibus resurrectionem Dominicam celebrandam, et hoc ipsum per vos aliis esse fratribus intimandum : ut divinæ pacis consortio, sicut una fide junginur, ita una solemnitate feriemur. [h] Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi. Data post consulatum Opilionis, quinto kalendas Augustas.

Valentiniano VIII et Anthemio coss. Pascha VIII kalendas Maias.

EPISTOLA [i] CXXXIX.

[j] AD JUVENALEM JEROSOLYMITANUM EPISCOPUM.

SYNOPSIS. — I. *Ipsum in sedem suam receptum esse gaudet, non dissimulata priori ejus tergiversatione,*

tinuerint, inducta biennio post nova emendatione Victorii, qui saltum lunæ ab anno decimo quarto ad decimum sextum protraxit; sæculo tamen sequenti illum deseruere, postquam Dionysius Exiguus Alexandrinum cyclum et regulas suo cyclo annorum 95 accommodatas et rationibus ac documentis munitas Latinis proposuit.

[a] Hæc videntur respicere Aetii causam, quem *cognitione habita in omnibus fuisse purgatum* Leo a Juliano se accepisse testatur epist. 127, cap. 3. Forte enim hic Constantinopolitanæ Ecclesiæ archidiaconus de administratione bonorum culpatus, ut diligenti examine discuteretur, apud publicos seu laicos judices conventus fuerat. Id omnino novum cum S. Pontifici displicuisset, dedit ad Marcianum litteras hic indicatas atque deperditas, ac probabiliter sub idem tempus quo judicium de Aetio rescivit, nimirum paullo post scriptam epist. 127.

[b] Alias 109. Quæ autem antea 138 erat, nunc 170. Scripta 28 Julii an. 454.

[c] Hanc epistolam a Quesnello exactam ad cod. Grimanicum, invenimus in mss. collect. 12, ad quam pertinet Venetus cod. 169, cum quo illam contulimus.

[d] Ms. Venet., *id nobis principaliter*.

[e] Idem codex, *vel præsumptione*.

[f] *Ascriptiones Patrum* vocat ex parte Latinorum cyclum annorum 84 quo Pascha anni 455 ab illis notatus fuerat XV kal. Maias, et ex parte Alexandrinorum Laterculum Theophili, qui idem Pascha signaverat VIII kal. Maias. Mox in ms. Ven. deest *proxime*.

[g] Hic innuitur illa Marciani epistola cui S. Leo superioribus litteris respondit. Hinc autem colligitur, sicut etiam ex textu Prosperi annot. 2 (*Col.* 1100, *n.* i) in antecedentem epistolam recitato, Marcianum Leoni significasse non tam Alexandrinorum quam omnium Orientalium consensum in statuendo Paschate anni futuri die VIII kal. Maias.

[h] Sequentia usque ad finem se addidisse ex cod. Grim. testatur Quesnellus. In editione tamen Conciliorum P. Labbei pariter leguntur, excepta indictione Paschatis post finem epistolæ subjecta, quæ Leonis non est nec esse potuit, cum V kal. Augustas anni 453, dum epistolam scripsit, futuri anni consules (præsertim Orientalem) rescire nequiverit, ipso vero an. 455, in duabus epistolis, quæ supersunt, non alium, nisi Valentinianum VIII consulem nominaverit. Hæc tamen indictio reperitur in ms. Veneto, ex quo illam emendatius edidimus, quam apud Quesnellum, in quo sic habetur: *Pascha Valentiniano* III *et Anthemio coss.* VIII *kal. Maias.*

[i] Alias 110. Quæ autem antea 139 erat, nunc 171. Scripta 4 Septemb. an. 454.

[j] Est in mss. collect. 2, 3, 5, 8, 11, 12, 18, 19, et 21 usque ad 24, in exemplo Sichardi ac in peculiari cod. Vat. Reginæ 293. Cum porro in hoc postremo codice et in alio simili Quesnelli insignes variantes aliquot in locis inveniantur, quæ librariorum lapsui aut arbitrio non videntur tribuendæ, quæque Leoninum stylum et morem redolent, suspicio subortitur epistolam his mss. contentam fuisse primum ejusdem exemplum, quod dein reformatum alicubi fuerit; ita ut epistola plenior, quæ ex aliis codicibus edita est, sit verum exemplum quod ad Juvenalem transmissum fuit; unde hujus Græca versio invenitur. Hanc autem versionem Græcam, quæ nunc primum in lucem prodit, nacti sumus in cod. Vat. Græco 1455. Ex nonnullis autem locis minus recte redditis, quæ Eutychianum sensum præferunt, patebit quam facile fuerit in interpretatione Græca, *commutatis quibusdam verbis vel syllabis*, hæreticum sensum inducere, uti Leo conquestus est epist. 130

Digitized by Google

— II. *Eumdem ipsis mysteriorum locis edoceri.* — III. *Ex veritate crucifixionis veritatem nostræ in Christo carnis defendi.* — IV. *Errantes circa incarnationem Domini ex utriusque Testamenti paginis instrui.*

1285 Leo [a] urbis Romæ episcopus Juvenali Jerosolymitano episcopo.

1286 Τῷ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ Ἰουβεναλίῳ Λέων ἀρχιεπίσκοπος Ῥώμης.

Cap. I. — Acceptis dilectionis tuæ litteris, quas ad me [b] filii nostri Andreas presbyter et Petrus diaconus detulerunt, gavisus quidem sum quod tibi ad episcopatus tui sedem redire licuisset; sed confluentibus in recordationem omnibus causis quæ te per quosdam excessus laborare fecerunt, dolui adversitatum tuarum temetipsum tibi fuisse materiam, et resistendi hæreticis constantiam perdidisse: quia æstimant non esse tibi liberum ut eos audeas redarguere quos tibi professus sis in suo errore placuisse. Beatæ enim memoriæ Flaviani condemnatio, et impiissimi Eutychis receptio, [c] quid nisi Domini nostri Jesu Christi secundum carnem negatio fuit? quam ipse grandi misericordia sua fecit resolvi, **1287** cum detestandum illud Ephesinæ synodi judicium, ita [d] sancti Chalcedonensis concilii auctoritate destruxit, ut nullum depravatorum a remedio correctionis arceret. Unde quia in tempore indulgentiæ resipiscentiam magis quam pertinaciam delegisti, [e] gaudeo te cœlestem expetisse medicinam, ut fidei ab hæreticis impugnatæ tandem possis esse defensor. Quamvis enim nulli sacerdotum liceat nescire [f] quod prædicat, inexcusabilior tamen est omnibus imperitis quilibet [g] Jerosolymis habitans Christianus, qui ad cognoscendam virtutem Evangelii, non solum paginarum eloquiis, sed ipsorum locorum [h] testimoniis eruditur. Et quod alibi non licet non credi, ibi non potest non videri. Quid laborat intellectus, ubi est magister aspectus? Et cur lecta vel audita sunt dubia, ubi se et visui et [i] tactui tota humanæ salutis ingerunt sacramenta? Quasi ad singulos quosque cunctantes Dominus adhuc [j] voce corporea utatur, et dicat: *Quid turbati estis, et quare cogitationes*

Δεξάμενος τῆς σῆς διαθέσεως γράμματα, ἅπερ τὰ τέκνα ἡμῶν Ἀνδρείας ὁ πρεσβύτερος καὶ ὁ διάκονος Πέτρος ἐκόμισαν, [1] ἥσθην μέν, ὅτιπερ ἐπὶ τὸν θρόνον τῆς σῆς ἐπισκοπῆς ἐξὸν σοι γέγονεν ἐπιστρέψαι· τῶν δὲ περιστάσεων τῶν σῶν ἁπασῶν συῤῥεουσῶν εἰς τὴν ἀνάμνησιν τὴν ἐμήν, αἵτινές σε κατά τινας παρεξόδους καμεῖν πεποιήκασιν, ἤλγουν, ὡς ἂν σοῦ σαυτῷ γεγονότος τῶν τοσούτων ἀτυχημάτων αἰτίου, καὶ τὴν ἔνστασιν τὴν περὶ τὸ ἀνθίστασθαι τοῖς αἱρετικοῖς ἀπολέσαντος τοῖς νομίζουσιν [2] οὐκέτι σε μετὰ παῤῥησίας τολμᾶν ἐλέγχειν αὐτούς, οὓς ὡμολόγησας ἐπὶ τῆς πλάνης αὐτῶν τῆς ἰδίας ἀρέσκειν σοι. Τὸ κατακρῖναι γὰρ τὸν τῆς ὁσίας μνήμης Φλαβιανὸν, καὶ τὸ δέξασθαι τὸν δυσσεβέστατον Εὐτυχῆ, τί ἦν, εἰ μὴ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ κατὰ σάρκα ἀπάρνησις; ἣν αὐτὸς διὰ τῶν μεγάλων αὐτοῦ οἰκτιρμῶν ἀναλυθῆναι πεποίηκεν, **1288** ὁπότε τὴν ἀπευκταῖον ἐκείνην κρίσιν τῆς ἐν Ἐφέσῳ συνόδου, οὕτως διὰ τῆς αὐθεντίας τῆς ἁγίας ἐν Χαλκηδόνι συνόδου κατέλυσεν, ὥστε μηδένα τῶν πρὸς τὸ φαυλότερον ἐκτραπέντων ἀπεῖρξαι τῆς κατὰ τὴν ἴασιν διορθώσεως. Ὅθεν ἐπειδὴ κατὰ τὸν καιρὸν τῆς συγχωρήσεως τὸ ἀνανῆψαι μᾶλλον [3] ὑπὲρ τὸ ἐμμένειν ἠγάπησας, ἥδομαι τὴν ἄνωθεν ἰατρείαν αἰτοῦντός σου, ἵνα τὴν πίστιν τὴν ὑπὸ τῶν αἱρετικῶν πολεμουμένην, ὀψὲ γοῦν δυνηθῇς φανῆναι διεκδικῶν· εἰ καὶ τὰ μάλιστα γὰρ οὐδενὶ τῶν ἐπισκόπων ἔξεστιν ἀγνοεῖν ὃ κηρύσσει, πολλῷ μᾶλλον [4] ἐκεῖνος οὐκ ἔχει παραίτησιν ὑπὲρ πάντας τοὺς ἀμαθεῖς, [5] ὁ οἷος δήποτε τυγχάνων Χριστιανὸς, καὶ Ἱεροσόλυμα κατοικῶν, ὅστις πρὸς τὸ γενώσκειν τὴν δύναμιν τὴν τῶν εὐαγγελίων οὐ μόνον ἐκ τῶν ἐγγεγραμμένων αὐτοῖς λογίων, ἀλλὰ καὶ διὰ τῆς τῶν τόπων ἐκπαιδεύεται μαρτυρίας καὶ ὅπερ [6] ἐστὶν ἀλλαχοῦ μὴ πιστεύειν, ἐκεῖ οὐ δύναται μὴ ὁρᾶσθαι. Τί κάμνει γὰρ ἡ διάνοια, ὅπου πάρεστιν ἡ θέα διδάσκαλος; καὶ τί τὰ ἐκ τῆς ἀναγνώσεως καὶ τῆς ἀκοῆς

c. 3, loquens de suis litteris ad Flavianum, unde exactam earumdem interpretationem a Juliano petiit ep. 131. — Hæc scripseramus dum solum codicem Vat. Græc. 1455 adhibere licuit. At postquam duos alios codices Græcos Vat. 720 et Vat. Ottob. 29 suggessit Romana editio P. Cacciarii, ex quibus nonnulla loca emendabimus, vide quæ in rem præsentem dicentur not. *h* et *o*. (*Col.* 1106, *n.* [3], *et col.* 1108, *n.* [4])

[a] Voces *urbis Romæ* a Quesnello additæ sunt ex mss. Barb. collect. 3 et aliis. Concinunt etiam aliquot nostri. In Græca versione: *Dilecto fratri Juvenali Leo archiepiscopus Romæ.*

[b] Cod. Vat. 1342 collect. 3, alius collect. 8 et alius collect. 21, *filii mei.*

[c] Tres codd. Quesn. et noster Vat. Reginæ 293 habent: *Quid nisi carnis Domini nostri Jesu Christi negatio fuit?*

[d] In Ratispon. collect. 19 et in Vindebon. collect. 5, *sancta.* Mox Vat. collect. 3 et alius collect. 8, *auctoritas.*

[e] Vulg. inserunt *ita;* delevimus non tam auctoritate duorum codd. Barb. et S. Theodorici, quos Quesnellus in margine allegat, quam trium nostrorum Vindebon. collect. 5, Ratisp. et Vat. Reginæ. Mox duo laudati codd. Quesn., *excepisse*, pro *expetisse*, et cum Vat. Reginæ pro *possis* habent *inciperes;* Ratisp. vero, *posses.*

[f] Idem duo codices Quesnelli et Vat. Reginæ, *quid prædicet.* Post hæc verba in editis ante Quesn. cum mss. Vat. collect. 12, 21 et 24, additur, *quoniam qui ignorat, ignorabitur.* Desunt in cæteris nostris et in quinque Quesnelli codicibus, ac sumpta sunt ex I Corinth. XIV.

[g] Noster Vat. Reginæ, *Jerosolymitanus antistes.* Posteà *veritatem* pro *virtutem* in eodem Vat. Reginæ et in Vat. collect. 11 ac in Corbeiensi collect. 2.

[h] Vat. 5815 collect. 8, *testimonio.* Mox Ratisp. *docetur* pro *eruditur.*

[i] Vocem *tactui* supplevimus ex mss. Vindebon. collect. 5, Ratisp. et duobus Vat. collect. 21, ac ex antiqua Græca versione.

[j] Ms. Barb., *vel specie vel voce utatur.* Vat. collect. 11, *corpore utatur.*

[1] Cod. Vat. Græc. 1455, ἥσθημεν. Correximus ex aliis mss. Vat. Græc. 720 et Ottob. 29, quos P. Cacciarius secutus est.

[2] Primis curis edideramus cum ms. Vat. Græc. 1455, νομίζουσιν οὐκ ἔτι μετὰ παῤῥησίας τολμᾶς ἐλέγχειν αὐτούς. Nunc emendavimus ex aliis laudatis codd. Græcis Vat.

[3] Forte, ὅπερ.

[4] Hæc vox ἐκεῖνος abundare videtur.

[5] Legendum videtur, ὁ οἷος δήποτε χριστιανὸς ἱεροσόλυμα κατοικῶν.

[6] Supple, οὐκ ἔξὸν ἐστιν.

Digitized by Google

[a] *ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes meos, quia ipse ego sum. Palpate et videte quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 38, 39).

1289 CAP. II.—Utere igitur, frater charissime, invictissimis catholicæ fidei documentis, et evangelistarum prædicationem sanctorum locorum in quibus degis testificatione defende. [b] Apud te est Bethleem, in qua salutifer Davidicæ Virginis partus illuxit, quem involutum pannis inter angustias diversorii, præsepe suscepit. Apud te est declarata ab angelis, adorata a magis, et per multorum infantium mortes ab Herode quæsita Salvatoris infantia. Apud te est ubi pueritia ejus adolevit, ubi adolescentia maturavit, et [c] per incrementa corporea in virum perfectum veri hominis natura profecit, non sine cibo [d] esuritionis, non sine somno quietis, non sine fletu miserationis, nec sine pavore formidinis : unus enim atque idem est, qui et in Dei forma operatus est miracula magna virtutis, et in forma servi subiit [e] sævitiam passionis. Hoc tibi ipsa crux indesinenter loquitur; hoc lapis clamat sepulcri, in quo Dominus humana conditione jacuit, et de quo divina potentia resurrexit. Et cum ad montem Oliveti, locum ascensionis veneraturus, accedis, nonne illa vox angelica in tuo resultat auditu, qua elevationem Domini stupentibus dicitur : *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic* **1291** *Jesus qui assumptus est a vobis* [f] *in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I, 11). [g]

CAP. III. — Veram igitur Christi generationem crux vera confirmat : quoniam ipse in nostra carne nascitur, qui [h] in nostra carne crucifigitur : quæ, nullo interveniente peccato, nisi fuisset nostri generis, [i] non potuisset esse mortalis. Ut autem repararet omnium vitam, recepit omnium causam, ac vim veteris chirographi, quod solus inter omnes non debuit, pro omnibus solvendo vacuavit (*Coloss.* II, 14) : ut sicut per unius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per unius innocentiam omnes fierent innocentes.

[a] Idem Vat. collect. 11, *ascenderunt*. Mox *pertractate* pro *palpate* in Vat. Reginæ. Dein voces *et videte* desunt in mss. Vind. collect. 5 ac Vat. collect. 11 et 24.

[b] Vide not. 1 Quesnelli. In Vat. Reginæ hic locus brevior effertur : *Apud te est Davidicæ virginis conceptus et partus. Apud te est declarata*, etc. Codd. Vindebon. collect. 5 et Vat. collect. 24 cum editis ante Quesn., *obvolutum*, pro *involutum*.

[c] Vindebon. collect. 5, duo Vat. collect. 21 atque Sichardus, *per omnia incrementa*. Mox *corporis* pro *corporea* in Vat. collect. 11.

[d] Ms. Vindebon. collect. 5 *et esuritione*. Mox Ratisp. omittit *non sine somno quietis*. Dein post vocem *formidinis* cod. Vat. Reginæ sic prosequitur : *In multis miraculis manifestavit potentiam virtutis, et in subjectione humilitatis subiit sævitiam passionis. Veram Christi generationem*, etc., ut cap. 3.

[e] Ratisp., *sententiam*.

[f] Voces *in cœlum* desunt in Vat. collect. 11 et 24, in Ratisp. ac in exemplo Sichardi.

[g] Vat. Reg., *in natura nostra nascitur*. Mox, *in nostra crucifigitur*, omissa voce *carne*, præferunt duo codd. collect. 11 et 24 cum Sichardo. At cum lectione textui inserta hoc Leonis testimonium recitat Joannes II in ep. 3, ad senatores, t. V Conc. Ven. ed. p. 898,

ἀμφιβάλλεται, ὅπου ὄψει καὶ τῇ ἁφῇ ὅλα τὰ τῆς σωτηρίας τῶν ἀνθρώπων ἐναργῶς ἑαυτὰ παρίστησι τὰ μυστήρια; ὡσανεὶ πρὸς ἅπαντας τοὺς ἐνδοιάζοντας ἔτι τοῦ κυρίου τῇ κατὰ σάρκα φωνῇ κεχρημένου, καὶ λέγοντος· Τί τεταραγμένοι ἐστέ, καὶ διὰ τί διαλογισμοὶ ἀναβαίνουσιν εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν; θεωρήσατε τὰς χεῖράς μου καὶ τοὺς πόδας μου, ὅτι ἐγὼ αὐτός εἰμι, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ **1290** θεωρεῖτε ἔχοντα. Τοῖς ἀηττήτοις τοίνυν [1] προσφιλῶς κέχρησο τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας διδάγμασι, καὶ τὸ κήρυγμα τὸ τῶν εὐαγγελιστῶν τῇ μαρτυρίᾳ τῶν τόπων ἐν οἷς διάγοις ἐκδίκησον· παρὰ σοὶ ἐστιν ἡ βηθλεέμ, ἐν ᾗ τῆς παρθένου τῆς Δαυιδικῆς ὁ σωτήριος τόκος ἐπέφανεν, ὃν ἐλισσόμενον ἐν σπαργάνοις διὰ τὴν τοῦ καταγωγίου στενότητα ὑπεδέξατο φάτνη· παρὰ σοὶ ἐσημάνθη μὲν ὑπὸ ἀγγέλου, προσεκυνήθη δὲ ὑπὸ μάγων, καὶ [2] διὰ τοῦ θανάτου τῶν πλείστων βρεφῶν παρ' Ἡρώδου ἡ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐπεζήτηται νηπιότης παρὰ σοὶ κεθίστηκεν· ἔνθα τὰ παιδικὰ αὐτοῦ ηὔξηνται· ἔνθα ἤκμασεν ἡ νεότης, καὶ [3] κατὰ σώματος πρόσβασιν εἰς ἄνδρα τέλειον ἡ ἀληθῶς ἀνθρώπου φύσις προέκοψεν οὐ δίχα τροφῆς τῆς [b] ἐκ πείνης, οὐ δίχα ὕπνου τῆς ἀναπαύσεως, οὐ δίχα τοῦ κατὰ τὸν ἔλεον θρήνου, ἀλλ' οὐδὲ δίχα δίους τοῦ κατὰ τὴν ἀγωνίαν. Ὁ αὐτὸς γάρ ἐστι καὶ ὁ εἷς, ὃς καὶ ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχει, καὶ τὰ μεγάλα θαύματα εἴργασται τῆς δυνάμεως, καὶ ἐν τῇ μορφῇ τοῦ δούλου τὸ χαλεπὸν τῶν παθημάτων ὑπέμεινε. Τοῦτο ἀπαύστως αὐτὸς ὁ σταυρός σοι λαλεῖ. Τοῦτο ὁ λίθος ὁ τοῦ μνήματος κέκραγεν, ἐν ᾧ ὁ κύριος τὸ κατ' ἄνθρωπον ἔκειτο, καὶ ὅθεν κατὰ τὴν θείαν δύναμιν ἐξανέστη· καὶ [4] ὅτε εἰς τὸ ὄρος ἀνέρχῃ τῶν ἐλαιῶν προσκυνεῖν μέλλων τὸν τόπον τῆς ἀναβάσεως, ἆρ' οὐκ ἐκείνη σοι δοκεῖ τῶν ἀγγέλων ἐνηχεῖν ἡ φωνὴ ταῖς σαῖς ἀκοαῖς ἡ λέγουσα πρὸς τοὺς θαυμάζοντας τοῦ κυρίου τὴν ὕψωσιν, Ἄνδρες γαλιλαῖοι τί ἑστήκατε βλέποντες εἰς τὸν οὐρανόν; **1292** οὗτος ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀνακληφθεὶς ἀφ' ὑμῶν, οὕτως ἐλεύσεται πάλιν, καθάπερ αὐτὸν ἐθεωρήσατε ἀνιόντα εἰς τὸν οὐρανόν. Τὴν γέννησιν τοιγαροῦν τὴν ἀληθῆ τοῦ Χριστοῦ ὁ ἀληθὴς σταυρὸς βεβαιοῖ, ἐπειδὴ ὁ αὐτὸς ἐν τῷ ἡμετέρῳ τίκτεται σώματι ὁ ἐν τῇ σαρκὶ τῇ ἡμετέρᾳ σταυρούμενος, ἥτις, οὐ κατ' οὐδένα τρόπον

[h] Vide not. 2 Quesn.

[1] Leg., *κέχρησο, προσφιλέστατε ἀδελφέ, τῆς*, etc.

[2] Cod. Vat. Græc. 1455 habet : *ἡ διὰ τοῦ θανάτου τῶν πλείστων βρεφῶν παρ' Ἡρώδου τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐπιζητουμένη νηπιότης*. Minus bene. Quam autem correctionem conjectando primis curis in notatione expressimus, hanc nunc inferimus in textum auctoritate aliorum codd. Vat. Græc. 720 et Ottob. 29, quos Cacciarius recoluit.

[3] Cod. Vat. Græc. 1455, quem primis curis conferre licuit, sic : *κατὰ πρόφασιν σώματος εἰς ἄνδρα τέλειον ἡ ἀληθῶς αὐτοῦ φύσις*. Lectio corrupta, cujus causa in notatione scripseramus : *Vehemens hic nobis suspicio suboritur ab Eutychiano aliquo locum hunc fuisse interpolatum. Quid enim sibi volunt illa verba κατὰ πρόφασιν σώματος? et item illa ἡ ἀληθῶς αὐτοῦ φύσις, quæ veritatem humanitatis reticent, e contra vero speciem corporis tantum et fictionem eloquuntur.* Hoc forte amanuensis, non autem primi interpretis vitium est. Nam veram interpretis lectionem, quam textui inseruimus, alii duo memorati Græci codd. suppeditarunt.

[b] Hæc particula *ἐκ* abundare videtur.

[4] Ms. Gr. Vat. 1455, *ὅτι*. Aliorum codicum auctoritate *ὅτε* scripsimus.

Digitized by Google

centes (*Rom.* v, 18); inde in homines manante justitia, ubi humana est suscepta natura. Nulla enim ratione [a] extra nostri est corporis veritatem, de quo evangelista prædicationem inchoans dicit : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*[b] (*Matth.* 1, 1) : beati Pauli apostoli consonante doctrina, cum dicit : *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* v, 9). Itemque ad Timotheum : *Memento*, inquit, *Jesum Christum resurrexisse a mortuis, ex semine David* [c] (II *Tim.* II, 8).

CAP. IV. — Hæc autem veritas quantis et novi et veteris Testamenti auctoritatibus [d] declaretur, **1293** pro antiquitate sacerdotii tui evidenter agnoscis, cum fides Patrum et scripta mea ad sanctæ memoriæ Flavianum data, quorum mentionem ipse fecisti, adjecta universalis synodi [e] confirmatione, sufficiant. Unde prospicere oportet dilectionem tuam, [f] ut contra redemptionis ac spei nostræ ineffabile sacramentum, nullus obmurmuret. [g] Sed si qui sunt qui adhuc aut ignorantia caligant, aut perversitate discordant, eorum quorum in Ecclesia Dei apostolica fuit et [h] clara doctrina, auctoritatibus instruantur, ut de incarnatione Verbi Dei hoc nos credere quod illi credidere cognoscant, neque se extra corpus Christi, in quo commortui et conresuscitati sumus, sua obduratione constituant : quia nec pietas fidei, nec ratio [i] recipit sacramenti, ut aut in sua essentia passibilis fuerit Deitas, aut in nostræ susceptione naturæ mentita sit veritas [j]. Data pridie nonas Septembris, Aetio et Studio viris clarissimis consulibus.

A ἁμαρτήματος ὑπάρχοντος ἐν αὐτῷ, εἰ μὴ ὅτε ἐκ τοῦ γένους ἦν τοῦ ἡμῶν, οὐκ ἂν θνητὴ τυγχάνειν ἠδύνατο· ἵνα δὲ καὶ τὴν ἁπάντων [1] καινίσῃ ζωήν, τὸ κοινὸν ἁπάντων ἐδέξατο [2] πρᾶγμα, καὶ τὴν δύναμιν τοῦ παλαιοῦ χειρογράφου, ὅπερ μόνος ἐν ἄσπασιν οὐκ ἐπώφλησεν· ὑπὲρ ἁπάντων ἐκτίσας, ματαίαν ἀπειργάσατο, ἵνα καθάπερ δι' ἑνὸς ὑπευθύνου γεγονότος ἁμαρτωλοὶ πάντες ἐγένοντο, οὕτως δι' ἑνὸς ἀνευθύνου τυγχάνοντος πάντες ἀνεύθυνοι γένωνται, [3] ἐκεῖ φοιτήσασης τῆς περὶ τοὺς ἀνθρώπους δικαιοσύνης, ἔνθα τὰ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως. [4] Οὐδενὶ γὰρ λόγῳ ἐκτός ἐστιν οὗτος τῆς τοῦ ἡμετέρου σώματος ἀληθείας, περὶ οὗ ὁ εὐαγγελιστὴς ἀρχόμενος τοῦ κηρύγματος εἶπε· Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ Δαυὶδ υἱοῦ Ἀβραάμ· συναδούσης τῆς τοῦ μακαρίου Παύλου τοῦ ἀποστόλου τῆς διδασκαλίας τοῦ λέγοντος· Ὧν οἱ πατέρες, B καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὅς ἐστιν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Ὡσαύτως δὲ καὶ πρὸς Τιμόθεον· Μέμνησο, φησί, Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν ἐκ σπέρματος Δαυίδ. Αὕτη δὲ ἡ ἀλήθεια πόσας τῆς τε παλαιᾶς καὶ τῆς καινῆς διαθήκης αὐθεντίαις βεβαιοῦται, κατὰ **1294** τὸ πρόσφορον τῇ τῆς σῆς ἐπισκοπῆς ἀρχαιότητι σαφῶς ἐπιγινώσκεις, ὁπότε ἡ πίστις ἡ τῶν πατέρων καὶ τὰ γράμματα τὰ ἐμὰ τὰ πρὸς τὸν τῆς ὁσίας μνήμης Φλαβιανὸν, ὧν αὐτὸς ἐμνημόνευσας, [5] εἰς τὴν τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου προστεθέντα βεβαίωσιν ἐξαρκεῖ. Ὅθεν προνοεῖσθαι τὴν σὴν διάθεσιν χρή, ὥστε μηδένα κατὰ τοῦ ἀῤῥήτου μυστηρίου τῆς ἡμετέρας λυτρώσεως καὶ ἐλπίδος ὑπογογγύζειν. Ἀλλ' ὅστινες εἶεν οἱ ἔτι τὴν τῆς ἀγνοίας ἀχλὺν ὑφιστάμενοι, ἢ διχονοοῦντες δικ φανλότητα, διδαχθῶσιν ἐκ τῆς εἰσαγήσεως ὧν ἐν C ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ τὴν ἀποστολικὴν καὶ σαφῆ ποιουμένων διδασκαλίαν, πρὸς τὸ γινώσκειν αὐτοὺς, ὡς περὶ τῆς σαρκώσεως τοῦ Θεοῦ λόγου τοῦτο πιστεύομεν, ἣ ἐκεῖνοι ἐπίστευσαν, καὶ μὴ διὰ τὴν σκληρότητα τὴν

[a] Vat. collect. 11, *extra humani est corporis veritatem.*

[b] Editi ante Quesn. et mss. aliquot ejusdem cum nostris Vat. collect. 21 et 24 nec non Medino et Sichardo addunt, *et qui Samaritanæ mulieri protestatur, quoniam salus ex Judæis est.* Hanc additionem præfert etiam cod. Vat. Reginæ, in quo præterea *de se* inseritur ante vocem *Samaritanæ*. In pluribus et potioribus tum Quesnelli, tum nostris desiderantur, nec non in interpretatione Græca.

[c] Iidem editi cum mss. Vindebon. collect. 5 et Vat. collect. 11 et 21 ac Sichardo addunt *secundum carnem.* Apud Apostolum legitur, *secundum Evangelium meum.*

[d] Mss. Vat. Reginæ, Corbeien. S. Theodorici, et 1 Thuan., *declaratu longum est explicare, cum traditio Patrum et scripta mea*, etc. *Antiquitas sacerdotii* Juvenalis respicit episcopatum, ad quem evectus fuerat circa an. 424.

[e] Ratisp., *confirmationem.* Ex Græca versione, *in universalis synodi confirmationem.* Mox idem Ratisp., *Unde et prospicere.*

[f] Vindebon. collect. 5 et duo Vat. collect. 21, *ne contra..... ullus obmurmuret.*

[g] Vat. Reg., insigni varietate : *Sed si qui sunt qui adhuc dissentiunt, a consentientibus instruantur, quia inter tot et evangelica et apostolica præconia caligantes nec sperni convenit, nec timeri : quia nec pietas*, etc. Eamdem lectionem Quesnellus reperit in ms. S. Theodorici, ubi solum pro *apostolica* erronee legitur *localia.*

[h] Editi inserunt *est.* Delevimus cum Vindeb. collect. 5, Ratisp. et Vat. collect. 11 ac 24. Mox *et de incarnatione* in eodem Vindebon.

[i] Al., *suscipit.*

[j] Antiquiores editiones cum tribus mss. Quesn. et nostro Vat. Reg. aliisque omnibus collect. 12, 21 et 24, ac exemplo Sichardi addunt : *Particulam Dominicæ crucis cum eulogiis tuæ dilectionis veneranter accepi.* Carent hac additione præstantiores c dd. collect. 3, 5, 8. 11, Grim. et Ratisp. ac præsertim Græca versio; quod indicio est hanc sententiam, si forte fuit in primo Leonis exemplo, de quo diximus annot. 1 (*Col.* 1102, *n.* 1) omissam fuisse in illo quod in Palæstinam ad Juvenalem missum fuit. Vat. Reginæ datam desiderat. Confer not. 3 Quesnelli.

[1] Sic duo codd. Græc. Vat. 720 et Ottob. 29. Male in Vat. 1455, κινήσει.

[2] Ita duo laudati codd. Mare in alio Vat. 1455, τραῦμα. D

[3] Forte, ἔνθεν.

[4] Primis curis cum ms. Græc. Vat. 1455 inserueramus vocem ἀνεδείχθη, hanc Eutychianismum sapere notantes, et legendum conjeceramus ἀνεδέχθη. Utramque vero vocem alii duo codices ignorant, et idcirco illam e textu expunximus.

[5] Aliter hic quam quod exhibet hodie textus Latinus, legisse videtur interpres, scilicet, adjecta (scripta Leonis ad Flavianum), *in universalis synodi confirmationem.* Si vero hodiernam lectionem retineas, ita corrige aut simili modo, τῆς τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου προστεθείσης βεβαιώσεως.

Digitized by Google

οἰκείαν ἐκτὸς ἑαυτοὺς ποιήσωσι τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, ὅτινι συναπεθάνομεν καὶ συνεσταυρώμεθα· ἐκεῖθεν οὔτε ἡ ἀσέβεια ἡ τῆς πίστεως, οὔτε ὁ τοῦ μυστηρίου λόγος ἀνέχεται, ἡ ἐν τῇ ἰδίᾳ οἰκείᾳ εἶναι φύσει τὸν Θεάνθρωπον παθητόν, ἢ διαψεύσθαι ἐν τῇ ληφθείσῃ φύσει τῇ ἡμῶν τὴν ἀλήθειαν.

1295 EPISTOLA [a] CXL.

[b] AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM.

SYNOPSIS. — *Faciliorem fore deinceps errantium correctionem, Dioscoro sublato, cujus mortem Julianus Leoni nuntiaverat. Eumdem monet ut de statu Alexandrinæ Ecclesiæ scribat.*

LEO JULIANO episcopo.

Litteras dilectionis tuæ per filium [c] nostrum Gerontium me accepisse rescribo, mihique fuisse pergratum, quia non omiseris opportunitatem familiaris alloquii, quod omni occasione inter nos convenit frequentari: ut de his quæ ad curam nostram pro Ecclesiæ statu pertinent, nihil incognitum, nihil habeamus incertum. In hac autem sollicitudine constitutis numquam desunt divina præsidia, quæ [d] hypocritarum simulationes nihil posse permittunt, occultamque eorum nequitiam manifesta destructione confundunt. Quamvis enim jampridem omnia hæreticorum machinamenta confracta sint et universas ejus vires dextera veritatis abstulerit, nunc tamen intercunte, ut scripsistis, Dioscoro, in profundiora ceciderant, et perfidiæ incentore sublato, instabiles quædam et insipientes animæ habent quod paveant, non habent quod sequantur. Unde auxiliante misericordia Dei facilius est errantium speranda correctio, et efficacior erit prædicatio Evangelii, exstincto defensore mendacii: cooperante ad hoc remedium Christianissimi principis pietate, cujus devotio pro omnibus catholicæ fidei provectibus sanctas semper prætendit excubias. Et ideo fraternitatem tuam hortor et moneo ut dignatione et charitate regia sapienter utaris, et de omnibus quæ profutura crediderit, opportunas suggestiones non moreris offerre: quia multis experimentis probavimus eam esse gloriosissimi Augusti fidem, ut tunc maxime se arbitretur regno **1296** suo consulere, cum præcipue studuerit pro integritate Ecclesiæ laborare. Si quid sane de Alexandrinæ plebis provectibus cognoveris, scire nos facito: ut sicut de Orientalium populorum pace lætamur, ita de provectibus etiam hujus populi gaudeamus. Datum octavo idus Decembris, Aetio et Studio viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [e] CXLI.

[f] AD EUNDEM JULIANUM.

SYNOPSIS. — I. *De Carosi monachi correctione et Joannis decurionis in Ægyptum legatione.* — II. *De Maximo Antiocheno episcopo criminis alicujus accusato, quid evenerit, ut rescribat.*

LEO JULIANO episcopo Coensi.

CAP. I. — Per filium meum Gerontium litteras tuæ fraternitatis accepi, quibus devotione consueta, quæ ad curam nostram pro causa fidei merito æstimas pertinere, significas: [g] Carosum scilicet in fidei confessione correctum; sed ita contra fratrem Anatolium in simultate nescio qua permanere, ut propter ipsius discordiam etiam nunc a communione desciscat. [h] Joannem vero spectabilem virum et in fidei sinceritate laudabilem ad Ægyptum causa fidei fuisse directum, qui quantum paci emendationique profuerit, cum primum redierit, scire me facias, quod te etiam sine meo monitu facturum esse non dubito.

CAP. II. — De Antiocheni autem [i] episcopi statu multo animi dolore contristor, si, quod absit, vera adversus eum ab accusatoribus proferuntur. Sed præter sacerdotalem diligentiam, quam curam utilitatis habiturum esse non ambigo, maxima mihi de justitia et benevolentia gloriosissimi principis fiducia datur, qua certus sum in quantum potest fieri providendum, ne in ullam partem possit valere fallacia. Sed ad quem finem **1297** hæc causa pervenerit, cum opportunum fuerit, dignaberis indicare. Datum [j] quinto idus Martii, Valentiniano Augusto octies consule.

EPISTOLA [k] CXLII.

[l] AD MARCIANUM AUGUSTUM.

SYNOPSIS. — I. *Fide Augusti laudata, iterum de consensu suo circa diei festi celebrationem dato eorum eum facit.* — II. *Gratias agit pro ablatis Caroso et Dorotheo e suis monasteriis.*

LEO MARCIANO Augusto.

CAP. I. — Quanta sit in vestra clementia dilectio

[a] Alias 141. Quæ autem antea 140 erat, nunc 172. Scripta 6 Dec. an. 454.

[b] In unico ms. Grim. hactenus inventa est, ex quo a Quesnello edita fuit.

[c] *Nostrum* adjecimus auctoritate ejusdem codicis cujus apographum P. Cacciarius adhibuit.

[d] Monachos Eutychianos intelligit, qui zelum adversus Nestorianos præferentes, specie vindicandæ Nicænæ fidei et Ephesini concilii, Eutychiano errori favebant.

[e] Alias 113. Quæ autem erat 141, nunc 173. Scripta 11 Martii an. 455.

[f] Hæc quoque epistola est in solo ms. Grimanico.

[g] Hic Carosus, qui correctus traditur, distinguendus est a Caroso monacho, qui cum Dorotheo ob Eutychianam hæresim in exsilium pulsus traditur epistola sequenti.

[h] De hoc Joanne Alexandriam misso vide epistolam Marciani ad monachos Alexandrinos tom. IV Concil. pag. 1794 edit. Ven., quam imperialem epistolam, chronica notatione carentem, sub finem anni præcedentis, vel sub hujus anni initio datam, ex tempore hujus epistolæ cognoscimus.

[i] Maximum Domno subrogatum intelligit, de cujus causa in synodo discussa confer diss. 1 Quesn. da an. 455, et ibidem annotationem nostram.

[j] Cum duæ sequentes epistolæ in *idus* datæ fuerint, eodemque die a Leone notari soleant litteræ quas simul in aliquam provinciam direxit, hanc quoque epistolam in *idus Martii* signatam arbitramur; nec dubitamus quin si vel Ratisp. vel alius emendatus codex hanc epistolam præferret, hæc dies ibi eam notaretur, et emendandum esset Grimanicum exemplum, sicuti in data epistolæ sequentis corrigetur vel supplebitur. Nullo tamen codice opitulante, datam ex uno Grimanico editam immutare noluimus.

[k] Alias 112. Scripta 13 Martii an. 455.

[l] Edita fuit a Quesnello ex ms. Grimanico collect. 18. Relegimus cum optimo cod. Ratisp. collect. 19.

Digitized by Google

Dei, cui serviendo regnatis, et regnando servitis, ipsa dignatio religiosissimi sermonis ostendit, et in hunc me affectum totius cordis inflammat, ut pro incolumitate gloriæ vestræ vota offerre et supplicare non desinam : quia multum et sanctæ Ecclesiæ et Romanæ reipublicæ divinitus vestra salute consulitur. Eadem igitur occasione qua pietatis vestræ apices veneranter accepi, debita salutationis obsequia exsolvo, et [a] insufficientes gratias ago, quod de sacratissima die Paschæ sacerdotali me sollicitudine pietas vestra commonuit. Licet dudum in hac observantiæ regula me acquiescere sim [b] professus, et eumdem diem venerabilis festi omnibus Occidentalium partium sacerdotibus intimasse, quem Alexandrini episcopi declaravit instructio, id est ut anno præsenti octavo kalendas Maii Pascha celebretur, omissis omnibus scrupulis [c] studio unitatis et pacis.

CAP. II. — De [d] Caroso vero et Dorotheo, qui hæretica pravitate in multorum perniciem damnatos tuebantur errores, gaudeo pietatem **1298** vestram, sicut mihi venerator vester frater meus Julianus episcopus indicavit, saluberrime præcepisse ut ablati a monasteriis suis apud eos degere juberentur, quibus nocere [e] non possent : quod, ut spero, multis remedio erit, quos a perversis doctoribus liberastis, crescentibus per omnia gloriæ vestræ meritis [f] in amore fidei Christianæ, ob quam justus et misericors Deus tribuit ut vobis sicut divina sunt chara, ita sint mundana subjecta. Datum tertio idus [g] Martii, Valentiniano Augusto VIII consule.

EPISTOLA [h] CXLIII.

[i] AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Ne hæreticorum reliquiæ in urbe latentes nimia lenitate foveantur ac revalescant.

LEO ANATOLIO episcopo.

Curæ esse dilectioni tuæ charitatis officia libenter accipio ; et ut his crebrius utaris exhortor : quoniam ad totius Ecclesiæ pertinet utilitatem, cum quæ aguntur agnoscimus. In qua autem sollicitudine dilectionem tuam vigilare conveniat indubitanter intelligis : [j] quia aliquantas apud vos pravorum hominum resedisse reliquias recognoscis, quibus comprimendis, vel potius, quantum Dominus auxiliatur, abolendis cupimus te instanter incumbere : ne, quod absit, [k] sub aliqua segnitie lenitatis, quæ tardius fuerint destructa revalescant. Datum tertio idus Martii, Valentiniano Augusto VIII consule.

1299 EPISTOLA [l] CXLIV.

AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM.

Nunc primum edita ex ms. Ratisponensi.

SYNOPSIS. — *Ejus diligentiam laudat. Eutychianorum nisus post Marciani mortem. Ipsorum tumultus Alexandriæ.*

LEO papa JULIANO episcopo.

Gratias Deo, quod in omnibus quæ ad Ecclesiæ statum et ad fidei pertinent sacramentum, in nullo dilectionis tuæ industria me fefellit, quam intelligo vigilanter prospicere, ne quid adversum evangelicam apostolicamque doctrinam hæreticorum insidiæ valeant obtinere. Siquidem, ut indicare dignaris, ea quæ [m] Eutychianistæ post obitum venerabilis memoriæ principis Marciani excitare moliti sunt, efficacia tua et eorum quos tecum Dei Spiritus incitavit, agente causam suam ipsa veritate, destructa sunt ; quia vere et fraternitati tuæ, et omnibus fidelibus Christi, maximeque glorioso et catholico, ut probamus, Augusto nihil est ad æternam beatitudinem fructuosius quam ut ea quæ ab ipso spei nostræ auctore fundata sunt, nulla perversorum hominum improbitate violentur, sed ad perpetem Ecclesiæ tranquillitatem secura pace permaneant. Quod ergo adjuvante Domino pie utiliterque curatum est, perseveranti opere muniatur. Nam quidam ad nos [n] rumores de Alexandrini populi

[a] Sic Ratisp. Apud Quesn., *insufficienter*

[b] Epist. 137.

[c] Quesnellus, *propter studium unitatis et pacis.* Prætulimus lectionem Ratisp., quam præfert etiam Prosper in Chronico integro. Vide annot. 2(*Col.* 1100, *n.* [1]) in epist. 137.

[d] Ita imperator satisfecit Leoni, qui in hoc remedium postulaverat epist. 136, c. 4. De his Caroso et Dorotheo est peculiaris actio concilii Chalcedonensis in editis tom. IV Concil. Ven. edit. pag. 1426, subjecta actioni 4 ; at in mss. Græcis Venetis 164 et 555, in fine concilii exhibetur, ut in suis quoque codd. Balsamon reperit.

[e] Ratisp., *non possint.*

[f] Ita Ratisp. Apud Quesn., *in amorem.*

[g] Cum in ms. Grimanico legatur : *Datum* III *id. Aug. Valentiniano* VIII *cons.*, Quesnellus in notis animadvertit non posse legi III *idus Augusti*, eo quod hæc epistola in Augustum produci nequeat ; et edidit : *Data* III *idus Augusto Valentiniano* VIII *consule ;* mensem autem omissum ratus, in marginali postilla addendum putavit *Januarii*, vel *Februarii*, eo quod Carosum hisce litteris memoratum eumdem censuit acqui epistola præcedenti correctus traditur. Omnem difficultatem adimit cod. Ratisp., ex quo verum mensem discimus, et Carosum hic indicatum ab alio Caroso emendato diversum agnoscimus.

[h] Alias 114. Scripta 13 Martii an. 455.

[i] Hanc quoque epistolam e Grim. editam cum nostro Ratisp. contulimus.

[j] Ratisp., *qui.*

[k] Quesn., *sub alia.* Melius Ratisp.

[l] Scripta die 1 Junii an. 457.

[m] Hi Eutychianorum motus statim post Marciani mortem excitati, qui Juliani et aliorum catholicorum industria cito fuerunt repressi, ad Constantinopolim pertinent : quæ enim Alexandriæ contigerant, nondum Leoni plane explorata fuere, et se recentibus epistolis remedium iisdem procuratum fuit. Enimvero Epiphanius Scholasticus in præfatione codicis encyclii tom. V Concil. pag. 34, narrata Marciani morte et novi imperatoris electione ait : *Illi* Eutychiani *autem qui universalem synodum respuebant, credentes se habere licentiam agendi quæ vellent, turbarum repente cogitaverunt vias : et alii quidem venientes ad Constantini regiam civitatem, infringi imperiali jussione ea quæ Chalcedone bene sunt statuta, poscebant ;* et dein Alexandrinos motus subjicit. Quid vero statim novus Augustus Leo ad comprimendos eos priores motus gesserit, vide epistolam sequentem c. 2, annot. 2 (*Col.* 1113, *n.* [c]).

[n] Timotheus Ælurus Eutychianus, qui anteriorum seditionum fautor, a Proterio episcopo depositus fuerat, audita imperatoris Marciani morte, novam seditionem adversus eumdem episcopum commovit, adeo ut hoc vivente ad Alexandrinam sedem promotus

Digitized by Google

ausibus deferuntur, quos ideo plenius **1300** indicare non possumus, quia necdum ex integro quæ dicuntur gesta cognovimus. Sed hoc vobis pro universali Ecclesia laborandum est, ut si vera sunt quæ acta dicuntur, sanctæ Chalcedonensi synodo præjudicare non possint, ut quæ instruente Spiritu sancto ad totius mundi salutem definita sunt, inviolata permaneant. Dat. kal. Junii, Constantino et Rufo coss.

EPISTOLA [a] CXLV.

[b] AD LEONEM AUGUSTUM.

SYNOPSIS. — I. *Rogat ut perturbatæ Alexandrinorum Ecclesiæ succurrat.* — II. *De fide bene definita disceptandum denuo non esse; et ut catholicus Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus præficiatur.*

LEO Romæ episcopus LEONI semper Augusto.

CAP. I. — Officiis quæ [c] ad gratulationem imperii vestri pertinent persolutis, etiam hanc paginam necessariæ supplicationis adjeci, qua catholicæ fidei divinitus præparatum [d] favoris vestri posco præsidium. Nam talia in Alexandrina Ecclesia perpetrata, fratris et coepiscopi mei Anatolii relatione cognovi, ut omnis Christiana religio sentiat se [e] impeti atque violari, nisi [f] in universum fidei vestræ devotione prospiciatur, et memoratæ Ecclesiæ, quæ antea catholicis fuit clara rectoribus, reddatur Christiana libertas; [g] et cessantibus hæreticorum impugnationibus, evangelica **1301** doctrina, quæ illic ante Dioscorum viguit, unita cum totius Ecclesiæ pace reparetur. Quod opus virtutibus vestris glorieque conveniens celerem et Deo placitum habebit effectum, [h] si apud sanctam Chalcedonensem synodum de Domini Christi incarnatione firmata nulla permiseritis retractatione pulsari: quia in illo concilio per Spiritum sanctum congregato, tam plenis atque perfectis definitionibus cuncta firmata sunt, ut nihil ei regulæ quæ ex divina inspiratione prolata est, [i] aut addi possit aut minui, gloriosissime imperator.

CAP. II. — Hoc [j] autem etiam apud clementiæ vestræ scientiam non ambigimus esse perspicuum: siquidem, ut multorum ante relatione [k] comperimus, molitiones hæreticorum, quæ contra prædictæ synodi auctoritatem conabantur assurgere, nihil ex hoc [l] permiseritis audere. Unde quod negandum illis sponte vidistis, gloriosum vobis est universali Ecclesiæ me supplicante concedere, et incommutabiliter perpetueque præstare ut quæ secundum Evangelium Christi et prædicationis [m] apostolicæ veritatem omnibus retro sæculis, una fide, unaque intelligentia roborata sunt, nulla [n] ulterius possint actione convelli. Prout ergo misericordia Dei, consilio Spiritus sui mentem vestræ pietatis instruxerit, sanctæ primitus Alexandrinæ Ecclesiæ pacis reparatione consulite, et per catholicos sacerdotes talem provideri jubete [o] pontificem, in quo et **1302** [p] in actuum probitate et in fidei professione nihil possit reprehensibile reperiri: ut omnibus rite compositis, eadem ubique servetur prædicatio veritatis. Data [q] quinto

fuerit, et seditiosi ejus asseclæ die 28 Martii ipsum Proterium in baptisterio necaverint, et alia dira atque horrenda commiserint, quæ ab Evagrio et Liberato, ac in aliis pluribus ecclesiasticis documentis fuse describuntur.

[a] Alias 115. Scripta 11 Julii an. 457.

[b] Exstat in mss. collect. 3, 8, 12, 19, 23 et in exemplo primæ editionis sermonum S. Leonis.

[c] Aliæ litteræ gratulatoriæ innuuntur, quæ desunt. Novi imperatoris electionem acceperat ante kal. Junias, ut liquet ex epistola præcedenti.

[d] Tres codd. Vat. 5815, Vallicell. et Vercell. collect. 8, cum exemplo primæ editionis Sermonum, *laboris*.

[e] Prima editio, *impediri*.

[f] Ita ex nostris mss. ac prima editione. Quesnellus, *in universa*; cæteræ editiones, *in universali*. Mox *prospicitur* in Vercellensi codice et prima editione; ac dein *redditur* in Ratisp.

[g] Vulg. cum Vat. collect. 3, Ratisp. et exemplo primæ editionis, *ut cessantibus*.

[h] Quesn., *si sanctam Chalcedonensem synodum.... firmatam*, minus bene. Melius in anterioribus vulg., quorum lectionem mss. Ratisp. et Vallicell. ac exemplo primæ editionis approbatam revocavimus. Novum concilium imperatorem voluisse cogere tradit Facundus lib. XII, c. 2. Ab hoc autem consilio eum S. Leo hoc loco removere studet, ne velut incerta retractentur, quæ apud Chalcedonem firmata fuerant. Mox, *quia et in illo concilio* in Vallicell. codice et prima editione.

[i] Quesnellus delevit *aut*. Ex Vat. collect. 3, Vallic. collect. 8, Ratisp. collect. 19 et primæ editionis exemplo restituimus. Mox quidam codices cum antiquis edit. omittunt *gloriosissime imperator*.

[j] Ratisp. delet *autem*.

[k] Ratisp., *cognovimus*. Vercell., *comperi*. De *molitionibus* vero quæ hic indicantur confer annot. 2 (*Col.* 1112, *n.* [n]) in epistolam præcedentem.

[l] Eutychiani scilicet ob mutationem imperatoris, *opportunitatem*, ut ait Leo epistola sequenti, *se invenisse temporis æstimabant, quo sanctæ synodi Chalcedonensis decreta cassarent;* et idcirco, ut narrat Epiphanius Scholasticus in præfat. codicis encyclii, *venientes ad Constantini regiam civitatem, infringi imperiali jussione ea quæ Chalcedone bene sunt statuta, poscebant*. Hanc tamen molitionem Augustus irritam reddidit: in ipso enim imperii exordio litteras dedit ad omnes metropolitanos, quibus præcessorum suorum, ac præsertim Marciani leges pro Chalcedonensi synodo editas confirmavit, uti tradunt Ægyptii episcopi catholici in libello ad eumdem imperatorem, qui legitur tom. IV Concil. Ven. edit. pag. 1837. His vero imperialibus litteris omnes metropolitas respondisse cum subscriptionibus episcoporum provinciæ, quibus Chalcedonensem synodum, æque ac anteriora concilia, ratam haberi affirmabant, discimus ex epistola episcoporum Syriæ secundæ ad eumdem Augustum tom. IV Concil. pag. 1864.

[m] Al. in antiquis vulg., *evangelicæ*.

[n] Duo codd. collect. 8 et exemplum primæ edit., *alterius possint accusatione convelli*.

[o] Proterii scilicet episcopi mortem et totam seriem Alexandrinorum tumultuum ex Anatolii relatione didicerat.

[p] Ita cum antiquis editis nostri codd. Vat. collect. 3, Vallic. collect. 8, Ratisp. ac exemplum primæ editionis. Quesnellus, *in actus*. Dein *perfectione* pro *professione* in tribus nostris codicibus.

[q] Quesnellus, v *idus Junii;* in margine: Al., VI. Tillemontius not. 68 in Leonem errorem in mense detexit. Cum enim ex Anatolii relatione Leo Alexandrinorum tumultus perceperit, eodem tempore et ad imperatorem, et ad Anatolium scripsisse credi debet, ita ut vel utraque epistola Junio mense data fuerit vel Julio. Julium mensem præferendum credidit,

Digitized by Google

idus Julii, Constantino et Rufo viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA [a] CXLVI.

[b] AD ANATOLIUM EPISCOPUM CP.

Synopsis. — I. *Hæreticorum furore apud Alexandriam perpetrata in excidium Chalcedonensis synodi tendere ex occasione mortis Marciani imp.* — II. *Se ad Leonem Aug. pro servandis synodi decretis scripsisse.*

Leo Anatolio episcopo.

Cap. I. — Satis claret fraternitatis tuæ sermone quem sumpsimus, quam piam et probabilem curam dolori Ecclesiarum omnium nuper impenderis, manifestando nobis quæ apud Alexandriam in Christianæ religionis **1303** opprobrium gesta didicisti, ut gloriosus et clementissimus imperator de prospiciendis remediis etiam meis precibus posceretur. Cujus quidem tam laudabilis fides et tam prompta devotio est, ut quæ paci ecclesiasticæ congruebant, sine intercessione cujusquam, sicut ipse indicas, [c] sponte præstiterit, omnes hæreticorum insidias repellendo; qui opportunitatem se invenisse temporis æstimabant, quo sanctæ synodi Chalcedonensis decreta cassarent.

Cap. II. — Sed gratias Deo, qui post excessum sanctæ ac venerandæ memoriæ Marciani, talem principem omnium electione prospexit, ut in ejus virtutibus et Romana respublica, et religio Christiana gauderet. Secutus ergo tuæ dilectionis hortatum, in quantum debui glorioso principi supplicavi, ne in pervasionem Alexandrinæ Ecclesiæ aliquid ulterius sibi possit hæretica audacia vindicare; sed nefariis ausibus salubri fine præfixo, et libertati ecclesiasticæ consuleretur et paci. Superest, ut [d] etiam fraternitas tua ex opportunitate præsentiæ fidelissimi imperatoris animum studeat enixius deprecari de statutis sanctæ synodi Chalcedonensis sine ulla retractatione servandis; cum ea, quæ Deo aspirante decreta sunt, nulla se patiantur varietate corrumpi. In quem autem [e] profectum hujus pietatis cura procedat, frequentibus tuæ dilectionis litteris me debebis instruere, ut de sanctis clementissimi principis studiis pariter in Domino gloriemur. Datum quinto idus Julii, Constantino et Rufo consulibus.

EPISTOLA [f] CXLVII.

[g] AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM, ET AETIUM PRESBYTERUM.

Synopsis. — I. *De silentio conquestus curam ei Ecclesiæ commendat.* — II. *Ut statuta synodi Chalcedonensis inconcussa permaneant, et Alexandriæ catholicus episcopus eligatur.*

1304 Leo Juliano episcopo [h] et Aetio presbytero *A pari.*

Cap. I. — Quamvis dudum litteras tuæ dilectionis acceperim, miror tamen eam rescribendi opportunitatem, qua frater Anatolius necessarie usus est, silentio præteriisse, cum pro ratione temporis atque causarum crebriora oporteat esse colloquia. Ego sane prædicti fratris litteris de his plenius, quæ apud Alexandriam hæretica temeritas gessit, edoctus, ad clementissimum principem scripsi, et pro statu Ecclesiæ, sicut erat necessarium, supplicavi, ut rebus nimium perturbatis studium suæ pietatis impendat. Unde sicut fratrem et coepiscopum nostrum Anatolium cohortatus sum, ita etiam dilectionem tuam admonere non desino, ut clementissimi principis fidem quantis opportunum fuerit precibus ambiatis, quem pro religionis catholicæ munimento sponte jam quædam præstitisse cognovimus; ut non difficilis apud eum sit actio, cujus voluntaria sollicitudine prævenimur.

Cap. II. — Quod ergo in causa fidei principale est, incessabilibus suggestionibus obtineto, ut sanctæ synodi Chalcedonensis statuta nullis hæreticorum pulsentur insidiis, neque liceat quidquam [i] de illa definitione convelli, quam ex inspiratione divina non dubium est per omnia evangelicis atque apostolicis consonare doctrinis. Tum illud omni assiduitate deposcite, ut Alexandrinæ Ecclesiæ status in antiquæ fidei libertatem, refutata atque depulsa hæreticorum obcæcatione, revocetur, per catholicorum scilicet sacerdotum providentiam, ut in locum sanctæ memoriæ Proterii probatissimus et de cujus fide nequeat dubitari, constituatur antistes; cui cum securitate concordiæ communio sedis apostolicæ præbeatur. Satis enim erit religioso principi gloriosum, si dispositionibus ipsius non solum tota respublica, sed etiam Dei Ecclesia sit quieta. Datum quinto idus Julii, Constantino et Rufo consulibus.

quod v idus Julias pariter signetur epistola 147, ad Julianum, quæ simul transmissa fuit. Sed codices desideravit qui hac in epistola Julium præferrent. Nostri codices difficultatem solvunt. Soli enim codd. collect. 12, cum editis exinde derivatis, v *idus Junias* exhibent. At mss. collect. 3, 8, Ratisp. collect. 19 et Vat. Ottobon. collect. 23, ac exemplum primæ editionis *Julias* notant. Solum in Vat. 1342 collect. 3, pro v *idus* legitur *idibus Julias*. Quidam ex his codd. pro *Constantino* habent *Constante*, sed perperam; consul enim hujus anni in inscriptionibus aliisque documentis *Constantinus* vocatur.

[a] Alias 116. Scripta 11 Julii an. 457.

[b] Ex Grimanico editam cum Ratisponensi relegimus.

[c] Confer annot. 2 (*Col.* 1113, *n.* [c]) in epist. 145.

[d] Ex Ratisp. *etiam* adjecimus.

[e] Al., *provectum*.

[f] Alias 117. Scripta 11 Julii an. 457.

[g] Hanc quoque ex Grimanico vulgatam cum Ratisponensi contulimus.

[h] Ratispon. cod. omittit *et Aetio*, nec non *a pari*. Solæ Juliani litteræ dudum acceptæ initio indicantur, quibus Leo respondit epist. 144. Id Aetio convenire nequit, sicut nec ea convenire videntur, quibus de omissa opportunitate rescribendi queritur; neque enim tam frequens cum Aetio quam cum Juliano Leonis legato litterarum commercium fuit. Hinc de hac Grimanici codicis lectione vehementer ambigimus. Alia certe epistola ad Aetium hoc eodem in negotio, et fortassis per hoc idem tempus scripta desideratur, cujus duo fragmenta in dissert. *de epistolis deperditis* ex Pelagii II litteris recitabimus.

[i] Sic Ratisp. Al., *ex illa*.

Digitized by Google

1305 EPISTOLA [a] CXLVIII.

[b] AD LEONEM AUGUSTUM.

Synopsis. — *Gaudet Augustum synodi Chalcedonensis esse custodem, et ab eodem pertinacem et insidiosam hæreticorum contentionem compesci postulat.*

Leo episcopus Romæ, Leoni semper Augusto.

Licet proxime ad clementiam vestram [c] gemina scripta direxerim, quorum unum debitum salutationis impleret, [d] aliud pro statu Ecclesiæ supplicaret, [e] tamen 1306 occasione, quæ Deo providente se præbuit, iterari utramque convenit, gloriosissime imperator. Secundum illam ergo fiduciam, quam ex Dei inspiratione universali Ecclesiæ præstitistis, ante cujusquam preces [f] constituendo, quod maxime ab omnibus fuerat expetendum, non desinimus gratias agere, et providentiam Dei in fidei vestræ fervore benedicere, qui sancto et catholico spiritu, sicut fratris et coepiscopi mei Anatolii sermone cognovi, ita hæreticorum impudentiæ restitistis ut profiteremini [g] in totius mundi pacem Chalcedonensis synodi vos esse custodes. Quod cum ex vestræ fidei sententia saluberrime definitum sit, quanto studiosius universali Ecclesiæ est conferendum, ut tranquillitas fidei Christianæ etiam vestro prosit imperio, nec improbitas hæretica in aliquo de suo molimine glorietur! Cujus pertinax et insidiosa contentio illico [h] conquiescit, si imperiali potestate frenetur. Data kalendis Septembris, Constantino et Rufo viris clarissimis consulibus.

[a] Alias 122. Scripta 1 Septemb. an. 457.
[b] Edita olim fuit ex mss. collect. 12. In Ratisp. eamdem invenimus.
[c] Nimirum epistolam gratulatoriam pro assumptione Leonis ad imperium, quæ desideratur, et epistolam 145 datam v idus Julias.
[d] Ratisp., *et aliud.*
[e] Idem Ratisp., *etiam hac tamen occasione.*
[f] Vide annot. 11 (*Col.* 1114, *n.* 1) in epist. 145.
[g] Sic ex mss. Veneto S. Marci collect. 12, et Ratisp. Al., *ad totius.... custodem.*
[h] Ita iidem codices. Al., *conquiescet.*

ADMONITIO IN DUAS SEQUENTES EPISTOLAS

1. Quesnellus in codice Grimanico duas sequentes epistolas distinctas reperit, alteram Basilio Antiocheno, alteram Euxitheo Thessalonicensi et Juvenali Jerosolymitano inscriptam. In codice vero Ratisponensi una tantum profertur, sed cum inscriptione : *Leo episcopus Basilio, Juvenali, Euxitheo, Petro, et Lucæ episcopis.* Hi duo postremi, ut ex codice encyclio discimus, sunt Petrus Corinthius et Lucas Dyrrachenus, ad quos pariter eamdem epistolam directam agnoscimus. Post primam periodum solius Basilii Antiocheni propriam, in eodem codice notatur : *Usque huc Basilio;* ex quo monemur, sequentia, *Cognitis quæ apud Alexandriam*, etc., ad Basilium æque ac ad cæteros in inscriptione nominatos scripta fuisse *a pari.* Hæc Ratisponensis codicis inscriptio atque notatio maxime congruit cum iis quæ S. Leo scribit epist. 153 : *Placuit etiam vobis ut ad metropolitanos episcopos generales litteras mitteremus, quæ animum eorum firment et roborent... De quibus epistolis unam ad Antiochenum, alteram ad Jerosolymitanum... dirigetis. Nos autem ad Illyrios episcopos similia jam scripta transmisimus.* Hic tria similis epistolæ exempla indicantur, ad Basilium Antiochenum, ad Juvenalem Jerosolymitanum, et ad Illyrios episcopos, id est ad Euxitheum Thessalonicensem, Petrum Corinthium, et Lucam Dyrrachenum, qui accuratius in inscriptione nostri codicis Ratisponensis nominantur. Ex Grimanico vero codice illud elicimus, in exemplo epistolæ 150 ad Euxitheum cæterosque metropolitas Illyrici postremæ periodo insertas fuisse voces *per Illyricum;* quæ cum Juvenali Jerosolymitano nequaquam conveniant, in epistola ad eumdem certissime defuerunt, et idcirco Juvenalis nomen in inscriptione ejusdem epistolæ delendum credidimus.

2. Eædem duæ epistolæ suspectæ fidei fuerunt Pagio ad an. 457, n. 7, sicut etiam epistola 153, ob imploratum auxilium Patricii Asparis, quæ duo nomina separatim posita in epist. 149 et 150 pro duabus personis accepit, primum filii, alterum patris, cum tamen unum Asparem significent, qui patricii dignitate ornabatur, unde in epist. 153 Patricius Aspar vocatur. Cum vero Aspar esset Arianus, incredibile visum est Pagio S. pontificem ab Ariano opem postulasse contra Eutychianos et contra Timotheum Æluram, cujus patrocinium Aspar susceperat. Sed cum Leo imperator Patricio Aspari imperium deberet, necessarium fuit ad eum confugere qui summam apud principem auctoritatem obtinebat, ut vel faveret vel non obsisteret. Cum vero olim catholicis adversus Eutychianos favisset, adeo ut apud Marcianum intercesserit pro Theodoreto, qui gratias illi reddidit epist. 139, S. pontifex fortasis ex insinuatione Anatolii vel Aetii ad eumdem scribens, auxilium aliquod sperare se posse existimavit. Timothei patrocinium non statim initio detectum fuerat vel saltem spes erat fore ut Leonis litteris et officiis moveretur, uti eadem spe S. Leo scripsit ad imperatorem Theodosium, licet eum et Eutychi et latrocinio Ephesino patrocinari sciret. Stylus certe ac totus rerum complexus Leonem refert, ut idem Pagius negare non potuit. Pelagii etiam II epistola 3 ad Eliam et cæteros episcopos Istriæ, ubi ex sequenti epistola duo testimonia recitat, de ipsius authenticitate dubitare non sinit. Duorum vero ac tam insignium diversæ originis codicum, Grimanici et Ratisponensis, auctoritas ita Patricii et Asparis nomina vindicant, ut commentitium plane sit hæc nomina pro aliorum magnatum nominibus his litteris inserta suspicari, ut laudatus Pagius in fine suæ annotationis conjecit; cum præsertim Patricii nomen in alia epistola 151, quam ex Ratisponensi edemus, similiter legatur.

3. Harum epistolarum tempus apud Quesnellum ex Grimanico codice signatum errore manifesto laborat. Cum enim in textu allegato ex epist. 153 Leo Aetio commiserit, ut epistolam ad Basilium Antiochenum dirigeret, hæc proculdubio una cum ipsis ad Aetium litteris transmissa fuit, ac proinde eodem die ex Leonis more signata, nimirum kalendis Septembris. Præterea ex eadem ad Aetium epistola discimus alias litteras simul missas fuisse ad imperatorem, ad Asparem et alios. Habemus autem epistolam 148 ad imperatorem Leonem, epist. 151 ad Anatolium, et 152 ad Julianum; cumque hæ omnes *kal. Septembris* notentur, nihil dubium est quin duæ etiam sequentes eadem die signatæ fuerint, uti sane ex Ratisponensi emendavimus.

Digitized by Google

1309 EPISTOLA [a] CXLIX.

AD BASILIUM EPISCOPUM ANTIOCHENUM.

SYNOPSIS. — I. *Præmissa de non misso ordinationis nuntio querela, hortatur ut resistat Eutychianorum furori, qui cæso apud Alexandriam Proterio episcopo, synodum novam, posthabita Chalcedonensi, instaurari poscebant.* — II. *Leone imper. laudato, omnia in episcoporum constantia posita esse asserit, ne novi tractatus ineantur.*

LEO BASILIO episcopo Antiocheno.

CAP. I. — Ordinationem quidem dilectionis tuæ secundum ecclesiasticum morem tuo vel fratrum nostrorum provincialium episcoporum [b] debueramus sermone cognoscere; sed quia non defuerunt causæ quæ possent hanc diligentiam præpedire, et sanctæ memoriæ Marcianus princeps suis scriptis consecrationem tuam nobis cognitam fecit, nec de tuo possumus merito dubitare quem novimus, de necessitate præsenti, sicut aliquantos fratres nostros, ita etiam **1310** dilectionem tuam nostris litteris commonemus. Cognitis enim quæ apud Alexandriam Eutychianorum furore commissa sunt, quæque fraternitati [c] vestræ comperta esse non dubito, pro ea sollicitudine quam omnibus Ecclesiis Dei debeo, hæc scripta direxi, quibus dilectionem vestram credidi commonendam, ut sceleratis ausibus sancta constantia resistatis, ne in quoquam [d] nostrum communis fides aut trepida inveniatur aut tepida : cum propitio Domino, qui Ecclesiam suam in quacumque tribulatione non deserit, tam religiosum tamque catholicum animum piissimi imperatoris habeamus, ut non aliud de illo credendum sit, quam probavimus de augustæ memoriæ Marciano.

CAP. II. — Siquidem etiam adhuc nostra actione cessante, ita fidelissimus imperator parricidale crimen horruerit, ut nullum aditum hæreticorum concesserit actioni, qui post immanitatem facinoris perpetrati hoc sibi possibile esse credebant, ut sanctæ Chalcedonensis synodi definitionibus resolutis in alios tractatus vocaretur episcopale [e] concilium. Quod quia, frater charissime, abrupte inimicum est fidei Christianæ, et non ob aliud tanta improbitate deposcitur, nisi ut prædicatio Evangelii et Dominicæ incarnationis mysterium subruatur, [f] obsecro dilectionem [g] vestram ut a Chalcedonensis synodi definitionibus in nullo animos relaxetis; et quæ ex divina sunt inspiratione composita, nulla patiamini novitate temerari. **1311** Certus enim sum quod clementissimus imperator et vir [h] magnificus Patricius, cum omni cœtu illustrium potestatum nihil in perturbationem Ecclesiæ patientur hæreticos obtinere, si pastorales animos in nullo viderint fluctuare. [i] Ut autem hæc [j] adhortatio ad omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum possit notitiam pervenire, [k] diligentiæ vestræ cura prospiciat, quia, quod sæpe dicendum est, tota religio Christiana turbatur, si quidquam de his quæ apud Chalcedonam sunt statuta convellatur. Datum [l] kalendis Septembris, Constantino et Rufo consulibus.

EPISTOLA [m] CL.

[n] AD EUXITHEUM EPISCOPUM THESSALONICENSEM, ET A PARI AD JUVENALEM JEROSOLYMITANUM, PETRUM CORINTHIUM, ET LUCAM DYRRACHENUM.

SYNOPSIS. — *Hortatur ut sceleratis ausibus Eutychianorum, qui Proterium Alex. episc. occiderant, strenue resistant; nec patiantur synodum alteram congregari; sed sua Chalcedonensi firmitas asseratur.*

LEO EUXITHEO Thessalonicensi episcopo.

Cognitis quæ apud Alexandriam Eutychianorum

[a] Alias 118. Scripta 1 Sept. an. 457.

[b] Ratisp. cod., *debueram*. Mos erat Ecclesiarum Orientis ad Romanum pontificem ordinationem episcoporum majorum sedium referre per litteras ordinati et ordinatorum ejus, ut patet inter cætera ex epist. 53 Anatolii ad Leonem, ex epist. 71, 86, c. 3; epistola vero 171, c. 2, *necessarie et ex more* id factum traditur. Vide etiam epist. 172 et 173. Hic Basilius in Maximi locum vivo adhuc Marciano subrogatus fuerat. Si voces, *quem novimus*, Basilium Leoni jam antea cognitum indicant, forte hic est ille Basilius diaconus qui Marciani Augusti et Anatolii litteras ad pontificem attulit an. 452. Vide epist. 104 et 106.

[c] Ita Ratisp. et cohærentius sequentibus, *dilectionem vestram, diligentiæ vestræ*, etc. Quesn. ex Grim., *tuæ*.

[d] Pelagius II, epist. 3 ad episcopos Istriæ, c. 5, hoc Leonis testimonium recitans legit *nostra*.

[e] Sic non solum cod. Ratisp., sed etiam Grim., Cacciario teste. Quesnellus ex arbitrio edidit *judicium*. Novum concilium initio imperator volebat, Facundo teste lib. XII, c. 2, sperans fore ut hac via Eutychianos revocaret. In id institisse etiam Eutychianos ex hoc loco discimus. At S. Leo pontifex ne id fieret institit et obtinuit.

[f] Sequentia refert Pelagius II.

[g] Apud Pelagium loco citato, *tuam*, et post pauca, *animum*.

[h] Ratisp., *præcipuus Patricius*. Est *Patricius Aspar*, de quo in admonit. n. 2. Forte *præcipuus* dictus fuit, ut hoc communi nomine inter alios patricios distingueretur Aspar, qui tum apud Augustum summa auctoritate potiebatur.

[i] Hæc referunt Pelagius et Vigilius.

[j] Hoc testimonium recitant et laudatus Pelagius II, loco allegato, et Vigilius in Constituto dato pridie idus Maii an. 553, qui postremus per errorem *ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum* pro *ad Basilium Antiochenum* hanc epistolam scriptam prodit, et in fine post verbum *convellatur* addit quasi uno contextu, *et quæ ex divina sunt inspiratione composita, ulla* (lege *nulla*) *patiamini novitate temerari* : quæ verba in antecedentibus leguntur. Utrique autem hi pontifices habent *exhortatio;* Ratisp., *cohortatio*.

[k] Quesnellus in margine ex Vigilio, *diligens fraternitatis cura*. At in editione Concil. tom. V, pag. 1356, apud Vigilium legitur, *diligentiæ vestræ cura perficiat*. Pelagius vero, *diligenter vestræ fraternitatis cura perspiciat*. Post pauca in Ratisp., *convellitur*.

[l] Ita codex Ratisp. Male in Vulg. ex Grim. *decimo kal. Sept.* Vide admonit. num. 3.

[m] Alias 119. Scripta 1 Septemb. an. 457.

[n] Quesnellus ex Grimanico solum addidit, *et Juvenalem Jerosolymorum*. Duos alios episcopos eruimus ex cod. Ratisp. Vide Admonitionem antecedenti epistolæ præmissam num. 1, ubi etiam monuimus hanc epistolam in Ratisp. a præcedenti non separari, ut in Grimanico factum fuit : quia tota in præcedenti epistola continetur. Duæ solæ voces per *Illyricum* postremæ periodo insertæ in hac epistola leguntur, quæ desunt in præcedenti. Ex his autem vocibus cognoscimus hoc fuisse exemplum epistolæ ad Illyricianos missæ, non vero ad Juvenalem, ad quem Illyricum nihil pertinet; unde hujus nomen ab inscriptione quam dedit Quesnellus expunximus.

Digitized by Google

furore commissa sunt, quæque fraternitati [a] vestræ comperta esse non dubito, pro ea sollicitudine quam omnibus Ecclesiis Dei debeo, hæc scripta direxi, quibus dilectionem vestram credidi commonendam ut sceleratis ausibus sancta constantia resistatis, ne in quoquam nostrum communis fides aut trepida inveniatur aut tepida; cum propitio Domino, qui Ecclesiam suam in quacumque tribulatione non deserit, tam religiosum tamque catholicum animum piissimi imperatoris habeamus, ut non aliud de illo credendum sit quam **1312** probavimus de augustæ memoriæ Marciano. Siquidem etiam adhuc nostra actione cessante, ita fidelissimus imperator parricidale crimen horruerit, ut nullum aditum hæreticorum concesserit actioni; qui post immanitatem facinoris perpetrati, hoc sibi possibile esse credebant, ut sanctæ Chalcedonensis synodi definitionibus resolutis, in alios tractatus vocaretur episcopale [b] concilium. Quod quia, frater charissime, abrupte inimicum est fidei Christianæ, et non ob aliud tanta improbitate deposcitur, nisi ut prædicatio Evangelii et Dominicæ incarnationis mysterium subruatur, obsecro dilectionem vestram, ut a Chalcedonensis synodi definitionibus in nullo animos relaxetis, et quæ ex divina sunt inspiratione composita, nulla patiamini novitate temerari. Certus enim sum quod clementissimus imperator et vir magnificus Patricius cum omni cœtu illustrium potestatum, nihil in perturbationem Ecclesiæ patientur hæreticos obtinere, si pastorales animos in nullo viderint fluctuare. Ut autem hæc adhortatio ad omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum per Illyricum possit notitiam pervenire, diligentiæ vestræ cura prospiciat: quia, quod sæpe dicendum est, tota religio Christiana turbatur, si quidquam de his quæ apud Chalcedonam sunt statuta convellatur. Datum [c] kalendis Septembris, Constantino et Rufo consulibus.

1313 EPISTOLA [d] CLI.

[e] AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Nunc primum edita ex ms. Ratisponensi.

SYNOPSIS. — *Ipsum laudat, et ut Ecclesiam Constantinopolitanam ab hæresi purget hortatur. De Attico presbytero discutiendo.*

LEO episcopus ANATOLIO episcopo.

Fidem dilectionis tuæ atque constantiam, qua hæreticorum insidiis obstitisti, gratanter agnoscimus; et ideo securiore te fiducia cohortamur ut rebus etiam a te defensis constanter assistas. Siquidem religiosum charitatis tuæ propositum tam apud clementissimum principem, quam apud magnificentissimum virum Patricium [f] nostra scripta testantur, quibus [g] diligentia tua nos instructos per omnia esse patefecimus. Agat ergo primitus fraternitas tua ut Constantinopolitana Ecclesia ab omni hæreticorum labe purgata sit, et ut catholica puritas, quæ etiam in laicis conservanda est, maxime in clericis reperiatur illæsa, frater charissime. Licet enim famæ perferrentium [h] temere non credamus, tamen quia, ubi animarum causa agitur, locum diabolicis fraudibus studemus obstruere, prænonemus dilectionem tuam ut Atticum presbyterum, qui perhibetur Eutychianorum errorem apertis intra Ecclesiam disputationibus confovere, secreta primum disquisitione discutias; ac si quid in corde ipsius de hæretici veneni permixtione repereris, aut corrigendo catholicum facias, aut ab Ecclesia necessaria severitate depellas: ne dum inutili lenitate uni parcitur, multis impunito errore noceatur. Datum kal. Septembris, Constantino et Rufo coss.

1314 EPISTOLA [i] CLII.

[j] AD JULIANUM COENSEM EPISCOPUM.

SYNOPSIS. — *Monet ut epistolæ præcedentes ad metropolitanos scriptæ, ad unumquemque Juliani cura vel Aetii perveniant; episcopalem ante omnia requiri constantiam; nihil esse in sua epistola vel novi, vel obscuri, vel dubii.*

LEO JULIANO episcopo.

Existente occasione filii nostri Gerontii Constantinopolim revertentis, conveniens fuit ad dilectionem tuam scripta dirigere, quibus studium tuum in causis ecclesiasticis, et [k] in his quæ ad fidem pertinent incitamus; ut contra hæreticorum conatus constanter obsistas, confidentes Dei misericordiam præstituram ut scelestis ausibus etiam in hoc tempore digna reddantur. Sciat autem dilectio tua ad aliquantos fratres et coepiscopos nostros metropolitanos [l] litteras nos dedisse, quæ ut confestim ad unumquemque perveniant, tua vel filii nostri Aetii presbyteri [m] debet diligentia providere. Si enim episcopalis constantia a sanctæ synodi Chalcedonensis definitionibus non recedit, certus sum quod clementissimus et Christianissimus princeps libenter tuebitur [n] sententiam suam, et quod sponte jam præstitit, multo magis rogatus efficiet, ne bene finita atque composita aliqua

[a] Quesnellus, *tuæ*. Cur Ratisponensis lectionem hic quoque prætulerimus, vide annot. 2 (*Col.* 1119, *n.* c) in epist. præcedentem.

[b] Ita cod Grim., non autem *judicium*, uti Quesnellus ex arbitrio edidit. Confer not. 4 (*Col.* 1119, *n.* e) in epist. præcedentem.

[c] Quesnellus, *decimo kal. Sept.* Ex Ratisp. emendavimus. Confer Admonit. num. 3.

[d] Scripta 1 Septemb. an. 457.

[e] Nunc primum prodit ex ms. Ratisp., atque indicatur epistolis 157, c. 4 et 163, ubi de Attici causa sermo est.

[f] Exstat ad imperatorem epistola 148. At quæ ad Patricium Asparem data fuit desideratur.

[g] Hæc innuunt Anatolii litteras, quibus is de Eutychianorum Alexandrinorum motibus Leonem instruxerat; sed hæ quoque desiderantur.

[h] Hinc cognoscitur et prudentia et moderatio S. Leonis in causa Attici, quantumque in ea Anatolio detulerit, *cui discutienda ea quæ ad me*, inquit epist. 163, *erant perlata, commisi*, hac scilicet epistola 151.

[i] Alias 120. Scripta 1 Septembr. an. 457.

[j] Ex cod. Grimanico editam cum Ratisponensi contulimus.

[k] Præpositionem *in* ex Ratisp. addidimus.

[l] Epist. 149 et 150.

[m] Ratisp. cod., *debebit*.

[n] Quam scilicet imperator declaravit in litteris initio imperii sui editis, de quibus vide annot. 11 (*Col.* 1114, *n* l) in epist. 145.

Digitized by Google

possint novitate violari. Miror sane calumniantium vanitati aliquid adhuc in epistola mea, quæ universo mundo placuit, obscurum videri, ut de ea putent [a] apertius exponendum : cum illius prædicationis tam [b] plana et solida sit assertio, ut nihil recipiat vel in sensu vel in sermone novitatis : quia quidquid tunc a nobis scriptum est, ex apostolica et evangelica probatur sumptum esse doctrina. Datum kalendis Septembris, Constantino et Rufo consulibus.

1315 EPISTOLA [c] CLIII.

[d] AD AETIUM PRESBYTERUM CP.

SYNOPSIS. — I. *Ut litteras in Orientem scriptas unicuique dirigat.* — II. *Se pariter misisse litteras a Gallis et Italis ad se scriptas. Item et de aliis.*

LEO AETIO presbytero.

CAP. I. — Accepimus dilectionis tuæ litteras, quæ diligentiam tuam in causa Ecclesiæ testarentur; et breviter interim cohortamur ut cœptis vigilanter insistas, ne hæreticorum perversitas quidquam, [e] quo Ecclesia Domini turbetur, obtineat. Nos autem pro diligentia [f] nostri et ad clementissimum principem, et ad magnificum virum Patricium Asparem necessaria in causa fidei scripta transmisimus, quæ sine dubio effectum congruum poterunt obtinere, si etiam vestra cura pervigilet. Placuit etiam nobis ut [g] ad metropolitanos episcopos generales litteras mitteremus, quæ animum eorum firment atque corroborent : [h] ut sciant ad defendendam Chalcedonensem synodum æquali studio et concordi unitate nitendum. De quibus epistolis, unam ad Antiochenum, alteram ad Jerosolymitanum, si vobis in commune visum fuerit, dirigetis. Nos autem ad Illyrios episcopos similia jam scripta transmisimus.

CAP. II. — De sacramento vero catholicæ fidei nullis nobis jam conflictationibus est agendum : quia nec diligentius aliquid indagari potest, nec verius definiri. Exemplaria quoque [i] litterarum quas [j] Galli ad nos atque Itali episcopi concordi credulitate miserunt, pariter direximus ut quam etiam illorum nobiscum sit fides una non lateat. Præterea scripta quæ tam clementissimo principi, quam [k] necessariis personis per filium nostrum Gerontium misimus, [l] vel a dilectione tua, **1316** vel a filio nostro Storacio, si adhuc vobiscum est, volumus offerri, et eo sermone quo convenit adjuvari. Ut autem ea quæ scripsimus scire possitis, exemplaria direximus, ut de omnibus instructi esse possitis. Datum kalendis Septembris, Constantino et Rufo consulibus.

EPISTOLA [m] CLIV.

[n] AD EPISCOPOS ÆGYPTIOS.

SYNOPSIS. — *Episcopos Ægyptios pro fide exterres consolatur, et ut pro incarnationis mysterio patienter adversa tolerent, hortatur.*

LEO [o] episcopis ex Ægypto catholicis apud Constantinopolim constitutis.

Licet laboribus dilectionis vestræ, quos pro observantia catholicæ fidei suscepistis, toto corde compatiar, et ea quæ vobis ab hæreticis illata sunt non aliter accipiam quam si ipse pertulerim, intelligo tamen magis esse gaudii quam mœroris, quod confortante vos Domino Jesu Christo in evangelica apostolicaque doctrina insuperabiles perstitistis. Et cum vos inimici fidei Christianæ ab Ecclesiarum vestrarum sede divelferent, maluistis peregrinationis injuriam pati, quam ulla impietatis ipsorum contagione violari. Unde ad Christianissimum principem nostrum [p] litteras dirigens gratias egi ipsius pietati, quod vos, sicut nobis indicatum est, ea qua dignum erat charitate suscepit. A cujus benevolentia non dubito eam vobis fiduciam esse collatam, ut pro universalis Ecclesiæ statu constanter exsequi quæ sunt agenda possitis : quia et clementia ejus pro defendendis sanctæ synodi Chalcedonensis decretis sacerdotali fervet affectu, et nihil universo mundo præstari salubrius ac beatius potest, quam ut dispositum ante sæcula sacramentum inviolabiliter per omnia

[a] Sic optimus cod. Ratisp. Al., *aptius*.

[b] Quesnellus, *plena*. Melius in Ratisp. Ex his patet Leonem detexisse difficultates contra suam epistolam excitatas non ex Græca interpretatione ejusdem minus congrua, de qua antea erat sollicitus epistolis 130 et 131, sed *ex calumniantium vanitate*, qui obscuritatis prætextu veritati non acquiescebant, dimanare; unde horum audaciam ab imperatore compescendam petiit.

[c] Alias 121. Scripta 1 Septemb. an. 457.

[d] Quesnellus ex cod. Grimanico edidit; nos in Ratisp. invenimus.

[e] Sic Ratisp. Quesnellus, *quod Ecclesiam Domini turbet*.

[f] Forte, *nostra*, vel supplendum *officii*, aut quid simile. De epistolis vero hic memoratis vide annot. 2 (*Col.* 1121, *n.* [f]) in epist. 151.

[g] Confer Admont. in epist. 149, num. 1.

[h] Ratisp., *et sciant*.

[i] Idem codex, *epistolarum*. Hinc discimus ad solos Gallos et Italos, id est Mediolanensis provinciæ episcopos, Leonem suam ad Flavianum epistolam misisse, ut eamdem solemni subscriptione reciperent. Si enim aliarum Occidentis provinciarum episcopos idipsum postulasset, cum aliorum quoque responsa accepisset, tum vero exemplaria eorum pariter transmisisset. Leo vero ad Gallos et Italos ea de re scripsit, quia alia scribendi occasio, quoad hos, se obtulerat, quoad alios non item.

[j] Epist. 97 et 99.

[k] Nimirum Anatolio, Juliano et Aspari.

[l] Quesnellus, *vel ad dilectionem vestram, vel ad filium nostrum* SPORATIUM; et in margine : *Forte, per dilectionem vestram, vel per filium nostrum*, etc. Ex Ratisp. emendavimus. *Storatii* lectio dubitationem sustulit num *Sporatius*, qui fuit consul in Oriente an. 452, hic nominetur. Neque vero credimus intelligi *Storatium*, qui fuit præfectus Urbis an. 443; ejusmodi enim viri aliquo honorifico titulo appellari solent.

[m] Alias 123. Scripta 11 Octob. an. 457.

[n] In solo codice Grimanico, ex quo a Quesnello edita fuit, hactenus inventa est.

[o] Post Proterii mortem persecutione contra episcopos catholicos excitata, plures Constantinopolim profecti libellum supplicem imperatori obtulerunt, qui legitur tom. IV Concil. pag. 1837. Ad hos Leo hanc epistolam dedit, et iterum epistolas 158 et 160; in hujus postremæ inscriptione ipsorum episcoporum nomina recensentur, quæ cum nominibus laudato libello subscriptis fere concordant.

[p] Cum in epist. 148 nullum sit horum Ægyptiorum episcoporum indicium, aliæ hic indicandæ litteræ ad Leonem Augustum, quas periere.

Digitized by Google

ecclesiastica 1317 [a] pace servetur et regia. Unumquemque igitur vestrum, quos idem animus et eadem fidei causa conjunxit, vel qui vos hæreticorum persecutione despecta, indefesso ardore fidei ex Ægypto sunt secuti, fraterno simul et paterno cohortor affectu, ut æquo et forti animo hæc tentamenta toleretis; agnoscentes vos non amisisse propria, sed majora meruisse, quorum brevi fatigatione, qua ad confessorum pervenitur coronas, ita utitur providentia Dei, ut per vestram patientiam multorum devotio roboretur, et cum gloria venerandi principis Alexandrina Ecclesia, depulsis hæreticis, antiquam recipiat dignitatem. Datum quinto idus Octobris, Constantino et Rufo consulibus.

EPISTOLA [b] CLV.

[c] AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

[d] SYNOPSIS. — I. *Eum ad vigilantiam contra hæreticorum conatus incitat.* — II. *Conniventiam clericorum Constantinop. arguit, circa quos vigorem in Anatolio desiderat pastoralem.*

LEO ANATOLIO episcopo.

CAP. I. — Diligentiam necessariæ sollicitudinis, quam fraternitas tua in dirigendis ad nos litteris exsequitur, approbamus, et acceptis per filium nostrum Olympium paginis tuis, sacerdotalem in te curam vigere sentimus: cui nos quoque, quantum Dominus [e] donat posse, non desumus, exorantes dilectionem tuam, ut quia tempus laboris incidimus, in sancta vigilantia perseveres, donec dextera Domini faciat virtutem (*Ps.* CXVII, 16), et sub pedibus Ecclesiæ suæ conterat tentatorem. Consolatur etenim nos per omnia præparata divinitus clementissimi 1318 principis fides, quem [f] meo rursus, sicut oportuit, sum cohortatus alloquio: ut impiissimorum latronum ausibus districtiore constantia faciat [g] obviari: quos nefas est tantum de suo favore præsumere, ut etiam apud Constantinopolim audeant insanire. Sed hoc eis ideo divinæ providentiæ ratione permittitur, ut magis ac magis quo spiritu agitentur appareat: ne dubitari possit, in quantam essent audaciam prorupturi, si post damnationem impiissimæ hæresis, disceptandi contra fidem acciperent potestatem, ut quantum in ipsis est, latius hoc furore sævirent, quem fratres et coepiscopi nostri, qui ad vos nuper ex Ægypti partibus confugere, se pertulisse deplorant; quibus et a Christianissimo principe, et [h] a tuæ fraternitatis Deo placita charitate solatia pietatis impendi non ambigerem, etiam si ipse non scriberes. Opportunum autem credidi ut ad ipsos quoque [i] scripta dirigerem, quæ illos [j] possint in communis fidei proposito roborare, et quid pro patientia sua superna remuneratione mereantur, agnoscerent: sicut beatus apostolus docet, dicens: *Excipite itaque illos cum* [k] *omni gaudio in Domino, et hujusmodi cum honore habete, quoniam propter fidem Christi usque ad mortem accesserunt* (*Philipp.* II, 29).

CAP. II. — [l] Illud sane plurimum mihi displicere significo, quod inter dilectionis tuæ [m] clericos quidam esse dicuntur qui adversariorum conniveant pravitati, et vasis iræ vasa misericordiæ misceantur. Quibus investigandis, et severitate congrua coercendis debet diligentia tua vigilanter insistere: ita ut his quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscissio. Oportet etenim nos evangelici meminisse mandati, quod ab ipsa Veritate præcipitur, ut si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizaverit manus, a compage corporis auferatur: quia melius sit [n] his in Ecclesia carere membris, quam cum ipsis in æterna ire supplicia (*Matth.* XVIII, 8; *Marc.* IX, 42). Nam superfluo extra Ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt in eis quos decipiunt vulneramur. Abjicienda prorsus pestifera hæc a sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet, peccatis aliorum 1319 parcendo, non parcit. Sicut Heli quondam sacerdos filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis divinæ justitiæ sententiam meruit experiri (I *Reg.* II, 27): quia segni indulgentia dissimulavit plectere peccatores. Quantum itaque opportunitas invitat officii, religiosissimum principem dilectio tua studeat frequentare, et non solum regiam, sed et sacerdotalem ipsius mentem, precibus meis obsecrare persiste: ut memor communis 1320 fidei, quam Spiritu sancto docente suscepimus, omnia hæreticorum machinamenta confringat; neque quidquam illis in Ecclesiis Christi licere patiatur, ne in eorum potestate sint

[a] Forte legendum, *potestate*. QUESN.

[b] Alias 124. Scripta 11 Octob. an. 457.

[c] Exstat in mss. collect. 5, 11, 12, 21, 24 et in exemplo Sichardi. Quesnellus huic epistolæ titulum præfixerat: *De relatione contra Timotheum Alexandrinum*. At cum nihil ejusmodi in ipsa epistola legatur, per errorem, ut credimus, is titulus huic epistolæ appositus fuit, qui æquius convenit epistolæ 157. Idem sane Quesnellus dissert. 1 ad annum 457, n. 5, hunc titulum in suo ms. legi prodidit, id est in Grimanico. Ex hoc autem codice edidit laudatam epistolam 157, qua S. Leo relationi quidem contra Timotheum ab Anatolio transmissæ respondet. Epistola autem 155 in ms. Grimanico nequaquam invenitur.

[d] In tabula collect. 5, c. 93, hic titulus legitur: *Ad Anatolium episcopum de adhortatione expugnandæ hæresis Eutychianæ, et quod expulsos quosdam de Ægypto pro fide catholica ipse susceperit.*

[e] Vulg. ante Quesn. cum mss. posteriorum collectionum et Sichardo, *dat posse*. Bein pro *exorantes* codd. Cantabrig. Quesnelli, et noster Vat. collect. 11 *exhortantes*.

[f] Hic epistola ad imperatorem indicatur, quæ per Olympium paulo ante laudatum missa traditur epist. 158, ac propterea una cum his ad Anatolium litteris transmissa fuit.

[g] Codd. collect 11 et 21, *obviare*.

[h] Mss. collect. 11 et 24 cum Sichardo, *a tua fraternitate*; forte melius.

[i] Epist. 154.

[j] Duo codd. collect. 21, *possent*.

[k] Vulg. ante Quesn. cum Sichardo delent *omni*.

[l] 24, qu. 2, *Illud autem sane*, c. 34.

[m] Atticum respicit, de quo ad Anatolium scripserat kal. Septembris epist. 151.

[n] Quesnellus et noster Vindebon. cod. collect. 5, *his in Ecclesia officiis carere membrorum*. Anteriorum editorum lectionem aliis codd. et Sichardi exemplo confirmatam, uti aptiorem restituimus.

Digitized by Google

divina mysteria, quibus in domo Dei, pro scelerum suorum magnitudine, nec habitandi jus residet, nec orandi. Data [a] quinto idus Octobris, Constantino et Rufo viris clarissimis consulibus.

[a] Vulg. antiquiores cum ms. Vat. collect. 24 ac Sichardo, *pridie idus*, et in margine, *quinto idus*. Verior hæc chronica nota, quam cum mss. Quesnelli nostri etiam codd. præstantiorum collect. 5, 11 et 21 præferunt; congruit enim cum die signato in epistola præcedenti, quæ in hac indicatur cap. 1, et una cum hac transmissa cognoscitur. Facile porro fuit ex v *idus* librariorum lapsu litteram v disjunctis lateribus in duas unitates convertere, et scribere *II idus*, ut in codd. collect. 24 hæc dies signatur, non vero, ut in editis, *Pridie idus*.

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM

1. Sequens epistola edita fuit a Merlino ex ms. collect. 12. Quesnellus eam relegit cum ms. Grim. collect. 18. Cum vero hæc eadem epistola inserta fuerit codici encyclio, qui Leone vivente Græce scriptus fuit, nisi hic codex originalis periisset, hanc S. Leonis epistolam Græce redditam haberemus. At exstat hujus codicis Latina interpretatio, quam Epiphanius Scholasticus incubravit. Hic autem cum nactus fuisset Leoninæ epistolæ Latinum exemplar, hoc suæ versioni inseruit; et idcirco ex hoc codice, quem a Surio editum Baluzius cum duobus mss. Bellovacensi et Corbeiensi contulit, aliquot variantes suppetunt, quæ nobis utiles fuere.

2. Huic epistolæ causam dederunt imperatoris Leonis litteræ, quas ob Alexandrinos tumultus ad universos metropolitas tradidit. In laudato codice encyclio, cujus ordo, ut in mss. exstat, ex Balu zio prof rtur tom. V Concil. Venetæ edit. pag. 33 et seqq. cap. 6, describitur imperatoris epistola ad Anatolium Constantinopolitanum; et postea cap. 11 subjiciuntur cæterorum episcoporum nomina, ad quos litteræ similes directæ fuerunt, ac inter hos primo datæ dicuntur *Leoni reverentissimo urbis Romæ pontifici*. Imperialis epistola ad Anatolium cum quædam ejusdem Constantinopolitani episcopi peculiaria continet, tum vero alia Leonis papæ propria, quæ eidem inserta erant (vide annot. 1 [*Infra*, *n.* [b]]) omittit; ac propterea eadem omnino ad Leonem pontificem transmissa dici nequit: unde huic editioni inserenda non fuit. Nihilo tamen minus quid Augusti litteræ a Leone papa similiter peterent, satis exinde cognoscitur. Promoto scilicet ab Eutychianis ad Alexandrinam sedem Timotheo Æluro, et occiso S. Proterio, maximoque tumultu inter Eutychianos et catholicos Ægyptios excitato, utrique cum libellis supplicibus ad imperatorem confugerunt. Utrosque libellos Leo Augustus cum suis litteris ad omnes metropolitanos, et potissimum ad Romanum pontificem misit, petens ut concilium cogerent, ibique *de prædicto Timotheo*, inquit, *et de Chalcedonensi concilio, quid in commune sapitis, sine quolibet humano terrore, et absque gratia cujuscumque vel odio... cum omni celeritate meam facite cognoscere pietatem*. Leo papa primus omnium sequentem epistolam rescripsit, ut Evagrius testatur lib. II, cap. 10, eaque in codice encyclio statim post indicata episcoporum nomina primo loco describitur cap. 12.

3. Ex his autem cognoscitur error Pagii, qui has pontificis litteras imperialibus encyclicis redditas negavit ad an. 457, n. 11. Cum enim hæ litteræ pontificis codici encyclio inserantur, has non minus quam cæteras aliorum episcoporum in eodem codice contentas imperiali epistolæ encyclicæ rescriptas agnoscimus. Hinc etiam c. 4 mentio fit exemplarium precum catholicorum et Eutychianorum, quæ una cum imperialibus litteris transmissæ in eodem codice encyclio exhibentur cap. 7 et 9. Imperatoris epistola circa Octobrem an. 457 per magistrianos ad universos metropolitas celerrime directa fuit. Hinc duo episcopi Agapitus Rhodius pag. 1891, et Lucas Dyrrachenus pag. 1927, se eas litteras hieme recepisse subindicant. Quod si Marcellinus comes in Chronico ad an. 458, et Augusti litteras et episcoporum responsa commemorat, id ea de causa accidit, quod licet imperialis encyclica missa fuerit an. 457, pleraque tamen responsa nonnisi an. 458 pervenere, unde Varadati monachi epistola (pag. 1934) die 27 Augusti signatur. Ita nihil est cur sequentem Leonis epistolam imperiali encyclicæ redditam dubitemus.

1321 EPISTOLA [a] CLVI.

AD LEONEM AUGUSTUM.

SYNOPSIS. — I. *Post Chalcedonensem synodum nihil esse denuo tractandum circa fidem.* — II. *Antichristum eum esse qui veritatem ab Ecclesia declaratam rursus examinat.* — III. *Parricidas Alexandrini episcopi Ecclesiæ præsidere nefas esse.* — IV. *Preces Leoni Augusto oblatæ tam a catholicis quam ab hæreticis, in quo differant.* — V. *Omnia Christianæ religionis officia et mysteria apud Alexandriam esse intercepta.* — VI. *Scripta de fide prolixiora promittit, Anatolii incuriam taxat, catholicos commendat.*

LEO episcopus LEONI Augusto.

CAP. I. — Litteras clementiæ tuæ plenas virtute dei et lumine veritatis veneranter accepi: quibus cuperem, etiam in eo quod [b] præsentiam meam pietas vestra necessariam existimat, obedire, [c] ut majorem fructum conspectu vestri splendoris assequerer. Sed magis id vobis arbitror placiturum, quod eligendum ratio demonstravit. Nam cum sancto et spiritali studio in universum pacem Ecclesiæ muniatis, nihilque sit convenientius **1322** fidei defendendæ, quam his quæ per omnia instruente Spiritu sancto, irreprehensibiliter definita sunt, inhærere: ipsi [d] videbimur bene statuta convellere, et auctoritates quas Ecclesia universalis amplexa est, ad arbitrium hæreticæ petitionis infringere, atque ita nullum [e] collidendis Ecclesiis modum ponere, sed data licentia rebellandi, dilatare magis quam sopire certamina. Unde quia post illas Ephesinæ synodi impietates, quibus Dioscori scelere fides catholica refutata et perversitas Eutychiana suscepta est, nihil [f] ad conservationem fidei Christianæ utilius potuit ordinari, quam ut prædicti facinus sancta synodus

[a] Alias 125. Scripta 1 Decemb. an. 457.

[b] Hæc, quæ non leguntur in litteris ad Anatolium in Admonitione indicatis, erant procul dubio in peculiari imperatoris ad Leonem epistola.

[c] Vulg. Leonis ante Quesn. cum mss. Vat. et Veneto collect. 12, *ut majori fructu conspectum*. Duo codd. Baluzii, *ut fructu majorem conspectu*.

[d] Ita cum ms. Grim. Quesnelli nostri codd. et editio codicis encyclii, atque Facundus. Anteriores editiones Leonis, *quomodo videbimur statuta velle convellere*.

[e] Sic Grim. et nostri codd. cum Facundo. Edit. antiq. Leonis, *corrigendis*. Codex encyclius, *colligendis*.

[f] Al. cum mss. collect. 12, *ad confirmationem*.

Digitized by Google

Chalcedonensis aboleret; et tanta illic haberetur cœlestis cura doctrinæ, ut nihil in cujusquam opinione resideret, quod a prædicationibus vel prophetis vel apostolicis dissonaret, ea scilicet moderatione servata, ut rebellibus tantum ac pertinacibus ab Ecclesiæ unitate rejectis, nulli correcto venia negaretur : quid probabilius, quid religiosius poterit pietas vestra decernere, quam ut quæ non tam humanis quam divinis sunt statuta decretis, nullus ultra sinatur impetere : ne vere digni sint tantum Dei munus amittere, qui de veritate ipsius ausi fuerint dubitare?

Cap. II. — Cum ergo universalis Ecclesia per illius principalis petræ ædificationem facta sit petra, et primus apostolorum beatissimus Petrus voce Domini [a] dicentis audierit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* quis est, nisi aut Antichristus, aut diabolus, qui pulsare audeat **1323** inexpugnabilem [b] firmitatem; qui in malitia sua inconvertibilis perseverans, per vasa iræ et suæ apta fallaciæ, falso diligentiæ nomine, dum veritatem se mentitur inquirere, mendacia desiderat seminare? Atque [c] contemnenda et vitanda merito sibi incontinens furor et impietas cæca præscripsit, ut dum diabolico instinctu in sanctam Alexandrinam sævit Ecclesiam, quales essent qui Chalcedonensem synodum retractari cupiunt, [d] disceretur. In qua nullo modo accipere potuit ut a nobis contra sanctam Nicænam synodum sentiretur, quod hæretici mentiuntur, qui se fidem Nicæni concilii tenere confingunt, in quo sancti et venerabiles Patres nostri contra Arium congregati, non carnem Domini, sed Deitatem Filii *homousion* Patri esse firmaverunt; in Chalcedonensi autem concilio adversus Eutychianam impietatem definitum est, de substantia virginis matris Dominum Jesum Christum sumpsisse nostri corporis veritatem.

Cap. III. — Apud christianissimum igitur principem, et inter Christi prædicatores digno honore numerandum, utor catholicæ fidei libertate, et ad consortium te apostolorum ac prophetarum securus exhortor : ut constanter despicias ac repellas eos, qui [e] ipsi se christiano nomine privavere; nec patiaris impios parricidas sacrilega simulatione de fide agere, quos constat [f] fidem velle vacuare. Cum enim clementiam tuam Dominus tanta sacramenti sui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi [g] non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam : ut ausus nefarios comprimendo, et quæ bene sunt statuta defendas, et veram pacem his quæ sunt turbata restituas, depellendo scilicet pervasores juris alieni, et antiquæ fidei sedem Alexandrinæ Ecclesiæ reformando : ut correctionibus tuis Dei iracundia mitigata, [h] religiosæ antea civitati non retribuat quæ admissa sunt, sed remittat. Constitue ante oculos cordis tui, venerabilis imperator, omnes qui per totum orbem sunt Domini sacerdotes, pro ea tibi fide in qua totius mundi est redemptio, supplicare. In qua te **1324** specialius ambiunt, [i] quia apostolicæ fidei sectatores Alexandrinæ Ecclesiæ præsedere, agentes apud pietatem tuam, ne hæreticos homines, et merito pro sua perversitate damnatos, uti sua [j] pervasione patiamini : cum sive impietatem erroris aspicias, sive opus perpetrati furoris attendas, non solum ad sacerdotii honorem admitti nequeant, sed ab ipso christiano nomine mereantur [k] abscindi. Nam, quod exorata pietatis vestræ venia dixerim, quodam contagio splendorem vestræ serenitatis offuscant, cum sacrilegi parricidæ id audeant petere quod nec innocentes liceat obtinere, gloriosissime imperator.

Cap. IV. — Oblatæ sunt pietati vestræ preces, quarum [l] exemplaria vestris litteris subdidistis. Sed in his quæ catholicorum sunt deplorantium, subscriptio continetur : et quia causa probabilis est, fiducialiter nomina singulorum, vel dignitas sui honoris aperitur. In illis autem, quas orthodoxo principi hæretica porrigere non formidavit obreptio, sub incerto confusæ [m] universitatis vocabulo, ideo certum nomen retrahitur, ne non solum paucitas personarum, sed etiam meritum delegatur. Latere enim sibi utile existimat eorum quantitas, quorum est qualitas indicata : nec incongrue cujus loci homines sint, profiteri metuunt, qui [n] meruere damnari. In una ergo catholicorum supplicatio continetur; in alia, hæreticorum commenta panduntur. Hic sacerdotum Domini, et totius christiani populi, ac monasteriorum de-

[a] Vocem *dicentis* supplevimus ex duobus nostris mss. collect. 12 et ex codice encyclio.

[b] Editi Leonis ante Quesn., nullo nostro codice opitulante, *veritatem*.

[c] Duo mss. collect. 12, *in contemnenda*. Duo Baluzii codicis encyclii, *contemnendum atque vitandum .... perscripsit*.

[d] Codd. Baluzii, *docerentur*.

[e] Vulg. cum mss. collect. 12 et Surii exemplo omittunt *ipsi*. Quesnellus ex suo ms. adjecit, cui favent exemplaria Baluzii.

[f] Antiquæ editiones Leonis, *a fide deviare*.

[g] Sic nostri codd. collect. 12 et mss. Baluzii. Al., *non solum ad mundi regimen*.

[h] Editi antiquiores Leonis et codicis encyclii, *regiæ civitati non retribuat, quæ antea admissa sunt*. Emendationem Quesnelli nostra et Baluzii exemplaria approbant.

[i] Vulg., *qui*. Correximus ex utrisque Baluzii codicibus.

[j] Idem Vulg., *persuasione*. Ms. Bellovac., *perversione*. Melius in Corbeien. Baluzii codice, quem secuti sumus.

[k] Al., *abscidi*.

[l] Hæc tum catholicorum tum hæreticorum exemplaria precum leguntur in codice encyclio tom. IV Concil. pag. 1837 et 1848. Catholicorum precibus subscripti sunt episcopi quatuordecim, quatuor presbyteri et duo diaconi.

[m] Editi antiqui Leonis cum mss. collect. 12, *unitatis*. Libellus hæreticorum in laudato codice encyclio subscriptionibus caret.

[n] Codd. Baluzii, *meluere*.

Digitized by Google

fletur eversio; ibi immanium scelerum continuatio demonstratur; ut quod non licuit [a] audiri, liceat dilatari.

CAP. V. — Nonne perspicuum est, quibus pietas vestra succurrere, et quibus debeat obviare; ne Alexandrina Ecclesia, quæ semper fuit domus orationis, spelunca nunc sit latronum? [b] Manifestum quippe est, per crudelissimam [c] insanissimamque sævitiam, omne illic cœlestium sacramentorum lumen exstinctum. Intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria. Nec ullo modo ambigi potest, quid de his [d] decernendum sit, qui **1325** post nefanda sacrilegia, post sanguinem probatissimi sacerdotis effusum, et concremati corporis cinerem in contumeliam aeris cœlique dispersum, audent sibi jus pervasæ dignitatis expetere, et apostolicæ doctrinæ inviolabilem fidem ad concilia provocare. Magnum ergo vobis est ut diademati vestro de manu Domini etiam fidei addatur corona, et de hostibus Ecclesiæ triumphetis: quia si laudabile vobis est adversarum gentium arma conterere, quanta erit gloria, ab insanissimo tyranno Alexandrinam Ecclesiam, in cujus contritione omnium Christianorum est injuria, liberare?

CAP. VI. — Ut autem litteræ meæ pietati tuæ colloquium quasi præsentis exhibeant, quidquid de communi fide fueram suggesturus, scriptis prosequentibus insinuandum esse perspexi. Ac ne hujus epistolæ pagina in nimiam longitudinem tenderetur, [e] aliis litteris, quæ assertioni catholicæ fidei congruunt, comprehendi: ut licet ea quæ a sede apostolica sunt prædicata sufficerent, insidias tamen hæreticorum etiam hæc quæ sunt adjecta reserarent. Sacerdotalem namque et apostolicum tuæ pietatis animum, etiam hoc malum ad justitiam ultionis debet accendere, quod Constantinopolitanæ Ecclesiæ puritatem pestilenter obscurat, in qua inveniuntur clerici quidam hæreticorum sensui consonantes, et intra ipsa catholicorum viscera assertionibus suis [f] hæreticos adjuvantes. In quibus deturbandis, si frater meus Anatolius, cum nimis benigne parcit, segnior invenitur, dignamini pro fide vestra, etiam istam Ecclesiæ præstare medicinam, ut tales non solum ab ordine clericatus, sed etiam ab urbis habitatione pellantur: ne ulterius sanctus Dei populus perversorum hominum contagio polluatur. Cultores autem pietatis tuæ Julianum episcopum et [g] Aetium presbyterum, mea petitione commendo, ut suggestiones eorum pro catholicæ defensione fidei placide digneris audire: quia vere sunt ejusmodi, ut fidei vestræ possint per omnia utiles inveniri. Data [h] kalendis Decembris, Constantino et Rufo viris clarissimis consulibus.

1326 EPISTOLA [i] CLVII

[j] AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

SYNOPSIS. — I. *Ut apud imperatorem, quem laudat, pro comprimendis hæreticis strenue agat; idque curet ut Chalced. synodus firma permaneat, et pax Ecclesiæ Alexandrinæ restituatur.* — II. *Ut parricidæ ab ea pellantur, et afflicti Ægypti episcopi adjuventur.* — III. *Profugis ex Ægypto episcopis opem esse ferendam; synodi adversariis constanter resistendum esse.* — IV. *De Attico presbytero et Andrea, ut vel corrigantur, vel repellantur ab Ecclesia.*

LEO ANATOLIO episcopo Constantinopolitano.

CAP. I. — [k] Rursus acceptis dilectionis tuæ litteris, omnia quæ Alexandriæ insanissime gesta sunt cum magno dolore cognovi; si tamen ullæ epistolarum paginæ tam atrocia facinora explicare potuerunt. Sed non jam nobis in deflendis adversitatibus est morandum, cum utilius sit providere quæ prosint, et quæ hæreticorum furorem tandem aliquando ab Ecclesiæ quiete depellant. Cum enim talem principem nobis divina providentia prospexerit, ut fides ipsius sollicitudinem pene superet sacerdotum, tuæ dilectionis maxime exspectatur instantia, ut venerandissimo imperatori pro universali Ecclesia supplicare non desinas, et crebris suggestionibus poscere, ut quamprimum a pervasoribus suis Alexandrina Ecclesia liberetur. Ego sane quantum potui, [l] piissimum principem precatus sum, ut et statuta sanctæ synodi Chalcedonensis manere inviolata præciperet, et hæreticorum assertiones in magna vergere ignorantiæ

[a] Sic omnes nostri et Baluzii codd., nec non Vulgati ante Quesn. apud quem, *auderi*.

[b] 1, qu. 1, *Manifestum est crudel.*, c. 69.

[c] Edit. codicis encyclii, *immanissimamque vesaniam*. Mss. Baluzii, *insanissimamque vesaniam*.

[d] Eadem mss., *dicendum sit*, et dein, *sacratissimi sacerdotis*; ac postea, *in contumelia*.

[e] Epist. 165, al. 134.

[f] Alias editiones Leonis antiquæ, *hæreticorum partem adjuvantes*. Atticum presbyterum intelligit, de quo epistola sequenti.

[g] Eædem editiones cum mss. collect. 12, *Eutychium*, male. Cod. Grimən. et codicis encyclii editiones et mss., *Aetium*.

[h] Eædem editiones Leonis cum iisdem mss. collect. 12, *kal. Novembris*. Codicis encyclii lectio cum Quesnello præferenda fuit, cum eadem occasione transmissæ videantur duæ sequentes epistolæ, quarum altera iisdem *kal. Decembris* signatur.

[i] Alias 126. Eodem die quo præcedens.

[j] Episcopi catholici, præter libellum imperatori oblatum, cujus in Admonitione præcedenti epistolæ præfixa meminimus, alium libellum Anatolio Constantinopolitano episcopo obtulere, qui in codice encyclio legitur c. 8. In hoc eumdem episcopum rogarunt ut per synodicas litteras *sanctissimo Ecclesiæ Romanæ pontifici Leoni* suos gemitus indicaret. Hunc quidem ad pontificem scripsisse testis est ejus epistola ad imperatorem in eodem codice recitata cap. 13. Anatolii porro litteras ad S. Leonem una cum litteris Augusti transmissas fuisse Epiphanius scholasticus docet c. 10. Hæc propterea pontificis epistola Anatolii litteris reddita ex Leonis more eodem tempore data fuit quo præcedens ad imperatorem epistola signatur, nimirum kalend. Decembris anni 457, quod tempus aliis argumentis Quesnellus in notis constituit. Ex cod. Grim. editam nullo alio in ms. reperire potuimus.

[k] *Rursus*, inquit, quia alias Anatolii litteras de Ægyptiorum tumultibus acceperat, quibus respondit epist. 155.

[l] Epist. 156.

Digitized by Google

cæcitate cognosceret, et quæ de pervadendo sacerdotio parricidæ sacrilegi commiserunt, **1327** nulla posse dissimulatione tolerari ; nec alio modo totam causam posse consumi, nisi prædictæ synodi constitutiones perennitatis robur accipiant, et insanissimi pervasores ab aliena sede pellantur ; fiatque tandem Alexandrinus populus suæ quietis et pacis : ne paucorum hæreticorum arbitrio in Ecclesiæ noxam et in Dei præcipitentur offensam.

Cap. II. — Multum autem in eo consolationis accepi, quod ex omni numero episcoporum qui Ægyptiacis diœcesibus præsunt, solum dudum damnati potuerunt quatuor inveniri qui Timotheo et impietate hæreseos et sceleris latrocinio jungerentur ; qui ad petendam synodum admitti nullatenus possent, etiamsi de solo hæretico arguerentur errore. Cum autem et in occupando episcopatum, et interficiendo episcopum, inauditum facinus perpetrarint, quid illis in Ecclesia loci est, etiamsi catholicam suscipiant veritatem? Omnibus igitur intra Ægyptum sacerdotibus Domini, sive recentioribus, sive ex antiqua constitutione residentibus, uno auxilio remedioque præstandum est ut tam indignis persecutionibus liberentur, et hoc malum, quod se penetralibus tantæ urbis ingessit, salubri auctoritate pellatur, et Christiana plebs fide atque operibus ante devota paternis constitutionibus valeat cum quiete servire.

Cap. III. — Fratres autem nostros qui Constantinopolim ab Ægypti parte venerunt, litteris meis imperatori commendare non destiti ; sed etiam te tuæ humanitatis admoneo ut ad consolationem peregrinationis ipsorum quantum potes studii adhibere digneris, quorum præsentia multum dilectionem tuam juvare apud clementissimum principem potest, ne petitioni hæreticorum ad novam synodum, quæ universali Ecclesiæ inimica est, annuatur. Quamvis apostolica sedes ea fide ac stabilitate fundata sit, ut nequaquam recipiat istius novitatis assensum, ac si quis adversariorum machinationibus connivendum esse crediderit, ipse se a communione catholicæ Ecclesiæ separabit, cum secundum inspirationem Dei et in fide incarnationis Christi, et in custodia Chalcedonensis synodi, universalis Ecclesiæ sit una sententia ; et præcipue in nostris partibus tam firmiter evangelica doctrina teneatur, ut magnum sacrilegium putetur si a traditione apostolica vel in exiguo aliquo devietur.

Cap. IV. — [a] Jampridem dilectioni tuæ scripsisse me recolo, ut in clero Ecclesiæ tuæ nullum Eutychianæ hæresi consentire patiaris : quoniam capitis periculum respicit, si quid saucium inveniatur in membris. Sed cum hoc nulla adhuc correctione purgatum sit, et Atticum presbyterum tuum ad eam insolentiam profecisse cognoscam, ut in Ecclesia **1328** contra catholicam fidem et Chalcedonensem synodum audeat disputare : cogor vehementius de tua dissimulatione causari. Nam quod incommonitus facer debuisti, miror etiam post evidentia nostra scripti neglectum. Et ideo acrius moneo neque amplius dissimulandum esse protestor, si hominem pestilentem ulterius in tua habendum communione credideris ; quem nos, si fieri potest, emendari malumus quam perire : ut scilicet si correctum se videri cupit et in societate ecclesiastica permanere, de eo loco unde contra catholicam fidem multa disseruit, aperte nunc ipsius fidei prædicator appareat, et nihil Eutychiani dogmatis prætermittat, quod non manifestatione suæ professionis Christiano populo audiente condemnet : ne, ut dixi, plurimum dissimulatio ista te maculet, si vel hic tam noxius, vel Andreas impietatis ipsius socius, nec correcti fuerint, nec repulsi.

EPISTOLA [b] CLVIII.

[c] AD EPISCOPOS CATHOLICOS ÆGYPTI APUD CONSTANTINOPOLIM CONSTITUTOS.

Synopsis. — *Consolatur episcopos pro fide exterres, et ad patientium hortatur spe cœlestis retributionis objecta, et promissa sua apud imperatorem actione.*

Leo Ægyptiis episcopis catholicis apud Constantinopolim constitutis.

Olim me commissorum apud Alexandriam scelerum indicia contristaverunt, et ita animum meum ipsius immanitate facinoris vulneraverunt, ut quibus hoc lacrymis, qua lamentatione defleatur ignorem ; meritoque illa prophetica voce proclamem : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* Querelas tamen dilectionis vestræ præveniens, clementissimo et Christianissimo principi de tantorum malorum remediis supplicavi, et per filios nostros [d] Gerontium et Olympium subadjuvas diverso tempore depoposci, ut illius civitatis Ecclesiam, in qua tot catholici floruere doctores, præciperet damnatæ hæreseos purgari, et parricidales animos quos a rectoris sui sanguine nec veneratio [e] loci potuit deterrere nec temporis, nihil de clementia sua sineret obtinere ; maxime cum in eversionem fidei Chalcedonense concilium cupiant retractari. Proinde dilectionis vestræ tolerantiam eadem causa debet quæ vos de propriis sedibus expulit, consolari : quia certum est **1329** tribulatos animos et propter nomen suum patientes adversa, nequaquam Domini protectione destitui. Ferte igitur magnanimiter, et illam quæ vestra est patriam cogitantes, de præsenti peregrinatione gaudete. Absit a vobis exsilii dolor, nec aliquid de hac fatigatione mœroris habeatis, qui scitis propter fidem Domini etiam de periculis plurimis Apostolum gloriari. Habetis cum præparatis retributionis præmiis istius certaminis cognitorem. Nemo

[a] Epist. 152, 156.

[b] Alias 127. Scripta 1 Dec. an. 457.

[c] Hæc epistola, ex Grimanico edita, in nullo alio codice hactenus inventa est.

[d] Epistola per Gerontium missa, est epistola 148, scripta kal. Scotembris hujus anni 457 ; eodem enim die datæ fuerunt epistolæ 152 et 153, quæ per Gerontium missæ fuere. Epistola vero per Olympium missa desideratur. Vide annot. 4 *C. l.* 1126, *n.* [f]) in epist. 152.

[e] Proterius scilicet in baptisterio die Cœnæ Domini interfectus fuit.

Digitized by Google

fugiat hunc laborem, cujus merces est in æternum regnare [a] vel vivere. Sint in atriis Jerusalem fixi pedes omnium dimicantium, qui spe retributionis illius, nec inimicorum castra poterunt formidare nec prælia. De reliquiis hostis abjecti pariter ab universitate perculsis numquam est ardua victoria nec palma difficilis, præcipue de his quarum prostratos jam videtis [b] auctores. Assiduis ergo precibus (sicut et ipse non tacuit) favorem, qui Deo propitio promptus est, Christianissimi imperatoris ambite : ut secundum [c] scripta quæ misi, communis fidei causam ea mentis devotione quam probavimus eum habere communiat, dilectionisque vestræ reditum, præjudiciis omnibus quæ hæreticorum furore sunt generata sublatis, pro sua pietate disponat, et singulas quasque provincias omnesque Ecclesias cum sacerdotibus suis inconcussa faciat Christi pace gaudere. Datum kalendis Decembris, Constantino et Rufo consulibus.

EPISTOLA [d] CLIX.

[e] Ad Nicetam episcopum Aquileiensem.

[f] Synopsis (Ex Dionysio Exiguo). — I. *Quod debeant feminæ, quæ, captis viris, nupserant aliis, regressis de captivitate viris prioribus copulari, ut quod suum est unusquisque recipiat.* — **1330** II. *Quod non probetur esse culpabilis, qui uxorem captivi* [Al., *capti*] *in matrimonium videtur esse sortitus.* — III. *Ut si viri de captivitate regressi intemperantia uxorum offensi non fuerint, et voluerint eas in conjugium recipere, liberam habeant facultatem.* — IV. *Ut si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ ecclesiastica communione privandæ sint.* — V. *Captivis aut terrore* [Al., *errore*], *aut fame, non veneratione, cibos immolatitios edere compulsis, pœnitentia concedenda est.* — VI. *Quod hi qui ad iterationem baptismi, vel vi vel errore* [Al., *timore*] *coacti, animos inclinarunt, sint sublevandi remedio, ita ut senilis ætatis, periculorum quoque et ægritudinum, cæterarumque necessitatum habeatur sollicita consideratione respectus.* — VII. *Ut qui ab hæreticis baptizati sunt, sola sancti Spiritus invocatione firmentur*

Leo episcopus Nicetæ Aquileiensi episcopo salutem.

Regressus ad nos filius meus Adeodatus [g] sedis nostræ diaconus, dilectionem tuam poposcisse memoravit, ut de his a nobis auctoritatem apostolicæ sedis acciperes, quæ quidem magnam difficultatem dijudicationis videntur afferre. Sed pro inspectione temporalium necessitatum adhibenda curatio est, ut vulnera quæ hostilitatis adversitate illata sunt, [h] religionis maxime ratione sanentur.

Cap. I. *De feminis quæ occasione captivitatis virorum suorum, aliis nupserunt.* — Cum ergo per [i] bellicam cladem et per gravissimos hostilitatis incursus, ita quædam dicatis [j] divisa esse conjugia, ut abductis in captivitatem viris feminæ eorum remanserint destitutæ, quæ [k] cum viros **1331** proprios aut interemptos putarent, aut numquam a dominatione crederent liberandos, ad aliorum conjugium, solitudine cogente, transierint. Cumque nunc statu rerum, auxiliante Domino, in meliora converso, nonnulli eorum qui putabantur periisse, remeaverint, merito charitas tua videtur ambigere quid de mulieribus, quæ aliis junctæ sunt viris, a nobis debeat ordinari. Sed quia nos vimus scriptum, [l] quod *a Deo jungitur mulier viro* (*Prov.* XIX, 14), et iterum præceptum agnovimus ut *quod Deus junxit homo non separet* (*Matth.* XIX, 6), necesse est ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, et remotis malis quæ hostilitas intulit, unicuique [m] hoc quod legitime habuit reformetur, [n] omnique studio procurandum est ut recipiat unusquisque quod proprium est.

Cap. II. *An culpabilis sit qui locum captivi mariti assumpsit.* — Nec tamen culpabilis judicetur, et tamquam alieni juris pervasor habeatur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assum-

[a] Sic ms. Grim., ex quo uno hæc epistola edita est. Vide editionem P. Cacciarii. Quesnellus mutavit *vel* in *et* eo arbitrio quo epist. 149 *concilium* mutavit in *judicium*, et epist. 128 similem particulam *vel* mutavit in *et*. Hoc autem exemplo confirmatur quod alibi animadvertimus, *vel* pro *et* identidem a Leone acceptum.

[b] Eutychen et Dioscorum damnatos et in exsilium pulsos.

[c] Epist. 156.

[d] Alias 129. Scripta 21 Martii an. 458.

[e] Invenimus hanc epistolam in mss. collect. 1, 3, 5, Dionys., Hadrian., Hisp., Isid. 11, 12, 13 et 21 usque ad 24, ac in exemplo Sichardi. Contulimus etiam cum Veronen. 60, Cresconii, et nonnulla cum exemplo Herovalliano, quod a Petit editum fuit. In hoc *ad Nicetium* inscribitur.

[f] In mss. collect. 5 dividitur in quatuor capita, quorum primum quatuor priora ex Dionysio edita complectitur, secundum correspondet quinto, tertium sexto, quartum autem septimo. In tabula vero collectioni præfixa hi tituli præferuntur cap. 74 : *Ad Nicetam Aquileiensem episcopum super quatuor titulorum interrogatione responsio; id est : I. De mulieribus quæ hostilitatis tempore, maritis in captivitatem adductis, aliis conjunctæ sunt viris. II. De his Christianis qui captivitatis necessitate immolatitiis escis polluti sunt. III. De his qui baptisma vel metu hostium vel errore traducti, visi sunt iterasse. IV. De his qui ab hæreticis primum baptismum acceperunt, cum ante non fuerint baptizati.*

[g] Vat. Hisp. et Isid. omittunt *sedis nostræ*. Postea *a nobis* deest in mss. Vat. Reg. collect. Vindebon, collect. 5, Florent., S. Marci collect. 13, et in Justello.

[h] Vindebon. collect. 5, *in religionis*.

[i] Clades indicatur, quam Attila Italiæ intulit an. 452, quaque Aquileiam præcipue vastavit.

[j] Vat. Reginæ collect. 1, *diversa*.

[k] Particulam *cum* desiderant cum vulg. antiquis mss. codd. Vindebon. collect. 5, utrique Hisp. Vat., Isid., alii Vat. collect. 21, nec non exemplaria Justelli, Merlini, atque Sichardi. Mox iidem vulg., *putarint .... crediderint .... et ad aliorum conjugium*. Sex codices diversarum collectionum, licet cum Justello præferant *putarent* et *crederent*, habent nihilominus, *et in aliorum*; Vindebon. Hisp., *sed in aliorum*; Vat. Hisp., *et aliorum*; Vindebon. collect. 5, *sed et in aliorum*. Dein pro *solitudine* utrique Hisp. cum Vat. Isid. aliisque inde profectis codd., *sollicitudine* Quesnellus in margine. Al., *ad aliorum conjugum amplexus sollicitudine cogente*.

[l] Vat. Dionys. 5845, et Veron. Crescon. delent *quod*, et præferunt *a Domino*.

[m] Codd. Vat. collect. 3, Vindebon. collect. 5, utrique Hisp. Cresc., Isid., cum Justello, *id quod*.

[n] Vindebon. Hisp., *omniamque*.

Digitized by Google

psit. Sic enim multa quæ ad eos qui in captivitatem ducti sunt pertinebant in jus alienum transire potuerunt, et tamen plenum justitiæ est ut eisdem reversis propria reformentur. Quod si in mancipiis vel in agris, aut etiam in domibus ac possessionibus rite servatur, quanto magis in conjugiorum redintegratione faciendum est, ut quod bellica necessitate turbatum est pacis remedio reformetur?

Cap. III. *Restituendam esse uxorem primo marito.* — Et ideo, si viri post longam captivitatem reversi ita in dilectione suarum conjugum [a] perseverent, ut eas cupiant in suum redire consortium, omittendum est et inculpabile judicandum quod necessitas intulit, et [b] restituendum quod fides poscit.

1332 Cap. IV. *Excommunicandas esse mulieres ad primum maritum redire nolentes.* — Si autem aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ, ut malint [c] his cohærere quam ad legitimum redire consortium, merito sunt notandæ; ita ut etiam ecclesiastica communione priventur: [d] quæ de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes [e] sibimet pro sua incontinentia placuisse, quod justa remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione conjugia, neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit: quia sicut hæ mulieres, quæ reverti ad viros suos [f] nolunt, impiæ habendæ sunt, ita illæ quæ in affectum ex Deo initum redeunt merito sunt [g] laudandæ.

Cap. V. *De his qui captivi cum essent, idolothyta fame vel metu compellente comederunt.* — [h] De his autem Christianis qui inter eos a quibus fuerant captivati immolatitiis cibis asseruntur esse polluti, consultationi charitatis tuæ hoc etiam respondendum esse [i] credidimus, ut pœnitentiæ satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine quam cordis compunctione pensanda est. Et sive hoc [j] terror extorserit, sive fames suaserit, non dubitetur abolendum, cum hujusmodi cibus pro metu aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumptus.

Cap. VI. *De his qui metu vel errore rebaptizati sunt.* — [k] His vero de quibus dilectio tua similiter nos credidit consulendos, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti sunt vel errore traducti, et nunc se **1333** contra catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est [l] moderatio, qua in societatem nostram non nisi per pœnitentiæ remedium, et per impositionem episcopalis manus, communionis recipiant unitatem; [m] tempora pœnitudinis, habita moderatione, tuo [n] constituente judicio, prout conversorum animos perspexeris esse devotos: pariter etiam [o] habens senilis ætatis intuitum, et periculorum quorumque aut ægritudinis respiciens necessitates. In quibus si quis ita graviter urgeatur, **1334** ut dum adhuc pœnitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia subveniri.

Cap. VII. *De his qui semel baptizati sunt, sed ab hæreticis.* — Nam [p] hi qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum antea baptizati [q] non fuissent, sola

[a] Vulg. antiqui cum Vat. Reg. collect. 1 et Vindeb. collect. 5, *perseverant*. Postea pro *omittendum* Vat. collect. 3, *admittendum est*.

[b] Vindeb. collect. 5 et apud Justellum, *restituendum est*.

[c] Quesnellus omisit *his;* ex omnibus nostris codd. et anterioribus editis revocavimus.

[d] Antiqui vulg. cum ms. Vat. collect. 24 et Sichardo, *quia inexcusabiliter contaminationem*, etc. Emendationem a Quesnello ex duobus suis codd. Cresc. ac Dionys. inductam, nostra cætera decem et septem exemplaria approbant.

[e] Vat. collect. 3, *sibimetipsis*. Dein *potuit* pro *poterat* in Vulg. antiquis cum Vindeb. collect. 5 et Sichardo.

[f] Vat. Dionys. cum Justello, *noluerint*. Vercell. Hadrian. cum Cresc., *noluerunt*.

[g] Codd. trium vetustiorum collectionum 1, 3 et 5, *laudabiles judicandæ*.

[h] Cod. Veron. Cresc. ejusque editio: *Hi autem Christiani*. Dein in Vat. Dionys., *fuerant captivi ducti, immolatitiis se asserunt esse pollutos*.

[i] Vat. collect. 3. utrique Hisp. Vat., Isid., cum Merlino et Sichardo, *credimus*.

[j] Vat. purus Dionys. cum uno Vercell. Hadrian et Justello, *error*.

[k] Vercell. Hadrian. cum Justello et editione Cresconii, *Hi vero*, male.

[l] Vat. collect. 24 et exemplum Sichardi, *ratio*.

[m] 26, qu. 7, *Tempora pœnitudinis*, c. 2.

[n] Utrique codd. Hisp. Vat., Isid., Vercell. Hadrian., Justellus et Cresconius cum editis antiquis, *constituenda*.

[o] Justellus cum mss. Vercell. Hadrian., utrisque Hisp. et Vat. Isid., aliisque collect. 21, *habentes*, et paulo post, *respicientes*, male. Codd. Vat. Reg. collect., utrique Vindebon. collect. 5 et Hisp. Veronensis Cresc., cum Justello, *aut ægritudinum*.

[p] 1, qu. 1, *Hi qui baptisma*, c. 71.

[q] Vindebon. Hisp., *non fuerint*. Quod vero de baptizatis ab hæreticis subjicitur, *ut sola invocatione S. Spiritus per impositionem manuum confirmentur*, etc. Confirmationis sacramentum indicare Quesnellus in marginali postilla notavit; et similiter paulo post ad illa, *ut quod ab hæreticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur*, confirmationis sacramentum intelligens, hanc aliam postillam affixit: *Confirmatio conferri ab hæreticis non potest valide;* quæ et in indice inseruit. Verbo scilicet *confirmentur* hanc significationem subjecit. Sed in duabus aliis epistolis de iisdem hæreticis ad catholicam redeuntibus S. pontifex loquens, eamdem de impositione manuum sententiam repetit, nec tamen *confirmandi* verbo utitur. In epist. 166, ad Neonem: *Hoc tantum quod ibi defuit conferatur, ut per episcopalis manus impositionem virtutem sancti Spiritus consequantur.* Et in epist. 167, ad Rusticum, cap. 18: *Per manus impositionem invocata virtute Spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.* Palam est hic impositionem manuum indicari, non qua confirmationis sacramentum semper ministratum fuit hominibus jam renatis atque justificatis, sed qua gratia Spiritus sancti carentes ob hæresim, et ab Ecclesia separati, eam gratiam recipiebant et in Ecclesiæ unitatem admittebantur. Hæc autem manuum impositio ritus erat pœnitentiæ: unde S. Stephanus in decreto de recipiendis hæreticis sanxit *ut manus illis imponatur in pœnitentiam*, quæ formula confirmationis sacramento nequaquam convenit. Et similiter Crescens a Cirta in concilio Carthaginensi III, Cypriani tempore, *ut per manus impositionem in pœnitentiam Ecclesiæ reconcilientur*. Et Innocentius I,

Digitized by Google

invocatione Spiritus **1335** sancti per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. Et [a] hanc regulam, ut scitis, servandam in omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum, nulla iteratione violetur, dicente Apostolo : *Unus* [b] *Dominus, una fides, unum baptisma.* Cujus ablutio nulla iteratione temeranda est, sed, ut diximus, sola sanctificatio Spiritus sancti invocanda [c] est : ut quod ab hæreticis nemo [d] accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur. Hanc autem epistolam nostram, quam ad consultationem tuæ fraternitatis emisimus, ad omnes fratres [e] et comprovinciales tuos episcopos facies pervenire, [f] ut omnium observantiæ data prosit auctoritas. [g] Data XII kalendarum Aprilium, consulatu Majoriani Augusti

EPISTOLA [h] CLX.

[i] AD EPISCOPOS ET CLERICOS CATHOLICOS EX ÆGYPTO APUD CONSTANTINOPOLIM CONSTITUTOS.

SYNOPSIS. — I. *Consolatur exlorres Ægypti episcopos et clericos, monetque de suis legatis in Orientem ex imperatoris voluntate mittendis.* — II. *Hortatur ut omnem novum de fide tractatum amoveant, sufficiente synodi auctoritate.*

1336 Dilectissimis fratribus [j] NESTORIO, ATHANA-

epist. 24, ad Alexandrum : *Eorum* (hæreticorum) *laicos sub imagine pœnitentiæ et sancti Spiritus invocatione per manus impositionem suscipimus.* Et S. Cyprianus in epist. 71..... *in pœnitentiam manum imponere.* Hæc verba *in pœnitentiam* omnem sacramenti confirmationis suspicionem amovent. Id pervidit etiam Quesnellus, dum notas scripsit in epistolam ad Rusticum. In locum enim paulo ante ex ea citatum not. 19, scripsit, *manus impositionem cum solitarie ponitur, nullum significare sacramentum, multoque minus confirmationem, sed solummodo orationes et supplicationes manuum impositioni conjunctas.* Quod si in hac epistola *confirmandi* verbo usus est Leo, nihil movere debuit. Cum enim de iisdem hæreticis et hic, et in epistola ad Rusticum loquatur (omnes enim ad eamdem Attilæ invasionem et tempus pertinent), si in epistola ad Rusticum, ubi verbum *confirmare* non legitur, sacramentum confirmationis ingerendum non est neque intelligendum est in hac ad Nicetam epistola, nec in alia ad Neonem Ravennatem, in qua de iisdem hæreticis sermo est. Cum S. Leo serm. 4 de Nativit. c. 5, confirmationis sacramentum indicavit, *Renati*, inquit, *per aquam et Spiritum sanctum chrisma salutis et signaculum vitæ æternæ.* Sola impositio manuum in laudatis epistolis memorata, quæ non *renatis* et justificatis, sed hæreticis peccatoribus ad Ecclesiam redeuntibus adhibetur, non confirmatio, sed pœnitentiæ ritus est. Aliud in hoc argumentum evidens ex ipso Leone producam. Multis in locis de clericis hæreticis loquitur, qui ad unitatem redeuntes, in suo gradu recipiebantur; et numquam manus iisdem imponendas indicat, sed sola fidei professione contentus est. Vide epist. 1, ad Aquileiensem episcopum, ubi de recipiendis Cœlestianis clericis agitur; epist. 12, ad episcopos Mauritaniæ, ubi de Donato episcopo Novatianorum, et de Maximo episcopo jam Donatista; epistolam 18, ad Januarium, in qua de aliis clericis hæreticis loquitur, quorum solam fidei professionem requirit : et similiter cum in aliis epistolis Eutychianos clericos in suo gradu recipi permittit, si fidei professionem sincerissimam præstent. Hæc disciplina constanter servata fuit in Ecclesia, ut cum clerici ab hæresi ad Ecclesiam redirent, si non essent iterato baptismate polluti, sola professione fidei reciperentur, et in suo gradu permanerent; nec umquam iis manus imponerentur : quod infinitis prope exemplis probare liceret. Hinc Innocentius I, in textu paulo ante descripto, solos *laicos* manus impositione receptos tradidit. Si hac impositione manuum sacramentum confirmationis indicatum fuisset, nihil erat quod solis laicis, non autem clericis ex hæresi conversis, sed iterato baptismate nequaquam pollutis adhiberetur. Cur ergo hoc cum clericis discrimen? Quia scilicet hæc impositio ritus erat pœnitentiæ, qui solis laicis, non autem clericis in suo gradu recipiendis congruebat. Si vero soli clerici, qui iterato baptismate fuissent tincti, a Leone excipiuntur, quia iteratio baptismi ab omni clericali gradu arcebat; unde hi etiam cum reciperentur in Ecclesia, pœnitentiæ subjiciebantur, perinde ac cæteri laici, quo pariter nomine in clerum admitti non poterant. Vide epist. 24 Innocentii I ad Rufum, num. 4, cum qua conferendus est locus epist. 2, n. 11, in quo rebaptizati *sub longa pœnitentiæ satisfactione* admittendi dicuntur. Id respicit eam disciplinam qua rebaptizatorum *reconciliatio*, ait Vigilius epist. 2, ad Profuturum, num. 4, *non per illam impositionem manus quæ per invocationem sancti Spiritus operatur, sed per illam qua pœnitentiæ fructus acquiritur, et sanctæ communionis restitutio perficitur.* Prima reconciliationis ratio, quæ sola impositione manuum sine exactione alterius pœnitentiæ perficiebatur, recepta erat cum solis laicis, eo quod clerici non rebaptizati in suo gradu reciperentur; secunda vero adhibebatur cum omnibus rebaptizatis, sive laicis, sive clericis, qui ob iteratum baptisma in clerum recipi non poterant. Primam vero illam impositionem manuum, quæ etsi operibus laboriosis pœnitentiæ non subjiciebat, præferebat tamen, ut ex Innocentio I vidimus, *imaginem pœnitentiæ*, clericis in suum gradum restituendis repugnasse, explorate affirmat S. Leo in eadem ad Rusticum epistola cap. 2, ubi et consuetudinem ecclesiasticam, et traditionem apostolicam allegat; de qua re dicemus plura in observationibus ad Quesnelli notas.

[a] 1, qu. 1, *Hanc regulam*, c. 57.

[b] Vat. Hisp. et Isid., Veron. Cresc. atque Justellus, *Deus.*

[c] Vindebon. Hisp. et Cresc. delent *est.*

[d] Vat. Reg. collect. 1, *accepit.*

[e] In laudato Vat. Reginæ et in Vindebon. collect. 1 omittitur *et.*

[f] Cod. Vat. Isid. et alius Vat. collect. 11, *ut omni observantiæ* Florent. S. Marci collect. 13, *ut omnibus observantiæ.* Vindebon. Hisp., *ut ad omnium observantiam.* Prætulimus lectionem codd. Vat. Reg. collect. 1, Vat. Dionys. et aliorum collect. 12 et 24, cum Sichardo.

[g] Dies et mensis ita notantur in mss. Vat. Dionys., in Hadrian. et in Florentino collect. 13 ac in uno Vat. 546 collect. 21. Cod. Vat. Reginæ collect. 1 : *Dat.* XV *kal. Aprilis*, ubi facile fuit duplicem unitatem II junctis apicibus commutare in V. Vindebon. collect. 5 : *Dat.* XIV *kal. Aprilis.* Majoriani consulatus signatur in omnibus, excepto Vat. Dionys., in quo per errorem scriptum est : *Cons. Tariani Aug.* In Vindebon. collect. 5 : *Majorano Augusto primum consule*, ut erat in editis ante Quesnellum, qui emendavit *Majoriano*, sed retinuit *primum consule*; quod tamen non solum abest a cæteris codicibus, sed ab usu etiam antiquo abhorret. Cod. Vat. Reginæ *Majoriani* nomini præmittit siglam *GL. P.* sicuti præmittitur etiam in Florentino S. Marci eidem nomini in epist. 163. Num legendum *gloriosi* aut *gloriosissimi principis*, aliorum judicium esto.

[h] Alias 150. Scripta 21 Martii an. 458.

[i] Quesnellus hanc ex cod. Grimanico edidit.

[j] Hic quindecim episcopi nominantur : libello autem supplici ab iisdem Ægyptiis oblato imperatori, et ad Leonem papam cum ipsius Augusti litteris

Digitized by Google

sio, Paulo, Petro, Theonæ, Isaiæ, Apollonio, Arpocrati, Isidoro, Isaac, Apollonio, Maximo, Marioni, Poemenio, et Helpidio episcopis et clericis catholicis ex Ægypto apud Constantinopolim constitutis Leo.

Cap. I. — Tribulationem quam dilectioni vestræ spiritus diabolicæ tentationis ingessit, ab eo fiducialiter credite sublevandum, propter quem talia sustinetis; atque ipsius auxilio consolandos vos esse præsumite, cujus dilectioni quæ toleratis impenditis. Qui licet temporaliter fieri quæ sunt adversa permittat, constantiam tamen fidei non vult decuti, sed probari. Promissæ beatitudinis spem gerentes, patientiæ longanimitatem vestris mentibus adhibete: *Fidelis enim Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione exitum, ut possitis sustinere* (I Cor. x, 13). Nec pedes vestros peccatorum pax visa dimoveat, quos in ea petra fixos habere debetis, adversum quam nec portas inferi prævalere legistis (*Matth.* xvi, 18). Quia igitur, fratres charissimi, Christianissimus imperator rursus ad nos [a] scripta direxit, quibus ut aliquem de nostris partibus dirigamus hortatur; et quamvis illic vestra non desit instructio, quæ valeat hæreticorum obstinationibus obviare, desiderat a nobis tamen dirigi, qui fidem damnatis, et eam diabolico spiritu non recipientibus, tamquam sit adhuc dubia, possit asserere, quæ sicut necessarie **1337** prædicatur, ita voluntate percipitur: dilectionem vestram moneo ut inanis gloriæ contentionem id ipsum dicentes omnes unanimitatis virtute vitetis. Scitis enim quæ vobis debeatur hujus palma certaminis, cujus idem cognitor qui hoc spectat, adjutor est, atque ipse ad vincendum vires sufficit, qui diligentibus se præmium jam paravit. Nullus se propriis sedibus queratur extorrem, aut patriis expulsum finibus ingemiscat. Nemo vestrum exsul est Deo, quem auxiliatorum vobis ubique confidite. Ferte universa patienter, et confortato corde Dominum fideliter sustinete. Brevis est tribulatio quam tempus incidit; nec confessioni vestræ nova videantur, quæ vos ab inimicis Domini tolerare cognoscimus. *Sic enim persecuti sunt et prophetas qui erant ante vos* (*Matth.* v, 12).

Cap. II. — [b] Omni itaque dilectionis vestræ studio ac labore nitendum est ne ulla insidiantium disceptatio possit admitti, neve hoc ab hæreticis valeat obtineri, quo evangelicam fidem manifestum est impugnari. Nam definitarum rerum quas tantæ synodi vel Christianissimi principis sanxit auctoritas, et apostolicæ sedis confirmavit assensus, nihil oportet discuti, ne contra fas aliquid videatur infringi. Multumque fidei et sacerdotali constantiæ derogatur, si cum his qui homicidiis et furore repleti sunt, ac volunt convertere Evangelium Christi, et facinore suo probantur exosi, superfluæ et plurimum nocituræ altercationis conflictus habeatur. Datum duodecimo kalendas Aprilis, Leone et Majoriano Augustis consulibus.

EPISTOLA [c] CLXI.

[d] AD PRESBYTEROS, DIACONOS ET CLERICOS ECCLESIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ.

Synopsis. — I. *Ut in fide stabiles et ab hæreticorum societate alieni perseverent hortatur.* — II. *Ut novum judicium non instauretur, et ut Atticus et Andreas ordinis sui honore priventur, nisi voce scriptoque fidei Chalcedonensi adhærere se profiteantur.*

Leo presbyteris, diaconibus et clericis Constantinopolitanæ Ecclesiæ.

Cap. I. — Lætificatus valde sum et plurimum delectatus, quod mihi fidei vestræ est, de qua in Domino glorior, manifestata constantia, et intelligo vos per omnia devotissimos doctrinæ evangelicæ esse discipulos, atque apostolicis prædicationibus, quæ **1338** ex eodem fonte manarunt, nihil prorsus sentire diversum: quia catholica fides, quæ vera et una est, nulla se patitur diversitate violari, et ideo cohortari dilectionem vestram ac monere non desino, ut instruente Spiritu sancto perseveranter *id ipsum dicatis omnes, et non sint inter vos schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* (I Cor. i, 10); proculque a consortio vestro olim damnatorum depellatis errores, ut inchoastis, in fidei constantia permanentes; nullum sinatis vobis Nestoriana vel Eutychiana infectum perversitate sociari, tamquam leve ac tolerabile sit ad quod [e] utrique quorumdam insipientium corda traduxit, et in scelera diabolici furoris accendit.

Cap. II. — [f] Habemus, propitio Deo, magnum et divinitus præparatum Christianissimi imperatoris auxilium, quem scriptis meis, quantum causa [g] expetit, obsecravi, ne improbis parricidarum petitionibus in aliquo clementiæ suæ præberet assensum, neque ullo modo sineret sanctæ Chalcedonensis synodi definitiones, quæ vere de cœlestibus prodiere decretis, tamquam necessaria retractatione violari:

transmisso, qui in codice encyclio describitur tom. IV Concil. pag. 1843, quatuordecim tantum subscribuntur, et in his non solum ordo diversus est, verum etiam duo nomina Pulsaminonis, seu potius Pulsamonis et alterius Athanasii episcopi leguntur, quæ in inscriptione hujus epistolæ non recensentur; econtra vero in hac inscriptione tres episcopi nominantur, qui in subscriptionibus prædictis desunt, nimirum Isidorus, Elpidius et unus Apollonius; alter enim Apollonius idem esse videtur qui in subscriptionibus Apollo vocatur. Sed Elpidius et unus Apollonius ab Apollo diversus legitur in aliis subscriptionibus synodi Constantinopolitanæ sub Gennadio tom. V Concil. pag. 51, ubi etiam Theonæ et Marionis episcoporum nomina invenire licebit. Ex utrisque subscriptionibus simul collatis singulorum episcoporum sedes colligentur, Isidoro excepto, qui in neutris invenitur.

[a] Innuitur imperatoris epistola, cui S. Leo respondet epistola 162.

[b] Hæc usque ad finem referuntur a Facundo Herm. lib. XII, c. 2, p. 533.

[c] Alias 151. Scripta 21 Martii an. 458.

[d] Ex cod. card. Grimani a Quesnello edita fuit.

[e] Forte, *utraque*.

[f] Referuntur a Facundo Herm. lib. XII, c. 2, p. 533.

[g] Vulg. ex. Grim., *exstitit*. Prætulimus lectionem Facundi, quam Quesnellus margini affixit.

Digitized by Google

[a] cum insidias impiorum ad hoc subrepere velle manifestum sit, ut statuta evangelicis prædicationibus et Patrum traditionibus consonantia novo faciant infirma judicio, et dum disceptatio admittitur, auctoritas auferatur [b]. Aderit, ut spero, suis inspirationibus divina protectio, eamque sancto principi tribuet facultatem, ut nullo modo fieri sinat quod humanæ saluti sentit adversum. Atticum vero et Andream, quorum nomina fratri et coepiscopo meo Anatolio missis ante [c] litteris indicavi, quos a vestra laudabili fide dissentire cognovi, atque Eutychianorum apertissime connivere perfidiæ, nisi prius hostilia dogmata propria voce ac subscriptione damnaverint, et fidem Chalcedonensi concilio roboratam in Ecclesia populo Christiano præsente se professi fuerint secuturos, ordinis sui honore priventur; ne diutius luporum [d] levitas simplicitati Dominicarum ovium misceatur. Datum duodecimo kalendas Aprilis, Leone et Majoriano Augustis consulibus.

1339 EPISTOLA [e] CLXII.

[f] AD LEONEM AUGUSTUM.

Per [g] PHILOXENUM *agentem in rebus.*

[h] SYNOPSIS. — I. *Ut fidem semel definitam ad examen revocari non sinat.* — II. *Se nec posse hæreticis communione sociari, nec definitis a synodo dissentire.* — III. *Legatos a se mittendos, non ut disputent, sed ut instruant.* — IV. *Fugiendos hæreticos, quibus et pœnam imminere significat.*

LEO episcopus LEONI Augusto.

[i] Multo gaudio mens mea exsultat in Domino, et magna mihi est ratio [j] gratulandi, cum clementiæ vestræ excellentissimam fidem augeri per omnia [k] donis gratiæ cœlestis agnosco; et per incrementa diligentiæ devotionem in vobis animi sacerdotalis experior. Nam in vestræ pietatis alloquiis non dubie patet quid per vos in totius Ecclesiæ salutem Spiritus sanctus operetur, et [l] quantum universorum fidelium precibus sit optandum ut in omnem gloriam vestrum extendatur imperium, qui supra curam rerum temporalium, religiosæ providentiæ famulatum divinis et æternis dispositionibus perseveranter impenditis : ut scilicet catholica fides, quæ humanum genus sola vivificat, sola sanctificat, in una confessione permaneat, et dissensiones quæ de terrenarum opinionum varietate nascuntur, a soliditate illius petræ, supra quam civitas Dei ædificatur, abigantur, [m] gloriosissime imperator. Hæc autem Dei munera ita demum nobis divinitus conferentur, si de his quæ sunt præstita non inveniamur ingrati, et tamquam nulla sint, quæ adepti sumus, contraria potius expetamus. Nam quæ patefacta sunt quærere, quæ perfecta sunt retractare, et quæ sunt [n] definita convellere, quid aliud est quam de adeptis gratias non referre, et ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere? Unde quia ad pacem universalis Ecclesiæ, et **1340** ad custodiam catholicæ fidei, cura dignamini sollicitiore respicere, evidenter agnoscitis quod magnis hæreticorum audetur insidiis, ut inter Eutychis Dioscorique discipulos, et eum quem apostolica sedes direxerit, [o] diligentior, tamquam nihil fuerit ante definitum, tractatus habeatur, et quod totius mundi catholici sacerdotes in sancta Chalcedonensi synodo probant gaudentque firmatum, in injuriam etiam sacratissimi concilii Nicæni efficiatur infirmum. Quod enim nostris temporibus apud Chalcedonam de Domini nostri Jesu Christi incarnatione firmatum est, hoc etiam apud Nicæam mysticus ille Patrum numerus definivit; ne catholicorum confessio aut unigenitum Dei Filium in aliquo crederet Patri imparem, aut eumdem, cum factus est filius hominis, non veram carnis nostræ atque animæ habuisse naturam.

CAP. II. — Detestandum ergo nobis est perseveranterque vitandum, quod fraus hæretica nititur obtinere, [p] nec in aliquam disceptationem pie et plene definita, revocanda sunt, ne ad arbitrium damnatorum ipsi de his videamur ambigere, quæ manifestum est per omnia propheticis et evangelicis atque apostolicis auctoritatibus consonare. Unde si qui sunt qui ab his quæ cœlitus sunt constituta dissentiunt, suis opinionibus relinquantur, et ab unitate Ecclesiæ cum ea quam elegerunt perversitate discedant. Nam nullo modo fieri potest ut qui divinis audent contradicere sacramentis, aliqua nobis communione socientur. Jactent se in sui eloquii vanitate, et de argumentationum suarum versutia, quæ inimica est fidei, glorientur : [q] nobis placet Apostoli obedire præceptis, dicentis : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem seductionem hominum* (*Coloss.* II, 8). Nam secundum eumdem apostolum, *si quæ destruxi, hæc*

[a] Apud Facundum, *cum insidiatores priorum.*
[b] Hucusque Facundus.
[c] Epist. 157, cap. 4.
[d] Forte, *sævitia*, vel *pravitas*. Quesn. in marg.
[e] Alias 132. Scripta 21 Martii an. 458.
[f] Exstat hæc epistola in mss. collect. 5, 11, 12, 18, 19 et 21 usque ad 24.
[g] Ita nostri cod. collect. 5, 11 et 21. Vulg. ante Quesn., forte ex aliquo cod. collect. 12, *per Philonem.*
[h] In tabula collect. 5 hæc synopsis exhibetur cap. 94 : *De adhortatione abscindendæ hæresis Eutychianæ, et confirmatione concilii.*
[i] Cod. Ven. S. Marci collect. 22, *Magno gaudio.*
[j] Ita Quesnellus, ut credimus, ex Grimanico, et solo quidem : nam omnes nostri codices aliarum collectionum, etiam Vindebon. collect. 5 et Ratisp. collect. 19, cum ante vulgatis habent *gloriandi.* Lectionem autem Quesnelli uti congruentiorem expungere noluimus.
[k] Sic omnes nostri codices et vulg. ante Quesn., apud quem, *dono.*
[l] Codd. collect. 11 et 21 ac Ratisp., *quantis.*
[m] *Gloriosisissime imperator* a Quesnello addita ex Grim. cod. in aliis desunt. Solum Ratisp. præfert siglam *GL.*
[n] Cod. Grim., *finita.*
[o] Vocem, *diligentior* a Quesn. expunctam ex nostris codd. revocavimus. Paulo post, *a sancta Chalcedonensi* in Ratisp. et in Vat. collect. 11.
[p] Ratisp., *nec aliqua disceptatione.*
[q] Idem Ratisp. et Vat. collect. 11 atque 21, *placeat apostolicis obedire præceptis dicentibus.* Vulg. ante Quesn. cum mss. collect. 21, *placet apostolicis obedire præceptis dicentibus.*

Digitized by Google

ædifico, *prævaricatorem me constituo* (*Galat.* II, 18), et eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ principis Marciani, sed etiam ego mea [a] consensione firmavi. Quia, sicut sancte veraciterque dixistis, *perfectio incrementum, et adjectionem plenitudo non recipit.* Unde, cum sciam te, venerabilis princeps, sincerissimo veritatis lumine imbutum, in nulla fidei parte nutare, sed sancto perfectoque judicio a **1341** pravis recta discernere et a refutandis amplectenda dividere, obsecro ne humilitatem meam de diffidentia putes esse culpandam, cum hæc mea cautio non solum universali Ecclesiæ consulat, sed etiam tuæ gloriæ famuletur : ne sub imperii tui tempore et hæreticorum aucta videatur improbitas, et catholicorum perturbata securitas.

CAP. III. — Quamvis ergo multum per omnia de pietatis vestræ corde confidam, et per inhabitantem in vobis Spiritum Dei satis vos instructos esse perspiciam, nec fidei vestræ ullus possit error illudere, præceptioni tamen vestræ in eo [b] adnitar obedire, ut aliquos de fratribus meis dirigam, qui apud vos præsentiæ meæ instar exhibeant, et quæ sit apostolicæ fidei regula, licet, ut dixi, vobis bene sit nota, demonstrent, patefacientes in omnibus et probantes, non esse omnino inter catholicos computandos, qui definitiones venerabilis synodi Nicænæ, vel sancti Chalcedonensis concilii regulas non sequuntur; cum utrorumque sancta decreta ex evangelico [c] et apostolico manifestum sit fonte prodire, et QUISQUIS non est de irrigatione Christi, poculi esse viperei. Præ-noscat igitur [d] pietas tua, venerabilis imperator, hos quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra ullos, a sede apostolica profecturos, quia de rebus et apud Nicæam et apud Chalcedonam, sicut Deo placuit, definitis, nullum audemus inire tractatum : tamquam dubia vel infirma sint quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas.

CAP. IV.—Instructioni autem parvulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant [e] solidiore satiari, ministerii nostri præsidium non negamus; et sicut simpliciores non spernimus, ita a rebellibus hæreticis abstinemus : memores præcepti Domini, dicentis : *Nolite dare sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* VII, 6). Nimis quippe indignum nimisque injustum est eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat Spiritus sanctus per prophetam, **1342** dicens : *Filii alieni mentiti sunt mihi* (*Ps.* XVII, 46). [f] Qui etiamsi Evangelio non resisterent, de illis tamen se esse monstrarent, de quibus scriptum est : *Deum se profitentur scire, factis autem negant* (*Tit.* I, 16) : clamante adhuc justi Abel sanguine adversum impium Cain, qui increpatus a Domino (*Genes.* IV, 10), [g] non quievit ad pœnitudinem, sed exarsit ad cædem. Cujus vindictam sic Domini judicio volumus reservari, ut improbus prædo et parricida crudelis in seipsum recidat, et nostra non teneat. Neque sanctæ Ecclesiæ Alexandrinæ lamentabilem captivitatem patiamini ulterius prolongari, cui oportet fidei vestræ justitiæque præsidio suam restitui libertatem, ut per omnes Ægypti urbes dignitas Patrum et jus sacerdotale reparetur. Datum [h] duodecimo kalendas Aprilis Leone et Majoriano Augustis consulibus.

EPISTOLA [i] CLXIII

[j] AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

Per PATRITIUM *diaconem.*

[k] SYNOPSIS.—*Quod sua monita Anatolio displicuerant expostulat monetque ut Atticus presbyter propria subscriptione publice recitanda Eutychianum damnet errorem, si catholicus videri velit.*

LEO episcopus ANATOLIO episcopo.

Lectis dilectionis tuæ litteris, quas per filium nostrum Patritium diaconem direxisti, intellexi tibi studium meæ sollicitudinis displicere, qua secundum dominicam charitatem, quam tibi a nobis impendi experimentis plurimis approbasti, de cavendis his qui [l] communis fidei adversarii dicerentur [m] admonui, ne ad negligentiam rectoris referretur, si quisquam in Ecclesia catholica ea prædicare præsumeret

[a] Quesn. in marg. : Al., *defensione*, vel *confessione*. Neutrum in ullo nostro codice invenimus.

[b] Quesn., *adnitor*. Melius anteriores vulg. cum nostris codd., ac præsertim Ratisp.; de legatis enim agitur quos Leo solum Augusto mense transmisit, ut videre est ex epistola 164.

[c] Quesnellus delevit *et apostolico*. Retinuimus cum anterioribus editionibus, quas noster Ratisp. et alii codices approbant, excepto Vindebon. collect. 5.

[d] Editi ante Quesn. cum Ratisp. et Vat. collect. 12, *pietas vestra*.

[e] Ratisp., *solido*, et post pauca, *sed sicut*. Dein, *præcepti Dominici dicentis* in antiquis vulg. et in Ratisp. aliisque nonnullis codd. legitur.

[f] Antiqui vulg. cum codd. collect. 12 addunt, *filii alieni inveterati*.

[g] Idem vulg. cum quibusdam codd., *non requievit*.

[h] Quesnellus cum aliis vulg., XI *kal.*, et in marg., XII *kal.* Hanc notam prætulimus, non solum quia plures et potiores nostri codd. Vindebon. collect. 5, Vat. collect. 11 et mss. collect. 21 et 24 eam probant, verum etiam quia concordat cum die signato in duabus antecedentibus epistolis per eumdem Philoxenum Constantinopolim transmissis. In mss. collect. 11, 21 et 24, *Leonis* nomen in consulari nota omittitur. Duo Vat. collect. 21, *Glorioso Majoriano Aug. cons.* In alio Vat. collect. 24, *Calipio* pro *Glorioso* scriptum legitur. Id ex ea sigla *GLP* profectum videtur, quam *Majoriani* nomini aliquibus in mss. præfixam animadvertimus annot. 31 (*Col.* 1140, n. x) in epist. 159. Hanc auctor collectionis 24 vel librarius aliquis perperam interpretatus est *Calipio*

[i] Alias 128. Scripta 28 Martii an. 458.

[j] Exstat in mss. collect. 5, 11, 12, 13 et 20 usque ad 24.

[k] In tabula mss. collect. 5 hic titulus legitur cap. 95 : *Ad Anatolium episcopum de Attico presbytero, ut susceptionem Eutychiani erroris a se presbyter compellatur excludere.*

[l] Vat. collect. 11, *communi fidei adversari dicerentur*.

[m] Epist. 157, c. 4

Digitized by Google

quæ hæreticorum sensibus convenirent. **1343** Quod utrum veraciter fama jactaret, dilectionis tuæ inquirendum judicio delegavi. Neque in aliquo honorem tuum læsi, [a] cui discutienda ea quæ ad me erant perlata [b] commisi : ut scilicet Atticus presbyter, quem talia audere cognoveram, nisi perfecta se satisfactione purgasset; et non solum voce hæreticos, sed etiam propriæ manus subscriptione damnasset, a communionis gratia esset alienus. Qui scripta mittendo dubiæ fidei et professionis incertæ, [c] confirmavit magis quam diluit, quidquid ad nos de eo fama pertulerat; cum si conscientiam suam voluisset probare sinceram, non Eutychen sibi odiosum fuisse, sed quod perfidiam ipsius reprobaret atque damnaret, [d] debuerat confiteri : quia aliud sunt humanæ etiam inter catholicos simultates; aliud diabolici, quos fides catholica damnat, errores. Et ideo, frater charissime, in nullo debes de nostra dilectione dubitare, si prophetæ exemplum sequaris, et dicas : *Nonne qui te oderant, Domine, oderam* [e] *illos, et super inimicos tuos tabescebam* (*Ps.* CXXXVIII, 21)? Per omnia enim volo te esse certissimum quod sicut meam existimationem illæsam cupio permanere, ita opto te quoque in omnibus irreprehensibilem reperiri. Prædictus autem [f] Atticus, ut ab omni suspicione contraria liber appareat quid in Eutyche anathematizet ac damnet, evidenter ostendat, et in damnationem erroris expressi, remota omni dubitatione, subscribat : ita ut Chalcedonensis [g] synodi definitionem de fide, cui etiam dilectio tua subscribendo consensit, et quam apostolicæ sedis [h] firmavit auctoritas, profiteatur se per omnia servaturum, adjecta subscriptione propriæ manus, quæ in Ecclesia Christiano populo præsente recitetur : ut pro catholica fide neque nos negligentes, neque ipse ultra suspectus **1344** habeatur. Qui si in eadem pravitate perduraverit, [i] præceptis salubribus parere noluerit, sententiam synodi Chalcedonensis, cujus definitionibus resultat, excipiat. Data [j] quinto kalendas Aprilis, Leone et Majoriano Augustis consulibus.

EPISTOLA [k] CLXIV.

[l] AD LEONEM AUGUSTUM.

SYNOPSIS. — I. *Legatos mittit vice sua pro Ecclesiæ libertate actiros, rogatque de bene definita ad novum tractatum revocentur.* — II. *Semper disputationi locum fore, si humano ratiocinio et Rhetorum loquacitate expendi mysteria sinantur.* — III. *Quam Evangelio et humanæ saluti inimicum sit Eutychianorum dogma a synodo proscriptum; cui nulla disputatione derogari debet.* — IV. *Parricidas Alexandrinos omni indulgentia indignos esse; quibus tamen, si resipiscant, de misericordia non desperandum.* — V. *Legatos commendat, quos mittit non disceptaturos, sed supplicaturos; quænam pro pace Ecclesiæ sint agenda; correctis pœnitentiam non negandam, obduratis sub synodali sententia remanentibus.*

Leo [m] episcopus Leoni Augusto.

CAP. I. — Multis manifestisque documentis probatum mihi esse gaudeas; quanto universali Ecclesiæ consulatis affectu, præceptis pietatis vestræ, ubi primum licuit, parere non distuli, diligens [n] Domitianum et Geminianum fratres et coepiscopos meos, **1345** qui apud vos [o] preces meæ sollicitudinis exsequentes, pro quiete vobis doctrinæ evangelicæ supplicarent, et libertatem fidei, in qua secundum eruditionem Spiritus sancti ipse præcipue emines, obtinerent, repulsis procul hostibus Christi, qui etiamsi voluissent furoribus suum tegere, non latuerunt, quia alia est Dominici gregis sancta simplicitas, alia sub vestitu ovium simulatio latentium bestiarum; nec possunt jam per hypocrisim irrepere, quos [p] tantæ furor manifestavit insaniæ. [q] Agnosce igitur, auguste

[a] Idem codex, *cum discutienda.*

[b] Epist. 151.

[c] Vat. 546 collect. 21, *confirmat.*

[d] Vulg. ante Quesn., *debuit.*

[e] Vindebon. collect. 5, *eos.* Porro *tabescebam* habent omnes nostri codd. et editi ante Quesn., apud quem forte errore librarii vel typographi, *tabescam.*

[f] Idem Vindebon. cum mss. collect. 11 et 24 omittit *Atticus.*

[g] Plures vulg. ante Quesn., *symboli*, male : novum enim symbolum Chalcedonenses Patres non condidere, sed contra Eutychianos errores fidei definitionem protulerunt. *Synodi* habent nostri codices, et duo a Quesnello laudati Barb. et Trecopith., nec non Pelagius II, in epist. 3, ad Eliam et cæteros episcopos Istriæ c. 3, ubi ex his litteris testimonium recitat. Hujus professionis formula exhibetur in collect. 5 cap. 85, quam tomo tertio edemus; eamque ad Constantinopolitanam Ecclesiam præsertim pertinuisse discimus ex mss. collect. 8, in quibus hæc eadem formula inscribitur sic. 125 : *Confessio presbyterorum seu diaconorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ;* et incipit : *Ego ille Constantinopolitanæ Ecclesiæ diaconus vel presbyter hac scriptura*, etc. Hæc formula ex Leonis quidem mente scripta, vel Roma Constantinopolim missa fuit, vel Constantinopoli ad Leonem transmissa, atque ab eodem probata, ac Latine reddita in laudatas collectiones transivit.

[h] Vat. 546 collect. 21, *confirmavit.*

[i] Cod. Florent. S. Marci collect. 13, *præcepto salubri.* Dein pro *excipiat*, ms. Cantabrig., *incurrat.*

[j] Vat. cum mss. collect. 12, 21 et 24, XV *kal. Aprilis.* Præstulimus potiores codices Vindebon. collect. 5, Vat. collect. 11 et Florent. collect. 13, quibus tres alii a Quesnello in margine allegati astipulantur. In mss. collect. 11, 15, 21 et 24 omittitur *Leonis* nomen, et solius Majoriani consulatus memoratur. At cæteri codices ac præsertim Vindebon. collect. 5 utrumque consulem signant, ut pariter in omnibus litteris hoc anno, in Orientem missis notatur. Solæ duæ epistolæ ad Occidentales missæ 159 et 166 unum Majorianum consulem memorant.

[k] Alias 133. Scripta 17 August. an. 458.

[l] Celebrem hanc epistolam, ex qua nonnulla fragmenta supererant apud Vigilium, Pelagium atque Facundum, cujusque dimidiam fere partem descripsit Prudentius Tricassinus in lib. de Prædest., integram edidit Quesnellus ex ms. Grimanico. Eamdem in nostro Ratisponensi invenimus. Vide Quesnelli notam.

[m] Vocem *episcopus* a nobis ex Ratisp. additam Prudentius etiam confirmat.

[n] In Ratisp. et apud Prudentium, *Donatianum.* Retinuimus *Domitianum*, quia sic legitur in epist. 170, quæ horum legatorum nomina repetit.

[o] Quesn. in marg. : Legendum forte, *vices.* At *preces* habet etiam Ratisp.

[p] Ratisp. delet *tantæ* ; et post pauca ignorat *auguste et.*

[q] Sequentia habet Facundus p. 87.

Digitized by Google

et venerabilis imperator, in quantum totius mundi præsidium divina sis providentia præparatus, et quid auxilii matri tuæ Ecclesiæ debeas, quæ te filio maxime gloriatur, intellige. [a] Non sinantur contra dexteræ omnipotentis triumphos redivivis assurgere motibus exstincta certamina; præsertim cum id damnatis jamdudum hæreticorum ausibus omnino non liceat, et hic fructus piis laboribus debeatur, ut omnis Ecclesiæ plenitudo in suæ unitatis soliditate secura permaneat, nihilque prorsus de bene [b] compositis retractetur: quia post legitimas et divinitus inspiratas constitutiones velle confligere, non pacifici est [c] animi, sed rebellis, dicente Apostolo: *Verbis enim contendere, ad nihil est utile, nisi ad subversionem audientium* (II *Tim.* II, 24).

Cap. II. — Nam si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, numquam deesse poterunt qui veritati audeant resultare, et de [d] mundanæ sapientiæ loquacitate confidere: [e] cum hanc nocentissimam vanitatem quantum debeat fides [f] et sapientia Christiana vitare ex ipsa Domini nostri Jesu Christi institutione cognoscat; qui omnes nationes ad illuminationem fidei vocaturus, non de philosophis aut de oratoribus, qui prædicando Evangelio famularentur, elegit; **1346** sed de humilibus et piscatoribus, per quos [g] se manifestaret, assumpsit, ne doctrina cœlestis, quæ erat plena virtutum, auxilio videretur indigere verborum. Unde Apostolus protestatur et dicit: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare; non in sapientia verbi, ne evacuetur crux Christi: verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi fiunt virtus Dei est; scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi* (I *Cor.* I, 17-20)? Argumenta enim [h] rhetorica et institutæ ab hominibus versutiæ disputandi in eo præcipue gloriantur, si in rebus incertis et opinionum varietate [i] confusis, ad hoc audientium trahant sensum, quod asserendum ingenio atque eloquio suo quisque delegerit; et ita [j] fit ut quod majore facundia defenditur, verius æstimetur. Sed Christi Evangelium hac arte non indiget, in quo doctrina veritatis sua luce [k] manifestata est; nec quæritur quid auribus placeat, ubi veræ fidei sufficit scire quis doceat.

Cap. III. — Hos autem qui suis decipiuntur inventis, nihil magis ab evangelica [l] luce dissociat, quam quod incarnationis [m] Dominicæ veritatem non putant ad humanam, id est nostram, pertinere naturam: tamquam indignum fuerit gloria Dei, ut majestas Verbi impassibilis veritatem mortalis carnis assumpserit; cum aliter salus [n] hominum reparari non posset, nisi qui est in forma Dei, formam susciperet dignaretur et servi. Unde cum sancta synodus Chalcedonensis, [o] quæ ab universis Romani orbis provinciis cum totius mundi est celebrata consensu, et a sacratissimi concilii **1347** Nicæni est indivisa decretis, omnem Eutychiani dogmatis impietatem a corpore catholicæ communionis abscideri, quomodo erit cuiquam lapsorum ad ecclesiasticam pacem recursus, nisi perfecta fuerit satisfactione purgatus? Nam quæ istis tribui potest licentia disserendi, qui justo sanctoque judicio meruere damnari? ut veris-

[a] *Non sinas* legitur in Constituto Vigilii papæ, et in epistola Pelagii II, ad Eliam Aquileiensem, ubi hæc referuntur; et postea apud utrosque *exsurgere* pro *assurgere*.

[b] Apud Vigilium, *constitutis*. Mox apud eumdem Vigilium et Prudentium, *quia legitimas et divinitus inspiratas constitutiones velle movere, non*, etc.

[c] Pelagius, *hominis*.

[d] Quesn., *humanæ*. Prætulimus cum Ratisp., *mundanæ*; similiter enim legitur etiam apud Vigilium atque Facundum.

[e] Hucusque Facundus.

[f] *Et sapientia* delet Prudentius. Mox, *nostri* in Ratisp. desideratur.

[g] Quesnellus cum Grim., *sancta manifestaret*; et in margine: *sancta* delet Prudentius. Lectio nostri Ratisp. magis placuit, ex quo etiam mox *virtutum* pro *virtutibus* prætulimus.

[h] Sic ex Ratisp. atque Prudentio. Quesn. cum Grim., *rhetoricæ institutæ*.

[i] Ita Quesn. cum Prudentio; et in margine: Cod. Grimanicus, *confisis*; minus recte. Noster Ratisp. cum Prudentio concordat.

[j] Sic Quesn. cum eodem Prudentio, cui Ratisp. suffragatur. Cod. Grim., *fieri*.

[k] Ratisp., *manifestâ*. Mox, *nec sequitur* pro *nec quæritur*, male in ms. Grim. Emendationem Quesn. ex Prudentio noster Ratisp. confirmat. Post pauca, *quis doceat* idem Prudentius et Ratisp. præferunt. In Grim. corrupte, *quod doceat*.

[l] Ita ex Ratisp., uti paulo ante, *sua luce*. Quesn. cum Grim., *voce*.

[m] Ratisp., *divinæ*; et post pauca, *indignum fuerit gloriæ*.

[n] Idem Ratisp., *hominis*.

[o] His verbis Quesnellus postillam affixit: *Concilii œcumenici characteres duo:* 1° *ex omnibus provinciis;* 2° *totius orbis consensus*. Leo hic Chalcedonensis concilii, quod a tota Ecclesia receptum fuerat, prærogativas attingere voluit, ut illud multo magis irretractabile ostenderet, non vero voluit characteres generali synodo necessarias proponere, ut Quesnelli postilla videtur innuere. Convocatio quidem generalis requiritur, *ut*, quod ait noster Auctor epist. 89, *evocatis de cunctis provinciis sacerdotibus* VERE *possit esse universale concilium*. VERE, inquit, seu stricte generale. Si tamen generali convocatione præmissa ad concilium non accedant omnes ex cunctis provinciis, vel accedere nequeant, ut ipsi synodo Chalcedonensi accidit, ad quam ob temporis præfiniti angustias vix legati apostolicæ sedis ex toto Occidente dirigi potuere, num idcirco generale esse non poterit? Immo praxis Ecclesiæ ostendit, generalia habita fuisse concilia Orientis, cum plures Orientales episcopi cum quibusdam Occidentalibus a Romana sede præsertim directis convenerunt. Id vero quod his synodis prærogativam generalium conciliorum præcipue asseruit, nimirum obligandi vim, fuit Romanæ sedis confirmatio, et assensus, quam unam ipsi Patres Chalcedonenses a Leone petierunt uti necessariam, aliorum quoque episcoporum totius orbis assensum petituri, si hunc æque necessarium judicassent. Vide ipsius synodi Chalcedonensis epistolam inter Leonianas 98, item Anatolii epist. 101, et imperatoris Marciani epist. 110.

Digitized by Google

sime illam sententiam beati apostoli Joannis exciperent, qua inter ipsa nascentis Ecclesiæ exordia inimicos crucis Christi perculit dicens : *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse ex Deo est, et omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est, sed hic est Antichristi* (I *Joan.* IV, 2). [a] Qua sancti Spiritus [b] præcurrente doctrina, pie nobis et constanter [c] utendum est, ne, dum talium disceptatio admittitur, his quæ divinitus definita sunt auctoritas derogetur [d], cum per omnes regni vestri partes, et in universis finibus terræ ea quæ apud Chalcedonam [e] firmata est fides, fundatissima pace servetur; nec Christiano sit dignus nomine qui se a consortio notræ [f] unitatis abrumpit. De quo Apostolus dicit : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia hujusmodi perversus est, et proprio judicio sit damnatus* (*Tit.* III, 10).

CAP. IV. — Quod ergo in sanctæ Ecclesiæ [g] pervasione et in præsulis ipsius crudelissima cæde impius parricida commisit, non potest humanis remissionibus expiari, nisi ille exoretur qui talia et solus potest digne plectere, et solus ineffabili misericordia relaxare. Nos vero non ultionum sumus cupidi, sed ministris diaboli non possumus ulla ex parte sociari. [h] Quos si a perversis discedere, ab errore resipiscere, et ab armis discordiæ ad pœnitentiæ cognoscamus lamenta converti, possumus etiam nos pro illis, ne in æternum pereant, supplicare : ut pietatis Domini utamur exemplo, qui pro persecutoribus suis ligno crucis affixus orabat, dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 24). Quod ut fructuose pro inimicis suis charitas faciat Christiana, relinquant impii semper religiosam semperque **1348** devotam Ecclesiam Dei [i] lacessere; neque simplicis populi animas hæretica audeant conturbare fallacia : ut ubi omnibus retro temporibus sincerissima fides floruit, nunc quoque evangelica et apostolica possit vigere doctrina. Quia et nos divinam misericordiam, in quantum valemus, imitantes, nullum justitia plecti, sed omnes cupimus misericordia liberari.

CAP. V. — j Utatur, obsecro, clementia tua prædictorum fratrum meorum suggestionibus; quos, sicut jamdudum in præmissa [k] epistola sum locutus, non disceptaturos [l] cum damnatis, sed supplicaturos vobis pro catholicæ tantum fidei stabilitate direxi. Et præcipue illud pietas vestra pro fide sua et divinæ majestatis contemplatione concedat, ut hæreticorum contentionibus prorsus amotis misericordem curam his qui infeliciter prolapsi sunt dignetur impendere, et libertate Alexandrinæ Ecclesiæ in statum pristinum revocata, antistes illic Chalcedonensis synodi statuta custodiens, et concordans evangelicis disciplinis, qui conturbatam plebem [m] pacificare valeat, ordinetur. Hi etiam episcopi vel clerici, quos de ecclesiis suis depulit impius parricida, pietatis tuæ præceptione revocentur; cæteris quoque, quos similis malignitas habitationibus propriis fecit extorres, in statum pristinum restitutis, quatenus plene atque perfecte de gratia Dei et fidei vestræ merito sine ullo jam concertationum strepitu gaudeamus. Nam si quis ita Christianæ spei ac propriæ salutis oblitus est, ut ad [n] convulsionem sacratissimi concilii Nicæni, sanctæ Chalcedonensis synodi evangelicum apostolicumque decretum violare aliqua disputatione præsumat, hunc cum omnibus hæreticis, qui de incarnatione Domini nostri Jesu Christi impia et detestanda senserunt, simili anathemate parique exsecratione damnamus : ut et legitima satisfactione correctis pœnitentiæ remedium non negetur, et in resultantes sententia synodalis, quæ veritatis est plena, permaneat. Data [o] decimo sexto kalendas Septembris, Leone et Majoriano Augustis consulibus.

[a] Hæc habent Vigilius et Pelagius, hicque epistolæ ad Basilium tribuit.

[b] Ita ex Ratisp. Quesnellus cum Grim., *percurrente*, minus recte.

[c] Apud Vigil., *videndum*, vel *vivendum*, vel *vitandum*. Mox apud eumdem Vigil. cum Pelagio et in Ratisp., *disputatio* pro *disceptatio :* ac dein in solo Pelagio, *eorum..... auctoritati.*

[d] Ratisp. addit siglam *GL*, quæ, cum in eodem ms. alibi notatur, in aliis codd. redditur *gloriosissime imperator.* Mox ex eodem ms. scripsimus, *cum per omnes*, melius quam apud Quesn., *dum.*

[e] Ita idem Ratisp. Al., *confirmata.*

[f] Quesn., *veritatis.* Correximus ex Ratisp.

[g] Ratisp., *persuasionem*, legendum *pervasionem*, et dein, *crudelissimam cædem.*

[h] Idem Ratisp., *Quod si a persuasis.*

[i] Verbum *lacessere* ex Ratisp. supplevimus : ac proinde non est necessaria explicatio a Quesnello addita in margine : *Id est, Alexandrinam quam invaserant.* Intelliguntur autem Eutychianorum ac Timothei maledicta contra Chalcedonensem synodum, contra Leonis epistolam, et contra catholicos, quos veluti Nestorianos traduxerant. Dein, *simplices populi animos* in eodem Ratisp.

[j] Hæc habet Prudentius.

[k] Epist. 162.

[l] Ratisp., *cum condemnatis.*

[m] Idem cod., *placare;* et post pauca, *pietatis vestræ.*

[n] Idem Ratisp., *compulsionem.*

[o] Ratisp., *kal. Sept.* Melius in Quesnello ex Grim., cum eodem die XVI *kal. Sept.* data sit sequens epistola, quæ jamdiu ante promissa, per eosdem legatos, qui hanc detulere, missa videtur.

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. Inter omnes Leonis epistolas duæ præ cæteris et apud Latinos et apud Græcos maxime celebres inveniuntur, epistola 28, ad Flavianum, et sequens ad Leonem Augustum : quippe quæ plenius catholicum dogma adversus Eutychianam hæresim explicant atque propugnant. Hinc cum S. Leonis epistolæ pro fide editæ laudantur, harum præsertim duarum expressa fit mentio : et cum epistola 28, ad Flavianum, vocaretur tomus primus, tum vero hæc, ad Leonem Augustum, secundus tomus appellatur a Martino I in concilio Lateranensi his verbis : *Beati Leonis Romani pontificis de secundo volumine ad Leonem imperatorem directo.* Hinc in professionibus fidei nonnumquam utriusque epistolæ doctrina æque ac doctrina conciliorum recepta

Digitized by Google

declaratur; et Simplicius papa epist. 5, ad Acacium, de hac scripsit : *Nota namque et omnibus illic potestatibus celebrata, quæ S. memoriæ prædecessor meus Leo ad consultationem Augustæ recordationis Leonis scripserit, et quam veneranter accepta sint, recognoscunt.* Hinc in Lectionariis antiquis hæc quoque epistola inserta legitur, uti videre est in cod. Vallicellano XXVI, eademque descripta invenitur in mss. collectionis 2 Sermonum S. Leonis, quæ ex Lectionariis originem ducit. Confer mss. Basilicæ Vat. 210 et Barber. 88. Græca etiam ejusdem interpretatio exhibetur in aliquot Græcis codicibus, eamque nos proferemus ex Miscellaneis Gerardi Vossii præpositi Tungrensis, qui codice Græco olim card. Sirleti, postea vero card. Columnæ usus fuit. Quasdam vero emendationes secundis curis sumpsimus ex codice Græco Vat. 1541, quem P. Caccianus in novissima Romana editione adhibuit. Neque moveat, si non reperitur in collectione Chalcedonensi; quippe hæc collectio, ut in præfatione ostendimus, vivente Valentiniano, id est antequam hæc epistola scriberetur, conciunata fuit. Hac epistola cum præclaro encomio usus est S. Ephræmius Antiochenus apud Photium cod. 228.

2 Ut tempus constituatur, quod a nonnullis vocatur in dubium, epistolæ scribendæ occasio commemoranda est. Leo Augustus an. 457, ad retundendam Eutychianorum audaciam, qui, adversus Chalcedonensem definitionem turbas et dubitationes excitantes, totam Ægyptum commoverant, novumque examen ac novum judicium petebant, encyclicis litteris ad omnes metropolitanos ac præsertim ad S. Leonem directis postulavit inter cætera, ut quisque coacta suæ cujusque provinciæ synodo, quid de Chalcedonensi concilio sentirent, epistolis exponerent. S. Pontifex statim, id est kal. Decembris ejusdem anni rescripsit epistola 156, et simul pleniores litteras c. 6 promisit his verbis : *Ac ne hujus epistolæ pagina in nimiam longitudinem tenderetur, aliis litteris, quæ assertioni catholicæ fidei congruunt, comprehendi, ut licet ea, quæ a sede apostolica sunt prædicata sufficerent, insidias tamen hæreticorum etiam hæc quæ sunt adjecta reserarent.* Huic promissioni satisfecisse epistola sequenti ex initio ejusdem manifestum est. Tillemontius not. 70 in Leonem in eam sententiam inclinat, hanc epistolam datam fuisse vel iisdem kal. Decembris an. 457, quibus data fuit epistola 156, vel paulo post : inverisimile enim ipsi videtur, pontificem in octo menses et amplius distulisse litteras, quas in recitato testimonio jam paratas indicavit. Hinc chronicam notationem huic epistolæ subjectam rejiciendam putat : idque ex eo confirmat, quod ea notatio chronica in plerisque mss. desideretur. Cum porro ad hanc epistolam referenda existimet, quæ Leo scripsit epist. 157, ad Anatolium, c. 1 : *Ego sane, quantum potui, piissimum principem precatus sum, ut .... hæreticorum assertiones in magna vergere ignorantiæ cæcitate cognosceret;* hanc, una cum epistola 156, kal. Decembris traditam fuisse probabilius affirmat. At nec una cum epistola 156, nec paulo post hanc epistolam datam fuisse palam faciunt verba : *Promisisse me* MEMINI; quæ promissum jamdiu ante factum manifestant. Verbum autem præteriti temporis *comprehendi*, quod in testimonio epist. 156 has litteras jam paratas et scriptas indicare videtur, nihil moveat, quominus hoc promissum tamdiu dilatum credatur. Leoni enim familiare fuisse præteritum tempus usurpare de re, uti credebatur, mox futura, licet postea in longius tempus differretur, aliis exemplis alibi demonstravimus. Illa etiam verba hujus epistolæ cap. 1, *fideli occasione persolvo*, aliquam occasionem innuunt, quæ post promissionem factam kal. Decembris occurrit. Porro prima post eas kalendas occasio incidit in diem 21 Martii anni 458, cum per Philoxenum agentem in rebus misit epistolas 160, 161 et 162. Poterat his hanc quoque epistolam annectere. Cum vero per eumdem Philoxenum imperator petiisset, ut S. Leo aliquos de suis fratribus optime instructos dirigeret, quos quidem dirigendos pollicetur ep. 162, c. 3, in hoc tempus harum litterarum transmissionem differendam censuit : et Domitianus ac Geminianus legati, sunt ea *fidelis occasio* cujus initio epistolæ meminit. Cum vero hi legati discesserint cum præcedentibus litteris signatis die XVI kal. Septembris; hanc eamdem diem ex Leonis more huic quoque epistolæ jure affixam agnoscimus. Hinc ex duobus diebus *XIII* vel *XVI* kal. Septembris, quorum alterum habent duo codices Trecoptih. et Oxon. Quesnelli ac editiones Josiæ Simleri, Surii, etc., alterum vero codex Theodoricianus ejusdem Quesnelli et noster præstantissimus Ratisponensis; hunc postremum cum antecedentibus litteris concinnentem prætulimus : facile autem fuit librariorum lapsu notam *VI*, disjunctis lateribus convertere in *III*, et scribere *XIII* pro *XVI kal. Septemb.* Neque moveat plerosque codices et collectiones omni chronica notatione carere : aliæ enim insignes epistolæ in omnibus mss. notam chronicam desiderant; quam si in aliquo codice inveniremus, non idcirco expungendam quispiam crederet, nisi forte historiæ repugnaret. In præsenti autem epistola præter fidem aliquot codicum diversæ originis, inter quos præsertim Ratisponensis maximam fidem facit, non solum nihil repugnat, sed omnia potius ex antea dictis concordant.

3. De testimoniis huic epistolæ subjectis aliquid hic tandem præmonendum est. S. Leo hæc post pseudosynodum Ephesinam primum collegerat, ac in Orientem per legatos miserat, ut doctrinam suæ epistolæ 28, ad Flavianum, Latinorum ac Græcorum Patrum doctrinæ cohærentem ostenderet. Quæ autem tunc misit testimonia, licet a Leone scripta fuerint Latine, Græca tamen eorum versio tantum superest, quæ in editionibus Conciliorum subjecta legitur epistolæ ad Flavianum Chalcedonensis concilii act. 2, de quo plura diximus in fine admonitionis ad epist. 28. Eadem vero testimonia rursus huic epistolæ subjecit, eaque Latine scripta inveniuntur tum in editis, tum in codicibus Leonis post eamdem epistolam ad Leonem Augustum; ac præterea hæc separatim inveniuntur inserta in antiquissimis collectionibus 3 et 5, nec non in ms. Capituli Veronensis 58. In his autem testimoniis aliquot sunt quæ in editionibus Conciliorum nequaquam leguntur actione 2. Id autem ex eo proficisci credimus, quod S. pontifex ad Leonem Augustum scripturus, majori diligentia usus, nova testimonia quæsivit et adjecit. Porro animadvertendum maxime est, ex Latinis Patribus tres tantum allegari, Hilarium, Ambrosium, et Augustinum; eorumque testimonia ex ipsis Latinis fontibus sumpta fuisse. Plura sunt testimonia Patrum Græcorum, eaque ex illis versionibus derivata fuerunt, quæ Leonis ætate prodierant. Sic testimonium Athanasii manifeste est ex ea interpretatione epistolæ ad Epictetum, qua eadem epistola integra profertur in collectione 5, cap. 52, et in mss. collect. 12. Testimonia Theophili ex duabus epistolis paschalibus versionem Hieronymi palam exhibent : testimonium Cyrilli ex epistola ad Nestorium iisdem verbis describitur in laudata collect. 5, cap. 56, et inter Leonis epistolas in collect. 12.

Digitized by Google

EPISTOLA [a] CLXV.

[b] AD LEONEM AUGUSTUM.

SYNOPSIS. — I. *Promissa prius scripta adversus Eutychianum dogma se mittere indicat.* — II. *Nestorii et Eutychetis dogmata exponuntur, quorum hic Apollinarem, Valentinum et Manichæum æmulatus est.* — III. *Nicæno Symbolo omnia hæresum monstra confodi.* — IV. *Reconciliationem hominum ex incarnatione pendere, sine qua nec mediatoris nec redemptoris officium Christus implet.* — V. *Solo Christi sacrificio vel reconciliatum Deo fuisse mundum, vel justificatos peccatores.* — VI. *Utriusque in Christo naturæ proprietates ex diversis ejus actionibus manifestari.* — VII. *Veritatem carnis in Christo ex veritate mortis, sepulturæ et resurrectionis comprobari.* — VIII. *Christi exaltationem nisi in vera hominis natura perfici non potuisse.* — IX. *Sub specie Deitatis honorandæ magna eam injuria affici, cum sub mendacio phantasmatis latuisse asseritur.* — X. *Ex SS. Patrum traditione catholicam fidem inconcusse firmari, quam tueri imperatore in primis dignum.* — XI. *Testimonia SS. Patrum tam Græcorum quam Latinorum pro asserenda veritate carnis in Christo.*

1354 Ἐπιστολὴ Λέοντος ἐπισκόπου Ῥώμης πρὸς τὸν βασιλέα Λέοντα.

1358 [d] LEO episcopus LEONI Augusto.

Τῷ ὑπερενδόξῳ, καὶ γαληνοτάτῳ υἱῷ Λέοντι Αὐγούστῳ, Λέων ἐπίσκοπος.

CAP. I. — [e] Promisisse me memini, venerabilis imperator, in causa fidei, de qua clementiam tuam novi pie esse sollicitam, [f] pleniorem humilitatis meæ dirigendum esse sermonem : quem nunc, auxiliante Domino, fideli occasione persolvo, ut [g] sancto pietatis tuæ studio utilis, quantum arbitror, deesse non possit instructio. Quamvis enim sciam clementiam tuam humanis [h] institutionibus non egere, et sincerissimam de abundantia Spiritus sancti hausisse doctrinam, officii tamen mei est et patefacere quod intelligis, et prædicare quod credis : ut ignis ille, quem Dominus veniens misit in terram (*Luc.* XII, 49), motu crebræ meditationis **1355** agitatus, sic [i] concalescat ut ferveat, et sic inflammetur ut luceat. [j] Magnas enim caligines Eutychiana hæresis Orientis partibus inferre molita est, et ab illa luce quæ, sicut Evangelium loquitur, *lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 5), imperitorum oculos tentavit avertere. Cumque ipsa in suam reciderit cæcitatem, [k] nunc in discipulis recrudescit, quod in auctore defecit.

Ὑποσχόμενον ἐμαυτὸν διαμέμνημαι, εὐαγέστατε βασιλεῦ, ἐπὶ τοῦ πράγματος τοῦ τῆς πίστεως, ἧς οἶδα τὴν σὴν ἡμερότητα πλείστην εὐσεβῶς ποιεῖσθαι τὴν μέριμναν, ὡς πληρεστάτην τῆς βραχύτητος τῆς ἐμῆς ἀποστελῶ σοι διάλεξιν· ἣν ἐπὶ τοῦ παρόντος συνεργίᾳ τοῦ Κυρίου τῆς προφάσεως παρεχούσης μοι τὸ εὔπιστον ἀποδίδωμι. Ὥστε τὴν ἐπωφελῆ, καθόσον ἡγοῦμαι μηδαμῶς ἐλλεῖψαι δυνηθῆναι, τῇ εὐαγεστάτῃ σπουδῇ τῆς ὑμῶν εὐσεβείας εἰσήγησιν. Εἰ καὶ τὰ μάλιστα γὰρ ἐγνώκαμεν ἀνθρωπίνης διδασκαλίας τὴν ὑμῶν ἡμερότητα μὴ προσδεῖσθαι, καὶ τὴν καθαροτάτην **1356** ἐκ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ἀφθονίας μάθησιν ἠντληκέναι. Τῶν ἐμοὶ πρεπόντων ὅμως ἐστὶ, καὶ φανεροῦν ἃ νοεῖται, καὶ κηρύττειν ἅπερ πιστεύεται· ὅπως ἂν ἐκεῖγο τὸ πῦρ, ὅπερ ὁ Κύριος ἐλθὼν ἔβαλεν εἰς τὴν γῆν, ταῖς συχναῖς τῆς μελέτης κινήσεσιν ἐλανυόμενον, θερμαίνεται μὲν οὕτως ὥστε καὶ ζεῖν, ἐξαιρεῖται δὲ πρὸς φλόγα ὥστε καὶ διαλάμπειν.

CAP. II. — Non longo namque temporis intervallo catholica fides, quæ est singularis et vera, cuique nihil addi, [l] nihil minui potest, a duobus est hostibus appetita : quorum prior Nestorius, Eutyches secundus emersit, qui Ecclesiæ Dei duas hæreses [m] si-

Μεγίστην γὰρ ἀχλὺν, ἡ αἵρεσις Εὐτυχοῦς, τοῖς κατὰ τὴν ἀνατολὴν μέρεσιν ἐπιφέρειν ἐμηχανήσατο· καὶ ἀπ' ἐκείνου τοῦ φωτὸς, ὅπερ (ὡς φησι τὸ εὐαγγέλιον) ἐν τῇ σκοτείᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτεία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν, ἀποστρέψαι τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶν ἀμαθῶν ἐπειράθη. Αὐτῆς τε πρὸς τὴν οἰκείαν τύφλωσιν ἐκπεσούσης διὰ τῶν μαθητῶν, ὠμότερον ἀνεπέφηνεν τοῦθ' ὅπερ ἠτόνησεν ἐπὶ τοῦ διδασκάλου. Οὐκ ἐν μακρῷ γὰρ διαστήματι χρόνου ἡ

Alias 134. Scripta 17 Aug. an. 458.

[b] Exstat in mss. collect. 2, 3, 6, 8, Hisp. Isid. 11, 12, 13 et 18 usque ad 24, in peculiari cod. Vat. Reginæ 293, ac in exemplo primæ editionis Romanæ Sermonum S. Leonis.

[c] In collect. Hisp. in tria capita dividitur, quæ exinde in editiones Quesnello anteriores manarunt : I. *De blasphemiis Nestorii et Eutychetis, eorumque digno anathemate ;* II. *quod in una Domini Jesu Christi persona gemina sit Deitatis et humanitatis asserenda natura ;* III. *de capitulis fidei ex sanctorum Patrum libris collectis.* In tabula præmissa collect. 5, cap. 67, hic solus titulus legitur : *De una Domini nostri Jesu Christi persona et duabus Dei hominisque naturis cum subjectis testimoniis Patrum.*

[d] In Vulg. Leonis ante Quesn. : *Leo Romæ et universalis catholicæque Ecclesiæ episcopus Leoni semper Augusto ;* non tamen in nostris codicibus, nec in antiquis editionibus Conciliorum. In exemplo primæ editionis : *Leo papa Leoni imperatori salutem in Domino.* Cod. Florent. S. Marci collect. 13 : *Marciano* (corrige *Leoni*) *imperatori et perpetuo Augusto Leo urbis Romanæ episcopus.* Ex Græca versione : *Gloriosissimo et clementissimo filio Leoni Augusto Leo episcopus.*

[e] In epist. 156, al. 125, c. 6.

[f] Cod. Quesn. Grimanicus collect. 18, *prolixiorem.*

[g] Exemplar primæ editionis Sermonum, *sanctæ,* Dein, *pietatis vestræ* in ms. Vat. collect. 11, et paulo post *clementium vestram* in eodem cod. et in Vindeb. Hisp.

[h] Vulg. antiqui, *instructionibus.*

[i] Vat. 1342 collect. 3, Vat. 5845 collect. 8, Ratisp. et prima editio, *incaleseat.* Tres codd. Quesnelli Barb., 2 Bod. et Cant. noster Vat. Reg. 293, et tres collect. 21, *convalescat.*

[j] Vat. collect. 11 cum aliis quatuor codd. Quesn., *Magna enim caligine se Eutychiana,* etc.

[k] Vindebon. collect. 5, Ratispon. et Vat. Reg. delent *nunc.*

[l] Ita ex Vindebon. collect. 5, Ratisp. et exemplo primæ editionis. Al., *nihilve,* aut, *nihilque.* Mox pro *a duobus* in Vindebon. Hisp. per errorem scriptum fuit, *ab opus ;* in Vat. Hisp. et exinde in Isid. arbitraria correctione, *ob hoc.*

[m] Tres codd., *sibimetipsis.*

Digitized by Google

bimet contrarias inferre voluerunt : ut uterque a prædicatoribus veritatis merito damnaretur, quia insanum nimis et sacrilegum fuit quod varia falsitate ambo senserunt.

ἀνέκυψεν; οἵτινες τὰς ἀμφοτέρας αἱρέσεις τὰς ἑαυταῖς ἐναντίας τῇ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ ἐπεισενεγκεῖν ἠβουλήθησαν· ὡς ἑκάτερον ὑπὸ τῶν τὴν ἀλήθειαν κηρυττόντων κατακριθῆναι δικαίως, ἐπειδὴ σφόδρα ἦν μανιῶδες, καὶ δυσσεβές, ὅπερ ἐκ τοῦ ποικίλου ψεύδους φρονοῦντες ὑπῆρχον ἀμφότεροι.

[a] Anathematizetur ergo [b] Nestorius, qui beatam Virginem Mariam non Dei, sed hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis faceret, aliam Deitatis; [c] nec unum Christum in **1357** Verbo Dei et carne sentiret, sed separatim atque sejunctim alterum Filium Dei, alterum [d] hominis prædicaret; cum manente illa [e] incommutabili Verbi essentia, quæ ei cum Patre et cum Spiritu sancto intemporalis atque coæterna est, ita intra virginea viscera Verbum caro sit factum, ut [f] per ineffabile sacramentum uno conceptu, unoque partu, secundum veritatem utriusque naturæ eadem virgo et ancilla Domini esset et mater. Quod etiam Elizabeth, sicut Lucas evangelista declarat, intellexit et dixit : *Unde hoc mihi, ut veniat ad me Mater Domini mei* (*Luc.* I, 43)? Eutyches quoque eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum hæreticorum volutatus errores, [g] tertium Apollinaris dogma delegit : ut negata humanæ carnis atque animæ veritate totum Dominum nostrum Jesum Christum unius assereret esse naturæ, tamquam Verbi Deitas ipsa se in carnem animamque converterit; et concipi ac nasci, nutriri et crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere, et ascendere in cœlum, et [h] in Patris dextera, unde ad judicandos vivos et mortuos veniet, consedere, divinæ tantum [i] essentiæ fuerit, quæ nihil horum in se sine carnis recipit veritate : quoniam natura Unigeniti natura est Patris, natura est Spiritus sancti, simulque impassibilis, simul est incommutabilis, **1359** [j] sempiternæ Trinitatis indivisa unitas, et consubstantialis æqualitas. Unde si ab Apollinaris perversitate Eutychianus quisque [k] desciscit, ne con-

A καθολικὴ πίστις, ἤ τις καὶ μονογενής ἐστι καὶ ἀληθὴς, καὶ ᾧ τινι οὔτε προστίθεσθαι, οὔτε μὴν ἀπομειοῦσθαί τινα δύναται, τὴν παρὰ τῶν δύο δέδεκται πολεμίων ὁρμήν· ὧν ὁ μὲν πρῶτος Νεστόριος, ὁ δὲ δεύτερος Εὐτυχὴς

Ἀναθεματιζέσθω τοίνυν Νεστόριος, ὁ τὴν μακαρίαν Παρθένον Μαρίαμ, οὐχὶ τοῦ Θεοῦ, ἀνθρώπου δὲ μόνον πιστεύων εἶναι μητέρα. ἵνα τῆς μὲν σαρκὸς ἄλλο, τῆς δὲ θεότητος ἄλλο πρόσωπον ἀπεργάσηται· καὶ μὴ τὸν ἕνα Χριστὸν, **1358** ἐν τε τῷ λόγῳ τῷ τοῦ Θεοῦ νοήσῃ, καὶ ἐν τῷ σώματι, ἀλλὰ κεχωρισμένως, καὶ διεζευγμένως, ἕτερον μὲν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἕτερον δὲ τὸν ἐξ ἀνθρώπου κηρύττῃ· ὁπότε μενούσης ἐκείνης τῆς τοῦ ἀμετατρέπτου λόγου οὐσίας, τῆς οὔσης ἀχρόνου τε καὶ ἀϊδίου μετὰ τοῦ

B πατρὸς αὐτῷ. καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, οὕτως ἐντὸς τῶν τῆς παρθένου σπλάγχνων ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, ὥστε κατὰ τὸ ἄφραστον μυστήριον μιᾷ συλλήψει, καὶ ἑνὶ τοκετῷ, κατὰ τὴν ἑκατέρας φύσεως ἀλήθειαν, τὴν αὐτὴν παρθένον καὶ δούλην εἶναι τοῦ Κυρίου [1] καὶ μητέρα. Ὅπερ καὶ ἡ Ἐλισάβεθ (ὡς ὁ εὐαγγελιστὴς διεσάφησε Λουκᾶς) γενόμενά τε καὶ εἰρηκεν, Πόθεν μοι τοῦτο, ἵνα ἔλθῃ ἡ μήτηρ τοῦ Κυρίου μου πρὸς μέ; τῷ αὐτῷ δὲ βαλλέσθω καὶ Εὐτυχὴς ἀναθέματι, ὃς ταῖς ἀσεβέσι τῶν παλαιοτέρων αἱρετικῶν ἐγκυλιόμενος [2] πλάναις, τοῦ Ἀπολιναρίου τρίτον ἐπελέξατο δόγμα· ὥστε τῆς ἀνθρωπίνης ἀπαρνηθέντα σαρκὸς, καὶ

C τῆς κατὰ τὴν ψυχὴν ἀληθείας, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν μιᾶς φύσεως, ὅλον διαβεβαιοῦσθαι τυγχάνειν. Ὡσανεὶ τῆς τοῦ λόγου θεότητος, αὐτὸς ἑαυτὸν μεταστρεψάσης εἰς σάρκα τε καὶ ψυχὴν, καὶ τοῦ συλληφθῆναί τε, καὶ γεννηθῆναι, τραφῆναί τε καὶ αὐξηθῆναι, σταυρωθῆναί τε καὶ ἀποθανεῖν, καὶ ταφῆναι, καὶ ἀναστῆναι καὶ ἀνελθεῖν εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ καθεστηκέναι ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς, ὅθεν ἐλεύσεται πρὸς τὸ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. Τῆς θείας ὑπάρχοντος μόνον οὐσίας, ἥτις τούτων οὐδὲν εἰς ἑαυτὴν ἀναδέχεται δίχα τῆς ἀληθείας τοῦ σώματος. Ἐπειδήπερ ἡ φύσις ἡ τοῦ [3] μονογενοῦς, φύσις ἐστὶ τοῦ Πατρὸς, φύσις ἐστὶ καὶ τοῦ Πνεύματος

Ab his verbis usque ad illa c. 9, *In magno autem*, etc., eadem sunt in ep. 124, al. 97, ad Palæstinos, a c. 2 ad c. 8, paucis exceptis.

[b] Adversus Nestorium adeo perspicue et præcise disserit S. Leo, ut hoc præsertim testimonium laudet S. Ephremius Antiochenus apud Photium cod. 228. Ideo vero Leo Nestorii hæresim expresse damnat, quod Timotheus Ælurus in libello ad imperatorem misso catholicos Chalcedonensis fidei defensores, ac præsertim ipsum Leonem Nestoriana hæresi infectos venditarit, ut Gennadius refert de Viris Illustr. c. 72.

[c] Ms. Vat. collect. 11 cum Vat. Reg., *ne unum*. Dein, *separatum atque sejunctum* in prima editione.

[d] Vat. collect. 8 et exemplum primæ editionis addunt *filium*.

[e] Mss. Vindeb. collect. 5, Ratisp. et duo Vat. collect. 21, cum exemplo primæ editionis, *incommutabilis*. In Vindebon. Hisp., *incommutabilis veritas sententia*; emendatum in Vat. Hisp. et exinde in Isid. et in alio Vat. collect. 11, *incommutabilis vera essentia*. Postea pro *intemporalis* cod. Corb. collect. 2, *incorporalis*; et pro *virginea* Vat. collect. 8 et prima editio, *Virginis*.

[f] Vindeb. Hisp., *per id quod ineffabile*. In Vat. Hist., *per id quod ineffabile est*. In Vat. Isid., *per id quod factum est*.

[g] Exemplum primæ edit., *tetrum Apollinaris dogma defendit*.

D [h] Quesn. cum plerisque codd., *ad Patris dexteram*. Anteriorum editorum lectionem, quæ est in Vindeb. collect. 5, Ratisp., Vat. Reg. et Vat. collect. 24 revocavimus, quippe quæ legitur in epist. 124, c. 2.

[1] In pseudoepistola Agapeti papæ, *voluntatis*.

[j] Ita cum epist. 124 nostri codd. Vindebon. collect. 5, alius Vindeb. Hisp., Ratisp., Vat. collect. 11 et 21, Vat. Reginæ, et primæ edit. exemplum. Vulg., *sempiterna*. Mox, *et unius voluntatis æqualitas* in pseudoepistola Agapeti papæ.

[k] Vat. collect. 21, *discessit*, cum exemplo primæ editionis, in qua mox, *dicere* pro *sentire*.

[1] Apud Voss. desideratur particula *καὶ*, quam ex ms. Vat. 1541 suppl. vimus.

[2] Ita idem cod. Apud Vossium *πλάγαις*.

[3] Mutilum hujus loci textum ex laudato cod. supplevimus.

Digitized by Google

vincatur Deitatem passibilem sentire atque mortalem, et tamen Verbi incarnati, id est Verbi et carnis unam [a] audet pronuntiare naturam, manifeste in Valentini et Manichæi transit insaniam, et mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum simulatorie omnia credit egisse, [b] nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium.

CAP. III. — Quæ impietatis mendacia quoniam olim fides catholica detestatur, et [c] talium assertionum sacrilegia concordibus per totum mundum beatorum Patrum dudum sunt damnata sententiis, non dubium est eam nos fidem prædicare atque defendere, quam sancta synodus Nicæna [d] confirmavit, dicens :

τοῦ ἁγίου. Ὁμοῦ τέ ἐστιν ἀπαθὴς, καὶ ὁμοῦ καθέστηκεν ἀναλλοίωτος, **1360** ἡ τῆς αἰωνίου τριάδος ἀδιαίρετος ἑνότης, καὶ συνυπάρχουσα κατ' οὐσίαν ἰσότης· ὅθεν εἴ τις Εὐτυχιανιστὴς ἀποφοιτῶν τῆς Ἀπολιναρίου διαστροφῆς, ἵνα δὴ μὴ φωραθῇ φρονῶν Θεότητα παθητὴν καὶ θνητήν. ὅμως τοῦ Λόγου τοῦ σαρκωθέντος. τοῦτ' ἐστὶ, τοῦ τε λόγου καὶ τῆς σαρκὸς, τολμᾷ μίαν ἀποφαίνεσθαι φύσιν, προφανῶς εἰς τὴν Βαλεντίνου. καὶ Μανιχαίου μεταβαίνει μανίαν, καὶ τὸν μεσίτην Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπον Χριστὸν Ἰησοῦν, προσποιητῶς ἅπαντα πεπραχέναι πιστεύει. καὶ οὐ σῶμα ἀνθρώπινον ἐν αὐτῷ, ἀλλὰ φαντασιῶδες σῶματος εἶδος τοῖς τῶν τεθεαμένων ὀφθαλμοῖς ὁραθῆναι· ὅπερ τῆς ἀσεβείας ψεῦδος, ἐπειδήπερ ἡ καθολικὴ πίστις πάλαι βδελύττεται. καὶ τὰ τῶν τοιούτων διατάξεων δυσσεβήματα ταῖς ὁμοφώνοις ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ τῶν μακαριωτάτων πατέρων. ἤδη πρώην καταδεδίκασται ψήφοις· οὐκ ἔστιν ἀμφίβολον ταύτην ἡμᾶς ἐκδικεῖν, καὶ κηρύττειν τὴν πίστιν, ἣν ἡ ἁγία κατὰ Νικαίαν σύνοδος ἐβεβαίωσεν λέγουσα·

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, [e] *visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, natum* **1361** *de Patre unigenitum, hoc est de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, unius substantiæ cum Patre* (quod Græci dicunt ὁμοούσιον) *per quem omnia facta sunt, sive quæ in cœlo, sive quæ in terra. Qui propter nos et* [f] *nostram salutem descendit, incarnatus est, et homo factus, passus est, et resurrexit tertia die. Ascendit* [g] *in cœlos, venturus judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum.*

In qua professione hoc evidentissime continetur quod etiam nos de Domini incarnatione confitemur et credimus, qui ad salutem humani generis refor-

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε, καὶ ἀοράτων ποιητήν. Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν **1362** μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα, τοῦτ' ἐστὶ, τὸν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ. Γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, μιᾶς ὑποστάσεως σὺν πατρὶ (ὅπερ ἑλληνιστὶ λέγεται ὁμοούσιον)· δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. Τὸν δι' ἡμᾶς, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, παθόντα, καὶ σταυρωθέντα, καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς· καὶ ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. Καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. — ᾗ τινι σαφῶς ὁμολογίᾳ τοῦτο περιέχεται, ὅπερ καὶ ἡμεῖς περὶ τῆς τοῦ Κυρίου

[a] Vindeb. Hisp. per errorem, *audiet.* Arbitrarie emendatum in Vat. Hisp. ac in Isid. et in aliis codd. collect. 11, 21, et cæteris exinde profectis, *ausus fuerit.* Similiter cum in Vindebon. Hisp. omissa fuisset conjunctio, *et* ante *mediatorem,* in Vat. Hisp. Isid. et in alio Vat. collect. 11, *qui mediatorem.*

[b] Quesn. cum non spernendis codd. ex Hispanica profectis, *nec verum in ipso.* Restituimus ante vulgatam lectionem, quippe quæ non solum legitur in præstantissimo Corb. collect. 2, in Grim. et uno Thuaneo Quesnelli, verum etiam in potioribus nostris mss. Vat. collect. 3, Vind. collect. 5, Vat. collect. 8, Ratisp., Vat. Reginæ, et aliis invenitur, confirmaturque lectione epist. 124, nec non ex antiqua Græca versione. Post pauca *phantasmaticam* in Vind. Hisp. et apud Merlinum. In Vat. Hisp. ac Isid., *phantasmatici corporis.*

[c] Vulg. ante Quesn. cum mss. collect. 12 et 24, *aliarum.* Codd. Vat. collect. 8 et Hisp., cum aliis inde profectis, *aliorum.*

[d] Tres optimi codd. Vindeb. collect. 5, Ratisp. et Vat. Reg., *firmavit.* Leo in celebri epistola 28, ad Flavianum, c. 2, usus fuit solo Symbolo apostolorum, quod istud æque apud Orientales ac apud Occidentales ante baptismum tradi existimaret. Hinc in eadem epistola Eutychem arguit cap. 1, *ne ipsius quidem Symboli initia comprehendere, quod per totum mundum omnium regenerandorum voce depromitur.* Verba autem Symboli c. 2 descripta sunt illa : *Credere se in Deum Patrem omnipotentem et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum,* etc. Eutychiani, teste Vigilio Tapsensi lib. IV contra Eutychem pag. 730, Biblioth. Patrum tom. VIII, huic Leonis capitulo *ob id calumniabantur, cur non dixerit* in unum Deum Patrem et in unum Jesum Christum Filium ejus, *juxta Nicæni decreta concilii.* Nicænum Symbolum indicatur, quo Orientales in baptismate utebantur; unde apud Eutychianos nihil frequentius quam hoc Symbolum ingeritur, in quo erant baptizati. Huic objectioni respondet Vigilius, qui eam Leonis epistolam luculenter defendit, his verbis : *Sed Romæ, et antequam Nicæna synodus conveniret, et a temporibus apostolorum usque ad nunc, et sub beatæ memoriæ Cælestino, cui iste* (Leo) *rectæ fidei testimonium reddidit, ita fidelibus Symbolum traditur.* Cur Eutychiani Nicænum Symbolum tanto nisu ingererent, explicavimus annot. 24 (*Col.* 892, *n.* P) in epist. 69. Hanc autem objectionem, quam post scriptam epist. 28 Leo didicerat, ut everteret, hac in epistola Nicænum Symbolum proferens, Eutychianam hæresim ibidem pariter condemnatam ostendit.

[e] Vulg. ante Quesn. et Vindebon. collect. 5 addunt *omnium.* Dein Vat. Hisp. et Isid. cum alio Vat. collect. 11 omittunt *unigenitum.*

[f] Quatuor nostri codd. repetunt *propter.* Dein, *descendit de cœlis, et incarnatus est* in Vulg. ante Quesn., ut etiam Græcus interpres legit. Codd. Vat. collect. 3, Vat. collect. 8, utrique Hisp. Vat., Isid., et alii inde profecti, *de cœlo, incarnatus est;* unus Vercell., *de cœlo, et incarnatus est;* Ratisp., *descendit et incarnatus est.*

[g] Quesnellus, *in cœlum* cum Vat. collect. 3 et Vat. Hisp. aliisque mss. inde profectis. Cæteræ editiones, *ad cœlos.* Prætulimus *in cœlos* cum potioribus codd. Vindeb. collect. 5, Vat. et Vercell. collect. 8, Vindebon. Hisp. et Ratisp., quibus interpretatio Græca astipulatur. Quatuor codd., *et ascendit.* Mox mss. Vat. collect. 3 et 21, *unde venturus;* Vulg. ante Quesn. *inde venturus.*

Digitized by Google

mandam, veram carnem nostræ fragilitatis non de cœlo secum detulit, sed [a] in utero Virginis matris assumpsit.

Cap. IV. — Quicumque ergo illi sunt ita obcæcati, et a lumine veritatis alieni, ut Verbo Dei a tempore incarnationis, [b] humanæ carnis denegent veritatem, ostendant in quo sibi Christianum nomen usurpent, et cum Evangelio veritatis qua ratione concordent, [c] si beatæ Virginis partu aut caro sine Deitate, aut Deitas est orta sine carne. Sicut enim negari non potest, evangelista dicente, quod *Verbum caro* **1363** *factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14); ita negari non potest, beato Paulo apostolo prædicante, quod *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* V, 19). Quæ autem reconciliatio esse [d] posset, qua humano generi repropitiaretur Deus, [e] nisi omnium causam mediator Dei hominumque susciperet? Qua vero ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma servi particeps esset et nostri: ut mortis vinculum, unius prævaricatione contractum, [f] unius morte, qui solus morti nihil debuit, solveretur. [g] Effusio enim pro injustis sanguinis Christi tam fuit dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent: quoniam, sicut Apostolus ait, *Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia* (*Rom.* V, 20). Et cum sub peccati præjudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quam debitum servitutis.

Cap. V. — Quam itaque sibi in hujus sacramenti præsidio spem relinquunt qui in Salvatore nostro negant humani corporis veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati; dicant quo sanguine sint [h] redempti? *Quis est*, ut ait Apostolus, *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (*Ephes.* V, 2)? Aut quod umquam sacrificium **1365** [i] sacratius fuit, quam quod verus et æternus Pontifex [j] altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? [k] Quamvis enim multorum sanctorum in

σαρκώσεως ὁμολογοῦμέν τε καὶ πιστεύομεν, ὃς πρὸς τὸ τὴν σωτηρίαν τοῦ γένους ἀναπλάσαι τῶν ἀνθρώπων, ἀληθῆ σάρκα τῆς ἡμετέρας σαθρότητος, οὐκ ἐξ οὐρανοῦ μεθ' ἑαυτοῦ κατεκόσμησεν, ἀλλ' ἐν τῇ γαστρὶ τῆς παρθένου μητρὸς προσέλαβεν.

Οἵτινες δήποτε τοίνυν εἰσίν, οἱ οὕτω τυφλώττοντες, καὶ ἀπὸ τοῦ φωτὸς τῆς ἀληθείας ἀλλοτριούμενοι, ὥστε τῷ λόγῳ τῷ τοῦ Θεοῦ, ἀπὸ τοῦ τῆς σαρκώσεως χρόνου τὴν ἀλήθειαν τῆς ἀνθρωπίνης ἀπαρνεῖσθαι σαρκὸς, δεικνύτωσαν κατὰ τί Χριστιανῶν ἑαυτοῖς ἁρπάζουσι προσηγορίαν, καὶ κατὰ ποῖον λόγον τῷ τῆς ἀληθείας εὐαγγελίῳ σύμφωνοι καθεστήκασιν, εἴγε ἐν τῷ τοκετῷ τῆς μακαρίας παρθένου ἡ ἡ σὰρξ δίχα τῆς θεότητος, ἢ ἡ θεότης ἀνέτειλεν, [l] ἢ ἐγεννήθη δίχα τοῦ σώματος. Ὥσπερ γὰρ οὐ δυνατὸν ἀπαρνεῖσθαι, τοῦ εὐαγγελιστοῦ λέγοντος, ὅτι Ὁ λόγος σὰρξ **1364** ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· οὕτως ἀπαρνηθῆναι οὐχ' οἷόν τε, τοῦ μακαρίου Παύλου τοῦ ἀποστόλου κηρύττοντος, ὅτι Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ. Ποία δ' ἂν ἠδύνατο τυγχάνειν καταλλαγὴ, δι' ἧς ἴλεως ἐγένετο τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων ὁ Θεὸς, εἰ μὴ τὴν αἰτίαν τὴν πάντων ὁ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων μεσίτης ἀνεδέξατο; ποίῳ δ' ἂν λόγῳ τὴν ἀλήθειαν ἐπλήρωσεν τοῦ μεσίτου, εἰ μὴ ὁ ἐν μορφῇ Θεοῦ ἴσος ὢν τῷ πατρὶ, ἐν τῇ μορφῇ τοῦ δούλου ἐκοινώνησε καὶ ἡμῖν, ὥστε τὸν δεσμὸν τοῦ θανάτου, ὃν ἡ τοῦ ἑνὸς παράβασις ἐπεσπάσατο, τῷ θανάτῳ τοῦ ἑνὸς (τοῦ μόνου μηδὲν τῷ θανάτῳ χρεωστήσαντος) διαλυθῆναι; ἡ γὰρ ὑπὲρ τῶν ἁμαρτωλῶν ῥύσις τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, γέγονεν οὕτως πλουσία εἰς τίμημα, ὡς εἰ πιστεύσοι τὸ πᾶν πλῆθος τῶν αἰχμαλωτισθέντων εἰς τὸν ἑαυτῶν λυτρωτήν, μηδένα κατασχεθῆναι τοῖς τοῦ διαβόλου δεσμοῖς· ἐπειδήπερ, ὡς φησιν ὁ ἀπόστολος, Ὅπου ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις. Καὶ τῶν τεχθέντων ἐν τῷ τῆς ἁμαρτίας προκρίματι, λαμβανόντων τὴν ἐξουσίαν τοῦ πρὸς δικαιοσύνην ἀναγεννᾶσθαι, τὸ χάρισμα τὸ τῆς ἐλευθερίας δυνατώτερον γέγονεν τοῦ τῆς δουλείας ὀφλήματος. Ποίαν οὖν ἑαυτοῖς βοηθείας ἐκ τοῦ τοιούδε μυστηρίου καταλιμπάνουσιν ἐλπίδα, οἱ ἐν τῷ σωτῆρι ἡμῶν ἀπαρνούμενοι τοῦ ἀνθρωπίνου σώματος τὴν ἀλήθειαν; λεγέτωσαν, διὰ ποίας θυσίας κατηλλάγησαν; λεγέτωσαν, διὰ ποίου αἵματος ἐλυτρώθησαν; τίς ἐστὶν, ὃς (ὡς φησιν ὁ ἀπόστολος) παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν τῷ Θεῷ προσ-

[a] Vat. Hisp. et Isid., *de utero*.

[b] Vox *humanæ* deest in Ratisp. et in cod. Vat. 11.

[c] Erat in antiquis edit., *si per beatæ Virginis partum*, uti in epist. 124, cap. 3. Mss. Vat. collect. 11 et 21, *si per Virginis partum*. Quesnellus cum decem codd., *si Virginis partu*. Adjecimus *beatæ* ex duobus Vindebon. collect. 5 et Hisp., ex Ratisp. Vat. Reg. et alio Vat. collect. 24, nec non ex prima editione. Græca versio hanc additionem confirmat.

[d] Ita cum antiquis editis plerique nostri codices. In Vindeb. collect. 5, *potest*, ut in epist. 124. Quesnellus, *possit*, cui aliqui codd. suffragantur. Dein *propitiaretur* in tribus mss. et antiquis vulgatis.

[e] *Nisi omnium causa mediator Dei hominumque carnem susciperet* in duobus mss. Quesn., Thuan. et Trecopith., in nostro Vindebon. collect. 5 et in prima editione, quæ solum discrepat verbo *susciperet*, pro quo habet *suscepisset*.

[f] Vat. collect. 3 et exemplum primæ editionis, *per unius mortem*.

[g] Ita cum undecim mss. Quesnelli ab eo laudatis not. 2, duodecim nostri codd., iique potiores. Mss. Vat. Hisp. et Isid.: *Effusio enim justi sanguinis Christi*, etc. Exemplum primæ editionis: *Effusio namque justi sanguinis tam fuit dives*, etc. Vat. collect. 24: *Effusio enim pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives*, etc., ut in epist. 124. Editi ante Quesn. hanc postremam lectionem recipientes post *justi* inseruerunt *Christi*.

[h] Cod. Corb. collect. 2, *renati*.

[i] Prima editio, *tam sacratum*. Vossius in marg., *tam sacrum*.

[j] Ratisp., *ex altari*. Prima editio, *in altare*.

[k] Cum in Vindebon. Hisp. per saltum desint verba, *Quamvis enim multorum sanctorum*, in Vat. Hisp. et exinde in Isid. alia lectio inducta fuit arbitrariæ correctionis causa: *In conspectu Domini pretiosa justorum mors fuit;* et nihilominus subditur, *nullius tamen*, quæ præsumunt *quamvis*, vel quid simile. Dein Vat. collect. 8, *nullius tamen in sancti occisione redemptio fuit*.

[l] Ἢ ἐγεννήθη. Hæc duo verba superflua sunt, et purum putum glossema sapiunt.

Digitized by Google

conspectu Domini pretiosa mors fuerit (*Ps.* CXV, 14), nullius tamen insontis occisio redemptio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas, et de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. [a] Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit: cum inter filios hominum unus solus Dominus noster Jesus Christus, qui vere erat Agnus immaculatus, [b] exstiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes [c] sunt etiam suscitati. De quibus ipse dicebat: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham* [d] *ad me* (*Joan.* XII, 32). Fides etenim vera justificans impios, et creans justos, ad humanitatis suæ tracta participem, in illo acquirit salutem, in quo solo homo se invenit innocentem: liberum habens per gratiam Dei de ejus potentia gloriari, qui contra hostem humani generis [e] in carnis nostræ humilitate congressus, his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphavit.

A φορὰν καὶ θυσίαν εἰς ὀσμὴν εὐωδίας; ἤποτε θυσία [1] τῆς πρὸς ἱερουργίαν ἐπιτηδειοτέρα **1366** γεγένηται ταύτης, ἣν ὁ ἀληθὴς καὶ αἰώνιος ἀρχιερεὺς τῷ θυσιαστηρίῳ τῷ τοῦ σταυροῦ, διὰ τῆς θυσίας τῆς σαρκὸς τῆς ἰδίας ἐπέθηκεν; εἰ καὶ τὰ μάλιστα τῶν πολλῶν ἁγίων ἐνώπιον Κυρίου τίμιος γέγονεν ὁ θάνατος, ὅμως οὐδενὸς τῶν ἀνευθύνων τούτων σφαγὴ, λύτρωσις τοῦ κόσμου γεγένηται. Οἱ δίκαιοι στεφάνους εἰλήφασιν, οὐ δεδώκασι καὶ ἐκ τῆς ἀθλήσεως τῶν πιστῶν, ὑποδείγματα καρτερίας ἐστὶν, οὐ γέρα τῆς δικαιοσύνης· ἑκάστου γὰρ αὐτῶν δηλαδὴ θάνατος γέγονεν εἷς, καὶ οὐδεὶς τὸ ἑτέρου χρέως διὰ τοῦ αὐτὸς [*F.* αὐτὸν] τελειωθῆναι ἐξέτισεν· ὁπότε μεταξὺ τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων εἷς μόνος ἐστὶν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ μόνος ἀληθῶς ἀμνὸς ἄσπιλος γεγονὼς, ᾧ πάντες σταυρωθέντες, πάντες ἀποθανόντες, πάντες ταφέντες, καὶ B πάντες ὑπάρχουσιν ἐγερθέντες. Περὶ ὧν αὐτὸς ἔλεγεν· Ὅταν ὑψωθῶ ἀπὸ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. Ἡ γὰρ ἀληθὴς πίστις ἡ δικαιοῦσα τοὺς ἀσεβεῖς, καὶ γεννῶσα τοὺς δικαίους πρὸς τὸν μέτοχον τῆς ἰδίας ἀνθρωπότητος ἑλκυσθεῖσα, ἐν ἐκείνῳ πορίζεται τὴν σωτηρίαν, ἐν ᾧ μόνῳ εὑρίσκει ἄνθρωπος ἑαυτὸν οὐχ' ὑπεύθυνον, διὰ τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος μετὰ παῤῥησίας αὐχῶν περὶ τῆς ἐκείνου δυνάμεως, ὃς ἐν τῇ εὐτελείᾳ τῆς ἡμετέρας σαρκὸς συμπλακεὶς τῷ πολεμίῳ τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων, τὴν ἑαυτοῦ νίκην ἐχαρίσατο τούτοις, ὧν ἐνίκησεν ἐν τῷ σώματι.

Cap. VI. — Licet ergo in uno Domino [f] Jesu Christo, vero Dei atque hominis filio, Verbi et carnis una persona sit, quæ inseparabiliter atque indivise communes habeat actiones, intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, et **1367** [g] sinceræ fidei contemplatione cernendum est, ad quæ provehatur humilitas carnis, et ad quæ inclinetur altitudo Deitatis: quid sit quod caro sine Verbo non agit, et quid sit quod Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia nec conciperet Virgo nec pareret, et sine veritate carnis obvoluta pannis infantia non jaceret. Sine Verbi potentia non adorarent magi puerum, stella indice declaratum; et sine veritate carnis non juberetur in Ægyptum transferri puer, et ab Herodis persecutione subduci. Sine Verbi potentia non [h] diceret vox Patris missa de cœlo: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi* [i] *bene complacui* (*Matth.* III, 17), et sine veritate carnis non protestaretur Joannes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit* [j] *peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium et vivificatio mortuorum, et sine veritate carnis nec cibus jejuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremo sine Verbi potentia non se Dominus Patri profiteretur

Τοιγαροῦν εἰ καὶ τὰ μάλιστα ἐν τῷ ἑνὶ δεσπότῃ Ἰησοῦ Χριστῷ, τῷ ἀληθεῖ τοῦ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπου υἱῷ, τοῦ τε λόγου, καὶ τῆς σαρκὸς, ἓν ὑπάρχει πρόσωπον, ὅπερ ἀχωρίστως, καὶ ἀδιαιρέτως κοινὰς ἔχει τὰς πράξεις δεῖ νοεῖν ὅμως **1368** αὐτῶν τῶν ἔργων τὰς ποιότητας, καὶ τῇ κατανοήσει τῆς εἰλικρινοῦς πίστεως δεῖ καθορᾶν, ἐπὶ ποῖα μὲν ἡ τῆς σαρκὸς προάγεται ταπεινότης. ἐπὶ ποῖα δὲ τὸ ὕψος τῆς θεότητος ἐκκλίνεται, καὶ τί μέν ἐστιν, ὅπερ ἡ σὰρξ οὐ πράττει δίχα τοῦ λόγου, τί δὲ εἶη ὅπερ C ὁ λόγος χωρὶς τῆς σαρκὸς οὐκ ἐργάζεται. Δίχα μὲν γὰρ τῆς λόγου δυνάμεως οὐδ' ἂν ἡ παρθένος συνέλαβεν οὐδὲ ἔτεκεν, δίχα δὲ τῆς ἀληθείας τῆς σαρκὸς, οὐκ ἂν κεκαλυμμένη τοῖς ῥάκεσιν ἔκειτο νηπιότης. Καὶ δίχα μὲν τῆς τοῦ λόγου δυνάμεως, οὐκ ἂν προσεκύνησαν οἱ μάγοι τὸ παιδίον, τὸ ὑπὸ τοῦ μηνύοντος ἀστέρος δηλούμενον· δίχα δὲ τῆς ἀληθείας τῆς σαρκὸς, οὐκ ἂν ἐκελεύετο τὸ παιδίον εἰς Αἴγυπτον μεταφέρεσθαι, καὶ τοῦ κατὰ τὸν Ἡρῴδην ὑπεξάγεσθαι διωγμοῦ. Καὶ δίχα μὲν τῆς τοῦ λόγου δυνάμεως, οὐκ ἂν ἔλεγεν ἡ φωνὴ τοῦ πατρὸς, ἐξ οὐρανῶν ἀφιεῖσα· Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ ηὐδόκησα, δίχα δὲ τῆς ἀληθείας τοῦ σώματος, οὐκ ἂν προσεμαρτύρατο ὁ Ἰωάννης· Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. Καὶ δίχα μὲν τῆς τοῦ λόγου δυνάμεως, οὐκ ἂν ἐγένετο τῶν τε ἀσθενούντων ἡ ῥῶσις,

[a] Cod. Grim., *singillatim*.

[b] Vat. collect. 8, et prima editio, *existeret*.

[c] Mss. Corb. Grim. et Thuan. Quesnelli cum nostro Ratisp. et prima editione, *sint*. Mox *etiam ipse* in Vat. collect. 8 et prima editione.

[d] Utrique codd. Hisp. cum Isid. et cæteris inde proficiscentibus, nec non antiquiores vulg. habent, *ad me ipsum*.

[e] Ratisp., *in carne nostræ humilitatis*.

[f] Vindeb. collect. 5 addit, *nostro*.

[g] Ratisp., *sincera*. Vindeb. Hisp., *sic vera Filii Dei contemplatione*. Emendatum fuit in codd. Vat. Hisp. aliisque inde profectis, ad quos referuntur duo a Quesn. laudati Cantabr. et Thuan. unus, *sic veræ fi-*

D *dei contemplatione*. Hæc lectio est in Agapeti pseudoepistola, quam ex Isidoriana collectione sumptam liquet.

[h] Vat. Hisp. et Isid., *fieret*.

[i] Vindebon. collect. 5 et prima editio omittunt *bene*, ut in epistola 124. Mox Vindebon. Hisp. et mss. collect. 24, *mihi bene complacuit, ipsum audite*. Cod. Vat. collect. 11 cum editis ante Quesn. habet pariter additionem, *ipsum audite*.

[j] Codd. Ratisp. et Vat. Reginæ, *peccatum*. Paulo post in cod. Grim., *resurrectio* pro *vivificatio*.

[1] *τῆς*. Hic articulus hic loci abundare videtur, propterea que delendus.

Digitized by Google

æqualem, et sine veritate carnis non idem diceret Patrem se esse majorem (*Joan.* XIV, 28): cum catholica fides utrumque suscipiat, utrumque defendat, quæ secundum confessionem beati apostoli Petri, unum Christum Dei vivi Filium (*Matth.* XVI, 16), et hominem credit, et Verbum. Quamvis itaque ab illo initio, quo in utero Virginis *Verbum caro* **1369** *factum est* (*Joan.* I, 14), nihil umquam inter utramque formam divisionis exstiterit, et per omnia incrementa corporea unius personæ fuerint totius temporis actiones; [a] ea ipsa tamen quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus, sed quid [b] cujus formæ sit ex operum qualitate sentimus [c].

A καὶ τῶν τεθνεώτων ἡ ζωοποίησις, δίχα δὲ τῆς ἀληθείας τῆς σαρκὸς, οὔτε τροφὴ τῷ νηστεύοντι, οὔτε μὴν ὕπνος ἀναγκαῖος ὑπῆρχεν τῷ κοπιάσαντι. Καὶ τὸ δὴ πέρας δίχα μὲν τῆς τοῦ λόγου δυνάμεως, οὐκ ἂν ἑαυτὸν ὁ Κύριος ἴσον τῷ πατρὶ τυγχάνοντα ὡμολόγει, δίχα δὲ τῆς ἀληθείας τοῦ σώματος, οὐκ ἂν ὁ αὐτὸς ἔλεγεν μείζονα εἶναι ἑαυτοῦ τὸν πατέρα, ἅπερ καὶ ἡ καθολικὴ πίστις ἑκάτερον δέχεται, καὶ ἑκάτερον ἐνδιαιτᾷ, ἥτις κατὰ τὴν ὁμολογίαν τοῦ μακαρίου ἀποστόλου Πέτρου, ἵνα Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ ἄνθρωπον πιστεύει καὶ λόγον. Εἰ καὶ τὰ μάλιστα τοίνυν ἐξ ἐκείνης τῆς ἀρχῆς, ἀφ' ἧς ἐν τῇ γαστρὶ **1370** τῆς παρθένου ὁ λόγος γέγονεν σὰρξ, οὐ δ' ὅτι οὖν ἦν διαιρέσεως μεταξὺ τῆς ἑκατέρας μορφῆς· καὶ δι' ἁπάσης αὐξήσεως σωματικῆς, ἑνὸς προσώπου αἱ τοῦ παντὸς χρόνου πράξεις γεγάασιν· ὅμως αὐτὰ ταῦτα, ἅπερ ἀχωρίστως γεγένηται, κατ' οὐδεμίαν ἐπιμιξίαν συγχέομεν, ἀλλά τί, ποίας εἴη μορφῆς ἐκ τῆς τῶν ἔργων ποιότητος αἰσθανόμεθα.

Cap. VII. — Dicant ergo [d] isti hypocritæ, qui cæcis mentibus lumen nolunt recipere veritatis, in qua forma crucis ligno Dominus majestatis Christus affixus sit, quid jacuerit in sepulcro, et revoluto monumenti lapide, quo tertio die caro [e] resurrexerit, et in quo post resurrectionem suam non credentes quosdam discipulos arguebat, et hæsitationem cunctantium confutabat, cum diceret: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc. c. ult.*, 39): et apostolo Thomæ: *Infer manum tuam in latus meum, et vide manus meas et pedes* [f], *et noli esse incredulus, sed fidelis* (*Joan.* XX, 27)? Qua utique manifestatione corporis sui jam hæreticorum mendacia destruebat: ut universa Ecclesia, Christi imbuenda doctrinis, hoc sibi non dubitaret credendum, quod apostoli susceperant prædicandum. [g] At si in tanta luce veritatis tenebras **1371** suas hæretica obduratio non relinquit, ostendant, unde sibi spem vitæ polliceantur æternæ, ad quam nisi per mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, non potest perveniri. Sicut enim ait beatus Petrus apostolus, *Non est aliud nomen datum hominibus sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* IV, 12); nec est redempito captivitatis humanæ, nisi in sanguine ejus, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* (1 *Tim.* II, 6), et qui, sicut prædicat beatus apostolus Paulus, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum*

B Λεγέτωσαν τοιγαροῦν οἱ ὑποκριταὶ οὗτοι, οἱ ταῖς τυφλαῖς διανοίαις τὸ τῆς ἀληθείας φῶς εἰσδέξασθαι μὴ βουλόμενοι, ἐν ποίᾳ μορφῇ, τῷ τοῦ σταυροῦ ξύλῳ ὁ Κύριος τῆς δόξης Χριστὸς εἴη προσπεπαρμένος; τί ἔκειτο ἐν τῷ τάφῳ; καὶ τοῦ μνήματος ἀποκυλισθέντος τοῦ λίθου, ποίᾳ σὰρξ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐξανέστη; καὶ κατὰ τί μετὰ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ, τῶν μαθητῶν τινας μὴ πιστεύοντας ἤλεγχεν. καὶ τὴν τῶν ἐνδιαζόντων ἀμφιβολίαν ἐνέτρεπεν, λέγων· « Ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε, ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα· » καὶ τῷ ἀποστόλῳ Θωμᾷ· « Φέρε τὴν χεῖρά σου εἰς τὴν πλευράν μου, καὶ ἴδε τὰς χεῖράς μου, καὶ τοὺς πόδας μου, καὶ μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός. » Δι' ἧς δῆλον ὅτι τῆς τοῦ σώματος αὐτοῦ φανερώσεως ἤδη τῶν αἱρετικῶν τὰς ψευδολογίας ἀνέτρεπεν, ὥστε πᾶσαν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Χριστοῦ, τὴν τὰς διδασκαλίας αὐτοῦ μνησομένην μηδαμῶς ἀμφιβάλλειν ὡς τοῦτο δέον πιστεύειν, ὅπερ οἱ Ἀπόστολοι πρὸς τὸ κηρύττειν ἅπασαν ὑποδεξάμενοι. Εἰ οὖν ἐν τῷ τοσούτῳ τῆς ἀληθείας **1372** φωτὶ, τὸ σκότος τὸ ἑαυτῆς ἡ ἐπιμανὴς τῶν αἱρετικῶν οὐκ ἀφίησι, δεικνύτωσαν, πόθεν ἑαυτοῖς τῆς αἰωνίου ζωῆς τὴν ἐλπίδα κατεπαγγέλλονται, πρὸς ἣν εἰ μὴ διὰ τοῦ μεσίτου Θεοῦ καὶ ἀνθρώπου ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀφικέσθαι ἀδύνατον. Καθὰ γάρ φησιν ὁ μακάριος ἀπόστολος Πέτρος, Οὐκ ἔστιν ἕτερον ὄνομα δεδόμενον τοῖς ἀνθρώποις ὑπὸ τοῦ οὐρανοῦ, ἐν ᾧ δεῖ σωθῆναι ἡμᾶς· οὐδέ ἐστι λύτρωσις τῶν ἀνθρώπων αἰχμαλωσίας εἰ μὴ ἐν τῷ αἵματι τούτου, ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν λύτρον ὑπὲρ πάντων. Καὶ ὅστις (καθάπερ κηρύττει ὁ

C

D

[a] Vindeb. Hisp., *ea ipsa namque ad libitum, quæ separabitur, facta sunt.* Emendatum in Vat. Hisp., Isid. et reliquis ejusdem originis, *ea ipsa namque, ut ita dicam, quæ inseparabiliter facta sunt.* In mss. collect. 21, *ea ipsa tamen, quæ, ut ita dicam, inseparabiliter facta sunt.* Hujus collectionis auctor et genuinam et emendatam lectionem copulavit. Mox in Vulg. ante Quesn. cum Hisp., Isid. et cæteris, *commixtione.*

[b] Tres Quesnelli codd. Barb., Bodl. et Cantabr. cum nostris Vat. Hisp. ac Isid., et alio collect. 11, *cujusque.* Origo hujus lectionis est ex codicibus Hisp. Gallicanis.

[c] Vulg. addunt: *Nec divina enim humanis præjudicant, nec humana divinis: cum ita in idipsum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas absumatur, nec persona geminetur.* Licet autem hæc legantur in epist. 124, et in serm. 65, c. 1, ex quibus Leonina esse dubitari nequit, hinc tamen eadem expunximus, eo quod non solum desint in omnibus mss. Quesnelli, et in nostris dispersarum collectionum, ac in exemplo primæ editionis, nec non in editis Merlini, Crabbi, Nicolini, et Binii, verum etiam in antiquissima Græca versione, quæ ex Leonis exemplo in Orientem missio sumpta fuit.

[d] Vat. collect. 8 et prima editio addunt *nunc.* Mox *cæci mentis* in prima editione.

[e] Vindeb. Hisp., *resurrexit, et qua.* Vat. Hisp. et Isid. et alius collect. 11, *resurrexit, et quia.* Vulg. antiqui cum mss. collect. 12, *resurrexit et in qua.* Quesnellus, *resurrexerit, et in qua.* Præstabimus *in quo* ex Ratisp., Vat. Reg. et tribus codd. collect. 24, cum quibus tres alii codd. Quesnelli Corb., Grim. et Thuan. consentiunt.

[f] Vat. collect. 3 et prima editio addunt *meos.*

[g] Septem codd., inter quos Ratisp. et Vindeb. collect. 5, *Ac si.*

Digitized by Google

exinanivit formam servi accipiens, [a] *in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens, usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur* [b] *quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II, 6-11).

μακάριος ἀπόστολος Παῦλος) ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσον Θεῷ, ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσεν, μορφὴν δούλου λαβών, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. Ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ. Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ, ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται, ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν ἐστὶ Θεοῦ πατρός.

CAP. VIII. — Cum ergo unus sit Dominus Jesus Christus, et veræ Deitatis veræque humanitatis in ipso una prorsus eademque persona sit, exaltationem tamen, qua illum, sicut doctor gentium dicit, exaltavit Deus, et donavit illi nomen quod super omne nomen excellit, [c] ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat [d] tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei æqualis erat Filius Patri, et inter genitorem atque unigenitum nulla in essentia erat discretio, nulla in majestate diversitas, nec per incarnationis mysterium aliquid decesserat Verbo, quod [e] ei **1373** Patris munere redderetur. Forma autem servi, per quam impassibilis Deitas sacramentum magnæ pietatis implevit, humana humilitas est, quæ in gloriam divinæ potestatis evecta, est [f] in tantam unitatem ab ipso conceptu Virginis Deitate et humanitate conserta, ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana. Propter quod sicut Dominus majestatis dicitur crucifixus, ita qui ex sempiternitate æqualis est Deo, dicitur exaltatus: quia inseparabiliter, manente unitate personæ, unus atque idem est et totus hominis filius propter carnem, et totus Dei Filius propter unam cum Patre Deitatem. Quidquid [g] ergo in tempore accepit Christus, secundum hominem accepit, cui quæ non habuit [h] conferrentur. Nam secundum potentiam Deitatis indifferenter omnia quæ habet Pater, etiam Filius habet, et quæ in forma servi a Patre accepit, eadem in forma Dei etiam ipse donavit. Secundum formam enim Dei, ipse et Pater unum sunt (*Joan.* X, 30); secundum formam autem servi, *Non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum* (*Joan.* V, 30). Secundum formam Dei, *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Ibid.*, 26); secundum formam servi, *Tristis est anima* [i] ejus *usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Et idem ipse est, sicut Apostolus prædicat, et dives, et pauper. Dives,

Ὅπότε οὖν εἷς ὑπάρχει Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, θεότητος ἀληθοῦς, καὶ ἀνθρωπότητος, ἐν αὐτῷ παντάπασιν ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πρόσωπον εἴη, ὅμως τὴν ὕψωσιν, δι' ἧς αὐτὸν (ὡς ὁ διδάσκαλος τῶν ἐθνῶν φησιν) ὕψωσεν ὁ Θεὸς, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα, τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. Εἰς ταύτην ἀνήκειν νοοῦμεν τὴν μορφὴν, τὴν ἐκ τῆς ἐπαυξήσεως τῆς τοσαύτης δόξης πλουτίζεσθαι μέλλουσαν.

Δῆλον γὰρ, ὡς ὢν ἐν μορφῇ Θεοῦ, ἴσος ἦν ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, μεταξύ τε τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ μονογενοῦς, οὐδεὶς κατὰ τὴν οὐσίαν χωρισμὸς, οὐδὲ μία κατὰ τὴν θεότητα τυγχάνει διαφορὰ, οὔτε διὰ τοῦ **1374** μυστηρίου τῆς ἐνανθρωπήσεως ἀπεμειῶτό τι τοῦ λόγου, ὅπερ ἔδει κατὰ χάριν αὐτῷ τοῦ πατρὸς ἀποδίδοσθαι· ἡ δὲ τοῦ δούλου μορφὴ, δι' ἧς ἡ ἀπαθὴς θεότης τῆς εὐσεβείας μυστήριον ἀπεπλήρωσεν, ἡ κατὰ ἄνθρωπον ταπεινότης ἐστὶν, ἥτις εἰς δόξαν προέκυψεν τῆς θείας δυνάμεως, εἰς τοσαύτην ἐνότητα, κατ' αὐτὴν τῆς παρθένου τὴν σύλληψιν, τῆς θεότητός τε καὶ τῆς ἀνθρωπότητος συμπλακείσης ὥστε μήτε δίχα τοῦ εἶναι αὐτὸν ἄνθρωπον, τὰ θεῖα, μήτε δίχα τοῦ εἶναι Θεὸν, τὰ ἀνθρώπινα πράττεσθαι. Διὸ καὶ, καθάπερ λέγεται Κύριος τῆς δόξης ὁ σταυρωθεὶς, οὕτως ἐκ τῆς θεότητος ἴσος ὢν τῷ Θεῷ, λέγεται ὑψωθεὶς· ἐπειδήπερ ἀχωρίστως (μενούσης τῆς ἑνότητος τοῦ προσώπου) εἷς καὶ ὁ αὐτός ἐστι, καὶ ὅλος υἱὸς ἀνθρώπου διὰ τὴν σάρκα, καὶ ὅλος υἱὸς Θεοῦ διὰ τὴν σὺν τῷ πατρὶ μίαν θεότητα. Εἴ τι τοίνυν προσκαίρως δέχεται ὁ Χριστὸς, κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα δέχεται, ἧ τινι ταῦθ' ἅπερ οὐκ εἶχεν προσφέρεται. Κατὰ γὰρ τὴν δύναμιν τῆς θεότητος, ἀπαραλλάκτως πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ ἔχει καὶ ὁ υἱός· καὶ ἅπερ ἐν μορφῇ δούλου παρὰ τοῦ πατρὸς εἴληφεν, ταῦτα ἐν μορφῇ Θεοῦ ὢν καὶ αὐτὸς ἐχαρίσατο. Κατὰ μὲν γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ μορφὴν, αὐτὸς καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐστι, κατὰ δὲ τὴν τοῦ δούλου μορφὴν, οὐκ ἦλθεν ποιῆσαι τὸ θέλημα τὸ ἑαυτοῦ, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντος αὐτόν. Καὶ κατὰ μὲν τὴν τοῦ Θεοῦ μορφὴν, ὡς ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκεν καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ· κατὰ δὲ τὴν

[a] Vindeb. collect. 5, et Vat. Reg. ac Vat. collect. 11, *in similitudine*. Mox *receptus* pro *inventus* in ms. Corb.

[b] Ratisp., *quoniam Dominus Jesus in gloria*.

[c] Idem Ratisp., *ad eamdem*.

[d] Quesn. addit *ex* cum aliquot nostris codd. Delevimus vero auctoritate præstantiorum mss. Ratisp., utriusque Vindeb. collect. 5 et Hisp. Vat. Reginæ, et aliorum quatuor Vat. collect. 11, 21 et 24. Similiter deest in epist. 124.

[e] Vat. collect. 8 cum Vat. Reginæ et exemplo primæ editionis, *Dei Patris*.

[f] Ita Quesnellus cum editis Conciliorum, potioribus et plerisque nostris codd. suffragantibus, nec non epist. 124. Al., *in tanta unitate*. Mox *Deitas et humanitas conserta est* in prima editione.

[g] Vulg. Leonis ante Quesn. et Labb. ex codd. Hisp Isid. et cæteris, *enim*.

[h] Septem codd. Quesn. et nostri Vindeb. collect. 5, Ratisp. tres collect. 21 ac epist. 124, *conferuntur*. Alii melius ut in textu, nimirum Vat. collect. 3, Vat. et Vercell. collect. 8, utrique Hisp. et cæteri aliarum collectionum exinde profecti. In Vat. Reginæ concinente interpretatione Græca: *Quidquid ergo in tempore accipit Christus, secundum hominem accipit, cui quæ non habuit, conferuntur*; et post pauca, *a Patre accipit*.

[i] Vindeb. Hisp. et Vat. Reg., *mea*.

Digitized by Google

quia evangelista **1375** dicente : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum : omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1-3). Pauper vero, quia propter nos *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*, 14). Quæ autem est ejus exinanitio, quæve paupertas, nisi formæ servilis acceptio? per quam Verbi majestate velata, dispensatio humanæ redemptionis impleta est.

Cap. IX. — Nam quia captivitatis nostræ resolvi originalia [a] vincula non poterant, nisi existeret homo nostri generis nostræque [b] naturæ, quem peccati præjudicia non tenerent, et qui immaculato sanguine suo chirographum lethale dilueret, sicut ab initio erat divinitus præordinatum, ita est in plenitudine præfiniti temporis factum : ut multis modis significata promissio in diu exspectatum veniret effectum, nec posset esse ambiguum quod continuis testificationibus [c] semper fuerat nuntiatum. In magno autem sacrilegio [d] se versari hæreticorum manifestat inpietas, cum sub specie Deitatis honorandæ, humanæ carnis in Christo denegant veritatem; et religiose existimant credi, si dicatur in Salvatore nostro verum non esse quod salvat, cum ita secundum promissionem omnia sæcula [e] percurrentem, mundus sit Deo reconciliatus in Christo, ut nisi Verbum dignaretur caro fieri, nulla posset caro salvari. Omne enim sacramentum fidei Christianæ magno **1377** [f] (ut hæretici volunt) decoloratur obscuro, si lux veritatis sub mendacio putatur latuisse phantasmatis. [g] Non ergo quisquam sibi erubescendum existimet Christianus de nostri in Christo corporis veritate : quia omnes apostoli apostolorumque [h] discipuli, et præclari Ecclesiarum quique doctores, qui ad martyrii coronam vel ad confessionis meruerunt gloriam pervenire, in hujus fidei lumine splenduerunt, consonis ubique sententiis intonantes, quod in Domino Jesu Christo Deitatis et carnis una sit confitenda persona. Qua autem rationis similitudine, qua divinorum voluminum portione, hæretica impietas se

μορφὴν τοῦ δούλου, περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἕως θανάτου. Καὶ ἔστιν ὁ αὐτὸς (ὡς ὁ ἀπόστολος κυρύττει) καὶ πλούσιος, καὶ πένης· πλούσιος μέν, ὡς τοῦ εὐαγγελιστοῦ λέγοντος ὅτι, Ἐν **1376** ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν· πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδέν· πτωχὸς δὲ, ἐπειδὴ δι' ἡμᾶς ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Τίς δέ ἐστιν ἡ κένωσις αὐτοῦ, ἢ τίς ἡ πτωχία, εἰ μὴ ἡ πρόσληψις, τῆς τοῦ δούλου θεότητι γενομένης, ἡ τῆς ἀνθρωπίνης λυτρώσεως

Καὶ γὰρ ἐπειδὴ τὰ τῆς προγονικῆς αἰχμαλωσίας, ἡμῶν οὐκ ἠδύνατο διαλυθῆναι δεσμὰ, εἰ μὴ τοῦ γένους ἡμῶν, καὶ τῆς ἡμετέρας φύσεως ἄνθρωπος γένοιτο, τοῖς τῶν ἁμαρτημάτων προκρίμασιν οὐ κρατούμενος, καὶ ὃς τῷ ἀσπίλῳ αἵματι τὸ ἑαυτοῦ τὸ θανάσιμον ἀποπλύνῃ χειρόγραφον, καθάπερ ἐξ ἀρχῆς ἦν θεόθεν προτυπωθὲν· οὕτως ἐν τῷ πληρώματι τῶν προειρημένων γέγονεν χρόνων, ὥστε τὴν πολυτρόπως προαγγελθεῖσαν ὑπόσχεσιν ἐλθεῖν εἰς τὴν πάλαι προσδοκωμένην ἐξάνυσιν, μὴ δύνασθαί τε εἶναι ἀμφίβολον, τὸ ταῖς συχνοτάταις ἀεὶ μαρτυρίαις προδηλωθέν. Ἐν μεγίστῃ μέντοιγε παρανομίᾳ τῶν αἱρετικῶν ἡ δυσσέβεια πεφανέρωκεν ἑαυτὴν ἐγκυλίεσθαι, ὁπότε ἐπὶ προσχήματι τοῦ τιμᾶν τὴν θεότητα, τὴν ἀλήθειαν ἐν τῷ Χριστῷ τῆς ἀνθρωπίνης ἀπαρνοῦνται σαρκός· καὶ νομίζουσιν εὐσεβῶς πιστεύειν, εἰ λέγοιτο ἐν τῷ σωτῆρι ἡμῶν ἀληθὲς μὴ εἶναι τὸ σῶζον, ὁπηνίκα οὕτω κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν τὴν πρὸ πάντων αἰώνων τῷ θεῷ **1378** ἐν Χριστῷ ὁ κόσμος εἴη κατηλλαγμένος, ὡς εἴγε μὴ κατηξίωσεν σὰρξ γενέσθαι ὁ λόγος, οὐδεμία σὰρξ ἂν ἠδύνατο σωθῆναι. Καὶ γὰρ ἅπαν τὸ μυστήριον τῆς τῶν Χριστιανῶν πίστεως, διὰ μεγίστης (ὡς οἱ αἱρετικοὶ θέλουσιν) ἀμαυροῦται σκοτείας, εἴτε τὸ φῶς τῆς ἀληθείας νομισθείη λανθάνειν ὑπὸ διεψευσμένῳ φαντάσματι. Μηδεὶς οὖν ἐπαισχυντέον ἡγείσθω Χριστιανὸς τοῦ ἡμετέρου σώματος ἐν Χριστῷ τὴν ἀλήθειαν, ἐπειδήπερ ἅπαντες οἱ ἀπόστολοι, καὶ τῶν ἀποστόλων οἱ μαθηταὶ, καὶ πάντες οἱ λαμπροὶ διδάσκαλοι τῶν ἐκκλησιῶν, οἵτινες ἐπὶ τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον, ἢ ὅσοι πρὸς τὴν τῆς ὁμολογίας ἐλθεῖν ἠξίωνται δόξαν, ἐν τῷ φωτὶ τῆς πίστεως ταύτης ἐξέλαμψαν ταῖς συμψήφοις

[a] Vat. Reg., *peccata.*
[b] Vat. collect. 8, *carnis.*
[c] Ratisp., *sæpe fuerat nuntiatum.*
[d] Cod. Reginæ, *diversari hæreticorum manifestatur impietas.* Duo codd. Ratisp. et Vindeb. collect. 5, *se diversari.* Mss. duo collect. 21, *improbitas.*
[e] Ratisp. et prima editio, *præcurrentem.* Vossius in marg., *prætercurrentem.*
[f] Illanc parenthesim (*ut hæretici volunt*) hic exhibent cum vulgatis ante Quesn. omnes ejus codd. ac nostri, et (quod hac in re non minimum est) ipsa vetus interpretatio Græca, quæ ex ipso Leonis originali in Orientem misso dimanat. Quesnellus tamen illam loco suo movit, et sic transposuit, *magno decoloratur obscuro, si* (*ut hæretici volunt*) *lux veritatis*, etc. Id autem non ex conjectura solum se fecisse ait not. 3, sed potius *sensus ipsius necessitate. Falsum enim sensum involvit antiquus parenthesis ipsius situs;* ac si hæretici, qui veritatem carnis negabant, hanc opinionem suam *Divinitati injuriosam esse* vellent, cum potius injuriosum Divinitati contenderent, si Dei Filius vera carne indutus crederetur. Sed dum parenthesis (*ut hæretici volunt*) antiquo loco restituitur, ut omnes codices exigunt, non eum sensum habet quem Quesnellus credidit. *Sacramentum fidei Christianæ*, ad quod hæc verba referuntur, non indicat Divinitatem, sed incarnationem. Incarnationis enim sacramentum, ut hæretici illi diabolo obsequentes excluderent, reipsa *magno decolorare volebant obscuro*, cum *sub specie Deitatis honorandæ* veram incarnationem in phantasmaticam traducebant. Non igitur falsum sensum antiquus parenthesis situs, sed falsus potius sensus, quem contextus non habet, Quesnello fucum fecit.
[g] Primæ editionis exemplum : *Non ergo quisquam erubescendum existimet Christianis, suscepisse de nostro Christum corporis veritatem.* Huic affinis est lectio ms. Vat. collect. 3, *suscepisse de nostro in Christo corporis veritatem.*
[h] Vat. Reg., *successores.*
[i] Τῇ τοῦ δούλου. Hæc verba sensum mire interturbant, delendaque sunt; aut si retineantur, pro δούλου legendum λόγου.

Digitized by Google

existimat adjuvari, quæ veritatem negat corporis Christi, cum hunc non lex testificari, non prophetia præcinere, non Evangelia docere, non ipse desiterit Christus ostendere? Quærant per omnem seriem Scripturarum, quo tenebras suas fugiant, non quo verum lumen obscurent, et per omnia sæcula ita veritatem invenient coruscantem, ut magnum hoc et mirabile sacramentum ab initio viderint creditum, quod est in fine completum. De quo cum sanctarum litterarum nulla pars sileat, sufficit quædam **1379** [a] consona veritatis signa posuisse, quibus diligentia fidei [b] in splendidissimam latitudinem dirigitur, et sincera intelligentiæ luce perspicat, quod in Filio Dei, qui se incessabiliter filium hominis et hominem profitetur, non sit Christianis erubescendum, sed constantissime gloriandum.

A [1] ἐκδηλοι γενόμενοι πανταχοῦ, [2] ὡς ὅτι ἐν τῷ δεσπότῃ Ἰησοῦ Χριστῷ, δεῖ καὶ τῆς θεότητος, καὶ τῆς σαρκὸς ἓν εἶναι συνομολογεῖσθαι τὸ πρόσωπον. Πλὴν κατὰ ποῖον ὅμοιον λόγον, ἢ ποίῳ μέρει γραφῶν, ἢ τῶν αἱρετικῶν δυσσεβείᾳ βοηθεῖσθαι νομίζει, ἡ τὴν ἀλήθειαν ἀρνουμένη τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, ὁπότε ταύτην οὔτε νόμος μαρτυρεῖσθαι, οὔτε προφητεία προλέγειν, οὔτε διδάσκειν τὰ εὐαγγέλια, οὐκ αὐτὸς ὁ Χριστὸς ὑποδεικνύειν ἐπαύσατο; ἐν πάσαις συντάξεσι τῶν γραφῶν ἐκζητείτωσαν, ποῖ τραπέντες, τὸ ἴδιον φύγωσι σκότος, οὐχὶ ποῖ κλίναντες τὸ ἀληθὲς ἐπισκοτοῦσι φῶς· καὶ πᾶσι τοῖς χρόνοις εὑρήσουσιν οὕτως ἐκλάμπουσαν τὴν ἀλήθειαν [3] ἵνα τὸ μέγα καὶ θαυμαστὸν εἶδωσι τοῦτο μυστήριον ἐξ ἀρχῆς πιστευθέν, ὅπερ ἐπ' ἐσχάτων πεπλήρωται. Περὶ οὗ, [4] καὶ τῶν ἁγίων γραφῶν οὐδὲν ἐσιωπησέν μέρος, ἁμῶς ἐξάρκεῖ συμβολά τινα τῆς συμφώνου τούτοις ἀληθείας ἐνθεῖναι, δι' ὧν ἡ περὶ τὴν πίστιν ἐμμέλεια τῆς τελεσιγέστατον ἀπευθυνθήσεται **1380** πλάτος, καὶ τῷ τῆς γνώσεως καθαρωτάτῳ φωτὶ θεωρῆσαι δυνήσεται, [5] τοῦθ' ὅπερ ἐν τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, ὅτι ἑαυτὸν ἀπαύστως υἱὸν ἀνθρώπου καὶ ἄνθρωπον ὁμολογεῖ, ἀνυθρίᾳ οὐ πρόσηκε Χριστιανοῖς, ἀλλὰ τούτῳ ὀταθηρῶς ἐγκαυχᾶσθαι.

Cap. X. — Ut autem pietas tua cum venerabilium Patrum prædicationibus nos concordare cognoscat, aliquantas eorum sententias huic credidi subjiciendas esse sermoni. Quibus [c] si dignaveris recensitis, non aliud nos prædicare reperies, quam quod sancti Patres nostri toto orbe docuerant; nec quemquam ab illis, nisi solos impios hæreticos, discrepare. His igitur, gloriosissime et venerabilis imperator, quanta potui brevitate perstrictis, cum inspirata tibi divinitus fide etiam nostram prædicationem [d] unitam esse cognosces, nec in aliquo nos ab evangelica apostolicaque doctrina, vel a catholicæ professionis symbolo discrepare, quoniam, sicut docet beatus apostolus [e] Paulus, *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est* [f] *in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (1 Tim. III, 16). Quid igitur tuæ utilius [g] est saluti? quid tuæ congruentius **1381** potestati? quam ut pacі Ecclesiarum Domini [h] tua constitutione prospicias, et in omnibus tibi subditis Dei dona defendas,

B Ἵνα δὲ τοῖς κηρύγμασι τῶν προσκυνητῶν πατέρων συμφώνους ὑπάρχειν ἡμᾶς ἡ σὴ εὐλάβεια γνῷ, διενοήθην τῷ παρόντι μου λόγῳ τινὰς ἀποφάσεις ἐκείνων ὑποτάξαι (Alias, ἐπίστευσε τῷ παρόντι μου λόγῳ τινὰς ἀποφάσεις ἐκείνων ὑποτάξαι). Ὧν εἰ καταξιώσῃς [6] ἐκείνων ποιήσασθαι τὴν ἀναγνωσιν, οὐκ ἄλλο κηρύττειν εὑρήσεις ἡμᾶς, εἰ μὴ ὅπερ καθ' ὅλον τὸν κόσμον οἱ ἡμῶν ἅγιοι πατέρες ἐδίδαξαν, καὶ μηδὲν πρὸς τούτοις διαφωνεῖν, εἰ μὴ μόνους τοὺς δυσσεβεστάτους αἱρετικούς. Τούτων τοίνυν, ὑπερένδοξε καὶ σεβαστὲ βασιλεῦ, καθ' ὅσον οἵοντε ἦν βραχέως ἐφαψαμένων ἡμῶν, μετὰ τῆς θεόθεν ἐμπνευσθείσης σοι πίστεως, καὶ τὸ παρ' ἡμῶν κηρυττόμενον ὁμογνωμονοῦν [7] ἐπιγνώσει, καὶ κατὰ μηδὲν ἡμῖν ἀπὸ τῆς τῶν εὐαγγελίων καὶ τῆς τῶν ἀποστόλων διδασκαλίας, ἤτοι τοῦ συμβόλου τῆς καθολικῆς διαφωνεῖν ὁμολογίας· C ἐπειδήπερ, ὡς διδάσκει ὁ μακάριος ἀπόστολος Παῦλος, Μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, ὅπερ ἐφανερώθη ἐν σαρκί, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη τοῖς ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσι, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ.

Τί τοιγαροῦν ἔσται λυσιτελέστερον τῇ σῇ σωτηρίᾳ, τί

[a] Quatuor codd. Quesn., Corb., Grim. et Thuan. duo, tres nostri Vat. Reg., Ratisp. et Vindeb. collect. 5 cum prima editione, et Vossius, *consonæ*. Mox pro *posuisse* Vindeb. Hisp. et Vat. collect. 24, *putasse*.

[b] Vulg. Leonis ante Quesn. cum Vat. collect. 24 et exemplo primæ editionis, *splendidissima latitudine*. Mox, *ut sincera* in cod. Ratisp.

[c] Ita Quesnellus ex codd. Grim., Corb., Vict. et duobus Thuanеis, quibus plures nostri concinunt. Quidam forte suspicabuntur *v* pro *b* scriptum fuisse, ut identidem in codicibus invenitur. Codd. collect. 21, *si digneris*, vel *si dignaris*. Cod. Vat. Reg., *Quas si dignaveris recensere*. Prima editio, *quas cum dignaberis recensere*. Vulg. ante Quesn., *Quibus, si dignaveris attendere, recensitis*; quam lectionem nullibi reperimus. Ms. Theodor. Quesnelli: *Quas si dignatus fueris recensere*.

[d] Vat. collect. 3, Vindeb. collect. 5 et prima editio, *munitam*. Mox Vulg. ante Quesn., *cognosce* cum mss. collect. 11 et 24. Codd. Vat. Reginæ, Vindeb. collect. 5, Ratisp. et Vat. collect. 3, *cognoscis*. Cæteri, *cognosces*.

[e] Vocem *Paulus* a Quesnello expunctam, ex septem nostris codd. et ex Græco revocavimus.

[f] Editi ante Quesn. cum nostris codd. Vindeb. collect. 5, Ratisp. et Vat. collect. 11 ac 21 omittunt *in*. Cæteri hanc præpositionem præferunt, nec non interpretatio Græca. Dein *in hoc mundo* Vat. collect. 3, Vindeb. collect. 5, utrique Hisp. Isid. aliique inde profecti.

[g] Addimus *est* ex codd. Vindeb. collect. 5, Ratisp. et Vat. collect. 21.

[h] Vindebon. Hisp., *qui constitutionè*, mendose. Emendatum arbitrio librarii in Vat. Hisp., et exinde in Isid. aliisque ejusdem originis, *æqua constitutionè*.

D [1] In textu Latino legitur *intonantes*, quod reddere possis κυρύττοντες. Cum igitur interpres verterit, ἐκδηλοι γενόμενοι, quod hic nihil ad rem facit, aliud verbum legisse videtur.

[2] Ὡς ὅτι. Horum verborum alterutrum redundat.

[3] Ἵνα τὸ μέγα, etc. Non est hic assecutus mentem Auctoris interpres, qui vertere debebat: Ὥστε τὸ μέγα καὶ θαυμαστὸν εἶδεσι τοῦτο μυστήριον.

[4] Fortè, *εἰ* καὶ.

[5] Τοῦθ' ὅπερ, etc. Neque hæc optima interpretatio; vertendum erat: Ὅτι ἐν τῷ υἱῷ, etc.

[6] Hæc vox redundat.

[7] Leg., ἐπιγνώσεις.

Digitized by Google

neque ulla ratione patiaris per invidiam diaboli ministros ipsius in cujusquam sævire perniciem : ut qui in hoc sæculo [a] temporali emines regno, in æternum merearis regnare cum Christo. [b] Data decimo sexto kalendas Septembris, Leone et Majoriano Augustis coss.

A τῇ σῇ ἐξουσίᾳ ἁρμοδιώτερον, **1382** ὑπερ ὅπως τῆς εἰρήνης τῶν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, ταῖς σαῖς διατάξεσιν ποιήσῃς τὴν πρόνοιαν, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς σοῖς ὑπηκόοις τὰ τοῦ Θεοῦ δῶρα ἐκδικήσῃς· καὶ μὴ ἀνάσχῃς τρόπῳ τινὶ διὰ τῆς τοῦ διαβόλου βασκανίας χαλεπαίνειν εἰς ὄλεθρόν τινων, τοὺς ὑπηρέτας αὐτοῦ· ἐφ' ᾧτέ σε κατὰ τόνδε τὸν βίον τοῖς προσκαίροις ὑπερέχοντα βασιλεῦσι, ἀξιωθῆναι καὶ τῆς εἰς αἰῶνα μετὰ τοῦ Χριστοῦ βασιλείας. [1] Ὁ παντοκράτωρ Θεὸς τὴν βασιλείαν, καὶ τὴν σωτηρίαν σου, ἐπιμήκιστον ἐκδικῶν διαφυλάξοι, ὑπερίνδοξε καὶ ἡμερώτατε βασιλεῦ σεβαστέ.

[d] Sequuntur dehinc Testimonia excerpta pro re supra scripta de libris catholicorum Patrum a Leone papa collecta, [d] Leonique imperatori directa.

1383 [e] *Sancti* Hilarii *Pictaviensis episcopi et confessoris, in libro secundo de Fide inter cætera* (Num. 25).

Cap. III. — Unum igitur hoc [f] est immobile fundamentum, una hæc felix fidei petra, Petri ore confessa : *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16); tanta in se argumenta sustinens veritatis, quantæ perversitatum quæstiones et infidelitatis calumniæ [g] movebuntur. **1384** Jam in cæteris dispensatio [h] voluntatis paternæ est : virgo, partus, et

[a] Duo mss. Quesn. et nostri codd. Vat. Hisp. ac Isid., aliique exinde derivati, *temporaliter homines regis.*

[b] Græca versio addit : *Omnipotens Deus regnum et salutem tuam longo tempore tueatur atque conservet, gloriosissime et clementissime imperator auguste;* quæ salutationis formula in originali ad imperatorem transmisso procul dubio legebatur. Hæc versio notam chronicam omittit, sicuti et plerique codices et collectiones. Quesnellus ex duobus mss. Trecæpith. et Oxon., nec non ex edit. Josiæ Simleri, Surii, etc., hanc affixit : *Data decimo tertio kal. Septembris*, etc., et in margine ex cod. Theodoriciano, cui concinit noster Ratisp., XVI *kal. Sept.* Cur hanc postremam datam prætulerimus, videsis in admonitione, num. 2.

[c] Hic titulus a Quesnello vulgatus e collect. Hispanica in alias posteriores manavit. In codd. collect. 8, *Incipiunt capitula quæ directa* (Al., *decerpta*) *sunt in synodo* CCCXVIII *Patrum cum exemplo papæ Leonis ad Leonem Augustum.* Hæc eadem inscriptio legitur etiam in mss. collect. 3, cap. 83, ubi eadem testimonia separatim ab ipsa Leonis epistola proferuntur. Cur vero hæc quæ a Leone fuerunt collecta, *in synodo* CCCXVIII *Patrum* directa, seu potius decerpta dicantur, quis divinet? Aliquis profecto error, licet omnibus quos vidimus codicibus communis irrepsit. Leo suam fidem symbolo CCCXVIII Patrum cohærentem cap. 5 ostendit; hic autem testimoniis Patrum eamdem corroborat atque confirmat. Alia inscriptio præfigitur in antiquissimo cod. Veron. 58, num. 37: *Incipiunt exempla catholica beatissimorum Patrum de incarnatione Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ in sancta ac venerabili Chalcedonensi synodo confirmata sunt adversus Nestorianos et Eutychianos, atque hæreticos.* Auctor hujus codicis his testimoniis præmiserat num. 33 alia testimonia Patrum, quæ in Ephesino concilio confirmata sunt act. 1. Dein num. 34 descripsit Patrum testimonia ex allocutione Patrum synodi Chalcedonensis ad Marcianum. In his omnibus testimoniis collector ea antiqua utriusque synodi versione usus est, quam accuratissime Baluzius edidit. Cum vero in versione antiqua concilii Chalcedonensis testimonia a Leone collecta non inveniantur, eaque reipsa in eadem synodo nec lecta nec inserta fuerint, uti ostendimus in admonit. ad epist. 28, cum scriptor hujus codicis Chalcedonensem confirmationem in inscriptione posuit, eo arbitrio usus videtur, quo nullo additionis indicio testimoniis Leoninis alia multo plura addidit ex Augustino, quæ procul dubio Leo nequaquam collegit. Porro testimonia cum ordine vulgato ex Hispanica aliisque ejusdem originis collectionibus proficiscuntur, si unum Augustini textum excipias, quem ex B Grimanico ms. Quesnellus adjecit. In manuscriptis collectionis 5 hæc testimonia bis proferuntur, primum separatim cap. 41, dein inter epistolas Leonis post litteras ad Leonem Augustum cap. 67. In hac autem collectione non solum diversus est ordo ac in collectione Hispanica, sed quædam etiam testimonia desiderantur. Confer tom. III, ubi ipsam collectionem 5 dabimus. Cum vero Quesnellus in hac collectione edenda dedisset sola testimonia capitis 41, omisisset autem Leonis epistolas, dubitari potuit num ea perinde separata ad Leonis epistolam pertinerent. Sed omnis dubitatio adimitur ex hac monitione, qua eadem testimonia eodem numero atque ordine utrobique inveniuntur. Codex Veronensis 58 eadem testimonia eodem ordine profert, quo in collectione 5 duplici tantum discrimine. Nam primo omittit Cyrilli testimoniom ex epistola ad Nestorium, quod in collect. 5 ab aliis Cyrilli separatur, et ultimo loco post Basilii textum subjicitur. Dein Augustini testimonia in postremum locum rejicit, eo quod scriptor in fine alia ejusdem doctoris valde prolixa testimonia proprio marte adjecerit. Mss. collect. 3 et 8 omnia testimonia proferunt, quæ exstant in collect. Hisp., sed ordine aliquantulum immutato. Primo enim Hilarii, dein Ambrosii, postea Chrysostomi testimonia exhibent, quorum ultimum est illud ex sermone *de Cruce et Latrone;* tum Gregorii Nazianzeni, dein Theophili, Augustini, Basilii ac Cyrilli, cujus testimonium, primum in Vulgatis, postremum efficitur; ac tandem cum Athanasii testimonio concluditur. Illud vero interest inter collect. 3 et 8, quod in illa hæc testimonia describuntur separatim, cap. 83, in ista vero ipsi epistolæ Leonis subnectuntur. Horum testimoniorum Græcam versionem non proferimus : quæ enim Græce edita sunt a Vossio post hanc Leonis epistolam in editione S. Gregorii Thaumaturgi, ad ea testimonia pertinent quæ Leo in Orientem misit post Ephesinum latrocinium, non vero ad hæc epistolæ ad Leonem Augustum subjecta, D quæ licet priora illa contineant, auctiora tamen sunt multo, et non solum numero, sed etiam ordine discrepant.

[d] Vat. Hisp. et Isid., non vero Vindeb. Hisp. tres sequentes voces ignorant.

[e] Opus hic allatum vulgo dicitur *de Trinitate.* Vide recensionem S. Hilarii quam protulimus tomis IX et X Patrologiæ nostræ. Edit.

[f] Codd. collect Hisp. aliique inde derivati delent *est.*

[g] Vat. collect. 8, *moventur.*

[h] Tres codd. Quesnelli ac totidem nostri unus collect. 11 et duo 21, cum exemplo primæ editionis, *veritatis paternæ sit. Ergo.* Vat. collect. 3, *sit : Virgo.*

[1] Desunt hæc in Latino.

Digitized by Google

corpus, postque crux, mors, inferi, salus nostra est. [a] Humanæ enim generis causa Dei Filius natus ex Virgine [b] et Spiritu sancto, ipso sibi in hac operatione famulante, et sua, Dei videlicet, inumbrante virtute, corporis sibi initia consevit, et exordia carnis instituit: ut homo factus ex Virgine, naturam in se carnis acciperet, perque hujus [c] admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret: [d] ut quemadmodum omnes in se per id quod corporeum se esse voluit conderentur, ita rursum in omnes ipse, per id quod ejus est invisibile referretur. Dei igitur imago invisibilis pudorem humani exordii non recusavit, et per conceptionem, partum, vagitum et cunas, omnes naturæ nostræ contumelias **1385** [e] transcurrit. Quid tandem dignum a nobis tantæ dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis a Deo originis unus unigenitus Deus, in corpusculi humani formam sanctæ Virginis utero insertus, accrescit. Qui omnia continet, et intra quem, et per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur; et ad cujus vocem archangeli atque angeli tremunt, cœlum [f] et terra, et omnia hujus mundi resolventur elementa, vagitus infantiæ auditur. Qui invisibilis et incomprehensibilis est, [g] nunc visu, sensu, tactuque mortalium cunis est obvolutus. Hæc si quis indigna Deo recolit, tanto se majoris beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus hæc Dei convenerint majestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est; sed nos eguimus ut Deus caro fieret et habitaret in nobis, id est, assumptione carnis unius [h] interna universæ carnis incoleret. Humilitas ejus nostra nobilitas est; contumelia ejus noster honor est. Quod ille Deus in carne consistens, hoc nos vicissim [i] in Deum ex carne renovati.

Item ejusdem in libro nono, inter cætera (Num. 3).

Nescit plane, vitam suam nescit, qui Christum Jesum ut verum Deum, ita et verum hominem ignorat; et ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare. *Omnis ergo,* [j] inquit, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui est in cœlis. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui est in cœlis* (*Matth.* x, 32). Hæc Verbum caro factum loquebatur, et homo Jesus Christus Dominus majestatis docebat: mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, et ipso illo inter Deum et homines mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est: [k] ita tamen ut neutro careret in utroque: ne forte Deus esse homo nascendo **1386** desineret, et homo rursus Deus manendo non esset. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera est, Deum et hominem prædicare, Verbum et carnem confiteri; neque Deum nescire [l] quod homo sit; neque carnem ignorare quod Verbum sit.

Item ejusdem in eodem libro inter cætera (Num. 5).

Natus igitur unigenitus Deus ex Virgine homo, et secundum plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem, hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se Filium Dei credi doceret, et hominis filium prædicari admoneret, [m] locutus et gerens homo universa quæ Dei sunt, loquens deinde et gerens Deus universa quæ hominis sunt: ita tamen ut in ipso illo utriusque generis sermone numquam nisi cum significatione et hominis locutus et Dei sit.

Item alio loco in eodem libro, inter cætera (Num. 5, 6, 7).

Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem mentiantur; et quia unus atque idem est loquens, omnia quæ [n] loquebatur de se ipso, om-

[a] Hic incipit in collect. 5, in cod. Vat. 58, et Ratisp.

[b] Codd. collect. 3, Hisp. et Isid. addunt *est*. Mox pro *famulante* cod. Vat. collect. 3 et alius collect. 8, *alibi consorte participe, et sua*. Ms. collect. 5, *consorte, et sua*. Cod. Grim., *participe, et sua*. Dein pro *consevit* codd. Vat. collect. 3 et 8, *conseruit*; exemplum primæ editionis, *conscivit*.

[c] In collect. 5 c. 41, *assumptionis*; at *admixtionis* ibidem legitur in testimoniis Leonis epistolæ subjectis cap. 67. Post pauca *humanum corpus* Quesn. in margine ex duobus mss.

[d] Utrique codd. Hisp. et alii ejusdem originis, *et quemadmodum*.

[e] Vindeb. collect. 5 cap. 67, et Vat. collect. 24, cum edit. Hilarii, *transcucurrit*.

[f] Ita Hilarii editio, et nostri codd. collect. 5 utroque loco, Vat. collect. 3 et utrique Hisp. aliique ejusdem originis cum editis ante Quesnellum, apud quem, *terra, mare et omnia*. Mox Vat. Hisp. et Isid., *resolvuntur*. Dein *infantiæ vagitus auditur* in mss. collect. 5 utroque loco, et in Vindeb. Hisp. ac Vat. collect. 3.

[g] Vulg. ante Quesn. cum edit. Hilarii, mss. collect. 5, Vat. Hisp. Isid., et aliis inde proficiscentibus, *non visu, sensu tactuque moderandus*. Lectionem a Quesnello inductam ex Grim. invenimus in mss. collect. 3, 8 et Vindeb. Hisp.

[h] Vulg. ante Quesn., cum solo primæ editionis exemplo, *membra*.

[i] Quesn. cum Vat. collect. 8, *in Deo ex carne renati*. Item *renati* est in Vat. collect. 3 nec non in duobus Hilarii codicibus. Veterem lectionem ut potiorem ex aliis nostris mss. revocavimus. Vide in hunc Hilarii locum notam P. Constantii.

[j] Verbum *inquit* cum Hilarii mss. apud Constantium expungunt etiam nostri codd. collect. 5, cap. 67. Vindeb. Hisp. et Vat. collect. 11 ac 24.

[k] Quæ sequuntur usque ad, *Hæc itaque*, desiderat unus cod. Barb. (collect. 3). Mox pro *neutro*, Al. *neutra*, Quesnellus in margine.

[l] Vindeb. Hisp. et alius collect. 5, c. 67, *quod et homo sit*.

[m] Vulg. ante Quesn. cum Vat. Hisp., Isid. et aliis collect. 8 et 11, *loquens et gerens*. Post pauca, *ut ipse illo* in Vindeb. collect 5, c. 67, sicut etiam in editione Hilarii.

[n] Vat. collect. 3 et alius Vat. collect. 8, *loquitur* cum Vat. Hisp. et Isid., in quibus sicut et in vulg. ante Quesn., *de semetipso*.

Digitized by Google

nia eum locutum esse contendant. Nec sane negamus totum illum qui ejus manet naturæ suæ esse sermonem. Sed si Jesus Christus et homo et Deus [a] est, et neque cum homo, tum primum Deus, neque cum homo, tum non etiam et Deus, neque post hominem, in Deo non totus homo, totus Deus, unum atque idem necesse est dictorum ejus sacramentum esse, quod generis. Et cum in eo secundum tempus discernis hominem a Deo, Dei tum atque hominis discerne sermonem. Et cum Deum atque hominem in tempore confiteberis, Dei atque hominis in tempore dicta dijudica. Cum vero ex homine et Deo, rursum totius hominis, totius jam **1387** Dei tempus intelligis. Si quid [b] illud ad demonstrationem ejus temporis dictum est, tempori coaptato, quæ dicta sunt, ut cum aliud sit ante hominem Deus, aliud sit homo et Deus, aliud sit post hominem et Deum totus homo, et totus Deus: non confundas temporibus et generibus dispensationis sacramentum, cum pro qualitate generum ac naturarum alium ei in sacramento hominis necesse est sermonem fuisse non nato, alium adhuc morituro, alium jam æterno. Nostri igitur causa hæc omnia Jesus Christus [c] manens, et corporis nostri homo natus, secundum consuetudinem naturæ nostræ locutus est; non tamen omittens naturæ suæ esse quod Deus est. Nam tametsi in partu, et passione, et morte naturæ nostræ res peregerit, res tamen ipsas omnes virtute naturæ suæ gessit; *et reliqua.*

Item alio loco in eodem libro, inter cætera (Num. 11).

Videsne ita Deum et hominem prædicari, ut mors homini, Deo vero carnis excitatio deputetur? [d] (Non tamen ut alius sit qui mortuus est, et alius sit per quem mortuus resurgit. [e] Spoliata enim caro Christus est mortuus, et rursum Christum a mortuis excitans, idem Christus est carne se exspolians.) Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige, dispensationem hominis in morte cognosce. Et cum sint utraque suis gesta naturis, unum tamen Christum Jesum eum memento esse qui utrumque est.

1388 *Item post pauca* (Num. 14).

Hæc igitur demonstranda a me paucis fuerunt, ut utriusque naturæ [f] formam tractari in Domino Jesu Christo meminissemus: [g] quia qui erat in forma Dei, formam servi accepit.

S. Athanasii *Alexandrinæ Ecclesiæ episcopi et confessoris ad* Epictetum *Corinthiorum episcopum.*

Cap. IV. — Quomodo autem vel dubitare ausi sunt, qui dicuntur Christiani, si Dominus, qui ex Maria [h] processit, Filius quidem substantia et natura Dei est, quod autem secundum carnem, ex semine David est et carne sanctæ Mariæ?

S. Ambrosii *episcopi Ecclesiæ Mediolanensis et confessoris, ex* [i] *libris quos misit ad imperatorem* Gratianum. *In libro secundo de Fide, inter cætera* (Cap. 7, num. 58).

Cap. V. — Unde [j] illud quod lectum est, Dominum majestatis crucifixum esse, non quasi in majestate sua crucifixum putemus; sed quia idem Deus, idem homo, per Divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo, Christus Jesus Dominus majestatis dicitur crucifixus, quia consors utriusque naturæ, id est humanæ atque divinæ, in natura hominis subiit passionem; ut indiscrete et Dominus majestatis dicatur esse qui passus est, et filius hominis, sicut scriptum est, *qui descendit de cælo* (*Joan.* III, 13).

[a] Mss. collect. 3, 11 et 24, ac Vindeb. Hisp., cum exemplo primæ editionis delent *est*. Editi Hilarii habent *sit*. Mox *cum homo sit* in Vat. Hisp., Isid. et alio collect. 11. Dein *neque tum cum et homo* in iisdem codd., necnon in Vat. collect. 24, ac in prima editione, quam lectionem Constantius prætulit. In cod. Vat. collect. 3, *neque tunc etiam cum homo.*

[b] Vulgati, *aliud*. Correximus cum mss. collect. 3, utrisque Hisp. Vat., Isid., alio collect. 11 et 24, quibus duo codd. Quesnelli et editi Hilarii suffragantur.

[c] Vat. Hisp. et Isid. et alius collect. 11, *agens*. Codd. collect. 11 et prima editio *gerens*.

[d] Uncis inclusa desiderantur in codd. Grim. Barb. 1, Thuan. 1, et in Thuan. ac in Oxon. Quesnelli, nec non in nostro Vat. collect. 3, simili Barb. 1, et in Vindeb. collect. 5 utroque loco, ac in Vat. collect. 8. Desunt etiam in versione Græca inserta act. 2 concilii Chalcedonensis.

[e] Quesn., *Spoliata enim carne*, cum exemplo primæ editionis, et Vat. Hisp., Isid. aliisque inde profectis; sed male; neque enim Hilarius Christum, seu personam Verbi carne spoliatam, seu a carne separatam sensit. Anteriorum editionum lectionem revocavimus, quam perferunt Vindeb. Hisp. collect. Vat., collect. 24, et editiones Hilarii. Solum in Vindeb. Hisp. habetur, *dispoliata.*

[f] Codd. collect. 3 et 5 utroque loco, nec non Vat. collect. 24 cum editis Hilarii *personam;* ubi tamen Constantius notat *personæ* vocabulo ex contextu non tam subsistentiam, quam naturæ utriusque conditionem et proprietates intelligi.

[g] Vulg. cum Hisp. et Isid., *quia qui in forma Dei manens, formam servi accepit, ipse Divinitatem nequaquam amisit.* P. Constantius hæc quatuor postrema verba, quæ in nullis mss. Hilarii exstant, neque exstare debent, cum Leonina crediderit ex Vulgatis, probabile credidit iis a Leone summatim perstrictum, quod postea ab Hilario fusius demonstratur. At non ita est. Eas enim voces a Leone abjudicandas et expungendas cognovimus auctoritate præstantiorum collectionum 3, 5 utroque loco, et 8, cum præsertim desint etiam in Græca versione horum testimoniorum inserta act. 2 Chalcedon. concilii. Concinit Vat. collect. 24, in quo pariter ea verba omittuntur, et solum legitur: *Quia in forma Dei manens, formam servi suscepit.* In Hilarii editionibus, *quia qui in forma Dei manebat.*

[h] Vindeb. Hisp. et codd. collect. 21 cum prima editione addunt *Virgine*. Mox *Deus quidem de substantia et natura Dei est* in Vat. Hisp. et Isid. Codd. collect. 21 et prima editio, *Dei sit*. Vat. collect. 11 et 24, *Filius quidem de substantia naturæ Dei est*. Prætulimus lectionem anteriorum editionum auctoritate Vindeb. Hisp. et alterius collect. 5, cap. 67, eo quod hæc lectio cohæret cum integra epistola in eadem collectione edita cap. 52. In capite 41 ejusdem collectionis, *Filius quidem substantiæ natura Dei est*. Postea *et ex carne* in Vat. Hisp. ac Isid. et in mss. collect. 11 et 21.

[i] Vide Opus Ambrosii ad Gratianum tom. XVII Patrologiæ nostræ. Edit.

[j] In collect. 5, cap. 41, *illud quoque lectum est.*

Digitized by Google

1389 *Item alio loco in eodem libro, inter cætera* (Cap. 9, num. 77).

Sileant igitur [a] inanes de sermonibus quæstiones, quia *regnum Dei*, sicut scriptum est, *non in persuasione verbi est, sed in ostensione virtutis* (I *Cor.* II, 4, *et* IV, 20). Servemus distinctionem Divinitatis et carnis. Unus in utroque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Et si idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende [b] in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur, quæ sunt divina, quia Verbum est: quasi homo dicit, quæ sunt humana, quia [c] in ea substantia loquebatur.

Item ejusdem in libro de Incarnatione Domini [d] *contra Apollinaristas* (Cap. 6, num. 49).

Sed dum hos redarguimus, emergunt alii qui carnem Domini dicant et Divinitatem unius [e] esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt? Jam tolerabiliores sunt Ariani, quorum per istos perfidiæ robur adolescit, [f] ut majore contentione asserant Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unius non esse substantiæ, quia isti Divinitatem Domini et carnem substantiæ unius dicere tentaverunt.

Item infra (Cap. 6, num. 52).

Et hi mihi frequenter Nicæni concilii [g] tractatum se tenere commemorant. Sed in illo tractatu Patres nostri non carnem, sed Dei Verbum unius substantiæ cum Patre esse dixerunt. Et Verbum quidem ex paterna processisse substantia, carnem autem ex Virgine esse confessi sunt. Quomodo igitur Nicæni concilii nomen obtenditur, et nova inducuntur quæ numquam nostri sensere majores? *Et reliqua.*

1390 *Item ejusdem* [h] *ad* Sabinum *episcopum inter cætera* (Num. 6 et 7).

Unde pulchre Apostolus ejusdem verbi repetitione usus est, dicens de Domino Jesu Christo : [i] *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Quid est in forma Dei, nisi in plenitudine Deitatis, in illa perfectionis divinæ expressione? Ergo cum esset [j] in plenitudine Divinitatis, exinanivit se (*Philip.* II, 6), et accepit plenitudinem naturæ et perfectionis humanæ. Sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma. Unde et David dicit: *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Ps.* XLIV, 3). Concluditur Apollinarista, nec quo se vertat habet, suis clauditur retibus. Ipse enim [k] dixit, formam servi accepit, non servus locutus est. Iterum ergo interrogo : Quid est *in forma Dei*? Respondit, in natura Dei. Sunt enim, ait Apostolus, *qui non sunt natura dii* (*Galat.* IV, 8). Quæro quid sit, *formam servi accipiens*? Sine dubio perfectionem naturæ et conditionis, ut dixi, humanæ, ut esset in hominum similitudine. Et pulchre non *carnis*, sed *hominum* dixit *similitudinem*, quia in carne eadem est. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur. Unde et propheta ait : *Et homo est, et quis cognoscit eum* (*Jer.* XVII, 10)? Homo secundum carnem, [l] sed ultra hominem secundum divinam operationem. Denique cum leprosum tangeret, homo videbatur, sed ultra hominem, cum mundaret. Et cum Lazarum mortuum fleret, mortuum quasi homo flebat; sed supra hominem erat, cum mortuum [m] vinctis juberet pedibus exire. Homo videbatur, cum penderet in cruce; sed supra hominem, cum reseratis tumulis mortuos suscitaret.

1391 S. Augustini *episcopi* [n] *Hipponiregiensis Ecclesiæ* [o] *ad* Dardanum, *inter cætera* (Num. 10).

Cap. VI. — Noli itaque dubitare ibi nunc esse hominem Christum, unde venturus est; memoriterque recole et fideliter tene Christianam confessionem :

[a] Vat. Hisp. et Isid. cum alio collect. 11, *inanis dissensionis quæstiones*. Cod. Thuan. Quesn., *inanis dissertationis quæstiones*. Exemplum primæ editionis cum mss. collect. 21, *inanis dissensionis inanes de sermonibus quæstiones*. Paulo post editiones Ambrosii, *in utraque loquitur*. Sed non solum omnes nostri codices cum vulgatis Leonis habent *in utroque*, verum etiam veterà exemplaria concilii Ephesini Græco etiam textu suffragante act. 1, Marius Mercator, Rusticus et Ambrosii codex Colbert., de quibus vide Baluzium tom. IV Concil. pag. 67, not. g.

[b] Vindeb. collect. 5, cap. 67. Vat. Hisp. et Isid., aliique inde profecti codd., *in eum*.

[c] Quesnellus, *in mea substantia loquitur*. Anteriores editiones secuti sumus, cum *in ea* exhibeant codd. collect. 3, Vat. Hisp. Isid., alii collect. 11 ac 24, *loquebatur* autem omnes codices approbent. Editio Ambrosii habet, *in mea substantia loquebatur*. Concinunt exempla antiquæ versionis Ephesini concilii, et Marius Mercator; sic enim et Græcus interpres Ephesini legit. At cum Græca versio testimoniorum Leonis inserta act. 2 concilii Chalcedonensis præferat, *in ea substantia loquebatur*, sic Leonem scripsisse et apud Ambrosium legisse credimus.

[d] Vat. collect. 3, *contra Apollinarem*.

[e] Vindeb. collect. 5 utroque loco delet *esse*.

[f] Cod. Oxon. Quesnelli, *ut minore*. Paulo post idem cod., *quam hi qui*, pro *quia isti*.

[g] Quesn. in marg. ex cod. Thuan., *tractatus exponere*. Vindeb. collect. 5, c. 67, *tractatum se retinere*. Post pauca Vindeb. Hisp. et Vat. collect. 11, delent *Dei*.

[h] Vide epist. integram inter alias Ambrosii num. 46 tomo nostro XVII. Edit.

[i] Vat. collect. 11 et prima editio et vulg. Ambros., *Qui cum in forma*.

[j] Sic ex Vat. collect. 3 et Vindeb. Hisp. cum vulg. Ambrosii. Al. deletur *Divinitatis*.

[k] Cod. Vat. Hisp. et Isid. nec non alius collect. 11 cum edit. Ambrosii, *dixerat*, ac dein, *Respondet*. In eadem Ambrosii editione *lectus est* pro *locutus est*. Dein *ut dixit* in eodem Vat. collect. 11 ac in exemplo primæ editionis.

[l] Utrique codd. Hisp. cum Vat. collect. 11, *et ultra hominem divina operatione*. Vulg. ante Quesn. cum mss. collect. 21 et 24, *Sed ultra hominem divina operatione*. Vat. collect. 3, *per divinam operationem*. Dein *et ultra hominem* in utrisque Hisp. ac in Vat. Isid. et in alio collect. 11.

[m] Mss. Vat. collect. 3 et 24, *vinctum*. Vindeb. Hisp. erronee *vinci*; emendatum ex arbitrio in Vat. Hisp. aliisque inde profecti, *hunc*. Postea *et supra hominem* in Vindeb. Hisp.

[n] Sic utrique Vindebon. cum Vat. Hisp., Isid. aliique collect. 11; alias, *Hipponensis*. Post pauca in tribus postremis codd., *unde et venturus est*.

[o] Vide epistolam ad Dardanum, inter cæteras Augustini 187, tomo XXXIII nostræ Bibliothecæ. Edit.

Digitized by Google

quoniam *resurrexit a mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris*; nec alfunde quam [a] inde venturus est ad vivos et mortuos judicandos; et *sic venturus est*, illa angelica voce testante, *quemadmodum est ire visus in cœlum* (*Act.* I, 11), id est in eadem forma carnis atque substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit.

Item in ejusdem [b] *epistola ad* VOLUSIANUM, *inter cætera* (Num. 9).

Nunc vero ita inter Deum et homines mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, et tollia sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret.

Item ejusdem in [c] *Expositione Evangelii secundum Joannem, inter cætera* (Tract. 78, num. 2).

Quid igitur, hæretice? Cum Christus Deus sit et homo, loquitur ut homo; et calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare divinam?

Et iterum infra (Num. 3).

Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua æqualis est Patri; humanam, [d] qua major est Pater. Utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus: ne sit quaternitas, non Trinitas Deus. Sicut enim unus est homo anima rationalis et caro, sic unus est Christus, Deus et homo; ac per hoc Christus est, Deus, anima rationalis et caro. Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus? Christus Jesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Jesus, sed in forma servi. [e] Item de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? **1392** Christus Jesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus, triduo jacuit in sepulcro? Christus Jesus, sed in carne sola. Dicitur ergo in his singulis Christus. Verum hæc omnia non duo, vel tres, sed unus est Christus. Ideo ergo dixit: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem* (*Joan.* XIV, 28). Quoniam naturæ humanæ gratulandum est, eo quod sic assumpta est a Verbo unigenito, ut immortalis constitueretur in cœlo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram Patris.

Item ejusdem ex libro [f] *Assertionis fidei.*

Nostrum namque est credere, illius nosse; ac sic ut ipse Deus Verbum, totum suscipiens quod est hominis, homo sit; et assumptus homo totum accipiendo quod Dei est, aliud quam Deus esse non possit. Non tamen quia incarnatus dicitur et immixtus, imminutio ejus est accipienda substantiæ. Novit enim Deus sine sui corruptione misceri, et tamen in veritate misceri. Novit in se ita suscipere, ut nihil ei crescat augmenti, qui se ipse totum novit infundere, ut nihil ei accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostræ secundum experimentorum visibilia documenta facientes conjecturam de æqualibus se invicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemque commixtum, et tali confusione carnis et Verbi, quasi aliquod corpus effectum. Absit ita credere, ut conflatili quodammodo genere duas naturas in unam redactas arbitremur esse substantiam. Hujusmodi enim commixtio, partis utriusque corruptio est. Deus enim, qui capax est, non capabilis, penetrans, non penetrabilis, implens, non implebilis, qui ubique simul totus et ubique diffusus est per infusionem potentiæ suæ, misericorditer naturæ est mixtus humanæ, non humana natura est mixta divinæ.

1393 S. JOANNIS *Constantinopolitani episcopi et confessoris in* [g] *homilia de Cruce et Latrone.*

CAP. VII.—Sed cur cum cruce [h] veniat videamus. Scilicet ut hi qui eum crucifixerunt suæ sentiant dementiæ cæcitatem; et ideo [i] impudentiæ eorum signum portatur. Ideo propheta ait: *Tunc lamentabuntur omnes tribus terræ* (*Zachar.* XII, 10), videntes accusatorem, et agnoscentes peccatum. Et quid mirum est, si crucem portans adveniet, quando et vulnera corporis ipse demonstrat? *Tunc enim*, inquit, *videbunt quem* [j] *confixerunt* (*Ibid.*, *et Joan.* XIX, 37). Et sicut post resurrectionem, Thomæ voluit diffidentiam confutare, et illi clavorum loca demonstravit, et [k] lateris vulnera declaravit, et dixit: *Mitte manum*

[a] Vulg. cum nonnullis codd., *inde ad judicandos venturus est vivos et mortuos*. Secuti sumus aliorum præstantissimorum codicum syntaxim, quæ cum editis Augustini concordat.

[b] Vide dicto tomo XXXIII epist. 137. EDIT.

[c] Id est tractatu 78 in Evang. Joan., qui habetur tomo XXXV Patrologiæ nostræ.

[d] Cod. Vat. collect. 11, *qua minor est Patre*.

[e] In mss. collect. 3, 5, utroque loco, et 8, ac in Veronens. 58, sequentia omittuntur usque ad finem. Vulg. ante Quesn. cum cæteris nostris codd., velut separatum testimonium sic proponunt: *Item ejusdem cujus supra. Quis non est derelictus*, etc., quæ novam additionem indicare videntur. Quesnelli lectionem ex Germanico inductam non exclusimus, quippe quæ editioni Augustini concinit, ex qua *Item* prætulimus pro *Idem*, quod in Quesnello legebatur.

[f] Hoc testimonium, quod ex Leporii libello fidei sumptum est, Quesnellus edidit ex ms. Grim. Etsi vero nullibi in aliis mss. istud reperire potuimus, de eo tamen a Leone excerpto dubitari nequit, cum extet in testimoniis Chalcedonensi insertis act. 2, quæ ipsum Leonem jam pridem collegisse et separatim misisse in Orientem certissimum est; omnia enim ea testimonia aliis pluribus additis huic epistolæ subjecit. Unum miramur, hoc testimonium desiderari etiam in ms. Veron. 58, in quo studiosus collector num. 38 quatuor præcedentibus Augustini testimoniis alia plura et valde prolixa adjecit. Vide notam Quesnelli.

[g] Vide nostram recensionem S. Chrysostomi tom II, col. 404. EDIT.

[h] Vat. collect. 11 et prima editio, *veniet*, omisso verbo *videamus*.

[i] Codd. collect. 3, 8, Hisp. et reliqui ejusdem originis hic quoque habent *dementiæ*. Dein Hisp. et Isid. delent *omnes*.

[j] Al., *compunxerunt*. Mox pro *Thomæ* utrique Hisp. Vat., Isid., *mortuorum*, ac dein *et illis*. Porro in iisdem et in prima editione cum mss. collect. 21, *confortare* pro *confutare*.

[k] Vindeb. Hisp., *latere*, perperam. Correctum in Vat. Hisp. et Isid., *in latere*.

Digitized by Google

tuam, et vide, quoniam spiritus carnem et ossa non habet, sicut me [a] *vides habere* (*Joan.* XX, 27; *Luc.* XXIV, 39); sic et tunc ostendet vulnera, crucemque demonstrabit : ut ostendat illum se esse, qui fuerat crucifixus.

Item ejusdem in homilia de Ascensione Domini.

Nam sicut duobus jurgio separatis, unus in medio positus altercantium litem discordiamque dissolvit, ita et Christus [b] fecit. Deus nobis juste irascebatur, et nos contemnebamus iratum, et clementem Dominum declinabamus; et se medium Christus ingessit, et sociavit [c] utramque naturam, et nobis quod imminebat supplicium ipse sustinuit.

Item ejusdem in eadem homilia, inter cætera.

Christus igitur [d] nostræ naturæ primitias obtulit Patri, et oblatum donum miratus est Pater, quod et tanta dignitas offerebat, **1394** et quod offerebatur, nulla macula fœdabatur. Nam et suis manibus suscepit oblatum, et suæ sedis fecit esse participem, et quod plus est, ad partem suæ dexteræ collocavit. Cognoscamus [e] quis est ille qui audivit : *Sede ad dexteram meam* (*Ps.* CIX, 1; *Matth.* XXII, 44); quæ natura est cui dixit: Esto meæ particeps sedis. Illa natura est quæ audivit: *Terra es et in terram ibis* (*Gen.* III, 19).

Item ejusdem in eadem homilia, inter cætera.

Quo sermone utar, quo verbo dicam, reperire non possum. Natura fragilis, natura contempta, et omnibus monstrata deterior, omnia vicit, omnia superavit, [f] et omnibus hodierna die meruit excelsior reperiri. Hodie angeli diu vota desiderata receperunt; hodie archangeli, quod multo tempore cupiebant, inspicere A valuerunt; naturam nostram [g] in sede Dominica immortali fulgentem gloria perviderunt.

[h] S. THEOPHILI *episcopi Alexandrini, de Epistola paschali, quam per Ægyptum destinavit.*

CAP. VIII. — Cujus rei testis est ille qui loquitur: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt* (*Ps.* XIII, 3). Et [i] prophetæ Christi auxilium deprecantes: *Domine, inclina cœlos tuos, et descende* (*Ps.* CXLIII, 5). Non ut mutaret locum, in quo omnia sunt, sed ut propter salutem nostram carnem humanæ fragilitatis assumeret, [j] Paulo apostolo eadem concinente: *Cum esset dives, pauper factus est, ut nos illius paupertate divites essemus* (II *Cor.* VIII, 9). Venitque [k] in terras, et de virginali utero, quem sanctificavit, egressus homo, interpretationem nominis sui *Emmanuel*, id est *Nobiscum* B *Deus* (*Matth.* I, 25), dispensatione confirmans, mirum in modum cœpit esse quod nos sumus, **1395** et non desiit esse [l] quod erat : sic assumens naturam nostram, ut quod erat ipse non perderet. Quamquam enim Joannes scribat : *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14) [m] id est aliis verbis, *homo*, tamen non est versus in carnem, qui numquam Deus esse cessavit. Ad quem et [n] sanctus David loquitur : *Tu autem idem ipse es* (*Ps.* CI, 28). Et Pater de cœlo contestatur et dicit : *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi bene* [o] *complacui* (*Matth.* III, 17; *Marc.* I, 11; *Luc.* III, 22): ut et homo factus, nostra confessione permanere dicatur [p] quod fuit priusquam homo fieret, Paulo nobiscum eadem prædicante : *Jesus Christus heri et hodie,* [q] *ipse et in æternum* (*Hebr.* XIII, 8). In eo enim quod ait *ipse*, C ostendit eum pristinam non mutasse naturam, nec Divinitatis suæ imminuisse divitias, [r] quia propter nos pauper effectus, plenam similitudinem nostræ conditionis assumpserat.

[a] Utrique codd. Hisp. et alii inde profecti, *videtis*. Mox Vindeb. collect. 5, cap. 67, et mss. Vat. collect. 11 et 24 delent *se*.

[b] Vulg. inserunt *nobis*. Delevimus auctoritate potiorum codd. collect. 5 Hisp. Isid., etc.

[c] Utrique codd. Hisp. cum Isid. et Vat. collect. 11, *utrumque, et nobis*. Dein Quesnellus, *imminebat a Patre supplicium*. Expunximus vero *a Patre* auctoritate mss. collect. 3, Vindeb. collect. 5 utroque loco, item Vindeb. Hisp. et Vat. collect. 11, 21, 24 et editionum ante Quesn.

[d] Vindeb. collect. 5, c. 41, *nostri primitias*.

[e] Idem Vindeb. cap. 67, *quis ille sit, qui*. Post pauca · *Quæ illa natura, quæ audivit : Terra es*, etc., in Vat. Hisp. ac Isid. In utrisque Vindebon. collect. 5 et Hisp. ac in Vat. collect. 24 deletur tantum verbum *est* post vocem *natura*. D

[f] Quidam codd. delent *et*. Vat. collect., 3 *et in omnibus hodierna die meruit angelis excelsior reperiri*. Post pauca Vat. Hisp. et Isid. et mss. collect. 11, *dia quod desideraverant acceperunt*. In Vindeb. collect. 5 et Vat. collect. 24, *acceperunt*, reliqua ut in textu.

[g] Vulg. inserunt *ipsi*. Delevimus cum mss. collect. 3, 5, 8 Hisp., Isid., etc.

[h] Ex versione S. Hieronymi inter hujus opera ep. 98, n. 4, tomo XXII hujus Bibliothecæ. EDIT.

[i] Vat. Hisp. et Isid. cum mss. collect. 21 ac exemplo primæ editionis : *Propheta Christi auxilium deprecans*. Dein utrique Vindeb. et Vat. collect. 3 delent *tuos*. Postea *loca* pro *locum* est in iisdem codd. et in Vat. collect. 24 ac in editione Hieronymi.

[j] Quidam codd. omittunt *Paulo*, alii cum editione Hieronymi delent *apostolo*. Dein Vulg. ante Quesn. cum Vat. collect. 24 et editione Hieronymi, *pro nobis pauper*. Postea *ditaremur* iidem Vulgati cum utrisque Hisp. et Vat. Isid.

[k] Sic cum antiquioribus editis codices collect. 3 et 5 utroque loco, utrique Hisp. et mss. collect. 11 ac 24 ac in Hieronymiana editione. Alias, *in terram*.

[l] Mss. collect. 3 et 8 cum edit. Hieron., *quod fuerat*. Mox *sic assumpsit* in mss. Hisp. et Isid. ac Vat. collect. 11. Dein *naturam humanam* pro *naturam nostram* in edit. Hieronymi.

[m] Vulg. ex Hisp. aliisque inde profectis, *id est, aliis verbis, Deus homo factus est ; Verbum tamen non est versum in carnem*. Prætulimus lectionem mss. collect. 3 et 5 utroque loco, quæ editione Hieronymiana comprobatur.

[n] Editiones Quesnello anteriores cum mss. Hisp. et aliis ejusdem originis, *Spiritus sanctus loquitur*. Quesnellus cum codd. collect. 5, *Sanctus loquitur*. Secuti sumus codd. collect. 8, cum quibus editio Hieron. convenit.

[o] Vindeb. Hisp. cum mss. collect. 11 ac 24, *complacuit*.

[p] Quesnellus inseruit *id*. Delevimus cum editionibus anterioribus, approbantibus plerisque et potioribus codicibus, ac edit. Hieron.

[q] Vulg., *idem ipse*. Expunximus vocem *idem* eorumdem codicum auctoritate, concinente editione Hier. et sequenti contextu.

[r] Edit. Hier., *qui*.

Digitized by Google

Item [a] *ejusdem in alia Epistola paschali contra Origenem, inter cætera.*

Unus Filius Patris, nostrique mediator, nec æqualitatem ejus amisit, nec a nostro consortio separatus est; invisibilis Deus, et visibilis homo, forma servi absconditus [b], et Dominus gloriæ confessione credentium comprobatus. Neque enim privavit eum Pater naturæ suæ nomine, postquam pro nobis homo, et pauper effectus est, nec in Jordane fluvio baptizatum altero appellavit vocabulo, sed Filium unigenitum: *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi* [c] *bene complacui* (*Matth.* III, 17; *Marc.* I, 11; *Luc.* III, 22). Nec similitudo nostra in Divinitatis est mutata naturam, nec Divinitas in nostræ naturæ versa est similitudinem.

S. Gregorii *episcopi Nazianzeni in homilia de Epiphania, inter cætera.*

Cap. IX.—Cum ergo processisset ex Virgine Deus, in ea quam assumpserat humana natura, unum e duobus [d] sibi invicem contrariis **1396** existens, carne et spiritu, aliud in Deum assumitur, aliud Deitatis gratia præstat.

Item infra.

Missus est quidem, sed ut homo. Duplex enim erat in eo natura. Inde denique et laboravit ex itinere, inde et esuriit, et sitivit, et contristatus est, et flevit humani corporis lege.

[e] S. Basilii *episcopi Cappadocis.*

Cap. X. — Cum ergo quædam in Christo ita videmus humana, ut nihil a communi mortalium fragilitate distare videantur, quædam ita divina, [f] quæ nulli alii, nisi illi ineffabili naturæ conveniant Deitatis, hæret humani intellectus angustia, et tantæ admirationis stupore perculsa, quo declinet, quid teneat, A quo se convertat, ignorat [g]. Si hominem putet, devicto mortis regno cum spoliis redeuntem a mortuis cernit. Propter quod cum [h] omni metu et reverentia contemplandum est, ut in uno eodemque ita utriusque naturæ veritas demonstretur, ut neque aliquid indignum et indecens de divina illa et ineffabili substantia sentiatur, neque rursum quæ humanitus gesta sunt, falsis illusa imaginibus æstimentur.

[i] S. Cyrilli *episcopi Alexandrini.*

Cap. XI.—Homo [j] nominatus est, cum sit natura Deus, Dei Patris Verbum, quoniam similiter ut nos sanguini communicavit et carni. Sic enim in terris apparuit, non amittens id quod erat, sed assumens humanitatis naturam in sua ratione perfectam.

B **1397** *Item ejusdem in libro, qui dicitur: Scholia de Incarnatione Unigeniti.*

Unus igitur est, et ante incarnationem Deus verus, et qui [k] in humanitate mansit id quod erat, et est, et erit. Non discernendum igitur unum Dominum Jesum Christum in hominem seorsum, et seorsum in Deum; sed unum eumdemque Jesum Christum esse dicimus, non ignorantes differentias naturarum, sed eas inconfusas [l] inter se servantes.

Item cujus supra.

[m] Intelligitur namque certe tamquam aliud in alio inhabitare, id est, divinam naturam in humanitate non perpessam commixtionem, aut commutationem, ut esset quod non erat. Quidquid enim in alio habitare dicitur, non ipsum fit tale quale est id in quo C habitat, sed aliud [n] in alio magis intelligitur. At vero in Verbi natura et humanitatis, nobis solam differentiam designat diversitas naturarum. Unus enim ex utraque intelligitur Christus. Ergo [o] inconfu-

[a] Epist. 96, n. 3, inter Hieron. opera tomo nostro XXII. Edit.

[b] Vulg. Hier. cum Vat. Hisp. et Isid. addunt *est.*

[c] Iidem Vulg. delent *bene.* Mox *complacuit* in mss. Hisp., Isid. et cæteris inde profectis.

[d] Codd. collect. 5 utroque loco delent *sibi.* Post pauca *unum in Deum* duo Vat. collect. 21 et prima editio.

[e] Cod. Vat. Hisp. 1341, originis Gallicanæ, et Vat. 630, Isid. cum Vat. 3791 collect. 11, et alii ejusmodi, qui hanc epistolam e mss. Isid. ac Hisp. Gallicanæ originis derivarunt, habent *S. Sabini episcopi* pro *S. Basilii episcopi Cappadocis.* In ms. Vat. 543 collect. 21 utrumque legitur: *S. Basilii Cappadoceni Sabini episcopi.* Id fuisse inductum ab eo studioso amanuensi qui, collectionem Hispanicam originis Gallicanæ scribens, aliquot loca ex arbitrio correxit (vid. præfat. § 10) patet ex vetustissimo exemplo Vindebonensi 41 ejusdem collectionis puræ Hispanicæ, in quo sicut et in cæteris antiquis codicibus atque collectionibus non *Sabini*, sed *S. Basilii* nomen præfertur.

[f] *Ut nulli* in Vat. collect. 21 et prima editione.

[g] Apud Quesn. in c. 41 collect. 5 e cod. Oxon. additur: *Si Deum putet, crucifixum contemplatur.* At hæc omittuntur tum in omnibus nostris et Quesnelli codd. Leoninis, tum in ipso codice Vindebonensi collect. 5 utroque loco, nec non in Thuaneo ejusdem Quesnelli, qui Oxoniensi multum præstat.

[h] Codd. Vat. Hisp. et Isid. atque alius collect. 11, *nimio.* Dein iidem codd. cum Vindeb. Hisp. collect. 3, Vindeb. collect. 5 utroque loco, et Vat. collect. 24 delent *humanitus.*

[i] Orat. 2 de recta Fide ad reginas, c. 9.

[j] Solus Vindeb. Hisp., *natus est.* Mox idem cod. et Vat. Hisp. Isid., aliusque collect. 11 delent *Deus.* Paulo post Vindeb. collect. 5 utroque loco, *in terrenis apparuit.*

[k] Vulg. cum mss. collect. 24, *in Divinitate mansit, in qua erat, est, et erit.* Correximus ex codd. collect. 3, 5, utroque loco, ambobus Hisp. Vat., Isid., et aliis ejusdem originis, ut legitur etiam in exemplo primæ editionis apud Marium Mercatorem, et, quod potissimum est, in originali Græco.

[l] Vat. Hisp. Isid. et alius collect. 11, *inter se esse servantes.* Vindebon. collect. 5, cap. 41, *inter se reservantes.* Melius in Vat. collect. 3 et in exemplo primæ editionis, *inter sese servantes.*

[m] Vulg. ante Quesn. cum mss. collect. 24, *Dicitur namque tamquam.* Quesnellus omisit *tamquam*, quod adjecimus ex utriusque Hisp. ex Vat. Isid. aliisque D inde profectis, ac ex Græco contextu. Post pauca Quesnellus addidit *aut commutationem;* quas voces iidem nostri codd. ac prima editio exhibent.

[n] Solus Quesn., *in eo.* Post pauca pro *natura* editi antiquiores cum solo Vat. collect. 24, *persona*, male.

[o] Sic cum editis mss. collect. 24. Utrique codd. Hisp. cum aliis inde profectis, *in confessione* (perperam pro *inconfusione*), *ut ante dixeram, inhabitasse ait*, etc. Ex Græco originali inserto act. 2 Chalced., *ut confusionem excluderet, vigilanter ait, inhabitasse Verbum in nobis.*

Digitized by Google

sione, ut ante dixi, servata inhabitasse ait Verbum in nobis. Scit enim unum esse Filium unigenitum, carnem factum et hominem.

Item cujus supra ad Nestorium.

Ajt igitur sancta et magna synodus, ipsum, qui est ex Deo Patre natus naturaliter, Filium unigenitum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem et cum quo omnia fecerit Pater, hunc descendisse, incarnatum esse, et hominem factum, passum esse, resurrexisse tertia die, et ascendisse rursus in cœlos. Hæc nos sequi verba debemus; his nos convenit obtemperare dogmatibus : considerantes quid sit incarnatum **1398** esse, et hominem factum Dei Verbum. Non enim dicimus quod Dei natura conversa, vel immutata, facta sit caro; nec quod in totum hominem, qui est ex anima et corpore, transformata sit; sed illud magis, quod carnem animatam anima rationali sibi copulaverit Verbum substantialiter, [a] et incomprehensibiliter et ineffabiliter factus sit homo, et nuncupatus sit etiam filius hominis, non nuda tantummodo voluntate, sed nec assumptione sola personæ, sed quod diversæ quidem naturæ in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Christus et Filius non evacuata aut sublata diversitate naturarum per conjunctionem, sed quia simul nobis effecerunt unum Dominum, et Christum, et Filium, id est, Divinitas et humanitas, per arcanam illam ineffabilemque [b] copulationem ad unitatem. Itaque is qui ante sæcula omnia est natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus. Non quia divina ipsius natura de sacra Virgine sumpsit exordium, nec quod propter seipsam opus habuit secundo nasci post illam nativitatem, quam habebat ex Patre (est enim ineptum et stultum hoc dicere, quod is qui ante omnia sæcula est consempiternus Patri, secundæ generationis eguerit, ut esse inciperet), sed quia propter nos et propter nostram salutem naturam sibi copulavit humanam, et processit ex muliere, idcirco dicitur natus esse carnaliter. Neque enim [c] prius natus est homo communis de sancta Virgine, et tunc demum habitavit in eo Verbum; sed in ipsa vulva uteroque virginali, se cum carne conjunxit, et sustinuit generationem carnalem, carnis suæ nativitatem, faciens suam. Sic illum dicimus et passum esse et resurrexisse, non quia Deus Verbum in sua natura passus sit aut plagas, aut clavorum transfixiones, aut alia vulnera [d] (Deus namque incorporalis extra passionem est), sed quia corpus illud, **1399** quod ipsius proprium factum est, passum est, ideo hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat. Simili modo et mortem ipsius intelligimus. Immortale enim et incorruptibile est naturaliter, et vita, et vivificans Dei Verbum. Sed quia corpus ipsius proprium, *gratia Dei*, juxta Pauli vocem, *pro omnibus mortem gustavit* (*Hebr.* II, 9), idcirco ipse dicitur mortem passus esse pro nobis. Non quod [e] ipse mortem esset expertus, quantum ad ipsius naturam pertinet; insania est enim hoc vel sentire, vel dicere : sed quod, ut supra diximus, caro ipsius mortem gustavit. Ita et resurgente carne, ipsius rursus resurrectionem dicimus; non quia in corruptionem ceciderit, absit; sed quia ejus resurrexit corpus. Ita Christum unum et Dominum confitemur, non tamquam hominem cum Verbo coadorantes, ne divisionis quædam species inducatur; sed unum jam et eumdem adorantes : quia non est alienum a Verbo corpus suum, cum quo [f] ipsi etiam assidet Patri. Nec hoc ita dicimus, quasi duobus filiis assidentibus, sed uno cum carne per unitatem : quia si talem copulationem factam per substantiam, aut quasi impossibilem, aut quasi parum decoram noluerimus accipere, in id incidimus, ut duos **1400** filios esse dicamus : [g] necesse est enim discernere et dicere hominem separatim fuisse sola Filii appellatione honoratum, et rursum Verbum, quod est ex Deo, et nomine, et veritate Filium Dei. Sed discernere in duos filios non debemus unum Dominum Jesum Christum. Neque enim id adjuvat rectam fidei rationem, licet nonnulli nescio quam

[a] Addidimus *et incomprehensibiliter* ex ms. Corb. collect. 2 a Quesnello laudato in margine, et nostro Vat. collect. 8. Eodem refertur Vindeb. collect. 5 utroque loco, ubi *et indeprehensibiliter*; et alia antiqua versio Ephesino concilio inserta, ubi *et inintelligibiliter* legitur. Vulg. cum codicibus collect. 3 aliisque ex Hispanica profectis perperam, *et inreprehensibiliter*, quod a Quesnello non intellectum expunctum fuit; at in editione collect. 5, c. 41, *indeprehensibiliter* posuit. Mox Vindeb. collect. 5 delet *etiam*.

[b] Vulg. Leonis ante Quesn. cum Vat. collect. 24, *copulationis adunationem*. Vat. collect. 8, *copulationem adunatam*; in quo sicut et in Vat. collect. 3 post pauca habetur *creditur* pro *dicitur*. Dein post vocem *procreatus* vulgati addunt *in tempore*; expunximus cum potioribus codicibus et Græco textu.

[c] Al., *primum*, vel *primitus*. Dein *secum carnem conjunxit* in Vat. collect. 3.

[d] Vulg. addunt *susceperit*. Delevimus cum mss. collect. 3 et 5 utroque loco, cum Vindeb. Hisp. atque Vat. collect. 24. Cæteræ etiam versiones et Græcus textus idem verbum ignorant.

[e] Editi, *in se*. Præstantiorum codd. collect. 3 et 5 utroque loco lectionem secuti sumus, concinentibus vetere interpretatione Ephesina, et præsertim originali Græco. Postea, *vera caro ipsius* in mss. collect. 5. Aliquanto post codd. Vindebon. collect. 5, c. 41, utrique Hisp. Isid. et Vat. collect. 24, *ceciderat*. Mox vulg. ante Quesn. cum mss. collect. 24, *quod absit*.

[f] Vindeb. collect. 5 hoc loco, *ipse*. Dein pro *impossibilem*, Vat. Hisp. et Isid., *impassibilem*, male. Hinc forte emendatum in Vat. collect. 24, *passibilem*, quod transivit in vulgata ante Quesn., in quibus mox *voluerimus* pro *noluerimus* cum Vat. Hisp. et Isid. Dein *incidemus* in iisdem Vat. Hisp., Isid. et alio collect. 11.

[g] Solus Vindeb. collect. 5, c. 41, *nec enim debemus discernere*; at cap. 67, *nec enim discernere*. Thuan. Quesnelli ejusdem collectionis c. 41, *nec enim discernere fas est*. Retinuimus vulgatam lectionem aliis codd. probatam, ac ipsi originali Græco cohærentem; cum id velut consequens ex doctrina Nestorii Cyrillus tradiderit.

Digitized by Google

perhibeant [a] copulationem personarum. Non dixit enim Scriptura Verbum Dei personam hominis sibi assumpsisse, sed carnem factum esse (*Joan.* I, 14). Id autem est ostendere Dei Verbum, similiter ac nos [b] participationem habuisse carnis et sanguinis, et corpus nostrum proprie suum fecisse, et hominem ex muliere processisse, non abjecta, nec deposita Deitate, aut generatione illa, quam habebat ex Patre; sed mansisse etiam in assumptione carnis Deum, A quod erat. Hoc ubique rectæ fidei ratio protestatur. In tali sensu sanctos Patres fuisse comperimus. Ideo illi non dubitaverunt sanctam Virginem dicere Θεοτόκον, non quod Verbi natura, Deitasque [c] in sancta Virgine sumpsit exordium, sed quod ex ea natum sit sacrum illud corpus animatum anima rationali, cui substantialiter adunatum Dei Verbum carnaliter natum esse dicitur [d].

[a] In Vindeb. Hisp. omittitur *copulationem*. Emendatum fuit ex arbitrio in Vat. Hisp. et Isid., *personarum distinctionem;* in Vat. collect. 24, *divisionem personarum*.

[b] Codd. Vat. collect. 3, Vindeb. Hisp. et alius Vindeb. collect. 5, *utroque loco participatum*. Vat. Hisp. et Isid., *participium*.

[c] Cum in Vindeb. Hisp. alioque simili deesset *in*, Vat. Hisp. et Isid. aliique inde profecti supplevere runt *de*.

[d] In mss. collect. 3 et 8, duo alia testimonia adduntur, quæ ad Leonis causam non pertinent, nec Leonem habent auctorem. Sunt autem sequentia : *Item fides S. Hilarii. Nos enim insistentes Patrum vestigiis, ut Scripturarum vocibus eruditi, docemus et prædicamus in Ecclesiis et confitemur Trinitatem increatam, æternam, unius esse substantiæ in tribus substantiis* (lege, *subsistentiis*) *et in una Deitate adorantes. Item fides S. Augustini. Credimus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Hæc æterna et incommutabilia, id est unus Deus, una substantia, et Trinitas æterna. Deus ex quo omnia, per quem omnia, in* B *quo omnia. Scimus enim principium ejus, ex quo sunt omnia, et imaginem ejus, per quem formantur omnia, et sanctitatem ejus, in quo ordinantur omnia.* Tandem hæc clausula subditur : *Explicuerunt testimonia de libris sanctorum Patrum decerpta, quæ ostendunt Christum geminæ substantiæ gignitum esse* (pro quo in mss. collect. 3 erronee *gigantem esse*) *id est et Deitatis, et humanitatis veras perfectasque naturas unam Christi esse personam.*

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. Inscriptio ipsius epistolæ non exiguam difficultatem facessit. Hanc in mss. novem collectionum invenimus, nimirum in Hispanica, Isidoriana, 11, 12 et 20 usque ad 24, ac in exemplari Sichardi. Porro inscriptio in ejusmodi codicibus et in episcopi, et in episcopalis sedis nomine variat. Nam exemplaria Vat. Hisp. et Isid. cum mss. collect. 12, 20, 21, 22 et 23, *Leonem Ravennatem*, vel *Ravennensem*, aut *Ravennatensem* episcopum præferunt. Codices vero collect. 11 et 24 cum exemplaribus Merlini atque Sichardi, *Neonem*, *Neonium*, vel *Neoniam*, itidem *Ravennatem* exhibent. Tres codices a Quesnello allegati not. 1, in quibus *Neonæ*, vel *Neoniæ* legitur, ad collectionem 24 pertinere cognovimus. Isidori autem editio ab eodem laudata Merlini exemplum innuit, quod in hac epistola, ut et in nonnullis aliis, accedit ad lectiones collectionis 24. Cum porro codices hactenus cogniti istis essent similes, qui in Ravennati sede conveniunt, de solo nomine episcopi dubitari potuit. Nos vero duos Vindebonenses vetustos libros invenimus, in quibus *Leonis* quidem nomen retinetur, at episcopalis sedes maxime discrepat. Nam exemplum Vindebonense, quod puriorem Hispanicam collectionem continere alibi diximus, *ad Leonem Arbonensem* in titulo prodit, et in inscriptione, *Leo Leoni episcopo Arbonensi salutem*. Aliud vero exemplum Vindebon. collect. 5 signatum num. 42, cui aliquot epistolæ insertæ fuerunt ex collectione Hispanica, hunc titulum suggerit : *Ad Leonem Narbonensem episcopum*.

2. Ut autem in tanta varietate codicum et collectionum facilior solutio sit, animadvertimus duplicem esse fontem unde hæc epistola sumpta fuit, nimirum collectionem Hispanicam, ex qua hanc epistolam derivarunt auctores collect. Isid. 12, 20, 21, 22 et 23, et exemplum aliud, ex quo eamdem sumpsere auctor collect. 24, Merlinus atque Sichardus. Variantes enim quas relegentes ipsam epistolam in iisdem mss. invenimus, hanc duplicem originem ostenderunt. Cum vero quoad episcopalis sedis nomen plures codices prioris originis signantes *Ravennatem* conveniant cum omnibus mss. alterius fontis, de Ravennatensi sede dubitandum non est. Id autem vel maxime ex eo confirmatur, quod codices duo Vindebonenses, qui dissentiunt, aperto errore laborant. Nam *Arbonensis* episcopatus, qui in ms. Vindeb. Hisp. legitur, ignotus est; *Narbonensis* vero per hoc tempus non a Leone tenebatur, sed a Rustico, ad quem aliam posteriorem epistolam datam videbimus. Neque moveat quod primus codex Vindebon. puriorem Hispanicam complectatur. Nam licet eatenus sit purior, quod emendationes in Gallicanos codices inductas non recepit, mendosissimus tamen est, mendumque satis prodit in eadem inscriptione episcopatus *Arbonensis*, quem nemo inveniet. Hoc autem mendum evidentius demonstrant antiquiores et emendatiores codices Hispanici, quos adhibuit auctor Breviarii canonum Ecclesiæ Hispanæ a cardinali de Aguirre editi, cujus Breviarii exemplar manuscriptum reperimus inter Vaticanos codices num. 4887. Hoc enim opus exeunte sæculo VII scriptum, ut probavit etiam P. Constantius in præfat. ad epist. Rom. pontif. num. 150, Breviarium est collectionis Hispanicæ, quod auctor Hispanus ex Hispanicis utique codicibus sumpsit. In eo autem lib. IV, tit. 30 et 35, duo tituli referuntur ex sequenti epistola, quæ his verbis utroque loco citatur : *Epistola Leonis ad Leonem Ravennensem tit.* 1 vel 2, *a cap.* 73, quo quidem capite in collectione Hispanica sequens epistola describitur. Igitur de *Ravennatis* sedis nomine, in quo puriores et vetustiores codices Hispanici aliique inde profecti cum aliis mss. ex alio fonte deductis conveniunt, ambigi nequit.

3. Cum porro de episcopatu Ravennate constet, Neonis nomen amplectendum Ravennates catalogi demonstrant; neque enim inter episcopos hujus sedis per hoc tempus invenitur ullus Leo. Hæc autem in re vetusti catalogi episcoporum Ecclesiæ Ravennatis difficultatem afferent : vetusti, inquam, qui apud Agnellum a Bacchinio primum editum legi possunt; nam recentiores apud Rubeum et Ughellum etsi in re præsenti non obsint, antiquum tamen ordinem deseruere ex arbitrio, ut cum quibusdam præjudiciis nonnulla posterius detecta monumenta conciliarentur. In antiquis autem illis catalogis nullus quidem Leo hujus ævi episcopus reperitur; at Neo præcessor fit S. Petro Chrysologo, cum ex hac epistola posterior esse deberet. Ut autem hæc difficultas tollatur, duo in his catalogis distinguenda sunt, ordo episcoporum, et tempus ac gesta quæ iisdem tribuuntur. Ordo catalogorum veterum, quoad priorum sæculorum episcopos cum deriva-

Digitized by Google

tus fuerit ex antiquissimis diptychis quæ in quibusque Ecclesiis jamdiu custodita fuere, nisi quid omnino evidens cogat, retinendus est. Tempus autem et gesta singulis episcopis ascripta, cum ex diptychis, in quibus sola episcoporum nomina describebantur, sumi nequiverint, ex auctorum medii ævi arbitrio, vel etiam ex vulgatis quibusdam præjudiciis pendent, quæ in rebus antiquis minimi habenda sunt. Hinc plures fabellæ ejusmodi catalogis inveniuntur nonnumquam insertæ, quæ eruditorum calculis reprobantur; et alia incerta vel contradictoria identidem deteguntur, cum certiora antiqua monumenta in lucem prodeunt. Id cum exploratum sit in catalogis aliarum Ecclesiarum, tum præsertim in Ravennatibus evidentissimum probavimus lib. II Observationum in sacra cardinalis Norisii opera cap. 7, num. 3, tom. IV, pag. 915, ubi etiam ostendimus pugnantibus episcoporum ordine, et rebus ac tempore episcopis tributis, satius esse de errore in rebus ac tempore perperam ascriptis, quam in episcoporum ordine suspicari.

4. Ordo episcoporum Ravennatum hujus ævi in Agnello et reliquis antiquis Ecclesiæ Ravennatis scriptoribus hic est : Ursus, Petrus, Neo, Exuperantius, Joannes, Petrus. Cum autem Joanni tribuant privilegium Valentiniani III, secundo Petro hujus successori ascribunt quæ de S. Petro Chrysologo certa sunt. His vero obstant tria monumenta posterius edita: primum epistola Leonis ad Neonem, quæ episcopo Petri Chrysologi successori congruit; secundum epistola Simplicii papæ ad Joannem episcopum Ravennatem, qui post Petrum et Neonem eam sedem obtinuit; tertium synodi Romanæ sub Symmacho, in quibus alius Petrus Ravennas subscriptus invenitur. Hæc animadvertens P. Bacchinius, ut triplicem nodum solveret, ad duo confugit. Primo suspicatus est Leonis epistolam non ad Neonem Ravennatem missam, sed ad Ravennium Arelatensem, cui aliæ ejusdem pontificis epistolæ per hoc tempus datæ fuerunt; cum de Galliis vastatis ab Attila constet, et de captivis inde deductis, qui ad patriam rediere, ut in hac epistola traditur. Dein ut duobus aliis monumentis satisfaceret, duos episcopos laudatis catalogis adjiciendos credidit, nimirum alterum Joannem, qui sub Simplicio, et tertium Petrum, qui sub Symmacho vixerit; ac si Agnellus et alii veterum catalogorum scriptores in Joanne Angellopte et Petro secundo duos Joannes et duos Petros confuderint. Hæc omnino arbitraria inducat oportet, qui de rebus ac temporibus perperam attributis non suspicatur.

5. Ravennium quidem Arelatensem inscriptioni epistolæ Leonis subjicere, contra omnium codicum fidem pugnat. Non solæ Galliæ vastatæ fuerunt ab Attila, sed is in ipsa Italia ad Padum usque pervenit, ultra quod flumen Ravennatis provincia, et pars etiam diœceseos extendebatur. Quid quod hæc epistola ex contextu encyclica videtur ad plures, ut ne peculiaris ratio pro Ravennate requirenda sit? Additio porro duorum episcoporum Joannis et Petri probabilis esset, si nulla alia ratio suppeteret conciliandi omnia. Quando autem in catalogis error aliquis certus est, et sola emendatione rerum ac temporum, quæ ex auctorum arbitrio ascititia aut præjudiciis constituta sunt, sanari potest, non est deserendus aut additionibus perturbandus episcoporum ordo, qui ex antiquissimis diptychis originem duxit. Hac regula satis evidenti, quæ in aliis aliarum Ecclesiarum catalogis perutilis invenietur, deteges in re præsenti totam difficultatem et confusionem a catalogis inductam ex eo proficisci, quod ex duobus Petris Ravennatibus ascripta fuerint secundo, quæ primo adjudicanda fuerant; ita enim anteriorem ætatem Neoni et cæteris tribuerunt. Hic autem error si corrigatur, et primus Petrus, non autem secundus credatur S. Petrus Chrysologus, statim omnia sanata optime congruere invenientur. Ille enim is erit qui celebres ad Eutychem litteras dedit. Huic deinde successit Neo, ad quem S. Pontifex sequentem epistolam scripsit. Dein post Exuperantium Neonis successorem Joannes sub Simplicio, et tandem alius Petrus sub Symmacho optime sequuntur. Si Agnellus et auctores catalogorum veterum hæc monumenta vidissent, nihil dubitamus quin ordine episcoporum custodito, eadem monumenta similiter conciliassent, ut Rubeus et Ughellus fecere; sicque vera Neonis ætas ex iisdem confirmaretur. Ignoratio vero monumentorum, quæ tunc obtinebat, certæ codicum fidei, qui hanc epistolam Neoni Ravennati inscribunt, præjudicare nequit.

1405 EPISTOLA [a] CLXVI.

AD NEONEM RAVENNATEM EPISCOPUM.

De his qui de captivitate redeuntes, incertum habent utrum ante captivitatem baptisma consecuti sint.

SYNOPSIS (Ex collectione Hispanica). — I. *De parvulis qui in captivitatem devenerunt, et baptismi gratiam non reminiscuntur.* — II. *Ut ab hæreticis baptizatus, per manus impositionem accipiat Spiritum sanctum.*

LEO episcopus NEONI episcopo Ravennati salutem.

Frequenter quidem in diversarum [b] ambiguo quæstionum titubantia fratrum corda, Spiritu Dei [c] instruente, solidavimus, responsionis formam, vel ex sanctarum Scripturarum disciplinis, vel ex Patrum **1406** regulis colligentes; sed [d] nuper in synodo novum et inauditum antea genus consultationis exortum est.

Nam quorumdam fratrum suggestione comperimus, aliquos captivorum ad sedes suas [e] libere redeuntes, qui scilicet in captivitatem illa ætate devenerint, quæ nullius rei [f] firmam potuerat habere notitiam, remedium quidem implorare baptismatis; sed utrum [g] ejusdem mysterium baptismatis ac sacramenta perceperint, infantiæ inscientia non posse reminisci, et ideo sub hoc [h] latentis recordationis

[a] Alias 135. Scripta 24 Octob. an. 458.

[b] Vat. Hisp. et Isid. cum mss. collect. 11 et 21, et cæteris ejusdem originis, *ambiguis*.

[c] Utrique Hisp. et Vat. Isid., *instruentes*. Exemplum Sichardi, *instituente*.

[d] Ita Vulg. cum mss. collect. 24 et exemplis Merlini ac Sichardi. Vindeb. Hisp., *nunc per in synodoum*, quam corruptam lectionem emendavit auctor mss. Hisp. originis Gallicanæ sic : *Nunc periculosum novum*, quæ arbitraria et falsa emendatio legitur in Vat. Hisp., Isid. et aliis codd. collectionum, 11, 21, etc., inde profectis, ad quos duo illi a Quesnello allegati in margine referendi sunt.

[e] Vulg. ante Quesn. cum mss. collect. 24 et Merlino ac Sichardo, *libertatemque redeuntes*; et mox, *perve-*

B *nerint*.

[f] Hanc lectionem ex mss. collect. 24 prætulimus; nam et Vindeb. Hisp. huc accedit mendose præferens, *forma poterit*. Vulg. ante Quesn. cum Merlino, *firmam poterat*. Quesnellus vero *ferme poterat* cum nostris codd. Vat. Hisp., Isid. aliisque ejusdem originis; qui codices mox *implorant* pro *implorare*.

[g] Ita cum Quesnello tres ipsius codd. ac plures nostri collect. Vat. Hisp., Isid. aliique collect. 11, 21 et 24. Cæteræ editiones, *ejusdem mysterii ante sacramenta perceperint*; cui lectioni, quæ inserit *ante*, favere videtur corrupta lectio Vindeb. Hisp., *ejusdem is ter be antes ac sacramenta*. Sichardus, *ejusdem remedii ante sacramenta*.

[h] Retinuimus vulgatam lectionem, quam nonnulli

Digitized by Google

incerto animas vestras in discrimen adduci, dum sub specie cautionis negatur hic gratia quæ ideo non impenditur quia putatur impensa. Cum itaque tribuere talibus Dominici sacramenta mysterii, non immerito quorumdam fratrum formido dubitaret, in synodali, ut diximus, cœtu forsitan hujuscemodi consultationis accepimus, quam diligentius discutientes, pro uniuscujusque sensu sollicita voluimus ratione tractari, quo ad veritatem, adhibita cognitione multorum, certius pervenire possemus. Eadem ergo, quæ in sensum nostrum divina inspiratione venerunt, frequens etiam fratrum firmavit assensio. In primis itaque providere [1407] debemus, ne dum speciem quamdam cautionis tenemus, damnemus regenerandarum incitamus animarum. Quis enim ita sit suspicionibus suis deditus, ut verum esse definiat quod, omni manifestatione cessante, ex opinione ambigua suspicatur? Cum itaque baptizatum se nec fuisse recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec aliter attestari de eo possit, qui nescit consecratum, nihil est in quo peccatum possit obrepere, cum in hac parte conscientiæ suæ nec ille reus sit qui consecratur, nec ille qui consecrat. Scimus quidem inexpiabile esse facinus, quoties a fide recti sermonis damnata a sanctis Patribus instituta cogitur

A aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tribuitur, bis subire, apostolica reclamante doctrina, quæ nobis unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismate sacramentum (*Ephes.* IV, 5). Sed in hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod factum esse omnino nescitur. Atque ideo quoties persona talis [1408] incidit, sollicita primum examinatione discutitur, et longo tempore, nisi forte supremus finis imminet, indagatur utrum nemo sit penitus qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis. Et cum constiterit hunc qui baptismatis indiget sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium. Nec veremur huic salutis januam aperire, quam nunquam ante docetur ingressus.

B

C

Cap. II. — Quod si ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, ergo bono nullatenus sacramentum regenerationis iteretur; sed hoc tantum quod ibi defuit conferatur, ut per [m] episcopalem manus impositionem virtutem sancti Spiritus consequatur. Quam rem, frater charissime, ideo generaliter ad omnium [n] vestrum volumus pervenire notitiam, ne dum plus justo metuitur, misericordia Dei salvari

D

---

codd. profani; pro qua alii exigua et minus congrua variatione habent *latentes* vel *latenter*. Quesnellus ex conjectura correxit *jacentes*.

[a] Ita cum vulg. antiqui plerique codd. Quesn. cum Vat. Hisp., *titubaret*.

[b] Idem Vulg. cum Vat. collect. 24, ac exemplo Sichardi, *discuti, et pro uniuscujusque*.

[c] Vindeb. Hisp., *ad cognitionem*, male. Emendatum in Vat. Hisp. ac Isid., *ab cognitionem*. Cod. Vatic. collect. 24 et Sichardus, *adhibita cogitatione*. Deinde *possimus* in utrisque Hisp. et Vat. Isid.

[d] Vat. Hisp. et Isid. cum Vat. collect. 11 ac 21, *de somnis mihi divina inspiratione*, etc.

[e] Utique codd. Hisp. et Vat. Isid., *causationis*, minus recte, nam paulo ante præmiserat, *dum sub specie cautionis*. Mox pro *regenerandorum* duo codd. Quespelli, *regendarum*. Dein *suspicionibus* in Vindeb. Hisp.

[f] Utique Hisp. et Vat. Isid., aliisque collect. 11, *Domini manifestatione*. Dein pro *suspicatur* tres codd., *est suspicatus*.

[g] De Consecr. dist. 4. *Cum itaque baptismi*, c. 112.

[h] Quesnellus cum duobus suis mss. nec non cum Ivone et Gratiano: *Cum itaque baptismi sui nihil recordetur*, ubi *baptismatum* pro *baptismatis*, et *se nihil*, pro *se nec ille* per errorem scriptum fuit. Hunc autem errorem auctor exemplarium collectionis Hispanicæ originis Gallicanæ ex ingenio emendavit, uti Quesnellus edidit ex codicibus qui ex Hispanica Gallicanæ originis prodeunt, cujusmodi sunt etiam nostri Vat. Hisp., Isid. et Vat. collect. 11 et 21. Sequentia etiam *nec alter* congruentius exigunt *nec ille*, quam *nihil*.

[i] Vulg. ante Quesn. cum exemplis Merlini et Sichardi, *quod nesciat*. Quesnellus cum nostro Vat. Hisp., *qui scial*. Præstabilius lectionem Vindeb. Hisp. et Vat. collect. 11, 21 et 24; hunc enim sensum hic locus habet: *Nec alter, qui nesciat consecratum, attestari de eo possit*. Constantinus in Vindiciis veterum codd. confirmatis, cap. 12, pag. 415, antiquios libros sic exhibere tradit, *qui se nesciat consecratum*, ubi *qui* ad vocem *eo* revocanda esset. Sed sicut primum relativum *qui regenerationis*, etc., refertur ad vocem *ille*, ita secundum *qui* ad vocem *alter* æquius referendum esse; et idcirco lectionem pluribus codd. approbatam sequendam credidimus. Mox voces *nihil est* usque ad *qui consecratur* in Vindeb. Hisp. et Vat. collect. 11 omittuntur per saltum a voce *consecratum* ad *consecratur*; et nihilominus præferunt, *qui nesciat consecratum*.

[j] Ita Vulg. antiqui cum mss. collect. 24 Merlino et Sichardo. Error cod. Vindeb. Hisp. ad hanc lectionem accedit, ubi enim legitur, *juxta hæreticorum doctrina a sanctis Patribus instituta*, ubi *doctrina* pro *damnata* erronee scriptum fuit. Lectio vero quam recepit Quesnellus, *juxta hæreticorum dogma, contra sanctorum Patrum instituta*, inventa ab eodem in duobus codd. Thuan. et Cantabrig. a nobis pariter inventa est in Vat. Hisp., Isid. aliisque similibus, qui ex codice Hisp. Gallicanæ originis proficiscuntur, ubi arbitrarias emendationes obtinuisse pluribus exemplis vidimus. Hujus autem codicis scriptor cum errorem detexisset in voce *doctrina*, nec occurreret substituenda vox *damnata*, plures voces immutavit, et supra Codd. collect. 21 mendose, *juxta hæreticorum dogma a sanctis Patribus institutum*. Vide not. 2 et 3 Quesn.

[k] Quesnellus cum duobus suis mss. et totidem nostris, *sententia*. Anteriorum editionum lectionem potioribus et pluribus nostris codd. firmatam restituimus.

[l] Vide not. 4 Quesn.

[m] Sic antiquæ editiones cum utraque Hisp. et Vat. Isid. ac exemplis Merlini et Sichardi. Al., *episcopalis*. Vide not. 5 Quesn., cum qua confer annot. 25 (*Col.* 1158 n. 9) in epist. 159.

[n] Vocem *vestrum* a Quesnello expunctam revocavimus cum mss. Vat. collect. 24, Merlino ac Sichardo. Dein *metuitur* pariter restituimus ex iisdem mss., nec non ex Vat. Hisp., Isid. aliisque collect. 11. Quesnellus cum aliis codd., *metuimus*.

Digitized by Google

cupientibus denegetur. Data nono kalendas Novem- A bris, [a] consulatu Majoriani Augusti.

[a] Vulgati cum codd. collect. 24, Sichardo et Merlino et aliquibus mss. collect. 21, *consulatu Marciani Augusti*. Quesnellus, not. 1, errorem in hac consulatus notatione latere, et pro *Marciani* substituendum esse *Majoriani* optime sensit. At cum non juvarent codices, qui fere chronicam notam omittunt, epistolam quidem huic anno affixit, sed vulgatum *Marciani* consulatum retinens, notavit in postilla legendum *Majoriani*. Nos vero *Majoriani* consulatum inserere non dubitavimus, eo quod hic consulatus notetur in Vindebon. Hisp. sic : *Dat.* VIII *kal. Novemb. consulatu Majoriani Augusti*. In die signando antiqui librarii unitatem facilius omittere quam addere solent. Quod vero laudatus Quesnellus in notis num. 3 ait numquam ita a Leone positam esse consularem notam *consulatu*, sed vel *consule*, vel *consulibus* non omnino liquet : nam in epist. 159, ad Nicetam, eamdem formulam invenimus in codice Florentino S. Marci collect. 13, cumque in eadem epistola sigla *Cons.* præmittatur genitivo *Tariani* (legendum *Majoriani*) *Augusti* in cod. Vat. Dionysii, et similiter præmittatur in aliis Hadrianeis, pro *consulatu* manifeste accipienda est : ut enim *consulem* significaret, scribendum fuisset *Majoriano Augusto consule*.

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. Quesnellus rationibus judicio Tillemontii valde exilibus sequentem epistolam datam prodidit circa an. 442, 443 et 444. Cum Sirmondus atque Baluzius, nullo tamen allato documento, eamdem affixerint anno 452, Quesnellus conjecit hos ita sensisse, eo quod existimaverint in hac epistola, ubi sermo habetur de his qui ab hostibus in infantia capti fuerant, respici ad eam vastitatem quam Hunni in Galliis intulerunt an. 451. Hujus autem epistolæ locum non ad Hunnorum irruptionem referri contendit, sed ad Vandalorum persecutionem, qui Africa potiti sub Genserico, catholicos oppugnarunt; nam inquisit. 18, hæc præferuntur: *De his qui ex Africa vel de Mauritania venerunt, et nesciunt in qua secta sint baptizati*. Tum Vandalica persecutione descripta, quæ Christianis illata fuit in Africa post an. 439, hac occasione nonnullos in Gallias sese recepisse existimat, de quibus in eadem epistola sermo sit; et idcirco eam datam credit circa annos indicatos 442, 443 et 444, in quibus ea persecutio grassata est.

2. Sed primo evidens argumentum proferimus, quo hæc epistola ipso quoque anno 445 posterior demonstratur. Hermes, qui Rustici litteras ad Leonem attulit, in inscriptione Narbonensis Ecclesiæ a Quesnello in notis recusa *Diaconus* vocatur. Hanc autem inscriptionem idem Quesnellus Pagio astipulante ad an. 445, num. 24 et 25, adversus Baluzium optime interpretatur, et rectissime insculptam probat an. 445. Porro idem Hermes in exordio epistolæ Leonis ad Rusticum *Archidiaconus* dicitur. Hæc ergo epistola post eam inscriptionem seu post an. 445 exarata fuit, cum Hermes a diaconatu ad archidiaconatum provectus fuisset.

3. Dein licet Africana Vandalorum persecutio efferbuerit post an. 439, Mauritania tamen in Romanorum potestate perstitit usque ad Valentiniani mortem, quæ incidit in an. 455. Igitur si ii qui *de Mauritania* in Gallias *venerunt*, persecutionis causa, ut opinatur Quesnellus, transmisere, id post an. 455 statuendum esset.

4. Verum ad exsufflandam Quesnelli conjectationem, et ad statuendum verum tempus hujus epistolæ, alia apertiora et luculentiora ex ipsis Rustici Inquisitionibus suppetunt. Non solum enim inquisit. 18 *de his qui ex Africa vel de Mauritania venerunt* sermo est, sed etiam inquisit. 17 *de his qui parvuli ab hostibus capti sunt*, et postea *ad Romaniam venerint;* et inquisit. 19 *de his qui parvuli.... a gentilibus capti.... ad Romaniam adhuc juvenes venerint*. Esto casus inquisit. 18 ad illos spectet qui ex Africa in Gallias aliqua de causa tempore persecutionis Vandalicæ sese receperunt, non tamen eodem pertinere queunt casus inquisit. 17 et 19 : hic enim indicantur ii qui *parvuli* ab *hostibus*, iisque *gentilibus* capti, et extra Romanum imperium adducti, tandem adhuc *juvenes* in *Romaniam* seu in Romanum imperium redierant, ac ex his nonnulli in Narbonensem provinciam, quorum causa inquisitiones a Rustico propositæ fuerunt. Non ergo de Africanis persecutionis causa exsulibus vel profugis agitur, nec de Vandalis, qui non gentiles, sed Ariani erant. Hunnos itaque aliosque barbaros gentiles, easdemque Romanorum hostes intelligere oportet, qui postquam Gallias depopulati sunt, ex iisdem pueros captivos secum asportarunt. Celebris est autem illorum irruptio in Gallias et in ipsam Narbonensem provinciam, cujus meminit Hieronymus in epistola ad Ageruchiam an. 409. Si autem de parvulis hoc tempore captis fuisset quæstio, circa an. 442 haud scripsisset, ut videtur, Rusticus inquisit. 19, quod *ad Romaniam adhuc juvenes venerint*. Hunni pariter adversus Gothos pugnarunt in Galliis an. 437 et 439. Sed tum auxiliares fuerunt Romanorum, non hostes. De *gentilibus* autem *hostibus* Rusticus loquitur, et de captivis qui adhuc juvenes ex hostibus in Romaniam redierunt. Æquius igitur intelligitur Hunnorum irruptio in Gallias an. 451, cum non auxiliares, sed hostes adversus Aetium Romanorum ducem dimicarunt. Si vero de *parvulis* hoc bello captis inquisitiones Rustici accipiendæ credantur, ut congruum tempus relinquatur quo iidem parvuli a gentilibus capti juvenes in patriam remeaverint, hæc epistola affigi nequit an. 452.

5. Probabilius autem anno circiter 458 collocanda videtur. In primis enim in duabus epistolis anni 458, altera 159, ad Nicetam Aquileiensem cap. 6, altera 166, ad Neonem Ravennatem, cap. 1, mentio occurrit de Romanis ab infidelium captivitate ad sua redeuntibus, quorum alii dubium injecerant de baptismate, de idolothytis alii, æque ac legitur in epistola ad Rusticum Narbonensem. Cum porro omnes hæ epistolæ congruunt captivis qui sub Attila Hunnorum rege Italiam et Gallias vastante capti fuerant, tum vero non minus epistola ad Rusticum quam aliæ duæ, circa eumdem annum 458 scripta æquissime agnoscitur.

6. Dein in epistola ad Neonem, c. 1, Leo ait : *Nuper in synodo novum et inauditum antea genus consultationis exortum est. Nam quorumdam fratrum suggestione comperimus aliquos captivorum ad sedes suas libere redeuntes, qui scilicet in captivitatem illa ætate devenerint, quæ nullius rei ferme poterat habere notitiam, remedium quidem implorare baptismatis; sed utrum ejusdem mysterium baptismatis ac sacramenta perceperint, infantiæ inscientia non posse reminisci*. Hæc quæstio eadem est ac illa quam Rusticus Narbonensis proposuit. Quomodo autem Leo anno 458 in epist. 166, ad Neonem, hoc *novum et inauditum antea genus consultationis* potuisset affirmare, si eadem quæstio jamdiu a Rustico illi fuisset proposita? Quomodo in eadem epist. 166 addidisset longiorem in ea solvenda ac diligentiorem discussionem fuisse necessariam, si jamdiu in epistola ad Rusticum illam pari ratione solvisset? Perspici ur itaque prius Neonem, vel potius alium aliquem qui occasionem dedit tradendæ epistolæ ad Neonem, quam Rusticum de hac quæstione ad Leonem scripsisse; ac propterea hæc epistola ad Rusticum exarata cognoscitur post diem IX kal. Nov. an. 458, quo litteræ ad Neonem datæ fuerunt. Hanc igitur epistolam litteris ad Neonem subnectimus, eo quod posteriorem esse nihil ambigimus : ut ne tamen hæc eodem an. 458 scriptam affirmare velimus, cum scribi potuerit aliquanto

Digitized by Google

post. Non multo tamen post exarata dicenda est : siquidem Hermes, qui in hac epistola appellatur *Archidiaconus*, vivo adhuc Rustico Biterrensibus episcopus datus fuit, a quibus cum non fuerit receptus, Narbonam rediit, et hac de re idem Rusticus et Hermes litteras ad Leonem dedere, ut ex Hilari papæ epist. 8 colligere licet. His autem ut congruum tempus tribuatur, ante Leonis mortem, quæ contigit an. 461, Hermes ad Biterrensem cathedram promotus videtur sub. an. 460; hæc autem epistola, Hermete adhuc archidiacono Romæ agente, scripta serius dicenda est an. 459.

7. His autem de tempore hujus epistolæ præmissis manifestum fit quam sint inanes duæ Quesnelli conjecturæ, quibus cum animadverterit aliquot ex iis dubiis quæ proposuit Rusticus decisa fuisse in conciliis Arausicano I, Vasensi I, et Arelatensi II, alterutrum not. 1 colligit : *Scilicet vel Rusticum ad Leonem scripsisse, antequam eæ difficiles quæstiones in conciliis supradictis ventilarentur et enodarentur : supervacaneum enim videretur et præter consuetudinem Gallicanam, ut post soluta in pluribus comprovincialibus, aut majoribus etiam synodis dubia, alia de eisdem consultatio haberetur ; vel certe, si non præcessit has synodos Rustici epistola, non ab illarum ætate plurimum recedere putanda est ; sed forte Rusticus existimavit illarum statutis sibi standum non esse, tum quia in multis durior disciplina apparebat, tum quod inter ipsum et Hilarium Arelatensem episcopum, quo auctore ac præside conditi canones fuerant, aliquid suberat simultatis, propter summam hujus in Ecclesias Gallicanas auctoritatem, quæ Narbonensis metropolitæ et aliorum metropolitanorum episcoporum splendorem obscurabat.* Primum, nimirum Rusticum ante prædicta concilia ad Leonem scripsisse, quoad Arausicanum I et Vasense I ex præstituto hujus epistolæ tempore falsissimum agnoscitur. Concilium vero Arelatense II, quod omni chronologico charactere est expers. Rustici ævo habitum perperam creditur : collectionem enim canonum synodorum anteriorum præfert in rationem S. Cæsarii Arelatensis propriam; adeo ut hoc concilium a Cæsario celebratum recte probarit P. Sharaglia; quod confirmare possumus ex mss. collectionibus Gallicanis, quæ in Vaticana et Veronensi bibliothecis observavimus, ubi hæc synodus immediate præmittitur conciliis Agathensi et Arausicano II a Cæsario coactis ineunte sæculo VI. De ratione quam Quesnellus subjicit mox dicemus. Alterum vero quoad simultatem inter Rusticum et Hilarium, commentitium pariter liquet. Siquidem sub hujus epistolæ tempus quo Rusticus ad Leonem scripsit, nulla Rustico simultas esse poterat cum Hilario, qui jamdiu ante e vivis excesserat, cum præsertim ex Leonis decreto certi jam essent ecclesiasticarum provinciarum fines, et cujusque metropolitæ jura jam constituta pacifice servarentur. Vera igitur ratio, qua Rusticus ad Leonem de his quoque dubiis scripsit, quæ in Gallicanis synodis fuerunt definita, hæc fuit, ut apostolicæ sedis auctoritate certior definitio præberetur. Hinc vero etiam patet non alienum fuisse a consuetudine episcoporum Galliæ, post soluta in conciliis Gallicanis dubia, Romanam cathedram consulere, eo quod ex majorum traditione didicerint quantum præstet hujus auctoritas atque sententia, quantamque in rebus dubiis certitudinem pariat.

8. Ex constituto etiam hujus epistolæ tempore falsa deteguntur illa duo, quæ idem Quesnellus in confirmationem anni abs se asserti conferre posse existimavit. Primo enim intelligimus gesta quæ in episcoporum honoratorumque examine ob Sabinianum et Leonis presbyterorum causam confecta initio epistolæ memorantur, non pertinere ad synodum Arausicanam I an. 441, neque ad Vasensem I an. 442, quibus, ipso observante Quesnello, Rusticus eorum presbyterorum episcopus non interfuit, sed ad alium conventum, fortassis Narbonensem, habitum paulo ante hanc epistolam ad Rusticum, id est sub an. 458. Hinc Baluzius in nova Conciliorum collectione Narbonense concilium, in quo eorum presbyterorum causa cognita fuerit, jure astruxit, et solum perperam istud affixit anno 452. Dein cum hæc epistola ad Rusticum tam sero fuerit scripta, dejectio illa animi, qua idem episcopus scandalorum occasione turbatus, vacationem ab episcopatus laboribus se peroptare Leoni significavit, non in initia episcopatus, nec in juventutem, ut Quesnellus putavit, sed in senectutem ejus incidit, cum gravis annis morti appropinquaret.

9. Nunc de codicibus aliquid dicendum superest. Invenimus hanc epistolam in mss. decem et septem collectionum, nimirum 1, 3 et reliquis usque ad 15, nec non in 18 et 21 usque ad 24, ac præterea in peculiari vetustissimo ms. capituli Veronensis 58. Duobus autem modis hæc in ejusmodi collectionibus præfertur. In omnibus enim collectionibus posterioribus Dionysio ipsæ Rustici inquisitiones desiderantur. Dionysius scilicet, omissis inquisitionibus, ipsarum loco titulos epistolæ præfixit, quibus nonnumquam duas Leonis responsiones in unum minus apte copulavit, ut suo loco notabimus. Hos eosdem Dionysii titulos tantum nacti sumus in codicibus aliarum posteriorum collectionum Hispanicæ, Hadrianeæ, etc., quæ hanc epistolam e Dionysio recepisse noscuntur. Hos titulos nos cum Quesnello in præmissa synopsi exhibebimus. Inquisitiones vero, sine quibus plerumque Leonis responsa intelligi nequeunt, Sirmondus primus edidit. Eas nos in quatuor collectionibus mss. Dionysio antiquioribus reperimus, scilicet in cod. Vat. Reginæ collect. 1, in Vat. et Barber. collect. 3, in Lucensi collect. 4, in Vindebon. collect. 5, ac tandem in peculiari ms. Veron. 58. Ita præter codices posteriorum collectionum, quæ inquisitionibus carent, sex præstantissima diversæ originis exemplaria inquisitionibus prædita nobis præsto fuere, cum Quesnellus duo tantum unius collectionis 5 invenire potuerit.

1415 EPISTOLA [a] CLXVII.

AD RUSTICUM NARBONENSEM EPISCOPUM.

Subditis responsionibus ad ejusdem consulta [b] rescriptis.

Synopsis (Ex Dionysio Exiguo). — I. *Quod non habeantur episcopi quos nec clerus elegit, nec populus exquisivit, nec provinciales episcopi consecraverunt. Si qui tamen clerici ab his pseudoepiscopis ordinantur, rata potest [c] ordinatio talis existere.* — II. *Quod presbyteri aut diaconi, si in aliquo crimine [d] detecti fuerint, non possint per manus impositionem pœnitentiæ remedium consequi.* — III. *Quod diaconi, sicut episcopus et presbyter, cessare debeant ab opere conjugali, non tamen repudiare conjugia.* — IV. *Quod aliud sit uxor, aliud concubina ; nec erret quisquis filiam suam [e] in matrimonium tradiderit ei*

[a] Al. 2. Scripta an. 458 vel 459.

[b] In cod. Veron. 58 et Vat. Reg. collect. 1, pro *rescriptis* habetur *respondenti* ; in Lucensi collect. 4, *responditis* ; in Vindebon. collect. 5, *respondent*, forte legendum *respondentibus*. In tabula titulorum præfixa collectioni 5, cap. 72, sic legitur : *Cum subjectis* XIX *consultationum capitulis responsionibusque subnexis.*

[c] Ita codices. Quesnellus, *talis ordinatio haberi.*

[d] Ita mss. et Justellus in titulis collectioni præmissis. Quesnellus cum Justelliano titulo corpori canonum inserto, *prolapsi.*

[e] Retinuimus lectionem titulorum Dionysii, licet

Digitized by Google

qui habuit concubinam. — V. *Quod non sit conjugii duplicatio, quando uxella* [a] *rejecta, uxor assumitur.* — VI. [b] *De his qui communione privantur, et ita moriuntur.* — VII. *De his qui pœnitentiam agere differunt.* — VIII. *Quod oporteat eum qui pro illicitis* **1416** *veniam poscit, etiam* [c] *a licitis abstinere.* — IX. *Quod pœnitenti nulla negotiationis lucra exercere conveniat.* — X. *Quod ad militiam sæcularem post pœnitentiam redire non debeat.* — XI. *Quod adolescens, si urgente quocumque periculo, pœnitentiam gessit, et non se continet, uxoris possit remedio sustineri.* — XII. *Quod si quis propositum monachi deseruerit,* [d] *publicæ sit pœnitentiæ satisfactione purgandus.* — XIII. *Quod puellæ, quæ non coactæ, sed voluntate propria virginitatis propositum susceperunt, peccant, si nupserint, licet nondum fuerint consecratæ.* [e] — XIV. [f] *De his qui dubitant utrum baptizati sint, necesse est eos baptizari.* — XV. *Quod eos qui se baptizatos agnoscunt, sed in qua* [g] *professione nesciunt, per manus impositionem suscipi conveniat.* — XVI. [h] *De his qui convivia gentilium et escis immolatitiis usi sunt.*

Leo episcopus [i] Rustico Narbonensi episcopo.

Epistolas fraternitatis tuæ, quas [j] Hermes archidiaconus tuus detulit, libenter accepi, diversarumquidem causarum [k] connexione multiplices, sed non

A ita patientiæ legentis oneropas, ut aliquid earum inter concurrentes undique sollicitudines fuerit prætermissum. Unde totius sermonis tui allegatione [l] concepta, et gestis quæ in episcoporum honoratorumque examine confecta sunt, recensitis, [m] Sabiniano et Leoni presbyteris [n] actionis tuæ **1417** intelleximus fiduciam defuisse, nec eis justam supercesse quæstionem, qui se ab inchoatis disceptationibus sponte [o] subtraxerint. Circa quos quam formam quamve mensuram debeas tenere justitiæ, tuo reliquo moderamini; suadens tamen charitatis hortatu, ut sanandis ægris spiritalem adhibere debeas medicinam; et dicente Scriptura: *Noli esse nimium justus* (*Eccle.* VII, 17), mitius [p] agas cum eis qui pudicitiæ zelo videntur modum excessisse vindictæ; ne diabolus, qui decepit adulteros, de adulterii exsultet ultoribus.

B Miror autem dilectionem tuam in tantum scandalorum quacumque occasione nascentium adversus [q] turbari, ut vacationem ab episcopatus [r] laboribus præoptare te dicas, et malle in silentio atque otio vitam degere, quam in his quæ tibi commissa sunt per-

---

cohærentius textui Leonino Quesnellus cum Justelliano titulo corpori canonum inserto ediderit, *in matrimonium concubinam habenti tradiderit.*

[a] Alias, *relicta.*

[b] Sic codd. ex Dionysii titulis. Quesnellus cum Justelliano titulo corpori canonum inserto: *De communione privatis, et ita defunctis.*

[c] Ita Dionysius. Alias, *multis*, vel *a multis licitis.*

[d] Al., *publica sit satisfactione.*

[e] Mss. collect. Hispanicæ cum cæteris inde profectis et editis Leonis ante Quesnellum addunt alium titulum: *De his quæ jam consecratæ sunt si postea nupserint.* De hac additione plura dicentur annot. 76 C (*Infra, col.* 1207, *a.* k).

[f] Prætulimus titulum tabulæ Dionysianæ. Al., *De his de quibus dubium est utrum baptisma perceperint, necesse est ut renascantur.*

[g] Al., *fide*, vel *fidei professione;* et mox, *suscipiantur*, pro *suscipi conveniat.*

[h] Aliqui codd., *De baptizatis qui*, etc.

[i] Confer notam 1 Quesnelli cum nostra admonitione et cum observationibus eidem notæ subjiciendis.

[j] De hoc Hermete vide quæ indicavimus in admonit. num. 2 et 6, ac notam 2 Quesnelli. Mox, *tuus* deest in ms. Florentino collect. 13 et in editione Justelli.

[k] Cod. Vat. Hisp. cum aliis inde profectis, non tamen purior Vindebon. Hisp., addit *provinciarum.* Paulo post duo Vat., *intercurrente undique sollicitudine.* A

[l] Vulg. ante Quesn., *comperta*, quod fit ms. Vercellensi collectionis Hadrian. reperimus. De *gestis* quæ subindicantur, vide admonitionem num. 7.

[m] Vindebon. collect. 5 et quinque Vat. cum Merlino, *Saviniano.*

[n] Ita Quesnellus emendavit auctoritate quinque vetustissimorum codicum Grim., Barb. et trium Thuan., cum antea legeretur *actionis tuæ.* Hæc quidem postrema lectio congruentior videri potest, eo quod de actione judiciali sermo sit, quam non Rusticus, sed Sabinianus ac Leo presbyteri adversus quosdam adulteros pudicitiæ zelo intentarunt. Hanc Tillemontius etiam prætulit in notatiuncula ad Rustici Vitam, pag. 404, quoad satis æquus Quesnellianæ lectionis sensus non afferatur. Nos inter hæc observavimus vulgatam lectionem anteriorem Quesnello proficisci ex codd. collect. Hispaniçæ originis Gallicanæ, in quibus arbitrariæ emendationes locum habuerunt, ut alibi pluribus exemplis annotavimus. Invenitur enim hæc lectio in Vat. Hisp. ejus originis, in Vat. Isid. et in aliis ex eodem fonte profectis. At Quesnellianam lectionem uniformiter exhibent non solum mss. exemplaria vetustissimarum diversæ originis collectionum 1, 3, 4 et 5, nec non cod. Veron. 58, in quibus integra hæc epistola cum inquisitionibus continetur, verum etiam codices collect. Dionys. et Hadrian. cum Justelli exemplo, mss. Grim. collect. 18, Vat. collect. 24, et (quod notabilius est) codex Vindebon. purioris collectionis Hisp., ex quo arbitraria correctio in Gallicanos ejusdem collectionis codices inducta confirmari videtur. Hinc ergo Quesnellianam lectionem tanta auctoritate suffultam haud derepdam credidimus, licet quæ ei subsit sententia ex ignorantia facti et circumstantiarum lateat. Forte Rustico æque ac Sabiniano et Leoni privatim perspectum erat adulterii crimen: unde hi sperabant fore ut idem Rusticus, quamvis in episcoporum honoratorumque consessu judicis personam gereret, *actionem* quoque *suam* contra adulteros, seu favorem accusatoribus impenderet. Cum vero satis idoneæ probationes istis deessent, ita ut se ab inchoatis disceptationibus sponte subtraxerint, Rusticus ne dum ipsis favere non potuit, sed eosdem correctione dignos ex legibus censuit: in quo mitius ei agendum S. pontifex respondet.

[o] Ita reposuimus cum Sirmondo ex mss. collect. 4 et 5 Hisp. Isid., uno Vercell. et quinque aliis codicibus, inter quos antiquissimus Veron. 58. Tres mss. libri collect. Hadrianeæ, et unus Corb. Quesnelli cum Justello, *subtraxerunt.* Vat. Dionysii cum Merlino et editis Leonis ante Quesn., *subduxerint.* Quesn. cum quibusdam mss., *subduxerunt.* D

[p] Duo Vat. *Age*; et post pauca, *adulterorum* pro *adulterii.*

[q] Justellus cum uno Thuan. Quesnelli et cum Vat. Hisp. et Isid., *titubare.*

[r] Veronensis addit *tui.* Vide not. 4 Quesnelli. Paulo post pro *vitam degere* idem cod. Veron. habet, *vitam dirigere*, et post pauca pro *commissa sunt* habet *permissa sunt*, ut indicentur ea quæ inter difficultates de quibus Rusticus conquerebatur, eidem permissa erant.

Digitized by Google

manere. Dicente vero Domino : *Beatus qui perseveraverit usque in finem* (*Matth.* xxiv, 13), unde erit beata perseverantia, nisi de virtute patientiæ? Nam secundum apostolicam prædicationem, *omnes qui* [a] *voluerint in Christo pie vivere persecutionem patientur* (II *Tim.* iii, 12). Quæ non in eo tantum compilanda est, quod contra Christianam pietatem aut ferro aut ignibus [b] agitur, **1418** aut quibuscumque supplicis; cum persecutionum sævitiam suppleant et dissimilitudines morum, et contumaciæ inobedientium, et malignarum tela linguarum : quibus conflictationibus cum omnia semper membra pulsentur, et nulla piorum portio a tentatione sit libera, ita ut periculis nec ora careant, nec labores, quis inter fluctus maris gravis dirigel, si gubernator abscedat? Quis ab insidiis luporum oves custodiet, si [c] pastoris cura non vigilet (*Joan.* x, 12)? Quis denique latronibus obsistet et furibus, si speculatorem in prospectu explorationis locatum, ab intentione sollicitudinis amor quietis abducat? Permanendum ergo est in opere credito et in labore suscepto. Constanter tenenda est justitia, et benigne præstanda clementia. [d] Odio habeantur peccata, non homines. [e] Corripiantur tumidi, tolerentur infirmi; et quod in peccatis severius castigari necesse est, non sævientis plectatur animo, sed medentis. [f] Ac si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expavescamus, quasi illi adversitati propriis viribus resistendo, cum et consilium nostrum, et fortitudo sit Christus, ac sine quo nihil possumus, per **1419** ipsum cuncta possimus. Qui confirmans prædicatores Evangelii et sacramentorum ministros, *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Joan.* xv, 5). Et iterum : *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis* (*Matth.* xxviii, 20). *In hoc autem mundo tribulationem habebitis; sed bono animo estote, quia ego vici mundum* (*Joan.* xvi, 33). Quæ pollicitationes, quia sine dubio manifestæ sunt, nullis debemus scandalis infirmari, ne electiom Dei videantur ingrati, cujus tam potentia sunt adjutoria quam vera promissa.

De consultationibus autem dilectionis tuæ, quas separatim conscriptas archidiaconus [g] tuus detulit, quid sentiendum sit, inter præsentes opportunius quæreretur de singulis, si nobis tui conspectus copia proveniret. Nam cum quædam [h] interrogationes interdum diligentiæ videantur excedere, intelligo eas colloquiis aptiores esse quam scriptis. Quia [i] sicut quædam sunt quæ nulla possunt [m] ratione convelli, ita multa sunt quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari : illa semper conditione servata, ut in his quæ vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum invenialur [n] adversum.

[a] Utique codd. Hisp. cum Vat. Isid. et duobus aliis mss., *volunt*. Mox Vat. Hisp. et Isid., *patiantur*, idque ipsum alia manu scriptum legitur in Vindeb. collect. 5 cum prima mano scriptum esset, *patientur*. Merlinus cum editis ante Quesn., *Omnis qui voluerit*, et dein *patietur*.

[b] Quinque præstantissimi codd. Vat. Reg. collect. 1, Barb. collect. 3, Vindebon. collect. 5, Grim. collect. 18 et Veron. 58, *agitatur*. Post pauca *persecutionem sæculi suppleant* in eodem cod. Veronensi. Dein pro *inobedientium* cod. Vict. Quesnelli, et noster Veron., *inobedientia*.

[c] Vulg. ante Quesn. cum mss. Lucensi collect. 4 et Vat. collect. 24 addunt *Ecclesiæ*. Post pauca Justellus cum Vat. Dionysii, utrisque Hisp. Vat., Isid. aliisque non paucis mss. codd. et quatuor Thuanæis Quesnelli, *conflictatione* pro *a tentatione*. Cod. Vat. collect. 24 addit *hic* ante voces *a tentatione*.

[d] Vat. Dionysii et Justellus, *piorum*. Dein ex emendatioribus codicibus correximus *abducat* pro *abducit*.

[e] Dist. 86, *Odio habeantur*, c. 2.

[f] Mss. Vat. collect. 24, *nunc corripiantur tumidi, nunc tolerentur infirmi*. Unus cod. Vercell. per errorem utrobique habet *Nec* pro *Nunc*. Paulo post pro *in peccatis* codd. Barb. collect. 3 et Vindebon. collect. 5 habent *in peccantibus*. Utrumque deletur in Vat. Dionysii, in Veron. 58, et in Vat. Hisp. ac Isid., non tamen in pariori Vindebonensi Hisp.

[g] Editi, *At si*. Melior visa est lectio mss. Vat. Reg., Veronen. et utriusque Vindebon. collect. 5 et Hisp. Dein Quesnellus, *quasi ulli*. Id in duobus tantum codd. reperimus. Revocavimus autem lectionem ante Vulgatorum, quam cætera melioris notæ exemplaria tuentur. Vat. Hisp. et Isid. voces *ulli* et *illi* præterunt. Mox editi ante Quesn. habebant *cum uno*. Vat. collect. 24, *propriis sit viribus resistendum*. Hanc lectionem libenter inseruissemus textui, nisi illi omnes codices Quesnelli emendationem probarent.

[h] Editi Leonis ante Quesn. cum Merlino et Vat. collect. 24, *ut sine quo*. In Vindebon. Hisp., cum per errorem desideretur *ac*, vel saltem *at*, emendatum fuit in Vat. Hisp., et exinde in Isid. aliisque ejusdem originis codicibus, *sine quo nihil possumus, sed per ipsum cuncta possumus*. Justellus, servata lectione textus, habet *cuncta possumus*.

[i] Vulgati anteriores Quesnello cum Vat. collect. 24, *In mundo autem*. Mox pro *bono animo estote* ms. Vat. Dionysii cum Vat. Hisp. et Isid. aliisque nonnullis codd. habet *confidite*. Dein, *quia vici*, omisso pronomine *ego*, est in Vat. Hisp. ac Isid.

[j] In Vat. Dionysii desit tum. Dein voces *de singulis* a Quesnello insertas non tantum invenimus in posteriorum collectionum mss., verum etiam in antiquissimis Vat. Reg. collect. 1, Barb. collect. 3 et Vindebon. collect. 5. Desunt tamen in mss. Lucensi collect. 4, Veronensi 58, in Vat. Dionysii, in utrisque Hisp., in Vat. Isid. et in alio Vat. collect. 24. Mox *copiam præbuisset* pro *copia provenirel* in utrisque Hisp. et in Vat. Isid.

[k] Codd. Vat. Hisp., Isid. ac tres alii cum Justello, *interrogationis modum videantur excedere*. Vindebon. Hisp. cum Vat. Dionysii omittit tantum vocem *diligentiæ*.

[l] Dist. 11, *Sicut quædam*, c. 2.

[m] Codd. Grim. et Vat. collect. 24, *traditione*. Dein *pro necessitudine rerum*, erat in editis Leonis ante Quesn. In margine editionis Sirmondi *tempora* pro *rerum*, et *considerationc* pro *conditione*.

[n] Idem Sirmondus vocem *adversum* rejecit in marginem, in textu autem posuit *diversum*, quod nullibi invenimus.

1420 [a] *Incipiunt ad inquisitiones ejusdem episcopi subjecta responsa.*

INQUISITIO I. — [b] *De presbytero vel diacono qui se episcopos esse mentiti sunt; et de his quos ipsi clericos ordinarunt.*

RESPONSUM. — [c] Nulla ratio sinit ut inter episcopos habeantur qui [d] nec a clericis sunt electi, nec a plebibus sunt expetiti, nec a provincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati. Unde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod [e] non docetur fuisse collatum? [f] Si qui autem clerici ab [g] istis pseudoepiscopis in eis Ecclesiis ordinati sunt quæ ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum consensu et judicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis Ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est [h] creatio quæ nec loco fundata est nec [i] auctore munita.

1421 INQUIS. II. — *De presbytero vel diacono qui si, cognito crimine suo, pœnitentiam i publicam petat, utrum ei per manus impositionem danda sit?*

RESP. — [k] Alienum [l] est a consuetudine ecclesiastica ut qui in presbyterali honore aut in diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi: quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo* (*Levit.* v, *sec. LXX*)? Unde hujusmodi lapsis, ad promerendam misericordiam Dei, privata [m] est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

INQUIS. III. — *De his qui altario ministrant et conjuges habent, utrum eis licito misceantur?*

RESP. — [n] Lex continentiæ [o] eadem est ministris altaris quæ episcopis atque presbyteris, qui cum essent laici sive lectores, licito et uxores ducere et filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos [p] pervenerunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Unde, ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos [q] nec dimittere uxores, et quasi non habeant sic habere, quo et salva sit charitas [r] connubiorum, et cesset opera nuptiarum.

1422 INQUIS. IV. — *De presbytero vel diacono qui filium suam virginem illi viro [s] in conjugium dederit qui jam habebat conjunctam mulierem, ex qua etiam filios susceperat.*

RESP. — [t] Non omnis [u] mulier juncta viro uxor est viri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima et inter æquales; [v] multo prius hoc ipsum Domino constituente (*Gen.* II, 24) quam initium Romani juris existeret. Itaque aliud est uxor, aliud concubina; sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, ubi dicitur Abrahæ: *Ejice ancillam et filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ* [x] *cum filio meo Isaac* (*Galat.* IV, 30; *Gen.* XXI, 10). Unde [y] cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiæ [z] sacramentum

[a] Hunc titulum conservavit Dionysius, licet inquisitiones omiserit. In mss. collect. 5 idem titulus legitur, omisso tantum verbo *Incipiunt*. In codd. Barb. et Vat. collect. 3 ac in Veronensi 58 hæc epistola et inquisitiones cum responsis distincto numero describuntur. In Veronensi enim codice epistola præmissa ponitur num. 50; et inquisitiones cum responsis num. 51. In mss. autem collect. 3 epistola legitur num. 55, et inquisitiones ac responsa num. 56. In his vero mss. hic titulus habetur: *Incipiunt inquisitiones*, vel *Inquisitiones et responsa*.

[b] Ms. Vat. collect. 3 titulum Dionysianum pro hac tantum prima inquisitione exhibet, quod collectionis auctori haud tribuendum videtur. In Veronensi, *De presbyteris vel diaconis qui*, etc., ac similiter plurali numero in inquisitionibus sequentibus.

[c] Dist. 62, *Nulla ratio*, c. 1.

[d] Vide not. 5 Quesn. Dein *a comprovincialibus* apud Justellum in editione collect. Dionysii atque Cresconii.

[e] Sex mss. optimæ notæ cum Justello, *non docetur*.

[f] 1, qu. 1, *Si qui clerici*, c. 40.

[g] Vide not. 6 Quesn. Mox Vindeb. Hisp. delet *istis*, et dein cum Veronensi præterit *eis*. Vat. Hisp. et Isid. cum Merlino habent, *in eorum Ecclesiis*. Dein *quæ ad proprios* erat in editis ante Quesn., ita ut relativum *quæ* ad *Ecclesias* referatur. Sed relativum *qui* plerisque codicibus vindicatum ad *clericos* referendum est.

[h] Ita codd. Grim. et Thuanei duo Quesnelli, et nostri Vat. Reg. collect. 1, Vindeb. collect. 5, Vat. Dionysii Veron. 58, et alius Veron. 60 Cresconii, ac nonnulli alii. Codices vero collect. 3, utrique Hisp., Vat. Isid., unus Vercell. et quatuor alii Vat., cum Justello et ms. Cantabrig., ac tandem Veron. 60 secunda manu, *consecratio*, Vulgati ante Quesn. cum ms. Vat. collect. 24, *ordinatio*.

[i] Ita cum Quesnello mss. collect. 1, 3, 12 et 24, ac Vindebon. Hisp. Aliæ editiones cum cæteris nostris codd. et apud Hincmarum opusculo 53, *auctoritate*.

[k] Addidimus *publicam* ex codd. qui inquisitiones exhibent, uti etiam eamdem vocem præfert Sirmondus, qui inquisitiones primus edidit.

[l] Dist. 50, *Alienum est a consuetudine*, c. 67.

[m] Vide not. 7 Quesn. Post pauca, *Qui presbyteralem honorem aut diaconi gradum fuerunt consecuti* in Vat. collect. 24.

[n] Cod. Vat. collect. 3, *est exspectanda secessio, ut illis*. Cod. Veron. 60 Cresconii, *uti in iis*.

[o] Dist. 31, *Lex continentiæ*, c. 10.

[p] Vide not. 8 Quesn.

[q] Editi ante Quesn. cum Vindeb. Hisp. et Vat. collect. 11, *pervenerint*.

[r] Vide not. 9 Quesn.

[s] Al., *conjugiorum*. Mox Vat. collect. 11 cum Vulgatis Quesnello anterioribus, *cessent opera*. Justellus cum mss. Vat. Dionys. et aliis Hadrian., *cesset operatio*.

[t] Cod. Veron. 58, *in conjugio junxerit*.

[u] 32, qu. 2, *Non omnis*, c. 12.

[v] Duo Vat. collect. 21, *mulier jure uxor est viri*.

[x] Justellus cum quatuor nostris codd. addit conjunctionem *et*. Dein, *exstiterit* pro *existeret* in cod. Vat. collect. 11.

[y] Codd. Vindeb. Hisp. et Vat. collect. 11 cum vulgatis ante Quesn., *cum filio liberæ, Unde*, etc.

[z] 27, qu. 2, *Cum societas*, c. 17; et in Decret. lv. l. vi.

[z] Vide not. 10 Quesn. Dein, *in qua non docetur nuptiale fuisse mysterium* est in Vat. collect. 11 et an-

Digitized by Google

(*Eph.* v, 32), dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. [a] Igitur cujuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est quasi eam conjugato dederit; nisi forte [b] illa mulier, et ingenua facta, et dotata legitime, et publicis nuptiis honestata videatur.

INQUIS. V. — [c] *De puellis quæ viris concubinas habentibus nupserint.*

RESP.—Paterno arbitrio viris junctæ carent culpa, si mulieres quæ a viris habebantur in matrimonio [d] non fuerunt.

1422 INQUIS. VI. — *De his qui mulieres ex quibus filios habent relinquunt, et uxores accipiunt.*

RESP.—Quia aliud est nupta, aliud concubina, [e] ancillam [f] a toro abjicere et uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis.

INQUIS. VII. — *De his qui in ægritudine pœnitentiam accipiunt, et* [g] *cum revaluerint, agere eam nolunt.*

RESP. — Culpanda est [h] talium negligentia, sed non penitus deserenda: ut crebris cohortationibus incitati, quod necessarie expetierunt, fideliter exsequantur. [i] Nemo enim desperandus est dum in hoc corpore constitutus est: quia nonnumquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur.

INQUIS. VIII. — [j] *De his qui* [k] *jam deficientes pœnitentiam accipiunt, et ante communionem moriuntur.*

RESP. — Horum causa [l] Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit ut talium obitus usque ad communionis remedium [m] differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

1424 INQUIS. IX. — *De his qui dolore* [n] *nimio perurgente rogant dari sibi pœnitentiam, et cum venerit presbyter daturus quod petebant, si dolor parum perquieverit, excusant et nolunt accipere quod offertur.*

RESP. — Dissimulatio hæc potest non de contemptu esse remedii, sed de metu gravius delinquendi. Unde [o] pœnitentia quæ dilata est, cum studiosius petita fuerit, non negetur, ut quoquo modo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perveniat.

INQUIS. X. — *De his qui pœnitentiam professi sunt, si in foro litigare cœperint.*

RESP. — [p] Aliud quidem est debita [q] justa reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem oportet [r] a multis etiam licitis abstinere, dicente Apostolo: *Omnia* [s] *mihi licent, sed non omnia expediunt* (I *Cor.* VI, 12). Unde si pœnitens habet causam quam negligere forte non debeat, melius [t] expetit ecclesiasticum quam forense judicium.

INQUIS. XI. — *De his qui in pœnitentia vel post pœnitentiam negotiantur.*

RESP. — [u] Qualitas lucri negotiantem aut excusat aut arguit, quia est et honestus quæstus et turpis. Verumtamen pœnitenti utilius est dispendia pati quam periculis negotiationis obstringi, quia difficile est inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum.

1425 INQUIS. XII. — *De his qui post pœnitentiam ad militiam revertuntur.*

RESP. — [v] Contrarium est omnino ecclesiasticis

---

inquisitionibus Vulgatis. Codices Vat. Hisp. et Isid., qui sequuntur lectionem textus, pro *mysterium* habent *ministerium*.

[a] Cod. Lucensis collect. 4, omissis verbis *Igitur cujuslibet loci clericus*, periodum sic incipit: *Si quis igitur filiam suam.*

[b] Ms. Veron. 58, *ea mulier ingenua facta... Honesta videatur.* Alius Veron. Cresc. 60 prima manu, *honesta*; secunda vero manu, *honestata.*

[c] Sex nostri codices, qui inquisitiones præferunt, hoc membrum a superiori distinguunt, cum in aliis exemplaribus, quæ inquisitionibus carent, ex Dionysio istud cum antecedenti conjungatur; sed perperam, ut apud Quesnellum videre licebit not. 11. Mss. Lucens. collect. 4 et Vindeb. collect. 5, in ipsa inquisitione delent *viri.*

[d] Cod. Vat. Reginæ, *non fuerint.* Porro in omnibus editionibus et in mss. codd. qui inquisitiones prætermittunt, ac etiam in illis collect. 5, licet inquisitiones præferant, post voces *non fuerunt* hæc subjiciuntur, *quia aliud est nupta, aliud concubina.* Hæc autem verba nos auctoritate cæterorum codicum inquisitiones præferentium rejecimus in initium sequentis responsi, ad quod sane ex ipso contextu pertinere noscuntur.

[e] 51, qu. 2, *Ancillam a toro*, c. 11.

[f] Crescónius etiam in ms. Veron., *ancillam matrona accepta abjicere.*

[g] Cod. Lucensis collect. 4, *cum se levaverint.* Veron. 58, *cum relevati fuerint.*

[h] Vide not. 12 Quesn. Cod. Vat. Dionysii cum Cresconio et uno Vercell. Hadrian., *culpanda sit sane talium negligentia, sed non penitus desperanda.* Eadem lectio est in alio Vercell., Hadrian. et Vindebon. Hisp., atque in Vulgatis Leonis ante Quesn., excepto *sit*, pro quo habent *est.* Dionysius Justelli et Sirmondus lectioni textus, quæ est in aliis plerisque et præstantioribus codd. tum nostris tum Quesnelli, post voces *culpanda est* addunt *sane.*

[i] De Pœnit., dist. 7, *Nemo desperandus*, c. 1.

[j] 24, qu. 2, *De communione privatis*, c. 1.

[k] Sirmondus et Quesnellus inserunt *animo.* Delevimus auctoritate nostrorum codicum.

[l] Confer not. 13 Quesn.

[m] Unus cod. Vercell., *differatur.* Alius Vercell. et secunda manu in Veron. 60 Cresc., *non differretur.* Justelli, *non differatur.* Paulo post, *non communicamus* in Veron. 58.

[n] Cod. Lucensis collect. 4 et Veron. 58, *nimis perurgente.* Mox in eodem Veron., *parvus fuerit* pro *parum perquieverit.*

[o] De Pœnit., dist. 1, *Pœnitentia quæ*, c. 62.

[p] De Pœnit., dist. 1, *Aliud quidem est*, c. 65; et 11, qu. 1, c. 31.

[q] Vat. Reg. collect. 1, *juste.*

[r] Vat. Dionysii et Hadrian. cum Cresc., *etiam a licitis.* Veron. 58, *a multis etiam placitis.*

[s] Sex probæ notæ codices et Cresconius delent *mihi.* Mox unus cod. Vercell. cum Justello, *si pœnitentes habeant... non debeant.*

[t] Cod. Veron. 58, *expetat.* Vat. Dionysii cum Cresc. Veron. et duobus aliis Vat., *expetit quis.* Alius Vat. cum Barb. Victor. et secunda manu in Vindebon. collect. 5, *exigit* pro *expetit.* Confer not. 14 Quesn.

[u] De Pœnit., dist. 5, *Qualitas lucri.*

[v] De Pœnit., dist. 5, *Contrarium*, c. 5.

Digitized by Google

regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* [a] (II *Tim.* II, 4). Unde non est liber a laqueis diaboli qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.

Inquis. XIII. — *De his qui post pœnitentiam uxores accipiunt,* [b] *vel concubinas sibi conjungunt.*

Resp. — [c] In adolescentia constitutus, et urgente aut metu mortis, aut captivitatis periculo, pœnitentiam gessit, et postea timens lapsum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis [d] incurreret, rem videtur fecisse venialem, si præter conjugem, nullam omnino cognoverit. In qua tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Nam secundum veram cognitionem nihil magis ei congruit qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans et mentis et corporis.

1426 Inquis. XIV. — *De monachis qui aut militare cœperint, aut uxores* [e] *accipere.*

Resp. — [f] Propositum monachi [g] proprio arbitrio aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet et reddere (*Deut.* XXIII, 21; *Ps.* XLIX, 14). Unde qui relicta singularitatis professione, ad militiam vel ad nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est: quia etsi innocens [h] militia, et honestum

[a] Cod. Vat. collect. 11 addit, *ut ei placeat, cui se probavit.* Postea *militiæ mundanæ* in quinque mss. et in vetustioribus Leonis vulgatis.

[b] Vide not. 15 Quesn. Post pauca in Leonis responso codd. Veron. 58 et Vat. Reg. delent *mortis*.

[c] 33, qu. 3, *In adolescentia*, c. 14.

[d] Quesnellus cum aliquibus mss., *incurrat*. Præstabilimus lectionem antea editorum, quippe quam et plures et vetustiores nostri codices approbant. Mox pro *venialem* cod. Veron. 58, *jubenalem*, Vat. Reg., *juvenalem*; forte, *juvenilem*. Dein post voces *nullam omnino* Sirmondus addit *aliam*.

[e] Mss. Vat. Reg. et Lucen., *acceperint*.

[f] 20, qu. 3, *Propositum*, c. 1.

[g] Cod. Veron. 58, *proprii arbitrii voluntate*, Vindebon. Hisp., *proprio arbitrio ac voluntate*.

[h] Vindebon. collect. 5 addit verbum *sit*. Dein post *electionem* Sirmondus cum antecessoribus editis adjicit *tamen*. Mox unus cod. Vercell. cum Justello *meliorem* pro *meliorum*.

[i] 20, qu. 1, *Puellæ*, c. 8.

[j] Vide not. 16 Quesn. Deinde, *etiamsi consecratio non accessit* est lectio omnium codicum qui inquisitiones præmittunt; nec non Vat. collect. 24. Cæteri qui Dionysianam lectionem sequuntur, habent: *Etiamsi nondum eis gratia consecrationis accessit.*

[k] In vulgatis ante Quesnellum adjicitur capitulum cum titulo *De his quæ jam consecratæ sunt, si postea nupserint.* Capituli autem verba hæc sunt: *Ambigi vero non potest magnum crimen admitti, ubi et propositum deseritur, et consecratio violatur. Nam si humana pacta* (al. *facta*) *non possunt impune calcari, quid eas manebit quæ corruperint divini* (al. *divina*) *fœdera sacramenti?* Hæc omnia Quesnellus expunxit, et vel a Gratiano vel ab alio studioso margini apposita in textum irrepsisse censuit ils argumentis quæ legi poterunt nota ejusdem 17. Ea vero inveniuntur textui inserta in antiquissimis codicibus Vindebon. et Vat. collectionis Hispanicæ, ac in Isidorianis omnibus qui ex Hispanica proficiscuntur, nec non in aliis collectionibus quæ ex eodem fonte dimanant; adeo

potest esse conjugium, electionem meliorum desseruisse transgressio est.

Inquis. XV. — *De puellis quæ alienandis habitu religioso fuerunt, non tamen consecratæ, si postea nupserint.*

Resp. — [i] Puellæ quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo judicio virginitatis [j] propositum atque habitum susceperint, si postea nuptias eligunt, prævaricantur, etiam si consecratio non accessit, cujus utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent [k].

1427 Inquis. XVI. — *De his qui a parentibus Christianis parvuli derelicti sunt, et utrum baptizati sint non potest inveniri, an debeant baptizari?*

Resp. — [l] Si nulla exstant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi de quibus quæritur baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur: ne manifeste pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum.

Inquis. XVII. — *De his qui parvuli ad Ecclesiam capti sunt, et non se sapiunt baptizatos,* [m] *sed sciunt se aliquotiens ad ecclesiam a parentibus ductos, utrum nostra sit debeant, cum ad Romanum imperium baptizari?*

Resp. — Qui postea manifestius quod ad ecclesiam veluti cum parentibus suis, postea recordari

[l] De Consecr. dist. 4, *Si nulla exstant*, c. 115.

[m] Quesnellus, *et familiares, aliquo vicinos.* Præstabilimus lectionem antea editorum quam pluriores codices approbant.

[n] Cod. Veron. 58, *sed quiani*, et post pauca *cum ad Romanum venerint patrium*. Pro *Romano imperio* Romano imperio adhibetur a Possidio in Vita Augustini cap. 30, et ab Orosio lib. VII, cap. 4, ex quo etiam vulgaris locutio colligitur. In vulgatis ante Quesn. et in mss. Dionys. Hisp. aliis et aliis ejusdem originis hoc membrum cum antecedenti jungitur, ac idcirco fere habent: *Qui autem parentum meminisse*, addita particula *autem*.

Digitized by Google

quod eorum parentibus dabatur acceperint. Sed [a] si hoc etiam ab ipsorum memoria alienum est, conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur, quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.

1428 INQUIS. XVIII. — *De his qui ex Africa vel de Aquileiensi venerunt, et nesciunt in qua secta sint baptizati, quid circa eos debeat observari?*

RESP. — [b] Non se isti baptizatos nesciunt, sed cujus fidei fuerint qui eos baptizaverunt se nescire [c] fatentur. Et ante quamlibet quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt; sed per manus impositionem, invocata virtute Spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

INQUIS. XIX. — [d] *De his qui parvuli quidem baptizati, in gentilibus capti sunt et cum illis gentiliter conversati, cum ad Romanum adhuc juvenes venerint, si communionem petierint, quid erit observandum?*

RESP. — [e] Si convivio solo gentilium et escis immolatitiis usi sunt, [f] possunt jejuniis et manus impositione purgari: ut deinceps ab idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.

1429 EPISTOLA [a] CLXVIII.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS PER CAMPANIAM, SAMNIUM ET PICENUM CONSTITUTOS.

SYNOPSIS (EX collectione Hispanica). — I. *Ut non omni tempore baptismi regeneratio detur, nisi in Pascha et Pentecoste, et nisi periculosa infirmitas oppresserit.* — II. *De pœnitentia fidelium, ut confessio eorum non publicetur.*

Leo universis episcopis per Campaniam, Samnium et Picenum constitutis.

CAP. I. — Magna indignatione commoveor, et multo dolore contristor, quod quosdam ex vobis comperi ita esse apostolicæ traditionis oblitos, et studio sui erroris intentos, ut præter [g] paschalem festivitatem, cui sola Pentecostes solemnitas comparatur, audeant sibimet, non aliqua humanæ infirmitatis necessitate cogente, sed sola indisciplinati arbitrii libertate, [h] jus baptismatis vindicare, et in natalibus martyrum, quorum finis aliter honorandus est quam dies Dominicæ passionis, [i] regenerationis celebrare mysteria, ac sine ullis spiritualium **1430** eruditionibus præparationum, ita rudibus et imperitis tradere sacramentum, ut circa renovandos nihil doctrinæ ecclesiasticæ, nihil in exorcismis impositio manuum, nihil ipsa jejunia, quibus vetus homo destruitur, operentur; neque [k] in tanto mysterio salutis humanæ ulla ejus diei habeatur exceptio, [l] quo ipsum donum est conditum renascendi. Admonemus igitur, et non sine periculo status eorum qui hoc faciunt protestamur, ut ab hac præsumptione cessetur, et summam hanc potentissimamque Dei gratiam, non nisi in Paschali et Pentecostes die desiderantibus et credentibus conferatis: manente quolibet tempore [m] gravioris necessitatis ac periculorum consideratione, secundum quam oporteat subvenire, ne conditione mortali coarctata infirmitas necessaria liberatione fraudetur: cum, servata, sicut prælocuti sumus, duarum tantummodo festivitatum reverentia, propter multa pericula sit cavendum ne cuiquam aut in desperata ægritudine, aut in hostilitatis incursu, aut in timore naufragii, per sacerdotem Domini regeneratio denegetur. Si quis vero post hoc interdictum in eadem fuerit usurpatione detectus, dignam pertinaciæ suæ incidet ultionem: quoniam ostendit se turpe potius lucrum quam religionis cultum esse sectatum.

CAP. II. — Illam etiam contra apostolicam regulam præsumptionem, [n] quam nuper agnovi a quibusdam

---

[a] Laudatus cod. Veron., *etiamsi hoc etiam*. Mox Sirmondus et editiones vetustiores, *ab eorum memoria*.

[b] Vetustiores codices inquisitionibus carentes sic habent: *Illi autem* (vel, *Si autem*) *de quibus scripsisti non se baptizatos nesciunt*. Alii recentiores codices: *Si autem, de quibus scripsisti, qui non se baptizatos nesciunt sed ante Quesn., qui se baptizatos sciunt*); *sed cujus fidei fuerint qui eos baptizaverunt, se nescire profitentur; quoniam quolibet modo*, etc. Mox *invocata* in mss. Luconsi collect. 4, Veron. 58, hoc non in antiquis Hisp. et Isid., ac in editione Justelli. Confer cap. 16 Quesnelli.

[c] De Consecr., dist. 4, *Hi de quibus*, c. 58, et in Decret. Yvonis.

[d] Hanc utrumque inquisitionem et subjectam responsum codices collect. 3 dividunt in duo, ita ut inquisitionis et responsa sint vigint hoc modo: Inquisit. XIX; *De gentilibus qui escis immolatitiis usi sunt*. Responsum: *Si convivio usque ad participes*. Inquisit. XX; *De his qui idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus inquinati sunt*. Responsum: *Si autem aut idola*, etc.

[e] Cod. Veron., *ad Romanum provinciam*. Confer Minor. 79 (Col. 1208, n°).

[f] Utrique codd. Hisp., Vat., Isid. et alius collect. 24 cum editis ante Quesn., *Qui convivio*.

[a] Exstat in mss. collect. Hisp. Isid. 11, 12 et 20 usque ad 24, ac in exemplo Sichardi.

[b] Vulg. ante Quesn. cum ms. Vat. collect. 24 et Sichardo, *Paschæ festum*.

[c] Vat. Hisp. et Isid. cum cæteris inde profecti, *quam baptismatis*. Mox Vat. collect. 11, *in natalitiis martyrum*.

[d] Vindebon. Hisp. addit *et*, quæ conjunctio cum sensui non congruat, in Vat. Hisp. et aliis ejusdem originis mutata fuit in *eo die*, sed perperam.

[e] Vindeb. Hisp. et alii codd. inde profecti, *in ea mysteria*. Vat. Hisp. et Isid., errore librariorum, *ministeriis*. Soli codd. collect. 24 ac exempla Merlini et Sichardi ut in textu.

[f] Vindeb. Hisp., *quia in ipsum donum*. Vat. Hisp. et Isid. atque alius cod. collect. 11, *quia in ipso donum*. Mox *renascentibus* in editis ante Quesn. cum Merlino et Sichardo.

[g] Vulg. ante Quesn. cum Vat. collect. 24 et Sichardo, *gravium necessitatum*. Vat. Hisp. et Isid. cum aliis collect. 24, *quam nunc per ignaviam a quibusdam illicita usurpatione clidemus committi*. Mox *constitutimus* in iisdem Vat. Hisp. et Isid.

illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri. [a] De 1431 pœnitentia scilicet quæ a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. [b] Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere [c] non veretur, tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, [d] quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt aut metuunt inimicis suis sua facta [e] reserari, quibus possint legum constitutione percelli. [f] Sufficit enim illa confessio quæ primum Deo offertur, [g] tum etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia [h] confitentis. Datum pridie nonas Martii, Recimere consule.

EPISTOLA [i] CLXIX.

[j] AD LEONEM AUGUSTUM.

Synopsis. — I. *De ejecto Timotheo Æluro ab Alexandrina Ecclesia, et catholico præsule in ejus locum eligendo.* — II. *Et fidei integritatem et probitatem morum in sacerdote requiri.* — III. *Impium Æluri, etsi fides ejus forte integra, restitui non posse.*

LEO episcopus LEONI Augusto.

CAP. I. — Si gloriosum pietatis vestræ in fidei defensione propositum tanta prosequi laude 1432 cupiamus, [k] quantam rerum ipsarum magnitudo deposcit, inveniemur impares in actione gratiarum, si nostri tantum oris angustiis universalis Ecclesiæ gaudia celebremus. Sed [l] dignius illius remuneratio vestris actibus meritisque [m] servabitur, in cujus causa et speciali excellitis animo, et optato triumphatis eventu [n] claræ gloriæ. Sciat igitur clementia vestra omnes Ecclesias Dei cum laude vestra exsultare pariter et lætari, quod ab Alexandrinæ Ecclesiæ jugo improbus parricida depulsus est; et populus Dei, cui

[a] Ita nostri codd. diversarum licet collectionum constanter exhibent cum exemplis Merlini atque Sichardi. Ita etiam legit antiquissimus auctor collectionis Herovalliani codicis a Jacobo Petit editi post Theodori Pœnitentiale cap. 68, pag. 257. Ita quoque editiones omnes Quesnello anteriores, quæ solum pro *scilicet* habent *videlicet*, et ante voces *a fidelibus* addunt *ita*, ut additur in Vat. Hisp. ac Isid. et in duobus collect. 24. Quesnellus verba, *De pœnitentia scilicet* (aut *videlicet*) *quæ a fidelibus postulatur*, expunxit; quippe *quæ*, inquit in postilla, *tituli aut marginalis annotationis vice fuisse indicant codices mss.* Quos codices intelligat, aut cur ex iisdem titulum vel marginalem annotationem indicatam elicuerit, ignoramus. Nostra sane exemplaria licet vetustissima, et diversæ originis sint, ea verba præferunt in textu; quod annotationem ac titulum excludit. Quæ enim ex margine alicubi irrepserunt in textum, si in pluribus mss. libris æque inveniantur inserta, ii fere, ne dicam semper, ad eamdem collectionem pertinebunt, vel si diversarum collectionum sint, ab alia vetustiore omnes originem ducent. Ita eadem additamenta, sicuti et iidem saltus, ac eædem arbitrariæ lectiones, quæ reperiuntur in cod. Vat. Hisp. originis Gallicanæ, reperiuntur non solum in omnibus codicibus Hispano Gallicanis, sed etiam in Isidorianis, aliisque collectionum 11, 24, etc., qui ex Hispanica Gallicanæ originis prodeunt; nec tamen inveniuntur in aliis exemplaribus quæ aliam originem habent. In casu autem præsenti duo saltem sunt fontes diversi ex quibus hæc epistola derivata fuit: alter est collectio Hispanica, alter vero ille ex quo ab auctore collect. 24 eadem epistola sumpta fuit: unde in codicibus hujus postremæ collectionis deest chronica notatio, quæ in aliis ex Hispanica profectis reperitur. Cum ergo in utriusque originis exemplaribus eadem verba legantur, de assumento inducto suspicari non possumus. Enimvero hæc verba, si bene expendantur, superflua non sunt. Præsumptio enim quam Leo submoveri jubet versabatur circa pœnitentiam, cum fideles petebant: quippe nonnulli pastores nimium excedentes, inter pœnitentiæ opera peccatorum publicationem præcipiebant. Hac mente *De pœnitentia scilicet* idem significat ac *Quod attinet ad pœnitentiam;* et tum exclusa particula *ita*, ne vetantis vim habet, ac sententia optime constat. Quesnellus, laudatis verbis expunctis, sic prosequitur: *Ne videlicet de singulorum*, etc., ubi *videlicet* nullius nostri codicis auctoritate fulcitur. Dein Merlinus et Sichardus cum ms. Vindebon. Hisp. habent *libellis*; Vat. Hisp. et Isid. et alii collect. 24, *libelli*. Postea *publicetur* pro *publice recitetur* apud Quesnellum, non autem in nostris codd. Deinde Merlinus delet *solis*; et cum Sichardo atque cum Vat. collect. 24 præfert *indicare*. Ex hoc autem textu palam colligitur in ipsa pœnitentia publica peccatorum confessionem fuisse secretam, ita ut pœnitentiæ causæ laterent; nec omnia saltem peccata ipsorum pœnitentium manifestatione in publicum prodisse.

[b] De Pœnit., dist. 1. *Quantvis plenitudo*, c. 89.

[c] Cod. Vindebon. Hisp., *non verentur*. Dein apud Sichardum, *quia non omnia peccata hujusmodi sunt, ut ea sicut pœnitentia publica poscit, velint publicare.*

[d] Ita codices Quesnelli et nostri; aliæ editiones, *quæ*.

[e] Alias, *reserare*.

[f] De Pœnit., *Sufficit pœnitentia*, c. 61.

[g] Sichardus, *tunc etiam sacerdos pro delictis pœnitentium*, etc. Mox *accedat* in nonnullis mss. Dein Vat. Hisp. et Isid. delent *demum*.

[h] Quesnellus in margine: Al., *pœnitentis*.

[i] Alias 137. Scripta 17 Junii an. 460.

[j] Quinque sequentes epistolæ in una collectione inveniuntur, quam Avellanam in præfatione vocavimus. Quesnellus nullum codicem reperit; unde aliqua ex conjectura correxit, rejecta ad marginem vulgata editorum lectione. Nos plura exemplaria consulere potuimus, quæ nacti sumus in bibliothecis Vaticana, Angelica et Veneta S. Marci.

[k] Vulgati, *quanta*. Emendationem suggessit codex S. III, 9, bibliothecæ Angelicæ patrum eremitanorum S. Augustini Romæ.

[l] Vulgatam lectionem, quam omnes codices præferunt, revocavimus, neque enim necessaria videtur emendatio Quesnelli, *dignior*.

[m] Erat in vulgatis Leonis, *servabatur*, uti in duobus codicibus S. Marci, et in Vat. 3787. Quesnellus ex conjectura emendavit *servatur*. Sed melius nos ex antiquissimo Vat. 4961, et ex ms. Angelicæ lectionem in editione Conciliorum receptam prætulimus.

[n] Erat in editis *gloriæ*. Hinc Quesnellus in postilla suspicatus est forte pro *gloriæ* legendum *Gloriosissime Auguste*, ut alibi. Hanc vero conjecturam excludunt vetustiores codices Vat. 4961 et 3787, qui habent, *claræ gloriæ*.

Digitized by Google

prædo nefarius incubabat, in antiquam fidei libertatem reductus, potest jam in salutis viam fidelium sacerdotum prædicatione revocari, cum videat omne seminarium venenorum in ipso auctore projectum. Nunc ergo quia hoc constanti proposito et magna mente peregistis, consummato operi fidei illud adjungite, ut de catholico civitatis illius præsule quod Deo placeat decernatis, qui nulla damnatæ toties impietatis sit infectus aspergine : ne fortasse tectum vulnus sub specie obductæ cicatricis increscat, et plebs Christiana, quæ vobis agentibus aperte ab hæreticorum perversitate liberata est, lethalibus iterum obnoxia sit venenis.

CAP. II. — Vides autem, venerabilis imperator, et evidenter agnoscis, quod in persona de cujus abscissione agitur, non sola est fidei integritas intuenda; quæ etiamsi ullis correctionibus professionibusque purgari, et in integrum valeret qualibet conditione restitui, nequaquam tamen quæ sceleste cruenteque commissa sunt, possunt probabilium verborum protestationibus aboleri : quia in pontifice, Dei [a] ac maxime tantæ Ecclesiæ sacerdote, non sufficit sonus linguæ et sermo labiorum, et nihil prodest si Deus voce prædicatur, et mens [b] in impietate convincitur. De talibus enim per Apostolum sanctus Spiritus loquitur : *Habentes speciem* **1433** *pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (II *Tim.* III, 5); et iterum alibi : *Deum profitentur se scire, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Unde cum [c] in omni Ecclesiæ membro et integræ fidei veritas, et bonorum operum plenitudo quæratur, quanto magis in summo pontifice debent utraque præcellere, quia alterum sine altero non potest cum Christi corpore [d] habere compagem!

CAP. III. — Nec necesse est nunc omnia quæ Timotheum exsecrabilem faciunt enarrare, cum copiose atque manifeste in totius mundi notitiam, quæ per ipsum ac propter ipsum sunt gesta processerint, et si quid ab incomposito vulgo contra justitiam perpetratum est, in hujus omnia verticem confluant, cujus desideriis manus furentium servierunt. Unde [e] si etiam in professione fidei nihil hic negligat, nihil fallat, aptissimum gloriæ vestræ est ab hoc appetitu illum prorsus excludere, quia in tantæ urbis antistite [f] universam Ecclesiam decet sancta exsultatione gaudere, ut vera pax Domini non solum prædicatione fidei, sed etiam morum claresceret exemplo. Data XV kalendarum [g] Juliarum, Magno et Apollonio consulibus. *Per Philoxenum agentem in rebus.*

EPISTOLA [h] CLXX.

AD GENNADIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

SYNOPSIS. — *Queritur quod Timotheus Constantinopolim venire sit permissus; nullam ei restitutionis spem esse relinquendam; cavendumque ne se publicis privatisve colloquiis immisceat.*

LEO episcopus GENNADIO episcopo Constantinopolitano.

Dilectionis tuæ litteris, et fratrum coepiscoporumque nostrorum Domitiani et Geminiani sermone agnovi, Timotheum postquam Ecclesiæ Alexandrinæ civitatis **1434** expulsus est, Constantinopolim, nonnullis hoc fidei adversariis agentibus, venire permissum : ut, quantum datur intelligi, [i] quia universorum Domini sacerdotum sententiis coarctatus, invitus saltem ad catholicum se dogma convertat, et tamquam propter hanc tantummodo [j] causam videatur ejectus, hæreticæ perversitatis errore damnato, doctrinæ apostolicæ, ut ad Alexandrinam redeat, acquiescat; cum illi, etiamsi catholicus probaretur, hoc vehementer obsistat, quod vivente episcopo, tantæ sedis invasor est, [k] et auctor apparuit inauditæ crudelitatis admissæ. Et ideo dilectio tua sollicitudine qua [l] clares eniti et elaborare debebit ne cum tam nefario homine sermo aliquis privatim vel publice misceatur, neve sub specie correctionis ejus quorumdam conventui præbeatur occasio; ne redeundi integram capiat libertatem, de quo jam edictis suis princeps Christianissimus [m] judicavit. Omni igitur labore et circumspectione pervigili unitati ecclesiasticæ profuturus enitere, frater charissime, ut spes suffragatoribus ipsius adimatur, et Alexandrinis ex clero suo catholicus episcopus secundum morem veterem per orthodoxos [n] Ægyptios consecretur : quia parricida ille non alias a suis defensoribus [o] deseritur, nisi Alexandrina Ecclesia, quæ Patrum honori et suæ restituenda est libertati, rectorem sanandis omnibus

[a] In Vulgatis Leonis ante Quesn. ac in mss. corrupte, *de hac maxime*. In editis Conciliorum, *de hoc maxime*. Quesnelli emendationem satis æquam retinuimus.

[b] Editi Concilii omittunt *in*. Quesnellus in margine : Forte, *de impietate*.

[c] Supplevimus præpositionem *in* ex nostris codd. et editione Conciliorum.

[d] Ita ex codicibus qui probant Rainaudi correctionem. Antiquæ editiones habebant tantum *compagem*. Binius correxit *compagem facere*. Editi Conciliorum et Quesnellus, *compaginari*.

[e] Revocavimus lectionem codicum et editorum ante Quesnellum, qui placuit edere *etiamsi*.

[f] Codex ex quo prima hujus epistolæ editio prodiit, habebat *universa Ecclesiæ*, et annotatum fuit, *videtur deesse membra*, quæ annotatio in plurium editionum textum perperam irrepsit. Labbeus et Quesnellus ediderunt tantum *universa Ecclesiæ membra*. Nomen *membra* in omnibus codicibus deest. Veram lectionem suppeditavit codex Angelicæ.

[g] In codicibus loco mensis est sigla ℔ ; sed Julium mensem recte appositum liquet ex epistola sequenti, quæ eodem die ac de re eadem scripta fuit.

[h] Alias 138. Scripta 17 Junii an. 460.

[i] Cod. Angelicæ, *qui*. Paulo post antiquiores editiones, *ut tamquam*. Quesnelli emendationem codices probant.

[j] Vulgati cum mss. Venetis, *culpam*. Antiquiorum mss. lectionem prætulimus.

[k] Codd. Vaticani et Veneti, *et cum auctor*. Codex Angelicæ melius, *et quod auctor*.

[l] Ita cod. Angelicæ ; alii, *clareas;* vulgati, *claret*.

[m] Al., *indicavit*.

[n] Vulgati, *episcopos*. Codicum lectionem inseruimus, qua Leo canonum sanctiones et veterem morem servandum præcipiens, cavere voluit ne alterius provinciæ episcopus ita novum Alexandrinum antistitem consecraret, uti Maximum Antiochenum consecravit Anatolius Constantinopolitanus, quod ab ipso Leone reprobatum fuit epist. 106, cap. 2.

[o] Cod. Angelicæ, *deseretur*.

Digitized by Google

quæ male gesta sunt, probatissimum fuerit consecuta. Datum XV kalend. Julias, Magno et Apollonio consulibus. *Per Philoxenum agentem in rebus.*

1435 EPISTOLA CLXXI.

AD TIMOTHEUM EPISCOPUM ALEXANDRINUM.

SYNOPSIS. — I. *De electione ejus gratulatur, charitatemque commendat.* — II. *Ut fidei rebus invigilet, frequenterque ad ipsum scribat.*

LEO episcopus [b] Timotheo episcopo catholico Alexandrinæ Ecclesiæ.

CAP. I. — Evidenter apparet sub apostolicæ splendore sententiæ, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28); et divinæ dispensatione pietatis ubi excipiuntur adversa, ibi donantur et prospera. Quod Alexandrinæ Ecclesiæ experimenta demonstrant, in qua multos sibi patientiæ thesauros [c] humillium modestia et tolerantia congregavit: quia *juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit* (*Ps.* XXXIII, 19); glorificata in omnibus inclyti principis fide, per quem *dextera Domini fecit virtutem* (*Ps.* CXVII, 16), ne in thronum beatorum Patrum Antichristi diutius sederet opprobrium: cujus impietas nemini magis quam sibi nocuit: quia etsi aliquos ad societatem facinoris impulit, [d] se tamen inexpiabiliter cruentavit. Unde de eo quod instinctu fidei [e] in fraternitate tua cleri et plebis atque omnium fidelium egit electio, universam mecum Ecclesiam Domini gaudere rescribo, utque hoc benignitas divinæ pietatis multiplicata gratia confirmet, exopto; ita ipsi per omnia tua devotione famulante, ut etiam eos qui veritati aliquatenus restiterunt, reconciliandos Deo per Ecclesiæ preces instanter acquiras, et [f] sacramento catholicæ fidei, cujus solidítas nullam divisionem recipit, sollicitus rector adjungas: illum imitatus verum piumque pastorem, qui animam suam posuit pro ovibus suis (*Joan.* X, 11), et errantem unam ovem non flagellis coercuit, sed ad ovile proprium suis humeris reportavit (*Luc.* XV, 5).

CAP. II. — Agat ergo dilectio tua, frater charissime, ne vel Nestoriani dogmatis vel Eutychiani erroris ullum in Dei populo possit vestigium reperiri: quia *nemo potest fundamentum ponere, præter id quod positum est, qui est Christus Jesus* (I *Cor.* III, 11); qui universum 1436 mundum non reconciliaret Deo Patri, nisi per fidei regenerationem omnes in nostræ carnis veritate susciperet. Cum ergo scribendi opportunitates, quibus fraternitas tua utatur, exsiteris, sicut [g] necessario et ex more fecisti, ut per filios nostros Danielem presbyterum et Timotheum diaconum ordinationis tuæ ad nos scripta dirigeres, ita omni tempore in hoc officio perseveres, [h] et de provectibus pacis sæpe, quantum fieri potest, sollicitudini nostræ mittantur indicia: ut per alterna colloquia sentiamus *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Datum XV kalend. Septemb., Magno et Apollonio consulibus.

EPISTOLA CLXXII.

AD PRESBYTEROS ET DIACONOS ECCLESIÆ ALEXANDRINÆ.

SYNOPSIS. — *Ad concordiam in Ecclesia Alexandrina servandam augendamque invitat; et ut qui ab hæreticis seducti sunt, ad pœnitentiæ remedium provocentur.*

LEO episcopus presbyteris et diaconibus Ecclesiæ Alexandrinæ, dilectissimis filiis in Domino salutem.

Gaudeo exsultanter in Domino de piissimo quem inter vos habetis affectu; dum sicut scripta vestra manifestant, et pastor gregem, et grex ostenditur amare pastorem. *Solliciti* ergo *in invicem*, sicut Apostolus ait, *servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 3), properate ad fructum veræ pervenire patientiæ. Quid enim dignius aut velle potestis aut agere, quam ut, auxiliante Dei gratia, gloriosissimi principis fide ad profectum solidissimæ pacis utamini, remota procul ea bestia quæ vineam plantationis Dominicæ, sicut psalmus propheticus canit (*Ps.* LXXIX, 14), singulari feritate vastabat? Quia ergo in ovili Dominico nec furum jam insidiæ, nec latronum timentur incursus, redeat universitas vestra in concordiam, et magisterio Spiritus sancti illa in omnibus unitas expetatur, propter quam dicit Apostolus: *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant* (I *Cor.* X, 33). Idipsum dicant et sentiant omnes, nulla 1437 sint sensuum disputationumque certamina. Quod usque ad catholicos præsules in Alexandrina Ecclesia discipuli veritatis didicerunt, atque docuerunt, eadem a cunctis fidelibus confessione promatur: quia VARIETATEM veritas, quæ est simplex atque una, non recipit. Si quos autem cujuslibet ordinis Christianos impia hæreticorum conturbaverit mendacia, ad satisfactionis remedia provocate, et in spiritu mansuetudinis cum benignitate corripite; quia, sicut ait beatus apostolus Petrus, *non tardat Dominus promissum, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad*

---

[a] Alias 139. Scripta 18 augusti an. 460.

[b] Is est Timotheus Solofaciolus catholicus, qui in Timothei Æluri hæretici usurpatoris locum subrogatus est. Creditur autem esse ille *Timotheus presbyter et œconomus Ecclesiæ* Alexandrinæ, qui cum aliis catholicis ex Ægypto pulsus an. 457 libellum supplicem adversus eumdem Marcum imperatori porrexit. Vide codicem encyclium cap. 7, tom. IV Concil. col. 1043.

[c] Ita ex codicibus. Vulg., *humilitas.*

[d] Vulg., *se tantum denique inexpiabiliter.* Lectionem præferimus omnium nostrorum codicum, qui solum pro *se* habent *sed.*

[e] Sic quatuor potiores codices. Vulgati, *in fraternitatem tuam.*

[f] Vulgati, *sacramenta.* Emendavimus ex codicibus. Quesnellus in marginali postilla explicat, *id est incessanter, ut alibi notatum.* Sed debitum indicium referendi ad Romanum pontificem ordinationem episcoporum majorum sedium, ut ostendimus annot. 1 (*Col.* 1119 b) in epist. 14.

[g] Sic codices. Editi, *ut.*

[h] Alias 140. Scripta 18 August. an. 460.

[i] Vulgati addunt in margine, *ut possitis*, sed codices ignorant. Exemplaria Veneta pro *vere* habent *vestra.*

Digitized by Google

pœnitentiam converti (II *Pet.* III, 9). Agendum ergo est ne difficultas venîæ curationem faciat tardiorem. Data decimo quinto kalend. Septemb., Magno et Apollonio consulibus.

EPISTOLA [a] CLXXIII.

AD QUOSDAM ÆGYPTI EPISCOPOS.

SYNOPSIS. — *De electo Timotheo catholico in locum Timothei Æluri gratulatur; unitatem commendat, et ut sollicitudinem suam ejus curæ jungant ad reducendos errantes, invitat.*

LEO episcopus THEOPHILO, JOANNI, ATHANASIO, ABRAHÆ, DANIELI, [b] JOHÆ, PAPHNUTIO, MUSÆO, PAULVIO, et PETRO, episcopis Ægyptiis.

Litteris fraternitatis vestræ, quas ad me filii nostri Daniel presbyter et Timotheus diaconus detulerunt, cognovisse me gaudeo, quod gloriosi et venerandi principis fides, propheticis et evangelicis unita doctrinis, ad sanctos et Deo placitos dispositionum suarum 1438 pervenit effectus, ut crudelissimo Alexandrinæ Ecclesiæ pervasore dejecto, et in longinquiora translato, dignum sua gubernatione rectorem totius civitatis mereretur electio, ad cujus vos consecrationem nullus ambitus traheret, nulla seditio impelleret, nulla iniquitas incitaret; sed in medio constituta meritorum sanctitate, eum cunctis non dubitaret præponere, quem sibi universitas cuperet præsidere. Unde reddita populis Christianis Dei pace gaudentes, commendamus vobis invicem vestri operis dignitatem, ut religiose per omnia ordinatus antistes, ulterius se juvari, superni muneris, et ad abolendas scandala, quæ error hæreticus excitaverat, cooperatione vestra gaudeat adjuvari, [c] Extraneus enim qui imitator diaboli fuit, et *in veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44), mente etiam specie pervasi heretici et nominis, congrui ut Alexandrina Ecclesia cum veneretur et diligat, quem et probitate morum, et integritate catholicæ fidei, dignum sancti sacerdotio comprobavit; cui mutuæ charitatis plenum animi nostri præbemus affectum, cohortantes, fratres charissimi, et fraterne exigentes ut in prædicatione verbi, in eruditione præcepti illam formam custodiatis charitatis, sine qua nullæ possunt prodesse virtutes. Quod autem fratri et coepiscopo nostro Timotheo de revocandis hinc atque inde veritatis inimicis, inconsultius se ferocitasque gesserunt, scriptum esse cognovimus, dilectio quoque vestra ad curam suam intelligat pertinere: ut quia labe mœsta pestilentiæ ægritudo diffudit, ubique omnibus eadem adhibeatur medicina vulneribus: ut per diligentiam pastoralem in cunctis Ecclesiis Domini ovile reparetur, et per sollicitudinem charitatis atque doctrinæ, omnes Christi oves unum se sentiant habere pastorem. Data IV kalend. Septembris, Magno et Apollonio consulibus.

[a] Alias 141. Scripta 18 August. an. 460.

[b] Ita mss. Vulg., *Johan.* Dein, *Paulino* pro *Paulvio* in Vat. 4961.

[c] Ita codd. Vaticani et Veneti. Ms. Angelicæ, *se incitari.* Edit, *se vivere.*

[d] Vulg., *Excluso.* Lectionem omnium codicum secuti sumus.

DE EPISTOLIS DEPERDITIS

Tum S. Leonis ad alios, tum aliorum ad S. Leonem, ac de aliis monumentis ad epistolas pertinentibus, dispositis ordine chronologico,

DISSERTATIO,

In qua tria etiam, quæ ex Leone supersunt, fragmenta inseruntur.

1439 Quesnellus, in fine tomi secundi, harum epistolarum et documentorum catalogum exhibuit, sed ita mancum et perturbatum, nullo chronologiæ ordine servato, et nonnullis etiam documentis bis repetitis, ut modicum prosit. Locupletiorem itaque atque exactiorem notitiam hic proferendam credidimus. Eorum vero documentorum tantum, quorum peculiaris indicia ad nos pervenerunt, notitia proferetur, quin dubium sit alia plura exstitisse, quorum nulla superest mentio.

ANNO 431.

1. Ante pontificatum S. Leonis una epistola S. Cyrilli episcopi Alexandrini ad eumdem tum Romanæ Ecclesiæ archidiaconum memoratur epist. 119, cap. 4, ejus hæc causa fic exponitur: *In Ephesina synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis episcopus* (Hierosolymorum) *ad obtinendum Palæstinæ provinciæ principatum credidit se posse subnixum, et insolentes ausus per commentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus episcopus merito perhorrescens, scriptis suis mihi quid prædicti cupiditas ausa esset, indicavit: et sollicita prece multum poposcit ut nulla illicitis conatibus præberetur assensio.* Vid. annot. 24 (*Col.* 1043, n. b) in epistolam prædictam.

CIRCA AN. 442.

2. Septimus Altinas episcopus ad Leonem *relationem* misit, quam hic subjecerat epistolæ primæ. In hac autem ille significabat (uti idem pontifex in eadem prima epistola testatur) *quosdam presbyteros et diaconos, ac diversi ordinis clericos, quos Pelagiana sive Cœlestiana hæresis habuit implicatos, ita in vestra provincia* (Aquileiensi) *ad communionem catholicam pervenisse, ut nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris.* Hæc Septimi *relatio* eadem est ac illa ejusdem ad Leonem epistola, quam S. pontifex se legisse tradit epist. 42. Plotius hasce litteras Septimi commemorat 1440 cod. 54, his verbis: *Cum temporis deinde progressu sectæ hujus homines Ecclesiæ restituti essent, iterum malum ab illis renovatum est. At Septimus episcopus pestis renascentis cursum repressit, datis ad Leonem tum sedem apostolicam tenentem litteris; qui*

Digitized by Google

Leo ferventi zelo contra impios depugnavit, nimirum epist. 1 et 2.

CIRCA AN. 443.

3. Sub idem tempus, vel serius an 443, Leo ad Cyrillum litteras dedit : quibus cum is respondisset, S. pontifex aliam epistolam tradidit ad Paschasinum episcopum Lilybetanum, cui acceptum a Cyrillo responsum subjecit. Vide admonit. in ep. 3. Omnes hæ epistolæ versabantur circa dubium diem Paschatis an. 444. Sola superest Paschasini responsio, et fragmentum epistolæ S. Cyrilli Alexandrini, quæ suo loco edidimus.

4. Sub finem anni 443 S. pontifex Manichæos Romæ detecturus et publice convicturus, gesta cum sollicitissimis inquisitionibus confecit in frequentissimo conventu, in quo præter sacerdotes pars quædam senatus aliique illustres viri, et plures e populo interfuerunt. Vide serm. 16, c. 4, epist. 7, cap. 1, et epist. 15, c. 16. Hæc autem gesta, quibus Manichæorum perversa doctrina corruptique mores ex ipsorum confessione patefacti fuerunt, die 30 Januarii an. 444 cum epistola 7 ad episcopos Italiæ directa fuere, et deinde an. 447 ad Turribium Asturicensem cum epist. 15, ex c. 16.

5. Ante epistolam 6 scriptam ineunte an. 444 aliam Leo dederat ad Anastasium Thessalonicensem, in qua eumdem monuerat *ut de statu Ecclesiarum vestrarum* (Illyrici) *certiores subinde sua relatione nos faceret*, quemadmodum scribit epist. 5, cap. 5. Hæc enim monitio, uti observavimus annot. 8 (col. 615*c*) in eamdem epist. 5, in sexta ad ipsum Anastasium epistola haudquaquam legitur. Forte S. Leo post assumptionem suam, ad Thessalonicensem scribens, hanc ei curam sollicita monitione commendaverat.

1441 6. Idem autem Anastasius hujusmodi monitioni pariturus, Nicolaum presbyterum ad Leonem misit cum litteris, in quibus Leonem *de statu Ecclesiarum certiorem* effecit; et hac occasione ab eo petiit ut apostolicæ vicis auctoritas per Illyricum a prædecessoribus Romanis pontificibus olim tradita, sibique a Xysto delata confirmaretur. Vide epist. 6, c. 1 et 2, quæ cum a Leone illi reddita fuerit pridie idus Januarii anni 444, hæc epistola Anastasii pertinet ad annum 443.

ANNO 445.

7. Ob depositum ab Hilario episcopo Arelatensi Celidonium, Romanum concilium utrisque præsentibus habitum fuit, cujus gesta memorantur epist. 10, cap. 3 : *Quæ igitur apud nos in causa Celidonii episcopi gesta confecta sint, et quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem, præsente supradicto episcopo, audiretur, inditus chartis rerum ordo demonstrat.*

8. Projecti episcopi epistola, et altera civium ipsius ad Leonem adversus Hilarium, qui ei ægrotanti alium superordinaverat, in eadem epist. 10, c. 4, memorantur.

9. Epistola Leonis, qua metropoliticum jus Arelatensi Hilario ademptum, in Viennensem episcopum se transtulisse affirmat epist. 66, cap. 2, ad nos non pervenit. Cum enim id factum non fuerit ea epistola quam uti suppositiliam in appendicem rejecimus, alii epistolæ, quæ desideratur, tribuendum est.

10. Epistola ad episcopos Mauritaniæ, qua S. Pontifex iisdem significavit se Potentio episcopo in Africam proficiscenti vicem suam delegasse, ut *de episcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet, inquireret, nobisque omnia fideliter indicaret*, colligitur ex epist. 12, cap. 1.

11. Relatio Potentii, qua memoratæ delegationi satisfaciens, *plenissimæ notitiæ* (Leonis) *cuncta reseravit, et sub quibus qualibusque rectoribus quædam Christi plebes in partibus provinciæ Cæsariensis habeantur, sincera nobis relatione patefecit*, indicatur in eadem epist. 12, cap. 1.

12. Illyricianorum metropolitarum epistola reddita Leonis litteris, quibus Illyrici Ecclesias Thessalonicensi episcopo apostolica delegatione prædito subjecerat, memoratur aperte epist. 13, cap. 1. Dubium vero est num litteræ Leonis, quibus Illyriciani respondent, sint epistola quinta, an vero alia quæ perierit; de quo vide annot. 3 (*Col.* 664, *n.* i) in epist. 13. Hæc autem epistola 13 cum scripta fuerit die 6 Januarii an. 446, Illyricianorum litteræ, quibus Leo eadem epistola respondit, ad an. 445 pertinere videntur.

13. In eadem epist. 13, cap. 3, mentio fit *relationis* Anastasii Thessalonicensis, ex qua Leo cognovit, *Achaiæ provinciæ metropolitanum illicitas et constitutis Patrum, nostrisque*, 1442 inquit, *auctoritatibus interdictas ordinationes sæpe celebrasse, illudque suis ausibus addidisse, ut Thespiensibus invitis et repugnantibus incognitum et ante non visum episcopum consecraret.* Hæc relatio una cum Illyricianorum epistola Romam transmissa videtur, ac proinde hæc quoque scripta cognoscitur an. 445.

ANNO 446.

14. His duabus Illyricianorum et Anastasii epistolis Leonem respondisse nihil dubium est. Responsio Illyricianorum litteris continetur in epist. 13; epistola vero ad Anastasium de facto metropolitæ Achaiæ desideratur. Plures quidem Leonis epistolæ ad eumdem Anastasium datæ ante epist. 14 interciderunt. In hac enim cap. 1 dicitur : *Abundant enim apud te monitorum scripta nostrorum, quibus te..... frequenter instruximus.* Solam epistolam 6, ad eumdem, quæ superest, voces *abundant* et *frequenter* significare non possunt. Porro in una epistola ex his quæ desunt, Leo providerat, *ut non frequens nec levibus causis conveniendi necessitas indiceretur, et binos ternosve episcopos de singulis provinciis adesse sufficeret*, uti traditur epist. 13, cap. 2. Id referri nequit cum Quesnello ad epistolam 14, quam annot. 1 (*Col.* 666, n. m) scriptam ostendimus post ipsam epist. 13, ac præterea in epist 14, *binos* tantum ex singulis provinciis adesse jubet, non vero *binos ternosve*, quod ad alias litteras deperditas referendum est. Id autem probabiliter continebatur in epistola in qua Leo de metropolita Achaiæ statuerat; ac in eadem ea decreta proposuisse videtur de quibus dicitur epist. 13, cap. 4 : *Plenius vero observare debent quæ caveri ad ipsum fratrem et coepiscopum nostrum Anastasium scripsimus, eaque in vestram notitiam litteris ipsius volumus pervenire.*

15. Duæ Anastasii epistolæ ad Leonem in causa Attici veteris Epiri metropolitæ memorantur epist. 14, cap. 1. Una illis verbis : *De quo* (Attico) *nihil amplius indicaveras, quam quod evocatus adesse differret, et excusationem infirmitatis obtenderet.* Altera illis : *Legebatur quoque in litteris tuis, quas iidem diaconi tui detulerunt, quod frater Atticus Thessalonicam venisset, quodque consensum suum etiam scripturæ professione signasset.* Prior notitia forte inserta fuit relationi quam de Achaiæ metropolita Anastasius dederat, cuique Leonem respondisse innuimus die 6 Januarii an. 446. Sed cum pontifex queratur in epist. 14, cap. 1, Anastasium, non exspectato priorum litterarum responso, quo cum Attico moderate agendum suaserat, hiemis tempore Atticum Thessalonicam vi adducendum curasse, hoc factum ipso hieme exeuntis an. 445 vel ineuntis an. 446 contigisse confirmatur, uti jam statuimus annot. 1 (*Col.* 666, *n.* m) in epist. 14, ac propterea altera epistola Anastasii de Attico ad hunc annum 446 referenda est.

1443 16. Tria Turribii Asturicensis episcopi scripta ad Leonem transmissa circa Priscillianistarum hæresim, quæ in Hispaniis grassabatur, laudantur epist. 15, in proœmio : *Epistolæ sermo, et commonitorium, et libelli tui textus eloquitur.* Primum scriptum *epistolam familiarem* Leo appellat cap. 17. *Commonitorium* sexdecim capitulis distinctum, totidem damnatis olim Priscillianistarum opiniones continebat. *Libellus* tandem Turribii opera lucubratus, sexdecim pariter capitulis confutationem earumdem opinionum

Digitized by Google

complectebatur, ut ipse testatur in epistola ad Idatium et Ceponium c. 6, de qua plura in admonitione ad eamdem epistolam appendici inserendam num. 5. Sexdecim autem capitula tum commonitorio, tum libello tribuimus, quia S. Leo in proœmio epist. 15 Priscillianistarum errores sexdecim capitulis a Turribio confutatos testatur; capite autem 16 eamdem formam et commonitorio et libello tribuens, utrosque in totidem capitula distinctos indicat. Hunc *libellum* et *commonitorium* librorum nomine comprehendit Montanus episcopus Toletanus in epistola ad Palentinos Concilio Toletano II addita, dum de Priscillianistarum hæresi scribens, laudat *Theoribii episcopi ad S. papam urbis Romæ Leonem libros editos, in quibus hanc sordidam hæresim explanavit, aperuit, et occultam tenebris suis, perfidiæque nube velatam in propatulo misit; ex ipsis etenim libris qualiter cavere, quid respondere contra sacrilegos possit, pius lector inveniet.* Quod hos *libros* Theoribii episcopi *ad S. Leonem editos* affirmat, non ita intelligendum est ac si *libellus* æque ac *commonitorium* a Turribio jam episcopo scriptus fuerit : libellum enim ante episcopatum ab eo probabilius scriptum in eadem appendice ostendemus ; sed eo sensu est accipiendum, quia libellus et commonitorium cum Turribii epistola ad Leonem missi fuerunt, et hos simul Montanus invenit. Hæc autem omnia ad Leonem missa fuisse per *Pervincum* diaconum tradit Idatius ad an. 446.

ANNO 447.

17. Cum S. Leo ad Turribium rescripsit epist. 15, die 21 Julii an. 447, aliam etiam epistolam direxit ad episcopos *Tarraconenses, Carthaginienses, Lusitanos atque Gallicos, eisque concilium synodi generalis* indixit, ut secundum ea quæ ad Turribii consulta responderit, *plenissime disquireretur examine, an essent aliqui inter episcopos qui hujus hæreseos contagio polluerentur, a communione sine dubio separandi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum gravitates damnare noluissent.* Vide epist. 15, cap. 17.

18. In epist. 15 ad Turribium, cap. 17, Leo cavit ut si forte hoc generale concilium aliquo impedimento cogi non posset, Galliciæ saltem episcopi, inter quos error serpebat, omnino convenirent. Cum porro 1444 rescisset aliarum provinciarum episcopos Tarraconenses, Carthaginienses, Lusitanos, et Bæticos, non autem Gallicios episcopos in Toletana synodo congregandos, aliam ad illos epistolam dedisse creditur, in qua præcepit ut decretum fidei ederent, et ad Balconium Bracarensem Galliciæ metropolitam mitterent. Id autem a nonnullis deductum fuit ex lectione post Merlinum vulgata in aliquot editionibus Conciliorum, qua regulæ fidei Toletano I subjectæ inscriptio sic exhibetur : *Incipit regula fidei catholicæ contra omnes hæreses, quam maxime contra Priscillianistas, quam episcopi Tarraconenses, Carthaginienses, Lusitani, et Bætici fecerunt ex præcepto papæ Urbis Leonis, et ad Balconium episcopum Galliciæ transmiserunt.* Sed hanc lectionem et interpunctionem soli præferunt codices collectionis Hispanicæ originis Gallicanæ, quos Isidorus exscripsit; in quibus alieno arbitrio aliqua mutata sæpius observavimus. Codices autem purioris collectionis Hispanicæ sic habent : *Incipiunt regulæ fidei .... quas episcopi Tarraconenses,* etc., *fecerunt, et cum præcepto papæ Urbis Leonis ad Balconium episcopum Galliciæ transmiserunt.* In epistola ad Hispanos, quam numero antecedenti memoravimus, Leo præceperat ut omnes Hispani generalem synodum adversus Priscillianam hæresim cogerent, et si quid huic generali synodo obstitisset ut *Galliciæ saltem in unum convenirent sacerdotes*, in epistola 15 ad Turribium mandaverat. Cum ergo ex eo Leonis præcepto Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani, et Bætici synodum habuissent, in qua condiderunt regulam fidei, hanc regulam cum memorato præcepto et epistola Leonis Gallicis etiam inscripta, et forte etiam cum epistola ad Turribium, qua Galliciæ concilium potissimum expetebatur, ad Balconium hujus provinciæ metropolitam transmiserunt, ut exinde ad synodum cogendam excitaretur. Ita porro commode intelligitur quod in synodo Bracarensi II, tom. 6 Conc. Ven. edit. pag. 517, dixit Lucretius ejusdem urbis episcopus : *Cujus etiam* (Leonis) *præcepto Tarraconenses et Carthaginenses episcopi, Lusitani quoque et Bætici, facto inter se concilio, regulam fidei contra Priscillianam hæresim cum aliquibus capitulis conscribentes, ad Balconium tunc hujus Bracarensis Ecclesiæ præsulem direxerunt.*

19. Hic idem autem Lucretius præterea testatur S. Leonem *per Turribium notarium sedis suæ ad synodum Galliciæ contra impiam Priscilliani sectam scripta sua direxisse.* Hæc autem est epistola ad episcopos Galliciæ quæ intercidit. In antiquissimo codice 59 capituli Veronensis, qui continet Breviarium canonum et decretalium Romanorum pontificum, cum in tabula præmissa, tum in opere num. 30 habetur : *Ex epistola Leonis papæ ad Balconium*, nullo ipsius epistolæ fragmento vel capitulo subjecto. Num hæc fuerit peculiaris epistola ad Balconium, an generalis ad eum 1445 et cæteros Galliciæ episcopos per Turribium notarium transmissa, ignoratur. Epistola ad synodum Galliciæ a Leone scripta videtur, postquam intellexit ejus provinciæ episcopos generalem synodum non adiisse, eosque ut ad suæ provinciæ synodum cogendam vehementius urgeret, Turribium Romanæ sedis notarium cum iisdem litteris direxit. Hinc hæ litteræ pertinere possunt ad annum 448.

20. Ex capite 7 epistolæ 17 ad Siculos scriptæ die 21 Octobris an. 447, liquet quotannis Romæ habitum fuisse concilium, ad quod ex Siculis terni semper debebant accedere. Nulla ex tot synodis gesta supersunt. Solum ex epist. 17 ad eosdem indicatur decretum in Romana synodo pro Taurominitana et Panormitana Ecclesiis latum ob querimoniam a clericis earumdem Ecclesiarum propositam contra episcopos qui ecclesiastica bona alienaverant. In hoc Leo præscripserat *quemadmodum utriusque Ecclesiæ utilitatibus consulatur.* Confer annot. 6 (*Col.* 705, *n.* a) in eamdem epist. 17.

21. Januarius episcopus Aquileiensis ad Leonem scripsit epistolam, in qua de suæ provinciæ Pelagianis ad sanum consilium et ad Ecclesiam revocatis agens, alios ex iisdem clericos cum debita cautione in gradum suum receptos, alios vero ad altiorem gradum promotos exposuit; quam in rem Leo illi reddidit epistolam 18 die 30 Decembris an. 447. Joannes Trithemius in lib. de Script. eccles., inter Leonis opuscula quæ in suo codice describebantur, quarto loco recenset : *Ad inquisitiones Januarii episcopi lib.* I, et initium præfert : *Nulla ratio sinit ut*, etc. Decimo autem loco : *Ad Rusticum Narbonensem episcopum lib.* I, cum hoc initio ; *Subditis responsionibus;* quæ tamen voces non ad epistolæ initium, sed ad inscriptionem seu titulum pertinent. Ex distinctione autem epistolæ ad Rusticum ab inquisitionibus Januarii suspicio quibusdam exoriri poterit aliam deesse Januarii Aquileiensis epistolam, qua aliquot quæstiones S. Leoni proposuerit, et aliam item desiderari epistolam S. Leonis, qua Januarii inquisitionibus responderit. Sed initium *Nulla ratio sinit ut* convenit responsionibus S. pontificis ad inquisitiones Rustici. Hæ vero cum in aliquot collectionibus describantur numero distincto post ipsam epistolam, forte in Trithemii exemplari librarii errore dissectæ ab epistola ad Rusticum, breviori epistolæ ad Januarium erant subjectæ; idque illi occasio fuit tribuendi Januario quod Rustico asserendum est.

ANNO 448.

22. Duo antiquiores presbyteri Beneventani Epicharpio recentius ordinato cum aliorum præjudicio primum locum cesserant. Id ægre ferens Paulus

Digitized by Google

presbyter Romam perrexit, eaque super re querimoniæ libellum Leoni obtulit, qui epist. 19 ad Dorum episcopum subjectus fuit ex cap. 1, sed ad nos non pervenit.

23. Cum in hac causa suum cuique gradum pro ordinationis tempore Leo vindicarit, primis qui cesserant ad infimum relegatis, hujus præcepti exsecutionem Julio episcopo commisit in litteris quæ desiderantur. Vide cap. 2 laudatæ epistolæ 19.

24. In Ephesinæ Ecclesiæ tumultibus adversus Bassianum episcopum Leo epistolam dedit in Chalcedonensi synodo memoratam tom. IV Concil. pag. 1610 a, et 1614 c, in qua eum *præter regulas ordinatum non oportere esse episcopum* scripsit. Confer annotationes nostras in primam Quesnelli dissertationem ad an. 447, num. 4.

25. Eutyches antequam a S. Flaviano condemnaretur in Constantinopolitana synodo, epistolam dedit ad S. Leonem, qua *Nestorianam hæresim quorumdam rursus studiis pullulare* retulit. Vide responsum pontificis epist. 20.

26. Post condemnationem vero ideni hæreticis alteri epistolæ ad Leonem scriptæ, quæ ex ms. Casinensi conservata legitur epist. 21, quatuor documenta subjecta ex quibus libellus accusationis Eusebii Dorylæensis episcopi 1448 in Constantinopolitana synodo productus, licet in eo ms. omittatur, inter hujus tamen synodi gesta Chalcedonensi insertus describitur. Deest autem alter ad Leonem libellus appellationis, quem in ea synodo obtulit, at non susceptus, idcirco hæreticus mendax est. Ex tertio autem documento superest prima pars, quæ professionem fidei Eutychis exhibet; altera vero pars quæ contestationem ad populum Constantinopolitanum continebat, desideratur. Ex quarto autem documento, quod supposititia Julii, Felicis, Athanasii et Gregorii Thaumaturgi testimonia præferebat, tres pessimorum Patrum testimonia, uti ab Eutyche fuerunt producta, in eodem ms. omittuntur.

27. Hoc eodem tempore idem Eutyches alias querimoniæ litteras dedit ad S. Petrum Chrysologum, ex epist. 25.

28. Theodosius imperator in litteris ad Leonem Eutychi favens, de tumultibus Constantinopoli adversus eum excitatis querebatur, seque solicitum præbuit ne in populo Dei aut schismata, aut hæreses, aut ulla scandala convalescerent, uti colligitur ex epist. 23 et 24. Hæ imperiales litteræ una cum præcedenti Eutychis epistola sub finem an. 448 probabilius missæ fuerunt.

ANNO 449.

29. Aliæ Theodosii litteræ, quibus Leo ad Ephesinam synodum invitatus fuit, ab eodem acceptæ fuerunt m id. Mali an. 449, ex epist. 31, c. 4. Julius legatus Leonis in pseudosynodo Ephesina has litteras *simili tenore* scriptas prodidit, ac epistola ejus imperatoris ad Dioscorum lecta in eadem pseudosynodo act. 1. Discrimen vero aliquod intercessisse observavimus annot. 29 (*Col.* 795, *n.* 7) in epist. 31, ubi de voce *ea*, *ibidem*, *simili*, non autem *eadem*, *eodem*, tenore Julius legatus usus est.

30. Juliani episcopi Coensis epistola Constantinopoli scripta, et ad Leonem missa fuit per Basilium diaconum, qua catholicam dogma contra Eutychianam hæresim declaravit. Huic S. pontifex respondit duabus epistolis 34 et 35, quarum altera per legatos, altera per eumdem Basilium directa fuit.

31. Tertia epistola Flaviani Constantinopolitani episcopi post alias duas, quæ existant, ad Leonem missa per Basilium diaconum, ab eo diversum, qui Juliani litteras detulerat, sui desiderium reliquit. Brevis erat, quia plenior instructio Basilio commissa fuerat. Huic respondet pontifex epist. 38. Confer annot. 2 (*Col.* 812, *n.* 6).

32. Epistola episcoporum Galliarum, qui post Hilarii mortem Ravennium Arelatensem episcopum ordinaverant, et alia ejusdem Ravennii, quibus ex veteri disciplina de ipsa ordinatione ordinatores et ordinatus ad Romanum pontificem scripsere. Hi Leo respondet epist. 40 et 41, datis die 23 Augusti an. 449.

33. Libellus appellationis ad Leonem a S. Flaviano Constantinopolitano datus legatis 1447 in pseudosynodo Ephesina, memoratur epist. 44, c. 3, de qua vide observationes nostras in dissert. Quesnelli.

34. In causa latrocinii Ephesini acta synodi Romanæ, cujus nomine Leo scripsit in Orientem epistolas 44, 45, 50 et 51, signatas die 13 Octobris an. 449.

35. *Exempla acclamationum* Constantinopolitanæ plebis pro Flaviano episcopo et contra Ephesinum latrocinium, quæ ad Leonem *transmissa* fuere cum litteris cleri et populi Constantinopolitani, quibus pontifex respondet epist. 59. Vide cap. 1. Hæ litteræ ante auditam Flaviani mortem circa idem tempus datæ *fuere*, quo Leo scripsit epist. 50 et 51, id est circa idus Octobris hujus anni 449. Confer annot. 4 (*Col.* 866, *n.* 4) in epist. 59.

36. Eodem tempore quo clerus et populus Constantinopolitanus, in eamdem sententiam scripserunt etiam archimandritæ Marinus et Faustus, quibus Leo rescripsit epist. 61.

37. Eadem occasione probabilius transmissa fuere *scripta* Pulcheriæ Augustæ ad eumdem pontificem, *quibus evidenter ostendit quantum catholicam diligeret fidem, et quantum hæreticum detestaretur error*. Vide responsionem epist. 60.

38. Sub finem an. 449, sicut ordinatus fuit Anatolius Constantinopolitanum episcopus, et ad Leonem dedit epistolam de ordinatione sua, ut ostendimus in admonitione ad epist. 55, ita etiam de eadem ordinatione litteras ad eumdem pontificem scripsere Theodosius imperator, Pulcheria Augusta, et ordinatores ejusdem. Unicum exstat Anatolii epistolæ fragmentum. Cæteræ epistolæ desiderantur. Theodosio Leo respondet epist. 64, Pulcheriæ epist. 70. Ordinatorum vero litteræ memorantur epist. 74. Hic autem motus Theodosium in epistolis 63, 65 et 66, quas Valentiniano et Augusto reddidit, allegare se de his quæ Leo commonuerat, nimirum de Flaviano ac Ephesini latrocinii gestis, *pluries, plenius, apertius, plenissime*, ac *sæpius* ad eumdem pontificem jam scripsisse. Adverbium *sæpius*, quod legitur in epist. 65, non unam tantum, sed plures epistolas hac de re ab eodem imperatore ad Leonem scriptas indicat: cui concinit simile adverbium *sæpe* de Theodosii litteris a Leone pariter usurpatum epist. 69, cap. 1, et ex his utrisque epistolis 63 et 69 manifestum etiam fit imperatorem, in iisdem ad Leonem litteris sese sollicitum semper prætulisse pro custodia synodi Nicænæ. Potuit quidem aliquid ejusmodi attingi in litteris quas idem Theodosius occasione ordinationis Anatolii ad nostrum pontificem scripsit. At cum non una tantum epistola hac de causa ab eodem fuerit exarata, altera scilicet anterior non multo post latrocinium Ephesinum ad Leonem missa dicenda est, in qua plenior illa de gestis Ephesinis instructio contineretur, cum Eutyches patrono exheberet pontificem cultus præverus. Hæc autem Leoni tradita mense Decembri occasionem præbuit scribendæ ad eumdem Augustum 1448 epistolæ, et, in qua cum de custodia Nicænæ fidei disseruit, ne imperatoris animum acerbius pungeret, se in cæteris remittit ad litteras eidem antea scriptas in mense Octobris.

ANNO 450.

39. Acta alterius synodi Romanæ Februario mense an. 450, ob eamdem Ephesini latrocinii causam ce-

[a] Vid. admonit. in epist. 35, n. 4.

Digitized by Google

actæ ex innumeris totius Italiæ episcopis, quibus petentibus Valentinianus imperator, ejusque mater et conjux ad Theodosium et Pulcheriam dederunt epist. 55, 56, 57 et 58. Acta hujus synodi missa traduntur epist. 55. Quoad tempus quod indicavimus vide admonitionem præmissam epist. 55.

40. Viennensis episcopus litteras ad Leonem cum legatis misit, *conquerens Arelatensem episcopum ordinationem sibi Vasensis antistitis usurpasse*, ex epist. 66, c. 1. Allegationes utriusque partis etiam allatæ ex cap. 2.

41. Fausti archimandritæ Constantinopolitani litteræ ad Leonem per Parthenium missæ, quibus suam in fide constantiam patefecit. His respondet epist. 72. Vide admonitionem eidem præmissam num. 2.

42. Paris constantiæ litteras dedisse videtur etiam Martinus presbyter, cui Leo rescripsit epist. 74.

43. Leonis epistolam ad Marcianum imperatorem per Maximinum comitem missam, qua de ejus assumptione ad imperium gratulatus respondit imperiali epistolæ 73, deesse ostendimus annot. 2 (*Col.* 908, *n.* [i]) in epist. 78.

44. Cum prior Anatolii Constantinopolitani epistola post ipsius ordinationem ad Leonem scripta (cujus fragmentum dedimus epist. 53), *præter id quod ad ordinationem novi antistitis pertinebat, nihil de compressis vel abdicatis erroribus indicasset*, quemadmodum Leo ait epist. 71, ut eam ordinationem pontifex confirmaret, expressam fidei professionem exspectavit. In hanc rem post diem 16 Julii an. 450 quatuor legati Constantinopolim missi fuere. Abundius et Asterius episcopi, Basilius et Senator presbyteri, qui e Romana synodo missi videntur. Vide Acta sanctorum 2 Aprilis pag. 92. Hujus synodi gesta desiderantur.

45. Cum legati in regiam urbem venissent, synodus convenit; ibique lecta dogmatica Leonis epistola 28 ad Flavianum, nec non testimonia Patrum, quæ a Leone per legatos missa fuere, eidemque epistolæ subjiciuntur in editione Chalcedonensis concilii act. 2, Anatolius et omnes episcopi, archimandritæ, presbyteri et diaconi laudatæ epistolæ subscripsere, et Nestorio, Eutychi eorumque doctrinæ anathema dixerunt. Hæc gesta, quæ laudantur epist. 80, c. 1 et 2, ad Leonem missa fuere per Casterium, Patricium et Asclepiadem clericos una cum legatorum relatione ex epist. 79, et cum duabus epistolis ad eumdem pontificem, altera Anatolii, Juliani Coensis altera. Vide epist. 77, 80 et 81. Commonitorium 1449 etiam laudati Anatolii iisdem clericis traditum ac pontifici oblatum dicitur epist. 85, c. 3. Ex his autem nihil superest, nisi unicum gestorum fragmentum, quod in appendice edetur. Forte in litteris Anatolii continebatur ea professio quæ memoratur epist. 112, c. 1, his verbis: *Quem* (Andream uti Eutychianum) *ipse professus est a se esse rejectum*; alias nova et posterior Anatolii epistola desideraretur. Sicut autem gesta Constantinopolitana, in quibus Anatolius Leonis epistolam subscripsit, probabilius assignanda sunt exeunti anno 450, uti colligere licet ex annot. 13 (*Col.* 907, *n.* [f]) in epist. 77, ita etiam commonitorium Anatolii, relationem legatorum et memoratas epistolas sub idem tempus data fuisse non est ambigendum.

Sunt qui existimant hac eadem occasione per eosdem Constantinopolitanos clericos una cum epist. 77 Pulcheriæ Augustæ aliam deperditam Marciani epistolam ad Leonem fuisse transmissam, in qua de Anatolii fide laudatis gestis probata testimonium dederit. Leo enim epist. 104, cap. 2, et 111, cap. 1, se istius ordinationem approbasse significat ob imperatoris testimonium, quod in epist. 76 ejusdem Augusti sub hoc tempus, ut putamus, tradita nequaquam legitur. At cum Leonis epistola 78, quæ Marciani litteris hoc tempore scriptis per memoratos clericos Constantinopolim remigrantes reddita fuit, nihil de Anatolio indicet, nihil quoque de eo imperatorem in suis litteris scripsisse indicium est; alias, sicut Pulcheriæ de Anatolio testanti epist. 77, quæ profecto hac occasione ad Leonem missa fuit, hic pontifex de eodem Anatolio rescripsit epist. 79, ita etiam sese gessisset in laudata ad Marcianum responsione, quam eadem die per eosdem clericos ejus litteris reddidit si in his Anatolii mentionem ac imperiale testimonium reperisset. Itaque hæc pontificis responsio, seu epist. 78, reddita videtur Marciani epistolæ 76, quacum sane concinit. Testimonium vero ejusdem imperatoris de fide Anatolii, quod memoratur epist. 104 et 111, Leo colligere potuit ex ipsa Pulcheriæ epist. 77, vel apertius ex relatione legatorum, ut ne aliam Marciani epistolam hac occasione de Anatolio testantem, cui pontificis responsio non congruit, astruere necesse sit.

ANNO 451

46. Marciani epistola per Tatianum præfectum urbis Constantinopolis directa, quæ ad Leonem pervenit post legatorum Anatolii reditum in regiam urbem, id est post diem 13 Aprilis an. 451, et ante diem 23 ejusdem mensis, ut patet ex annot. 5 (*Col.* 917, *n.* [f]) in epist. 82. Cum vero Tatianus tanta dignitate ornatus expeditum iter fecerit, ea epistola ipso anno 451 scripta videtur. In hac imperator pacis ecclesiasticæ studiosissimus, iterum sollicitius apud pontificem institit pro cogenda generali synodo, in qua, 1450 ut omnia ad unitatem facilius componendam novo tractatu discuterentur, postulasse colligitur ex Leonis responso epist. 82, c. 2.

47. Alia ejusdem imperatoris epistola ad Leonem perlata fuit per pontificios legatos Constantinopoli in Urbem reversos ante diem 9 Junii an. 451, in qua idem indicendæ œcumenicæ synodi consilium ingerebatur, ex epist. 83.

48. Lucentius episcopus, et Basilius presbyter a Leone lapsorum recipiendorum causa Constantinopolim missi fuerunt die 9 Junii an. 451. His plenissima instructio tradita fuit, cum de synodo convocanda tantum ageretur. Vide epist. 83, 84, 85 et 86.

49. Interim imperatoris litteræ datæ 17, alias 23 Maii, quibus synodus Nicææ indicta fuerat kal. Septembris, ad Leonem pervenere. Peculiares litteras, quæ desiderantur, ad ipsum missas fuisse ostendimus ann. 2 (*Col.* 934, *n.* [m]) in epist. 91, in qua eædem litteræ indicantur.

Hac forte occasione ad eumdem pontificem missa fuit Anatolii Constantinopolitani antistitis epistola, in qua indicaverat *quod in suscipienda catholica fide, et damnatione Eutychis atque Nestorii omnes Orientales subscripserint sacerdotes*, uti ex Leonis responsione epist. 91 colligere licet. Hinc etiam epist. 88 ad Paschasinum, cap. 3, idem pontifex affirmat se *proxime epistolam Constantinopolitani episcopi accepisse, quæ refert Antiochenum episcopum, missis per provincias suas tractoriis, universos episcopos et epistolæ meæ præbuisse consensum, et Nestorium et Eutychen pari subscriptione damnasse*. Adverbium *proxime* maxime notandum est.

50. Laudatam synodi indictionem Leo post diem nonam Junii, memoratis legatis jam profectis, accepit. Hisce in angustiis Paschasinum Lilybetanum episcopum uti legatum ad concilium elegit; cujus delegationis epistolam desiderari probavimus annot. 4 (*Col.* 930, *n.* [p]) in epist. 89.

51. Bonifacium presbyterum alium legatum Roma misit, et laudato Paschasino ac duobus legatis jam transmissis, Lucentio et Basilio adjunxit, qui vice sua concilio præsiderent. Huic Bonifacio litteras dedit ad eosdem Lucentium et Basilium, quæ hanc delegationem declarabant, uti liquet ex epist. 94.

52. Eidem etiam Bonifacio *Commonitorium* tradidit, cujus fragmentum ab ipso presbytero productum act. 16 concilii Chalcedonensis, hic appendimus ex mss. Baluzii emendatum, ac præsertim ex antiquissimo Vaticano 1322.

Digitized by Google

1451 *Fragmentum Commonitorii.*

« Bonifacius presbyter vicarius sedis apostolicæ dixit : Beatissimus et apostolicus vir papa inter cætera hoc nobis mandavit. Et ex charta recitavit:

« *Sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari vel imminui, servantes omnimodis personæ nostræ in vobis, quos vice nostra misimus, dignitatem; ac si qui forte civitatum suarum splendore confisi, aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis.* »

In hoc forte *Commonitorio* continebatur etiam illud præceptum quod Paschasinus ex synodo Chalcedonensi act. 1 exposuit his verbis t. IV Concil. Venetæ edit. pag. 863: *Beatissimi atque apostolici viri papæ urbis Romæ, qui est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, in quibus præcipere dignatus est ejus apostolatus ut Dioscorus non sedeat in concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc ergo nos observare necesse est. Si ergo præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus.*

53. Epistola Leonis ad eosdem legatos circa Theodoretum sic memoratur act. 8 ejusdem concilii tom. IV Concil. pag. 1525, d: *Paschasinus et Lucentius reverendissimi episcopi, et Bonifacius reverendissimus presbyter, insuper et Julianus reverendissimus episcopus Coensis* (hic postremus cæteris legatis additus fuit), *habentes locum apostolicæ sedis dixerunt: Sanctissimum et venerabilem episcopum Theodoretum sanctissimus et beatissimus universæ Ecclesiæ episcopus urbis Romæ dudum in communionem susceptit ita, sicut litteræ ab eo ad nostram humilitatem directæ testantur.* Cum Maximum quoque Antiochenum idem sanctus pontifex in communionem receperit, et hac de causa ille in synodo Chalcedonensi fuerit susceptus ex decima actione, num concessa eidem communio constiterit ex litteris Leonis ad legatos, an ex epistola ad ipsum Maximum, ignoratur.

54. Leonis epistola ad Eusebium Mediolanensem episcopum missa fuit ante mensem Augustum an. 451 per Abundium et Senatorem, in qua felici Constantinopolitanæ legationis exitu commemorato ei præscripsit ut concilium provinciæ cogeret, ibidemque legeretur sua ad Flavianum epistola 28, et Eutychianam hæresim sequentes anathemate plecterentur, uti discimus ex epist. 97.

55. Quædam specialia gesta, forte pro Constantinopolitanæ sedis privilegio, Chalcedonensis synodi tempore ab Anatolio ad Leonem missa indicantur epist. 101, c. 2. Vide annot. 6 (*Col.* 977, *n.* a).

56. Epistola Juliani Coensis ad Leonem, qua *pro appetitu novæ transgressionis intervenit* ex epist. 107, nimirum pro prærogativa sedi Constantinopolitanæ in Chalcedonensi **1452** tributa. Hæc epistola allata fuit per Lucianum episcopum una cum litteris 100 et 101 eadem super re scriptis mense Decembris an. 451.

ANNO 452.

57. Theodori Forojuliensis in Gallia episcopi litteræ cum quibusdam interrogationibus de reconciliatione pœnitentium, quibus Leo respondit die 11 Junii an. 452, epist. 108.

58. Juliani epistola de Palæstinorum monachorum tumultibus et violentiis, quibus catholicos exagitabant, et Eutychianis favebant. Leo respondit epist. 109.

ANNO 453.

59. Verba epistolæ Leonis 112, c. 1, *prædicti* Aetii *lacrymabilis querela*, innuunt litteras ejusdem ad Leonem, quibus de injuria sibi ab Anatolio illata querebatur, eo quod sub honoris specie ad presbyteratum promotus, archidiaconatu privatus fuerat, et cœmeterio præpositus, quodammodo damnatus fuerat exilio. Indicavit etiam Anatolium ad pontificem missurum litteras, quas tamen se non suscepisse Leo testatur epist. 113, c. 1. *Chartas* præterea Romam *ante* fuisse directas significavit, quæ pariter non pervenisse ibidem traduntur c. 3. Hanc Aetii epistolam datam fuisse circa initium anni 453 colligitur ex epist. 111 et 112 hac de re ad Marcianum et Pulcheriam scriptis die 10 Martii anni ejusdem.

60. Hac eadem de causa eodemque tempore Julianus ad Leonem scripsit. Ibi etiam de malis Attilæ bello Italiæ illatis condoluit. *Breviarium fidei* antea missum significavit. Huic epistolæ Leo respondit epist. 113, data 11 Martii an. 453.

61. Tres epistolæ ad Leonem de ordinatione Proterii episcopi Alexandrini, una ipsius Proterii, altera ordinatorum ejus, ac tertia cleri ejusdem, colliguntur ex tribus epistolis ad singulos rescriptis, quarum exemplaria idem pontifex ad Julianum misit cum epist. 113, c. 3. In epistola ad Proterium pleniorem et apertiorem fidei expositionem ab eo petiisse videtur ex epist. 127, c. 1. Hæ omnes sex epistolæ intercidere.

62. Sub hoc idem tempus aliæ epistolæ Euxithei Thessalonicensis de ordinatione sui et ordinatorum ejus, atque, uti mos ferebat, cleri etiam et populi ad S. Leonem missæ fuere per episcopum qui ab eodem Euxitheo suæ ordinationis nuntius traditur epist. 117, c. 5, data 21 Martii anni 453. His pontificem totidem litteris rescripsisse nihil dubium est; at nihil horum superest.

63. Una cum epistola Marciani 110, scripta die 13 Februarii an. 453, Leo accepit epistolam Juliani, qua ejusdem imperatoris et Pulcheriæ præclara gesta commendans, exemplaria sanctionum utriusque ob comprimendos et instruendos monachos Palæstinos ad eumdem pontificem direxit. Hæ sanctiones **1453** supersunt tom. IV Concil. pag. 1798 et 1819, et superest etiam earumdem antiqua interpretatio, quam Juliano transmisisse non improbabiliter credimus. Vide annot. 4 (*Col.* 1036, *n.* 1) in epist. 116. At Juliani epistola sui desiderium reliquit.

64. Duæ epistolæ ad Eudociam, quibus eam hortabatur ne monachis Palæstinis faveret, desiderantur. Altera scripta fuit a Leone Marciani imperatoris insinuatione, qui hoc suum desiderium illi per Paulum secreto significavit ex epist. 117, c. 3. Altera missa fuit a Valentiniano Augusto, Leone suadente ex eadem epistola.

65. Alia epistola Juliani de Palæstinorum monachorum turbis per Esichium missa indicatur epist. 118, c. 7.

66. Cum in Chalcedonensi synodo Juvenali Jerosolymitano episcopo cessio facta fuisset trium Palæstinarum contra Nicænos canones in Antiochenæ sedis præjudicium, Maximus Antiochenus episcopus ad Leonem epistolam dedit, in qua de hac cessione conquestus est. Vide responsum Leonis epist. 119, et nostras observationes ad diss. 9 Quesnelli.

67. Duæ Marciani epistolæ ad S. Leonem, quibus hic respondit die 9 Januarii an. 454, epist. 126, datæ fuerunt an. 453. In altera de compressis Palæstinis tumultibus ac de Juvenali in suam sedem restituto scripserat. In altera vero pro Anatolio episcopo intercesserat, ut liquet ex epist. 127, cap. 3. In alterutra ex his indicaverat etiam se curam de paschali die anni 455 Alexandrinis inquisitione sollicitissima delegasse. Vide ejusdem epistolæ caput 2.

68. Una cum his Marciani epistolis tradita Leoni fuit epistola Juliani Coensis, in qua præter notitiam eorumdem gestorum Marciani, retulit, S. pontificis epistolam 114 ad synodum Chalcedonensem Constantinopoli præsentibus episcopis et clericis lectam fuisse dimidiatam, suppresso scilicet eo extremo capite quo S. Leo de Anatolii ambitu et de canone pro Constantinopolitana sede edito querebatur. Addiderat etiam Aetium presbyterum cognitione habita discussum, in omnibus fuisse purgatum. Vide epist. 127, c. 3.

69. Epistola Proterii Alexandrini ad Leonem, qua pleniorem de fide sua expositionem direxit, cum per Nestorium episcopum accepta tradatur in epist. 127, scripta die 9 Januarii an. 454, exarata cognoscitur an. 453, eique S. pontifex respondit die 10 Martii an. 454.

Digitized by Google

ANNO 454.

70. Deperdita Leonis epistola ad Marcianum memoratur epist. 137, cap. 2, his verbis : *Prioribus petii litteris, ut œconomos Constantinopolitanæ Ecclesiæ novo exemplo et præcipue pietatis vestræ temporibus a publicis judicibus non sinatis audiri, et hanc quoque injuriam sacris removeatis ordinibus ; sed rationes Ecclesiæ secundum traditum morem* **1454** *sacerdotali examine jubeatis inquiri.* Hæc scripta fuisse paulo post epistolam 127, datam die 9 Januarii an. 454, et spectare factum Aetii probabiliter conjecimus annot. 3 (*Col.* 1101, *n.* [a]) in epist. 137.

71. Julianus hoc anno ad Leonem scripsit Eutychen exsulantem *multa adversus integritatem catholicam blasphemiarum venena profundere, et quod in illo totus mundus horruit atque damnavit, impudentia majore, ut innocentes decipere posset, evomere.* Vide epist. 134, datam 15 Aprilis, cap. 2.

72. Marciani epistola, qua Leoni significaverat, se, ut eidem morem gereret, circa quæstionem Paschatis anni 455, agentem in rebus Alexandriam misisse, et quidquid exinde responsi afferretur, statim ad pontificis notitiam se transmissurum. Vide epist. 134, c. 3.

73. Duæ aliæ epistolæ imperatoris Marciani ad S. Leonem datæ mense Aprili an. 454. Altera post acceptam Alexandrinorum responsionem circa Pascha an. 455, significavit apud Orientales constitutum fuisse Pascha VIII kal. Mail, ac Proterii epistolam 133 ad Leonem de eadem quæstione simul transmisit. Vide epist. 137, c. 1, et 138. Altera quidquid egerit cum Anatolio, ut hunc Leoni conciliaret, exponebat, annexamque transmittens ipsius Anatolii epistolam 132, qua is pontifici satisfacere studuit, ut ad eumdem scriberet, hortabatur. Vide epist. 136, cap. 1.

74. Juvenalis episcopus Jerosolymitanus ad Leonem epistolam misit per Andream presbyterum et Petrum diaconum, qua se suæ sedi restitutum nuntiavit. Huic Leo respondit epist. 139, die quarta Septembris an. 454.

75. Julianus Dioscori mortem Leoni nuntiaverat litteris quibus respondetur epist. 140, 6 Decembris an. 454.

ANNO 455.

76. Aliæ Juliani litteræ ad Leonem, quibus is respondit epist. 141, die 11 Martii an. 455, hoc eodem anno ineunte scriptæ videntur. In his significaverat Carosum monachum in fidei confessione correctum, sed ita contra fratrem Anatolium in simultate nescio qua permanere, ut propter ipsius discordiam adhuc a communione desisceret : Joannem decurionem ad Ægyptum causa fidei fuisse directum, ut paci emendationique prospiceret. Addiderat etiam quædam ab accusatoribus fuisse producta adversus Maximum Antiochenum, qui idcirco episcopatu periclitabatur. Præterea ex epist. 142, c. 2, liquet S. Leonem de Juliano pariter accepisse, imperatorem mandasse ut alius Carosus et Dorotheus, qui damnatos tuebantur errores, ablati a monasteriis suis, apud eos degerent, quibus nocere non possent.

77. Alia Marciani epistola, qua Leonem de die Paschatis sollicite commonuit, cuique Leo respondit epist. 142 die 13 Martii **1455** an. 455, hoc eodem anno scripta colligitur.

78. Anatolii litteræ ad Leonem de hæreticorum reliquiis Constantinopoli latentibus, indicari videntur epist. 143 eodem die et anno signata.

ANNO 456.

79. Marciani imperatoris litteræ, quibus ordinationem Basilii Antiocheni Leoni significavit, memoratur epist. 149, cap. 1. Maximus, ejus prædecessor, anno 445 accusatus fuerat. Eum depositum tradit Nicephorus ; sed alii mortuum volunt. Quidquid autem fuerit, sicut consecratio Basilii, quæ vivo adhuc Marciano facta fuit, circa an. 456 collocanda est, ita etiam epistola imperatoris de ordinatione ejusdem.

ANNO 457.

80. Julianus Coensis motus ab Eutychianis excitatos Constantinopoli post Marciani mortem, quidque ad eos reprimendos ipse et alii catholici apud novum imperatorem Leonem egerint, indicavit litteris quibus Leo respondit epist. 144 scripta die 1 Junii an. 457.

81. Ex epistola 145 ad Leonem Augustum, data die 11 Julii, sanctum Leonem alias ad eumdem dedisse litteras patet, quibus de promotione ejus ad imperium gratulatus fuerat.

82. Ante aliquanto Anatolium ad pontificem retulisse de Proterii morte ac de turbis Alexandrinis, ex laudata epist. 145 ac ex epist. 146, eadem die scriptis manifestum est.

83. Aliæ posteriores ejusdem Anatolii litteræ, quibus Alexandrinos motus retulit, colligi posse videntur ex epist. 151, qua eidem Leo rescripsit die 1 Septembris hujus an. 457. At ne id certo affirmemus, illud in causa est quia fieri potuit ut, sicut S. pontifex duabus occasionibus oblatis, de iisdem Alexandrinis motibus bis scripsit ad Leonem Augustum, primum die 11 Julii epist. 145, ac dein 1 Septembris epist. 148, ita etiam ad Anatolium ex priori ejusdem relatione iisdem diebus binas litteras dederit, ut ne novam hujus epistolam de eo negotio acceperit.

84. Desideratur epistola Aetii presbyteri Constantinopolitani ad Leonem de iisdem Alexandrinis motibus, quæ diligentiam ipsius in causa Ecclesiæ testabatur, cuique pontifex respondit epist. 153, data 1 Septembris. Forte in hac epistola etiam de Attico presbytero Constantinopolitano Leonem commonuit, ita ut hac ex notitia is ad Anatolium scripserit epist. 151, eodem die exarata : Atticus *perhibetur Eutychianorum errorem apertis intra Ecclesiam disputationibus confovere.*

1456 85. Cum in Alexandrinis turbis Eutychiani novum examen de rebus in Chalcedonensi definitis postularent, constanter restitit S. Leo pluribus epistolis scriptis an. 457 et 458. Intra hoc tempus data fuit ad Aetium presbyterum ejusdem S. pontificis epistola, cujus duo insignia fragmenta eamdem constantiam præferentia supersunt. Ita porro eam affigendam an. 457 probabiliter conjecimus annot. 2 (*Col.* 1116, *n.* [b]) in epist. 147, ut tamen posterius scripta certo affirmari non possit. Laudata vero fragmenta hic inserimus ex epist. 7 Pelagii II, ad Eliam Aquileiensem et alios Istriæ episcopos c. 6. Quam epistolam a S. Gregorio papa I, cum adhuc esset diaconus, scriptam fuisse nomine Pelagii papæ, testatur Paulus Varnefridi lib. III de Gestis Longobardorum, cap. 10, al. 20. Hæc autem ibidem leguntur tom. VI Concil. Venetæ editionis pag. 264.

Fragmenta duo epistolæ ad Aetium.

« Extremum quoque sæpe fati Leonis ad Aetium præsbyterum testimonium ponitis, quo ait :

« *Ne patiatur sopitarum rerum certamen afferri, quarum retractator non nisi sacrilegus invenitur.*

« Quod de quibus rebus adstruat, ad eumdem Aetium scribens, ipse manifestat dicens :

« *Nihil ab apostolicis umquam potero sentire diversum, nec a mea ipse deviare sententia ; ut quod sancto Spiritu revelante confessus sum, quodque, mecum totius synodi professione prædicante, patefeci, aliqua varietate commutem ; cum facilius mihi sit quibuslibet et suppliciis ab hoc mundo auferri, quam ab ea, quam generaliter credidi* [Forte, *edidi*], *professione mutari.* »

86. Leonis epistola ad Patricium Asparem una cum epist. 148 ad imperatorem Leonem missa per Gerontium die 1 Septembris an. 457, laudatur epist. 151 et 153. In hac illi qui apud imperatorem magna non solum gratia, verum etiam auctoritate polleat, eadem commendabat, quæ in epist. 148 ab imperatore petebantur, de compescenda scilicet hæreti-

Digitized by Google

corum pertinacia, qui novum in examen definita vocabant.

87. Anatolius ad Leonem alias litteras direxit per Olympium, quibus iste respondit epist. 155, 11 Octobris an. 457. In his exposuit quantum juverit episcopos catholicos Ægyptios, qui Constantinopolim fidei causa ad imperatorem confugerant.

88. S. Leo alia epistola ad Leonem Augustum eadem die scripta, ac per eumdem [a] Olympium directa una cum epistolis 154 et 155, eidem gratias egit quod episcopos **1457** Ægyptios *ea qua dignum erat charitate suscepisset*, ex epist. 154. Ipsos quoque eidem etiam atque etiam commendavit ex epist. 157, c. 3. Eumdem porro Augustum cohortatus est *ut impiissimorum latronum* (id est Eutychianorum Timothei Æluri lautorum) *ausibus districtiori constantia faciat obviari, quos nefas tantum de suo favore præsumere, ut etiam apud Constantinopolim audeant insanire*, ex epist. 155.

89. Oblatis imperatori libellis catholicorum et Eutychianorum, qui ex Ægypto ad eumdem confugerant, idem Augustus utrosque libellos cum suis litteris ad omnes metropolitanos misit, et præcipue ad Leonem papam, ejusque præsentiam ad has turbas compescendas necessariam significavit. Vide admonitionem in epist. 156, qua S. pontifex imperialibus litteris respondit kal. Decembris hujus anni 457. Soli duo libelli memorati editi sunt in codice encyclio tom. IV Concil. pag. 1837 et 1848.

90. Alia Anatolii epistola, petentibus Ægyptiis catholicis, cum alio istorum libello ad Leonem pariter data fuit, cui is responsum dedit epist. 157. Vide annot. 1 (*Col.* 1131, *n.* 1) in hanc epistolam.

ANNO 458.

91. Cum imperator litteris memoratis num. 86 a pontifice non obtinuisset ut ipse Constantinopolim veniret, rursus ad eumdem scripsit petens ut aliquos de suis fratribus vice sui dirigeret. Hæc epistola imperatoris indicatur in epist. 160, c. 1, eidemque Leo respondit epist. 162, data 21 Martii an. 458, unde hæ Augusti litteræ sub initium hujus anni exaratæ noscuntur. Ex his litteris S. pontifex hæc verba recitat in laudata epistola 162, c. 2 : *Perfectio incrementum, et adjectionem plenitudo non recipit.*

92. Circa idem tempus Anatolius ad Leonem pariter scripsit respondens epistolæ 157, sibique displicere ostendit quod Leo de Attico scripserat. Vide responsionem Leonis epist. 163, scripta 28 Martii an. 458.

93. In hac subindicatur epistola ipsius Attici, quacum *scripta dubiæ fidei et professionis incertæ* ad Leonem missa fuere.

94. Acta synodi Romanæ an. 458, in qua *novum et inauditum ante genus consultationis exortum est*, de his scilicet qui in pueritia capti a barbaris, et postea ad suos redeuntes, ignorabant num baptizati fuissent. Vide epist. 166, scriptam die 24 Octobris an. 458.

95. Epistola Rustici Narbonensis paulo ante id tempus missa ad Leonem per Hermetem archidiaconum de causa Sabiniani et Leonis presbyterorum cum gestis quæ in episcoporum honoratorumque examine confecta fuerant. In hac illud etiam scripsit, *se vacationem ab episcopatus laboribus præoptare, et malle in silentio atque otio vitam degere, quam in his quæ ipsi commissa fuerant permanere.* Separatim adjecit **1458** consultationes cum XIX inquisitionibus, quæ totidem Rustici verbis inseruntur epistolæ 167.

ANNIS 459 ET 460.

96. Cum laudatus Hermes Biterrensibus episcopus datus, ab iisdem non fuisset receptus, idem Hermes et Rusticus litteras hac de re ad Leonem dedisse videntur ex Hilari papæ epist. 8, ubi memoratis Narbonensi ac Biterrensi civitatibus, quæ ob eam causam turbatæ fuerant, addit : *Olim igitur urbium præsides prædictarum sanctæ memoriæ decessori meo, non minus quam nobis, etiam tunc attulerunt doloris, illicitis petitionibus audendo prosequi, quod vix apud patientiam nostram sola necessitatum potuit deploratione leniri.* Forte in eo Rusticus institit, ut Hermeti episcopatum renuntiaret. Hæc paulo ante Leonis mortem circa annum 460 contigere.

97. Ex epistola ejusdem Hilari papæ duo alia documenta colligimus : primum Verani episcopi, uti creditur, Venciensis, et aliorum comprovincialium Alpium maritimarum ad nostrum Leonem relatio circa duos episcopatus civitatis Cemelenensis et castelli Nicænsis ; alterum ejusdem Leonis responsio, qua ea utraque loca ab uno tantum episcopo regenda præcepit : quod decretum laudatus pontifex Hilarus, cassato contrario privilegio abs se per obreptionem extorto, confirmavit. Cum porro hic in memoratis litteris addat Ingenuum Ebredunensem Alpium maritimarum metropolitam ab eodem Leone *dudum de sua* provinciæ *illicita sessione fuisse culpatum*, incertum est utrum hæc reprehensio hac occasione in supradicta responsione, vel potius in aliis litteris ad ipsum Ingenuum scriptis contineretur, an vero particula *dudum* anteriorem reprehensionem indicet, qua scilicet S. Leo epist. 10, c. 6, aliquot metropolitanos coarguit quod jus sibi debitum in alium, id est in Arelatensem episcopum, transtulerint. Primum videtur probabilius : cum enim idem Ingenuus adhuc post editam epistolam 10, sese ut Arelatensis sedis suffraganeum apud ipsum Leonem protulerit in libello precum pro privilegiis ejusdem sedis epist. 65, initio autem pontificatus Hilari se metropolitanum exhibeat, haud intelligimus, undenam tanta mutatio in eodem contigerit, nisi quia S. Leo ipsum postea, non generatim et indistincte cum aliis, uti factum fuerat epist. 10, sed nominatim et expresse reprehendit, adeo ut hæc peculiaris correctio eum ad jus in provinciam Alpium maritimarum sibi vindicandum impulerit. Id autem occasione prædictæ relationis fortassis evenit. Cum enim non Ingenuus, sed Veranus cum aliis comprovincialibus ad Leonem scripserint, hinc forte S. pontifex eum jus suum metropoliticum non exercere cognoscens, præter responsionem ad Veranum et comprovinciales, ad ipsum quoque Ingenuum litteras dedit, **1459** in quibus illicitam sui juris cessionem culpans, in causa fuit ut is jus suum sibi exinde asseruerit. Hæc plenius intelligentur ex iis quæ fusius disseremus tomo II, in observationibus ad dissert. 5 Quesnelli, part. II, c. 6. Cum vero idem Ingenuus sub finem anni 451, vel ineunte anno 452, Gallicanorum episcoporum epistolam 99 ad Leonem Romam detulerit, ut liquet ex epist. 102, c. 1, si quis hac potius occasione eum a pontifice reprehensum, et ad suum jus arripiendum excitatum credere malit, nihil morabimur.

98. Epistola Gennadii Constantinopolitani episcopi, qua Leoni significavit Timotheum Ælurum, *postquam Ecclesiæ Alexandrinæ civitatis expulsus fuerat, Constantinopolim, nonnullis hoc fidei adversariis agentibus, venire permissum.* Pontifex autem respondit epist. 170, c. 1, data 17 Junii an. 460.

99. Tres epistolæ, una Timothei Solofacioli catholici episcopi Alexandrini, altera ordinatorum ejus, tertia Cleri Alexandrini ad Leonem de ordinatione ejusdem Timothei, quibus Leo respondit epist. 171, 172 et 173, datis 18 Augusti an. 460.

100. Inter fragmenta epistolarum deperditarum Leonis Quesnellus duo primum descripsit ex epist. 7 Pelagii papæ ad Eliam Aquileiensem et cæteros Istriæ episcopos, ubi hæc leguntur c. 6 :

« Adhuc autem (inquit Pelagius) ex ejusdem beati Leonis epistola testimonium scriptis vestris inseritis, quæ ad Basilium dicit :

« *Pie nobis et constanter* [b] *utendum est ; ne dum talium disputatio admittitur, eorum quæ divinitus definita*

[a] Vide annot. 4 (*Col.* 1126, *n.* 1) in epist. 155, et annot. 2 (*Col.* 1133, *n.* 2) in epist. 158

[b] In epist. 162, melius, *vitandum.*

Digitized by Google

sunt auctoritati derogetur. Et infra : « *Nec enim aliquam disceptationem plene definita revocanda sunt : ne ad arbitrium damnatorum ipsi de his videamur ambigere, quæ manifestum est per omnia propheticis et evangelicis atque apostolicis auctoritatibus consonare.* »

Dein hanc admonitionem subjecit : « Prius quidem illud fragmentum habemus, non in epistola ad Basilium, sed in cap. 3 epistolæ ad Leonem Augustum, quæ ex codice ms. cardinalis Grimani nunc primum in lucem a nobis emittitur, estque ordine 133 (nunc 164). Posterius vero, nec in hac, nec in illa, nec in ulla alia ad Basilium epistola reperi, quamquam eadem fere habentur in epist. 132 (nunc 162) ad eumdem Leonem Augustum cap. 2. Unde ex tribus his unum aliquod dicendum est : scilicet, vel hæc verba quæ leguntur in epistola ad Leonem Augustum, repetita fuisse a Leone nostro in alia epistola ad Basilium, quæ nondum e tenebris emerserit, vel mutilam esse epistolam ad Leonem, illamque ejus partem intercidisse in qua fragmentum a Pelagio relatum legebatur ; vel denique memoria lapsum esse Pelagium, cum posterius fragmentum ex eadem **1460** epistola, e qua prius, acceptum significavit. Hoc ultimum contigisse ægre admodum ego crediderim. Non solus enim Pelagius hunc errorem incurrisset, sed in illum pariter prolapsi essent Istriæ episcopi, a quibus utrumque fragmentum transcriptum eo modo fuerat in eorum epistola. Quod si aliter fuisset ab iisdem citatum, non id omisisset objicere Pelagius, qui vel ipsum ordinem citatarum ab illis episcopis epistolarum arguere non neglexit. Mutilam esse epistolam novam ad Leonem, nihil omnino est unde vel levissime conjiciatur, optime enim omnia sibi cohærent. Ad primam igitur responsionem confugiendum, nimirum aliam scriptam esse a Leone ad Basilium epistolam, quam quæ a nobis edita est ordine 118 (nunc 149), nisi pro quarta conjectura dixeris mendosa esse omnia epistolæ hujus Pelagii papæ exemplaria excusa. »

Hæc ex Quesnello fuse dedimus, quia omnia ejus inserere nobis proposuimus. Cæterum tanta admonitione totque conjecturis opus non fuit. Facile enim hoc negotium solvitur, si dicamus episcopos Istriæ, quorum ex litteris utrumque fragmentum a Pelagio transcriptum fuit, ita hic errasse in inscriptione epistolæ *ad Basilium* pro *ad Leonem Augustum*, uti erravit in *Constituto* Vigilius tom. V Concil. pag. 1356, allegans alium textum ex epistola, quam datam prodidit *ad Anatolium Constantinopolitanum*, cum tamen *ad Basilium* tradita fuerit, uti observavimus annot. 7 (*Col.* 1120, *n.* 1) in epist. 149. Ea quidem fragmenta totidem verbis inveniuntur in epistolis 162 et 164 ad Leonem imperatorem, ac Vigilius in *Constituto* eadem fragmenta recitans, litteras ad hunc imperatorem, non vero ad Basilium laudavit. Hinc ergo inter deperditas Leonis epistolas ad Basilium hæc fragmenta inserenda non fuere.

DECRETA LEONI PAPÆ TRIBUTA.

Tria decreta Leoni nostro in vulgato libro Pontificali tribuuntur.

I. *Hic constituit ut intra actionem sacrificii diceretur : Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Hoc quidem primum decretum in editionibus Parisiensi Fabrotti, Romana Francisci Blanchinii, et Mediolanensi Muratorii non legitur ; sicut nec invenitur in iis vetustis exemplaribus quibus iidem usi fuerunt. At præterquam quod in aliis codicibus profertur, describebatur etiam in exemplari ex quo Valafridus Strabo noni sæculi auctor eadem verba decerpsit in libro de Reb. Ecclesiasticis c. 22. Antiquius autem testimonium hujus decreti suppetit ex breviori et vetustiori Pontificali contento in ms. Veronensi, cujus primus auctor desinens in Conone, septimo sæculo floruit. Vide hoc pontificale editum a P. Josepho Blanchinio tom. IV Anastasii pag. 6. **1461** Vetustus scriptor librorum de Sacramentis, qui inter Ambrosii Opera exhibentur, in fine libri sexti eam canonis precem recitans quæ incipit, *Supra quæ propitio*, concludit illis verbis, *Sacerdos tuus Melchisedech*, et caret illis, *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*, quæ idcirco ante Leonem defuisse videntur.

II. *Hic quoque constituit ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate* LX *annis* ; ubi alii codices et laudatum Pontificale Veronense melius habent XL *annis*. Exstat Majoriani Augusti lex an. 458, quæ XL annorum probationem requirit. Forte S. Leo Majoriano hujus legis edendæ auctor fuit, et eatenus hoc decretum Leoni tribuitur.

III. *Hic etiam constituit, et addidit super sepulcrum apostolorum ex clero Romano custodes, qui dicuntur cubicularii.* Decretum de libris apocryphis in appendice dabitur.

Decreta apud Gratianum Leonis nomine inscripta, quæ ex epistolis nostri pontificis excerpta fuere, Quesnellus suis locis indicavit in margine : nos ea annotavimus, quæ ex ejusdem sermonibus sumpta fuerunt. Reliqua vero, quæ nostri Auctoris non sunt, cum ex simplici inscriptione *Leo papa* colligi nequeat ea Leoni nostro potius quam alii ejusdem nominis **1462** pontifici fuisse attributa, inter decreta Leoni I certo ascripta recensenda non fuere. Sex ex hujusmodi decretis nullo apud Gratianum citato sermone, epistola nulla, alios quidem habent auctores. Nam canon 1, dist. 72, est canon 18 concilii Romani sub Eugenio II habiti, et Leone IV confirmati ; can. 16, caus. 3, quæst. 9, Leoni III vel IV ascribendus videtur ; can. 4, caus. 16, Leoni IV maxime congruit ; can. 4, caus. 30, quæst. 5, est canon 8 concilii Troslejani an. 909 ; can. 1, caus. 31, quæst. 1, pertinet ad concilium Triburiense an. 895, can. 51 ; tandem canon 101 de Consecr. dist. 4, forte referendus ad concilium Suessionense anni 853. De his plura disseret Carolus Sebastianus Berardus in præclaro opere inscripto : *Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti*, part. II, tom. I. Duo alia pariter decreta ex duabus epistolis sumpta apud eumdem Gratianum leguntur, quæ Leonis nostri non sunt : primum dist 68, can. 4, ex epistola ad episcopos Germaniæ e Galliæ, quam in appendice recensebimus epist. 2 ; alterum caus. 33, quæst. 2, can. 13, ex epist. ad Gallerium episcopum Tripolitanum, quam Pithœus in suo codice Leoni IV ascriptam invenit, Leoni quidem nostro non convenire vel ex stylo colligere licet. Hæc autem indicasse sufficiat.

[a] In epist. 162, melius, *nec in aliquam disceptationem pie et plene.*

APPENDIX PRIMA
AD SECUNDAM PARTEM
OPERUM S. LEONIS MAGNI.

PRÆFATIO.

1. Hæc appendix trium documentorum genera complectetur. Primum epistolas Leoni affictas, et sententiam *de apocryphis* ex Leonis epistola ad Turribium ex parte transcriptam. Dein duas epistolas a Quesnello

Digitized by Google

Leoninis adjectas, alteram Turribii ad Idatium et Ceponium episcopos, alteram Juliani Coensis ad Leonem Augustum. Subjiciemus tertiam ex codice Casinensi editam a Christiano Lupo et Baluzio, qua coævus auctor anonymus refellit Eutychis epistolam 21 ad Leonem scriptam. Tandem duo monumenta ad Leonis epistolas pertinentia, nimirum fragmentum gestorum Constantinopolitani concilii ex vita S. Abundii Comensis editum, in quo epistola 28 Leonis ad Flavianum recepta fuit, et actionem ineditam concilii Chalcedonensis, in qua Leonis epistola 93 ad synodum Nicææ primum indictam, postea vero Chalcedone habitam, Latine ac Græce recitata cognoscitur.

2. In serie autem epistolarum quæ Leoni perperam tributæ fuere, hic non recensuimus epistolam ad Demetriadem, quia hæc longior tractatus est, non disjungendus a duobus libris de Vocatione omnium gentium, qui secundo tomo reservantur. Inserendum potius hoc loco videbatur breve illud fragmentum anathematismatum adversus errores Manichæorum et Priscillianistarum, quod e vetustissimo ms. Ambrosianæ bibliothecæ Ludovicus Muratorius edidit tom. II Anecdot. Latin. pag. 112. Cum enim istorum hæreticorum errores S. Leo condemnaverit, hunc ille eorumdem anathematismatum auctorem suspicatus est. Hinc P. Mansius in Leone hoc fragmentum recusit tom. I Supplementi Conciliorum pag. 118. Sed cum de Leone nihil certi affirmari queat, adeo ut idem Muratorius scripserit pag. 119: *An is* qui hos anathematismos antiquitus proposuit *Leo Magnus fuerit, an quisquam alius, nolo divinare;* hoc fragmentum indicasse sufficiat, ut ne tamen ex simplici suspicione, qua, ipso codice non suffragante, Leoni tributum dici nequit, eodem appendicem augendam putemus.

3. Inter documenta ad Leonis epistolas pertinentia proferri potuisset liber quartus Vigilii Tapsensis adversus Eutychianos, editus tom. VIII Bibliothecæ Patrum pag. 730, necnon quæ codice 228 excerpsit Photius ex libris S. Ephremii Theopolitani, ac Eulogii Alexandrini contra Severianos et Acephalos, in quibus apologia luculentissima texitur Leoninæ epistolæ 28 ad Flavianum. Sed ne nimium augeretur editio, sola hujus generis documenta Leoni coæva in hac appendice collocanda credidimus.

ADMONITIO IN EPISTOLAM PRIMAM.

1. *Sequentem Leonis epistolam ad Gallicanos provinciæ Viennensis Quesnellus non exiguis argumentis in suspicionem adduxit, quæ tamen ex aliorum potius quam ex suo sensu ita explicare et emollire studuit, ut eam, licet suspectæ fidei, a Leoninis plane expungendam haudquaquam crediderit, eademque præterea velut indubio Leonis fetu usus sit in diss. 5, part. I, c. 8. Integram ejus observationem notis ejusdem insertam in primis apponamus:* Vix digna erat hæc epistola, quæ ex bibliotheca Floriacensi prodit, ut inter Leoninas locum obtineret, cum suppositionis characteres plurimos præ se ferat. Primum enim abhorret omnino a Leoninæ dictionis nitore, vixque intelligi potest aliquot in locis. 2° Ipsa epistolæ inscriptio *Per Gallias et Viennensem provinciam* insulsa est. Quasi vero extra Gallias constituta esset Vienna! 3° Etsi vices suas nonnullis dederit S. Leo, episcopis videlicet Thessalonicensibus, numquam tamen eosdem *vicarios suos* appellavit, nec ea voce usus est uspiam. Sic etiam ea utitur suppositor hoc loco, quasi plurimos per regiones vicarios haberet, cum unicus Thessalonicensis ejus vices tunc temporis gereret. Vicariatus enim Arelatensis constitutio posterioris est ævi. 4° *Archiepiscopi* nomen aliam ætatem, et quidem recentiorem, arguit; etsi enim Græcis etiam tunc in usu erat, at Latinis nequaquam. 5° Consularis nota nullo modo convenit anno quo Leonem inter et Hilarium orta est contentio, atque in hunc ab illo lata sententia. Immo nec ulli anno congruit: cum enim Valentinianus Augustus quartum gessit consulatum anno scilicet 435, nec Avienum collegam habuit, sed Theodosium Augustum, nec Leo pontificatum adeptus erat; cum vero Avienus consul fuit an. 450, Valentinianus septimum agebat consulatum, et Hilarius jam e vivis exierat. Denique valde inutilis erat brevior hæc epistola, cum prolixiorem, quæ sequitur, scripserit ad ejusdem provinciæ episcopos eodem anno et eodem consilio. Qui tamen hujus epistolæ αὐθεντίαν tueri voluerit, respondere poterit scribarum errore factum ut archiepiscopi nomen pro episcopi voce suppositum fuerit; dum scilicet ævi sui usum ob oculos haberent: eorumdem oscitantiæ tribuendum, quod IV pro VI in Valentiniani consulatu scriptum sit, et *Avieno* pro *Nomo;* unum enim pro altero sumi in mss. codd. facile fuit. Denique quod stylus minus accuratus est, inde evenit quod statim atque discessit ab urbe Hilarius, Leo, judicio quod inchoatum fuerat perfecto, confestim in Gallias currente calamo scripsit perbreves has litteras, ut adventum narrationemque Hilarii præveniret, scripturus postmodum prolixiorem per otium epistolam. Quamobrem nec inutilis, inquient, videtur omnino epistola, immo necessaria, cum inter utramque sex fere mensium intervallum fuerit; et altera mense Januario, altera Junio scripta videatur. Hiemis videlicet tempore e Galliis profectum Hilarium narrat ejus Vitæ scriptor: unde et Januario mense scribere potuit sanctus Leo ad Gallicanos episcopos, quos cum didicisset nihilo secius in Hilarium propensos, nec quidquam de sua in illum gratia et obsequiis remisisse, tunc Leo prolixiorem epistolam scripsit, quam et Valentiniani edicto præmuniri curavit, ut parendi necessitas Gallicanis episcopis imponeretur.

« In eadem Floriacensi bibliotheca, inter vetera monumenta quæ res Viennenses attinent, exstat epistola Adriani papæ I ad Bertericum Viennensem archiepiscopum, in qua testatur pontifex sanctum Leonem post Chalcedonensem synodum singulis metropolitis civitates quas subjectas sibi haberent distinxisse: quod de solis Arelatensi et Viennensi verum est, et quidem ante synodum Chalcedonensem. »

2. *Cum ea quæ ex suo sensu suoque nomine opposuit Quesnellus satis sunt gravia, tum vero quæ ex alieno reposuit, quam sint imbecilla quisque cognoscet. In errore quidem consularis notæ etsi facile tribui possit librarii oscitantiæ numerales litteras* IV *pro* VI *in Valentiniani consulatu signare, non tamen eidem lapsui verti potest* Avieno *pro* Nomo *scribere, nec unum ejusmodi nomen pro altero sumi in mss. codicibus facile fuisse quispiam probaverit. Neque verum esse potest hanc epistolam datam fuisse die* 6 *Januarii an.* 445, *sex circiter mensibus ante alteram, quam scriptam ostendimus mense non Junio, sed Julio. Hilarium enim Roma discessisse Viennensibus notum initio ejusdem epistolæ traditur. Ex Hilarii autem Vita c.* 16 *liquet eum hiemis tempore peditem per Alpes profectum in Urbem, et postquam ibidem aliquamdiu constitisset, hieme pariter exinde aufugisse: quod*

Digitized by Google

si non ad Februarii initia, saltem ad finem Januarii referendum videtur; ac propterea probabilissimum est nondum pontificem publicis saltem litteris quidquam statuisse in Hilarium, cum is Arelatem reversus illum placaturus Romam misit primo Ravennium presbyterum, deinde Nectarium atque Constantium episcopos; cumque Auxiliaris Præfectus ad Hilarium rescribens, mitius eidem consilium suasit. Quod si ad hæc concilianda cum Tillemontio quispiam suspicetur, in Leonis epistola pro VIII id. Jan. *legendum* VIII id. Jun., *ut in Valentiniani novella inter Leonis epistolas relata epist.* 11, *editum fuerat : cum novellam datam ostenderimus* VIII id. Julii, *non* Junii, *hæc conciliandi ratio haudquaquam subsistit.*

3. *Tandem addendum est suppositionis argumentum nostro quidem judicio maximum. Hæc epistola in* bibliotheca Floriacensi *prodiit ex Viennensi Ecclesiæ archivo, ex quo aliæ pariter decretales ejusdem Ecclesiæ prærogativas et privilegia ingerentes, ibidem editæ sunt. Cum vero cæteræ omnes antiquiorum pontificum epistolæ eo ex libro vulgatæ, apocryphæ et commentitiæ sint, ut videre est apud P. Constantium (Tom. I Epist. Rom. pontif.), qui eas idcirco in appendicem spuriarum cum opportunis monitis rejecit, quis hanc pariter aliquot præsertim falsitatis indiciis inspersam eadem impostura fabricatam nequaquam agnoscat? Recte siquidem P. Sirmondus in notis posthumis tom.* IV *Concil. pag.* 697, *eamdem, præsertim ex manifesto errore chronicæ notationis, subditiciam pronuntians, monuit haud laborandum in hoc vitio excusando et tribuendo scriptoribus,* cum in cæteris pontificum ad episcopos Viennenses epistolis, quæ in eo volumine continentur, alia sint plurima tam aperte falsa, ut merito detrahant etiam probabilibus fidem.

4. *Neque moveat mira quædam cum rebus gestis hujus temporis convenientia, et simplicissimus antiquitatis candor qui in ea deprehenditur. Impostor enim, ut fraudem antiquitatis et simplicitatis colore velaret, ex antiquis monumentis plura decerpsit, uti animadvertere licet potissimum ex epistola Silvestri pro Ecclesia Viennensi, quæ ex genuinis Zosimi litteris pro Ecclesia Arelatensi fere ad verbum exscripta fuit. Hæc autem Leonis decretalis ex sincera ac fusiore ejusdem epistola ad Viennenses quasdam sententias recepit. In iis porro quæ ibidem peculiaria adduntur :* Sitque redintegratum Viennensi archiepiscopo privilegium et jus antiquum, quod apostolica benignitas ad Arelatensem ex parte transtulit civitatem; *verba* ex parte *eam ex apostolica auctoritate ante hoc tempus obtinuisse præsumunt Viennensis provinciæ divisionem in partes duas, quam posteriori decreto ipse Leo constituit, ita ut hæc sententia ex epist. Leonis* 66 *ad comprovinciales metropolis Arelatensis deducta videatur : unde etiam consularis notatio Valentiniani et Avieni ex eadem transcripta est : quod suppositionem evidentius confirmat atque demonstrat.*

EPISTOLA [a] I.

Ad episcopos Gallicanos provinciæ Viennensis.

Dilectissimis fratribus per Gallias et Viennensem provinciam episcopis constitutis, Leo episcopus.

Quali pertinacia Hilarius Arelatensis episcopus judicium nostrum effugerit, sancta vestra fraternitas non ignorat. Unde et justum esse videmus, ut quia principis apostolorum magnam in judiciis moderationem, quam in potestate per vicarios suos semper exhibet, Arelatensis episcopus non exspectavit, a privilegio suæ civitatis submotus humili loco discat, quod in magno gratis munere prædecessorum nostrorum concesso tenere noluit. Sitque redintegratum Viennensi archiepiscopo privilegium, et jus antiquum, quod apostolica benignitas ad Arelatensem ex parte transtulit civitatem, ut tali severitate Hilarius coercitus, discat non temere transgredi terminos antiquos canonica prolatione fundatos. Data octavo [*Al.* tertio] idus Januarii Valentiniano Augusto IV et Avieno consulibus.

EPISTOLA [b] II.

Ad universos Germaniarum et Galliarum regionum episcopos.

De privilegio chorepiscoporum sive presbyterorum.

Leo Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis episcopus universis Germaniarum et Galliarum regionum episcopis salutem.

Cum in Dei nomine in Romana Ecclesia synodum episcoporum, sive cæterorum consacerdotum Christique fidelium coadunatam habuissemus. *Vide reliqua tom.* II, *in diss.* 11 *Quesnelli* [c].

[a] Apud Quesnel. inter Leoninas 9.

[b] Olim inter Leoninas 88.

[c] Hæc, quæ in vulgatis editionibus ante Quesnellum erat epistola 88, in codicibus collectionis 11, ac exinde in mss. collect. 12 et 20 usque ad 24 Leonis nostro tribuitur. Isidoro tamen ascribi nequit, cum in codice Vat. 630 puræ Isidorianæ collectionis non inveniatur. Hanc vero cum Quesnellus apertæ suppositionis notatam inseruerit dissert. 11, eo lectores remittimus, ne idem documentum bis repetamus.

ADMONITIO IN EPISTOLAM TERTIAM.

Cum sequens epistola, in vulgatis antiquis 96 *scripta præferatur a Leone, Victorio et Eustochio, ac inter Leoninas epistolas recenseatur in codicibus collectionis* 12, *una cum Leonis epistolis edita fuit a Merlino, et ex ipso in alias ante Quesnellum editiones manavit. Hanc quidem, ac si esset nostri Leonis cum synodo Romæ habita, bis laudavit Hincmarus Rhemensis, primum in quaternione ad Carolum regem opusc.* 1, *tom.* X *Concil. Venetæ editionis col.* 1243, *ac dein initio opusculi* 2 *col.* 868. *Itaque vetus hæc hallucinatio cognoscitur. Suppositionem autem detexerunt nonnulli, inter quos præcipue audiendus est P. Jacobus Sirmondus in notis posthumis tom.* IV *Concil. pag.* 667 : Leonis nomen, *inquit*, plerosque omnes hactenus induxit, ut hanc epistolam Leoni papæ ascriberent, atque inter ejus epistolas collocarent numero 96, cum revera sit Leonis Bituricensis, qui una cum Victurio Cenomanensi et Eustochio Turonensi eam scripsit ad episcopos et presbyteros provinciæ, non Thraciæ, ut inter Leonis epistolas vulgatum est, sed Tertiæ, quo nomine Turonica provincia designatur, quæ est tertia Lugdunensis. Ad calcem vero epistolæ, post subscriptiones trium episcoporum, sequebatur in codice S. Remigii Remensis, *et cæteri qui adfuerunt episcopi subscripserunt*, ut hinc appareat, a pluribus episcopis et in synodo fortasse aliqua editam fuisse, post Andegavensem (*an.* 453), cui cum his tribus adfuerat etiam Chariato, qui hoc loco inter ejusdem provinciæ Tertiæ antistites numeratur. *Quapropter hæc epistola S. Leonis nostri ætate scripta fuit. Quædam autem vulgatorum menda laudatus Sirmondus correxit ex codice Remigiano collect.* 12, *cui etiam nostri ejusdem collectionis suffragantur. Hinc sola menda vulgatorum in annotationibus indicabuntur.*

Digitized by Google

EPISTOLA [a] III.

Leonis Bituricensis, Victorii Cenomanensis, et Eustochii Turonensis ad episcopos et presbyteros intra Tertiam provinciam constitutos.

Domini fratribus merito beatissimis, in Christo venerabilibus [b] *Sarmationi, Chariatoni, Desiderio episcopis et presbyteris omnium Ecclesiarum, quæ sunt intra provinciam* [c] *Tertiam constitutæ, Leo,* [d] *Victorius, Eustochius episcopi.*

Tanta sæculi potestates circa sacerdotalem ordinem reverentia prævaluere, etiam bi quos sub imperiali nomine terris divina potentia præesse præcepit, [e] ut jus distringendorum negotiorum episcopis sanctis juxta divalia constituta permiserint. Quod cum et juris antiqui formulis, et [f] in latis frequentius sit legibus confirmatum, præsenti tamen tempore a plerisque invenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso sacerdotali judicio, passim ad examen sæculare transiere. [g] Idcirco nobis visum est ut hanc et sacræ legis et nostri ordinis contumeliam et ad præsens ulcisceretur plena districtio, et observandam formulam constitueret in futurum. [h] Censuimus itaque ut quicumque, prætermisso sacerdote Ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus expulsus, a cœlesti arceatur altario; neque ullus post hanc definitionem, quæ communi sedit arbitrio, quidquam sibi ultra præscriptum vindicare nitatur. Ita fiet ut hi qui ante erravere, congrua emendatione se corrigant, et [i] quisquis sub observatione clericali cœlesti probatur servire officio, ex clero abjiciendum [j] se noverit, si prætermisso sacerdotum judicio, sæcularem adierit potestatem. Quod ideo singulos universosque voluimus agnoscere, ut quod pleno justitiæ et juris ordine constitutum est, effectum totius firmitatis in omnibus clericorum negotiis sortiatur. Sane si [k] clericum laicus pulset, prius se audiri ab episcopo poscat; tum si petitioni suæ laicum viderit obviare, ex permissu episcopi sui in sæculi moderatoris disceptatione confligat.

Leo episcopus [l] subscripsi.
Victorius episcopus subscripsi.
Eustochius episcopus subscripsi.

[a] Olim inter Leoninas 96.
[b] Vulgati, *Samartioni, Charatoni.*
[c] In iisdem vulg., *Thraciam.*
[d] Al., *Victurius.* Mox in vulg., *Eustachius.*
[e] Particula *ut*, perperam transposita, ante *etiam* collocanda videtur. Mox pro *distringendorum* vulg., *distinguendorum.*
[f] Ibid., *illibatis.*
[g] Ibid., *Quocirca.*
[h] Editi, *censemus.*
[i] Ibid., *qui sub observatione.*
[j] Voces *se noverit* in vulgatis desiderabantur.
[k] Vulgati contrario sensu et contextu repugnante, *clericus laicum.* Paulo post, *ab episcopis.*
[l] Vulg., *scribit.*

ADMONITIO IN SEQUENTEM SENTENTIAM.

In duobus manuscriptis Vallicellanis XVIII, *et* B. 58, *nec non in multo vetustiore Vat. Palatino* 277, *exhibetur* Sententia papæ Leonis de apocryphis Scripturis. *Hanc sententiam e codice Herovallianæ collectionis Leoni tributam vulgavit Jacobus Petit post Theodori Pœnitentiale, ac dein ex memorato ms. Palatino noster concivis P. Joseph. Blanchinius tom. I Vindiciarum canonicarum Scripturarum pag. 405, qui et characteris octavum circiter sæculum referentis specimen dedit pag. 295. Primum caput hujus sententiæ sumptum quidem est ex Leonis epist. 5, ad Turribium, cap. 15. Caput vero secundum Leonem non habet auctorem. Insignis porro est hujus secundi capitis varietas in laudatis codicibus. Nam codex antiquior Palatinus plura continet quæ in tribus aliis mss. desunt. In his generalis sanctionis forma primo capite inducta, qua libri ab hæreticis corrupti in Ecclesia legi prohibentur, altero breviori capite de legendis orthodoxorum Patrum libris decernitur. In Palatino autem ms. priori capite ex Leone exactius sumpto interdicitur, ne* sub canonicorum codicum nomine *libri a Priscilliano vitiati legantur; altero autem capite proponitur ordo quo canonici libri juxta ritum Basilicæ S. Petri legendi sint; quod ex aliquo perantiquo Romano Ordine sumptum videtur. Qui enim Ordo apud Burchardum lib.* III, *c.* 222, *et apud Gratianum dist.* 15, *c.* 3, § 82, *subjicitur Gelasii decreto de apocryphis, licet in pluribus concinat, uberior tamen et recentior est. Tum vero in Palatino pauca adduntur de lectione librorum sanctorum Patrum, quæ a textu aliorum codicum non nihilum discrepant. Palatini vetustioris codicis lectionem exhibebimus, cæterorum autem variantes in annotationibus indicabuntur.*

EPISTOLA IV,

SEU [a] SENTENTIA PAPÆ LEONIS

De apocryphis Scripturis.

Curandum ergo est, et sacerdotali [b] diligentia maxime providendum, ut falsi codices et a sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. [c] Apocryphæ Scripturæ, quæ sub nominibus aposto-

lorum multarum habent semina falsitatum, non solum interdicendæ sunt, sed etiam penitus auferendæ atque ignibus concremandæ. Quamvis enim sint in illis quædam quæ [d] videantur speciem habere pietatis, numquam tamen vacua sunt venenis; et per fabularum illecebras hoc latenter operantur [e] ut mirabilium narratione seductos, laqueis cujuscumque erroris involvant. Unde si quis episcoporum [f] vel apocrypha

[a] Hic titulus legitur in mss. Vat. Palat. 277. Vallicell. B. 58, et in Herovalliano edito a Petit. In alio autem Vallicell. XVIII sæculi XI, *De apocryphis Scripturis ex Leone papa.*
[b] Ita cum cod. Palatino epistola 15 ad Turribium c. 15. Alias, *providentia.* Paulo post pro *falsi* melius in laudata epistola, *falsati;* innuuntur enim codices corrupti a Priscillianistis, de quibus postea.
[c] Sic ms. Palat., concinente Leonina editione. Alii codices quædam prætermittentes sic prosequuntur: *Quia* (unus cod. perperam *qui*) *habent semina falsitatum. Non solum autem hæc interdicenda sunt, sed etiam penitus auferenda, atque ignibus concremandum* (lege, *concremanda*). *Quia quamvis sint in iis,* etc.
[d] Alias *videntur* in duobus Vallicell.
[e] Secuti sumus vetustiorem codicem Palatinum, quippe qui magis concinit cum epistola Leonis, ex qua solum duos ejusdem codicis errores emendavimus, *narrationum seductus,* et *involvunt.* Primum errorem aliorum codicum exscriptores ex arbitrio emendantes, alia mutarunt. In ms. Herovalliano: *Ut mirabilium narrationum seducti, quique admiratione, laqueis cujuscumque erroris implicentur.* In cod. Vallicell. B. 58, *ut mirabilium narrationum seducti, laqueis cujuscumque erroris implicentur.* In alio autem Vallicell., *hoc loquuntur quod sperantur, ut simplices quoque mirabilium narratione seducti, laqueis cujuscumque erroris implicentur.*
[f] Quidam codd. delent *vel;* et mox perperam *habere*

Digitized by Google

haberi non prohibuerit, [a] vel canonicorum codicum nomine eos libros in Ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani sunt adulterina emendatione vitiati, hæreticum se noverit judicandum : quoniam qui [b] alios ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat [c].

CAP. II. — [d] Legitur autem omnis Scriptura divina sancti Canonis ab initio anni usque ad finem in ecclesia S. Petri hoc ordine. Tempore veris, hoc est VII diebus ante initium Quadragesimæ usque ad octavam diem ante Pascha, leguntur quinque libri Moysi, cum Jesu Nave, et Judicum. Et VII dies ante Pascha liber Isaiæ prophetæ, unde ad passionem Christi (*Sic cod.*) cum venit, et Lamentationes Hieremiæ. Diebus autem Paschæ epistolæ apostolorum et Actus apostolorum atque Apocalypsis usque Pentecostem. In tempore autem æstatis Regum *et* Paralipomenon usque ad medium autumni, hoc est XV kal. Novembris : deinde liber [*Lege* libri] Salomonis, et Mulierum, atque Machabæorum, et liber Tobi usque ad kal. Decembris. Ante autem Natalem Domini nostri Jesu Christi, Isaiæ, Hieremiæ, et Daniel usque ad Epiphaniam. Postea quidem Ezechiel, et Prophetæ minores, atque Job usque idus Februarias. Psalmi omni tempore. Evangelium et Apostolum [*Lege* Apostolus] similiter. Tractatus vero sancti Hieronymi, Ambrosii, *et* cæterorum Patrum, prout ordo poscit, leguntur.

[a] Prætulimus lectionem codicis Palatini, cui affinis est Leonis epistola. In aliis vero codicibus Leonis verba de solis Priscilliani libris loquentia, in generalem sanctionem inflectuntur sic : *Vel eos libros qui ab hæreticis vitiati sunt, in Ecclesia permiserit legi, hæreticum se noverit*, etc.

[b] Duo codices, *alium*.

[c] Huc usque ex epist. 15 Leonis ad Turribium.

[d] Quæ sequuntur usque ad voces *Tractatus vero* in solo Palatino codice præferuntur, ordinemque sacrarum lectionum Romanæ Ecclesiæ omnium qui editi sunt vetustissimum exhibere videntur. Cæteri codices decreti formam prosequentes, hæc statim subjiciunt : *Tractatus autem S. Hieronymi, Ambrosii* (cod. Herovall. addit *et Augustini*) *et cæterorum sanctorum Patrum, expositionesque Veteris et Novi Testamenti, quæ a nominatissimis doctorum orthodoxorum* (unus cod. Vallicell., *orthodoxis*) *Patribus factæ sunt, prout ordo poscet, in Ecclesia legantur*. Hæc clausula cum clausula Palatini codicis congruit, intersertis in medio vocibus *expositionesque*, etc., usque ad *factæ sunt*, quæ e Regula S. Benedicti, uti apparet, sumptæ, ex eadem etiam ad æquiorem lectionem revocari queunt. Sic enim ibidem legitur cap. 9 : *Codices autem legantur in vigiliis tam Veteris Testamenti quam Novi divinæ auctoritatis ; sed et expositiones eorum quæ a nominatissimis doctoribus orthodoxis et catholicis Patribus factæ sunt.*

ADMONITIO IN SEQUENTEM EPISTOLAM.

Turribii Asturicensis epistolam ad Idatium et Ceponium episcopos, quam Quesnellus inter Leoninas edidit post Leonis epistolam ad Turribium, Stephanus Baluzius (*Vid. t.* IV *Concil. pag.* 731), *et alii nonnulli in suspicionem vocant. At illam satis vindicat antiquitas codicis S. Æmiliani, ex quo ea ab Ambrosio Morales primum prodiit, uti pluribus ostendemus in observationibus ad not.* 8 *Quesnelli in epist.* 15 *S. Leonis ad Turribium. Aliæ vero objectiones, quæ proferri possent, facile elidentur, si hanc epistolam non minus quam libellum adversus Priscillianistas, qui cum hac epistola ad Idatium et Ceponium episcopos directus agnoscitur, ante episcopatum a Turribio scriptos credamus. Hinc iidem Idatius et Ceponius Turribio antiquiores episcopi dicendi sunt : unde Idatius ad an.* 445, *se ante Turribium nominat. Idem vero libellus cum eadem epistola ipsi præfixa ad Leonem postea missus videtur, ita ut ex hac epistola Idatii et Ceponii antiquitatem et meritum S. pontifex intelligens, hos in fine epistolæ* 15 *maxime idoneos crediderit, qui Turribio juniori episcopo efficaciorem operam adjungerent, ut adversus Priscillianistas Galliciæ synodus convocaretur.*

EPISTOLA V

S. TURRIBII ASTURICENSIS.

De non recipiendis in auctoritatem fidei apocryphis Scripturis, et de secta Priscillianistarum.

Sanctis ac beatissimis et omni veneratione colendis IDATIO et CEPONIO episcopis TURRIBIUS.

Molesta semper est et injucunda peregrinatio. *Hic* [e] *afferenda erat tota epistola Turribii. Sed cum impressa fuerit post Leonis epistolam XV, ad eumdem Turribium col.* 711, *eo quod eam subjectam invenerimus in Quesnelliana editione qua usi sumus, ne bis repetatur, eo lectores remittimus.*

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

1. *In epistolam Juliani Coensis ad Leonem Augustum hæc Quesnellus præmonuit.* Leonis Magni epistolis unicam, quæ superest, Juliani episcopi Coensis epistolam subjicimus, non implendæ solummodo vacuæ paginæ gratia, sed et propter summam, quæ inter utrumque pontificem fuit, necessitudinem. Hæc maxime enituit in causa fidei, quam adversus Eutychianam impietatem alter ex apostolicæ sedis specula in Occidentalibus præsertim partibus, hic tamquam apostolicæ sollicitudinis vicarius in Orientalibus defendit. [f] Argumentum epistolæ habet Liberatus Diaconus cap. 15 Breviarii ubi narrat Leonem Augustum, ut hæreticos novam synodum congregari importune flagitantes compesceret, *scripsisse singularum civitatum episcopis de utroque negotio consulens quid fieri oporteret, vel de ordinatione Timothei, vel de terminis synodi Chalcedonensis... Qui rescribunt Chalcedonensem synodum usque ad sanguinem vindicandam : eo quod non alteram fidem teneret, quam synodus Nicæna constituit. Timotheum vero non solum inter episcopos non haberi, sed etiam Christiana appellatione privari.* Hanc omnium sententiam in una habes Juliani epistola, quæ ab octodecim (nunc *viginti*) quas ad eum scripsit Leo epistolis dividi neutiquam debuit.

2. *Porro idem Quesnellus in dissert.* 1, *ad an.* 457, *num.* 7, *hanc epistolam a Juliano scriptam putat Coi, unde ejusdem reditum ad suam Ecclesiam ex hac epistola colligit ; neque amplius Constantinopoli eum commoratum opinatur*, ex quo Marcianus obiit. *Hæc autem falsa colliguntur ex epistola nunc primum edita* 144, *ad ipsum Julianum, nec non ex epist.* 147 *et* 152, *sub Leone Augusto scriptis anno* 457, *in quibus palam præsumitur illum Constantinopoli adhuc exstitisse, et litteras etiam ad S. Leonem dedisse de turbis Constantinopoli excitatis post novi imperatoris assumptionem, quibus S. pontifex respondit epistola* 144. *Julianum quidem demandatam sibi ab eodem pontifice vicem et curam sine ipsius consensu deseruisse incredibile est, cum præsertim aliæ difficiles circumstantiæ ejus diligentiam postularent. Neque vero Aetius Juliano substitutus credi potest, ac si ille Con-*

Digitized by Google

stantinopoli jam abiisset, commissumque sibi deposuisset officium : nam et ad Julianum, et ad Aetium iisdem kalendis Septembris ann. 457 scriptæ supersunt Leonis epistolæ 152 et 153, in quibus utriusque cura in fidei bonum excitatur. Neque moveat inscriptio epistolæ 147 ad Julianum; quæ cum in ms. Grimanico inscribatur et Aetio presbytero a pari, ea ad Aetium quoque missa creditur eodem exemplo, propterea quod pontifici incertum esset num Julianus Constantinopoli degeret. Nam et eam epigraphen et Aetio presbytero a pari, in codice Ratisponensi omissam, delendam suspicamur, et Aetio aliam epistolam eodem fortassis die traditam conjecimus annot. 2 (Col. 1116, n. b) in epist. 147. Quod si S. pontifex in hac epistola queritur Julianum non scripsisse ea occasione qua Anatolius ad eumdem pontificem litteras transmiserat, id potius eum Constantinopoli adhuc subsistentem præsumit: ea vero forte de causa omisit scribere, quia de eadem fere re scripserat paulo ante, et Anatolium pleniores dedisse litteras sciebat. Aetio quidem delegatio et substitutio in Juliani locum nullibi indicatur. Quod in annis sequentibus nullæ aliæ ad Julianum epistolæ inventæ sunt, cum aliæ plures certo scriptæ desiderentur, hoc argumentum infirmum est, ut Julianus Constantinopolim deseruisse, officiumque suum, quod adhuc fidei causa requirebat, dimisisse credatur. Cum porro idem Julianus subscriptus legatur synodo Constantinopolitanæ sub Gennadio Anatolii successore circa an. 459 (Tom V. Conc. p. 51), eum ad hoc usque tempus in eadem urbe perstitisse satis probabile videtur.

3. Inter eos ad quos Leo Augustus encyclicam dedit, de qua diximus in admonit. ad epist. 156, Julianus fuit, cui licet Constantinopoli existenti potuit ea encyclica dirigi, sicut et Anatolio episcopo Constantinopolitano inscripta invenitur. Cum autem cæteri omnes, ad quos eadem imperialis epistola directa fuit, essent saltem metropolitæ, solus Julianus simplex Coensis episcopus hoc gradu expers erat. Id autem peculiarem ejusdem existimationem ob præclara ipsius in Eutychianos gesta demonstrat. Hæc in codice encyclio nobis conservata fuit ab Epiphanio Scholastico, qui præter autographam Leonis epistolam, quam Occidentalis vir facile invenit et inseruit, cæterus litteras a Græco reddidit; ac propterea hæc Juliani non originale ipsum, sed versio est ex Græco : totus enim codex encyclius Græce prodiit. Hunc codicem cum aliquot mss. collatum post Surium dedit Balusius, ejusque variantes nobis utiles fuere.

EPISTOLA VI,

JULIANI EPISCOPI COENSIS AD LEONEM IMPERATOREM.

Piissimo atque fidelissimo, victori atque triumphatori Leoni, principi semper Augusto, Julianus humilis episcopus Coensis.

Ego, domine Christo amabilis imperator, illam sapientissimam monitionem mente percipiens, qua dictum est, *Cognosce tentipsum*, volui taciturnitate quiescere, et [a] majorum Patrum judicium sustinere. Non enim evocationis æqualitas parem rerum servat effectum, sed quando coactus cum evocatione concordat, tunc similitudo nominum habet rerum quoque impermutabilem veritatem. Verumtamen quoniam [b] consulere nos tranquillitas vestra præcepit de unoquoque capitulo, quod continetur in precibus Deo amabilium consacerdotum Ægyptiacæ diœcesis, manifestam meæ parvitatis facio voluntatem, mœstus existens, et lacrymarum imbribus irrigatus, quid loquar ignorans, captivitatem ac destructionem utique pietatis, illam tamen et [c] pontificis lugens inopinabilem necem. Ea siquidem, quæ in Alexandrina civitate commissa sunt, ex ipsa narratione declarant animi passionem, et ad vindictam tanti facinoris vestram solummodo provocant æquitatem. Nam constituti ut orbem debeatis gubernare terrarum, indisciplinationis ægritudinem ad interitum perducentem mederi summo studio festinantes, non gladium evaginantes ad necem, sed interminationis verbo indisciplinatos regulariter perducentes ad obedientiæ voluntatem. Sententiam itaque quam contra se Timotheus nefandus exegit, [d] sancti canones apertius explanarunt, quos sua tyrannide sæpius abnegavit, disciplinam ecclesiasticam confundendo, et A injurias inferendo, inimicus nescio quo modo totius Christianitatis effectus. Captus enim in talibus vestram justitiam debet experiri solummodo : quoniam ad magnitudinem commissorum ejus, sicut [e] in precibus continetur, potestas ecclesiasticarum non sufficit sanctionum. Pando siquidem vestræ potentiæ et quid de sancto Chalcedonensi concilio sentire dignoscor. Hoc etenim nullateuus a veritate discordat : quoniam fidem traditam a sanctis beatisque trecentis decem et octo Patribus consona voluntate divina inspiratione firmavit, non dogma aliud introduxit, non alterum symbolum, non vanam expositionem, non dualitatem unigeniti Filii Dei, neque novitatem aliquam celebravit; sed per omnia consonat etiam sacro concilio centum quinquaginta sanctorum Patrum pariter, et Ephesino, cui præsederunt ter beati et sanctissimi Patres Cœlestinus Romanæ pontifex civitatis, et Cyrillus Alexandrinus episcopus. Supplicamus igitur vestræ potentiæ, ut inviolabiliter conservetis ea quæ a Christo per ipsum de ipso bene sunt constituta. Ubi B enim tantorum erat congregata multitudo pontificum, et sanctorum præsentia Evangeliorum, et frequens simul oratio; illic creaturæ totius opificem invisibili virtute credimus fuisse præsentem. Terror enim tunc nullus fuit imperialis auctoritatis : quoniam sanctæ pieque memoriæ Marcianus, amoris divini diademate coronatus, spiritalem quoque suscipiens curam, festinavit apostolorum dogmata confirmari a præsulibus Ecclesiæ, desiderio fidei accensus orthodoxæ. Quem cum vestra pietas imitatur, et victoriam contra barbaros adipiscitur, et veritatis quoque destruit inimicos.

Julianus humilis episcopus definiens retuli.

[a] Veteres libri Baluzii, *malorum*.
[b] Sic ex eisdem libris. Vulg., *consultare*.
[c] S. Proterii Alexandrini.
[d] Vulg., *sanctiones.... quas*. Codicum lectionem prætulimus.
[e] Codd. omittunt *in*.

ADMONITIO IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

Epistola Eutychis ad S. Leonem, inter Leoninas 21, cum cæteris documentis eidem annexis, post Flaviani mortem, seu post an. 449, a nobili quodam viro ad peritum nescio quem missa fuit, ut quid circa illa sentiret, exponeret. Quæ iste consultanda credidit, una cum ipsa censura addita fuerunt velut Appendix documentis ad Nestorianam hæresim pertinentibus quæ e Casinensi codice Lupus et Baluzius typis dederunt, ac tom. IV Concil. recusa inveniuntur pag. 490. Epistolam Eutychis et cætera fragmenta, quæ ab anonymo ad crisim vocantur, jam exhibuimus epist. 21. Nunc ipsam confutationem proferimus, quæ cum nullam mentionem faciat synodi Chalcedonensis, ante hoc Concilium scripta videtur, nimirum circa an. 450. Ipsum titulum ex eodem codice Casinensi exhibemus.

Digitized by Google

EPISTOLA VII

Facto nomine facta ad quemdam senem cupientem scire quid contrarium catholicæ fidei senserit Eutyches.

Misit mihi nobilitas tua exemplum libelli de novæ fidei Expositione Eutychetis, quem exposuit scribendo ad beatissimum papam sedis apostolicæ Leonem. Scribere et dignatus es ut si quid inde sentirem, humilitatis meæ litteris indicarem. Quod quidem ipse pro studio sanctæ affectuose injungere dignatus es; sed mihi trepidam habenti mentem et timore repletum cor, in hac quæstione periculosum videtur aggredi, præcipiente doctore et illuminatore gentium apostolo Paulo et generaliter monente ac dicente: *Stultas autem et ineruditas quæstiones et contentiones et pugnas legis devita. Sunt inutiles et vanæ.* Tamen ipsius beatissimi apostoli Pauli precibus, adjuvante Domino et Deo Jesu Christo, quod potuerit rusticus sermo et tenuis meus sensus aggrediar; non ut magnitudo et majestas fidei exigit, sed ut tenues vires meæ humilitatis patiuntur. Cum ergo percurrerem prædictum exemplar epistolæ vel libellum fidei Eutychetis, inter cætera textus verborum ejus inveni, ubi a sancto concilio Episcoporum expeti a se duas naturas in Christo conqueritur confiteri. Quod si consulens suæ continentiæ et vetustæ in se castitatis laboribus confiteri voluisset, numquam sententiæ suæ fidei periculum fuisset passus. Sed quia in unam Christi personam secundum apostolorum vel prophetarum seu Evangeliorum traditionem duas naturas in Christo confiteri noluit, in ipso portu exitus sui non solum ipse laborum continentiæ suæ naufragium passus est, verum etiam jam olim bene fundatam Ecclesiarum per orbem terrarum perturbavit fidem, et ad cumulum perfidiæ suæ, Christi veneratorem et bonæ fidei fidelem prædicatorem beatum occidit episcopum Flavianum. Et ille quidem quietis temporibus, nulla existente publica persecutione, coronam accipiens martyrii, nunc cum beato suo magistro apostolo Paulo gloriatur et dicit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De cætero superest corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt manifestationem ejus.* Et illo quidem cum omnibus sanctis in Domino gloriante nobis necesse est, si meremur ejus sequi vestigia et traditionem fidei, per quam gloriosum meruit exitum, totis fidei viribus et usque ad mortem tenere et in unam Christi personam duas confiteri naturas, Divinitatis et humanitatis, creatricis et creatæ, assumptricis et assumptæ. Quæ tamen substantiæ aut naturæ, non confusæ, sed unitæ, et in una eademque persona inseparabiliter, et in sua semper proprietate sunt permanentes. Quapropter unicuique substantiæ naturæ propria utique aptanda sunt, id est, infirmitatis humanitati, quæ creata est digna, non vero mutabilia Divinitati, quæ creavit. In tantum enim hæ duæ naturæ in una persona Christi simul unitæ sunt atque conjunctæ, ut idem Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo, aliquando res aut agat aut loquatur humanas, aliquando vero divinas. Nam denique ut duarum naturarum, id est Divinitatis et humanitatis, in se ostenderet substantias, navigans dormit in navi ut homo, et procellæ, eminenti vento, vel mari imperat ut Deus, dicens: *Tace, obmutesce.* Et post quadraginta dierum atque noctium jejunium esurit ut homo, et in solitudine quinque millia virorum, exceptis infantibus et mulieribus, de quinque panibus et duobus piscibus refecit ut Deus. Et quid plura? A Judæis crucifixus, et lancea in latere compunctus, moritur ut homo, et Lazarum quatriduanum de monumento resuscitavit ut Deus, auctoritate divina dicens: *Lazare, veni foras.* Harum ergo, domine, duarum naturarum in Christo traditio est fortiter custodienda, ne cum Eutychete aut cæteris ejus consentaneis eas in unam confundentes, novum incertæ fidei teneamus tramitem. Optime enim eos dedignaris, quia omne quod confusum, obscurum et incertum esse cognoscitur: siquidem ut datur intelligi, proprias easdem naturas Divinitatis et humanitatis imprudenti sensu in unum confundere videntur, ut non separantes humanitatis substantiam a Christi Divinitatis natura, ipsa voce Deum passibilem pronuntient. Nam denique epistola quam dicit Eutyches Julii quondam episcopi urbis Romæ esse, quam et ad solatium suæ perfidiæ, ignoro, forsitan falsam protulit, cujus et pravo sensu duci cognoscitur, in ipso ultimo textus sui ita profitetur, dicens: *Qui igitur sic sentiunt, non excedunt, ab inconsona contraria sentientibus, ut cum mente divinis præceptis consonant, sermonibus discrepent. Necesse est enim eos, cum duas naturas intelligunt, alteram colere, alteram non adorare, et in divinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari.* Vides ergo quomodo impugnantes et confundentes duarum naturarum substantiam, Deum passibilem pronuntiare perfido sensu conantur. Nos vero, qui catholicæ fidei rectum tenemus tramitem, prætermissa hac confusione duarum naturarum, in Dominicam carnem baptizati, propterea eam adoramus, quia a Divinitate suscepta atque eidem ita unita sit, ut non alium atque alium, sed unum eumdemque Deum et hominem, Dei Filium confiteamur. Nam si Eutyches aut cæteri ejus consentientes hominem separant a Christo Deo, illi nos numquam adoramus aut servimus. Aut si quis nostrum purpuram aut diadema regale jacentia inveniat, numquid ea conabitur adorare? Mox vero ut ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si quis eam simul cum rege adorare contempserit. Ita Christi Domini nostri perfectam humanitatem, non solam et nudam, sed Divinitati suæ unitam, unum eumdemque Dei Filium, Deum verum, et hominem verum, si quis adorare contempserit, æternam mortem patietur. Sequitur et Julius, cujus sensu ducitur Eutyches, et dicit: *Si autem in mortem Domini baptizamur, unam profitemur naturam et impassionabilis Deitatis et passionabilis carnis.* Velim plenius agnoscere quomodo dicat *carnis?* Si hæc caro sine anima est, quid est caro ista nisi terra sine sensu, quæ nec gratias agere valuit, nec crucis pœnas sentire potuit? Quod autem caro sine anima sentire non possit, cunctis est manifestum. Si autem, ut illi sentiunt, in illa Dominica carne Divinitas pro anima fuit, Divinitatem ergo passionibus subjiciunt. Si autem, ut vera se habet Scripturarum fidelissima ratio, simul cum carne et humanam suscepit animam, ergo perfectus Deus perfectam suscepit hominis naturam, ut ostenderet se simul cum humana carne et humanam suscepisse animam, id est perfectum hominem. Dicit enim: *Pastor bonus animam ponit pro ovibus suis.* Et *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum potestatem habeo sumendi eam.* Et in ipso articulo passionis suæ dicit: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* et: *Nunc anima mea conturbata est.* Non enim Deus aliquando perturbatur, sed ille utique homo qui esuriit, qui sitiit, qui dormivit, qui lassatus fuit atque ploravit: quæ omnia sine affectibus animæ caro sola sentire non potuit, nisi ille homo perfectus quem suscepit Deus perfectus, dicente Hieremia propheta: *Hic Deus noster, non æstimabitur alius ad eum: qui invenit omnem viam disciplinæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto a se.* Et adjecit: *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Qua porro forma in terra visus fuerit et conversatus sit, sanctissimus prophetarum Isaias plenissime et apertius exponit: *Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? Annuntiavimus coram ipso tamquam pueri, ut radix in terra sitienti. Non est ei species neque gloria. Vidimus eum, et non habuit speciem neque decorem; sed species ejus sine honore, et abjecta præ omnibus hominibus. Homo in plaga positus, sciens ferre infirmitates. Quoniam aversata est species ejus, et dehonestatus, et pro nihilo æstimatus*

Digitized by Google

est. Hic peccata nostra portat, et pro nobis dolet. Nos A *æstimavimus eum in dolore esse et in plaga et in vexatione. Ipse autem vulneratus propter peccata nostra, et infirmatus est propter iniquitates nostras. Eruditio pacis nostræ in eum, livore ejus nos sanati sumus. Omnes ut oves erravimus, et omnes homines a sua via erraverunt. Et Dominus tradidit eum pro peccatis nostris. Ipse autem male vexatus continuit labia sua, ut ovis ad immolandum ductus est. Et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem autem ejus quis enarravit? Quoniam tolletur a terra vita ejus, et ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. Et dabo inanes pro sepultura ejus, et divites pro morte ejus. Quoniam iniquitatem non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Et Dominus vult purgare eum de plaga. Si detis pro peccato animas vestras, videbitis semen longæ vitæ, et vult Dominus adolere animæ ejus, ostendere ei lumen, formare prudentiam, justificare justum, bene servientem pluribus. Et peccata eorum* B *ipse portavit. Ideo ipse hæreditatem possidebit multos, et fortium partietur spolia. Propter quod tradita est in mortem anima ejus, et inter iniquos deputatus est. Et ipse peccata multorum tollit, et propter iniquitates nostras traditus est.* Pervide igitur, domine mi, secundum sanctæ tuæ mentis studium, quomodo prædicti prophetæ Hieremias et Isaias sibimet consentientes asserant qualiter perfectus Deus de cœlo descendens pro salute generis humani, susceperit hominem, et superius ab Isaia prædictas passiones uterque naturæ illius in Christo suscepti hominis assignet. Nam numquid Deus, qui est invisibilis, incomprehensibiliter poterat comprehendi, aut inimicis tradi, aut inter impios deputari, aut mori, aut vita ejus a terra tolli? Sed ille utique qui, ut supra jam diximus, esuriit, sitivit, lassatus fuit, dormivit atque ploravit, qui etiam in cruce passionis pendens, cum vidisset in se inhabitantem Deum de suo exire corpore, lacrymabili voce clamavit post eum, Hebraica lingua dicens: *Heli, Heli lamasabactani*: hoc est: C *Deus meus, quare me dereliquisti?* quamvis tertia die eum esset resuscitaturus. Tamen necesse erat illud adimpleri quod jam prædixerat in Evangelio Jesus, suis discipulis dicens: *Ego a Deo processi, exivi a Patre, et veni in hunc mundum, et iterum relinquo hunc mundum et vado ad Patrem.* Siquidem et in ipsa passione, quamvis ille perfectus homo, a perfecto Deo susceptus, impiam moriens in cruce patiatur pœnam, tamen et ipse impassibilis Deus in eodem a se suscepto perfecto homine, quamvis passionem non sustinuerit, tamen injuriam passus est. Nam sicut qui indumentum conscindit, et induto facit injuriam, ita et qui carnem ejus crucifixerunt, Divinitati ejus injuriam intulerunt. Hanc ergo Divinitatis injuriam omnia elementa videntia expaverunt. Nam denique terra contremuit, petræ scissæ sunt, sol fugit in noctem, luna sanguineo colore fuscata est, et tamquam damnatione perpetua jam mundus oppressus esset, avulsæ locis cœlestibus stellæ ruerunt, ele- D mentorum lege confusa, apertis monumentis, sepulta jam olim corpora animas receperunt. Ideo ergo catholici per orbem terrarum fidelissimi Ecclesiarum doctores secundum Scripturarum auctoritatem duas in Christo naturas prædicant, Divinitatis (et humanitatis. Quæ utinam considerasset Eutyches), et tot annorum continentiæ laboribus (se) apertis oculis non immersisset, nec Orientis Ecclesiis impiam protulisset perturbationem per confusas duarum naturarum substantias, Deum passibilem pronuntians. Sed cum in ista suam sententiam Paulus apostolus compleat dicens: *Quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide*, tamen nos sollicitus prænonet dicens: *Attendite spiritibus seductoribus in hypocrisi mendaciloquorum, cauteriatam habentium conscientiam.* Nisi enim secundum Apostoli dictum cauteriatam et incertam suæ fidei habuisset conscientiam, numquam tantam confusionem Ecclesiis Dei excitans, suæ perfidiæ socios fecisset sanctos trecentos decem et octo Patres Nicæni concilii, nec non et Cyrillum et Athanasium, Felicem, Gregorium, et Proclum, sanctos episcopos; qui non utique ejus perfidiam sequendo, sed superius a mea humilitate expositam fidem docendo, inter sanctos et electos Dei in numero et libro viventium dinumerati sunt. Sed ut simplicium et imperitorum illudat et ad se ducens aduniat animos, ideo prædictos viros, catholicæ fidei auctores et prædicatores, suæ novæ et novissimæ perfidiæ fingit esse socios. Vere in hunc Eutycheten completa est Apostoli sententia dicentis: *Hujusmodi pseudoapostoli, operarii dolosi, transfigurant se in apostolos Christi. Et non mirum. Ipse enim Satanas transfigurat se sicut angelum lucis. Non ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur sicut ministri justitiæ: quorum finis est secundum operationem eorum.* Secundum hanc ergo Apostoli sententiam, cum sit minister perfidiæ, simulat se socium esse ministris justitiæ, a quibus prædictam fidei nostræ (non) tenuit, a se doctam exposuit rationem: inter quorum discipulos et dulcissimos fideles fidei filios cupio tuam nobilitatem mecum pariter ascribi; ut eorum, si meremur, sequentes fidei vestigia, precibus in futuro judicio misericordiam impetrare mereamur a triplici pietatis unita majestate, hoc est Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA VIII,

Seu FRAGMENTUM [a] GESTORUM *Constantinopolitanæ synodi habitæ anno* 450, *in qua lecta et recepta fuit S. Leonis epist.* 28, *ad Flavianum, ex Vita S. Abundii episcopi Comensis.*

Anatolius episcopus Constantinopolitanus novæ Romæ accepta epistola S. Leonis papæ ad confirmationem catholicæ fidei contra vesaniam hæreticorum, congregavit concilium omnium episcoporum, archimandritarum, presbyterorum et diaconorum; et ante conspectum omnium [b] recitata est epistola S. Leonis papæ, quam beatus Abundius coram omnibus præsentavit: concordantibus testimoniis Romanorum Patrum ac Græcorum, Anatolius episcopus Constantinopolitanus huic epistolæ S. Leonis papæ continenti catholicæ fidei veritatem, concordantibus etiam testimoniis Patrum ab eadem apostolica sede decretorum (*Lege* directis) [*Lege* directorum] plena devotione consensit et subscripsit, anathema dicens Eutycheti et Nestorio, et ipsorum dogmati cum sectatoribus eorum. Id ipsum fecere omnes qui aderant episcopi, presbyteri, archimandritæ atque diaconi.

[c] Mox sanctus Abundius, Asterius episcopi, Basilius et Senator presbyteri dixerunt: Omnipotenti Deo gratias: quoniam reverendorum episcoporum, presbyterorum, archimandritarum, diaconorum, ac totius cleri professiones cognovimus, fidem rectam et a Patribus traditam profiteri, sicut eorumdem sub-

[a] Gesta hujus synodi ad S. pontificem missa, laudantur epist. 80. Horum tantum fragmentum superest insertum Vitæ S. Abundii Comensis, qui unus fuit e quatuor legatis a S. Leone missis ad pacem cum Orientalibus ea ratione componendam, ut ejus epistolam ad Flavianum reciperent, eidemque subscriberent. Etsi hujus Vitæ auctor nec coævus nec valde antiquus sit, cum ipsa tamen synodi acta invenerit, hac in parte summam fidem meretur; unde illud fragmentum card. Baronius Annalibus jure inseruit ad an. 450, n. 29, ac exinde in editionibus Conciliorum descriptum fuit. Hoc vero nos in appendice daturos promisimus annot. 6 (*Col.* 913, *n.* d) in epist. 80.

[b] Hæc narratio ab auctore Vitæ ex synodi gestis derivata omnino concinit cum Leonis verbis insertis epistolæ 88, c. 3, ad Paschasinum.

[c] Hic incipit gestorum fragmentum

Digitized by Google

scriptio gestis præsentibus inserta declarat. Ideo nos quoque, quia omnes hoc exigere et exspectare comperimus, secundum assertionem venerabilis viri Eusebii episcopi Dorylæi et sententiam sanctæ memoriæ Flaviani episcopi, vel assensum papæ Leonis, qui ad insinuandam cunctis fidem catholicam nos Roma misit, anathema dicimus Eutycheti, vel omnibus qui ejus perfidiam sequuntur, et dicunt in Christo ante incarnationem duas fuisse naturas, post incarnationem unam tantum naturam : cum catholica fides et ante incarnationem unam tantum Verbi fuisse, et A post incarnationem duas, id est, Verbi et perfecti hominis fateatur in una persona, inconfusa proprietate sui, manere naturas. Nestorio etiam, qui vesanum (ut legitur) dudum dogma dispersit, dicendo Dominum Jesum Christum ex Maria Virgine hominem tantum, non etiam Deum natum, sed et sectatoribus ejus in hujusmodi perversitate duraniibus anathema dicimus. Propter quod convenit, ad confirmationem subscriptionis, sanctam, quæ præsens est, fraternitatem iisdem, vel omnibus, qui eorum doctrinam sequuntur, anathema similiter dicere.

ADMONITIO

In sequentem actionem hactenus ineditam concilii Chalcedonensis.

1. *Græci codices concilii Chalcedonensis bibliothecæ Venetæ S. Marci* 164 *et* 555, *locupletiores sunt iis quibus Romani editores usi fuerunt. Lacunæ quæ in Græco punctis signantur initio actionis* 4 *in iisdem codicibus supplentur, ita ut in lacuna tertia notata tom.* IV *Concil. editionis Venetæ pag.* 1357, *duas integras paginas impleant episcoporum nomina, quæ in ipsa antiqua versione Latina e regione posita desiderantur. Supplentur quoque episcoporum nomina initio actionis* 6, *quæ in Græco vulgato desunt, et in sola antiqua interpretatione Latina leguntur, ac propterea omittuntur illa,* καὶ τῶν λοιπῶν ὁσιωτάτων καὶ εὐσεβεστάτων ἐπισκόπων, et cæteris sanctissimis ac religiosissimis episcopis, *quæ integro episcoporum catalogo recitato locum non habent. Actione* 14 *de Sabiniano Perrhenorum episcopo, quæ in codd. Venetis est* 15, *Græcus textus editus quædam sola nomina præfert, quæ omnino desunt in antiqua versione : plura autem iidem codices addunt, et solum per saltum antiqui librarii intermedia quædam nomina omissa fuere. Idipsum accidit actione in vulgatis* 16, *in iisdem autem manuscriptis* 17; *quæ enim nomina in antiqua interpretatione exhibita, desunt in Græco vulgato, ex laudatis codicibus hauriri poterunt, sicut et alia, quæ conferentibus patefient.*

2. *Quod autem in his præcipuum invenitur, est Actio* 16 *hactenus ignota, in qua lecta fuit Leonis epistola* 93. *Id vel maxime eam sententiam confirmat, in codicibus Græcis concilii Chalcedonensis non omnes actiones collectas fuisse, nec ex eo quod aliqua actio deest in uno vel pluribus codicibus Græcis, illam repudiari posse. Ita actio de Domno in codicibus nostris Græcis nec non in Romanis non legitur, et deerat etiam in eo exemplo ex quo antiqua versio prodiit; at in ms. Patriciæ Juliæ a Rustico inventa fuit. Actio de Photio Tyri episcopo, quæ aberat ab exemplis antiqui interpretis et Rustici, in Græcis Romanis, et nostris codicibus invenitur in fine cæterarum actionum, quemadmodum erat in codice quem Balsamon laudat. Ita etiam Græci codices, qui noti sunt, concilii Ephesini, carent aliquot actionibus, quæ cum ex antiqua versione supersint, in aliquo antiquo codice Græco inventæ fuere. Cur id acciderit optime explicat Baluzius in præfatione ad versionem antiquam synodi Chalcedonensis num.* 40 *et* 41. *Hanc quidem ineditam actionem, quam soli codices Veneti suppeditarunt, in suppositionem vocari non posse, præter manuscriptorum auctoritatem, ex eo manifestum fit, quia ex omnium conciliorum more litteræ summi pontificis ad concilium semper lectæ fuerunt. Hæc igitur actio, quæ ad S. Leonem nostrum maxime pertinet, appendicem claudet.*

3. *Quoniam vero de manuscriptorum Græcorum S. Marci utilitate hoc loco incidit mentio, aliam observationem gratam futuram arbitramur, quam ex alio Græco codice ejusdem bibliothecæ Venetæ signato num.* 165 *eruimus. In hoc, qui partem actorum Chalcedonensium continet, descripti leguntur canones* 27 *ejusdem concilii, affixo cuique canoni numero* 1, 2, 3, *etc., usque ad* 27, *eo quod hi sint canones una eademque actione constituti. Tum vero post ultimum canonem ducta linea, quæ canonum finem indicat, post intervallum quoddam subjiciuntur sine ulla numerali nota tres alii addititii canones, qui in solis Græcis collectionibus canonum una cum cæteris proferuntur, simulque omnes efficiunt canones* 30, *uti ex collectionibus et collectoribus canonum Græcis editi sunt tom.* IV *Conciliorum pag.* 1691. *Canon primus qui in vulgatis est* 28, *Constantinopolitanæ sedis privilegia decernit, iisdemque verbis exprimitur ac in vulgatis, et sumptus est ex actione ultima. At duo alii canones uberiores sunt quam in editis. Nam canon in vulgatis* 29 *excerptus ex actione pro Photio Tyri metropolita, incipit a verbis ejusdem actionis pag.* 1440, D. Οἱ μεγαλοπρεπέστατοι καὶ ἐνδοξότατοι ἄρχοντι εἶπον. Περὶ τῶν ἐπισκοπῶν, etc., usque ad τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, *quibus petitio judicum ad canonem intelligendum necessaria exprimitur. Tum subjiciuntur interlocutiones legatorum apostolicæ sedis et Anatolii, ex quibus vulgatus canon compactus est. Tandem approbatio synodi ex eadem actione pag.* 1449, C; *canon vero in vulgatis* 30, *ex actione* 4 *male digestus, in nostro codice incipit ab interlocutione judicum et senatus pag.* 1407, D, *et subjecta interlocutione Paschasini legati apostolicæ sedis, eorumdem judicum et senatus sententia concluditur usque ad pag.* 1410, A. *Eadem quoad hos canones leguntur in collectione Græca canonum, quæ continetur in vetusto codice* XIX *monachorum S. Basilii Romæ pag.* 54. *Ex his quid et unde tres isti addititii canones sint, perspicue cognoscitur.*

EPISTOLA IX,

SEU [1] ACTIO XVI CHALCEDONENSIS.

Nunc primum edita ex mss. Græcis bibliothecæ Venetæ S. Marci 555, *sæculi* XII, *et* 164 *sæculi* XIV, *in qua lecta fuit epistola* 93 *S. Leonis ad ipsam synodum.*

Consulatu domini nostri Marciani semper Augusti, et qui erit nuntiandus, pridie kalendas Novembris Chalcedone juxta mandatum divinissimi et piissimi domini nostri Marciani semper Augusti congregatis in sanctissima Ecclesia sanctæ martyris Eupheniæ, B Ὑπατείας τοῦ δεσπότου ἡμῶν Μαρκιανοῦ τοῦ αἰωνίου Αὐγούστου, καὶ τοῦ δηλωθησομένου τῇ πρὸ μιᾶς καλανδῶν Νοεμβρίων. Ἐν Χαλκηδόνι κατὰ κέλευσιν τοῦ θειοτάτου καὶ εὐσεβεστάτου ἡμῶν δεσπότου Μαρκιανοῦ τοῦ αἰωνίου αὐγούστου συνελθόντων ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ Ἐκ-

[1] Cum in laudatis mss. Venetis canones Chalcedonenses actioni 15 in editis ascripti, optime collocentur actione 7, de quo alibi plura, hæc actio subjicitur actioni de Sabiniano episcopo Perrhæ habita eodem die 31 Octobris, quæ in vulgatis quidem est actio 14, at in iisdem codicibus est actio 15.

Digitized by Google

magnificentissimo et gloriosissimo magistro militum, A exconsule, et Patricio Anatolio, et magnificentissimo ac gloriosissimo præfecto sacrorum prætoriorum Palladio, et magnificentissimo atque gloriosissimo magistro divinorum officiorum Vincomalo; convenientibus quoque reverendissimis episcopis Paschasino et Lucentio, et reverendissimo presbytero Bonifacio locum habentibus sanctissimi archiepiscopi senioris Romæ Leonis, et Anatolio reverendissimo archiepiscopo magni nominis Constantinopolis, et Maximo reverendissimo episcopo Antiochiæ Syriæ, et Juvenali reverendissimo episcopo Jerosolymorum, et Quintillo reverendissimo episcopo Heracleæ Macedoniæ locum habente sanctissimi archiepiscopi Thessalonicensium Anastasii, et Thalassio reverendissimo episcopo Cesareæ Cappadociæ, et Stephano reverendissimo episcopo Ephesi, et Luciano reverendissimo episcopo Byzæ tenente locum Deo amantissimi Cyriaci episcopi Heracleæ Thraciæ, et Eusebio reverendissimo episcopo Ancyræ Galatiæ, et Diogene reverendissimo episcopo Cycizi, et Petro reverendissimo episcopo Corinthi, et Florentio reverendissimo episcopo Sardium, et Eunomio reverendissimo episcopo Nicomediæ, et Anastasio reverendissimo episcopo Nicææ, et Juliano reverendissimo episcopo Coensi locum habente etiam ipso apostolicæ sedis Romæ, et Eleutherio reverendissimo episcopo Chalcedonensium, et Basilio reverendissimo episcopo Seleuciæ Isauriæ, et Meletio reverendissimo episcopo Larissæ locum habente reverendissimi episcopi Apameæ Syriæ Domni, et Amphilochio reverendissimo episcopo Sidæ, et Theodoro reverendissimo episcopo Tapsi, et Cyro reverendissimo episcopo Anazarbi, et Constantino reverendissimo episcopo Bostrorum, et Photio reverendissimo episcopo Tyri, et Theodoro reverendissimo episcopo Damasci, et Stephano reverendissimo episcopo Hierapoleos, et Symeone reverendissimo episcopo Amidæ, et Epiphanio reverendissimo episcopo locum habente reverendissimi Olympii episcopi Constantiæ, et Joanne reverendissimo episcopo Sebastiæ, et Seleuco reverendissimo episcopo Amasiæ, et Constantino reverendissimo episcopo Melitenæ, et Patricio reverendissimo episcopo Tyanorum, et Petro reverendissimo episcopo Gangrorum, et Eustathio reverendissimo episcopo Beryti, et Apragmonio reverendissimo episcopo locum habente reverendissimi episcopi Claudiopolis Calogeri, et Atarbio reverendissimo episcopo Trapezuntis, locum habente Dorothei reverendissimi episcopi Neocæsareæ, et Photino archidiacono locum habente Theoctisti reverendissimi episcopi Pissinun-

κλησια της ἁγίας μάρτυρος Εὐφήμιας· του μεγαλοπρεπεστάτου καὶ ἐνδοξοτάτου στρατηλάτου ἀπὸ ὑπάτων καὶ Πατρικίου Ἀνατολίου· καὶ τοῦ μεγαλοπρεπεστάτου καὶ ἐνδοξοτάτου ἐπάρχου τῶν ἱερῶν πραιτωρίων Παλλαδίου· καὶ τοῦ μεγαλοπρεπεστάτου καὶ ἐνδοξοτάτου μαγίστρου τῶν θείων ὀφικίων Βεγκοβάλου· — Συνελθόντων δὲ καὶ Πασκασίνου, καὶ Λουκεντσίου, τῶν εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων, καὶ Βονιφατίου τοῦ εὐλαβεστάτου πρεσβυτέρου ἐπεχόντων τὸν τόπον τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου τῆς πρεσβυτιδος Ῥώμης Λέοντος· — καὶ Ἀνατολίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἀρχιεπισκόπου τῆς μεγαλωνύμου Κωνσταντινουπόλεως, καὶ Μαξίμου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας Συρίας, καὶ Ἰουβεναλίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἱεροσολύμων, καὶ Κυντίλλου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἡρακλείας Μακεδονίας, ἐπέχοντος τὸν τόπον τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου τῆς Θεσσαλονικέων Ἀναστασιου, καὶ Θαλασσίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας, καὶ [2] Στεφάνου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἐφέσου καὶ Λουκιανοῦ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Βύζης, ἐπέχοντος τὸν τόπον τοῦ θεοφιλεστάτου ἐπισκόπου Ἡρακλείας Θρᾴκης Κυριακοῦ, καὶ Εὐστεβίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἀγκύρας Γαλατίας, καὶ Διογένους τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Κυζίκου, καὶ Πέτρου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Κορίνθου, καὶ Φλωρεντίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Σαρδέων, καὶ Εὐνομίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Νικομηδείας, καὶ Ἀναστασίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Νικαίας, καὶ Ἰουλιανοῦ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Κωνσταντινουπόλεως, ἐπέχοντος καὶ αὐτοῦ τὸν τόπον τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου Ῥώμης, καὶ Ἐλευθερίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῶν Καλχηδονέων, καὶ Βασιλίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Σελευκείας Ἰσαυρίας, καὶ Μελετίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Λαρίσσης, ἐπέχοντος τὸν τόπον τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἀπαμείας Συρίας Δόμνου, καὶ Ἀμφιλοκίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Σίδης, καὶ Θεοδώρου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Τάρσου, καὶ Κύρου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἀναζάρβου, καὶ Κωνσταντίνου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Βόστρων, καὶ Φωτίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Τύρου· καὶ Θεοδώρου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Δαμασκοῦ, καὶ Στεφάνου τοῦ εὐλαβεστάτου ἱερᾶς πόλεως ἐπισκόπου, [3] καὶ Συμεώνου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἀμίδης, καὶ Ἐπιφανίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου, ἐπέχοντος τὸν τόπον τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Κωνσταντίας Ὀλυμπίου, καὶ Ἰωάννου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Σεβαστείας, καὶ Σελεύκου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἀμασείας, καὶ Κωνσταντίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Μελιτινής, καὶ Πατρικίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Τυάνων, καὶ Ἡτρου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Γαγγρῶν, [4] καὶ Εὐσταθίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Βηρυτοῦ, [5] καὶ Ἀπραγμονίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου,

[1] Nomina judicum et episcoporum hujus eadem sunt in codicibus Venetis, ac in actionibus 15 et 17, si pauca excipias, quæ in sequentibus annotationibus indicabuntur; ac propterea unica hac actione Græca trium actionum nomina, uti sunt in iisdem mss. proferuntur, quæ in vulgato textu vel mutila sunt, vel omnino desunt. Observavimus autem episcoporum nomina eadem fere esse, ac eodem ordine recenseri ac in versione antiqua primæ actionis a Baluzio edita tom. IV Concil. edit. Venetæ pag. 1987, nec non in versione actionum 6, 7 et 8.

[2] Hic Stephanus in hac et præcedenti actione habitis pridie kal. Novembris adhuc nominatur episcopus Ephesinus, cum tamen act. 13, in vulgatis 12, pridie depositus fuerit, id est tertio kal. Novembris. Id ex notariorum oscitantia ortum credimus, qui episcoporum nomina transcripsere ex anterioribus actionibus, in quibus Stephanus nondum depositus recensebatur.

[3] In nostris mss. actione 15 additur, *καὶ Νόννου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἐδέσσης*. In versione etiam actionum 4, 6 et 8, idem Nonnus eodem loco et ordine quem in nostris mss. Græcis habet act. 15 inseritur. In versione autem vulgatæ actionis 16, quæ in nostris codicibus est 17, loco *Nonni* legitur *Ibas*. Nostri autem Græci codices non solum actione hac inedita 16, verum etiam 17, utrumque nomen prætereunt. Cum Ibas actione 10 restitutus fuerit; actione 15 Ibas, non autem Nonnus inserendus, nec in sequentibus omittendus fuerat, cum præsertim actioni 17 subscriptus legatur. Quid ita? Nimirum quia notarii exscribentes episcoporum nomina in actione 15, non animadverterunt Nonnum esse expungendum; in actionibus autem 16 et 17 cautius prætierunt quidem hoc nomen, at de Iba substituendo non cogitarunt. Alii autem notarii, ex quibus antiqua versio traducta fuit, *Ibam* pro *Nonno* actione ultima jure recensuere.

[4] Eustathii Berytensis nomen ac solum in actione 16 inter metropolitas legitur, uti in versione actionis 5. At in præcedenti 15 et in sequenti 17 hunc episcopum jure omittunt nostri codices, quemadmodum hoc loco inter metropolitas deest in interpretatione antiqua actionum 1, 6, et 8, in quibus vel omittitur, vel inter episcopos posterius recensetur.

[5] In actione sequenti tum in editis Latinis, tum in nostris mss. Græcis aliter habetur: *Et Calogero reverendissimo episcopo Claudiopolis, et Apragmonio reverendissimo episcopo Tii.* In hac autem actione 16 legitur, ut in actione 15, nec non in antiqua versione

Digitized by Google

pia, et Romano reverendissimo episcopo Myrorum Lyciæ, et Nunechio reverendissimo episcopo Aphrodisiadis Cariæ, et Critoniano reverendissimo episcopo Laodiceæ Phrygiæ, et Mariniano reverendissimo episcopo Synadorum, et Onesiphoro reverendissimo episcopo Iconii, et Pergamio reverendissimo episcopo Antiochiæ Pisidiæ, et Epiphanio reverendissimo episcopo Pergæ, et Attico reverendissimo episcopo Nicopolis Epiri, et Martyrio reverendissimo episcopo Gortynæ, et Luca reverendissimo episcopo Dyrrhachii, et Vigilantio reverendissimo episcopo Larissæ Thessaliæ, et Francione reverendissimo episcopo Philippopolis, et Sebastiano reverendissimo episcopo Beroæ, et Basilio reverendissimo episcopo Trajanopolis, et Triphone reverendissimo Chii locum habente Joannis episcopi Rhodi, et Theoctisto reverendissimo episcopo Beroææ, et Geronlio reverendissimo episcopo Seleuciæ Syriæ, et Eusebio presbytero locum habente Macarii episcopi Laodiceæ Syriæ, et Eusebio reverendissimo episcopo Doritei, et reliqua sancta et œcumenica synodo, quæ secundum sanctionem divinissimi et piissimi Domini nostri in Chalcedonensium civitate collecta; et residentibus omnibus ante cancellos sacri altaris Bonifacius presbyter locum habens apostolicæ sedis semoris Romæ ait: Apostolicus episcopus, et apostolicæ fidei Romæ Leo dominus meus ad sanctissimam synodum epistolam misit: jubete ut recipiatur et legatur. Gloriosissimi judices dixerunt: Legatur epistola Leonis reverendissimi archiepiscopi Romæ. Et præbente Juliano reverendissimo episcopo civitatis Coensium locum habente etiam ipso apostolicæ sedis, cum authenticam Latinam epistolam, tum ejusdem interpretationem Constantinus devotissimus secretarius sic habentem legit:

Leo episcopus sanctæ synodo apud Chalcedonem constitutæ, dilectissimis in Domino fratribus salutem.

Optaveram quidem... *et cætera, uti legitur epistola* 93, *usque ad illa*: Bene valete in Domino, fratres charissimi.

A ἐπέχοντος τὸν τόπον τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Κλαυδιουπόλεως Καλογήρου, καὶ Ἀταρβίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Τραπεζοῦντος, ἐπέχοντος τὸν τόπον τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Νεοκαισαρείας Δωροθέου, καὶ Φωτεινοῦ ἀρχιδιακόνου, ἐπέχοντος τὸν τόπον Θεοκτίστου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Πισινοῦντος, καὶ Ῥωμανοῦ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Μύρων τῆς Λυκίας, καὶ [1] Νουνεχίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἀφροδησιάδος Καρίας, καὶ Κριτωνιάνου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Λαοδικείας Φρυγίας, καὶ Μαρινιανοῦ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Συνάδου, καὶ Ὀνησιφόρου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἰκονίου, [2] καὶ Περγαμίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας Πισιδίας, καὶ Ἐπιφανίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Πέργης, καὶ Ἀττικοῦ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Νικοπόλεως Ἠπείρου, καὶ Μαρτυρίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Γορτύνης, καὶ Λουκᾶ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Δυρραχίου, καὶ Βιγιλαντίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Λαρίσσης Θεσσαλίας, καὶ Φραγκίωνος τοῦ εὐλαβεστάτου

B ἐπισκόπου Φιλιππουπόλεως, καὶ Σεβαστιανοῦ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Βερόης, καὶ Βασιλίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Τραϊανουπόλεως, καὶ Τρύφωνος τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Χίου, [3] ἐπέχοντος τὸν τόπον Ἰωάννου ἐπισκόπου Ῥόδου, καὶ Θεοκτίστου ἐπισκόπου Βεροίας, καὶ Γεροντίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Σελευκείας Συρίας, καὶ Εὐσεβίου πρεσβυτέρου, ἐπέχοντος τὸν τόπον Μακρίου ἐπισκόπου Λαοδικείας Συρίας, καὶ Εὐσεβίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Δορυλαίου, καὶ τῆς λοιπῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου τῆς κατὰ θέσπισμα τοῦ θειοτάτου καὶ εὐσεβεστάτου ἡμῶν δεσπότου ἐν τῇ Χαλκηδονέων πόλει συναθροισθείσης, καὶ καθεσθέντων πάντων πρὸ τῶν καγκέλλων τοῦ ἁγίου θυσιαστηρίου — Βοκιφάτιος πρεσβύτερος ἐπέχων τὸν τόπον τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης εἶπεν· « Ὁ ἀποστολικὸς ἐπίσκοπος καὶ τῆς ἀποστολικῆς πίστεως Ῥώμης Λέων ὁ ἐμὸς δεσπότης, ἐπιστολὴν πρὸς τὴν ἁγιωτάτην σύνοδον ἀπέστειλε, κελεύσατε αὐτὴν ἀποδεχθῆναι, καὶ ἀναγνωσθῆναι. » Οἱ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες εἶπον· « Ἀναγνωσκέσθω ἡ ἐπιστολὴ Λέοντος τοῦ εὐλαβεστάτου ἀρχιεπισκόπου Ῥώμης. » Καὶ [4] ἐπιδόντος Ἰουλιανοῦ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Κῶων πόλεως τοποτηρητοῦντος καὶ αὐτοῦ τῷ ἀποστολικῷ θρόνῳ, τήνδε αὐθεντικὴν Ῥωμαϊκὴν ἐπιστολήν, καὶ τὴν ταύτης ἑρμηνείαν, Κωνσταντῖνος ὁ καθωσιωμένος Σηκρητάριος ἀνέγνω ἔχουσαν οὕτως· « Λέων ἐπίσκοπος τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τῇ ἐν Καλχηδόνι, τοῖς ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς ἐν Κυρίῳ [5] χαίρειν.... Ἐῤῥῶσθε ἐν Κυρίῳ, ἀδελφοὶ προσφιλέστατοι [5]. »

actionum 1, 5, 6 et 8, et rectius quidem, cum hoc loco soli metropolitæ describantur. Apragmonius autem inter hos locum non habet, nisi quatenus Calogeri metropolitani Claudiopolis vicem gerit. *Rectius*, inquam: nam cum in subscriptionibus actionis sequentis 17 Calogerus non per Apragmonium, sed per Stephanum presbyterum subscripserit, sicut et Relationi synodi ad S. Leonem subscripsit per Euphrosinum diaconum, Apragmonius locum ejus in actione 17 non amplius tenuisse videtur. Hic quoque error ex notariis originem ducit, qui episcopos ex anterioribus actionibus descripsere, in quibus Apragmonius Calogeri vices gerebat.

C *episcopi Rhodi*, uti semper in Chalcedonensi hæc delegatio exprimitur, unde perperam omittitur in versione actionis vulgatæ 16.

[1] Hic notarii vel amanuensis error manifestus est ex aliis locis quampluribus hujus synodi, in quibus Nunechius Laodiceæ Phrygiæ, et Critonianus Aphodisiadis episcopus traditur. Recte igitur in ipsis codicibus Venetis act. 15 et 17 legitur: Καὶ Χριτωνιανοῦ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Ἀφροδισιάδος Καρίας, καὶ Νουνεχίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Λαοδικείας Φρυγίας.

[2] Sequentes episcopi usque ad Tryphonem Chium inclusive librarii saltu desunt in Græco act. 15 nostrorum codicum, sed leguntur in Græco, et in antiqua versione act. 17, eodem ordine et iisdem verbis.

[3] Optime hic Triphon dicitur *locum tenens Joannis*

D [4] Juliani peritia in utraque lingua Latina et Græca notissima est. Is enim Italus origine Latinam linguam tenebat, Græcæ autem Ecclesiæ præfectus linguam Græcam ignorare non poterat. Hinc Leo interpretationem epistolæ 28, ad Flavianum, a Juliano fieri desideravit ex epist. 131. Cur porro is, non autem Bonifacius paulo ante memoratus, qui petierat ut hæc epistola legeretur; is, inquam, Julianus eam produxerit una cum interpretatione Græca, non alia probabilior videtur ratio, nisi quia ipse Julianus hujus interpretationis auctor fuit. Latinum porro originale una cum Græca versione oblatum traditur, quia Philippo presbytero apostolicæ sedis legato in Ephesina synodo testante act. 2: *Consuetudo* erat *ut apostolicæ sedis litteræ Latine in primis legerentur*. In actis vero Græcis solæ Græcæ versiones descriptæ inveniuntur.

[5] Vide annot. 3 (*Col.* 936, *n.* [k]) in epist. 93, ubi integram hujus epistolæ versionem huic actioni insertam dedimus.

[6] Chronica notatio, quæ huic epistolæ in mss. Græcis ante gesta descriptæ affigitur; deest hoc loco, et sic actio 16 desinit.

Digitized by Google

APPENDIX SECUNDA

AD SECUNDAM PARTEM

OPERUM S. LEONIS MAGNI.

ADMONITIO.

Post vulgatum tomum primum nostræ editionis (a), in quo præter Sermones Epistolæ etiam S. Leonis ad codices præsertim Romanos exactæ et emendatæ continentur, e Romanis typis Josephi Collini prodiit in lucem illa pars Operum ejusdem S. doctoris quæ ipsius Epistolas ad eosdem fere codices recognitas exhibet. Circa hos vero codices, qui et nostræ et Romanæ editioni usui fuere, unum monere necessarium ducimus, ne quis forte de fide nostra in iisdem mss. exemplaribus allegandis addubitet. In præfatione Romanæ editionis hæc admonitio legitur pag. 53 : In hac nostra (*editione*) erudito lectori notæ manuscriptorum indices, quæ in omnibus aliis desiderantur, occurrunt : quod ea quidem ducti ratione fecimus, ut a lectorum animo omnem suspicionem removeremus, nos potius conjecturis indulsisse, quam religiose eorumdem mss. codicum lectionibus et auctoritatibus institisse. Quare in posterum cuique de nostra fide dubitanti omnino facile esse poterit ad nostros indicatos fontes provocare, atque subinde cognoscere an variæ lectiones, vel a nobis ad calcem cujuscumque epistolæ, aut monumenti annotatæ, vel in textum inductæ, vere atque sincere iis fontibus respondeant, ex quibus easdem haustas fuisse indicavimus. *Conferentes vero Vaticanos codices in hac editione ad cujusque epistolæ marginem indicatos cum iis quos nos in nostra editione allegavimus, deprehendimus nonnumquam in ea Romana editione notari hanc vel illam Leonis epistolam inveniri in aliquibus Romanis codicibus, qui eis certissime carent. Exactissimum enim catalogum epistolarum, quæ in quovis codice describuntur, separatis paginis, ne confusio irreperet, contexuimus ; nec plures vel pauciores in singulis codicibus seu mss. collectionibus reperiri Leonis epistolas, quam quæ a nobis vel in præfatione vel in notis recensitæ fuerunt, certissimi sumus, ut et conferentibus ipsos codices palam fiet. Romana autem editio codices non raro assignat epistolis quæ in ipsis desunt, idque certo errori tribuendum ex eadem editione evincere possumus.*

In notitia manuscriptorum Vaticanæ bibliothecæ, quæ præfationi ejusdem editionis subjicitur, pag. 66 *scribitur Vaticanum codicem* 1341 *continere epistolas Leoninas* unam et quadraginta ; *ubi legendum* unam de quadraginta : *ille enim codex pertinet ad collectionem Hispanicam, quæ complectitur tantum Leoninas epistolas* 39 *a nobis exacte recensitas in præfatione ad Epistolas,* § 10, *pag.* 522 *et* 523. *At in editione Epistolarum, præter quam quod hujus codicis allegatio omittitur in epistolis decem quæ in eo leguntur, numerus ipsius codicis Vat.* 1341 *affigitur epistolis* 45, *ex quibus sexdecim in eodem codice desunt, nimirum epistolæ* 24, 34, 35, 36, 39, 46, 48, 58, 68, 98, 99, *nec non una Valentiniani ad Theodosium, Marciani ad Leonem, Pulcheriæ, Ceretii ac Salonii, et synodi Chalcedonensis ad eumdem pontificem, quæ in nostra editione sunt epistolæ* 54, 57, 58, 59, 42, 50, 51, 72, 67, 123, 124, 55, 73, 77, 68 *et* 98. *In eadem manuscriptorum notitia pag.* 65, *Vaticano ms.* 1342 *collectionis tertiæ ascribuntur* sexdecim S. Leonis epistolæ, *quot quidem in eodem invenimus. At in corpore editionis numerus ipsius codicis* 1342 *annotatur epistolis* 21, *ita ut omissa allegatione ejusdem ad epistolas sex, quæ in eo continentur, perperam addatur idem numerus epistolis undecim, quas in ipso nequaquam invenies, nimirum epistolis ejus editionis* 3, 7, 8, 14, 15, 73, 81, 91, 95, 139, *et synodicæ Ravennii ac aliorum Gallorum ad Leonem ; nobis vero epist.* 3, 2, 7, 18, 15, 93, 106, 115, 120, 166 *et* 99. *Similes lapsus occurrunt in allegandis aliquot aliis codicibus. Epistolæ, ex. gr.,* 24, *nobis* 54, *apponuntur in margine codd. Vat.* 1340, 1341, 1343, 1353 *et* 3791, *cum tamen eadem epistola inveniatur in uno ms.* 1340, *in cæteris desideretur. Epistolæ* 39, *nobis* 42, *quæ exstat in sola collectione Arelatensi, ex qua reperire licuit unum codicem Vallicellanum G,* 99, *ascribuntur in margine codd. Vat.* 541, 542, 1340 *et* 1341, *qui ad alias collectiones ea epistola expertes spectant. Idem referre de aliis epistolis supersedemus, cum huctenus indicata sufficiant. Hi errores partim operarum oscitantiæ, partim vero confusioni annotationum in adversariis, quæ separatam cujusque codicis descriptionem non præferrent, tribuendi videntur.*

Num vero aliquis pariter error lateat in quibusdam lectionibus huic vel illi codici in eadem editione ascriptis, non vacavit expendere. Certe pag. 1, *not.* a, *dum traditur omnes Vat. codd.* antiquiores et insignioris notæ, *excepto Vat. regio* 1997, *habere hæc verba,* In causa Lupicini episcopi, *manifestus est error : quippe* antiquiores *quidem et* insignioris notæ *codices in margine laudati Vat.* 1341 *et* 1342, *non solum carent iisdem verbis, verum etiam in corpore ipsius epistolæ primæ, nobis* 12, *omittunt illud caput, quod ad Lupicini causam pertinet. Pag.* 62, *not.* e, *in epistolam* 15 *ad Turribium affirmatur codicem Vat. Reg.* 1987 *habere* sententiam, *cum* sententiam *ibidem legerimus. Pag.* 194, *not.* b *et* f, *in epist.* 47, *nobis* 59, *lectiones afferuntur ex codd. Vat.* 3787 *et* 4961, *qui cum sint collectionis Avellanæ, eadem epistola carent : ex autem lectiones a nobis fuerunt repertæ in mss. collectionis* 21, *ad quam spectant mss. codd. Vat.* 542 *et* 543, *quos una cum duobus memoratis collectionis Avellanæ in ejusdem editionis margine indicatos invenies. Alia observare, quæ ad editionem nostram vindicandam necessaria non sunt, prætermittimus.*

Porro in eadem editione Romana, in qua lucubranda cl. auctor plurimum operæ et laboris impendens, Græcos etiam codices recolendos curavit, tria fragmenta Græca antea inedita invenimus, quæ in hac Appendicula recudenda credidimus. Primum e ms. Vat. Græc. 720, *sæculi, uti traditur, decimi eductum fuit. Hic codex multa Græcorum Patrum opuscula seu fragmenta continet. Inter hæc legitur pars epistolæ S. Leonis ad imperatorem Theodosium. Nihil ex stylo conjicere licuit, cum sit Græca versio. Substantia vero ipsius fragmenti nihil repugnat : nam rectam fidem eamdemque doctrinam exhibet, quam Leo docuit. Auctor Romanæ editionis censet hoc fragmentum pertinere ad epistolam quæ a Leone indicatur epist.* 24, *nobis* 54, *ad eumdem imperatorem, illis verbis :* A me autem atque ab omnibus catholicis sacerdotibus, quæ evangelicæ fidei pietas defendatur, satis plene ac lucide litteris meis, quas clementiam vestram per famulum vestrum Epiphanium tribunum, qui pro hac causa missus est, arbitror accepisse, reseratum est. *Id autem ille censuit deceptus erronea hujus epi-*

(a) Hanc appendicem edebant Ballerinii sub finem tomi II editionis suæ. EDIT.

Digitized by Google

stolæ chronica notatione, qua in vulgatis signabatur data VIII kal. Junias, *id est ante epistolam nobis* 44 *ad ipsum imperatorem; unde recitatis verbis alia epistola e sacerdotum synodo scripta atque deperdita significari videbatur. Emendata vero ea chronica nota ex nostro optimo codice Ratisponensi sic*, VIII kal. Januarias, *id est die* 25 *Decembris anni* 449, *statim liquet memoratis verbis indicari ipsam epistolam* 44, *quæ quidem jamdiu ante laudatam epistolam* 54, *nimirum* III *idus, vel idibus Octobris anni ejusdem data fuerat e synodo. Quid ergo? Si huic fragmento, quod ex Græca miscellanea collectione sumptum est, fidendum omnino sit, multo est credibilius hue Leonem respicere in epist.* 69, *dum ad eumdem imperatorem scribit c.* 2 : Quæ nostræ forma sit fidei, manifestatis instructionibus quas misimus possitis dignanter agnoscere. *In hanc quidem rem a Leone missa fuerunt in Orientem Theodosio tradenda testimonia Patrum, quibus probaret sese in dogmatica epistola* 28, *non alium doctrinam docuisse quam quæ a sanctis et Latinis et Græcis Patribus tradita fuerat. Vide epist.* 71. *Sed ex hoc fragmento, si genuinum sit, missa simul videtur alia epistolica declaratio ad ipsum imperatorem directa, quæ testimoniis Patrum et legatorum instructioni addita dicenda esset. Cum vero sola epistola* 28 *celebris sit, huicque uni testimonia Patrum subjecta fuerint in mss. Græcis vetustissimæ collectionis Chalcedonensis ante hujus concilii gesta, nec præter hanc ulla uspiam fiat mentio alius Leoninæ declarationis ac veluti formulæ fidei ad imperatorem Theodosium, quæ post editam dogmaticam epistolam* 28 *superflua videri potest, hinc de hujusmodi fragmento aliqua suspicio nec omnino levis ingeritur. Quidquid autem id est, ipsum fragmentum in hac appendicula exhibebimus, uti editum fuit.*

Secundum est fragmentum libelli S. Flaviani Constantinopolitani episcopi ad S. Leonem, quod suppeditavit codex Vat. Græc. 451. *In hoc fragmento nonnulla paulo difficiliora occurrunt. Duæ in eo partes distinguendæ, prior qua libellus quidam fidei proponitur, posterior qua gesta circa Joannem et Gregorium describuntur. In priori parte, seu in libello fidei, laudatur dogmatica Leonis epistola* 28, *qua duæ naturæ et una persona declarantur in Christo :* In unam enim personam, *inquit*, sicut et TUA SANCTITAS DOCET (*in epist.* 28) duæ naturæ concurrunt. *Hæc autem Leonis epistola* 28 *Flaviano tradita fuit non Constantinopoli, sed Ephesi, quo Flavianus ad concilium accesserat. Legati enim pontificis qui easdem litteras perferendas acceperant, ob indicti concilii tempus non Constantinopolim, sed Ephesum contendere compulsi fuerunt. Porro gesta quæ in posteriori parte narrantur Constantinopoli evenerunt. Joannis enim et Gregorii condemnatio a Flaviano peracta, ac plebis tumultus in eosdem, non Epheso, nec tempori latrocinii Ephesini, quo Eutychianorum factio prævalebat, sed Constantinopoli convenit ante tempus ejusdem latrocinii, cum Flavianus, damnato Eutyche, catholicam fidem libere propugnabat, populusque favebat. Neque enim rejici potest post idem latrocinium : nam tunc Flavianus non rediit Constantinopolim, sed in exsilium pulsus in ipso itinere supremum diem obiit. Vide nostram admonitionem in epist.* 55. *Cum vero prior pars hujus fragmenti, in qua epistolæ Leonis fit mentio, eum fidei libellum contineat, qui ante hæc Constantinopolitana gesta circa Joannem et Gregorium lectus traditur* (Hæc cum libellus contineret, EO LECTO, *etc.*), *ipse quoque libellus Constantinopoli scriptus fuerat, antequam Flavianus Ephesum pergeret. Quomodo igitur in eo laudari potuit Leonis epistola* 28, *quæ solum Ephesi a Flaviano accepta fuit? Adde quod dum hic libellus Constantinopoli legeretur, Eutyches depositus fuerat. Qui autem Flavianus hominem abs se jam depositum et archimandritæ dignitate privatum*, archimandritam *in ipso libello appellasset? Cum integrum documentum ex quo hoc fragmentum excerptum fuit desideretur, nihil certi affirmari potest. Ne vero suppositionis nota eidem inuratur, suspicari licet hoc fragmentum pertinere ad libellum appellationis Flaviani, qui Ephesi scriptus et legatis Leonis traditus fuit. In hoc autem insertus dicendus est libellus fidei qui Constantinopoli lectus fuerat, et gesta de Joanne et Gregorio pariter inserta. Verba quibus laudatur Leonis epist.* 28, *eidem libello, dum Ephesi exscriberetur, adjecta. Tum vero Flavianus Eutychem vocavit* archimandritam, *quia is in pseudosynodo restitutus pro archimandrita sese gerebat.*

Tertium fragmentum sumptum ex ms. Vat. Græc. 1455, *mera paraphrasis est capitis octavi epistolæ* 14 *Leonis ad Anastasium.*

FRAGMENTUM I.

Ex cod. Vat. Græc. 720.

LEONIS PAPÆ AD THEODOSIUM IMPERATOREM, DE DIVINI VERBI INCARNATIONE.

LEONIS *Romæ episcopi exemplum interpretationis partis epistolæ, quam ad imperatorem* THEODOSIUM *scripsit de divina incarnatione, et contra eos qui credunt abominandis dogmatibus hæresiarcharum Photini et Apollinaris atque horum similium.*

A Λέοντος Ἐπισκόπου Ῥώμης ἀντίγραφον ἑρμηνείας μέρους ἐπιστολῆς, ἣς ἔγραψε τῷ βασιλεῖ Θεοδοσίῳ περὶ τῆς θείας ἐνανθρωπήσεως, καὶ κατὰ τῶν πιστευόντων τοῖς μυσαροῖς δόγμασι τῶν αἱρεσιαρχῶν Φωτινοῦ, καὶ Ἀπολιναρίου, καὶ τῶν τούτων ὁμοίων.

Credimus Filium Dei ab æterno, et sine exteriori principio, qui cum Patre et Spiritu sancto est, in extremis sæculis perfectum nostræ naturæ suscepisse hominem ex Maria semper virgine, et quod Verbum caro factum fuerit, hominem suscipiendo, neque Divinitatem mutasse, neque, ut quidam impie existimarunt, sanctum Spiritum pro semine fuisse; sed
c per virtutem et sapientiam Conditoris gentium confitemur Christum unam esse personam Filii, duas vero perfectas integrasque substantias Divinitatis atque humanitatis, quæ ex anima et corpore constat. Anathema dicimus contra Photinum, qui Christum purum nudumque hominem asserit; similiter et contra Apollinarium, illiusque similes, qui dicunt Filium Dei minus quiddam humana natura suscepisse sive in carne, sive in anima, sive in mente, sive in hominis assumptione, et dissimilem nobis fuisse in eo quod assumptum est : quem hominem sine sola macula peccati (quod peccatum physicum non est), ejusdem formæ cum nostra per omnia factum esse credimus. Illorum quoque blasphemiam exsecramur, qui nova inventione dicere conantur, a tempore sus-

Πιστεύομεν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν ἀΐδιος καὶ ἀνάρχως μετὰ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ὄντα ἐπ' ἐσχάτων τῶν αἰώνων τέλειον ἄνθρωπον τῆς ἡμετέρας φύσεως ἀνειληφέναι ἐκ Μαρίας ἀειπαρθένου. Καὶ τὸν λόγον σάρκα γεγενῆσθαι τῷ ἀναλαβεῖν ἄνθρωπον, οὔτε μεταλλάξαι τὴν θεότητα, καὶ οὐχ' ὥς τινες μυσαρῶς ὑπέλαβον τὸ ἅγιον πνεῦμα ἀντὶ σπορᾶς γεγενῆσθαι, ἀλλὰ τῇ δυνάμει καὶ τῇ σοφίᾳ δημιουργοῦ γενόμενον ὁμολογοῦμεν τὸν χριστὸν ἓν εἶναι πρόσωπον υἱοῦ. Δύο δὲ τελείας καὶ ὁλοκλήρους οὐσίας θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος τῆς ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συνεστώσης. Ἀναθεματίζομεν Φωτινὸν τὸν λέγοντα τὸν χριστὸν ψιλὸν καὶ γυμνὸν ἄνθρωπον. Ὡσαύτως δὲ καὶ Ἀπολιναρίου καὶ τοὺς τούτου ὁμοίως τοὺς λέγοντας τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἔλαττόν τι τῆς ἀνθρωπίνης φύ-
B σεως ἀνειληφέναι, ἢ ἐν σαρκὶ, ἢ ἐν ψυχῇ, ἢ ἐν νῷ ἐν τῇ προσλήψει τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ἀνόμοιον γεγενῆσθαι ἡμῖν, δ' οὗ προσελήφθη. Ὃν τινα ἄνθρωπον ἄνευ μόνου τοῦ σπίλου τῆς ἁμαρτίας. (ἥτις ἁμαρτία φυσικὴ οὐκ ἔστιν), Σύμμορφον ἡμῖν κατὰ πάντα γεγενῆσθαι πιστεύομεν. Κακείνων δὲ ὁμοίως τὴν βλασφημίαν ἀναθεματίζομεν τῶν ξένῃ ἐννοίᾳ ἐπιχειρούντων λέγειν, ἀπὸ τοῦ καιροῦ τῆς ἀναληφθείσης σαρκὸς πάντα τὰ τῆς θεότητος εἰς τὸν ἄν-

Digitized by Google

septæ carnis omnia divinæ naturæ in humanam, atque omnia humanæ in divinam commutata fuisse, quod nulla unquam hæresis dicere ausa est. Per hujusmodi enim confessionem, utramque Divinitatis atque humanitatis naturam in aliud quidpiam commutatam esse autumant, neque Deum perfectum, neque perfectum hominem secundum veritatem Filium confitentur.

Nos vero ita dicimus assumptam a Filio Dei naturam nostram, Divinitate impatibili permanente: passus est enim Dei Filius non opinione, sed re vera, quæcumque Scriptura testatur, hoc est famem, sitim, defatigationem, laborem, mortem, et reliqua hujusmodi. Secundum autem illud passus est, secundum quod pati potuit, id est non secundum assumentem, sed secundum assumptam naturam. Ipse enim Dei Filius secundum Divinitatem impatibilis est, sicut Pater invisibilis, sicut Pater sub tactum non cadens, sicut Pater immutabilis. Propria enim persona Filii Deus Verbum assumens hominem patibilem, atque in ipso habitans, nihil passa est, sicut Pater et Spiritus sanctus: omnino enim Trinitatem impatibilem confiteri debemus. Cum mortuus igitur Filius Dei fuisset secundum Scripturas, quatenus mori potuit, surrexit ex mortuis tertia die, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei, manente substantia carnis ipsius, in qua genitus est, et passus fuit, et resurrexit. Non enim dissoluta aut commutata fuit humanitatis substantia, sed permanens in Divinitate in perpetuum glorificata est.

A

B

θρώπου, καὶ τὰ τῆς ἀνθρωπότητος εἰς τὸν Θεὸν μεταβεβλῆσθαι, ὅσπερ οὐδεμία πώποτε αἵρεσις εἰπεῖν ἐτόλμησε. Διὰ γὰρ τῆς τοιαύτης ὁμολογίας ἑκατέραν φύσιν θεότητός τε καὶ ἀνθρωπότητος εἰς ἄλλο τι μεταβεβλῆσθαι νομίζουσι. Καὶ οὔτε Θεὸν τέλειον, οὔτε ἄνθρωπον τέλειον κατὰ τὸ ἀληθὲς τὸν υἱὸν ὁμολογοῦσιν. Ἡμεῖς δὲ οὕτω φαμὲν ἀνειλῆφθαι παρὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ τὴν ἡμετέραν φύσιν, τῆς θεότητος ἀπαθοῦς διαμεινάσης. Ἔπαθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ οὐ δοκήσει, ἀλλὰ ἀληθείᾳ πάντα ἅπερ ἡ γραφὴ μαρτυρεῖ· τουτέστι πεῖναν, δίψαν, κόπον, πόνον, θάνατον καὶ τὰ λοιπὰ τοιαῦτα. Κατ' ἐκεῖνο δὲ ἔπαθεν καθὸ τε καὶ παθεῖν ἠδύνατο, τουτέστιν οὐ κατὰ τὴν ἀνειλημμένην, ἀλλὰ κατὰ τὴν προσληφθεῖσαν φύσιν. Αὐτὸς γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ κατὰ τὴν θεότητα ἀπαθής ἐστιν, ὡς ὁ πατὴρ ἀόρατος, ὡς ὁ πατὴρ ἀψηλάφητος, ὡς ὁ πατὴρ ἀναλοίωτος. Τὸ γὰρ κύριον πρόσωπον τοῦ υἱοῦ ὁ Θεὸς λόγος προσλαβόμενος παθητὸν ἄνθρωπον καὶ κατοικήσας ἐν αὐτῷ οὐδὲν ἔπαθεν, ὡς ἡ πατὴρ καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· πᾶσα γὰρ ἀνάγκη τὴν τριάδα ἀπαθῆ ὁμολογεῖν. Ἀποθανὼν τοίνυν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ κατὰ τὰς γραφὰς καθὸ ἀποθανεῖν ἠδύνατο, ἀνέστη ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ἀνῆλθεν εἰς τοὺς οὐρανούς, καθέζεται ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ, μενούσης τῆς οὐσίας αὐτῆς τῆς σαρκός, ἐν ᾗ ἐγεννήθη καὶ ἔπαθε καὶ ἀνέστη· οὔτε γὰρ διελύθη ἡ μετεβλήθη ἡ οὐσία τῆς ἀνθρωπότητος, ἀλλὰ δεδόξασται εἰς τὸ διηνεκὲς ἐν τῇ θεότητι μένουσα.

FRAGMENTUM II.

Ex cod. Vat. Græc. 151.

FLAVIANI EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI AD SANCTUM LEONEM PAPAM.

FLAVIANI *episcopi Constantinopolis ex libello quem scripsit ad* LEONEM *Romanum pontificem de incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri.*

Φλαβιανοῦ ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, ἐκ τοῦ τόμου ᾧ ἔγραψε πρὸς τὸν Λέοντα πάπα Ῥώμης περὶ τῆς Ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ ἡμῶν.

Verbum, dicit, caro factum est, et habitavit in nobis. Aliud vero habitatio, et aliud est habitus. Non dico, alius et alius, ut de duabus personis, sed diversum et diversum, ut in duabus naturis. Omnis enim evangelica et apostolica adhortatio et testificatio de Emmanuel in duos modos dividitur: aliquando quidem solitariam ipsius personam significans, aliquando vero perspicue ipsius duas naturas declarans. Etenim erat duplex, et est unus et solus Filius et Christus, et duplex in ipso ratio, non antequam copularetur, sed post inexplicabilem conjunctionem: perfectus ille tum in Divinitate, tum in humanitate. Si enim simplex erat, quo pacto pati et mori poterat? quo pacto verberari, et clavis affigi, et colaphis cædi, nisi in patibili corpore et terrena natura? Quemadmodum consubstantialis Deo et Patri, cum sit Deus, est perfectus ex perfecto, sic etiam eamdem nobiscum naturam habens, homo perfectus existit. Qui enim in forma Dei erat, formam servi propter nos accepit. Dei vero forma substantiam Dei significat, sicut et forma hominis humanam naturam declarat. Plagæ igitur et crux et mors ad hominem pertinent, in quo Dominus Deus Verbum est; gloria vero et potentia Domini est, in quo est servus, id est homo. Si igitur quod pati non potest, ad Divinitatem spectat, perpessio autem in humanitate est, quis recte sentientium unam dixerit, quæ duæ naturæ in ipso sunt? Si vero una est, scilicet semideus carnem assumpsit Deus, et dimidiatæ naturæ assumptus est homo. Verum non ita pietatis sanctio docet, quam repulit Eutyches archimandrita unam prædicando naturam increatæ Divinitatis et humanitatis Christi, quæ cum nostra eadem est. Universus autem sanctorum chorus duplicem substantiam, sive naturam esse Christum confitetur, non vero duplicem subsistentiam, sive personam. In unam enim personam, sicut et vestra sanctitas docet, duæ naturæ concurrunt, quas etiam dixi et immutabili ratione conservari, et indivisibili modo in Christo confitemur.

C

D

Ὁ λόγος, φησί, σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Ἕτερον δέ τι ἡ σκηνή, καὶ ἄλλο τὸ κατασκηνοῦν· οὐ λέγω ἄλλος καὶ ἄλλος, ὡς ἐπὶ δύο προσώπων, ἀλλ' ἕτερον καὶ ἕτερον ὡς ἐπὶ δύο φύσεων. Πᾶσα γὰρ εὐαγγελικὴ καὶ ἀποστολικὴ παραίνεσις καὶ μαρτυρία περὶ τοῦ Ἐμμανουὴλ εἰς δύο διαιρεῖται τρόπους, τῇ μὲν τὸ μοναδικὸν αὐτοῦ δηλοῦσα πρόσωπον, τῇ δὲ τὰς δύο αὐτοῦ σαφῶς μαρτυροῦσα φύσεις. Καὶ γὰρ ἦν καὶ ἔστι διπλοῦς ὁ εἷς καὶ μόνος υἱὸς καὶ χριστὸς καὶ διπλοῦς ὁ ἐπ αὐτῷ λόγος, οὐ πρὸ τῆς ἑνώσεως, ἀλλὰ μετὰ τὴν ἄῤῥαστον ἕνωσιν. Τέλειος ὁ αὐτὸς ὥσπερ ἐν θεότητι, οὕτω καὶ ἐν ἀνθρωπότητι. Εἰ γὰρ ἦν ἁπλοῦς, πῶς πάσχειν καὶ θνήσκειν ἠδύνατο; πῶς τύπτεσθαι, καὶ προσηλοῦσθαι, καὶ ῥαπίζεσθαι, εἰ μὴ τῇ τοῦ σώματος παθητῇ καὶ γηγενεῖ φύσει; ὥσπερ γὰρ ὁμοούσιος ὢν τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ τέλειός ἐστιν ἐκ τελείου Θεὸς, οὕτω καὶ ὁμοούσιος ἡμῖν ὑπάρχων τέλειος τυγχάνει ἄνθρωπος. Ὁ γὰρ ἐν μορφῇ Θεοῦ ὢν, μορφὴν δούλου ἔλαβε δι' ἡμᾶς. Ἡ δὲ μορφὴ Θεοῦ οὐσίαν σημαίνει Θεοῦ, ὥσπερ καὶ ἡ μορφὴ τοῦ ἀνθρώπου φύσιν ἀνθρωπίνην δηλοῖ. Αἱ μὲν οὖν πληγαὶ καὶ ὁ σταυρὸς καὶ ὁ θάνατος ἔστι τοῦ ἀνθρώπου, ἐν ᾧ ἐστιν ὁ δεσπότης ὁ Θεὸς λόγος· ἡ δὲ δόξα καὶ τὸ κράτος ἐστι τοῦ δεσπότου, περὶ ὃν ἐστιν ὁ δοῦλος, τουτέστιν ὁ ἄνθρωπος. Εἰ οὖν τὸ ἀπαθὲς ἐστι περὶ τὸ θεῖον, τὰ δὲ πάθη περὶ τὸ ἀνθρώπινον, πῶς ἂν τις τῶν εὐφρονούντων μίαν λέξειε τὰς δύο αὐτοῦ φύσεις; εἰ δὲ μία ἐστὶν, ἆρα ἀν ἡμίθεος ἐσαρκώθη Θεὸς, καὶ ἡμιφυὴς ἀνελήφθη ἄνθρωπος. Ἀλλ' οὐδ' οὕτως διδάσκει τῆς εὐσεβείας ὁ θεσμὸς, ὃν διεκρούσατο Εὐτυχὴς ὁ ἀρχιμανδρίτης, μίαν κηρύττων φύσιν τῆς ἀκτίστου θεότητος καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ. Ὁ δὲ πᾶς τῶν ἁγίων χορὸς δύτην τὴν οὐσίαν εἶναι ἤτοι τὴν φύσιν ὁμολογεῖ τὸν Χριστὸν, οὐ δὲ γὰρ δύτην τὴν ὑπόστασιν ἤτοι τὸ πρόσωπον· εἷς ἐν γὰρ πρόσωπον, καθὼς καὶ ἡ ὑμετέρα διδάσκει ἁγιωσύνη, συνέδραμεν αἱ δύο φύσεις ἄσπερ καὶ εἶπον καὶ σώζεσθαι ἀτρίπτως καὶ ἀδιαιρίτως· ἐν Χριστῷ ὁμολογοῦμεν. Ἐστὶ γὰρ εἷς καὶ μόνος μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ Θεοῦ, οὐ τῶν δύο φύσεων αὐτοῦ εἰς δυάδα ὑποστάσεων τεμνομένων, ἀλλὰ τοῦ ἀῤῥήκτου λόγου εἰς μίαν ὑπόστασιν τὰς δύο φύσεις συν-

Digitized by Google

Est enim unus et solus unigenitus Filius et Verbum Dei, non quod illius naturæ in duas subsistentias diversæ sint, sed quod Verbum inexplicabile in unam subsistentiam duas naturas copulaverit : interius quidem sacrosancto corpore per divinum Verbum exornato, exterius vero Spiritu custodiret, ut ex utrisque naturarum perspicuitatem ostendat. Sic enim et manducare illum dicimus, non ante passionem solum, verum etiam postquam resurrexit, naturam credimus corporis ipsius. Si enim corpus, contra quod hæretici dubitationes movent, natura et substantia appellatur, manifestum porro est in uno Christo utramque naturam, hoc est divinam atque humanam, conservari, et in divina quidem quæ Deo conveniebant accepisse, in nostra vero rursus ipsum prolerre humana et misera, qui non inquinamentum aliquod, non confusionem, non divisionem circa naturas habet, sed unus Filius et Christus et Dominus et Salvator existit iis qui pie volunt in ipsum credere. Hæc cum libellus contineret, eo lecto, respuerunt, abjecerunt, anathemate perculerunt quæ in hoc scripta sunt, et Joannes et Gregorius; quibus maledictis atque anathemate proscissis, in medium attulimus sanctorum Patrum libros, ex quibus erant cuncta testimonia quæ in libello existunt. Habebamus etiam ea in manibus parata, et ex quacumque responsione redargutiones expressas; cumque ostendissemus ex proprius ipsorum libris, non Flavianum maledictis et anathemate perculsum fuisse, sed sanctos Patres, minutus populus surrexit, summopere contemnens, et ferme volens eos lapidibus obruere. Hic triumphus, et dedecus fuit, quod Joannes et illius gregales publice passi sunt.

A σαντος, ἔνδοθεν μὲν κοσμουμένου τοῦ παναγίου σώματος διὰ τοῦ θείου λόγου, ἔξωθεν δὲ τῷ πνεύματι φρουρουμένου, ἵνα ἐξ ἀμφοτέρων τὸ περιφανὲς τῶν φύσεων ἀποδείξῃ. Οὕτω γὰρ καὶ ἐσθίειν αὐτὸν φαμεν, οὐ πρὸ τοῦ πάθους μόνον, ἀλλὰ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν τὴν φύσιν τοῦ σώματος αὐτοῦ πιστεύομεν. Εἰ δὲ τὸ σῶμα εἰς ὃ οἱ αἱρετικοὶ διαμφιβάλλουσι, φύσις καὶ οὐσία προσαγορεύεται, εὔδηλον λοιπὸν φυλάττεσθαι ἐν τῷ ἑνὶ Χριστῷ ἑκατέραν φύσιν, τουτέστι τὴν θείαν καὶ τὴν ἀνθρωπίνην, καὶ ἐν μὲν τῇ θείᾳ λαβεῖν αὐτὸν τὰ θεοπρεπῆ, ἐν δὲ τῇ ἡμετέρᾳ πάλιν φθέγγεσθαι αὐτὸν τὰ ἀνθρώπινα καὶ πτωχά, οὐ φυρμόν τινα, οὐ σύγχυσιν, οὐ διαίρεσιν περὶ τὰς φύσεις ἔχοντα, ἀλλ' ἕνα υἱὸν καὶ Χριστὸν καὶ κύριον καὶ σωτῆρα ὑπάρχοντα τοῖς εὐσεβῶς πιστεύειν εἰς αὐτὸν βουλομένοις. Ταῦτα δὴ τοῦ τόμου περιέχοντος καὶ ἀναγνωσθέντος ἐβδελύξαντο, ἀπώσαντο, ἀναθεμάτισαν τὰ ἐν τούτῳ γεγραμμένα, ὅ τε Ἰωάννης καὶ Γρηγόριος. Καὶ μετὰ τὸ καταρασασθαι καὶ ἀναθεματίσαι, προηγάγομεν εἰς μέσον τὰς βίβλους τῶν ἁγίων πατέρων ἐξ ὧν ὑπῆρχον πᾶσαι αἱ χρήσεις, αἱ ἐν τῷ τόμῳ ὑπάρχουσαι. Εἴχομεν B καὶ αὐτὰς αὐτόθι μετὰ χεῖρας ηὐτρεπισμένας, καὶ ἐξ ἑκάστης χρήσεως τὸ ἐλέγχειν δεδηλωμένον. Καὶ ὅτε ἀπεδείξαμεν ἐκ τῶν ἰδίων αὐτῶν βίβλων ὅτι οὐ Φλαβιανόν, ἀλλὰ τοὺς ἁγίους πατέρας κατεράσαντο καὶ ἀνεθεμάτισαν, ἀνίστη ὁ λεπτὸς δῆμος ἐσχάτως ἀτιμάζων, καὶ σχεδὸν λιθοβολῆσαι αὐτοὺς θέλων. Οὗτος ὁ θρίαμβος, καὶ αἰσχύνη, ἣν καὶ Ἰωάννης καὶ οἱ σὺν αὐτῷ δημοσίως ἔπαθον.

FRAGMENTUM III.

Ex ms. Vat. Græc. 1455.

LEONIS PAPÆ AD ANASTASIUM EPISCOPUM THESSALONICENSEM

Leo *episcopus Romæ*, Anastasio *episcopo Thessalonicæ*.

Si quis episcopus propriæ urbis tenuitatem aspernatus fuerit, ad illustrioris loci ministerium transierit, et ad majorem populum stulto consilio seipsum transtulerit; tum ex aliena cathedra expelletur, tum propria privabitur, ut neque illis præsit quos propter cupiditatem affectavit, neque iis quos ob superbiam despexit. Propriis igitur finibus quisque contentus sit, neque modum potestatis augeri concupiscat. Scias, frater charissime, aliam esse necessitatis atque utilitatis, aliam vero temeritatis ac propriæ voluntatis, vel privatæ voluptatis (*causa*) transeundi de civitate in civitatem, sed ob necessitatem atque utilitatem transferri. Nam plurium utilitatem unius utilitati vel voluntati anteponere oportet; aliud enim est transire, aliud transferri : illud enim sponte transcendere est, hoc coacte atque invite progredi. Quapropter hi non urbem mutant, sed mutantur : non enim sua sponte, sed per vim illatam hoc faciunt. Non igitur sciunt ecclesiasticos canones, qui inficiantur utilitatis ac necessitatis causa fieri non posse, quoties communis necessitas utilitasque id suadeat.

Λέων Ἐπίσκοπος Ῥώμης [1] Ἀναστασίῳ Ἐπισκόπῳ Θεσσαλονίκης.

Εἴ τις ἐπίσκοπος τῆς εὐτελείας τῆς οἰκείας πόλεως καταφρονήσῃ, ὑπηρεσίαν περιφανεστέρου τόπου μετέλθοι, καὶ πρὸς μείζονα δῆμον διανοίᾳ ἀλόγῳ ἑαυτὸν μετενέγκοι, ἐκ μὲν τῆς ἀλλοτρίας καθέδρας ἀπελαύνεται, στερηθήσεται δὲ καὶ τῆς οἰκείας ὡς μήτε ἐκείνων προΐστασθαι, οὓς διὰ τῆς πλεονεξίας ἐπεθύμησεν, μήτε τούτων, οὓς δι' ὑπερηφανίας ὑπερεῖδεν. Τοῖς οἰκείοις τοίνυν ἕκαστος ὅροις ἀρκείσθω, μὴ δ' ὑπὲρ τὸ μέτρον δυνάμεως ἐπιθυμείτω αὐξάνεσθαι. Ἴσθι, ἀδελφὲ ποθεινότατε, ἄλλην μὲν οὖσαν τῆς ἀνάγκης καὶ ὠφελείας, ἑτέραν δὲ τὴν τῆς προπετείας καὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, ἢ τῆς οἰκείας ἡδονῆς μεταβαίνειν ἐκ πόλεως εἰς πόλιν, ἀλλ' αἰτίᾳ ἀνάγκης καὶ ὠφελείας μετατίθεσθαι. Καὶ γὰρ τὴν τῶν πλειόνων ὠφέλειαν τῆς τοῦ ἑνὸς ὠφελείας ἢ θελήματος πρωτιμᾶν χρή. Ἕτεροι γάρ ἐστι τὸ μεταβαίνειν, καὶ ἕτερον τὸ μετατίθεσθαι. Καὶ γὰρ ἕτερόν ἐστι τὸ ἑκουσίως μεταβαίνειν, ἕτερον δὲ τὸ βίᾳ ἢ ἀνάγκῃ ἐλθεῖν. Ὅθεν οὐχ' οὗτοι τὴν πόλιν ἀμείβουσιν, ἀλλ' ἀμείβονται. Οὐδὲ γὰρ αὐθαιρέτως, ἀλλ' ἀναγκαστῶς τοῦτο ποιοῦσιν. Οὐκ ἄρα νοοῦσιν τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας οἱ τοῦτο ἀρνούμενοι, τὸ χάριν ὠφελείας, ἢ ἀνάγκης μὴ δύνασθαι γίνεσθαι, ὁσάκις ἂν κοινὴ ἀνάγκη, ἢ ὠφέλεια τοῦτο πείθῃ.

[1] Amanuensis errore in cod. legitur Ἀθανασίῳ pro Ἀναστασίῳ.

Digitized by Google

PASCHASII QUESNELLI
*VARIÆ LECTIONES, NOTÆ, ET OBSERVATIONES,
IN EPISTOLAS S. LEONIS MAGNI,
AD CALCULOS IN SUBJECTIS ANNOTATIONIBUS REVOCATÆ.

1279 AD EPISTOLAM I.
APUD QUESNELLUM VI.

Episcopo Aquileiensi.

1. Quo (*a*) tempore et ad quem data fuerit hæc epistola, nulla ratione quæ certa sit manifestum est. Conjecturis igitur nobis est agendum. Et tempus quidem quod attinet, ad nullum aliud potius referendo mihi videtur quam ad 444. Nam cum testetur auctor libri *de Promissionibus et Prædictionibus dimidii temporis*, inter Prosperi Opera cap. 6, eodem tempore quo Manichæos subvertebat S. Leo apud Campaniam, Pelagianos quoque et maxime Julianum ibidem ab illo fuisse contritos; Manichæos autem subversos a Leone fuisse eodem illo anno constet ex ejus epistola 8 ad episcopos Italiæ, vix dubium relinquitur quin ad eam Pelagianorum cladem pertineat hæc epistola, ac proinde anno 444 scripta sit. Etsi enim jam ab anno 439 Pelagiani communionem Ecclesiæ subripere simulata erroris sui ejuratione tentarint, jam tamen aliquot annos in episcopatu egisse Leonem oportet, cum hæc scripsit, siquidem testatur nonnulla disciplinæ ecclesiasticæ capita sæpe a se fuisse decreta. Nec serius emissam esse crediderim epistolam in qua significat non ita pridem detectam quidam ex parte esse Pelagianorum hypocrisim : *Nunc saltem*, inquit cap. 2, *postquam hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur*. Jam enim ab anno 439, ut testatur Prosper, detegi cœperat a Leone hæreticorum istorum simulatio.

Quod si verum est editam fuisse hanc epistolam anno 444, certum est pariter eam ad Nicetam scriptam non esse, ejusque nomen fuisse per errorem huic epistolæ affixum ab **1280** imperito scriba, aliam Leonis epistolam ad Nicetam ob oculos habente. Enimvero ex epistola 129 (*nunc* 159) a Leone nostro ad Nicetam scripta ann. 458, et epist. 14 (*nunc* 18) ejusdem ad Januarium Aquileiensem quoque episcopum, manifestum est an. 447, quo hæc ultima data est, Nicetam nondum ad urbis illius episcopatum evectum fuisse. Nec hujus epistolæ, vel consularis, quam habet, notæ fides vacillat, cum et Dionysius Exiguus, qui scripsit paulo post Leonis obitum, et Cresconius, et antiqui codd. mss., eam ita notatam nobis repræsentent. E contra vero Nicetæ nomen in hac epistola quam nunc tractamus, non exhibent antiqui codices aliquot excusi, ut Crabbi, Sicardi, Isidori, Coloniensis an. 1551, omnesque quotquot vidimus mss. Barb. duo, Thuanei tres, Cantabrig., Cisterciens. et Trecopithœan., Autissiodorensis S. Mariani, Herovallianus Isidori, etc., qui habent tantum : *Ad Aquileiensem episcopum :* exceptis Cisterciensi et Isidoriano. In illo enim ita legitur : *Ad metropolitanum episcopum provinciæ Venetiæ*, quod ad marginem priorum editionum adjectum reperitur; quasi alter esset titulus epistolæ encyclicæ a pari scriptæ; cum idem esset Aquileiensis episcopus et Venetiæ metropolitanus, qui in epistola sequenti hujus nomine dignitatis designatur; unde et nostræ opinioni suffragantur, quotquot excusi vel mss. codices hunc eumdem titulum præ se ferunt In editione Conciliorum Merlini seu collectionis Isidorianæ, et in ejusdem codice ms., hæc pro titulo leguntur : *Item ejusdem ad eumdem*, scilicet Altinum episcopum : qui titulus genuinus esse non potest, cum ad ejusdem Altini episcopi relationem scriptam dicat Leo epistolam.

Ex dictis corrigendus nobis venit auctor Italiæ sacræ, ubi de Aquileiensibus episcopis **1281** scribit, ipsaque Aquileiensis historia emendanda. Primum enim cum ille asserit Januarium successisse Nicetæ, eum, inquam, ad quem Leo scribat anno 447, quam manifeste hallucinatur, cum potius dicere debuerit Nicetam Januario fuisse subrogatum. Erroris pariter convincitur Aquileiensis historia, eamque secuti Baronius, Ughellus et alii, cum ab iis Nicetas immediate post Chromatium numeretur. Chromatius enim, a quo Rufinus *signaculum fidei consecutum se* profitetur, ante an. 400 episcopus fuit, proindeque inter hunc et Nicetam medius fuit, saltem unus Januarius. Immo Augustinum et Adelphium Aquileienses pariter episcopos inter Chromatium et Januarium collocat Palladius rerum Aquileiensium scriptor, teste H. de Noris Hist. Pelag. lib. II, c. 12. Tertio, si conjectura nostra de epocha hujus epistolæ vana non est, non ad Nicetam, sed potius vel ad Januarium vel ad Adelphium datam esse necesse est. Januario inscriptam eam putat H. de Noris, et quidem missam anno 447, quo alia data legitur a Leone ad eumdem Januarium. Facile assentior quoad Januarii personam : jam enim anno 444 sedisse eum in cathedra Aquileiensi, innuere videntur prima verba epistolæ anno 447 datæ : *Vigorem fidei* **1282** *tuæ, quam olim noveramus;* quæ indicant eum jam ab aliquot annis Ecclesiam Aquileiensem rexisse, et aliquod habuisse litterarum cum Leone commercium. Nec temerarie forsan suspicaris Leonem tunc in mente habuisse negotium illud circa Pelagianos, ex quo nata est Leoni occasio ad Aquileiensem episcopum scribendi, vigoremque fidei ejus explorandi. Quæ conjectura nostram de anno datæ epistolæ opinionem confirmat, probatque potius circa ann. 444 scriptam esse quam ann. 447, ut autumat Norisius. Probationem opinioni suæ arcessit ex similitudine epistolæ 14 (*nunc* 18) ad Januarium cum epistola ad Septimium Altinum, et alteram alterius exemplum esse, et ad utrumque episcopum a pari eodem tempore scriptam. Sed ex utriusque discrimine, quod in notis ad sequentem epistolam statuemus, conjecturæ huic robur omne detraheretur.

2. *Damnent superbi erroris auctores;* (*b*) auditos sci-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

* In editione Balleriana notæ Quesnelli rejiciuntur ad calcem tomi secundi : unde, distributione typographica permittente, revocavimus ut in eodem volumine lector haberet et textum et in eum omnes annotationes digestas. In tomo autem secundo nostro lacunam complevimus opere eximio P. Cacciarii nuncupato : *Exercitationes in S. Leonem.* EDIT.

(*a*) Quoad tempus et nomen episcopi Aquileiensis cui hæc epistola data fuit, videsis admonitionem eidem præmissam § 5.

(*b*) Satis fuit Pelagium, qui errores libris inseserat, judicium non adire, ut jure damnaretur ab Innocentio I, unde *auditus et discussus* dici nequit. Immo cum errores ejus ex suis libris constarent, idem pon-

Digitized by Google

licet, discussos, damnatos, tam in conciliis Africanis et Orientalibus, quam in Romano judicio, et (*a*) in Ephesina synodo œcumenica, errorisque sui damnatum sensum palam confitentes, propugnantes, disseminantes.

3. *Decreta synodalia.* Africanæ in primis **1283** Ecclesiæ Milevi et Carthagine pluries congregatæ. Quæ decreta primum a pontificibus Romanis Innocentio, Zosimo, Bonifacio et Cœlestino approbata sunt; deinde ab œcumenica synodo Ephesina (*b*) irretractabili decreto firmata, una cum gestis a Cœlestino papa in eorumdem hæreticorum damnationem. Sic enim scribunt Patres in epistola synodali ad Cœlestinum : *Cæterum ubi lecti sunt in sancta synodo commentarii de depositione impiorum Pelagianorum Cœlestii, Pelagii, Juliani, Perfidii, Flori, Marcellini, Orontii, et reliquorum eadem cum illis sentientium, judicavimus et nos solida et firma permanere debere, quæ a pietate tua sunt decreta, sumusque omnes ejusdem senten iæ.* Vide etiam canones 1 et 4 ejusdem synodi.

4. *Ut in quacumque particula dogmatis exsecrandi, quam a damnandorum* (dogmatum) *soliditate discreverint.* Ita emendavimus hunc locum ex mss. codd. Barb. duob., Trecopithœano, Thuaneis et Cantabr. et editione Nicolini, licet non omni mendo carerent posteriores codices. Sic autem lectum in editis : *Ut in quacumque particula dogmatis exsecrandi, qua se a damnatorum societate discreverint,* etc. Quo sensu? Nescio : quomodo enim quis se a damnatorum societate discernat per exsecrandum dogma? Porro dubium non est quin Semipelagianos hoc loco indicet S. Leo, quos iisdem ferme verbis depingit auctor epistolæ ad Demetriadem cap. 11, ubi illos pariter Pelagianorum surculos esse docet, eorumdemque consilia callida, simulatam confessionem, unicam dogmatis Pelagiani portionem, quæ totum illius virus tegat, ab illis servatam commemorat.

5. *Ad subrependi facilitatem.* Ita Barb. 2, Trecopith. et Thuaneus Cod. ed. Rom. 1591, et Nicolini, cum in vulg. ed. *ad tantam facilitatem* habeatur, et in tribus mss., *ad subrepentem facilitatem;* quod et in editis aliquot legitur

6. *Omnis itaque bonorum operum donatio, divina præparatio est : quia non prius quisquam justificatur virtute, quam gratia, quæ unicuique,* etc. Hanc hujus loci lectionem, quam nobis exhibent edit. Rom. ad marg. et mss. Cod. Barb., duo Cantabrig., Trecopith. et Thuanei tres, alteri prætulimus, quæ in vulg. edit. Isidoriana et ms. Vict. sic se habet : *Omnis itaque bonorum operum devotio, divina præparatio est; nec propria quisquam justificatur virtute, quoniam gratia unicuique,* etc.; prætulimus, inquam, quia verbis Apostoli, ex quibus argumentatur S. Leo, magis congruit. Edit. Canisii et Paris. an. 1568 habent ad marg., *divina operatio est :* **1284** quamcumque lectionem elegeris, nihil catholicæ doctrinæ interest, quam omnes continent; sed ea præsertim quam retinuimus, quamque S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum c. 35, iisdem verbis exprimit, ut fide firmissima tenendam. *Prædestinatio enim illa,* inquit, *gratuitæ donationis est præparatio qua nos Apostolus, ait* (*Ephes.* I, 5), *prædestinatos in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum in ipsum.* Augustinum sequebatur Fulgentius : hæc enim ille lib. de Præd. sanct. c. 29 : *Prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia vero jam ipsa donatio.*

7. *Salvare quod perierat.* Post hæc verba in omnibus editionibus, quas quidem vidi, in ms. cod. Vict. et altero insertus est pannus ex pluribus locis Enchiridii sancti Augustini consutus, capp. scilicet 45, 46 et 47, excepta prima panni particula, cujus fontem nondum retegere potui. Quoniam vero in mss. pluribus, et longe melioris notæ codicibus, pannum istum non invenimus, in tribus scilicet Thuaneis, Barb. duob., Cantabrig. ac Trecopithœano, expungendum putavimus a contextu epistolæ. Ne quis tamen illum subreptum sibi possit conqueri, eumdem hic repræsentamus. Sic igitur se habet :

« Ideo etiam parvulos dicunt, si sine baptismo hinc de sæculo exierint, non posse damnari, neque reos in peccato Adæ teneri, sed ad regnum Dei, vel ad vitam æternam, sine ulla cunctatione venire, cum Apostolus dicat : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homi-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

tifex eum haud arcessendum credidit ad judicium : quia, *si confidit,* inquit in epistola ad Aurelium et quatuor alios episcopos Africæ, *noritque non nostra dignum esse damnatione quod dicat, aut jam hoc totum se refutasse quod dixerat, non a nobis accersiri, sed ipse potius debet festinare, ut possit absolvi. Nam si adhuc taliter sentit, quando se nostro judicio quibuscris accitus litteris, cum sciat damnandum se esse, committet?* Idem Pelagius etsi Zosimo Innocentii successori fucum fecerit ea epistola ac fidei professione quibus suos errores occultare studuit, postea tamen ab eodem pontifice ejus errores edocto, licet absens, damnatus fuit; et similiter Cœlestius, qui eumdem pontificem *auditus* fefellerat, ab ipso anathemate percussus fuit, cum vocatus ad judicium sese subduxit. Pelagii quidem professio fidei ita errores tegebat, ut catholicus videri potuerit, eidemque Augustino fucum fecisset, nisi eam ex erroribus ipsius aliunde cognitis ambiguam et dolosam diligentiori examine detexisset. Vide librum de Peccato originali num. 20. Hinc licet Pelagius hujusmodi professione *erroris sui damnatum sensum palam confiteri, propugnare, ac disseminare* dici non posset, non potuit tamen Zosimi damnationem evitare, nec impedire quin idem pontifex ejus condemnationem ab aliis per subscriptiones tractoriis litteris exigeret. Qui in ipsa Aquileiensi provincia Zosimi tractoriæ eo nomine noluerunt subscribere, ne *absentes* et *inauditos* damnarent, soli hæretici fuerunt eadem labe infecti, et hac de causa damnati, ut videbimus in annotatione sequenti. Confer libellum fidei in append. tom. X Operum S. Augustini, quem ad Aquileiensem provinciam pertinere vidimus in admonit. ad epist. 1, n. 26.

(*a*) Cum S. Leo a Pelagianis qui ad Ecclesiam redirent, apertas professiones exigi voluit, quibus et errores, et errorum auctores expresse et sine ullo fuco damnarent; allegans *decreta synodalia, quæ ad excisionem hujus hæreseos apostolicæ sedis confirmavit auctoritas,* decreta respexit synodorum Africæ, quæ cum Zosimus confirmavit per celebrem tractoriam toto orbe vulgatam, hæc quidem hæresis in universa Ecclesia excisa fuit; unde Prosper in Chronico ad an. 418 : *Concilio,* inquit, *apud Carthaginem habito ducentorum quatuordecim episcoporum, ad papam Zosimum* SYNODALIA DECRETA *perlata : quibus probatis per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Leo eodem sensu quo Prosper cœvus et sibi intimus locutus est. Quid ergo Quesnellus hic Ephesinam synodum ingerit, de qua S. pontifex hac in re ne cogitavit quidem? Num indicare voluit, a nemine posse exigi ut vel errores, vel errorum auctores damnentur, nisi postquam generalis concilii judicium accesserit? Nonne ante Ephesinum concilium universa Ecclesia subscripsit Zosimi tractoriæ qua Pelagiani errores eorumque auctores anathemate plectebantur? Nonne hæ subscriptiones fuerunt ante eamdem synodum præceptæ; et Julianus cæterique complices ejus subscribere detrectantes, non solum imperialibus legibus, sed et sacerdotalibus statutis depositi atque exauctorati ex omni Italia deturbati sunt, ut Marius Mercator in Commentario tradit?

(*b*) Quod *irretractabile* solum appellat œcumenicæ Ephesinæ synodi decretum, ac si judicia sedis apostolicæ, nisi a generali synodo firmentur, retractari queant, fusius refellimus annotat. 2 (*Col.* 1046, n. [1]) in epist. 120.

Digitized by Google

nes pertransiit (Rom. v, 12) : *propter quod et ipsi parvuli baptizantur.* »

« Quamvis in illo uno possint intelligi plura peccata, si *unum* ipsum in sua quasi membra singula dividatur. Nam et superbia est illic, quia in sua homo potius esse quam in Dei potestate dilexit; et sacrilegium, quia Deo non credidit; et homicidium, quia se præcipitavit in *mortem*; et fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est; et furtum, quia prohibitus usurpatus est cibus; et avaritia, quia plus quam sufficere illi debuit, appetivit; et si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione poterit inveniri (*S. Aug. Enchirid. cap.* 43). »

« Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe sententia, *Reddam peccata patrum in filios*, tenet eos utique, antequam per regenerationem ad testamentum novum incipiant pertinere : quod testamentum prophetabatur, cum dicebatur per Ezechielem, **1285** non accepturos filios peccata patrum suorum, nec ulterius futuram in Israel parabolam illam : *Patres manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt* (*Ezech.* XVIII, 2, 20; *Jerem.* XXXI, 29). Ideo enim quisque renascitur, ut solvatur in eo quidquid pecenti est cum quo nascitur. Nam peccata quæ male agendo postea committuntur, possunt et pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non ob aliud est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio, usque adeo ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat : *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis mater mea in utero me aluit* (*Ps.* L, 5). Neque hic dixit, In iniquitate, vel in peccato, cum hoc recte dici posset, sed iniquitates et peccata dicere maluit; quia et in illo uno, quod in omnes homines pertransivit, quodque tam magnum est, ut eo mutaretur et converteretur in necessitatem mortis humana natura (sicut supra disserui) reperiuntur plura peccata, et alia parentum, quæ licet non ita possint mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia et misericordia divina subveniat (*S. Aug. Enchir. cap.* 46). »

« A parvulo enim recens nato, usque ad decrepitum senem, quotlibet corporis ætatem gerant, sicut nullus prohibendus est a baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo. Sed parvuli tantum originali, majores autem etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcumque male vivendo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt (*S. Aug. Enchir. cap.* 43).

8. *A nobis sæpe decretum est.* Vide notam nostram ad cap. 8 epistolæ 12 (*nunc* 14) et cap. 9 ejusdem consule etiam, si lubet, conc. Antioch. can. 5, et cæteros canones a Cresconio abunde relatos collectionis suæ III. 17.

AD EPISTOLAM II.

APUD QUESNELLUM VII.

Septimio Altinensi episcopo.

Quid de hujus epistolæ αὐθεντίᾳ pronuntiarem, diu anceps fui : neque tum adhuc quo inclinarem certus eram, cum typis mandata est in prima nostra editione. (*a*) Suppositionem tamen statim deprehendimus, et in notis jam tunc exposuimus. At loco tamen movendam epistolam non censuimus, ne cæterarum ordo numerusque jam fixi non sine lectoris incommodo immutarentur. Ad suppositionis argumenta jam venio.

Ac primo quidem ita (*b*) similis est alteri **1286** Leonis nostri epistolæ ad Januarium Aquileiensem scriptæ (quæ alias 3, nunc 14 [*In hac coll. epist.* 18] numeratur) ut alterutram ad alterius exemplum transcriptam esse dubitari non possit. Non certe ab ipso Leone : quis enim vero crediderit facundissimi facundissimique sermonis pontificem ad hanc verborum penuriam redactum, ut epistolam ad unum olim scriptam episcopum ad alium mittendam integram describserit, præsertim vero cum uterque intra eamdem provinciam episcopatum gereret? Eam porro quæ est ad Januarium genuinum esse Leonis opus non est ambiguum, cum ab antiquissimo collectore Dionysio Exiguo inter germanas Leonis epistolas descripta fuerit, et postea a Cresconio Africano episcopo, et insuper inventa sit a nobis in mss. codicibus Thuan. duobus, Pithœano, Victorino et aliis. Antiqua etiam Ecclesiæ Aquileiensis monumenta testantur, auctore Ughello in Italia sacra, ad Januarium Aquileiensem scriptam fuisse a sancto Leone epistolam. Nobilis igitur notanda est altera, etsi in aliquibus mss. exstet, sed ex Isidoriana collectione transcripta.

2. Hæc verba epistolæ ad Septimium inserta (*c*) : *Ad metropolitanum episcopum provinciæ Venetiæ scripta direximus*, fraudem impostoris arguunt. Numquam enim, ni fallor, ante divisionem metropoleos Aquileiensis, *metropolitanum provinciæ Venetiæ* legimus apud scriptores ecclesiasticos, sed potius *Istriæ metropolitanum et episcopos* sæpe sæpius scriptum habemus. Plerumque in civilibus Venetiæ et Istriæ nomina junguntur; in ecclesiasticis non memini Venetiæ provinciæ mentionem solitarie haberi; nec Venetiæ metropolitanum dictum esse putem ante constitutam Venetiis episcopalem sedem. Hinc Pelagii papæ epistolæ tres inscribuntur *Eliæ* Aquileiensi episcopo *et universis Istriæ episcopis*; quo nomine procul dubio omnes Istriæ et Venetiæ episcopos significat. Gregorius quoque Magnus scribit *Petro et Prudentio episcopis de Istria*; item, *ad Firminum episcopum Istriæ*. Idem pontifex *Istricorum schisma* appellat, *Istricos episcopos, et Istriæ partes* de eadem causa lib. VII, epist. 94, 95, 96, 97, 98 et 99, licet certum sit Venetiæ quoque episcopos in eodem schismate tum versatos esse. Mauritius etiam imperator ad Gregorium M. scribens, vocat episcopos *Istriæ seu Venetiarum*; ex quo patet sub Istriæ nomine Venetiam quoque comprehendi. In synodo Romana subscribit *Agatho episcopus sanctæ Ecclesiæ Aquileiensis provinciæ Istriæ*, litteris ad imperatores scriptis recitatisque act. 4 concilii sexti; subscribunt eidem epistolæ episcopi Patavinus, Altinus, aliique, qui sine controversia ex Venetiæ provincia **1287** erant, consequenter hoc loco sub Istriæ nomine intelligenda.

Recentioris igitur styli est nomenclatio illa metropolitani provinciæ Venetiæ; quæ forte post institutam Venetiarum metropolim ecclesiasticam adinventa est. Forte etiam eo consilio hic conficta, ut ex antiquo monumento illi constituendæ color quæreretur : quod certe ante nonum sæculum factum esse non existimabit qui cum Sabellico primum episcopum Venetiis datum anno 772 asseruerit.

3. Hæc verba epistolæ inserta : (*d*) *Quibus ad status sui periculum cognoscere pertinere*, etc., nec ætatem nec stylum sancti Leonis redolent. Hujusmodi enim minis non crediderim eum uti vel consuevisse vel voluisse in metropolitanos episcopos, multo minus erga Aquileiensem, qui ad synodum Romanam tunc non pertinebat, nec a pontifice Romano ordinabatur sed a Mediolanensi. In epistola quidem superiori ad Aquileiensem episcopum, minitatur se *vehementius commovendum*, si pro canonum custodia et fidei integritate negligentius se haberent episcopi;

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hanc epistolam a suppositionis nota eruimus in admonitione eidem præmissa num. 10, 13, 14 et 19.

(*b*) Istam objectionem ibidem refellimus num. 19 et 20.

(*c*) Responsum in eadem admonitione invenies num. 13.

(*d*) Lege num. 14 ejusdem admonitionis.

Digitized by Google

sed neque ad unum metropolitanum spectant minæ A hujusmodi, nec eum e sua sede dejiciendum minitatur. Quamobrem in epist. 14 (*nunc* 18) genuina, unde hæc verba subrepta sunt, Aquileiensem episcopum, non de status, sed de animæ periculo monet pontifex: *Insinuantes*, inquit, *ad animæ periculum pertinere.*

4. Licet Photius Bibliothecæ lib. 1, cod. 54, epistolæ Septimii ad Leonem PP. meminerit, silet tamen de Leonis ad Septimium rescripto. Hæc sunt ejus verba: EXEMPLAR, inquit, ACTORUM AB OCCIDENTIS EPISC PIS ADVERSUS NESTORIANA DOGMATA (hoc etiam nomine Pelagiana intelligit), *ubi hæc habentur: Cum temporis deinde progressu sectæ hujus homines per hæreseos suæ abjurationem Ecclesiæ restituti essent, iterum malum ab ipsis principium sumpsit: ut Septimo episcopo renascens eadem lues, antequam longius serperet, fuerit reprimenda, datis ad Leonem Romæ tunc sedem apostolicam tenentem litteris; qui Leo ferventi zelo contra impios depugnavit.* Si tunc responsum sancti Leonis ad Septimium exstitisset, cum scribebat Photius, vel potius cum acta illa a Photio recensita eoque antiquiora descripta sunt, (*a*) non omissa fuisset illius memoria. Et certe nulla necessitas fuit ut peculiarem ad eum faceret epistolam, qui ex epistola ad Aquileiensem scripta de Leonis consilio certior fieri poterat.

5. Suppositionis argumento est quod **1288** utraque epistola diversis temporibus et (*b*) contra diversos hæreticos (ut probabimus) emissa, eadem tamen contineat quæ difficile est in diversis negotiis simul contigisse; ut quod Leo acceperit litteras ab episcopo reviviscentis hæreseos indices, quod ab episcopo in quo fides vigeret, quod eum vigorem jam olim cognitum Leo habuerit, quod diversi illi hæretici sine professione legitimæ satisfactionis recepti sint in Ecclesiæ communionem; quod eorum clerici pristinas reliquerint Ecclesias, et ad loca sibi non deputata transierint; hæc et alia ejusmodi ita quasi ex condicto simul contigisse in diversis occasionibus diversisque erroribus, ut una utrisque epistola mitti potuerit, vix ac ne vix fidem inveniet.

Quod porro vir eruditus Henricus de Noris binas epistolas ejusdem exempli esse putat, quas de eodem Pelagianorum negotio eodem tempore miserit ad Januarium Aquileiensem et ad Septimium Altinensem, pace viri optimi dixerim, verum esse non potest. Si enim essent unius epistolæ exempla, non recisa essent ex altera nonnullæ voces, quæ necessariæ viderentur, quales sunt istæ *de Pelagianorum et Cœlestianorum consortia.* Deinde de redeuntibus ab hæresi clericis aliqua decernuntur in epistola ad Januarium, quæ in altera non apparent: ne videlicet ad superiorem ordinem promoveantur, sed in eo quem adepti sunt perseverare sinantur, si tamen iterata tinctione non fuerint maculati. Multa etiam alia omittuntur in epistola ad Septimium, quæ ex encyclica epistola sublata non fuissent.

Sed quod observatione dignissimum est, litemque dirimit, de diversis distinctisque prorsus hæreticis sermo est in epistola utraque. De Pelagianis et Cœlestianis tota est epistola ad Septimium; de iisdem altum in alia silentium; sed potius de Donatistis. Hoc clarissime innuit conditionalis hæc clausula: *Si tamen iterata tinctione non fuerint maculati:* numquam enim Pelagiani rebaptizasse dicti sunt; immo vero cum peccati originalis contagium non agnoscerent, baptismum vel semel recipere non valde necessarium arbitrabantur. A Donatistis vero certum est rebaptizatum esse. Certum etiam eosdem ad catholicam reversos suo ordine potiri esse permissos. Certum denique, si qui ab iis rebaptizati essent, ad clerum admissos non fuisse. Nihil igitur in ea epistola 14 (*nunc* 18) quod in Donatistas non quadret; qui adhuc designantur voce *schismaticorum* huic inserta; a schismate enim **1289** ad hæresim deflexerant, et contra unitatem Ecclesiæ pugnabant ex professo.

Cum hæc ita sint, notitia episcopalis sedis Septimi æque obscura manet ac si numquam hæc epistola innotuisset. Impostor enim qui epistolæ artifex fuit, Septimio eam sedem attribuit quæ in mentem venit, ac prout fraudis suæ consilio melius conducere putavit. Revera nihil ab Ughello de Altinensi hujus nominis episcopo in antiquis monumentis inventum, quando quidem de eo nihil in Italia sacra legitur.

AD EPISTOLAM III.

Paschasini Lilybæi episcopi ad S. Leonem, de Paschate.

APUD QUESNELLUM POST EPISTOLAM II.

Hanc epistolam in anterioribus editionibus truncam et mutilam, modo integram et emendatam damus ex Mariano Scoto et ex Petavii et Bucherii Operibus *de Doctrina temporum;* in quibus ille nonnulla castigavit ad mss. codd. Jac. Sirmondi, hic totam descripsit multis auctiorem ac elimatiorem ex mss. aliis codicibus. Hujus mentionem faciunt Ado Viennensis in Chronico, et venerabilis Beda lib. de Temporibus. Eamdem Marianus Scotus non laudat modo, sed et refert integram in Chronico lib. II, ad an. 445, ubi eam male in duas secat epistolas. Eamdem quoque epistolæ clausulam quam addidit Bucherius, habet Marianus. Ante illos omnes Dionysius Exiguus in epistola de Ratione Paschæ ad Bonifacium primicerium notariorum et Bonum secundicerium, quam Bucherius et Petavius in lucem ediderunt. *Quoniam,* inquit, *sanctitas vestra, orta rei hujus quæstione, de archivo Romanæ Ecclesiæ Paschasini venerabilis episcopi scripta, quem constat pro persona beatissimi papæ Leonis sancto Chalcedonensi præsedisse concilio, ad eumdem papam per idem tempus directa nunc protulit,* quæ *sanctis Patribus evidenti ratione consentiunt, huic præsenti indidimus operi: ut hujus etiam viri testimonio niteremur, qui manifesto miraculo venerabilium pontificum paschalia decreta confirmat.* Ubi quod tanta cura in archivo sedis apostolicæ servata sit, manifestum facit plurimi semper fecisse Romanos pontifices aliorum episcoporum rescripta. Eamdem autem esse hanc quam habemus in manibus epistolam, et miraculi mentio demonstrat, et annorum in communes et embolismales divisio, quorum explicationi unice incumbit Dionysius in hac sua epistola, quam vice commentarii adibis, lector, si voles, apud Bucherium pag. 489.

Scrupulum tamen alicui forsan injicient hæc epistolæ verba, *per idem tempus,* scilicet concilii Chalcedonensis, persuadebuntque Dionysio magis sermonem esse de scriptis **1290** missis ad sanctum Leonem de controversia paschali anni 455 quam anni 444. Constat enim eo ipso anno quo synodus convocabatur, scripsisse Leonem nostrum ad Paschasinum de Paschate, ab eoque exspectasse responsum; illam publici nunc juris facimus, istud nondum e tenebris erutum est, si tamen umquam datum. Sed, ut jam diximus, et miraculi et embolismorum communionumque annorum explicatio evincunt, non de alia quam de hac ipsa Dionysium intelligendum esse: quam ad anni 455 difficultatem pertinere qui Dionysium existimasse crediderit, injuriam profecto fecerit viro eruditio totiusque hujusmodi disciplinæ peritissimo, ac Paschasini epistolam ex professo commentanti certam faciant Septimi episcopi epistolam ad S. Leonem, quis hunc ei rescripsisse in dubium vocet?

(*b*) Ad eosdem Pelagianos utramque epistolam, diverso licet anno scriptam, pertinere probavimus annot. 5 (*Col.* 707, *n.* c) et 6 (*Col.* 707, *n.* c) in epist. 18

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

a) Hoc negativum argumentum ex silentio Photii, vel potius actorum quæ Photius recensuit, contra argumenta positiva, quæ pro vindicanda hac Leonis epistola in laudata admonitione attulimus, nihil evincere potest. Immo cum eadem acta ac ex iis Photius

Digitized by Google

Benigne igitur interpretamur hæc verba, *per idem tempus*. Etsi enim integri octennii sit intervallum ab anno 443, quo data est Paschasini epistola, ad concilium Chalcedonense, non est tamen insolens loquendi modus homini post centum fere annos ista scribenti, et S. Leonis tempora hoc loquendi modo indicanti.

Emendandi igitur Annales ecclesiastici (*Baron. ad an.* 455, *num.* 34), qui inter utramque de Paschate controversiam non discernentes, hanc epistolam ad posteriorem referunt; quod ex ipsis Paschasini verbis refellitur. Scribit enim annum de cujus Paschate contentio nata erat fuisse sexagesimum tertium supputationis Romanæ, quæ a consulatu Antonii et Syagrii cœpit. Horum porro consulatus incurrit in annum Christi 382, a quo si tres et sexaginta numerentur, calculus desinet in annum 444. Ex quo priores hujus epistolæ editiones corrigendæ, et pro *sexagesimus quartus*, legendum *sexagesimus tertius*, uti emendarunt Petavius ex Sirmondiano codice, et Bucherius ex suo, et in suis quoque Marianus Scotus legerat. Ex quo corrigas eumdem Marianum, qui post hæc verba, *A consulatu Antonii et Syagrii*, addit, *anno quarto Gratiani*. Legendum enim Theodosii, cujus revera quartus annus erat, Gratiani vero decimus sextus; vel illud omnino expungendum.

Præterea dicit Paschasinus VII kalend. Aprilis hujus anni Dominicam fuisse diem et lunam 21, et iterum IV kalend. Maias Dominicam diem et lunam 19, quod alteri anno quam 444 quadrare non potest. Addit etiam ogdoadem quæ coss. Aetio et Sigesvulto cœperat, illo ipso anno terminatam de quo quæsitum fuerat. Anno Christi 437, quo consulatum isti gesserunt, cyclus fuit lunæ 1, atque adeo ogdoadis initium, cujus ultimus annus incidit in annum 444, Theodosio XVIII et Albino coss. Hæc ex Petavio delibavimus.

Baronius errandi occasionem forsitan ex Jordane sumpsit, qui pariter circa utriusque Paschatis negotium hallucinatus est in Annalibus, cum ait de anni 444 Paschate ad Leonem papam scripsisse Proterium et Paschasinum. De Paschasino quidem verum est, at de Proterio falsissimum; qui anno solum 452 ordinatus Alexandrinorum episcopus. **1291** Cyrillum dicere debuit Jordanis; qui Cyrillus anno eodem, mense Junio obiit, et ante scripserat ad Leonem litteras de Paschate, quas Paschasinus ipse commemorat. Baronio et Jordani etsi errasse commune est, unius tamen error alteri contrarius est: cum enim epistolarum Paschasini et Proterii altera ad annum 444, altera ad ann. 455 pertineat, utriusque epistolam priori anno ascripsit Jordanis, utramque posteriori Baronius attribuit.

Ex quo errore in alium ruit idem auctor (*Ad ann.* 454, *num.* 22), dum Siciliæ populationem, quam Paschasinus in sua epistola recenset, ad annum 454 revocat; arguitque Adonem Viennensem, quasi captivitati Carthaginensi male conjungat Siciliæ cladem his verbis: *Wandali, Carthagine capta, Siciliam quoque deleverunt; cujus captivitatis Paschasinus Lilybætanus antistes in epistola quam de Ratione Paschatis papæ Leoni scripsit, meminit.* Hæc optime, et Prospero concinunt, qui in auctiori Chronico sub consulatu Valentiniani Aug. V et Anatolii, hoc est an. Chr. 440, Siciliam a Genserico graviter afflictam narrat, cum superiori anno Carthaginem dolo pacis captam dixisset. Recte igitur Ado alteram alteri connexuit; nec Baronius Siciliæ cladem, de qua Paschasinus, ad an. 454 referre potuit, nisi tredecim aut quatuordecim annorum metachronismo.

Plurima porro emendavimus addidimusque in hac epistola, partim ex mss. codd., partim ex Petavii Bucheriique editionibus, apud quos doctrinam temporum accurate edisserentes, illustratam Paschasini epistolam reperies.

Miraculum quod idem narrat, de baptisterio aqua divinitus immissa repleri ac vacuari soliti, qui aliis non absimilibus confirmari voluerit, adeat Pratum spirituale (cujus Sophronius auctor prædicatur) cap. 214 et 215, et Gregorium Turonensem, de Gloria mart. lib. I, cap. 24.

(*a*) Hebræorum seu legalem supputationem, de qua Lilybætanus episcopus mentionem facit, et cujus ignorantia Romanos in errorem dicit inductos, si quem videre curiositas incessit, apud Bucherium inveniet, ejusque insuper locupletem de hujusmodi Judæorum cyclo disquisitionem. Illum sine castigatione ulla primis Christianis usui fuisse, saltem usque ad annum Christi 222, idem probat cap. 6 Commentarii in Victorii Aquitani Canonem Paschalem, circa quem annum ab Hippolyto Portuensi episcopo prolatus est non felici successu, Canon Paschalis. Qui cum Judaico deterior facile deprehensus esset, ea causa fuit ut legalis de novo interpolatus in usum reductus **1292** fuerit (*b*) circa annum Christi vulgarem 382, isque cyclus est qui a Paschasino ROMANA SUPPUTATIO appellatur, de qua etiam et Prosper Aquitanus in prolixiore Chronico ad annum mundi Eusebianum 5583, Christi 382, et Leo noster (*Epist.* 104, nunc 130, *et* 105, nunc 131): quo vivente perseverabat illius usus in Romana et in tota etiam Occidentali Ecclesia. De hujusmodi cyclo, qui 84 annorum erat, vide eumdem Bucherium in tractatu de Paschali Judæorum cyclo cap. 9, et toto passim opere.

AD EPISTOLAM IV.

APUD QUESNELLUM III.

Episcopis per Campaniam, Picenum, Tusciam et universas provincias constitutis.

1. *Per dissimilationem compago non congruat.* Ita corrigendum putavimus ex editione Epistolarum S. Leonis, quæ prodiit Parisiis ann. 1568, cum operibus S. Clementis Romani et aliorum pontificum Romanorum epistolis, quæ ad Victorinorum codicum fidem emendatæ dicuntur. Ita etiam habent Conciliorum editiones Petri Crabbe, Nicolini, Merliniana Isidori, in textu, et aliquæ recentiores ad marginem. Omnes porro codices mss. hujus epistolæ quibus usi sumus, Thuanei sex, Victorinus, Corbeiensis, Bellovacus, Trecopithœanus, Cantabrigensis, Herovallianus Isidori, collectiones Donysii, Cresconii et aliorum constanter habent *dissimulationem*. Romana editio ad marg., *dissimilitudinem*, ex conjectura, ut opinor.

2. *Qui aut origini, aut alicui conditioni obligati sunt.* (*c*) Sic legendum exhibent mss. Thuan. duo, Corb. et Trecopith., quod constructioni magis congruit et sensui quam alia hæc lectio, ORIGINALI, quæ Dionysii et Cresconii est, et editorum passim exemplarium. Gratianus distinct. 54, cap. 21: *Admittuntur passim;* ita legit: *Sed etiam ab aliis originariis, vel qui alicui conditioni obligati sunt;* quod a jure civili mutuatus esse videtur collector. Dicebatur porro *origini obligatus, seu colonus originarius*, qui coloni conditionalis filius erat: ex eo quod originaliter conditioni colonariæ erat subjectus. Colonus autem conditionalis, seu, ut Leo, conditioni obligatus, is erat qui ex conditione sua prædia seu agros colendos accipiebat a suo domino: quod et ipse dum viveret, et ejus post ipsum filii præstare tenebantur. Potest et S. Leo intelligi de servis cuivis conditioni ascriptis; de qui-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Confer annot. 10 (*Col.* 607, n. d) in epist. 3.

(*b*) Hic Latinorum cyclus annorum 84 ante annum 382 erat in usu, uti ex antiquis Fastis consularibus probavit noster card. Norisius dissert. 1.

(*c*) Aliam lectionem ex præstantioribus mss. inductam constituimus annot. 16 (*Col.* 611, *n.* f) in hanc epistolam.

Digitized by Google

bus Tertullianus lib. de Idololatria cap. 12 **1293** varias perse quens causationes eorum Christianorum qui vititandi gratia i s vacabant artibus quæ idololatriæ inserviebant, hæc habet : *Sed conditionalis eram*, inquit artifex. *Nemo*, reponit Tertullianus, *duobus dominis servire potest*, etc. Porro, si conditionarii iidem sunt qui et ascriptitii, quod jurisperitis reservamus diligentius excutiendum, dicendum est eos quos ordinari vetant S. Leo hic, et Gelasius papa epist. 9 ad episcopos per Lucaniam, et Brutios, et Siciliam constitutos, postmodum *in ipsis possessionibus clericos etiam præter voluntatem dominorum fieri permisisse* Justinianum imperatorem relatum a Gratiano dist. 54, cap. 20. *Ita tamen ut clerici facti impositam sibi agriculturam implerent.* Observandum insuper hanc S. Leonis legem de servis a clero removendis primam omnium ecclesiasticarum constitutionum esse, nisi me fallit memoria, sed tamen ad apostol.e constitutionis instar esse conditam. Vide de iisdem concilium Aurelianense I, cap. 8.

3. *Qualis vero cum unicuique constiterit natalium honestas et morum, esse debeat sacri altaris ministerio sociandus*, etc. Locus in prioribus editionibus adeo mendosus, ut a nemine intellectum putem. Ita legebatur : *Qualis vero unicuique natalium honestus et morum esse debeat qui sacri altaris ministerio est sociandus, et Apostolo nos docente, et divina præceptione didicimus et canonum regulis.*

Ex duarum vocularum omissione, *cum constiterit*, et prava interpunctione, sensus et a Leonis mente alienus, et omnino falsus exsurgit : nimirum de servis non ordinandis, deque natalium honestate ad clericatum necessaria edictum esse divino, apostolico canonicoque præcepto, quod nec usquam, ni fallor, invenias, nec intendit auctor noster ; sed solum docere qualem præterea velint esse Scripturæ et Canones virum ecclesiasticum, de cujus natalibus morumque honestate jam constat. Mss. Bellovacensis Ecclesiæ codex sic habet ut restituimus, Cresconius et Isidorus excusus (non item ms.), si commatum vitia excipias ad quos plerique alii codices mss. accedunt.

4. *Viduarum maritos.* Canonem apostolicum 18 non commemorat, quod argumento est nondum tunc eos canones plene **1294** auctoratos fuisse. Non meminit quoque epistolæ Siricii ad Himerium Tarrac. cap. 8, nec epist. Innocentii ad Victricium, ad Felicem Nucerianum, ad episcopos Macedoniæ, etc., nec Cœlestini ad episcopos provinciarum Viennens. et Narbonens., ubi viduæ maritos et digamos a clero arcent. Sed eosdem in fine epistolæ indicat. Hujus constitutionis rationem vide supra in epist. 1 (*nunc* 12), cap. 3, et apud Innocentium III, epist. ad Metensem episcopum. Haud pœnitebit libellum quoque Gallicum D. Leschasserii de Digamis legisse, tametsi a communi sententia recedat.

5. *Nec sibi poterunt vindicare.* Editi codices habent, *pro arbitrio vindicare :* ex recentiori procul dubio consuetudine adjectum, qua plerumque non *pro arbitrio* digami, sed tamen cum dispensatione ac venia pontificis clero se addicunt. At aurea illa ætate nulli ministerium ecclesiasticum vel capessere licuit, vel servare, qui si transisset prius ad nuptias, non esset *unus unius*, vel cujus uxor non *unica unici*, ut loquitur Innocentius III. Quod ita religiose observari voluit S. Leo, ut nec in summa ministrorum ecclesiasticorum penuria, qua Mauritaniæ Cæsariensis Ecclesiæ laborabant, bigamos ordinatos gradu suo gaudere passus sit, ut ex epist. 1 (*nunc* 12) manifestum est. Immo duodecimo jam exeunte sæculo, Lucius III pontifex Romanus dispensari posse non censuit cum bigamo ordinato, ut in presbyterali gradu permaneret : si quidem germana est ejusdem epistola, quæ refertur *c. super eo, de Bigamis.* Recte igitur verba illa in omnibus codicibus mss. omittuntur, necnon et apud Dionysium Exig. et Cresconium. Leguntur in excusa Isidori collectione ; non tamen in ejusdem mss. codice Herovalliano, aliisque.

6. *Hujus discussionis curam nobis specialiter* (*a*) *vindicantes.* Nec mirum, cum Ecclesiæ ad quas in primis scribebat, ad Romanam synodum pertinerent, utpote quæ ex urbicariis provinciis essent. Hæc porro decreta non a solo Leone, sed a synodo etiam Romana profecta crediderim, ex qua et cujus decreto tres episcopi Innocentius, Legitimus et Segetius directi, qui Leonis episcopi litteras perferrent. Tempus synodi et litterarum congruit : sexto enim **1295** idus Octobris hæ datæ sunt, et ex epistola 16 constat ad III kalendas Octobris synodum Romæ solitam esse convenire.

7. *Usurariam exercere pecuniam.* (*b*) Ante Leonianam hanc sententiam, vix ecclesiasticam legem invenias quæ laicis usura interdicat ; si canonem 20 Eliberitani concilii excipias, quod tamen nec lucrum fenore contractum reddi jubet, nec usuræ reos ulla pœna afficit, sed tantum deinceps exerceri prohibet. Non quod primis sæculis approbarit Ecclesia improbum usuræ quæstum ; absit : sed quia usuras *etiam ipsæ leges et judices reddi jubent*, inquit Augustinus (*Epist.*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Si reservationem discussionis, ubi aliqua dubitatio incideret, S. Leo non solum ad suburbicarias, sed ad *universas* etiam *provincias* his litteris extendisset, nihil esset *mirum*, cum Romanus pontifex pro ea potestate qua toti Ecclesiæ omnibusque provinciis ex primatu præsidet, non modo suburbicariis, sed aliarum quoque provinciarum episcopis præcipere possit, ut alia multa Leo præcepit Gallis, Hispanis, Afris, etc., nisi forte reservationem *discussionis* ejusmodi in quæstionibus facti ad remotiora loca extendere ob nonnulla incommoda et difficultates non exped re credatur. Non improbabilis tamen est conjectura P. Constantii in præfat. ad tom. I Epist. Roman. pontif., n. 47, hanc epistolam Leonis primo directam fuisse ad solos episcopos *per Campaniam Picenum et Tusciam*, ad quas provincias pertinere videntur verba c. 2 : *Hæc ergo ad provincias vestras per Innocentium, Legitimum et Segetium fratres et coepiscopos nostros scripta direximus ;* sed aliis subinde aliarum provinciarum episcopis communicatam fuisse, ut alias Romanorum pontificum decretalibus ad certas provincias missis contigit, et hac ratione communem epistolam evasisse, atque ideo in ejus inscriptione adjectas fuisse voces *et universas provincias ;* quod alias exemplis confirmat.

(*b*) Hic nonnulla animadversione digna sunt. Præter Illiberitanam synodum, usuras in laicis reprehendit etiam concilium Carthaginense sub Grato can. 13, et Basilius in epistola 1 canonica ad Amphilochium can. 14, *injustum lucrum* etiam in laicis appellat. Quod si canones non ita multi hac in re suppetunt, certum tamen est Ecclesiæ Patres in concionibus et catechesibus contra idem vitium antiquissimis quoque temporibus disseruisse ; iidemque cum ejus injustitiam notarunt (ut inter cæteros legimus apud Clementem Alexandrinum lib. II Stromatum c. 18, Lactantium lib. VI Instit. c. 18, S. Hilarium in psal. XIV, n. 15, S. Gregorium Nyssenum hom. 4 in Ezechielem, S. Ambrosium de Bono mortis num. 57, et alios), restitutionis debitum satis docuere. Quis enim nescit restituendum quod fuit injuste perceptum ? Hinc porro falsum est episcopos istorum temporum non ausos fuisse palam et publice damnare hoc scelus, quod Scriptura manifeste condemnat : eadem semper traditio et doctrina viguit. Quod si non ita multa ac expressiora eorum temporum testimonia suppetunt, id non ex doctrinæ, sed ex librorum vel occasionum quæ hanc scriptionem postularent, defectu evenit, ut alia non pauca iisdem de causis desunt testimonia in aliis certissimis doctrinæ capitibus, quæ nihilominus prioribus quoque sæculis tradita fuisse nihil ambigimus.

Digitized by Google

54, *sub finem*). Tunc temporis non audebant episcopi palam et publice damnare quod sæculi leges et principes auctoritate sua sanciebant: et eamobrem circumspecte loquuntur. Audet tamen Augustinus Macedonium Cæsareum judicem alloquens in epistola citata ita scribere: *Hæc et hujusmodi*, inquit, *male utique possidentur, et vellem ut restituerentur; sed non est quo judice repetantur.* Ita S. Leo hoc non solum in eos qui sunt in clericali officio constituti, *sed in laicos cadere qui Christiani se dici cupiunt*, condolet. Sed neque hic, quamvis majori utens fiducia, usurarios laicos condemnat, neque ullo fere ante ipsum pœnam ullam laicis infligere ausi sunt: solos clericos, ut suæ jurisdictioni magis subjectos, pœna indicta deterrere a turpi hujusmodi lucro aggressi sunt sancti Patres Arelatensis concilii I, can. 12, Nicæni can. 17, Laodiceni can. 4, Carthaginensis I, sub Aurelio, can. 5, Leo, Gelasius et alii. *Primus imperatorum Leo*, inquit Grotius in sextum caput S. Lucæ, *ut idem Hermenopulus notat, existimans omne fenus Christiano interdictum, lege id ipsum communi sanxit; cum ante ipsæ Ecclesiæ solerent pecunias sumere sub trientalibus usuris.*

8. *Omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum; quæ de ecclesiasticis ordinibus et canonum (a) promulgata sunt disciplinis.* **1296** Ita scribitur in Thuaneis codicibus mss. quinque, in Herovalliano Isidori, in Bellovacensi, Corbeiensi, Victorino et Cantabrig. apud Dionysium Exig. Nicolaum I PP., utrumque Hincmarum Remensem et Laudunensem, et in edit. Canisii ad marginem, Nicolini, etc. Aliquæ edit. pro *ordinibus* leg. *ordinationibus*, et pro *promulgata* leg. *ordinata*. Prior lectio procul dubio præferenda Codicem decretalium constitutorum a pontificibus Romanis promulgatorum indicare mihi videntur verba ista, ut fusius annotavimus in dissertatione de Codice Romano. Hæc eadem Hincmarus Laudunensis episcopus inseruit collectioni ex antiquis pontificum Romanorum epistolis ad Hincmarum Remensem missæ, ut probaret iisdem epistolis neminem obedientiam sine temeritatis nota detrectare posse. His dum respondet Hincmarus Remensis in opusculo capitulorum 55 pluribus prosequitur verba illa capitulo 10 et sequentibus, fusius etiam de vocis etymol. disserens. Itaque *Promulgo* ita dictum putat, quasi *promo vulgo*, sive *primum in vulgus edo*. Unde, inquit, Paulus in Glossis suis dicit hoc modo: *Promulgari leges dicuntur, cum in vulgus eduntur.....* Isidorus quoque, ut ipse dicit, auctore Tullio, exposuit dicens: *Promulgatum est foras prolatum; ut lex dicitur promulgata: promulgatum autem ad omnium notitiam et totius vulgi intimatum.*

Postea quid voluerit his verbis Leo, discutit Hincmarus: *Primum*, inquit, *nobis sciendum est aliud esse promulgare sacros ordines et canonum disciplinas, aliud promulgare de sacris ordinibus et canonum disciplinis; sicut aliud est promulgare leges, et aliud promulgare de legibus. Promulgare autem leges, est leges condere; promulgare vero de legibus, est de illis judicia sumere, et secundum illas judicare, earumque observationem et judicia omnibus intimare.* Sic *sacros ordines promulgare, est a Domino constituere episcopos, presbyteros, etc., eorum ministerio qui a Domino ad hoc constituti sunt.* **1297** *Domino quod suum est exsequente. De sacris autem ordinibus promulgare est, qui et quot sint et quales ac qualiter, et a quibus vel quando sint ordinandi, et quomodo ac quantum in singulis gradibus debeant ministrare*, etc..... *Similiter*, subjungit Hincmarus post pauca, *aliud est sacros canones promulgare, et aliud est de sacrorum canonum disciplinis constituta decretalia promulgare. Qui namque sint canones, de quorum disciplinis promulgata adeo conservari a S. Leone papa jubentur, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari, memoratus ab eo beatus Innocentius in disciplina ex eisdem sacris canonibus decreta ad Victricium Rotomagensem episcopum patenter ostendit:* « Si quæ, *inquiens*, causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ episcopis, jurgium terminetur, » *et reliqua.*

Denique longe pluribus sanctorum Patrum pontificumque testimoniis in medium adductis, ex his concludit Hincmarus Leonem nihil nisi sacrorum canonum observationem præcipere; immo præcipuorum Leonis prædecessorum successorumque auctoritate ostendit nullum robur obtinere decretalia constituta, quæ contra canonum disciplinam fuerint promulgata, Leone ita scribente: *Si quid usquam aliter quam illi* (Nicæni Patres) *statuerunt, præsumitur, sine cunctatione cessetur* (*Leo ep.* 80, nunc 105, *cap.* 4). Et alibi: *Omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum* (*Ibid.*, *c.* 27) Hæc ex prolixiore Hincmari tractatione delibata et Leonis mentem aperiunt, et Hincmari circa decretalia pontificum decreta.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Duo in sequentem Quesnelli notam observanda sunt. Primum quod sit idcirco *promulgata* tradi decretalia constituta prædecessorum Leonis, quia Codici canonum, quem Romanæ Ecclesiæ codicem publice editum putat, inserta leguntur, falsæ hypothesi innititur, cujus falsitatem ostendemus in observationibus ad dissert. 12 Quesnelli *de Codice canonum Romanæ Ecclesiæ*, quæ tom. III inseretur. *Promulgata* autem catenus dicta sunt, quia ad episcopos per provincias missa publice prodierunt; et licet non pauca *constituta* ad certas tantum provincias directa fuerint, exinde tamen communicata fuerunt eorum exemplaria aliis atque aliis provinciis vicinioribus, ita ut universim innotuerint; quemadmodum probe statuit P. Constantius in præfatione ad t. I Epist. Roman. pontif. n. 47. Alterum est quod obtrudit quasi ex Leonis atque Hincmari sententia, *nullum robur obtinere decretalia constituta, quæ contra canonum disciplinam fuerint promulgata.* At in laudatis S. Leonis locis de Romanorum pontificum decretalibus sermo non est, sed de canone Chalcedonensi pro statuenda prærogativa Constantinopolitanæ sedis edito, qui cum adversaretur canonibus Nicænis, eum S. Pontifex noluit confirmare, sed potius cassum et irritum declaravit. Hincmarus quoque nihil pronuntiat de decretalibus pontificiis. Solum urget testimonia quibus Leo et alii pontifices custodiam sacrorum canonum præcipientes, eos crimine notarunt, qui ab eorum observantia temere discederent. Inter plura autem testimonia Leonis verba recitat, quibus indicatum Chalcedonense decretum respiciens, quidquid Nicænis constitutis repugnat, nihil auctoritatis habere voluit. Quod si idem Hincmarus Innocentii decretum de causis vel contentionibus clericorum in provincia terminandis laudavit, reservationem tamen majorum causarum ab eodem pontifice confirmatam statim subjecit inquiens: *Et ibi post aliquanta: Si quæ autem majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit* (scilicet Sardicensis) *et vetus consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur.* Cur priorem tantum Hincmari partem Quesnellus descripsit? Nec Leo igitur, nec Hincmarus ullibi indicant *nullum robur obtinere decretalia constituta quæ contra canonum disciplinam fuerint promulgata.* Hac in sententia numquam mutari posset disciplina quam canones semel statuissent; nec ulla cujusque auctoritate ferri possent decreta, quæ pro varietate temporum atque circumstantiarum aliter constituerent. Confer quæ in hanc rem animadvertimus in observ. ad serm. 4 S. Leonis, tom. I, col. 465, ubi alium Quesnelli locum excussimus.

Digitized by Google

1298 AD EPISTOLAM V.

Metropolitanis per Illyricum episcopis.

Hanc pariter epistolam cum superiore (*nunc sequenti*) publici juris fecit Holstenius. Cui manum medicam necesse fuit alicubi adhibere; in quo ne propriis conjecturis plus æquo indulsisse videamur, emendationum hic reddenda ratio.

1. *Fidei suæ remuneratione.* Apud Holstenium legebatur *sui;* quod in constructione textus sensum vix aliquem habere potest.

2. *In fundamenti ipsius soliditate.* Suspicor legendum *istius*, nempe fidei, cujus ante mentionem fecit: ita enim (*a*) alibi idem pontifex interpretatur petram illam super quam Christus Ecclesiam suam ædificavit, ut epist. 92 (*nunc* 119) ad Maximum Antiochenum cap. 2, epist. 132 (*nunc* 162) cap. 1, epist. 10, cap. 1, et serm. 3 (*nunc* 4) in annivers. assumptionis suæ cap. 2. In quo a cæterorum Patrum traditione non recessit, qui verba Christi ex cap. 16 S. Matthæi, quæ explicat S. Leo, eodem ut plurimum modo interpretantur. Consule, si placet, Joannis Launoii theologi Parisiensis epistolas, parte II, epist. ad Adr. Vallantium, et parte IV, epist. 1, ubi abunde SS. Patrum de hac re testimonia congerit.

3. *Acceperint.* Holstenius legit *Accipiant;* sed tum ex sequentibus verbis, tum ex superiori epistola, in qua eadem fere in hunc modum leguntur: *Ut unius uxoris vir sit, et hanc virginem, ut auctoritas divinæ legis caret, acceperit;* inde constat, inquam, ita corrigi debuisse. Sensus enim quem præ se 1299 fert necessario mendosa illa lectio, auctoritate antiquorum canonum, ecclesiasticæque numquam interruptæ consuetudinis proscribitur, cujus discutiendæ locus opportunior infra occurret.

4. *Ipsum vero secundum definita canonum*, etc. Totus hic locus subobscurus est. Hoc tamen videtur asserere, (*b*) jus illud relationis, quod sedi apostolicæ competebat, sanctorum conciliorum auctoritate pro reverentia principis apostolorum illi esse collatum. Quod diserte Innocentius asserit epist. ad Victricium Rotomagensem cap. 3, qui jus illud ex veteri quoque consuetudine repetit. *Si quæ autem causæ*, inquit, *vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænum congregatis ejusdem provinciæ episcopis judicium terminetur, nec alicui liceat (sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui debet in omnibus causis reverentia custodiri) relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Si vero majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, et vetus consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur.* Gelasius item papa Commonitorio ad Faustum: *Ipsi sunt*, inquit, *canones qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen deferri voluere.* Quin eamdem synodum eosdemque canones, Gelasius, Leo et Innocentius pontifices Romani in mente habuerint, dubitari vix posse existimo. Sed (*c*) quinam canones illi fuerint, disceptatur ab eruditis. Totus ille papæ Innocentii textus mox transcriptus ad Nicænos referendus videtur illustrissimo Petro de Marca lib. I Concordiæ sacerd. et imp. cap. 10. Aliter olim intellexit Hincmarus Remensis epist. 9, cap. 12, et duo priora capita ad synodum Nicænam pertinere, postremum vero ad Sardicensem existimavit. Diversam ab utroque sententiam inire me cogunt rationes inferius exponendæ, et totum illud Sardicensi concilio tribuere, cujus canones sub Nicænæ synodi nomine priscis illis temporibus a Romanis episcopis laudatos fuisse, testes sunt Innocentius ipse, Zosimus, et noster Leo epist. 40 (*nunc* 44). In quem errorem qua ratione inciderint, Codex Romanus, quo publicum beamus, manifestum facit. Non, inquam, Nicænos, sed sub Nicæni concilii nomine Sardicenses adducere mihi videtur Innocentius I 1300 quia agit de clericis tam superioris quam inferioris ordinis inter se litigantibus, de quibus synodus Nicæna sermonem non habet can. 5, quem ab Innocentio notatum putant; sed tantum de iis qui a proprio episcopo sunt excommunicati, sive sint ex laico ordine, sive ex clero: quod ad clericos superioris ordinis, qui depositioni, non excommunicationi, subjacebant, minime pertinet, nec cum jurgiis eorumdem inter se, de quibus loquitur Innocentius, ullatenus convenit. Conveniunt vero quam maxime ejusdem pontificis verba cum canone 3 Sardicensi, cujus hic titulus apud Dionysium Exiguum: *Ut inter discordes episcopos comprovinciales antistites audiant: quod si damnatus appellaverit Romanum pontificem, id observandum quod ipse censuerit.* Deinde de his qui, relictis provinciæ suæ sacerdotibus, ad alias judicandi convolant, ne verbum quidem in Nicæno; in Sardicensi autem plura reperiuntur. Denique de relatione ad apostolicam sedem post episcopale judicium facienda in causis majoribus, prorsus tacent Nicæni Patres; ex professo autem Sardicenses agunt can. 3, 4 et 7. Quare argumentum illustrissimi Petri de Marca assumens, sententiam oppositam sic confirmo. De eadem synodo hic intelligendus est Innocentii textus quantuscumque est; at in posteriori loco Sardicensis intelligenda, non Nicæna: in prioribus ergo pariter ad Sardicenses animum advertebat Innocentius.

AD EPISTOLAM VI.

APUD QUESNELLUM IV.

Anastasio episcopo Thessalonicensi.

Hanc epistolam acceptam referimus doctissimo viro, deque ecclesiastica antiquitate bene merito Lucæ Holstenio Vaticanæ et Basilicæ canonico et bibliothecæ præfecto. Eam in collectione Romana inter acta synodi Romanæ sub Bonifacio papa II habitæ insertam publicavit Romæ an. 1662, editionem ab illo cœptam procurante post ejus obitum eminentissimo doctissimoque cardinale Francisco Barberino. Ejusdem fragmenta anno 1648 jam emiserat in lucem in opere de Eccles. Orient. et Occid. consensione, in addendis p. 1368 Leo Allatius; sed plurimis mendis scatentia.

1301 1. *Cum nostra vice*, etc. Ne erudite jam tractata retractemus, consule clarissimum virum Stephanum Baluzium in appendice libri V illustriss. Petri de Marca de Concord. sacerdot. et imperii, cap. 22, ubi ex hac epistola et aliis arguit vicariatum Thessalonicensem huic Ecclesiæ fuisse tributum,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Quo sensu S. Leo *petram super quam Ecclesia ædificata* est, explicaverit de fide, non excluso Petro, nec apostolicæ sedis auctoritate ullatenus imminuta, fusius ostendimus in observat. ad serm. 2.

(*b*) Et si relationis jus, præsertim in majoribus causis, quod sedi apostolicæ competit, in sacris canonibus asseratur, ex altiori tamen primatus jure, quod divinam originem agnoscit, provenit. Hinc ante omnes canones, qui de hac relatione decernerent, aliquot ejusmodi relationes ad Romanos pontifices delatæ inveniuntur inter ea pauca documenta quæ ex prioribus sæculis supersunt. Appellationum quidem jus in causis majoribus ex primatu divini juris proficisci ostendimus in observationibus ad dissert. 5 Quesnelli part. I, c. 7.

(*c*) Cum in canonibus Sardicensibus de causis clericorum inferioris ordinis nihil constituatur, nisi canone 16, ubi finitimos episcopos interpellare permittitur, probabilior est Hincmari sententia, quam P. Constantius propugnat in Innocentii epist. 1, tom. I Epist. Rom. pontif. pag. 749, not. a (*Patrol. XX, col.* 465).

Digitized by Google

(*a*) nec personale tantum privilegium fuisse. Vide etiam, si lubet, Franciscum Florentem tract. 6, ad tit. de Elect. et Electi potestate; Petrum Franciscum Chiffletium in notis ad Vigilium Tapsensem, ubi contra Lucæ Holstenii sententiam disputat.

2. *Propter custodium regularum.* Sicut partes hæ sunt potissimæ Romani pontificis tamquam in Ecclesia universa capitis, divinæ legis esse vindicem, propugnatorem traditionis, canonum custodem, paternarumque constitutionum exsecutorem assiduum; ita his quos per varias partes orbis Christiani vice sua delegat, hæc maxime (*b*) et unice cura incumbit, regularum seu canonum custodiæ invigilare, et in specu is esse : *Ne quid illicitum*, ut Leo loquitur epistola sequenti (*nunc antecedenti*) *a quoquam præsumatur* adversus canones. Qui si ubique et ab omnibus rite serventur, jam pene otiosa est delegata vicariorum in aliis Ecclesiis potestas. De propria quid sentiret sanctissimus papa Gregorius I aperit ipse lib. VII, epist. 65, ad Joannem Syracusanum episcopum.

3. *Certa tum primum ratione commisit.* Quo sensu vicariatus Thessalonicensis initia sua Siricio debeat (quæ Damaso tribuuntur ab Innocentio I, Nicolao I, et Joanne III, Romanis pontificibus, quod et manifestum est ex epistola Damasi ad Acholium Thessalonicensem ab Holstenio edita in Romana collectione) vide in appendice lib. V Petri de Marca cap. 23, ubi supra laudatus Baluzius primum hujus dignitatis velut crepusculum, quod sub Damaso cœpit illucescere, a majoribus ejusdem incrementis *certa quadam ratione* a Siricio primum **1302** firmatis, recte distinguit, ut facile sit utramque opinionem conciliare.

4. *Sicut enim peccata et quæ*, etc. Has duas voces, *sicut enim*, supplevimus; et *abolentur* pro *abolebuntur* reposuimus ex conjectura, non temeraria, ut puto, sed quam complendi sensus necessitas confirmat. Cæterum hæc verba de bigamia etiam post baptismum remanente a Leone transcripta videntur ex cap. 3 epist. Innocentii I, Rufo, Eusebio, etc. Episcopis Macedoniæ circa cujus tempora contrariam sententiam tenebat Hieronymus scribens ad Oceanum epist. 83, quem S. Augustinus tacito nomine reprehendere videtur lib. I de Bono conjugali cap. 18, ubi veram opinionem tuetur : opinionem dico, quia nullum ea de re canonem seu constitutum videtur ob oculos habuisse.

5. *Quisquis vero a metropolitanis episcopus*, etc. Ita corrigendum censuimus Holstenii exemplar Vaticanum [*Leg.* Barberinum], quod habet, si tamen habet : *Quisquis vero de metropolitanis episcopis ;* quod manifeste contra mentem Leonis est. Non enim hic agit de ordinatione metropolitanorum, quam post aliquot lineas attingit, sed de provincialibus tantum, qui inconsulto vicario Illyrici a metropolitanis ordinabantur episcopis; quod et ex epistola subsequente (*nunc præcedente*) comprobatur cap. 5, et ex 12 (*nunc* 14) ad eumdem Anastasium cap. 6. Latum revera inter utramque ordinationem discrimen ponit : omnes enim metropolitanos non modo consulto vicario Illyrici, sed ab ipso consecrari vult : alios provinciales episcopos, non a vicario, sed a propriis metropolitanis, qui de ordinatione ad vicarium Illyrici referant, ordinari præcipit. Contra istos pœnam non edicit, quoniam metuebat ne minis offensi metropolitani vicariatus a se (*c*) jugum abjicere tentarent, quod ab illis ægre susceptum ipsæ Leonis litteræ indicant; at episcopis, inconsulto Thessalonicensi ordinatis, denuntiat **1303** nullam ab eo status sui habituros esse firmitatem.

6. *Vocem appellationis.* Ratio exceptionis est, (*d*) quod Illyricianæ provinciæ, ut Occidentalium partium quædam portio, ad Romanum pontificem jure peculiari pertinebant. Cæterum quod hic de appellationibus scribit S. Leo, id ex Sardicensibus canonibus asserit, ut veteris instituti et reverentiæ sedis apostolicæ mentio testatur : qui canones Orientalibus ignoti erant tunc temporis.

7. *Circa quos par consecratio fieri debet.* Procul abest ut sententiæ, quæ S. Hieronymo tribuitur, obsecundet Leo noster, dum parem consecrationem presbytero, immo et diacono cum episcopo tribuit. In multis quidem tres hi gradus conveniunt, servata tamen ubique episcopis et presbyteris dignitatis suæ prærogativa. Id porro, in quo paritatem suggerit S. Leo inter triplicis illius ordinis viros, procul dubio impositio manuum est, qua tam diaconi quam sacerdotes consecrantur. Unde quod ait auctor Commentariorum in Epistolas Pauli (*e*), qui Damaso papæ æqualis fuit, et Ambrosius dicitur : *Episcopi et presbyteri una ordinatio est;* idem et de diacono potest asseri. Qua de causa non dubitavit Optatus lib. I, diaconos sacerdotii nomine ornare, cum lapsos in persecutione recensens : *Quid*, inquit, *commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate sufulti? Quid ministros plurimos? Quid diaconos in tertio? Quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? ipsi apices et principes omnium, aliqui episcopi*, etc. Immo et subdiaconum Epiphanius sacerdotem esse

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Immo vero personale privilegium fuisse, quod morte cujusque pontificis exspiraret, hinc colligi posse videtur, qui Anastasius licet a Xysto antea creatus apostolicæ sedis in Illyrico vicarius, ejusdem tamen prærogativæ confirmationem a Leone petiit, et S. pontifex ipsi annuens, idem privilegium ita concessit, ut encyclicam ea de re ad omnes Illyrici metropolitanos transmiserit : quæ novæ delegationis notitiam necessariam præsumunt.

(*b*) Non satis fuit Quesnello *maxime;* restringendam adhuc duxit vicariorum apostolicorum auctoritatem *et unice*, ac si præter id quod ad custodiam canonum pertinet, nihil aliud vicariis apostolicis tribui facultatis possit. At cum Romanus pontifex præter custodiam canonum, pro suo divini juris primatu multa alia potest in tota Ecclesia; tum alia potest quibusdam vice sua in provinciis committere, prout ex circumstantiarum ac temporum varietate crediderit expedire. Ita vel antiquis temporibus quædam demandata leguntur episcopo Thessalonicensi, aliisve in aliis provinciis, quæ ad custodiam canonum necessaria non erant. Num huic fini opus erat Thessalonicensi reservare metropolitarum ordinationes? Num causarum episcopalium cognitionem et definitionem ipsi tribuere? Num synodis cogendis ejus consensum aut præsidentiam requirere? Num formatarum jus eidem vindicare? quæ tamen in litteris Cœlestini, Xysti ac Leonis episcopis Thessalonicensibus tribuuntur.

(*c*) *Jugum* ne appellari potest *vicariatus* apostolicus, quo Romani pontifices jam inde a Damaso vel Siricio pro suo, quod postea vocarunt patriarchalem, in totum Occidentem jure, ob disciplinæ canonumque custodiam in Illyrico instituerunt?

(*d*) Si Illyricianarum provinciarum appellationes ad Romanum pontificem jure peculiari pertinebant, nimirum uti patriarchæ Occidentis, quia *erant Occidentalium partium quædam portio*, ad ipsum altiori jure spectabant ex tota Ecclesia, quia tota Ecclesia eidem uti primati a Christo subjecta fuit : unde canones Sardicenses non de solis Occidentalium, sed et de Orientalium appellationibus ad Romanam sedem statuerunt : quos quidem canones Orientalibus fuisse tunc tempore ignotos, quemadmodum hic Quesnellus repetit, falsum probavimus in observat. ad dissert. 5, part. I, cap. 6, num. 16.

(*e*) Hilario diacono tribuitur Commentarius iste, cap. 5 in Epist. I ad Timotheum.

Digitized by Google

aliquo sensu insinuat, cum lib. III advers. hæreses in Exposit. fidei num. 21, ait subdiaconum, sicut et alios superiorum ordinum clericos, ab uxoribus se abstinere, non vero lectorem : *Quippe lector*, inquit, *non sacerdos est*, καὶ γὰρ οὐκ ἔστιν ἱερεὺς ὁ ἀναγνώστης. Nam presbyteri, inquit Innocentius PP. epist. ad Decentium Eugu., *licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent*. Hinc porro aliter de sacerdotio disserere cogimur, quam solet a plerisque disseri, qui presbyteratum primum sub oculis habentes, episcopatum aliud nihil quam presbyteratus extensionem et ampliationem quamdam existimant; cum potius primo conspectu intuendus sit episcopatus tamquam sacerdotii apex summus, plenitudo, ac perfecta, ut ita dicam, totalitas; a pontificatu vero cæteri gradus veluti **1304** portiones quædam delibantur, ac certis quibusdam officiis et ministeriis pro Ecclesiæ necessitate circumscribuntur. *Nam in episcopo*, inquit commentator anonymus jam laudatus, *omnes ordines sunt : quia primus sacerdos est, hoc est, princeps est sacerdotum, et propheta, et evangelista, et cætera adimplenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium; tamen postquam omnibus locis Ecclesiæ sunt constitutæ, et officia ordinata, aliter composita res est quam cæperat*. Intelligit autem auctor ille per evangelistam, diaconum, et per cætera officia, lectores et exorcistas. His bene intellectis, intelliget quisque pariter quid sibi velit sanctus pontifex cum hic asserit *presbyteros et diaconos dignitatem officii sacerdotalis accipere* (quamquam non *sacerdotium*, sed *officium sacerdotale*, dicit), et quantopere discrepet saltem in loquendi modo a canone qui dicitur esse concilii Carthaginensis IV, negatque diaconos sacerdotii vim et consecrationem consequi : *Diaconus cum ordinatur, solus episcopus, qui eum benedicit, manum super caput ejus ponit : quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur*.

8. *Contra canones et traditionem Patrum*. De traditione apostolica, cujus oblitus vel nescius Anatolius episcopus CP. Aetium in presbyterum sexta sabbati ordinarat, meminit sanctus Leo epist. 84 (*nunc* 111), cap. 2. Eamdem allegat in epist. 11 (*nunc* 9) ad Dioscorum; sed in neutra canones commemorat, nec revera ullos habemus ante ejus tempora, quibus scilicet ejusmodi ordinationes qualibet die celebrari prohibeantur : forte quia nullus contra traditionem et consuetudinem abiens, condendo canoni occasionem dederat. Per *canones* igitur nihil aliud Leonem velle arbitror, quam regulam ecclesiasticam solo usu et traditione ecclesiastica firmatam, quomodo sæpe sæpius usurpare videtur.

AD EPISTOLAM VII.

APUD QUESNELLUM VIII.

Episcopis per Italiam constitutis.

Septem codd. mss. ad quos relegimus hanc epistolam, inter se non conveniunt de titulo. Corb. et Thuan. 1 sic habent : *Universis episcopis per diversas provincias constitutis*. Bellovac., *Universis Ecclesiis per Italiæ provincias constitutis*. Thuaneus unus, **1305** *Universis episcopis per Siciliam constitutis*. Thuan. tres, Dionys., Exig. et Isidorus, *Universis episcopis per Italiæ provincias*. Edit. vulg., *per Italiam*. Qui sciunt magnas sæpe difficultates ex hujusmodi titulis vel emergere vel dissolvi, non mirabuntur ista a nobis adeo scrupulose annotata.

Ex hujus maxime epistolæ verbis conflatæ sunt commentitiæ litteræ Anastasii papæ I ad omnes Germaniæ et Burgundiæ episcopos; finis etiam epistolæ Lucii papæ ad Gallos et Hispanos, et rescripti Marci papæ ad Anastasium de canonibus Nicænis, ex hujus pariter fine coalescit.

AD EPISTOLAM IX.

APUD QUESNELLUM XI.

Dioscoro episcopo Alexandrino.

1. Hæc epistola extra suum hactenus locum vaga, hic reponenda mihi videtur. Certum est enim ex ipsiusmet initio scriptam fuisse a S. Leone ad Dioscorum cum hic Alexandrinæ Ecclesiæ præesse inciperet. *Tua*, inquit, *firmius fundare desideramus initia*. Quorum initiorum seu ordinationis nuntius Possidonius presbyter adhuc tunc Romæ versabatur. Constat autem ad hanc sedem evectum esse anno 444, tum quia hujus anni mense vel Februario secundum Latinos, vel Junio secundum Græcos, decessit ex hac vita illius prædecessor Cyrillus; tum quia Dioscorus depositus est ab episcopatu septimo ordinationis suæ anno, ut testatur Liberatus diaconus cap. 13; hoc autem mense Octobri an. D. 451 contigit, ac proinde ejus ordinatio cadit in annum 444. Non potuit vero eodem anno scribi epistola quo creatus est Dioscorus, cum ad tantæ sedis episcopi electionem et consecrationem plures menses necessarii fuerint, nec nisi post alios plures Possidonius ordinationis nuntius mitti potuerit ad Romanum pontificem, et ab eodem litteras ad Dioscorum accipere perferendas, unde nec citius nec tardius scripta est quam kalendis Julii anni 445. Quis porro fuerit Dioscorus tota clamat ecclesiastica sæculi quinti historia, testanturque ejus nomine ad hanc usque diem dicti hæretici. Ejus electioni suffragata erant *spiritalis* vel *specialis gratiæ merita*, ut eodem præfationis loco habet Leo noster : *Velox siquidem fama*, ut loquitur Theodoretus ad ipsum Dioscorum scribens (*Epist.* 60), *quaquaversum discurrens omnium aures gloria* ejus *repleverat; maxime autem* **1306** *omnes prædicabant* ejus *animi modestiam*. Quantopere utrumque fama fefellerit, quartus post annus in latrocinio Ephesino edocuit.

2. *Exordia deligantur*. Post ista verba, nescio quo pacto hæc alia irrepserunt in omnia exusa exemplaria : *Hoc est sub lege divini officii substituan ur*; quæ nos expungenda censuimus, tum quia desiderantur in mss. codd. Grim., Vict., Cantabr. et Thuaneo, immo et apud Gratianum, et Isidorum tam excusum quam manuscriptum, tum propterea quod sensum omnem hujus loci subvertunt. Agitur enim de delectu dici et horæ conferendæ benedictionis sacerdotalis et leviticæ, pro qua *ejus noctis quæ in prima sabbati luce cit, exordia deligi* præcipit S. Leo; non autem de delectu ministrorum consecrandorum, ut imperitus ille glossator intellexit : cui forsan imponere codices mss. similes Thuaneo et Cantabrig., in quibus legitur : *Exordiis consecrandi deligantur*.

3. Ex his porro et adjacentibus verbis nascitur apud nonnullos duplex difficultas : una, an quodlibet sabbatum vel quælibet Dominica per annum occurrens designetur a S. Leone tamquam ordinationi sacerdotali et leviticæ constituta; an vero solum sabbatum sanctum et anniversaria Dominicæ Resurrectionis solemnitas? Altera difficultas est, utrum nox sabbatum consequens ad hanc consecrationem delecta fuerit, ut pars sabbati antecedentis, an ut pars instantis Dominicæ? Uterque nodus facile solvitur, si paulo attentius Leonis verba consulerentur, et redeant in mentem temporis illius mores et disciplina. Tantum enim abest ut sabbato solum sancto ministrorum Ecclesiæ consecratio fieret, ut potius [c] numquam illa

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Si de die paschali qui a vigilia sabbati sancti initium sumit, hæc intelligantur, vera fortassis sunt de Romana et aliis plerisque etiam Ecclesiis, non autem de omnibus. Certe enim in Veronensi Ecclesia sancti **Zenonis ævo** ***ministrorum promotiones*** **peragebantur** die Paschatis, seu in pervigilio Paschæ, id est sabbato sancto, ut ex tractatu ejus 50 libri secundi perspicue (ut nobis quidem videtur) colligere licet, uti monuimus annotatione 4 in eumdem sermonem **pag. 261, quod testimonium antea non observatum ad an-**

Digitized by Google

die facta mihi fuisse videatur, non Leonis tantummodo, sed plurimorum etiam successorum ejus temporibus: unde titulus huic epistolæ hactenus præfixus merito a nobis expungendus fuit, qui ordinationem sacerdotalem sabbato sancto celebrandam asserebat. Ut autem hoc fieri non potuisse credam, facit solemnitas baptismi, cui conferendo paschalis dies consecratus erat, ita ut dies sanctam hanc solemnitatem antecedentes toti insumerentur scrutiniis, exorcismis, catechismis, aliisque conferendo baptismo præviis cæremoniis; et ipsa octava Paschæ, octava Neophytorum appellaretur. Hinc est quod Gelasius I PP., qui ordinationes certis temporibus fieri præcipit, scribens episcopis per Lucaniam et Brutios constitutis, de sabbato sancto mentionem non facit, quamvis de quatuor solitis anni temporibus **1307** exacte meminerit. *Ordinationes*, inquit, *presbyterorum et diaconorum, nisi certis temporibus et diebus exerceri non debent, id est quarti mensis jejunio, septimi et decimi, sed etiam quadragesimalis initii, ac medianæ hebdomadæ et sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.* De sabbato sancto itidem silent, dum alios dies prædictos numerant, synodus Romana sub Zacharia PP. an. Dom. 743, c. 2, Lemovicensis sub Benedicto an. 1034, Claromontana sub Urbano II, an. 1095, IX, etc. Quamvis autem hoc non constaret, ut certe constat, manifestum tamen esset nihil de sabbato sancto haberi in hoc Leonis loco quod ad ordinationem spectet. Cum enim inquirat ad quam diem noctis sabbatum excipientis initia pertineant, concludit ad diem Resurrectionis, id est, ad diem Dominicam pertinere, atque id evincit adducto sabbati sancti exemplo, cujus noctis initia ex solemnitate officii ecclesiastici et baptismi collatione, certum est ad diem Dominicam pertinere. Hoc semel constituto, restat examinandum an certi aliqui dies Dominici ordinationi deputarentur, an vero quemlibet ad id eligere permitteretur. Quod postremum apud me certissimum est: 1° quia nullum in particulari designat Leo noster, nullumque proinde excludit, uti nec ante ipsum factum fuisse deprehendimus. 2° Ex hodierna etiam consuetudine cognoscimus Dominicum quemlibet diem ex auctoritate consuetudinis antiquæ, traditionis apostolicæ, et sacrarum Scripturarum, ex quibus arguit S. Leo, ad episcoporum consecrationem assumptam fuisse. Si autem episcoporum, procul dubio et presbyterorum ac diaconorum: nullum enim discrimen, quo ad diem ordinationis, inter utrosque ponit S. Leo in præsenti epistola. 3° Mos iste vigebat aureis illis temporibus, ut quo citius fieri poterat, Ecclesiæ pastore suo viduatæ per alterius pontificis electionem subveniretur; sicut vidimus etiam Chalcedonensi decreto cautum fuisse.

Alteri demum quæstioni satisfiet sine ullo negotio; satis enim ex hac sola epistola perspicuum est noctem illam quæ celebrandis ordinationibus eligebatur ad Dominicam pertinuisse. Primum enim S. Leo expresse asserit satagendum esse Dioscoro, *ut his qui consecrandi sunt numquam benedictio nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui a vespera sabbati initium constat ascribi.* Deinde dum recenset illustriora mysteria quæ die Dominica contigerunt ex divina ordinatione (*a*) satis innuit, et per diem Dominicæ Resurrectionis eam intelligi debere quam nunc Dominicam absolute vocitamus; nec sabbatum, sed ipsam Dominicam ex apostolorum instituto consecrationi **1308** sacerdotum fuisse dedicatam. Denique, ut alia multa missa faciamus, illud indicat Urbanus secundus in concilio Claromontano citato, cum præcipiens ut ordines sabbato quatuor temporum celebrarentur, addit: *Et tunc protrahatur jejunium usque ad vesperas, et si fieri potest usque ad crastinum, ut magis appareat in die Dominico ordines fieri.* Nihil enim magis evincit hanc sacratissimam diem ordinibus conferendis destinatam fuisse, quam quod ne tunc quidem ejus consuetudinis memoriam penitus aboleri voluerunt sancti pontifices, cum rationes magni, ut credere par est, momenti ad illam mutandam eos impulere. Cujus mutationis varii per successores sibi ætates fuere gradus. Primum enim extra dubitationem omnem esse videtur hanc cæremoniam ipso die Dominico inter sacras synaxes celebratam fuisse ab apostolis et apostolicorum temporum episcopis; idque hora diei tertia; quæ sacris mysteriis agendis semper assignata fuit.

Postmodum ingruente persecutione gentilium, cum iidem cœtus antelucanis horis agi coperent a Christianis, ut videlicet diurnam hostium fidei diligentiam eluderent, eadem quoque hora ordinationes celebratas fuisse verisimillimum est. Quod postea etiam reddita Ecclesiæ pace continuatum: unde inductæ sabbati vigiliæ, de quibus Leo noster: tum ne consuetudinis sanguine martyrum veluti consecratæ memoria aboleretur; tum ut Resurrectionis Dominicæ, quæ summo mane contigit, honor eadem hora exhiberetur; tum denique ne sabbati jejunium ad ulteriorem Dominicæ partem continuatam, tam consecrantem episcopum quam consecratos nimium fatigaret. Quæ ratio, opinor, in causa fuit ut sensim a mane Dominico ad initia noctis, deinde a noctis exordio ad antecedentis sabbati vesperam, ut ex Gelasio supra citato patet; post a vespera ad meridiem; denique a meridie ad matutinas horas, ut fit hodie, ordinalo retrogrediens, tandem revocata sit.

Quod autem quidam aiunt ob eam rationem circa noctis initia celebratas esse ordinationes, ne officium Dominicæ per occurrentem hujus consecrationis solemnitatem impediretur, verum esse non existimo: quemadmodum enim in ipso Resurrectionis die, immo et per totam octavam Paschæ totum officium Ecclesiæ neophytos attinebat, ita nullam erat aliud Dominicæ officium, nulla sacrificii oblatio in die ordinationis quam quæ ipsius gratia celebrabatur. Quod ita verum est, ut cum ad diem sabbati revocata est ordinationis solemnitas, in eumdem quoque diem translatum sit (*b*) missæ officium, et Dominica sequens

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

tiquam originem sacrarum ordinationum in sabbato sancto demonstrandam mirifice confert.

(*a*) Vide dissert. 6, de Jejunio sabbati.

(*b*) Cum omnes codices Sacramentarii Gregoriani exhibeant orationes proprias ad missam sabbati ordinationis, et proprias item Dominicæ, quæ ordinationis sabbatum subsequitur, verum esse nequit, ob traductas ordinationes in diem sabbati pro die Dominico, totum quoque officium missæ translatum fuisse in sabbatum, Dominicam vero missæ officio fuisse expertem. Quis credat hos Dominicos dies divino cultui æque ac cæteros semper in Ecclesia addictos sacrificio caruisse? Quod si hæ Dominicæ *vacare* in iisdem Sacramentariis traduntur, id aliter quam de sacrificio intelligendum est. In ms. Gregoriano Sacramentario Ottoboniano apud Muratorium, quod omnium antiquissimum est, cum omnibus diebus Dominicis indicentur antiphonæ, responsoria, offertorium, et communio, quæ a choro canebantur, solum in quatuor Dominicis subsequentibus sabbata quatuor temporum ordinationibus jam deputata hæc omnia omittuntur. Id autem indicio esse videtur, in his quatuor Dominicis non missam, nec totum officium missæ, sed solum officium laboriosius cantus antiphonarum, responsoriorum, etc., fuisse omissum, ea forte de causa ut ministris labore et prolixiori cantu sacrarum ordinationum laxatis parceretur; et hoc sensu hæ Dominicæ dicebantur *vacare*, nimirum officio cantus; ac propterea quæ incidebant in Adventum et Quadragesimam, cum stationes debuissent recipere, statione etiam ac processione vacabant. Quod si harum quoque Dominicarum antiphonæ, responsoria, etc., notantur in Antiphonario Gregoriano, quod card. Thomasius vulgavit, id posteriori accessioni tribuen-

Digitized by Google

proprio carnerit; 1309 unde et Dominicæ vacantes ad hunc usque diem appellatæ sunt illæ quæ sabbatum ordinationis sub equuntur, quæ hodie quidem officio suo gaudent, sed ex præcedentium dierum officiis compositæ. Vide Micrologum cap. 29.

4. *Ut quoties basilicam in qua agitur præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur*, etc. Plurima disciplinæ antiquæ capita notanda hic tibi venient tam in his verbis quam in aliis annexis.

Primo enim docemur hanc tunc temporis Romanæ Ecclesiæ consuetudinem fuisse, ut quoties populi numerosioris concursus exigeret, sacrificii oblatio iteraretur. Hoc enim ab Alexandrinis observari similiter postulat: *Ut*, inquit Leo, *in omnibus observantia nostra concordet*. Quod in Africanis provinciis eadem Leonis nostri ætate pro minoris etiam momenti causis factitatum esse legimus lib. de Prom. et Præd. dimidii temporis cap. 6, nimirum cum peracto matutino sacrificio puella quædam de potestate dæmonii eruta esset, *oblatio* RURSUM *gratiarum actionis pro ea fit, sacrificiique percipiens certam partem puellæ, priseo est reddita usui*. Immo ex concilio Carthaginensi anni 397, can. 8, qui codicis Africani 41, liquet iteratam fuisse missæ celebrationem, oblatumque etiam pomeridiano tempore 1310 sacrificium pro mortuis: *Si aliquorum*, inquit, *pomeridiano tempore defunctorum, sive episcoporum, sive cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt jam pransi inveniuntur*. Igitur si jejuni inveniuntur nihil prohibet quin etiam pomeridiano tempore celebretur, etiamsi matutinis horis jam celebratum esset.

Secundo S. Leo sacrificii iteratam oblationem non novellæ consuetudinis esse ait in Romana Ecclesia, sed antiquæ institutionis, quæ *ex forma paternæ traditionis insederat*.

Tertium inde consequitur; scilicet non canone, non lege aliqua ecclesiastica, sed sola consuetudine istud invectum in Ecclesiam Romanam sive etiam in Africanam, ubi ex arbitrio pontificis repetitionem sacrificii e vestigio ac pro re nata decerni videmus.

Quarto licentiam istam non extendit Leo ad quamlibet Dominicam diem (quæ (*a*) sola mysteriis celebrandis Romæ deputabatur), sed ad solemniorem festivitatem tantummodo, hocque solo casu ac conditione, cum populus solito numerosior concurreret ad basilicam.

Quinto non semel tantum et iterum offerri potuisse, sed *toties quoties basilicam in qua agitur præsentia novæ plebis impleverit*.

Inde natam puto consuetudinem bis vel ter celebrandi in aliquot solemnitatibus, 1311 puta (*b*) in Nativitate Domini, in Paschate, in Nativitate S. Joannis, in Natali apostolorum, etc., ita ut non modo in eadem basilica eodemque altari, sed et ab eodem sacerdote sacrificii repeteretur oblatio. De Paschate tamen dubitaverim antiquitus usurpatum, tum quia testem veterem non habeo, tum quia solemnis baptismi collatio, prolixæque circa baptizandos ac baptizatos cæremoniæ missarum repetitioni obstabant.

Antiquæ tamen consuetudinis saltem Anglicanæ vestigium esse potest, quod a Stephano Laugton archiepiscopo Cantuariensi statutur in concilio Oxoniensi anni 1222. can. 6: *Ad hæc duximus statuendum, districtius inhibentes ne sacerdos quispiam missarum solemnia celebret bis in die, extra diem Natalis Domini et Resurrectionis Dominicæ*. Idem legitur in Constitutionibus Anglicanis tom. II Coll. Angl. citer an. 1237, *vel in exsequiis mortuorum, videlicet cum corpus alicujus eodem die fuerit inhumandum*. (In collectione Conciliorum legitur *in Ecclesia*, quod merito in provinciali Cantuariensi non legitur.) *Et hunc prima missa de die, posterior vero pro defuncto celebretur*. Ita refert in provinciali Anglicano Gulielmus Lindewode, qui et alias causas repetendi eadem die ab eodem sacerdote sacrificii enumerat, hisque versibus exhibet:

Una dies missam tantum expostulat unam:
Excipitur defunctus certe cum peregrino,
Infirmus, commeans, Domini Natalis, et hospes,
Et mulier nubens, cum tempus labitur illi.

Sexto sequitur non matutinis tantum horis celebrata esse sacra mysteria, etiam in festis solemnioribus, sed etiam vespertinis. Cum enim hora fere tertia, seu, ut nostro more loquamur, hora nona matutina sacrificium celebrari solitum esset, prolixioresque essent ritus precesque sacrificio immixtæ, multoties peragi nequibant mysteria matutino tempore, sed ad vespertinum usque protrahi spatium necesse erat. Ad quod forte referenda mentio missarum vespertinarum, quæ habetur in Concil. Agath. can. 30, et in Aurelianens. III, can. 29, tametsi de jejuniorum diebus intelligi possit. Nisi ex necessitate pluries offerendi mutata fuerit hora, quod non improbabile videtur; et confirmari videtur his Leonis verbis: *Si unius tantum missæ more servato, sacrificium*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

dum videtur, cum codex Ottobonianus a Muratorio editus, qui antiquior est, in his solis Dominicis nihil ejusmodi indicet. Hinc etiam tria mss. a monachis Maurinis laudata tom. III S. Gregorii pag. 672, not. *h*, Dominica secunda Quadragesimæ officio carent, et solas orationes ad missam pertinentes præferunt; ibique iidem editores notarunt: *Forte hac Dominica missa quidem celebrabatur, sed ob nimium sabbati præcedentis laborem nihil canebatur*. Fortassis vero ipse Quesnellus pro cantu antiphonarum, responsoriorum, etc., *missæ officium* accepit.

(*a*) Nonnulla in sequentibus nobis incerta aut difficilia sunt. Quod hic affirmat Quesnellus, *solam* diem Dominicam mysteriis celebrandis Romæ deputatam, concedi potest, si eo sensu affirmat, quod aliis ferialibus diebus nullo peculiari festo celebratis, nulla certa et solemnis missa esset præscripta. At si id eo sensu affirmat, ac si aliis diebus missæ sacrificium non offerretur, quo id fundamento fulciatur ignoramus. Si enim hoc collegit ex Sacramentariis Gelasiano et Gregoriano, ubi solis Dominicis, non autem ferialibus diebus, præter Quadragesimæ tempus, missæ assignantur, nonne in antiquiori Sacramentario, quod Leoni attributum hoc tomo edidimus, nullæ missæ propriæ leguntur ipsarum Dominicarum post Pascha ac Pentecosten, in quibus tamen sacrificium celebratum fuisse nemo ambiget? Sicut autem hoc tempore, diebus Dominicis propria missa carentibus, celebrantis arbitrio missæ e communibus sumebantur, ut in præfatione ad idem Sacramentarium animadvertimus, ita post assignatas missas cuique diei Dominico, qui ferialibus diebus celebrabant sacrificium, missas vel ex Dominica præcedenti, vel ex communibus repetebant; nec in Romana Ecclesia et clero extinctus plane credendus est antiquus fervor, qui Hieronymi ac Augustini ævo in ea vigebat, ut scilicet plures quotidie communicarent, ac idcirco Deo quotidie sacrificium offerebatur.

(*b*) Consuetudo celebrandi ter in Nativitate Domini ex eo potius orta videtur, quod in tribus distinctis Romanis basilicis distinctis horis hac die tres stationes ac missæ celebrarentur, primum in S. Maria Majori, dein in S. Anastasia, tandem in S. Petro, ut ex Sacramentario et Antiphonario Gregoriano colligere licet. Idem forte aliis solemnitatibus accidit, quæ diversas missas eodem die horis diversis celebratas recipiebant, ut olim die Natali SS. apostolorum Petri et Pauli duæ missæ canebantur in duabus eorumdem ecclesiis, altera in S. Petri, in S. Pauli altera.

Digitized by Google

offerre non possint, nisi qui PRIMA **1312** DIEI PARTE *convenerint.* Ubi vix prima illa diei pars de hora tertia seu nona hodierna intelligi potest. Quod cum repugnare videatur consuetudini quam modo commemoravimus, hora nona celebrandi, hoc modo conciliari posse mihi videtur, si dixerimus promiscuis Dominicis hora tertia seu nona celebratum esse : in solemnioribus vero festivitatibus, de quibus hic Leoni sermo est, prima diei parte, hoc est summo mane peractum esse missæ sacrificium. Ratio discriminis hæc est, quod vigiliis nocturnis gaudebant istæ solemnitates, quibus peractis convenientissimum erat ut populus jejunio ac vigilia fatigatus ad proprias domos, nec nisi post celebrata sumptaque mysteria, dimitteretur. Ita fiebat ut aliis fidelium turmis basilicam de novo implentibus, repetendæ oblationi sufficiens tempus haberetur. Hæc ipsa epistola testatur persæpe nonam horam præventam esse sacrificio, cum scilicet mane ipso Dominico die, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, consecrationis sacerdotalis benedictio conferebatur, haud dubie inter sacræ oblationis mysteria.

7° Cognoscimus hinc sufficientem sancto Leoni causam fuisse repetendi sacrificii, populi devotionem, quam votis suis ac exspectatione non privari, plenum pietatis atque rationis esse existimavit.

8° Notanda hæc loquendi ratio : *In qua agitur*, qua sacrificium missæ significatur : *Agere* enim et sacrificare idem sunt, unde et *actio* dicitur ipsa consecratio in canone : *infra actionem*, et *agenda* sæpe usurpatur pro missa. Conc. Carthag. II dictum, Lectionarium Hieronymi nomen præferens, Regula S. Benedicti, Beda, et Capitularia Caroli Magni. Plura videsis lib. I, cap. 3 Rerum liturgicarum eminentissimi doctissimique cardinalis Bonæ, heu! nuper Ecclesiæ militanti præmatura morte erepti, non sine acerbissimo bonorum eruditorumque omnium dolore. Sed et priorem lege hujus epistolæ synopsin, cui etsi aliam subrogaverimus, quia et falsa et barbara continebat, non erit tamen incongruum eam hic exscribere. Sic se habet :

De ordinatione presbyteri aut diaconi, ut sabbato sancto celebretur, id est, die Dominico I. De festivitatibus, ut si una AGENDA, *id est, missæ celebratio populis non suffecerit, nulla sit dubitatio iterari sacrificium II.*

9° Intelligimus consuetudinem, quam in Romana et Africana Ecclesiis usurpari vidimus, in Alexandrina non viguisse tunc **1313** temporis. An post Leonis admonitionem recepta sit, mihi non liquet. Antiquum in illa ritum, Romano posthabito, observatum esse, persuadet quod de recentioribus Græcis, Syris, aliisque Orientalibus viri docti referunt. *Maronitæ Syri*, inquit Morinus (*Præf. in ordin. Syrorum Maronitarum*), *consuetudines Græcorum ut plerumque sequuntur... semel tantum singulis diebus missam in ecclesia celebrant; nec sine urgenti necessitate et episcopi licentia bis in die super uno et eodem altari sacrificant.* Hoc, puto, Morinus ex epistola Abrahami Echellensis Maronitæ, quam ad eum Roma scripsit anno 1654. Hunc eumdem morem inviolatum ad nos usque conservasse Orientales omnes, Græcos, Moscovitas, Æthiopes, alibi etiam asserit idem Morinus; atque adeo unicum in eorum ecclesiis altare esse collocatum.

10° Animadverte *offerendi* verbum etiam laicis attributum, quod sexcentis exemplis probare in promptu esset. Et revera ab universa Ecclesia sacrificium Deo offertur, etsi ab uno soloque sacerdote consecretur. Hinc in sacra Liturgia : *Orate, fatres, ut meum ac vestrum sacrificium;* et, *Omnium circumstantium qui tibi offerunt*, etc.

11° Ex his verbis : *Quam recipere basilica simul una non possit*, videor mihi colligere (*a*) unicam fuisse illic basilicam in qua offerretur. De basilicis nihil hoc loco annotamus, quia de hujusmodi basilicarum Orientalium forma ac capacitate plura et exquisite docta habebit aliquando lector eruditus in amplissimo tractatu de Basilicis auctore Joanne Morino Oratorii Gallicani presbytero, quem cum ejusdem materiæ epistola ad Allatium ab eodem scripta in lucem publicam edemus propediem.

5. *Familiariter admonemus.* Tria epistolarum genera distinguere mihi Leo noster **1314** videtur. Primum est earum quas synodicas dicimus, e synodo nimirum et synodi nomine scriptas; tales sunt epistolæ 40, 41, 45, 47 (*nunc* 44, 45, 50, 51), et aliæ, quarum hæc inscriptio : *Leo et sancta synodus*, etc. Sunt aliæ (*b*) decretales, quas et constituta decretalia appellat, quæ nimirum de disciplinæ ecclesiasticæ capitibus ad eas Ecclesias vel provincias ab eo dabantur, quas metropolitica vel exarchica auctoritate regebat Urbis episcopus, et ad quarum executionem delegabat aliquos ex iisdem provinciis episcopos; tales sunt epistolæ 2, 3, 8 (*nunc* 167, 4, 7) et aliæ plurimæ. Tertii generis epistolæ familiares dicuntur, quæ ad aliarum diœceseon episcopos scriptæ erant, vel de disciplinæ ecclesiasticæ observantia, vel de rebus ecclesiasticis occurrentibus, aut episcopalis necessitudinis significandæ gratia. Talis esse mihi videtur hæc ad Dioscorum epistola, qua *studiose et* FAMILIARITER eum admonet, quamque *paternam et fraternam collationem* dicit in præfatione. Ita familiarem Turribii Asturicensis epistolam discernere videtur a commonitorio, tam in præfatione quam in capite 17. Denique Innocentii papæ I epi-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Ex verbis, *ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit*, sequitur quidem hic sermonem esse de una *basilica*, in qua magna aliqua festivitas maximo populi concursu celebraretur; non vero sequitur *unicam* Alexandriæ fuisse basilicam, *in qua offerretur*. Sic licet Romæ in unica ecclesia festum magna cum frequentia ageretur, non tamen ibidem tantum eodem die peragebatur sacrificium. Id palam fit ex epist. 25 Innocentii I ad Decentium c. 5, ubi fermentum ad presbyteros titulorum Urbis a se missum tradit quavis die Dominica, *quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt.* Illi ergo presbyteri seu parochi cum sua cujusque plebe diebus Dominicis sacrificium peragebant in suis titulis, et ad hos mittebatur portio sacrificii a pontifice oblati in Ecclesia Lateranensi, *ut se*, inquit, *a nostra communione maxime illa die non judicent separatos.* Sicut ergo Romæ, ita etiam Alexandriæ in singulis titulis unicum sacrificium agebatur, et solum si ad aliquod festum alicubi celebrandum ea multitudo concurreret, quam basilica recipere simul non posset, ibidem sacrificium iterare licebat.

(*b*) *Decretales* hic Quesnellus appellat Romani pontificis epistolas datas *Ecclesiis vel provinciis quas metropolitica vel exarchica auctoritate regebat.* Quæ autem *ad aliarum diœceseon* (id est Orientalium) *mittebantur*, non *decretales*, sed *familiares* epistolas vocat. Quid isthæc distinctio, vocumque interpretatio est? Esto *familiaris epistola* dici queat hæc ad Dioscorum scripta, quatenus non solemniter exarata in synodo, nec ad synodum missa, cum tamen contineat disciplinæ regulas, et præcepta, quæ indicantur verbo *Volumus*, cap. 1 et 2, jure *decretalis* habenda est; quæ si in Oriente decreti vim non obtinebat ex auctoritate metropolitica vel exarchica seu patriarchali, ex primatu tamen in totam Ecclesiam vim habuisse negari nequit nisi ab eo qui primatum divini juris apostolicæ Petri sedi cum heterodoxis neget. Formulæ *familiariter admonemus, paterna et fraterna collatio* moderationem et suavitatem Leonis commendant; auctoritati autem, quæ repetito verbo *Volumus* satis indicatur, nihilum detrahunt.

Digitized by Google

stola una ad quinque Africanos episcopos familiaris dicitur in Codice canonum Ecclesiæ Romanæ, et alibi, ut discernatur ab aliis, quibus ad synodicas Africanorum antistitum ex synodo pariter rescribebat.

6. *Possidonio presbytero.* Episcopos ordinationis nuntios nonnumquam videmus missos a primariis illis sedibus, cum nimirum eorum aliqui Romanam profectionem ambibant : aliquando presbyteri vel minorum etiam ordinum clerici directi sunt cum litteris : nonnumquam utrumque omissum, ut de Basilio Antiocheno queritur Leo **1315** noster epist. 118 (*nunc* 149). Porro Possidonius presbyter idem est, opinor, ac diaconus ille qui Romam olim missus est a Cyrillo Dioscori prædecessore ad Cœlestinum papam a. 430, nascente tum Nestoriana hæresi ; quam ob causam multoties Romam missum dicit Leo.

7. *Apostolicæ auctoritatis.* Ita mss. Codd. Grim. et Victor. necnon edit. P. Canisii, Nicolini, Crabbi, Surii, Sichardi, Merliniana Isidori, etc. Hoc etiam modo legit Baronius : ut merito corrigi debeant Romana editio et aliæ quæ habent : *Apostolicæ sedis auctoritatis*, et postrema Conciliorum editio, quæ hanc subdititiam lectionem in textu habet, et aliam hanc margini inscribit, *Apostolicæ sedis auctoritas tenet.* Non enim ad apostolicæ sedis auctoritatem attinent hæc verba, sed ad traditionem apostolicam, seu ad *Consuetudinem* Romanæ Ecclesiæ *ex forma paternæ traditionis* derivatam, ut paucis ante lineis loquitur, seu, ut cap. 1, *ad auctoritatem consuetudinis quam ex apostolica*, inquit, *novimus venire doctrina* ; quam eodem loco *apostolica instituta* appellat.

(*a*) AD EPISTOLAM X.

Episcopis Gallicanis Viennensis provinciæ.

1. Mirari subit hanc tam celebrem tantique momenti epistolam, quam exscribere ac posteritati tradere multorum intererat, vix in aliquot mss. codd. a nobis esse repertam. Jacet in ms. Corbeiensi bibliothecæ S. Germani a Pratis non spernendæ antiquitatis, et in altero Thuaneo, sed qui Corbeiensi ita similis est, ut ex eo transcriptum eum existimem. Habetur etiam **1316** in Victorino omnium Epistolarum et Sermonum sancti Leonis codice non admodum antiquo, vix in aliis mss. codicibus apparet. Habetur in Isidoriana collectione. Apud Yvonem et Gratianum exstat ejusdem memoria : hic enim, *dist.* 19, *c. Ita Dominus*, hujus epistolæ primum caput fere totum describit ; ille vero parte quinta cap. 6. Hanc vere Leonis esse, et stylus et tota epistolæ series arguunt.

2. *Per Viennensem*, etc. In veteri scheda, inquit Jacobus Sirmondus, hæc epistola Leonis non ad Viennensis tantum provinciæ, sed etiam ad Maximæ Sequanorum episcopos missa inscribitur hoc modo : (*b*) *Dilectissimis universis episcopis per provincias Maximam Sequanorum et Viennensium constitutis Leo.* Quæ res et probabilem de loco synodi (nimirum Vesontione) conjecturam facit, et Celidonium Vesontionis, quæ Maximæ Sequanorum est metropolis, episcopum fuisse confirmat. Hæc Sirmondus, de quibus quid sentiendum nobis videatur jam dictum est in dissert. 5. Hoc solum dico, illam incertæ antiquitatis ac fidei schedam omnium codicum seu mss. seu excusorum testimonio præponderare non posse : nihil enim tale exhibent quotquot videre nobis contigit, et insuper ab his confictum esse titulum, qui Celidonio sedem Vesontione posuere : quod omni probabilitate carere ostendimus.

3. PRINCIPALITER COLLOCARIT, *et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in omne corpus manare.* Ita Corb. et Thuan. cod., pro quo prius legebatur : *Collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in omne corpus diffunderet.* Erit forsan qui has voces, (*c*) *principaliter collocarit*, sic interpretabitur,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cum epistolam apud Quesnellum 9 ad episcopos Gallicanos Viennensis provinciæ rejecerimus in appendicem Epistolarum tom. I, col. 1469, notam fusiorem Quesnelli in admonitione ei præfixa inseruimus col. 1465.

(*b*) Vide annot. 2 (*Col.* 628, *n.* 2) in hanc epistolam, ac præsertim observationes in dissert. 5 Quesnelli part. 1, c. 2, n. 4, ubi istam inscriptionem vindicavimus.

(*c*) Quo sensu S. Leo cap. 1 usus sit adverbio *principaliter* ex contextu ita perspicuum fit, ut explicatio Quesnelli potius involvat quod clarum est, quam obscurum declaret. Loquitur S. pontifex de prædicatione Evangelii in universo mundo, quam Christus apostolis commisit, sicut scriptum est : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Hoc autem officium ita a Christo omnibus apostolis commissum affirmat, ut *in Petro apostolorum omnium summo principaliter collocarit, et ab ipso quasi quodam capite, dona sua velit in corpus omne manare : ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.* Verba quibus Petrus *apostolorum omnium summus* dicitur, primatum ejus inter apostolos declarant : hujus autem primatus vim atque rationem sequentia explicant. Ipsum scilicet prædicationis munus, etsi omnibus apostolis commissum, ratione tamen primatus *principaliter* collocatum affirmat in Petro tamquam in capite, a quo sua dona in omnes dimanent, idque ita *ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.* Porro *soliditas Petri* de Petri prædicatione, seu de fide quam Petrus prædicavit, ex Leonis mente accipienda est, ut patebit ex observationibus ad serm. 3, num. 2, ibidemque num. 3 ostendimus eamdem soliditatem fidei, quam S. pontifex affirmavit in Petro, eodem docente fuisse transmissam in omnes successores S. Petri, et æque solidam in Romana Ecclesia permanere. Recedet ergo a soliditate Petri, qui a doctrina fidei Petri et Romanorum pontificum, quæ in Petro solidata fuit a Christo, eademque soliditate ad Romanos pontifices transivit, recedere voluerit. Cum porro Leo affirmat eum qui a soliditate Petri recedit exsortem esse mysterii divini, necessitatem indicat conveniendi cum fide et doctrina Petri ac successorum ejus. Hoc sensu prædicatio fidei omnibus licet apostolis commissa, Petro *principaliter* credita est, quia soli Petro ita est credita, ut eadem soliditas fidei ad successores ejus transiens, omnibus catholicis conveniendi necessitatem imponat : quod nulli aliarum etiam apostolicarum sedium episcopo contigit. Quare de nulla alia sede vel Ecclesia, sed de sola Romana scripsit S. Irenæus ab ipso Quesnello paulo ante laudatus : *Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Id intelligere non potuit de ritibus et disciplina, quæ in Ecclesiis diversis (eo potissimum tempore) diversa esse poterat. De sola doctrina fidei accipiendum, quæ cum in omnibus Ecclesiis una esse debet, tum cum doctrina fidei Romanorum pontificum successorum Petri, in quos eadem Petri ac fidei ejus soliditas transivit, convenire omnes catholici debent, ne si qui recedant ab hac soliditate Petri, *mysterii divini exsortes sint.* Id *propter potentiorem principalitatem*, id est primatus causa, Romanæ Ecclesiæ tribuit S. Irenæus, eo quod inter multas primatus prærogativas hæc præcipua et principalis sit, cum primatus a Christo eo consilio fuerit institutus, ut in Petro ac successoribus ejus non solum ostenderet, verum etiam formaret et custodiret totius Ecclesiæ unitatem, ac potissimum unitatem prædicationis et fidei, de qua in observatione sequenti redibit sermo. Hæc obvia Leonini textus explicatio est, quæ non tam cum aliis ejusdem pontificis testimoniis, quam cum aliis aliorum Patrum cohæret,

Digitized by Google

ut ex illis apostolicam **1317** sacerdotalemque dignitatem in Petro ejusque successoribus plenam perfectamque cogitet, in cæteris vero apostolis eorumque successoribus episcopis, eamdem non æqualem, sed quasi diminutam somniabit. Verum *numquidnam reliqui sancti et beati apostoli*, inquit Gelasius PP., *non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut capite constituto schismatis tolleretur occasio, et una monstraretur compago corporis Christi... Duodecim certe fuerunt apostoli, paribus meritis parique dignitate suffulti; cumque omnes æqualiter spiritali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus* (*Gelas. I, Tract. adv. Græcos, apud Sirmond. in app. Cod. Theodos. pag.* 184 *et* 187). Quid igitur est *principaliter?* Non idem quod magis complete magisque perfecte, sed primum quidem hoc potest significare quod habet Gelasius PP., Petrum videlicet inter cæteros apostolos *paribus meritis parique dignitate suffultos, et æqualiter spiritali luce fulgentes, principem* esse constitutum. Quis enim hoc neget nisi antiquitatis ignarus, vel unitatis infensus? Deinde *principaliter* idem etiam potest esse ac *originaliter*, ut ita loquar, et in ipsa apostolicæ pontificalisque dignitatis institutione atque principio. Quo sensu idem sanctus Leo epist. 93 (*nunc* 120) ad Theodoritum ait: *Solem justitiæ in Occidente culmen suum in apostolis et doctoribus* PRINCIPALITER *collocasse;* et in epist. 12 (*nunc* 14), ad Anastasium Thessal. cap. 1, *se curam universis Ecclesiis* PRINCIPALITER *ex divina institutione debere;* et serm. 83 (*nunc* 85) de S. Laur., *animi fortitudo de Christi principaliter amore concepta.* Et in epistola ad Demetriadem, quam illi modo asserimus, ait, *Naturam nostram in Adam* PRINCIPALITER *esse institutam*, hoc est, in ipso creationis principio. Ad eumdem sensum revocandus est Cyprianus, cum epist. 54 Ecclesiam Romanam principalem nuncupat, id est, ut statim explicat, *unde unitas sacerdotalis exorta;* et **1318** Irenæus cum lib. III, cap. 3, scribit: *Ad Romanum Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam;* quia videlicet inter *Ecclesias apostolicas, matrices, et originales fidei*, ut Tertullianus loquitur, *a quibus traducem fidei, et semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur ut Ecclesiæ fiant* (*De Præscript. adv. hæret. c.* 20). Romana potentior, fecundior, inter Occidentales antiquior, et propter principis apostolorum, a quo unitatis origo incipit, auctoritatem ac prærogativam, omnium Ecclesiarum caput. Atque ut is *principalitatis* sensus apud Irenæum esse credatur, licet aliquibus non arrideat, facit tum loci ipsius contextus, tum alter libri IV, cap. 75, ubi hæc habet de rerum omnium quæ a Deo trahitur origine. *Et sic*, inquit, *principalitatem quidem habebit in omnibus Deus: quoniam, et solus infectus, et prior omnium, et omnibus, ut sint, ipse est causa.* Eadem est principalitatis acceptio apud Tertullian. lib. de Præscript. hæret., cap. 31, cum ait: *Sed ab excessu revertar ad principalitatem veritati, et posteritatem mendacitati deputandam.* Eodem sensu Facundus Hermianensis l. IX, sub finem, asserit *quod antiqui doctores Ecclesiæ dixerunt quoniam Deus Verbum sit principaliter, et secundum essentiam unigenitus Filius Dei; homo vero assumptus ex unitate personæ ejus accepit ut unigenitus filius semper esset ac diceretur.* Denique alius non est verborum Leonis sensus, quam qui istorum Innocentii papæ I, epist. ad Victricium Rotomag.: *Incipiam*, inquit, *adjuvante sancto apostolo Petro, per quem et apostolatus, et episcopatus in Christo cæpit exordium.* Nec tamen animus est quidquam hoc loco pontificis Romani auctoritati detrahere, qui procul dubio principalem cathedram tenet, ac ratione primatus apostolici singulos Christiani orbis episcopos splendore, auctoritate ac jurisdictione longe antecellit.

1319 4. *In consortium individuæ unitatis assumptum.* (*a*) Vuhittakerus, teste Andrea Riveto Critici sacri lib. IV, cap. 22, legit *individuæ Trinitatis.* Unde istud hauserit, nescio: hoc scio, nihil his verbis inesse quod stomachum illi movere debuerit, ut hæc canino dente carperet, quasi elatiorem animum spirantia. Quasi vero elationis ambitionisque reum ipsum sanctum Petrum quis dixerit, qui se Christianosque omnes *divinæ consortes factos naturæ* prædicat. Miror etiam Isaacum Casaubonum liberalioris ingenii virum scripsisse (*Exerc.* 15, *ad Annal. Eccles. Baronii*), *magnam hæc verba desiderare æqui*

BALLERINORUM ANNOTATIONES.

pontificiique primatus præcipuam vim ac facultatem declarat. Qui aliorsum Leonis verba distorquere studeant, verendum est ne eumdem præcipuæ jurisdictionis primatum, quem verbis fatentur, ita extenuent, ut non minus a Leonis mente discedant, quam cum tantum primatum videantur reipsa astruere, qui a mero primatu ordinis nihilum aut modicum differat.

(*a*) Quid multa hic congeruntur ad explicandum testimonium, quod planissimum est? S. pontifex, ut rationem afferret ejus sententiæ, qua affirmavit eum *exsortem mysterii divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere*, subdidit: *Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo:* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; *ut æterni templi ædificatio, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret; hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent.* Nonne hic manifestum est *individuæ unitatis consortium* eo referri, quod sicut Christus ob unitatem Ecclesiæ petra est et fundamentum, cui tota debet adhærere Ecclesia, ita ejusdem unitatis bono in hujus prærogativæ consortium Petrus assumptus fuit a Christo, cum ipsum sui loco constituit petram Ecclesiæ, et petram ita solidam, cui portæ inferi non prævalerent? Hinc similiter dixit serm. 4, c. 2: *Cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Super hanc, inquit, fortitudinem æternum exstruam templum; et Ecclesiæ meæ cælo inferenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget.* Quæ cum recitatis præsentis epistolæ verbis mirifice concinunt, palamque faciunt, S. Petrum, petram Ecclesiæ constitutum, ea soliditate ac firmitate fidei donatum fuisse a Christo, ut in ea Ecclesia corroborata consisteret, quod non nisi per unitatem fidei cum Petro fieri potest; unde laudato sermone 4, c. 5, postquam scripsit: *Specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit;* sic concludit: *In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur.* Cum igitur S. Petrus eatenus *in individuæ unitatis consortium* assumptus fuerit a Christo, quatenus ad formandam et custodiendam Ecclesiæ unitatem in consortium assumptus non minus nominis quam soliditatis ejus petræ, quæ Christus est, constitutus fuit petra et fundamentum Ecclesiæ, nihil mirum si eum S. pontifex expertem dixit mysterii cælestis, seu extra unitatem Ecclesiæ, quicunque ausus fuerit non tam a Christi quam a Petri soliditate recedere. Quod autem de Petro hic docet, æque de successoribus ejus intelligendum est, cum ob idem consilium eadem fidei soliditas ad ipsos transierit, ut observationi antecedenti ostendimus.

Digitized by Google

lectoris exulcerarem. Nam si verba spectentur, inquit, *videtur præclusa omnis sanæ interpretationis via. Quid enim est*, assumi in consortium individuæ unitatis, *nisi transcribi in numerum personarum sacrosanctæ et ineffabilis Trinitatis? Sed hujusmodi sententiæ adeo manifeste impiæ et blasphemæ, vel venisse unquam sancto viro in mentem, credat per me qui volet, ego nunquam in animum inducam ut vel de eo suspicer.* Tum verba sancti Leonis interpretatur *de conjunctione Patri pastoris Ecclesiæ cum Christo, non quatenus una est e tribus sacrosanctæ Trinitatis personis, sed quatenus etiam ipse, licet diverso modo, est Ecclesiæ pastor.* Hæc quidem vere, quamquam timide nimis, dicta sunt a Casaubono. Sed aliquanto explicatius proponenda sunt. Hæc est sancti Leonis mens atque consilium. Christus Dominus, inquit, Dei cultum, qui antea intra Judæam concludebatur, per omnes gentes voluit diffundi : hoc **1320** per apostolorum prædicationem, quorum sonus in omnem terram exiret, ad effectum perducendum esse statuit. Sed quoniam omnia Dei omnipotentis opera ab unitate ducunt exordium, et ad unitatem tendunt, sic omnibus apostolis Evangelii prædicandi commune officium esse voluit, ut unum inter omnes deligeret, cui uni præ omnibus et pro omnibus illud commendaret, in quo omnes illud acciperent, ad quem omnes velut ad communis dignitatis exordium concurrerent; id est, ut ipse Leo serm. 3 (*nunc* 4) in Assumpt. : *Uni commendatur quod omnibus intimetur; et Petro hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præmonstratur*; vel, ut sanctus Cyprianus (*Lib. de Unitate Ecclesiæ*) : *Ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit... Exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* Hoc est *sacramentum unitatis*, ut ibidem loquitur sanctus Cyprianus, cujus principium et origo, exemplar et finis, suprema et individua Trinitatis unitas est, quam illa imitatur atque participat, ut de Christiana unitate Patrem Christus alloquens testatur (*Joan.* XVII) : *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint : ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* In hoc ergo unitatis sacramento episcopus est in Ecclesia, et Ecclesia in episcopo. Et rursus tunc cum Christus Petrum instituit, omnes apostoli atque episcopi, et Ecclesia ipsa erant in Petro. Petrus denique cum omnibus erat in Christo, **1321** *ita in consortium individuæ unitatis assumptus, ut id quod ipse erat, Petrum voluerit nominari dicendo : Tu es Petrus*, etc.; id est, quemadmodum ipse sanctus Leo explicat sermone citato : *Cum ego inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria sint tibi mecum participatione communia*, etc. Unitas igitur et omnium pastorum inter se, et ipsorum cum Ecclesia, individuam unitatem imitatur tum Christi Domini cum suo corpore, tum ejusdem aliarumque personarum Trinitatis ad invicem. *Ad Trinitatis instar*, inquit Symmachus papa (*Epist.* 4, *ad Æonium Arelat.*), *cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos antistites sacerdotium.* Nisi heterodoxi oculos fascino impeditos haberent, viderent facile nihil verbis Leonis contineri in quo non Cyprianum, non Petrum apostolum, non ipsum Christum præeuntem secutus fuerit; nec illum hoc loco reprehensione digniorem esse quam cum serm. 3 (*nunc* 4) in Assumpt. sua cap. 2, dixit : *Magnum et mirabile huic viro* (*Petro*) *consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio*, etc.

5. *Salubriter custoditum.* Codices omnes mss., Corb., Thuan., Victor., quibus solis uti licuit, ita legendum exhibent; non vero, ut alias, *salubriter constitutum* : quæ **1322** duo lato discrimine differunt. Illud enim (*a*) solam indicat consuetudinem, hoc vero vel divinam vel ecclesiasticam legem significat, quam Leo in mente habuisse hoc loco non existimaverim.

6. *Ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans.* (*b*) Si usitatiorem vocum acceptionem spectes, nihil prius menti occurrit quam ut ex his verbis existimes sanctum Hilarium Arelatensem omnium Gallicanorum episcoporum consecrationem sibi asserere voluisse. Aliter tamen intelligenda esse Leonis verba probavimus in dissertationis apologeticæ pro sancto Hilario parte III, cap. 1, ubi non de consecratione antistitum, sed de administratione, seu exarchica, seu metropolitica Ecclesiarum interpretamur : nec per omnes Gallias, sed per eas provincias Galliarum quas antiquam Narbonensem olim constituerant.

7. *Cui cum præ cæteris solvendi et ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialius mandata est.* Nemo nisi exutæ mentis aut hæreticæ pervicaciæ sancti Petri successorumque ejus primatui detrahere velit, quem cum ipse Leone *præ cæteris ordinatum* credimus. Hoc tamen loco (*c*) præ

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Licet verba *salubriter custoditum* de appellationibus ad sedem apostolicam adhibita per se consuetudinem indicent, cum tamen hæc consuetudo et sacris canonibus et divino jure fulciatur, uti late probavimus in Observationibus ad dissert. 5 Quesnelli, part. I, c. 6 et 7, ecclesiasticum quoque et divinum quoddam jus Leonem in mente habere potuisse negari nequit. Sardicenses quidem canones Nicænorum nomine pro appellationum jure alibi S. pontifex allegavit, et divinum quoddam jus etiam cogitasse videtur, cum S. Hilarium obsistentem appellationi Celidonii *nullis institutionis Dominicæ regulis contineri;* et potestatem ligandi ac solvendi Petro *præ cæteris* attributam a Christo aliqua ratione impetere conquestus est. Vide cap. 1 et 2 epistolæ 10.

(*b*) Cum S. Leo in S. Hilario reprehendit quod *ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicaret*, voces *omnium Ecclesiarum* late accepit, eo quod ille in alienas provincias esse extenderat. Ordinationem enim episcopi in locum Projecti in provincia aliena fuisse peractam, et depositionem Celidonii extra ipsam Narbonensem solidam ad Maximum Sequanorum pertinuisse, fuse constituimus in observationibus ad dis. 5 Quesnelli part. I et II.

(*c*) Omnia non tam Quesnelli quam nostra et Sirmondi mss. exemplaria habent *præ cæteris*. Nullis autem codicibus suffragantibus quis de emendatione *pro cæteris* cogitet? Quid quod emendatione opus non est? Si enim animadvertas quo utrumque membrum referatur, cognita vi comparativi *specialius* secundo membro inserti, absque ulla correctione optimum sensum elicies. Sic autem hic locus intelligendus. Licet S. Petro *præ cæteris* specialiter tradita fuerit a Christo ligandi atque solvendi facultas, cum ipse ante passionem suam semel dixit : *Tibi dabo claves regni cœlorum : quodcumque ligaveris*, etc.; *specialius* tamen pascendarum ovium cura eidem commissa fuit, cum post passionem non semel (ut in tradenda facultate clavium) sed ter, triplici interrogatione ac responsione interjecta, eidem mandavit : *Pasce oves meas, pasce agnos meos, pasce oves meas.* Quod si aliquo codice aliquando invento *pro cæteris* corrigendum credatur, certe tamen potestas ligandi et solvendi S. Petro non solum *pro cæteris*, sed *præ cæteris* etiam tradita fuit; quatenus eidem ratione primatus potestas data est in ipsos apostolos, et in omnes episcopos apostolorum successores, quibus eum primatus jure præfuisse nemo catholicus inficiari potest. Transivit quidem in alios apostolos ac in episcopos vis potestatis ligandi atque solvendi; sed cum primatus in neminem alium nisi in Roma-

Digitized by Google

cæteris legendum esse non puto; sed potius *pro cæteris*. Particula adversativa *tamen*, ut docent grammatici, aliam particulam adversativam, vel membrum oppositum supponit in **1323** eadem periodo, ut cum serm. 1 (*nunc* 2) Leo noster : *Et si necessarium est trepidare de merito, religiosum est tamen gaudere de dono.* Et serm. 3 (*nunc* 4) cap. 1 : *Quod cum omnibus commune sit factum, religiosum tamen est quasi de proprio honore gaudere;* et cap. 2 : *Cum de consortio istius muneris magna nobis materia sit communium gaudiorum, verior tamen*, etc., ubi et particula *cum* adversative, pro *licet*, non secus atque hic sumitur. At unum ejus periodi quam discutimus membrum alteri nullatenus adversatur : præ cæteris enim traditam esse Petro ligandi solvendique potestatem, et de curandis ovibus specialius mandatum ei esse quam cæteris, sensu inter se non differunt; aliquatenus autem opponuntur, quod Petrus specialem ovium curam acceperit, et tamen non sibi soli, sed etiam pro aliis potestatem acceperit. Hoc igitur modo corrigendum, salvo eruditiorum judicio, putarem : *Cui cum pro cæteris solvendi et ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialius mandata est.* Conjectura ex ipso Leone confirmatur, qui passim docet quod cum Petro dictum est, *Tibi dabo claves*, et *Quæcumque ligaveris*, etc., *transivit etiam in alios apostolos jus potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit, ita ut quod uni commendatur, omnibus intimetur* (*S. Leo serm.* 3 *nunc* 4, *cap.* 3). Penuria mss. codd. hujus epistolæ non sinit ullorum auctoritate firmare nostram conjecturam, quam aliorum judicio relinquimus.

8. *Quod tamquam viduæ maritus sacerdotium tenere non posset; quod nos quidem servantes* (*a*) *legalia constituta sollicitius voluimus custodiri*, etc. Bigamos a sacerdotio excludi, et canones ubique clamitant, et pronuntiat per apostolum Paulum Spiritus sanctus. Unde dubitandi locus non fuit ut qui duas uxores vel haberet, vel habuisset, ad ecclesiasticum gradum ei aditus omnis præcluderetur. At ut eidem pœnæ subjicerentur, qui unicam uxorem, sed viduam et non virginem habuissent, neque edicit Apostolus, neque canones ante Leonem nostrum sanciunt. Unum Valentini I concilii canonem 1 excipio, qui *de digamis aut internuptarum maritis ordinari clericum non posse* statuit; *nihil tamen de eorum statu qui prius ordinati sunt, revolvi* decernens. Est quidem et canon 17 apostolicus, qui expressis verbis viduarum ejectarumque maritos arcet a clero. Sed neutrum eorum Leonem in mente habuisse existimo : cum nec aliarum Ecclesiarum canones, nisi forte Africanos, quos approbando suos fecerat, usurpare tunc soleret Ecclesia Romana : nec tum apostolici **1324** canones ab ea recepti essent; inter apocrypha enim relegantur a Gelasio papa : nec paulo post a Dionysio Exiguo Collectioni canonum præfixi sunt, nisi cum hujus admonitionis cautela : *Quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum vestram noluimus ignorare sanctitatem.* Istud nihilominus non statuisset sanctus Leo, nisi quod a prædecessoribus suis Cœlestino, Zosimo, Innocentio, et Siricio præceptum, observatumque legebat, a traditione apostolica descendere persuasum habuisset. Et sane quemadmodum ipsi apostolici canones ex consuetudinibus regulisque ab apostolis virisque apostolicis velut per manum traditis et acceptis conflati fuerant ab Orientalibus : ita certum est, complures regulas ecclesiasticas in Romana Ecclesia viguisse primis temporibus, non aliunde acceptas quam ex consuetudine antiqua et ex traditione sanctorum apostolorum Petri et Pauli : has porro cum aliquibus canonibus apostolicis convenire quis miretur? cum una esset omnium apostolorum fides, una plerumque disciplina ex unius magistri schola descendens. Hinc factum est ut *quædam constituta pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videantur*, ut loquitur Dionysius Exiguus in præfatione canonum, cum potius ex communi traditionis fonte tam constituta fluerent, quam canones apostolici. Quamquam non gravate fatebor innuere aliquomodo Leonem se ad canonem apostolicum hoc loco respexisse : etsi enim pluribus in locis solius apostoli auctoritatem proferat, ut bigamos removeat ab ordine ecclesiastico, solumque legis præceptum, quo pariter viduarum ac internuptarum maritos in clerum admitti vetet, ut in epist. 3 (*nunc* 4) ad episcopos Campaniæ, etc., in hac ipsa ad Viennenses, et 12 (*nunc* 14) ad Anastasium Thessalon., tamen in epistola 5 (*nunc* 5) ad episcopos Illyricianos videtur aliquorum canonum meminisse, quos ecclesiasticos vocat. *Volumus*, inquit, *tales fieri Domino sacerdotes, quibus cuncta conveniant quæ sunt ecclesiasticis canonibus definita, ut episcopi, presbyteri, atque diaconi, unius uxoris viri sint, secundum beati Apostoli sententiam; et hanc secundum legis præcepta virginem acceperint, non viduam, non repudiatam, sicut legis Scriptura testatur.* Ubi nihilominus notandum, et ad prius solummodo membrum canones illos ecclesiasticos referri posse, et si quidem apostolicos respexerit Leo, apostolicos tamen ab eo non esse nuncupatos : ne dubiis et nondum receptis canonibus auctoritas inde accederet. In epist. 1 (*nunc* 12) ad Africanos (*Cap.* 3) innuit auctor noster hanc de bigamia uxorum sacerdotum regulam velut **1325** extensionem esse et explicationem apostolici præcepti, quod semper ita fuerit in Ecclesia intellectum : *Dicente Apostolo,* UNIUS UXORIS VIRUM, *tam sacra habita est ista præceptio, ut etiam de muliere sacerdotis eligendi eadem intelligeretur servanda conditio*, etc.

9. *Et armati præsidii præsumptione suffulto*, etc. Totum hunc locum mss. codicum ope restituimus, qui antea perturbatus erat et mancus, in hunc modum : *Et armatis præsumptione suffultum ad inv. P. tum fam. Eccl. quæ proprios amiserint. Traduntur ordinandi ad hoc officium, his quibus præficiendi sunt* (*b*) *civitatibus ignoti.*

10. *Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Familiare istud ac multoties a SS. Patribus decantatum : in quo ad vulgare effatum, quod in Pliniano Trajani panegyrico legitur, eos allusisse puto. *Imperaturus omnibus*, inquit ille, *eligi debet ex omnibus.*

11. *Leontium.* (*c*) Forojuliensem in secunda Nar-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

nos pontifices Petri successores transierit, nemini alii, nisi his, ea potestas obvenit, quæ primatus propria in totam Ecclesiam ac in omnes episcopos extenditur. Adde quod cum ea potestas, Leone aliisque Patribus docentibus, in cæteros transierit per Petrum; potestati ac jurisdictioni Petri et successorum ejus subest ipsa aliorum episcoporum potestas, ita *ut*, quod Leo tradit, serm. 4 c. 2, *omnes proprie regat Petrus*, et successores Petri similiter regant ac moderentur.

(*a*) *Legalium constitutorum* nomine Leo intelligit, non canones, sed, ut ait epist. 5, ad episcopos Illyrici, *legis præcepta*, nimirum legem Leviticī XXI, 14, quam Ezechiel repetit XLIV, 22. Hæc eadem legalia præcepta Siricius antea inseruerat epistolæ 1 ad Hymerium, c. 7. Leviticum ipse Leo allegat epist. 4 c. 2.

(*b*) Inseruimus *civitatibus*, ut erat in antea vulgatis. Ita etiam Sirmondus ex suis mss.

(*c*) Leontius Forojuliensis jam obierat circa an. 452. Faustus enim Reiensis de laudibus S. Maximi episcopi sui prædecessoris narrat, hunc, antequam ad Reiensem episcopatum promoveretur, expetitum fuisse episcopum *maxime a proxima eremi* (Lirinensis) *civitate, quæ territorii ac finium suorum incolam velut præyrium amplectebatur indigenam.* Urbs autem Li-

Digitized by Google

bonensi episcopum fuisse valde probabile est. Celeberrimum, inquam, Leontium, quem laudat ipse Hilarius Arelatensis in Vita S. Honorati decessoris sui, qui Lirinensem insulam petiit: *Præter secreti opportunitatem sancti ac beatissimi in Christo viri Leontii episcopi oblectatus vicinia et charitate constrictus.* Ad eumdem Bonifacius et Cœlestinus pontifices Romani scribunt. Collationes suas Joannes Cassianus consecrat. Plura qui volet, adeat Galliam Christ. Caveat tamen ne illum cum alio Leontio **1326** confundat, cui Apoll. Sidonius scribit, lib. VI, epist. 3, quem et togatorum illic perorantium, et advocationis consultæ, et privilegii loci mentio Arelatensem episcopum innuit. Ex hujus præterea initio docemur Sidonium, cum scribebat, jam tum episcopali infula insignitum fuisse, ac proinde epistolam scriptam non esse ante annum 472, quo in locum Eparchii Arvernensis episcopi defuncti suffectus est. Leontium autem Forojuliensem constat, et ipsi clarissimi Galliæ Christianæ auctores fatentur, obiisse ante annum 455, quo Theodorus ejus successor cum Fausto Lirinensi abbate de jurisdictione decertabat; immo ante annum 452. Hoc enim anno scripsit ad Theodorum Leo noster epistolam 83 (*nunc* 108), quod nec Gall. Chr. auctores satis attenderunt, nec Joannes Savaro, nec eminentiss. Baronius, quippe qui inter utrumque non discernunt.

Jam vero quod Leontium Forojuliensem præ cæteris elegerit S. Leo, cui honorem primatus in quinque provincias deferret, non sine consilio ac summa prudentia actum est. Noverat Gallicanorum episcoporum ingenium ac mores, quos ægre eo adducendos prævidebat, ut novæ disciplinæ manus darent, antiquæ nimirum tenaces. Eam ob causam novitatis odium et invidiam abs se deprecatur (*Non nova instituentes, sed vetera renovantes*) nihil nisi *communicato cum ipsis labore* faciendum spondet, de sedis apostolicæ gratia semper Gallis impensa memoriam refricat, rem illorum potius agi **1327** quam suam, protestatur, consensum denique eorum enixe precatur: *Si placet*; quem facilius dandum speravit, si Leontium jam ætate, sacerdotio ac morum probitate facile primatem, honoris etiam ac potestatis primatu ornaret. Honorandam semper antiquitatem quod suggerit, spem dabat plerisque Galliarum episcopis ad hanc dignitatem aliquando veniendi, si primatus non amplius sedis excellentiæ, sed sacerdotii antiquitati annexus esset. Denique Africanæ Ecclesiæ exemplum, cujus disciplinam æmulabatur Gallicana, faciliorem rei exitum promittebat: in illa quippe, ut norunt omnes, honor primatus, non sedis splendorem, sed pontificatus antiquitatem sequebatur, si Carthaginensem sedem excipias. Aliter sese res habuit. Moribus antiquis stetit Gallia, manseruntque semper penes Arelatensem Ecclesiam et jus convocandæ majoris synodi, et aliæ primatus prærogativæ. Hoc sane magis ecclesiasticæ rei congruebat, ut penes certam aliquam sedem resideret hujusmodi potestas, cui ferendæ par episcopus eligeretur, quam ut per unamquamque civitatem pro consecrationis vetustate erraret: cum enim non nisi senibus ac decrepitis obveniret, quibus non minus vigor mentis fatiscere consuevit quam vires corporis, iners plerumque et otiosa mansisset hujusmodi potestas, aliarumque potestatum conatibus facilius patuisset. Sensit hoc diu post Leonem Gregorius PP. I, qui, lib. I, epist. 72, ad Gennadium exarchum Africæ scribens, hortatur: *Ut concilium catholicorum episcoporum admoneri præcipiat ut primatem non ex ordine loci, postpositis vitæ meritis, faciat: quoniam apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. Ipse vero primas non passim, sicut moris est, per villas; sed in una juxta eorum electionem civitate permaneat: quatenus adeptæ dignitatis meliori ingenio resistendi Donatistis possibilitas disponatur.*

AD EPISTOLAM XII.

APUD QUESNELLUM 1.

Episcopis Africanis Mauritaniæ Cæsariensis

Antequam de hujus epistolæ (*a*) ætate, interpolationibus, et emendatione disseramus, operæ pretium est integram eam lectoris oculis subjicere, qualem omnes a centum et amplius annis editiones una excepta repræsentant: ut et notæ observationesque nostræ facilius intelligantur, nec aliquid ex ea sibi surreptum quisquam possit conqueri. Primam tamen partem, seu **1328** caput primum, brevitatis causa omittimus: quoniam de eo omnes excusi manuque exarati codices conveniunt, variis lectionibus exceptis, quas in margine ipsius epistolæ videre est.

EPISTOLA LXXXVII.

Leo episcopus universis episcopis per Cæsariensem Mauritaniam in Africa constitutis, in Domino salutem.

Cap. I. — Cum de ordinationibus sacerdotum quæ-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

rino proximior, cujus territorium et fines ipsam insulam tunc continebant, erat Forumjulium; ac proinde ad episcopatum Forojuliensem S. Maximus expetitus fuit, antequam ad Reiensem cathedram ascenderet. Cum vero is hanc cathedram obtinuerit an. 433, jam ante hunc annum Leontius Forojuliensis excesserat, ut ad sedem ejus morte vacantem S. Maximus expeteretur. Quo episcopatum Forojuliensem aufugiente, Theodorus ante eumdem S. Maximum jam episcopum Reiensem subscriptus in conciliis Reiensi anni 439 et Arausicano anni 442. Forojuliensis episcopus, loco S. Maximi, Leontio suffectus jure creditur; sic enim Forojuliensibus consecratus episcopus ipso an. 432, quo Leontius obiit, S. Maximo, qui postea Reiensem episcopatum suscepit, sacerdotii antiquitate satis præstabat, ut ante eumdem Maximum synodis subscriberet. Alius itaque Leontius, cujus episcopalis sedes ignota est, a Leone hac in epistola indicatur. Eum porro tantummodo primatus honorem ita Leontio deferendum S. pontifex concupivit, ut ipsius consensus requireretur, si ex aliis provinciis synodus indicenda esset. Id autem jus cum ablatum fuisset S. Hilario, Leontio ob antiquitatem tribuendum putavit. Cum vero novum id esset, et displicere posset metropolitis, ut simplex episcopus ipsis hac in re præferretur, noluit id absolute præcipere, ut cætera; sed assensum conditioni subjectum proposuit: *Si vobis placet.* Verba *non nova instituentes, sed vetera renovantes*, cap. 2 descripta, hoc novum institutum non respiciunt, sicut nec illa ejusdem capitis *communicato vobiscum labore*, ut ex contextu ipso patebit. Num vero huic Leonis desiderio episcopi Gallicani assensi fuerint nec ne, ob monumentorum inopiam latet. Illud autem certum est, ipsos in reliquis, quæ a Leone præcepta et constituta fuerunt, non repugnasse, uti probavimus in observat. ad dissert. 5 part. III c. 2, unde falsum agnoscitur quod paulo ante finem Quesnellus ingerit: *Moribus antiquis stetit Gallia, manseruntque semper penes Arelatensem Ecclesiam et jus convocandæ majoris synodi, et aliæ primatus prærogativæ.* Neque enim ipsum jus convocandarum synodorum ex aliis provinciis, quo Hilarius absolute privatus fuerat, eo vivente apud Arelatensem Ecclesiam mansit, sicut nec manserunt aliæ prærogativæ juris metropolitici, ut ibidem ostendimus.

(*a*) Vide nostram admonitionem huic epistolæ præfixam, ubi et probabilius ipsius epistolæ tempus statuimus, et varias difficultates hic a Quesnello productas solventes, sive conciliantes, hanc epistolam duobus exemplis editam ostendimus, quorum alterum est decurtatum, alterum integrum: eamque partem, quam ille hoc loco supposititiam probare nititur, luculenter vindicavimus.

Digitized by Google

dam apud vos illicite usurpata crebrior ad nos commeantium sermo perferret, *et cætera, ut habentur tom. I, pag.* 195 (*nunc supra* 645) *usque ad caput* 6 *nostræ edit. pag.* 197 (*nunc supra* 655) *exclusive.*

Cap. II. — [a] Cum itaque de omnibus fere quæ fratris nostri Potentii relatio continebat, plenissime dilectionem vestram per David fratrem et coepiscopum nostrum, qui et sacerdotii merito nobis est probatus et moribus, videatis instructam, superest, fratres, ut concordi obedientia [*Corrige* concorditer], salubres suscipiatis hortatus, et nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes, divinis et apostolicis constitutionibus pareatis; et in nullo patiamini providentissima canonum decreta violari. Quæ enim nunc certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis: ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, justa post hæc ultione plectamus. In eos specialius et propensius commovendi, qui in episcopis ordinandis sanctorum Patrum statuta neglexerint, et quos refutare debuerant consecrarint. Unde [b] si qui episcopi talem consecraverint sacerdotem, qualem esse non licuit, etiamsi aliquo modo damnum proprii honoris evaserint, ordinationis tamen jus ulterius **1329** non habebunt, nec umquam ei sacramento intererunt, quod neglecto divino judicio immerito præstiterunt. [c] Illud sane, quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta servari: ut non in quibuslibet locis, neque in quibuslibet castellis, et ubi ante non fuerunt, episcopi consecrentur: cum ubi minores sunt plebes minoresque conventus, presbyterorum cura sufficiat; episcopalia autem gubernacula non nisi majoribus populis et frequentioribus civitatibus oporteat præsidere: ne, quod sanctorum Patrum divinitus inspirata decreta vetuerant, viculis et possessionibus, vel obscuris et solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium; et honor cui debent excellentiora committi, ipsa sui numerositate vilescat. Quod nunc in sua diœcesi Restitutus episcopus factum esse causatus est, et rationabiliter postulavit ut si episcopi eorum locorum in quibus non debuerant ordinari humana conditione decesserint, loca ipsa ad jus ejus antistitis redigantur, cujus fuerant ante priora. Et inutile est ut sacerdotalis dignitas inconsiderata ordinantis facilitate superflua multiplicatione minuatur.

De his autem quæ in sacro virginitatis proposito constitutæ barbaricam pertulere violentiam, et integritatem pudoris non animo, sed corpore perdiderunt, ea nobis servanda videtur moderatio, ut neque in viduarum dejiciantur gradum, neque in sacrarum et perseverantium virginum numero censeantur. Quibus, si in omnibus virginalibus perseverant, et castimoniæ soliditatem mente custodiunt, sacramentorum non est neganda communio, quia injustum est eas in eo vel argui vel notari, quod non voluntas amisit, sed vis hostilis eripuit. Causam quoque Lupicini episcopi illic jubemus audiri, cui multum et sæpius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam cum ad nostrum judicium provocasset, immerito eum, **1330** pendente negotio, a communione videbamus fuisse suspensum. Adjectum etiam illud est, quod huic temere superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari antequam Lupicinus in præsenti positus aut confutatus, aut certe confessus, justæ posset subjacere sententiæ: ut vacantem locum, quemadmodum disciplina ecclesiastica exigit, is qui consecrabatur exciperet.

Sequuntur deinceps in vulgatis editionibus capita 3, 4 *et* 5 (*quæ in nostra sunt cap.* 6, 7 *et* 8). *Quintum vero illud caput totamque epistolam claudunt hæc verba.*

Si vero aliæ emerserint causæ quæ ad statum Ecclesiarum et ad concordiam pertineant sacerdotum, illic sub timore Domini volumus ventilentur, et de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur, ut ea quæ juxta ecclesiasticum morem juste et rationabiliter fuerint definita, nostra quoque sententia roborentur. Data quarto idus Augusti. *Hactenus epistola.*

Dictissime torsit me, fateor, hæc epistola: cum enim tum (a) excusi codices, tum mss. variis eam vel partibus diminutam vel assumentis amplificatam repræsentarent, in quam partem inclinari me sinerem in tanta perturbatione vix tandem aliquando perspicere potui. Hoc unum primo fere intuitu certum fuit, non talem nobis in postremis exemplaribus editis exhiberi, qualem eam emisit in lucem S. Leo: sed qua ratione restitui posset pristinæ integritati, non statim intellexi. Videbam enim una ex parte Collectioni Dionysii Exigui, qui decretales, ut vocant, epistolas Romanorum pontificum suo canonum codici attexuit circa quinquagesimum post mortem Leonis nostri annum, hanc ejus epistolam ad Mauros Cæsarienses fuisse insertam: cui collectori defuisse authenticos codices suspicari, in ipsa videlicet urbe Roma scribenti, et omnia apostolicæ sedis scrinia excutienti, vel recentiora eidem anteferre exemplaria, summæ videbatur esse temeritatis. Porro Dionysii Collectio primum et secundum caput hujus epistolæ habet eo modo quo in recentioribus editionibus leguntur; sed alia aliqua desiderat, scilicet tertium, quartum, et quinti partem dimidiam, **1331** quæ sunt de Donato, Maximo, Aggaro, Tyberiano, et de virginibus sacris oppressione barbarica violatis. Quo inspecto nemo est qui continuo hæc ut adjectitia procul amandanda non pronuntiet,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

[a] Hæc usque ad verba *In eos specialius* genuinam claudunt epistolam.

[b] 1 qu. 1, et 15 qu. 2, *Si qui.*

[c] Dist. 80, *Illud sane.*

(a) Distinguendi sunt excusi codices a manuscriptis. Tres quidem formæ hujus epistolæ tum in manuscriptis, tum in excusis libris prostant. At forma tertia Leoninis editionibus olim inserta, licet ad tertiam codicum formam accedat, reipsa tamen diversa est, nulloque ms. exemplo fulcitur. De his exactius in laudata admonitione nostra n. 2, 3 et 4. Nobis porro contigit quartam formam invenire, quæ duas formas in antiquioribus mss. descriptas concilians integram epistolam aptissime præfert.

Digitized by Google

illa vero omnia genuina non existimet et germana : præsertim cum Dionysio suffragentur nonnulli manuscripti codices, quorum duo Thuanei eadem desiderant quæ Dionysius; alii duo item Thuanei cum Cantabrigensi uno habent quidem, sed extra epistolæ contextum, et post finem clausulamque ipsius, instar appendiculæ.

Sed altera ex parte sex alii longe melioris ætatis et notæ mss. Thuaneus, Trecopithœanus, Victorinus, Herovallianus, et Barber. duo 77 et 2888, ea quæ desunt in codicibus supra citatis, continent, scilicet 9 et 4 caput cum parte quinti dimidia; non habent autem secundum illud caput (exceptis novem primis lineis) nec finem quinti. Et inter codices excusos his mss. succinit editio Parisiensis Conciliorum, quæ anno 1524 in-folio, et anno 1535 in-octavo prodiit, procurante Jacobo Merlino, doctore theologo : quorum actis epistolæ Leonis insertæ reperiuntur, et eodem modo habetur hæc ad Mauros epistola, quo jacet in sex laudatis mss. codicibus; quibus accedunt alii duo, unus Regiacensis monasterii ordinis Cisterciensis prope Autissiodorum, alter S. Mariani Autissiodorensis ordinis Præmonstratensis : in his enim eadem habentur quæ in sex superioribus.

Demum ex utraque hac notata editione conflata est tertia, quæ nunc omnium versatur manibus, et sola meruit prelis sæpe sæpius repetitis hactenus a plerisque pro genuina recipi. Hanc tamen interpolatam fuisse certum habeo, tum propterea quod nulli manu exarati codices eam nobis hoc modo repræsentant, tum ex iis quæ jamjam de aliis duabus dicturi sumus, quarum alteram, alteram posthabita, eligendam esse, mihi omnino persuasum.

Licet vero ubique valida videantur certare argumenta, eorum tamen codicum auctoritati cedere coacti sumus, qui caput secundum omittunt, servantque tertium, quartum et quinti partem ab aliis (*a*) reprobata.

1. Quia (*b*) codices mss. qui posteriori parti favent, numero et antiquitate eos antecellunt, quibus prior pars fulcitur. E Thuaneis enim quatuor, qui Dionysianæ **1332** lectioni consentiunt, duo sunt recentiori manu exarati, nec nisi extra epistolæ contextum habent, quæ rejicimus : alii duo sunt ipsa Dionysii Collectio, ac proinde majorem codicibus excusis auctoritatem non habent; Cantabrigensem denique quem habere præsentem non potui, in locis longe plurimis depravatum esse, excerptæ lectiones variæ demonstrant, quas ad nos Oxonio transmisit vir clarissimus Eduardus Bernardus. Quid ad Dionysii auctoritatem sit reponendum, inferius dicemus. E contra vero optimæ notæ sunt alii codices Barberini duo, Victorinus, Trecopithœanus, Herovallianus, et in primis Thuaneus, qui subjectas habet codici Romano Leonis epistolas, quarum indicem excudi curavimus : cujus collectionis epistolarum antiquitatem commendat plurimum ejus cum codice canonum nexus, diligentiam vero scribæ aliorumque antiquorum codicum consensum indicat vox *contuli*, A quæ in calce epistolæ hujus et aliquot aliarum legitur.

2. Cum capita illa, tertium, quartum, et quinti dimidium optime cohærent initio hujus epistolæ usque ad secundum asteriscum capitis 2, supra descripti, par est credere omnia illa ad eamdem epistolam pertinere, antiquis id mss. codicibus attestatione sua confirmantibus. In ipso siquidem exordio apparet de provincia Cæsariensi Africana agere Leonem nostrum; cui pariter provinciæ conveniunt tria posteriora capita, in quibus de Novatianorum et Donatistarum aliquot episcoporum conversione vel ordinatione disseritur, et de barbarica oppressione, quæ omnia prorsus statui Africanæ regionis competunt, qualis erat per eam qua scribit Leo tempestatem, quam impacatam fuisse asserit.

3. E contra vero totum illud, quod post secundum asteriscum capitis 2 ad finem usque ejusdem capitis extenditur, omnino alienum esse intelligitur tum ab eo statu in quo Africana tunc Ecclesia versabatur, B tum a S. Leonis stylo, tum denique ab Africanorum episcoporum moribus et consuetudine. (*c*) Quam enim supervacaneum erat nostro pontifici prohibere ne in Africana regione in quibuslibet locis, neque in quibuslibet castellis, et ubi ante non fuerant, episcopi consecrarentur, sed majoribus tantum populis et frequentioribus civitatibus? Quænam erat Leoni causa timendi ne per id temporis episcopale fastigium ipsa sui numerositate **1333** vilesceret apud Africanos, et superflua multiplicatione ex ordinandi facilitate minueretur? Quis existimet hæc et alia hujusmodi in aliquibus regionis illius Ecclesiis attentata, ut Restitutus quidam episcopus conquestus esse dicitur, cum per ea tempora Vandalis totam Africam occupantibus, Ecclesias omnes barbarorum exercitus depopularetur, vixque episcopi aliqui superessent in insignioribus civitatibus, nec in decedentium locum alii nisi furtim et clanculum subrogari possent? Tantum abest ut obscuris viculis et solitariis municipiis episcopos deputare cuiquam in mentem C venire posset. Immo vero tanta Leonis ætate ecclesiasticorum, ministrorum, sacerdotumve penuria laborabant Africanæ Ecclesiæ, ut cum Vandalorum plures captivi regi cuidam Maurorum in eremi parte manenti in munus traditi essent, et ingentem populorum multitudinem ad notitiam Domini Jesu Christi adduxissent, testis sit Victor Vitensis lib. 1 de Persecutione Africana, legatos Romam per itinera distenta deserti missos fuisse rogaturos pontificem ut presbyterum ac ministros credenti populo destinaret : quod cum gaudio expletum esse ibidem testatum habetur. Quis vero credat tanto labore, tanto temporis et animarum etiam dispendio decretam fuisse legationem ad pontificem Romanum, nisi ita exhaustæ essent ministris ecclesiasticis omnes vicinæ provinciæ, ut ad transmarinas confugere cogerentur?

4. Cum in ea parte epistolæ legimus : *Quod nunc in sua* (*d*) *diœcesi Restitutus episcopus factum esse causatus est*, etc., facile illius auctor alius esse a S.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Verius, *omissa*.

(*b*) Illi codices id tantum probant, ea quæ in hac epistolæ decurtatæ forma continentur, Leonis esse, et primam hujus epistolæ formam exhibere; non autem suppositiliam probant eam partem quam alii optimæ notæ codices vindicant, quamque ad aliam integram ejusdem epistolæ editionem pertinere in memorata admonitione ostendimus.

(*c*) Hæc, quibus probare studet, alienum fuisse a statu in quo Africana tunc Ecclesia versabatur, interdicere ne in quibuslibet castellis, ubi antea non fuerint, episcopi consecrentur, falsa hypothesi nituntur. Neque enim tota Africa barbaris tum suberat. Mauritania, ad quam hæc epistola pertinet, usque ad an. 455 Romanis paruit; idemque Quesnellus inferius D agens de ejusdem epistolæ tempore, hanc scriptam statuit, antequam in barbarorum ditionem hæc provincia veniret. Argumentum ex Victore Vitensi illud tempus respicit quo Mauritania a barbaris erat occupata, ac propterea ad rem præsentem nihil confert.

(*d*) *Diœcesis* nomen pro *parochia provinciali* non solum ab Afris, ad quos Leo scribebat, verum etiam ab Italis et Romanis usurpatum videre est apud Hilarum Leonis successorem, uti pariter apud Gelasium, Vigilium et alios. Innocentium quoque non pro *administratione*, sed pro *parochia provinciali* eamdem vocem sumere contra Quesnellum probat Constantius in ipsam Innocentii epistolam not. L, pag. 914.

Digitized by Google

Leone convincitur: apud quem certum est numquam vocem illam *diœcesis* inveniri, immo vix illis temporibus usu probatam a Romanis, vel Orientalium partium episcopis, pro parochia provinciali alicui episcopo subjecta. Scio esse hoc Africanis familiare; scio et Gallicanis esse post Leonis tempora, sed ab Italis numquam memini me usurpatum legere. Unicus est, ni fallor, Innocentii I locus in epistola ad Florentium Tiburtinum episcopum, ubi habet, *parochiam ad suam diœcesim pertinentem;* sed videtur hoc loco **1334** vox *diœcesis* sumi pro administratione, quæ propria vocis hujus potestas est, quo sensu universim usurpari potuit ab exarchis, metropolitis et quibusvis aliis antistitibus: si hanc vocem *administrationem* alteri substitueris, nihil sequetur incommodi in Innocentii sermone; ut si dixerit, *parochiam ad suam administrationem pertinentem.* In ea vero epistolæ hujus quam discutimus parte, ita sumitur pro locis ipsis ditioni Restituti illius episcopi subjectis, ut nullatenus ejus loco *administrationis* vox subrogari queat, nisi obscure et barbare loqui velis, hoc pacto: *Quod nunc in sua administratione Restitutus episcopus factum esse causatus est*, etc.

5. Quod (*a*) de Lupicini causa ibidem legitur, quam perturbatis persecutionis Africanæ temporibus, quam illius Ecclesiæ moribus et disciplinæ contrarium est! Norunt enim omnes quantopere abhorrebant Africani ab appellationibus transmarinis, qui in concilio Carthaginensi, quod sextum vocant, et in epistola posterioris etiam concilii ad Cœlestinum papam, ignotæ sibi huic disciplinæ subjicere se recusarunt: cujus negotii recens adhuc erat memoria, triginta vix ab illa annis elapsis. Quid quod tunc temporis ita omnes illas provincias bellorum tumultus aut persecutionis æstus vastabat, ut nullus vel instruendo episcopali judicio, vel synodo congregandæ locus esse posset: cum tamen Lupicini causam illic jubeat audiri auctor epistolæ. Addo hunc Leonem nostrum non esse vel ex eo persuasum me habere, quod vir sagacissimus vel ad se causam traxisset episcopi Romanum tribunal appellantis, vel saltem aliquem e suis delegasset, qui interesset judicio, et ex ejus auctoritate totum negotium cum aliis discuteret; nec contentus esset scribere, ut illic causa audiretur, nulla vel loci, vel judicis, vel legati facta mentione.

6. Genuinam non esse editionem hujus epistolæ, quam collectio dionysiana exhibet, germanam vero esse quam habent et conciliorum editio Merliniana et sex citati codices mss., qui capitibus tertio et quarto cum quinti parte reservatis, secundum pene totum exscindunt, inde conjicio. **1335** (*b*) Initium capitis 2 tale est, ut potius finem et clausulam epistolæ esse appareat, sicut revera est in aliis melioris notæ codicibus. Claudenti enim similis auctor epistolæ testatur se omnibus, quæ Potentii relatio continebat, satisfecisse (illud enim *fere*, quod in vulgatis legitur, adjectitium esse comprobant mss. codices, credendumque ab iis insertum fuisse qui epistolæ ordinem mutare et alienis fragmentis amplificare moliti sunt), tum id unum superesse ait, ut concorditer ejus monitis et apostolicis constitutionibus obtemperarent, cum tamen statim sequantur maximi momenti decreta, de episcopis illicite ordinatis vel ordinantibus, de iisdem minoribus viculis non præficiendis, de Restituti querelis, de virginibus barbarica oppressione violatis, de Lupicini causa et appellatione ad sedem apostolicam, et de altero in ejus locum superordinato. Ex quibus perspicuum est priora capitis verba nullo modo posterioribus cohærere, et extra nativum suum locum esse posita. Præterea nonnulla importuna repetitione regeruntur in illa epistolæ parte quæ jam iterum et tertio in priori capite scripta fuerant, puta de indulgentia, qua usum se esse protestatur, et de majori pœna qua posthac in sacrorum canonum contemptores animadversurum se minitatur. Quin et de virginibus barbarica violentia oppressis quid faciendum sit duobus distinctis epistolæ locis statuit, nec uno modo. Capite enim 8 nostræ editionis hoc decernit, vel potius hoc dat consilium: *Laudabiliores erunt, si se incontaminatis non audeant comparare virginibus.* In parte vero illa quam rejicimus, quasi nihil de virginibus illis antea scripsisset, quid sentiat, statuit: *Ut neque in viduarum dejiciantur gradum, nec in sacrarum et perseverantium virginum numero censeantur.* Tum eisdem nisi probatis communionem dandam non esse decernit. Hæc certe, si Leonis sunt, non ejusdem esse epistolæ oculatus quisque facile perspicit.

7. Hujus partis stylus a Leonis stylo **1336** abhorrere mihi videtur. Vix enim mihi persuadeo hæc a disertissimo nostro præsule fuisse usurpanda: (*c*) *specialius et propensius commoveri, damnum proprii honoris evadere, episcopalia gubernacula præsidere, pendente negotio*, etc., quod ultimum non nisi recentioribus pontificibus vel canonistis familiare fuisse mihi videtur.

8. Magni momenti est hoc in negotio Isidorianæ collectionis suffragium, tum propter antiquitatem, nongentis enim fere annis antiquior videtur; tum propter mss. ejusdem codicum consensum: tum denique quia Riculfus Moguntinus episcopus, a quo publicatam eam collectionem aiunt, ac forte interpolatam, sive quis alius antiquorum Romæ pontificum epistolas illas consarcinavit, collectionique isti inseruit, alienissimus erat a minuenda ista epistolæ parte, in qua Romanæ sedis auctoritas per appellationem Lupicini Africani episcopi elucebat mirum in modum; cum e contra tot epistolas non alio consilio supposuerit, aut interpolaverit, quam ut Romanæ sedis auctoritatem fulciret ampliaretque. (*d*) Talem igitur

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Tribus hanc Lupicini appellationem eludere Quesnellus studet; at imbecilla omnia et inania. Quoad primum, persecutionem ac tumultus barbarorum, qui Africam divexabant, a Mauritania exclusimus annotatione præcedenti. Alterum de consuetudine et legibus Africanis appellationes transmarinas adversantibus, clericos inferioris ordinis, non vero episcopos respicit, uti fuse probavimus in observat. ad dissert. 5 Quesnelli c. 5, n. 12, et c. 6, n. 20 et seqq. Tertium sanctissimo pontifici injuriosum est, cum eum sagacissimum et sollicitum in captandis occasionibus exercendi sui juris traducit. Poterat ad se hanc causam evocare, poterat aliquem in Africam mittere, vel certos judices delegare, ut ipsa Sardicensis synodus statuerat; at ad id, quod poterat, non cogebatur, satisque esse duxit hanc causam provincialibus episcopis committere, in quo ejus potius moderatio a summo jure exigendo aliena cognoscitur.

(*b*) Huic objectioni satisfecimus in admonitione num. 14. ubi ex duobus hujus epistolæ exemplis omnia conciliantur. Quesnellus licet solam editionem seu formam decurtatam genuinam propugnet, sæpius tamen exclusis lectionibus hujus primæ editionis ac formæ, alias substituit ex editione seu forma secunda et Hadrianea, quam interpolatam existimat. Nos utrasque distincte edidimus cum propriis cujusque formæ lectionibus; et ex harum collatione patebit, quæ primis curis Leo scripsit: quæ item curis secundis mutavit vel adjecit: et quæ Quesnellus potius confudit atque pervertit.

(*c*) Cum totus hujus capitis contextus optimis et antiquissimis codicibus probatus syntaxim Leoninam exhibeat, morosioris et cavillantis est hominis paucas quasdam voces excerpere, quæ cum lectores nullo præjudicio impeditos nihil offendent, tum vero aliis certis Leonis testimoniis, si opus esset, vindicari possent.

(*d*) Isidorianæ collectionis auctor, qui non consilio Romanæ auctoritatis fulciendæ vel ampliandæ, sed potius ea mente tot decretales finxit, ut episcopos a

Digitized by Google

invenit epistolam in antiquis quibus usus est codicibus, qualem eam in sua collectione exhibuit.

9. Multum elevatur auctoritas manuscriptorum codicum qui Dionysianæ collectioni concinunt, ex eo quod in omnibus aliis locis secum invicem et cum illa conveniunt; ut prorsus appareat unum ex altero transcriptum fuisse, et proinde unici testis instar esse debere. Titulus hic omnibus communis est : *In causa Lupicini episcopi*, qui et ipse totum illud caput secundum vel suppositionis merito suspectum mihi reddit, vel aliunde huc translatum fuisse significat. Cum enim prolixissima sit hæc epistola, et longe gravioris momenti decreta complectatur, quæ effusioris tituli et plurium capitulorum materies esse debuerant, dum soli huic capitulo auctor intentus, ubi de Lupicini nescio cujus appellatione ad sedem apostolicam fit mentio, cætera prætermissa facit, (*a*) suspicandi locum **1337** merito præbet depravatam et interpolatam de industria fuisse epistolam hanc ab aliquo transmarinis hujusmodi appellationibus patrocinium inde arcessere volente. Omitto recensere decem fere loca, in quibus recentiores illi Thuanei codices mss. et Dionysiana editio in vitiosa et corrupta lectione consentiunt. Unum et alterum referre sufficiet, ex quo de aliis judicetur. Hæc habet in omnibus editis exemplis et in mss. Barber. Thuan. Victorino, Herovall. et Trecopith. caput 1 (nobis 4) epistolæ : *Quorum omnis ætas a puerilibus exordiis usque ad provectiores annos per disciplinæ ecclesiasticæ stipendia cucurrisset ; ut unicuique testimonium prior vita præberet : nec posset de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro castis moribus, pro actibus strenuis celsioris loci præmium deberetur.* Nihil hic omnino quod Leonis stylum, disciplinam, ingeniumque non spiret : pro quibus hæc solummodo leguntur, tam apud Dionysium, quam in duobus mss. eidem consentientibus : *Qui multo tempore per singulos officiorum gradus provecti, experimentum sui probabile præbuissent ; ut unicuique testimonium vitæ suæ actuum suorum ratio perhiberet.* Et sub finem ejusdem cap. 1 (nobis 5) ita in editis et melioris notæ mss. : *Non præjudicantes apostolicæ sedis statutis, nec prædecessorum nostrorum, nostrisque decretis, quibus salubriter statutum est, ne*, etc. ; apud Dionys. et in duobus illis mss. : *Non præjud. apost. sed. stat., nec beatorum Patrum regulas resolventes, quibus salubriter constitutum est, ne*, etc. Quis porro non videat priorem præsertim hunc locum a novellis hominibus truncatum, et ad recentioris disciplinæ usum esse accommodatum, tamque evidentem corruptelam mss. illis codicibus et editioni pseudo-Dionysianæ omnem omnino detrahere auctoritatem ?

(*b*) Pseudo-Dionysianam dico, quoniam etsi nihil fere sit inter hujusmodi scripta Dionysiana collectione antiquius, nullaque auctoritas hujus auctoritati præponenda videatur, nihilominus existimo posthabendam esse hoc in negotio collectionis illius fidem, quia hac integra epistola amplificatam illam esse **1338** auctioremque factam asserere non dubito, idque non levibus argumentis.

1. Ex titulis decretorum qui simul omnes collectioni toti Dionysianæ præfiguntur. Leonis quidem decreta quadraginta novem numerantur indicanturque : verum patet illum quadragesimum nonum et ultimum aliena et recentiori manu cæteris fuisse annexum ; a quibus in hoc discrepat, quod illi solam canonis materiem designant, hic vero Leonis nomen in fronte habet, hoc modo : *Leo episcopis Mauris de conservatione et disciplina canonum, ne indebite et inordinate ad clericatum aliquis præsumat accedere :* quod nec in Leonis, nec in aliorum pontificum decretorum titulis factum a Dionysio fuisse invenimus ; et eo magis inutile erat in hoc postremo capitulo seu decreto apponere, quam in prioribus, quod jam quadraginta et octo ejusdem pontificis tituli præcessissent, qui auctorem satis superque indicabant.

2. Decretorum 48 Leonis aliorumque item pontificum tituli, in fronte totius hujus collectionis in unum collecti, omnimode concinunt titulis qui singulis decretis præfiguntur in corpore Dionysiani codicis ; unicus vero hujus epistolæ titulus, qui in indice diversus est ab eo qui epistolæ præmittitur. Sic enim legitur in fronte epistolæ : *In causa Lupicini episcopi, Leo universis episcopis per Cæsariensem Mauritaniam constitutis ;* qui titulus ab altero quem supra descripsimus prorsus discrepat : unde manifestum est non a Dionysio compositum, sed ab alio esse confictum.

3. Si a Dionysio suæ collectioni inserta fuisset hæc epistola, non eam nobis sub unico titulo repræsentasset, sed in plures dissecuisset partes, suum cuique titulum affigens, quemadmodum in aliis omnibus epistolis ab eo præstitum fuisse videmus, quamvis illæ longe ista breviores essent. Hæc enim nullis distincta titulis quinque integras columnas occupat in Justelliana editione ; epistola vero ad Nicetam Aquileiensem, quæ immediate præmittitur (ut de aliis sileam), cum tres columnas non impleat, in octo tamen partes distributa cum prolixioribus titulis invenitur.

1339 4. Dionysius abbas Romanus et Romæ scribens non omisisset ea in titulis annotare, quæ Romani pontificis auctoritati et amplitudini plurimum conferre videbantur : qualis est appellatio Lupicini Africani, ut vult epistolæ fragmentum, episcopi : quod exemplum ex Africana Ecclesia singulare omnino est Leonis temporibus.

5. Sed nullius sint ponderis momenta hæc, quæ jam expendimus ; palmare enim argumentum, et

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

metropolitarum et conciliorum provincialium auctoritate, quantum fieri poterat, subduceret, idcirco hanc epistolam decurtatam dedit, quia in epistolis Leoninis Hispanicam collectionem exscripsit, quæ eamdem epistolam hac decurtata forma præfert : unde nil mirum, si eam integram aut cum forma Hadrianeæ collectionis, quia in Leoninis epistolis describendis usus non est, nequaquam exhibuit.

(*a*) Titulus et lectiones in his codicibus similes, at diversæ ab editione decurtata, id quidem evincunt, hanc secundam Hadrianeam editionem diversam esse ab editione decurtata, non vero depravatam aut interpolatam probant. Ipsas autem variantes non ab exscriptore aut interpolatore prodire, sed ipsum Leonem præferre auctorem, qui primis curis decurtatam formam lucubravit, deinde vero ob quasdam novas circumstantias quædam adjiciens, nonnulla loca mutavit, ex nostra admonitione n. 15 ac ex annotationibus palam fiet. Mirificum porro est Quesnellum quasdam lectiones adoptasse ex ea editione, quam vitiosam et corruptam traducit. Ea vero duo loca quæ uti vitiata exempli causa proponit, in annotat. 27 ac 39 luculenter vindicavimus, et secundo loco prioris formæ lectionem a Leone ipso in melius mutatam ac emendatam ostendimus.

(*b*) Jure hanc epistolam abjudicat a collectione Dionysii, quia Dionysius Exiguus ipsam nec decurtatam nec integram suæ collectioni inseruit. Præter rationes a Quesnello allatas, duas hic adjicere possumus. Prima ex collectione Hispanica, cujus auctor cum accurate descripserit quascumque pontificias epistolas in Dionysiana invenit, adeo ut etiam ipsius titulos usurpaverit, hanc quoque epistolam ex ea sumpsisset, si nactus fuisset apud ipsum Dionysium. Quam vero decurtatam cum aliis titulis dedit, ex aliis collectionibus, ut alia multa, derivavit. Secunda ex codice Vat. 5845, qui cum purum Dionysium exhibet, hanc epistolam non habet in Dionysiana collectione, sed in additamentis, quæ postea accessere. Vide admonitionem num. 11.

Digitized by Google

quod sexcentorum instar est, nobis suppeditant Cresconii episcopi Africani opuscula (*a*) duo, quæ supersunt, alterum quod *Breviarium Canonicum* nuncupatur, capitula vel potius indicem continens capitulorum tam canonum synodalium quam decretorum pontificiorum, quæ Dionysiana collectio complectitur; alterum vero *Collectio seu Liber Canonum* dicitur, in quo integros conciliorum canones et pontificum decreta eo ordine quo in Breviario allegantur, descripsit : non ordinem scilicet conciliorum et canonum sequens, sed materiæ solius habens rationem. Porro quod ad rem nostram facit, Cresconius Dionysii Exigui collectionem per omnia (si appositos ad Africanos canones numeros excipias) sectatus est, eosdem canones, eadem decreta, ex ejusdem editione, iisdem verbis et numeris exhibet, ut evidens sit episcopum hunc Africanum Dionysii collectionem secundum materiæ ordinem digerendam suscepisse; quod et eruditi quique codicum canonicorum collectores ac studiosi ultro fatentur.

Quantacumque vero diligentia evolveris lustraverisque Cresconii Breviarium et Collectionem, ne verbulum quidem ex hac Leonis ad Mauros Cæsarienses epistola excerptum invenies : quam nefas est credere a Cresconio fuisse prætermittendam, si sub finem septimi, quo vivebat, sæculi, eam in Dionysiana collectione invenisset. Leonis enim auctoritas, rerum quæ in epistola tractantur utilitas et momentum, ipsum etiam erga suos Africanos studium, rescripto illi majorem commendationem apud Cresconium conciliassent. Igitur Dionysiana epistolarum pontificiarum collectio, qua ætate vivebat scribebatque Cresconius, nec epistolam Leonis ad Africanos complectebatur, nec Hilari, Simplicii, Felicis, Symmachi, Hormisdæve decreta : vivebat autem Cresconius, ut ex Baronio colligunt Bibliothecæ **1340** juris canonici antiqui clarissimi editores, circa finem septimi sæculi, seu circa annum 690. Quamobrem pro certo habeo non fuisse hanc epistolam a Dionysio ipso suæ collectioni appositam, sed ab alio superadditam : et forsasse ab eodem illo incerto auctore, qui eamdem collectionem auxit epistolis Romanorum pontificum Hilari, Simplicii, Felicis, Symmachi, Hormisdæ, et Gregorii junioris : cumque hic ultimus adhuc esset in vivis trigesimo octavi sæculi anno, et decreta ipsius in concilio Romano circa annum Christi 720 condita ad calcem hujus additionis legantur, (*b*) circa eadem quoque tempora additam esse Leonis epistolam de qua agimus, suspicari licet.

Suspicionem de tempore hujus additionis auget consensus omnium quos quidem vidi codicum mss. collectionis Dionysianæ antiquissimorum, et qui Carolo Magno imperatori æquales aut suppares videantur. Eam enim epistolam omnes repræsentant : ut indubitatum appareat illud quoque exemplar quod Adrianus papa I Carolo imperatori dono dedit, et ex quo omnia forte apographa quæ in Gallicanis nunc bibliothecis asservantur, descripta sunt, eamdem pariter epistolam esse complexum : ac proinde illam antequam Roma in Gallias asportaretur, truncatam, interpolatam, et Dionysiano codici insertam fuisse intra Gregorii Junioris et Adriani I tempora, seu intra annos fere sexaginta. Hujusmodi codices plures videri possunt in bibliotheca regia, duo in Thuanea, totidem in Segueriana, unus præclarissimus in celeberrimo Sancti Germani Parisiensis monasterio, quibus adde venerandæ antiquitatis codicem e monasterio sancti Galli, quem eruditi Baluzii beneficio vidimus. Eamdem interpolationis antiquitatem probat Hincmari Remensis opusculum 55 capitulorum adversus Hincmarum Laudunensem cap. 5, ubi ex epistola ad Mauros referuntur et causa Lupicini, et (quæ in Dionysiana appendice non leguntur) causæ Donati Salicinensis, Maximi, Aggari et Tyberiani, episcoporum.

Porro mirum videri non debet epistolam hanc post tot annorum a Dionysio intervallum depravatam fuisse, cum ipse Leo eam quam ad Flavianum scripsit, etiam se adhuc superstitisse (*c*) corruptam fuisse sæpius sit conquestus. **1341** Qua autem ratione ea corruptio contigerit, etsi divinare velle otiosi hominis esse videtur, dicam tamen quod in mentem venit. Pars illa epistolæ quæ caput 2 conflat inventa est ab aliquo studioso, Leonis nomine decorata; quam cum in suum codicem vellet referre, eam vel ad marginem vel ad calcem epistolæ Leonis I ad Mauros apposuit, sive propter materiæ, sive propter nominis affinitatem; et revera adhuc habetur ad calcem epistolæ in aliquibus mss. codicibus, quos servat Thuanea bibliotheca. Sciunt porro viri eruditi quantis erroribus locum dederit nominum similitudo, quæ effecit etiam ut Leonis Bituricensis episcopi epistola Leoni papæ ascripta sit ad nostram usque ætatem. Sciunt qui antiquis manu exaratis codicibus versandis assueverunt, quam multi hujusmodi reperiantur, in quibus antiquitatis ecclesiasticæ omnis generis monumenta promiscue collecta sunt, nullo servato nisi materiæ qualicumque ordine. Multa porro inter epistolam genuinam et fragmentum illud conveniunt. Utrobique enim agitur de ordinationibus illicitis, utrobique de virginibus barbarica oppressione corruptis consultus pontifex respondet. Facile autem fuit ut e latere vel e calce epistolæ in ipsam epistolam imperiti scribæ vitio irrepserit. Certe ut credam pannum istum ex aliqua collectione canonum et decretalium sumptum esse, fere persuadet (*d*) Gratiani collectio, cujus decreto quædam ex hoc capite 2 inserta leguntur non tamquam ex epistola ad Mauros decerpta, neque inscripta Leonis primi nomine, sed simpliciter et absolute Leoni attributa, hoc modo : *Item Leo episcopus*, vel *Item Leo*, cum alia, quæ ex capitibus 1, 3, 4 et 5 ibidem adducuntur, ex epistola ad Mauros desumpta esse dicantur. Quod discrimen non ex posterioribus quidem Gratiani editionibus deprehenditur, in quibus plura a Romanis correctoribus male correcta sunt, sed tum ex mss. codic., tum ex edi-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Non duo, sed unum et idem opus sunt Cresconii *Breviarium* et *Collectio Canonum*. Breviarium enim nihil aliud est nisi index seu tabula canonum collectioni præmissa; quod cum apud Justellum editum sit seorsim a *Collectione* canonum, duorum opusculorum opinionem peperit. Sed hac de re plura tom. III in tractatu de antiquis collectionibus et collectoribus canonum.

(*b*) Si in manuscripto Dionysiano, quo Cresconius usus est, hæc epistola non legebatur, et idcirco a Dionysio suæ collectioni inserta non fuit; non tamen hinc sequitur, hanc Dionysio fuisse additam post ætatem Cresconii : primum enim additamentum alicui Dionysiano exemplari olim accessisse videtur paulo post Symmachi mortem. Lege admonitionem n. 11.

(*c*) Leo quidem aliquando corruptam credidit suæ epistolæ Græcam versionem, quod tamen falsum ipse postea detexit, et nos fusius ostendimus annot. 5, ad an. 454. Depravationem vero hujus epistolæ ad episcopos Mauritaniæ nondum Quesnellus probavit, adeo ut ea quæ mox subdit, explicaturus rationem qua hæc depravatio inducta fuerit, inanissimæ divinationi tribuenda sint, ac ex nostris argumentis, quibus hanc partem genuinam constituimus, satis superque disjiciantur.

(*d*) Gratianus in allegandis antiquis canonibus et epistolis Romanorum pontificum usus est duabus collectionibus Hadrianea et Isidoriana, vel certe iis paulo ante suam ætatem scriptis collectionibus quæ ex iisdem duobus fontibus ebiberunt. Quod si hanc epistolam laudans, omittit titulum *ad Mauros*, nihil mirum, cum idipsum in allegandis aliis certissimis quoque epistolis eidem acciderit.

Digitized by Google

tione quæ Parisiis anno 1531, Theodorico quodam Mulmitano procurante, prodiit, et editione Lugdun. Hær. a porta an. 1548, **1342** quas videsis (1, *q.* 1, *cap.* 44, *et* 15, *qu.* 11, *cap.* 21, *Si qui episcopi talem; et dist.* 80, *Illud sane quod ad, cap.* 4, *et* 32, *q.* 5). Legimus etiam in additione quarta capitularium Caroli Magni et Ludovici Pii imperatorum partem hujus panni, sed, quæ est hujusmodi interpolatorum varietas, plurimis adhuc (*a*) additamentis intertextam, titulus ita se habet : *In causa Lupicini episcopi ex epistola Leonis papæ Africanis episcopis directa.* Sequitur deinde capitulum : *Causam Lupicini episcopi,* QUIA SIC NOBIS PLACUIT, *illic jubemus audiri,* et cætera, ut apud Dionysium, usque ad hæc ultima verba : *Nostra quoque sententia roborentur,* quæ hic ultima non sunt, ut in Dionysii codice; hæc quippe alia sequuntur : *Ex his enim possumus cognoscere qualiter de cæteris agatur, qualiter nos nihil contra statuta majorum egisse pœniteat. Data* IV *id. Aug.*

Ex quibus intelligis, lector, quam intemperans fuerit interpolandi libido, quamque impune in hanc epistolam quam discutimus grassata sit.

(*b*) Primum enim consilium fuit, augendam esse hac ad Africanos epistola Dionysianam collectionem, ut delata in Africam pontificis Romani decreta, majorem ex codice auctoritatem sumerent, nec aliter recipi posset, sive a Gallicanis, sive ab aliis Ecclesiis Dionysiana collectio, quin simul Romanam circa appellationes aliaque hujusmodi disciplinæ capita potestatem amplecterentur. Sed quia parum erat mandata pontificis illuc transmissa esse, nisi obediendi necessitas, et exemplum appareret; hæc ob eam causam verba supposuerunt initio cap. 2, *Superest, fratres, ut* CONCORDI OBEDIENTIA *salubres suscipiatis hortatus,* etc., quorum loco mss. codices habent solummodo *concorditer.* Quid postea? Manebat adhuc alta mente repositum concilii Africani responsum ad Zosimum, Bonifacium, Cœlestinumque Leonis prædecessores, quo ex Africa ad Romanum pontificem causas ecclesiasticas per libellum appellationis deferri non posse invicte contenderunt : opus itaque fuit ut appellatio alicujus episcopi **1343** Africani ad sanctum Leonem, Africanos illos episcopos facti sui pœnitentes appellationumque juri succumbentes exhiberet. Hinc assutus de Lupicini causa et appellatione pannus, cui et alia quoque annexa decreta de illicitis ordinationibus deque aliis negotiis, ut et consilium magis tegeretur, et supremum fuisse Romani pontificis in Ecclesiam Africanam dominium innueretur.

Nec istud satis fuit. Ut enim plenum jus pontificis in omnibus causis Africanæ Ecclesiæ clarius emicaret, placuit ut quæcumque emersissent ad statum ecclesiasticum et ad concordiam sacerdotum pertinentes, de his omnibus compendiis atque compositis plena ad Romanum episcopum relatio mitteretur, ut ex illius vel infirmarentur, vel *roborarentur sententia.* Ipsa sunt verba clausulæ superadditæ.

Sed nec hic quievit interpolatorum audacia. Hi enim certum habere voluerunt post interpositam appellationem, causam non modo in ea Africæ provincia, in qua nata esset, terminari posse per judices in partibus, ut aiunt, a pontifice datos; sed ad Romanum etiam tribunal transferendam esse; et si aliter aliquando fieri contingeret, id ex indulgentia et voluntate pontificis concessum. Eo consilio posteriores corruptæ jam epistolæ vitiatores, his verbis, *causam Lupicini illic jubemus audiri,* alia isthæc inseruerunt : QUIA SIC NOBIS PLACUIT; quasi omnium rationum omniumque canonum instar deberet esse voluntas pontificis, quod a mente pontificis ipsius alienissimum puto.

Denique omnem Romanorum episcoporum agendi rationem solis prædecessorum statutis innixam videri vult ultimum additamentum, quod in additione quarta Capitulorum Caroli Magni et Ludovici Pii legitur, habeturque superius descriptum.

Absit autem ut hujusmodi corruptelarum vel artifices, vel participes fuisse putem sanctissimos primariæ sedis episcopos. Nihil tale ab iis tentatum esse et persuademur, et adversus novatores qui hujusmodi occasiones avide captant ut sedem apostolicam diris proscindant conviciis, toto animo profitemur. Istud omne palponum opus est, *et hominum mente corruptorum, qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse et pietatem* (1 *Tim.* VI, 5), et traditionem apostolicam, et quidquid sanctius habet Christiana religio.

Unum adhuc est de quo lectorem monitum velim, videlicet pannum istum integrum, quem ex hac epistola eliminavimus, in Merliniana Epistolarum S. Leonis editione reperiri, non huic insertum, sed illigatum fictitiæ epistolæ ad episcopos Galliæ et Germaniæ de chorepiscopis : dignum scilicet **1344** patella operculum. Quo pacto quove id consilio factum, inquirat qui hujusmodi quisquiliis delectatur.

Hoc certe ostendit manifeste pannum istum hucusque varlis olim sedibus jactatum, nunc uni epistolæ, nunc alteri illigatum fuisse : donec tandem placuit impostori sedem illi in epistola ad Africanos figere.

Hæc omnia si accurate legisset ac perpendisset clarissimus Baluzius, de suppositione panni non dubitasset, nec dissimulasset invicta argumenta quæ ex mss. codicibus et ex Cresconii Breviario et Collectione protulimus adversus interpolatorem Dionysii Exigui, et epistolæ Leoninæ, præter alia interpolationis indicia quæ ex situ, titulis et ipso conspectu epistolæ, ut jacent apud collectorem, eruuntur. Cætera quæ hanc in rem annotat ad 4 additionem Capitul. p. 1249, infirma sunt nec responsione indigent.

Ex hujus epistolæ restitutione, interpolationisque posteriorum editionum notitia, (*c*) ruunt observationes omnes quas illi superstruxerat Joannes David. Ex hujus enim jam resectis pannis asserebat, 1° Sardicenses canones a S. Leone plurimi factos fuisse, quod et si nemo inficias ierit, quam infirmo tamen id fundamento a Davide asseratur, modo perspicuum est. 2° Ex eorum pluribus confectam esse sic magnam epistolæ hujus partem. 3° Canonem præsertim tertium, quo appellationes episcopo Romano vindicantur, ab eodem esse allegatum in causa Lupicini. 4° Canonis 4 auctoritate prohibitum, ne appellanti Romanam sedem episcopo alter superordinetur. 5° Sexti pariter, qui episcopos in villis ordinari prohibet, mentionem esse factam. 6° Observari quam maxime cupit hanc

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hæc quæ assuta sunt in Capitularibus, aliena esse additamenta evincitur, quippe quæ in nullis omnino hujus epistolæ codicibus leguntur. Hinc autem non sequitur additamento pariter esse deputandam eam partem quæ pluribus et antiquissimis manuscriptis fulcitur.

(*b*) Cum hi omnes corruptionis gradus hypothesi nitantur quæ probata non fuit, immo ex nostris rationibus falsa est, mera commenta et somnia esse apertissime liquet. Enimvero gradus secundus, quo inter assumenta atque interpolationes referuntur voces *concordi obedientia* pro *concorditer*, adeo commentitius est, ut omnes Hadrianei codices, quibus interpolatio imponitur, habeant *concorditer*, et codices editionis decurtatæ, quæ ab ipso Quesnello sincera habetur, præferant *concordi obedientia.* Vide Annot. 48 (*Col.* 654, *n.* *) in epistolam integram, et 42 in decurtatam. Molesta Quesnello est Romanæ sedis auctoritas præsertim in appellationibus, quæ hoc capite confirmatur; et idcirco plerique gradus ad hanc auctoritatem elevandam interpolationis nomine diriguntur.

(*c*) Immo vero ex vindicatione hujus capitis, quod solis inanibus conjecturis Quesnellus impetere et interpolationis accusare studuit, satis firma noscuntur quæ Joannes David eidem superstruxit.

Digitized by Google

epistolam ad Africanos missam, atque ex Sardicensibus canonibus contextam, argumentum esse validissimum, totam illam camarinam in Carthaginensi concilio VI adversus appellationes motam, tandem in apostolicæ sedis emolumentum quievisse; siquidem vidimus, inquit, Cœlestini successorem eodem jure potitum de quo tunc contentio erat, non modo legatos in Africam misisse, sed et canones Sardicenses, quorum occasione lis mota erat Africanis tamquam receptas ab eis disciplinæ regulas ob oculos posuisse. 7° Penes pontificem unum fuisse de appellantium episcoporum Africæ causis judicare. 8° Penes eumdem unum fuisse episcopos etiam Africanos, prout conducere judicasset, communioni ecclesiasticæ restituere, a qua provinciali decreto fuerant abstenti. Hæc et alia hujusmodi cum astruit scriptor ille ex epistolæ hujus fragmento, jam ex superioribus observationibus discere potest, quam caduco et ruinoso fundamento opinionem suam substruere tentaverit.

1345 1. Quod attinet autem (*a*) ad annum quo scripta fuit hæc epistola, nihil certi habemus. Eam anno Dom. 456 assignant eminentiss. cardin. Baronius in Annalibus, et Blondellus in Apologia pro sententia S. Hieronymi de presbyteris; ille occasione legationis ad Romanum pontificem missæ a captivis catholicis pro institutione novellæ Ecclesiæ, quæ in cujusdam Maurorum regis ditione enascebatur; hic vero Baronii ductum in re obscura incaute secutus. Hoc tamen mihi persuadere non possum. Primum enim anno superiori, Christi scilicet 455, constat captam fuisse a Vandalis Romanam urbem: cujus clades et direptio ita Leonem nostrum pastorem optimum occupavit, ut de longinquarum Ecclesiarum cura et sollicitudine nonnihil intermittere coactus fuerit, quæ causa est cur nullam habemus ab eo scriptam epistolam a quinto idus Maii anni 455 ad quintum idus Junii anni 457, ita ut per biennium integrum litterarum commercium interruptum fuisse videatur. Totus quippe erat sanctus Leo post cladem Vandalicam, ut liber de Romanis pontificibus testatur, in renovandis sacris ministeriis, totus in reparanda urbis ruina, resarciendisque damnis quæ barbarorum exercitus civitati intulerat.

Præterea nec statim post istam cladem, nec sequentibus etiam annis quidquam potuisse Leonem nostrum circa Africanas Ecclesias statuere et ordinare, satis perspicuum esse mihi videtur ex Victoris Vitensis narratione. Nempe lib. 1 de Africana Persecutione commemorat Geisericum, ut primum Carthaginensi urbe potitus est, *singulas quasque Africanas provincias disposuisse, sibique reservatis Bizacena, Abaritana, Getulia, et parte Numidiæ, exercitui funiculo, ut ait, hæreditatis divisisse Zeugitanam vel proconsularem, Valentiniano adhuc imperatore reliquas licet jam exterminatas provincias defendente. Post cujus mortem*, quæ illi anno 455 ferro illata est, *totius Africæ ambitum obtinuit*. Ex quibus patet nihil fere amplius commercii inter Africanas **1346** Ecclesias et Leonem intercedere potuisse post mortem Valentiniani, Vandalis universam Africam occupantibus et vastantibus: nec ullam ibi judiciorum formam, ullum consecrationum sacerdotalium ordinem constitui potuisse; ut necesse sit hujus epistolæ epocham intra illos quindecim annos statuere qui ab episcopatus sancti Leonis exordiis ad mortem usque Valentiniani interfluunt, hoc est ab anno 440 ad 455 inchoatum. Et quidem ex ipso Leone, qui tempus illud solummodo impacatum appellat, apparet tunc temporis scriptam fuisse epistolam cum adhuc Mauritaniis potiretur Valentinianus; quo etsi impacata essent omnia propter vicinas barbarorum acies his Africæ reliquiis imminentes, et multa hac occasione perturbatio in Ecclesias inducta esset, nondum tamen ordinationum libertas adempta erat episcopis. (*b*) Et certe valde Leonis nostri solertiæ et ingenio consentaneum mihi videtur, ut temporis opportunitatem captaverit ad confirmandam sedis suæ auctoritatem in Africanas Ecclesias. Nemo est qui nesciat quoties quantisque conatibus id tentaverint Leonis prædecessores: quantumque Leonis ipsius ætate Bonifacius et Cœlestinus in eam rem laboraverint, Africanis consuetudinem Ecclesiarum suarum invicte semper propugnantibus. Exspectanda tum illis fuerat opportunior occasio, quæ ut sese Leoni obtulit, eam vir cordatissimus sibi elabi non est passus.

Perierat cum Africana libertate pristinus ille disciplinæ vigor quem tum sanctus Cyprianus, tum illarum regionum concilia nobis exhibent. Innumeræ jam Ecclesiæ suis orbatæ pastoribus et ministris, sub Vandalica gemebant tyrannide. Ipsa omnium Afric. Eccl. mater, totius regionis caput, Carthago, miseranda strage jacebat prostrata, suo senatu, suo clero, suo pastore destituta. Carthaginensem enim episcopum nomine *Quodvultdeum* cum maxima clericorum turba navibus fractis impositum maris fluctibus committi præcepit Geisericus, quos Deus miseratione bonitatis suæ prospera **1347** navigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus est. Et ut nihil deesset quod pontificis consilium juvare posset, ad Leonis nutum et voluntatem movebatur Valentinianus imperator; cujus potestate adversus Gallicanarum Ecclesiarum primatem quam pro suis votis usus fuerit, testatur ejusdem imperatoris constitutio adversus S. Hilarium Arelatensem anno 445 emissa.

His ita se habentibus, præsidioque Augusti ad Leonis vota semper parato, de Africanarum Ecclesiarum rebus ad sedis suæ notitiam et judicium pertrahendis serio cogitavit. Non earum quidem regionum quæ sub Vandali imperio jacebant oppressæ, sed earum quæ adhuc Valentiniano parebant, quas inter præcipua erat Cæsariensis Mauritania.

Ad hujus igitur provinciæ episcopos legatum vice sua acturum destinat Potentium, qui et litteras ad eosdem dedit, ut de ordinationibus illicite celebratis, de violatis canonum regulis, et aliis hujusmodi diligentius inquireret, et ad apostolicam sedem, cujus *pendere debebat*, in dilatandæ jurisdictionis studium traducit. Id Leonem sponte nullo episcopo Africano invitante egisse notat. Num si negligentes fuissent Afri, dissimulandæ erant tot corruptelæ ab eo cui totius Ecclesiæ curam Christus commisit? At Potentius, qui hæc mala sua relatione patefecit, Afer episcopus fuit. Afri etiam episcopi fuere Restitutus, et David, quorum alter de quibusdam suæ provinciæ abusibus conquestus est, alter vero post Potentium Romam transmiserat, ac exinde cum Leonis instructione atque litteris in Mauritaniam redierat. Post tam audacem censuram Casauboni verbis S. pontificem excusat. Sed hæc ipsa heterodoxi hominis confessio ipsum docere debuerat, ne de pontifice tam sancto ambitus aut alieni juris imminuti suspicionem spargeret.

(*a*) Vide nostram admonitionem num. 16.

(*b*) Huic male animati hominis ac pontificiæ auctoritati infensi ingenium proditur, ac si appellationes episcoporum Africæ, et relationes ad apostolicam Petri sedem novæ res sint, ac præter jus ejus Primatis, qui divina institutione toti Ecclesiæ præsidet. Audacem hujus scriptoris nisum satis quoad appellationes repressimus atque retudimus in observationibus ad dissert. 5, in qua non dissimilia effutiit. Quod autem de appellationum jure ibidem probatum est, æque, immo multo magis probari potest de jure relationum, quarum multo plura documenta ac exempla suppetunt.

Ita porro quod ad exscindendas corruptelas commeantium sermone instructus S. pontifex gessit, illius, ut ipse Quesnellus postea fatetur, *sollicitudinis instinctu, quam universæ Ecclesiæ ex divina institutione im-*

Digitized by Google

auctoritatem gerebat, referret plenissime. Cum Potentii relationibus instructus fuisset S. Leo, hanc alteram prolixiorem epistolam scripsit ad Africanos: in qua et moderationem eam servat quæ congruebat tempori, et eum exerit vigorem qui rescindendis corruptelis suæque potestati stabiliendæ necessarius videbatur. Istud omne porro sponte propria nulloque ex Africanis episcopis invitante actum est a Leone, quemadmodum ipsum hujus epistolæ exordium testatur: ubi asserit se *commeantium* tantummodo sermone instructum fuisse de illicite usurpatis circa ordinationes Africanas; se solius pietatis ratione exigente ad legatum mittendum commotum fuisse, illiusque sollicitudinis instinctu quam universæ Ecclesiæ ex divina institutione impendere debebat.

Dum hæc scribo, videor mihi hinc catholicorum nonnullos submurmurantes audire, illinc sectarios utraque applaudentes manu; quasi pontificem Romanum mali ambitus alienique juris imminuti notare videamur. Utrisque satisfaciam unius Casauboni verbis, cui non assentiri nec acatholici audeant, nec debeant hac in re catholici.

Sic igitur vir doctissimus, utinam et catholicus, exercitatione 15 ad Annales ecclesiasticos cardinalis Baronii: *Non ignoramus*, inquit, *quantus hic Leo fuerit sinceræ fidei defensor, et pro recta fide quantos labores sustinuerit, quamque Ecclesiæ Dei utiles. Neque vero dubium mihi est tantum illud studium, quod videmus ab eo adhibitum, ut sedes Romana in majus extenderetur, a bono principio fuisse profectum, et ad finem optimum spectasse. Vastabant illa ætate Ecclesias perditissimi hæretici, qui magnas quotidie strages, ut apri vineam ingressi, edebant: neque erat qui progressibus eorum sese opponeret, qui quidem causam bonam posset adjuvare, præter Romanum episcopum. Nemo autem peritus rerum Ecclesiæ ignorat, opera Romanorum pontificum per multa sæcula* **1348** *Deum esse usum in conservanda sartatecta rectæ fidei doctrina. Hoc intelligens Leo magnus, et quotidiana experientia edoctus, quantum veræ fidei interesset ut paratum illi semper esset in sede Romana præsidium firmissimum, modis omnibus ut ita esset procuravit: quod quidem minus videri mirum debet, quia sic Ecclesiæ Dei expedire optimus quisque tum credebat, et erat ita revera illis temporibus.* Neminem esse puto qui his libentissime non subscribat.

Per illud ergo tempus scripta est epistola, quod ab electione Leonis ad mortem usque Valentiniani efluxit; sed quo præcise anno, decernere difficile est. Ad initia tamen episcopatus Leonis pertinere non obscurum ex dictis, et eam ob rem illam primo omnium loco ponendam esse existimavimus. Nullius enim epocham, quæ certa sit, habemus antiquiorem decima die Octobris annis 443, ad quem usque anni jam quatuor elapsi erant ab expugnata Carthagine, et hujus civitatis antistite et clero ad transmarina relegatis.

Unum est quod adversus hanc epistolæ istius epocham objici possit: nempe ex capite 5, quod primi pars est postrema in superioribus editionibus, intelligi eam primam non esse epistolarum pontificis nostri, aliaque præcessisse ejus decreta, quæ ipse his verbis allegat: *Non præjudicantes*, inquit, *apostolicæ sedis statutis, nec præcessorum nostrorum nostrisque decretis, quibus salubriter statutum est ne primum, vel secundum, aut tertium in Ecclesia gradum quisquam laicorum quibuslibet suffragiis fultus ascendat, priusquam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat.* Quæ verba indicare videntur epistolam 12 (nunc 14) ad Anastasium Thessalonicensem, ubi cap. 3 decernitur: *Ut is qui ordinandus est, etiamsi bonæ vitæ testimonio fulciatur, non laicus, non neophytus, nec secundæ conjugis sit maritus.* Verum hoc opinioni nostræ non nocet: potuit enim Leo intra primum pontificatus sui triennium nonnulla decreta emittere, quibus eam quam commemorat disciplinam statuerit. Porro non mihi innuere videtur illud epistolæ ad Anastasium decretum, in quo nulla secundi vel tertii gradus mentio, nec variorum augmentorum, per quæ laici ad sacerdotium deberent pervenire. Cæterum etsi serius dari epistolam forte contigerit, primus tamen ei locus commodius assignatus est, vacuum scilicet triennium impleturæ, quam si ad inferiorem reservata, certæ ætatis epistolarum ordinem interrumpat.

Quæ ad textus reliqui emendationem pertinent, seu lectiones varias, vel ad marginem rejecta reperies, vel hic breviter annotata.

2. *Contra divinæ legis præcepta.* Ita quatuor mss. codices Thuanei cum Cantabrigensi, necnon et Dionysius Exiguus, epistola 3 Adriani papæ II, ad Basilium imperatorem, Gratianus dist. 61. Horum porro verborum loco tum vulg. editiones, tum mss. cod. Trecopithœanus et Thuaneus unus habent: *De prævaricatione.*

1349 3. De hujusmodi virginibus vi barbarica oppressis aliter decernendum putat Gregorius Neocæsar. in epist. canonica, cap. 1, ubi ex anteacta hujusmodi virginis vita judicandum existimat: quæ si fuerit ab omni suspicione pura, oppressam virginem absolvit; sin minus, cum ejusmodi non facile orationibus communicandum opinatur.

4. *Concorditer.* Ita legitur in codd. mss. septem et apud Dionys. Exig. Ita etiam in pseudo-epistolis Isidorianis, quæ ex pannis compactæ sunt hujus epistolæ. In posterioribus porro edit., pro *concorditer*, legimus *concordi obedientia*, quod ita a Leone scriptum non esse evincunt mss. codd.

AD EPISTOLAM XIII.

Episcopis metropolitanis Achaiæ. (Lege *Illyrici.*)

Præsentem epistolam restituit nobis Romana Lucæ Holstenii collectio. Ex illa cum intelligamus serius rescriptum fuisse ad sanctum Leonem a metropolitanis Illyricianis (totum enim (*a*) biennium interceserat), discimus pariter non paucos ex illis restitisse, nec se nisi ægre submisisse potestati, quam Anastasio pontifex et confirmaverat et auctiorem fecerat non mediocribus incrementis. Contra Petrum Corinthi seu Achaiæ metropolitanum ejusque illicitas ordinationes, conjicit Lucas Holstenius; eum certe tangit epistolæ caput 3. Senecionem fuisse episcopum Scodrensem, Lucam Dyrrachii, Vigilantium Larissæ, asserit idem vir clarissimus. Suspicatur insuper pro *Antiocho* legendum esse (*b*) *Attico*, qui fuit Epiri veteris metropolita Nicopolitanus; de quo epist. 12 (*nunc* 14) cap. 1.

1. *Majores inter episcopos causæ.* Ejusmodi causas (*c*) non ad se trahit Romæ judicandas, sed ad Anastasium vult referri: non tamen omnes, sed *quæ in provinciis* eidem subjectis nequeant terminari. Eas denique non tam ab eo tamquam judice discuti finirique mandat, quam ab eodem, *ut arbitro, sub divini timore judicii componi cupit.* Eadem fere habentur in

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Aliquot litteras, quæ interciderint hoc biennio utrimque scriptas conjecimus annot. 3 (*Col.* 664, *n.* [1]) in hanc epistolam.

(*b*) Non assentimur. Vide nostram annot. 2 in eamdem epist. (*Col.* 663, *n.* [h]).

(*c*) In epistola 6 ad Anastasium, cap. 5, duplex causarum genus Leo sibi reservat: 1° illas quæ ab ipso Anastasio componi nequiverint; 2° illas in quibus ad sedem apostolicam appellatum fuerit. Cum vero de neutro hoc causarum genere in præsenti epistola agatur, nihil mirum si nihil hic S. pontifex sibi reservet. Si quæ vero causæ in provinciis terminari nequirent, a Thessalonicensi autem possent, hunc non modo ut arbitrum, sed etiam ut judicem fuisse constitutum liquet ex epist. 14, c. 7, ubi causam graviorem solummodo sibi reservat, quæ *nec tuo fuerit sopita judicio.*

Digitized by Google

epistola 4 (*nunc* 6) ad Anastasium, et 5 ad eosdem metropolitanos, quæ supra editæ sunt ex Holstenio : nisi quod aliquid minus sibi assumere mihi videtur in hac quam in præcedentibus 1350 epistolis. Et in epist. 12 (*nunc* 14), quam eidem Anastasio scripsit in causa Attici veteris Epiri metropolitani, non ait illi necessarium, *sed liberum fuisse majora negotia et difficiliores causarum exitus sub ejusdem sententiæ expectatione suspendere.* Unde et illud elicitur majorum causarum judicia, ad majores sedes non ex defectu potestatis in metropoliticis episcopis, sed ex difficultate incurrentium quæstionum, quæ dum sæpius et a pluribus examinantur, tandem ex sapientiorum consilio componuntur. Et revera saltem aliquas illarum ad consultationem, magis quam ad judicium, evocat sanctus Leo : ut ex his verbis epistolæ prioris seu 4 (*nunc* 6) ad Anastasium cap. 5 fit manifestum. *Si qua*, inquit, *causa major evenerit, quæ a tua fraternitate illic præsidente non potuerit definiri, relatio tua missa nos consulat ; ut revelante Domino, cujus misericordiæ profitemur esse quod possumus, quod ipse nobis aspiraverit rescribamus.*

2. *Invitati fratres in causis maximis*, etc. Hinc quoque disce causas majores maximasque, quæ in provinciis terminari nequibant, non e solius exarchi nutu pependisse, sed easdem in concilio episcoporum e diversis provinciis evocatorum discussas finitasque fuisse.

3. *Quoniam hoc et canonum definivit auctoritas, et ipsa servandæ unitatis ratio.* Canon scilicet Nicænus 16, Sardicenses 18 et 19. Immo et (*a*) ad Carthaginensis 1 can. 5 respicere mihi videtur sanctus Leo, non minus quam ad illos : unitatis enim servandæ ratio quam commemorat, et consensus scripto traditi mentio, nec ad Nicænum, nec ad Sardicense pertinent. Nicænum enim neutrum continet; Sardicense de unitatis ratione habet nonnihil ; sed Carthaginense utrumque disertis verbis expressum habet hoc modo : *Privatus episcopus Vegeselitanus dixit : Suggero sanctitati vestræ ut statutalis non licere clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris episcopi sui, neque apud se retinere nec laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus episcopi de cujus plebe est. Gratus episcopus dixit : Hæc observantia pacem custodit : nam et meminl in sanctissimo concilio Sardicensi statutum ut nemo alterius plebis hominem usurpet;* 1351 *sed si forte erit necessarius, petat a collega suo, et per consensum habeat.* Vide et superiorem epistolam 12 (*nunc* 14) sancti Leonis ad Anastasium in causa Attici, cap. 9.

Mirantur porro nonnulli quod Gratus Sardicensem potius quam Nicænam synodum in confirmationem sententiæ Privati adduxerit, magnumque inde suffragium arcessunt illi synodo. Verum non est quod tanti hoc faciant, nec ullum latet hic mysterium : scilicet Gratus interlocutor audiens Privatum contra alienorum clericorum subreptionem, hoc primum allegavit, quod magis memoriæ insederat. Sardicensis autem potius quam Nicænæ synodi meminit, quia et illa recentior, et illius pars ipse fuerat cum pluribus Africanæ diœcesis episcopis : hæc enim est hominum indoles, ut ea potius in medium proferant quæ ipsis vel testibus, vel suffragantibus, vel actoribus contigere, quam quæ ex aliorum relatione perceperunt; ob id etiam quod pacis et concordiæ ratio, cujus mentionem fecerat, in Sardicensi consilio fuerat prolata, non item in Nicæno. Denique hoc ad conciliandam Sardicensibus canonibus auctoritatem, eorumque usum in Africa comprobandum, (*b*) infirmum esse inde patet, quod nec proferuntur ipsa canonum verba, nec ab aliis laudantur, nec citantur 1352 nisi ex recenti forte rerum illic actarum memoria, non vero ex archivis Ecclesiæ Carthaginensis, in quibus asservata non fuisse, tum hæc, tum Africanorum Patrum sub Aurelio congregatorum epistola ad Cœlestinum P. R. abunde testantur.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cum Leo canones allegat, semper intelligit Nicænos et Sardicenses Nicænorum nomine signatos, quos solos Romana Ecclesia, ut in tractatu de antiquis canonum collectionibus tomo III videbimus, ad hujus pontificis usque tempus recepérat. Quod si qua ratio afferitur quæ in aliis canonibus invenitur, hoc per accidens est : plures enim eosdem rationem in se eadem excogitare queunt.

(*b*) Hæc canonum Sardicensium commemoratio a Grato facta in concilio Carthaginensi non ita infirmum est auctoritatis eorumdem argumentum, uti hic a Quesnello traducitur. Infirma potius est hujus ratio, quod Gratus non profert ipsa canonis verba, sed utitur verbo *memini;* nam in conciliis verba aliorum canonum recitari non solent. Verbo autem *memini* usus est etiam Osius Cordubensis in synodo Sardicensi can. 14, loquens de Eliberitana synodo, quæ sane apud Hispanos maximæ auctoritatis fuit. Quis porro credat Africanos non magni fecisse concilii Sardicensis canones, nec eorum aliquod exemplar secum detulisse in Africam, cum ab Africanis episcopis præsentibus fuerint firmati, et unus eorum canonum pro ipsis potissimum Afris, Grato, ut videtur, instante, editus fuerit? Quod si sub Cœlestino hos canones Afri ignorarunt, id ex eo profectum videtur, quod iidem Afri satis instructi recentioribus canonibus, quibus ceteros repotiebantur, non multum versarentur in evolvendis antiquis, qui in archivis custodiebantur. Certe concilium Carthaginense sub Grato, quo Sardicense concilium laudatur, erat in archivis Ecclesiæ Africanæ, unde ejus canones inventi fuere non solum sub Bonifacio Carthaginensi in *libro Canonum*, ex quo unus ex iisdem synodo anni 525 insertus fuit, verum etiam sub Aurelio et Augustino tempore synodi Carthaginensis anni 419, in qua duo ex iisdem canonibus repetiti inveniuntur; et nihilominus eos ignoravit Augustinus, cum anno 400 adversus Donatistas scripsit. Cum enim ab illis objecta fuisset epistola Sardicensis ad Donatum Carthaginensem, si eos Grati canones cognovisset, faciliorem et efficaciorem responsionem dedisset, qua Donatistarum fraus fuisset evidentius evicta, nimirum Sardicense catholicum concilium, cui non Donatus, sed Gratus Carthaginensis interfuit, ut ex laudato canone discitur, ad Donatum pseudo-episcopum Carthaginis non potuisse objectas litteras scribere; indeque multo evidentius confirmasset, illud concilium, quod Sardicensis inducto nomine ad Donatum scripsit, Arianorum fuisse conventum; verum autem Sardicense cum solo Grato et aliis Africanis catholicis, non autem cum Donato et schismaticis Donatistis communicasse. Fatendum quidem est Africanos in epistola ad Cœlestinum indicare se in quæstione de duobus canonibus Sardicensibus, qui tamquam Nicæni allegati fuerant, non solum evolvisse Nicænos canones qui in suis archivis exstabant, sed aliarum etiam synodorum exemplaria; et *in nulla Patrum synodo* eos reperisse. Nullum ergo Sardicensis concilii exemplum in eorum archivis exstitisse videtur. At si negari nequit quin aliquod actorum Sardicensium exemplum ab Africanis allatum fuerit in Africam, cum aliqui canones Afrorum causa conditi fuerint, et cum iisdem actis alii plures Africani teste Athanasio subscripserint, dicendum erit Africanos Cœlestini tempore in evolvendis archivis non omnem diligentiam adhibuisse, quam cum sequenti sæculo Ferrandus Carthaginensis commodius posuit, eosdem canones ex aliquo exemplo peculiari divisione transcriptos nactus, breviationi canonum inseruit.

Digitized by Google

AD EPISTOLAM XIV.

APUD QUESNELLUM XIII.

Anastasio Thessalonicensi episcopo.

1. Nulla est consularis nota huic epistolæ ascripta, cujus ope (*a*), quo anno data sit, possit intelligi. Non temere tamen hanc assignamus quadringentesimo quadragesimo quinto. Superiori quippe anno commissæ sunt Anastasio vices apostolicæ sedis per Illyricum aliasque annexas provincias, ac proinde non potest prius esse scripta. Quæ enim acta sunt et præsumpta a Thessalonicensi episcopo ex vicaria illa auctoritate Leonis, adversus Atticum veteris Epiri Metropolitanum, ipsius Attici comprovincialiumque ejus Romam usque profitentium iter diuturnum, causæ illorum omnium ventilatio in Romano judicio habita, unius saltem anni spatium consumpsere, ut ante medium sequentis anni scribi non potuerit epistola : quod insuper confirmant **1353** hæc Leonis verba, cap. 1 : *Abundant enim apud te*, inquit, *monitorum scripta nostrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter instruximus*, etc. Scriptam autem esse ante quadringentesimum quadragesimum sextum ex epistola sequenti (*nunc præcedenti*) quæ die 6 Januarii data est, certo eruere mihi videor. Primo enim, totum illud dissidium Anastasii cum provinciarum illarum metropolitanis contigisse probabile est occasione vicariatus a Leone dati, et intra illud biennium quod intercessit a prima Leonis ad illos epistola usque ad eorumdem consensum, quem indicat epistola posterior (*nunc præcedens*); nec tantæ dilationis causa alia apparet, quam idem dissidium; quo composito, manus dedere. 2° Plura revera habet posterior (*nunc præcedens*) seu 15 epistola, quæ pacem et concordiam non multo ante resarciam indicant. 3° Cum capite 2 ejusdem monet metropolitanos ne se conciliis denegent ab Anastasio indicendis, hæc addit : *Maxime cum moderatio nostra providerit ut non frequens, neque pro levibus causis conveniendi necessitas indicatur, et binos ternosve episcopos de singulis provinciis adesse sufficiat : ut leve fiat paucis quod multis esset onerosum.* Quibus verbis quis non videat indicari a Leone caput 10 hujus epistolæ, in qua Leo hæc verba habet : *In evocandis autem ad te episcopis moderatissimum te esse volumus : ne per majoris diligentiæ speciem fraternis videaris gloriari injuriis. Unde si causa major aliqua exstiterit ob quam necessarium sit fraternum advocare conventum, binos de singulis provinciis episcopos ... ad fraternitatem tuam venire sufficiat*, etc. 4° Quod sanxit Leo hujus epist. cap. 5 : *Ut nullus invitis et non petentibus ordinetur, nec sine cleri plebisque consensu*, decretum est propter ordinationem episcopi *Thespiensibus invitis et repugnantibus consecrati*, de quo retulerat Anastasius, ut ex posterioris (*nunc prioris*) seu 15 epistolæ cap. 5 habetur. 5° De alieno clerico, invito episcopo ipsius, non suscipiendo utraque statuit : hæc cap. 9, sequens (*nunc præcedens*) cap. 4. 6° Denique hanc ad Anastasium epistolam vel eodem die vel paulo ante scriptam designat Leo in calce subsequentis : (*b*) *Plenius vero*, inquit, *observari debent, quæ suveri ad ipsum fratrem et coepiscopum nostrum Anastasium scripsimus, eaque in vestram notitiam litteris ipsius volumus pervenire.* Hæc de anno datæ epistolæ. Cæterum subit mirari in dissidio, quod anno 517 inter Thessalonicensem et Nicopolitanum episcopos ortum est, præsentis epistolæ mentionem factam non fuisse, cum Thessalonicensis Ecclesiæ juribus lucis affunderet plurimum.

2. *Auctoritate.* Ita plerique codices **1354** ac etiam Dionysius exiguus et Isidori cod. Ms. Corbeiensis tamen, Victorinus, Thuaneus unus, et Trecopithœanus, et edit. ad marginem, habent *sede*. Nullum in sensu discrimen.

3. *A nobis.* Ita codices Thuanei quinque, Corbeiensis, Cantabrigensis, Trecopithœanus, Isidor, mss. et Dionysius Exiguus, pro quo alias legebatur, *Ab apostolica sede.*

4. *Sed ab his qui quæ*, etc. Hunc locum restituimus ex Dionys. et Cresconio et mss. codd. Corbeiensi, Cantabrigensi, Trecopithœano, et Thuaneis quinque; veterem tamen lectionem exhibemus : *Sed qui quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi, facile ab hac lege discernuntur; et dum dominari magis quam consulere subditis quærunt, placet honor, inflat superbia*, etc. Quis hæc intelligat?

5. *Metropolitanus.* Crab., Nicol., Canisius, Sichardus, Surius legunt *Nicopolitanus.* Certum est, vel ex subscriptionibus Chalcedonensis concilii Nicopolitanum episcopum reapse veteris Epiri metropolitanum fuisse, et ex contentione quæ inter Nicopolis antistitem et Thessalonicæ episcopum orta est temporibus Hormisdæ PP. apparet illum Epiri metropolitanum avide arripuisse occasionem sese a potestate Thessalonicensis eximendi, quam ex Acaciano schismate, cui adhærebat Thessalonicensis, tunc antistes, nactus fuerat; quod etiam ante S. Leonis tempora tentatum erat, ut testantur epistolæ Bonifacii papæ ad Rufum et ad episcopos Illyricianos apud Holstenium, vel tom. IV concil. Labbei p. 1702; ex quibus colligitur (*c*) plurimos illarum regionum episcopos statutis sedis Romanæ pro vicariatu Thessalonicensi emissis non acquievisse, ægreque admodum passos esse Thessalonicensi episcopo se subjici. Unde suspicor totam illam controversiam, quæ hac epistola ventilatur, inde natam esse, quod Atticus synodo Thessalonicæ ab Anastasio indictæ præsentem se sistere seu distulisset, seu renuisset, excusationem infirmitatis, ut querebatur Anastasius, obtendens. Hoc enim inter cætera privilegium erat Thessalonicensis episcopi, velut sedis apostolicæ per illas regiones vice fungentis. *Ut* (verba sunt Innocentii ad Rufum) *cum aliqua ecclesiastica ratio vel in tua, vel in memoratis provinciis agitanda cognoscendaque fuerit, quos velis episcoporum socios quibuscumque de Ecclesiis assumas tecum; quorum et fide et moderatione quidquid necessitas causave flagitaverit, optimus dirigas arbiter, et præcipuus, quippe a nobis lectus, definias intercessor.*

Huic præsertim ordinationi sæpe restiterunt; ita ut Sixtus et Leo hoc imprimis sollicitius commendare coacti sint, ut evocatus **1355** ad synodum metropolitanorum nemo venire contemneret, nec congregationi sanctæ, ad quam festinare debebat, se denegaret. Vide Stephani Baluzii appendicem ad librum XV Petri de Marca. Lege et epistolam Sixti papæ in collectione Romana Holstenii, vel tom. IV recentioris editionis Conciliorum, et sequentem (*nunc præcedentem*) epistolam Leonis, cap. 2, quam cum hujus cap. primo si contuleris, judicabis eam fuisse quam diximus epistolæ occasionem Atticique causam.

6. *Astrictione.* Ita edit. Merlini, Crabbi, Nicolini, Surii et ms. cod. Victor. in aliis plerumque leg. *afflictione*, quæ minus convenit. Vox ista antiquis familiaris, et ea Leo ipse non semel utitur.

7. *In exhibitionem insontis antistitis. Exhibere*, in jure civili, est præsentiam corporis præbere : unde et exhibitio est alicujus, ut ita dicam, præsentatio; de qua in Cod. lib. IX, tit. 3, *de Exhibendis et transmittendis reis.* Recte Leo noster objurgat Anastasium quod exhiberi fecerit *insontem antistitem et nullo vel falso insimulatum crimine;* in eodem enim, tit. 3, edictum est imp. Grat., Valent. et Theodos. Aug.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hanc epistolam post præcedentem scriptam ostendimus annot. 4 (*Col.* 666, *n.* 2).

(*b*) His verbis alium, quam intercidit, indicari epistolam probavimus annot. 16 in epist. 13.

(*c*) De nonnullis certum est, de plurimis non item.

Digitized by Google

quo jubent *ex longinquo si quis est accientus, non prius insimulanti*, id est accusatori, *accommodetur assensus, quam solemni lege se vinxerit, et in pœnam reciproci stylo trepidante recaverit*. Adierat igitur, id est, per libellum convenerat Anastasius præfectum Illyrici, ut Atticum litteris tractoriis ad synodum parere renuentem, exhibendum pronuntiaret : *Neminem enim exhibendum esse in judicio* præcipiunt imperat. Valent. Theodos. et Arcad., *nisi de cujus exhibitione judex pronuntiaverit*. Præfectus Thessalonica Nicopolim *exsecutionem*, ut Leo vocat, *terribilem* mittit, id est exsecutorum publicorum turmam seu ministrorum quorum officii est mandata et sententias ad effectum perducere, l. *Exsecutorem*, c. *de Exsecutoribus* tit. 61. *Quæ exsecutio*, inquit Leo, *omnia sibi officia publica ad effectum præceptionis*, præfecti videlicet, *adjungeret*. Officia publica dicit officiales ipsos et ministros magistratuum ac præsidum, quorum plures eodem tit. 61 nominantur : compulsor, exactor, admonitor, portitor præcepti, agens in rebus, vel palatinus, vel apparitores illustrium potestatum, etc. Horum ministerio Atticus *a sacris Ecclesiæ adytis* extractus dicitur, vel quod relicta Ecclesia sua Thessalonicam statim proficisci coactus sit prætoriana præceptione, vel etiam quod violenta manu extractus e sacrario, in quo ab exsecutoribus inventus erat. *Cui non ob molestiam ægritudinis, non ob sævitiam hiemis darentur induciæ* : has rationes particulares communi legi subjungit. Nam Grat., Valent. et Theodos. imp. in Cod. lib. IX, tit. 3 *de Exhibendis, spatium sufficientium dierum, non minus tamen triginta* tribui jubet exhibendis. Patet ex his et quam diserte injuriam Attico illatam describat Leo noster, et quam propriis atque ex ipso jure desumptis **1356** vocabulis utatur : adire præfecturam, exhibitio, exsecutio, officia publica, insimulatus, induciæ, civilia, etc., quæ tironum gratia annotare operæ pretium duxi.

8. *Civilia. Civile*, apud jurisperitos, *prætorio* opponitur. Unde forsan S. Leo hac voce a foro assumpta innuit, non se præfecturæ potestatem, quemadmodum fecerat Anastasius, aditurum, sed ex propria sedis suæ auctoritate acturum fuisse et responsurum. *Civilia* quoque ea verba dicuntur in jure, quæ legitima et imperativa; Papin. in Digest. l. VII, et passim, *civile* pro justo, æquo, legitimo accipi solet : quo sensu et a Leone acceptum puto. E diverso *incivile* dicitur inhonestum, illicitum, iniquum, et contra juris ordinem. Brissonius.

9. *Aut qui unam quidem habeat vel habuerit, sed quam sibi viduam copularit*. Caveant qui prioribus editionibus utentur, ne in errorem incurrant, quem mendosa hæc Romanæ editionis aliarumque posteriorum lectio præsefert : *Aut qui vel unam quidem habeat, vel habuerit, sed nec qui sibi viduam copularit;* numquam enim Ecclesia removit ab ecclesiasticis officiis unius uxoris viros, sive adhuc viventis, sive jam mortuæ, juxta Apostoli doctrinam. Necessaria ergo imprimis erat correctio, quam nobis collectiones Dionysii et Cresconii, edit. Surii, Nicolini, Merlini et mss. codd. Corb., Cantabrig., Victor., Thuan. et Trecopith. suppeditarunt.

10. *Clericorum*. Strictius usurpat clerici nomen pro iis qui majoribus ordinibus erant initiati. Lectores enim, qui inferioris ordinis clerici plerumque nominantur, uxores ducere et filios procreare poterant, ut expresse ait ipse Leo epist. 2 (*nunc* 167) ad Rusticum Narbonensem, cap. 3.

11. *Nec subdiaconis connubium carnale conceditur*. Hæc disciplina, cujus testis et assertor est S. Leo tam hic quam in epist. 2 (*nunc* 167) ad Rusticum Narbonensem c. 3, si cum superiorum posteriorumque temporum usu conferatur, non leves patitur difficultates. Tam enim certo et indubitanter de continentiæ præcepto quasi passim et ubique subdiaconis præscripto loquitur, ut ex eo argumentum a minori (ut aiunt) ad majus eliciat pro asserenda lege continentiæ superioribus gradibus indicta : cum tamen Gregorii Magni tempore, qui centum et quinquaginta post Leonem annis vivebat, nondum lex illa plene obtinuisset, saltem in Siciliæ provincia ad Romani episcopi synodum seu ordinationem pertinente; licet observaretur Romæ. *Ante triennium*, inquit (*Lib.* I *Registr. epist.* 42), *subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur : quod mihi durum atque incompetens videtur, ut qui usum ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur a sua uxore separari*, etc. Quod durum tunc videbatur Gregorio, tale eidem non est visum, cum scribebat Leoni episcopo Catanensi; ibi enim (*Lib.* IV *epist.* 34) probibet **1357** *ne subdiaconi cum suis uxoribus miscendi se licentia potiantur, sed ad similitudinem sedis apostolicæ abstineant*. Cum ergo in provinciis a Romana urbe non multum dissitis ista continentiæ lex nondum vigeret Gregorii I ætate, miror quod ex subdiaconorum continentia ut ubique introducta suo tempore arguat S. Leo. Fatendum interim (quod recentiorum Græcorum ignorantiam corruptelamque prodit) antiquiorum Græcorum Ecclesiam prævenisse Latinam in imponenda subdiaconis continentiæ necessitate ac cœlibatu. Testis est enim Epiphanius, qui vix sæculi quinti initium attigit, quod sacrosancta Dei Ecclesia eum qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi ordinem admittit, sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus, quod in illis locis præcipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur. Quodque nonnullis in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt, id contra canones fieri asserit, seu propter necessitatem, seu propter hominum ignaviam. Loca Epiphanii sunt lib. II advers. hæreses, contra Catharos hæresi 39 vel 59, et lib. III Exposit. fidei cathol. num. 21. Qui porro sint canones quos Epiphanius commemorat ignoramus. Dicendum autem, vel ipsum consuetudinem ab omnibus Ecclesiis receptam, ipsoque usu vim canonis obtinentem intelligere, vel canones illos periisse, et a Græcis oblivione damnatos. Illorum tamen vestigium nonnullum deprehendimus in can. 14 concil. Chalcedonensis.

13. *Cleri plebisque consensus postularit*. Vide S. Cypriani epistolam 68 ad cler. et pleb. Emeritæ in Hispania, ubi asserit *potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi*, quam canones passim conciliorum pontificumque decreta plebi tribuunt, et *ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur, de divina auctoritate et traditione, et apostolica observatione descendere*. Nec tamen creari a plebe sacerdotes putandi sunt : *Electio enim episcopi*, ut scribit episcopalis ordinis vindex strenuus, *non est episcopi creatio, sed creationis inchoatio*. Obvia sunt omnibus plura alia Cœlestini, Leonis, aliorumque pontificum de cleri plebisque consensu testimonia et decreta, quibus recensendis abstinemus.

14. *Ejusdem Ecclesiæ*. Ab hac lege discedere majoribus sedibus semper licitum **1358** fuit. De Romana plurimis exemplis constat. De Carthaginensi testatur Aurelius in conc. Carthag. cap. 55 Codic. can. Eccl. Afr., in quo et Numidius episcopus hæc ait : *Fuit semper hæc licentia huic sedi, ut unde vellet, et de cujus nomine fuisset conventus, pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinaret episcopum*. Eamdem quoque prærogativam sibi assumpsisse videtur in Galliis nostris Arelatensis episcopus, qui majores sedes per omnia æmulabatur. Multi enim ex Lirinensi monasterio, quod Forojuliensis episcopi ditioni subjectum erat, vel ex aliis monasteriis in aliis provinciis episcopi constituti sunt, ut Honoratus et Hilarius ad Arelatensem, Faustus ad Regiensem, Honoratus alter Hilarii Arelatensis discipulus ad Massiliensem. Ru-

Digitized by Google

sticus ad Narbonensem: quod Cœlestinus PP. moleste tulisse mihi videtur, quem scribentem ad episcopos per Viennensem et Narbonensem provincias constitutos ad Lirinense monasterium oculos convertisse existimo: *Alter in alterius provincia nihil præsumat, nec emeritis in suis Ecclesiis clericis peregrini et extranei, et qui ante ignorati sunt ad exclusionem eorum qui bene de suorum civium merentur testimonio, præponantur: ne novum quoddam, de que episcopi fiant, institutum videatur esse collegium.* Ubi etiam vide quamobrem ex ejusdem Ecclesiæ sinu clericos assumi ad ordines sacros statuunt sacri canones.

15. *Vel de diaconis.* Plerumque diaconos, atque inter diaconos primum, magis quam presbyteros in locum decedentium pontificum eligere consueverant, quia apud archidiaconum *dispensationem totius causæ et curæ ecclesiasticæ* deponere mos erat, ut hæc sancti Leonis verba epist. 84 (*nunc* 111) declarant; qui proinde pontificio oneri ferendo magis quam quisquam alius idoneus erat. Exemplum habemus (ne extra Leonis tempora excurramus) in Hilaro diacono, qui Leoni successit, et in Leone qui Sixto suffectus est. Sixtus tamen presbyter erat, cum electus est in pontificem: ut vel numquam invaluisse, vel tunc in desuetudinem abiisse oporteat morem illum Ecclesiæ Romanæ, cujus (*a*) testis est Photius CP. lib. I, cod. 182, post Eulogium Alexandrinum antistitem. *Eulogius*, inquit, *archiepiscopus Alexandrinus lib. contra Novatum de administratione ecclesiastica, seu potestate Ecclesiæ in recipiendis lapsis* (Græce περὶ οἰκονομίας) *refert Novatum, Cornelio pontifice, Romanæ esse Ecclesiæ archidiaconum creatum, ad quem ipsum pontificium, pro ejus temporis more, decedente e vita pontifice, deferebatur; archidiaconum enim succedere summo pontifici statutum erat.* **1359** *Verum hunc*, ait Eulogius, *superbia laborantem Cornelius, et in suam mortem imminentem cum cognovisset, presbyterum ordinat, omnes sic illi ad supremam cathedram perveniendi spes præcidens.*

16. *Sancti Patres.* Nicænos intelligit, qui can. 5 unum concilium ante quadragesimam Paschæ, alterum circa tempus autumni celebrandum esse statuunt. In quo quidem majores etiam causas discuti ac finiri posse satis indicat sanctus Leo, si inter hujusmodi causas episcoporum depositiones numerari placet, quandoquidem episcopos de majoribus criminibus postulatos, quos convictos depositio manebat, illic judicari statuit, nec ad suam cognitionem transferri, si Thessalonicensis episcopi sopita fuerit causa judicio: quanto minus ergo Orientalium causæ, quæ pari ac Thessalonicensis vicariatus jure ad Occidentalem patriarcham non pertinebant.

17. *Si quis episcopus*, etc. Duo hic notanda veniunt: unum est, non omnem episcoporum ad alias sedes translationem a Leone nostro damnari, sed eas solummodo quæ ex ambitu vel avaritia fiunt. Procli enim CP. ex Cizyci episcopo creati migrationem approbavit Cœlestinus Leonis prædecessor litteris antea scriptis Cyrillo Alexandr., Joanni Antiocheno et Rufo Thessalonicensi; ex Socrate, lib. VII, cap. 40.

Alterum, longe graviorem pœnam contra episcopos sedem cupiditatis solum explendæ causa mutantes a sancto Leone decerni, dum illos utraque cathedra privari jubet, quam quæ a sanctis Patribus decreta fuerat ante ipsum. Synodus enim Nicæna can. 15 vult tantum *ut si quis tale quid agere tentaverit, hoc factum prorsus in irritum mittatur, et restituatur Ecclesiæ cui fuit episcopus.* Chalcedonense concilium, post hanc epistolam scriptam habitum, hoc sancti Leonis decretum reformasse videtur, cum can. 5 decrevit: *De his qui transmigrant de civitate in civitatem episcopis aut clericis, placuit ut canones qui de hac re a sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.* Quamobrem cum Hilarus Leonis successor epist. 1 ad episcopos Tarraconensis provinciæ de Irenæo quodam episcopo ab Ecclesia sua ad Barcinonensem translato quereretur, non utraque eum spoliari, juxta Leonis decretum, sed ad primam remitti jubet, juxta statutum Nicænum. Quamquam et Leonis severitas astipulatores habeat Sardicenses Patres, qui can. 1 et 2 laica etiam communione privari jubent episcopos qui de sua civitate in aliam transierint; atque hoc etiam in exitu seu morte, si ad occultandum suum ambitum litteras aut suffragia populorum pecunia redemerint.

1360 18. *Alienum clericum*, etc. Eamdem fere exceptionem, quam majoribus Ecclesiis tribui supra notavimus, ut eis liceret ex quacumque Ecclesia episcopum sumere, hic quoque intellige. De Constantinopolitana et Carthaginensi testantur Balsamo ad can. 17 concilii sexti, et ad Nomocan. Photii tit. 1, cap. 26.

19. *Quibus et si dignitas communis, non est tamen ordo generalis* (*b*). Hic locus ad depressionem episcoporum olim depravatus fuit; ita enim hactenus in editis codd. legebatur: *Quibus etsi dignitas non sit communis, est tamen ordo generalis.* Secundum hanc enim mendosam lectionem intra generalem clericorum ordinem episcopos agnoscit, sed non ejusdem omnes dignitatis consortes, contra unanimem sanctorum Patrum sententiam, quibus, ut verbis utar Cypriani, *episcopatus unus est atque individuus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, cujus a singulis in solidum pars tenetur* (*Epist.* 52, *seu lib. de Unitate Eccl. cath.*). *Apud nos enim*, inquit sanctus Hieronymus (*Epist.* 54), *Apostolorum locum episcopi tenent. Omnes*, scribit idem (*Epist.* 85, ad Evagrium), *Apostolorum successores sunt, Romanus Petri, cæteri episcopi aliorum apostolorum.* Porro *hoc erant cæteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis* (*Cypr., lib. de Unitate Eccles.*). *Cuncti*, ait Hieronymus (*Lib.* 1 *contra Pelag.*), *claves regni cœlorum accipiunt, et ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidatur.* Quod et auctor noster hic agnoscit, cum in omnibus *et similitudinem honoris, et paritatem electionis* confitetur. Vide et Gelasium papam supra laudatum ad epist. 10. Igitur episcoporum omnium *dignitas communis, non est tamen ordo generalis*, quia omnium caput Petrus, *et unitatis originem ab uno* (Petro) *incipientem sua auctoritate* (Christus) *disposuit* (*Cypr. lib. de Unit. Eccl.*); et ut hoc ipso loco loquitur sanctus Leo, *uni datum est, ut cæteris præmineret.* Quod egregio sancti Augustini testimonio illustrare juvat ex cap. 1 libri 1 contra epistolas Pelagianorum ad Bonifacium PP., quem sic alloquitur: *Cum communis sit omnibus nobis, qui fungimur episcopatus officio* (*quamvis ipse in eo præmineas celsiore fastigio*), *specula pastoralis, facio quod possum pro mei particula muneris.* Male in vulg. leg. *speculæ* pro *specula*; quod mendum cum prava interpunctione conjunctum perturbat sensum hujus loci, auctorisque mentem obscurat. Leonem emendamus ex fide mss. codd. Corbeiensis, Trecopithœani et quatuor Thuan., quibus clarius aliquid et cavillationi minus obvium habent cod. Victor. ms. et edit. Surii, Merlini et Ni-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hoc testimonium Photii ex S. Eulogio scriptore Græco exeuntis sæculi sexti nihili habendum est. Licet enim scripserit adversus Novatianos, sicut erravit, cum Novatianum, quem Novatum vocat, ex archidiacono a S. Cornelio presbyterum creatum narrat, quippe qui jam ante electionem Cornelii presbyteratu fungebatur, ita etiam fallitur dum archidiaconum succedere summo pontifici statutum prodit.

(*b*) Hæc lectio emendatior a nobis profertur annot. 52 (*Col.* 675, *n.* e) ubi etiam æquam ejus sententiam, episcopis quidem haud injuriosam, at simul gradui præcellenti et auctoritati summorum pontificum consonam exhibuimus: ita ut exinde nonnulla quæ hic a Quesnello subjiciuntur corrigenda sint.

Digitized by Google

colini, cum sic legunt: *Quibus cum dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis.* **1361** Antiquam nihilominus fatemur hujus loci depravationem: Hincmarus enim Remensis in 32 opusculo Capitulorum 55 ad Hincmarum Laudunensem, eodem modo legit, capite scilicet 13, cujus etiam titulus hoc modo nititur: *Cap.* 13: *Quod si ordo generalis est omnibus episcopis, non tamen communis est dignitas omnibus.* Deinde Leonis verba in ipso contextu capitis refert. Ab altiore adhuc fonte haustus error est, nempe a Dionysio Exiguo, qui eamdem quam rejicimus lectionem exhibet. Ex illa porro Dionysii collectione accipit Hincmarus quidquid decretorum pontificiorum allegat: quod et de hac ipsa epistola liquet ex opusc. 45, de Translationibus, cap. 14, ut mirum non sit parem in utroque errorem reperiri: ideoque pro unico teste uterque habendus est. Magna quidem Dionysii auctoritas, si constaret talem esse missam in Gallias ejus collectionem, qualem eam ipse concinnavit; at contra certum ex inspectione omnium codicum mss. quibus abundant bibliothecæ Gallicanæ, prima omnium exemplaria Dionysiani codicis, quæ huc advecta sunt, pluribus aucta, interpolata, ac vitiata fuisse supra (*in epist.* 12) probavimus. Unum in præsenti asseram, in collectione Epistolarum sancti Leonis, quæ ad calcem jacet codicis Romani Dionysiano antiquioris lectionem nostram haberi: hoc de Thuaneo ms. codice spondeo; de Oxoniensi, cujus hanc partem videre non contigit, idem opinandum.

20. *Ne omnes sibi omnia vindicarent.* Ad unitatem conspirant (*a*) varii distinctique sacerdotum gradus in Ecclesia: *Propterea enim inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio,* ait Hieronymus (*Lib.* 1 *cont. Pel.*). Quem transcripsit Gelasius PP. in tractatu ad Græcos in Sirmondi appendice Cod. Theod. pag. 184. Iterum *de illa forma, episcoporum quoque,* inquit sanctus Leo, *est orta distinctio, ne omnes sibi omnia vindicarent.* Denique, *olim idem erat presbyter qui et episcopus* (verba sunt Hieronymi [*In cap.* 1 *Epist. ad Titum*]), *et antequam diaboli instinctu studia in Ecclesia fierent... communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur.* Non quod pares tunc fuerint episcopi et presbyteri, sed quia nullus presbyter constituebatur, qui sacerdotio pleno et perfecto, quale est in episcopis, non simul ornaretur; isque tunc presbyteri nomine, *quod status est,* magis gaudebat, quam episcopi, *quod nomen est dignitatis.*

1362 AD EPISTOLAM XV.

Turribio Asturicensi episcopo.

1. *Ad Turribium,* etc. Mirum est quanta varietate scriptum reperiatur hujus episcopi nomen. Grim. cod. habet: *Ad Torusium Asturigensem;* Thuanei tres et Trecopith. cum Surio: *Turbio Asturiensi;* cod. Regius: *Tubirio et Tuberio Asturicensi;* Corbeien. et Thuan. 1: *Torebio Asthoracensi;* Isidorus Merc.: *Tornulo Austorigensi;* Montanus episcopus Toletanus in epistola ad fratres territorii Palentini ad calcem concilii Toletani II: *Theoribius.* Aliis denique vel *Turibius Asturiensis,* ut Surio; vel *Turribius Asturicensis,* ut vulgo legitur, et nos retinuimus: eadem est vox ac illa quæ hodiernis Hispanis *Torres,* nobis Gallis *de la Tour.*

Hunc Turribium constat fuisse episcopum Asturicæ, vulgo *Astorga* in Galliciæ provincia, olim sub Bracarensi metropoli, nunc sub Compostellano archiepiscopo pietate, doctrina et zelo religionis insignem fuisse clamant tum ecclesiasticæ tabulæ, in quibus inter vindicatos cultus connumeratus habetur 16 die Aprilis, tum etiam epistolæ, quas et ad Leonem nostrum dedit, et ad episcopos Hispanos Idacium et Ceponium: quas ultimas habent Ambrosius Morales, Historiæ Hispan. lib. II cap. 26; Bivarus, in Commentariis ad Pseudo-Chronicon Dextri; et cardinalis Baronius, ad an. 447. Has etiam Leonis ad ipsum epistolæ subdidimus: quoniam et illi cognatæ sunt, et in editione Conciliorum Hispaniæ a Garsia Loaysa, et in ultima omnium Conciliorum collectione prætermissæ sunt, quasi lucem publicam nondum aspexissent.

Locus est in concilio Bracarensi I, cujus occasione quæstionem movent Baronius ejusque pedissequus Binius, quæstionem vix serio excutiendam. Verba hæc sunt Lucretii episcopi in illa synodo proloquentis: *Credo autem vestræ beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore quo in his regionibus nefandissimæ Priscillianæ sectæ venena serpebant, beatissimus papa urbis Romæ, Leo, qui quadragesimus fere apostoli Petri successor exstitit, per Turribium notarium sedis suæ ad synodum Galliciæ contra impiam Priscillianæ hæresis sectam scripta sua direxit. Cujus etiam præcepto Tarraconenses et Carthaginenses episcopi, Lusitaniæ quoque et Baticæ, facto inter se concilio, Regulam fidei contra Priscillianam hæresim cum aliquibus capitulis conscribentes, ad Balconium tunc hujus Bracarensis Ecclesiæ præsulem direxerunt.* Vult ergo eminentissimus cardinalis **1363** unicum esse Turribium, qui et Asturicensis episcopus fuerit, et eodem tempore Notarius Romanæ sedis, suggillatque tamquam a veritate abhorrentem Ambrosii Morales sententiam, qui duos Turribios distinxit, alterum ad quem Leo scribit, eumque Asturicæ episcopum; alterum per quem scripsit ad Hispaniæ episcopos, qui Roma missus est a Leone in Hispanias, ut ejus litteras deferret. Duplex argumentum profert Anselmus conditor pro sua sententia, tenue utrumque et exile admodum. *Si litteras,* inquit, *tum ad Turribium episcopum, tum ad synodum celebrandam notario suo, Turribio item dicto, dedisset, utique in litteris ad episcopum scriptis ejus mentionem fecisset. Hoc enim solemne erat,* etc. Esto solemne fuerit ut in quibusque litteris ejus mentio fieret per quem deferebantur (hoc enim ex abundantia juris concedimus, tametsi nullo nixum fundamento). Hoc etiam ipse præstitum fuisse fatetur. Sed ut idem nuntius ad synodum totius provinciæ missus in epistola ad Turribium scripta nominaretur, nulla necessitas fuit. Ad istum enim rescripsit per eumdem diaconum, a quo ejus litteras acceperat, et ejusdem in suo rescripto mentionem habet: ad synodum vero seu provinciam illam episcoporum Hispanorum, a quibus nullas habuerat litteras nullamque nuntium, per Turribium e latere suo directum litteras misit. Hoc enim est, quod solemnissimum esse assero, ut cum Romani pontifices ad synodum vel ad episcopos aliquos pro alicujus momenti negotio scribebant, per aliquem e suis ad hoc imprimis destinatum id facerent, non vero per alienum clericum: quod si commisisset Leo, hoc ex aliquo contemptu descendisse proculdubio suspicati essent Hispani antistites. Deinde ut adhuc rationem Baronii in ipsam retorqueamus, hujus nomen litteris inscribi solebat, qui litteras ipsas deferendas accipiebat, et revera deferebat, sive diaconus ille esset, sive notarius; non vero nomen ejus cui perlator ipse commendabatur. At nec Turribius Asturicensis has Leonis ad Hispanos episcopos litteras Roma detulisse dici potest, nec easdem ipse a diacono suo accepisse deferendas; quis enim hanc episcopo provinciam demandari velit? Unde ex eo quod omnia, quæ in hoc negotio tractanda erant, Turribii episcopi curæ ac sollicitudini

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cum omnes episcoporum gradus ad unitatem conspirent, tum vero ipsius unitatis centrum idcirco collocatum fuit in Romana sede et in successoribus S. Petri, ut per omnes gradus episcoporum *ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluerel, et nihil usquam a suo capite dissideret.* Sic ipse S. Leo hac in epistola c. 11.

Digitized by Google

commissa sunt a sancto Leone, cum argumentum secundum deduxit Baronius, ut probet litteras per eumdem latas esse ad episcopos Hispanos, videtur oblitus esse quidnam sit discriminis inter episcopum rebus Ecclesiæ sacerdotali sollicitudine incumbentem, et diaconum, vel notarium episcopi mandata ex præscripto exsequentem, et huc illuc litteras bajuli instar deferentem. Mitto quod notarii vox numquam in ecclesiasticis **1364** monumentis in eo significatu usurpatur quem ei affingit auctor ille, ut scilicet eum notarium dicas, qui quod agitur in provinciis ad Romanam sedem referre ac notum facere satagit.

Præterea cum (*a*) tres epistolas Leonis omnino distinctas agnoscere cogamur, partim ex ipso Leone, partim ex Lucretii Bracarensis interlocutione, non item cogimur eodem tempore missas existimare. Ita enim sese res, ut ego quidem reor, habuit. Monitus a sancto Turribio Asturicensi Leo noster de progressu Priscillianæ hæreseos quæ per Hispanias grassabatur, statim quibus remediis tam nefandæ pesti occurreretur cogitare cœpit. Nec aliud promptius occurrit, quam ut generalis Hispanorum episcoporum cœtus congregaretur, qui de statu rerum inquirerent decernerentque. Quamobrem litteras ad Turribium Asturicensem ejusdem diacono Pervinco, ut habet Idatii Chronicon, tradidit perferendas, in quibus eum de congreganda generali synodo monet: *Habeatur ergo*, inquit, *inter vos episcopale concilium, et ad eum locum qui omnibus opportunus sit, vicinarum provinciarum conveniant sacerdotes.* Verum cum ad ejusmodi convocationem faciendam nulla inesset Turribio auctoritas, quippe qui metropolitanus non erat; sed potius inter Gallicias comprovinciales episcopos ultimus, necesse fuit ut de toto hoc negotio Hispani monerentur episcopi. Itaque ad Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallicios scripsit sanctus Leo, eosque ad concilium synodi generalis rite celebrandum hortatus est. De quibus litteris ipsum Turribium monuit, ut ejus cura omnibus episcopis redderentur, totumque negotium ad optatum finem perduceretur. Sed cum per illam tempestatem sub diversa ditione jacerent Hispaniæ illæ provinciæ, Galliciam occupante Rechila Suevorum rege, cæteris sub Gothorum imperio degentibus, non potuit Leonis desiderio satisfieri: quoniam Galliciæ episcopi cum episcopis aliarum provinciarum convenire permissi non sunt. Et id quidem jam tum augurabatur sanctus Leo, cum ad Turribium scribebat. *Si autem*, inquit, *aliquid (quod absit) obstiterit quominus possit celebrari generale concilium, Galliciæ saltem in unum conveniant sacerdotes, quibus congregandis fratres nostri Idatius et Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis instantia tua.* Dubium autem non est quin plures menses post receptam Leonis epistolam a Turribio intercesserint, antequam ad singulos Hispaniarum episcopos litteræ Leonis transmitterentur, ut de hoc negotio deliberarent, inter se illarum Ecclesiarum primates, ut principum voluntatem explorarent, licentiamque ad concilii plenarii congregationem **1365** conarentur obtinere; quod cum frustra demum tentari a se perspexerunt, renitentibus principibus, tum de Galliciæ synodo habenda initum est ab illius provinciæ episcopis consilium. Hoc rescivit sanctus Leo, vel scribente iterum Turribio, vel redeunte nuntio, quem ad quatuor illarum provinciarum antistites cum litteris delegarat, esseque e re Ecclesiæ existimavit, ut ad synodum quæ parabatur, vel jam etiam coacta erat, scriberet; et hæc sunt scripta, quæ per Turribium notarium Romanæ sedis ad synodum Galliciæ contra impiam Priscillianæ hæresis sectam directa esse a Leone commemoravit Lucretius in Bracarensi concilio.

Porro dum pararetur concilium Galliciæ, vel eo jam soluto, aliarum quoque provinciarum episcopi conventum inter se fecerunt, eodem Lucretio teste, secuti hac in re consilium Leonis; in quo regulam fidei cum aliquibus capitulis descriptentes ad Balconium tunc Bracarensis Ecclesiæ præsulem direxerunt. Eam, inquam, regulam fidei, quæ male concilio Toletano I ad an. Christi 400 attexitur, cum revera sit hujus Hispanici quatuor provinciarum concilii, ut vel ex titulo regulæ subjunctorumque capitulorum arguitur, qui eadem habet quæ Lucretius in sua interlocutione; sed imprimis ex Bracar. I concilio, quod utrumque Hispanicæ illi synodo Leonis tempore et præcepto congregatæ asserit. De hac fidei regula plura in dissertatione 14.

Ex dictis patet non simul missam esse epistolam hanc ad Turribium nostrum, et alteram, quam ad synodum Galliciæ scriptam testatur Lucretius: hæc enim nondum erat congregata, nec tam cito coactam fuisse videor mihi in hoc ratiocinio certo evincere.

1366 Eodem fere tempore habitas esse duas illas synodos, unam Galliciæ, alteram quatuor provinciarum, et Baronius fatetur, et Lucretii interlocutio manifeste declarat. Cum autem postrema hæc coacta est, tunc Balconius Bracarensis erat episcopus: non videtur autem idem hujus civitatis Ecclesiam rexisse cum scribebat sanctus Leo ad Turribium aliosque Hispanos episcopos; sed probabile est admodum vel Idatium, vel Ceponium in hac sede fuisse collocatum. 1° enim hoc videtur probari ex epistola quam Turribius scripsit ad utrumque illum episcopum, cum primum Priscillianæ sectæ impium dogma grassari animadvertit: cur enim ad illos episcopos, cæteris prætermissis, querelas suas direxisset, nisi quia (*b*) metropolitica auctoritate supra cæ-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Tres hasce Leonis epistolas optime distinguit Quesnellus, sed earum occasionem ac tempus nos exactius constituimus in dissert. de epistolis deperditis, n. 17, 18 et 19.

(*b*) Cum S. Leo in fine hujus epistolæ inter Galliciæ episcopos Idatium et Ceponium nominet, Quesnellus hos duos Galliciæ metropolitas, et Idatium quidem Lucensem, Ceponium autem Bracarensem episcopum fusius conjectando traduxit. At præterquam quod perperam interpretatur concilium Lucense anni 569, in quo, Gallicia provincia divisa in duas, Lucensi sedi tum primum attributum traditur jus metropoliticum, quod per hocce tempus uni Bracarensi competebat, falsum omnino est Idatium Lucensi Ecclesiæ præfuisse. Idem enim Idatius, qui in proœmio ad Chronicon se episcopum creatum indicat circa annum 427 aut 428, et ad annum 431 se episcopum nominat, Agrestium Lucensem episcopum diserte appellat ad annum 433, non vero *circa annum* 430, ut Quesnellus in hac eadem notatione signavit. Ceponium vero Bracarensem episcopum non fuisse liquet ex prima Bracarensi synodo, et ea fidei regula quæ ab Hispanica synodo cum Leonis præcepto ad Balconium missa, hunc Balconium, non vero Ceponium Bracarensem episcopum nominat. Quod si Balconius Bracarensis, ad quem Avitus anno 416 scripsit epistolam de reliquiis S. Stephani, non credatur diversus a Balconio, qui sub Leone vitam agebat, multo magis rejicienda cognoscetur Quesnelli opinio, qua Balconium Ceponio suffectum existimat. S. Leo autem idcirco Idatium et Ceponium congregandis Galliciæ episcopis adversus Priscillianistas præcipue nominavit in epistola ad Turribium c. 17, non quod ejus provinciæ episcopis metropolitica dignitate præeminerent, sed quod ex Turribii epistola ad eosdem, quam S. pontifex cum libello Turribii acceperat, eorum antiquitatem ac meritum cognoscens, ipsos maxime idoneos credidit, qui Turribium juniorem episcopum contra Priscillianistas in cogenda Galliciæ synodo maxime juvarent. Vide admonitionem in epistolam Turribii ad Idatium et Ceponium, quam appendici epistolarum supra inseruimus. Hinc Idatius

Digitized by Google

teros eminebant, atque ideo eosdem hujus nefandæ hæresis compescendæ cura ac sollicitudo spectabat? 2° Eosdem metropolitanos fuisse provinciæ Galliciæ satis indicat sanctus Leo, cum penes eos curam congregandorum episcoporum intra illam provinciam residere asserit : *Quibus congregandis fratres nostri Idatius et Ceponius imminebunt.* 3° Eumdem Idatium legimus gesta episcopalia habuisse in urbe Asturicensi, cum hujus civitatis episcopo adversus latentes Manichæos, quos suo judicio damnarunt, dirigentes ejusmodi gesta ad Antoninum Emeritensem episcopum : hoc enim testatur Idatius ipse in suo Chronico ad olymp. 306. Tale porro judicium habere in aliena Ecclesia nequaquam potuit, nisi jure metropolitico potitus esset in Galliciæ provincia.

Si porro conjecturis licet in re obscurissima indulgere, facile crediderim jus metropolicum jam per illa tempora fuisse penes **1367** duos episcopos in provincia Galliciæ; cujus assertionis istæ sunt rationes.

1. Cum Turribius de Priscillianistarum redivivis erroribus eos monere vellet, quorum officium et potestas erat errores hujusmodi in provincia Galliciæ exstinguere, non unicum, sed duos episcopos Idatium et Ceponium conjunctim adiit, velut dignitate et auctoritate pares, ut testis est epistola ad eos scripta.

2. Eosdem cogendæ Galliciæ synodo præsidere debere significat sanctus Leo; quod jus procuidubio metropoliticam arguit dignitatem : nisi enim uterque ea præfulsisset, fuissetque liberum sancto Leoni præsidem hujus concilii ex arbitrio constituere, non alium quam Turribium hoc munere ornasset, cujus sollicitudinem industriamque perspectam habebat.

3. Hoc etiam persuadet provinciæ hujus immensa amplitudo : quæ Lucensem synodum anni 569 coegit, ut ex præcepto principis in duas eam provincias ecclesiasticas scinderet, attributis Ecclesiæ Lucensi metropoliticis juribus; quæ non tam nova institutio mihi videtur, quam pristinæ instauratio : quæ tumultuum bellicorum occasione, antiquitate posthabita, immutata erat, ut in unum episcopum omnia metropolitica jura tunc confluxerint.

4. Confirmatur ex eorum sententia qui in hac causa Lucense ponunt concilium in Celenis municipio Lucensis diœcesis eodem tempore collectum; hoc enim si verum est, jus metropoliticum Lucensi episcopo inesse pene necesse fuit, qui dum Bracarensis in eadem provincia metropolitanus synodum habet Bracari, alteram in eadem provincia propria auctoritate coegerit. Vide quæ in præfatione Toletani I concilii an. 400 referuntur de hoc Celenensi seu Lucensi concilio, quæ male illic inserta, ad Leonis tempora rejicienda esse videntur : tametsi ad propositum nostrum nihil intersit an hujus an superiori ætate Lucensis illa synodus coacta fuerit.

5. In præfatione concilii Bracarensis I, quod prius fuit illo Lucensi, in quo primum divisa dicitur provincia Galliciæ in duos metropolitanos, aliquod mihi videor vestigium deprehendere divisionis jam antea factæ : Bracarensis quippe Ecclesia dicitur *Bracarensis provinciæ metropolitana*, cum dicere debuisset provinciæ Galliciæ, si unica fuisset ecclesiastica provincia. Deinde huic concilio octo tantummodo episcopi adfuerunt, cum quindecim ad minus essent Gallicianæ provinciæ episcopi : ut suspicari liceat eos tantum convenisse qui Bracarensi suberant, non eos qui Lucensi. Quod vero primum in Lucensi synodo facta divisio legitur, facile ita interpretor, ut tum primum synodali statuto ac regio præcepto denuo instauratum sit, quod jam ab antiquo in usu fuerat, et per aliquod forsan tempus interruptum, ambitione Bracarensium metropolitanorum. Demum in illo concilio contentioni quæ inter utrumque metropolitanum **1368** fuerat, finis est impositus decreto peremptorio, quod Lucensi metropoliticam dignitatem asseruit.

6. Idatius in Chronico, olympiade 303 circa annum 430, hæc narrat accidisse : *In conventu*, inquit, *Lucensi contra voluntatem Agrestii Lucensis episcopi Pastor et Syagrius episcopi ordinantur.* Videx in his verbis plura metropoliticæ dignitatis argumenta pro Lucensi episcopo. Cur enim apud Lucum conveniunt episcopi, nisi quia metropolis erat? Cur in illa urbe ordinationes episcoporum factæ, nisi quia metropolitani sedes erat? solemne enim antiquitus fuit ut episcopus vel in propria cui præficiebatur Ecclesia, vel in metropolitana civitate ordinaretur. Cur denique ordinatos illos episcopos fuisse notat contra voluntatem Lucensis episcopi, nisi quia hic erat manifestus canonum contemptus, qui toties vetant no episcopus citra metropolitani episcopi voluntatem et conscientiam consecretur?

Quæ superius dixi jam paucis colligo. Ac 1° duos fuisse in Galliciæ provincia metropolitanos; 2° unum eorum Bracarensem episcopum fuisse, extra omne dubium esse; 3° alterutrum e nominatis episcopis, Ceponium dico et Idatium, Bracarensem metropolitanum fuisse; 4° videri Ceponium hoc anno 447 Bracarensem Ecclesiam rexisse potius quam Idatium. Oportet enim eum, qui tunc Bracarensibus præerat, decessisse ante synodum Galliciæ, cum hujus tempore Balconius Bracarensem Ecclesiam regeret; at Idatius tunc adhuc in vivis erat, si fides libello de duodecim Scriptoribus ecclesiasticis, qui Isidoro et Ildephonso subjici solet : *Decessit enim*, inquit ille, *sub Leone principe ultima jam pene senectute, sicut etiam præfationis suæ demonstrat initio.* Quod etiam patet ex ipso Chronico, quod ultra Leonis papæ tempora ab eo extenditur. 5° Igitur Lucensis metropolitanus fuisse videtur Idatius, quamvis Sigebertus eum Lemicæ episcopum faciat. Sed videtur confundere duos Idatios, quorum unus tempore Leonis, et Chronici auctor fuit; alter Priscilliani olim accusator, qui revera Lemicæ episcopus fuit. Errandi præterea Sigeberto occasio fuit, quod recentior Idatius in præfatione sui Chronici natum se in Lemica civitate affirmat : qui si ejusdem civitatis episcopus fuisset, hoc non omisisset eo loco commemorare, ubi et Lemicæ et suæ in ea nativitatis mentionem faciebat. Melius dixeris videri eum metropolitanam suam dignitatem indicare, cum ibidem se *summi præsulem officii creatum* dicit : summum est enim inter episcopos provinciæ metropolitani officium, et in fine ejusdem præfationis, ita gemebundus deformem luget ecclesiastici ordinis statum in provincia Galliciæ, ac si ad eum præcipue pertinuisset, velut provinciæ caput; *creationibus indiscretis*, quas notat, et *universæ propemodum in divina disciplina religionis occasui* ex officio occurrere ac subvenire.

Denique vix locum dubitandi relinquit **1369** Idatius, cum olympiade 310 Gallicianæ provinciæ populationem describit, Suevosque apud Lucum direptos narrat. Statim enim hæc subjicit : *Capto Idatio episcopo septimo kalendas Augusti in Aquæflaviensi Ecclesia, eumdem conventum grandi evertit excidio.* Manifestum est non de alio eum quam de seipso sermonem habere, nec de alio conventu, quam de Lucensi, de cujus vastatione narrationem inierat; nec aliam ejus episcopalem sedem quam Lucum indicari; Aquaflaqui se in Aquæflaviensi Ecclesia captum tradit circa annum 462, episcopus creditur ejusdem Ecclesiæ, ad quam se post tres menses rediisse commemorat. Hanc autem episcopalem sedem fuisse Quesnellus negavit ex sola nondum probata hypothesi, qua eum Lucensem metropolitam præsumpsit. Turribii autem amicissimus, eodemque zelo præditus agnoscitur, cum ambo simul an. 445 Asturicæ adversus latentes Manichæos dimicarint.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

Digitized by Google

viensis enim Ecclesia, quam commemorat, episcopalis sedes non erat, sed particularis aliqua Lucensis parochiæ ecclesia.

Jam quod idem Idatius frequenter appellat conventum Bracarensem et conventum Lucensem, suspicor partitionem provinciæ Gallicianæ his verbis indicare. Provinciam scilicet amplissimam in duas partes divisas puto, quas placuit conventus nomine discernere, et utrique suam metropolim, uni Bracaram, alteri Lucum attribuere, cum juribus metropoliticis tam in civilibus, quam in ecclesiasticis. Eodem fere loquendi modo in antiquis præsertimque Africanis monumentis unaquæque provincia concilium appellatur, quod idem est atque conventus.

2. *Epistolæ sermo, et commonitorii series, et libelli tui textus.* Tria manifeste distinguit: (*a*) Epistolam, commonitorium et libellum. *Epistolam* familiarem appellat ipse cap. 17. *Commonitorium*, quod nos vulgo memoriale dicimus, scriptum illud est sexdecim capitulis comprehensum, quod damnatas olim Priscillianistarum opiniones continebat, cuique totidem capitibus respondet hac epistola S. Leo. *Libellus* denique sexdecim pariter capitulis constans aliud a priori scripti genus est, quo Turribius hæreticorum istorum blasphemias confutavit, ut ipse testis est in fine suæ ad Idatium et Ceponium epistolæ. *Libros* vocat additio ad Isidori libr. de Viris Illustribus superius laudata, *quibus eadem Priscillianorum hæresis detestata, convicta, atque decenter abdicata* fuisse ibidem dicitur. De eodem libello intelligenda videntur, quæ habet Montanus episcopus Toletanus in epistola ad Palentinos, concilio Toletano II annexa: *Hunc*, inquit, *Priscillianum talem fuisse plenius discet, qui beatissimi ac religiosissimi viri Theortbii episcopi ad sanctum papam urbis Romæ Leonem libros editos legit. In quibus hanc sordidam hæresim explanavit, aperuit, et occultam tenebris suis perfidiæque nube velatam in propatulo misit. Ex ipsis etenim* LIBRIS *qualiter cavere, quid respondere contra sacrilegos possit, pius lector inveniet.*

1370 3. *Priscillianistarum fœtidissimam apud vos recaluisse sentinam.* Hæc ex Augustino, lib. de Hæresib. ad Quodvultdeum, hæresi 79, mutuatus esse videtur S. Leo. Hujus turpissimæ sectæ cunabula et progressus qui scire volet, adeat Sulpitium Severum lib. II Histor. in fine. Videat etiam Hieronymum in Daniel. XL, et ad Ctesiphontem contra Pelagianos; Idatii Chron. olymp. 291, concilia Toletan. I et Bracar. I. De hac hæresi nihil apud Epiphanium, qui forte eam a Gnosticorum, Manichæorum aliorumque sectis, quibuscum pleraque habebant Priscillianistæ communia, non distinxit. Est et apud Augustinum tom. VI consultatio Orosii Hispani ad ipsum, et Augustini ad Orosium responsio, seu liber adversus Priscillianistas et Origenistas. Superiorem lectionem *fœtidissimam sentinam* exhibent omnes excusi codices et aliquot mss. Plerique tamen *sententiam*: Corbeiens. duo, Cantabrig., Thuan. 1. Ita et Grimanic., sed alio atramento correctum, etsi eadem, ut puto, manu: prius enim *sentinam* legebatur. Pro *fœdissimam* quoque manu et atramento iisdem repositum *fœtidissimam*, quod et Corbeien. 1 habet et Thuan. 1.

4. *Ut auctorem ejus cum plerisque discipulis legum publicarum ense prosternerent mundi principes. Quid loquar de Priscilliano* (inquit Hieronymus ad Ctesiphontem adversus Pelagium scribens), *qui et sæculi gladio et totius orbis auctoritate damnatus est?* Idem habes apud Sulpitium Severum. Sed neque hic, neque ille, nec quisquam alius sanctorum Patrum, qui illo Priscilliani ævo vixerunt, cruenta hujusmodi consilia ita approbarunt. Sanctus enim Martinus omni studio egit apud Maximum, ut sanguine infelicium abstineret, non desinens increpare Idatium, ut ab accusatione desisteret; novum et inauditum nefas asserens ut causam Ecclesiæ judex sæculi judicaret: satis superque sufficere, ut episcopali sententia hæretici judicati Ecclesiis pellerentur. Severus ipse, qui hæc refert lib. II Hist., Priscillianistas parum sanis consiliis, pertinacibus studiis, pessimo exemplo necatos aut exsiliis mulctatos esse testatur; Ithaciumque eam ob rem et coepiscoporum communione, et episcopatu fuisse privatum, non est qui nesciat. Quæ causa fuit ut Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum Priscilliani necem factioni Hylatii (*forte* Idatii) et Ithacii tribuat. Quo tamen loco, ut verum fatear, valde suspicor (*b*) depravatum esse et interpolatum hunc Hieronymi librum; illudque omne quod **1371** de Priscilliano habet, ab aliquo ejus assecla olim esse insertum. Vix enim conciliare possis quæ alibi habet seu ad Ctesiphontem contra Pelagium scribens, seu Danielem commentans, cum his quæ in isto Catalogo leguntur de Priscilliano. Hic enim Abilæ eum episcopum vocat; cum a paucis discipulis suis episcopus ibidem constitutus, numquam pro episcopo habitus sit a catholicis, numquam episcopus nominatus, numquam ut talis accusatus vel damnatus reperiatur. Nullam præterea ei notam affingit, nec hæretici cum appellat: e contra vero ejus accusatores episcopos, ne episcopos quidem nominat, sed potius ut homines factiosos infamat. Denique insignem hæresiarcham, seu potius omnium hæresum antiquarum instauratorem satis habet, si sparsis rumoribus hæreseos a nonnullis accusatum esse indicet, a pluribus eumdem simul defensum ita asserens, ut in quam partem sese inclinet lector anceps remanere cogatur. *Hic*, inquit, *usque hodie a nonnullis Gnosticæ, id est Basilidis et Marcionis, de quibus Irenæus scripsit, hæreseos accusatur, defendentibus aliis non ita eum sensisse ut arguitur.* Ita anno Theodosii 14, id est, Christi 392, scribit Hieronymus, vir nihil eorum quæ in Ecclesia gerebantur ignarus, post Cæsaraugustanam synodum, post Burdigalensem, post *damnatum totius orbis*, ut ipse ait, *auctoritate* Priscillianum, post Damasi, cui ipse aderat, repulsam, talem ut ne in conspectu quidem pontificis admissi sint Priscillianus et socii se illi purgare cupientes. Quin et libro laudato ad Ctesiphontem, Priscillianum vocat *partem Manichæi*, asserit eum habere *partem Gnosticæ hæreseos de Basilidis impietate venientem*, et ibidem ac alibi adversus ejus turpitudinem stylum acriter exerit.

5. *Sexdecim capitulis.* Ita mss. codic. Barb. 1, Thuan. quatuor, Corb. duo, Trecopith., Cantabrig., Herovallianus Isidori Merc., editiones Crabbi, Canisii, Sichardi, Nicolini, Surii, etc., et recte quidem; revera enim sexdecim tantum capitula commonitorium et libellus Turribii complectebatur, ut ex his capituli 16 verbis patet: *Decursis itaque omnibus quæ libelli series comprehendit, et a quibus commonitorii forma non discrepat*, etc. Vulgo tamen in excusis legitur: *Decem et septem capitulis*, quibus Grimanic. ms. suffragatur.

Notatu porro dignum est, ex sexdecim horum Leonis capitum seu responsionum non modo sententiis, sed et ipsis verbis, conflata fere esse illa capitula quæ a concilio Bracarensi I condita sunt ad clariorem catholicæ veritatis expositionem. Relectis enim approbatisque tam regula fidei, quam subjectis capitulis quæ edita olim fuerant a concilio Tarraconen-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Confer nostram dissertationem de epistolis deperditis num. 16, quam post S. Leonis epistolas dedimus.

(*b*) De corruptione hujus loci in Catalogo, cui nulli codices suffragantur, non est suspicandum. Vera causa cur Hieronymus in eo libro alia ratione de Priscilliano scripsit, quam in posterioribus libris, hæc est, quia tunc de ejus erroribus et gestis non ita erat instructus ut postea fuit.

Digitized by Google

sis, Carthaginensis, Lusitanæ, et Bœticæ provinciarum ex suggestione Leonis coacto, visum est illis Bracarensis synodi Patribus aliqua etiam proponere capitula, quæ ut magis simplicia **1372** evidentiaque a minus eruditis intelligi facile possent. Quod aptius a se præstari non posse existimarunt, quam si Leonis responsa directa olim ad Turribium ob oculos sibi ponerent et, in compendium missa, sub anathematis pœna suscipienda populis præciperent. Quod feliciter quidem impletum est, ut legenti liquido apparebit. Nullum enim fere verbum est quod a Leone non sint mutuati, nulla Leonis capitula quæ suis non comprehenderint. Priores enim quinque concilii articuli quinque prioribus Leonis capitibus ex ordine respondent; alii cum aliis, etsi nec ordine servato eodem, nec numero, omnino conveniunt. Unicum est Leonis capitulum, quod illi intactum reliquerunt; nonum videlicet, quo refellitur Priscillianistarum sententia dicentium: *Filios promissionis ex mulieribus quidem natos, sed ex Spiritu sancto esse conceptos.* Quam ideo prætermiserunt, vel quia talia non sentire Priscillianistas suo tempore animadverterunt, vel quia ambigua illa propositio catholico sensu defendi poterat, si de solo regenerationis sacramento intelligeretur, quo forte defendebatur ab illis hæreticis; nec enim omnia hæreticorum dicta hæretica sunt.

6. *Sed omnis mali ipse sit principium atque substantia.* Ita omnes codices, exceptis Thuaneo uno, qui habet: *Omnibus malis ipse sit*, etc., et Griman. ac Barb. 1, in quibus sic legitur: *Sed omnibus ipse sit principium atque substantia*, etc.; quam lectionem confirmare videtur S. Augustinus, qui libro de Hæresibus ad Quodvultdeum, cap. 70, inter Priscilliani-starum dogmata hoc recenset, quod *a maligno principe istum mundum factum fuisse* asserunt, et *opificium omnis carnis, non Deo bono et vero, sed malignis angelis tribuunt*: quod et de totius mundi creatione eosdem sensisse cap. 14 hujus epist. testatur Leo. Judicet lector et eligat.

7. *Sine corpore.* Ita e Thuaneis codic. unicus cum Trecopithœano, quem ex illo transcriptum dixeris, ita in omnibus ei concinit; ita etiam Herovallianus Isidori Merc. cod. ms. Cæteri tam exarati manu, quam excusi etiam Isidorianæ Merlini collectionis, habent: *In corpore.* Sed huic lectioni priorem quam reposuimus anteponendam esse nemo est qui non intelligat, tam ex sermonis contextu, quo animas corporibus postmodum inclusas fuisse a dæmonibus asserit, quam ex Augustini verbis de hæresibus cap. 70, quæ auctori nostro ob oculos fuisse et sensus et verborum similitudo arguunt. *Hi*, inquit, *animas dicunt ejusdem naturæ atque substantiæ cujus est Deus, ad agonem quemdam spontaneum in terris exercendum per septem cœlos et per quosdam gradatim descendere principatus, et in malignum principem incurrere, a quo istum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari.*

1373 8. *Dictinii tractatus.* (*a*) Dictinium fuisse

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Quidquid in hac annotatione Quesnellus disserit de ejectione Dictinii, innititur Idacii testimonio, quod in prima Leonis editione allatum, in secunda fatetur apud Idacium non reperiri. Excitatus nimirum fuerat Tillemontii litteris ut eum locum ubinam apud Idacium esset indicaret. Hinc se deceptum detexit, et solum excusationis causa eum locum non abs se confictum, sed aliquo ex libro, cujus oblitus est, bona fide descriptum testatur. Licet vero agnoscat et indicet non obscure hoc testimonio deficiente ea omnia corruere, quæ in tota annotatione *illi substructa sunt*; cum tamen multas conjectationes adhuc congesserit, more suo, quibus suspecta reddantur exemplaria professionum Symposii et Dictinii Toletano 1 concilio subjecta, nec non sententia ejusdem synodi, quæ Ambrosius Morales ediderat; cumque de his documentis, ac de aliis nonnullis rebus ad idem Toletanum concilium pertinentibus aliquot non leves controversiæ inter eruditos agitentur; nos, qui ex codicibus quos vidimus hac in re aliquid lucis afferre et ea documenta genuina demonstrare posse credimus, rem gratam lectoribus facturos arbitramur, si de iisdem non pauca disseramus.

In recentibus conciliorum editionibus Toletani 1, nomine proferuntur viginti canones, tum subjicitur regula fidei contra Priscillianistas, postea exemplaria professionum Symposii ac Dictinii, ac tandem ejusdem concilii sententia. Canones dicuntur editi in Toletano concilio Stilicone consule, æra 438, qui characteres anno 400 congruunt. Regula fidei, quam adversus Priscillianistas ex præcepto Leonis fecisse traduntur episcopi Tarraconenses, Carthaginienses, Lusitani et Bœtici, convenit ei concilio, quod idem pontifex convocandum præcepit in epistola ad Turribium, c. 17. Exemplaria professionum Symposii et Dictinii præferunt æram 438, et sententia concilii vivum supponit S. Simplicianum Mediolanensem, aliasque notas exhibet, quæ omnia cohærent cum an. 400 cui sane Idatius Symposii et Dictinii retractationem, id est memoratas fidei professiones, assignat. At in iisdem professionum exemplaribus hi episcopi Symposius et Dictinius *sanctæ memoriæ* appellantur, quæ formula scriptum prodit hoc documentum post eorum mortem, ac propterea post an. 400.

Hæ variæ notæ varias inter criticos sententias peperere. Plerique eos canones, professiones fidei, et sententiam in Toletana synodo editos censuerunt anno 400, vel 405, in quibus Stilico consulatum gessit; regulam vero fidei in alia synodo Leone pontifice anno 447, aut paulo post. Tillemontius tom. VIII. not. 15, in Priscillianistarum historiam pag. 796, etsi cognosceret professiones Symposii ac Dictinii, nec non sententiam synodi conditas fuisse in concilio Toletano an. 400, hæc tamen documenta, uti nunc habentur, excerpta contendit ex ejusdem synodi gestis, et recitata ac inserta in alia synodo sub Leone, huicque præterea non solum regulam fidei, sed etiam canones tribuit hac potissimum ratione, quia de Patribus, qui sub Leone condiderunt regulam fidei, eodem contextu in præmisso titulo, affirmatur: *Ipsi etiam et suprascripta viginti canonum capitula statuerunt.* Ita hæc omnia ad synodum Toletanam sub Leone habitam referri posse indicat eodem tomo, pag. 524. P. Constantius vero in monito ad epist. 3 Innocentii n. 4, cum incredibile videret canones abjudicari a concilio Toletano coacto an. 400, ad difficultates concillandas aliam viam ingressus est. Regulam fidei asserit synodo sub Leone, cætera vero, quæ Toletani 1 esse non dubitat, ad synodum sub Leone eatenus referri posse autumat, quatenus in ea ante fidei regulam relecti et confirmati fuerint canones 20 in anteriori synodo conditi, quo satis explicatur illud *statuerunt*; post regulam autem professiones et sententia excerptæ fuerint e plenioribus Toletanæ 1 synodi gestis.

Soli codices ex quibus hæc documenta prodiere aliquid subsidii afferre queunt in hac controversia. Canones et regula fidei qui a Merlino primum editi ex manuscripto collectionis Isidorianæ, a collectione Hispanica, quam Pseudo-Isidorus transcripsit, originem ducunt. Porro omnia exemplaria hujus collectionis in prima parte, quæ concilia exhibet, Toletanam 1 synodum cum viginti canonibus præferunt, solamque fidei regulam subjiciunt. Canonibus autem præfigitur universim hæc chronica notatio: *Arcadii et Honorii temporibus sub die* XII *id. Sept., Stilicone consule*, qua canonum et concilii tempus designatur. Plures ex iisdem mss. libris addunt æram Hispanicam cum quodam exiguo discrimine. Quatuor codices purioris collectionis Hispanicæ vidit Joannes Baptista Perezius, quos recenset in ms. Var. 4887: Alvendensem Vigilæ, Lucensem, Hispalensem, et S. Æmilianl. Nos hac in re totidem codices contulimus, duos pu-

Digitized by Google

siunt Asturicensem episcopum, in cujus decedentis locum Turribius ipse, cujus epistolam in manibus habemus, fuerit subrogatus. Hunc patrem habuisse Symphosium seu Symposium episcopum, indicat

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

rioris Hispanicæ, unum Palatinum 755, alterum eminentissimi cardinalis Passionei; tertium antiquissimum Veronensis capituli ms. 59, qui abbreviationem canonum ex Hispanis codicibus ipsa Hispanica collectione antiquioribus continet; quartum denique Vat. 1341, qui collectionem Hispanicam Gallicanæ et minus puræ originis exhibet. Ex his omnibus mss. libris tres æram omittunt, Hispalensis, Palatinus et Vatic. 1341. Cæteri sic eam signant. Codex Alvendensis Vigilæ notat æram 435; præstantissimus Lucensis præfert æram 438; et similiter vetustissimus Veronensis eamdem æram sic exhibet: *Ex synodo Toletana æra* 438. Concinit etiam codex S. Æmiliani, qui licet in conciliis mutilus Toletano 1 careat, alibi tamen, ut postea dicemus, exhibet antiquissima excerpta ex gestis ejusdem Toletani concilii, et in his annotatur æra 438. Tandem codex Hispanicæ collectionis apud eminentissimum Passioneum signat æram 439. Ex hac autem, quantumvis diversa, æræ notatione colligitur, B synodum ejusmodi non posse produci ad concilium sub Leone, sed Toletanum concilium exigit, quod cum Stiliconis consulatu in eadem inscriptione designato cohæreat. Cum autem Stilico bis consulatum gesserit, nimirum an. 400 et 405, nullæ autem æræ in mss. indicatæ incidant in an. 405, quo Stilico secundo consul fuit; hic secundus consulatus, seu annus 405 intelligi nequit. Cum vero æra 438 in tribus vetustissimis codicibus ascripta anno 400 conveniat, manifestum fit alias duas æras duorum aliorum codicum amanuensium lapsu esse corruptas, et ad æram 438 emendandas esse, ac propterea concilium indicatur Toleti habitum an. 400, quo Stilico primum consulatum gessit: unde eum non *iterum consulem*, ut in secundo consulatu scribi solet, sed simpliciter *consulem* inscriptio nominat. Canones igitur et episcopi eisdem subscripti pertinent ad concilium Toletanum anni 400.

Post canones et subscriptiones episcoporum sequitur hæc clausula: *Explicit constitutio concilii Toletani*; quæ in editis Conciliorum omittitur, at a Garzia Loayza ex Hispanis codicibus profertur in editione Conciliorum Hispaniæ. Hæc autem clausula præmissos quidem canones, non vero quæ postea describitur *Regula fidei*, ad eamdem synodum spectare ostendit. Id vero apertius patet ex diverso titulo qui in mss. puræ collectionis Hispanicæ statim subjectus, aliud concilium a Leone præceptum epist. 15, c. 17, palam designat. *Incipiunt regulæ fidei catholicæ contra omnes hæreses, et quam maxime contra Priscillianos, quas episcopi Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani, et Bætici fecerunt, et cum præcepto papæ Urbis Leonis ad Balconium episcopum Galliciæ transmiserunt. Ipsi etiam et suprascripta viginti canonum capitula statuerunt in concilio Toletano*; et mox subditur ipsa regula fidei. Postrema verba *Ipsi etiam et suprascripta*, etc., nihil moveant: hæc enim additamentum esse perperam insertum ostendemus postea. Codex Vat. 1341 collectionis Hispanicæ originis Gallicanæ cum Isidorianis hanc descripti tituli variam lectionem præfert: *Incipit regula fidei catholicæ contra Priscillianistas, quam episcopi Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani, et Bætici fecerunt ex præcepto papæ Urbis Leonis, et ad Balconium episcopum Galliciæ*, etc. Ex hac lectione, qua fidei regula *ex præcepto* Leonis facta, et ad Balconium transmissa traditur, alia Leonis epistola ad eos episcopos data dicenda esset, in qua hoc præceptum contineretur. Sed hisce originis Gallicanæ mss. præferendi sunt codices purioris Hispanicæ. In his autem omnibus alia interpunctione legitur *cum præcepto*: unde tres alios codices similes allegat etiam Baluzius, not. 14, in epist. 40 S. Cypriani, qui *cum præcepto* similiter exhibent. Ex hac autem lectione et interpunctione colligi videtur episcopos memoratos, qui sub Leone convenerant, ad Balconium Galliciæ metropolitam una cum fidei regula quam condidere misisse etiam Leonis præceptum, seu ejus litteras, quibus præceperat ut omnes Hispani ac præsertim Galliciæ episcopi, adversus Priscillianistas qui hanc præsertim provinciam infecerant, synodum cogerent. Vide dissert. de epist. deperditis num. 18.

Post hanc regulam fidei in memoratis codicibus ad aliud concilium Toletanum 11 transitur; et nec unus quidem exemplaria professionum Symposii ac Dictinii, vel concilii sententiam subjicit. Hæc autem documenta una cum epistola Turribii ad Idacium et Ceponium ab Ambrosio Morales edita fuerunt ex ms. S. Æmiliani, qui in bibliotheca regia S. Laurentii Escuriarum servabatur. Cum vero ejus codicis notitiam satis exactam ille non dederit, nec quo loco ea documenta in ms. reperiantur indicaverit, creditum est ea ibidem annexa fuisse, ut in editis, Toletano 1; quod cum nulli alii præferant codices inter tot qui hanc synodum continent, ejus codicis fides ac documenta ejusmodi in suspicionem venerunt, aliique hæc supposititia, alii interpolata opinati sunt; alii vero ex formula *sanctæ memoriæ* defunctorum propria, qua Symposius et Dictinius nominantur, ea documenta ad concilium sub Leone habitum traducenda judicarunt. At Joannes Baptista Perezius, qui ante Ambrosium Morales eum codicem vidit, omnem difficultatem adimit. Is an. 1575, jussu Gasparis Quirogæ, tunc episcopi Conchensis ex mss. Hispanicis conscripsit librum canonum, in quo editorum Hispaniæ conciliorum variantes, inedita vero diligenter transcripta, variæque annotationes, ubi opus esset, adjectæ continentur. Hic autem liber ab eodem episcopo Romam transmissus ad Gregorium XIII, qui id opus præceperat, ut editioni et emendationi Gratiani inserviret, in bibliotheca Vaticana num. 4587 custoditur. Quatuor autem eximii codices Hispanicæ collectionis ibidem laudantur, ac inter hos ms. S. Æmiliani, qui C his verbis designatur pag. 128: *S. Æmiliani codex allatus ex monasterio S. Æmiliani de la Cogolla, prope Najarum, scriptus anno Domini* 962, *ut ibi dicitur; est vero omnium locupletissimus, nam præter communia habet hæc*, etc. Dein postquam, pag. 143, Toletano 1 perperam additam contendit *regulam fidei*, quæ ad aliam posteriorem synodum pertinet, hæc de præfatis documentis subjicit: *Nunc rejecta hac concilii Toletani appendice, alteram illi magis germanam substituamus, quæ in eodem vetustissimo codice S. Æmiliani exstat, licet seorsim, non hoc ipso loco* (ejusdem Toletani) *posita; nempe abjuratio hæresis Priscillianicæ facta ab episcopis Dictinio et Symposio, et concilii sententia de communione quibusdam episcopis vel reddenda vel neganda*; et ea monumenta tunc inedita cum quibusdam annotationibus subnectit. Patet igitur hæc documenta non post Toletanam synodum, sed loco separato in ms. exhiberi. Inter pontificis autem epistolas eadem documenta hoc in codice reperiri idem D Perezius innuit, cum loquens de epistola Turribii ad Idacium et Ceponium, quæ in eodem ms. una cum prædictis documentis inventa est, hunc ms. librum *codicem epistolarum pontificiarum* appellat. Neque enim hunc ita appellat, ac si solas epistolas pontificum contineat, quem et concilia collectionis Hispanicæ exhibere prodidit; sed quia in ea parte, quæ epistolas pontificias complectitur, illa monumenta inserta inveniuntur.

Insignis antiquitas atque præstantia singularis hujus codicis alia eximia monumenta exhibentis quæ in cæteris desunt, quæque ab omnibus sincera habentur, omnem interpolationis aut suppositionis suspicionem excludit etiam quoad professiones Symposii et Dictinii, et quoad sententiam concilii, quæ scriptor æque ac cætera ex antiquioribus genuinis

Digitized by Google

Dictinii **1374** ipsius professio fidei in Toletano I emissa in hunc modum: *Sequor sententiam Domini mei* A *et patris mei et genitoris et doctoris mei Symphosii.* Ab eodem porro Priscillianæ hæresis venenum hausit, a

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

fontibus derivasse credendus est. Ex loco autem separato, in quo ea documenta descripta fuerunt, agnoscimus eadem in vulgatis Conciliorum Toletano I perperam fuisse subjecta, ac si non tam documenta ipsa quam introductiones his præfixæ ei concilio tribuantur una cum formula *sanctæ memoriæ*, quæ illi convenire non potest. Separatus hic locus opus pariter indicat distinctum, et a Toletano sejunctum, quo quis ex amplioribus hujus synodi gestis hæc documenta ad Priscillianistas pertinentia posterius excerpsit: unde is annotata æra 438, cui excerpta documenta in ipsis gestis attributa reperit, Symposium et Dictinium jam defunctos *sanctæ memoriæ* appellavit. Auctor collectionis Hispanicæ dum notavit in procemio Toletani I hujus concilii Patres adversus Priscillianos aliis gestis libellarem direxisse sententiam, hanc sententiam innuere satis duxit, ac proinde ejus excerpti quod sententiam continet auctor non fuit. Num hoc excerptum in concilio sub B Leone conditum fuerit, nullo certo indicio proditur. Quoniam vero non hoc solum excerptum; sed et Turribii epistola ad Idacium atque Ceponium missa codici inseruntur, forte excerptor fuit ipse Turribius. Sed absque fundamento nihil affirmari potest. Id autem sufficit ad diluendam omnem suppositionis aut interpolationis suspicionem, quam Quesnellus inspersit. Excerptor non ipsa integra acta descripsit, sed quidquid ex professionibus ac sententia excerpendum putavit, iisdem verbis excerpsit quæ in plenioribus gestis invenit. Solum in titulis seu introductionibus quæ sententiæ ac professionibus præmittuntur suis verbis usus, indicium gestorum præbuit, æramque et varios cognitionum dies ad Priscillianistarum causam pertinentes ex iisdem gestis sumptos notavit.

In mss. collectionum Hispanicæ et Isidorianæ verba procemio canonum inserta de Patribus Toletanis, qui *et in aliis gestis adversus Priscilliani sectatores, et hæresim quam astruxerat, libellarem dedere sententiam,* C ostendunt collectorem, qui hoc procemium scripsit, voluisse solos canones ex Toletano I exscribere, non autem gesta in Priscillianos: unde et post canones apposuit clausulam *Explicit.* (Forte collectionis auctor eo concilio sententiam Toletani I omisit, quia post canones ejusdem concilii subjiciendam putavit *regulam fidei*, quæ adversus Priscillianam hæresim expressior et potior visa est.) Consulatus vero et æra satis ostendunt laudatos canones pertinere ad Toletanum anni 400, non vero ad aliud concilium fortassis Toletanum sub Leone habitum, ad quod certum est pertinere regulam fidei, cum præsertim inter subscriptiones saltem tres episcopi, Ortigius in sententia memoratus, ac Patruinus et Hilarius nominati in epistola Innocentii I, ad synodum Toletanam, congruant quidem anno 400, non vero an. 447. Adde quod Innocentius I, in laudata epistola, c. 6, n. 9, decretum Toletani concilii laudans, quo ordinationes secundum Nicænos canones faciendas statutum fuit, interlocutionem Patruini canonibus præmissam aperte D respicit, ut optime observavit P. Coustantius, ac proinde hæc interlocutio cum iisdem canonibus post Innocentium referri nequit. Idacius sane, in Chronico, ad annum Abrahami 2416, præter gesta in Priscillianos disciplinæ, etiam canones huic concilio attribuit. Cum annus Abrahami 2416 inchoarit kal. Octobris anni Christi 399, mensis September ejusdem anni, cui illud concilium in gestis assignatur, respondet Septembri an. Christi 400. Eædem porro subscriptiones et clausula *Explicit* ostendunt etiam prædictos canones neque eo sensu posse tribui concilio sub Leone, quatenus in hoc repetiti et confirmati fuerint ante statuendam regulam fidei, quemadmodum Coustantius credidit. Si enim ex concilio sub Leone sumpti fuissent, et non potius ex Toletano I, atque ab ejus concilii Patribus veluti proprii adoptati fuissent et constituti, ut indicat verbum *statuerunt;* nec subscriptiones Toletani I insertæ fuissent, nec post canones et subscriptiones ante fidei regulam apposita fuisset clausula *Explicit.* Quod si relectione Toletani I fuissent confirmati, non fuisset dictum *statuerunt*, sed (ut casu non dissimili factum est in Bracarensi an. 563) *relecti*, vel aliquid simile; et prætermissa clausula *Explicit*, ad condendam fidei regulam Patres transissent.

Quid autem censendum de verbo *statuerunt*, quod nulla in sententia Patribus concilii sub Leone convenire potest? Solis conjecturis locus est. Cum certum sit canones esse concilii Toletani anni 400, regulam vero fidei spectare ad aliud concilium sub Leone, cui quidem ea sola fidei regula tribuitur in laudata synodo Bracarensi; verba inserta in titulo regulæ fidei, *Ipsi etiam et suprascripta viginti canonum capitula statuerunt in concilio Toletano*, additamentum perperam intrusum videntur, quod sane nec cum antecedentibus, nec cum subsequentibus quidquam habet nexus, et in codice, unde ipsa regula sumpta fuit, procul dubio nequaquam exstabat. Forte marginalis annotatio fuit olim a quopiam subscriptionibus apposita, quæ subinde extra proprium locum irrepsit in textum tituli regulæ proximi, post quem sine hoc extraneo additamento, quod contextus non recipit, ipsa statim regula subjicienda fuerat. Quod si hæc responsio non placeat, id errori collectoris Hispanici tribuendum erit. In tractatu de antiquis canonum collectionibus, quem tomo III præmittemus, alii errores detegentur in titulis ac procemiis canonum Africanorum, quorum collectionem Hispanica antiquiorem et ab Hispanico collectore receptam ibidem probabimus. Vide, inter cætera, quæ dicentur de canonibus Milevitani concilii, et Carthaginensis IV. Sicut autem hic antiquus collector erravit, dum in titulis vel procemiis horum conciliorum, his ascripsit canones qui ipsis non competunt, ut in allegato tractatu pluribus ostendetur; ita nihil mirum, si posterior collector Hispanicus, qui hanc Africanorum canonum collectionem cum iisdem erroribus recepit, in colligendis canonibus synodorum Hispaniæ, eos canones qui condili fuerunt in Toletana I synodo, perperam asseruit Patribus ejus synodi quæ regulam fidei sub Leone condiderat.

Alium quoque errorem in procemio ejusdem concilii Toletani exploratum animadvertere placet. Postremus enim episcopus in eo recensitus peculiari ratione cum mentione sedis appellatur *Exuperantius de Galletia Lucensis conventus municipii Celenis;* cum tamen in eodem procemio et in subscriptionibus ac in sententia ejusdem synodi nominetur *Ortigius*, quem fuisse episcopum Celenensem Toletanæ synodi tempore ex Idacio cognoscimus. Cum vero in aliis codicibus, quos Merlinus habuit, idem Exuperantius sine mentione sedis legatur, alioque episcoporum ordine inducto, aliter ea verba efferantur sic: *Exuperantio, Sereno, Floro, Leporio, Aureliano, Lampadio, Leona de Gallia, Lucentio. Hic conventus municipii Celenis actus est;* nonnulli suspicati sunt una cum Toletano I hic confusum fuisse alium conventum, seu concilium Celenense, quod sub Leone in Gallicia habitum fuerit. Sed omnis hæc conjectura evanescet, si hæc lectio non ex collectore Hispanico profecta, sed ejus amanuensis arbitrio inducta credatur, qui non intelligens mendosam lectionem codicis puræ collectionis Hispanicæ, eam sic emendandam putavit. Id autem ita esse evidens fit ex codicibus puræ collectionis Hispanicæ, qui hanc lectionem ignorant, et ex illis originis Gallicanæ ac Isidorianis, qui soli hanc, ut alias plures ejusmodi emendationes arbitrarias, præfe-

Digitized by Google

quo et vitam. De qua hæresi infamatus uterque fuit **1375** in Cæsaraugustana synodo anni 381 adversus Priscillianum congregata: cujus judicium declinasse dicitur Symphosius in sententia Toletanæ I synodo se subducens. Unde postmodum cum pacem sibi reddi cum aliis postularet, vix obtinuit ut audiretur, nisi **1376** intercessisset litteris suis S. Ambrosius, tam pro Symphosio episcopo, et Dictinio presbytero, quam pro cæteris de eodem errore accusatis; qui Mediolanum se contulisse videntur, ut apud S. Ambrosium de reconciliatione sua agerent, cum eo præsente et **1377** audiente sibi ipsi certas pacis conditiones imposuisse dicantur; inter quas hæc una erat, ut Dictinius *bonæ pacis locum teneret presbyterii, non acciperet honoris augmentum;* altera vero, ut quod perperam egerant, ipsi damnarent. Neutrum præstiterunt. Nam et **1378** in sua sententia diu perseveraverunt, et Dictinium Symphosius episcopum consecravit. De quibus ut rationem redderent, evocati ab Hispaniarum episcopis ad concilium Toletanum, eidem se præsentes sistere renuerunt, ejusque subterfugerunt judicium, **1379** donec ad saniorem mentem reversi, alteri huic Toletano anni 400 se repræsentarunt, in quo et pravos omnes sensus abjecere, et ultro damnavere Priscillianum cum scriptis ejus. Cujus concilii indulgentia in sede uterque sua consistere permissus est; suspensa tamen communione, prius eis non impertienda, quam in Romani et Mediolanensis pontificum communionem recepti esse per illorum litteras probarentur; inde *exspectantes communionem, unde prius spem futuræ pacis acceperant.* Interim tamen ab episcoporum, presbyterorum et diaconorum ordinandorum facultate removentur.

Ex dictis patet plures fuisse Toletanas synodos quam huc usque creditum sit: unicam illam anni 400 statuerat cardinalis Baronius **1380** alios secutus. Alteram in posterioribus Annalium editionibus agnovit et probat ad an. Christi 405, num. 43. Tertiam modo asserimus utraque illa ætate superiorem, quæ videlicet inter Cæsaraugustanam anni 381 et Toletanam anni 400 collocanda veniat. Arguuntur enim in hac ultima hæretici, quod *prius indictum in Toletana urbe concilium declinarunt, ad quod*, inquiunt Patres, *illos evocaveramus, et audissemus cur non implessent conditiones quas sibi ipsi sancto Ambrosio præsente et audiente posuissent.* Nec est quod indictum tantummodo concilium causetur quis non coactum; cum illud declinasse dici non potuerint quod congregatum non fuisset. Sed et quartam addere possumus, quæ Leonis nostri tempore **1381** celebrata sit ex Tarraconensibus, Carthaginensibus, Lusitanis atque Gallicianis episcopis, quam ipse cogendam esse monet in fine hujus epistolæ, quam revera coactam testatur concilium primum Bracarense, quod et regulam fidei ab eodem illo conditam narrat; cujus denique locum indigitat ejusdem regulæ fidei illi synodo male assutæ titulus. De Dictinii scriptis seu tractatibus, quorum lectionem prohibet hoc capite S. Leo, habes Bracarensis concilii I capitulum 17, quod eosdem sub anathematis pœna a quoquam legi vetat.

Quod de Dictinio retulimus ex concilii Toletani I sententia, nimirum suam illi sedem servatam fuisse post ejuratam Priscilliani sectam, vix conciliari posse mihi videtur cum his quæ refert Idatius hoc in negotio testis fide dignissimus: *Dictinius Asturicensis episcopus*, inquit ille, *cui ob Priscilliani hæresim, quam profitebatur, ejecto, cum aliis ejusdem sectæ episcopis, successit Turribius.* Lapsum memoriæ, seu allucinationem, quam hoc loco passus sum in prima editione, fateri ac publicare non erubescam. Istam de Dictinio narrationem, quam sub Idatii nomine bona fide laudavi ac retuli, apud Idatium non invenio, nec cujus sit illa prorsus dicere ullatenus possum. Hoc testari et sancte possum affirmare, illam a me confictam non fuisse, sed ex aliquo libro descriptam, cujus alta me nunc tenet oblivio. Historicum istud fragmentum, parente modo orbatum, ex hoc loco abradere animus fuerat cum iis omnibus quæ illi substructa sunt; verum hoc consilium postea abjeci, spem hanc concipiens, id quod ad meam nunc memoriam non recurrit alicujus eruditi oculis inter legendum posse aliquando occurrere, et ad typographum deferri huic loco inserendum. Si enim sede sua ejectus est Dictinius, et ejus loco successit statim Turribius, non video qua ratione Asturicensem ille cathedram recipere potuerit in concilio Toletano anni 400, cum canonicis legibus vetitum esset ne duo simul episcopi unam Ecclesiam administrarent. His adde quod si ante annum 400 Turribius Asturicensium erat episcopus, ut esse debuit, si vera sunt simul et Acta Toletani concilii et Idatii narratio, annum fere octogesimum attigerat, cum scripsit ad sanctum Leonem hanc epistolam, et alteram ad Idatium et Ceponium. Eodem enim tempore scriptas esse clamat utriusque hujus mentio, quam habet Leo noster in sua, et eædem querelæ, quas ad Hispanos episcopos et ad Romanum contra eamdem hæresim reviviscentem detulit Turribius. Illas autem scripsit cum jam novissime ad suam ecclesiam rediisset post diuturnam molestamque peregrinationem, quam per Hispanias lustrandarum Ecclesiarum gratia obierat, cujus duris molestiis, ut loquitur, lacrymabilibusque necessitatum curis, tam provecta ætas omnino inepta erat: ut verisimile non sit eam a Turribio umquam suscipiendam fuisse, si ad **1382** eam senectutem tunc temporis pervenisset, quam eum assecutum fuisse necessario evincitur, si ante illam Dictinii resipiscentiam episcopatum gessit.

His ex angustiis ut evadere possimus vix ulla patet via. Certe non potest mihi non esse suspecta illa de Dictinii restitutione narratio: 1° quia cum in illius propter hæresim dejecti locum subrogatum esse Turribium asserat Idatius, nec de hujus cessione vel illius restitutione quidquam habeat, non est quod tantæ fidei auctori præponderare queat, qui eadem ætate inter illius provinciæ episcopos emicuit et Turribii familiaris fuit, quicum, ut ipse narrat, latentes in Asturicensi urbe Manichæos gestis episcopalibus detexit, ad judicium traxit, damnatosque per Hispanias publicavit: ubi Manichæorum nomine Priscillianistas videtur intelligere, quod et faciunt sancti Leo et Hieronymus. 2° Etsi aliis episcopis post lapsum pœnitentibus quacumque de causa indultum volue-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

runt. Codices puræ collectionis Hispanicæ et ordinem et lectionem exhibent quam primum dedimus ex editione Garziæ Loaysæ, quamque confirmat Perezius ex ms. Lucensi, et nos in nostris pariter exemplaribus puræ Hispanicæ similiter invenimus. Solum quidam ex his libris eamdem lectionem valde corruptam præbent, uti mss. Vat. Palat. 575, in quo habetur: *Exuperantius de Callatia Lucentiosis conventus mancipii Celenis.* Similem errorem nactus qui hanc collectionem non tam exscripsit quam emendavit in codicibus Hispanicæ collectionis originis Gallicanæ, non solum ordinem episcoporum mutavit, verum etiam hunc locum correxit sic: *Exuperantius, Serenus, Florus, Leporius, Eustochius, Aurelianus, Lampius de Gallia, Lucentius. Is conventus municipii Celenis actus est.* Ita in cod. Vat. 1341 originis Gallicanæ, et similiter in aliis Isidorianis, qui ex Hispanicis Gallicanæ originis hocce concilium suscepere: ubi palam est ex *de Gallatia Lucentiosis* emendatum esse *de Gallia Lucentius. Is*, et ad perficiendum sensum additum fuisse *actus est.* Hac igitur arbitraria emendatione nihili habita, ut ne conventus aut synodus Celenensis hinc colligatur, evidens fit in codicibus purioris Hispanicæ errorem aliquem hoc loco a collectore commissum, quem nemo intelligere aut explicare facile poterit.

Digitized by Google

runt Toletanæ synodi Patres, erant gravissima momenta propter quæ ab illis secerni deberet Dictinius, et ab indulgentiæ gratia arceri. Non solum enim hæreticorum dogmati adhæserat, sed et scriptis hoc libris propugnaverat, multosque hac ratione induxerat in errorem : quæ quidem scripta tantam crearent perniciem, ut illorum virus etiam post ipsius auctoris ejurationem necaret plurimos, ut ex Turribii ad Leonem querelis, Leonisque ad Turribium rescripto manifestum est; sed et ex concilii Bracarensis I cap. 17, post centum fere annos condito, quo Dictinii scripta denuo proscripta sunt, adeo pestis illa longe lateque serpebat. 3° Hoc adversus Dictinii restitutionem pugnat, quod post hæresim susceptam ordinatus fuerat; quod a parente et ipso in hæresim prolapso; quod is tumultuante populo fuerat postulatus, et per vim ad sedem episcopalem evectus; quod contra S. Ambrosii decretum, quo presbyterali honore contentum eum esse deberé sanciverat. Hæc enim omnia Actorum Toletanorum citata excerpta continent : quorum fidem qui in dubium vocare metuerit, iis se difficultatum nexibus involvat necesse est; qui vero spuria censuerit vel adulterata, is et omnibus se istis expediet, et id quod veritati simillimum est amplectetur. Fateor enim illorum excerptorum fidem vacillare mihi plurimum videri : ex unico enim codice mss. non ita pridem publico innotuerunt opera Ambrosii Morales, nec usquam illorum apparet vestigium in aliis mss. codicibus, iisque præsertim, quorum ope duplex canonum Toletanorum jam olim prodiit editio.

Præterea conflictas esse illas professiones ab aliquo Priscillianarum partium studioso, non sine ratione suspicor. Primum enim sanctæ memoriæ episcopos appellat Symposium et Dictinium, quod etsi alias tolerabile esset, in ea tamen professione, qua hæresim abdicant, absurdum videtur. Deinde errores Priscilliani et asseclarum ejus vix attigit. **1383** de sola Filii innascibilitate loquens, et de duobus principiis, et animæ cum Patre consubstantialitate; quas sententias ita condemnant, ut fucum facere videantur, sibique suas professiones explicandi reservare facultatem. Ex tertio enim S. Leonis capitulo patet illos aliquo sensu nascibilem Filium dixisse. Ex quinto non illos contendisse diserte verbis, *unam Dei et hominis esse naturam*, quod in se solummodo reprehendit Dictinius in illa professione; sed *animam hominis divinæ esse substantiæ*, quæ diversa esse apparet. Duo denique illos agnovisse principia non legimus, omnem enim carnis et corporum creationem tribuebant diabolo; animas autem fuisse aliquid divinum et increatum somniasse videntur. Ita igitur conditæ sunt illæ professiones, ut totæ ad fraudem confictæ esse appareant. Quam suspicionem augent cætera : cum enim sua scripta damnat Dictinius, id verbis magnopere obscuris præstat : *In priori*, inquit, *comprehensione mea, et in principiis conversionis meæ quæcumque conscripsi omnia me toto corde respuere;* postea : *Omnia quæ inveniuntur contra fidem.* Quibus non omnia, sed quædam tantum scripta rejicere videtur, et cum ea restrictione, si contra fidem esse convincantur. Similiter et Symposius non omnes Priscilliani libros respuit et damnat, sed eos solummodo *ubi innascibilem Filium scripsisse dicitur;* ubi et illud *dicitur* et sola *innascibilis* mentio, hominis vel scriptoris subdolam mentem, meo quidem judicio, arguit, sicut et illud quod in posteriori professionis parte legitur : *Si quos male condidit libros, cum ipso auctore condemno.*

In definitivæ sententiæ excerpto aliqua sunt etiam quæ illius fidem infirment. Ita enim utriusque illius episcopi culpam minuit, ut vix eos in errorem lapsos fuisse dixeris. *Symphosium* (inquiunt Patres) *deceptum tentumque per plurimos secus aliqua gessisse reperimus, nullis libris apocryphis, aut novis scientiis, quas Priscillianus composuerat, involutum; Dictinium epistolis aliquantis pene lapsum*, etc. : quæ omnia parum conveniunt cum his quæ de Dictinio sociisque tam ab Idatio quam ab aliis referuntur, aut certe aliis ea concilianda relinquimus.

Si tamen alteram adhuc tentare licet exeundi viam, et conjecturis agere permittitur, non duos quidem fingemus Dictinios (qui conciliationis modus, ut omnino facilis est, et expeditus, ita temeritate plenis simus), sed duos Dictinii lapsus non abs re forsitan erit distinguere. Quo posito, dicendum esset Dictinium a primo lapsu resurgentem ex indulgentia Toletani concilii I sedem suam recepisse. Eumdem autem post aliquantos annos relapsum, merito a sacerdotali dignitate repulsum Turribio locum cessisse. Hanc viam necesse est eum inire, qui receptam Toletani concilii epocham retinere voluerit; illius Actorum excerptam partem non rejicere, et utramque cum Idatio **1384** Chronographo conciliare. Nec deest in illo excerpto unde nostram de gemino Dictinii lapsu conjecturam firmare possimus; id enim innuunt hæc ipsius verba professionis : *In priori comprehensione mea, in principiis conversionis meæ quæcumque conscripsi.* Inde etiam forsitan descendit, quod in excerpto sententiæ tantum *pene lapsus* dicitur Dictinius; in excerpto professionis semet ipse erroris accusat, præsumptionem suam arguit, corrigi se postulat, precatur sibi non inferorum, sed cœli januam aperiri, ea quæ ante scripserat, anathemate percellit, etc. Symposium et Dictinium aliquando, et quidem Innocentii papæ temporibus, sedibus suis esse restitutos, videor mihi ex ipsius Innocentii PP. epistola ad synodum Toletanam elicere, cap. 5, ex quo liquet aliquos moleste tulisse receptionem utriusque illius episcopi; quam videlicet contra canones esse contendebant. At si soli communioni ecclesiasticæ, et non etiam suis sedibus restituti essent, probabile non est id episcopo Joanni, et aliis fortasse, ita molestum futurum, cum nemini umquam ab hæresi vel schismate revertenti negata communionis ecclesiasticæ gratia fuerit. Cæterum hæc exemplaria professionis resipiscentium episcoporum, et definitivæ concilii sententiæ, vel ab homine imperito excepta, vel etiam ab hæretico truncata et interpolata fuisse videntur, qui forsan ex diversis conciliis male consutos pannos nobis exhibuerit : quibus tamen aliquid veri interseruisse, quo magis fraudem faceret, non est admodum creditu difficile. Quidquid tandem sit, conjecturas exponimus, rem integram doctiorum judicio relinquimus.

9. *Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallicos.* Ita *Gallicos* habetur in codd. mss. Grimah., Corbeiens., Victor., Cantabrig., Thuan.; idem habent editiones omnes, exceptis recentioribus duabus collectionibus Concilliorum, et edit. Nicolini, quæ habent Gallæcos, sive Gallicios vel Gallicianos ad marg. : sed in hoc difficultas posita non est, cum tot mss. excusisque codicibus qui ita exhibent, reluctari temeritatis sit. Hoc autem quæritur, utrum de Galliarum episcopis hæc vox intelligenda sit; an vero de his qui in Hispana Galliciæ provincia constituti erant. Priori sententiæ favet, quod Priscillianus ejusque asseclæ per Gallicanas Aquitaniæ provincias suæ perfidiæ semina sparserant, ut narrat Severus Sulpitius lib. II, et pravis prædicationibus suis Elusanam maxime plebem perverterant. Facit etiam quod Gallicani antistites Cæsaraugustano concilio contra Priscillianistas congregato circa annum 381 interfuerunt : quod apud Burdigalam alia synodus coacta est adversus eosdem hæreticos, cui dubium non est Hispanos pariter adfuisse. Constat etiam sancti Leonis ætate magnum inter Gallicanas Hispanasque Ecclesias commercium fuisse, cujus rei duæ epistolæ pontificis nostri testes sunt, una qua per Gallicanos antistites **1385** certiores reddi vult Hispanos de rebus quæ tunc temporis agebantur in Oriente, et maxime de synodi Chalcedonensis prospero exitu (*Epist.* 77, *ad episc. Gall. c.* 1); altera, quam ad utrarumque provinciarum episcopos conjunctim scripsit de Paschate. Priori epistolæ succinit Idatii Chronicon : *De Gallis*, inquit,

Digitized by Google

deferuntur Flaviani epistolæ ad Leonem episcopum missæ, cum scriptis Cyrilli Alexandrini ad Nestorium CP. de Eutychete Ebionita hæretico, et Leonis episcopi ad eum responsa: quæ cum aliorum episcoporum et gestis et scriptis per Ecclesias diriguntur. Adde quod cum Hispaniarum Ecclesiæ in magna tunc ignorantia ac perturbatione versarentur, plurimis earum episcopis vel errore infectis, vel de Ecclesiæ doctrina non satis instructis, admodum conveniens erat ut earum synodis ex Gallicanorum antistitum fide ac doctrina robur accederet, in quibus videlicet Leo noverat *cœlestem*, ut ipse loquitur, *ex sancti Spiritus eruditione vigere doctrinam.* Alteri tamen sententiæ libentius accedimus: 1° quia etsi olim Priscilliana peste laborassent Ecclesiæ Gallicanæ, tunc tamen temporis ab illa penitus liberæ erant, ut ex silentio synodorum manifestum est. 2° Deinde numquam memini me legere vocem *Gallicus* pro Gallicanis vel regionibus, vel hominibus usurpatam saltem a Leone auctoribusque ecclesiasticis supparibus; semper enim vel Galliæ, vel Gallarum, vel Gallicanæ regiones appellantur. 3° Cum generale concilium congregari vellet S. Leo ex omnibus Hispaniarum provinciis, quis credat omissam esse Gallicæ provinciam, quæ amplissima et nobilissima omnium videtur fuisse; in qua Turribius, Idatius, et Ceponius episcopi erant; quæ etiam maxime medica synodi manu indigebat, cum in illa potissimum Priscillianus morbus exarsisset; ex cujus denique episcopis præsertim concilium congregari cupiebat S. Leo, etsi aliarum provinciarum episcopi convenire non possent: quis, inquam, existimet ad Gallicios episcopos non scripsisse S. Leonem? Quorum quidem loco Bœticos nominat Lucretius Toletanus in Bracarensi I concilio, cujus verba supra retulimus; sed quia jam de Galliciæ episcopis, qui in synodum provinciæ suæ seorsim congregati erant, sermonem habuerat, nec alteri quatuor provinciarum **1386** concilio interesse permissi fuerant a suis principibus. Hæc de re minime obscura dicere visum est: quoniam nonnullos in eam sententiam propendere videmus, ut de Gallicanis nostris antistitibus eam vocem interpretentur.

AD EPISTOLAM XVI.

Universis episcopis per Siciliam constitutis.

1. *Si unde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius observantiæ sumeretis.* Controvertitur inter viros eruditos utrum in regionibus urbicariis singulæ provinciæ suos haberent metropolitas a quibus ipsæ regerentur, consecrarentur episcopi provinciales, congregarentur synodi, et alia metropolitica munia implerentur. Plurimi affirmant, negant nonnulli. Metropolitanos quidem, si qui fuerint, titulum sine re habuisse, Leonis saltem tempore pro certo habendum puto: omnes enim metropoliticæ dignitatis prærogativas atque officia (*a*) ad se traxerant Romani pontifices, annitentibus Augustis, provincialibus episcopis conniventibus, qui magno honori ducebant a primæ sedis episcopo omniumque episcoporum apice pontificiam dignitatem sumere; non reluctantibus etiam metropolitis, qui a pontificibus Urbis sacerdotii honorem adepti, ab iisdem totî pendebant.

Aliquod itaque discrimen deprehendere mihi videor inter ordinandi morem a Romano pontifice sibi in urbicariis regionibus vindicatum, et eum quem cæteri exarchi seu patriarchæ usurpabant. Hi enim ita exarchatus sui concilium convocabant, ut metropolitis quibusque provinciæ suæ synodum pro jure suo canonibus indulto indicere esset liberum; ita in episcoporum provincialium ordinationibus decretum suum interponebant, ut metropolitani primum accederet auctoritas, nec nisi ejus relatione cleri electionem plebisque consensum rescirent: sic totam exarchiam suam administrabant ut metropolitanis jura sua muniaque illibata servarentur. Nihil tale in regionibus urbicariis. Primum enim nullam metropolitanis suum provinciale concilium convocandi **1387** facultatem fuisse permissam reperimus, nec revera ulla exstant hujusmodi synodorum acta, saltem, ni fallor, ante x vel xii sæculum, nec ulla earum mentio apud auctores ecclesiasticos celebratur. E contra vero jubebantur etiam remotissimarum provinciarum episcopi Romæ ad synodum se sistere singulis annis, ut ex ipsius hujus epistolæ cap. 7 palam fit, quod cum se ex auctoritate canonis Nicæni præcipere testetur S. Leo (*Can.* 5 *Nicæn.*), manifestum est illum ad suam sedem eas synodos traxisse quæ ad singularum provinciarum metropolim convocandæ erant secundum mentem Nicænorum canonum. De solis enim provincialibus synodis agit can. 5 jam laudatus: *Bene placuit*, inquit, *annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus simul episcopis provinciæ congregatis discutiantur hujusmodi quæstiones.*

2. (*b*) In electionibus et ordinationibus episcoporum nullas partes egisse deprehenduntur metropolitani; sed cujusque civitatis clerum populumque electioni incubuisse, par est credere: de qua cum ad pontificem Romanum retulissent, vel ad electi consecrationem delegabat pontifex, vel (quod sæpe sæpius fiebat) Romam consecrandus accersebatur, aut sponte sua veniebat. Id autem inde conjicimus, quod nullæ in præsenti occurrunt epistolæ, vel metropolitanorum ad Urbis antistitem, vel hujus ad metropolitanos sive electionis episcoporum indices, sive quid aliud circa consecrationis negotium continentes; quod numquam de aliquibus episcopis male ordinatis, numquam de metropolitanis urbicariis conqueruntur pontifices; numquam de iisdem querelæ ad illos deferuntur a provincialibus: etsi plurimæ sint quibus contra episcopos qui clericos contra canones ordinaverant sedis apostolicæ pulsatur auctoritas; et aliæ quibus episcopos arguit pontifex Romanus de quibusdam contra canonum dispositionem in clerum ascitis. Demum exsecutionem constitutionum suarum non metropolitarum curæ ac sollicitudini commendat, sed ad eam rem aliquos e provincialibus episcopis pro arbitrio deligit, nunc hos, nunc illos, nulla metropolitarum facta mentione. Mitto Cœlestini PP. auctoritatem ab aliis sæpe adductam, qui quidem epistola ad Apuliæ et Calabriæ episcopos scripta, eorum sibi ordinatio-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Metropoliticæ dignitatis prærogativas et officia in regiones suburbicarias ad se traxisse Romani pontifices dici nequeunt nisi præsumatur singulas provincias earumdem regionum ecclesiasticos metropolitas habuisse: quod tamen falsum est. Cum in Occidente post Constantini ævum ecclesiasticæ metropoles institui cœperint, ut colligere licet ex iis quæ de origine metropoleon ecclesiasticarum in Gallis pluribus diserimus in observat. ad dissert. 5 Quesnelli part. II c. 5 tum vero in Italia Mediolanensis et Aquileiensis sub finem quarti sæculi, Ravennas sub Leonis pontificatum metropoliticam dignitatem obtinuere. Nullus eisi multo post metropolita institutus in cæteris provinciis, seu in regionibus suburbicariis; sed in his solus Romanus pontifex metropoliticum jus exercebat, quod antea semper solus exercuit: unde hanc dignitatem cum ejusdem prærogativis ac officiis S. Leo ad se non attraxit, sed in iis quæ ab initio suæ soli sedi competebant, pro suo jure perseveravit ac perstitit, sicuti etiam successores ejus, quoad institutione metropolitarum in iisdem regionibus aliis episcopis hunc gradum communicare expediens duxere. Hinc porro cadunt quæcumque in fusiori hac notatione Quesnellus disputat.

(*b*) Vide Greg. I, lib. v, epist. 13, ad rectorem Siciliæ, de Lilybætano clero petente licentiam a R. P., ut sibi episc. eligeret

Digitized by Google

nes vindicat. Mitto etiam libri pontificalis testimonium, qui plures ab episcopis Romanis antistites consecratos commemorat, quam ut ad solam metropolitanam Romæ provinciam pertinuisse credi possint. Sixtus enim tertius Leonis prædecessor quinquaginta et duos ordinasse dicitur per octo ad summum pontificatus annos, et Leo ipse centum et octoginta quatuor creavit, qui si e sola metropoli assumpti essent, ter ad minus vacasse cujuslibet civitatis sedes dicenda est per viginti annorum decursum, quod fidem facile non invenerit.

1388 3. Quod spectat ad diversas consultationes, relationes et alia negotia quæ inter administrandam provinciam solent plerumque occurrere, nullum superest vestigium ex quo ea per metropolitanos urbicariæ regionis præstita fuisse appareat; sed quæ in aliis diœcesibus exarchiisque metropolitanorum interventu ac relatione ad patriarcham deferri solent, ea per singularum civitatum vel episcopos, vel clericos, vel etiam cives ad Romanam sedem videmus esse delata. Consuluit episcopus Nucerinus Innocentium I de variis disciplinæ ecclesiasticæ capitulis non interposito metropolitano. Hoc laudat Innocentius : *Mirari*, inquit, *non possumus dilectionem tuam sequi instituta majorum, omniaque quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput atque ad apicem episcopatus referre*, etc. (*Epist. 4, ad Felic. episc. Nuc.*) Scribit idem Innocentius Maximo et Severo episcopis per Brutios constitutis, cum a Maximiliano quodam laico agente in rebus querelam accepisset de indignis presbyteris : nec conqueritur pontifex de metropolitani negligentia, ut fieri solet cum tale aliquid contra canones in aliis provinciis perpetratur. Idem observandum de ejusdem epistola 6, ad episcopos Apuliæ Agapitum, Macedonium, et Maurianum. Horum nullum ad metropolitanos remittit, contra id quod in aliis diœcesibus usurpari solebat. Testis est epistola 83 (*nunc* 108), ad Theodorum Forojuliensem in Gallicana provincia episcopum, qui cum S. Leonem consuluisset de nonnullis quæstionibus, ita eum objurgat sanctus pontifex : *Sollicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo primitus de eo quod quærendum videbatur esse conferres; ac si id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis : quia in causis quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet inquiri.* Hæc confer cum Innocentii verbis ad Felicem Nucerinum.

Præterea, cum rescribit S. Leo ad provinciarum urbicariarum episcopos, vel eos monitis suis adire cupit, non ad metropolitanum, et per eum ad cæteros provinciales litteras dirigit, sed aliquem alium episcopum ad id delegat : quod argumento est vix ac ne vix quidem aliquod munus ab ejusmodi metropolitis esse usurpatum : ita in præsenti epistola per Paschasinum Lilybæi in eadem Siciliæ provincia, et Baccillum alterius civitatis episcopos, hanc ad omnium sacerdotum notitiam voluit pervenire, cum ad Syracusanum debuisset transmitti, nisi omnia metropolitica munia quæ ad se transtulerat, modo huic. modo illi episcopo per vices conferri a se posse existimasset. Eadem ratione ad Dorum Beneventanum scribens exsecutionem præceptionis suæ, non metropolitano, sed Julio cuidam (forte Puteolano) episcopo committit.

Longe aliter se gessit, cum ad episcopos **1389** non modo remotiorum diœceseon, puta Gallicanæ, Hispanicæ, Illyricianæ litteræ fuerunt dirigendæ; sed etiam Italicæ quæ Urbi adjacebat. Metropolitani enim provinciarum hujus diœcesis liberam habuerunt provincialium suorum antistitum ordinandorum potestatem; synodos suas citra Romani pontificis indictionem convocaverunt; si quæ dubia in provinciis ejusmodi oriri contigit, quæ ad apostolicam primariamque Occidentis sedem pro more deferri par esset, ea per metropolitani consultationem transmissa sunt : quidquid denique ad provinciæ cujusque administrationem spectare potuit, penes metropolitanos semper fuit. Exempla exstant apud S. Leonem (extra quem vagari modo non convenit); epistolæ enim quas ad tres illos metropolitas Italicæ diœceseos scripsit, Mediolanensem, scil., Aquileiensem et Ravennensem, disciplinæ, de qua sermonem mox habuimus, clarissimam mentionem faciunt. Septimius, seu Altini seu alterius civitatis in Istria provincia, episcopus, litteris suis monet S. Leonem de reviviscentibus Pelagianorum reliquiis : statim metropolitanum provinciæ litteris suis Leo sollicitat ut pastorali cura invigilet custodiendis sacrorum canonum decretis, Ecclesiæque adversus vipeream hæreticorum fallaciam protegendæ, eidemque totam hujus negotii sollicitudinem commendat. Cum item anno 458 aliquot annis post cladem Attilanam, Adeodatus Romanæ sedis diaconus ab Aquileiensi regione regressus retulisset ad S. Leonem non scripto, sed viva solum voce, Nicetam Aquileiensem episcopum difficultatem pati circa nonnulla disciplinæ capita, quæ occasione bellicæ cladis versabantur, sedisque apostolicæ de his sententiam poscere, ad solum metropolitanum, nec ad alios episcopos nisi per ipsum dirigit epistolam 129 (*nunc* 159). *Hanc autem*, inquit, *epistolam quam ad consultationem tuæ fraternitatis emisimus, ad omnes fratres et comprovinciales tuos episcopos facies pervenire.*

De Ravennensi non minus clarum est : cum enim eadem occasione gravis orta esset controversia circa baptismi sacramentum, tam iis conferendum qui ab hæreticis baptizati erant, quam parvulis qui utrum baptizati ante captivitatem barbaricam fuissent ignorabant, res primum in concilio Romano disceptata : inde transmittendam esse consuerunt Patres concilii Leonis nomine encyclicam epistolam ad omnes Italicarum regionum provincias, quæ hostiles incursus passæ fuerant, ut quid agendum esset agnoscerent. Quam quidem ad singulos metropolitanos directam esse testatur finis ejus epistolæ 135 (*nunc* 166) Leonis ad Neonam vel Leonem episcopum Ravennensem. *Quam rem*, inquit, *frater charissime, ideo generaliter ad omnium volumus pervenire notitiam, ne dum plus justo metuitur, misericordia Dei salvari cupientibus denegetur.* Quibus verbis rem insolitam quasi excusat S. Leo, quia cum ad concilium diœcesis urbicæ non pertineret **1390** Æmiliensis provincia, cujus metropolita erat Neonas, ad eam quoque synodi illius decreta transmitti non consueverant. Nec observare omittam, Ravennensem episcopum Petrum Chrysologum, cum ad Eutychis litteras responderet, quibus ejus opem ille implorabat, nihil se posse reposuisse sine Romani pontificis nutu, quia non de Ecclesiæ suæ vel provinciæ disciplina agebatur, sed de fide : *Nos enim pro studio pacis et fidei*, inquit, *extra consensum Romanæ civitatis episcopi causas fidei audire non possumus.* Alias non item.

De Mediolanensi quoque probat epistola S. Leonis ad Eusebium Mediolani antistitem, quam ex hujus rescripto dignoscimus. Patet enim quod peculiarem synodum habuit Eusebius episcoporum suæ provinciæ : quorum ordinationem pariter habuisse, sicut Ravennensis et Aquileiensis suorum provincialium præter cætera argumenta, intelligitur ex eo præsertim solemni effato, quo *pertinere ad alicujus concilium* vel *pertinere ad ejus consecrationem*, vel ordinationem, pro eodem prorsus habentur.

Ex dictis eruimus latum fuisse discrimen inter patriarchalis jurisdictionis usum, quem sibi pontifex Romanus in Occidentis Ecclesias vindicabat, et eum qui cæteris patriarchis pro jure competebat. Si enim Italicam diœcesim cæterasque transalpinas spectes, vel transmarinas, nec earum episcopos ad suam synodum vocabat, nec per se vel decreto suo ordinabat. Si regiones illas urbicarias consideres, ita et electos ordinabat et ad suum concilium cogebat, ut metropolitarum jurisdictio in iis regionibus omnino iners et otiosa esset; cum nec ad suum concilium, nec ad consecrationem suam accire iis licitum esset

Digitized by Google

suos provinciales, sed totum jus penes se haberet Urbis pontifex.

Hæc paulo fusius observare non piguit occasione horum verborum : *Si unde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius observantiæ sumeretis*, etc., quæ ultima verba id etiam quod supra diximus confirmant : illæ enim partes erant metropolitani, ut episcopum, cui consecrationis honorem contulerat, legibus ecclesiasticæ disciplinæ primum imbueret, atque in dubiis subinde occurrentibus instrueret consulentem, ut primarius provinciæ suæ doctor ac magister. Egregie huic consuetudini ac legi suffragatur concilium Tarraconense, can. 5. *Si quis*, inquit, *in metropolitana civitate non fuerit episcopus ordinatus, postquam suscepta benedictione per metropolitani litteras, honorem fuerit episcopi adeptus, id optimum esse decernimus, ut postmodum statuto tempore, id est, impletis duobus mensibus, se metropolitani sui repræsentet aspectibus, ut ab illo monitis ecclesiasticis instructus, plenius quid observare debeat recognoscat.* Ad idem redit quod supra ex epist. Leonis nostri ad Theodorum Forojuliensem retulimus. Consulendæ etiam episcopalium promotionum formulæ a Jacobo Sirmondo **1391** Conciliis Gallicanis insertæ, et a Baluzio tom. II Capitular. recusæ. Consulendi Pontificales libri antiquiores. Ex quibus omnibus intelligitur quanta cura ordinandi vel recens ordinati a suis consecratoribus vel metropolitanis instruerentur, scripto etiam accipientes regularum ecclesiasticarum codicem, quem *decretum* appellabant.

2. *Mystica et rationabilis exemplatio.* Tot fere hujus loci diversæ lectiones quot codices. Cantabr. et Thuan. unus habent : *Mysticæ traditionis rationabilis exceptio.* Alter Thuan. et Trecopith., *Mysticæ, vel mystice rationalis exceptio.* Edit. omnes ad marginem : *Mystica et rationabilis exceptio.* Isidorus Merc., *Mysticæ rationis exceptio.* Dionysii Exigui et Crescon. lectionem retinuimus in textu (quamquam Crescon. legit *rationalis*), tum propter certam utriusque antiquitatem et auctoritatem, tum quia mentem auctoris nostri attingere proplus mihi videntur. Ideo enim S. Leo *principalis et maximi sacramenti*, id est baptismi, *mysticam et rationabilem exemplationem* dicit, cum in Paschate confertur : quia *apparet*, ut loquitur cap. 3, *regenerandis filiis hominum et in Dei filios adoptandis, illum diem esse et tempus electum, in quo per similitudinem formamque mysterii ea quæ geruntur in membris his quæ in ipso sunt capite gesta congruerent*, quippe cui commoriuntur, consepeliuntur et conresuscitantur in baptismo.

3. *Quidam putant quod in eadem die Dominus ad baptismum*, etc. Vides nondum illo sæculo certum fuisse quo die baptizatus fuit Dominus Jesus, cum quorumdam tantum opinione ad VIII id. Januarii referri pronuntiet S. Leo : Epiphanius autem, qui initio hujus quinti sæculi adhuc in vivis erat, VI id. Novembris baptizatum fuisse ait lib. II advers. Hæreses, hær. 5, sect. 24.

4. *Diversa sacrificia unam hostiam reformarunt.* Libenter retinuissem *præformarunt*, quod vulgo legitur, nisi Dionysii, Cresconii et quinque codd. mss. superius laudatorum concentu reprobaretur hæc lectio. Hoc porro sibi vult auctor noster : non uno legali sacrificio unam sacrificii nostri hostiam esse figuratam, sed plurima eaque diversa fuisse olim instituta sacrificia, ut multifariam multisque modis Christianum delinearetur ac figuraretur sacrificium. Hæc in præsenti loco potestas est hujus vocis *reformare*, hoc est, iterum iterumque formare, seu figurare et adumbrare.

5. *Secundum apostolicam regulam.* Quænam hæc apostolica regula? an regula per traditionem ab apostolis descendens, quæ exorcismos, scrutinia, jejuniaque a baptizandis subeunda præscribat? Ita forte, nescio tamen an a sanctis Patribus asseratur. *Antiquissimam Ecclesiæ traditionem* Augustinus lib. II de Nupt. et Concup. cap. 29 ad finem, eam consuetudinem appellat, qua exorcisantur et exsufflantur parvuli. Hoc ipsum *circa baptizandos in universo mundo* **1392** *sancta Ecclesia uniformiter agit*, inquit Leo noster in capitulis Cœlestino olim attributis : ac proinde secundum S. Augustini regulam, cum id nec in Scripturis, nec in conciliorum decretis reperiatur, ab apostolica traditione descendere dicendum est. Potuit et Leo ad illam apostolicam præceptionem attendere, quæ est in epist. I ad Cor. cap. V, quamque indigitavit Siricius papa epist. ad Himerium Tarracon. cap. 2, quæ Leonis oculis procul dubio observabatur, cum hæc scribebat tam de tempore baptismatis, quam de his cæremoniis; sic autem loquitur : *His dumtaxat electis* (quibus baptismi tradatur sacramentum) *qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint, et exorcismis quotidianisque orationibus atque jejuniis fuerint expiati, quatenus apostolica illa impleatur præceptio, ut, expurgato fermento veteri, nova incipiat esse conspersio.* De jejuniis totaque catechumenorum pœnitentia, vide, si lubet, Gabrielis Albaspinei Aurelian. episcopi luculentam observationem, quæ est prima libri II Observationum.

6. *Duo tantum tempora, Pascha et Pentecosten.* Ante sanctum Leonem, nullus canon, nullum decretum, præter Siricianum mox citatum, tempus baptismati conferendo præfixit. Siricius solam suæ sedis auctoritatem omniumque Ecclesiarum consuetudinem in medium adducit. Sanctus Leo apostolicæ institutionis consuetudinem, apostolicas regulas, sedis suæ instituta solummodo commemorat. Frustra ergo canones aliquos ea de re conditos notatosque a sancto Leone somniavit auctor Gallici operis de episcopis canonice judicandis, pag. 78, ut aliud somnium de codice canonum Ecclesiæ universæ utcumque defenderet. Canonum enim mentio, quam capite sequenti injicit sanctus Leo, ad generalem canonum custodiam spectat, ut quisque vel cursim legens perspiciet. Post sanctum Leonem de Paschate et Pentecoste similiter decreverunt Gelasius papa, epist. ad episcopos Lucaniæ, etc., cap. 10, ann. 494, Gerundense concilium, an. 517; Autissiodor., can. 18, an. 578; Matiscon. II, an. 585, can. 3; Gregorius PP. II, an. 723, epist. ad Turingiæ clerum et plebem, etc.

7. *Indissimulanter occurrant.* Ita Dionysius et omnes mss. codices, qui hæc verba, quæ sequuntur in plerisque codicibus excusis, *et hæc a vobis consuetudo servetur*, non habent, exceptis Thuaneo uno et Trecopith., quorum unus ad alterum exscriptus est. Editio Nicolini, in textu, et Surii, Crabbi, Sichardi, atque Canisii ad marginem sic legendum exhibent : *Indissimulanter concurrant, quod utique laboriosum non est, si vicissim inter vos hæc consuetudo servetur.*

1393 AD EPISTOLAM XVII.

Episcopis per Siciliam constitutis.

1. Hanc ad Siciliæ episcopos (*a*) epistolam, cujus nullum exemplar manuscriptum nancisci potuimus, primus evulgavit Gerardus Vossius, doctor catholicus, quam ex antiquo cardinalis Sirleti ms. codice acceptam, ex consulari nota et ex ipsius Leonis phrasi ac dictione, quam spirare eidem visa est, Leonis Magni esse non suspicatur modo, sed plane et indubitanter asseverat. Mihi vero Leonis non esse pene certum est, vel unius styli inspectione, quem a Leonino abhorrere quivis facile deprehenderit. Præterquam quod jejuna in omnibus et exilis admodum est totius epistolæ dictio.

2. Hæc epistola data ad Siciliæ episcopos significatione eidem præmissa, ac præsertim in annotationibus quas eidem subjecimus.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) His, quæ hic Quesnellus opponit, ut hanc epistolam in dubium vocet, plenissime respondimus in

catur XI kalendas Novembris, Alypio seu Calepio consule; alteram autem habemus eamque indubitatæ fidei Leonis nostri epistolam ad eosdem Siciliæ episcopos scriptam XII kalendas Novembris sub eodem consule, id est pridie quam hæc scriberetur, si Deo placet. Quis porro sibi persuadeat duas eodem fere tempore epistolas a Leone scriptas esse ad episcopos in remotissima regione constitutos? cum si de bonorum alienatione scribendum habuisset iisdem episcopis, id facillime potuisset præstare in illa epistola, quam de tempore baptismatis celebrandi, in Siciliam scribebat per illos dies, aut si qua de novo querela ad geminandam epistolam coegisset pontificem, posterior prioris mentionem nonnullam haberet.

3. Non erat tanta Leonis tempore ecclesiasticæ disciplinæ perturbatio, ut in provincia Romanæ sedi subjecta, in qua præsules erant vigilantissimi, inter quos Paschasinus Lilybætanus, *omnia alicujus Ecclesiæ prædia vendendo, donando, et diversis modis alienando episcopus dissiparet*; immo tanta corruptela, ut plures qui id agerent inveniremtur, quod epistola diserte asserit. Quamobrem ad posteriora sæcula rejiciendam esse hujusmodi deprædationem existimo; siquidem fictitiam omnino esse hanc epistolam asserere quis noluerit?

4. Mentio fit in eadem epistola duplicis decreti quo a Leone *ordinatum erat, quemadmodum utriusque Ecclesiæ utilitatibus consuleretur*, adversus hujusmodi ecclesiasticorum bonorum prædones. Quæ decreta si vere a Leone emissa essent, non facile eorum memoria excidisset. Etsi enim plurimæ Leonis aliorumque pontificum familiares epistolæ vel omnino perierint, vel ad tempus ab hominum **1394** notitia subtractæ sint, longe difficilius id potuit contingere circa decretales et constituta quæ plurium Ecclesiarum negotia et ordinationem attinent, et multo minus si ad totius provinciæ amplissimæque insulæ episcopos et Ecclesias fuerint directæ; cujus generis esse debuerant tam hæc, si genuina esset, quam illæ de quibus mentionem facit. Sed hoc etiam maxime pensandum est, nullarum epistolarum plura exstare exemplaria manu exarata, quam earum quæ ad Italiæ aliarumque adjacentium provinciarum episcopos scriptæ sunt. Id vero inde factum est quod cum ad Romani pontificis curam et sollicitudinem propius spectarent, ad ejus synodum convenirent sæpe sæpius, et ab ejus nutu et ore penderent, illius quoque decretis parendi necessitas incumbebat, quæ propterea diligentius exscribi par erat ab omnium illarum Ecclesiarum episcopis et clero; immo vel ab ipso Leone, vel a metropolitis ad singulos provinciarum episcopos epistolarum hujusmodi exemplaria a pari, ut aiebant, mitti consueverant. Vix ergo divinare possis qua ratione tanti momenti decretorum memoria tot sæculorum spatio intercepta fuisset.

5. Si Leonis nostri essent hæc decreta, numquam ea recensere omisissent ejus successores, quibus de rebus ecclesiasticis non distrahendis seu alienandis constitutiones emittere contigit: quod fecit Hilarus proximus Leonis successor scribens ad plures Galliarum episcopos, Symmachus eadem tractans in concilio Romano, Agapetus scribens ad Cæsarium Arelatensem, Gregorius Magnus ad eosdem Siciliæ episcopos, etc. At de his ne verbum quidem habent laudati pontifices. Posteriores quidem Hilaro ad ejus decretum respiciunt, et ejus etiam verba mutuantur, ut vel hinc decerni possit nullum Hilariano decreto antiquius innotuisse, quod ad bonorum Ecclesiæ conservationem pertineret.

6. Decernit hæc epistola: *Ne quis episcopus de Ecclesiæ suæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere, nisi forte ita aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, et cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum.* At istud recentioris et remissioris disciplinæ est, ut ex unius Ecclesiæ cleri nutu et consensu rerum ecclesiasticarum distractio pendere permittatur, cum Hilarus papa easdem *in alienum jus transferri* vetet, *nisi prius apud concilium alienationis ipsius causa doceatur, ut quid fieri debeat communi omnium deliberatione tractetur.*

7. Cum sui decreti transgressores vult auctor epistolæ *ordine et communione privari*, **1395** satis se recentiorem Leone nostro prodit, cujus ætate duplex hæc pœna clericis non infligebatur, nisi forte, quod nonnullis placet, propter gravissima omnium facinora.

His perpensis in hanc sententiam facile adducor, ut vel hanc epistolam existimem suppositiam esse, eo scilicet consilio confictam ut alicui illarum Ecclesiarum prædia distracta denuo vindicarentur: quod sæpe factum esse notum est, ut germanorum monimentorum loco fictitia substituerentur asserendis Ecclesiarum juribus vel privilegiis quoquomodo accommodata; vel saltem credam alterius esse Leonis quam nostri, secundi puta, vel tertii, vel etiam posterioris. Et facile potuit consulis nomen irrepere, vel data opera inseri, cum etiam et Alypii dubia lectio et Ardaburis ejus collegæ omissa mentio aliquam fraudis vel erroris injiciat suspicionem.

Ut tamen fictitiam epistolam non existimem facit quod pannus ejus legitur apud Gratianum 12, qu. 2, cap 52, *Sine exceptione*, ubi et Leoni tribuitur, et missa inscribitur *universis episcopis per Siciliam constitutis*. Sed cujus Leonis sit, an primi an secundi, nec antiquæ editiones Gratiani aperiunt, nec recentiores. Aliqua etiam apud Gratianum assumuntur, tamquam ejusdem epistolæ pars, quæ in epistola tamen non leguntur, sed leguntur pro canone 31 et 32 concilii, seu veri seu fictitii, quod Carthaginense quartum nuncupatur 31. *Ut episcopus rebus Ecclesiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur.* 32. *Irrita erit donatio episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticæ absque conniventia et subscriptione clericorum.* Forte margini inscripti canones in textum irrepserant codicis quo Gratianus utebatur. Ex iis judicet lector quid de tota epistola sit decernendum. Nos eam, qualiscumque est, repræsentavimus.

AD EPISTOLAM XVIII.

APUD QUESNELLUM XIV.

Januario Aquileiensi episcopo.

Ad Januarium. Editi codices habent *Julianum*, quibus repugnant Dionys. Exiguus, Cresc. Hincmarus, mss. cod. Barb. 1, Thuan. quinque, Cantabrig. et Victorin., qui legunt, *Januarium*, quod etiam ad marginem edit. legitur. Conferenda hæc epistola cum 7 (*nunc* 2), quæ est ad Septimium, cum notis de ejus (*a*) suppositione.

1396 2. *Si tamen iterata tinctione non fuerint maculati.* (*b*) Hanc exceptionem addit forte attendens canones Africanos, cujus 27 collectionis Africanæ ita legitur: *Neque permittendum ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur.* Vide et Felic. 3 P. R. in synod. Romana an. D. 487, tam inter acta concilii quam in epistola synodica ad universos episcopos. Canonis illius Africani exceptio quædam legitur in gratiam parvulorum can. 47, et altera can. 68, pro clericis apud Donatistas ordinatis, in suo honore suscipiendis.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hujus epistolæ vindicias luculenter exhibuimus in admonit. ad epistolam primam.

(*b*) Confer nostram annotat. 6 (*Col. 707, n. 4*) in epist. 18.

Digitized by Google

3. *Ad totius Ecclesiæ incolumitatem ordinata.* (*a*) Miror supinitatem scriptoris, duplici istius et quartæ epistolæ loco abutentis. Canones, inquit, de non promovendis ad superiorem clericatus gradum his qui ab hæresi ad communionem catholicam revertuntur, pro universa ubique Ecclesia conditos fuisse testantur hæc Leonis verba; *Det operam ut circumspecte atque velociter impleantur, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem et laudabiliter suggesta sunt, et salubriter ordinata.* At, urget ille, nec inter Nicænos canones ejusmodi numerantur, nec in toto Justelli codice reperiuntur. Erant igitur præter Nicæna decreta alia quædam quibus et Januarium astringi volebat sanctus Leo, quæque universæ Ecclesiæ in disceptandis rebus ecclesiasticis in usu erant. Quænam hæc hominis oscitantia, ut de canonibus verba hæc interpretetur? Nonne sole meridiano clarius est legenti, ea *quæ laudabiliter suggesta esse dicuntur*, de litteris vigore fidei plenis, quas scripserat Januarius ad sanctum Leonem, esse intelligenda; *quæ vero salubriter ordinata*, de hoc ipso sancti Leonis rescripto, quo canonum constitutiones præcipit custodiri? Quod animadvertere facile poterat scriptor ille, nisi verba proxime textum laudatum antecedentia ad obscurandam veritatem resecuisset. *Proinde*, inquit sanctus Leo, *dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jungat curam suam* DISPOSITIONIBUS NOSTRIS, *et dei operam ut circumspecte*, etc.

Quod vero subdit nullum canonem aut Nicæno concilio aut Justelliano codice contineri, qui clericos ad superiorem ministerii ecclesiastici ordinem evehi prohibeat, cum ab hæretica vel schismatica communione ad catholicam revertuntur, lapsus memoriæ est. Si enim canonem 8 Nicænum adiisset, hæc in eo legisset verba: *De his qui se Catharos, id est puros, nominant, si aliquando ad catholicam et apostolicam Ecclesiam redierint, visum est sanctæ et magnæ synodo ut accepta manuum* **1397** *impositione,* SIC IN CLERO MANEANT. *Præ omnibus autem eos scripto profiteri oportet quod consentiant et sequantur dogmata Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ, etc. Ubicumque autem sive in vicis, sive in civitatibus ipsi soli inventi fuerint ordinati, qui inveniuntur in clero,* IN EODEM ORDINE PERMANEANT. Ita concilium Nicænum in codice Justelliano. Quibus verbis nihil clarius est, ut mihi quidem videtur: qui enim *sic in clero manere, et in eadem ordine permanere jubentur*, iis procul dubio ad superiora ministeria aditus omnis præcluditur. Cumque sancti Leonis verba verbis canonis illius maxime concinant, facile mihi persuadeo ad illa oculos conjecisse sanctum pontificem. Licet enim de Catharis solis agatur in Nicæno, nihil tamen vetat ad alios hæreticos ea verba extendi. Et revera hic ipsius loquendi modus CIRCA QUOS ETIAM *illam canonum constitutionem præcipimus custodiri*, etc., extensionem canonis sonare mihi videtur. Quod eo potiori jure ab illo potuit præstari, quod non de quibuslibet hæreticis agit hæc Leonis epistola, sed, ut reor, de Donatistis. Primum enim schismatis mentio hoc ipsum indicat: vix quippe tunc temporis alia vigebat hæresis quæ a schismate ortum duxisset. Deinde quod addit de repetitione baptismatis: *Si tamen*, inquit, *iterata tinctione non fuerint maculati*; hoc enim familiare fuit Donatistis, eos qui a catholicis ad ipsos desciscebant iterato tingere; ab aliis nusquam fere usurpatum. Porro *Donatistæ commune cum Novatianis seu Catharis jugum trahunt*, ut sentit et loquitur sanctus Epiphanius, *eadem cum illis sentientes, eamdemque ob causam rebellantes. Quocirca*, inquit, *necesse non habuimus privatim de illis amplius aliquid tractare; sed illos cum suis similibus conjungendos putavimus* (*Adv. Hæres., lib.* II, *tom.* I, *Hær.* 59, *in fine*). Quare mirum non est si tela adversus Catharos vibrata a Nicænis Patribus contra Donatistas contorserit sanctus Leo. Sed et nihil vetat quin contra ipsos Novatianos hæc scripsisse credatur sanctus Leo, cum ex epistola Innocentii papæ ad Victricium Rothomag., cap. 8, palam fiat, repetitum etiam ab illis hæreticis fuisse baptisma circa eos qui a catholicis ad ipsos deficiebant; cum enim *venientes a Novatianis et Montensibus per manus tantum impositionem suscipi decrevisset*, addit: *Præter eos, si qui forte a nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt.* Quo amplius detegitur allucinatio scriptoris, qui decretum illud S. Leonis nullis canonibus contineri asserere non dubitavit. Jam vero quod Leo subjicit: *Ad totius Ecclesiæ incolumitatem et suggesta, et ordinata* esse illa, quis negaverit ad totius corporis incolumitatem pertinere, quidquid a quolibet episcopo contra **1398** hæreticos vel suggeritur, vel statuitur: maxime vero, ac præ aliis omnibus, quæcumque adversus hæreses, vel morum ac disciplinæ corruptelas ab apostolica sede decernuntur?

4. III *kalend. Januarii.* Ita Dionys. Exig. et Crescon., quos ut antiquissimos secuti sumus, astipulantibus codd. mss. uno Bellovacen. et tribus Thuaneis. *Kalendis* vel III *kalend. Julii* habent Thuaneus unus, Trecopithœanus, et Victor., quod ideo scrupulose annotamus, quia sæpe ex hujusmodi notis temporariis pendet difficiliorum quæstionum enodatio.

Ex hujus epistolæ exordio consarcinatum est initium fictitii rescripti Marci papæ ad Athanasium et alios Ægyptii episcopos, de Nicænis capitulis, necnon et epistolæ Pelagii II ad Benignum.

AD EPISTOLAM XIX.

APUD QUESNELLUM XVIII.

Doro Beneventano episcopo.

1. *Minorque se fieret.* Ita codd. Thuan., tres Cantabrig., et Trecopith., et edit. Nicolini, quam postrema secuta est; antea sic: *Miror quis fieret.* Totum hoc membrum libenter ita legerem ac interpungerem: *Ne is, quem sacerdotali propere provehebas honore, ab injuria eorum quibus sociabatur inciperet, minorque se fieret.*

2. *Sed elationis vitium roboraretur.* Ita in vulgatis edit., pro quo sic habent codd. mss. Thuanei duo, Victorinus et Trecopith.: *Sed fortioris vitium roboraretur.* Cantabrigensis vero et Thuaneus alter, sic: *Sed furoris vitium superaret.*

3. *Neque enim ignorabas dixisse*, etc. (*b*) Totum hunc locum priores editiones et Hincmarus, opusc. 44, de Jure metropolit., cap. 17, sic legunt: *Neque enim ignorabas dixisse Dominum, quod qui se humiliat, exaltabitur; qui vero se exaltat, humiliabitur; eumdemque dixisse: Quicumque vult inter vos major fieri, sit vester minister; et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Vos autem quæritis de pusillo crescere, et de honore majores esse.* Sed cum posterior Evangelii textus: *Quicumque vult*, etc., deberetur in omnibus quos vidi mss. codd. tribus, scilicet Thuaneis, Cantabrigensi et Victorino, et in editione Suriana, eumdem expungendum censuimus. Cætera ad eosdem codices emendavimus: ubi advertendum, hæc sancti Leonis verba, *Vos autem quæritis de pusillo crescere*, opponi prioribus illis Evangelii verbis, *Qui se humiliat, exaltabitur:* **1399** illa vero, *Et de majore minores esse*, respondere sequentibus his *Qui vero se exaltat, humiliabitur:* quod cum ab antiquis Operum sancti Leonis editoribus non

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Qui canones a Leone allegentur, et quo sensu huc referendi sint, licet nec de Donatistis, nec de Novatianis, sed de Pelagianis agatur, diximus in laudata admonitione n. 18 et 26. Confer etiam annot. 5 (*Col.* 707, *n.* c).

(*b*) De hoc textu et Simonii animadversione satis disseruimus annot. 10 (*Col.* 710, *n.* k) in hanc epistolam.

Digitized by Google

animadverteretur, hoc in causa fuit ut textum adulteraverint. Duo enim hæc sibi invicem opponi debere testantur sequentia hæc auctoris verba : *Utrumque enim inordinatum, utrumque præposterum*, etc. Quod non fiet, si hoc modo legatur : *De pusillo crescere et de honore majores esse*, quæ non opponuntur.

Post primam meam Leonis editionem prodierunt in lucem *Novæ Observationes* (Gallicæ) *ad textum et versiones novi Testamenti per R. S. P.* id est, Ricardum Simonem presb., ubi auctor, cap. 21, p. 458, hanc nostram Leonini textus emendationem vellicat. Ac primum quidem contendit hæc verba epistolæ ad Dorum : *Vos autem quæritis de pusillo crescere et de majore minores esse*, assumpta esse ex Evangelii secundum Matthæum exemplari quod penes se habebat Leo : quæ verba eadem fere habentur in celebri Evangeliorum codice ms. Græco, qui olim Theodori Bezæ fuit, nunc in universitate Cantabrigensi servatur. Sed, quod mirere, lectionem hanc, *de majore minores esse*, male suppositam a me fuisse queritur, etsi pravæ lectioni *de minore majores esse;* et tamen fatetur priorem illam meam lectionem conformem esse ms. codici Bezæ. 2° Quatuor alios laudat ipse qui Bezæ codici succinunt. 3° Versiones item Saxonæ quæ, inquit, ad antiqua exemplaria conditæ sunt. 4° Quinque mss. codices, id est, quotquot mihi adfuerunt ad hanc epistolam relegendam, correctioni suffragantur. 5° Alios procul dubio habuit Labbeus qui eamdem lectionem exhiberent, cum eam margini ascripserit in volumine III Conciliorum generalium. 6° Suriana editio excusa eamdem repræsentat. 7° Favet metrica versio Juvenci, quam ipse Simon allegat. 8° Hanc lectionem ter ipse *ordinariam* appellat. 9° Ipse Leonis textum corrigit legendo *minore* pro *honore* sine ullius ope ms. codicis, contra omnium editorum fidem. 10° Lectionem quam prætuli, talem fuisse in antiqua Vulgata fatetur idem Simon. 11° In sequenti pagina scribit lectionem hanc ordinariam, etsi obscuram, et vix boni sensus capacem, mutandam tamen non esse. Bene igitur fuit restituta. 12° Carpit audaculos quosdam criticos, quod has voces *de majore minores* abraserint, et in eorum locum has alias substituerint, *de minore majores*, quorum infelicem conjecturam ex Græco textu suggillat, cujus, inquit, voces non eamdem inter se similitudinem habent, quam inter se voces Latinæ. 13° Credere amat R. Simon additionem illam fuisse in antiqua Vulgata, ejusque exemplaria Romæ superfuisse, Leone papa Ecclesiam Romanam regente. Atqui si ad eam allusit pontifex, non potuit ob aliam id rationem facere, quam quia plerisque nota erat, et propter abundantiam codicum vulgatissima. Quis vero **1400** sibi persuadeat pontifici præsto non fuisse nisi codices depravatos?

Demum ultro profitetur unum tantummodo obstare quominus nostram lectionem, quam ordinariam vocat, retinendam censeat, quod nimirum se ipse Leo explicuit in epistola 79 (*nunc* 105) quæ est ad Pulcheriam Augustam, ubi eamdem vulgatæ antiquæ additionem his iterum verbis referre videtur : *Et tamen hæc illis insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, et de infimis ad summa transire.* Verum nescio an cuiquam persuadere possit vir eruditus, hæc ultima verba *de infimis ad summa transire*, esse explicationem illorum *de minore majores esse :* certum potius mihi est nihil aliud esse quam priorum repetitionem aliis verbis conceptam. Nimirum hoc unum in ea epistola Leonis menti insidebat consilium, ut Anatolii ambitum culparet, ac odiosum Pulcheriæ redderet, auctoritate verborum quibus duorum apostolorum ambitionem Christus represserat. At vero apostoli non volebant *de majore minores esse*, et eam ob causam ab his describendis verbis abstinuit Leo; et eorum loco antecedentia sub aliis terminis inculcavit, *et de infimis ad summa transire.* Quæ certe non ex proprio penu deprompsisset pontifex, spretis his nativis verbis quæ in eodem loco legebantur, *et de minore majores esse*, si revera in Vulgata hæc tunc habebantur. Et quod iis non usus fuerit pontifex, certum mihi argumentum est ea in codice quo ille utebatur lecta non fuisse, sed potius *de majore minores esse.*

In epistola vero ad Dorum non modo hæc ultima verba vel resecandi, vel in alia mutandi necessitatem non habuit, sed contra hæc pontifici ita necessaria fuerunt, ut sine illis sua ipsius verbis veritas non constet. Duo enim redarguit in Beneventana Ecclesia : 1° *immaturam* presbyteri novissimi *provectionem;* 2° eorum *dejectionem quorum ætas ordinem commendabat, et nulla culpa minuebat... qui illum cum sui dedecore poscebant honorari... qui proprio se judicio dejiciebant... qui primatus suos deformi et ignava dejectione in alterum transferentes subsequentium suorum minuebant dignitatem... qui ultimum sibi anteposuerant... qui indignos se honoris sui ordine sunt professi... qui novello et immature ordinato inferiores fieri delegerunt.* Ecce verba *de majore minores* aliis verbis sexies ab ipso Leone reddita. Duobus vero hujusmodi vitiis quod se episcopus non opposuisset vehementer a pontifice redarguitur, utrumque Christi verbis contrarium esse sic demonstrante. *Neque enim ignorabas*, inquit, *dixisse Dominum quod* QUI SE HUMILIAT EXALTABITUR; *eumdemque dixisse :* QUI VERO SE EXALTAT HUMILIABITUR. En ut brevissimam Domini sententiam in duas scindit pontifex, ut cuique vitio suam particulam ascribat, et utrumque a Christo proscriptum fuisse ostendat, ut mox subjicit his verbis : *Vos autem quæritis de pusillo crescere,* **1401** *et de majore minores esse; utrumque enim inordinatum, utrumque præposterum est.* Potuitne diserte magis aperire Leo duo opposita vitia se illis verbis arguere, unum his *de pusillo crescere*, alterum istis, *de majore minores esse;* in quorum ultimorum loco si hæc supposueris, *de minore majores esse*, jam non duo inordinata ac præpostera, sed unicum; nullus denique subest Leonis sermoni sensus.

Jam, opinor, intelligit Simonius quæ intelligi a quoquam posse antea desperabat, nec amplius *insuperabilem* objecturus est difficultatem, qua se a recipienda lectione nostra deterreri scribebat. Arguit enim Dorum pontifex, quod *injusta petentium desideria rationabili auctoritate non cohibuerit*, impediendo ne novellus presbyter exaltaretur, nec antiquiores humiliarentur, *ac proprio se judicio dejicerent, et de majore minores* fierent; sic facile intelligenda venit hæc particula, cum emeritis et antiquis presbyteris illis addicitur. Nec tamen novello applicata, suo etiam carebit sensu, quem Leo ipse explicat his verbis : *Ne quem sacerdotali propere provehebas honore, ab injuria eorum quibus sociabatur inciperet,* MINORQUE SE FIERET *dum in illo non humilitatis virtus, sed elationis vitium roboraretur.* Hoc sensu humiliari quærit, et de majore minor esse qui exaltari ambit, et de pusillo crescere : coram Deo enim se ipse dejicit, qui per elationis vitium cæteris vult præeminere ac dominari.

Quod rursus objicit Simonius de lectione Hincmari Remensis, nullius est momenti. Primum enim gratis asserit scripta illius manuscriptis nostris codicibus esse antiquitate superiora. Deinde lectionis Hincmarianæ mendositatem prodit ipse Simonius dum vocem *honore*, quam habet illa, rejicit ac vocem *minore* propria auctoritate illi supponit. Denique quod vel Hincmarus, vel quivis alius, totum hunc locum epistolæ Leoninæ adulteraverit, alia verba loco suo moverit, alia de suo addiderit, patet ex collatione lectionis illius quam supra retuli, cum ea quam omnes manuscripti codices ac contextus ipsius series genuinam esse clamant. Maneat itaque bene emendata lectio, et cum bona Simonii venia in hac etiam posteriori editione perseverabit.

Digitized by Google

AD EPISTOLAM XXII

APUD QUESNELLUM POST EPISTOLAM XXXIII.

Flaviani episcopi Constantinopolitani ad Leonem.

Notam Quesnelli integram dedimus annot. 10 (Col. 725, n. [a]) *in hanc epistolam, ibique etiam nostras observationes exhibuimus.*

1402 AD EPISTOLAM XXIV.

APUD QUESNELLUM XXI.

Theodosio Augusto.

1. *Eusebii.* De eodem in sequenti pariter epistola et aliquot aliis meminit S. Leo. Episcopus fuit Dorylæi, civitatis provinciæ Phrygiæ Salutaris. Libellus supplex quem adversus Eutychen obtulit concilio Constantinopolitano, quemque hic commemorat pontifex noster, habetur in conc. Constantinopol. actione 1, inter Acta Chalcedon. actione item prima, sicut et alius libellus, ad Valentinianum et Marcianum Augustos adversus eumdem Eutychen et Dioscorum, a quo depositus fuerat in deprædatoria synodo Ephesina. Hæc porro illius viri singularis et vix cum alio communis laus est, quod contra duas contrarias hæreses suo tempore emergentes primus in Ecclesia CP. insurrexerit. Contra monachum Eutychen libellum obtulit jam episcopus; contra Nestorium vero episcopum adhuc laicus vexillum erexit. *Cum enim Nestorius* (inquit sanctus Cyrillus lib. 1 contra Nestorium) *in media ecclesia profanis uteretur vocum novitatibus, quibus et Θεοτόκον et geminam Christi nativitatem insectabatur, vir quidam sane probus, qui adhuc inter laicos erat, sed tamen admirabilem sibi collegerat eruditionem, ferventi et religioso zelo permotus, et contentiori voce inclamans,* « Ipsum, *inquit*, ante sæcula Verbum etiam secundam subiisse generationem. »

2. *Quamvis et ipse episcopus Nicænæ synodi profiteatur se inhærere decretis : propter quod non habuimus unde aliquid diceremus.* Hæc emendavimus ad codic. Griman. qui solus adfuit : prius ita legebatur : *Quamvis et ipse episcopus Nicænæ synodi profiteatur in hac re se esse decretis : propter quod non habuimus unde aliud disceremus.*

3. *Ad* 1 *kalendas Martii.* (*a*) Ita cod. Grim. et edit. omnes, pro quo in 1 parte Act. concil. Chalcedonens. legitur : *Ad kalendas Maii*, et in 20 (*nunc* 23) epistola : XII *kalendas Maii*. At in utraque legendum esse *Martii* existimamus. Ex actione enim habita Constantinopoli post depositionem Eutychis, certum est jam tum cum haberetur, pervenisse in eam urbem epistolam sancti Leonis ad Flavianum; habita est autem actio illa V idus Aprilis. Non potuit igitur Roma mitti Leonis epistola mense Maio, sed potius Martio. *Ante paucos dies*, inquit Seleucus episcopus, *litteræ sanctissimi archiepiscopi Romanorum Leonis insinuatæ sunt nobis, continentes quia questus est* **1403** *reverendissimus archimandrita Eutyches, et appellavit in tempore examinationis nostram audientiam per dationem libelli*, etc. Idem statuendum de epistola 20 (*nunc* 23) ad Flavianum.

AD EPISTOLAM XXV.

S. PETRI CHRYSOLOGI

Episcopi Ravennatis ad Eutychen archimandritam.

APUD QUESNELLUM POST EPISTOLAM XXIII.

Triplicem (*b*) hujus epistolæ editionem invenio : unam, quam habent posteriores sancti Leonis editiones, ubi ex ms. cod. Thuaneæ bibliothecæ descripta legitur epistola; alteram, quam ex mss. codicibus Vaticanis num. 2574 et 2580, et cardinalis Sirleti procuravit Gerardus Vossius doctor catholicus; tertia denique ea est quæ in prima parte Actorum Chalcedonensis concilii legitur cum Græca versione. Prima editio primum tantummodo caput continet, alterum integrum desiderat : reliquæ duæ utrumque caput complectuntur. Unde ista diversitas fluxerit certo asserere non ausim; verisimile tamen est vel editorem illum incidisse in mutilum codicem, vel ipsum codicem ab editore fuisse mutilatum. In apostolicam sedem male affectus, plus ei juris quam par erat a Petro Chrysologo tribui existimavit. Quasi vero Leoni Magno evangelicam apostolicamque de incarnatione Domini doctrinam tam pie, tam catholice explananti in epistolis suis ad Orientales missis, *obedienter attendere*, crimen in Eutyche fuisset, vel in Petro ad id Eutychen ipsum hortari : cum potius summæ huic fuerit dementiæ, quod sancti pontificis monitis non obtemperarit; illi vero sacerdotalis officii et charitatis, quod presbyterum ab apostolica doctrina recedentem, seque ultro dantem præcipitio avertere conatus sit.

Jam vero ad id quod asserit Petrus Raven. (*c*), se non posse causas fidei extra consensum Romani pontificis audire, primo notandum diligenter non de omnibus causis sermonem esse, sed prudenter et caute secerni ab eo fidei causas ab aliis quæ disciplinam **1404** ecclesiasticam vel propriæ provinciæ administrationem spectarent. Secundo non de iis iterum fidei causis quæ in ejus provincia moverentur se excusat, sed de iis quæ aliunde ad ejus sedem deferri possent, quod cum aliter quam per appellationis libellum fieri non soleret, vel Occidentalem synodum ejusque primatem (*d*) Romanum pontificem illæ attinebant, vel propriæ diœcesis exarchum; nec par erat ut illic citra sedis apostolicæ conscientiam communis fidei causa tractaretur. Tertio addit Petrus aliquid quod sententiam plurimum restringit : *Pro studio*, inquit, *pacis et fidei non possumus.* PACIS quidem, quoniam noverat numquam permissurum pontificem Romanum, ac præsertim Leonem, ut citra Romanæ synodi conscientiam causa fidei intra Italiam ageretur; FIDEI vero, quia tantis apud Orientem præsidiis munichatur Eutyches, in cujus patrocinium imperatorem Chrysaphius eunuchus inclinarat, ut solus pontifex Romanus, qui Valentinianum ad nutum movebat, causæ istius posset curam utiliter in se suscipere.

Nihil igitur vetat quin integra illa epistola sit episcopi Ravennensis. Unde quo fato decurtata habeatur in vulgatis sancti Leonis editionibus, non assequor. Codicem quidem Thuaneum commemorant, ex quo deprompta fuerit ab editore. An hoc ita sit nescio;

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vide nostram emendationem annot. 12 (*Col.* 736, *n.* [n]) in hanc epist.

(*b*) Duæ tantum editiones distinguendæ, de quibus diximus in admonitione ad hanc epist., altera epistolæ decurtatæ, altera integræ. Triplicem vero Quesnellus dixit, eo quod editio Vossii et editio Conciliorum, licet integram epistolam exhibeant, e diversis tamen codicibus originem ducentes, pro editionibus diversis haberi queant. In admonitione autem allegata cum integram editionem vindicavimus, tum vero decurtatæ editionis originem ex mss. collectionum Hispanicæ et Isidorianæ sine ulla editorum fraude deteximus.

(*c*) Vide nostram annot. 19 (*Col.* 743, *n.*[h]) in hanc Petri Chrysologi epistolam.

(*d*) Appellationis proprie dictæ libellum ad Romanum pontificem, non vero ad Occidentalem synodum ab Eutyche missum ostendimus in observ. ad dissert. 7 Quesnelli. Cur autem etiam ad S. Petrum Chrysologum scripserit, ibidem explicavimus n. 9 et 10.

Digitized by Google

hoc scio, unicum in catalogo Thuaneorum mss. codicem a me repertum, qui epistolam sancti Petri Chrysologi contineat cum aliis nonnullis ad synodum Chalcedonensem pertinentibus; in hoc vero codice integram haberi epistolam. Cui si mss. Vaticanos et card. Sirleti codices, antiquasque ac recentiores Baronii et Conciliorum editiones adjunxeris, vix restat dubitandi locus quin vel in editoris illius, si non malam fidem, saltem oscitantiam, vel in codicis vitium refundenda sit epistolæ diminutio.

Integram porro vel non vidit, vel non attendit, vir doctissimus Henricus de Noris inter primos sancti Augustini discipulos et defensores, etsi scriptorum tempore postremus merito numerandus, cum Historiæ Pelagianæ lib. II, cap. 11, hæc habeat: *Anno* 448 *idem Chrysologus litteras ad Eutychen male jam ob hæresim audientem dedit.* Si enim vidisset, intellexisset ex posteriori **1405** epistolæ capite (*a*) litteras ab episcopo Ravennensi ad Eutychen datas non fuisse, nisi post acceptas ab eodem querimonias de judicio Constantinopolitano, quod 22 die Novembris an. 448 prolatum est, nec ab illo rescribi potuisse ante sequentis anni 449 initium, immo nec ante diem 18 Februarii. Hac enim die scriptæ sunt primæ sancti Leonis de Eutychiano negotio litteræ, quas datas jam esse cum suas Petrus exaravit, hæc istarum verba testantur: *In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ a beatissimo papa Romanæ civitatis scripta sunt obedienter attendas.* Quæ si intelligas de fusiori illa ad Flavianum epistola, quam cum septem aliis die 13 Junii in Orientem direxit, ut certe intelligenda videntur, jam non ineunte an. 449, sed eodem media jam fere parte elapso scripsit ad Eutychen Chrysologus. Quæ causa est cur ejus epistolam fusiori Leonis epistolæ ad Flavianum præfixerim, quoniam cum ea aliisque septem missam fuisse in Orientem probabile est.

Hanc unicam vidi ego Petri Ravennatis epistolam: quam ubi recensuit Philippus Labbe scriptor fecundissimus in dissertatione theologica de Scriptoribus Ecclesiasticis, hæc subjicit: *Altera quoque ejusdem epistola legitur inter eas quæ concilio Chalcedonensi præmittuntur.* In quo proculdubio vel memoria lapsus est vir eruditus, vel epistolam Græco-Latinam et Latinum ejusdem fragmentum pro duabus integris distinctisque accepit epistolis. Eidem similiter assentiri non possum, cum has Petri episcopi litteras datas esse scribit ante celeberrimam sancti Leonis ad Flavianum CP. epistolam; hanc enim proculdubio commemorat Chrysologus, cum duæ aliæ breviores quæ præcesserunt nihil prorsus decernant, nihilque exigant, cui *obedienter attendere* potuisset Eutyches.

1. Ex ista porro S. Petri Ravennatis epistola docemur, non (*b*) apud solum pontificem Romanum querelas suas deposuisse Eutychen (quod dissertat. 7 fusius expendimus), sed et apud alios Occidentis metropolitanos de judicio Constantinopolitano esse conquestum, libellumque iisdem dedisse: et forsan aliorum aliquot episcoporum litteræ, vel alia monumenta latent in bibliothecis, sicut hæc Petri mille et ducentis annis delituit, quibus manifestum fieret, si prodirent in lucem, Eutychen aliorum Occidentalium pariter judicium postulasse; sicut nunc ex Ravennensis episcopi litteris patet ejus tribunal ab Eutyche pulsatum fuisse. Constat enim ex ista epistola datas fuisse ab Eutyche litteras ad Petrum Ravennatem. *Tristis*, inquit hic, *legi tristes litteras tuas..... Hæc* **1406** *breviter respondi litteris tuis*, etc.

2. Apparet Eutychen de sententia synodi Constantinopolitanæ conquestum esse tamquam a corruptis et male affectis judicibus prolata. *Si enim*, inquit Ravennensis episcopus, *tibi displicet, quoniam scripsisti* (*c*), *electum judicium*, hoc est, conductos et affectatos judices episcopos: ubi notare mihi videtur synodum ἐνδημοῦσαν, a qua sententiam excepérat: quæ quidem canonica stricto jure non erat, cum nec a primate diœcesis, nec a metropolitano ex una provincia cogeretur, sed ex episcopis promiscuis variarum diœceseon in Urbe tunc forte commorantibus coalesceret, auctoritate Constantinopolitani episcopi, quam sola recensque consuetudo firmabat.

3. Certum ex eadem epistola videtur Eutychen Ravennatis episcopi judicium postulasse, cum hoc non semel neget dari a se posse multiplicem ob causam. Prima est quod cum a proprio episcopo damnationis sententiam excepisset Eutyches, nullus metropolitanus judicii istius retractandi jus habebat, nisi forte ex consensu et concessione proprii episcopi. Rationem hanc aliquomodo innuit Petrus verbis istis: *Hæc breviter respondi, frater, litteris tuis, plura rescripturus, si ad me frater et coepiscopus noster Flavianus aliqua de hac causa scripta misisset.* Secunda est, quod æquitati adversum erat partis unius causam altera parte non audita, vel discutere, vel etiam audire. *Nos*, inquit, *quomodo de his judicare poterimus, quos neque vidimus propter absentiam, et quid intellexerunt eorum taciturnitate nescimus? Justus mediator* (Al. *judex*) *non est, qui sic unam partem audit, ut nihil alteri parti reservet.* Tertia ratio est, quod cum ad sedem apostolicam scripta misisset, et ab ea vicissim scripta in Orientem missa essent, satius erat ut his obedienter attenderet, et fidei veritatem, quam a Romana sede quæsitisse videbatur, a beato Petro in propria sede et vivente et præsidente audiret. *In omnibus*, inquit, *hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ a beatissimo papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Quarta denique ratio erat studium pacis et fidei. *Nos*, inquit, *pro studio pacis et fidei, extra consensum Romanæ civitatis episcopi causas fidei audire non possumus.* Causas quippe in aliqua parte Ecclesiæ natas audire, vel proprii episcopi est ejus Ecclesiæ, in qua orta causa, vel ejus ad quem a proprio episcopo appellatur: cum porro (*d*) ad **1407** Occidentales episcopos appellabatur, Romani procul dubio episcopi omnium aliorum principis consensus explorandus erat, qui et synodi Occidentalis peculiari nomine caput et universalis Ecclesiæ, in causa maxime fidei, procurator erat et executor præcipuus canonum, qui a conciliis œcumenicis adversus hæreticos olim conditi erant.

4. Igitur evidens est judicium Ravennensis episcopi postulari ab Eutyche non potuisse, nisi per appellationis libellum, seu verum, seu fictitium. Ex quo constat quod superius asserebamus, ad synodum Occidentalem appellasse Eutychen, et ad præcipuos propterea aliquot metropolitanos litteras scripsisse, maxime autem ad Romanum totius synodi omniumque episcoporum principem.

AD EPISTOLAM XXVIII.

APUD QUESNELLUM XXIV.

Flaviano episcopo CP.

1. Celeberrimam hanc sanctissimi pontificis (*e*) epistolam, quia multum intererat rei christianæ ut ca-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hanc epistolam sub idem tempus a Petro Chrysologo scriptam quo S. Leo dedit epist. 23 et 24, probavimus in admonitione ad hanc epistolam num. 6.

(*b*) Confer præmissam annot. 3 (*Col.* 900, *n.* a).

(*c*) Hunc locum mendosum et corrigendum conjecimus annot. 15 (*Col.* 1354, *n.* d).

(*d*) Hæc et sequentia, quibus Romani pontificis potestatem in appellationibus Quesnellus restringere nititur, confutantur in observat. ad dissert. 7 num. 9.

(*e*) Videsis de hujus epistolæ celebritate ejusque tum Latinis tum Græcis mss. plura in admonitione eidem præmissa

Digitized by Google

stigatissima ederetur, accuratissime relegimus ad mss. codd. Barberinos duos, Thuaneos septem, Regios duos, Victorinum, Corbeiensem, Trecopitheanum, Oratorianum, Remensem sancti Remigii, ad omnes editiones, et Græcam versionem, etc. Quibus adjungere licet tres alios probatæ notæ et adorandæ vetustatis codd. mss., ad quos eamdem hanc epistolam a se recensitam fuisse testatur Petrus Franciscus Chiffletius in notis suis ad Vigilium Tapsensem, ad cujus calcem illam edi curavit, scholiisque illustravit. Trium porro memoratorum codicum primus est, Actorum concilii Chalcedonensis collectore Rustico diacono, ex bibliotheca D. Joannis Bouhierii Divionensis viri senatorii; alter ex libro Sacrarum Lectionum sancti Benigni ejusdem urbis; tertius Chiffletii ipsius est, continetque fidei dogmata ex Ambrosio, Augustino, Fulgentio, variisque conciliorum ac pontificum decretis excerpta. Quibus omnibus nefas non est conjungere Josiam Simlerum Zuinglianum, et Joannem Leunclavium Calvinistam, quorum fides hoc loco non debet esse suspecta, cum lustrates a se codices mss. referunt, variasque ex eis lectiones excerptas repræsentant. Quod præstitit ille in collectione veterum de duabus in Christo naturis scriptorum; hic vero post legationem Manuelis Comneni Augusti ad Armenios, ubi Græco-Latinam epistolam edidit Basileæ an. 1578. Cum autem hujus epistolæ textum *usque ad unum iota venerabiliter recipere* quisque catholicus teneatur sub pœna anathematis auctoritate concilii Romani sub Gelasio PP. ab universali Ecclesia **1408** recepti, omnes omnino variantes lectiones, quæ in mss. codd. occurrerunt, scrupulosius annotare non piguit, ne vel tantillum quid proprio ingenio a nobis mutatum fuisse credatur.

2. *Quid apud vos scandali contra*, etc. Duas voces superfluas addunt vulgatæ editiones in hunc modum: *Quid apud vos scandali contigerit atque contra*; desunt tam in Græca versione quam in omnibus codicibus mss.

3. *Imprudens*. Non *impudens*, ut aliqui codices. Græce ἀσύνετος. Quam lectionem potius sequaris, parum refert; utraque enim Eutychis moribus convenit.

4. *Cedere*. Ita codex Chiffletii, nec non e Thuaneis unus; et Græcæ dictioni εἶκεν respondet: cæteri tam mss. quam excusi codices habent *credere*.

5. *Obscuro*. Ita Thuan. duo, tres Chiffletiani, Trecopitheanus, et Regii duo, Simleri edit. Græce, κατά τι μὴ ἐμπόδιον ἀσαφείας, *per aliquod obscuritatis impedimentum*: unde liquet hanc lectionem anteponendam alteri, quæ ad vulgatarum et Surianæ editionum marginem, et in quatuor Thuaneis et Barb. duob. mss. reperitur in hunc modum, *aliquo impediuntur obstaculo*, quod procul abest a mente auctoris.

6. *Regenerandorum*. In vulgatis, *regeneratorum*, Græce ἀναγεννωμένων, *eorum qui regenerantur*. Lectionem quam in vulgatæ locum substituimus retinendam esse probant mss. omnes, edit. Merlin. et totus hujus loci contextus: ex quo patet sanctum Leonem de catechumenis sermonem habere, non iis qui *inter auditorum tirocinia*, ut Tertullianus loquitur, sed iis quos *competentes* vocant Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et concilium Agathense, can. 15. His enim tradebatur Symbolum, quod memoriter reddere tenebantur *feria quinta ultimæ septimanæ quadragesimalis*, ex concilio Laodicensi, can. 46; Agathensi, can. 13; Bracarensi II, can. 1. Vide etiam Isidorum Hispal., de Divin. Offic.; Fulgentium, epist. de Duabus Quæst.; et Ordinem Romanum.

7. *Recepisset*. Ita Barb. 2, Corb., Thuanei duo, Trecopith., Remensis et tres alii apud Chiffletium; non vero *apprehendisset*, ut in vulgatis.

8. *De Spiritu sancto et Maria Virgine*. Ita Barb. 2, quinque Thuanei codices, tres Chiffletiani, Victorinus, Remensis, Trecopitheanus, edit. Merlini, Sichardi, Canisii, Crabbi, quod et apud sanctum Augustinum sexcentis locis, et apud antiquiores scriptores ecclesiasticos, nec non in exemplaribus antiquis tam Græcis quam Latinis Symboli Constantinopolitani, atque inter alia in Breviario cœnobii montis Cassini a sexcentis fere annis exarato, quod asservatur in bibliotheca domus Institutionis **1409** Oratorii D. Jesu ad suburbium Parisiense S. Michaelis. Concinit Græca versio habens, καὶ Μαρίας; quod et legitur etiam in recentioribus Græcorum symbolorum exemplaribus, ut patet ex libello Gabrielis Philadelphiæ metropolitæ de Sacramento pœnitentiæ, ad calcem Commentarii Jo. Morini de Pœnitent. In vulgatis vero legitur, *ex Maria Virgine*. An hæc tantula varietas aliquam pariat in sensu diversitatem, theologis relinquo examinandum.

9. *Et omnipotens et æternus creditur Pater*. Parum abfuit ut vocem illam *æternus* expungerem, quod a Chiffletio factum est; deest enim in duobus ejus mss. necnon in Barber. duob., Thuaneis quatuor, Trecopitheano, Remensi, Victorino, et insuper in Græcæ versionis textu. Eam tamen visum est mihi retinere, tum quia in aliis mss. reperitur, puta Thuaneis tribus, Regiis duobus, Corbeiensi et aliis, præter excusa omnia exemplaria; tum quia vocem illam exigere videtur contextus series, qua ex æternitate Patris æternitas Filii arguitur, ac perfecta ejusdem per omnia cum Patre æqualitas demonstratur.

10. *Instructum*. Ita codd. omnes. Ad margin. edit., *instrumentum* Græce ὀργάνων, *institutionem*.

11. *Piam sollicitudinem contulisset*. Corbeiens. et nonnulli alii mss. cod., *Pia sollicitudine se contulisset*.

12. *Et inveniens*. Ita mss. omnes et Græca versio, εὑρισκῶν; vulg., *et invenisset*.

13. *In utero accipiet*. Ita Barber., Thuanei quatuor, Remensis, Trecopitheanus et Victorinus cod. De suis stilet Chiffletius, vulgatam lectionem *concipiet* retinens.

14. *Vocabunt*. Ita codd. mox laudati cum Chiffletianis, quibus concordat Græcum καλέσουσι. In vulgatis: *Et vocabitur*.

15. *Super humerum*. Vict., Trecopith. et alii quidam, *super humeros*.

16. *Vocabunt*. Ita cod. Remen., Trecopith., Victorin. et Thuan. quatuor, et Græc. ad marginem.

17. *Frustratorie loquens*. Cod. Trecopith. et Thuan. tres, *frustratoria eloquens*.

18. *Spiritus vitæ*. Sirmis ad marginem, Canisius, Merlinus, Sicardus et Crabbus in textu et ms. Victorin. legunt, *Spiritu vitæ*; et forte melius; Græce, πνεύματι.

19. *Et substantiæ*. Geminam hanc vocem addidimus ex mss. codd. Barber., Rem., Trecopith., Corb. et duobus Thuan.

20. *Prævaricatoris*. Codd. mss. Remensis, Victorinus, e Thuaneis unus, et e Chiffletianis duo, *Prævaricationis*.

21. *Dispositionem*. Ita Thuan. tres cum Remensi, et textus epistolæ inter Acta Chalced. concil. editæ. Græca versio, θεοίκησιν, vulg., *dispensationem*.

22. *Assumpta est igitur*. Hanc ultimam voculam expunximus, quod ea careant cum mss. omnes, tum Græca versio.

23. *Nostri est natura dissimilis*. Sic Chiffletii tres codd., totidem Thuan., Remensis et Trecopith. Hoc quoque modo refertur **1410** a Fulgentio in emendationibus codicibus responsionis ad secundam Ferrandi quæstionem. Favet Græca versio, ἡμῖν. Vulg., *nostræ est naturæ dissimilis*; alias, *nostræ est natura dissimilis*.

24. *Recedit . . . . relinquit*. Ita mss. plerique et Græca versio; antea, *recessit . . . reliquit*.

25. *Desidentibus*. Ita Barber. 1, Corbeiens., Remens., Trecopith., quatuor Thuanei et Chiffletiani duo. Vulg. *subsidentibus*; Græce, τῶν ποδῶν οὐ βαπτιζομένων.

26. *Fidem discipulorum suis interrogationibus erudiret*. Ita mss. omnes. In vulg., *fidem discipulorum suorum suis interrogationibus audiret*.

Digitized by Google

27. *Veri corporis.* Sic in omnibus mss. Græce, σώματος; in vulgatis, *veri hominis.*

28. *Non aliter est resuscitatus.* Ita mss. omnes, quibus Græca concinunt. Vulgat., *aliter non est resuscitatus.*

29. *Sacramentum per quod unum salv.* Vulg., *Sacramentum fidei per quod salv.* Mss. omnes priorem exhibent lectionem, quæ Græco concinit.

30. *Fluxerit.* Sic omnes, pro quo antea, *effluxerint.*

31. *Spiritus est veritas.* Sic habent omnes mss. cod.; sic quoque legit Augustinus lib. de Bono perseverant., cap. 22, et Fulgent. lib. x contra Fabianum, etc. Græcus textus tum epistolæ sancti Joannis, tum sancti Leonis habent : Τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια; idemque exhibet Syriaca Joannis versio; unde dubium esse nequit quin ita legerit sanctus Leo; non vero, ut in vulgatis, *Christus est veritas.*

32. *Interlocutionem.* Ita mss. omnes cum Græca versione, διαλαλιάς. In vulg., *Interrogationem.*

33. *Nimisque blasphemum.* Hæ voces desiderantur in Thuan. duobus et apud Facundum.

34. *Ita omissum, quasi nihil quod offenderet esset auditum.* Cod. Corb. et Facundus lib. II, cap. 6, sic habent : *Ita emissum, quasi nihil offenderet, esse auditum.*

35. *Ante incarnationem.* Solus Facundus, *Ante adunationem.*

36. *Sollicitudinis tuæ.* Cod. Bouhierii, Thuan. quatuor, edit aliquot: *Dilectionis tuæ.*

37. *Ab hac sensus sui peste purgetur.* Ita mss. omnes cum Facundo, quibus et Græca versio respondet; alias in vulg., *ab hac sensus sui macula per te purgetur.*

38. *Fratres nostros.* Ita plerique codd. mss. et omnes excusi cum Græca versione, et congruit illius ævi moribus, cum episcopi presbyteros fratres vocitabant. Quatuor codd. mss. habent, *fratrem nostrum*, quam lectionem Chifletius exhibet, de suis mss. codd. nihil asserens.

39. *Julium.* Ita legendum esse tam in hac epistola quam in aliis, quæ eosdem legatos ad Ephesinam synodum missos recensent, evincunt mss. codd. Griman., Barb. duo, Thuanei duo, Trecopith., etc., et Græca **1411** versio epistolarum 26, 29, 30 et 31 (*nunc* 38, 33, 30 et 34), quæ habentur in prima parte Actorum Chalcedonensis concilii. In sola hujus epistolæ 24 (*nunc* 28) ad Flavianum (*a*) Græca versione legitur Ἰουλιανός, et in Latina ejusdem editione, quæ in collatione sexta synodi v habetur, legitur *Julianus*, quod scribarum oscitantiæ imputandum esse conjicio ex ms. codice Actorum concilii Chalcedon. ex bibliotheca Joannis Bouhierii Divionensis, quem ut probæ notæ et adorandæ vetustatis codicem laudat Chifletius : in eo enim legit *Julium*, non *Julianum*. Julium pariter habent Evagrius lib. I cap. 10, Nicephorus Call. lib. XIV cap. 47, Prosperi Chronicon, Breviculus historiæ Eutychianistarum præfixus epistolis sancti Leonis in editione Romana, adeoque non primum a Sirmondo editus, liber de Romanis Pontificibus, Marianus Scotus, etc. Ex quibus postremis quatuor docemur Julium fuisse episcopum Puteolanum. Unde hallucinatum constat doctissimum Morinum, *eum* lib. I, exercitatione 20, scribit Julianum Coensem ad synodum Ephesinam II missum a Leone, *ut ex ejus*, inquit, *epistolis* 15, 18, 19 (*nunc* 15, 19 et 20) *aliisque constat.* Erravit similiter Christianus Lupus in dissertatione de Latrocinio Ephesino cap. 5, cum legatum quem Leo in epistolis scribit ad synodum hanc missum, Julianum episcopum Coensem fuisse contendit, suggillans Chronicon Prosperi, qui *Julianum Coensem*, inquit, *male permutat in Julium episcopum Puteolanum.* Quasi vero quis qualisve fuerit legatus iste latere potuerit Prosperum, tunc Romæ versantem, **1412** Leoni familiarissimum, eique a secretis, a consiliis, ab epistolis; ita ut non modo hæc, sed et aliæ omnes adversus Eutychen de vera Christi incarnatione (*b*) ab ipso dictatæ crederentur, testibus Marcellino comite in Chronico, et Gennadio in Catalogo illustrium virorum. Morino et Lupo imposuit tum nominis affinitas, tum quod is qui vices Leonis agebat in synodo Julianus fere ubique dicatur. At vero, ut probabile mihi videtur Julianum Coensem Leonis nomine interfuisse synodo, ita certissimum est Julianum Coensem non eum esse qui Roma missus est ad synodum, et in Epistolis S. Leonis toties cum aliis legatis commemoratur. Hoc posterius etsi satis probatum jam auctoritate codicum plurimorumque illius ævi scriptorum, adhuc ex abundanti manifestum fit duplici hoc argumento.

1. Julianus Coensis episcopus interfuit et subscripsit tam concilio Constantinopolitano, in quo primum damnatus Eutyches a Flaviano, quam conventui episcoporum, qui anno sequenti in eadem urbe jussu imperatoris habitus est. Porro, cum hic conventus habitus sit mense Aprili, quis facile credat eumdem Roma missum mense Junio ejusdem anni quo datæ leguntur epistolæ pontificis?

2. Scribit Leo ad Julianum Coensem in Oriente versantem epistolas 25 et 31 (*nunc* 35 et 34), eodem die scriptas quo et aliæ in quibus legatos missos recenset. Immo in posteriori eosdem nominat, et inter eos Julium episcopum; quod certe cum illorum opinione cohærere non potest.

Quod vero non (*c*) Julius Puteolanus, sed **1413**

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Duo nostri codices Veneti Græcæ versionis habent Ἰουλιὸν *Julium*, non Ἰουλιανὸν *Julianum*. Exemplaria etiam mss. synodi V, collatione sexta, annotante Baluzio, habent *Julium*.

(*b*) Confer admonitionem huic epistolæ 28 præfixam num. 4 et seqq.

(*c*) Optime sane Quesnellus hoc loco statuit episcopum a Leone legatum ad Ephesinam synodum Julium esse Puteolanum, non vero Julianum Coensem, ut quidam perperam opinati fuerant. Quod vero fusius probare nititur, Julianum Coensem Julii loco interfuisse Ephesinæ synodo, falso fundamento fulcitur. Renatum scilicet, qui in Breviculo historiæ Eutychianistarum in Delo insula mortuus traditur, vivum constituit ex Theodoreto, qui post eamdem synodum ad ipsum litteras dedit. Hinc Breviculi auctorem aut memoria lapsum, aut incertis documentis deceptum affirmans, conjicit Julium Puteolanum apud Delos mortuum, ejusque loco Julianum Coensem in legatione Romanæ sedis assumptum in Ephesino concilio sedisse; unde Julianus in vulgatis gestis appellatur, qui vice Leonis ibidem interfuit. Huc paucis tota vis ratiocinationis Quesnelli revocatur: cætera enim ejus argumenta sunt meræ conjecturæ, quæ Theodoreti auctoritati, et vulgatis gestis incumbunt, ita ut si hæc fundamenta nutent, cætera omnia pariter corruant necesse sit.

Itaque Renatum presbyterum, non autem Julium episcopum ante synodum vita functum primum satis indicat Prosper coævus auctor, dum in Chronico ad an. 449 de pseudosynodo Ephesina loquens, solius Hilari diaconi et Julii episcopi Puteolani meminit; de Renato autem ne verbum quidem. *Reclamante Hilaro diacono Ecclesiæ Romanæ, qui vice S. Leonis papæ cum Julio episcopo Puteolano a sede apostolica fuerat destinatus.* Quod si destinatus fuit etiam Renatus, hujus tamen non meminit, quia de iis loquitur qui Ephesi gestis sese opponentes, eodem pervenerant; nec pro Renato Julium memoraret, si Renatus, non autem Julius, in synodo consedisset. Id autem multo evidentius demonstrant ipsa acta Ephesina, quæ actioni primæ synodi Chalcedonensis inserta leguntur. Licet enim ibi non solum legati nominentur, sed etiam Dulcitius notarius Romanæ Ecclesiæ,

Digitized by Google

Julianus Coensis interfuerit vice Leonis synodo Ephesinæ, etsi nolim ut certum asserere, sunt tamen

A plura quæ probabile efficiant. Quod ultimum si verum est, hoc ea ratione contigisse puto, quod vel

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

Renatus tamen nullibi appellatur, quod incredibile est si cum cæteris adfuisset. Neque gesta ipsa Ephesina deesse Quesnellus affirmet, nec quod in Chalcedonensi legitur, eorumdem gestorum excerptum esse pronuntiet. Chalcedonensibus enim gestis palam revincitur : ex quibus ipsa Ephesina acta integra et sine ullo saltu lecta fuisse noscuntur usque ad actionem quæ Eutychis absolutionem et Flaviani ac Eusebii condemnationem continebat, cuique soli Romanæ sedis legati interfuerunt. Cur ergo Julio episcopo, Hilaro diacono, et Dulcitio notario memoratis, Renatus in his gestis omittitur, nisi quia apud Delos mortuus, ut in Breviculo traditur, ei concilio non adfuit? Qui autem omitti poterat, si ea *quæ Ephesi audacter gesta sunt arguisset et repressisset*, ut Theodoretus in epistola pronuntiat? Hic præsertim nominandus in gestis fuerat, et hæc ejus contradictio iisdem gestis procul dubio fuisset inserta. Cum vero ex gestis pateat Julium interlocutum, Hilari autem

B contradictio non tam probetur ex gestis quam ex Chronico Prosperi, Theodoretus incerta fama ac æquivocatione aliqua deceptus noscitur, dum id tribuit Renato quod Hilaro erat tribuendum : nisi quis forte Renati nomen pro Hilari nomine in inscriptionem epistolæ Theodoreti per errorem irrepsisse malit, quod tamen ne suspicari quidem audemus. Potius enim credimus Theodoretum, qui tres legatos a Leone missos ex epistola 28 ad Flavianum didicerat, ex fama autem acceperat legatos Ephesinis gestis restitisse, nec de Renati morte quidquam audierat, ad singulos scripsisse eodem exemplo, ut suam illis causam commendaret; solam autem ad Renatum epistolam superfuisse. Quæ enim exstat Theodoreti epistola ad archidiaconum Ecclesiæ Romanæ, ei qui in hac Ecclesia primus erat, directurus, licet nomen ignoraret, datam credimus, cum archidiaconorum nota esset potestas; non autem Hilaro, quem cum sciret legationis officio functum, aliquid de hoc peculiare litteris inseruisset.

C Quid quod Julium, non autem Julianum Ephesinæ synodo interfuisse certissimum est? In id satis efficax argumentum esse possent interlocutiones per interpretem in Ephesinis gestis contentæ, quæ Julio quidem conveniunt, a Juliano autem Coensi alienæ sunt, quippe qui Græcæ urbis episcopus non per interpretem, sed per sese Græce locutus est non tam in Chalcedonensi quam in Constantinopolitana synodo sub Flaviano ante Ephesinam habita : unde irritus cognoscitur audax Quesnelli nisus, quo, ut hanc rationem elideret, Julianum Ephesinæ synodi tempore Græcæ linguæ minus peritum traduxit. Sed luculentiora ex ipsis gestis suppetunt. *Julium* enim, non *Julianum* habent mss. codices antiquæ versionis concilii Chalcedonensis. Sex codices hujus versionis expendimus, quatuor Vaticanos 1321, 1323, 4166 et 5405, Ghigianum 485, et antiquissimum Veronensem 57. Ex sex autem vicibus quibus hic legatus nominatur, quinquies dicitur *Julius* in quatuor codicibus, nempe tribus Vaticanis 1323, 4166 et 5405, atque in Ghigiano, et semel tantum per errorem *Julianus* in Ghigiano, *Eusebius* autem item semel in iisdem mss. Vaticanis tribus. In antiquissimo autem Veronensi, et in emendatiori Vat. 1321, ubique semper *Julius* scribitur. Idipsum pariter in quatuor suis mss. observavit Baluzius. Nam Corbeiensis et Colbertinus *Julianum* semel tantum exhibent; Parisiensis ac Divionensis *Julium* semper ingerunt. Confer apud ipsum Baluzium singula concilii loca, nec unum tantummodo priorem textum, ubi *Julianum* in duobus codicibus præferri notavit, cum Quesnello consideres, quod nonnullis fucum facere posset. Hinc autem erronea cognoscitur editorum lectio *Julianum* ubique exhibens, cui Quesnellus innixus est. Ex hac autem antiqua interpretatione a Rustico recognita *Julium* item fuisse in Græcis exemplaribus quibus vetus interpres et Rusticus usi sunt, discimus; et jure Evagrium ac Nicephorum Græcos scriptores *Julium*, non *Julianum* prætulisse; ac per errorem in editis Conciliorum Græcis Julianum alicubi appellari, qui Julius fuit. Enimvero in amborbus Græcis codd. concilii Chalcedonensis bibliothecæ Venetæ S. Marci 164 et 555, Ἰούλιος, *Julius*, ubique legitur, excepto secundo actorum, ubi Ἰουλιανὸς, *Julianus*, habetur, qui unicus locus ex quinque aliis Ἰούλιος, *Julius*, præferentibus emendandus est.

Quod si ex his Julius in Ephesina synodo legationem Romanæ sedis gessit, duo sequuntur, quæ Quesnelli systema evertunt : primo commentitia esse quæ de Juliano Coensi legato inanibus conjecturis comminiscitur; deinde eum qui apud Delos obiit non fuisse Julium episcopum, sed Renatum presbyterum,

B ut in Breviculo historiæ Eutychianistarum traditur.

Quoniam vero hoc Breviculi testimonium Quesnellus panno tribuit, quia abest in Quesnellianæ collectionis capite 43, ubi eadem historia inserta est, quid hac in re sentiendum sit, ope vetustissimorum codicum detegere plurimum refert. In Quesnelliana quidem et in nonnullis aliis antiquis collectionibus hæc historia Acacianæ causæ documentis præfixa brevius describitur; incipit enim a damnatione Dioscori, et in iis gestis desinit quæ Acacii damnationem præcesserunt. Duo autem additamenta huic historiæ accessere, alterum initio, quo historia ab origine, a Nestorio scilicet et Eutyche, inchoatur; alterum in fine, quo eadem historia ad Acacii damnationem usque perducitur. Hæc vero historia cum his additamentis in Virdunensi codice, qui sola monumenta Acaciana complectitur, inventa fuit a Sirmondo cum titulo : *Gesta de nomine Acacii*, a nobis autem cum eodem titulo in ms. Vat. Reginæ 1997. Nova tandem aliquot linearum additio in fine facta fuit, cum qua

C excusa jampridem habebatur in Romana editione Epistolarum Romanorum pontificum an. 1591, tom. I, part. II, pag. 142. Hoc autem integrum documentum reperimus in aliquot mss. libris præstantissimæ collectionis Avellanæ, in quibus hoc initium est ab editoribus Romanis omissum : *Incipit. In causa fidei christianæ, cui ab exordio sui numquam defuisse probantur inimici. Nostro quidem sæculo*, etc.; unde Quesnellus notavit hanc historiam duabus primis lineis in editione Romana breviorem esse quam quæ a Sirmondo publicata fuit. Integra hujusmodi historia Liberatus usus est, non autem contra, ut Pagius perperam existimavit ad an. 496, num 4. Nunc observamus hanc historiam in collectionibus Quesnelliana, et Vaticanis 1342, 1344, in Barb. 2888, in Veronensi 46, et in ms. Virdunensi præmitti monumentis Acacianis, quæ in Gelasio desinunt; in Vat. Reg. 1997 subjici epistolæ Gelasii; in Avellano autem cæterisque similibus referri inter Gelasii epistolas : adeo ut

D ejusdem historiæ Gelasium auctorem esse non male conjecerit Henricus Valesius. Tempus quidem initio opusculi indicatum, quod respondet an. 493, aut 494, et historiæ finis cum Gelasii temporibus conveniunt. Gelasii porro morem fuisse nonnulla suis opusculis addere, liquet ex epistola ad Dardanos, quæ in Quesnelliana aliisque collectionibus brevior est, aliquot vero additamentis auctior invenitur in codice Avellano, unde illam Romani editores typis tradidere. Idipsum ergo credimus evenisse historiæ Eutychianistarum; adeo ut additamenta quæ subinde accessere, eidem Gelasio tribuenda sint. Hinc autem quanta sit auctoritas ejus testimonii quo Renatus apud Delum mortuus ibidem traditur, nemo non videt. Quamquam etiamsi alius a Gelasio habeatur ejus additamenti auctor, cum tamen Romanus fuerit atque ætate

Digitized by Google

Julius vita functus est antequam pseudosynodus inchoaretur, **1414** vel aliud quid impedimento fuit ne Ephesum accederet. Quoniam vero multum intererat ut qui vices pontificis Romani in eo concilio habiturus erat episcopali dignitate fulgeret, substitutus est in locum Julii Julianus, prout in mandatis procul dubio **1415** habebant reliqui legati. Atque ut hoc verisimile existimem, sequentibus conjecturis adducor.

1° Quoties de legato sedis apostolicæ mentio habetur in synodo Ephesina, Julianus semper appellatur in Latina versione; in textu Græco ter Julianus, bis tantummodo Julius dicitur: ut mirum sit qua ratione a clarissimo Baluzio scriptum in I tomo novæ collectionis Concil. præf. in Chalced., *constanter vocari Julium in omnibus antiquis codicibus mss.* Quod argumento est de alio sermonem esse quam de illo Roma misso, qui in Epistolarum S. Leonis Græca versione, I parte concilii Chalcedonensis semper Ἰούλιος dicitur, sola 24 (*nunc* 28) excepta. Non igitur Julius in synodo vices pontificis egit, sed Julianus, nec alius quam Coensis episcopus. 2° Nisi supremum obliisset diem in Oriente Julius, aliqua post infaustam synodum de eo mentio haberetur: vel enim ejus reditus notaretur, vel mors ejus inter latrocinalis illius conventiculi improbos ausus recenseretur: idem ipse ad Pulcheriam scripsisset, ipse ad Leonem retulisset de gestis synodi, ipse a Leone vel de consensu exhibito vituperaretur, vel laudaretur de recusato: at nihil tale legitur. 3° Julianum Coensem multis magnisque tribulationibus vexatum fuisse per impotentem Dioscori sævitiam testatur Leo ad ipsum scribens epistola 44 (*nunc* 48) 13 die Octobris ejusdem anni data, et 61 (*nunc* 81), 13 Aprilis sequentis anni: quod non aliam ob causam accidisse credendum est, quam quod ut legatus Romani pontificis fidei justitiæque partes constanti animo tutatus fuerat, impiique Dioscori nefandis molitionibus palam contradixerat. 4° Ex eadem epist. 61 (*nunc* 81) liquet aliquo modo Julianum S. Leonis personam sen vices etiam ante Chalcedonensem synodum gessisse: siquidem eum exhortans *ut contra falsitatis astutias perseverantem diligentiam teneret*, addit: *Cum ad hoc et tuus animus et* NOSTRA AUCTORITAS *suffragetur.* Et postea: *Ad quam rem nostros post diem venerabilem* **1416** *Paschæ dirigemus, qui tecum participato consilio, ea quæ a nobis constituta fuerint, exsequantur.* Immo et in ipsa epist. 25 (*nunc* 35) ad eumdem scripta per legatos ad Ephesinam synodum missos, testatur has ad eum litteras ideo scribere, *ut*, inquit, UNANIMITER *atque constanter his qui Evangelium Christi corrumpere cupiunt resistatis.* In epistola etiam 60 (*nunc* 80) Julianum sollicite commendat Anatolio CP. et hunc illum vult adhærere: quod innuit ipsum Leonis partes egisse in synodo, cui propterea timendum erat ne Eutychis sequaces molestiam facescerent. 5° Vix dubitare licet Julianum Coensem episcopum pseudosynodo interfuisse, cum et eam ob causam mandata S. Leonis acceperit ante synodum, ut *unanimiter* cum aliis legatis resisteret adversariis veritatis, et ad eumdem de rebus male et in synodo gestis litteras scripserit pontifex, et secretioribus etiam mandatis monuerit de suis eodem in negotio consiliis. At nusquam Juliani Coensis nomen habetur in gestis pseudosynodi, si Julianus vel Julius, qui vices pontificis ibidem gessisse legitur, alius fuit a Coensi Juliano.

6. Narrat Breviculus historiæ Eutychianistarum unum legatorum a Romana sede missorum ad synodum Ephesinam, illuc non pervenisse, morte scilicet præventum in Delo insula. *Interfuerunt etiam*, inquit, *vicarii ab apostolica sede directi, Julius Puteolanus episcopus, Hilarus archidiaconus, quia presbyter Renatus in Delo insula morte præventus est: adfuit etiam Dulcitius notarius*, etc. Julium quidem concilio interfuisse ait, mortuum vero Renatum; sed vereor plurimum ne memoriæ lapsum passus sit auctor Breviculi, aut incertis rumoribus scriptisve deceptus: ut potius interfuisse synodo dicendus sit Renatus, morteque præventus Julius. Cum enim scribit unum esse mortuum in Delo insula, vix errori locus esse potuit, non enim hoc somniavit auctor ille; at cum Julium interfuisse dicit synodo, decipi potuit nominis similitudine. Cum legeret enim in epistola S. Leonis **1417** missum esse Julium qui vices pontificis ageret, nominatumque reperisset in actis Ephesinis Julianum, vel Julium, iisdem fungentem vicibus S. Leonis, facile fuit in eam opinionem ire, unum eumdemque esse, ac proinde de alio e tribus legatis intelligendum esse quod scriptum reperit de uno illorum morte. Non certe de Hilaro, cujus frequens memoria in synodo et post synodum. Igitur, concludit ille, de Renato verum fuit. At, repono ego, de Renato verum esse non potest, ad quem similium litteras post synodum dedit Theodoritus. Cum enim a sede sua dejectus esset sententia pseudosynodi, querelas suas detulit tum ad S. Leonem, tum ad ejus legatos ad Renatum presbyterum et Hilarum diaconum. Ex quo et duplex robur conjecturæ nostræ accedit. Quod enim scripserit ad Renatum, arguit errorem auctoris incerti, qui mortuum ante synodum scripsit; quod vero ad Julium non scripsit, aliquatenus probat eum tunc non superfuisse in vivis, nec præsentem synodo fuisse. Alioquin eum in primis conveniebat adire, qui primas habuisset in synodo pontificis vices, ut per eum S. Leonis mentem moveret excitaretque ad suscipiendam depositi episcopi defensionem. Quod enim ad Julianum Coensem non scripserit, ratio in promptu est: is enim in Orientalibus partibus remanens, idoneus non erat qui Theodoriti res apud Romanum pontificem coram ageret. Jam vero si Julius mortuus erat, Julianus episcopus Coensis is est procul dubio quem legimus in actis Ephesini latrocinii egisse vices Romani pontificis. Qui Breviculum historiæ Eutychianistarum edendum denuo curarunt, ex hujus verbis de morte Renati presbyteri argunt epistolam Theodoriti ad illum presbyterum scriptam non esse, sed potius ad Hilarum. At superest etiamnum ejusdem epistola ad Hilarum; ac præterea si quis error in alterutro auctore iste agnoscendus est, satius est minusque incommodum a Breviculi auctore commissum fateri, quam a Theodorito. Quid enim? An Theodoritus quid de Renato factum esset ignoravit? nemo id dixerit. An librariorum error est, qui pro Hilaro Renatum supposuerint? At non tam erudita esse solet operarum oscitantia, ut pro uno legatorum alterum scribere cogitaverint. Adde quod in omnibus mss. excusisque Theodoriti exemplaribus eadem epigraphe constanter reperitur; nec solent epistolarum inscriptiones ab aliis quam ab auctoribus ipsarum componi, cum de aliis opusculorum generibus aliter persæpe fieri contingat. Auctor porro Breviculi ignotus, auctoritas incerta, fides vacillans, rari codices mss. excusi centum annis juniores. Quid igitur habet unde cum Theodorito in hac controversia contendat?

Si hæc vera sunt, a scriptoribus variis varie hoc loco erratum. Errarunt qui Julium Puteolanum et Roma missum esse, et synodo interfuisse asseruerunt. Errant pariter qui utrumque de Juliano Coensi contendunt. **1418** Nam missus quidem est Julius ut interesset synodo, sed non interfuit. Non missus est Julianus Coensis, qui in Oriente tunc residebat, et tamen vice Leonis interfuit, in locum, ut dixi, Julii suffectus. Hinc corrige Evagrium Scholasticum Eccl. Histor. lib. I, cap. 10: καὶ μὴν καὶ Ἰούλιος (συνῆν) τόπον πληρῶν Λέοντος τοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπισκόπου: *Julius item episcopus* (aderat) *qui Leonis*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

Gelasii de Romano presbytero testimonium dederit, fidem in hoc præcipue maximam obtinere debet, cum præsertim et Prospero, et Ephesinæ pseudosynodi gestis congruat.

Digitized by Google

episcopi Romani vices gerebat. Corrige item Nicephorum lib. XIV Hist. Eccl. cap. 47 : Παρῆσαν δὲ τῇ συνόδῳ... πλὴν Αἴοντος τοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ποιμένος, τούτου γὰρ τὸν τόπον ἐπίσκοπος Ἰούλιος πεμφθεὶς ἀνεπλήρου : *Adfuerunt concilio... Leone veteris Romæ pastore excepto, cujus locum Julius episcopus eo missus obtinuit.* Corrigenda, inquàm, utriusque hujus auctoris narratio, quia uterque male Julii Puteolani missionem a Leone, cum Juliani Coensis præsentia in synodo confundit. At non corrigendus textus, ut vult doctissimus Henr. Valesius annotat. in hunc Evagrii locum, ubi corrupte legi putat in utroque Ἰούλιος pro Ἰουλιανός; cum certum sit ita scripsisse auctores illos, discrimen, quod supra observavimus, non attendentes, et cum plerisque aliis scriptoribus existimantes eum adfuisse synodo Leonis nomine, qui eo consilio missus fuerat; quod discrimen nec ab eodem Valesio animadversum puto.

Contrariam opinionem, quæ Julium interfuisse synodo contendit, Renato in Delo insula prius mortuo, non spernendis argumentis tuentur viri docti. Primum est quod Renati mentio nulla prorsus habetur in actis Ephesini latrocinii, ex quo silentio confirmatur narratio Breviculi de eodem morte prævento, ut scribit illius auctor, antequam Ephesum potuisset accedere. Nodus certe difficilis, nisi quis dixerit vix locum fuisse loquendi legatis in pseudosynodo, præsertim vero Renato; cum et Julianus pro episcopali dignitate vocem arriperet, et Hilarus pro suo archidiaconi ac specialis Ecclesiæ Romanæ legati munere præcipuas haberet legationis partes. Is enim et prolixioribus semper verbis synodum alloquitur; ipse solus epistolam S. Leonis legi postulat semel et iterum; solus adversus latrocinale decretum intercedit.

2. Prosperi silentium de Renato, ac ejusdem de Julio misso testimonium urgent. At missum Julium, seu *destinatum*, ut Prosperi affectata voce utar, non negamus. Silet quidem de Renato, sed æque de Dulcitio, quem synodo præsentem fuisse liquet ex actis, ut nihil inde conflci possit.

3. Breviculi Historiæ Nestorianæ et Eutychianæ gravis et ineluctabilis videtur auctoritatis narratio. Ejus enim auctor Romæ, ut apparet, scripsit quadragesimo circiter post synodum anno. Neque tamen deerit forsan qui reponat incertam hujus Breviculi auctoritatem, quia incertus auctor et incertæ etiam fidei scriptum ipsum censeri potest. Conflatum enim illud videtur ex pluribus pannis qui aliis et aliis temporibus **1419** consuti fuerunt. Pannus omnium antiquissimus esse mihi videtur ille qui capitulum 43 codicis mei Romani conflat, et de rebus in Alexandrina Ecclesia gestis a damnatione Dioscori usque ad Acacii damnationem unice tractat; quæ enim breviora, plerumque sunt et antiquiora. Ex eo plura suo Breviario inseruit Liberatus diaconus cap. 15, 16, et 18, et suo Breviculo auctor incognitus. Immo Breviculus ipse nihil aliud esse videtur quam scriptum istud brevius, pluribus postea auctum ab aliquo scriptore, qui historiam totam ab origine repetens suis usibus Breviculum concinnavit; qui in editione anni 1591 duabus primis lineis brevior est, auctior vero in fine duodecim, vel quindecim aliis. Porro, cum in ea parte quæ in codice Romano nostro habetur, nihil apparet quod veritati consentaneum non sit, non ita est in iis quæ primam Breviculi partem conficiunt: plura sunt enim quæ a vero discrepant et a narratione Liberati. Vix igitur fides certa adhiberi potest scriptiunculæ illi, cum nullum habet sibi suffragantem alium scriptorem; tametsi abroganda non videatur ejus auctoritas cum pluribus aliis accinit.

4. At insolens videtur, nec umquam alias usurpatum, ut in locum unius legati alius ab aliis legatis substituatur. Novum id forsan nec fieri solitum; sed necessitas id postulabat. Cum enim ex improviso ad synodum invitatus esset S. Leo, et breve admodum spatium deligendis mittendisque episcopis concessum, coactus fuit pontifex iis contentus esse legatis quos Constantinopolim dirigendos designaverat. Nec melius aliquid ei venit in mentem quam ut Julianum Coensem, Orientalem quidem episcopum, sed patria Romanum, et in apostolicæ sedis sinu nutritum, legatis adjungeret, præsertim cum totum Eutychis negotium perspectum haberet, ac de eo ad pontificem litteras dedisset. Nullas quidem epistolas proferimus quæ hoc Leonis consilium retegant; verum hæc non erat epistolarum materies, sed secretiorum mandatorum, quæ nisi cum necessitas postularet, publicanda erant: quemadmodum soli commonitorii privati secreto commiserat Cœlestinus papa mandatum, quo jubebat ut legati sui ad Ephesinam primam synodum, prævenientes ad Cyrillum Alexandrinum consilium omne converterent. Scio per litteras Cyrillo delegatas esse pontificis vices, quia nimirum præsentiscebat Cœlestinus, quod revera accidit, legatos mature satis ad indictam synodo diem non esse perventuros. Non eadem erat Leoni ratio, atque adeo sufficiebat ut cautionem de substituendo vel adjungendo novo legato penes legatos deponeret pro data occasione seu necessitate in medium adducendam. Interim hoc **1420** ex Cœlestini exemplo colligimus non sine exemplo eoque recenti Orientalium partium episcopo Romani pontificis vices fuisse mandatas. Liquet sane ex epistola 61 (*nunc* 81) ad eumdem Julianum scripta pro reparanda pseudosynodi calamitate ipsum jam tunc auctoritatem sedis apostolicæ circumtulisse in Orientalibus regionibus. Hortans enim eum *ut contra falsitatis astutias perseverantem diligentiam teneat*, addit: *Cum tibi ad hoc et tuus animus et* NOSTRA AUCTORITAS *suffragetur... ad quam rem nostros... dirigemus qui* TECUM PARTICIPATO *consilio, ea quæ a nobis constituta fuerint, exsequantur.* Quandonam ergo pontificis auctoritate munitus fuerat Julianus? annon istud est aliquod acceptæ potestatis vestigium, qua in synodo vice pontificis uteretur?

5. Instant, episcopum Ephesi legatum agentem, per interpretem locutum semper fuisse, cum Julianus Græce ac sine interprete semper verba fecerit in Chalcedonensi concilio. At forte homo Latinus nondum Græcam satis callebat pseudo-Ephesini tempore, ut in tanto episcoporum consessu Græcum ageret, postmodum vero exercitatior in ea lingua per subsequens biennium factus, interpretis ope non indiguit. Ex eadem patriæ ratione descendit quod de Leone differens in synodo *sanctissimum papam suum* illum appellet. Hoc decebat hominem in Romanæ Ecclesiæ sinu educatum.

6. Opponunt Leonis verba in epistola 39 (*nunc* 43): *Hæc* Ephesina latrocinia *a nobis*, inquit, *comperta sunt non incerto nuntio, sed ab ipsis* (a) *reverendissimis episcopis qui a nobis missi sunt, et fidelissimo rerum quæ gestæ sunt narratore Hilaro.* At episcopus Roma missus ad synodum non alius a Julio Puteolano. Ego vero, si qua fides epistolæ quæ subsequentis rude exemplum quibusdam esse videtur, suffragari potius primæ opinioni puto quam adversari; cum enim solus Julius Roma missus sit; plures fuisse missos vere scribere Leo non potuit, nisi hoc sensu quod duo revera sunt legationis munere ornati, altero Roma misso ad hunc finem, altero vero vel adjuncto, vel suffecto Ephesi.

7. Urget clarissimus Baluzius codices mss., nam *constanter vocari Julium in omnibus antiquis codicibus mss.* Actorum Ephesinorum, nec in eisdem Juliani fieri mentionem totidem verbis asserit. At secum ipse pugnat: in eadem enim præfatione ad syn. Chalcedon. fatetur modo *Julium*, modo *Julianum* legi. Revera ad locum primum synodi Ephes. pag. 116 edit. Labbei fatetur solos codices Divionensem et Parisien-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(a) Vide annot. 5 (*Col.* 825, *n.* a) in epist. 43.

Digitized by Google

sem habere *Julium*, cæteros *Julianum*; et inter istos codices, Crabbi, Surii, Nicolini, editique alii, quos veterem versionem conservasse contendit, numerandi sunt, ipseque Græcus textus. **1421** Addo Labbeum, qui Divionensis codicis varias lectiones sedulo excerpsit, marginique ascripsit, nihil tale annotasse, sed solius Juliani nomen exhibere. Eamdem fere varietatem in aliis Actorum locis observat ipse Baluzius.

Observandum insuper in exemplari Græco epistolæ ad Flavianum, et in versione Latina quæ adjacet inter Acta Chalcedon. *Julianum* haberi; nec aliter in ejusdem epistolæ exemplo, quod insertum est collationi sextæ synodi v, et ex Actis Chalcedonensibus derivatum. Unde istud contigerit, cum ubique *Julius* legatur in epistolis S. Leonis, nolim ego decernere. Sed quid si ab ipso Juliano ita repositum sit, quem videlicet versionis Actorum Chalcedonensium auctorem esse opinantur viri docti, et (*a*) probabile admodum est? Quid si ab ipsis legatis id præstitum in eo exemplari ep stolæ quod synodo offerendum erat? Sed mitto conjecturas. Hoc certum, non recentioris scribæ erratum illud esse, cum in Actis Chalcedonensibus, quibus concilii v Patres utebantur, eadem lectio jacuerit. Quod argumento est, ita revera, lectum esse in genuinis Chalcedonensis synodi codicibus seu Græcis, seu Latinis, atque adeo in illa prisca versione qua usos esse concilii quinti Patres prædicat clarissimus collector, ac forsan ex Leonis epistolis præposiera emendatione *Julium* pro *Julianum* esse repositum. Etsi enim certum sit Julium legendum esse in epistolis extra synodi Acta; at si epistolæ Actis insertæ Juliani nomen inscriptum est antiquitus, mala fuit illa bonæ lectionis restitutio.

Ad auctoritatem Theodoriti ad Renatum scribentis, respondent, Theodoritum non satis edoctum fuisse de rebus legatorum. At gratis hoc dicitur, cum non gratis asseratur ad Renatum fuisse scriptas a Theodorito litteras. Nec solummodo gratis, sed absurde. Quis enim serio cogitans putet non diligenter monitum fuisse Theodoritum de rebus in synodo gestis; Theodoritum, inquam, ex cujus ore pendebant omnes Orientalis diœcesis episcopi, qua de causa intra Cyrum se continere jussus erat, et a synodo abesse unus nominatim per imperatoriam constitutionem coactus. At licet absens corpore, per amicos aderat, quorum opera facile de omnibus edoceri potuit. Revera jam tum cum ad Leonem, Renatum, cæterosque Romanos scribebat Theodoritus, Leonis ad Flavianum epistolam acceperat, quæ ad ipsum non nisi post pseudosynodum mitti potuit et ab iis qui synodo interfuerant, cum a legatis Romanis primum in Orientem allata sit. Jam tum etiam rescierat Renatum soli Flaviani depositioni interfuisse, et ante discessisse a synodo quam in alios episcopos eadem sententia **1422** decerneretur. Nec illa ex primis incertisque rumoribus hausta esse, sed certis nuntiis, probare videntur quæ ante omnia scribit de ardenti zelo et justa libertate qua Renatus nefandis Dioscori molitionibus obstiterat: *Nec soli nos ista didicimus*, addit ille, *sed in omnem terram rectæ mentis tuæ sonus exivit, et omnes justitiam, zelum, libertatem et adversus iniquitatem injectas a te minas decantant. Et hæc quidem egit pietas tua cum unicam cædem* (id est depositionem) *conspexisset. Quod si cæteras etiam vidisses quæ post discessum tuum patratæ sunt, Phineem illum fortasse imitatus esses.* Laudes ejusmodi a Theodorito impendi homini ex solo legati nomine cognito, et non ex peculiari gestarum ab eo rerum notitia, nemo facile crediderit. Has certe laudes potius Julio episcopo servasset, si et is synodo interfuisset, et ad eum scripsisset Theodoritus.

At nihil tale de Renato legitur in Actis. Ita est. Sed quis modo Acta integra pseudosynodi penes se habeat? excerpta enim illius tantummodo Chalcedonensi concilio inserta servata sunt, et ex illis sola fere Patribus exhibita quæ damnanda ac rescindenda erant. Nimirum post prolatam adversus Flavianum et Eusebium sententiam, hoc unum Hilari verbum, *contradicitur*, in Actis superest. Cætera quæ de legatis prædicant Theodoritus et alii, intercidere.

Quod Theodoritus non ex primis dubiisque rumoribus scripserit ad Romanos de latrocinio Ephesino, ac proinde nonnisi bene edoctus de totius negotii ac personarum quæ interfuerant circumstantiis, ipsius rei quam tractabat momentum et gravitas persuadet. Cum enim de appellando totius Occidentis concilio ageretur, cum legatorum Romam mittendorum delectus habendus esset, instructionibus et mandatis iidem muniendi, plures prolixæque litteræ scribendæ; quis credat de his omnibus non esse diu ac mature deliberatum a Theodorito cum suis amicis, ac iis præsertim quibuscum communis erat causa? Revera non statim missos esse legatos probant ipsæ Theodoriti epistolæ. Non scripsit enim in Occidentem, nisi post lectam Leonis epistolam ad Flavianum, ut certum est; at non illam recepit statim post nuntiatam cladem Ephesinam. Cum enim scribebat epistolam 19, ad Anatolium patricium, nondum Leonina in manus ejus venerat, cum tamen et de Ephesinorum judicio ipse edoctus esset, *et in omnem terram*, ut scribit, *jam exiisset sonus eorum et in fines orbis terræ rectissima sententia eorum.* Immo cum de singulis synodi episcopis, quæ cujusque sors fuisset, qui animus tunc esset, sic didicisset, ut apud amicum conqueratur vix esse aliquam Ecclesiarum *quæ commotam inde tempestatem* **1423** *non senserit. Nam injuriam alii intulerunt, alii acceperunt; qui vero nec læsi sunt ipsi, nec læserunt, et condolent iis quibus injuria facta est, et eos lugent qui fecerunt.* Postmodum accepto antigrapho litterarum S. Leonis, gratulatus sibi doctrinæ consensionem cum S. Leone, continere se non potuit, ut fatetur Garnerius, quin inde apud amicum potentissimum apologiam sibi conficeret in epistola 121. Verisimile etiam putat Garnerius jam tunc gestorum Ephesinorum apographum penes Theodoritum fuisse, ob id, opinor, quod plures epistolas ad Ephesinos Patres a Leone directas legisse videatur, et cum Anatolio patricio tunc temporis communicasse. Quod si verum est, frustra objiciatur Theodoritum incertis rumusculis delusum ad Renatum, velut synodi testem et consciuin, litteras dedisse, quod ipsum adhuc in vivis esse falso putaret.

Utriusque sententiæ probationibus in medium adductis, litem eruditorum judicio dirimendam dimitto, illi parti adhæsurus quam firmioribus fundamentis incumbere decreverint. Joannes Garnerius, vir eruditus, in auctario Theodoritiano stat ab utriusque opinionis partibus: nam dissert. 1 de Historia Theodoriti, cap. 9, n. 9, de Julio silet omnino; Julianum vero et Renatum cum Hilaro Ephesum convenisse scribit: ac de utroque iterum n. 10: *Incertum*, inquit, *quid operæ navarit Julianus; Renatus certe summa confidentia obstitit synodi malignantium præsidi, et inde laudem a summo pontifice promeruit.* Denique cap. 10, n. 5: *Oculati*, inquit, *duo testes* (latrocinii Ephesini), *Renatus presbyter et Hilarus archidiaconus, uterque sedis apostolicæ legatus, uterque a Theodoreto supplicibus litteris compellatus.* In dissertatione vero secunda ad epist. 116, quæ est ad Renatum, intactis primæ verbis, contraria scribit, ac priorem quam suam fecerat opinionem ut commentitiam ridet, cum tamen eodem loco fateri cogatur implicatissimam esse Julii historiam.

40. *Tituli S. Clementis.* (*b*) Ita omnes codd. tam exarati manu quam typis excusi, uno ex Barber. excepto

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Id falsum ostendemus in observationibus ad notam 3 Quesnelli in epist. 113.

(*b*) Confer nostram annot. 82 (*Col.* 779, n. *) in hanc epist.

Digitized by Google

Sola Græca versio, ad quam Bouhierii Latinus Actorum Chalcedonensium codex accommodatus est, eam annotationem omittit. Quamobrem malim ego gemini hujus codicis exscriptorem oscitantiæ arguere, quam falsi accusare antiquissimos quosque orbis Christiani codices, eosque præsertim quos Gallis nostris episcopi sui reliquerunt ab ipso Leone emendatos, ut ex epistola Ceretii, Salonii, et Verani ad S. Leonem perspicuum est. Id vero, quod ait Chifletius, usu minime 1424 receptum ut Romani presbyteri scripto a suis titulis appellarentur ante Symmachi PP. tempora, gratis dicitur; id enim multo satius est asserere quam negare, cum assertionis argumentum sit hæc eadem sancti Leonis epistola, quam si hoc loco interpolatam dicere licuerit, licebit et idem vitium impingere synodo illi Romanæ sub Symmacho, in qua primum annotationem ejusmodi annexam fuisse contendit scriptor laudatus. Et quidem miror cur ejusmodi presbyteros scripto nolit appellatos fuisse a suis titulis, cum id usu ac viva voce receptum fuisse ultro profiteatur. Deinde cur tempore Leonis usurpatum esse non vult quod quadragesimo circiter post Leonem anno usurpatum fatetur, quodque tot codices a Leone usurpatum docent?

41. *Est probata.* In vulgatis: *Est sæpe probata.* Sed istud *sæpe* et in Græco desideratur, et in omnibus fere mss. codicibus.

42. *Deus te incolumem custodiat, frater charissime.* Hanc clausulam non habent codd. 2 Barber. quinque Thuan., nec Remensis, Victorinus et Trecopith.

43. Ad calcem hujus epistolæ post annotationem consularem hæc verba addit Chifletius; *Tiburtius notarius, jussu domni mei venerabilis papæ Leonis edidi;* quam subscriptionem duximus omittendam esse, cum unicus Bouhierii codex ms. Actorum Chalcedonensium, correctore Rustico diacono, eam exhibeat, nec præterea constet cujus Leonis, an primi, an secundi, vel alterius notarius fuerit Tiburtius ille. Hanc enim vocem, (*a*) *domnus*, tempore Leonis I in usu fuisse non existimo, et aliunde constat sæpe sæpius pro diversis occasionibus editam ac laudatam fuisse præsentem epistolam.

44. Æram seu 483, seu 486, quæ in pluribus codd. additur ad finem hujus epistolæ, retinendam esse in textu non existimavimus. Hic enim computandi temporis modus recentior a Romanis non nisi post sancti Leonis tempora usurpatus, et huic epistolæ adjectus esse creditur a plerisque, et advectus ex Hispania, ubi Idatius Hispanus, qui scripsit ætate Leonis nostri, primus omnium hac nota usus fuisse videtur; si tamen ejus chronico aliena ac recentiori manu non est superaddita, quam et epistolæ S. Leonis additam esse crediderim opera Isidori Mercatoris. Hæc enim æra Hispanica est quæ triginta et octo annis vulgarem Christi æram antecedit. Unde et error in ipsa adjectione deprehenditur; additis enim 38 annis anno vulgaris æræ 449, quod prodiit hæc epistola, non 485, vel 486, sed 487 annus efficitur æræ Hispanicæ.

Ad calcem hujus epistolæ, in actione 2 1425 concilii Chalcedonensis subjiciuntur (*b*) testimonia sanctorum Patrum partim Latinorum, partim Græcorum, qui duas in Christo naturas asseruere. Hæc a Theodorito epistolæ Leonis adjuncta esse opinio est Joannis Garnerii in parte posteriori Operum Marii Mercatoris sub finem præfationis in Scholia S. Cyrilli de Incarnatione. Ratio multiplex ab eo profertur; nulla, meo judicio, sufficiens.

E Scholiis, inquit, S. Cyrilli tria testimonia Theodoritus adduxit in secundo Eranistæ dialogo, et quidem totidem verbis ac in calce epistolæ referuntur in actione 2 Chalcedonensi. Bene est: sed si ante habita est Chalcedonensis synodus quam scripti Theodoritiani dialogi, quæ est Baronii aliorumque opinio, jam a synodi actis potius accepisse censendus est Theodoritus, quam synodus a Theodorito. Quod porro in actione 2 Chalcedonensi epistolam S. Leonis ab Illyricianis et Palæstinis episcopis suggillatam asseruisse legitur Theodoritus adducto Cyrilli testimonio, quod inter subjuncta legitur, nec adductum fuisset si jam epistolæ subjectum occurrisset: nihil vetat testimonium a Leone descriptum, prolatum esse postmodum a Theodorito, immo eo magis Leonis mens catholicæ et Cyrillianæ sententiæ consentanea esse probabatur a Theodorito, quod idem ab utroque testimonium esset prolatum. Deinde brevissimum tantummodo 1426 adducitur a Theodorito testimonium, cujus media pars a Leone non est descripta.

Addit Garnerius: *Quod a Theodorito, aut certe ab iis qui Theodoriti partibus studebant, versum in sermo-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vide annot. 85 (*Col.* 781, *n.* c).

(*b*) In admonitione ad hanc epistolam n. 8 ostendimus hæc testimonia actioni secundæ concilii Chalcedonensis perperam fuisse in vulgatis inserta post Leonis epistolam ad Flavianum, cum in Græcis codicibus eidem epistolæ ante gesta descriptæ subjiciantur. Leoni vero hanc testimoniorum collectionem tribuendam ibidem probavimus n. 9, ex quo satis elicitur Garnerii opinio, qua ea testimonia a Theodoreto collecta et Leonis epistolæ addita contendit. Illud autem probabilius credimus, Theodoretum potius quasdam Latinorum Patrum auctoritates ex Leone accepisse. Neque refert ejus dialogos scriptos fuisse an. 448, antequam Leo ea testimonia Constantinopolim mitteret. Potuit enim Theodoretus testimoniis antea congestis quædam adjicere, cum Leonis collectionem Græce redditam accepit. Id autem non levis ratio nobis suadet. Leo nimirum, si de Græcis Patribus sermo sit, horum testimonia ex Latinis versionibus, quæ ante ipsum erant apud Latinos celebres, facile sumpsit, ut ne ex Græco Theodoreti ea derivarit, uti observavimus in admonit. ad epist. 165, n. 3. Theodoretus vero etsi quædam testimonia Patrum Latinorum, Damasi scilicet et Ambrosii, Græcis nota, suis dialogis prima manu inseruerit, quæ apud Leonem non inveniuntur, alia tamen Hilarii et Augustini ex Leone sumpta et dialogo 2 adjecta dicenda sunt; neque enim horum Patrum opera seu opuscula, præsertim Augustini epistola ad Volusianum, et expositio fidei, inter Græcos ante Leonem vulgata aut cognita dici queunt. Hæc autem ex Leonina collectione Theodoretum accepisse id multo magis confirmat, quia eas omnes auctoritates Patrum Latinorum, quæ post epistolam Leonis ante gesta descriptæ sunt, iisdem verbis ex eadem Græca versione, eodemque ordine Theodoreti dialogo secundo insertæ leguntur. In quibus evidentius hujus additamenti indicium est testimonium S. Ambrosii ex lib. II de Fide ad Gratianum, quod apud Leonem incipit: *Sileant igitur inanes de sermonibus quæstiones.* Partem enim hujus testimonii, quæ inchoat a verbo *servemus*, jam Theodoretus attulerat ex Græca versione diversa a versione Leonis; postea autem iterum eumdem integrum textum inter Leoninos subjicit ex Græca versione diversa, qualis in Leoninis Græce redditis deprehenditur. Si Theodoretus non sumpsisset hos textus ex testimoniis Leonis Græco sermone donatis, nonne, cum primum textum attulit, integrum cademque versione redditum protulisset? Hæc repetitio diversæ versionis posteriorem additionem ex Leone sumptam declarat, qua Theodoretus omnes auctoritates a Leone propositas voluit suis anterioribus testimoniis addere, ut ne animadverterit (diversa fortassis interpretatione fucum faciente) idem Ambrosii testimonium sese jam paulo ante protulisse, ut illud repetere opus non fuerit. Quod si tria testimonia S. Cyrilli apud Theodoretum iisdem verbis Græcis exhibentur ac in testimoniis Leonis, nihil refert, cum æque Græcus Leonis interpres ac Theodoretus ea ex Cyrilli libris Græce scriptis excerpserit

Digitized by Google

nem Græcum epistolam, proditum est, immo et a vertentibus vitiatam, quod postremum Leo ipse queritur apud Marcianum imperatorem. Quinam sint hujus opinionis (*a*) assertores, non memini me legere : hoc unum ego assero, nihil tale suspicatum esse Leonem nostrum de Theodorito, quantum ex scriptis conjici potest. Immo vero similius est versam esse ac corruptam epistolam a Theodoriti adversariis, quam ab asseclis. Scilicet eo fine vitiatam volebant eam epistolam Leonis adversarii, ut in suspicionem Nestorianismi vocatus, odium catholicorum incurreret, ejusque epistola ut fidei absona rejiceretur. Quis porro istud tentatum credat a Theodorito, qui Nestorianismi suspicionem olim in Ephesino concilio sibi aspersam, omni tunc temporis studio et opera obliteratam volebat, nec aliam sibi quam Leoni fidem inesse clamabat? Quam satius est igitur existimare eam epistolæ Leoninæ depravationem inductam esse ab Alexandrinis, cum quibus tam diuturnas simultates exercuerant Theodoritus aliique Orientalis diœcesis episcopi. Neque id asserentes divinamus : ipsa quippe Leonis ad Marcianum epistola 104 **1427** (*nunc* 130), quam laudat Garnerius, hoc evidentissime aperit. Tota est enim de Alexandrinis epistola. Primo capite laudat Proterii Alexandrini episcopi fidem. In secundo monet ut paucos imperitos hæreticorum instigationibus tumultuantes ex traditione ipsius Ecclesiæ Alexandrinæ, scriptis scilicet Athanasii, Theophili et Cyrilli doceat Proterius. In tertio queritur quod *quorumdam hæreticorum versuta nequitia, ad conturbandam aliorum simplicitatem, epistolam meam*, inquit, *quam ad beatæ memoriæ Flavianum dedi, falsasse perhibetur, ut commutatis quibusdam litteris vel syllabis, receptorem me Nestoriani erroris assereret. Obsecro*, subdit ille, *venerabilem clementiam vestram ut eamdem epistolam per fratrem meum Julianum episcopum, vel eos quos idoneos ad hoc opus pietas vestra delegerit, in Græcum sermonem jubeatis integre diligenterque translatum, per idoneum perlatorem sub vestri signaculi impressione deferri tradendam judicibus Alexandrinis, qui eam clero et plebi ipsius civitatis cum prædictorum episcoporum prædicationibus, quibus mea scripta consentiunt, faciant recitari*, etc. Ex quibus liquido apparet totam hanc fallaciam circa Leonis scripta Alexandrinorum hæreticorum artibus structam esse, et Juliano potius quam Theodorito ascribendam esse versionem epistolæ pontificis. Ipse enim Theodoritus S. Leonis epistolæ subscripserat etiam ante synodum Chalcedonensem cum aliis omnibus Orientalis diœcesis episcopis, ut narrat epistola 68, cap. 3, et epist. 70 subscripsit eidem in synodo, ut affirmant legati sedis apostolicæ act. 8. Immo eam asseruerat actione 2 adversus Illyricianos et Palæstinos, quod et Facundus commemoravit. Depravatio vero epistolæ hæreticorum opus fuit.

Urget Garnerius pro sua conjectura. Nulla fit, inquit, in tota epistola sive mentio, sive promissio afferendorum testimoniorum. Responsio in promptu est : cum scripta est epistola, immo et cum primum missa in Orientem ad synodum Ephesinam, animus non erat adjicere testimonia sanctorum Patrum, quibus doctrinam suam pontifex muniret adversus calumnias hæreticorum. At vero cum in latrocinio Ephesino immaniter a Dioscoro sævitum esset in episcopos catholicos et in ipsam Ecclesiæ fidem, expulsis, depositis cæsisque fidei defensoribus, rejecta etiam Romani pontificis epistola, alii postmodum legati in Orientem missi cum epistola eadem : quam cum prævideret ab hæreticis impugnandam, eam sanctorum Patrum testimoniis et auctoritate munivit; qua permoti omnium Ecclesiarum episcopi, ad quos eam transmiserat approbandam, ei facilius subscriberent. His testimoniis munita erat epistola cum Constantinopolim gemina legatione annis 450 et 451 per Romanæ sedis legatos allata est, cum ad Paschasinum Lilybæi episcopum jam tum ad synodum Chalcedonensem destinatum directa, cum in eadem synodo **1428** relecta et approbata. De hoc testimoniorum delectu intelligendum : Quod *de sufficienti paternarum auctoritatum instructione* a se directa in epistolis 52, 53, 54, 55 et 56 (*nunc* 69, 71, 70, 74 et 75) vel innuitur, vel expressis illis verbis refertur. Instar omnium erit locus epistolæ 68 (*nunc* 88) ad Paschasinum, quæ nunc primum edita : *Ut autem in omnibus plenius tua sit instructa dilectio*, inquit cap. 3, *sanctorum Patrum nostrorum de sacramento incarnationis Domini quid senserint et quid Ecclesiis prædicaverint, ut evidenter agnosceres, aliqua ad dilectionem tuam scripta transmisi, quæ nostri quoque apud Constantinopolim* CUM MEA EPISTOLA ALLEGARUNT.

Sed et ipsa testimoniorum inspectio Leonem clamat auctorem. Nullum enim est in Chalcedonensi delectu (excepto Leporii testimonio) quod non legatur totidem verbis, et ex iisdem locis, in epistola ad Leonem Augustum 134 (*nunc* 165), ut prorsus existimandum sit ab eodem utrumque esse concinnatum, uberius quidem in 134 (*nunc* 165) epistola, quia posteriora scripta prioribus auctiora esse solent.

Post primam Leonis editionem prodiit posthumum Theodoriti Auctarium Garnerio auctore, in quo eidem suæ de testimoniis opinioni inhærens scribit illa a Theodorito epistolæ S. Leonis esse subjecta, eamque epistolam his munitam præsidiis ab illo tunc missam Anatolio patricio, tum ipsi Leoni papæ remissam. Merum somnium, de quo ne unum quidem verbum sive in epistola 121 Theodoriti ad Anatolium, quam laudat et torquet inutiliter cap. 9 Historiæ Theodoriti num. 26, sive in aliis.

Idem in dissert. 2 ad auctoris sui *Eranisten*, graviter objurgat me, quod imprudenter adhæserim Calvinistis duobus Albertino et Blondello, et secundum eos sententiam dixerim hac in controversia. Diceres de gravissimo ac præcipuo quodam fidei capite litem esse, cum tamen de re tenuissima agatur, quæ tam invidiosam ac inofficiosam reprehensionem ferre non possit, præsertim cum me secundum eminentissimum Baronium sententiam dixisse, scribere potius potuerit ac debuerit. Dicam quod res est, nec Albertinum Blondellumve hoc de capite a me esse lectum, nec meam illorumque opinionem, ut a Garnerio refertur, unam eamdemque esse. Illi siquidem contendunt testimonia Patrum a Theodorito allata sumpta ab eodem esse ex epistola S. Leonis. Ego vero hoc solum scripsi : *Quod si ante habita est synodus Chalcedonensis quam scripti Theodoritiani Dialogi*, quæ Baronii opinio est, *a synodi actis potius accepisse censendus est Theodoritus, quam synodus a Theodorito*. Verum neutrum ab altero mutuatum esse illa, ac præsertim Cyrilli, de quo res erat, testimonia, satis aperui opinionem meam esse, cum brevissimum a Theodorito adductum scripsi, cujus vix media pars a Leone producta esset. Ad finem capitis remiserat Garnerius quæ adversum me dicenda **1429** habebat ; sed *intercidit*, inquiunt editores, *incertum quo casu, particula hæc hujus concertationis*. Hoc interim fatetur, me et quos carpit Calvinistas *abductos esse in errorem ex iis quæ Baronius in Annalibus mandavit scripto.*

Revera Eranistæ dialogos post synodum Chalcedonensem scriptos putavit eminentissimus scriptor. Mea non interest istud vel astruere vel destruere. Licet enim dialogorum confectio toto decennio epistolam Leonis antevertisset, non propterea sequitur ex illis sua Leonem accepisse testimonia. Quam modo opinionem amplectendam putem, paulo inferius patebit. Sed quam veræ sint et certæ Garnerii probationes, quibus ante annum 445 conscriptos dialogos contendit, juvat prius inquirere.

Prima est petita ex epistola 16 Theodoriti ad Ire-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hac de re vide plura annot. 3 in dissert. 1 Quesnelli ad an. 451

Digitized by Google

næum, quam scriptam fatetur post indictionem pseudosynodi Ephesinæ primum ad Antiochenum primatem, et inde ad provinciæ Euphratesiæ metropolitas delatam, adeoque vix ante mensem Junium anni 448. At ut demus Garnerio in hac epistola mentionem fieri Eranistæ, quid necesse est hunc librum ante quatuor vel quinque annos fuisse compositum, cum potius appareat recentem tunc fuisse istius libri, qualis qualis fuerit, compositionem, de quo videlicet quid sentiret ipse, quid alii etiam judicarent, amice tunc primum aperuerat Irenæus?

At vero, ut quod sentio non contradicendi, sed illustrandæ historiæ causa, in medium proferam, non de Eranistæ libro scribere ad Irenæum, sed de alio prorsus diverso, certum mihi videtur. Primum enim de eo opere scribit in quo vel ea quæstio tractabatur utrum Virginem Mariam *Deiparam* sine addito dicere liceret, an non addere necesse *Hominiparam*, vel saltem sæpe sæpius Maria *Deipara* simpliciter appellata fuerat. At ne semel quidem id occurrit in tribus dialogis, altum ubique de hac quæstione et appellatione silentium; nec tractanda materies id revera poscebat.

Secundo, postquam aliorum reprehensionibus satisfecit Theodoritus, Irenæo quoque scrupulum eximit: *Quoniam*, inquit, *me etiam reprehenditis quasi sanctos ac beatos Patres Diodorum et Theodorum in magistrorum numero præterierim, necessarium duxi de hoc etiam pauca dicere.* At de Eranistæ dialogis talem querelam frustra emisisset Irenæus, et inutile prorsus fuisset Theodorito, quod *necessarium* hoc loco arbitratur, de duobus illis in magistrorum enumeratione prætermissis rationem reddere, aut ex aliis suis libris suam erga illos reverentiam testatam facere. Hæc enim omnia præstitit in primo dialogo, in antecessum querelis ejusmodi satisfaciens. *Proferrem*, inquit, *etiam tibi fortissimorum veritatis propugnatorum Diodori et Theodori enarrationes, nisi viderem vos infenso in hos animo esse, Apollinarisque in eos odio et malevolentiæ successisse. Vidisses enim hos etiam* A *cæteris* 1430 *consonantia scripsisse, et ex divino fonte fluenta hausisse, rivosque et ipsos quoque Spiritus exstitisse. Sed hos quidem prætermittam, quia implacabile bellum adversus ipsos suscepistis.*

3. Opus de quo Irenæus in hac epistola, erat Apologeticum adversus catholicorum aliquos a quibus fides Theodoriti petebatur. *Hoc etiam*, inquit, *considerandum est, eum qui accusatur testes minime dubios producere oportere, quos redarguere nec accusatorum quisquam possit.* Et postea: *Si cum accusarer defensionem sum aggressus, et testes indubitatos adduxi, quid incassum nos vituperant, qui horum videre nihil volunt?* At dialogos adversum hæreticos scriptos esse auctor in præfatione, immo in toto operis decursu declarat: ubique enim si non actoris partes agit, saltem doctoris catholici personam gerit. Sic in ipso limine depingit quos refutandi in se provinciam suscepit. Præmissis enim exemplis Alexandri Ærarii, Semei et Manetis, *qui cum ex genere, vel eruditione, vel rebus* D *præclare gestis laude dignam claritatem non haberent, improbis studiis insignes evadere contenderunt: Hoc ipsum*, inquit, *nonnulli* NUNC *faciunt, qui expetendam virtutis gloriam propter labores, qui illam præcedunt, fugientes, turpissimam et miserrimam sibi famam pepererunt. Cum enim novorum dogmatum auctores esse cuperent, ex multis sectis impietatem emendicarunt, et* HANC *perniciosam* HÆRESIM *conflarunt. Ego igitur paucis cum eis disserere conabor*, etc.

Porro qui in his verbis Eutychianam hæresim, ipsumque hæresiarcham Eutychen nativis suis coloribus depictum non agnoscit, is non meminit quæ de utroque Flavianus CP. in gemina ad Leonem epistola et in synodo sua Constantinopolitana, quid Leo ipse, quid Chalcedonensis synodus scriptis suis decretisque tradiderint. Tribus enim dialogis, ipsisque titulis præcipue Eutychianæ hæresis capita configuntur, ac ipsa etiam sæpe Eutychis verba referuntur. *Catholicæ fidei petra*, inquit S. Leo (*Epist.* 92, nunc 119), *Eutychen execretur, qui in Domino Jesu Christo veritatem humanæ carnis evacuans, ipsum Verbum in carnem asserit transformatum, ut nasci, nutriri, proficere, pati, mori*, etc., *solius fuerit Deitatis.* En paucis verbis designatam trium dialogorum materiam, quibus asserit *incommutabilem* Verbi personam sibi veram servi formam *inconfuse* adunasse, ne passio Christi solius Deitatis fuisse dicatur. Similiter synodus Chalcedonensis in definitione fidei proscribit Eutychen, et quicumque dicentes naturam unam esse carnis et Divinitatis, mutabilem et passibilem per confusionem Unigeniti Divinitatem asserebant, statuitque unum eumdemque Christum, Filium Dominum in duabus naturis *inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum.*

Concinit etiam Dialogistes cum synodo Flaviani. Eranistæ enim et Eutychis eamdem prorsus loquelam, uterque *ex duabus naturis* 1431 dicit Christum, B uterque duas naturas negat, vel in duabus naturis, uterque post unionem unam naturam fuisse contendit, uterque corpus Christi, corpus humanum dicere refugit.

Ex dictis veram epocham compositionis Dialogorum Eranistæ assignare facile est, nimirum inter mensem Novembrem anni 448, quo Eutyches de hæresi convictus in synodo Flaviani damnatus est, et mensem Aprilem vel Junium anni subsequentis, quo de indicta Ephesina II synodo nuntium venerunt ad Euphratesiæ metropolitanos, et postea ad Theodoritum. Statim enim atque hæresim palam professus Eutyches ab Ecclesia ejectus est, et sectam, discipulos patronosque habuit, illum publice convincendum, istos docendos et a præcipitio retrahendos pro sua charitate et forsan rogatu Flaviani, quem familiarem habebat, aggressus est vir pro catholica fide zelo mirabili accensus.

Eodem fere tempore scripta est epistola ad Dioscorum 83. Manifeste enim exortam ac publicatam Eutychis hæresim in ea notat his verbis: *Eos enim qui Dominicæ carnis ac Deitatis differentiam negant, et nunc quidem divinam naturam in carnem aiunt esse conversam, nunc vero carnem in Divinitatis naturam transiisse, admirandorum Patrum istorum medicamentis curare nitimur. Aperte siquidem et duarum naturarum discrimen nos docent* (Theophilus et Cyrillus), *et immutabilitatem divinæ prædicant naturæ.* Næ admiranda Garnerii subtilitas, qui tam verbis istis quam toto Eranistæ opere suggillari vult Cyrillum sub fictæ laudis fictique nominis larva! Non enim imprudentis modo, quod sentit Garnerius, sed imprudentis insanique fuisset ejusmodi agendi ratio.

Quibus enim verbis ridet Gennadii narrationem, qui opus dialogisticum, cum Dioscoro Theodoritus litteras excusatorias daret, ab ipso laudatum, crediderit adversus ipsummet Dioscorum scriptum esse, eadem Garnerio reddi possunt, qui adversus Cyrillum Cyrillianosque scriptum opus censet. *Næ Theodoritus fuisset aut impudentissimus hominum, qui secundum a Romano Ecclesiæ antistitem provocasset ad legendum opus quo traduceretur Cyrillus ridicula sub persona; aut inconsultissimus, qui purgare se voluisset apud eum quem ipse in suo Cyrillo accusaret; aut amentissimus, qui amicitiam expetiisset hominis quem ludificatur.* Quamquam merito quis excipiat, non Dialogos a Gennadio appellatos, sed alium de Incarnatione Domini librum, quem laudat ipse Theodoritus in epistola ad S. Leonem, et Garnerius inter Theodoriti Opera recenset. Nam *ratione et testimoniis Scripturarum* mysterium incarnationis defensum hoc opere scribit Gennadius, nulla mentione facta testimoniorum quæ ex SS. Patribus abunde congessit in Dialogis Theodoritus. Unde certum inter utrumque opus discrimen. Non Cyrillum igitur ejusve amicos spectant illa verba, sed Eutychen ejusque asseclas monachos nonnullos Ægypti, quorum cum 1432 nondum Dioscorus protectionem palam et aperte suscepisset, merito puta-

Digitized by Google

bat Theodoritus in illo articulo temporis gratissimum fore primati, quod adversus novellam hæresim jam synodi auctoritate cum inventore suo repressam ad eum scribebat. Quamobrem eum confidenter hortatur *ut eos qui veritatis dogmata corrumpere non verentur, aut salutaribus curet medicamentis, aut curationem recusantes tamquam insanabiles a cauli ejiciat* Cyrillianos, an Eutychianos? nemo nisi dormitans de illis cum Garnerio cogitet. Cæterum opinione sua fallebatur Theodoritus, *ratus*, ut ad Flavianum scribit, se *adjutorem ac socium ad ea quæ contra fidem apostolicam moventur habiturum Deo charissimum Alexandriæ episcopum dominum Dioscorum.* Jam tum enim ab eo conceptum erat consilium juvandi Eutychen ejusque partes adversus Flavianum tuendas suscipiendi.

Quod de Dialogis gemina Theodosii Augusti constitutione proscriptis ignique addictis adjicit Garnerius, merum est commentum. In prima enim ne Theodoriti quidem nomen apparet, nec aliquod ejusdem opus appellatur. Ad secundum quod attinet, proscribuntur quidem in ea *Sermones allocutorii, sive Traditiones;* verum 1° non magis ad Theodoritum referenda sunt hæc verba quam ad Nestorium: *Interpretationes* (Nestorii et Theodoriti) *eorum, vel qui vocantur Sermones allocutorii sive Traditiones.* 2° Dubium an pro voce *Theodoriti* non potius legendum *Theodori;* sic enim legitur in concilio v, collat. 5, ubi refertur Constitutio Theodosii. 3° Certum apparebit omnibus non occupato animo hæc legentibus, *Allocutiones*, ut in concilio v, seu *Sermones allocutorios*, ut alibi, nihil aliud esse quam sermones ad populum vel alios viva voce depromptos, quod sexcentis exemplis probari possit. Sic Cyrillus Alexandrinus Theodori Mopsuesteni *Allocutiones ad baptizandos* appellat. Sic Allocutio Marciani Augusti ad quartam synodum. Et in synodo 5 proferuntur excerpta: *Ex Allocutione Theodoriti dicta adversus S. Cyrillum Chalcedone*, etc. *Ex alia Allocutione dicta in eadem civitate.* Et post multa: *Et iterum post mortem B. Cyrilli idem Theodoritus in Allocutione dicta Antiochiæ præsente Domno*, etc. De ejusmodi Allocutionibus intelligenda esse Theodosii verba, sive Theodorum spectent, sive Theodoritum, censebunt, opinor, mecum viri eruditi, improbabuntque Garnerii interpretationem; nec magis arridebit importuna diligentia infelixque et cacozelia qua libros Theodoriti, in primis catholicos, sic insectatur ut pleraque illorum capita ad sensum heterodoxum obtorto collo trahere conetur.

Liquido igitur apparet evanida esse argumenta quibus suam sententiam statuere conatus est Garnerius de scriptis ante annum 445 Theodoriti Dialogis; et una ruere quod idem acriter defendit, testimonia SS. Patrum epistolæ ad Flavianum subjecta **1433** Theodoriti diligentiæ deberi, non S. Leonis.

AD EPISTOLAM XXIX.

APUD QUESNELLUM XXVI.

Theodosio Augusto.

1. *Cæsari Theodosio religiosissimo et piissimo Augusto, Leo papa Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ.* Cod. unus ms. Thuan. habet: *Gloriosissimo et clementissimo Theodosio Augusto, Leo episcopus;* quem titulum nativum esse et genuinum, Græca versio, quæ eumdem exhibet, probare videtur. Priorem tamen retinuimus, quem invenimus in mss. codd. Thuan. duobus, Grimani, Trecopith., Corb. Victorin. et omnibus Latinis editionibus Cave tamen, cum legis Ecclesiæ catholicæ papam seu episcopum, ne idem esse putes ac œcumenicum et universalem episcopum, quem titulum nunquam usurpavit pontifex noster, teste S. Gregorio Magno pluribus locis. Immo sæpe sæpius hac simplici appellatione contentus est: *Leo episcopus:* vel ista: *Episcopus urbis Romæ.* Quid ergo, inquies, sibi vult illa epigraphe? Nihil aliud quam quod de Aurelio Carthaginensi, Augustino et Fortunatiano episcopis Africanis in Carthaginensi collatione cum Donatistis, ita scribitur: *Fortunatianus episcopus Ecclesiæ catholicæ; Aurelius episcopus Ecclesiæ catholicæ; Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit.* Tam enim S. Leo quam alii unum hoc in animo habuerunt, ut sese formula ista ab hæreticorum conventiculis et communione secernerent. (*a*) Ecclesiæ igitur catholicæ episcopus, est *catholicæ communionis episcopus*, ut loquitur Epiphanius hær. 42. Huic appellationi occasionem primi, ni fallor, dederunt Donatistæ, qui Ecclesiam in parte collocabant: quibus catholicæ Ecclesiæ nomen opponunt Ecclesiæ per orbem diffusæ assertores episcopi. Hinc etiam Constantinus Augustus, in epistola ad Anulinum, apud Eusebium, lib. x, cap. 7: *Qui in provincia*, inquit, *tibi concredita, in Ecclesia catholica, cui Cæcilianus præest*, etc. Ecclesia igitur quælibet particularis, cum servat communionis et fidei catholicæ unitatem, **1434** catholica nuncupatur. Quamobrem horum sancti Cypriani verborum sensum attigisse mihi non videtur vir doctissimus, qui post Pamelium similia verba Cypriani ad Cornelium ut soli Romanæ Ecclesiæ propria accipit: *Nos*, inquiunt Novatiani conversi (*Epist.* 45), *nos Cornelium episcopum sanctissimæ catholicæ Ecclesiæ electum a Deo... scimus.* Manifestum enim est ex serie epistolæ illa etiam extendi ad reliquas totius orbis Ecclesias ubique diffusas; *quæ est proprietas catholici nominis*, inquit Optatus lib. II. Sicut enim totius est Ecclesiæ (quod maxime illi urgent) unum Deum habere, unum Dominum, unum Spiritum; ita et ad totam Ecclesiam et ad quamlibet particularem attinet, quod de uno episcopo illic disseritur. *Nec enim ignoramus*, inquiunt iidem, *unum Deum esse et unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum sanctum, unum episcopum in Ecclesia catholica esse debere.* Quod autem idem auctor ait, ideo Romanam Ecclesiam specialiter catholicam vocari, quod radix et matrix sit Ecclesiæ catholicæ; pace doctissimi viri dixerim, non est ea mens Cypriani, nec esse potuit. Non fuit re ipsa: cum enim epistola 45, ad Cornelium, hæc habet verba, quæ auctor ille assumpsit, *rationem reddidisse nos scimus, et hortatos esse ut Ecclesiæ catholicæ matricem et radicem agnoscerent ac tenerent*, etc., sensus Cypriani est, hortatum se esse eos ne parti Novati adhærerent, ne schisma et divisionem sectarentur; sed ut unitatem catholicam, quam Ecclesiæ catholicæ radicem et matricem appellat, agnoscerent ac tenerent. Tot sunt loca Cypriani quæ hanc de unitate expositionem comprobent, ut in oculos omnium facile incurrant. Adeat, qui volet, tractatum de Unitate Ecclesiæ, epistolam ad Antonianum, et alias: ubi passim unitatem prædicat Ecclesiæ, cui tamquam radius solis, fonti rivus,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Etsi quilibet episcopus catholicæ communionis sit et appellari possit *episcopus Ecclesiæ catholicæ*, Romanus tamen pontifex specialiter eo nomine vocatur, sicut specialiter Romana Ecclesia appellatur *catholica* ratione primatus, quia scilicet hujus primatus causa in Romana sede, ac in ipso summo pontifice centrum est et radix communionis et unitatis catholicæ; adeo ut, Irenæo testante, *ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse sit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles;* quod Irenæi testimonium idem Quesnellus in Memoriali septimo, pag. 137 maximi faciendum monuit, propterea quod licet ille Occidentalis episcopus fuerit, Orientalis tamen cum esset, *omnium matricum et originalium Orientis Ecclesiarum traditionem ad nos attulit.* Plura in hanc rem ex Leone, aliisque Patribus, ac ex ipso Gallicano clero, qui *unitatis catholicæ centrum* in Romana sede situm agnoscit, afferri possent; sed hujus loci non est lectorem pluribus distinere.

Digitized by Google

radici ramus individua unitate quisque coniungi debeat. *Avelle*, inquit (*Lib. de Unitate Ecclesiæ*), *radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit; a fonte præcide rivum, præcisus arescet: sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, et ramos suos in universam terram, copia uberiatis extendit; profluentes largiter rivos latius expandit: unum* 1435 *tamen caput est, et origo una, et una mater fecunditatis successibus copiosa. Illius fetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur.* Denique quid per matricem intelligat sanctus martyr, epistola 71, ad Quintum, declarat luce meridiana clarius. *Quos*, inquit, *constat hic*, hoc est in Ecclesia catholica, *baptizatos esse, et a nobis ad hæreticos transisse, si postmodum, peccato suo cognito et errore digesto,* AD VERITATEM ET MATRICEM *redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere.* Hoc igitur est, catholicum *tenere matricem*, in epistola ad Cornelium, quod hæreticum *redire ad matricem*, in epistola ad Quintum; hoc est, et *Ecclesiæ catholicæ unitatem tenere*, ut habet ead. epist. 71, et ad eam e schismate postliminio reverti.

Jam vero quod proprie non potuerit Romana Ecclesia simpliciter vocari a Cypriano catholicæ Ecclesiæ matrix, manifestum est, cum potiori jure nomen istud debeatur aliis Ecclesiis apostolicis, quæ in Oriente et Palæstina primum coaluerant antequam Romanæ civitati fides et episcopatus inferrentur. Hoc in primis convenit Jerosolymitanæ Ecclesiæ, quæ revera mater et matrix omnium Ecclesiarum appellatur in epistola Patrum concilii Constantinopolitani, ad Damasum, Ambrosium et alios episcopos Romæ congregatos. Eadem appellatione Romanam donant epistolæ Lucii I ad episcopos Gall. et Hisp., et Felicis I ad Benignum; sed eas esse suppositicias nemo non novit. Revera Innocentius PP., in epist. ad Decentium episcopum recensens provincias quæ S. Petro ejusve successoribus fidei suæ semina Ecclesiarum-que institutionem debent, nullas nominat præter *Italiam*, *Galliam*, *Hispanias*, *Africam*, *atque Siciliam*, *insulasque interjacentes*.

2. *Synodale judicium.* Ita mss. Griman. et Thuan., pro *synodale concilium*, quod in Thuan. aliis duobus aliisque, præter edita omnia. Nescio an aliquod inter utrumque discrimen. Dixerit aliquis pro eo quod retinuimus de quacumque synodo, sive provinciali, sive œcumenica, intelligi posse; posterius plerumque de concilio vel ex omnibus synodis, seu œcumenico, vel saltem ex pluribus synodis, seu plurium provinciarum episcopis coalescente, quales erant synodi quibus Hilario Arelat. interdicit Leo epistola sua 10, quasque vocat *synodales conventus*, eo quod ex pluribus synodis seu provinciis convenirebant episcopi sub primario metropolitano.

1436 AD EPISTOLAM XXX.

Pulcheriæ Augustæ.

1. Hæc epistola alteri, quæ est 27 (*nunc* 31), et Pulcheriæ itidem inscribitur, persimilis est, etsi brevior. Præsens autem videtur fuisse missa per legatos, cum adhuc spes nonnulla restabat Leoni, ut synodus Ephesi indicta in conventum simplicem apud Constantinopolim commutaretur, ut ex fine epistolæ conjici potest. (*a*) De altera vero, quæ in melioris notæ codicibus nota consulum, diei et mensis caret, diximus, ad epist. 27 (*nunc* 31): *Sed ei*, inquit, *qui in errore est, melius consuletur, si* UBI *desipuit, ibidem resipiscat; et* UBI *damnationem meruit, illic indulgentiam consequatur.*

2. *Principis dispositioni.* Eadem voce sæpius utitur S. Leo; sæpe etiam alii scriptores. Ad manum sunt in præsenti Matisconensis synodus II, sub Guntramno et Hincmarus Remensis, epist. 6, cap. 26, edit. Mogunt. Quæ vox significat edictum principis, ut passim videre est in codice legum imperialium: unde *et dispositionum scrinium* in eodem, et *dispositionum comites*, alibi commemorantur. Eam vocem ad ecclesiasticas suasque sanctiones traxit pontifex noster epist. 64, 65 (*nunc* 84, 85), etc., nec non et ad divina æternaque decreta, ut epist. 24, 132 (*nunc* 28 et 162), et alibi.

AD EPISTOLAM XXXI.

APUD QUESNELLUM XXVII.

Pulcheriæ Augustæ.

1. *Ut quod formam servi gessit.* Variant multum codices. Thuan. unus et Trecopith.: *Ut in quo formam*, etc; Victor: *Ut quod in forma*, etc.; Corbeien. et Griman.: *Ut quod in formam*, etc.; alii aliter.

2. *Patriarchis et prophetis in specie carnis apparuit.* SS. Patres Augustino anteriores apparitiones hujusmodi plerumque tribuerunt Filio, qui sicut Patris angelus, administer ac repræsentator ab eodem sub corporali specie missus fuerit in veteri testamento; ut, inquiunt, ediscceret conversari cum hominibus, et ad suum conspectum homines assuefaceret. Contrariam sententiam erroris damnavit Sirmiensis synodus an. 351 contra Photinum congregata: sed quoniam hanc opinionem Ariani in hæresis suæ patrocinium detorqueb nt, aliam viam ineundam esse censuit Augustinus in apparitionibus priorum temporum interpretandis, atque adeo illas angelis esse tribuendis totis viribus 1437 contendit, lib. II et III de Trinitate, et alibi. Quem plerique sequentis ævi Patres et scriptores secuti sunt, ut mirum sit Leonem nostrum hic ab eo discedere.

3. *Nec uti possemus triumphantis victoria, si extra nostram esset conserta naturam.* Ita omnes mss. et plures etiam excusi codices; sic vero in vulgatis: *Nec aliter possideremus triumphantis victoriam, si extra nostrum esset confecta naturam.* Hanc vocem *confecta*, quam habet ms. Theodericianus, retinuissem, ut magis huic loco convenientem, nisi optimi codd. Griman., Trecopithœanus et Thuanei legerent *conserta*.

Illuxit. Ita Corbeiens., Theodoric., Barb. et Thuan. unus; *induxit* legunt Thuan. tres, necnon ed. Canisii et aliæ ad marg.: sed facile unius litteræ mutatione inducta est hæc lectio, pro *inluxit*, quod sensus integritati necessarium videtur. *Indulsit* habent et vulg. edit. et c. d. Griman.

5. *Nec potest in filiorum Dei adoptione censeri.* Sic ex mss. Thuaneis quinque, Theoderic., Barber., Trecopith., Corbeiens., Griman. et Bodleiano. Antea leg.: *Nec potest filiorum Dei adoptionem consequi.*

6. *Principaliter salvat.* De hac voce vide not. 3 ad epist. 10, ad provinc. Viennensis episcop. Divinitas Christi nos *principaliter salvat*, si pretii ac meritorum dignitatem quæ tota humanitati ex Divinitate provenit spectemus; *Humanitas principaliter salvat*, eo quod passionis mortisque mysteria, quibus Deo reconciliati sumus, non nisi in humana natura adimpleri potuerunt, ac proinde principium et origo salutis humanæ, ipsa est natura humana a verbo assumpta.

7. Nota diei, mensis et coss., deest in mss. Grim., Bodl., Trecopith., Victorin., Barber. et Thuaneis: ut merito huc translata mihi fuisse videatur ex breviori epist. 30, quæ ad eamdem Pulcheriam iisdem die, mense et coss., et in eadem pene verba scripta est. (*b*) Illam igitur eradendam credimus; non eam solum ob causam, sed præterea quia pluribus diebus

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vide admonitionem in epistolas 30 et 31.

(*b*) Confer nostram annotat. 40 (*Col.* 795, *n.* b), et admonitionem epistolæ 30 præmissam, ubi quid de hac et antecedenti epistola censendum sit accuratius exquisivimus

Digitized by Google

vel etiam hebdomadibus ante 13 Junii scriptam esse apparet ex his cap. 4 verbis : *Cum, inquit, a tertio iduum Maiarum, quo serenitatis ejus scripta suscepimus, major pars reliqui sit temporis absumenda, ut profectio sacerdotum qui negotio sufficiant valeat ordinari.* Quis enim vero ex his non intelligat statim scriptam epistolam post acceptas imperatorias litteras, id est paulo post diem 16 Maii, et antequam legati ad profectionem accincti essent? Prius igitur hæc missa est mense Maio, tum alia, quæ hujus compendium est, mense Junio per legatos directa. Huic posteriori cogitato cedat necesse est prioris editionis **1438** conjectura, qua suspicatus eram primam illam nihil aliud esse quam amplificatum secundæ exemplar, quod ex epist. 41 (*nunc* 45) missum esse ad Pulcheriam constat; quia Hilaro, qui eam perlaturus erat, propter Dioscori latrocinia, Constantinopolim pervenire non licuit.

AD EPISTOLAM XXXII.

APUD QUESNELLUM XXVIII.

Fausto, Martino, etc.

Hanc epistolam relegimus ad codic. Griman. et Thuan. unum tantum, et ad versionem Græcam : ex quibus duas lineas, quæ desiderabantur versus finem supplevimus.

De latere meo. S. Leo (*a*) primus omnium pontificum Romanorum de legatis a latere missis mentionem fecit. Hujusmodi loquendi modus, quem videre est etiam epist. 31, cap. 2, ex secularium principum style assumptus videtur ad hunc significatum, cujus rei exempla nonnulla reperies in notis viri doctissimi Christophori Justelli, ad codicem canonum Ecclesiæ Africanæ, seu ad can. 7 concilii Sardicensis, qui initio hujus codicis refertur, et in quo primum reperitur vox ista, *a latere mitti*, ad res ecclesiasticas translata. Quam serio considerantes Patres Africani concilii in epistola ad Cœlestinum papam in fine codicis citati edita, hæc rescribere non dubitarunt : *Nam ut aliqui tanquam a tuæ sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum synodo constitutum. E latere autem mitti*, ait Morinus, *est vetus e familia pontificis, ex officialibus et procuratoribus domesticis in opus aliquod eligi et deputari.* De quo fusius idem tractat., Exercit. Eccl. lib. 1 cap. 20, et Petrus de Marca, de Concord. sacerd. et imp. lib. v c. 4. Primi tamen tam definitio legati a latere, quam discrimen inter legatos pontificis et legatos concilii Romani, quod ex hisce verbis elici existimat, a Leonis mente aliena mihi esse videntur. Julius enim episcopus Puteolanus horum legatorum princeps nec e familia ejus erat, nec ex officialibus et procuratoribus domesticis, cum nec de ipso quidem Renato presbytero tituli S. Clementis istud dici possit; et indiscriminatim de iisdem aliisque duobus loquatur tam in præsenti epistola quam in 31. Mysterio igitur, mea quidem sententia, vacant hæc verba, saltem quod ad præsentem locum attinet, nec aliud significant quam *hinc*, ut etiam ex versione Græca evincitur, quæ vocum istarum loco habet tantum ἐντεῦθεν, *hinc*, id est *ab Urbe*, ut habet epistola 25, ex his partibus : nec verisimile est Julianum episcopum **1439** Coensem, quem hujus versionis auctorem par est existimare, quique apud Romanos multos annos egerat, formulæ hujus vim et usum ignorasse, si quid aliud in ea delituisset arcani. Immo se ipse sanctus Leo interpretatur, cum scribens rursum de iisdem legatis, epist. 33, ad Theodosium Augustum, verboque Græco prorsus concinens; habet tantum : *Ordinatis* HINC *fratribus meis, qui præsentiæ meæ impleant vicem.* Si quid tamen peculiare inest his vocibus, crediderim libenter eum a latere pontificis Romani mitti, qui ex sinu propriæ vel Ecclesiæ, vel provinciæ, vel diœceseos, ad aliquod negotium delegabatur : sicut imperatores a latere seu comitatu suo aliquos in provincias missitabant, qui et *missi dominici* solebant appellari.

AD EPISTOLAM XXXV.

APUD QUESNELLUM XXV.

Juliano Coensi episcopo

1. *Adjecimus.* Hanc addit Græca versio : Ὅστις ἐστὶ τῆς ἀληθείας τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ; id est, *ut pro veritate humanitatis Christi.*

2. *In nobis atque in vobis.* Pro his Græca versio habet : Ἐν πάσῃ τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ; id est, *in universa catholica Ecclesia.*

3. *Ab assumpti hominis substantia.* Græca vers. addit : καὶ ὅτι ἀπὸ τῆς ἀειπαρθένου; id est, *et ab ipsa Virginis conceptione.*

4. *Qui enim negat mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum.* Ita cod. Thuan., Grimar., Corbeiensis, Victorinus, Surius, etc. Prius sic : *Negator enim mediatoris*, etc. Græce : Ὁ γὰρ ἀρνούμενος τοῦ ἀληθινοῦ ἀνθρώπου τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ; *Qui enim negat veram Domini Jesu Christi humanitatem.*

5. *Sive quod solus ab inviol. Virg. sine concup. ut conceptus.* Ita codd. Barb. duo, Thuan. quatuor, Cantabrigens., Grimar., Trecopith. In vulgatis vero : *Sive quod solus ex Spiritu sancto ab inviolata Virgine sine concupiscentia carnis est conceptus* ; quod ex Græca versione assumptum est, quæ tamen vocem *carnis* non habet, uti nec Victorinus cod. cum aliis jam citatis.

6. *Nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum.* Ita ex plerisque retinuimus. Cod. Grimar. : *Nec discordiæ desideriorum gignebant compugnantiam voluntatum.* Nihil habent Græca quod his verbis respondeat; sed Latina, quæ his adjecent, item Canisius, Sicardus, Nicolinus et Surius sic habent : *Nec discordiam desideriorum gignebat compugnantia voluntatum ;* **1440** nec inepte : cessimus tamen codicum multitudini in priori lectione retinenda, quæ et optima est.

7. *Eamdem gerens in verbi Deitate personam.* Græca : Ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ἔχων ἐν θεότητι καὶ ἀνθρωπότητι πρόσωπον; id est, *sed eumdem habens in Divinitate et humanitate personam.*

8. Ante notam consularem Græca versio hæc habet : *Deus te servet incolumem, honorabilissime frater.* De annotatis autem (*b*) die et mense major difficultas. Nam idibus Junii seu die 13 data legitur, quam ob causam hanc ab aliis eodem die datis epistolis sejungere nefas duximus. Et tamen certum apparet post aliquot dies fuisse scriptam, nimirum una cum epistola ad Flavianum data 23 Julii, nam et hanc et illam scripsit post acceptas utriusque litteras *per Basilium diaconum.* Is autem Flaviani litteras non attulit nisi legatis jam ad synodum profectis, et paucis ante 25 Julii diebus ex epist. 34 (*nunc* 38). Igitur et ista ad Julianum secunda est eodem tempore scripta. Ex quo id etiam commodi accidit, quod cum gemina ad eumdem eodem die scripta legatur, deinceps prior quæ 31 (*nunc* 34) loco jacet 13 die Junii; posterior quæ 25 (*nunc* 35) locum habet 23 Julii data habebitur. Hæc porro sic inchoatur : *Licet per nostros quos ab Urbe pro fidei causa direximus*, etc. Ex quibus tria verba *pro fidei causa* delenda censemus auctoritate septem ad minus codicum mss., ut quæ ex Græca versione in textum Latinum irrepserunt, quæ versio longe plura habet a textu originali discrepantia. Observandum porro simile quid haberi in epistola Græca plura disseruimus in admonitione eidem præfixa.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hæc opinio refellitur annot. 3 in hanc epistolam (*Col.* 795, *n.* 5).

(*b*) De tempore hujus epistolæ, et de ejusdem ver-

Digitized by Google

stola 24 (*nunc* 28) seu celebri illa ad Flavianum : *Ad omnem* enim *causam pie ac fideliter exsequendam* eosdem legatos a se mitti scribit S. Leo, nulla synodi facta mentione. Cur ita factum sit, nescio an mea me fallat hæc conjectura. Cum Leo, acceptis primis Flaviani litteris cum gestis synodi CP. adversus Eutychen, agnovisset hæreticum suæ damnationi non aquiescere, nec a prava doctrina resilire, immo vero multa moliri adversus Flavianum, consilium cepit mittendi legatos quatuor in Orientem, qui vel auctoritate pontificis Eutychen ad meliorem mentem revocarent, vel auctoritate imperatoris reprimi curarent. Ad hunc unice finem scriptæ primum sunt epistolæ plures quæ 13 Junii datæ nunc leguntur, atque in primis celebris illa 24 (*nunc* 28) ad Flavianum ; in qua reapse nihil de synodo habetur, sed de fidei tantum causa per legatos curanda. Talis est etiam epist. 28 (*nunc* 32) ad archimandritas CP., in qua *propter causam fidei* legatos *de latere suo* missos scribit. At antequam legati profecti essent, acceptæ sunt a Leone Theodosii litteræ, quibus de **1441** indicta synodo monebatur; statimque iidem legati, qui ad fidei negotium cum Flaviano tractandum destinati erant, ad synodum directi sunt, eorumque tardata profectio, quo novis litteris scribendis tempus daretur, vel prioribus amplificandis. In quarum nonnullis, sic Theodosii de synodo cogenda et indicta jussis obtemperat Leo, ut tamen ad prius consilium redeat, et exsecutioni optet mandari, ut epist. 30 : *Sed ei*, inquit, *qui in errore est, melius consuletur, si ubi desipuit, ibi resipiscat; et ubi damnationem meruit, illic indulgentiam consequatur.* Cum autem diu ante 13 Junii, hoc est 16 Maii receptæ sint illæ Theodosii de synodo litteræ, ex epist. 27 (*nunc* 31), et jam in procinctu essent legati, integro fere mense dilata eorum profectio, et epistolæ 24 (*nunc* 28) nota diei mutata. Ex dictis patet hanc epistolam 25 (*nunc* 35) nativam suam sedem post trigesimam quartam (*nunc* 38) habere.

AD EPISTOLAM XL.

APUD QUESNELLUM XXXVI.

Episcopis provinciæ Arelatensis.

Ad Constantinum, etc. Si talis fuisset provinciæ Viennensis status ætate Leonis papæ, qualis in (*a*) notitia Sirmondi exhibetur, vix dubitari posset quin duodecim illi Galliarum episcopi, ad quos præsentem Leo scribit epistolam, et omnes et soli ad provinciam Viennensem pertinerent. Si enim duos adjeceris Arelatensem et Viennensem episcopos, qui de primatu contendebant, eum invenies numerum qui totam illam provinciam conflabat, quatuordecim videlicet episcopos, qui in notitia describuntur, quique ad consecrationem Ravennii convenerunt. Verum aliter se res habent : nam nihil hac in re elicere possumus ex notitia quam Leonis ætate posteriorem esse probavimus dissert. 5, parte 1, cap. 10, ac præterea Tarentasiam, quam inter Viennensis provinciæ civitates non numerat notitia, ad eam tamen tunc pertinuisse epist. 50 (*nunc* 66) Leonis probat, cum illam Viennensi Episcopo subjiciat.

Ex eo tamen episcoporum numero quem hæc epistola exhibet, duo habemus. Primum, quod alibi jam suggessimus, nihil novi inductum esse in provinciam Viennensem, tametsi (*b*) Leonis papæ decretum et Valentiniani constitutio novum aliquid instituissent; sed omnes pro antiqua consuetudine episcopos ad civitatem Arelatensem concurrisse velut ad metropolim provinciæ, **1442** omnes ad episcopi illius ordinationem convenisse *unanimiter*, omnes ei primatum detulisse, omnes ab eo Viennensem removisse : quem videmus nec consecrationis gratiam contulisse Ravennio, nec de usurpata ab alio hacce consecratione fuisse conquestum

Alterum, quod hinc elicimus, illud est, Rusticum, qui in hujus epistolæ inscriptione numeratur inter cæteros Ravennii ordinatores, alium esse procul dubio ab illo Narbonensi ad quem alias scripsit S. Leo. Alterius enim provinciæ metropolitanus, qualem se gerebat Rusticus Narbonensis, numquam se ordinationi episcopali in aliena provincia contra canones immiscuisset, multoque minus in Viennensi, cujus metropolitanus etiam Narbonensem provinciam sibi subjectam esse vel tunc adhuc contendebat, vel certe non ita pridem contenderat : Arelatensium enim votis plurimum suffragatus esset Rusticus, si ad Arelatensis episcopi ordinationem convolasset, velut ejusdem provinciæ episcopus. Deinde Rusticus Narbonensis non tertius scriptus reperiretur in hac epistola, qui alibi vel statim post Ravennium, ut in epistola synodica quadraginta quatuor episcoporum Gallorum ad S. Leonem, et in tertio Arelatensi concilio, vel etiam ante Ravennium nominatus reperitur, ut in S. Leonis epist. 82 (*nunc* 103).

Satius est ergo existimare alium a Narbonensi Rusticum huic epistolæ inscribi ; quod eo lubentius credimus, quod et commune admodum est hujusmodi Rustici nomen, et plures revera legimus circa illa tempora in Galliis floruisse, quorum nonnullos commemorat Apollinaris Sidonius Epistolarum lib. II, epist. 11 ; lib. V, epist. 9, et lib. VIII, epist. 11. Alius Rusticus ab his omnibus forte distinctus scripsit ad Eucherium eam epistolam quam repræsentavit J. Sirmondus in notis ad epist. 11 lib. II Sidonii

AD EPISTOLAM XLI.

APUD QUESNELLUM XXXVII.

Ravennio Arelatensi episcopo.

1. *Secundum præcedentem notitiam.* Ita cum ms. Thuan. legendum ; non vero, ut habent edita, *Secundum præsentem notitiam.* Respicit enim S. Leo ad legationem quam S. Hilarii Arelatensis nomine, Leonis placandi gratia, obierat Ravennius tunc presbyter, cujus occasione Romæ innotuit pontifici ; cujus *gratiam morum suorum mansuetudine et sanctitate meruisse* dicitur in libello supplici episcoporum Gallicanorum ad Leonem, ut videre est (*Col.* 880 *hujus tomi*).

1443 2. *Modestiæ igitur tuæ non desit auctoritas, constantiam mansuetudo commendet.* Ita mss. codd. Antea corrupte : *Modestiæ igitur tuæ non auctoritas constantiam, sed mansuetudo commendet justitiam, lenitas temperet*, etc.

3. *Cum verus recti amor in semetipso habet*, etc. Ita mss. codd. Herovallian. et Thuaneus, cum Merliniana Isidori editione. Arridebit forsitan magis nonnullis alia hæc vulgata lectio : *Cum verus recti amor in semetipso habeat et apostolicas auctoritates et canonicas sanctiones* ; sicut et placuit mihi aliquando. Sed (quod re attentius perpensa fateri cogor) sic lectio hæc mysterio vacare mihi videtur, ut meo judicio, careat et vero sensu : etsi enim verus recti amor mentem hominis legi Dei subjiciat, perfectamque inspiret pro humanis etiam præceptis obedientiam, numquam tamen vel apostolicarum auctoritatum, vel canonicarum sanctionum, quæ leges, ut aiunt, positivæ sunt, notitiam per semetipsum potest impertire. Hanc quam restituimus lectionem confirmo auctori-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hanc notitiam civiles, non ecclesiasticas provincias designare, ostendimus in observat. ad dissert. 5 Quesnel. part. II, cap. 4. Ecclesiasticas autem provincias Gallicanas ad civilem formam haudquaquam exactas ibidem probavimus cap. 5.

(*b*) Quatenus episcopi Arelatensi sedi addicti in ordinatione Ravennii nulli Leonis decreto contrairerint, probatum invenies in observ. ad dissert. 5 Quesn. part. II, cap. 2, num. 4.

Digitized by Google

tate Hincmari Remensis et codicum mss. quibus usus est. In opusculo enim Capitulorum 55 adversus Hincmarum Laudunensem, quod trigesimo tertio loco habetur apud Sirmondum, cap. 10, refertur pannus hujus epistolæ ab his verbis : *Justo quippe ideo*, etc., ubi eadem prorsus lectio habetur.

4. Hanc epistolam scriptam esse Asterio et Protogene consulibus, hoc est an. 449, probat altera Leonis epistola ad provinciæ Arelatensis episcopos scripta eodem anno quo Hilarius Arelatensis obiit, et Ravennius in ejus locum suffectus est. Ex quo Philippum Labbe corrigas, qui in dissert. de Scriptoribus ecclesiasticis Hilarium Arelatensem vixisse scribit usque ad diem 5 mali anni 454, quod falsi arguitur ex duabus epistolis ad Ravennium Hilarii successorem, et tertia ad ordinatores scriptis hoc anno 449, ex quatuor etiam aliis ad eumdem datis, annis tribus sequentibus, et ex litteris Gallicanorum episcoporum, inter quos numeratur ann. 451.

AD EPISTOLAM XLIII

APUD QUESNELLUM XXXIX.

Theodosio Auguste.

Quid (*a*) de præsenti epistola sentiendum sit, prorsus in ambiguo est. Editionum tam concilii Chalcedonensis quam Operum S. Leonis procuratores censuerunt potius esse fragmentum sequentis epistolæ quam integram epistolam; non omnia in ea cohærere, nec inventam esse in mss. Codd. 1444 mss. quod attinet, plures nacti sumus qui eam contineant, quos inter Thuaneus unus, alter Grimanicus noster octingentorum et amplius annorum, ut diximus, et optimæ notæ. Forsitan est exemplar epistolæ sequentis seu 40 (*nunc* 44), quod nonnullis mutatis, miserit sanctus Leo ad Pulcheriam Augustam; nam in epist. 41 (*nunc* 45), quam ad eamdem scribit de Ephesino latrocinio, se ejusmodi exemplar mittere testatur. Plurima tamen sunt in quibus ambæ discrepent.

Hanc enim primam suo tantum nomine scribit S. Leo, alteram quæ sequitur, suo et concilii Romani nomine. In illa magnam ex sua auctoritate capit fiduciam pro defendenda per se veritate; in hac sumit ex litteris imperatoris fiduciam fidei et pacis per ipsum defendendæ. In hac ultima ait sibi quæ Ephesi gesta erant, narrata esse ab Hilaro diacono, qui solus effugerat; prior illa, ab ipsis etiam reverendissimis episcopis qui a sede apostolica missi erant, hæc nuntiata fuisse affirmat; quod falsum est, cum unicus episcopus missus fuerit ad Orientales partes, Julius scilicet Puteolanus, quem etiam suspicamur diem ultimum obiisse antequam Ephesum perveniret. Præterea uni epistolæ subjecit exemplar canonum Nicænorum seu potius Sardicensium; alteri non item. Denique nonnulla sunt in illa epistola quæ truncatam eamdem fuisse arguant, vel nondum perfectam et absolutam; ut potius sit rudis aliqua epistolæ delineatio quam epistola cæteris accensenda. Manifestus enim hiatus apparet in loco punctis notato; et paulo inferius hæc leguntur : *Pro supradicti sacerdotis arbitrio*, etc., nulla prius facta mentione Dioscori, quem hæc verba indicant in altera epistola. Quidquid sit, eam e numero epistolarum subtrahere nolumus, suum cuique de ea judicium liberum permittentes.

Hujus epistolæ initium assumptum est ab impostore Isidoro ad construendum caput fictitiæ epistolæ 2 Dionysii I pontificis Romani ad Severum episcopum, et fictitii rescripti Liberii papæ ad Athanasium Alexandrinum et alios Ægypti episcopos.

AD EPISTOLAM XLV.

APUD QUESNELLUM XLI.

Pulcheriæ Augustæ.

Hujus epistolæ versionem Græcam edidit Joan. Cotelerius ex ms. cod. Regio 1026, ubi ad hæc verba : (*b*) *Pro fide regia*, quæ restituimus ex ms. Grimanico et aliis (nam antea legebatur, *Pro sede regia*), Græca habent, ὑπὲρ τῆς Ῥωμαϊκῆς πίστεως : *Pro fide Romana;* sane contra mentem Leonis, 1445 qui hortatur Pulcheriam ut *pro fide*, hoc est, secundum eam qua pollet fidem, seu vigore illius fidei novellis erroribus resistat.

AD EPISTOLAM LIII,

seu

AD FRAGMENTUM EPISTOLÆ

Anatolii CP. episcopi ad S. Leonem.

APUD QUESNELLUM PO T EPIST. LI.

1. Hoc præclarum epistolæ fragmentum ex Regio codice ms., num. 940, eruit vir doctissimus Joannes Baptista Cotelerius, et inter Ecclesiæ Græcæ Monumenta, tom. I, pag. 66, excudi curavit anno 1677, biennio post primam Leonis nostri editionem. Monet in notis conferendum cum his quæ Sozomenus habet lib. VII, cap. 8 de electione Nectarii Constantinopolitani pariter episcopi. Non debuit porro in hac editione omitti hæc epistolæ particula, nec alium locum sortiri, cum de illa in consequentibus epistolis mentio habeatur, et tunc primum recepta esset a Leone cum ad Theodosium, Pulcheriam, aliosque epistolas 52, 53, 54 (*nunc* 69, 71, 70), etc., scribebat pontifex 16 Julii. Ad illam respiciunt earum aliquæ; nonnullæ expresse etiam meminerunt; sic enim epist. 53 (*nunc* 71), ad archimandritas : *Ipse Constantinopolitanus episcopus et hi qui eumdem consecrarunt, præter id quod ad ordinationem novi antistitis pertinebat, nihil nobis de compressis, vel abdicatis erroribus indicarunt.* Ex quibus cum fragmento collatis docemur, 1° circa (*c*) hæc tempora ad meliorem vitam transisse sanctum Flavianum; 2° ante illius obitum, Anatolium nec electum, nec ordinatum, electionem enim, nulla mora interposita, secuta est ordinatio; 3° non solum Anatolium, sed ejus etiam ordinatores ad S. Leonem litteras ordinationis indices misisse.

AD EPISTOLAM LIX.

APUD QUESNELLUM XLVI.

Clero et plebi urbis Constantinos.

1. *Plebis acclamationibus.* Plebis suffragia in electionibus episcoporum olim intervenisse, vel ex uno Leone nostro perspicuum est : eadem pariter in translationibus admissa fuisse, æque certum ex Histor. Miscell., lib. XX, cap. 23. In depositionibus autem episcoporum seu approbandis seu improbandis locum habuisse ex his verbis discimus. Hoc persæpe acclamationibus populi fiebat; quæ cum seditiosæ erant ac tumultuosæ, 1446 merito rejiciebantur, et revera prohibentur a sanctis Patribus, qui electiones per hujusmodi acclamationes factas rescissas volunt; ut in Chalcedon., act. 11, et apud Palladium in Vita Chrysostomi cap. 13 et sequent. Cum vero modeste et ex ardore fidei vel justitiæ acclamatur a populo, tunc, ut hic a Leone præstitum, et approbata, et in scrinia etiam ecclesiastica sunt redacta ejusmodi acclamationum vota. Harum porro usum ab ethnicis ad Christianos, et a rebus civilibus ad ecclesiasticas

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Ut difficultates hic propositæ disjicerentur, quid in hac epistola edenda præstiterimus, vide nostram admonitionem huic epist. præfixam.

(*b*) Confer annot. nostram 8 (*Col.* 834, *n.* f) in hanc epistolam.

(*c*) De tempore mortis S. Flaviani, ordinationis Anatolii, et epistolarum quæ in ejus ordinatione ad S. Leonem scriptæ fuerunt, vide admonitionem huic fragmento præfixam.

Digitized by Google

translatum fuisse, apposite notavit vir doctissimus Franc. Florens, ad titulum 7 de Translatione episcopi.

2. *Ut nec ab infantium linguis veritas corporis et sanguinis Christi inter communionis sacramenta taceatur.* Locus ita necessario restituendus ex codd. Griman., Barber., Trecopith. et Thuan. tribus. Quartus Thuan. leg., *inter communia sacramenta;* vulgata vero lectio, quæ habet, *nec.... inter communis sacramenta fidei tenealur*, absurdum omnino sensum continet, et a Leonis mente remotissimum. Alludit porro ad veteris Ecclesiæ ritum et ad ipsa Ambrosii verba, quibus ritus ille nobis exponitur, lib. IV de Sacram. cap. 4: *Non otiose, cum accipis, tu dicis,* AMEN, *jam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos,* CORPUS CHRISTI; *et tu dicis,* AMEN, *hoc est, verum.* Et Leo ipse, serm. 5, de Jejun. decimi mensis: *Hoc,* inquit, *ore sumitur, et frustra ab illis* AMEN *respondetur, a quibus contra id quod accipitur disputatur.* Porro cum tam Ambrosius quam Leo non nisi ab accipientibus corpus Christi *Amen* responderi solitum asserant, et illud ab infantibus inter communionis mysteria pronuntiari Leo dicat, ab iisdem quoque accipi ac manducari consuevisse corpus Christi consequens esse mihi videtur. Quam consuetudinem testatam pariter nobis reliquit sancti Cypriani epistola seu lib. de Lapsis, paulo ante finem, quem locum commentatur sanctus Augustinus epist. 23, ad Bonifacium. Sed quod epist. 107 ad Vitalem, habet de iisdem parvulis corpus et sanguinem Domini sumentibus vel non sumentibus, utrum de manducatione ipsorum infantium ore facienda, an aliter intelligendum sit, manifestum esse non existimo.

3. *Supra omnem Ecclesiam.* Ita cum vulg. Pauli editione mss. cod. Griman., Victorin., Trecopith. et Thuan. unus. Sed Corbeiens., et tres Thuan., et edit. vulg. Leonis ad marginem habent, *supra omnia Ecclesiæ*, juxta textum Græc., ὑπὲρ πάντα τῇ Ἐκκλησίᾳ.

4. *Manichæi.* Non quod de Divinitate saltem Christi sane sentirent; multis enim **1447** fabulis hanc suam confessionem aspergebant, ita ut Christum assererent fuisse illum quem dicit nostra Scriptura serpentem, etc., ut ex August. hær. 46.

5. *Apollinaristarum.* Quæ de his habet sanctus Leo, ab Aug. hær. 55 mutuatus est; sicut Augustinus ab Epiphanio, lib. III contra Hæres., tom. II, hær. 57, sive 77, quæ est Dimœritarum, ubi prolixam sancti Athanasii Alexandrini ad Epictetum refert epistolam. Tres illas Apollinaristarum partes aliter dinumerat, ac distinguit Epiphanius. Prima enim secundum ipsum affirmabat Christum corpus e cœlo detulisse; 2° Christum animam non assumpsisse, *quia vicem ejus expleverit ipsa Divinitas*, inquit Leo noster serm. 4 in Nativitate Domini: ubi hanc solam recenset Apollinaris sententiam, ut verisimile sit alia hujus hæresis capita discipulorum ejus fetum esse; 3° denique ejusdem Christi corpus Divinitati consubstantiale non dubitarunt asserere.

6. Nota (*a*) diei, mensis et consulum, quibus data est epistola, carent mss. Griman., Barber., Trecopith., Victorin. et e Thuaneis aliqui: item Merlini et Crabbi edit. Hinc mihi facile persuadeo adjectitiam esse illam quæ vulg. edit. apponitur: *idibus Octobris.* 2° Iisdem idibus et coss. data reperitur altera ad eosdem Constantinopolitanos, ut probabile non sit hanc datam esse eodem die. Inter eas hoc discrimen intercedit, quod brevior illa non a S. Leone solo scripta sit, sed etiam a synodo Romana, quæ vel occasione latrocinii Ephesini, vel pro more ad tertium kalendas Octobr. ut ex epist. 16, cap. 6, colligitur, convenerat. Hanc vero prolixiorem suo ipse nomine scripsit, ut ex serie epistolæ constat, a cujus titulo rejicienda sunt illa verba: *Et sancta synodus, quæ in urbe Roma convenit*, sicut rejecimus auctoritate mss. Griman., Corb., Trecopith. et Thuan., in quibus desiderantur. Scripta est procul dubio post epist. 39 et 40 (*nunc* 43 et 44) quibus concilium ab imperatore indici postulat: de sua enim petitione monet Constantinopolitanos in fine hujus epistolæ. 3° Prima scripta est statim post acceptam Ephesini turbinis notitiam, et antequam litteræ et acclamationes Constantinopolitanorum ad Leonem essent delatæ; secunda non nisi acceptis his litteris data est, ut ex cap. 1 patet: atque adeo aliquanto post tempore. Revera non videtur ullus de Flaviani morte nuntius Romam pervenisse (*b*) ante mensem Julium anni 450. Raræ litteræ hujus anni ante diem 16 Julii, **1448** quo tempore scribens S. Leo ad Theodosium Augustum de Anatolio recens ordinato (*qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ cœpit præsidere*), innuit tum primum factum se fuisse certiorem seu de Flaviani obitu, seu de successoris ejus ordinatione.

A die Octobris 15 anni 449 ad decimum septimum Martii sequentis anni (*c*) duæ solummodo Leonis epistolæ comparent in Orientem scriptæ, una ad Pulcheriam, altera ad Martinum et Faustum presbyteros, nec alias usque ad diem Julii 16 habemus. Porro in epistola ad Pulcheriam nihil de Flaviani morte: ex quo promptum est arguere nihil itidem de ea scriptum a Pulcheria. In altera testatur se nondum certiorem factum esse de receptione litterarum a synodo Romana scriptarum die 15 Octobris superioris anni. Quod argumento est nihil tunc adhuc auditum Romæ de novo Ecclesiæ CP. statu. Ex quo rursum infero Theodosii litteras ad Valentinianum et Augustas Romam mense Martio nondum allatas. Siquidem ex litteris ad Liciniam Eudoxiam scriptis apparet, Flavianum ex hac vita morte sublatum eo tempore fuisse, ita enim Græca Latine reddi debent: (*d*) *Flavianus memoratus divino judicio ab humanis rebus ablatus est, quatenus totius dubietatis contentio a sacris removetur Ecclesiis.* Porro vix credibile est tam sero fuisse a Theodosio responsum, cum a 15 Octobris ad 17 Martii quatuor integri menses cucurrissent. In secunda primæ fit mentio tamquam antea scriptæ, et per alios nuntios missæ: ut manifestum sit hanc non eodem die datam esse, sed aliquanto post idus octobris.

AD EPISTOLAM LXV.

SEU AD PRECES

Episcoporum provinciæ Viennensis sancto Leoni papæ oblatas.

APUD QUESNELLUM POST EPIST. XLIX.

Fidem supplicis hujus libelli quem Gallicani episcopi ad sanctum Leonem pro Arelatensis Ecclesiæ privilegiis miserunt, in dubium revocant viri insigniter eruditi Jacobus Sirmondus, qui illum velut suppositilium diverso a germanis monumentis charactere excudi curavit in tom. I Concil. Galliæ, et Joannes Launoius in dissertatione de duobus Dionysiis, et aliquot alii. **1449** E contra vero ut genuinum opus suscipitur a doctissimo viro Henrico Valesio in notis ad Socratis Histor. lib. II, cap. 29, aliisque ecclesiasticis scriptoribus. Et certe nihil est, meo

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Confer annot. 3 (*Col.* 866, *n.* [1]) et 48 (*Col.* 871, *n.* [m]) in hanc epistolam.

(*b*) Circa Aprilem an. 450 S. Leonem accepisse nuntium non solum de Flaviani morte, verum etiam de ordinatione Anatolii conjecimus annot. 2 in dissert. 1 Quesnelli ad eumdem an. 450, ubi etiam rationem attulimus cur S. pontifex responsum hac de re ad Theodosium distulerit.

(*c*) Ante duas epistolas hic memoratas alia exstat epistola 54, ad Theodosium scripta mense Decembri anni 449, ut vidimus annot. 8 (*Col.* 856, *n.* [1]) in epist. 54.

(*d*) Hunc locum aliter explicavimus annot. 5 (*Col.* 879, *n.* [b]) in hanc epist. 64.

Digitized by Google

quidem judicio, unde ei merito suppositionis nota inuratur, sive stylum attendas, sive res ipsas spectes quas in his precibus Gallicani antistites edisserunt; nec ulla etiam apparet ratio qua valide satis præclari hujus ecclesiastici monumenti fides concutiatur.

1. Tota hujus libelli series sibi optime cohæret, nec aliquid uspiam occurrit in quo eorum a quibus conscriptum fuit ingenium, sinceritas, prudentia industriaque desiderentur, ut desiderantur plerumque in scriptis fictitiis. Cum enim ab homine cordato et liberali indole prædito alienissimum sit hujusmodi opusculis confingendis manum admovere, fit plerumque ut talia scripta vel ex pannis sibi invicem assutis compingantur, vel ubique incompositis barbarisque vocibus, anachronismis, aliisque similibus scateant νοθείας indiciis; ita ut sæpe illorum suppositio in oculos etiam minus perspicaces facile incurrat.

2. Numquam hujusmodi scripta fingi solent, nisi ut nonnullum ex iis patrocinium desperatæ alicui causæ conquiratur. Parum autem caute consuluisset scripti hujus artifex Arelatensis Ecclesiæ privilegiis, si ex precibus eorum nomine oblatis, qui illius causam defendendam susceperant, eadem privilegia confirmari posse sibi persuasisset. Quis enim ex partis unius præjudicio sententiam adversus litigantem alterum decernat? Certe si aliquid confingendum habebat Arelatensis causæ patronus, id illius nomine promulgandum erat cujus judicium postulabatur, et longe gravioris momenti fuisset alicujus pontificis Romani decretum, in quo omnia eadem argumenta quæ continentur his precibus exponerentur, quam preces ipsæ, quæ præter rationes quibus fulciuntur nihil nisi supplicantium vota exhibent, nec ulla propria pollent auctoritate.

3. Dicant velim, qui scriptum istud falsitatis arguunt, quo tempore, qua ætate procusum fuisse putent. An Leonis et Ravennii? At quidni potius veræ preces et genuinæ oblatæ fuisse creduntur, quam aliæ mala arte existimentur conflictæ? cum nihil obstet, sed constet e contra de hoc eodem argumento a Gallicanis episcopis datas esse ad Leonem epistolas. An sæculis Leone et Symmacho posterioribus? Verum post utriusque hujus pontificis decreta, quorum auctoritate attributis Arelatensi et Viennensi certis Ecclesiis, tota hæc controversia composita est, numquam Arelatensis sibi arrogare tentavit trium illarum provinciarum ordinationem, quarum libellus mentionem facit, ut omnino superfluum videretur preces condere nulli usui profuturas. Si quæ enim posthac motæ sunt rixæ inter utrumque illum episcopum, inde natæ sunt quod alteruter eas Ecclesias invadebat quas **1450** alteri subjectas esse decreverant summi pontifices mox laudati.

4. Nihil fere toto hoc libello occurrit quod antiquitatem non redoleat, illius ævi stylum, qui et in Leonis epistolis et in aliis omnis Galliæ nostræ monumentis passim usurpatur, ut sunt voces *apostolatus*, *summum sacerdotium*, *et summum pontificium* cuilibet episcopo attributum, ut ipse Leo habet initio epistolæ 37 (*nunc* 41) ad Ravennium; *corona vestra*, quod et tres Gallicani antistites, Ceretius, Salonius et Veranus in sua ad Leonem epistola assumunt; *sacerdos* pro episcopo ubique; *auctoritates sedis apostolicæ* pro decretis; *apex sanctæ dignitatis; ordinandi pontificium; primatus*, pro metropolitico jure; *potestates* pro magistratibus; *potestate propria gubernare, sub omni ecclesiastica regula continere, ad suum pontificium revocare*. Sed et totus orationis textus antiquam eam et genuinam esse clamat ac suadet cuivis attentius ac seposito omni mentis præjudicio perlegenti.

5. Nonnulla sunt in ea epistola quæ reconditioris sunt eruditionis quam ut a doctulis ac recentioribus impostoribus fraudem meditantibus usurpari potuerint. Tale est quod ait: *Ostentare voluit insignia dignitatis, consulatum suscepit et dedit*, de quo infe-

rius dicemus. Alia sunt etiam quæ fingere vix in mentem cujusquam venissent, et quæ scribentis bonam fidem scriptique sinceritatem arguunt, quale est quod de *anni præsentis* quo scribebant *penuria* dicitur.

6. Hoc moris est spuriorum scriptorum auctoribus, ut quia fraudem potissimum moliuntur, hujusmodi scripta hac de causa ubique magna ambitione disseminent, ne quem lateat quod omnibus etiam arte pessima notum fieri discupiunt. Unde fit ut numerosa sparganturque eorum exemplaria, quæ frequenter postmodum occurrunt in bibliothecarum codicibus; nihil tale Arelatensis provinciæ libello contigit, cum e contra ad nostra usque tempora in Arelatensi archivo delituerit, e quo uno nuper depromptus est et ab eminentiss. card. Baronio suis Annalibus insertus.

Denique argumenta omnia quæ a doctissimo antiquitatis scrutatore adversus has preces instruuntur, talia esse mihi videntur ut ex his quæ jamjam dicturi sumus abunde sibi satisfactum confessurus sit, ut spero, vir veræ opinionis amantior quam suæ.

1. *Nulla*, inquit, *in libello supplici honorifica papæ illius, cui mittitur, inscriptio*. Sed quid si scribæ unius oscitantia omissa est? Cum enim ex unico exemplari desumptæ sint preces istæ, quid ab aliis factum sit non apparet; nec fas est adversus scriptum hujusmodi ex leviculæ omissionis præjudicio quidquam decernere. Adde quod aliter epistola per tabellarium mittenda, aliter supplex libellus per presbyterum et diaconum legatos offerendus ordinatur. Denique tantum abest ut suppositionis argumentum sit **1451** splendidarum hujusmodi inscriptionum omissio, quin potius scripti sinceritatem evincit, cum plerumque non nisi fraudis faciendæ gratia operosius adornari et ad fucum componi soleant hujusmodi tituli, ut testes sunt Isidori pseudo-epistolæ; cujusmodi titulos laudatus scriptor non semel genuinis etiam epistolis ex malo consilio ascriptos comprobat.

2. *Sine consule et die*, inquit, *apparet scriptum illud; quæ duo publicis monumentis auctoritatem vindicant*. Et hoc pariter magis epistolæ convenit quam supplici libello. Deinde tot sunt indubitatæ fidei monumenta in quibus hujusmodi consuetudini derogatum est, ut ex illius omissione nihil certi statui queat. Hac uti annotatione inter episcopos Romanis familiare magis erat, quam aliarum regionum episcopis. Vix enim in Orientalium, Africanorum, Hispanorum, Italorum et Gallicanorum episcoporum epistolis talis usquam formula conspicitur. Ubi enim, ne a Leonis ætate recedamus, ubi consularis nota in epistolis Augustini Africani, Flaviani Constantinopolitani, Ambrosii et Eusebii Mediolanensium, Paschasini Siculi, Proterii Alexandrini, Ceretii, Salonii, Veranique, inque aliorum plusquam quadraginta Gallorum synodica ad Leonem epistola?

3. *Nihil*, inquit, *in hoc libello deprehenditur quo Leoni potius quam Anastasio vel Symmacho nuncupetur*. Immo vero plura sunt quibus id deprehendatur; hæc videlicet: *Ordinationem qua sanctus frater et coepiscopus noster Ravennius in civitate Arelate post transitum beatæ recordationis Hilarii episcopi, concordantibus omnium votis ad summum pontificium, Domino favente, provectus est, missis continuo litteris apostolatui vestro indicare curavimus. Quibus a beatitudine vestra tanta dignatione et charitate fuisse responsum, immensas gratias agimus*. Et postea: *Notum licet nobis ante jam fuerit, prædictum sanctum fratrem et coepiscopum nostrum maxime formæ vestræ gratiam morum suorum mansuetudine et sanctitate meruisse*. Ex his, inquam, manifestum est uni Leoni nostro offerri potuisse libellum hunc supplicem. Sub quo enim Romano pontifice et Hilarius Arelat. decessit e vita, et Ravennius ordinatus est in ejus locum, nisi sub Leone I? Cui, nisi Leoni, hujus ordinationis

Digitized by Google

nuntius missus est a Gallicanis episcopis? A quo de eadem responsum est illis antistitibus, nisi a Leone? Cui morum suorum mansuetudinem probavit Ravennius? A quo impense dilectus? Cujus meruit gratiam, nisi Leonis nostri, ad quem ab Hilario pontifice missus est cum Constantio, ut Romani pontificis animum occasione depositionis Celidonii exasperatum 1452 deliniret, teste auctore Vitæ sancti Hilarii Arelatensis? Quem insuper infensum habuit Ravennii prædecessor Hilarius, nisi sanctum Leonem Magnum? Omnia ergo illi sententiæ suffragantur, quæ libellum Leoni directum fuisse asserit.

4. Ex his libelli verbis argumentum contra libellum ipsum eruit idem vir doctissimus: *Omnibus enim regionibus Gallicanis notum est, sed nec sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ habetur incognitum, quod prima inter Gallias missum a beatissimo* (*a*) *Petro apostolo sanctum Trophimum habere meruit sacerdotem*, etc. At istud, inquit, tam obscurum quam quod obscurissimum: etenim nullus est Græcus vel Latinus, Gallus vel Italus scriptor, qui per annos a Christo sexcentos huic rei fidem faciat.

Sed quid mirum si quod illa ætate manifestissimum erat, successu temporis, nilleque ac ducentorum annorum interstitio evaserit *tam obscurum quam quod obscurissimum?* Quamquam nec istud hodie obscurum esse ultro fatebitur vir doctissimus, si meminerit se tam ex auctore Vitæ sancti Saturnini, quam ex Gregorio Turonensi pro certo asseruisse prima fidei Christianæ semina jacta fuisse in Gallicanis regionibus a sancto Trophimo ejusque sociis sex, quos huc transmisit sedes apostolica; quos omnes primum Arelatem appulisse, ibidemque commoratos esse, dubitari vix potest, cum inter provinciæ Romanæ civitates illa emineret: nam non solum maris vicinia, sed, ut legimus in constitutione impp. Honorii et Theodosii ad Agricolam præfectum Galliarum, qua in ea civitate conventum provinciarum fieri præcipit: *Decursus Rhodani et Tirrheni recursus necesse est ut vicinum faciant ac pene conterminum, vel quod iste præterfluit, vel ille quod circuit*, ita ut ad hanc urbem *velo, remo, vehiculo, terra, mari, flumine deferatur quidquid singulis nascitur.*

Præterea, si per sexcentos a Christo annos nullus auctor huic rei fidem præstitit, unde illam hausere auctores duo laudati, quos pro impostoribus habere nemo volet? Sed etsi neque hi neque alii de ea re quidquam scripto tradidissent, quam multa sunt quæ per Ecclesias quasi vivæ vocis manu traduntur posteris, et ad remotiores usque transmittuntur ætates?

Video quid diligentissimum antiquitatis indagatorem aliosque auctores angat in hac libelli parte, hoc nimirum est, quod injecta beati Petri mentio, apostolo ipsi sancti Trophimi missionem tribuere videtur: quod a veritate alienum esse existimant. Et hoc ego falsissimum puto; sed non is est, opinor, illorum verborum sensus, quem prima fronte præseferunt. Tam solemne enim 1453 est ac usitatum apud scriptores ecclesiasticos, ut pro apostolica Petri sede, ipsum Petri apostoli nomen usurpent, ut nihil fere magis legenti sit obvium. Hoc etsi vel monuisse sufficiat, nonnulla tamen exempli magis quam probationis gratia adduco. Bonifacius papa in epistola ad Rufum Thessalonicensem apud Holstenium et in ultima Conciliorum collectione scribit: *Ita quippe vice sua beatus apostolus Petrus Ecclesiæ Thessalonicensi cuncta commisit*, etc. Idem in epistola ad episcopos per Thessaliam constitutos: *Scitis*, inquit, *beato Petro utrumque possibile*, id est, *in mansuetudine mites, in virga superbos arguere.* Item in epistola ad Rufum et cæteros Thessalonicensis vicariatus episcopos, *a beati Petri communione sejungi*, idem est ac ab apostolicæ sedis communione secerni. Posterioribus etiam sæculis Nicolaus I, epist. 24: *Beatissimo Petro apostolorum principi contradicere nullus præsumat.* Sed ne extra proprios veluti fines Leonisque Epistolas evagemur, nonne hæc legimus hoc eodem sensu in epistola 10 ad Viennensis provinciæ episcopos adversus sanctum Hilarium Arelatensem? *Ita*, inquit, *suæ vos cupiens subdere potestati, ut se beato apostolo Petro non patiatur esse subjectum.* Et postea: *Ipsius quoque beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo.* Et in epistola 41 (*nunc* 45) ad Pulcheriam Augustam c. 3: *Pietas*, inquit, *tua supplicationem nostram apud clementissimum principem, sibi specialiter* A BEATISSIMO PETRO *apostolo legatione commissa, dignetur asserere.* Mitto sexcenta testimonia his similia. Hæc igitur libelli verba nec ejus auctoritati quidquam derogant, nec Gregorio Turonensi veræque epochæ adventus septem primorum episcoporum in Gallias, quam viri eruditissimi amplectuntur, adversari ullatenus videntur.

5. Urget sequentia verba: *Et* (*b*) *exinde aliis paulatim regionibus Galliarum donum fidei et religionis infusum*, etc. Pugnant hæc, inquit, cum Innocentio PP. ita scribente in epistola ad Decentium Eugubinum episcopum: *Cum sit*, inquit, *manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus aut ejus successores constituerint sacerdotes.* Ista profecto non nocent: quis enim non videat ex his indistincte et confuse positis nihil certi vel clari posse elici quod ad exactam historiæ notitiam conferat? Quis non fateatur multa hic Innocentium (*c*) paulo commotiorem factum more oratorio conglobare ad Romanorum privilegiorum defensionem? Aut quis demum non advertat ita contextum esse pontificis hujus sermonem, ut eum distributive 1454 ac relative, quemadmodum loqui solent, sumi velit? Non enim frustra de sex diversarum regionum Ecclesiis disserens, eas omnes a solo Petro aut ab episcopis ab eo missis institutas esse asserere noluit, sed addidit, *aut ejus successores;* indicare scilicet volens non omnes illas a Petro, sed aliquas earum ab ejus successoribus fuisse fundatas; quas inter Gallicanæ procul dubio numerandæ sunt, etiam doctissimo eodem viro assertore. Jam vero etsi absque Romanæ sedis præjudicio possit asseri post constitutam Arelatensem Ecclesiam opera sancti Trophimi a pontifice Romano missi, alias complures intra Gallias ipsas erectas ab eo fuisse, hoc tamen Gallicani episcopi non asserunt in suo libello, sed tantum, *exinde*, hoc est, ex civitate Arelatensi, ut scriptor idem interpretatur, *aliis paulatim regionibus Galliarum donum fidei et religionis infusum fuisse;* quoniam ex illa urbe et ex Trophimi seu consilio seu mandato, alii sex viri qui cum eodem illuc appulerant, sese ad alias regionum illarum civitates contulerunt, postquam ex illa metropoli, velut ex quadam specula, opportunitatem exploraverunt, prospexerunt que quid magis religioni Christianæ et Galliarum saluti conveniret, quæ et quo tempore civitates, quæ loca illis prius essent adeunda.

Adverto, pro majori hujus loci elucidatione, cum Galliarum hic mentionem faciunt episcopi, non esse necessario de omnibus id Galliarum regionibus intelligendum, sed tantum de Narbonensi solida, quæ primum a Romanis in provinciam redacta, provinciæ Romanæ nomen obtinuit, et sæpe simplici Galliarum nomine decoratur. De quo quia alibi fusius egimus, non est quod hic diutius immoremur.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Vide annot. 10 (*Col.* 881 *a*) in hanc epist. 65, ac præsertim observat. ad dissert. 5 Quesn. part. II, cap. 2.

(*b*) Confer idem cap. 2 observat. in part. II, dissert. 5.

(*c*) Rem ipso facto *manifestam* Innocentius refert. Cur ergo hic pontifex *paulo commotior factus more oratorio multa conglobare* dicatur, nihil est.

Digitized by Google

6. Ex aliis etiam his verbis impostorem seipsum prodere existimant : *Cui* (Arelatensi episcopo) *id etiam honoris dignitatisque collatum est, ut non tantum has provincias potestate propria gubernaret, verum etiam omnes Gallias sibi apostolicæ sedis vice mandata, sub omni ecclesiastica regu a contineret.* Manifeste, inquit auctor laudatus, qui hujusmodi preces consarcinavit, posteriorem se indicat fuisse Cæsario, Auxanio, Aureliano, aliisque Arelatensibus episcopis, quibus Romani pontifices suas in Gallia vices posterioribus Leone sæculis demandaverunt; ante hos enim nihil tale commissum legitur Arelatensibus episcopis vice pontificis Romani.

Fateor plus aliquid difficultatis subesse his verbis, non tantum tamen ut propterea rejiciendæ sint istæ preces. Primum enim, cum episcopi Gallicani sua sibi jura sarta tectaque maxime vellent, officiosis verbis **1455** demulcent pontificem, qui imperatoria potestate fumus, graviter illa privilegia concutere jam cœperat, nec aliter quam demissis officiis placari poterat. Cæterum, quod de mandata Arelatensibus olim episcopis apostolicæ sedis vice fatentur, eodem fortassis sensu intelligunt quo sanctus ipse Leo apostolicam legationem beatissimo Petro apostolo Pulcheriæ imperatrici commissam scribit in epist. 41 (*nunc* 45) mox laudata : quia videlicet tam in indicando Paschatis die quam in aliis negotiis intra Gallias occurrentibus, ad Arelatensem semper episcopum suas litteras dirigere consueverant, ut ad Galliarum primatem. Deinde, quamvis hodie non appareant pontificum Romanorum epistolæ quibus suas vices expresse committere voluerint Arelatensibus episcopis, non satis est, ut mihi videtur, ut id numquam factum pronuntietur, cum pleraque hujusmodi monumenta ecclesiastica injuria temporum interciderint. In simili causa hallucinatus est vir inter heterodoxos eruditus Blondellus, judiciumque suum præcipitavit, cum in suo de Primatu opere nulla apud antiquos Thessalonicensis vicariatus vestigia exstare pronuntiavit, saltem ante Leonis I PP. tempora. Erant certe plurima; sed latebant, prodieruntque tandem in publicum in collectione Romana Lucæ Holstenii. Sed et quæ adhuc supersunt monumenta sufficere potuerunt Gallicanis antistitibus, ut qui Romanis auribus blandiri volebant, Leonemque sermone non injucundo ad sua vota pellicere, id sine mendacii ac falsitatis nota præstarent. Etsi enim solito semper more, etiam post Leonis sententiam adversus sanctum Hilarium emissam, suas Ecclesias rexissent Gallicani episcopi, cum tamen imperatorem, a Leonis ore pendentem, viderent pontificis decretum sua auctoritate firmasse, reique exsecutionem injunxisse magistro militum, tum e resua esse duxerunt delinire Leonis mentem, eique jus suum ac privilegia probare : quod vix aliter illius animo insinuandum putabant, quam si ei persuaderent jam olim Romanorum pontificum vicibus ornatos esse Arelatenses episcopos, ut Gallias *sub omni ecclesiastica disciplina continerent*, hoc est, ut ex illa metropoli vigilanter prospicerent ne aliquid contra canonum regulas in Ecclesiis Gallicanis attentaretur, quæ propria est pontificis Romani cura et sollicitudo, utpote omnium episcoporum primatis, canonum exsecutoris ac vindicis, *et cui vineæ custodia*, ut Patres Chalcedonenses scribunt ad Leonem ipsum, *a Salvatore commissa est.* Et quidem quod Occidentales diœceses attinet, hanc maxime consuetudinem observavit sanctus Leo, ut identidem, prout se dabat occasio, illuc episcopos vice sua acturos dirigeret, vel ibidem commorantes hac instrueret potestate. Sic Potentio vicem curæ suæ in Africana Mauritaniæ Cæsariensis provincia injunxit epist. 1 (*nunc* 12), Anastasio Thessalonicensem vicariatum delegavit, Turribium **1456** Idatio et Ceponio metropolitanis in Hispania adversus Priscillianistas conjungi voluit ad cogendam synodum : ut de Orientalibus sileam, ut de Juliano Coensi episcopo aliisque compluribus Constantinopolim pontificis vice directis. Sed et in Gallicana diœcesi tale aliquid aggressus est idem Leo, cum ablatam Hilario potestatem cogendi Gallicanarum provinciarum synodalis conventus in Leontium transtulit. Hoc enim sibi non assumpsisset, nisi eum qui inter cæteros metropolitanos præcipua auctoritate eminebat, sua id vice agere persuasum vel habuisset, vel haberi vellet; quem proinde pro nutu suo vel conservare posset, vel dejicere. Nec aliquid procul dubio novitatis inducere se putavit idem pontifex, cum Ravennii curæ ea omnia commisit, quæ agi in Galliis volebat adversus nascentem Eutychis errorem. *Universa*, inquit epist. 51 (*nunc* 67) *per te cupimus ad omnium fratrum et consacerdotum nostrorum notitiam pervenire : hoc dilectioni tuæ* SPECIALITER DELEGANTES, *ut sollicitudine vigilantiæ tuæ.... universis fratribus innotescat.* Quam curam etiam aliis provinciis spectasse, in quas jus metropoliticum sibi non arrogabat Arelatensis episcopus, patet ex epistolæ subscriptionibus quam ad Leonem dedit synodus Gallicana. Idem Leonis consilium apparet ex epistola 38 (*nunc* 42), ad eumdem Ravennium, quem de Petroniano quodam pseudo-diacono vago admonet, ut ab omnibus Galliarum Ecclesiis excommunicetur, et ex epist. 76 (*nunc* 96), qua ejusdem Ravennii cura Galliarum episcopos de Paschatis die certiores fieri præcipit, quod ex longæva consuetudine factum ab eo fuisse satis indicat, sufficitque ut apostolicæ sedis vicem Arelatensi episcopo fuisse demandatam non mendaciter asserere potuerint Gallicani episcopi, Leoni placentia loqui volentes.

Cœlestinus papa, cui post Sixtum Leo successit, idem confirmat cum ad Arelatensem episcopum scribit de nescio quo Daniele, qui ex Orientalibus partibus, ubi multis se criminibus polluerat, in Gallias se recipiens, ibidem ordinatus esse episcopus ferebatur. Hunc ubicumque Galliarum esset, ad episcopale judicium per eumdem Arelatensem episcopum destinari vult pontifex. Qua auctoritate? Quo jure? Eo jure, opinor, quod ei ex antiquo semper detulerant Gallicani antistites, sed quod, ni fallor, ex sua delegatione factum videri cupiebat Cœlestinus, qui in eadem epistola Massiliensis episcopi, de hoc accusati quod de fratris et coepiscopi sui nece gratulatus esset, judicium episcopis Viennensis et Narbonensis provinciarum delegare se pronuntiat.

Easdem autem vices expresse delegatas esse Arelatensi episcopo per Zosimum pontificem nemo inficias ierit, nisi qui hujus papæ epistolas quæ ad Arelatensem controversiam pertinent fictitias esse voluerit, quod male asseri, et ex doctissimorum virorum suffragio, qui eas pro germanis habent, **1457** et pluribus etiam argumentis demonstramus in dissertatione apologetica pro sancto Hilario Arelatensi.

7. Objicit rursus libellum ita Valentinianum et Honorium in regendo imperio conjungere, quasi collegæ fuerint. Revera conjunguntur, non tamen ut collegas (de hoc enim ne apex quidem), sed ut decessor successorque, ut pater et filius, ut eorumdem privilegiorum Arelatensis civitatis auctores assertoresque. Instat : Nullum Valentinianus privilegium Arelatensibus concessisse reperitur, in cujus edicto Arelas omnium Galliarum mater nuncupetur. Verum hac in re negativa probatio nullius est momenti : quam multæ enim Augustorum constitutiones posterioribus sæculis e tenebris prodierunt, quibus ante sepultæ jacuerant? Deinde quis ignorat illius tropi frequentem esse usum, quo pluralis numerus pro singulari ponitur, præsertim cum in præcedentibus plurium mentionem fieri contigit? Quem usitatum etiam in sacra historia loquendi modum pluribus exemplis probat Augustinus lib. III de Consensu Evangelistarum, cap. 16, ubi de duobus latronibus agitur, qui Christum pariter blasphemasse dicuntur, cum id ab alio evangelista de uno tantum eorum recitetur.

8. Contra libellum argumentatur ex verbis capitis tertii, quibus asserit *quod semper sicut Ecclesia Arela-*

Digitized by Google

tensis intra Gallias primatum in sacerdotio antiquitatis A *merito, ita etiam civitas ipsa principatum in sæculo opportunitatis gratia possederit.* Quis, quæso, inquit, a Christo usque ad Constantinum Magnum, Arelatensis Ecclesiæ sacerdotem Galliarum primatem dixit? Quis a Constantino usque ad Honorium et Theodosium Arelatensi Ecclesiæ primatum Galliarum tribuit? Quis Arelatensi oppido principatum Galliarum ascripsit præcedentium imperatorum temporibus? Sunt ista, inquit, recentiorum somnia, quæ Gallicani episcopi numquam somniassent.

Non sunt profecto hæc somnia, vir doctissime, nisi somniasse dixerimus Leonem Magnum, cum in epistola 50 (*nunc* 66), quæ controversiam inter Viennensem et Arelatensem episcopos motam dirimit, hæc ait non ex proprio ingenio, nec ulla permotus auctoritate, sed, ut loquitur, *consideratis allegationibus utriusque partis præsentium clericorum, ita semper intra provinciam vestram Viennensem et Arelatensem civitates claras fuisse reperimus, ut quarumdam causarum alterna ratione, nunc illa in ecclesiasticis privilegiis, nunc ista præcelleret; cum tamen eisdem commune jus quondam fuisse* A GENTIBUS *proderetur.* En quomodo id quod Gallicani asserunt antistites, ultro fateatur sanctus Leo, *consideratis utriusque partis allegationibus;* quæ *allegationes*, si ad nos usque pervenissent, omnem omnino tergiversandi sustulissent occasionem : sed satis superque est quod etiam antequam Christianæ fidei lux Galliis affulgeret, ac proinde ante Constantinum *commune* saltem *jus* **1458** Viennæ et Arelato fuisse in confesso est. Nihil enim amplius profiteri debeat sanctus Leo, qui ex communi jure communem utrique provinciam facere intendebat, licet se de Arelatensium jure magis fuisse persuasum evidenter ostenderit, cum eorum metropoli longe majorem Ecclesiarum numerum assignavit. Principatum autem Arelatensis civitatis, etsi ante Christum natum exstitisse, ea quæ dicta sunt comprobent, sufficit tamen ut ex illo solum tempore deducatur quo sanctus Trophimus primus Arelatensium C cœpit gubernare Ecclesiam, ut superfluum sit quærere quis a Christo nato ad Constantinum usque illius primatum asseruerit.

Ultimum denique adversus libellum supplicem torquetur argumentum, ex eo quod sanctus Leo rescribens ad episcopos quorum nomine offerri debuit, si germanus est, nihil omnino de utraque Narbonensi loquitur; cum de ea sermonem habere debuisset, si respondisset ad libellum de quo quæstio versatur. Respondeo sententiam sancti Leonis latam non esse nisi inter Arelatensem et Viennensem episcopos, inter quos constat litem non fuisse nisi de solo primatu, seu metropolitico jure in provinciam Viennensem; episcopus enim Viennensis nihil in Narbonensem umquam sibi arrogavit. De sola ergo provincia Viennensi a Leone pronuntiandum erat. Illis adde quod post mortem Hilarii, qui suæ Ecclesiæ jura strenue semper defenderat, Ravennius, qui ab hujusmodi contentionibus alienior erat, pro sua videlicet D indole et, ut loquuntur episcopi in libello, *pro morum suorum mansuetudine*, jus in alias provincias tepide admodum ac cedenti similis propugnabat, contentus sibi primatum in Viennensem conservare. In hoc totus est revera libellus, nec de tribus provinciis mentionem facit, nisi aliud agendo, et ut inde jus suum in Viennensem magis ac magis roboraret. Hoc ista loco sufficiant; reliqua ad eamdem controversiam pertinentia repetantur ex dissertatione 5 apologetica pro sancto Hilario Arelatensi.

His ita explicatis, nihil amplius, opinor, obstat quominus pro sincero germanoque habeatur supplex antistitum Gallorum libellus, ex quo non modicum accedit auctoritatis ac roboris Arelatensis Ecclesiæ privilegiis. Superest ut, si quæ alia illustrari egent in hac epistola, id paucis absolvamus.

1. *Coronæ vestræ.* Ex marginalibus priorum editionum notis apparet nonnullos hoc epitheton quasi A uni pontifici proprium existimasse. Verum illud promiscue cuilibet episcopo attributum fuisse liquet, tum ex aliis, tum ex Augustino, qui epist. 147 sic Proculianum Donatianæ partis episcopum affatur: *Per coronam nostram nos adjurant vestri; per coronam vestram vos adjurant nostri;* ex Hieronymo Augustinum ipsum sic alloquente : *Precor coronam tuam:* ex Apollinari Sidonio, qui Leontium Arelatensem **1459** iisdem verbis alloquitur epist. 3 libri VI. Familiarem fuisse Gallis hanc salutandi formulam liquet tam ex eodem Sidonio quam ex epistolæ synodicæ Gallorum ad S. Leonem subscriptionibus, ex epistola Ceretii, Salonii et Verani, item Gallorum ad eumdem, et ex hoc ipso libello, in quo ter idem loquendi modus usurpatur. Sed unde manavit, et quis illius sensus est? Sunt qui alludi putent ad clericalem episcopalemque tonsuram, quæ instar coronæ erat, præsertim secundum formam antiquitus usitatam. Quidquid sit de hujusmodi consuetudine, de qua consules, si lubet, Gregorium Turonensem de Nicetio Trevirorum episcopo loquentem, et concilium Toletanum IV, can. 40, hoc Hieronymo venisse in mentem non puto; sed nec alios id voluisse probabile admodum videtur. Aliquid enim sublimius spirat hæc locutio, et, ut puto, significat supremum ecclesiastici ordinis apicem, qualis est dignitas episcopalis, in quem sensum a Valentiniano imperatore in novella de episcop. ordinat. adversus Hilarium Arelat. sanctus Petrus appellatur *princeps episcopalis coronæ*, hoc est dignitatis. Indiscriminatim assumebatur hæc formula; in epistola enim synodica Gallorum ad Leonem alii ejus *coronam* salutant, alii *sanctitatem*, B alii *beatitudinem*, alii denique *apostolatum*.

2. *Consulatum suscepit et dedit. Consulatum dare* explicat vir singularis eruditionis H. Valesius ad Socratis lib. II, cap. 29 de Ludis Circensibus, quos consules initio consulatus sui edebant. Ita et hæc illius loci Socratici verba, τὰς συνῳδὰς ὑπατείας, interpretatur, *solemnes ludos a consulibus edi solitos.*

AD EPISTOLAM LXVIII.

Ceretii, Salonii et Verani ad Leonem PP.

APUD QUESNELLUM POST EPIST. LXXVI.

1. *Ceretius*, etc. Tres istos, qui præsentes ad S. Leonem litteras dedere, episcopos fuisse ipsa clamant epistolæ verba : *Sancti*, inquiunt, *episcopi fratres nostri per Gallias;* episcopos enim fratres vocare solorum episcoporum est. E Gallia fuisse, ista sollicitudo de epistola Leonis per Gallias spargenda, satis indicat. Duos ex illis, Salonium et Veranum, fratres fuisse, et eos Eucherii Lugdunensis episcopi filios, quos frequenter celebrant illius ævi scriptores, Baronii, Sirmondi, aliorumque communis opinio est, quam vel ex una ista epistola, ad quam simul scribendam convenerunt, probabilem admodum puto, ac pene certam.

Sed in qua Galliarum parte episcopatum gesserint, hactenus incompertum. Aliquando suspicatus sum D eos ex illa provinciæ Viennensis parte fuisse, quæ in ejus divisione decreto Leonis PP. non ita pridem facta Viennensi episcopo assignata fuerat; suspicionisque **1460** hæc ratio erat, quod ab eorum uno, Ceretio scilicet, Mediolanensis provinciæ episcopi mutuati erant dogmaticam illam Leonis epistolam, non ob aliam, ut videtur, rationem, quam propter viciniam : nulli autem Gallicani episcopi Italicæ diœcesi propinquiores erant, quam aliqui ex quatuor episcopis Viennensi subjectis : una enim ex istis, Tarentasia, Augustæ Prætoriæ, quam etiam hodie inter comprovinciales habet, vicina admodum est. Præterea nulla occurrebat ratio cur tres hi episcopi inter illos 44 antistites Gallicanos, qui ad Leonem de eadem epistola scripsere, et ad quos Leo rescripsit, non legerentur synodo Gallicanæ interfuisse, quam quia ex illa Viennensis provinciæ parte erant, cujus soli episcopi Arelatensis Ecclesiæ juribus subscribere

Digitized by Google

refugiebant, ne adversus metropolitanum suum Vien-
nensem præjudicarent.

Magis tamen placet modo alia opinio. Conjicio igi-
tur tres illos episcopos ex provincia Alpium mariti-
marum fuisse, tum propter rationes alias, tum pro-
pter hanc maxime quod et hi vicini fuerunt, eorum
unum, Veranum ex illa Alpium provincia fuisse cer-
tis argumentis deprehendere mihi videor.

Primo ex epistola 4 Hilari PP. docemur Veranum
episcopum scripsisse ad sanctum Leonem pro juri-
bus metropoliticis Ingenuo Alpium maritimarum
metropolitano asserendis; nec solus scripsit, sed
cum cæteris provinciæ sacerdotibus, ut Hilarus habet;
provinciæ utique Alpium maritimarum, de qua lis
erat, et cujus ille mentionem tertia superius linea
fecerat. At cur, quæso, tantopere pro juribus illius
metropolitani sollicitus fuisset Veranus, ut Ingenuo
ultro jura propria dimittente, ad Leonem querelas
de imminuta metropolitani illius auctoritate deferret?
Cur communem cum ejusdem provinciæ episcopis
scripsisset epistolam, nisi pro communis Alpium
provinciæ dignitate agendum sibi credidisset? Cur
etiam de Cemelenensis civitatis et Nicænsis castelli
negotio discutiendo ad eumdem Veranum scriberet
Hilarus papa, eumque Leontio primario partium
illarum metropolitano jungeret, nisi quia ex illa
eadem Alpium provincia erat?

2. Veranum Eucherii filium Venciensem in Al-
pium maritimarum provincia episcopum fuisse asse-
rit Joann. Savaro ad epist. 15 libri VII Sidonii, ex
veteri ms. codice Lirinensis cœnobii, in quo nomina
sunt episcoporum, abbatum et monachorum, qui ex
Lerino in sanctorum numerum sunt relati : *Veranus
Venciensis episcopus.* Idem et ex Martyrologio Eccle-
siæ Venciensis confirmat Vincentius Baralis in Chro-
nologia Lirinensi pag. 362 : *In Galliis civitate Ven-
ciensi, depositio beati Verani episcopi Venciensis, qui
fuit monachus insulæ Lirinensis, discipulus beati Hi-
larii abbatis dictæ insulæ, et postea episcopi Arelaten-
sis. Qui beatus Veranus sepultus est in eadem ecclesia
Venciensi in sarcophago marmoreo in pariete defixo,*
1461 *qui multis virtutibus et miraculis claruit, ac de
nobili prosapia ortus in pace quievit, quarto idus Se-
ptembris.* Cum auctor Martyrologii Hilarium facit
Lirinensis cœnobii abbatem, falsus est Eucherii ver-
bis, ubi Salonium fratrem Verani beatissimi Hilarii
doctrina formatum scribit : quod abbatem hunc fuisse
non significat, cum e contra ibidem ab Eucherio vo-
cetur Hilarius, insulanus tiro.

3. Hanc de Verani episcopatu opinionem probabi-
liorem adhuc reddit, quod Lirinensi insulæ omnino
vicina erat Venciensium civitas : ut facile credideris
ex illo cœnobio ad istius civitatis sedem postulatum
esse Veranum propter sanctitatis opinionem ex vicinia
bene notam : quod præterea eidem civitati proxima
erat Cemelenensis, ut et Castrum Nicæense, de quo-
rum unione sub eodem episcopo, et scripserat olim
ad S. Leonem cum cæteris provinciæ episcopis, et
ad eum præ cæteris postea scripsit Hilarius papa.

Quid porro moverit et Jacobum Sirmondum, et
Davidem Blondellum, ut Veranum istum Lugdunensis
Ecclesiæ præsulem fuisse scripserint, nescio. Hoc
ita forte opinati sunt ex quibusdam Lugdunensium
episcoporum tabulis, quibus fides ab eruditis abro-
gatur.

Jam ex Verani sede non temere conjicio in ejus
vicinia Salonium fratrem et Ceretium episcopatum
gessisse, atque adeo tres eosdem sedes habuisse pro-
vinciæ Mediolanensi vicinas : et revera nullæ sunt
viciniores quam Venciensi, Glandevensi, Senecen-
sis, quæ Albigaunensi, Genuensi, Taurinensi et aliis
valde proximæ sunt; quæ ratio fuit cur epistolam S.
Leonis ab eorum uno, Ceretio, mutuati sint Mediola-
nensis provinciæ episcopi ex ejusdem Leonis admo-
nitione. Hæc de Ceretii, Salonii et Verani episcopa-
tu, occasione epistolæ quam ad Romanum pontificem
dedere; alteram ad eosdem datam a Leone laudat
illustr. Auscensium archiepiscopus pro se perorans
in generalibus cleri Gallicani comitiis anni 1665, ut
ex istorum Actis intelligo : sed an ex editis codicibus,
an ex manuscriptis doctissimo præsuli epistola illa
innotuerit, compertum non habeo.

AD EPISTOLAM LXX.

APUD QUESNELLUM LIV.

Pulcheriæ Augustæ.

1. *Cum ordinationem ipsius dura præcesserint.* Ita ex Griman. ms. reponendum censui, cui lectioni prope accedit Victorina : *Cum in ordinatione ejus dura præcesserint;* eodem fere sensu hanc 1462 vocem *dura* usurpante Leone nostro, quo et superius, cum alt : *quorum causa durior*, epist. 40 (*nunc* 44). Tres tamen Thuan. mss., unus Cantabrig. et edit. vulg. habent : *Cum in ordinatione ejus plura præcesserint.*

2. *Disputationum.* Griman. cod. et Thuan. unus leg.. *dispositionum :* quod ut ad plura extenditur, ita forte magis huc loco a Leone usurpatum, ut in eadem epistola factum est.

3. *Vel epistolæ meæ.* Ita Griman. et Cantabrig. codd. mss.; non vero : *Et epistolæ meæ*, ut in vulgatis; levi quidem, sed non levis momenti, discrimine; si legis enim *vel*, (*a*) optionem dedit Anatolio ut alterutri epistolæ subscriberet, præsentiscens Rhentius ab illo episcopo subscribendum fore epistolæ sancti Cyrilli Orientalium partium episcopi, cujus scripta a prima synodo Ephesina approbata fuerant, quam suæ, quæ ab Orientalibus Ecclesiis nondum erat suscepta. Eamdem alterutrius epistolæ subscribendi facultatem relinquit scribens Gallicanis episcopis epist. 51 (*nunc* 67) ad Ravennium. *Hoc*, inquit, *dilectioni tuæ specialiter delegantes, ut sollicitudine vigilantiæ tuæ epistola nostra quam ad Orientem pro fidei defensione direximus, vel sanctæ memoriæ Cyrilli, quæ nostris sensibus tota concordat, universis fratribus innotescat.*

4. *Quod ausa est imperitâ insipientia definire.* Ita optime ms. Grimani codex, quorum loco in excusis hæc leguntur : *Quod ausus est : imperita insipientia*, etc., sensu falsissimo et a Leonis mente alieno. Anatolius enim, quem hæc verba tangerent, nihil definierat fidei adversum; sed et nihil omnino, sive post consecrationem suam, sive ante. Neque enim pseudosynodo Ephesinæ interfuit, dum habebatur, sed *tunc temporis apud Constantinopolim morabatur*, ut expressis verbis observat Breviculus historiæ Eutychianistarum, apocrisiarii munere pro Dioscoro fungens in comitatu, Quibus adde, numquam Anatolium tam acerbis verbis a Leone fuisse notandum, ut et imperitiæ et insipientiæ argueretur.

AD EPISTOLAM LXXX.

APUD QUESNELLUM LX.

Anatolio episcopo CP.

1. *Ut suarum Eccles. essent communione contenti.* Quatuor hujusmodi abstentionis genus capita complectebatur. Cum enim episcopi sola suarum Ecclesiarum communione fruebantur, 1° nec ii visitationis officia a collegis suis, nec item collegæ ab iis recipiebant; 2° sacra solemniter 1463 obiit in aliena parochia non sinebantur; 3° multo litterarum formatarum seu commendatitiarum commercio interdicebantur; 4° ad concilia aliosque ecclesiasticos consessus simul cum eis non conveniebant, et omni in illis auctoritate suffragiorumque jure spoliabantur. De primo habes concilii Toletani I can. 15; de secundo apud Epiphan. hær. 70, ubi Polycarpi et Victoris

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hunc explicationem refellimus annot. 8 (*Col.* 893, *n.* 1) in hanc epist.

Digitized by Google

mate Orientales ab Occidentalibus divulsos pacificas a se invicem litteras nullas accepisse scribit. Tertium et quartum satis indicant phrases illæ quibus hæc excommunicationis species exprimitur, *charitate fratum privari, alienum esse a fratrum communione*, et similes quæ passim occurrunt. Plura qui volet, adeat doctissimum Joannem Morinum, Exercitat. Ecclesiast. lib. II, exercitat. 17, 18 et 19. Vide etiam S. Augustinum epist. 261.

2. *Dioscori, Juvenalis et Eustathii.* De Dioscoro et Juvenale cur præcipue mentionem faciat, nemini notum non est. Ille enim impietatis Ephesinæ coryphæus; hic vero per omnia suffragator, ut ex epistola S. Leonis ad eumdem, et ex Actis Chalcedon. concilii. Eustathius vero episcopus Berythi, unus quidem fuit ex iis *qui potestatem habuerunt et principes fuerunt concilii Ephesini*, ut dicitur act. 4. Chalcedon. Sed cur a S. Leone et ab Anatolio potius notatus sit quam Thalassius Cæsareæ Cappadociæ, Eusebius Ancyræ et Basilius Seleuciæ Isauriæ episcopi, qui itidem inter eos numerantur, hæc mihi occurrit ratio: quod Eustathius præ omnibus visus fuerat confessionem edidisse in Ephesino latrocinio Eutychianæ consonam, usurpans hæc verba: *Non oportet igitur intelligere duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam*: quæ etsi Ephesi approbata est, statim tamen ac fuit recitata in Chalcedonensi synodo, clamatum est ab episcopis præsertim Orientalibus: *Ista Eutyches dicit, hæc Dioscorus dicit.* Deinde (*a*) simultatis forsan aliquid residuum erat inter Anatolium et Eustathium ob eam causam, quod Eustathius Ibam Edessenum episcopum absolverat in conventu Beritensi, cui Ibæ infensissimus erat Dioscorus. Dioscori autem apocrisiarius erat tunc temporis Anatolius, qui eidem, ut suæ dignitatis auctori, quantum potuit favit, etiam post ejus a Chalcedonensi synodo damnationem.

3. *Ad sacrum altare non recitandis.* Clarum est hoc loco sermonem esse de sacris diptychis, quorum usus quanti factus olim fuerit, patet ex controversiis quæ in Ecclesia efferbuerunt occasione sancti **1464** Joannis Chrysostomi, Acacii, Eutychianorum, trium capitulorum, etc. Non pigeat lectorem adire epistolam Attici episcopi CP. ad sanctum Cyrillum Alexandrinum, apud Nicephorum Callist., lib. XIV, cap. 26, et Cyrilli rescriptum ad eumdem tam loco citato quam inter Cyrilli Opera. Unicum locum juvat hic exscribere, tum quia ad rem nostram facit, tum quia breviter diptychorum naturam, originem et usum describit. Est in epistola Ægyptiorum episcoporum ad Anatolium CP. episcopum adversus Timotheum Ecclesiæ Alexandrinæ invasorem, part. III Act. Chalced. synod.: *Etiam*, inquiunt, *in venerabili diptycho (in quo piæ memoriæ transitum ad cœlos habentium episcoporum vocabula continentur, quæ tempore sanctorum mysteriorum secundum sanctas regulas relegantur) suum posuit et Dioscori nomen*, etc.

AD EPISTOLAM LXXXVIII.

APUD QUESNELLUM LXVIII.

Paschasino Lilybætano episcopo.

Quanti facienda sit hæc ad Paschasinum epistola nemo non intelligit, tum ex earum rerum notitia quam illi uni debemus, cum maxime quod ad primarium S. Leonis legatum data, quem vice sua in magna illa synodo Chalcedonensi acturum pro fidei causa tunc mittebat. Præter hoc commonitorium aliud secretius eidem datum esse a Leone docet actio 16 illius synodi, ex qua partem mandati excerpsimus excudimusque (*b*) tom I. De omnium Orientalium subscriptione adversus Nestorium et Eutychen, deque Anatolii epistola, ex qua id factum didicerat sanctus Leo, habes alterum pontificis testimonium in epist. 70 (*nunc* 91) post biduum Anatolio scripta. Reliqua quæ notatu digna, observavimus in dissert. 1 de Vita et Reb. gest. ad ann. 451.

AD EPISTOLAM XC.

APUD QUESNELLUM LXXIII.

Marciano Augusto.

1. Præcedentium editionum procuratores, immo et collectionum mss. auctores in hujus epistolæ titulo de Chalcedonensi synodo mentionem faciunt, quæ tamen e Nicæna civitate, quo primum convocata fuerat, **1465** non nisi mense Septembri jam exeunte ad Chalcedonenses fuit translata.

2. *Sed et in fratre meo Juliano*, Coensi videlicet episcopo, quem epist. 69 (*nunc* 89) *consortem* legatis suis a se additum testatur, et in epist. 70 (*nunc* 91) *participem in omnibus actionibus* esse præcipit; sed et in epist. 71 (*nunc* 92) ad Julianum ipsum eam ob causam scripta, ipsi *injungit ut cum fratribus*, etc., inquit, *quos vice nostra ad prædictum conventum ire præcipimus, curam tuam actionemque conjungas in omnibus, auctoritate nostræ præceptionis usurus*, etc. Ex quibus liquet (*c*) Julianum, non secus ac alios legatos locum S. Leonis tenuisse in concilio. Quod idcirco notavimus, quia doctissimus Morinus exercit. 20, lib. II, scribebat, non aliam ob causam episcopum illum legati nomen induisse, cum Chalcedonensi synodo subscriberet, quam quia *titulum quem paulo ante in pseudo-synodo Ephesina re et merito usurpaverat, eum ut honorificum et suspiciendum, iterum suscipiendum et sibi conservandum esse credidit*. Illam *Juliani legationem generalem fuisse, et honorariam, non specialem, cujusmodi fuit legatio Paschasini et Lucentii*, suspicatur vir de historia ecclesiastica optime meritus H. Valesius ad Evagrii lib. I, cap. 10, ubi et Ba-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hæc, quæ de simultate inter Anatolium et Eustathium Quesnellus conjicit, nullo documento nituntur. Quin cum Anatolius dubitasse videatur, num Eustathii nomen in legatorum sententiam ex diptychis recitandum non esset, ut observavimus annot. 19 (*Col.* 914, *n.* r) in hanc epistolam, ea simultas potius excluditur. Confer annot. 15 (*Col.* 944, *n.* l) in epist. 95.

(*b*) Hujus commonitorii fragmentum nos inserimus in dissertatione de epistolis deperditis, num. 52, quam post Leoninas epistolas dedimus (*Vid. sup. Col.* 1227).

(*c*) Negari nequit Julianum in Chalcedonensi concilio S. Leonis ac apostolicæ sedis legatione aliqua functum; at hanc ejus legationem ejusdem generis fuisse ac illa Paschasini et Lucentii, ac presbyteri Bonifacii affirmari non potest. Aliquod sane discrimen satis præferunt duæ præcipuæ actiones, in quarum altera Dioscorus damnatus, in altera vero fidei definitio edita et subscripta fuit. Sententiam autem in Dioscorum, et definitionem fidei tres memorati legati simul præstituere, vel ante omnes signarunt. Julianus autem licet se legatum nominet, non tamen cum iisdem, sed post aliquot præcipuarum sedium episcopos easdem approbavit. Quod si alibi una cum legatis cæteris loquitur, et nonnumquam etiam Bonifacio presbytero ejus nomen præmittitur, haud tamen credimus eum in præcipuis actionibus, in quibus præsertim apostolicæ delegationis vis enituit, a cæteris legatis fuisse separandum, si æqualis et pari cum iisdem auctoritate functus fuisset. Forte cum Julianus a Leone pontifice non fuisset recensitus cum cæteris legatis in epistola 95 ad concilium, hinc par eidem locus in præcipuis ipsius concilii actionibus attributus non fuit; ejus tamen delegatio aliis Leonis litteris declarata majorem locum ipsi præ aliis episcopis et metropolitis, quam ejus episcopatus ferret, vindicavit. Vide annotationes Rustici Diaconi tom. IV Concil. col. 1506, not. f, et 2031, not. a.

Digitized by Google

ronii de Juliano loquentis inconstantiam notat. Porro cum Julianus pars non esset Occidentalis synodi, (*a*) cujus partes et præsentiam supplebant alii legati, eam causam esse puto cur inter istos Occidentales legatos sessionis prærogativam non habuerit; in cæteris nihil discrimiuis inter hunc et illos fuisse facile existimaverim.

1466 AD EPISTOLAM XCIII.

APUD QUESNELLUM LXXII.

Synodo Chalcedonensi.

1 *Apud Chalcedonam constitutæ.* Propter hæc verba, præter hanc epistolam ad synodum Chalcedonensem scriptam, aliam desiderari ad eosdem episcopos Nicææ antea congregatos, asserit vir doctissimus in epistola 4 partis VI Epp. quæ Joanni Brayero nuncupatur. Utque id suspicetur in causa sunt non sola tituli verba, sed et Evagrii lib. II Histor. cap. 2, quæ sic se habent: *His de causis concilium Chalcedoni coactum est, nunciique ac tabellarii missi, sacerdotes per litteras plenas pietatis undique acciti, ac primo Nicæam; adeo ut cum Leo episcopus Romanus ad eos litteras daret per Paschasinum, Lucentium et cæteros, quos eo ad suum locum supplendum miserat, eas sic inscriberet:* EPISCOPIS NICÆÆ CONVOCATIS. Mihi vero certum est (*b*) aliam non fuisse scriptam. Hæc enim ipsa, quæ nunc Chalcedonensi synodo inscribitur, sine dubio ad episcopos Nicææ congregatos directa est. Cum enim scripta sit V kal. Julii, inscribi non potuit episcopis Chalcedone constitutis, qui illuc evocati non fuerunt Nicæa litteris imperatoris ante X kal. Octobris sequentis. Quod adhuc confirmatur ex epist. 73 (*nunc* 90) S. Leonis ad Marcianum scripta eodem die de synodo eadem, in cujus titulo licet mentio fiat Chalcedonensis concilii, certum tamen est in ea de concilio Nicæam tunc, non Chalcedonem convocato agi, tum ob eam quæ dicta est rationem, tum quia 1467 de Nicænæ synodi magnæ decretis disserens, antiquam Nicænam vocat, ut a posteriori, quæ ibidem parabatur, synodo distingueretur. Immo in epist. 71 ad Julianum diserte scribit quod *in urbe Nicæna sacerdotalis habenda sit synodus.* Non ergo ex titulis argumentisque epistolarum quidpiam alicujus momenti decernendum est, cum plura hujusmodi adjectitia sint, et pro sensu captuque describentium concinnata et immutata, quod de hujus epistolæ inscriptione patet ex Græca versione, quæ Latinum textum haud dubie imitata est, et habet: τῇ ἐν Νικαίᾳ, Nicææ.

2. *Cyrillus episc. tunc præsedit.* Tot scriptorum antiquorum testimonia ubique occurrunt, quibus constet (*c*) Cyrillum Ephesinæ synodo præsedisse, ut ea describere supervacaneum judicem. Eorum aliqua modo Cœlestinum et Cyrillum præsedisse narrant, modo Cyrillum et Cœlestinum. Particula *tunc* in Leonis verbis observanda mihi videtur, eamque pontificis mentem esse puto, ut significare velit, TUNC cum *Ephesinæ synodi contra Nestorium specialiter statuta* sunt edita et ejus *damnata impietas*, præsedisse Cyrillum. Revera legati sedis apostolicæ Ephesum non attigerunt, nisi decimo octavo die a prolata in Nestorium sententia, quemadmodum et acta synodi probant, et narrat in sua præfatione historica ad partem posteriorem Operum Marii Mercatoris vir eruditus Joannes Garnerius.

AD EPISTOLAM XCVII.

Eusebii Mediolanensis episcopi ad S. Leonem papam.

APUD QUESNELLUM POST EPIST. LXXVII.

1. *Catholicæ.* Ex Thuan. tribus, Cantabrigensi et Trecopith., mss. codd., quibus solis usi sumus in hujus epistolæ relectione, unus Thuan. et alter Trecopith. 1468 addunt *fidei*, succinentibus edit. vulgat. Verum non de fide loqui mihi videtur Eusebius, sed de Ecclesia, quæ persæpe a scriptoribus antiquis *Catholica* sine addito nominatur, in quo frequens est Augustinus. Unicum, qui ad manum est, locum accipe ex lib. III de Baptismo contra Donatist., cap. 10 et 11: *Novatianenses rebaptizare eos qui ad se ex Catholica venirent.... necsi in Catholica faciendum esset.... Catholica vero propterea non debet iterare*, etc. Vel igitur nihil hic addendum, vel addenda vox *Ecclesiæ*.

2. *Senator.* Tunc temporis Mediolanensis Ecclesiæ presbyter, postea vero episcopus sub Simplicio papa circa ann. 480. De ejus in Orientem legatione meminit Ennodius Ticinensis in fine Epigrammatis, quo sanctissimi doctissimique antistitis laudes cecinit:

Orbis ad extremi missus secreta, verendis
Curavit studiis quod fuerat lacerum.
Tunc Oriens victum peregrino lumine fassus,
Hæsit ad aspectum lampadis alterius.

Quod cum de legatione ad concilium Chalcedonense extendit Ughellus, absque dubio erravit. Erratum est similiter in synopsis hujus epistolæ cap. 1, ubi pro, *E concilio Chalcedonensi*, legi velim, *Ex Oriente*. Inter sanctos refertur Senator in Martyrologio Romano ad diem 28 Maii.

3. *Cretio.* Priorum editionum procuratores posuerunt *Cyriaco*, cujus quia nomen occurrit inferius, eumdem esse existimarunt a quo litteras Leonis mutuatus est Eusebius, et qui Eusebii ad Leonem detulerat. Sed eos errasse mss. omnes, Thuanei, Cantabrig., Trecopith., testantur, suffragante etiam emin. Baronio: hi quippe omnes habent *Ceretium*, quem eumdem esse existimamus ac eum qui cum Salonio et Verano ad Leonem scripsit.

4. *Quos beatus Ambrosius*, etc. Hinc intellige istam fuisse in Ecclesia consuetudinem, ut si quæ de fide quæstiones moverentur, vel aliqua scripta proponerentur 1469 (*d*) examinanda, omnes majorum præ-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Quod hic legati sedis apostolicæ pro legatis synodi Occidentalis traduciuntur, fuse refellimus in observat. ad dissert. 8, § 3. Paschasinus quidem, Lucentius et Bonifacius numquam Occidentalis, immo nec Romanæ synodi, sed S. Leonis locum tenentes semper dicuntur. Quod porro Julianus, etsi Orientalis episcopus, veram legationem sedis apostolicæ potuerit gerere, ex S. Cyrillo agnoscitur, qui in Ephesina synodo S. Cœlestini vicem et legationem sustinuit. Vide not. 2 (*Infra*, *n.* c) ad notas Quesnelli in epistolam sequentem. Ratio etiam manifesta est. Ille enim, quicumque a Romano pontifice delegationis mandatum accepit, verus est legatus, sive Occidentalis sit, sive Orientalis.

(*b*) Vide nostram annot. 3 (*Col.* 936, *n.* k) in hanc epistolam, ubi primigeniam epistolæ inscriptionem *Nicæam* præferentem ex ms. Ratisponensi exhibuimus, quæ vox deinceps, mutato synodi loco, mutata fuit in *Chalcedonem*.

(*c*) S. Cyrillus ante legatorum Romanorum adventum Ephesinæ synodo præfuit eo nomine, quia Cœlestini legatione eidem ab ipso pontifice anterioribus litteris credita fungebatur; ac proinde in ipso gestorum exordio act. 1, de Cyrillo primum nominato dicitur, *qui et Cœlestini quoque sanctissimi sacratissimique Romanæ Ecclesiæ archiepiscopi locum obtinebat.* Cæterum tanta pontificiæ auctoritatis ratio habita est ab eadem generali synodo, ut se ad condemnationem Nestorii *necessario venisse coactos per sacros canones, et epistolam sanctissimi patris nostri et comministri Cœlestini Romanæ Ecclesiæ episcopi* in ipsa contra illum sententia ejusdem synodi Patres professi sint. Vide tom. III Conc. Venetæ edit. col. 1078.

(*d*) Hac notatione Quesnellus insinuare videtur, quod apertius ingessit dissert. 1 ad an. 451, num. 4, dogmaticam Leonis epistolam non solum a Patribus concilii Mediolanensis examini fuisse subjectam, verum etiam idcirco eam ab ipsis fuisse receptam, quia

Digitized by Google

sertim sedium episcopi ad propriæ Ecclesiæ suæ traditionem recurrerent. Hoc præstitere provinciæ Mediolanensis episcopi, testatique sunt epistolam S. Leonis *omnibus sensibus convenire, quos beatus Ambrosius de incarnationis Dominicæ mysterio suis libris, Spiritu sancto excitante, inseruit.* Sic Gallicani in epistola sua ad sanctum Leonem, ejus epistolam ad Flavianum recensentes, *recognoverunt fidei suæ sensum; et ita se semper ex traditione paterna tenuisse* testantur. Sic Leo ipse in sua ad eosdem Galliarum episcopos, et alibi Dioscorum Alexandrinum ex traditione Ecclesiæ Alexandrinæ condemnat, quam a Petro per Marcum
1470 ejusdem Ecclesiæ fundatorem, et Athanasium, Theophilum, ac Cyrillum præsules deducit. Ita ex singularum Ecclesiarum traditione generalis illa universalis Ecclesiæ traditio conflatur, cui definitiones fidei in conciliis sancitas, consensumque Ecclesiarum inniti necesse est : unde iterum Eusebius cum

A suis (*a*) definitionem synodi Chalcedonensis approbat : *Quia*, inquit, *omnia majorum fidei nobis antiquitus traditæ tota puritate conveniunt.*

5. *Superest ut*, etc. Quantopere medica manu egeret totus hic locus, quem ad mss. Trecop. et Thuan. cod. emendavimus, manifestum faciet illius cum hac vulgata lectione collatio : *Superesse ut annuente*
1471 *Domino, perpetue retinentes, hoc futuris memorabile sæculis relinquatis; ut ab hoc tempore præsenti exstincta impiæ sectæ contumacia videatur, ut novis purgationibus in æternum prostrata succumberet.*

6. *Eusebius*. De eo, sicut et de cæteris episcopis in præsenti epistola subscriptis qui plura nosse cupiet, conveniat Ughellum tomo IV Italiæ Sacræ. Ea solum attingam quæ vel non habet ille, vel male habet. Eusebium ordinatum esse a S. Leone I, unde ille hauserit, nescio : hoc scio, penes episcopos (*b*) cujusque provinciæ jus et consuetudinem fuisse tunc

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

post ejusmodi examen cum traditione Ecclesiæ B Mediolanensis convenire inventa est. Ne vero hac in re aliquis error subrepat, vide nostram annot. 8 in dissert. 1 ad an. 451. Negari quidem nequit quin universalis Ecclesiæ traditio ex omnium catholicarum Ecclesiarum in eamdem doctrinam conspirantium traditione coalescat. At simul cum vera traditio debeat esse apostolica, hoc est, ab apostolorum doctrina ac prædicatione originem ducere, ut particularium Ecclesiarum traditio vera sit, conspirare debet cum doctrina earum Ecclesiarum quas apostoli ædificarunt, et in quibus suam doctrinam deposuerunt, ac proinde Tertullianus in libro de Præscript. cap. 21, ut vera traditio discerneretur a falsa, illud exquiri voluit, num conveniret cum apostolicarum Ecclesiarum fide atque doctrina. *Constat proinde*, inquit, *omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicandam.* Inter C omnes autem Ecclesias apostolicas cum primum locum teneat Romana, quæ unitatis catholicæ centrum et omnium Ecclesiarum est caput; cum hac potissimum conferenda est omnium Ecclesiarum doctrina atque traditio, ut dignoscatur utrum apostolica et genuina, an adulterina sit : ac propterea S. Irenæus, tametsi Græcus origine, et Græcarum Ecclesiarum privilegiis instructissimus, hanc præ cæteris apostolicis Ecclesiis prærogativam, Romanæ sedis traditioni ac doctrinæ fidei tribuit, ut ob primatum ejus potentiorem cum ea omnibus undique fidelibus et Ecclesiis conveniendum sit. Post laudatam enim illam ejus Ecclesiæ, *quam habet ab apostolis* (Petro et Paulo) *traditionem, et annuntiatam hominibus fidem per successionem episcoporum venientem usque ad nos*, subdit : *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles;* ut ex convenientia et uniformitate doctrinæ cum Romana, jure di- D scernatur quæ sit vera traditio; ex dissimilitudine autem traditio falsa seu error detegatur. Hinc igitur signum et character veræ traditionis est concordia cum Romana. Quapropter Satirus S. Ambrosii frater, ut hic narrat in sermone de obitu ejus, lib. I num. 47, dijudicaturus, num cujusdam loci episcopus sanæ esset et catholicæ doctrinæ, eum interrogandum putavit, *utrum cum episcopis catholicis hoc est cum Romana sede, conveniret.* Et similiter S. Hieronymus, lib. I in Rufinum : *Fidem suam, quam vocat?* inquit. *Eam ne qua Romana pollet Ecclesia.* Et mox ex concordia cum Romana intulit : *Si Romana, respondebit, ergo catholici sumus.* Hoc ergo sensu quique episcopi Romanæ sedis doctrinam aliqua dogmatica epistola definitam suscipientes, hanc conferre possunt cum traditione et doctrina suarum Ecclesiarum, ut si hanc cum illa concordem deprehenderint, gaudeant. Hac quidem methodo episcopi Mediolanensis provinciæ usi sunt, sicut etiam Gallicani : cumque suarum Ecclesiarum doctrinam cum Leonina consentientem invenissent, gaudium suum declararunt, *datamque sibi occasionem testati sunt* (Gallorum verba proferimus ex epist. 99, c. 2) *qua libere ac fiducialiter, suffragante eam apostolicæ sedis auctoritate, eloquantur, et asserat unusquisque quod credit;* cum scilicet id quod credit, ex concordia cum Romana fide, catholicum agnoscatur. Cæterum si quid in suarum Ecclesiarum aut episcoporum doctrina nacti essent a Leonis epistola discrepans, nihil dubium est quin id statim emendassent, et ad Romanam doctrinam, cum qua omnes catholicos omnesque Ecclesias, Irenæo docente, *convenire necesse est*, sese et suas Ecclesias revocassent. Quod si de ipso Chalcedonensi concilio, in quo quidam a Leonis doctrina discrepabant, affirmavit Anatolius episcopus Constantinopolitanus epist. 101, cap. 3, ad eumdem pontificem : *Opus erat ut in rectæ vestræ fidei sensum omnium conveniret intelligentia;* quis suspicari possit in Mediolanensi synodo Romano episcopo peculiari nomine subdita non fuisse necessarium, quod in generali concilio necessarium fuit ? Patrum Mediolanensium hac in re traditio quæ fuerit, satis colligitur ex Ambrosio, seu ex eo antiquo Mediolanensis provinciæ episcopo, qui auctor fuit librorum de Sacramentis; is enim ex suorum utique traditione scriptum reliquit, lib. III, c. 1 : *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam;* quod cum in ritibus usquequaque verum non fuerit, de doctrina præsertim fidei intelligendum est. Alia plura, quæ in hanc eamdem sententiam afferre possemus, annotationis angustiæ nequaquam ferunt. Vide plura in laudata annot. 8. (*Loco supra laud.*).

(*a*) Memoriæ lapsu *definitionem synodi Chalcedonensis*, quæ nondum erat edita, ab episcopis Mediolanensibus approbatam Quesnellus scripsit. De sola enim Leonis definitione iidem episcopi loquuntur. Multo autem magis errat cum hanc idcirco approbatam indicat, *quia omnium majorum fidei nobis antiquitus traditæ tota puritate conveniunt.* Contextus hanc rationem alio refert. Quia nimirum cum dogmatica Leonis epistola Mediolanensis quoque traditio conveniebat, ideo *auctoritatis*, inquiunt, *vestræ præcedente sententia* Eutychianos condemnandos agnoscentes, *litterarum vestrarum formam secuti, modum præscriptæ ordinationis nos servasse... ostendimus :* quibus auctoritatem ac debitum apostolicis litteris obsequium testantur

(*b*) Id generatim *de cujusque provinciæ* metropolitis falsum est. Antiocheno enim jus et consuetudinem fuisse ut metropolitas provinciarum suæ diœceseos ordinaret, liquet ex epist. 24 Innocentii I, ad Alexandrum Antiochenum, num. 1. Idem quoque jus erat Thessalonicensibus in Illyrici provinciis ex Leonis epistola 5, ad metropolitanos Illyrici, c. 5, et ex epist. 6, ad Anastasium, cap. 4. Id ipsum constitu-

Digitized by Google

temporis suum metropolitanum ordinandi. Donatistæ molestе ferebant, teste S. Augustino in Breviculo Collationis cum Donatistis, *quod non exspectaverit Cæcilianus, ut princeps a principe ordinaretur. Cum aliud*, inquit, *habeat Ecclesiæ catholicæ consuetudo; ut non Numidiæ, sed propinquiores episcopi episcopum Carthaginis ordinent: sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliquis episcopus metropolitanus, sed de proximo Ostiensis episcopus.* De aliis Ecclesiis idem dicito. Sanctus Ambrosius Mediolani est ordinatus, et ex epistola Pelagii I. P. R., an. 555, testatum habemus Mediolanensem episcopum ab Aquileiensi ordinari consuevisse, ut a primo post ipsum diœcesis Italicæ metropolitano; sicut ipse a Mediolanensi ordinabatur, ut a capite ejusdem diœcesis. Immo etiam an. 1059, contendebant Mediolanenses nullam judicandi vel disponendi vim Romano pontifici in illa sede competere. Non indicat idem scriptor unde didicerit Eusebium Mediolanensem interfuisse Romano concilio sub Hilaro papa ann. D. 465, cum de eo sileant illius Acta.

De hoc episcopo exstat epigramma Ennodii Ticinensis, quod eum indicat ex Orientalibus partibus ortum duxisse:

> **Eusebius Ligurum successit finibus hospes,**
> Ignotæ tractus gentis amicitia.
> Gratus erat sociis Titan quos respicit ortu
> Flammigero lymphas vertice decutiens, etc.

Tertius versus ita legitur in auctuario Biblioth. PP.:

> Gravis erat socio Titan quos respicit ortu :

quem sic emendandum esse existimaverim,

> Grajus erat, solito Titan quo respicit ortu.

1472 Et ipsum nomen Græcum esse, Græcisque familiare, manifestum est. Corrigendus etiam cardinalis Baronius cum in notis ad Martyrologium ad 12 Augusti, quo sancti hujus memoria colitur, indicat hanc synodicam epistolam missam fuisse post synodum Chalcedonensem; quod verum non est; habita est enim synodus Mediolanensis inter reditum Abundii et Senatoris ex Oriente, et Chalcedonensis synodi celebrationem.

Parentius. Deest hujus subscriptio in Cantabr. ms. Prosperum huic in episcopatu successisse narrat Trithemius de Prospero agens lib. de Scriptoribus Ecclesiast.

Quintus. Dicitur *Quintianus* ab Ughello in Italia Sacra; *Quintinus* in Suriana edit. Dertonensis civitatis, quæ hodie vulgo *Tortona* dicitur, episcopus.

Crispinus. Venerabilis episcopus, inquit Ennodius, *favoris nescius, pertinaci terrens districtione censurarum, et quem numquam nisi bona conscientia duxit ad gratiam;* de cujus sanctitate vide ejusdem testimonium tam in carmine proprio, quam in Vita sancti Epiphanii, Ticinensis episcopi, ejus successoris : et Martyrolog. Roman. Baroniique notas ad 7 Januarii.

Maximus. Hic est, opinor, celeberrimus episcopus cujus homiliæ in Ecclesia frequenter leguntur, qui ad 25 Junii inter sanctos colitur.

Eulogio. Iste Elilegius Hiporediensis episcopus dicitur ab Ughello, qui et eumdem Eulalium esse putat, qui in epistola Gallorum ad Leonem, et Leonis ad Gallos scriptus habetur, quod procul dubio commentitium est. Eporeæ seu Eporediæ Salassorum in Gallia Cispadana civitas, quæ olim sub Mediolanensi metropoli erat, etiam Innocentio III Romano pontifice, nunc sub Taurinensi jacet.

Florejus. Qui sui episcopi nomine subscripsit, dicitur *Florentius* in Trecopith. ms. et Florerius ab Ughello.

Gratus, seu *Gradus* dicitur *Gyrardus* in Cantabrig. ms., et *Gerardus* a Surio ad marginem. *Augusta Prætoria*, Italis *Osta*, seu *Aosta*, olim Mediolanensi metropoli subjecta erat, hinc Tarentasiensi.

1473 *Cyriacus.* Per quem hæc epistola ad sanctum Leonem delata est, doctrina et sanctitate conspicuus habetur in Ecclesia Laudiensi.

Abundantius (*a*) (quod mendose poni putat card. Baronius pro Abundio) idem esse creditur cum Abundio, qui una cum Senatore presbytero in Orientem pro sancto Leone legationem suscepit ante Chalcedonense concilium. Nihil audeo affirmare, cum in præcedentibus epistolis, quæ legationis illius mentionem habent, et in actis legationis, et apud Theodoritum, qui ad eum scripsit, constanter legatur *Abundius* in omnibus quos vidi mss. Sed omnes pariter ad quos hanc Eusebii epistolam recensui, duo scilicet Thuan., Trecopith. et Cantabrig., cum excusis codicibus consonanter habent *Abundantius*. Certe, si quis dixerit *Abundantium* alium esse ab Abundio, nec hunc fuisse Comensem episcopum, nec interfuisse concilio Mediolanensi, sed tradita Eusebio Leonis epistola ad propriam Ecclesiam, a qua diu absens fuerat, statim remeasse : tum quia quid de sancti Leonis epistola sentiret, non erat ambiguum; tum quod non tam cito poterat cogi concilium; si quis, inquam, hæc dixerit, haud scio an ex ullo antiquo vel scriptore vel monumento ejus sententia possit falsitatis argui. Thessalonicensem fuisse Abundium et consecratum XV kalend. Decembris ann. 450 asserit Ughellus; sed hallucinatur, cum jam mense Julio præcedenti legationem in Orientem Leonis nomine ab illo susceptam esse constet, et jam tum quidem episcopali dignitate ornato.

Pro *Asmione* nonnulli codices habent *Asymone*. Curia, quæ *Coira* vulgo dicitur, Rhætiæ primaria est, et Moguntino archiepiscopo hodie subest.

Pastor. Tam certum videtur hunc Astensem episcopum Pastorem dictum fuisse, cum hoc in omnibus mss. asserum legamus, quam manifestum est synodum Mediolanensem, cujus synodicæ subscripsit, non fuisse pro confirmanda Chalcedonensi convocatam, cum hæc posterior fuerit Mediolanensi. Hoc tamen Ughellus affirmat; illud tamquam inconsulte creditum suggillat, propterea quod sæculo septimo Pastor inveniatur inter Astenses episcopos numeratus : quasi vero duo non potuerint esse ejusdem nominis præsules.

Simplicius. Simplicianus quoque dicitur tam apud Ughellum quam in mss. Trecopith., Cantabr. et Thuan.

Joannes. Romanus dicitur ab Ughello, qui et eum male dicit creatum ann. 432.

Optatianus, cujus loco mendose *Octavianus* hactenus scriptus est, ut recte monuerunt Baronius et Ughellus, suffragantibus omnibus mss. codd., inter

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

tum fuit pro Constantinopolitana sede in concilio Chalcedonensi actione ultima. Ut autem de provinciis Italicis aliquid dicamus, certum est Ravennatem metropolitam post electionem Romam ex more debuisse accedere, ut a summo pontifice consecraretur. Mediolanenses vero et Aquileienses metropolitæ initio a Romano episcopo ordinati videntur : nam cum *pro longinquitate vel difficultate itineris ab apostolico onerosum illis fuerit ordinari*, inductum fuit ut ipsi se invicem ordinarent, ut Pelagius tradit. Consensum vero Romani pontificis in hac posteriori disciplina requisitum P. Bernardus de Rubeis probat in dissert. de Schismate Aquileiensi, cap. 4. Quod porro Quesnellus subjicit, an. 1059, contendisse Mediolanenses nullam judicandi vel disponendi vim Romano pontifici in illa sede competere, ad ea infelicissima tempora pertinet cum concubinatus aliorumque vitiorum causa Mediolanenses Romanam sedem audire renuentes, schismatis speciem confecerant.

(*a*) Vide hoc in re annot. 21 (*Col.* 949, *n.* i) in epist. 97.

Digitized by Google

sanctos numeratur **1474** in Martyrologio ad diem 14 Julii.

Justinus. Sic enim habent mss. codd. Ughellus ubias, et Ferrerius Vercellensis episcopus in suorum prædecessorum catalogo. Vulgo legitur *Justinianus*, qui inter sanctos habetur.

Quintius, qui et *Quintus*, Albigaunensis episcopus in mss. Trecopith. et Thuaneis duobus legitur; Quiritius vero apud Ughellum. Ejus meminit Sigonius lib. XII de Regno Italiæ. Albigaunensis episc. Genuensi archiepiscopo subditus est. *Quintinus* dicitur in Cantabrig. ms. et *Quintianus* in uno Thuan.

Præstantius. Eum *Projectitium* vocat Ughellus, *Pristinum* ms. Cantabrig.

AD EPISTOLAM XCIX.

Episcoporum XLIV *Gallorum S. Leoni papæ.*

APUD QUESNELLUM POST EP. LXXVI.

1. *Ravennius*, episcopus Arelatensis, Viennensis provinciæ metropolitanus, qui S. Hilario proxime successit; de quo supra epist. 36, 37, 38, 50, 51 et 76 (*nunc* 40, 41, 42, 66, 67 et 96), item in Libello supplici Gallicanorum antistitum, et in Vita S. Hilarii.

Rusticus Narbonensis in Narbonensi I episcopus; de quo ad epistolam 2 (*nunc* 167).

Venerius Massiliensis episcopus, de quo inscriptio Narbonensis ad epistolam eamdem Rustico datam.

Maximus. Ex monacho Lirinensi Reiensis in Narbonensi II episcopus, anno 433 creatus; successit enim Honorato in administratione Lirinensis cœnobii anno 426, eique præfuit annis septem, ut habetur in homilia Fausti Reiensis de Maximo eodem inter Eusebianas seu Eucherianas: subscripsit concilio Regiensi an. 439 et Arausicano I an. 441. De eodem plura in Chronologia Lirinensi, in Gallia Christiana, et in ejus Vita Francisci Fulvii Frugonii Italice scripta, ac multis fabulis referta.

Constantinus. Ita Thuanei duo codd. et Victor., Thuaneum exemplar codicis Romani, cujus capite 57 habetur hæc epistola, necnon vulgatæ edit., *Constantianus*; de quo nihil didicimus, nisi quod Regiensi et Arausicano I conciliis subscriptus reperitur, et ad eum cum aliis Galliarum episcopis scribit S. Leo epist. 36 et 50 (*nunc* 40 et 66), ubi primus nominatur; in quarum priori cum agatur de consecratione Ravennii, necessario mihi videtur ad Viennensem provinciam pertinuisse. Eum tamen, qui dictis **1475** conciliis interfuit, Vapingensem episcopum facit card. Baronius ad ann. 441.

Armentarius. Cum duo hujus nominis hic occurrant, quorum alter Podiensi Ecclesiæ præfuisse dicitur, cujus iste civitatis episcopus fuerit non satis patet, nisi forte Auscensis, cujus circa hæc tempora pontificatum gessisse legitur Armentarius quidam in Gallia Christiana ex chartulario Auscensis Ecclesiæ. Duo mss. Thuan. habent *Armaturus*; Victorin., *Armatarus*; Trecopith., *Armatharius*. Hunc Supplementi Concil. Gallic. auctor ex relatione J. Sirmondi et codice Savaronis Antipolitanum in Narbonensi II episcopum facit; penes quos sit hujus rei fides.

Valerius, ut legunt Thuan. duo mss. et Victor., sive, ut Trecopith., Thuan. codicis exemplar cum vulgatis et Isidoro, *Valerianus*, videtur esse Cæmeliensis ille in provincia Alpium maritimarum episcopus, qui ex monacho Lirinensis insulæ pontificatum adeptus, adfuit Regiensi concilio an. 439, et ad Arelatensem synodum III vocatus est a Ravennio, anno, ut conjicit doctissimus Sirmondus, 455, qui et ejus Homilias evulgavit, quibus vindicias suas subjecit Theophilus Raynaudus. In Fastis Lirinensibus pia ejus memoria consignatur IV kal. Augusti, sicut et in monastico Martyrologio Arnaudi, in quo non *Valerianus*, sed *Valerius* nuncupatur. Ad eum cum aliis sanctus Leo epist. 50 (*nunc* 66) scribit.

Nectarius. Diniensis in provincia Alpium maritimarum episcopus fuisse refertur a clarissimo doctissimoque viro Petro Gassendi in notitia Ecclesiæ Diniensis, cujus et ipse præpositus fuit; illudque hausit tum ex opere D. Polycarpi de la Rivière Carthusiani, tum ex vetustissimo codice ms. Joannis Savaronis, qui in hujus epistolæ subscriptionibus cujusque episcopi sedem designatam exhibebat. Regiensi et Arausicano conciliis subscripsit, ideoque esse videtur ac ille qui a S. Hilario Arelatensi Romam missus est ad S. Leonem cum Constantio, ut de redintegranda inter utrumque amicitia ageret. Pro *Nectario*, quod in Thuaneo cod. Rom. ms. et Trecopith. legi, habent *Nestorium* Thuan. duo, Victor. et Cantabrigiensis et Isidorus, ad quos accedit Surius, qui habet *Nestarium*. Dicitur tamen Nectarius in Vita S. Hilarii, quæ hunc Constantiumque præcipuos sacerdotes appellat.

Constantius primus Uceciensis seu Uzeticensis in Narbonensi I episcopus legitur, Nectarii, ut diximus, (*a*) collega in **1476** legatione Romana, ad Arelatensem III synodum a Ravennio vocatus, in titulo epistolæ S. Leonis 50 (*nunc* 66) memoratus, cui, ut *ævo honoris Primati*, deferri volebat Hilarus papa ordinandorum in provincia Narbonensi I episcoporum potestatem Hermeti Narbonensi ablatam.

Maximus Avenionensis antistes ex ms. Savaronis jam laudato.

Asclepius Aptensis in Narbonensi II episcopus dicitur in ms. Savaronis, Regiensi synodo interfuit, unus ex iis episcopis quibus scripsit S. Leo epist. 36 (*nunc* 40), ex iisque quos vocavit ad synodum Arelatensem III, Ravennius in causa Lirinensis insulæ.

Maximus, tertius hoc nomine numeratur. Cujus sedis fuerit episcopus affirmare non audeo. Hunc Tolosanum in Narbonensi I episcopum fuisse aiunt, eumque esse putant Baronius et Savaro, ad quem Sidonius Apollinaris scripsit lib. IV, epist. 24. Cuilibet hac in re divinare licet.

Ursus Senecensis in Alpium maritimarum provincia antistes fuit, si qua fides ms. Savaronis; nec ante ipsum ullus numeratur Sanitiensium episcopus. Ad eum S. Leo epist. 50 (*nunc* 66) et Hilarus papa epist. 2, ann. 463.

Ingenuus Ebredunensis ejusdem provinciæ metropolitanus, ut credibile est, licet Urso postponatur, tum quia tunc temporis juri suo cesserat, propter quod et a S. Leone et ab Hilaro ejus successore culpatus est; tum quia metropolitani extra suam provinciam privilegio suo non potiebantur, quem admodum videre est (ut plurima quæ occurrunt argumenta omittam) ex concilio Arausicano I, cui Eucherius Lugdunensis post alios episcopos non metropolitanos subscripsit; tunc enim vel consecrationis ordo, vel promiscuus servabatur. Eidem concilio subscripsit Ingenuus, vocatusque fuit ad Arelatense III. Ad eum S. Leo epist. 50 (*nunc* 66) et Hilarus epist. 2, qui etiam eidem metropolitico jura adversus Auxanianum vindicavit, ut patet ex epist. 4 ejusdem papæ. Hoc præcipue nomine commendatur Ingenuus,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cum provincia Narbonensis I proprium haberet metropolitam, uti ostendimus in observat. ad dissert. 5 Quesn. part. II, c. 2, haud credimus Constantium, qui cum Nectario Romam pro Hilario Arelatensi missus fuit, episcopum fuisse primæ Narbonensis, sed alium aliquem ex provinciis cis Rhodanum constitutis, cum præsertim de placando Leone ageretur ob aliorum metropolitarum jurisdictionem turbatam ab Hilario, cui fini alienæ provinciæ episcopus, si se Hilario adhærentem exhibuisset, minus aptus futurus fuisse videtur.

Digitized by Google

quod a Gallicanis episcopis sit delectus qui hanc epistolam ad S. Leonem deferret, ut ex hujus rescripto patet. Adfuit etiam concilio Romano an. 465, sub Hilaro papa.

Justus. De hoc nihil reperi, nisi quod idem forsan est ac is qui Arausicano I subscriptus habetur, et recensetur inter episcopos Gallicanos in epist. S. Leonis 36 (*nunc* 10), et invitatus fuit a Ravennio ad concil. Arelatense III.

1477 *Valerius.* Hunc Mimatensem in Aquitanica prima episcopum facit cod. ms. Joannis Savaronis. Floruere circa hæc tempora alii duo ejusdem nominis episcopi, unus Conseranensium in provincia Novem-populana, de quo, ut sanctitate conspicuo, Gregorius Turonensis de gloria Confess. cap. 84. Alter Antipolitanus, quem ex veter. mss. aiunt martyrio coronatum sub Eurico rege Gothorum Ariano a. 473.

Superventor. Nondum episcopus synodo Arausicanæ I pro patre et episcopo suo Claudio subscripsit et Acta recognovit; atque in ejus locum substitutus esse credendus est. Sed cujus uterque civitatis pontificatum gesserit, nondum mihi compertum est : ad eum S. Leo in epist. 50 (*nunc* 66).

Verus. Eum Arausicanum in Viennensi provincia episcopum putaverim : collocatur enim in Gallia Christiana post S. Eutropium, qui sub finem quarti sæculi ponitur, et cujus vitam Verus conscripsisse dicitur a Sigeberto lib. de Scriptoribus Ecclesiast. et ab Usuardo, Adone, etc.

Helladius. Lutevensis sive Lodevensis episcopus, ut putat ejusdem sedis antistes doctissimus Joannes de Plantavit de la Pause in Chronologia prædecessorum suorum, quorum seriem post Bernardum Guidonem et Catellum amplificavit : cui et ms. Savaronis suffragatur.

Etherius Magalonensis episcopus (cujus sedes ad Montempuellarum translata est), sed testem alium non habemus quam Joannis Savaronis codicem ms. jam pluries citatum. De eodem nusquam alibi mentionem factam reperimus, sed et desideratur civitas illa in notitia antiqua Sirmondi, (*a*) quæ Leone posterior est.

Anemius Albiensium cathedra donatur ejusdem ms. Savaronensis auctoritate.

Petronius. Ille quondam presbyter, ut conjicio, qui cum Regulo diacono ad S. Leonem missus est a Gallicanis episcopis an. Dom. 450, ut litteras deferrent, quibus Arelatensis Ecclesiæ jura, Hilario ablata, restitui Ravennio postulabant. Deensium episcopus appellatur in ms. Savaronis.

Fonteius. In locum Auspicii Vasionensis episcopi, ad quem scribebat S. Leo epist. 36 (*nunc* 40), die VII kal. Sept. an. 449, electus est Fonteius : ad quem Leo dedit epistolam 50 (*nunc* 66), III non. Maii anni proxime sequentis, et Hilarus papa undecimam an. 462. Adhuc in vivis erat an. 472. Siquidem Sidonius Apollinaris ad eum sub episcopatus sui initia scribit epistola 7 libri VI. Sidonium autem anno 472 sedem Arvernensem conscendisse probat illustrissimus cardinalis Baronius ad hunc annum num. 12 et seq. Unus est Fonteius ex episcopis, quibus Lucidus presbyter libellum **1478** seu fictitium, seu genuinum obtulisse dicitur.

Idatius. Cujus sedis episcopus non apparet. Idem forte episcopus cui cum aliis de Mamerti causa, qui Deensibus episcopum ordinaverat, rescripsit Hilarus papa.

Hilarus, ut legit Sirmondus cum codicibus mss. Trecopith., Victor. et duobus Thuan. concinentibus; vel *Hilarius*, ut alii cum vulgatis. Quam Ecclesiam administraverit ignoratur. Ponitur quidem circa hæc tempora Hilarius quidam Carcassonensis episcopus : verum cum hoc oppidum inter civitates non numerent antiquæ Galliarum notitiæ, non arbitror huic testimonio esse inhærendum.

Victurus. Ad eumdem Hilarus papa, epist. 2 in causa Mamerti Viennensis an. 463, ubi primus ponitur, et epist. 4 in causa Ingenui et Auxanii ann. 464. Fuit per illam tempestatem Victurius Cenomanensis in tertia Lugdunensi episcopus; sed nostrum non esse habeo persuasum, cum propter nonnullam diversitatem nominis, tum quia episcopi in hac epistola et sequenti descripti non mihi videntur, extra septem provincias quærendi.

Eugenius episcopus Nemausensis in prima Narbonensi, ita asserente Joannis Savaronis codice. De illo præterea omnino nihil.

Palladius. Unus ex iis ad quos scribit S. Leo epist. 50; cui præfuerit civitati, mihi latet.

Fraternus Glandevesis antistes in provincia Alpium maritimarum, ut testatur codex Savaronis.

Dynamius. Hunc fuisse Eculismensem in secunda Aquitanica episcopum aliquis ex eo utcumque conjiciat, quod Gregorius Turonensis lib. II Histor. cap. 13, ex verbis Paulini presbyteri, hujus nominis pontificem fide et religione conspicuum laudat, et recenset inter Encolismenses antistites Gallia Christiana post an. 400. Si tamen aliam conjecturam elicere licet ex Inscriptione Narbonensi, quam habes in notis ad epist. 2 (*nunc* 167), cum in illa legatur Dynamus episcopus pro reparatione ecclesiæ Narbonensis contulisse solidos 50, fas est suspicari in eadem prima Narbonensi provincia fuisse episcopum, et forte Biterrensem, cum hæc una Ecclesia supersit quæ in his subscriptionibus suum non agnoscat antistitem : conjectura est, quam nolim pro assertione haberi.

Julianus. Cabellicensis seu Cavellionensis in Viennensi provincia episcopus ponitur in Gallia Christiana ad hunc annum. Idem habet ms. Savaronis cod. Vide an non iste est Julianus Pomerius, auctor operis **1479** de Vita Contemplativa, vel alius Julianus, cui opus istud inscribitur.

Armentarius. Circa hæc tempora numeratur inter episcopos Vellavorum seu Podiensium in Aquitanica prima, quod et diserte affirmat David Blondellus Apologiæ pro Hieronymi sententia, sect. 3, p. 132. Illumque ipsum Armentarium esse existimat qui a Regiensi concilio depositus est, eo quod Ebreduni a duobus tantum episcopis contra canones ordinatus fuerat episcopus an. Dom. 439, quam ob causam, ne deinceps provehi ad pontificatum posset, statuerant prædictæ synodi Patres Gallicani : qui tamen dispensatione postmodum cum eodem usi sunt, ut in alia saltem provincia quam Alpium maritimarum eligi posset. Locum habet in epist. 50 (*nunc* 66) S. Leonis ad Gallos an. D. 450.

Honoratus Tolonensis episcopus dicitur in ms. Savaronis : in notitia Galliarum et septem provinciarum, quæ Leone posterior est, Tolonensis civitas non apparet : ex quo suspectæ fidei redditur Savaronis codex et hic et in aliis sedibus episcoporum designandis.

Eparchius, ut habet Sirmondus I tomo Concil. Gall. et ms. Grim. in epist. sequente, vel *Epartius*, ut legitur vulgo; seu *Ebartius*, ut Thuan. codicis exemplar, alibi non occurrit : nec cujus loci episcopatum gesserit rescire potuimus.

Eustachius, *Eustathius*, vel, ut habet Thuan. cod. unus, *Eustochius*. Turonensis facile crederetur episcopus qui eo tempore floruit, si ultra septem provincias excurrere in hac disquisitione liceret. Non apparet in codicis Rom. Thuaneo exemplari, nec apud Isidorum.

Maximinus. Ita Thuan. cod. exemplar : alias *Maximus*, qui quartus erit hujus nominis in epistolæ inscriptione memoratus.

Ynantius. In provincia Viennensi mihi videtur fuisse

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hanc notitiam antiquiorem demonstravimus in observ. ad dissert. 5 Quesn., part. II, cap. 4.

Digitized by Google

episcopus : quia inter eos numeratur a S. Leone, ad quos scribit epist. 36 (*nunc* 40) de Electione et Consecratione Ravennii in Arelatensem episcopum ; ad quam alioqui suffragium conferre non potuisset.

2. *Intemperies.* Idatius in Chronico ad annum Valentiniani Augusti 28, id est, Christi Domini 452, testis est Euphronium Æduensem episcopum misisse epistolam ad Agrippinum comitem, de signis quæ apparuerunt **1480** in regionibus Galliarum : inter quæ signa non immerito quis referat hanc, de qua Gallicani episcopi scribunt, aurarum intemperiem.

3. *Omnes intra Gallias*, etc. Etsi non negamus commercii plurimum fuisse inter septem Galliarum provincias et alias provincias Gallicanas, videlicet, Lugdunenses, Belgicas, Germanias, etc., ut ex S. Hilarii Arelatensis cum sancti Germani Autissiodorensis excursibus manifestum est; tamen (*a*) certum mihi pene est Gallias, de quibus hic loquuntur Gallicani episcopi, non alias esse quam septem provincias : et ex iis tantum conflatam esse synodum quæ ad S. Leonem hanc epistolam scripsit, et ad quam sequentem (*nunc* 102) rescripsit S. Leo.

4. *Apostolatum vestrum.* Omnibus (*b*) indiscriminatim episcopis hanc alloquendi formulam tribui sexcentis testimoniis notum est : unicum notamus ex Apollinari Sidonio, qui et in Galliis et eadem fere ætate scribebat eumdem in modum ad Fonteium; eum, inquam, Vasionensium episcopum, qui huic epistolæ subscripsit. Vide Sidonii epist. 7 lib. VI, et 4 lib. VII. Idem dicimus de voce *papa*. Enimvero omnes episcopi successores sunt apostolorum, omnes apostolorum cathedram tenent, et sicut S. Leo epist. 49 (*nunc* 61), cap. 2, testatur se sub Petri nomine Ecclesiæ præsidere, ita cæteri Ecclesiæ præsules sub apostolorum nomine præsidere censendi sunt, qui proinde et apostolici nominari et apostolatus elogio decorari sine invidiæ nota potuerunt : quamvis hoc usus hodiernus, penes quem loquendi jus et norma residet, Romano pontifici reservandum velit. Vide Clodovei Francorum regis epistolam ad episcopos sui regni, quos sic salutat : *Dominis sanctis et apostolica sede dignissimis episcopis, Clodoveus rex :* et in fine *: Orate pro me, domini sancti et apostolica sede dignissimi papæ.*

1481 AD EPISTOLAM CII.

APUD QUESNELLUM LXXVII.

Episcopis Gallicanis.

1. *Inspiratæ.* Omnes mss. codd. quos vidi habent *inspirare*, sicut et retinet Sirmondus, quod sensum non habet nisi obscurum. Griman. cod. habet quidem *inspirare ;* sed cum ante ibidem legatur *divinitus*, luce clarius est legendum *inspiratæ :* quod et nonnulli editi codices exhibent.

2. *Personis distinctis atque divisis*, etc.; ita Grim. cod., pro quo vulg. edit., *naturis et personis distinctis, ut neque ipse esset*, etc.

3. *Theophilum.* Mirabitur quis hunc inter probatissimos præsules recenseri a S. Leone, dignumque haberi qui Dioscoro in exemplum proponeretur. Quod ne ad fidei tantum sinceritatem restringatur, obstat quod *sanctæ memoriæ* appellatur ab eodem epist. 94 (*nunc* 121) ad Marcianum imperatorem, et 68 (*nunc* 88) ad Paschasinum Lilybætanum, et cum sanctitatis præconio citantur ejus scripta tam in epistola 134 (*nunc* 165) ad Leonem Augustum, quam in excerptis SS. Patrum in concilio Chalcedonensi relectis. Nec tamen ignorare potuit S. Leo (*c*) quam nefandis artibus, quam horrendis calumniis, quamque aperta vi sanctissimum Ecclesiæ doctorem Joannem Chrysostomum persecutus fuerit, ac tandem oppresserit Theophilus. An eum tot scelerum ante mortem pœnituerit, qui volet inquirere, adeat lib. IX cap. 5 Vitæ sancti Joannis Chrysostomi, mirabili diligentia, judicio, doctrina ac concinnitate Gallice nuper conscriptæ ab eruditissimo viro Godefrido Hermantio doctore Sorbonico et Ecclesiæ Bellovacensis canonico.

Crediderim ego ex his loquendi formulis de episcoporum sanctitate non esse decernendum, cum videamus perditissimos homines iisdem titulis decorari etiam in conciliis œcumenicis, et hanc consuetudinem per ea tempora viguisse, ut quicumque episcopi a fide catholica nullo modo deviaverant, **1482** decesserantque in communione Ecclesiæ, reponerentur in sacris diptychis, et sanctæ memoriæ viri dicerentur.

4. *Ad fratres nostros Hispaniæ.* Videmus hic primum de Gallicana Ecclesia S. Leonem esse sollicitum, tum de Hispana, quia plerumque accepit a Gallis quæ ad fidei initium, incrementum et custodiam sibi erant vel necessaria vel utilia. Idatius Hispanus in Chronico ad olymp. 307 nonnulla habet quæ hujus sunt instituti et loci : *De Galliis epistolæ deferuntur*, etc., supra in notis ad epist. 15 n. 9. Eadem via, ac episcoporum Gallicanorum ministerio, missa ad episcopos Italicæ diœcesis celebris epistola Leonis nostri ad Flavianum, ut ex sequenti epistola (*nunc* 97) Eusebii Mediolanensis ad sanctum Leonem docemur : *Ad nos*, inquit, *ex vestra admonitione, sancto fratre et coepiscopo nostro Ceretio mutuante pervenit.*

AD EPISTOLAM CIII.

Et exemplar sententiæ contra Dioscorum latæ.

APUD QUESNELLUM LXXXII.

Exemplar sententiæ. Jacobus Sirmondus hanc sententiam ex codd. Corbeiens. et Pithœano, in quibus huic epistolæ subjiciebatur, exscribendam quoque hic censuit. Quoad sensum convenit fere in omnibus cum illo legatorum sancti Leonis (*d*) suffragio, quod

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Id non ita certum videtur ut Quesnellus existimat. Cum enim S. Leo ad permovendum Theodosium hanc plenissimam Galliarum synodum percupisset, in qua epistolam 28 ad Flavianum a cunctis Galliarum Ecclesiis episcoporum subscriptionibus receptam ostenderet ; e cunctis Galliarum provinciis episcopos ad synodum accitos, et ex Lugdunensibus vicinioribus provinciis aliisque concurrisse satis credibile est.

(*b*) Licet *apostolatus* et *papæ* nomina aliis quoque episcopis olim tributa legantur, cavendum tamen est ne hinc aliorum episcoporum æqualitatem cum Romano pontifice quispiam colligat. Nam præterquam quod alii plerique episcopi sedes non tenent ab apostolis ipsis fundatas, nullus alius etiam apostolicarum Ecclesiarum episcopus proprius est S. Petri successor, nisi solus Romanus, in quem solum propterea S. Petri primatus ac primatus jura transierunt.

(*c*) Alii Theophili scientiam, egregia gesta ac virtutes considerantes, eum nimio zelo abreptum, moderationis limites excessisse, præcipitique judicio in S. Joannem Chrysostomum egisse non inficiantur, sed ita ut etiam S. Cyrillus initio sui pontificatus in eadem Theophili sententia, quam æquissimam putabat, aliquandiu perstiterit. Hæc humana præjudicia sicut S. Innocentio I non tanta visa sunt ut cum Theophilo communionem abrumperet, ita Leonem nostrum non impedierunt quominus eumdem Theophilum *probatissimum et sanctæ memoriæ* virum vocaret.

(*d*) Legatorum S. Leonis contra Dioscorum sententiam pontificis auctoritate latam, in Chalcedonensi concilio non *sententiam* proprie dictam, sed merum *suffragium*, quo licet post quæsitam synodi mentem pronuntiato, res tamen adhuc integra Patribus relicta fuerit, hac notatione Quesnellus contendit. At eam veram sententiam fuisse probavimus annot. 6 (*Col.* 989, *n.* b) in epist. 103. Cum vero post-

Digitized by Google

in act. 3 Chalcedonensi reperitur. Observatione porro dignissimum est sedis apostolicæ legatos ne suum quidem suffragium prius ferre adversus Dioscorum voluisse, quam totius synodi mentem ac consilium repetita sæpius interrogatione explorassent. *Quo igitur*, inquiunt, *ita contemnens, vestra sanctitas ore proprio faciat manifestum. Sancta synodus dixit : Indignatione quæ contra inobedientes a sanctis canonibus constituta est.* Et infra : *Quid placeat vestræ sanctitati*, inquit Paschasinus, *volumus discere. Sancta synodus dixit : Quæ placita sunt canonibus.* Instituit deinde bis Paschasinus : *Jubet religiositas vestra ut ecclesiastica ultione adversus eum utamur? Consentitis?* **1483** *Sancta synodus dixit : Omnes consentimus.* Et post multa : *Petimus igitur vestram sanctitatem, qui habetis locum sanctissimi papæ Leonis, promulgare in eum et canonibus insertam contra eum proferre sententiam.* Postquam igitur sciscitatus esset rursum Paschasinus : *Quid placet beatitudini vestræ?* et Maximus Antiochenus eum adhuc de totius synodi consensu certiorem fecisset, tunc demum suum hoc legati protulere suffragium Leonis nomine, cujus vices gerebant: rem enim totam in integro relictam a se fuisse satis testati sunt, cum, prolata sua sententia, hæc addiderunt: *Superest ut congregata venerabilis synodus canonicam contra prædictum Dioscorum proferat, justitia suadente, sententiam.* Exemplar illud sententiæ nihil aliud, inquam, est quam legatorum suffragium act. 3 Chalced. prolatum, sed ab imperito translatore corruptum, vel etiam interpolatum. Nec opus erat ex mss. codicibus illud eruere, cum jam pridem typis esset excusum in Crabbiana et Nicoliniana Conciliorum editionibus, ad calcem Actorum Chalcedonensium. Fallit igitur titulus, qui Sententiam dicit, quod suffragium tantum est Sententiæ prævium, et epistola appellatur in utraque illa Conciliorum editione.

AD EPISTOLAM CIV.

APUD QUESNELLUM LXXVIII.

Marciano Augusto.

1. *Leo Marciano Augusto.* In plerisque editionibus quæ post Canisianam an. 1546 et 1547 evulgatæ sunt, præfixus est huic epistolæ titulus ad pompam et splendorem conflictus in hunc modum : *Leo episcopus Romanæ et universalis Ecclesiæ*, etc. Sed novitiam hanc epigraphen ignorant editiones Conciliorum Jacobi Merlini anno Dom. 1524 et 1535, Colonienses an. 1530, 1535 et 1538, Suriana Operum sancti Leonis, Sicardi ann. 1568, Parisius; Holstenius ipse in collectione Romana pontifici Romano ab eminentiss. cardinale Barberino dicata, nec non mss. codd. Grimani., Thuanei, Victorini plures, Trecopithœanus, etc.

2. *Vestro beneficio.* Legebatur antea *nostro beneficio;* sed contradicunt omnes mss. codd. Grim., Trecopith., Cantabrig., Victor., Thuanei quatuor, et edit. Canisii, Merlini, Sicardi, Nicolini, Surii, nec non Baronius ad annum 452, num. 14 et tertia parte concil. Chalcedonensis. Ita legendum esse manifestum est ex epistola sequenti ad Pulcheriam Augustam, quam alloquens, *Anatolius*, inquit, *parum consideravit quanto pietatis* VESTRÆ *beneficio et mei favoris assensu Constantinopolitanæ Ecclesiæ sacerdotium fuerit consecutus*, etc.

3. *Quam apostolicam non potest facere sedem.* Sedes seu Ecclesiæ *apostolicæ* non una ratione dicuntur. 1° Enim **1484** Romana sedes Apostolica ἀντονομαστικῶς appellatur, quia a principibus apostolorum fundata et utriusque sanguine consecrata fuit. 2° Alexandrina et Antiochena, quia post SS. Petri et Pauli prædicationem Christianum in hac nomen primum exortum est; illa per sanctum Marcum ejus discipulum fundata. 3° Ecclesiæ quæ ab aliis apostolis fidei semina acceperunt, aut ab eis sunt administratæ, quemadmodum Jerosolymitana sedes apostolica appellatur a Theodorito lib. IV, cap. 21. 4° Tertulliano ea est Ecclesia apostolica quæ *evolvit ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem : hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt : sicut Smyrneorum Ecclesia Polycarpum a Joanne collocatum refert* (*Tertull. lib. de Præscr. cap.* 32). 5° Illæ quoque, ab eodem cap. 20 ejusdem libri, *apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum Ecclesiarum, quæ ab Ecclesiis per apostolos conditis traducem fidei et semina doctrinæ mutuatæ sunt, ut Ecclesiæ fierent.* 6° Nonnulli eas Ecclesias apostolicis accenseri putant ab Augustino lib. II de Doctrina Christ. cap. 8, quæ epistolas apostolicas accipere meruerunt; quales sunt Thessalonicensis, Ephesina, Colossensis, etc. Sed etsi revera apostolicæ sunt sensu Tertulliani jam exposito, tamen ab Augustino apostolicæ eo loco non appellantur, sed iisdem potius ut distinctæ opponuntur.

Ex hujus epistolæ exordio, fictitiæ epistolæ Eleutheri papæ ad Gallos episcopos exordium confecit famosus ille impostor.

AD EPISTOLAM CV.

APUD QUESNELLUM LXXIX.

Pulcheriæ Augustæ.

Duo solum codices, Grimanicus scilicet et Victorinus, adfuere huic et 84 atque 86 (*nunc* 111 et 113) epistolis relegendis, quæ sane multis in locis medicam manum desiderabant, ut conferre volenti patebit.

1. *Sed is qui jure charitatis rationabilis, et morum et officiorum ordo servabitur.* Pene hæret æqua : nam nec editi codices, nec mss. satis emendati mihi videntur. Editi sic habebant : *Sed ea quæ jure charitatis rationabilis est, et morum et officiorum servabitur unanimitas.* Victorinus cod. eadem fere habet : ultima tamen vox *unanimitas* in eo desideratur. In Grimān. sic legimus : *Sed æquo jure charitatis rationabilis et morum et officiorum ordo servabitur.* Etsi vero textum Leonis ex hoc potissimum, paucis mutatis, confecimus, alium tamen hunc ita ex his omnibus consarciri posse conjicimus : *Sed ea quæ jure charitatis rationabilis est, morum unanimitas et officiorum ordo servabitur.*

2. *Cassamus.* Idem hoc verbum usurpat **1485** in sequenti epistola (*nunc* 106), nec non epist. 73 (*nunc* 90) cap. 1, et 99 (*nunc* 126). Cujus vocis non idem semper est significatus : plerumque enim idem est ac irritum facere; aliquando autem cassari idem ac irritum esse et omni auctoritate vacuum : nonnumquam etiam idem est cassare ac irritum declarare et cassum pronuntiare; et (*a*) hoc modo

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

ea Patres ab iisdem legatis rogati fuerint ut eidem sententiæ suos quoque calculos adderent, id ea de causa factum est, non quod Dioscorus vera legatorum sententia non fuisset satis depositus, nisi postquam synodi sententia accederet, sed ut concors omnium synodi Patrum in eadem depositione judicium gestis insereretur, sicque Dioscorus non solum pontificia, sed etiam totius synodi sententia depositus cognosceretur.

(*a*) Duæ actorum species cassari solent. Quædam enim legitima auctoritate ordineque legitimo gesta, rata et valida sunt : quæ si a superiori potestate cassanda credantur, *cassare* hoc casu idem est ac irritum facere. Quædam vero vel illegitima auctoritate, vel sine legitimo ordine, seu cum enormi iniquitate ac injustitia gesta sunt; ac propterea cum nullam per se vim habeant, quandocumque hæc quispiam competenti auctoritate cassat, irrita decla-

Digitized by Google

sumi mihi videtur in præsenti a sancto Leone. Enimvero tam ea quæ in Ephesino latrocinio acta fuerant, quam ultimus canon Chalcedonensis, irritari et cassari opus non habebant, cum et illud concilium vocari nulla ratio sineret, ut loquitur ipse Leo, et consensiones Chalcedonensium Patrum in gratiam Anatolii eo ipso nullæ censendæ essent, quod contra Nicænorum Patrum inviolabiles sanctiones adhibitæ **1486** fuerant : *Sive enim per paniores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate est vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum.* Quod aliis his verbis exprimit in eadem epistola : *Si quid usquam aliter quam illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur.* Idem ergo apud Leonem est, *omni penitus auctoritate esse vacuum*, et *sine cunctatione cassari ;* hoc est, ut paulo infra sequitur de conscriptione Constantinopolitanæ synodi, *ab initio sui esse caducum dudumque collapsum.* Quod autem omni penitus auctoritate vacuum est, quod sine cunctatione statim ac præsumptum est cassatur, quod ab initio sui caducum est, dudumque collapsum, nulla sententia, nulla auctoritate necesse est cassum et irritum effici, sed tantummodo irritum **1487** et cassum declarari ac denuntiari. Quod hic facit sanctus Leo, ut canonum custos et exsecutor, *unica secum imperatoriæ fidei pietate :* cujus auctoritas merito pontificiæ adjungitur, quia de exsecutione et defensione canonum antiquorum et de temeritate novellorum repellenda agebatur; secus si irritanda forent, quæ aliquid antea roboris habuissent. Ne porro quod diximus de hujus vocis significatione ex proprio natum ingenio videatur, monendus est a nobis lector eodem sensu usurpari in decretali quæ Cœlestino papæ III tribuitur, c. *Cum dilectus*, tit. *de Elect. et electi Potest. : Cassetis, id est*, inquit glossa, *nullam pronuntietis ;* et ad decretalem Innocentii III, c. *Accedens*, 1, tit. *Ut lite non contest. : Cassavimus*, A id est, *cassam denuntiavimus*, inquit glossator : *Cum enim sententia nulla est, non debet cassari, sed cassa et irrita denuntiari, quia quod nihil est cassari non potest, et omnia restituenda sunt in pristinam causam per talem sententiam habita ;* quod et supra postulabat ab imperatore Leo noster, cum de pseudo-synodo Ephesina ageret, et quidem sequentibus etiam hujusce epistolæ verbis ostendit duplicem ob causam canonem 28 approbari a se nullo modo potuisse, 1° quia debebat *in omnibus ecclesiasticis causis, his legibus obsequens esse*, quibus canon ille contrarius erat, qui proinde ante omnem illius sententiam erat irritus et cassus; 2° quia tanta erat Nicænorum canonum auctoritas, ut quidquid a multo etiam pluribus contra esset decretum, in nulla reverentia habendum esset.

AD EPISTOLAM CVI.

APUD QUESNELLUM LXXX.

Anatolio episcopo CP.

B 1. *Non inculpata principia.* Video a plerisque Leonis verba non satis perpendi, cum tamen ipse sua scrupulosius selegerit : non enim ait irritam aut vitiosam fuisse Anatolii ordinationem, vel contra canones usurpatam, ut de ordinatione Maximi mox asserit, sed tantum : *Non inculpata illius fuisse principia*, et ut epist. 55 (*nunc* 70) ad Pulcheriam loquitur, *ordinationem ejus dura præcessisse ;* epist. 78 (*nunc* 104) ad Marcianum August., *ejus initia titubasse ;* epist. 84, *ejus ordinationem fuisse suspectam*, quia videlicet ejus fides in dubium vocari poterat, qui ab Eutychis defensoribus fuerat ordinatus, *nec immerito credebatur*, ut supra dixit, *quod ejus ordinatores contra sanctorum canonum constituta viderentur* **1488** *sui similem consecrasse.* Cæterum non erat eadem Anatolii conditio ac Maximi et cæterorum, qui male depositis ab Ephesino latrocinio episcopis

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

rat. Ephesini latrocinii gesta hujus secundæ speciei C exstiterunt. Cum vero concilium Chalcedonense, quod celebrem canonem pro Constantinopolitana sede constituit, esset concilium æque generale ac concilium Nicænum, ob æqualem auctoritatem derogare utique potuit canonibus Nicænis in re meræ disciplinæ, quæ mutationi obnoxia est; ita ut ille canon ad primam speciem referendus sit, eumque *cassare* idem fuerit ac irritum facere. Cum generalis concilii vis et auctoritas Romani pontificis assensum requirat, decreta hoc assensu expertia veluti suspensa manent, donec supremi capitis assensum obtineant. Multo autem magis pro generalis synodi sanctione habenda non sunt, si Romani pontificis aut legatorum ejus contradictionem ac dissensum incurrerint. Id autem multo etiam magis verum agnoscitur, si derogandum sit canonibus, qui a generali concilio, summo pontifice assentiente, decreti fuerunt, summaque totius orbis veneratione recepti. Qui autem in synodo Chalcedonensi canoni Nicæno derogarunt novo decreto, D ii fere fuerunt ex Orientis Ecclesiis quæ ad Occidentem non pertinent : unde per sese solam Orientalem, non vero et Occidentalem Ecclesiam repræsentabant, quod ad generale concilium necessarium est. Hinc sane pontificia confirmatio supradicti canonis Chalcedonensis ad vim ejus necessaria agnita fuit. Quare Anatolius Constantinopolitanus in epist. 101, c. 5 : *Ejusmodi etiam decretum*, inquit, *ad vestram sanctitatem sancta synodus retulit, et nos, ut approbationem a vobis confirmationemque consequamur.* Et iterum epist. 132, c. 2. *Cum et sic gestorum vis omnis a confirmatio auctoritati vestræ beatitudinis fuerit reservata.* Sicut ergo auctoritas summi pontificis necessaria erat ad confirmationem canonis qui Nicænis canonibus derogabat, ita eadem auctoritate deficiente canon a Chalcedonensibus contra Nicænos constitutus nullam per se generalis synodi vim habebat. Hinc eum tamquam irritum S. Leo censuit, eumque *cassans* irritum declaravit. Cum tamen idem canon Chalcedonensium Patrum auctoritate vim aliquam inchoatam haberet, cui perficiendæ apostolica auctoritas debebat accedere, S. Leo verbo *cassamus* eam quamcumque vim in irritum fecisse dici potest. Ex his porro sic Quesnellum urgemus. Num putat Chalcedonense concilium, cum prædictum canonem sanxit, fuisse generale, et vim generalis concilii habuisse, etsi pontificii legati ei canoni contradixerint, nec pontificis confirmatio accesserit? Hac enim in hypothesi cum certum sit concilium generale in rebus disciplinæ posse novum decretum inducere, et derogare decreto anterioris generalis synodi Nicænæ (concilia enim generalia posteriora non minus possunt quam anteriora), certum quoque esse debet concilium Chalcedonense, si contradicentibus etiam legatis ac pontificis approbatione deficiente, fuisset adhuc concilium generale, et generalis synodi vim habuisset, valide potuisse condere canonem de prærogativis sedis Constantinopolitanæ, tametsi statutis Nicænis esset contrarius. Tunc autem S. Leo eumdem canonem cassans, validum canonem cassasset, et supra generale concilium suam auctoritatem exercens, eumdem canonem irritum fecisset. Quod si hæc sententia non placeat, id unum dicendum superest, concilium Chalcedonense, licet esset generale, eo quod in illo convenerunt non solum Orientales episcopi, sed etiam ex Occidentalibus legati præsertim Romani pontificis non minus Occidentis quam totius Ecclesiæ capitis, non tamen generalis synodi vim habuisse in decretis, nisi cum Orientalium episcoporum suffragio concurrerent Occidentales, ac præsertim Romanus pontifex per se vel per suos legatos; et hac in sententia, quæ notissima est, canon Chalcedonensis Nicænis præsertim decretis contrarius, cui contradixerunt legati, generalis concilii vim non habebat, ac propterea cum illum Leo *cassavit*, irritum per se et nullum declarasse dicendus est.

Digitized by Google

superpositi fuerant : non enim vivente Flaviano consecratus est Anatolius; alioqui numquam eum sanctus Leo inter episcopos habuisset, ut sæpius scripsit; sed post ejus decessum, ut etiam ex Liberati Breviario cap. 12 manifestum est : unde modo fidei ejus integritas appareret, quam nulla, ut lapsi episcopi fecerant, subscriptione violaverat, nihil erat quod ejus ordinationem ratam haberi vetaret. Non igitur dispensatione cum eo utendum fuit, sed inquisitione sola, quæ ejus de incarnatione fidei sinceritatem probaret, nec aliud umquam exegit sanctus Leo præter hujusmodi testimonium : quod antequam fieret, ejus ordinationi suffragari litteris communicatoriis noluit, ne forte hæretico homini communicare videretur; *non dilectionem negans, sed manifestationem catholicæ veritatis exspectans..... Occasionem*, inquit consequenter, *totius difficultatis amoveo, nec aliquid exigo quod aut arduum videatur, aut dubium; sed ad id quod nullus catholicorum refutet* INVITO. Ubi porro id præstitit Anatolius, ad quod a Leone *invitabatur*, et ab omnium se deviantium participatione purgavit, tunc ei communionem suam libentissime impertivit sanctus papa, agnovitque eum *non judicio hominum, sed Dei fuisse benignitate provectum;* ita ut ejus causa non egeret sequentis retractatione concilii, (*a*) ut eguerunt cæterorum episcoporum causæ.

2. *Contra canonicam regulam.* Cum manifestum sit hanc canonicam regulam a Nicænis canonibus in contextu sancti Leonis distingui, vix canon occurrit ad quem respexisse videatur sanctus pontifex. Nullus enim inter aliorum Græcorum conciliorum canones, quibus fere totum illius ævi jus ecclesiasticum coercebatur, immo nec inter apostolicos, Sardicenses vel Africanos aliquis reperitur, qui de metropolitarum, seu primariorum, seu provincialium ordinatoribus quidquam statuerit. Hoc tamen semper ex antiqua primum consuetudine, quæ canonicæ regulæ vim habebat, et deinceps ex Nicænis decretis observatum fuerat, ne provinciæ miscerentur, et ut metropolitani a suis comprovincialibus consecrationis gratiam acciperent. Talis est antiqua consuetudo, quam Nicænæ synodi Patres confirmant, quamque supponit Sardicensis canon 5, dum statuit quo casu in aliena provincia licitum sit ab episcopis ordinationem episcoporum celebrari. Et de hac consuetudine intelligenda sunt ea quæ tam sanctus Leo quam alii de regula canonica seu ecclesiastica sæpius commemorant, **1489** cum inter receptos per eam ætatem canones non inveniuntur.

3. *Definitione ejus causæ... perfunctos.* Pelagius I, in epist. ad Eliam Aquileiensem et alios Istriæ episcopos, quam a Gregorio Magno tunc diacono conscriptam dicit Paulus Warnefridus, lib. III de Gestis Longobard., cap. 20, ita citat hunc locum : *Definitionis ejus causa, quæ erat curanda, pertractos*, ad tractorias litteras alludens, quæ vocandis ad concilium episcopis mittebantur. Griman. cod. : *Definitione ejus causæ curanda perfunctos.*

4. *Ante 60 annos facta conscriptio.* Certum est tum aliunde, tum ex epistola Marciani Augusti ad sanctum Leonem de hoc eodem negotio, hæc verba de concilio Constantinopolitano I esse intelligenda : in quo qui convenerant episcopi statuere, quod *Constantinopolitanæ civitatis episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum episcopum; propter quod sit nova Roma.* De cujus synodi canonibus, eorumque ab Ecclesia Romana receptione consule illustrissimum Petrum de Marca in dissertatione de Institutione patriarchatus CP., necnon lib. III, cap. 3, Concord. sacerd. et imper., ejusque libri V continuatorem Stephanum Baluzium, cap. 21. Mirum quidem est, et notatu dignum, quod sanctus Leo asserit numquam a prædecessoribus Anatolii ad notitiam apostolicæ sedis transmissam esse ejusmodi conscriptionem episcoporum 150 Constantinopolitanæ synodi, cum (*b*) semper inter primarias et œcumenicas synodos ea sit numerata etiam a pontificibus Romanis, Gelasio in decreto synodico de libris apocryphis, Gregorio I, lib. I, epist. 24 et aliis. Quamquam et fatendum est utrumque illorum, Gelasium scilicet, in epistola ad Dardanos, et Gregorium, lib. VI, epist. 31, testari illius canones ad Romanæ Ecclesiæ notitiam non pervenisse, aut ab illa receptos non fuisse. Qui ut secum ipsi concilientur, recurrendum est necessario ad illam distinctionem quæ eruditis aliquibus viris non arridet, dicendumque missam fuisse ad Romanam sedem, ab eaque susceptam expositionem fidei, quæ in illo concilio condita est; canones vero, qui ab ejusdem synodi Patribus pro Ecclesiarum ordinatione privilegiisque editi fuerunt, nec missos fuisse ab Orientalibus, nec ab Occidentalibus receptos : cum usque ad S. Leonis tempora Romanæ sedi videantur fuisse ignoti. Distinctioni hujusmodi lucis non parum conciliatur ex epistola quam Constantinopolitanæ synodi Patres rursus in ea civitate aliquanto post congregati scripserunt ad Damasum papam, Ambrosium Mediolanensem, et cæteros concilii Romani antistites. Supponit enim **1490** ista epistola missam fuisse ad Occidentales episcopos confessionem fidei in illa œcumenica synodo evulgatam : quandoquidem cum de fide sua ad illos dissererent Orientales, ut pleniori cognitione de illa instruerentur, eosdem ad libellum remittunt, qui a concilio Constantinopolitano fuerat editus. *De quibus*, inquiunt, *pleniorem cognitionem animis poteritis percipere, si libellum, concilio Antiochiæ convocato, de fidei decisione editum, et eum etiam, qui superiore anno a concilio generali compositus est, legere placuerit : in quibus tum fidem nostram uberius exposuimus, tum hæresibus nuper excogitatis anathema scriptis proditum denuntiavimus.* Quæ insulse admodum a viris sapientissimis proferrentur, nisi vel tunc mitterent prædictum libellum Occidentalibus, vel eum jampridem missum fuisse recordarentur. De cæteris vero, quæ ad jura et privilegia Constantinopolitanæ sedis pertinebant, ne verbum quidem habent, vel non ausi ejusmodi canones mittere, quos Occidentalibus minime placituros sciebant, vel persuasi episcopis Orientalibus de Orientalium Ecclesiarum ordinatione aliquid decernentibus, Occidentalium consensum nequaquam necessarium esse : sufficere porro, si quod de fidei symbolo statuerant adversus hæreticos, in illorum notitiam venire curarent : quia cum fidei causa omnibus non modo episcopis, sed et catholicis laicis sit communis, et propria sit œcumenici concilii materies, omnibus quoque innotescere necesse est quæ ad eam spectant, omniumque in primis episcoporum capiti, cujus est præcipue ex apostolicæ sedis specula fidei custodiæ ac sinceritati invigilare. Etsi vero opponat sanctus Leo statuta illa numquam ad sedem apostolicam fuisse transmissa, hanc tamen rationem vehementer non urget, dissimulans etiam quidquam de œcumenica illa synodo nominatim commemorare : ne odium inde sibi pareret apud imperatorem et Ecclesias

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Addendum *vel judicio aut dispensatione pontificis;* judicium enim Leonis in restitutione Theodoreti, qui in Nestorianismi suspicionem incurrerat, quantum valuerit, ostendimus in observat. ad diss. 10 Quesnelli. Dispensatio autem ejusdem pontificis in Maximi Antiocheni causa, ut ne eguerit retractatione ac judicio concilii, ex ipsis Chalcedonensibus gestis liquet.

(*b*) Concilium Constantinopolitanum I non *semper* a pontificibus Romanis pro œcumenico habitum, immo et diutius illis fuisse ignotum, ac proinde non fuisse vere œcumenicum, quamdiu a Romana Ecclesia agnitum et receptum non fuit, ostendemus fusius tomo III, ubi hanc Quesnelli notationem ad calculos revocabimus.

Digitized by Google

Orientales Constantinopolitanæ amplitudinis studiosissimas. Sed præcipuum argumentationis suæ robur arcessit tum a perennitate et excellentia Nicænorum canonum, qui novellis constitutionibus violabantur; tum ex eo quod, posthabitis Constantinopolitanæ synodi decretis, semper in suo remanserat ordine hujus civitatis episcopus : ita ut absurdum esset *quorumdam episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negaverat effectum, et conscriptioni ab initio sui caducæ dudumque collapsæ sera post sexaginta annos et inutilia subjicere fulcimenta, eliciendo a fratribus speciem consensionis in Chalcedonensi concilio.* Cæterum monere hic lectorem debemus probatissimos codd. mss. hujus epistolæ, **1491** quos videre contigit, mendosam hujus loci lectionem exhibere : ita ut ex his suspicari solum liceat, aliter aliquando lectum fuisse, quam nunc legitur. Grimanicus enim codex pro *numquamque a prædecessoribus*, etc., habet : *Cum quam a prædecessoribus*, etc. Thuan. unus sic totum locum repræsentat : *Cum quando a prædecessoribus tuis audieris ad apostolicam dudumque sedem*, etc.; duo alii Thuan. ultima verba sic variant : *Ad apostolicam sedem transmissa notitia*, quæ ideo referre voluimus, etsi per se nulli usui futura, ut hinc attentiores facti eruditi viri, in quorum manus exemplaria mss. hujus epistolæ forte devenerint, huic maximi momenti loco medicam manum adhibeant.

5. *Provincialium jura primatuum.* Ita legendum cum mss. codd., non *Primatum*, ut legit celebris Morinus lib. I Exercit. eccles. 8, a cujus etiam interpretatione discedere cogimur, dum hæc de patriarchis Alexandrino et Antiocheno intelligit, quæ potius dicuntur de metropolitis diœceseon Ponticæ, Asianæ, et Thracicæ, quarum ordinationem Constantinopolitano episcopo tribuebat canon Chalcedonensis, de quo lis erat. Duo enim distincta capita a sancto Leone in illo canone impugnabantur : unum, quod primarias illas sedes Alexandrinam et Antiochenam spectabat, quas Constantinopolitanus secundum usurpans locum, secundo et tertio gradu spoliare tentabat, et de his sunt verba sequentia; alterum ad supra memoratarum diœceseon metropolitas pertinebat, quorum pariter privilegia invadebat Anatolius, dum eorum ordinationem sibi vindicabat; cujus potestas auctoritate antiquorum canonum semper penes uniusA cujusque provinciæ synodum residerat. Semper enim hæc fixa immobilisque regula fuerat, ut numquam unius provinciæ episcopi in alterius provinciis quidquam attentarent; nec in quorumque metropolitanorum jura involarent alii metropolitani, quod hic tamen fiebat ab episcopo Constantinopolitano, qui certis gradibus ad monarchiam Ecclesiæ Orientalis **1492** viam sibi straverat. Primo enim sola honoris privilegia, secundum scilicet locum post Romanum pontificem, sibi decerni curavit canone Constantinopolitano. 2° Sese ordinationibus variarum diœceseon immiscuit per voluntariam concessionem metropolitarum variis artibus seu obtentam, seu extortam : de quo plura exempla refert illustrissimus de Marca in accuratissima quam edidit dissertatione de patriarchatus Constantinopolitani Institutione, quam consule. 3° Quod usu jam ipso introductum erat, canone Chalcedonensi firmari fecit, nec non et imperatoriis edictis. 4° Cum jam cerneret se Alexandrinæ et AnB tiochenæ sedium episcopis et per administrationem amplissimarum diœceseon parem, et per secundum locum, quem adeptus fuerat, superiorem : tum cogitavit de usurpanda utriusque illius primatis ordinatione; cujus occasio cum sese obtulisset post Ephesinum conciliabulum in Maximi Antiocheni ordinatione, hanc avide arripuit; constitutis postea condendis viam talibus molitionibus aperiens. 5° Gradus ex quarto secutus facile fuisset; cum enim, ut optime observatum est ab eodem præsule, lib. I Concord. sacerd. et imp. cap. 7, veteris disciplinæ hoc esset præcipuum caput, ut synodis se sisterent episcopi apud eum cujus arbitratu ordinati erant : unde profectum est ut pertinere ad alicujus concilium vel ad consecrationem, promiscue et passim dicantur episcopi, qui a primatibus suis pendent : si Alexandrinum et Antiochenum ordinasset Constantinopolitanus, eosdem pariter ut ad suum concilium pertinentes, cum libuisset, convocasset Constantinopolim, ac per omnia sibi subjecisset. 6° Post hæc ultimum principatus gradum sine labore conscendisset : cæteros enim omnes metropolitanos utrique illi primati subjectos, ad suum tandem aliquando traxisset dominium, si semel Alexandrinum et Antiochenum suæ subdidisset ordinationi; idque fecisset in Orientalibus partibus, (*a*) quod factum videmus a Romano pontifice in Occidentalibus, **1493** ut omnium seu

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Mirum hoc loco accidit, Constantinopolitani episcopi nisum in subigendis suæ ordinationi metropolitanis trium diœceseon Thraciæ, Asiæ, et Ponti ita conterri cum jure Romani pontificis in reservanda sibi institutione episcoporum Occidentis, ac si æqualis fuerit hac in re utriusque ratio, et solum Constantinopolitanus non ita se extenderit in totum Orientem, ut in omnem Occidentem Romana sedes eam reservationem extendit. Quis hic latum discrimen non perspiciat? Romanus episcopus non solum sedem obtinet originis apostolicæ, eamque ejusmodi, quæ primatu præcipuæ jurisdictionis in totam Ecclesiam jure divino potitur; verum etiam eam sedem tenet D matricem omnium Ecclesiarum ac episcopatuum Occidentis, qui ab ipsa una cum religione christiana episcopos accepere, ut apertissime testatur Innocentius primus in proœmio epistolæ ad Decentium, num. 2. Quid ergo mirum, si hanc sedem omnium matrem omnes Occidentales Ecclesiæ et episcopatus omnes maxime observarunt semper, ac Romanis episcopis episcoporum institutio potuit reservari? Num vero par causa sit sedis Constantinopolitanæ in Ecclesias Orientis, cum hæc nec apostolica fuerit, nec aliarum radix et mater, sed simplex episcopatus, ut alii multi, qui solo imperialis sedis præsidio ipsis apostolicis Orientis Ecclesiis præferri, et metropolitarum trium diœceseon ordinationem sibi subdere studuit, quisque æquus lector dijudicet. Ut autem Romanum jus magis magisque elucescat, duo addenda sunt. Laudatus pontifex S. Innocentis epist. 24, ad Alexandrum Antiochenum, cap. 1, non solum ordinationes metropolitarum sui patriarchatus eidem jam ex more vindicatas testatur; verum etiam jus ipsius agnoscit in ordinandis ipsis episcopis, vel saltem, quoad remotiores, ejus assensum requirit. Inquit enim : *Itaque arbitramur, frater charissime, ut sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu conscientiaque tua sinas episcopos procreari; in quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu; vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire : quorum enim te maxima exspectat cura, præcipue tuum debent mereri judicium.* Si per hæc antiqua tempora Innocentius I episcopo Antiocheno tantum juris tribuit in ordinationibus episcoporum sui patriarchatus, quis traducere queat ut incompetens et usurpatum jus Romani pontificis in reservandis ordinationibus aut institutionibus episcoporum totius Occidentis? Jus simile in ordinationibus episcoporum totius Illyrici, quæ diœcesis Occidentalis pars erat, S. Leo vindicavit episcopo Thessalonicensi uti apostolicæ sedis vicario, ut liquet ex epist. 5 et 6. Si hoc jus in remotissimas Occidentis Ecclesias adeo pontifici fuit ut Thessalonicensi potuerit delegari, nonne in alias quoque viciniores Occidentis Ecclesias idem ei jus fuisse agnoscere cogimur?

Digitized by Google

metropolitarum, seu secundi ordinis episcoporum eisdem subjacentium institutionem suæ potestati reservaret. Sola metropolitanis relicta metropolitici nominis umbra, omnia hujus dignitatis invasisset munia, omnia jura solus implevisset. Quod et præsensisse mihi videtur sanctus Leo, cum hæc supra cap. 2 verba scribebat : *Ut his locis* (Alexandria et Antiochia) *juri tuo subditis, omnes metropolitani episcopi proprio honore priventur.* Vix enim aliter intelligi potest qua ratione ex utriusque illius sedis subjectione secutura esset omnium metropolitarum dejectio, nisi de metropolitis tam diœceseon Ægyptiacæ et Orientalis, quam Ponticæ, Asianæ, Thracicæ, etc., eo modo quo explicuimus intelligatur. Hæc omnia tentamenta metuenda erant, nisi fortiter incœptis obstitisset sanctus Leo; quod id saltem assecutus est, ut ulterius non tenderet effrenis illius episcopi ambitio.

6. *Si per observantiam tuam*, etc. Secuti sumus hic vulgatam edit. et plerasque antiquiores cum nonnullis mss. codicibus : quamquam Griman. et Victor., quibuscum aliquæ editiones, ut Suriana et Regia Conciliorum sic habent : *Si per observantiam tuam et defensionem paterni canonis, exemplum probitatis multi habeant sacerdotes.*

AD EPISTOLAM CVII.

APUD QUESNELLUM LXXXI.

Juliano Coensi episcopo.

Brevem, sed plenam vigore apostolico epistolam, quæ jam olim ex ms. cardinalis Sirleti prodierat, sed mendosa, nunc ex cardinalis Grimani codice longe emendatiorem exhibemus. Primam lineam, quam prior cod. ms. desiderabat, ita suppleverat editionis procurator : *Dilectio tua non ignorat;* nos ita restituimus : *Cum frequentibus experimentis probaverit dilectio tua.*

1494 AD EPISTOLAM CVIII.

APUD QUESNELLUM LXXXIII.

Theodoro Forojuliensi episcopo.

1. Ex epistola 1 Pelagii papæ II ad Eliam et cæteros Istriæ episcopos (quam librum vocat Gregorius Magnus lib. II, epist. 36, cujus stylo esse exaratam testatur Paulus Diaconus lib. III de Gest. Longob.) apparet innotuisse hanc epistolam episcopis illius provinciæ, atque ex ea testimonium S. Leonis protulisse, quo mortuum ab hominibus damnari nullatenus oportere contendebant : sed ex eodem Pelagio suspicari licet, nec ab ipso nec a Gregorio Magno visam unquam fuisse eamdem epistolam. *In his*, inquit, *testimoniis, quæ ex epistolis Leonis prædecessoris nostri posuistis, præmisistis dicentes :* « Doctrina vestræ reverendæ sedis est per beatum Leonem successoresque ejus, unde pauca commemorare præsumpsimus : Mortuum ab hominibus damnari nullatenus oportere; *et tamen nulla ejus testimonia subdidistis, quibus hanc sententiam firmaretis. Etenim quæ a vobis subjuncta sunt, retractationem fidei fieri prohibent, non autem damnari infideles mortuos contradicunt; sed neque hoc beatum Leonem prædecessorem nostrum quodam loco dixisse meminimus.* Vigilius tamen papa, qui Pelagio aliquot annis prævixit, hujus epistolæ meminit, et partem refert in suo Constituto, pene circa finem : « *Nam*, inquit, *beatissimus papa Leo ad Theodorum episcopum Forojuliensem post alia ita dicit :* Non necesse est nos eorum, qui sic abierunt, merita actusque discurrere [*Al.*, discutere]; cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale mysterium [*Al.*, ministerium] implere non poterat, suæ justitiæ reservavit. » Atque ex his verbis totoque Vigilii Constituto dixisse videntur Istriæ episcopi, quæ supra retulimus : cujus nomine sibi abstinendum esse censuerunt, eo quod synodo quintæ assentiens Vigilius ipse priori Constituto auctoritatem omnem ademisset.

Observandum vero, propterea quod Theodorus inconsulto metropolitano ad transalpina 1495 consilia confugerat, eam ob causam Theodorum ab ipso Leone culpatum in exordio rescripti, de neglecto metropolitæ consilio. *Sollicitudinis quidem tuæ*, inquit, *hic ordo esse debuerat, ut cum metropolitano primitus de eo quod quærendum videbatur esse conferres*, etc.

Cur vero a metropolitano consulendo abstinuerit Theodorus, forsan hæc est ratio : gravis tunc temporis controversia exorta fuerat Theodorum inter et Faustum Lirinensem abbatem universosque insulæ istius monachos, inque tantum exarserat simultatem, ut gravissimum inde scandalum generatum fuerit per Ecclesias Gallicanas, quemadmodum testatum habetur in Actis concilii Arelatensis III, in causa Lirinensis insulæ tom. I Concil. Gall., et in postrema Conciliorum generalium edit. Porro, cum Gallicanos illarum regionum episcopos in contraria studia dispertisset hoc negotium, aliis qui ex Lirino assumpti fuerant, pro Fausto stantibus, aliis qui episcopalis auctoritatis jura sarta tecta volebant, pro Theodoro pugnantibus, vero admodum simile est secundæ Narbonensis metropolitanum ex illorum numero fuisse qui Fausto Lirinensi favebant, ac proinde commercium inter ipsum et Theodorum intermissum tunc fuisse. Si cui non placet hæc conjectura, aliam accipiat. Episcopus Arelatensis jus sibi vindicabat, ut ad epistolam 10 annotavimus, in provinciam Narbonensem secundam. De ea gravis olim inter Leonem et Hilarium controversia mota fuerat; ab eadem repulsus fuerat Hilarius Leonis decreto. Sed hujusmodi decretum etiam imperatorio rescripto munitum, (*a*) receptum a Gallis non fuerat, suam videlicet consuetudinem antiquam retinentibus, et pro Arelatensis sedis privilegio studiosissimis. Sponte etiam juri suo, si quod habebant, cessisse videntur tam Aquensis secundæ Narbonensis, quam Ebredunensis Alpium maritimarum metropolitani, et ille præsertim diu postea in multis Arelatensi subjectus remansit antistiti. Si igitur metropolitanum adire voluisset Theodorus consultationis gratia, jam vel Aquensem consulens, Gallicanos infensos habuisset antistites, ipsumque imprimis Arelatensem; si vero hunc consuluisset ut metropolitanum, Leonem offendisset, cujus decreto ab illius ordinatione exemptus fuerat. Adde quod Ravennius Honorati discipulus, Hilarii successor, et Fausti eadem de causa familiaris, 1496 non potuit erga Lirinensis insulæ monachos non esse propensus, et propterea Theodoro Forojuliensi suspectus.

Certe, quantum ex epistolæ Leonis inspectione capere queo, tanta ejus de primatuum seu metropolitarum jure sollicitudo facile me adducit ut credam

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) **Gallos non recepisse decretum Leonis**, seu epistolam 10 in causa Hilarii editam, falsum ostendimus in observationibus ad dissert. 5 Quesnelli, part. III, cap. 2, num. 5 et seqq. Quæ porro ille in antecedentibus et sequentibus congerit soluturus quæstionem, *cur a metropolitano consulendo abstinuerit Theodorus*, omnino arbitraria sunt. Certe quod ait eum non consuluisse metropolitam Arelatensem, ne Leonem offenderet, cujus decreto ab illius ordinatione exemptus fuerat, inanissimum est. Si enim Theodorus Leonis offensam non timuit, cum ad eum scripsit pro Arelatensis sedis jure, cui se adhærentem prætulit in epist. 65 ad eumdem pontificem (vide not. 16 [*Col.* 881, *n.* 6] in eamdem) multo minus verendum ipsi fuerat, si consuluisset metropolitanum, a quo Leo exemit, non Forojuliensem, sed quatuor alias Ecclesias, quas Viennensi sedi subjecit epist. 66.

Digitized by Google

præsentem tunc animo illum habuisse controversiam, quæ occasione Hilarii mota fuerat de sedis Arelatensis limitibus, et eamobrem culpatum fuisse Theodorum de neglecto metropolitano, quia episcopus Aquensis, qui ex Leonis decreto ea dignitate uti debuerat, a Theodoro non haberi videbatur pro metropolitano.

Tot porro tantique momenti constitutionibus hæc quantulacumque epistola exuberat, tot antiquæ disciplinæ observationes exhibet, ut multa essent hic annotanda, nisi omnia haberes apud doctissimum Joannem Morinum, toto illo de pœnitentiæ administratione immensæ eruditionis commentario, observata, discussa, et totius antiquitatis illustrata monumentis. Spicas tamen post messem colligere non pigebit, ut nonnulla ad ..lorum confirmationem addamus, et aliqua etiam quæ ille ad alia properans prætermisit, annotemus.

Illud imprimis observandum, quod prima epistolæ verba semel et iterum inculcant de metropolitanorum episcoporum, quos primates appellat, auctoritate, quosque in omnibus ecclesiasticis causis, cum opus est, adeundos esse decernit, ut nihil etiam sine primatibus oporteat ad sanctæ sedis notitiam aut tribunal deferri, ne consultationis quidem causa; de quo vide epist. 16 ad episcopos Siculos et quæ ad eam annotavimus tam ex Innocentio I quam ex can. 5 concilii Tarraconensis.

2. Per hæc verba : *Quid de pœnitentium statu ecclesiastica habeat regula non tacebo,* manifestum est nihil novi inducere Leonem voluisse in disciplinæ pœnitentialis praxim et observantiam, sed omnia ex canonum regulis aut usu Ecclesiæ suæ repetisse : hæc enim duo significari existimo per *ecclesiasticam,* quam commemorat, *regulam;* cum nonnulla sint in hac epistola quæ vix alibi quam in Ecclesia Romana tunc temporis in usu essent. Deinde patet etiam ea omnia quæ tota epistola disseruntur ad eos pertinere qui publice pœnitentiam agebant, ut ex sequentibus verbis probat Morinus citati operis lib. v, cap. 10, quorum **1497** pœnitentium varias classes et status examinat ex eadem epistola lib. x, cap. 4 et sequentibus, ubi de pœnitentiæ actione et reconciliatione statim morituris impertienda, et de his qui ante reconciliationem e vita exeunt, abunde disseritur.

3. De his autem qui in Deum a fide discedendo peccarunt, quod excipit S. Leo in calce hujus epistolæ, satis explicatum non videtur. Cum enim definit eos qui in fine vitæ pœnitentiam poscunt, et ægritudine ipsa oppressi, ne nutu quidem significare valent sub præsentia sacerdotis quod paulo ante poscebant, simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequi debere, testimoniis circumstantium fidelium infirmi vocem et nutum supplentibus, hæc addit verba : *Servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas qui in Deum a fide discedendo peccarunt.* Quænam, inquam, hæc regula sit, quam erga istos observari exigit, dubitari merito potest. Ac primum quidem constare videtur de his agi qui in ultimo vitæ discrimine positi pœnitentiæ et reconciliationis beneficio donabantur, et postea convalescebant : quid videlicet circa eos observandum esset in pristinam valetudinem reversos. De his enim qui morbo oppressi vel voce vel nutibus pœnitentiam et reconciliationem postulabant, constat ex can. 13 Nicæno, *quod generaliter omni cuilibet in exitu posito et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.* Ab hoc igitur pœnitentiæ et reconciliationis munere ne apostatæ quidem excipiuntur. Dicesne hoc speciale circa eos qui fidem abjecerant, statutum fuisse, ut vel iterum pœnitentiam acciperent, vel pœnitentiam morbo urgente impositam implere cogerentur? Sed nec umquam, imposita morituris pœnitentia, post receptam valetudinem iterum eisdem est imposita, nec singulare est apostatis impositum pœnitentiæ publicæ stadium, cum convaluissent, decurrere. Imino hoc omnibus commune semper fuit, ut qui in eo statu reconciliabantur, remissa laboriosa pœnitentia ob communionis reverentiam, ad reliquum implendum obligarentur. Certe ad hanc enodandam difficultatem vix aliqua patet via nisi hoc velimus dicere, sic omnibus peccatoribus in extremo vitæ periculo constitutis pœnitentiæ actionem et reconciliationis gratiam concedi voluisse, etiamsi amisso vocis officio et opprimente morbo nihil de suo desiderio significare valeant, modo significatum antea fuisse testentur alii; apostatas vero solos forsan ab hac indulgentia ab eo exceptos, ita ut pœnitentiam quidem acciperent, sed communionis gratia non fruerentur, prout antiqua et severiori canonum disciplina constitutum fuerat. Celebris enim est ultimus canon Arelatensis concilii I: *De his qui apostatant, et numquam se ad Ecclesiam repræsentant, ne quidem pœnitentiam agere quærunt, et postea infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem,* **1498** *nisi revaluerint et egerint dignos fructus pœnitentiæ.* Huic porro duriori disciplinæ non nisi serius derogasse mihi videntur Gallicani episcopi : cum enim plures posteriorum synodorum canones existant, quibus de aliis peccatorum generibus, qui in extremo vitæ periculo veniam petunt, aliquid mitius statuitur, numquam de apostatis jamjam morituris, omni et vocis et mentis et sensus officio privatis, qui antea pœnitentiam poposcerint, dubitatio ulla in medium allata esse dignoscitur : ut merito credendi sint Gallicani saltem antistites hanc eamdem circa eos disciplinam semper observasse, utpote Gallicanorum canonum retinentissimi. Quod inde etiam admodum credibile redditur, quod frequentiores querelæ, quibus lacessitos legimus Galliæ episcopos a Romanis pontificibus, vel interrogationes quibus hi Gallicanis ea de re consulti responderunt, testantur Gallicanarum Ecclesiarum disciplinam circa pœnitentiam Romana fuisse rigidiorem. Hinc Valentina synodus I an. 374 legem pœnitendi severiorem indicit his qui post baptismum sacrificiis se dæmonum, vel incesta lavatione polluissent, pœnitentiam eorum usque ad diem mortis protendens can. 3. Hinc consultatio Exuperii Tolosani episcopi ad Innocentium I pontificem, qua quæsitum est ab illo : *Quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt.* Noverat procul dubio Exuperius Nicæno canone 13 statutum fuisse *ut generaliter omni cuilibet in exitu posito et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare deberet;* nec aliunde dubitandi occasionem cepit, quam ex diversa praxi Ecclesiæ Gallicanæ, quæ aliquibus communionem in eo statu positis negabat. Sed ita se gessisse Gallicanos episcopos non conjectura, sed certo argumento accipimus ex epistolæ Cœlestini papæ ad Viennensis et Narbonensis provinciarum episcopos cap. 2. *Agnovimus,* inquit, *pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri,* etc. In Arausicano item I concilio an. 441, can. 3, et in Arelatensi II can. 28, planum est reconciliatoriam manus impositionem iis qui accepta pœnitentia de corpore recedebant non esse concessam; quam tamen Innocentius, Cœlestinus et Leo impertiri voluerunt. Quibus ita se habentibus non abs re est existimare aliquos Leonem voluisse a generali beneficio communionis excipere in mortis articulo positos, apostatas videlicet, qui in iisdem circumstantiis non erant de quibus Innocentius et Cœlestinus papa sermonem habuerunt.

Confirmatur adhuc ex ratione, quam Innocentius papa attulit, inspectione, et ex antiquorum canonum disciplina : propterea enim consuetudo prior et durior tenuit, ut **1499** pœnitentia eam in fine petentibus, concederetur, negaretur communio : quia crebræ illorum temporum persecutiones plurimos ad ti-

Digitized by Google

dem negandam impellebant, et proinde providendum erat ne communionis concedendæ facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu. Sed postquam Deus pacem Ecclesiæ reddidit, jam terrore depulso communionem abeuntibus dari placuit. Data est igitur talibus communio, pace reddita Ecclesiæ, quia timendum amplius non erat, ne ad fidem ejurandam metu mortis adigerentur fideles. Quod si tam dure actum est cum hujusmodi hominibus, quanto magis æquum erat ut cum aliis strictior disciplina teneretur, qui non terrore adacti, sed vel propria tantummodo ducti libidine, aut mutabilitate voluntatis, aut quod maxime pensandum est in hac causa, ut Ecclesiæ disciplinam declinarent, fidem abjiciebant. Multo magis enim timendum erat ne hi qui religionem tam parvi pendebant, aut tanta animi levitate laborabant, acceptam rursus gratiam communionis conculcarent. Nec quidquam illa observantia crudelitatis habet; alioquin non dispari accusatione vexanda vetus omnis disciplina pœnitentialis. Deinde paucorum hujusmodi apostatarum punitio, plurimum aliorum eruditioni serviebat; ne videlicet facile ad Christum negandum spe veniæ induci se paterentur. Denique non omni subsidio et ope hujusmodi privabantur, sed tantum reconciliationis beneficio : nam, ut concilia Arausic. I et Arelat. II, can. 3, loquuntur, *sine reconciliatoria manus impositione eis communicabatur, quod morientis sufficit consolationi, secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod si supervixerint*, inquit Arausicanum, *stent in ordine pœnitentium, et ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant.*

Quibus hæc verborum Leonis explicatio non placebit, his uno verbo satisfieri posse putamus, si dixerimus aliquid ab apostatis ad Christum reversis et a morbo convalescentibus poscere Leonem nostrum, ut videlicet publice idolorum cultum aut aliam superstitionem quam fuissent secuti ejusmodi symbolum recitarent, aut alio modo atrocissimum crimen detestari se significarent. Denique potuit Leo noster respicere ad Siricii prædecessoris sui sententiam, epistolæ ad Himerium cap. 3, ubi apostatas Christianos ad Christum reversos, quamdiu vixerint, pœnitentiam agere jubet, et in ultimo tantum fine suo reconciliationis gratia donari. Eos igitur ita reconciliatos, si revaluerint, vult Leo iterum pœnitentiæ subjici, et quamdiu in vita superstites fuerint, eam agere : cum alii ita reconciliati certo temporis spatio pœnitentiam suam complerent, vel indulgenter etiam cum eis Ecclesia ageret. Vide etiam canon. Nicæn. 11 et 12, et Ancyranos.

1500 4. Ultimum quod in hac epistola notandum nobis occurrit illud est, quod absolutionis seu reconciliationis formam attinet, quam Leonis tempore deprecatoriam fuisse clarissime demonstrant tria hujus epistolæ loca. Cap. 2 : *Sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi* SUPPLICATIONIBUS *sacerdotum nequeat obtineri.* Cap. 3 : *Si quis autem eorum pro quibus Domino* SUPPLICAMUS, etc. ; et postea : *Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali* SUPPLICATIONE *solvatur.* Quibus testimoniis concinit epistolæ 136 (*nunc* 168) locus insignis : *Sufficit*, inquit, *illa confessio, quæ primum Deo offertur; tum etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.* Denique epist. 139 (*nunc* 171) cap. 1 : *Reconciliandos Deo* PER ECCLESIÆ PRECES *instanter acquiras.* Res fusiori commentatione egeret, nisi jam pridem hoc esset præstitum a curiosissimis antiquitatis ecclesiasticæ scrutatoribus Hugone Menardo asceta Benedictino in notis ad Sacramentale Gregorianum, et Joanne Morino Oratorii Gallicani presbytero Commentarii sui de Pœnitentia lib. VIII, cap. 8 et seqq. Statueram apud me huic loco inserere insigne praxis istius testimonium, quod a me decerptum est ex ms. sexcentorum fere annorum Breviario ad usum monasterii Montis-Cassini olim exarato, ordinem scilicet dandæ et accipiendæ pœnitentiæ, in quo nulla, præter deprecatoriam, absolvendi forma comparet; ordinem extremæ-unctionis administrandæ, et ordinem accipiendæ eucharistiæ : quæ omnia lectori ecclesiastico acceptissima esse confido. Sed quoniam jam spissior evadit hujus voluminis moles, iis publicandis modo abstineo, curaturus tamen ne isto antiquitatis cimelio diu lectoris curiositas frustretur. Alterum interim, et quidem antiquius, hic repræsento, quod pœnitentialem pariter disciplinam illustrat; quodque, cum episcopi sit Gallicani, non male rescripto ad Theodori Forojul. episcopi consultationem annectitur.

JUDICIUM CHRODEBERTI
EPISCOPI TURONENSIS
De muliere adultera,

Nunc primum in lucem editum ex ms. codice bibliothecæ Thuaneæ.

Opinione religionis dulciter nominandæ, et charitatis vinculo ambiendæ N. matrifamilias Chrodebertus H. peccator salutem in Domino perennem. Litteris tuis parvitatem meam postulasti ut sententiam **1501** canonum perquirerem de judicio mulieris, quæ postquam consecrata et professa castitatem Deo fuerat conservare, adulterium perpetraverit. Quamquam in sancta synodo Nicæna, Chalcedonensi, et Ephesina, vel Constantinopolitana super hac re capitulum non invenimus, quas quatuor synodos tantum terra nostra venerabiliter recipit et concredit; [a] attamen in Aurelianensi synodo de hac re invenimus præfinitum [b] judicium quod tibi destinavimus : et ex ipsa auctoritate judicium conservandum prædictæ mulieri direximus. Sub qua sententia consilium dedimus ex divinarum Scripturarum fonte, flumina sententiarum viva, vel stipites immobilium columnarum : quarum undam bibens, et amplexu se tenens, non timeat iterum labi in ruinam, neque desperare pro præterito lapsu possit de venia, si prædicta teneat consilia.

Memoretur evangelicæ mulieris illius peccatricis Mariæ Magdalenæ, quæ septem vitiis repleta fuerat, de qua Dominus septem dæmonia ejecit, quæ Domini pedes lacrymis lavit, crinibus tersit, labiis fortiter impressis exardescenti amore osculata est, et unguento pretioso unxit : de qua Dominus dixit : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII, 47). Et ipsa est, quæ semper Dominum prosecuta usque ad crucifixionem et sepulturam, et ipsa prima post resurrectionem, antequam nullus apostolorum, et antequam Mater Domini gloriosissima Maria semper virgo, et angelos, et Dominum meruit videre. Ipsa est soror Marthæ et Lazari, quem Dominus triduanum mortuum suscitavit. Et Redemptor noster pro peccatoribus et adulteris in hunc mundum se venisse dixit, non pro justis. Et ipsa Veritas dicit quod non sit opus sanis medicus,

[a] Simili loquela Hincmarus, opusc. 12 Capitum contra Hincmarum Laudunensem, cap. 24, ait : *Cum de ipsis sententiis plena sit ista terra.*

[b] Videtur esse can. 16 concil. Aurelianens. V, an. 549.

Digitized by Google

sed ægrotis. Paulus apostolus persecutor Christianorum et homicida, sancti Stephani interfector, noster et omnium gentium factus est præceptor. Quid dicam de Matthæo telonario, postea evangelista? Quid de Zachæo, qui de arbore sycomoro jam illuminatus corde præ parva statura corporis sui Dominum videre cupiebat? Quid de publicano illo in Evangelio sancto, qui pectus suum percutiebat dicens : *Non sum* **1502** *dignus levare oculos meos ad cœlos. Esto mihi, Domine, propitius peccatori ; et descendit justificatus magis quam Pharisæus ille* qui jactabat merita sua et stando orabat? Quid adhuc ad augendam consolationem Dominus et Redemptor noster in Evangelio dicit? similitudinem gloriosam piissimi Pastoris perfecit, qui nonaginta et novem ovibus in montibus derelictis, errantem unam Pastor clementissimus cum multo labore lustrando squalida loca, perquisivit, et invenit, et in humeris suis imposuit, et ad gregem salvam reduxit : ut et in numero perfectum centenarium impleret, et perfecti gregis dominus esset, et nos miseros peccatores, errantes per fragilitatem corporis, justis et innocentibus aggregaret : et dixit plus se gaudere super uno peccatore pœnitentiam agente quam supra nonaginta novem justos non indigentes pœnitentia.

Sed futuri temporis cautela, largiente Christi gratia, adhibeatur, ut culpa non iteretur, atque multis fletibus, diebus et noctibus, publice et occulte, jejuniis, orationibus, gemitibus, suspiriis, laboribus, obedientia et taciturnitate, humilitate et charitate, præterita deleantur. Non sunt quærenda aut numeranda annorum tempora ad agendam pœnitentiam ; sed fortitudo cujuslibet temporis vel momenti, compunctionis, timoris sui de peccato, et amoris Dei ex toto cordis desiderio. Ad hæc verba confirmanda testis est excellentissimus propheta, qui spiritu Dei plenus dicit : *Peccator in quacumque die, in quacumque hora conversus fuerit, et ingemuerit, omnia peccata sua oblivioni traduntur.* Et latro ille qui juxta Dominum crucifixus fuerat, subita confessione confessus, et fide plenus credidit. Non annos aut menses aut dies egit in pœnitentia, quem velox mors arripuit, et juxta verbum Domini ante Petrum apostolum introiit. Et populus Ninivitæ civitatis, triduano jejunio, fletu, cinere, cilicio, planctu et gemitu concinente, de voragine submersionis suæ et iram Dei meruit evadere. Et David rex et propheta spiritu Dei plenus pro homicidii et adulterii facinore, Nathan propheta arguente, de solio regni non erubuit coram omni multitudine **1503** faciem suam dare in pulvere, et pariter erupit in vocem amantissimam pœnitentiæ, dicens : *Peccavi Domino, peccavi* (II *Reg.* XII, 13). Et Dominus per prophetam dixit ei : *Remissum est peccatum tuum* (*Ibid.*).

Ecce quantum valet humilitas, quantum obtinet charitas. Quia etsi sunt dura peccata nostra, Apostolo dicente, velut stipula, fenum et ligna, si abundaverimus igne amoris Dei, possumus citius exurere onera peccati, et in eorum locum super fundamentum fidei, quæ est spiritus spes, ædificemus aurum, argentum et lapides pretiosos, et possumus in ornamentum regis æterni Redemptoris nostri inter veros lapides computari, ut dicat Apostolus nobis : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* IV, 5). Et iterum : *Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia* (*Rom.* V, 20) : sic tamen ut eumdem apostolum Paulum in omnibus audiamus, et sua consilia, qui spiritum Dei habet, integre custodiamus. Dicit ipse in epistola ad Romanos : *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem* (*Rom.* VI, 19). Verbi gratia, qui vigilias multas duxit occultas et noxias in luxuria, multiplicet corpus suum eodem modo excitari de somno, levare, et in angulo ecclesiæ vel monasterii occulte in orationibus fatigare atque affligere : ut dolores, quos memorat quantos et quales sustinuit pro amore carnali, secundum Pauli apostoli mandatum, eosdem sustineat pro amore spiritali : ut non minus fiat corpus vigiliis languidum, quam fuit in flagitiis, diversis adinventionibus, detortis membrorum nexibus inhoneste depressum et ob hoc male defessum.

Hæc est integra restitutio sanitatis et operatio summæ salutis, ut amore summo Dei et novo amor vetus pellatur peccati, et moriatur amori veteri peccator, ut renovetur homo noster, *et destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* Qui enim mortuus est huic mundo, et crucifixus cum Christo, justificatus est a peccato. Sic ergo moribus renovati, et a peccato justificati, salvi facti erimus ab ira per ipsum, ut jam non regnet peccatum in nostro mortali corpore; sed regnum adveniat Salvatoris per gratiam suam, **1504** quam idem Paulus apostolus invocabat cum gemitu dicens : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 24); cui est honor et gloria et imperium, majestas et potestas in unitate Spiritus sancti per infinita sæcula sæculorum. Peccator indignus Chrodobertus servus servorum Dei episcopus subscripsi.

Gratias multas ago de linea inconsutili bene texta, longa et larga, et mihi multum amabiliter accepta, et corpori meo, tamquam sciendo, cum gratia est præparata.

AD JUDICIUM CHRODOBERTI TURONENSIS EPISCOPI

Observatio.

Præclarum hunc Pœnitentiæ libellum nacti sumus in ms. codice Thuaneæ bibliothecæ, num. 780 notatum, in quo descriptum pariter legimus privilegium Adeodati papæ monasterio S. Martini Turonensis ejusdem Chrodoberti ætate concessum. Jacobus Sirmondus, in notis ad hoc privilegium tomo I conciliorum Galliæ insertum, testatur idem a se *collatum cum schedis Pithœanis in quibus*, inquit, *extat etiam Chrodoberti ejusdem episcopi Turonensis epistola de Judicio mulieris, quæ postquam consecrata et professa castitatem Deo fuerat conservare, adulterium perpetrarat.* Hæc legit Sirmondus in eodem ms. codice, ex quo judicium istud descripsimus. Quam ob cau-

Digitized by Google

sam, qua mente hoc publico inviderit, mysterium est, quod aliis scrutandum relinquo. Duobus forte scripti hujus locis ab illius edendi consilio deterritus est: uno, ubi Chrodobertus scribit: *Quas quatuor synodos* TANTUM, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, et Chalcedonensem, *terra nostra veneranter recipit et concredit*; altero, ubi asserit quod Maria Magdalena *ipsa prima post resurrectionem antequam nullus apostolorum et antequam mater Domini gloriosissima Maria semper virgo, et angelos, et Dominum meruit videre.*

Ex primo loco sequitur, synodum quintam, quæ tria capitula damnaverat, nondum a Gallicanis Ecclesiis receptam fuisse septimo sæculo jam mediam partem elapso: quod et persuadet affectata hæc Chrodoberti restrictio, per quam innuit aliquam generalem synodum rejectam a Gallicanis episcopis; nec aliam quam universalem quintam. Etsi obscura sit admodum rerum istarum memoria in Gallicanæ antiquitatis monumentis, hoc tamen ex nonnullis certum **1505** apparet, pro tribus capitulis decertasse Gallicanam Ecclesiam: quod eo libentius hic attingo, quod vir doctissimus H. de Noris, qui hanc controversiam amplissima nuper dissertatione historica versavit, de omnibus aliis Ecclesiis multa, de Gallicana nihil protulit, ex quo de ejus sententia in hoc celebri dissidio aliquid disceremus. Manifestum igitur illud facere primo loco videtur epistola Vigilii papæ ad Aurelianum Arelatensem episcopum, a quo litteras acceperat, quibus constabat Vigilium in suspicionem venisse apud Gallicanas Ecclesias vel violatæ fidei vel læsæ reverentiæ synodo Chalcedonensi Leonisque decretis debitæ. *Necesse ergo nobis est*, inquit Vigilius, *charitatis vestræ sollicitudinem brevi interim, quantum pro temporis qualitate potuerimus, relevare colloquio; quatenus modis omnibus confidatis, nihil nos penitus admisisse, quod decessorum nostrorum constitutis, vel sanctæ quæ una eademque est, fidei quatuor synodorum, id est Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ* I *atque Chalcedonensis inveniatur, quod absit, esse contrarium*; AUT QUOD AD PERSONARUM INJURIAM *pertineat, quæ definitioni ejusdem sanctæ fidei subscripserunt*; et postea: *Simili pœna plectentes eos, qui fidem B. Cyrilli..... aliorumque Patrum, quos apostolicæ sedis præsules susceperunt atque secuti sunt, exsecranda superbia impiam vocaverunt.* Vides ut nostrates episcopi moleste ferebant Vigilium admisisse (quod fama jactabat) aliquid, quod ad eorum injuriam pertineat, qui Chalcedonensi fidei subscripserant, et quos apostolicæ sedis præsules susceperant: quibus verbis tria capitula clare designat.

Idem testantur verba Datii Mediolanensis episcopi in epistola legatis Francorum directa, quæ est apud Sirmondum, tom. I Concil. Gall. *Ecce ego et pars omnium sacerdotum, inter quos Ecclesia mea constituta est, id est* GALLIÆ, *Burgundiæ, Spaniæ, Liguriæ, Æmiliæ, atque Venetiæ, contestor quia quicumque in edicta ista* (Justiniani contra tria capitula) *consenserit, supra scriptarum provinciarum pontifices communicatores habere non poterit*, etc. Et infra notatur Anastasius Aureliani legatus, quod promiserat Constantinopoli *se omnium episcoporum Gallicanorum ad damnanda capitula animos inclinare*, quod propensos in eadem Gallorum animos demonstrat. De eorumdem mente et sententia aliquid habetur in fragmento damnationis Theodori episcopi Cæsareæ Cappad. a Vigilio PP. factæ, tom. V Concil. novæ edit. pag. 335.

In eadem sententia perseverasse Gallos etiam post synodum quintam, mihi persuadet altum de ista synodo silentium in Gallicanis illius ævi conciliis aliisve monumentis: ex quo habetur Gallos de quinto concilio recipiendo sollicitatos non esse, sed antiquæ suæ opinioni permissos: quomodo et cum aliis plerisque Ecclesiis actum est, quæ etsi nec tria capitula damnarent, nec quintam reciperent synodum, communionis **1506** tamen nexum non abrumpebant cum capitulorum damnatoribus ac synodi quintæ assertoribus. Hac temperantia usum esse cum Gallis Pelagium PP. probat ejus epistola ad Childebertum regem, quam scripsit, ut nihil a se contra fidem esse admissum profiteretur, in suspicionem ea de re vocatus in Galliis ex damnatione trium capitulorum: ad quam et ad receptionem quintæ synodi tantum abest ut Gallos pertrahere satageret, quin potius de eadem sermonem habere caute refugit, cum scribit, quod *a transitu divæ memoriæ Theodoræ Augustæ nullas de fide quæstiones Ecclesia Dei in partibus Orientis Deo miserante formidet, sed quædam capitula extra fidem fuerunt agitata, de quibus longum est ut epistolari possint complecti sermone.* Tum sollicite adversus sparsos contra se rumores se purgat, ne verbum quidem de synodo quinta miscens, cujus tamen occasione de fide suspectus jactabatur in Galliis. Hæc anno 556, a synodi celebratione tertio: nec multo post ut regis præcepto obtemperaret, *pro auferendo eodem suspicionis scandalo obsequium confessionis suæ* ad eumdem Childebertum misit; ubi profitetur *se tenere atque defendere definitiones de eadem catholica fide, quæ in quatuor sanctis conciliis statutæ sunt.* De quinta ut verba faceret aliorum mentio sollicitabat; pressit tamen silentio, ne regi parum grata foret epistola, servatam a S. Gregorio aliisque pontificibus hoc in negotio ἐκκονομίαν custodiens.

Nihil postmodum contigit in Gallis, quod episcopos Gallicanos in aliam sententiam impelleret: quamobrem facile persuademur non esse receptam synodum quintam sedente Turonis Chrodoberto, hæcque scribente: *Quatuor synodos tantum terra nostra veneranter recipit et concredit.* In quo pene exemplum secutus est cum Pelagii ad Childebertum scribentis, ut vidimus, tum S. Gregorii Magni, qui scribens ad Theodolindam Longobardorum reginam a recipienda quinta synodo alienam, ab hujus synodi mentione abstinuit, quatuor solummodo commemorans (*Lib.* III, *epist.* 17): *Unde nunc ita facimus, sicut vobis placuit*, scribit ad Constantium Mediolanensem, *ut quatuor synodos solummodo laudaremus... Nos autem sicut voluistis ita fecimus, ut ejusdem synodi quintæ nullam memoriam faceremus.* Trepidavit igitur timore Sirmondus ubi non erat timor, si propter hæc Chrodoberti verba istud ejus de muliere adultera judicium tenebris damnandum putavit.

Alterum caput quod attinet, de prima Christi resurgentis apparitione, scio Jansenium utrumque in hæc verba, *Apparuit primo Mariæ Magdalenæ*, scribere hæc non obstare quin Dominus antea apparuerit beatissimæ matri suæ: *Pietas non parum suadet ut credamus Dominum prius apparuisse dilectissimæ suæ matri.* Maldonatus, in cap. XXVIII Matthæi: *Merito*, inquit, *a catholicis creditur, quamvis scriptum non sit, Christum primum omnium matri suæ apparuisse.* **1507** Et infra: *Primum quidem matri suæ apparuisse, non quod evangelistæ factum dicant, sed quod fieri decuerit, credendum est: nec eorum mihi placet diligentia, qui in hac opinione in animis omnium fere catholicorum jam inhærente refutanda multum operæ consumunt.* Quin *B. matri ante omnes apparuerit nemo dubitat*, inquit Toletus in Joannis cap. XX. Sunt tamen catholici pilique doctores qui dubitent quos recensere non est hujus otii. Sufficiet ad sententiam Chrodoberti a censura vindicandam, Guillelmi Estii insignis doctrinæ ac pietatis viri regulam sapientia plenam hic ex annotationibus ejus in Marcum transcribere. « Afferuntur (inquit) pro hac sententia rationes quædam congruentiæ. Sed circa hujusmodi rationes notandum est, ante omnia respiciendum ad id quod Scriptura vel Ecclesia docet; et, eo cognito, rationes convenientiæ adhibendas ad id probabilius reddendum: non autem e contrario aliquid statuendum ex hujusmodi rationibus contra id quod vel Scriptura, vel Ecclesia dicit aut tenet. Quale est ex quibusdam rationibus congruentiæ velle probare Christum a morte redivivum primo suæ matri apparuisse, cum Scriptura tam clare dicat eum primo apparuisse Mariæ

Digitized by Google

Magdalenæ, nec usquam alibi diversum insinuet. Quod si secundum hujusmodi ratiunculas procedendum sit, oportebit ut Christus etiam matrem suam adhibuerit cœnæ novissimæ, eamque primo loco honoris causa collocaverit; et ei primum corpus et sanguinem suum distribuerit: ut bene argumentatur Hesselius.

AD EPISTOLAM CXI.

APUD QUESNELLUM LXXXIV.

Marciano Augusto.

1. *Cum communionem apostolicæ sedis expeteret.* Ita Griman. cod., pro quibus vulg. habent: *Dum communione apostolicæ sedis existeret alienus*, quod falsissimum sensum continet. Absit enim ut pontifex, qui Flavianum alloquens epist. 20 (*nunc* 23) matura vult sacerdotum esse judicia, sola suspicione motus communionem suam Anatolio denegarit, quod revera factum non fuisse indicat epistola 54 (*nunc* 70) ad Pulcheriam, ubi asserit Anatolio se *non dilectionem negare, sed manifestationem catholicæ veritatis exspectare.* Distulit igitur sola communionis indicia.

2. *Pacis epistolis.* Hujusmodi litteras pacificas seu communicatorias vocavere antiqui, quia pacis, seu communionis ecclesiasticæ indices testesque erant. De his Augustinus epist. 62 et 65. Epiphanius, hæres. 70, et alii. Ad strictiorem tamen significatum coarctari possunt hæ voces in præsenti **1508** epistola; ut videlicet significent eas speciatim litteras quibus ad recens ordinatum episcopum rescribebatur seu a pontifice Romano, seu a quocumque alio; sicut sumuntur apud Theodorum Balzamonem pro iis quas ab episcopo nuper consecrato missitari solitum erat.

3. *Totius causæ et curæ ecclesiasticæ.* Ex his et aliis sequentis epistolæ verbis intelligere est quanta esset archidiaconi auctoritas, quæve munia: de quibus consule etiam epistolam Isidori Hispalensis ad Ludifredum seu Lantfredum, quæ refertur distinct. 25, cap. 1, *Perlectis*, in qua Romanorum correctorum corrigenda est emendatio, qui ex mss. legendum volunt: *Ab ipso publice in Ecclesia prædicatur:* reponendum enim, ut erat antea, *prædicantur*, scilicet *jejuniorum dies atque solemnitatum;* nondum enim tunc temporis concessum erat diaconis vel archidiaconis, sed nec presbyteris, ut publice ad populum sermonem haberent in Italicis, Gallicanis, vel Hispanicis regionibus: licet SS. Joannis Chrysostomi, Augustini, et aliorum exemplo doceamur, hanc consuetudinem in Orientalibus et Africanis jam tum usu receptam fuisse. Multa etiam alia loca videsis apud eumdem Gratianum, et alios.

4. *Cœmeterio deputando.* Priscis Ecclesiæ temporibus solitum erat Christianis in cœmeteriis sacra mysteria peragere tum propter persecutionem, cum propter reverentiam martyrum, qui illic sepulti quiescebant: unde et Valeriani, et aliorum imperatorum edictis prohibiti sunt cœmeteria adire, in eoque charitatis ac pietatis officio deprehensi, morti sunt traditi. Reddita porro Ecclesiæ pace iisdem cœmeteriis deputati sunt presbyteri, qui illic sacra Deo facerent in honorem martyrum. Sed cum successu temporis refrigescente charitate cœmeteriis addici onerosum presbyteris videretur, quia et remotiora erant ab urbibus, et minus frequentata quam communia fidelium templa, cœpit eorum cura inferioris ordinis presbyteris demandari: quod genus contumeliæ queritur Leo fuisse archidiacono irrogatum.

5. *Necessarie increpare*; id est, incessanter, continuo, sine mora vel intermissione, donec ad correctionem adducatur. *Necessum* enim a *cesso* deductum est, quia non sit in eo cessandum, inquit Donatus in Terentium. Eodem sensu accipitur ea vox apud Leonem nostrum epist. 20, 71, 78, 86, 90 et 139 (*nunc* 23, 92, 104, 113, 116 et 171), et in sermonibus sæpe sæpius.

6. *Ut a comitatu vestro non abesset.* His verbis similia habes in epistolis sequentibus: ex quibus deprehendere licet vicariorum, seu, ut nunc loqui consuevimus, (*a*) nuntiorum sedis apostolicæ in comitatu **1509** agentium originem: quos quidem non male viros eruditos secutus comparaveris cum patriarcharum Orientalium apocrisiariis; si tamen nonnulla inter utrosque observaveris discrimina. Unum est, apocrisiarios jam tum a patriarchis ad comitatum Orientalis imperatoris destinatos fuisse, cum Byzantium translata est sedes imperii: vicarios autem pontificis Romani post vel paulo ante Chalcedonensem synodum fuisse institutos in persona Juliani Coensis episcopi. Secundum, patriarcharum apocrisiarios non pro causa fidei, sed pro specialibus Ecclesiæ vel diœcesis negotiis in comitatu moratos fuisse; nuntios vero Romanos pro rebus fidei curandis ibidem residere jussos. Tertium, illos plerumque ex diaconorum vel presbyterorum ordine assumptos fuisse ad hujusmodi munera: hos interdum etiam ex episcopali, pro dignitate scilicet apostolicæ sedis, ut in Juliano apparet. In hujus ergo vicarii institutione Orientalium patriarcharum morem æmulatus est sanctus Leo, in multis tamen ab eisdem se pro sua prærogativa discernens, et certis incrementis et accessionibus munus hoc complens atque adornans. Quod penitius inspicere otiosum, opinor, non erit, neque ab hoc loco alienum. Viderat sanctus Leo per novam Nestorii hæresim Orientales Ecclesias diris procellis jactatas concussasque, vix ac ne vix quidem per concilii Ephesini definitiones quievisse: cumque hujus synodi tempore diaconi sub Cœlestino papa munere fungeretur, et ecclesiasticorum negotiorum curam ut pontificis administer gereret, intellexit quantum fidei interesset, ut Constantinopolitanæ Ecclesiæ catholicus inprimis episcopus præesset: plerumque enim ad hanc dignitatem ii provehebantur, qui plurimum apud imperatorem gratia et favore pollebant: quo fiebat ut qui semel pravis opinionibus corrumpi se sivissent, easdem inspirarent Augusto imperiique administris, et eorum potestate ad tutandam hæresim suam abuterentur. Non ignorabat etiam Constantinopolitanum antistitem canone secundi concilii fretum totis viribus amplificandæ potestati suæ incumbere, nec prius molitionibus suis finem positurum, quam sibi majores omnes primates subjecisset; quibus subjectis timendum erat ne de minuenda pariter Romanæ sedis auctoritate aliquando cogitaret. Constantinopolitanum **1510** imitabatur Jerosolymitanus; qui in *Ephesina synodo ad obtinendum Palæstinæ provinciæ principatum credidit se posse sufficere, et insolentes ausus per com-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Etsi hinc apostolicorum nuntiorum species et origo repeti queat, non tamen ad apocrysiariorum normam Juliani delegationem institutam, satis constituimus in observat. ad dissert. 1 Quesn., annot. 3, ad an. 453. Cum Julianus in Romana Ecclesia fuisset nutritus, Leoni etiam esset notissimus ac pernecessarius, huic maxime S. pontifex fidit, delegationemque eidem apostolicam ob solam fidei causam idcirco commisit, quia in episcopo Constantinopolitano eum fidei vigorem non deprehendit, quem difficiles ejus temporis, circumstantiæ efflagitabant. Alia consilia Leonis etiam anterioris temporis, et secreta cum Quesnello conjicere, divinare est, seu potius somniari: nullo enim documento probari queunt. Quod si is ante hoc tempus Constantinopoli aliquando fuisse invenitur, nihil mirum, cum Græcæ Ecclesiæ episcopus, et a Constantinopoli non multum distans, variis de causis, facile et identidem eo posset accedere, ut ne in comitatu quasi nuntius pontificis exstitisse dicendus sit. Hac quidem tantummodo epistola ne a comitatu abesset Leo exigit: quod hoc tantum tempore nuntii officium eidem imposuerit. De cæteris, quæ hoc loco Quesnellus urget, vide admonitionem præmissam epistolæ Juliani ad Leonem Augustum, quam appendici Epistolarum supra (*Col.* 1241) insertam invenies.

Digitized by Google

mentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus episcopus merito perhorrescens, scriptis suis mihi, inquit S. Leo, *quid prædicti cupiditas ausa sit, indicavit : et sollicita prece multum poposcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur assensio.* His pontifex consideratis existimavit optimum fore, si in urbem regiam aliquem vice sua mitteret, qui propius Constantinopolitani episcopi mentem et consilia contemplaretur, communi fidei et ecclesiasticæ paci invigilaret, referretque ad Romanam sedem quidquid ad propriam amplitudinem contra fidem, canones Nicænos, et statuta ecclesiastica, vel a Constantinopolitano, vel ab alio tentaretur, quo citius nascenti malo occurreret, ageretque apud imperatorem de compescendis conatibus fidei christianæ et ecclesiasticæ disciplinæ contrariis. Sed palam hoc aggredi periculosum erat ; Orientales enim numquam non moleste tulerunt res sibi suas pro arbitrio agere ab Occidentalibus non permitti, nec spes erat ut Constantinopolitanus antistes splendore suæ sedis (qui et in imperium ipsum reflectebatur) inflatus ac procerum ipsiusque Augusti gratia munitus, rem eam pateretur, quæ ipsa etiam novitate perodiosa videbatur. Quid ageret sanctus Leo, vir solertissimus? Elegit Julianum episcopum Coensem, virum ecclesiasticarum rerum peritissimum, qui cum in Romanæ Ecclesiæ sinu enutritus esset, totus ad Occidentales Romanosque mores compositus erat, et apostolicæ sedis studiosissimus : quo etiam, ut Græcanicæ Ecclesiæ episcopo, nullus erat futurus Græcis acceptior, Græcorumque ingeniis tractandis aptior.

Sed cum Leoni præterea animus esset nihil adhuc, nisi secreto, tentare, nemo erat cujus mora in urbe regia et in omitatu minus suspecta futura esset, quam unus ex iis episcopis quorum ordinationem Constantinopolitanus ad se traxerat, quos etiam ibidem sæpius adesse jubebat illos ad ecclesiasticarum quæ occurrebant rerum tractationem : quorum denique non paucis in comitatu frequenter adesse, ad suarum Ecclesiarum negotia apud imperatorem procuranda, **1511** necessitas erat. Talis erat Julianus. Hunc pluribus etiam annis ante synodum Chalcedonensem Constantinopoli egisse arbitror ex secreto Leonis mandato, ut pro rebus fidei et disciplinæ clam ibi in excubiis esset. In regia siquidem urbe versabatur ann. D. 448, cum Eutyches violatæ fidei accusatus est et damnatus in concilio Constantinopolitano sub Flaviano episcopo : de cujus damnatione scripsit ad sanctum Leonem litteras fidei vigore plenas, hunicque Leo rescripsit epist. 25 (*nunc* 35) fusius eum instruens de incarnationis mysterio, vehementiusque exhortans ut iis qui Evangelium Christi corrumpebant, constanter resisteret. Inde igitur ratio suspicandi jam tum habuisse Julianum in secretis mandatis, ut de fidei et Ecclesiæ Orientalis statu sedulo moneret apostolicam sedem, licet nihil de hoc in epistolis apparere vellet propter rationem quam superius attigimus. Immo videtur Julianus pro cura sibi commissa adeo sollicitus fuisse, ut non contentus per priorem hanc epistolam monuisse Leonem de Eutychetis errore et damnatione, alteram eodem fere tempore per alium miserit, qua de eodem hæretico in perversitate sua veterascente pontificem nostrum certiorem faceret : qui et similiter iterum scripsit ad eumdem Coensem episcopum, monuitque de legatis suis, quos ad concilium ab imperatore indictum mittebat, et de epistola quam dederat ad Flavianum, nec non de tota ratione, quam tenendam in hac causa existimabat, ut scilicet partes miserationis non omitterentur : ut si Eutyches resipisceret satisfaceretque, a sententia, qua obstrictus erat, absolveretur ; si vero in insipientiæ suæ luto jacere deligeret, cum eis haberet sortem, quorum secutus fuerat errorem.

Quid quod statim atque de Ephesino latrocinio certior factus esset pontifex, litteras ad Julianum dedit, quibus monet nihil a se omitti eorum quæ ad reparandas Ecclesiæ res profutura existimabat ; eumque A secretioribus perlatoris alloquiis edocendum quidquid pro præsentium temporum conditione dispositum fuerat. Quod innuit litteras quoque a Juliano datas fuisse ad sanctum Leonem, quibus de nefanda Ephesinæ pseudosynodi prævaricatione instrueretur ; et tam illæ quam istæ arguunt nonnullam rerum Ecclesiæ curam Juliano impositam fuisse a pontifice Romano, si non palam et publice, saltem secretius, ut diximus, exercendam.

Eamdem ob causam scribens ad Pulcheriam Augustam idibus April. ann. 451, antequam Romæ quidquam de indicta synodo Chalcedonensi rescitum esset, hæc habet : *Illud etiam a vestra pietate poscentes, quod vos spontaneo facere non dubitamus arbitrio, ut tam fratrem et coepiscopum meum Julianum, quam Constantinopolitanos clericos, qui sanctæ memoriæ Flaviano fidelibus obsequiis adhæsere, ea qua debetis gratia faveatis.* Quod iisdem fere verbis repetit in epistola **1512** eodem tempore scripta ad Anatolium ; ut facile deprehendatur secretum Leonem inter et Julianum jam tunc fuisse initum commercium, quale solet esse vicarii seu nuntii Romani cum ejusdem urbis pontifice : siquidem non aliter fere quam in præsenti postea commendatus est Julianus imperatoribus, cum cœpit ejus legatio omnibus innotescere. B

Amplius adhuc sese explicuit ista legatio cum sanctus Leo, mittens in Orientem Lucentium et Basilium, non omisit Julianum et ante eorum ex Urbe profectionem monere, et per eosdem litteris suis convenire. Has modo e tenebris eruimus, quibus patet jam tunc Julianum Ecclesiæ negotiis sollicitudinem suam ex Leonis mandato impendisse. *Per fratres*, inquit (*Epist.* 66, *nunc* 86), *nostros Lucentium episcopum, et Basilium presbyterum, quos Constantinopolim indicaveramus nos esse missuros, debitum reddo colloquium, admonens ut studium diligentiæ tuæ eisdem hominibus sociare digneris.* Et postea : *Quid igitur legatis nostris injunctum atque commissum sit, ipsorum insinuatione cognosces, eum mihi atque illis impensurus* C *affectum, ut quæcumque ipsis mandata sunt, dilectionis studio et sollicitudine sociata, adjuvante Domino, perveniant ad eum, quem optamus, effectum.* Hæc scribebat Leo cum legatos mitteret, qui res Ecclesiarum Orientalium componerent. Sed cum litteras Augusti accepisset de convocato apud Nicæam concilio œcumenico, hoc statim inito consilio, ut Julianum legatis, quos ad illud dirigebat, pariter adjungeret : quod pluribus quidem litteris ea de re scriptis testatum habetur, sed iis præ cæteris, quas dedit ad ipsum Julianum, quæque nunc primum a nobis luce donantur. *Necessarie*, inquit (*Epist* 71, *nunc* 9), *fraternitati tuæ, quod omni Ecclesiæ prosit injungimus, ut cum fratribus et coepiscopis nostris Paschasino, et Lucentio, sed et fratribus, et compresbyteris nostris Bonifacio, et Basilio, quos vice nostra ad prædictum conventum ire præcipimus, curam tuam actionemque conjungas, in omnibus auctoritate nostræ præceptionis usurus : quoniam* D *scimus omnium illic actarum rerum majorem te quam nostros habere notitiam ; ut dum curam tuam illis consiliumque sociaveris, in nulla parte fallantur.* In eadem pene verba de hac legatione scribebat Anatolio CP. in epistola recens a nobis publici juris facta ; quæ opinioni nostræ plurimum suffragatur, cum Juliani fidem sibi pluribus experimentis probatam esse suggerit. *Ut participe*, inquit (*Epist.* 70, *nunc* 91), *in omnibus actionibus fratre et coepiscopo nostro Juliano, cujus fidem sæpe probavimus, nostra vice utantur in futuro concilio.* Quibus concinunt epist. 71 jam laudatæ prima hæc verba : *Quid de dilectionis tuæ animo judicemus, sæpius agnovisti ; præcesserunt enim plurima quæ nos facerent ista præsumere.*

Quod vero tandem post completum Chalcedonense concilium vice pontificis Romani Constantinopoli seu in comitatu resederit, **1513** quoniam et ab aliis notatum, et expresse habetur assertum in epistolis 86 et 88 (*nunc* 113 *et* 117) ad Julianum, 84 et 89 (*nunc* 111 *et* 115) ad Marcianum, 85 et 80 (*nunc* 112 *et* 116)

Digitized by Google

ad Pulcheriam Augustam; his diutius immorari supervacaneum fit.

Cæterum legationem Juliani durasse usque ad an. 457 inde conjicimus, quod geminam habemus Leonis ad ipsum epistolam hoc eodem anno mensibus Julio et Septembri scriptam; sed ex iisdem pariter litteris conjici potest circa hæc tempora Julianum ad Ecclesiam suam remeare meditantem, legationi nuntium remisisse. Cum enim per multos jam annos ab Ecclesia Coensi sibi divinitus credita abfuisset, ex morte Marciani occasionem forsitan sumpsit postulandi a Leone successorem, qui Marciani successori, ut legatus, adesset. Et quidem de Juliano nulla fit mentio apud sanctum Leonem post hunc præsentem annum 457, a cujus etiam mense Septembri nulla ad eumdem data reperitur fuisse epistola. Ea illa porro quam ad illum scripsit sanctus Leo kalendis Septembris, queritur pontifex prætermissam ab illo fuisse scribendi occasionem peropportunam; in altera Aetii curam et sollicitudinem pro suis litteris ad metropolitanos mittendis interpellat, eumque jungit Juliano, quasi præsentisceret, monitus forte præcedentibus litteris illum amplius Constantinopoli non esse inveniendum.

Cum vero peculiarem etiam epistolam dederit eodem die ad Aetium presbyterum, qua ipsius curæ ac diligentiæ plura committit alicujus momenti negotia, persuasum prorsus habeo presbyterum illum successisse Juliano Coensi, et a Leone pariter delectum fuisse cui suas vices pro custodia fidei et ecclesiastica pace crederet in regia civitate, et cujus relationibus de omnibus instrueretur. Sed vix istud in dubium vocare sinunt litteræ a Leone PP. ad Leonem August. datæ kalend. Decemb. hujus anni, id est, tribus post istas mensibus; quibus litteris sic imperatori commendat Aetium presbyterum, ut eum facile ad negotiorum tractationem legati auctoritate et nomine Juliano primo conjunctum fuisse existimes, tum vero subrogatum. Ita enim ad finem scribit (*Epist.* 125, *nunc* 156, *cap.* 6) : *Cultores autem pietatis tuæ Julianum episcopum et Aetium presbyterum mea petitione commendo, ut suggestiones eorum pro catholicæ defensione fidei placide digneris audire : quia vere sunt ejusmodi, ut fidei vestræ possint per omnia utiles inveniri. Aetium* enim *presbyterum* ex Griman. ms. reposuimus in hoc textu pro *Eutychio*, quem habent edita omnia exemplaria mendose, ut præterea rerum series docet.

Aptissimus erat hujusmodi muneri Aetius, cujus industria rerumque gerendarum peritia in officio archidiaconi et primicerii notariorum urbis Constantinopolitanæ, in quo diu versatus fuerat, maxime enituerat; nec non in concilio Chalcedonensi, cujus **1514** Acta creberrimam Aetii mentionem faciunt. Insuper, cum ab Anatolio per speciem provectionis dejectus esset ab archidiaconi gradu, et ob hoc sæpe Leonis litteris apud Augustum commendatus, timendum non erat pontifici ne ille in Constantinopolitanum episcopum plus æquo propensus foret, aut quidquam eorum dissimularet quæ contra vel fidei veritatem vel canonum reverentiam, Anatolio seu auctore seu connivente, attentarentur. Hoc denique erat commodi, quod nihil eum latere poterat rerum Orientalium, diu videlicet archidiaconi perfunctum munere, cui omnia Ecclesiæ negotia concredi solita erant.

Ut autem presbyterum, non episcopum, vice sua ornaret sanctus Leo, præter rationes prædictas, hæ forsitan esse possunt quod vix beatis illis temporibus aliquem invenisset antistitem qui diu ab Ecclesia sua exsulare acerbe non tulisset. Altera hæc esse potuit ratio, quod Constantinopolitani antistites non diu æquo animo tulissent episcopum in urbe sua pontificis Romani nomine morantem. Licet enim sanctus Leo illorum invidentiæ aut æmulationi aliquatenus occurrisset, cum vicem suam Juliano committens, eumque epist. 86 (*nunc* 113) instruens, *sequestravit earum actionem causarum, quæ in quibusque Ecclesiis præsulum suorum debent cognitione firmari;* tamen episcopus jurium suorum amplitudinisque suæ studiosissimus, non poterat non timere ne sensim cresceret hujusmodi vicariorum potestas, et ultra terminos præfixos excurrens aliquam suæ jurisdictionis partem tandem aliquando invaderet. Evanescebat aliquo modo hæc timendi ratio, securitasque omnis hac via Constantinopolitano conciliabatur. Hanc sapientissimam Leonis nostri οἰκονομίαν æmulati sunt ipsius successores per multum temporis. Pelagius enim Romanæ Ecclesiæ diaconus, postea pontifex, nomine Agapeti papæ, et Gregorius Magnus, dum adhuc esset diaconus, nomine Pelagii II, aliique subinde plures Constantinopoli apocrisiariorum seu nuntiorum apostolicæ sedis munere functi sunt, episcopis suo gregi invigilare, eumque verbo et exemplo pascere permissis.

AD EPISTOLAM CXIII.

APUD QUESNELLUM LXXXVI.

Juliano Coensi episcopo.

1. *Per speciem provectionis.* Simile exemplum simulatæ hujusmodi provectionis habes apud Gregorium Magnum de Honorato archidiacono Salonitano lib. I Reg., epist. 10 et 19, et lib. II, epist. 16. Ea quippe erat archidiaconorum potestas, ut presbyterali etiam præferretur ordini. Illius enim jurisdictioni suberant et presbyteri et archipresbyteri, cum horum ultimorum dignitas Ecclesiæ cœpit innotescere. Cujus disciplinæ ratio ea esse mihi videtur, **1515** quod archidiaconus vices episcopi gerebat, totiusque Ecclesiæ erat œconomus, saltem in Ecclesia Occidentali; Orientalis enim œconomos ab archidiaconis distinctos habebat. Ægre tamen ferebant presbyteri hujusmodi subjectionem ordini suo aliquo modo contumeliosam: quo factum est ut posterioribus sæculis presbyterali honore decorati sint archidiaconi, cum antea, ut ex Leone et Gregorio colligimus, tunc degradari censeretur archidiaconus cum ad presbyteratum promovebatur.

2. *Breviarium fidei.* Edidit Jacobus Sirmondus Breviarium fidei adversus Arianos conscriptum, quod suspicatus est hoc ipsum esse quod missum a Juliano Coensi, queritur hic S. Leo sibi non esse redditum. Refragatur Chiffletius Sirmondi socius, qui in præfatione ad Ferrandum diaconum testatur se illud Breviarium fidei Alcuino diacono ascriptum reperisse in cod. ms. Carthusiæ Portarum. Et certe licet ejusmodi libellus catholicum dogma strenue propugnet, non tanti tamen esse videtur, ut ad eruditissimum pontificem Leonem ab Oriente Romam usque transmitti debuerit, præsertim cum Arianos, quorum causa tunc temporis non vertebatur, magis impugnet quam Eutychianos, quicum res erat catholicis episcopis. Mihi vero fere persuasum est (*a*) Breviarium illud fi-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cum definitionem fidei jam antea Leo approbasset, ut indicatur epist. 114, c. 1, eam forte allatam per legatos, qui jam redierant, et ab aliquo Latine redditam accepisse indubium videtur, ac propterea hanc intelligere non potuit *Breviarii* nomine, quod a se nondum acceptum tradit. Quid quod *Breviarii* vox integro documento non congruit? Esto igitur *Tractatus fidei* dicta sit definitio Chalcedonensis, non tamen *Breviarium fidei* appellata dicenda est. Probabilius autem credimus hoc nomine significari Latinum compendium duarum actionum Chalcedonensium tertiæ et sextæ, quod conservatum nobis fuit in vetustissimo codice olim Veronensi, nunc autem Vaticano 1322, et a Baluzio editum est, ac insertum tom. IV Concil. Ven. edit. col. 2065. Cum vero ex harum duarum actionum Breviario pateat quidquid gestum fuit circa fidem, *Breviarium fidei* recte potuit appellari. De Breviario autem adversus Arianos, quod edidimus in

Digitized by Google

del a Juliano missum, aliud nihil esse quam definitionem ipsam Chalcedonensis concilii, seu *tractatum fidei*, ut alibi pluries vocatur. Duas partes habet illa definitio actione 5 : unam, quæ sic incipit : *Dominus noster et Salvator Jesus Christus*, etc., quæ in Chalcedonensis concilii Græco-Latina Romana, Binii et Labbei editionibus præmittitur Symbolo Nicæno et Constantinopolitano : alteram, quæ utrumque illud Symbolum sequitur in iisdem editionibus, et prima hæc habet verba : *Sufficeret quidem*, etc. Idem fere in codice nostro Romano et apud Isidorum Mercatorem. Bipartitum porro illud decretum, quod apud Crabbeum, Surium, et Nicolinum sub quadruplici interpretatione editum est, unicam et plenam definitionem conflare creditur a Severino Binio in suis ad hanc synodum annotationibus, ita ut altera pars alteri cohærere, et neutra ab altera disjungi debeat. Apud Crabbeum vero, Surium, et Nicolinum in geminam definitionem dispertitur; seu potius in definitionem fidei, **1516** quæ prior est; et tractatum fidei, qui definitioni subjungitur. Ita illi ad act. 5 et 6, in qua ultima hanc posteriorem partem, *Sufficeret quidem*, etc., appellant *tractatum fidei*. Quod quidem confirmare videtur Liberati Breviarium, qui singulas actiones Chalcedonensis concilii recensens, hæc de quinta scribit : *Quinta sessione hoc actum est, tractantibus cum episcopis et judicibus, ut fides confirmaretur, et ex tractatu Anatolii Constantinopolitani episcopi et omnium episcoporum metropolitanorum, dictatum est fidei Symbolum cum definitione, et confirmatum est.* Surio et Liberato succinunt Toletani in concilii Patres, qui catholicam fidem Gothis ex Ariana perfidia conversis subscribendum proponentes, post fidem Nicænam et Constantinopolitanum Symbolum hunc tractatum subjiciunt, qui in confessione subscriptione regis et reginæ munita appellatur *tractatus Chalcedonensis concilii;* in confessione item episcoporum, *tractatus fidei Chalcedonensis concilii;* vel, ut habet alia editio Garsiæ Loaysæ, *Sancta fides, quam exposuerunt tractatus Chalcedonensis concilii.* Qui tractatus in hoc concilio prima illa definitionis parte omissa, quæ incipit, *Dominus noster et Salvator Jesus Christus*, etc., solam posteriorem, *sufficeret quidem*, etc., continet.

Ex dictis non sine causa suspicor eumdem hunc fidei tractatum esse quem Leo et Julianus Breviarium fidei appellarunt. Patet enim ex epist. 77 (*nunc* 102) ad Gallos kalendis Februariis anni superioris 452 data, nondum Leonem de Gestis Chalcedonensis concilii instructum tunc fuisse; nec aliud de illo didicisse quam per confirmationem et approbationem suæ ad Flavianum epistolæ Eutychianam perfidiam fuisse damnatam cum Dioscoro ejus adjutore. Hoc ante reditum legatorum a synodo, post illorum autem reditum iterum scripsit ad eosdem Galliæ episcopos, confirmataque Eutychis et Dioscori damnatione transmisit exemplar sententiæ adversus utrumque latæ in concilio : sed de definitione et tractata fidei ne verbulum quidem; unde merito crediderim nec per illud quoque temporis Leonem habuisse perspecta synodi illius Acta et instrumenta : quæ causa fuit cur hæc a Juliano Coensi postularet, hortareturque ut illa omnia nitide translata et per ordinem digesta sibi quantocius transmitti curaret; **1517** iisque comprehendi arbitror tum chartas quas Aetius indicaverat esse directas, tum Breviarium quod Julianus a se missum fuisse significaverat, quæ a se non recepta querebatur S. Leo.

3. *Gestorum synodalium.* Hinc definire licet, **1518** ni fallor (*a*) Acta Chalcedonensis concilii eo quo nunc

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

appendice hujus tomi II, vide admonitionem eidem præmissam col. 283 (*Vide nostrum tomum II.*)

(*a*) Ut de hac tertia Quesnelli nota judicium feratur, statuendum est quid ex concilio Chalcedonensi ante Rusticum Latine redditum fuerit, et quid ipse Rusticus præstiterit. Aliquot tantum particulæ gestorum Chalcedonensium ante integram eorumdem versionem Latine redditæ sunt. Num Latinum exemplar sententiæ quod Leo ad Gallos direxit cum epist. 103 originale sit, an interpretatio ex Græco, certum non est, ut ibidem monuimus annot. 6. Prima autem certa interpretatio est illa totius fere actionis 6 exhibita in codice Vaticano 1322, de qua plura diximus in observat. ad dissert. 9 Quesnelli in causa Domni. In hac inserta est definitio concilii Chalcedonensis; quæ iterum ex alia versione in eodem manuscripto subjicitur, ut in memoratis observationibus animadvertimus. Hujus autem definitionis quinque interpretationes a Baluzio recusæ inveniuntur tom. IV Conciliorum Ven. editionis, una ex Hispanica et Isidoriana collectionibus sumpta col. 2055, d, aliæ quatuor ex aliis collectionibus antiquis, col. 2057, b, quarum una eadem est ac secunda laudata codicis Vaticani. Omnes vero sunt anteriores illis duabus quas antiquus omnium actionum Chalcedonensium interpres lucubravit, et alteram inseruit actioni quintæ, alteram sextæ. Hinc autem a sex interpretibus hanc definitionem ex Græco, ante omnium Actorum versionem, Latine redditam credimus. Duæ quoque versiones canonum integra omnium Actorum interpretatione vetustiores supersunt, quarum altera in Quesnellianam, aliasque antiquissimas diversæ originis collectiones, Vaticanam Reginæ, Barberinam, Lucensem, et Colbertinam, atque Justellianam, altera in Hispanicam, et exinde in Isidorianam traducta fuit. Tres præterea actiones ad Maximum Antiochenum pertinentes vivente Leone Latine redditas in citatis observationibus ad diss. 9 Quesnelli exhibuimus. Tandem præter nonnullas Marciani litteras ante et post synodum promulgatas, quæ cum in diversæ originis collectionibus Latinis similes inveniantur, editæ videntur Latine, et ex Latino originali derivatæ, quæque statim Romanis et Occidentalibus patuerunt, duarum præcipuarum actionum tertiæ ac sextæ compendium Latinum ante integram Actorum interpretationem lucubratum fuit, de quo satis diximus in observ. ad notam præcedentem.

Pleniorem porro eorumdem versionem, quam Leo a Juliano epist. 113 integram et absolutam postulavit, certum est factam fuisse ante Rusticum, ita tamen ut primo interpreti ii Græci codices usui fuerint, in quibus deerant actiones duæ de Photio Tyri, ac de Caroso et Dorotheo, duæ ad Maximum et Domnum Antiochenos spectantes; nec non illa, in qua lecta fuit Leonis epistola 95 ad synodum : de quibus videquæ diximus annot. 18 in dissert. 1 Quesn. ad an. 451. Hujus versionis antiquæ duo tantum, quod sciamus, codices supersunt, Parisiensis, quo Baluzius usus est, et codex Suecorum reginæ, cujus notitiam ille a cardinali Casanata habuit. Hanc vero interpretationem anteriorem Rustico, Juliano Coensi tribui non posse, illud in primis suadet, quod si ab eo statim post synodum Latine reddita fuissent gesta Chalcedonensia, cum ille integros concilii codices habuerit, tot defectus aliquot actionum in ejus versione non invenirentur, quot indicavimus. Illud porro hanc versionem Juliani non esse evidentius demonstrat, quod hæc canones Chalcedonenses præfert ex versione Dionysii Exigui, qui sane hos canones non sumpsit ex interpretatione vetustiore, sed e Græco transtulit. Hinc etiam eadem versio titulos canonum recepit, quos suo more Dionysius composuit. Similiter act. 11 ex eadem Dionysii interpretatione in codice Parisiensi refertur Antiochenus canon 16. Quare hæc Actorum Chalcedonensium interpretatio vel ab ipso Dionysio Exiguo lucubrata, vel sub Dionysii ævum post editam ejusdem canonum collectionem condita fuit. Ita hanc versionem circa pontificatum Hormisdæ sæculo VI ineunte factam putamus. Primi certe, qui hac interpretatione usi sunt, sub Vigilio exstitere, uti præclare ostendit Baluzius in

Digitized by Google

habentur modo, collecta, translata et ordinata fuisse a Juliano episcopo Coensi rogatu sancti Leonis; nec audiendos eos esse, qui Rusticum diaconum illorum collectorem prædicant: vel ex sola enim **1519** annotatione, quæ primæ actioni subjicitur, patet illa ab eodem fuisse tantummodo cum exemplaribus aliis collata, et ex iisdem annotata et distincta; quod insuper manifestum redditur ex ms. cod. Thuan. qui partem actionis primæ Chalcedonensis habet cum hoc titulo: *Explicuerunt quæ ante gesta præmissa sunt,* A *nunc incipiunt gesta prima concilii Chalcedonensis. Rusticus ex Latinis et Græcis exemplaribus maxime Acœmit. monasterii emendavit. Concilii Chalcedonensis* **1520** *actio prima in nomine Domini nostri Jesu Christi cœpit emendari kal. Mart.* x, *indict.* 12. Eadem se legisse testatur Chiffletius in codice Actorum Chalcedonensium, Rustico diacono, ut ait, collectore, seu potius, ut legendum puto, correctore, in quo codice bibliothecæ Joannis Bohierii Divionensis viri senatorii Rusticus pariter meminit Acœmitensium codi-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

præfatione ad antiquam versionem concilii Chalcedonensis, ubi hanc sententiam pluribus confirmat.

Quæ porro idem Baluzius edidit et annotavit ex tribus codicibus Rustici, palam faciunt, hunc non primam tantum actionem interpretationis antiquæ, sed totam hanc versionem cum mss. et Græcis et Latinis Constantinopoli contulisse et emendasse, ac nonnullas identidem annotationes addidisse. Neque vero Rusticus purus fuit emendator et illustrator versionis antiquæ. Novam enim interpretationem fecit actionis 7 de Maximo et Juvenali, ac duarum relationum synodi ad S. Leonem, et ad Pulcheriam Augustam. Adjecit porro versionem actionis de Domno, quæ in antiqua versione desiderabatur, eamque sumpsit ex illa vetustiore quam Leone vivente factam ostendimus in observ. ad diss. 9 Quesn. Inseruit quoque allocutionem originalem Latinam Marciani ad synodum (quam nobis jam conservaverant antiquæ collectiones Latinæ, ex. gr., Quesnelliana, et cod. Vat. 1322), et aliquot imperiales leges Latine promulgatas. Baluzius, tom. IV Concil. col. 2025, proposita Rustici annotatione: *Relationes sanctæ synodi ex codice Acumitensi Græco in Latinum transtuli ego ipse,* hæc subjicit: *Hanc annotationem inveni in antiquis exemplaribus et in editione Crabbi. Quæ ergo Rusticus transtulit, hæc sunt;* ac præter relationes commemorat quatuor Marciani leges, ut unam Theodosii, quæ in codicibus puris Rustici actioni tertiæ subjiciuntur. At solas *relationes* Rusticus abs se Latine redditas tradit. Leges autem cum Latine editæ essent, non vertit in Latinum, sed uti editas invenit, inseruit. Duæ quidem ex iisdem legibus totidem verbis leguntur in collectione Quesnelliana, cap. 26 et 27, quæ tamen Rustico anterior est: quædam etiam exhibentur in collectione Hispanica, quæ a Rustici codicibus non proficiscitur. Id ex eo ortum est, quod leges Latino sermone publicarentur: unde tum ab his collectoribus, tum a Rustico iisdem verbis inventæ et insertæ fuere. Hinc nihil mirum, si Facundus lib. XII, c. 2, ex edicto Marciani pro confirmatione synodi Chalcedonensis eadem verba recitavit, quæ apud Rusticum inveniuntur; neque enim Rustico tribuimus quod eas leges Latinitate donaverit, sed quod Latine scriptas et editas antiquæ interpretationi addiderit.

Ordinem actionum Rusticus alicubi mutavit. Nam quæ in antiqua versione est actio 3, ex Græcis mss. secundam fecit; quæ autem erat secunda, in tertium locum transtulit. Canones vero qui erant subjecti sextæ actioni, inde exclusit, et decimam quintam actionem ex iisdem constituit.

Hanc Rustici lucubrationem inter diem X kal. Martias an. 549 et diem III kal. Aprilis an. 550 recte Baluzius constituit in laudata præfatione num. 21, cujus editio, ut probe perspiciatur quo ordine Rusticus hanc suam Chalcedonensis concilii editionem digesserit, omnino observanda est. Vide tom. IV Conc. Ven. edit. col. 1980 et seqq.

Hac vero occasione, qua de Rustici editione locuti sumus, notitiam a nemine explicatam hic proferimus de quibusdam codicibus, qui licet Rustici editionem contineant, a puris tamen ejusdem exemplaribus discrepant. Baluzius solos codices puros Rustici invenit Divionensem, Corbeiensem, ac Thuaneum Colbertinum, qui tamen postremus mutilus in prima actione desinit. Nos unum Ghigianum 483 plane similem invenimus. P. Crabbus alio ejusdem generis codice usus est, cum integra Acta secundum Rustici editionem vulgavit. Alios vero codices frequentiores nacti sumus, qui eamdem Rustici editionem ita exhibent, ut annotationes ejus omnes aut fere omnes omittant, et ordinem etiam nonnumquam deserant. Hujusmodi B sunt omnes codices Vaticani 1321, 1323, 4166, 5405, et noster antiquissimus capituli Veronensis 57. In Vat. 1322, qui incipit ab actione secunda, relatio synodi ad Leonem ex antiqua versione sumpta est, licet reliqua Rusticum exhibeant. Cum porro hi soli codices, qui carent annotationibus Rustici, Romanis conciliorum editoribus noti fuerint, culpandi non sunt, si annotationes a Crabbo editas expunxerunt. Cum enim in suis codicibus deessent, qua illæ auctoritate a Crabbo appositæ fuissent, ignorarunt.

In fine codicum Veronensis 57 et Vat. 1321, 1323 et 5405, qui imperfectam Rustici editionem exhibent, addita legitur *epistola fidei catholicæ in defensione trium capitulorum.* Incipit: *Monet quosdam.* Hanc Facundi nomine ex apographo edidit P. Dacherius in Spicilegio; et hac de causa in editione Operum P. Sirmondi inter Facundi libros recusa fuit. At præterquam quod auctoris nomen in laudatis manuscriptis non legitur, et in præstantissimo Facundi ætati fere C coævo ms. Veron. 61, qui ejus opera complectitur, hæc epistola non recensetur, in alio æque antiquo cod. Veron. 57 hæc nota eidem epistolæ in margine superiori secunda manu præfigitur: *Tota epistola, si vere inspiciatur, est omnino suspecta, et pestiferæ hæresis Nestorii et Theodori Mopsuesteni claret fetore respersa. Cujus auctor hic non ponitur, sed hodie totaliter ignoratur.* In ms. Vat. 1321, hæc epistola gestis Chalcedonensibus, ut in aliis codicibus, subjecta, a Facundi operibus separatur. Post hanc enim epistolam sine auctoris nomine descriptam alia leguntur opuscula, quæ ad tria capitula nequaquam pertinent. Tum vero Facundi nomine proferuntur libri duodecim pro tribus capitulis, et epistola ejusdem adversus Mutianum Scholasticum. Nonne hæc separatio prioris epistolæ absque auctoris nomine a certis Facundi operibus ejus nomine prænotatis, diversi ignoti auctoris indicium est? Cum Dacherius non memoret codicem, unde apographum sumpsit, nec in eo Facundi nomen epistolæ præfixum D expresse tradat; dubium non leve nobis exoritur, num hæc epistola exscripta fuerit ex codice aliquo laudatis Chalcedonensibus simili, in quibus tantum hanc epistolam nullo auctoris nomine inscriptam reperire nobis contigit; idcirco autem Facundo tributa fuerit, quod et in defendendis tribus capitulis, æque ac cætera Facundi Opera, versetur, et fortassis etiam una cum hujus Operibus inventa fuerit, ut in eo codice Vaticano, quem ultimo loco memoravimus. Facundi Opera ante concilium V sub Vigilio scripta fuere: hæc autem epistola post concilium Pelagio pontifice. Num Facundus in apertum schisma, quod in epistola proditur, eruperit, nisi ejus auctor certius probetur, affirmare non audemus. Qui ex Afris concilium non recepere, exsilio mulctati sunt. De exsulibus queritur epistolæ auctor, nec se exsulem indicat. Hinc suspicio est fuisse aliquem ex Italis, qui ob tria capitula schisma conflarunt. Num stylus a Facundo discordet, alii conferant.

Digitized by Google

cum, quibus in emendandis concilii Actis usus fuerat. Nec de iisdem codicibus tacet Nicolini editio Venetiana **1521** Conciliorum ann. 1585, licet corrupte appellet Acuminenses, ex quibus nonnulla minutioribus characteribus inserta voluit textui vulgato. Ex horum porro omnium inspectione et collatione nonnulla colligere mihi videor notatu non indigna. Primum est collectionem Actorum Chalcedonensium Latinam, quæ nunc omnium manibus versatur, antiquiorem esse Rustico diacono, qui circa annum D. 550 Constantinopoli residebat cum Vigilio papa, illicque prædictæ collectioni emendandæ allaborabat: id patet tum ex Nicoliniana editione jam laudata, tum maxime ex codice Thuaneo, qui non modo solius emendationis meminit, sed etiam priscorum Actorum serie intacta, Rustici emendationes ad oram paginarum relegatas exhibet, hac admonitione præeunte: *Annotatio circumducta † singulas interlocutiones a foris ita posui, ut Acumitensium codex Græcus Latine continet.*

2. Suspicari licet solam actionem primam a Rustico fuisse emendatam, id enim ex titulo, quem supra ex cod. Thuaneo descripsi, elici mihi videtur. Præterea ad unius actionis primæ finem mentio fit collationis et emendationis Rustici in omnibus quos vidi excusis codicibus, aut etiam mss. Denique sola prima actio nonnulla inserta habet ex codice Acuminensi seu potius Acœmitensi in Nicoliniana et Suriana editionibus. Nolim tamen hæc a me pro certis accipi: sicut nec ausim negare quin codex Acœmitensis, quem lustrare cœperat Rusticus, ad Occidentales postmodum deportatus a pluribus describi potuerit. Porro si verum est quod dicimus, partem tantum Actorum a Rustico emendatam fuisse, id forte contigit ob eam rationem, quod cum a Vigilio ad damnationem trium capitulorum delapso defecisset una cum collega suo Sebastiano, urbem regiam deserere coactus fuit, et Acœmitarum monasterium, ubi, occasione controversiæ quæ agitabatur, res Chalcedonenses diligentius indagare cœperat.

Tertium est quod eruimus ex dictis, scilicet Acta Chalcedonensis concilii vix in remotioribus Occidentis partibus nota fuisse ante quintam synodum, præsertimque in Gallis nostris, quæ per solas fere epistolas S. Leonis ad episcopos Gallicanos scriptas de illius synodi exitu certiores factæ fuerant, et ex sententia in Dioscorum, quæ uni illarum illigata erat. Testis est hujus assertionis nostræ canon 1 concilii Aurelianensis v, cujus episcopi suppressa Chalcedonensis synodi mentione, soli apostolicæ sedis decreto adversus Nestorianum et Eutychianum dogma intorto niti videntur. Et hoc contigit anno 549, quo tempore Rusticus Vigilium papam impugnabat. Postmodum autem cum trium capitulorum controversia magis efferbuisset, eorumque damnatores tamquam synodi Chalcedonensis adversarii passim et ubique per provincias infamarentur; sed præsertim cum quintæ synodi decreta tamquam in præjudicium præcedentis synodi lata ab Afris, Illyriis, Dalmatis, Insubribus, **1522** Istricis, Gallis, Hipanis, Ibernis, etc., constanter rejicerentur: tunc cœperunt exemplaria Actorum quartæ hujus synodi undequaque studiose conquiri, avide perlegi, a plurimis exscribi. Nec dubium est Rusticum Vigilio cæterisque trium capitulorum adversariis tantopere infensum, suaque dejectione iratiorem factum, sicut Vigilium ubique ut Chalcedonensis concilii desertorem publicabat, ita hanc in se curam sumpsisse ut per provincias exemplaria synodi spargerentur. Sed nostros imprimis Gallos, qui synodum quintam vel numquam, vel serius recepisse videntur, verosimile est ejusmodi exemplaria a Rustico accepisse, quandoquidem ab illo moniti fuerant de Vigilii adversus sanctam Chalcedonensem synodum nefanda, ut putabat, prævaricatione, quemadmodum intelligere est tam ex epistola Vigilii ad Aurelianum Arelatensem episcopum, quam ex litteris clericorum Italiæ ad legatos Gallorum Constantinopolim missorum. Auget istam suspicionem, quod nullam habemus in Occidente concilii Chalcedonensis editionem, quæ non Rustici mentionem faciat, tamquam ab eo fluxerint prima, quæ in Gallias appulerunt, illius synodi exemplaria. De Rustico enim pariter mentionem faciunt editiones Conciliorum Romana, Crabbiana, Nicoliniana, Suriana, etc., et Bohierii a Chiffletio et in editione laudatus codex.

AD EPISTOLAM CXIV.

APUD QUESNELLUM LXXXVII.

Episcopis, qui synodo Chalcedonensi interfuerant.

1. *Sanctæ synodo apud Chalced. habitæ.* Soluta synodo Chalcedonensi, damnatisque Eutychianæ sectæ asseclis, id e multis unum adversus synodi decreta excipiendum putaverunt: hæc unanimi omnium consensu non esse statuta, nec recepta: immo, primam omnium sedem, Romanam videlicet, ita illis contradixisse, ut omnino suum consensum his adhibere renuisset. Nimirum ex eo quod legati S. Leonis canonem 28 rejecissent, improbassetque ipse Leo, occasionem hujus calumniæ spargendæ sumpserant hæretici, Chalcedonensem synodum ab apostolica sede repudiatam esse. De ea re scripsit ad Leonem imperator, monuitque commodiorem aliam viam non esse repellendæ calumniæ, quam *si per universas Ecclesias definitiones sanctæ synodi Chalcedonensis apostolicæ sedi placuisse doceantur* (*Epist.* 89, *nunc* 115). Obtemperavit S. Leo, præsentemque ad omnes synodi episcopos quos *sanctæ synodi* nomine adhuc compellat, epistolam scripsit, in qua et in aliis eodem die datis, hæreticorum calumniam pluribus retundit argumentis.

1° Non potuisse ambigi quin toto corde ejus synodi definitionem amplecteretur, cum non posset de unitatis redintegratione non gaudere, qui hanc scissam ab hæreticis tantopere doluerat (*Epist.* 87, *nunc* 114, *cap.* 1).

1523 2° Hoc ipsum ex consensione legatorum, qui vicem ejus gesserant in synodo, esse manifestum (*Ibidem*).

3° Ex epistolis, quas ad Anatolium scripserat post legatorum reditum in Urbem, non minus id elucere (*Ibidem*).

4° Quia nihil definitum erat a synodo, quod non ipse prius scripsisset in ea epistola, cui omnium subscribentium consensus accesserat, utpote secundum formam apostolicæ doctrinæ ac paternæ traditionis emissæ (*Epist.* 89, *nunc* 115).

5° Non solum se in persona legatorum propriam cum SS. Patribus unisse sententiam, sed etiam per approbationem gestorum synodalium; in sola tamen fidei causa, propter quam generale concilium congregatum fuerat (*Epist.* 87, *nunc* 114, *cap.* 1).

Ex quibus perspicuum est approbationem hanc non nisi ex occasione calumniæ natam, *ne videlicet fallax cujusquam simulatio sententiam ejus haberi vellet incertam* (*Epist.* 90, *nunc* 116, *cap.* 2); et, *ne per malignos interpretes dubitabile videretur, utrum quæ in synodo Chalcedonensi de fide statuta erant, approbaret* (*Epist.* 87, *nunc* 114, *cap.* 1). Non igitur ideo hanc approbationis epistolam scripsit, ne (*a*) robur

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) *Robur* quidem sacrosanctis decretis non deerat, non quia per se absque pontificis approbatione vim generalis concilii haberent decreta synodi, sed quia hæc decreta quoad fidem jam antea a Leone aliis litteris satis fuerant approbata, ac præsertim in epistola 106, ad Anatolium, ut idem pontifex hac ipsa epistola 114, et in sequenti 115, palam testatur: unde etiam in epist. 115, ad Marcianum, scribit: *Per fratrem meum Lucianum episcopum talia et ad gloriam vestram et ad Constantinopolitanum episcopum*

Digitized by Google

sacrosanctis decretis deesset, sed ne ex venerandæ synodi contemptu ipse infamaretur, neve eo duce gloriarentur, qui Chalcedonensis synodi definitionibus obnitebantur; ne denique imperatoriæ voluntati videretur contradicere, cui *omnibus modis obediendum sibi esse* palam profiteretur (*Epist.* 89, *nunc* 115, *cap.* 2). De hujusmodi confirmatione synodi Chalcedonensis qui plura volet, adeat doctissimum Joannem Launoium, parte II Epistolarum, epist. ad clarissimum virum Jacobum Bevilaquam (*Boileau*) Parisiensem theologum, nunc metropolitanæ et primatialis Ecclesiæ Senonensis decanum meritissimum, ac sede vacante juri dicendo et administrandæ diœcesi præfectum.

Priores porro editiones omnes, si Romanam epistolarum decretalium excipias, istam Juvenali inscriptam habent in hunc modum: *Ad Juvenalem et cæteros episcopos, qui in sancta synodo Chalcedonensi congregati sunt.* Horum unus erat Juvenalis, et ad ipsum procul dubio missum est epistolæ exemplar, **1524** ex quo descripta postmodum, ejus nomen retinuit. Desideratur autem in mss. codd. Grimani., Victor., Trecopith. et tribus Thuan., nec non in Actis Chalcedonensis concilii, et, ut dixi, in editione Romana epistolarum pontificiarum. Eodem etiam modo citatur epistola a Pelagio papa II, et a Facundo Hermianensi.

2. *Consensionis effectu.* Ita codd. mss. edit. Rom. et Facund., non vero *affectu*, ut legebatur antea; quod quidem de legatorum consensu intelligendum existimo, ut explicat se ipse his verbis: *Me non solum per fratres, qui vicem meam exsecuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium, propriam vobiscum unisse sententiam.*

3. *Manifestare voluisset.* Post quæ, inquit Baluzius, sequitur in codicibus Rustici: *Sed quia in eisdem litteris ea quæ per occasionem synodi male sunt attentata, reprehenderam, maluit prædictus antistes meam gratulationem tacere, quam suum ambitum publicare.* Fatendum tamen est, addit Baluzius, ista quamvis consequenter scripta, divisa tamen ac separata esse a textu epistolæ in antiquis exemplaribus. Stylus est S. Leonis, et ejus verba. Nam de hac ipsa re agens in epistola 60 (*nunc* 116) ad Pulcheriam Augustam, ait: *Nisi maluisset meum gaudium* (id est, *gratulationem*) *tacere, quam repulsam sui ambitus publicare.* Non viderunt ista editores epistolarum S. Leonis. Immo vero, Baluzi mi, ista vidimus; non in codice Divionensi, quo uti nobis non licuit, sed in tertia parte Actorum Chalcedonensis concilii, pag. 881, editionis Labbei, qui illa eadem verba ex Divionensi tuo codice ante te excerpserat, et ad marginem relegarat. Intellexit enim vir eruditus Leonis quidem et stylum et verba esse, sed desumpta ex epistola 59, nunc 89 (*nobis* 115), c. 1. Quæ ratio fuit cur pannus iste a textu epistolæ 61, l. VIII, nunc 87 (*nobis* 114), separatus inventus fuerit, nempe a studioso aliquo excisus a loco nativo et isti epistolæ illustrationis causa assutus.

4. *Poposci.* Ita legendum esse, ut emendavimus; non vero, *poposcit*, ut Romana **1525** et aliæ editiones habent, probant mss. codd. Victor., Grimani. et alii, sed et epistola 89 (*nunc* 115), cap. 2, ubi hoc ipsum ab imperatore postulat Leo noster.

5. *Propriam vobiscum unisse sententiam.* Ita Grimani. cod., cui concinit Facundus, hæc verba describens pag. 203 lib. V, cap. 4, licet lib. II cap. 6 sic legat: *Propriam vobis communicasse sententiam*, quod vitio codicis tribuendum puto. Pelagius II cum vulg. legit: *Propriam vobiscum iniisse sententiam.*

AD EPISTOLAM CXV.

APUD QUESNELLUM LXXXIX.

Marciano Augusto.

1. *Et regia potentia, et sacerdotalis industria* (*a*). Simile est quod ait epist. 124 (*nunc* 155): *Non solum regiam, sed et sacerdotalem ipsius mentem obsecrare*, etc.; epist. 125 (*nunc* 156), cap. 6, ad Leonem Augustum: *Sacerdotalem namque et apostolicum tuæ pietatis animum*, etc.; et epist. 112 (*nunc* 142), cap. 1: *Sacerdotali me sollicitudine pietas vestra commonuit;* et supra, epist. 84 (*nunc* 111), cap. 3, ad Marcianum: *Qui vobis*, inquit, *præter regiam coronam, etiam sacerdotalem conferat palmam;* epist. 90 (*nunc* 116), ad Pulcheriam: *Principibus temporis nostri non solum potentiam regiam, sed etiam sacerdotalem cognoscimus inesse doctrinam;* et in epist. 88 (*nunc* 117), cap. 2, ad Julianum: *Ut omnes excellentiam ipsorum, non solum regii culminis, sed etiam sacerdotalis esse appareat sanctitatis;* vel legendum *omnibus*, vel pro *appareat*, repone, *intelligant;* epist. 105 (*nunc* 134): *In Christianissimo principe sacerdotalem exprimit affectum;* et epist. 123 (*nunc* 154): *Sacerdotali fervet affectu.* Vere regium dixerim pontificis nostri animum, qui in sacerdotii et apostolatus sui communionem Augustum tam libenter recipit; nec suæ diminutionem dignitatis inde metuens, nec regiæ in-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

scripta direxi, quæ evidenter ostenderent me ea, quæ de fide catholica in prædicta synodo definita fuerant, approbare. Iidem ipsi Orientales, qui de Chalcedonensi definitione dubitationem ingesserant eo nomine, quod Leo illam non approbasset (suppressa enim fuerat Leonis epistola ad Anatolium, qua synodum probaverat) satis ostendunt hanc pontificiam approbationem ab Orientalibus habitam omnino necessariam, ut de ipsa definitione concilii dubitari non posset. Hinc sane Marcianus non tam confirmationem, quam ejus publicationem in Ecclesiis uti necessariam petiit epist. 110, in quam confer nostram annot. 2 (*Col.* 1018, *n.* [h]). Hanc pariter confirmationis necessitatem ad robur decretorum concilii alia testimonia Leonis et aliorum Orientalium comprobant. Hinc etiam Leo dum concilii definitionem irretractabilem pronuntiavit, eam cum confirmatione pontificis conjunxit epist. 160, c. 2: *Nam definitarum rerum, quas tantæ synodi... sanxit auctoritas, et apostolicæ sedis confirmavit assensus, nihil oportet discuti.* Idem repetit epist. 163, ad Anatolium.

(*a*) Tria in sacerdotibus seu episcopis distinguenda, ordo, potestas clavium, et sollicitudo pro Ecclesia. Si hanc posiremam, quæ vigilantiam, labores, industriam, et curas pro fide, unitate, et disciplina Ecclesiæ affert, quisplam vel laicus, quantum per ipsum fieri possit, in se suscipiat; is utpote sacerdotalis sollicitudinis particeps, sacerdotis et episcopi titulum obtinere potest. Hoc sensu S. Leo *sacerdotalem industriam, mentem, animum, affectum, sanctitatem sollicitudinemque* commendat in Marciano et Leone imperatoribus, qui pro fide ac unitate Ecclesiæ contra Eutychis hæresim plurimum laborarunt. Cumque Marcianus et Pulcheria adversus eosdem hæreticos doctissimas sanctiones ediderint juxta Ecclesiæ et episcoporum doctrinam *sacerdotalem* ipsis *inesse doctrinam* professus est. Simili sensu alia testimonia de aliis Augustis intelligenda sunt. Nemo tamen ob participationem sacerdotalis sollicitudinis quemquam laicum æque participem censere potest vel sacerdotalis ordinis, vel potestatis clavium, qua spiritualis jurisdictio significatur. Hanc enim competere solis sacerdotibus seu episcopis, quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, quibusque Ecclesiæ claves in Petro traditæ fuerunt a Christo, omnes catholici fatentur: unde primus imperator Constantinus, qui magnam sollicitudinem pro Ecclesia suscepit, suam et episcoporum potestatem probe distinguens, sic ad episcopos locutus est, teste Eusebio in ejus Vita lib. IV: *Vos quidem in iis quæ intra Ecclesiam, ego vero in iis quæ extra geruntur episcopus a Deo sum constitutus.*

Digitized by Google

cremèntum decusque invidens celsitudinis. Leonem in successoribus ejus remuneravere Christianissimi **1526** imperatores nostri, impertita illis vicissim ditione temporali, auctaque ex principatu terreno Romanæ urbis sacerdotali dignitate: ut dum utraque tam arcto nexu sibi invicem velut immisceretur, neutram ab alterutra dissociari umquam pro Ecclesiæ imperiique pace contingeret. Præiverant Leoni Chalcedonenses Patres, qui act. 6 concilii acclamarunt Marciano : Τῷ ἱερεῖ τῷ βασιλεῖ, *multos annos.* Immo et episcopi Constantinopolitanæ synodi sub Flaviano Theodosium pari encomio decorarunt, acclamantes: *Sacerdoti imperatori*, Τῷ ἀρχιερεῖ τῷ βασιλεῖ, *Pontifici imperatori.* Ad eumdem sensum Fortunatus lib. II, carm. 11, Childebertum Francorum regem sic laudat :

Melchisedech noster merito rex atque sacerdos
Complevit laicus relligionis opus.

Cujus elogii ratio, cæteris prætermissis, apud Justinianum, Novel. 7, cap. 2, legi potest, ubi ait: *Cum nec multum differant ab alterutro sacerdotium et imperium, et res sacræ a communibus et publicis.* Qua de causa diu ante hos omnes Eusebius in Vita Constantini cap. 44 hunc imperatorem laudat : *Quod Ecclesiæ Dei præcipuæ curam gerens, cum per diversas provincias quidam inter se dissentirent, ipse velut communis omnium episcopus a Deo constitutus, ministrorum Dei synodos congregavit.* Et lib. IV, c. 22 et 24 : *Vos quidem*, ait ipse Constantinus ad episcopos, *in iis quæ intra Ecclesiam ; ego vero in iis quæ extra geruntur episcopus a Deo sum constitutus.*

2. *Cum et fidei omnium subscribentium consensus accesserit, quæ a me... emissa est.* Ita Griman. cod. In vulgatis vero : *Cum ei fidei omnium subscribendo consensus accesserit, quæ ad me..... emissa est :* quæ apparet intellecta esse de synodi Chalcedonensis definitionibus ad S. Leonem missis : cum certissime de sua epistola ad Flavianum scripta et omnium subscriptionibus firmata sermonem habeat pontifex.

3. *Lucianum.* Legatum hunc probabile est eumdem illum esse Lucianum Byziæ episcopum, qui tam suo, quam Cyriaci episcopi **1527** Heracleæ Thraciæ nomine, interfuit Chalcedonensi concilio : qui et in actione 16, ubi de privilegiis Constantinopolitanæ sedis definitum est, semel et iterum subscripsit, primo quidem pro Cyriaco, secundo nomine proprio in hunc modum : *Lucianus episcopus Byziæ et Arcadiopolis definiens subscripsi.* Unde mirum non est illum proprio jam chirographo ligatum, et Constantinopolitani episcopi, ad cujus ordinationem pertinebat, splendoris studiosum, ad id electum esse, ut et Anatolii et imperatoris, immo (*a*) et totius synodi nomine apud S. Leonem de ejusdem privilegiis confirmandis ageret.

4. *Et de hæreticorum damnatione.* Hæc verba desiderantur in epistola Pelagii II ad Eliam cæterosque Istriæ episcopos, in causa trium capitulorum : nec credet quisquam ea vel aliud cogitanti excidisse, vel de industria fuisse dissimulata : hoc enim posterius de Pelagio cogitare, vel de Gregorio Magno, a quo scripta fuisse putatur epistola, cum adhuc diaconi officio fungeretur, grande piaculum fuerit ; alterum vero asserere non sinit ipsa, quam tractat, materia ; in tota enim epistola de hoc unice inquiritur : an ea quæ pro confirmandis Chalcedonensis concilii actis scripta sunt a S. Leone, tantummodo proferantur pro custodia illibatæ fidei ; an etiam pro causis episcoporum specialibus, quæ apud Chalcedonem discussæ sunt. Qua in disceptatione verba de quibus agimus reticuisse tergiversationis culpa **1528** non caruisset. Satius ergo est hanc omissionem scribarum oscitantiæ tribuere, cum et in aliis omnibus excusis manuscriptisque codicibus jaceat, et in Griman. præsertim non satis laudando ms.

AD EPISTOLAM CXIX.

APUD QUESNELLUM XCII.

Maximo Antiocheno episcopo.

1. *Leo Maximo Antiocheno.* Ita cod. Griman. Barb. 4 et Thuanei duo, quibus concinunt editiones omnes Canisiana antiquiores, ut in conciliis Merlini **1524**, Coloniens. 1530 et 1535. In vulgatis vero post Canisii edit.: *Leo catholicæ Ecclesiæ episcopus, Maximo charissimo fratri episcopo Antiocheno.*

2. *In Orientalibus Ecclesiis.* De variis Orientis significationibus et divisionibus, quæ ad hujus loci intelligentiam facere possunt, consule, si lubet, illustrissimi Petri de Marca dissertationem de Constantinopolitani patriarchatus Institutione, et Joannis Morini Oratoriani presbyteri lib. I Exercit. Ecclesiast., II et III. Dicam solum Orientalium Ecclesiarum nomine videri hic comprehendi tam eas provincias quæ tunc temporis Orientalis seu Antiocheni patriarchæ ditioni suberant (*b*) quam alias quæ quasi ἀντοχίφαλα

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Anatolii quidem et imperatoris nomine Lucianus episcopus ad Leonem directus cognoscitur ex epistolis 100 et 101, at synodi quoque nomine non item. Cum enim is memoratus in epistolis imperatoris 100, et Anatolii 101, non nominatur in relatione synodi nobis epist. 98 ; tum vero Anatolius epist. 101 synodi relationem ad pontificem non Luciano, sed Romanis legatis traditam prodit.

(*b*) Cum S. Leo Maximi vigilantiæ commendet, ne ullo modo sinat in Orientalibus Ecclesiis, maximeque in iis quas Antiochenæ sedi sacratissimorum Patrum Nicæni canones deputavere, ab improbis hæreticis Evangelio insultari, et vel Nestorii, vel Eutychetis a quoquam dogma defendi ; hoc loco non quæstionem de Antiochenæ sedis juribus a Juvenali Jerosolymitano læsis, de quibus postea sermonem facit, neque illam de juribus metropolitarum Thraciæ, Ponti, et Asiæ ab Anatolio violatis, quæ ad Antiochenum non pertinebant, sed meram fidei causam, et perversa hæreticorum dogmata, eorumque nisus in Oriente apertissime respicit. Ut autem intelligatur quid *Orientalium provinciarum* nomine significet, haud confugiendum est ad quæstionem de sedium juribus, sed aliunde colligendum est. Hac autem in re satis indicii exhibet sequens epistola 120, ad Theodoretum, quæ eodem die signata, hujus ad Maximum epistolæ mentionem facit. In ea epistola 120, S. Pontifex non absimiliter pro fidei causa sollicitus, capite sexto Theodoreto eamdem causam commendat his verbis : *Quod superest exhortamur, ut quia* ILLIC *nonnullas Eutychiani ac Nestoriani erroris reliquias cognoscimus remansisse, nunc etiam sedi apostolicæ collabores*, etc. Et post pauca : *Quid apud* ILLAS *regiones doctrina Dominica proficiat, apostolicam sedem festines instruere, qualenus* ILLIUS *regionis sacerdotes..... adjuvemus.* Quo porro referantur voces ILLIC, ILLAS REGIONES, etc., si tota epistola legatur, non invenientur referri posse nisi ad *Orientem* late sumptum, uti ab Occidente distinguitur. Sic enim ait cap. 2 : *Solis justitiæ jubar densis per Orientem Nestorii et Eutychis nebulis impeditum pure ab Occidente resplenduit.* In toto sane Oriente hæresis venenum suum sparserat ; et hoc præsertim tempore et in Palæstina, et in Ægypto tumultuantibus hæreticis, erroris reliquiæ non deerant. Hinc ergo Orientem late sumptum S. Leo commendavit Theodoreto, ut secum collaborans invigilaret, referret ad sedem apostolicam, etc. Quidni idem commendarit Maximo, qui majori quam Theodoretus auctoritate pollebat ? Imbecilla cognoscentur et levia, quæ hic Quesnellus subjicit, ut Ægyptum excludat. Neque enim jus Antiocheno tradebatur supra Ægypti Ecclesias, sed in gravissimis hæreticorum turbis, quæ S. Proterio Alexandrino episcopo recens ordinato, nec sedem satis tutam, nec idoneam auctoritatem præstabant, S. Leo Maximi tertiæ sedis episcopi auctoritatem utilem futuram putavit.

Digitized by Google

erant et sui juris, saltem si primævum usum respiciamus. Tales erant Asiana **1529** et Pontica diœceses, quas quia suæ ordinationi subjecerat Constantinopolitanus, annitentibus Augustis, et decernentibus etiam Chalcedonensis concilii Patribus, ideo S. Leo, qui talem decretum infectum volebat, easdem curæ et sollicitudini Antiocheni episcopi commendat, non jure patriarchico, quo non ad ipsum pertinebant; sed titulo charitatis, quæ limites non habet. Ut enim per has Ecclesias non eas omnes intelligamus, quæ contra Occidentales distinguuntur, sed tantum distinctas illas diœceses, quæ suæ potestatis erant, facit.

1° Quod mens Leonis erat ambitum Anatolii carpere ac coercere, qui certe Orientales omnes priori sensu Ecclesias non subjicere sibi sategerat, sed tantum Thracicam, Ponticam, et Asianam diœceses.

2° Per hæc verba odium et invidiam Alexandrini episcopi in se convertisset, si Ecclesias illius jurisdictioni obtemperantes, Antiocheno commendasset antistiti, cum quo semper aliquid illi simultatis intercesserat.

3° Quia ex fine hujus et sequentis epistolæ patet hanc Leonis sollicitudinem maxime creatam esse ex quorumdam monachorum præsumptione, qui multa contra fidem inter prædicandum effutiebant; unde monet tam Maximum, quam Theodoritum, ut hujus mali recidendi causa, prædicationis munere monachis aliisque gradum sacerdotalem non obtinentibus interdicatur. Porro ex alia Leonis epistola, quæ est ad Julianum Coensem, data mense Aprili hujusce anni 455, manifestum evadit hanc monachorum præsumptionem locum maxime habuisse in Ecclesia Cæsariensi Cappadociæ, quæ est Ponticæ diœcesis primaria: ubi nescio quis Georgius monachus, annitente Thalassio Cæsareæ episcopo, scribendi et prædicandi munus sibi arrogabat: cum antea, ut queritur S. Leo, præsumendo illicita et propositum monachi et nomen amisisset. Igitur (*a*) inde nata videtur occasio Leoni, ut ea de re scriberet Maximo et Theodorito: quia quo minus de illa Anatolium moneret obstabat et intermissum litterarum cum eo commercium, et ambitus Anatolii Ponticas Ecclesias sibi vindicantis, cui suffragatus esset. Cum vero addit Leo: *Maximeque in his, quas Antiochenæ sedi sacratissimorum Patrum Nicæni canones deputaverunt;* illas provincias intelligit, **1530** quas tempore Nicæni concilii Antiochenus antistes administrabat, cum illius decreto 6 sancitum est, ut antiqui mores obtinerent tam in Ægypto quam in Antiochia, suaque Ecclesiis privilegia servarentur: et his verbis suggillat confoditque Juvenalis ambitum qui, ut infra asseritur, ad invadendum Palæstinæ provinciæ principatum animos fiduciamque sumpserat ex discordia, quæ inter Cyrillum Alexandrinum et Joannem Antiochenum efferbuerat in concilio Ephesino primo. Quod cum obnitente non solum Antiocheno, sed et Alexandrino episcopo, consequi non potuisset sacerdotali decreto; ad imperatoria rescripta confugit, quorum auctoritate non solum Palæstinæ, sed etiam Arabiæ et Phœniciæ ab Antiochena diœcesi distractæ, Jerosolymitanæ sedi attributæ sunt. Verum cum omnes pragmaticas, omniaque rescripta imperatoria, quibus Ecclesiarum jura translata erant, posthabenda esse censuissent Chalcedonensis concilii Patres, lisque inter utramque Ecclesiam illam denuo mota esset; transigentibus tandem litigatoribus sopita est, actione 7, ea conditione, ut retentis Arabia et Phœniciis, Palæstinas tres Jerosolymitano cederet Antiochenus. Neque hæc ego otiose hic refero, sed ut mecum miretur lector, inquiratque quamobrem Leo noster, qui totis viribus Constantinopolitani episcopi conatus repulit, quoniam Nicænis canonibus contrarii videbantur, hic quoque non insurgat in episcopum Jerosolymitanum, qui antiquam consuetudinem Nicæno æque decreto firmatam calcabat, cum alienas invadebat provincias. Quid quod de Juvenalis molitionibus ita loquitur, quasi irritæ fuissent nullumque effectum consecutæ? cum tamen tres Palæstinas sibi subjectas habuerit. (*b*) Putabit aliquis Leonem hæc κατ' οἰκονομίαν dissimulasse, ne turbulentissimis temporibus nova turbarum semina jacerentur: eoque libentius, quo Jerosolymitani episcopi potentia et incrementum non ita formidanda erant Romano episcopo, quam Constantinopolitani; qui primæ sedis privilegia per omnia æmulabatur, magnisque passibus ad Orientalium, et forsan etiam ad Occidentalium Ecclesiarum monarchiam properabat. Suggerent alii Leonem, qui episcopi urbis regiæ auctoritatem depressam volebat, tamquam **1531** suæ imminentem, ne illa cresceret, ideo aliorum patriarcharum privilegia strenue propugnasse: cum vero iisdem patriarchis res fuit cum aliis primatum ambientibus, non illibenter quoque de priorum splendore et viribus aliquid detrahi passum esse: non ex improba quidem eminentiæ ac splendoris ipsorum invidentia, sed quod difficillimis illis temporibus Nestorii et Eutychis erroribus per omnes sese provincias inferentibus, interesset religionis et Ecclesiæ plurimum episcoporum Orientalium potentiam minui.

Crediderim libentius, *cum gestorum synodalium*, ut Leo ipse asserit (*Epist.* 86, *nunc* 113), *quæ omnibus diebus concilii in Chalcedonensi civitate confecta sunt, parum clara propter linguæ diversitatem Romæ tunc haberetur instructio*, non omnia, quæ illic acta fuerant, in Leonis tunc notitiam venisse; adeoque ipsum omnino (*c*) ignorasse quid actione (*c*) transactum esset inter Maximum et Juvenalem. Licet enim ex mutuo utriusque partis consensu contentio esset composita, nec modo Orientales, sed et Romanæ sedis legati assensione sua synodale decretum firmassent; nihil tamen tale passus esset, opinor, sanctus Leo, si rescivisset; cum liberum non putaret esse episcopo suæ sedis privilegia alteri cedere contra Nicænæ synodi statuta, et consuetudinem multis sæculis roboratam, ut testatus est adversus Hilarium Arelatensem episcopum scribens, Ingenuumque Ebredunensem ideo increpans, quod in illius gratiam jura sua sibi adversus eum non vindicasset. Si quid porro

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Id falsum colligetur ex annot. 30 (*Col.* 1045, *n.* 5) in hanc epist.

(*b*) Duæ sequentes conjectationes, quas Quesnellus aliorum suspicionibus tribuit, a Leonis mente alienissimæ sunt; neque enim eo consilio Constantinopolitanæ sedis privilegio restitit, quod sibi exinde metueret; sed quod Nicænos canones custodiri zelo disciplinæ summopere peroptabat, eosque nisus detestabatur, quibus iidem canones in irritum mitterentur. Juvenalis autem conatus, etsi Nicænis canonibus pariter contrairent, idcirco præteriisse, quod Ecclesiæ utile putaret, si patriarcharum Orientalium potestas minueretur, falsa hypothesi nititur. Neque enim eos Leo præterivit hac in epistola, sed reprehendit; et solum opportunum tempus, quo fortius agendum esset contra Juvenalem, qui hoc tempore pulsus sua sede, obtento privilegio non potiebatur, exspectandum duxit, uti explicavimus in observat. ad dissert. 9 Quesnelli num. 9. Quod si in epistola 139, quam ad Juvenalem suæ sedi jam restitutum dedit, nihil contradictionis hac in parte invenitur: vel Maximus nondum quidquam certi rescripserat, vel hoc tempore studio fidei reparandæ, in hac una re, seu in reparanda fide, utilius insistendum putavit.

(*c*) Actionem septimam de Maximo et Juvenali non ignoravit S. Leo, siquidem eum duabus aliis actionibus ad ipsum ab eodem Maximo missa fuit, uti exposuimus in observationibus ad diss. 9, num. 9, ad quas sequentes Quesnelli conjectationes exigendæ erunt.

Digitized by Google

de illo Juvenalis ambitu subodoratus est sanctus Leo, ex litteris Maximi illud didicit.

Maximus siquidem, licet pro bono pacis et ne infensum haberet imperatorem, manus utcumque dedisset, ut tribus Palæstinis potiretur Jerosolymitanus antistes; molestissime tamen ferebat, quod dubium non est, amplissimas provincias ditioni suæ subtrahi. Ubi primum ergo didicit ea quæ ultimo canone Chalcedonensi pro Constantinopolitanæ sedis amplitudine decreta erant Leoni displicuisse, nullisque eum rationibus adduci posse ut etiam, intercedentibus pro Anatolio Augustis et uno ex legatis Juliano, rata illa haberet, ob reverentiam canonum Nicænorum, quibus Ecclesiarum privilegia firmata erant, tum animos resumere, Leonique suggerere per litteras quid sibi jurium suorum ex Juvenalis ambitu subtractum esset. Subobscure quidem scripsit, tam de adjudicata potestate Juvenali in tres Palæstinas, quam de consensu a legatis exhibito; ne apud imperatorem de violata pace et redintegrata dissensione accusaretur, neve legatorum a se animos averteret: scripsit tamen, ut ex rescripto Leonis mihi videor **1532** non obscure colligere. Primum enim ea est ratio cur tam circumspecte loquatur Maximum exhortans ut nullo modo sinat, *in Orientalibus Ecclesiis, maximeque in his quas Antiochenæ sedi sacratissimorum Patrum Nicæni canones deputaverunt, ab improbis hæreticis Evangelio resultari.* Maxime enim in Palæstina et Ægypto tunc temporis tumultus perseverabat per improbas hæreticorum artes, quarum provinciarum hæc Maximum nihil attinebat, illa sola ejus administrationi subeerat jure perantiquo. 2° Sanctus Leo hæc ait cap. 3. *Cum aliquid pro Antiochenæ Ecclesiæ privilegiis dilectio tua agendum esse crediderit, propriis litteris studeat explicare, ut nos consultationi tuæ absolute et congrue respondere possimus.* Quis non videat Maximum de rebus suis subobscure scripsisse ad pontificem nostrum, quandoquidem hic explicationem requirit, ut possit absolute et congrue respondere? *Nunc autem*, inquit consequenter, *ad omnia generaliter pronuntiare sufficiat, quod si quid a quoquam contra Nicænorum canonum statuta in quacumque synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur exortum, nihil præjudicii potest inviolabilibus inferre decretis.* Luce clarius mihi videtur de Constantinopolitani conatibus hæc non intelligi; dubitans enim et incerto similis non scriberet: *Si quid tentatum est*, etc. Nec contentus esset de hac re *generaliter pronuntiare*, cui tot jam litteris palam constanterque obstiterat. Denique de alio negotio hic agi perspicuum est ex cap. 5 hujusce epistolæ, ubi et in exemplum observantiæ suæ adducit ea quæ contra Constantinopolitani episcopi molitionem a se scripta fuerant ad eumdem; et ait præterea quod *si quid sane ab his fratribus, quos ad sanctam synodum vice mea misi, præter id quod ad causam pertinebat gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis, quia ad hoc tantum*, etc. Profecto sciebat Leo a suis contradictum fuisse decreto in gratiam episcopi regiæ sedis condito in fine synodi; hoc et ipsorum et imperatoris litteris didicerat; non ergo de eorum consensu hac in re dubitanter loqueretur. De consensu igitur debet intelligi, quem datum fuisse a legatis in causa Maximum inter et Juvenalem composita per ejusdem Maximi litteras obscure suggestum erat.

3. *Conceptione.* Ita Griman. et Barb. cujus loco in omnes editiones portentosum irrepsit mendum cum habent *conjunctione.* Conceptionem autem intellige activam, de qua angelus ad Mariam Luc. 1: *Ecce concipies in utero.* Paulo post, ubi in vulgatis legitur: *Et de matre natus*, ex Griman. addidimus: *Et secundum veram carnem de matre est natus.*

1533 4. *Sicut etiam in Ephesina synodo*, etc. Visum est Davidi Blondello, lib. de Primatu pag. 546, hæc verba cum sequentibus usque ad illa, *Hoc tamen proprium*, etc., tamquam subditicia repudiare; vel si Leonis sunt, ea tamquam iratioris hominis verba canino dente carpere. Verum et Leonis sunt et hominis sui hoc imprimis loco potentissimi. Certe valde in Leonis scriptis peregrinus est, qui stylum ejus hic non agnoscit; et miro contradicendi pruritu eum laborare necesse est, qui a Deo leviculis rationibus, ut accidit Blondello, rapitur ad truncandam nobilissima sui parte epistolam, omnium excusorum et mss. codicum suffragio per omnia germanam. Ut enim cætera prætermittam, quæ refutare otio lectoris abuti esset, palmare dilemma, quo verborum illorum *αὐθεντίαν* impugnat, nullo negotio exsufflatur. Vel scripsit, inquit, Cyrillus Leoni ut pontifici, vel ut archidiacono. Illud absurdum, cum tunc Cœlestinus Romanam sedem occuparet: hoc vero quis dicat, ut scilicet Cyrillus neglecto pontifice, a quo uno totum pendebat, diaconum ejus adierit? Doleo virum doctissimum talibus ratiunculis motum, si tamen reapse motus est. Scripsit S. Cyrillus, inquam ego, ad Leonem diaconum, nec neglexit pontificem Cœlestinum. Ecquis enim regem æstimet posthaberi, cum ad regni administros negotia referuntur? Quis vero nesciat Leonem archidiaconum rerum ecclesiasticarum habenas moderatum esse, et a secretioribus consiliis fuisse Cœlestino et Sixto pontificibus. Testis est Prosper in Chronico, quam strenuam operam Sixto præstiterit in repellendis Pelagianis Leo diaconus, cujus hortatu illorum insidiis vigilanter occurrit? Testis est Joannes Cassianus quantum Ecclesiæ rebus invigilaret Leo archidiaconus, cui opus suum de Incarnatione Domini, non tamen neglecto pontifice, nuncupavit circa tempora Ephesini concilii quod opus Leonis exhortationi debet Ecclesia. Testis est denique ipse Leo quam partem ecclesiasticæ administrationis obire tunc debuerit, qui archidiaconum, cujus munere ipse fungebatur, ait in epistolis 74 et 75 (*nunc* 94 *et* 95) negotiis ecclesiasticis fuisse præpositum, eique totius causæ et curæ ecclesiasticæ dispensationem delatam fuisse. His adde quod etsi Cyrilli epistola ad Cœlestinum non compareat, non propterea scriptam non esse indubitanter asseri potest; cum tot interierint injuria temporum hujusmodi monumenta ecclesiastica. Si tamen non scripsit ea de re ad pontificem Romanum, nulla hujus injuria vel contemptu factum est; sed ex certo consilio et ex prudentiæ præscripto, ut nimirum res secretius ageretur, ne inde Juvenalis simultatis occasionem captaret adversus Cœlestinum, quæ rebus Ecclesiæ Orientalis jam adeo perturbatis detrimenti plurimum esset allatura; vel denique ut Cœlestino et Cyrillo Juvenalis conatus simul repellentibus, eo justitiæ causa melius ageretur, quo simul de **1534** contradictione hujusmodi convenisse non videbantur. Et ut ita res fieret, scripsit Leoni Cyrillus, ut per eum Cœlestino suggereret quod conveniens erat ab ipsomet non fieri. Et revera si Leonis verba attentius considerentur, satis innuunt, non ad se scriptum fuisse a Cyrillo, quasi negotii arbitrum, sed velut ad suggestorem monitoremque; postquam enim ait: *Quod sanctæ memoriæ Cyrillus mihi .... indicavit*, non subdit. Et sollicita prece a me multum poposcit, ut nullam illicitis conatibus meam præberem assensionem; sed tantum: *Et sollicita prece multum poposcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur assensio.* Qua occasione eadem via Cyrillus accessit ad pontificem Romanum, qua Theodoritus a pseudosynodo Ephesina depositus adiit sanctum Leonem: ad quem scripsisse non contentus, scripsit etiam ad archidiaconum Ecclesiæ Romanæ, cum quo sciebat rerum omnium ecclesiasticarum cognitionem tractationemque a Cœlestino communicari. Ad postremum vero, quod affert Blondellus, argumentum, scilicet verba, de quibus nunc agimus, inter alia collocata esse, quæ necessarium inter se nexum habeant, ut proinde illis interjecta fuisse a neoterica manu videantur, levis est momenti. Perspicuum enim est, hæc quæ falsi arguuntur, velut parenthesi esse claudenda, ut legenti patebit: ita ut ad præcedentia et ad

Digitized by Google

consequentia pertineant, nec tamen utrorumque connexionem et necessitudinem impediant : quod numquam non accidit in sermone, quoties aliqua in exemplum adducuntur.

5. *Præter eos qui sunt Domini sacerdotes.* Clarum mihi videtur his verbis docendi et prædicandi potestatem presbyteris non auferri : tum quia constat jamdiu permissam eis fuisse in Orientalibus Ecclesiis, quod maxime de Antiochena, de qua hic agitur, Joannis Chrysostomi exemplum comprobat ; tum quia eos solum a prædicandi munere excludit, *qui sunt extra sacerdotalem ordinem constituti;* quod de presbyteris numquam dixerit sanctus Leo, quos vocat alibi *secundi ordinis sacerdotes.* Denique dum monachos et laicos nominatim arcet ab eo munere, et de presbyteris silet, horum jus intactum relinquit. Nolo rem pluribus commentariis vexatam rursus pertractare. Vix tamen possum quin hic novitios antiquitatis ecclesiasticæ scrutatores moneam, ne multa temere confundant quæ secernenda sunt. Cum enim non una fuerit omnium vel regionum, vel Ecclesiarum, vel sæculorum consuetudo, quid cuique conveniat, sedulo inter legendum pensandum est. Præterea plures veluti gradus in hoc munere notandi veniunt. Primum enim illud pleno jure exercere, tamquam potiorem apostolici muneris partem, episcoporum est tantummodo, penes quos non Scripturæ modo fideique doctrina, sed et magisterium fidei illiusque explicandæ cura incumbit. 2° *Loqui in populo*, ut ait Optatus (*Lib.* III, *vel* VII) *sed insinuandæ alicujus rei gratia, puta jejunii,* **1535** *vel solemnitatis* (non tamen tractandi, quod est episcoporum) presbytero vel diacono ex officio conveniebat, cum hoc etiam discrimine, quod hi *nude* loquebantur; *contra episcopalis tractatus probatur ab omnibus sanctitate vestitus, salutatione scilicet geminata,* etc. Vide et Isidorum superius a nobis laudatum de archidiaconi officio et concilii Vasensis II can. 2. 3° Evangelium prædicare seu legere diaconi quoque proprium semper fuisse constat, etsi eidem, nec presbytero, illud *tractare, quod episcoporum est*, non permitteretur. Unde cum concilium Vasense II an. 529, can. 2, *verbum faciendi daret presbyteris potestatem*, statuit ut impedito presbytero *Patrum homiliæ a diaconis recitentur*, non ut de suo ad populum sermonem habeant. 4° Numquam sive presbytero, sive diacono, vel prædicare, vel quid aliud sine episcopi licentia licuit facere. 5° Coram episcopo per multum temporis non concessa est presbytero prædicandi facultas : ad quod nonnulli illam consuetudinem coarctant, de qua abrogata laudat Aurelium Carthaginensem episcopum Augustinus epist. 77, quamque Hieronymus arguit scribens ad Nepotianum, et alibi. 6° Denique tam præsente quam absente episcopo tandem aliquando presbytero permissum est sermonem habere ad populum tam in civitatibus quam in parochiis, ut Vasenses Patres jam laudati statuunt in Galliis anno Domini 529.

6. *Sive laicus.* Monachum hic distinguit a laico, ut in epistola sequenti, per illum intelligens monachum qui aliquo ministerio ecclesiastico insignitus esset; per hunc monachum nihil tale habentem. Concilium Arelat. III, anni, ut Sirmondus putat, 455, circa eadem tempora, idem quoque discrimen posuisse mihi videtur, dum clericos Lirinenses a laica monasterii multitudine et congregatione distinguit.

1536 AD EPISTOLAM CXX.

APUD QUESNELLUM XCIII.

Theodorito Cyri episcopo.

1. *Malum ejus auctore totius bonitatis dispensante.* Ita legendum cum vulgatis, etsi Griman., Barb., Thuan. unus et Cantabrig. codd. legant (*a*) *malo ejus*, etc. In illis porro verbis mire concinit Leo noster Augustino de Deo peccata ordinante scribenti, lib. de Prædest. SS. cap. 16, et Confess. lib. I, cap. 10, ad quem ultimum locum consule castigationes et notas celeberrimi Antonii Arnaldi doctoris Sorbonici (quem nominasse, laudasse est) ad calcem editionis Latino-Gallicæ.

2. *Ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas.* In vulg. et in solo Grim. cod. ms. reperi hæc verba; desiderantur enim in Thuan. quatuor, Barb., Trecopith. et Cantabrig., qui etiam pro *summorum* habent *summoperum* vel *summopere;* ita Trecopith., Cantabrig., et e Thuan. unus, ubi sic, *ut ad majorem Dei gloriam proficiat finis examinis*, etc.

3. *Contra suum caput est molitus injuriam.* Dioscorus enim *excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni*, ut loquitur Anatolius in synodo Chalcedon. de qua et Theodorus diaconus Alexandrinus, act. 3 ejusdem, et relatio ipsius synodi ad sanctum Leonem : quod non in Ephesino latrocinio, sed post illud solutum, (*b*) apud Alexandriam perpetratum a Dioscoro, allectis eam in rem aliquot episcopis. Liberatus, quem hic citat Baronius, nihil habet de hac excommunicatione Leonis.

4. *Pollutas jampridem . . . manus.* Non enim in Ephesino latrocinio malitiæ suæ tirocinium posuit, sed, Liberato diacono teste cap. 10 Breviarii, statim ac ordinatus est episcopus Alexandriæ, *oppressit* **1537** *Cyrilli hæredes, et per calumnias multas ab eis abstulit pecunias.* Præterea eum ut Origenistam et Arianum infamant libelli adversus eum oblati in concilio Chalcedonensi, nec non tamquam homicidam, incendiarium, et turpissimæ vitæ nebulonem. Hominem denique turbulentissimi ingenii et vaferrimi fuisse Dioscorum confirmat ms. fragmentum Vitæ S. Euthymii, quod ex Anglicana regiæ societatis bibliotheca laudat illius excerptor Andreas Arnoldus in notis ad epistolam Marciani.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) *Malo ejus* ex codicibus et contextu prætulimus : verba autem *auctore totius bonitatis dispensante* cum Augustino concinunt, qui *Deum bene uti nosse etiam malis* pluribus in locis docuit, nimirum in lib. de Prædest. SS. c. 16, tract. 27 in Joannem num. 10, de Continentia num. 15, serm. 10 num. 5, Enarr. in psal. CIV num. 17, unde celebris et præclara est illa ejusdem doctoris sententia in Enchir. c. 27 : *Melius enim* (Deus) *judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere.* Confer etiam c. 96.

(*b*) Græcus textus Theodori diaconi Alexandrini, qui act. 3 Chalcedonensi legitur, tom. IV Concil. col. 1271 (ut notarunt Romani editores), id gestum præfert in *Nicæa metropoli.* Vetus autem interpres in suo Græco exemplo aliter legisse videtur. Id enim non in Nicæa metropoli, sed *contra gestum in Nicæa concilium* reddidit : quæ verba significant, Dioscorum damnando S. Flavianum et excommunicando S. Leonem ejus doctrinæ catholicæ defensores, quæ cum Nicæna concordat, adversus ipsum Nicænum concilium pugnasse. Errores quidem aliquot deprehenduntur in Græco vulgato, qui ex antiqua versione corrigendi sunt. Si autem Græcus textus vulgatus hoc loco non credatur vitiatus, cum incredibile sit Dioscorum tantum ausisse in urbe Nicæa Marciano imperante, dum res omnes incitatæ erant contra Dioscorum; dicendum erit illum vivo adhuc Theodosio, cujus favore et patrocinio fretus omnia audebat, excommunicationem tulisse in S. Leonem, dum in variis ipsius excursibus Nicææ esset, quod hic fortassis nuntium accepisset, Leonem Ephesini latrocinii gesta irrita declarasse, et se quoque ab eodem pontifice in epist. 44 ad Theodosium acriter fuisse perstrictum.

Digitized by Google

5. *Cum et apostolicæ sedis epistola*, etc. Hæc verba cum sequentibus usque ad illa capitis sequentis, *Sed benedictus Deus noster*, etc., sunt quidem in Grimān. et vulg. edit.; desiderantur autem in Barber., Thuan. quatuor, Frecpith. et Cantabrig., in quibus ita habetur : *Cum et in apostolicæ sedis epistola et cætera, quæ per ordinem supra posuimus, continuo agit. Sed Benedictus*, etc., quod ex aliqua collectione canonum desumptum videtur, licet et in aliis nunc codicibus reperiatur.

AD EPISTOLAM CXXI.

APUD QUESNELLUM XCIV.

Marciano Augusto.

1. *Cum hujus observationis annos centum numero Theophilus collegisset.* Cum hæc verba festinanter legeret Scaliger (quem secutus est Calvisius), miratus est pontificem nostrum scribere centum annis definitam esse a Theophilo periodum, non vero nonaginta annis, qualem ab illo episcopo constitutam esse existimavit. Sed minor ego Scaligerum legisse apud Leonem, quod a nemine lectum est. De (*a*) centenaria enim periodo ne apex quidem in hac vel alia epistola apparet; sed tantum centenariam annorum hujus observationis seriem a Theophilo ordinatam legimus. Revera nullam periodum centum præcise annis circumscriptam condiderat Theophilus; sed centum annos e sua periodo decerptos exhibuit. Periodus autem tota quadringentorum triginta et septem annorum fuit : in qua omnia Paschata annotarat, quæ ab anno Christi 380 deinceps secutura erant. Quem cyclum Cyrillus nepos ejus et successor, cum longiorem existimaret, ad nonaginta et quinque annorum spatium, ut testatur ipse, contraxit.

2. *A primo ang. mem Theodosii senioris consulatu.* Christi annus est 380 Dionysio, Gennadio et aliis auctoribus, in quo Gratianum collegam habuit Theodosius, qui ex Buchelii calculo Diocletiani annus erat 96. Quo posito, duplicis erroris arguendus est **1539** Scaliger. Primum, quod scribat Theophilum cyclum suum inchoasse ab anno primo Diocletiani, cujus annus ultimus erat Christi 379, Ausonii consulatu notatus; secundo, quod Syagrium et Eucherium consules ann. 381 anno præcedenti, hoc est 380 ascribit.

3. *Siquidem ab* XI *kalend. Apr. usque in* XI *kalend. Maiar. legitimum spatium sit præfixum.* Pro X kal. Mali, ut in vulgatis legitur, XI reposuimus : quod jam olim Petavius et Bucherius faciendum conjecerant; quorum conjectura auctoritate codicis nostri Grimanici ms. confirmatur, et ex sequentibus istis Leonis verbis : *Quod enim in* X *et in* IX *kalend. Maiarum videtur nonnumquam pervenisse festivitas, id propter diem Passionis factum, etsi dies Resurrectionis exisset.* Si enim nonus et decimus dies ante Kalendas Maii extraordinarius fuit Paschatis terminus, restat, ut dixerit sanctus Leo, undecimum fuisse limitem ordinarium, quem paschalis festi terminum ex Latinorum sententia fuisse refert etiam Beda. Quem porro terminorum illorum auctorem habuerit sanctus Leo, non omnino certum est. Facile tamen cum Bucherio mihi persuadeo, Patres concilii Cæsariensis ab eo intelligi, qui anno Christi vulgari 196, a passione 166, Cæsareæ in Palæstina convenientes hos eosdem Paschæ terminos primi posuisse videntur, ut docet Philippi etiam tunc supersitis epistola, quam Bucherius post Bedam edidit emendatiorem. *Constitutum ergo est in illa synodo*, inquit Philippus, *ut ab* XI *kalendas Aprilis, usque in* XI *kalendas Maii Pascha debeat observari; et nec ante nec postea quicumque constitutum limitem transgredi sit facultas.* Eadem pene verba Leo usurpavit, ut ex illa epistola accepta esse credam, vel ex ipsis synodi Actis, quæ ad Victorem papam transmissa esse probabile est, cum per idem tempus tanta sollicitudine pro controversia paschali laboraret. Eumdem terminum ab Africanis quibusdam calculatoribus fixum esse narrat Anatolius Laodicenus episcopus apud Bucherium. Eumdem in Italia usurpatum Ambrosii ætate, ex ejus epistola ad Æmilii episcopos notum habetur; ut mirum non sit quod tam secure ac confidenter a Leone dicatur ii terminī *per paternarum constitutionum normam antiquitus et legitime constituti*; Alexandrinorum vero limites *a totius antiquitatis exemplo et ab omni auctoritate Patrum discordare, et nimis novelli et aperta transgressione contra morem ecclesiasticum statui* (*Epist.* 109, *nunc* 130). Cum tamen paulo arctiores esse terminos experientia docuit, biduo diffusiorem admittere coacti sunt sancti Patres; et ita ut ad decimum et ad nonum kalendarum Maiarum spatium paschale extenderent. **1539** Leonis ipso fatente : *Quod enim*, inquit, *in decimum et in* IX *kalendarum Maiarum videtur nonnumquam pervenisse festivitas, quadam ratione defenditur; quia dies Resurrectionis ultra terminum videtur egressus, dies tamen Passionis limitem positum non invenitur egressus.* Occurrebat videlicet Alexandrinorum objectioni, qui nonnumquam, etiam suffraganeis Romanis, limitem a Leone laudatum violatum esse causari poterant : Pascha, inquit, resurrectionis terminum præfixum quandoque egressum est, at numquam Pascha σταυρώσιμον, ut aiunt, seu crucifixionis. Ita ex ambigua Paschatis voce, non minus passionem Christi, quam resurrectionem significante, quæ unicam completam festivitatem efficiunt, probat præfixum a Patribus Paschatis limitem nunquam Latinos fuisse prætergressos. Ex quibus id etiam manifestum fit, cautum fuisse magna diligentia apud Latinos, ne ante decimam quartam lunam, non solum Resurrectionis Dominicæ festum, sed magis etiam Passionis diem celebrarent. Proindeque si 14 luna in sabbatum caderet, non sequenti Dominicæ paschale Resurrectionis festum agebatur; sed in lunam 22 rejiciebatur, ne 13 luna Passionis solemnis dies haberetur : quod et Victorinus testatur.

AD EPISTOLAM CXXII.

APUD QUESNELLUM XCV

Juliano episcopo Coensi.

1. *Leo Juliano episcopo.* In Grimān. cod. qui certe necessarius erat, ut fœdissima menda eluerentur, quæ in hunc titulum irrepserant vel scribarum negligentia, vel mala recentiorum diligentia : ita enim habent vulg. edit. : *Leo Romanæ et universalis Ecclesiæ episcopus, Eudochiæ Augustæ salutem.* Eudochiæ pariter inscripta habetur hæc epistola in editis exemplaribus Conciliorum J. Merlini an. 1524, Coloniens. 1530 et 1535, Crabbi 1538, et Surii an. 1567, etc., necnon in mss. Victorino. In eo tamen differunt a recentioribus, quod præterquisso illo magnifico titulo, hunc simpliciorem præseferunt : *Leo Eudochiæ Augustæ.*

2. Ad Julianum datam esse, non Grimānicus solum codex indicat, sed et totius epistolæ contextus, qui submisso modo, quo Leo ad Augustas vel Augustas scribere solitus erat nullatenus congruit.

3. Sed et in depravatis codicibus supersunt etiamnum antiquæ genuinæque lectionis vestigia : siquidem sub finem epistolæ vox *fraternitatem* (quæ certe Eudoxiæ vel ulli feminæ non convenit, sed episcopo) legitur in Merlinianæ Conciliorum editione **1540** ann. 1524 et 1535, nec non in codice ms. Victorino in hunc modum : *Quia vero*, inquit, *oportet fraternitatem tuam cura totius plectum esse pontificem*, ut sole clarius appareat vocem *serenitatem*, in aliorum locum

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Confer annot. 8 (*Col.* 1056, *n.* 1) in hanc epistolam, ex qua errores hujus Quesnellianæ notationis detegentur.

Digitized by Google

esse substitutam, ut titulo responderet, quem emendavimus auctoritate Grimanici codicis.

4. Marianus Scotus hanc laudat epistolam sub germana epigraphe ad ann. 451. Sanctus Leo papa, inquit, ad Julianum episcopum sic : DE PASCHALI OBSERVANTIA : *Sanctæ memoriæ Theophilus Alexandrinus episcopus* [In ed. del. *Alex. episc.*] *ad Augustum Theodosium seniorem scribens, per centum annos a primo prædicti principis constitutu digessit ordinem diei festi paschalis* : [Ed. del. *diei.... paschalis*] *cujus instructionis* 76 [Ed., 74] *nunc annus evolvitur, quod* [Ed., *quo*] *Opitione consule*, 21 *idus Aprilis celebrata est sacra solemnitas paschalis* [Ed. del. *paschalis*]. *Unde sequenti anno*, 11 *nonas* [Ed., *pridie non.*] *Aprilis rationabiliter Pascha* [Ed., *eadem festivitas*] *consequetur. Sed annus qui erit* 78 [Ed., 76, et aliqua hic omittuntur], *ut videtur, discordat : siquidem in* VIII *die kalendas Maii Paschæ constituitur* [Ed., *transtulerit* ; reliqua discrepant]. *cum* 15 *kalend. Maii debuit fieri.*

5. Denique certum est nullam tunc fuisse seu Eudociam, seu Eudoxiam Augustam, ad quam de his rebus scribere voluerit sanctus Leo. Eudocia enim Theodosii junioris uxor jam ab obitu mariti sui Jerosolymis commorabatur. Ad quam uti convenientissimum fuit ut Leo scriberet sequentem epistolam de Palæstinis rebellibus monachis, quibus favebat contra catholicam fidem ; ita valde superfluum ut de Paschate cum ipsa ageret, moneretque ut Marciano pro consulendis ea de re Ægyptiis suggereret. Eudoxia autem Valentiniani uxor Romæ tunc agebat, aut saltem in Occidentalibus partibus. Quod et de juniore Eudoxia senioris hujus filia certum est, quæ sub matris adhuc cura posita erat. Reliqua quæ ope codicum mss. emendavimus, ad marginem annotata reperiet, qui conferre voluerit.

AD EPISTOLAM CXXIV.

APUD QUESNELLUM XCVII.

Monachis Palæstinis.

Ad Palæstinos monachos. Ita pro *episcopis* Palæstinis (quod habent vulg. edit.) *monachos* substituimus, ad quos scriptam fuisse constat hanc epistolam tam ex Surii editione manuscriptisque codicibus, quibus ille nosque usi sumus, puta Victor., Cisterc., Cantabrig., Thuaneis et Regiis ; quam ex ipsius epistolæ conspectu et lectione, qua perspicuum est sanctum Leonem cum episcopis non agere, sed cum solis Palæstinæ monachis. Hi scilicet, (a) Caroso **1541** et Dorotheo ducibus, adversus Chalcedonensem synodum palam et publice insurgebant dimicabantque, *exagitando*, ut ait Leo noster, *seditionibus civitates, conturbando Ecclesias : nec solum injurias, sed etiam cædes presbyteris atque episcopis inferendo ; ut præ furore et sævitia propositi sui et professionis essent immemores.* Dubium enim non est quin per hæc verba propositum et professionem monasticam intelligat ; eosdemque illos alloquatur, de quibus scripsit ad Eudoxiam et ad Julianum, nec non et ad Marcianum, cui de Palæstinis monachis conversis gratias agit. In re tam perspicua plura addere otiosum esset. Ex dictis porro liquet ad annum Dom. 453 referendam esse præsentem epistolam, cum eodem anno de hoc negotio scriptæ sint a S. Leone ad Eudoxiam Augustam et ad Julianum episcopum epistolæ, quibus hæc affinis et coæva esse facile cognoscitur. Nec ad ulteriorem annum rejici potest, cum ex epistola ad Marcianum citata et data 9 Januarii an. Dom. 454 manifestum sit tunc conversos fuisse rebelles monachos, de quibus hic agitur.

AD EPISTOLAM CXXV.

APUD QUESNELLUM XCVIII.

Juliano episcopo Coensi.

Subadjuvam. Vox ista, quam ex ms. cod. Grim. hic supplevimus, iterum occurrit apud sanctum Leonem, epist. 127 (*nunc* 158), ubi de Gerontii et Olympii subadjuvarum fit mentio, et in Liberati Breviario. Rara ejus memoria apud Latinos scriptores, etsi Latina sit, quam Synesius, epist. 144, ita interpretatur Ἀποχρατίσαντες ἐστι τοῦ Ἡρακλειανοῦ δορυφόρων, ταξιάρχων τῷ βοηθῷ βοηθεῖν, ἡ γὰρ συυβαδιούσα λέξις, τοῦ τὸ ἑρμηνεύειν πιστεύεται. *Harpocrato quidam est Heracliani satellitum ex eorum ordine qui adjutores adjuvant, vox enim* SUBADJUVA *id significare creditur.* Igitur magistro officiorum qui adjutor datus erat, adjutores iterum sub se habebat, quos subadjuvas appellabant. Vide Notitiam imperii et ad illam Guid. Panciroli Commentar. c. 16.

AD EPISTOLAM CXXVII.

APUD QUESNELLUM C.

Juliano episcopo Coensi.

1. *Octavo kal. Maii.* Ita ex Grim. cod., non vero, quod habent vulg., *nono kal. Maii* : quod clarum fit ex epist. 68 (*nunc* 88), ad Paschasinum Lilybætanum, quam publico damus, et ex epist. 94 (*nunc* 121), cap. 2, ubi et octavum kal. Maii a Theophilo designatum fuisse diserte asserit sanctus Leo, et in nonum vel decimum si pervenerit festivitas, quadam ratione defendi : cum tamen numquam octavo kal. Maii Pascha **1542** celebratum fuisse a tempore Resurrectionis Dominicæ idem hic assereret. Quod autem de nono et decimo kal. Maii dicit, sumptum est ex epistola Paschasini Lilybætani ad ipsum scripta an. 443, quo de sequentis anni Paschate controversia orta est, asserente tunc Leone cum Occidentalibus, hanc festivitatem nono kal. Maii, ut a Theophilo annotatum erat, non esse celebrandam.

2. *Canonibus constituta*, etc. Totum hunc locum confer cum prioribus edition. quæ sic habent : *Innotescere debuisset improbum a vobis ambitum notatum fuisse, ne novis usurpationibus constituta, inviolata (ut semper scripsimus) servarentur*

AD EPISTOLAM CXXIX.

APUD QUESNELLUM CIII.

Proterio episcopo Alexandrino.

1. Hæc ad sanctum Proterium episcopum Alexandrinum epistola ipsa est quam periisse vehementer dolebat eminentiss. cardin. Baronius scribens ad annum Dom. 453, quamque nobis codex cardinalis Grimani post interceptam ejus tot sæculis memoriam feliciter repræsentat. Hanc vere Leonis nostri esse stylus ipse clamat et epistolæ materiæ ; ut supervacaneum sit id operosius comprobare.

De ea mentionem faciunt. 1° Ipse Leo facit in epistola 104 (*nunc* 130), ad Marcianum Augustum : *Rescripsi itaque*, inquit, *prædicto fratri* (Proterio) *quod debui, atque in sancto studio ut perseveraret admoni*, etc. 2° Venerab. Beda breve ejusdem epistolæ fragmentum recitat in libro de Ratione Temporum, cap. 42, ubi de cyclo paschali, quem condiderat Theophilus, sermonem faciens, hæc habet : *Cujus circuli*, inquit, *Proterius Alexandrinæ urbis antistes ad inquisitionem sancti Leonis papæ luculentissimam reddens rationem, talis rescripti ab eo meruit tenore præd cari : « Lætificaverunt me litteræ dilectionis tuæ, quas frater et coepiscopus meus Nestorius pio apportavit officio.*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(a) Non *Carōso et Dorothéo*, sed *Theodosio duce* scribendum fuerat ; illi enim Constantinopoli, non autem in Palæstina, turbas excitarunt. Palæstinorum autem tumultuantium dux fuit Theodosius, uti observavimus annot. 26 (*Col.* 1067, *n.*) in hanc epistolam.

Digitized by Google

Oportebat enim ut ab Alexandrinæ Ecclesiæ præsule A *talia scripta ad sedem apostolicam mitterentur, quæ ostenderent magisterio beatissimi Petri apostoli hoc ab initio per beatum Marcum ejus discipulum didicisse Ægyptios, quod constat credidisse Romanos*, et cætera; » quæ si addidisset, inquit Philippus Labbe ultimæ collectionis Conciliorum procurator, ab omnibus antiquitatis ecclesiasticæ studiosis gratiam maximam iniisset. Hanc ergo nos gratiam inimus; verba enim illa dubium non est ex hujus epistolæ exordio esse desumpta; sed continuo admirari libet qua ratione illa ad Theophili cyclum vel quæstionem de Paschate referat Beda, cum de his ne apex quidem in tota quanta est epistola appareat. Horum certe alterutrum fateri necesse est: vel hoc solummodo excerptum **1543** penes Bedam fuisse, non vero integram epistolam; vel somnum inter legendum viro pio et erudito obrepsisse; tota est enim de incarnationis mysterio epistola. Immo vero ne in fragmento quidem illo quidpiam est, quod ad cyclum paschalem quoquomodo referri possit. Nemo B enim dixerit aut Ægyptios a B. Marco Evangelista, aut B. Marcum ab apostolo Petro de paschali computo credendum quidquam accepisse, quod ad controversiam Leonis ætate motam pertineret. Esto enim acceperit Ecclesia ab ipsis apostolis paschalis festi celebrandi præceptum ac ritum, quod ex præsentis epistolæ auctoritate viri docti probare conati sunt, quibus videlicet Bedæ excerptum imposuerat: at de strictioribus hujus festi limitibus quidquam ab illis statutum vel traditum fuisse posteris, quis asseverare velit? Deinde tantum abest ut litteræ quas sanctus Proterius de Paschate scripsit ad sanctum Leonem, hunc *lætificaverint*, vel propter luculentissimam quam Proterius reddidit rationem tali rescripto ab illo meruerit prædicari, quin potius sententiam, quam Alexandrinus antistes propugnabat, ægre admodum tulit sanctus Leo, eam veteri observantiæ contrariam existimavit, et ob hanc solam rationem consensum suum commodavit Alexandrinis, *ne qua discrepantia* C *per provincias de observantia tam venerabilis festi fieret, nec inter Domini sacerdotes aliquid in tanta solemnitate esset varium* (*Epist.* 108, *nunc* 137, *ad Marc., cap.* 1), ut loquitur epistola ad Marcianum nunc primum publici juris facta: in qua et testatum habemus ad Proterium de hac paschali controversia rescriptum a Leone non fuisse. *Litteras autem*, inquit, *fratris et coepiscopi mei Proterii Alexandrinæ civitatis episcopi me accepisse significo, quibus apud pietatem vestram de mea consensione respondi.* Sed nec Leo ipse ad Proterium de hac inquisitione prius scripserat, ut ex variis ejus litteris patet, et ex ipso epistolæ Proterii exordio. His denique adde quod jam pridem hanc ad Proterium, quam damus epistolam, scripserat sanctus Leo, cum Proterii litteras de Paschate accepit, ut ex variis ea de re scriptis manifestum evadit

3. S. Thomas nonnulla ex eadem refert epistola 2-2, q. 11, art. 2, ad 2. Unde Leo papa, inquit, quadam epistola ad Proterium episcopum Alexandrinum dicit D quod *Inimici crucis Christi omnibus et verbis nostris insidiantur et syllabis, si ullam illis vel tenuem occasionem demus qua Nestoriano sensui nos congruere mentiantur.*

De Proterio, ejusque collectione ac cæde vide Liberati Breviarium, cap. 14 et 15; **1544** Hormisdam P. R., epist. 8, ad Epiri veteris synodum; Nicephorum, lib. xv, cap. 16, et Leonem nostrum in epistolis 100, 102, 104, 117, 118, 125, 126, 133 (*nunc* 127, 131, 133, 147, 149, 156, 157, 164). De eodem fere certum habetur, quod a Dioscoro archipresbyter Ecclesiæ Alexandrinæ ordinatus fuerat, in ejus locum postea subrogatus, ac tandem hæretico- rum et Timothei præsertim factione occisus, in Ecclesiæ baptisterio, ut ait Liberatus, vel *inter ipsa altaria*, ut Hormisdas testatur. Statim ac Alexandrinæ Ecclesiæ præfectus est, litteras scripsit ad sanctum Leonem et ordinationis et fidei suæ indices, (*a*) quas *satisfactionis plenas* appellat pontifex noster; misitque per Nestorium episcopum, quem Nectarium mendose vocat Bedæ fragmentum, et Nestorianum edit. vulg. epistolæ 104 (*nunc* 133), ad Marcianum, qui per eumdem antistitem Leoni nostro scripserat. Utrobique enim Grim. cod. legit Nestorium, quem eumdem esse reor ac Nestorem civitatis Flagonitorum episcopum, qui primus subscripsit precibus Ægyptiorum episcoporum ad Leonem Augustum adversus Proterii parricidas.

Lectis primitus prædictorum sacerdotum assertionibus, tunc demum mea quoque scripta recitentur. Vetus quidem consuetudo et a primis Ecclesiæ ducta temporibus, ut apostolorum epistolæ et scripta in sacris fidelium conventibus legerentur; sed haud scio ante hæc sancti Leonis nostri tempora usus invaluerit recentiorum Patrum seu episcoporum scripta legendi coram plebe congregata. Hinc forte vel ex simili occasione nata consuetudo homilias sanctorum Patrum publice in ecclesia recitandi, et officio ecclesiastico inserendi.

AD EPISTOLAM CXXXIII.

SANCTI PROTERII
ad S. Leonem papam I.
APUD QUESNELLUM POST EPIST. CIII.

9. *Athanasio.* Ita legendum, non *Anastasio*, ut ex mss. codd. Petavius et Bucherius jam monuerant in suo quisque de Doctrina Temporum opere: et res extra dubium est. Modo accedit auctoritas mss. Oxoniensis, et S. Augendi, qui habent *Athanasio*. Inde argumentum certum elicit Bucherius de ætate S. Athanasii, eumque ante hunc annum, qui Christi fuit 373, diem non obiisse contendit: cui suffragare videtur Hieronymus in Chronico; ubi ordinationem Petri, qui successit sancto Athanasio, eidem anno assignat. Alii **1545** Rufini, sancti Cyrilli Alexandrini, Socratisque præsertim auctoritatem opponunt, qui quadraginta et sex tantum annos episcopatus Athanasio tribuunt; quorum ultimus Gratiano et Probo coss. illum obiisse testatur, qui quidem an. 371 consulatum gesserunt. Cum adversæ invicem istæ probationes conferuntur ac committuntur, fateor plus apud me SS. Hieronymi et Proterii auctoritatem habere ponderis, quam aliorum. Indirectæ enim sunt horum probationes (si Socratem excipias) quæ a numero annorum pontificatus trahuntur, qui et stare potest cum Proteriana mortis ejus epocha. Quid enim si non accurate admodum eos annos is recensuerit, qui primus omnium eos commemoravit, ut nulla necessitas erat? quid si exordia episcopatus sancti Athanasii non omnimode certa sint? Si enim sera magis sunt, quam vulgo creduntur, tunc verum esse poterit et quadraginta sex annos tenuisse episcopatum, et ante annum 373 non decessisse. At Hieronymus diligens scriptor ordinationem Petri successoris Athanasii referens ad hunc annum, hoc non scripsit nisi ex indubitatis monimentis. Proterius pariter ex propriis Ecclesiæ suæ archivis rem didicisse credendus est, nec alterutrius testimonium ad alium sensum detorqueri ulla ratione potest. Ad Socratem quod attinet, etsi eadem ac Proterius ætate scripserit, non tamen auctoritate cum Proterio hac in re comparandus: cum illo, inquam, qui et Alexandriæ scripsit, ubi clara erat hujus epochæ notitia, et Ecclesiæ suæ scrinia, ut libuit scrutari

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Proterii litteras, quas *satisfactionis plenas* Leo testatur, non sunt primæ statim post ejus ordinationem scriptæ, sed secundæ, quas cum pleniore et apertiore fidei expositione ab eodem pontifex petiit ex epist. 127, c. 1. Has secundas litteras Nestorius episcopus ad Leonem attulit. Vide supra dissert. de Epist. deperditis, n. 61 et 69.

Digitized by Google

potuit, et uni rei intentus, errori minus fuit obnoxius quam Socrates, qui ad alia multa properans decipi potuit ac decipere. Chronographus innominatus apud Scaligerum in Eusebianis Commentariis narrat Athanasium vita functum 7 Pachon anno Christi 377.

Hujus Proterianæ epistolæ mentionem habet geminumque fragmentum refert Adrianus papa I, in epistola sua 97, ad Hispaniæ episcopos scripta, quæ exstat in tomo III Scriptorum Historiæ Franciæ Du-Chesnianæ. *Attendite, dilectissimi nobis, et illud quod beatus Proterius Alexandrinæ Ecclesiæ præsul, prædecessori nostro beatissimo Leoni papæ ob piæ memoriæ Marciani principis jussum direxit. Post plurima enim ita ait : « Olim quidem Dominus per Moysen significans dicit : Mensis iste vobis initium mensium, primus erit in mensibus anni*, etc. : *Facies Pascha Domino Deo tuo quarta decima die mensis primi. » Et post pauca subjunxit dicens : « Si quando in die Dominico quarta decima luna reperta est, in sequenti septimana est dilatanda festivitas; sicut et veteres Patres nostri fecerunt quartas decimas lunas occurrentes in aliam Dominicam transferentes. »* Hæc porro Adriani versio ab ea quam Leoninis epistolis inseruimus diversa videtur. Cum autem Sigebertus Gemblacensis, in lib. de Script. Eccles. cap. 27, et Joannes Trithemius testentur **1546** scripta Proterii de Paschate anni 455 a Dionysio Exiguo fuisse ex Græco in Latinum translata, inde dubium oritur utra istarum versionum Dionysii opus sit. Forte hæc Adrianiana versio eadem illa est quam S. Leonis jussu factam esse statim atque ab eo recepta est vix dubitare licet, a Græculo opinor aliquo Latini sermonis parum sciente, cujus versionis barbarie offensus Dionysius aliam postmodum adornarit.

AD EPISTOLAM CXXXV.

APUD QUESNELLUM CVI.

Anatolio CP. episcopo.

1. *Joannis spiritualem copiosamque doctrinam.* Suum cuique postremorum quatuor prædecessorum Anatolii characterem egregie hic appingit S. Leo, unde eximiam in pontifice nostro Ecclesiarum scriptorumque sanctorum Patrum notitiam suspicias. Joannis Chrysostomi propriam indolem quam graphice brevi elogio comprehendat nemo non videt.

2. *Auctoritatem Attici.* De hoc vide Socratem lib. VI, cap. 20; lib. VII, cap. 2 et 25, etc., cui tantam auctoritatem, quam a Leone commendatam in eo vides, religio, prudentia, laboris assiduitas, eruditio, charitas eximia, sermo urbanus et ad alliciendos hominum animos aptissimus, hæreticorumque repulsi conatus conciliaverunt. *Unde etiam Ecclesiæ*, inquit Socrates, *sub ejus pontificatu maximum incrementum cepere; neque enim solum domesticos fidei tuebatur, verum etiam hæreticos admiratione prudentiæ suæ percellebat.* Addit Cœlestinus papa I in repurgandis hæresibus vigilantiam in epistola ad Maximianum episc. CP., cui pariter decessorum exemplum suggerit. *Sequere*, inquit, *priorum a quibus eruditus es et nutritus exempla pontificum, beatissimi Joannis in prædicando scientiam, sancti Attici in repurgandis hæresibus vigilantiam, decessoris tui Sisinnii, cujus te successorem credimus, simplicem puritatem.* Vide etiam sanctum Prosperum in carm. de Ingratis.

3. *Industriam Procli.* In patientia ac mansuetudine sitam eam maxime fuisse testatur Socrates, lib. VII, c. 4. *Qui hæreticos hac ratione*, inquit, *potius quam vi ad rectam fidem adducere studuit... mansuetudinisque dignitatem integram conservavit, ac veluti depositum quoddam Ecclesiæ restituit.* Et cap. 45 : *Eos qui ob depositionem Joannis* (Chrysostomi) *sese ab Ecclesiæ corpore sejunxerant ad unitatem revocavit, eorum dolorem prudenti consilio demulcens, Joannis corpus, quod Comanis sepultum erat, annuente imperatore Constantinopolim deportavit, idque solemni pompa urbem traductum ingenti cum honore in ecclesia Apostolorum deposuit.* Sozomenus, lib. VIII, cap. 2, plurima quoque de Attico habet, Leonisque dicto concinit adhuc expressius, cum hæc ait : *Porro cum esset natura magis quam disciplina* **1547** *prudens, in rebus agendis summæ fuit dexteritatis, et ad struendas atque evitandas insidias solertissimus. Moribus autem blandus fuit, ita ut plerisque gratus esset. Porro erga suæ opinionis homines gnarus atque industrius fuisse dicitur; iis vero qui diversam sectam sequebantur, terribilis; ita ut, quoties volebat, metum illis incuteret; prorsus vero mutatus, mitis in eos appareret.*

4. *In injuriam canonum, ut agnoscis, illa tentata sunt.* Nihil tale legimus in epistola Anatolii, quæ tanta arte conscripta mihi videtur, ut in speciem Leonis querelis plene satisfaciat, revera tamen (*a*) nihil in ea de juribus suis remittat Constantinopolitanus antistes. Vix enim pauca sub finem de canone 28 Chalcedonensi commemorat, circa quem hoc solum a Leone pro certo vult haberi, nullam in se culpam esse, seque semper ab alienis appetendis longissime abfuisse. Et ita profecto Orientales episcopi fixum apud se habebant a decreto suo numquam resilire, ut cum epistola S. Leonis, qua consensu suo acta Chalcedone firmabat, lecta fuisset a Juliano in Constantinopolitano episcoporum conventu, cujus mentio fit in epist. 100 (*nunc* 127) ad Julianum, non ausus sit ea verba legere, quibus consensum suum Leo renuebat adhibere decreto in gratiam sedis regiæ condito apud Chalcedonam, ut ex eadem epistola compertum habetur. Immo dum correctionem per Marciani litteras promisit Anatolius, hoc solummodo pollicitus est, *Se in omnibus satisfacturum, quæ ad fidei observantiam pertinent*, ipso Leone referente in jam laudata epistola 100 (*nunc* 127), cap. 3.

5. *Ut Aetium presbyterum in gratiam tuam affectionemque revocaveris.* Non ait, *in pristinum locum ac ministerium*, quod excidit cardin. Baronio ad annum 453, num. 8, qui enim ex archidiaconi munere ad presbyteralem dignitatem gradum semel fecerat, numquam ad prius ministerium redire permittebatur : unde in hac eadem epistola sollicitudinem suam de electione archidiaconi in locum Andreæ subrogandi prodit S. Leo, dum hæc ait : *Electo primitus*, inquit, *et probato, qui archidiaconi officium possit implere, id est, quem nulla umquam prædictarum impietatum fama resperserit.* Quod valde supervacaneum fuisset monere, si locum suum vel recepisset, vel recipere potuisset Aetius. Quamobrem quod in Anatolii epistola ad Leonem papam scriptum reperitur, quod videlicet *Aetius in* **1548** *priore loco atque honore ecclesiastico est restitutus*, quandoquidem ex Græci textus jactura obscurum manet, ex uno Leonis responso lucem mutuari potest, nec meo quidem judicio mediocrem. Certum est enim ex hac ipsa et sequente Leonis epistola illam 106 (*nunc* 135) Anatolii litteris respondere, Romanumque pontificem, cum Aetium *in gratiam affectionemque Anatolii* revocatum scribit, attendere ad ipsius Anatolii verba, quibus Aetium *in priore loco atque honore ecclesiastico restitutum* asseruerat.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cum Anatolius in epist. 132, quæ hic indicatur, capite 4, affirmet : *Gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestræ beatitudinis fuit reservata*, jus omne his gestis quæsitum, ut ratum esset ac certum, ab apostolica confirmatione et auctoritate pendere confessus est. Quod si hac confessione non obstante, et contradicente pontifice, ipse et Orientales a decreto semel lato Chalcedone non recessere, sicut cum Marciano epist. 110 constantiæ Leoni tribuendum est quod sese huic ambitioni Nicænis canonibus contrariæ fortiter opposuerit, ita laudi verti nequit Orientalibus, si contra eosdem canones justis Leonis reprehensionibus nequaquam cessere.

Digitized by Google

Nihil erat igitur in authentico epistolæ Anatolianæ quod Aetium archidiaconatui redintegratum significaret, cum nihil tale lectum a Leone in illius epistola hujus responsione manifestum sit. Illa igitur Anatolii verba non de archidiaconi officio intelligenda sunt, sed tantum de gradu et honore ecclesiastico, a quo per invidiam et malevolentiam adversariorum suorum dejectus fuerat, cum cæmeterio deputaretur, ut queritur auctor noster epist. 84 (*nunc* 111), vel de restitutione ejusdem in propriam famam. Clarum est enim Aetium de aliquo crimine fuisse accusatum, cum ex epist. 100 discamus illum in episcopali conventu fuisse discussum, et cognitione habita in omnibus fuisse purgatum. Vir eruditus ex his epistolæ 86, al. 56 (*nunc* 115), verbis : *Nam apud catholicum episcopum etiamsi erat utcumque decus sacerdotale, sacerdoti archidiaconus propter fidei reverentiam debuit præmitti, potius quam locum cathodici nequissimus hæreticus ob ineret;* ex his, inquam, verbis, quæ egregie depravata ultro fatetur, suspicatur hanc corrigendo errori viam Anatolio Leonem aperuisse ut potius presbyter catholicus archidiaconi munere fungi sineretur, quam hæreticus diaconus. At quam remotum id a Leonis sensu textuque, quem longe emendatissimum atque adeo omni ambage vacuum perlegere poterat in nova ista Leonis editione jam tunc publicata ! Ex ea enim elucet Leonem Anatolio id proponere, quod ante Aetii consecrationem in presbyterum facere debuisset; ut levia potius in eo errata condonaret, quam hæretico locum cedere juberetur.

1549 AD EPISTOLAM CXXXIX.

APUD QUE NELLUM CX.

Juvenali Jerosolymitano episcopo.

1. *Inter angustias diversorii.* Hæc verba indicant S. Leoni persuasum fuisse Christum Dominum non in spelunca extra Bethleem posita natum esse, ut plerique sentire videntur, sed in diversorio, in quo non fuit ei locus, secundum evangelistam, hoc est non cubiculum vel cubile, sed tantummodo stabulum sub ipsius tamen diversorii tecto positum. Ejusdem est sententiæ S. Ambrosius, putans appendicem fuisse diversorii. Utrique favet sacer Evangelii textus, dum ait sic pluribus : *Reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio* (*Luc.* II, 7); opponens, non diversorio stabulum ab eo separatum, sed præsepium diversorii cubiculo seu cubili, quod parturienti Virgini nascentique puero maxime necessarium erat. Angelus similiter Christum pastoribus annuntiat natum *in civitate David et positum in præsepio.* Pastores ipsi dicunt : *Transeamus usque Bethleem;* vid mutique palam omnibus, qui in diversorio erant, narrare omnia quæ audierant et viderant antequam reverterentur : *Et omnes qui audierant, mirati sunt; et de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo; et reversi sunt pastores.* Denique cum magi natum regem adoraturi venerunt, *Intrantes domum,* inquit Matth., cap. II, 11, *invenerunt puerum cum Maria matre ejus.* Et hoc quidem modo pene necessarium est interpretari, ut prophetia Michææ impleta esse ad litteram dicatur : *Et tu Bethleem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet Dux.* Nec Eusebius, Hieronymus, Paulinus, aliique opponi debent; ubi enim nascenti Domino diversorium erat, potuit solum stabulum ac spelunca A superfuisse Patrum illorum temporibus; atque etiam extra urbem fuisse, cum ex Romanæ, Jerosolymorum, aliarumque urbium exemplo satis manifestum sit per temporum vicissitudines, bellorum strages populationesque sæpe sæpius id evenire, ut vel civitatum situs mutetur, et dum restauranter diruæ urbes, in remotioribus locis pro opportunitate suscitentur; vel etiam aliquibus suburbiorum partibus **1550** excisis, aliæ ab urbe dissitæ maneant, quæ eidem olim jungebantur.

2. *Nisi fuisset nostri generis, non potuisset esse mortalis.* (*a*) Cave ne ex his verbis mortem vel Adamo ejusque posteris ex ipsius corporis conditione connaturalem putes, ut neotericis quibusdam visum est, vel Christo Domino ex materna ipsius origine indeclinabilem fuisse. Utrique enim Adamo, primo et novissimo conveniebat *Prima immortalitas posse non mori*, quam S. Augustinus explicat lib. de Corrept. et Grat. c. 12; lib de Civit. Dei XXII, cap. ult., et alibi. B Caro, inquam, illius potuit non mori, quia non erat caro peccati. Sed quia missus est in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne : *Caro Christi mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit, quia mortale corpus ejus invenit; contagium vero peccati originale non traxit, quia concumbentis concupiscentiam non invenit. Si autem nec mortalitatem, sed solam substantiam carnis de matre sensisset, non solum caro ejus caro peccati, sed nec similitudo carnis peccati esse potuisset* (*Aug. contra Jul. lib.* V, *c.* 15).

3. *Particulam dominicæ crucis cum eulogiis dilectionis tuæ veneranter accepi.* (*b*) Hæc verba claudunt epistolam, jacentque in vulg. ed. et mss. tribus, quos vidi, immediate ante notam consularem; sed cum illa non habeant mss. Griman., Barb. duo, Cantabr., Trecopith. et ex Thuaneis tres, nemo non intelligit subditiua esse.

AD EPISTOLAS CXLI, CXLII ET CXLIII.

C APUD QUESNELLUM CXII, CXIII ET CXIV, ANNI 455.

Tres epistolas a Leone datas hoc anno 455 repræsentavit nobis Grimanicus codex, ne annus hic integer nobis vacuus elaberetur. Has porro necesse est antecessisse diem decimum sextum kalendas Aprilis, cum Valentinianum Augustum, cujus octavo consulatu consignatæ legantur, illo die interfectum fuisse constet ex Romanarum rerum scriptoribus. Unde facile fuit emendare librarii errorem, qui in epistola 113 (*nunc* 141), ad Julianum, V *idus Martii* legisse videtur; et alterum dubium solvere, quod circa epistolam 112 (*nunc* 142), ad Marcianum ex accipiti compendiarii characteris lectione nascebatur. Sic enim ibi habetur : *Datum* III *id. Aug. Valentiniano* VIII *cons.*, ubi licet **1551** pronum sit legere III idus Augusti, cum alius mensis nomen non appareat; merito tamen legendum videtur *Augusto Valentiniano* VIII *cons.*, credendumque mensis nomen per scribæ oscitantiam omissum fuisse. Præter hanc D autem rationem ex Augusti morte petitam, quæ non sinit ut mensi Augusto ascribatur hæc epistola, altera quoque sese offert ex ipsius epistolæ materia, quæ est de paschalis diei controversia, qui cum jam a tribus mensibus celebratus esset, importune admodum memoriam regeret consensus sui Alexandrinus dati, et litterarum a se ad Occidentales missarum circa ejusdem festi celebrationem. Tertia denique accedit ratio ex 113 (*nunc* 141), ad Julianum, epistola, quinto

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cave potius ne immortalitatem Adami in primo statu ex ipsius corporis conditione connaturalem putes. Immortalitas enim, ut palam docuit S. Augustinus in lib. VI de Genesi ad litt. c. 25, *ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ; a quo ligno separatus est, cum peccasset, ut posset mori; qui nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.* Hinc etiam damnata fuit hæc propo itio inter Baianas 78, cui num Quesnellus hoc loco alludat, alii judicent : *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

(*b*) De his verbis lege nostram annot. 29 (Col. 1198, *n.* 1) in hanc epistolam.

Digitized by Google

idus Martii data. Cum enim de correctione (*a*) Carosi monachi rebellis mentionem faciat, planum est prius scriptam esse epistolam illam 112 (*nunc* 142), ad Marcianum, in qua Augusto gratias agit quod eumdem et Dorotheum erroris consortem e suis monasteriis detrudi jusserat. Hanc enim monacho ad sanam doctrinam redeunti minime inflixisset Marcianus: quare vel Januario mense vel Februario data esse videtur hæc ad Marcianum epistola.

Porro ex epist. 115 (*nunc* 141), ad Julianum Coensem, manifestum habemus quo anno ad Alexandrinos missus a Marciano fuerit Joannes Decurio, hoc videlicet anno 455, vel sub præcedentis finem. Nemo enim non videt *hunc Joannem spectabilem virum et in fidei sinceritate laudabilem, ad Ægyptum causa fidei directum*, eumdem esse ac Joannem illum decurionem, cui Marcianus Augustus litteras suas ad Alexandrinos monachos perferendas dedit,' quæ parte III concilii Chalcedonensis referuntur num. 8. Hujus enim viri fidem pariter laudat Marcianus, eumque ait sacro Chalcedonensi concilio interfuisse. Emendetur itaque illustrissimus Annalium scriptor, qui hanc Joannis legationem ad annum 452 retulit.

AD EPISTOLAM CLVII.

APUD QUESNELLUM CXXVI.

Anatolio episcopo CP.

Nova hæc epistola, licet anni dieique notam nullam habeat, locum quem ei assignavimus habere debuit. In ea enim laudatur epistola 125 (*nunc* 156), quæ 1 Nov. (*leg.* 1 Dec.) data legitur, et alia indicatur qua apud imperatorem Ægyptios episcopos exteriores commendat, cum qua hanc missam esse probabile est, forte epistola 127 (*nunc* 158) 1 Decembris scriptæ annexam. Denique accepta ista epist. 126 (*nunc* 157) rescripsit Anatolius paulo iratior **1552** factus, ut perspicuum est ex epist. 128 (*nunc* 165), qua illum noster Leo de commotione increpat. Cum ergo (*b*) circa Martii medium hæc ultima scripta fuerit, et duo vel tres fere menses necessarii fuerint, ut illa 126 (*nunc* 157) Constantinopolim deferretur, et inde Anatolii responsum veniret, vix potuit aliam sedem sortiri novella 126 (*nunc* 157) epistola.

AD EPISTOLAM CLIX.

APUD QUESNELLUM CXXIX.

Niceæ episcopo Aquileiensi.

Nicetas, ad quem data legitur hæc epistola, ab aliis Nicæas appellatur. Et certe si idem est ac ille de quo Martyrologium Romanum ad 22 Junii, sanctus Hieronymus, epist. 42, et Gennadius, lib. de Viris Illustribus, *Nicæas* dicendus est, non *Nicetas*; ita enim constanter ab illis appellatur; tametsi Lucas Holstenius in Animadversis seu annotatis marginalibus ad Romanum Baronii Martyrologium, *Nicetam* legi asserat in admirandæ, ut ait, antiquitatis codice Gennadii ad S. Andream de Valle.

Jam vero non modicam difficultatem video in distinguendis pluribus Niceis, vel Nicæa a Niceta, quos in unum confundendos non existimo. Cardin. Baronius discernit inter Nicetam in Dacia episcopum, et Nicæam Romatianæ, seu, ut interpretatur, Aquileiensis civitatis antistitem: illum enim ad diem 7 Januarii recenset; de hoc vero ad 22 Junii memoriam facit. Utrumque in unum esse conflandum asserit Lucas Holstenius loco citato. Ego duos vel forsan etiam tres putaverim esse numerandos.

Primum, de quo tam honorificam mentionem facit S. Paulinus, epist. 10, ad Severum, ubi eum venerabilem, doctissimum, et Romanis merito admirandum episcopum appellat, necnon in natali S. Felicis, ubi eum et magistrum et patrem suum prædicat. Qui natalis S. Felicis, cum numerante Cæsare Baronio, incidat in annum Christi 397, jam tum Nicetam illum episcopum fuisse necesse est asserere: unde et procul abest ut idem sit cum Niceta nostro, ad quem S. Leo scribit, qui anno Christi 447 nondum erat episcopus, Januario tunc temporis Aquileiensem Ecclesiam gubernante. Nominis etiam differentia intercedit; certum est enim eum qui Paulino familiaris fuit, Nicetam fuisse appellatum; alium Nicæam plerique codices nominant. Accedit diversam utrique fuisse patriam. Hunc enim Aquileiensem esse probabile est; illum ex Dacia ortum conjicio **1553** ex Paulino, qui eum in Daciam revertentem prosequitur his verbis:

> Ergo dux idem modo prosequatur
> Te via, qua nunc properas reverens
> Ire, Niceta, patrioque reddat
> Limine tutum.

Episcopales denique utriusque sedes tam longe a se invicem dissitæ, quam Dacia ab Aquileiensibus.

Enim porro, de quo Gennadius et Honorius Augustodunensis, non alium esse putaverim a Paulini amico, tum quia a doctissimo pontifice, ut eum Paulinus vocat, probabile est condita esse opuscula, quæ commemorat Gennadius; tum quia veteres Gennadii codices, quorum unum laudat Holstenius, *Nicetam*, non *Nicæam* habent. Denique quia nomen episcopatus non repugnat.

Quod si diversum ab eo quis contenderit, per me licet. At eumdem esse Gennadium Nicetam cum Leonino, non possum adduci ut credam. 1° Leoninus erat Aquileiæ episc. At quis credat Aquileiam vocatam a Gennadio Romanam civitatem, quo nomine a nemine veterum decoratam esse legimus, quod et si potuisset ab oratore et encomiaste usurpari, nimquam certe ab historico dissertatore, quem propriis magis et notioribus nominibus uti maxime convenit. Et ita ab ipso Gennadio usurpatum est, qui cum de Rufino scribit superiori pagina, non eum Romanum, vel Romatianum, sed Aquileiensem fuisse dicit. 2° Cum in suo Catalogo ordinem temporum servet auctor iste, dum viros illustres recenset, Nicæam collocat longe ante scriptores Leoni æquales, immo ante Paulinum, Theophilum Alexandrinum, Sabbatium, et alios, qui quarto sæculo floruerunt, non quinto jam media parte elapso, ut Nicetas Aquileiensis episcopus.

Jam vero Nicæam illum, de quo sanctus Hieronymus, eumdem esse cum episcopo Aquileiensi, solum civitatis nomen videtur persuadere; plura dissuadent. Nam, 1° ille Nicæas ab Hieronymo dicitur, hic a Leone Nicetas. 2° Cum Nicæas Hieronymi amicus jam ab anno fere nonagesimo supra trecentesimum subdiaconus esset Aquileiensis Ecclesiæ, ad quem gradum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum probabile est non esse evectum, septuagesimo quinto, vel octuagesimo anno ad labores episcopatus assumptus esset; nondum enim anno 447 locum alteri cesserat Januarius: hoc autem vero parum simile est. Confirmatur adhuc ex S. Hieronymo epistola 42, quæ Chromatio nondum episcopo Aquileiensi scripta est; in ea enim communes quas habuerant Hieronymus ipse et Nicæas peregrinationes in memoriam cum revocat, significat æqualem fere sibi illum fuisse, quocum necessitudine singulari conjunctus erat.

Hinc vides ex uno Niceta, vel Nicæa tres nobis saltem enasci. Primum quidem Nicetam Paulini carminibus celebratum, laudatum a Gennadio, Romanæ

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hic Carosus correctus diversus est ab alio quem Marcianus e monasterio ejecit, uti colligere licebit ex nostra annot. 7 (*Col.* 1111, *n.* 6) in epist. 142, ubi etiam erroneam notam ejusdem epistolæ ex optimo ms. Ratisponensi emendavimus.

(*b*) Chronica nota epistolæ 163, XV *kal. Aprilis*. Emendavimus V *kalendas*. Confer nostram annot. 12 (*Col.* 1148, *n.* 1) in hanc epist.

Digitized by Google

seu Romatianæ civitatis episcopum; secundum, qui Nicæas 1554 dicitur, Aquileiæ hypodiaconum ac Hieronymi familiarem; tertium, qui episcopus Aquileiensis fuit post annum 447, ad quem S. Leo scribit anno 458.

Quod porro ad primi episcopatum attinet, *Romatianæ* civitati præpositum fuisse facile assentior, quam *Romanam* vocat Gennadius, *Romesianam* tabula Peutingeriana, *Remisianam* Antonini Itinerarium. Ex quo geminam Nicetæ, seu Niceæ commemorationem, quam facit Baronius, ad unicum referri debere libenter velim. Sed quod per Romatianam civitatem Aquileiam esse intelligendam idem autumat, assentiri nequaquam possum. 1° Quia nemo non modo inter veteres, sed nec inter recentiores legitur, qui ita appellaverit; si Leandrum nescio quem recentiorem cosmographum excipias a Baronio laudatum, qui secundam Romam dictam esse asserit: quod et si verum esset, non id tamen probaret quod Baronius intendit. Esto enim ita appellata fuerit ab aliquo laudes illius prosequente, sicut Arelatem Gallulam Romam legimus dictam; at non propterea cum de ea sermo habetur, Romana simpliciter civitas appellabitur, sicut numquam eo modo designatam legimus Arelatem. 2° De Romatiana civitate quod in Martyrologio commemorat ad 22 Junii, de Aquileia interpretari absurdissimum mihi videtur. Cum enim decies fere de Aquileia mentionem faciat sub hoc ipso nomine, quoniam consilio de Niceta acturus auctor ille loquendi morem solitum mutasset, proprioque ac omnibus noto nomine posthabito, aliud novum ignotumque usurpasset? 3° Etsi aliqua appellatione a Romana urbe deducta decoranda fuisset Aquileia, numquam Romatiana, nisi forte ab hominibus imperitis ac semibarbaris, sed vel Romana, vel Romaniana dicta fuisset: præsertim cum in Dacia alia civitas esset eo nomine dicta, ut inde necesse fuisset ambiguitatem oriri.

4. Auctoritas inscriptionis opusculi de Octo Beatitudinibus, ubi Chromatius ejus auctor ROMANUS EPISCOPUS dicitur, non plurimi facienda, cum et incertissimum sit an de Aquileiensi Chromatio sit intelligenda, et valde insolens alium præter sedis apostolicæ episcopum Romanum inscribi. Demus tamen ita vere appellatum esse episcopum Aquileiensem. At istud post multos annos contigisse, arbitror; si tamen contigit: qua autem occasione fieri potuerit, videor mihi satis feliciter ex Paulo Diacono eruere, nimirum ex Longobardorum vastitate ortum habuit, quam fugiens plebs Aquileiensis in proxima Gradus insula sedem elegit, suumque sibi deinceps episcopum creavit, quem ad distinctionem alterius episcopi, qui in veteri Aquileia pariter creabatur, Romanum forte vocitavit, ut Romanis, vel a Romanis creatum. Audi Paulum Diaconum suis ipsum verbis hoc attestantem lib. IV Longobardicarum rerum cap. 34: *His diebus, defuncto Severo patriarcha, ordinatus est loco ejus Joannes abbas patriarcha* 1555 *in Aquileia vetere, cum consensu regis Agilulfi et Gisulfi ducis. In Gradus quoque ordinatus est Romanus* (al. *Romanis*) *Candidianus antistes... Candidiano quoque defuncto apud Gradum ordinatus est patriarcha Epiphanias* (alias *Epiphanius*), *qui fuerat primicerius notariorum, ab episcopis qui erant* SUB ROMANIS. *Et ex illo tempore cœperunt duo esse patriarchæ.*

Vides, lector, Aquileiensem episcopum Romanum aliquando appellatum: non ob eam causam, ut habet card. Baronius in notis ad Romanum Martyrologium, quod Aquileia vel Roma secunda, vel Romatiana, Romanave civitas appellaretur; non etiam propterea quod aliquis hujus urbis episcopus patria Romanus esset, quemadmodum de Chromatio somniavit Sixtus Senensis; non denique quia catholicus et Romanæ Ecclesiæ communicans, quod putat Baronius ad annum Christi 605, ubi de Candidiano, quem Paulus Diaconus Romanum appellavit; quamquam aliæ editiones non hoc modo habent: *ordinatus est Romanus Candidianus antistes*, sed *ordinatus est Romanis*, etc. Valeat tamen per me licet prior illa lectio, quæ est veteris editionis Parisiensis anni 1514. At ex iis quæ descripsimus, clarum est appellatum esse Romanum, quia Romanis ordinatus erat, iis scilicet Aquileiensis veteris incolis, qui Gradum transmearant, parebantque Romanis; tum etiam quia ordinatus *ab episcopis qui erant sub Romanis*, ut expressis verbis habet Paulus Diaconus; denique quia auctoritate exarchi electus, ut alteri patriarchæ opponeretur, qui apud veterem Aquileiam, favente Longobardorum rege, ordinatus erat, eique subjacebat.

Hæc etsi ita sunt, nondum tamen exhausta difficultas. Quid enim hoc ad Chromatium, qui ducentis annis Candidianum antecessit, et gemini patriarchæ electionem? Verum necesse non est eo tempore vixisse Chromatium, ut Romani titulo decoraretur. Sufficit ut tractatus ille, qui ab ejus nomine circumfertur, descriptus sit post inchoatum sæculum septimum postque geminatos Aquileienses episcopos. Probabile est porro titulos hujusmodi scribarum solorum opus esse, qui prisci antistitis opusculum describentes, illum eo nomine donandum crediderunt, quod communiter Aquileiensibus sui ævi episcopis tribui noverant.

AD EPISTOLAM CLXIV.

APUD QUESNELLUM CXXXIII.

Leoni Augusto.

Omnium epistolarum, quas in lucem emittimus, nulla est cujus αὐθεντία pluribus majorisque nominis auctoribus fulciatur. Sanctus enim Prudentius episcopus Trecensis, qui circa medium sæculum nonum catholicam de prædestinatione et gratia Christi doctrinam adversus illius ævi novatores 1556 strenue propugnavit, hujus epistolæ dimidiam fere partem describit in insigni Scotum Erigenam, cap. 1. *Unius*, inquit opere de Prædestinatione contra Joannem, *Patris sententiam ponendam duximus, cujus astipulatione fidei cæteris nullatenus credulitas derogetur*: LEO EPISCOPUS LEONI AUGUSTO. *Multis manifestisque documentis probatum esse mihi gaudens*, etc., usque ad caput tertium, quo capite tertio cum quarto prætermisso, rursus ex quinti initio nonnulla refert; nec non ex alia ejusdem pontificis ad eumdem imperatorem epistola, quæ isti præmittitur in nostra editione. Mirari porro subit tam præclarum fragmentum fugisse posteriores conciliorum epistolarumque pontificarum collectores, inter quas locum merito obtinere debuerat. Ex eo nos menda nonnulla quæ codici Grimanico inspersa erant eluimus; sed nonnulla vicissim ope codicis nostri emendanda occurrunt in libro Prudentii, tam illius editionis, quam Ludov. Cellotius primus procuravit ex codice ms. bibliothecæ Thuaneæ, quam alterius quam irritavit vir clarissimus doctissimusque Gilbertus Manguinus, tom. I collectionis veterum auctorum qui nono sæculo de prædestinatione et gratia scripserunt.

Ejusdem epistolæ plura fragmenta referunt Vigilius et Pelagius II pontifices Romani, qui sexto sæculo floruerunt, hic in epistola ad Eliam Aquileiensem episcopum, ille in suo constituto: loca utriusque notata habes in margine epistolæ. Denique Facundus, ille celebris Hermianensis in Africa episcopus, trium-que capitulorum propugnator, in libro II, cap. 6, pag. 87, editionis Jacobi Sirmondi, amplum epistolæ hujus pannum repræsentat, quem Sirmondus non pro scriptis Leonis papæ ad Leonem Augustum, sed pro verbis Facundi ad Justinianum imperatorem accepit.

Aliqua ex cap. 3 refert Pelagius quasi ex epistola ab Basilium. Si hoc ita est, vel dicendum eadem quæ Leoni Augusto scripta erant a Leone papa alteri etiam epistolæ scriptæ ad Basilium inserta fuisse, eamque excidisse temporum injuria epistolam; vel certe fatendum Pelagium ejusve scribam memoria lapsum.

Digitized by Google

AD EPISTOLAM CLXV.

APUD QUESNELLUM CXXXIV.

Leoni Augusto.

1. Hanc epistolam, quam ad decem codicum mss. fidem emendavimus, collatis etiam omnibus antiquis exemplaribus excusis, suo etiam loco restituimus ex editione Suriana S. Leonis, et Nicoliniana, ex collectione veterum de duabus naturis scriptorum a Josia Simlero edita Tiguri an. 1571, et volumine Miscellaneorum G. Vossii Tungrensis præpositi cura Moguntiæ excuso an. 1604, quibus accedunt mss. codd. Trecopithœanus et Oxoniensis, qui omnes **1557** consularem notam ab aliis omissam exhibent.

Exstat inter Agapeti papæ epistolas una, quæ ad Anthimum scripta legitur, quamque jampridem falsi arguit doctissimus card. Baronius ex styli ab Agapeti phrasi discrepantia. Facile erat eidem hanc cum præsenti Leonis epistola conferenti commentitiam deprehendere; tota enim ex pannis hujus consutis compacta est. Si impostoræ ætatem nosse alicujus est momenti, eam (*a*) centum annis Anthimo posteriorem esse facile crediderim, quod ex nonnullarum vocum mutatione conjicio. Cum enim cap. 2, ubi legimus apud S. Leonem, *consubstantialis æqualitas*, pseudoepistolæ artifex in geminæ hujus vocis locum substituerit, *unius voluntatis æqualitas*, dubium non videtur quin ab aliquo fabricata sit Sergii episcopi CP. fautore, qui in ejus de unica Christi voluntate qualemcumque defensionem aliquod pontificis Romani testimonium proferre gestiebat. Adulterini enim hujusmodi fetus non sine certo consilio supponi solent pro legitimis : nullam porro aliam tota epistola libidinem impostoris suggerit, quam erroris Monothelitarum fulciendi. Simili impostura caput 4 cum sequentibus usque ad testimonium S. Hilarii in suppositititiam Caii papæ epistolam conversum est, et illud ipsum S. Hilarii excerptum in primam Eutychiani papæ epistolam, quæ est ad Bœticæ provinciæ episcopos.

2. *Effusio... Sanguinis Christi tam fuit dives ad pretium.* Ita habent mss. codd. Barb. duo, Thuan. quatuor, Trecopith., Corbeiensis, Cantabrig., Bodl., Grimanicus, et Agapeti pseudoepistola. In vulg. porro exemplar. edit. sic legitur : *Effusio... sanguinis justi Christi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium.* Sed quæ hoc loco abundant, ex epist. 97 (*nunc* 124), ad Palæstinos monachos, huc translata sunt.

3. *Omne enim sacramentum fidei christianæ magno decoloratur obscuro, si* (*ut hæretici volunt*) *lux veritatis sub mendacio putatur latuisse phantasmatis.* Parenthesim illam, (*b*) (*ut hæretici volunt*) loco suo movimus, nulla (quod fatemur) codicis cujusquam auctoritate adducti, sed sola conjectura, vel potius sensus ipsius necessitate. Falsum enim sensum inducit antiquus parenthesis illius situs, qui ita se habet : *Omne enim sacramentum fidei christianæ magno* (*ut hæretici volunt*) *decoloratur obscuro, si lux veritatis sub mendacio putatur latuisse phantasmatis.* An volebant Manichæi aliique hæretici, qui veritatem **1558** carnis in Christo negabant, opinionem suam Divinitati injuriam esse? immo vero hoc ab eorum mente alienissimum erat, qui e contra magnam injuriam æterno Patris Filio inferri contendebant, si vera carne indutus crederetur. Hoc porro erat, quod volebant hæretici, apparentem tantummodo carnem Christo Domino esse tribuendam. Cæterum facile fuit ut parenthesis, de novo forsan adjecta, ab antiquo etiam scriba ad lineam nativo loco superiorem rejecta sit.

4. *Dehinc sequuntur testimonia*, etc. Horum testimoniorum mentionem crebram habent antiqui Patres, quos inter Vigilius Tapsensis in Africa episcopus, lib. v contra Eutychen. sect. 32. *Cunctos*, inquit, *Ecclesiæ tractatores in medium adducamus, ex quorum multiplicibus dictis pauca et brevia excerpentes, huic operi subnectimus; ad latiores eorum et diffusiores de hac confessione tractatus, quos beatissimus Leo in unum testimoniorum cumulum provida diligentia congessit, studiosos quosque mittentes.*

Pleraque porro hæc SS. Patrum testimonia (*c*) in actione secunda concilii Chalcedonensis illigata reperiuntur epistolæ S. Leonis ad Flavianum CP. episcopum, non eodem ordine, nec æquali numero; plura enim huic epistolæ subjiciuntur, quam in Chalcedonensibus Actis. Non omittam porro quæ Hincmarus Remensis archiepiscopus de hoc testimoniorum delectu scribit in tractatu De non trina Deitate, quoniam Leonis ipsius commendationem habent singularem, dum sanctum pontificem nostrum præclaris Ecclesiæ luminibus Hilario, Athanasio, Ambrosio, Chrysostomo, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Cyrillo, atque ipsi Augustino non imparem meritis audet asserere. *Nam et Leo*, inquit, *sanctæ catholicæ et apostolicæ sedis pontifex istorum dumtaxat, qui eum tempore, etsi non loco præcesserunt vel merito, pauca numero, sed magna auctoritatis et rectæ fidei genio testimonia Leoni Augusto ad confirmandam fidem catholicam credidit mittenda sufficere.* Plura vide supra ad epistolam 24 (*nunc* 28), ad Flavianum.

Ad calcem hujus collectionis hæc in ms. cod. Barb. uno subjiciuntur. *Explicuerunt testimonia de libris SS. Patrum decerpta, quæ ostendunt Christum geminæ substantiæ gigantem esse, id est et Deitatis, et humanitatis veras perfectasque naturas unam Christi esse personam.*

1559 DE LIBELLO CONFESSIONIS LEPORII MONACHI, *cujus auctor S. Augustinus nunc primum asseritur.*

Nostra hæc editio istam epistolam seu testimoniorum cumulum uno testimonio, eoque egregio auctiorem exhibet, quod quidem beneficio Grimanici nostri codicis ms. toties laudati nobis advenit. Habetur ultimo loco inter testimonia ex Augustino excerpta, cui sub hoc titulo ascribitur : *Item ejusdem ex libro assertionis fidei;* et hoc habet exordium : *Nostrum namque est credere*, etc. Quantalibet porro diligentia evolvas Augustini lucubrationes, nusquam apparebit tale opusculum, ex quo hæc verba deprompta sint, nec aliud simili titulo decoratum. Sunt autem verba eximii illius libelli, qui *Leporii epistola* vel *confessio* seu *liber emendationis*, vel *libellus satisfactionis* dicitur; cujus vel partem retulere, vel mentionem saltem fecere antiquissimi auctores Joannes Cassianus, lib. I de Incarn. Dom.; Joannes papa II, epist. 3, ad Avienum et cæteros senatores; Vigilius Tapsensis, lib. XI de Trinitate; Facundus Hermianensis lib. I Defensionis trium capitulorum; Gennadius, in Catal. virorum illustrium; et Sigebertus. Addit Joannes Garnerius Basilium diaconum Thalassiumque et alios monachos, quorum libellus supplex ad Theodosium Augustum habetur I parte Act. Ephes. syn. cap. 30; sed profecto Leporium, qui in eo libello recensetur inter episcopos Divinitatis Christi defensores, et ipsum episcopum fuisse eo ipso apparet non monachum illum cujus confessionem expendimus. Videtur Basilius ordinem temporum servare in ea enumera-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cum hæc epistola sit inter suppositititias Isidori Mercatoris, hæc impostura multo posterior est.

(*b*) Hæc verba auctoritate omnium mss. et antiquæ Græcæ versionis loco suo restituimus, sententiamque satis æquam explicavimus annot. 71 (*Col.* 1169, *n.* f) in hanc epistolam 165.

(*c*) Hæc testimonia a Leone collecta et missa in Orientem post latrocinium Ephesinum, non pertinent ad concilium Chalcedonense. Licet enim in vulgatis Conciliorum subjecta sint Leonis epistolæ insertæ actioni secundæ Chalcedonensi, non tamen in mss. Vide admonitionem in epist. 28, n. 8 et 9.

Digitized by Google

tione, ac proinde de Leporio aliquo episcopo qui floruerit ante Ambrosium Mediolanensem, universam synodum Africanam quam commemorat, Joannem Chrysostomum, Severianum, Atticum Constantinopolitanum, qui post Leporium nominantur. Deinde, si de Leporio nostro et de illa synodo Africana, quæ confessioni ejus suffragata est, loqui voluisset Basilius, utrumque conjunxisset, nec medium inter Leporium et synodum inseruisset Ambrosium. Denique sola nominis similitudo levius est fundamentum quam ut huic assertioni stipendiæ sufficiat, cum et in concilio Toletano I et alibi legantur hujus nominis aliquot viri. Ad synodum quod attinet, quam Africanam universam appellat Basilius, quis sibi persuaserit eamdem esse in **1560** qua Leporii confessio approbata, si epistolam inde missam ad Gallicanos episcopos, subscriptionesque Africanorum inspexerit? Certe si ex Basilii diaconi verbis synodus universalis Africæ intelligenda est, ad illam oculos intendisse crediderim, quæ anno 397, Attico et Cæsario coss., habita, et in qua *Nicæni concilii professio et fides recitata est et confirmata*, ut videri potest cap. 2 (*a*) codicis Romani.

Exstat idem excerptum confessionis Leporianæ in illo testimoniorum delectu quem habet actio 2 Chalcedonensis concilii, sub hoc titulo: *Item ejusdem Augustini sermone:* De expositione fidei. Verum cum alienis hactenus verbis personatum prodierit, ex Græco scilicet translatum, hæc est ratio cur a nemine hujus auctor Leporius sit deprehensus, etsi hæc eadem verba et apud Joannem Cassianum et apud Vigilium Tapsensem transcripta legerentur, antequam integrum opusculum cura doctissimi Sirmondi a tenebris vindicaretur.

Hoc genuino fretus suffragio, (*b*) Actorum scilicet Chalcedonensis concilii et ms. Grimanici aurum contra æstimandi, asserere non dubito libellum illum emendationis Leporianæ germanum esse magni Augustini fetum. Quod nonnullis etiam momentis firmare supervacaneum esse non existimo: cum et huic libello non parum auctoritatis ex tanti parentis nomine, nec gloriæ parum Augustino ipsi ex synodalis libelli conscriptione accedat.

Primum igitur tanto majoris auctoritatis mihi esse videtur utrumque illud testimonium, quod et S. Leo, et œcumenicæ illius synodi Patres ætate Augustini protulerunt. Decennium enim a morte Augustini elapsum non erat, cum ad Romanam sedem evectus est Leo noster; cujus undecimo pontificatus anno in synodum œcumenicæ coierunt Chalcedonem sexcenti illi Patres.

2. Cum adhuc archidiaconi munere fungeretur S. Leo in Gallicanis provinciis aliquamdiu commoratus est, quas primum Leporius suo errore inficere cœperat, quasque postmodum suæ emendationis publicatione recreavit. Etsi enim nullius antiqui monumenti auctoritate testatum habeamus quod recentior quidam prodidit, videlicet Leonem nostrum, antequam pontificatus apicem adeptus esset, non semel Gallicanas provincias adisse; certum tamen est Prosperi testis non modo æqualis, sed et ocularis testimonio, quod hunc temporis Leonem nostrum Galliæ detinebant, cum Sixtus papa excessit e vita anno Domini 440 fere (*c*) ineunte. Facile igitur potuit vir omnium ecclesiasticarum **1561** rerum curiosus indagator vel a Prospero, vel ab aliis regionis illius hominibus hoc ipsum discere, quod postea et universali synodo et Leoni Augusto et toti etiam posteritati notum esse voluit, Augustini stylo confessionem Leporianam exaratam fuisse.

3. Nisi certo certius S. Leo cognovisset sive ex publica notitia, sive aliunde, vere Augustini fuisse hunc, de quo agimus, libellum, numquam id commisisset, ut illud tamquam authenticum catholicæ veritatis testem sub tanti doctoris nomine (*d*) synodo œcumenicæ proponeret, præsertim cum ex Africana Ecclesia nonnulli episcopi adessent concilio Chalcedonensi, quibus probe nota erant omnia Augustini sui opuscula. Hoc enim in comperto est in sacris Ecclesiæ synodis œcumenicis non nisi ex certa SS. Patrum traditione, eaque ex indubitatis illorum scriptis expressa, catholicam doctrinam statui; qui secus faceret, sacrosanctam veritatem Ecclesiamque ipsam contemptui probrisque hæreticorum hominum ultro exponeret, quod de pontifice nostro minus quam de quoquam alio existimandum est.

4. Nemo est qui nesciat quam personam sustinuerit per illam ætatem Augustinus tum in universa Ecclesia, tum maxime in Africana: nullum quippe coactum est tunc temporis in iis regionibus *concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque Augustinus* non esset; nec ingenium modo, sed et oculus, et lingua, et manus. Unde cum Leporii negotium actum fuerit, ejusque confessio approbata in Africana synodo (hoc enim et Joannes papa II diserte asserit in epistola ad Avienum cæterosque senatores, et ipsa Africanorum episcoporum ad Gallos epistola indicat, quæ synodicæ formam præ se fert), quis dubitet in hac occasione, ut in cæteris Augustini stylum mutuatam esse synodum?

5. Quæ ratio epistolam Afrorum mox laudatam Augustino ut auctori asserit (cui sententiæ Sirmondus subscribit) eadem et libellum illi vindicat: stylus enim utrobique Augustinianus est; nec stylus solummodo, sed etiam doctrina ipsa conceptusque Augustinum prorsus redolent, ut legenti facile patebit. Sic in epist. 3 ad Volusianum ait quod homo *Deus homini permixtus sit*, et quod *persona Christi mixtura est Dei et hominis*; monetque ibi, ut et in excerpto, lectorem ut *recedat a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam*. Vide etiam lib. IV de Trinit. cap. 20, Enchiridii cap 35 et 36. Quod item in hoc eodem testimonio dicitur Deus *capax non capabilis*, Augustiniani styli est; sic enim inquit Aug. in altercatione cum Pascentio: *Incapabilem autem nec legunt, nec juste defendunt. Quomodo enim incapabilis Pater, quem capit Filius totum?*... **1562** *Quomodo incapabilis Pater, qui capitur totus a Filio?*... *Qui capit omnia, quem capit nemo, sed hominum: nam totus capitur a Filio.* Denique de modo quo Deus totus implet omnia, et in hac ipsa Leporianæ confessionis parte, et in epist. citata ad Volusianum iisdem verbis disserit. Ab accuratiori amplioriique utriusque collatione consulto me contineo. Hanc spartam venustius adornabunt viri doctissimi San-Germanenses Benedictini, qui S. Augustini Opera novis curis expurgata, aucta, illustrata prope diem daturi sunt in lucem. Interim alia Augustini loca huic confessioni concinentia indicata lege in notis eruditi viri Joannis Garnerii, parte I Operum Marii Mercatoris, pag. 230.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Sic appellat collectionem canonum, quam tom. III emendatam recudemus, et Romanam non esse probabimus.

(*b*) Hoc Augustini testimonium non spectat ad Acta synodi Chalcedonensis, uti monuimus annot. 3. Græcus textus est vetus interpretatio testimoniorum quæ Leo misit in Orientem; hæque Græca antiquissima interpretatio præter ms. Grimanicum Latinum eidem testimonio, licet in aliis codicibus Latinis omisso, fidem facit.

(*c*) Sixtum III obiisse die 11 Augusti ex nostro vetustissimo Sacramentario probabilius conjecimus annot. 23 in § 33 mensis Octobris, hoc tomo col. 135 (*nostro* II).

(*d*) Patrum testimonia Leo non misit ad synodum Chalcedonensem, sed anno ante ea per legatos miserat in Orientem. Confer admonitionem in epist. 28, in fine

Digitized by Google

6. Non ea eruditione ornatus videtur fuisse Leporius monachus, ut eximiæ fidei professioni conscribendæ idoneus esset, præsertim cum de abstrusissimo incarnationis mysterio ageretur, quod omnem humanæ mentis captum longissime superat. Enim vero quod summa animi demissione de se fatetur Leporius, illæsa veritate dictum esse putaverim, quod, inquam, errorem suum in propriam ipse imperitiam refundit, et *stultam*, ut ipse ait, *simplicitatem* suam accusat. Si cujus autem operam desiderare compulsus est Leporius ad suam confessionem exponendam, non alterius debuit quam Augustini, tum ob eam rationem quam supra numero 4 posuimus, tum quia ejus studio et emendatus fuerat et ad sanam fidem revocatus. Augustinum enim, aliorum nominibus suppressis, nominant Gennadius et Lerdiensis epistolæ Afrorum codex apud Sirmondum tomo I Conciliorum Galliæ.

7. Denique Leporius suo ipse subscribens libello satis indicat ab alio eumdem fuisse conscriptum, cum eum *suo sensu dictatum esse* commemorat, et ita de eo loquitur: *Hujus epistolæ fidem, hujus epistolæ professionem*; in quo videtur eam non ausus esse vocare suam, quem sciebat ab alio fuisse dictatam. Nec magni momenti est quod ex synodica Africanorum episcoporum ep stola objicias, qui confessionem illam Leporii *ipsius esse testantur*. Multis enim nominibus ipsius erat et dicebatur, quia videlicet ipsius sensu dictata, ipsiusque nomine evulganda erat; quia ejus fidem emendationemque palam faciebat; quia denique propria eam manu descriptam proprioque munitam chirographo in Gallias mittebat. Et certe plurimum intererat tunc temporis ut ipsius industria et ingenio conscripta esse crederetur, ut eo libentius promptiusque eorum consensus subscriptioque eliceretur, quos in errorem suum pertractos in Africam secum abduxerat. Denique plurima sunt hujusmodi epistolarum exempla, quæ non eorum esse dicuntur qui eas conscripserunt, sed eorum **1563** quorum vice ac nomine fuerant ab alio compositæ. Talis est celebris epistola Pelagii papæ II ad Elam et alios Istriæ episcopos. Tales apud Augustinum, Bernardum et alios plurimæ, quæ tunc quando missæ sunt, dictam ob causam iis a quibus mittebantur attributæ sunt, nunc vero merito jure germanis suis auctoribus restituuntur.

Etsi porro luculenta hæc et Augustino digna sit epistola seu confessio, non tamen *tantæ fuit auctoritatis, ut propterea Leporius inter doctores catholicos censeretur in Oriente, et Augustinus, qui solus e quatuor subscriptoribus superstes fuit anno 430 ad concilium Ephesinum vocaretur; quamquam*, addit J. Garnerius, cujus et illa verba sunt pag. 230, *Volusianus, cum ea tempestate in aula Theodosii versaretur, non sine causa dici potest impulsor, ut Augustinus præ cæteris Afris nominatim accerseretur*. Nec enim Leporius, ut vidimus, inter doctores in Oriente numeratus est, nec Augustinus ista commendatione indigebat, ut præ cæteris ad synodum vocaretur, cui tot aliis nominibus non hæc modo prærogativa, sed et singularissima quæque debebantur privilegia. Vide (*a*) supra pag. 43.

AD EPISTOLAM CLXVI.

APUD QUESNELLUM CXXXV.

Neonæ Ravennensi episcopo.

Hanc Leonis epistolam e loco quem hactenus obtinuerat dimovimus, cumque ad Marciani Augusti consulatum pertinere credita sit, qui incidit in ann. Christi 451, eam modo ad Majoriani Augusti consulatum referendam esse existimamus, hoc est ad ann. 458. Primum enim cum viginti epistolæ Leonis anno 451 datæ etiam nunc supersint, nulla tamen alia Marciani consulatu annotata reperitur, omnes Adelphii consulatum inscriptum habent. Quis igitur sibi persuadeat, Leonem sibi in omnibus vel levis momenti rebus constantissimum, post tot epistolas nomine Adelphii consulis insignitas, stylum mutasse, et de Marciani nomine apponendo cogitasse? Quod enim de hujus Augusti consulatu in illis epistolis non animadvertit, non ex memoriæ lapsu vel oscitantiæ casuve aliquo contigisse credendum est, sed potius putandum non ita fuisse in usu per ejus consulatum tempora numerare, licet hujus omissio ita ratio non appareat. Hoc et pro certo habendum nequaquam id a Leone omittendum fuisse, si usus utisset, præsertim cum illæ omnes epistolæ in Orientem missæ sint, et ad Orientales **1564** episcopos datæ; immo ad Constantinopolitanum antistitem, ad Julianum Coensem, ad Pulcheriam Augustam, ad synodum Chalcedonensem, et ad ipsum imperatorem Marcianum. Quibus consideratis nemo sibi suadebit unicam epistolam, post illas omnes scriptam et ad Italiæ episcopum missam, præter consuetudinem decoratam fuisse Marciani nomine.

2. Quoties unicum consulem in epistolis suis Leo annotavit, toties Occidentalem consulem, non vero Orientalem nominavit. Quod nov in solo hujus anni consulatu fere vicesies sic annotato usurpavit; sed et in aliis pluribus. Epistola enim 18 [*nunc* 19] an. 448 solo Posthumiano; sex anni 452, solo Herculano; quatuordecim an. 453, solo Opilione; duæ an. 455, quæ solæ sunt, Valentiniano uno; epist. 129 [*nunc* 159] an. 458, solo Majoriano; epist. 137 [*nunc* 169] an. 459, solo Recimere designantur. In quo rationem simul habes cur tot epistolæ hujus anni 451 Adelphii potius consulatum habeant quam Marciani, etiam illæ epistolæ novem ad Marcianum ipsum conjugemque ejus Pulcheriam datæ; et *cur* epistola quam discutimus non debuerit annotari Marciani unius consulatu: nimirum hæc erat, ut apparet, tunc temporis consuetudo, ut Occidentales Occidentalem, Orientales Orientalem consulem publicis instrumentis inscriberent.

3. Numquam ita a Leone positam esse consularem notam, (*b*) *consulatu*, sed vel consule vel consulibus, legenti facile est animadvertere, ut aliena manu additam nemo non videat hujus epistolæ notam.

4. Apparet ex epistolæ hujus inspectione eam a Leone fuisse scriptam (*c*) ad consultationem episcoporum illius provinciæ, quæ Ravennensi suberat, illiusque consultationis occasionem natam esse ex reditu aliquorum hominum, qui ex illis regionibus in captivitatem abducti ab aliquot annis fuerant post barbaricam aliquam irruptionem, et tunc demum ad sedes suas libertatemque redierant. Constat autem pace potitam fuisse Italiam Leonis papæ temporibus saltem usque ad annum 451, quo volunt hanc scriptam esse epistolam. Jam quidem cœperat irruptio barbarorum duce Attila timeri a Romanis: vastabat enim tunc temporis Gallias vir ille ad hominum terrorem natus, et merito tantam tamque vicinam barbarorum multitudinem Roma formidabat; sed Italiam non est ingressus, nisi anno sequenti 452, quo *Attila continuo resumpta fiducia*, ut Paulus Diaconus scribit, *cruentus Italiam petit, Aquileiam captam funditus eradit, Ticinumque et Mediolanum regias urbes excidit*. Multum ergo verisimile est Ravennensem **1565** regionem inter Italicas nobilissimam, Attilanum expertam esse furorem (etsi civitatem ipsam præsulis sui precibus liberatam esse nonnulli referant),

BALLERINIORUM ANNOTOTIONES.

(*a*) Hic Quesnellus in sua editione citat canonum collectionem a se editam initio tomi secundi, quam nos tomo III recudemus, indicatque finem capitis 16.

(*b*) Confer nostram annot. 21 (*Col.* 1195, *n.* a) in hanc epistolam.

(*c*) Hæc epistola ad consultationem episcoporum provinciæ Ravennatis scripta non appareat. Encyclica videtur ad plures, ut in admonitione observavimus.

Digitized by Google

plurimosque saltem ex agro et parochia Ravennensi inde raptos in captivitatem anno 452, quando ætatis *defectu nondum ullius rei firmam poterant habere notitiam*, ut ait Leo, post aliquot annos, scilicet 457 et 458, discretionis annos libertatemque simul et patriam assecutos esse, et de suo baptismo dubitare cœpisse ac regenerationis gratiam ambire. Quæ Italis occasio fuit consulendi pontificem Romanum, et Romano pontifici ad illius regionis episcopos hanc scribendi epistolam, sicut et aliam, propter controversias ex eadem clade et captivitate barbarica nascentes, scripsit ad Aquileiensem episcopum, eodem hoc Majoriani Augusti consulatu. Quam facile autem fuerit ut errore librariorum pro *Majoriani* nomine *Marciani* nomen irrepserit, nemo non videt : præsertim cum sæpissime ancipites et fugitivi mss. codicum apices divinare cogant lectorem, quorum etiam penuria his nos conjecturis, si tamen meræ conjecturæ sunt, contentos esse compellit. Vix enim geminus codex ms. adfuit, et ex Cantabrigensi, cujus lectiones variæ nobis transmissæ sunt, nihil lucis affulget, nisi quod humanissimus vir dominus Gale indicat diem quo epistola scripta est illic non esse annotatam; ut probabile sit consularem quoque notam ab illo codice abfuisse. Hæc curiosius investigasse non omnino inutile fuerit, tum ad ordinem Epistolarum sancti Leonis securius figendum, tum ne hac epocha amplius abutantur scriptores ecclesiastici, qui eam epistolæ consularem notam adire solent, ut annum obitus S. Petri Chrysologi Ravennæ episcopi investigent; immo et tempus mortis S. Germani Autissiodorensis, qui in ea profectione decessit, in qua Ravennæ exceptus est a S. Petro Chrysologo, hujus civitatis episcopo.

1. *Neonæ seu Neoniæ.* Ita Victor. codex et indices Cisterciensis et Claromariscensis cum edit. Isidoriana, necnon Ughellus in Italia sacra. Nec vero inusitatum hoc nomen est, subscripsit enim concilio Chalcedonensi Neon, episcopus Psyllii Pamphiliæ. Porro ille Neon, sive Leo, ut alii, successit Petro Chrysologo an. 450, decessitque tertio sui pontificatus anno, ut refert Ughellus.

2. *Inexpiabile scelus.* At Leonis nostri sensum August. epist. 203 : *Rebaptizare hominem hæreticum, omnino peccatum est; rebaptizare autem catholicum, immanissimum scelus est;* ubi, ut vides, uterque latum discrimen ponit inter catholicum qui rebaptizat hæreticum, et hæreticum, qui rebaptizat catholicum.

3. *Juxta hæreticorum dogma, contra* **1566** *SS. Patrum instituta.* (*a*) Ita Thuan. et Cantabr. ; at vulgat. : *Juxta hæreticorum damnata a sanctis Patribus instituta.* Porro vel Donatistas mihi videtur indicare S. Leo, teste S. August. de Hæresibus cap. 69, vel forsitan Novatianos et Montenses, de quibus idem affirmat Innocentius I epist. ad Victricium cap. 8.

Sententia. Ita Thuan. et Cantabr. necnon Gratianus et Yvo; vulg., *doctrina.*

4. *Nec vereamur huic salutis januam aperire*, etc. Ita intrepide tales baptizari volebant, etiam sine apposita conditione, Patres concilii Carthaginensis, quod quintum vocant, in cod. Afric. num. 72, Leo noster epist. 2 [*nunc* 167] ad Rusticum Narbon. et Gregorius III octavo sæculo; quod fere usque duodecimum in praxi fuit, quo cœperunt novam supplendi baptismatis viam inire. Nam Alexander III PP. primus esse videtur qui post annum 1160 hanc baptizandi formulam sub conditione conceptam invexit: *Si baptizatus es, non te baptizo ; sed si non baptizatus es, ego te baptizo in*, etc., quam ab illo hausit scholastica, quæ eodem fere sæculo nata est, theologia.

5. *Per episcopalis manus imposuit.* Eamdem disciplinam assertam lege epist. 2 [*nunc* 167] ad Rusticum Narbon. inquis. 18, et epist. 129 [*nunc* 169] ad Nicetam Aquileiensem ; concil. Arelatens. I, can. 8; Constantinop. I, can. 7; Siricium papam epist. ad Himerium Tarracon. ; Innocentium I, epist. ad Alexandrum Antioch. episc. et ad Victricium Rothomag. (*b*) Cum is ultimus ad episcopalis manus impositionem Arianos aliosque hujusmodi hæreticos recipi *sub imagine* vel *cum imagine pœnitentiæ* decernit, videtur erudito viro mediam quamdam iniisse viam inter antiquiorem disciplinam, quæ hæreticos ad Ecclesiam revertentes pœnitentiæ, et, ut loquitur Cyprianus, *lamentationibus et satisfactionibus* subjiciebat, et eam quam hic Leo noster indicit, quæ nihil aliud præter manus impositionem ad virtutem Spiritus sancti recipiendam, includit. Sed cum Siricius Innocentio antiquior nihil amplius quam Leo noster requirat, tale discrimen nobis probari non potest; nec aliud *per imaginem pœnitentiæ* significari putaverim, quam erroris pristini abdicationem per professionem fidei aliquasque cæremonias dejecti pœnitentisque animi indices, quæ plerumque manus impositioni præibant.

1567 AD EPISTOLAM CLXVII.

APUD QUESNELLUM II.

Rustico Narbonensi episcopo.

1. Hanc ad Rusticum Narbonensem epistolam anno Christi 452 assignat Sirmondus Conc. Gall. tom. I, cui et alii postea scriptores consenserunt. Ratio nulla profertur cui isthæc epocha nitatur. Hanc illos suspicor in mente habuisse. Epistolam turbulentis temporibus scriptam esse testari videntur et anxietas Rustici, quem variorum scandalorum adversitas ad abdicandam pontificiam dignitatem pene adduxerat, et variæ quæstiones quas ex barbarica irruptione et provinciarum clade natas pronum est credere, ut sunt illæ parvulos a barbaris in captivitatem abductos, ab hæreticis baptizatos, gentiliter conversatos, et contaminatos immolatitiis escis significant. Venit enim statim in mentem clades illa miseranda, quam Hunni, duce Attila, intulerunt Galliis hoc 452 anno ; nec dubitatum est quin hujus calamitatis occasione consultus a Rustico Leo noster istas ad eum litteras dederit.

Verum aliter de harum (*c*) ætate statuendum puto. Si enim inquisitionum tituli considerentur, quos ex plurimis codicibus mss. restituit Sirmondus, quosque in duobus Thuaneo et Trecopithœano ipsi vidimus, difficile non erit sibi persuadere Rusticum Narbonensem occasione, non Gallicæ cladis ab Attilanis copiis illatæ, sed potius (*d*) Vandalicæ direptionis et persecutionis, qua regiones Africanæ longe lateque vastatæ sunt, hanc consultationem ad Leonem papam misisse. Hoc satis innuit inquisitio 18 : *De his qui ex Africa vel Mauritania venerunt, et nesciunt in qua secta sint baptizati*, etc. Cui titulo, præter mss. codicum fidem, accedit auctoritas ex lib. II Auxilii de ordinatione Formosi papæ, ubi idem legitur. Cum enim direpta maxima parte Africæ Geisericus ipsam urbem Carthaginem suæ potestati subjecisset, narrat Victor Vitensis impium illum et barbarum regem navibus fractis imposuisse maximam clericorum turbam una cum Quodvultdeo Carthaginensium episcopo, **1568** eosque nudos et exspoliatos propera navigatione Neapolim Campaniæ appulisse.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) **Vulgatam lectionem revocavimus.** Vide nostram annot. 16 (*Col.* 1194, *n.* 1) in præsentem epist.

(*b*) Confer nostram annot. 25 (*Col.* 1138, *n.* 9) in epist. 159.

(*c*) Has litteras scriptas saltem non ante 450 probavimus in admonitione eisdem præmissa, ubi singulis Quesnelli rationibus satisfecisse nobis videmur.

(*d*) Id refellimus in admonitione, num. 3 et 4.

Digitized by Google

Quin et senatorum atque honoratorum multitudinem primum exsilio crudeli contrivit, postea transmarinam in partem projecit. Immo cunctos amissis omnibus bonis ad Italiam navigare compulit Geisericus, testibus eodem Victore et Fulgentii actis. Nec dubium est quin plurimi quoque persecutionem fugientes in Gallias transmearint; quod et titulus seu inquisitio 18 citata comprobat, et suadet frequens quod Gallicanis regionibus cum Africanis semper intercessit commercium. Cum autem Carthagine potitus sit Geisericus anno 439 exeunte, annis proxime sequentibus, quibus maxime furorem suum exercere cœpit tyrannus, ex Africa se catholici, et ipsi etiam Manichæi, ut ex Leonis ipsius epistolis suggerit Baronius, subduxerunt; ita ut eorum in Gallias adventus occasione dubia nota sint, quibus per S. Leonem consultum esse voluit Narbonensis episcopus.

Ut etiam circa hæc eadem tempora, nempe ann. 442, 443, vel 444, scriptam esse credam hanc epistolam facit, quod ex iis dubiis quæ proponit Rusticus nonnulla agitabantur per easdem illas regiones, eademque tempora, et de illis a conciliorum Gallicanorum Patribus pronuntiatum est, scilicet in Arausicano I, Vasensi I et Arelatensi II conciliis. Arausicanum enim I agit can. 3 de pœnitentibus qui de corpore recedunt; can. 4 de clericis, an iis concedenda sit pœnitentia; can. 12, an infirmo subito obmutescenti danda sit pœnitentia; can. 23 et 24, de continentia diaconorum; can. 8, 9, 21 et 25, de illicitis ordinationibus; can. 28, de his qui professi castitatem, eam violant, ut pœnitentiæ subjiciantur. Vasense I agit de pœnitentibus subito mortuis, ut eorum oblationes recipiantur. Arelatense vero I, quod pleraque antecedentium istorum capita resumit, eadem quoque dubia complectitur et resolvit. Ex quibus (*a*) duorum unum aliquod sequi mihi videtur, scilicet vel Rusticum ad Leonem scripsisse antequam eæ difficiles quæstiones in conciliis supradictis ventilarentur et enodarentur; (*b*) supervacaneum enim videretur et præter consuetudinem Gallicanam, ut post soluta in pluribus comprovincialibus aut majoribus etiam synodis dubia, **1569** alia de eisdem consultatio haberetur: vel certe, si non præcessit has synodos Rustici epistola, non ab illarum ætate plurimum recedere putanda est; sed forte Rusticus existimavit illarum statutis sibi standum non esse, tum quia in multis durior disciplina apparebat, tum quod inter ipsum et Hilarium Arelatensem episcopum, quo auctore ac præside conditi canones fuerant, aliquid suberat simultatis, propter summam hujus in Ecclesias Gallicanas auctoritatem, quæ Narbonensis metropolitæ et aliorum metropolitanorum episcoporum splendorem obscurabat. Et quidem jam olim sub Zosimo et Bonifacio Romanis pontificibus inter utriusque illius civitatis episcopos gravis controversia exarserat, ut ex illorum decretis manifestum est, nec par est credere aliquid de suo jure Narbonensem umquam remisisse; præsertim cum posterius Bonifacii papæ judicium Narbonensi Ecclesiæ sua jura asseruisset. Revera numquam illis synodis interfuit Rusticus, quæ ab Hilario Arelatensi congregatæ sunt ex plurium provinciarum episcopis, quales fuere Regensis, Arausicana I, Vasensis I et Arelatensis II, ne metropolitico juri suo ullatenus derogatum esset: nec illarum constitutis parendum sibi esse existimavit, ne illius jurisdictionem agnosceret, a quo ut totius synodi præside condita maxime fuerant et promulgata.

Ad (*c*) Rusticum etiam aut aliquem alium Metropolitanum, qui se eam ob causam synodo sistere neglexerat, vel consentire recusabat, pertinere arbitror synodi Arausicanæ I, can. 29, quo episcopis illis pœnæ intentantur, qui vel per se, vel per legatos, præsentes se synodis non exhibuerant, aut non essent deinceps reddituri. *Non ita*, inquit, *prætereuntes eos qui synodo aut per se, aut per consensus suos, vel ad vicem sui per legatos destinandos adesse detrectant, ut sibi supra nos illi placeant, qui Patrum statuta despiciunt*, etc. Ex his enim verbis intelligis aliquos fuisse qui non modo per se, aut per legatos, sed nec *per consensus suos* synodorum illarum participes fieri volebant quod de Rustico magis quam de quoquam alio cogitare promptum est, propter contentionem quam Arelatensi moverat de juribus Ecclesiæ suæ, vel (quæ erat prior nostra ratio) propter durioris disciplinæ austeritatem, quam emolliendam esse Leonis responso sperabat. Scilicet cum Romæ olim commoratus esset Rusticus, ut testatur **1570** S. Hieronymus, in epistola ad ipsum, multa illic aliter usurpari viderat quam in Galliis agerentur. Et revera Romana hujus Leonis epistolæ disciplina in multis diversa apparet a Gallicana, quod paulo accuratius discutere supervacaneum non erit.

Nam Arausicanæ synodi canon 3 reconciliatoriam manus impositionem pœnitentibus qui de corpore recedunt concedi vetat. S. Leo in epistola 83 (*nunc* 108), ad Theodorum, cap. 4, iisdem præcipit communionem non negari.

Can. 12 statuit *subito obmutescenti pœnitentiam dari posse, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu*; (*d*) communionem vero dandam non esse, satis silentio suo testatur, quam tamen Leo noster ibidem concedendam esse decernit.

Can. 4 asserit *pœnitentiam desiderantibus clericis non negandam*. Clericorum porro nomine si, quod plerumque fit cum nihil additur, omnium ordinum clericos comprehendit, contrarius est Leoni, qui ad inquisit. 2 hoc alienum esse ait a consuetudine ecclesiastica, ut presbyteri vel diaconi per manus impositionem remedium pœnitentiæ accipiant.

Can. 22, 23 et 24, clericos omnes inferiores, etiam subdiaconos, a lege continentiæ absolvunt, dum eam solis imponunt diaconis, et iis qui supra diaconos sunt. S. Leo ad inquis. 3: *Lex continentiæ*, inquit, *eadem est ministris altaris quæ episcopis atque presbyteris: qui cum essent laici, sive lectores, licite et uxores ducere et filios procreare potuerunt; sed cum ad præ-*

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Has duas Quesnelli conjecturas inanes ostendimus in eadem admonitione, n. 7.

(*b*) Cum Rusticus etiam in Quesnelli sententia certe scripserit post concilia Arausicanum I, et Vasense I, nec supervacaneum sane, nec præter consuetudinem Gallicanam esse credidit post soluta in comprovincialibus aut majoribus synodis dubia auctoritatem apostolicam quærere, ne quid dubitationis superesset. Vide admonit. n. 7. Similiter quidem Theodorus Forojuliensis, licet Gallicanus, et licet probabilius sit ille Theodorus qui subscripsit Arausicano I, non dubitavit tamen a Leone de aliquot capitibus in ea synodo definitis inquirere, ut ex iis quæ post pauca Quesnellus proferet manifestum fiet.

(*c*) Hæc non solum gratis, sed etiam falso scribuntur de Rustico, qui cum absque difficultate interfuerit duabus synodis Ravennii Arelatensis, perperam *eam ob causam* neglexisse, aut non consensisse creditur aliis synodis S. Hilarii, *ne metropolitico juri suo ullatenus derogatum esset*, etc. Hac enim de causa a Ravennii synodis æque abstinuisset.

(*d*) Cum idem canon æque de baptismo ac de pœnitentia loquens decernat *obmutescentem, prout ejus status est, baptizari, aut pœnitentiam accipere posse, si voluntatis*, etc., nomine *pœnitentiæ* etiam communionem, seu reconciliationem, videtur comprehendere; sicut enim non repugnat ei baptismatis sacramentum conferri, ita nec pœnitentiæ sacramentum: cum præsertim de eo sermo sit, cui sola pœnitentia, quam in eo statu perficere nequit, sine reconciliatione inaniter subveniretur.

Digitized by Google

dictos gradus pervenerint, cœpit eis non licere quod licuit; ubi dubium non est quin inter altaris ministros et eos qui ad prædictos gradus pervenerint, subdiaconos numeret, cum præsertim ultra lectoratum licitum non esse conjugium clericis asserat, et seipsum satis explicet in epistola ad Anastasium Thessalonicensem circa idem tempus data, in cujus capite 6 diserte subdiaconatus per legem ecclesiasticam interdictum esse matrimonio asseverat.

Can. 25 ad subdiaconatum promoveri sinit eum qui duplicata matrimonia inciderit, etsi ultra vetet. Leo noster, cap. 3 epistolæ 10, ad Viennensis prov. episcopos, ad sacram militiam eos non permittit accedere, qui vel viduæ sunt aut fuerunt mariti, vel non unius tantum uxoris viri fuisse **1571** monstrantur : *Quod nos quidem*, inquit, *servantes legitima constituta solertius voluimus custodiri, non solum circa sacerdotes, sed circa clericos quoque minoris officii.* Quibus longe recedit ab illo Gallicano canone.

Vasensis 1, canon. 2, statuit : *Pro his qui pœnitentiâ accepta in bonæ vitæ cursu satisfactoria compunctione viventes, sine communione inopinato nonnumquam transitu in agris aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, et eorum funera, ac deinceps memoriam ecclesiastico affectu prosequendam*, etc. Quibus verbis patet Ecclesias Gallicanas pœnitentibus improviso obitu decedentibus post mortem communicasse, etsi eisdem viventibus, utpote pœnitentiæ stadium decurrentibus, non communicavissent. S. Leo e contra, ad Inquis. 8, respondens, ait : *Horum causa Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur : vos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* His non multum dissimilia scribit epist. 83 (*nunc* 108), ad Theodor. Forojul., cap. 3.

Has libuit sanctiones referre et mutua collatione versare, ut et disciplinæ varietas in variis Ecclesiis etiam vicinis eluceat, et simul quid ad consulendum de his Leonem papam moverit Rusticum intelligeremus, quod et ad ipsius epistolæ ætatem figendam plurimum facit.

Unum et alterum addam, quod conjecturas nostras firmare potest. (*a*) Primum est, de una forsan illarum synodorum, quas memoravimus, Leonem loqui, cum initio sermonem habet de *Gestis quæ in episcoporum* **1572** *honoratorumque examine confecta sunt recensitis*, ut paulo post aliquam illarum scripsisse credatur. Alterum est, deflectionem illam et pusillanimitatem, cui se dabat Rusticus occasione scandalorum quæ passim exsecrabantur, non videri esse ejus episcopi qui in ea dignitate sentisset, nec trepidationem illam in morbis Ecclesiæ curandis *medici esse peritissimi*, quo nomine Rusticum appellat Ravennius invitans enim ad synodum Arelatensem II, anno 455, ut Sirmondus conjicit, congregatam in causa Lirinensis insulæ, quem triennio solum antecessit an. 452, cui assignandam putavit hanc epistolam Sirmondus; magis autem convenit initiis episcopatus ejusdem, vel annis qui ab illis initiis minus recedunt. Cum enim aliquot episcopatûs administrationis anni tam gravis oneris pondus difficultatemque retexissent, tunc cœpit vir in pace et quiete monasterii educatus tanto oneri imparem se sentire, vacationem optare ab episcopatûs laboribus, et reliquum vitæ tempus in silentio et pace velle degere, ita ut opus habuerit S. Leo animos illi adhortationibus suis addere, et contra hujusmodi terrores spe cœlestis adjutorii eum communire.

Ad hunc Rusticum egregia S. Hieronymi extat epistola, qua ipsum tunc *adolescentiæ, immo puberiatis incentivo*, ut loquitur, *calcantem et perfectæ etatis gradum scandentem*, ad monasticam vitam instituit. Patria Massiliensem eum fuisse elicit ex epistola S. Hieronymi jam laudata, ubi Rusticum (*b*) in materna domo adhuc commorantem ad Proculi Massiliensis episcopi disciplinam **1573** remittit. *Habes*, inquit, *istic sanctum doctissimumque pontificem Proculum, qui viva et præsenti voce nostras schedulas superet, quotidianisque tractatibus iter tuum dirigat* (*Hieron. epist. 4, ad Rust., sub finem*). Suffragatur inscriptio Narbonensis, ubi et Venerii Massiliensis episcopi socius in monasterio fuisse, et ejusdem Ecclesiæ compresbyter legitur.

Rusticum ait Hieronymus religiosam habuisse matrem multorum annorum viduam, quæ aluit, quæ erudivit infantem, ac post studia Galliarum, quæ vel florentissima erant, nisi Romam, non parcens sumptibus, et absentiam filii spe sustinens futurorum. Quod cum se audisse testatur : *Audio*, inquit, *religiosam te habere matrem*, etc. (*Ibid., post init.*), non abs re est existimare Rusticum, cum de vita instituenda Hieronymum vellet consulere, litteras suas Sisinnio dedisse perferendas; illi, inquam, Sisinnio monacho, quem legavit in Orientem S. Exuperius Tolosæ episcopus cum ingenti pecunia quam in monasterium Tolosanum contulerat, ut Hieronymi opera Hierosolymis emeret libros. Sisinnius autem, ut ex epistola 57 (*nunc* 134), ad Marcellam, cap. 1, constat, Hieronymi discipulus fuit, et ejus opera usus est in vertendis Origenis homiliis. Ita sane congrue intelliguntur illa ejusdem epistolæ S. Hieronymi de S. Exuperio Tolosano episcopo : *Hujus tu e vicino sectare vestigia* : et illa de Proculo Massiliensi : *Habes isthinc sanctum doctissimumque pontificem Proculum, qui viva et præsenti voce nostras schedulas superet, quotidianisque tractatibus iter tuum dirigat.* Videsne discrimen formularum? De episcopo Massiliæ Hieronymus loquitur uti præsenti, eo quod Rusticus in Massiliensi monasterio vitam ageret; S. Exuperium vero *vicinum* indicat, propterea quod Tolosa licet distaret a Massilia, præ Palæstina tamen, ubi erat Hieronymus, illi erat vicina. Quod si epistola Hieronymi ad Rusticum scripta est an. 411, nulli fundamento incumbunt quæ Quesnellus conjicit de Sisinnio monacho Tolosate, ac si is sub an. 406 in Orientem missus a S. Exuperio Rustici litteras ad Hieronymum primum attulerit, et Hieronymi epistolam eodem anno reddiderit Rustico. Hoc enim anno Rufinus nondum obierat.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Utramque conjecturam refellimus in admonit. n. 8.

(*b*) *In materna domo*, inquit Quesnellus ex sua sententia, qua Rusticum nondum monachum fuisse putat, cum ad eum S. Hieronymus scripsit; monachatum enim ejus non in monasterio Massiliensi, sed in Tolosa constituere deinceps pluribus nititur. Non assentimur. Inscriptio, quam idem Quesnellus postea exhibet, cum Rusticum *episcopi Venerii socium in monasterio*, id est, monachum et ejusdem *compresbyterum Massiliensem* fuisse testetur, Massiliense monasterium satis obvie indicat. Hieronymus quidem in epistola olim 4, nunc in editione Veronensi 126, ad eumdem Rusticum, eum et in inscriptione monachum, et in contextu apud Massiliam degentem significat. Id Quesnellus ex eo solum impugnat, quod hasce ad Rusticum litteras datas existimet ante aliam Hieronymi epist. 11, nunc 123, ad Ageruchiam, quam scriptam censet an. 407, quo nondum Joannes Cassianus Massiliense monasterium condiderat. At præterquamquod haud certum est quod Quesnellus præsumit, nimirum nullum aliud monasterium apud Massiliam exstitisse ante eius illo quod Joannes Cassianus post an. 407 Massiliam sese recipiens exstruxit, Hieronymi epistola ad Rusticum certo certius scripta est post Rufini mortem. *Gruntius* enim, qui in ea morituus memoratur, n. 18, non alius est nisi Rufinus Aquileiensis. Is autem obiit an. 410, ac propterea ea epistola commode affigenda est an. 411, cum jam monasterium Massiliense a Joanne Cassiano conditum fuerat. Apud Massiliam ergo monachi vitam una cum Venerio Rusticus agebat, cum ad illum S. Hieronymus scripsit; nec quidquam cogit Tolosano monasterio illum adducere. Ita sane congrue intelliguntur illa ejusdem epistolæ S. Hieronymi de S. Exuperio Tolosano episcopo : *Hujus tu e vicino sectare vestigia* : et illa de Proculo Massiliensi : *Habes isthinc sanctum doctissimumque pontificem Proculum, qui viva et præsenti voce nostras schedulas superet, quotidianisque tractatibus iter tuum dirigat.* Videsne discrimen formularum? De episcopo Massiliæ Hieronymus loquitur uti præsenti, eo quod Rusticus in Massiliensi monasterio vitam ageret; S. Exuperium vero *vicinum* indicat, propterea quod Tolosa licet distaret a Massilia, præ Palæstina tamen, ubi erat Hieronymus, illi erat vicina. Quod si epistola Hieronymi ad Rusticum scripta est an. 411, nulli fundamento incumbunt quæ Quesnellus conjicit de Sisinnio monacho Tolosate, ac si is sub an. 406 in Orientem missus a S. Exuperio Rustici litteras ad Hieronymum primum attulerit, et Hieronymi epistolam eodem anno reddiderit Rustico. Hoc enim anno Rufinus nondum obierat.

Digitized by Google

sachorum Palæstinæ et Ægypti subsidia destinabat. A Non tulus enim Exuperii litteras ad Hieronymum detulit Sisinnius, sed et aliorum Tolosani monasterii monachorum Minerii et Alexandri, et sanctorum presbyterorum Riparii et Desiderii, qui etiam ad ipsum Vigilantii libros miserunt; memor plurium tam virorum quam mulierum. *Multas enim*, ait ipse, *sanctorum fratrum ac sororum de vestra provincia ad me detulit quæstiones Sisinnius* (*Hieronym., epist.* 152, *ad Minerium et Alex.*). Quos inter Rusticum numero, qui Massiliæ habitans monacho hinc navem in illius civitatis portu scandenti ad Hieronymum litteras dedit, cujus fama universas orbis Christiani regiones, sed præcipue Gallicanas longe lateque pervaserat; atque ex hujus perlatoris colloquiis de Rustici genere, studiis et ejus matris pietate, audire ea quæ refert facile potuit. Illud etiam persuadet de Exuperio eleemosynisque ejus in Palæstinam delatis injecta mentio, de quibus ita loquitur, ut de re præsenti, quod constat ex ipso Hieronymo anno Christi 406 contigisse. Unde B necesse est circa idem tempus scriptam fuisse Hieronymi epistolam ad Rusticum. Quæ quidem ideo curiosius investigare volui, quod inde lucis non nihil affulget ad inquirendum Rustici monasterium, de quo inscriptio Narbonensis mentionem facit. In Massiliensi illum constituerat vir eruditus Stephanus Baluzius; sed cum aliquid incommodi in ista opinione occurreret, Lerinensi eum monasterio vindicandum esse postmodum existimavit. Ego nec in hoc, nec in illo monachum egisse Rusticum facile probare posse mihi videor, sed Tolosani potius monasterii alumnum fuisse existimo. Enim vero constat epistolam ad Rusticum scriptam esse ab Hieronymo aliquo saltem tempore ante vastitatem Galliis illatam a barbarorum exercitu, quam idem deflet in epistola ad Ageruchiam de Monogamia (*Hieronym. epist.* 11, *ad Ager.*). Cum enim Aquitaniæ et Narbonensis, aliarumque provinciarum urbes ultimo die anni 406 vastare gladius vel premere **1574** fames cœperit, nec de iis mentionem facere omisisset Hieronymus, nec Exuperius ad C Palæstinæ et Ægypti regiones opes et subsidia transmisisset, quæ suis maxime tunc necessariæ fuissent. Nondum autem ea tempestate apud Massiliam sedem constituerat Joannes Cassianus, necdum exstruxerat suum monasterium. Cum enim de rebus optimi magistri sui Joannis Chrysostomi plurimum sollicitus esset, cujus etiam nomine litteras ad Innocentium detulerat, fas non est credere eum Romam reliquisse ante sancti hujus episcopi mortem, quæ anno 407 contigit, et per quam ejusdem causa finita est. Lirinense vero monasterium vix tum exsurgebat, nec ita saltem celebre evaserat, ut e regione satis remota Rusticum sua fama exciret: cui S. Hieronymus antiquum Tolosæ indicabat cœnobium, in quo monasticæ vitæ ius tota vigebant, quod insuper Exuperii, qui episcopali sollicitudine, vitæ exemplo, et charitate in pauperes erat insignis, præsentia plurimum commendabat. Quin enim in sancti illius episcopi manu essent Narbonenses monachi, dubitare non possumus; cum ex illis Sisinnium assumptum legimus, qui illius eleemosynas in Palæstinam et Ægyptum usque deferret.

2. Cum eumdem Rusticum monasticam vitam aggredi meditantem ad Proculi Massiliensis doctrinam et monita, et ad Exuperii exemplum remiserit Hieronymus, nemo credideri illum facile ab istorum episcoporum vicinia longius recedere voluisse, quemadmodum Hieronymi consilia faceret, satis indicavit, dum eum in transmarinis et remotissimis ab orbe Gallico regionibus commorantem, ignotus licet consulere non dubitavit.

3. Nullam idem doctor vel Lirinensis eremi vel cœnobii Massiliensis habet hic mentionem: sed ad Tolosanum potius monasterium invitasse videtur juvenem illum his verbis: *Hujus* (Exuperii) *tu e vicino secture vestigia, et cæterorum qui virtutum illius similes sunt, quos sacerdotium et humiliores facit et pauperes.*

4. Cum hoc solo Galliarum monasterio litterarum et pietatis commercium habuisse videtur Hieronymus: unde et frequentes illinc ad ipsum litteræ scriptæ sunt, et de Exuperio crebrior mentio facta, et major erga Tolosam affectus, ex quo subortæ lacrymæ cum illius excidium in memoriam revocaret: *Non possum*, inquit ad Ageruchiam scribens, *absque lacrymis Tolosæ mentionem facere.* Quamobrem de alio cogitasse monasterio credendus non est, cum illius provinciæ homini de ineundo monasticæ vitæ instituto consulenti rescripsit. Hoc forte unum olim viderat, cum aliquando Gallias peragraret. Certe nondum Lirinensis vel Massiliensis fundamenta jacta tunc fuerant.

5. Hoc etiam addo, quod si Venerius Massiliensis et Rusticus Narbonensis episcopi ex insula Lirinensi ad sacerdotalem infulam evocati fuissent, vix fieri posset quin **1575** aliqua hujus rei vestigia in antiquis monumentis exstarent, cum celeberrimi fuerint inter Gallicanos episcopos. De his Hilarius Arelatensis episcopus verba fecisset, qui eodem tempore in Lerino vivebat, sub eademque Honorati disciplina; vel Hilarii Vitæ auctor alter Honoratus Massiliensis episcopus. De his Eucherius non siluisset, cum ad Salonium filium instructiones scribens eos commemorat, quorum ille conversatione vel monitis in insula profecerat. Sed Apollinaris præsertim Sidonius in suo ad Faustum Reiensem Eucharistico, ubi huic præclaros insulæ illius incolas in memoriam revocat, Caprasium scilicet, Lupum, Honoratum, Maximum, Eucherium, Hilarium, quorum Faustus socius fuerat, numquam aut Venerium aut Rusticum omisisset recensere: cum et ille adeo commendatus fuerit, ut de illius in monasterio condiscipulatu gloriandum sibi duxerit Rusticus in ista celebri inscriptione quam posteritati excudi curavit, et eumdem inter paucos primum nominandum esse existimaverit Cœlestinus papa scribens ad universos Galliarum episcopos de S. Augustino ejusque scriptis. Rusticus vero ipse percelebris erat, insignis Ecclesiæ præsulatu, in quo triginta et amplius annis claruit, Ravennii Arelatensis episcopi testimonio, qui ejus præcipue opem desideravit, tam utram peritissimi inter Gallicanos episcopos, ut controversia inter quosdam illarum partium antistites et Faustum Lirinensem abbatem exorta tandem componeretur in concilio ut Arelatensi, ut ex tractoria Ravennii epistola intelligere est. Sed et ipsius Hieronymi epistola ad eum scripta nota erat in Gallia, in quibus quo loco jam tunc haberentur sancti hujus doctoris scripta, testatur can. 4 concilii Vasensis I anni 442, a quo laudatur epistola ejus ad Nepotianum. Denique Chronologi Lirinensis, cujus auctor nulli pepercit labori ac diligentiæ in conquirendis iis omnibus quæ celeberrimi monasterii honori conducebant, eosque præsertim numeravit qui illud pietate sua ornassent aliquando, nihil prorsus de egregio **1576** illo episcoporum pari recensuit: de quo prorsus ne apicem quidem reperiisse credendus est in antiquis et bene multis quæ excussit vel repræsentat monumentis. D

6. Etsi non decretorium argumentum petatur ex Narbonensis urbis et monasterii Tolosani situ ac vicinia (in eadem quippe provincia sita erant) magis tamen pronum est ut credamus ex illius parœciæ cœnobio in quo florebat monastica disciplina assumptum fuisse episcopum, quam ex Lirinensi, quod ab illa civitate longo spatio dividebatur.

7. Cum Ravennius Arelatensis episcopos invitaret ut Arelatum pro causa Lirinensis insulæ terminanda convenirent, encyclicam per Gallias misit epistolam. Hoc autem maxime observandum, quod cum aliquid speciale insertum haberent exemplaria ad eos missa qui ex ipsa insula fuerant assumpti, hæc scilicet verba: *Beatitudinem vero vestram præcipue adesse convenit, quos insula ipsa velut sinu quodam genitricis fovens, ad eam gratiam quæ nunc in vobis est, Domino instigante, produxit*; satis patet ex eorum numero non

fuisse Rusticum, ad quem missum exemplar non illa verba, sed hæc alia substituta continet ad calcem epistolæ generalis: *Ac præcipue beatitudo vestra, ut adsit primum deprecamur, quia gravior infirmitas necessario medicos peritissimos inquirit.*

Fuerunt hæc Rustici initia: quibus ita vixit in monasterio, ut clericus esse meruerit (quemadmodum eum hortabatur Hieronymus) ac postmodum ad pontificalem dignitatem fuerit evectus. Quo vero id anno contigerit, difficile est dicere. Conjicit laudatus ac sæpe laudandus Baluzius Rustici ordinationem ad annum Christi 430 referendam esse. An feliciter illi cesserit conjectura, decerni non potest, nisi inspecta, et explicata celebri inscriptione Narbonensi, quam notis suis ad Salvianum et supplem. lib. v Concord. sac. et imp. inseruit, quæ ex inquirendi initii episcopi Rustici consilio hic non potest omitti.

Inscriptio vetus quæ exstat Narbone in palatio archiepiscopali in ara marmorea. Ex Jani Greuteri Inscriptionibus, pag. 1058, *et ex Stephano Baluzio.*

†DO.ET XPO.MISERANTE.LIM.HOC.C.L.K.T.E.ANNO.IIII.CS.VALENTINIANO.AUG.VI.IIIKL.D.XVIIII.ANNO.EPTVS.RUSTI.....

RVSTICVS. EPS. EPI. BONOSI FILIVS
EPI.ARATORIS.DE SORORE NEPVS
EPI.VENERI SOCI. IN MONASTERIO †
COMPRB. ECCLE. MASSILIENS.
ANNO XV. EPTVS. SVI. D. ANN. V. III. ID. OCTB.
C.VRSOPRBO. HERMETE DIACO. ET EOR. SEQ. TIB.
COEP.DEPON.PARIET.ECCL.DVD.RVVSTÆ
XXXVII.D.QVAD.INFVNDAM.PONI COEPI.
ANNO II.VII ID.OCTB.ABSID.P.F.MONTANVS. SVBD.
MARCELLVS.GALL.PREF DI.CVLTOR.PRECE
EXEGIT EPM.HOC ONS.SVSCIP. INPENDIA
NECESSAR.REPROMITENS.QVÆ PER
BIENN.ADMINIST.
SVÆ PREBV. ARTIFI. B.
MERCED. SOL. ÒG
ADOPER. E CETER.SOL.I.Ò
HINC.OBLAT.SCI.
EPI.VENERI SOL. C.....
EPI.DYNAMI L.....
ORESI CC.....
AGROECI I.....
ET DECONIÆ.....
SALVTI.....

1577 *Explicatio inscriptionis Narbonensis.*

Deo et Christo miserante, limen hoc collocatum est anno quarto consule Valentiniano Augusto VI, 5 *kalendas Decembris,* 19 *anno episcopatus Rustici... Rusticus episcopus episcopi Bonosi filius, episcopi Aratoris de sorore nepos, episcopi Venerii socius in monasterio, compresbyter Ecclesiæ Massiliensis; anno* 15 *episcopatus sui, die anni quinta,* 3 *idus Octobris, cum Urso presbytero, Hermete diacono, et eorum sequentibus, cœpit deponere parietem Ecclesiæ dudum exustæ. Trigesima septima die Quadratum in fundamento poni cœpit. Anno secundo,* 7 *idus Octobris absidem poni fecit Montanus subdiaconus. Marcellus Galliarum præfectus, Dei cultor, prece exegit episcopum hoc onus suscipere, impendia necessaria repromittens, quæ per biennium administrationis suæ præbuit artificibus mercedem solidorum sexcentorum ad operas, et cæteri solidos mille quingentos... Hinc oblationes sancti episcopi Venerii solidos C.... episcopi Dynami L.., Oresii CC... Agroecii I... et Deconiæ... saluti....*

1578 Præcipua difficultas versatur in explicatione supremæ lineæ hujus inscriptionis.

LIMEN HOC COLLOCATUM EST ANNO QUARTO, CONSULE VALENTINIANO AUGUSTO SEXTUM; quibus verbis hunc sensum tribuit Baluzius: Positum basilicæ limen fuisse anno quarto ab ineunte sexto Valentiniani consulatu, qui incidit in annum Ch. 445. Annos namque, inquit, ab ultimo consulatu primum, secundum, et tertium, etc., numerabant, quousque rursum capesserent consulatum, ut patet ex antiquis inscriptionibus. Quamobrem anno 448, qui ab anno 445 quartus fuit, collocatum limen putat; qui cum decimus nonus esset episcopatus Rustici, restat ut anno 430 Narbonensis Ecclesiæ præfectus fuerit.

Non moleste feret vir eruditus hanc suam interpretationem ad incudem a nobis revocari, ut exordia episcopi Rustici non ignoremus. Non possum igitur mihi persuadere (*a*) hanc annos numerandi rationem ab uno imperatorum consulatu ad alterum in usu per id temporis fuisse.

Primum enim Onuphrius, in hujusmodi controversiis testis locuples, scribit (*Comm. in Fast. Consul. lib.* 1), eam numerandi **1579** annos rationem longe post Rustici Narbonensis tempora iniri cœptam. Roma enim per bellum Gothicum, imperante Justiniano, sæpius obsessa, capta, populata, et aliquando diruta et incensa; regibus vero Gothorum, qui consules Occidentales designabant, bello occupatis, intermissum est in Occidente consulare nomen, et etiam in Oriente neglectum, ita ut viginti et quinque annis Oriens sine consule fuerit. Initio autem imperii Justini junioris Augusti, dignitas consularis iterum usurpari cœpta est, sed alia ratione atque ab antiquis. Nullus enim deinceps privatus consul ordinarius fuit: soli imperatores, quorum primus Justinus junior fuit, consules circa principia imperii semel tantum creabantur in annum; consulatusque anno exacto, imperii deinceps annos, ab ipsorum consulatu, hac ratione numerabant: *Post consulatum imp. N. anno primo. Iterum P. C. imp. N. tertio. P. C. imp. N. quarto,* etc. Hæc Onuphrius *fastorum pater* dictus.

2. Aliquando anni quidem notati inveniuntur hac

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Per hanc Leonis ætatem exempla quidem aliquot inveniuntur computandi primum annum post consulatum hac formula: Anno, ex. gr., 449, *Post consulatum Zenonis et Posthumiani,* qui fuerunt consules ann. 448, idque etiamsi noti essent consules ordinarii anni currentis. Hinc in pseudosynodo Ephesina an. 449, VI idus Augusti, laudata formula legitur tum in Græco originali, tom. IV Concil Venetæ editionis col. 889, tum in antiqua versione a Baluzio recognita, not. a, cum tamen Protogenes Orientalis consul ordinarius ejusdem anni 449, signatus in Actis Constantinopolitanis eidem pseudosynodo insertis col. 1027 et 1030, Patribus ignotus esse non posset. At per hæc quoque tempora signatum quoque fuisse annum secundum, tertium et (ut in nostro documento) quartum post consulatum, nullo exemplo probabitur. Multo autem minus afferetur exemplum quo probetur adhibitam fuisse formulam ANNO III. CS. VALENTINIANO AUGUSTO VI, id est, *anno quarto, consule Valentiniano Augusto* VI. Si enim hoc ævo usu recepta fuisset laudata formula in notandis annis 2, 3, 4, etc., scriptum legeremus *anno quarto P. C.*, id est, *post consulatum Valentiniani Augusti* VI. Hinc ergo optime interpretatus est Quesnellus, limen Ecclesiæ positum fuisse *anno quarto* post initium fabricæ, *consule Valentiniano Augusto* VI. Interpretatio autem Baluzii, quam dein Quesnellus profert, duplici ex capite corruit, tum quod alienum est a more ejus temporis designare quartum annum post consulatum, tum quod ea formula, *anno quarto consule*, etc., numquam fuit adhibita, ut quartus annus post consulatum designaretur. Hæc pro vindicanda Quesnelli interpretatione sufficiant, ut nihil movere debeant nonnulla quæ hic in rem suam fusius, sed non admodum accurate prosecutus est; neque enim singula vacat expendere.

Digitized by Google

formula, *post consulatum*, etc., cujus exempla aliqua habes in canonum codice Africano, ubi aliquot conciliorum ætas hoc modo designatur. Sed hoc non aliam ob rationem factum est, quam quia adhuc tunc consules Africanis nuntiati non erant: nam certa erat regula ut tunc illa annos notandi formula usurparetur contra consuetum notarum consularium morem. Quamdiu enim dignitas consularis perseveravit, quod in Occidente factum est usque ad Justiniani imperatoris tempora et bellum Gothicum-Italicum per uniuscujusque anni consules ordinarios, tempora notata sunt, annique computati. Cum igitur anni 448 consules ordinarii fuerint Zeno et Posthumianus, ut fasti indicant, et Leonis nostri epistolæ duæ, omnesque chronicorum scriptores, valde insolens esset in publica inscriptione, quam posteris usui futuram volebat Rusticus, non tritum ab eo numerandi modum usurpatum fuisse.

3. Si ita tamen voluisset, non scripsisset: *Anno quarto, consule Valentiniano Augusto sextum;* sed: *Post consulatum sextum Valentiniani Aug. anno quarto.* Prima enim verba ad posteriorum sensum trahi vix ac ne vix quidem possunt, nec puto umquam eo sensu esse usurpata.

4. Nec postrema quæ posuimus verba, *post consulatum*, etc., inscribere lapidi curasset Rusticus. Hanc enim numerandi rationem tunc solummodo in usum vocabant, cum ordinarii consules non erant designati, seu nondum noti aut nuntiati. *Animadvertendum*, inquit Onuphrius, *illas notas P. C. interpretari debere, quo anno nullus consul ordinarius erat, perinde ac si quis diceret: Annus sine consulibus, qui fuit post consulatum N.* (*Onuphr. in lib.* I *Fastor. parag. de Consul.*). Quis porro dixerit Posthumianum et Zenonem, qui fuere ani 448 consules, III kalendas Decembris non esse designatos, cum jam a mense Martio 1580 eorum consulatu epistolam suam ad Dorum Beneventanum episcopum notaverit Leo noster? quis putet eosdem nondum tunc in Gallicana provincia cognitos, tam vicina, inquam, provincia, quæ præfecti prætorio sedem habebat?

Ex quibus manifestum aliam ineundam esse hujus inscriptionis explicandæ viam. Convenientiorem porro nullam invenio quam ut quartum illum annum, de quo agitur, non a consulatu sexto Valentiniani, sed a jactis basilicæ fundamentis numeremus. Familiare enim erat antiquis, ut quo tempore construi ædificium publicum cœptum erat, quove perfectum, hujusmodi inscriptionibus notum posteris vellent: qui ritus semper in usu fuit, et hodie etiam ubique usurpatur. Hoc ergo voluit Rusticus significare, per quatuor annos ædificatam esse Narbonensem basilicam, seu quarto anno esse absolutam a quadrato saxo posito, id est a jactis fundamentis usque ad limen collocatum seu finem operi impositum. Saxum enim quadratum in fundamento poni solebat: unde Livius, libro VI, scribit: *Capitolium saxo quadrato substructum;* exinde absolute *quadratum ponere* idem apud antiquos ac fundamenta jacere, primumque lapidem ædificii ponere, ut in hac inscriptione. Similiter quoniam nonnisi absoluta domo limen poni consuevit, idem antiquis fuit absolutum esse ædificium ac limen collocatum seu finem operi impositum. Unde Institutionum Justiniani lib. I tit. 12: *Limina sicut in domo finem quemdam faciunt, sic et imperii finem limen esse veteres voluerunt. Hinc et limen dictum est, quasi finis quidam et terminus.*

Confirmatur sententia nostra ex eo quod postquam in ipso inscriptionis capite linea oblonga contento, generatim significavit quatuor annos in construenda basilica esse consumptos, consequenter in reliquis, quid, quolibet anno, quove progressu præstitum sit, singillatim explicat. Primo scilicet et basilicam veterem depositam, et novæ jacta fundamenta. Secundo, absidem positam, illudque omne biennii opus Marcelli præfecti impensis esse perfectum; altero denique biennio, residuum operis ex oblationibus sanctorum episcoporum aliorumque esse absolutum.

At, inquies, ab anno decimo quinto episcopatus Rustici ad decimum nonum, non quatuor anni, sed quinque numerantur. Responderi potest a jacto quadrato lapide ad limen positum quatuor annos numerari cum decem fere diebus, vel ad summum quindecim, si trigesima septima illa dies a die ordinationis computetur quæ potius a die quo deponi cœpit exustæ ecclesiæ paries numeranda videtur. Hoc porro tanti non erat, ut rotundus numerus quatuor annorum augeri deberet quindecim dierum mentione. Certe non eadem religione numerandi dies et anni qui ab incœpto ædificio fluxerant, qua episcopatus tempora ac pene momenta, præsertim cum in extruendis molibus 1581 lapideis plurimi dies sine labore intermittantur, et multi forsan post fundamentum positum fluxerint antequam operi manus admoveretur.

Illam inscriptionis vocem, *quad.*, de *quadrato* lapide in fundamentis posito explicuimus: quod et allata Livii auctoritas confirmat. Qui de die 37 *Quadragesimæ* locum illum interpretantur, a genuino sensu aberrant; nec enim usurpatus uspiam legitur talis computandi modus, nec verisimile est, per sanctæ hebdomadæ dies, Paschati proximos sacrisque solemniis occupatos, manum ædificandæ basilicæ primum esse admotam. Denique a tertio idus Octobris ad diem 37 Quadragesimæ sex fere menses interfluunt, qui certe deponendo veteris ecclesiæ parieti necessarii non erant.

His ita explicatis, clarum evadit ipso sexti consulatus Valentiniani Aug. anno, scilicet 445, absolutam esse basilicam Narbonensem, qui genuinus est sensus verborum istorum: *Consule Valentiniano Aug.* VI, qui annus erat decimus nonus episcopatus Rustici, quem proinde anno Domini 427 ordinatum esse oportet, triennio ante Baluzianam epocham. Hæc paulo scrupulosius discussisse, tum quoad Rustici monasterium, tum quoad episcopatus ejus exordia, operæ forsan aliquando pretium erit. Historicæ saltem veritati utile est, et notitiæ episcopatuum Gallicanorum, quæ per illa tempora admodum obscura est et incerta.

Hæc a me superius scripta in prima mea editione optassem ut attentius perpendisset eruditissimus Baluzius, antequam nostram illius particulæ inscriptionis explicationem convellere niteretur, uti conatus est in Notis ad regum nostrorum Capitularia, tomo II, pag. 1252. Pauca hic reponam, si prius virum clarissimum de nonnullis amice præmonuero.

Ac primum quidem illum meminisse oportet hoc inter nos in quæstionem non vocari, utrum ante Rustici Narbonensis tempora usurpata sit hæc formula *Post consulatum;* quis enim vero istud negaverit? sed utrum tunc usurpata sit cum currentis anni consules et creati et his qui publica acta conficiebant non ignoti.

2° Frustra molem exemplorum congeri pro eadem formula *post consulatum*, cum nihil tale occurrat in inscriptione.

3° Nullum adduci posse exemplum in quo per illa tempora annus a consulatu jam ante tres annos elapso notatus habeatur.

4° Hanc annos numerandi rationem, quam vir doctus tam animose tuetur in inscriptione, ipso fatente insolentem esse et a communi usu discrepantem.

Denique vel ex sola regula de ista formula *post Pascha* in Formatis apponenda, quam pro se ipse adducit ex concilio Carthaginensi, litem facile dirimi de formula *post consulatum*. Cum enim prior illa de Paschate tunc solummodo usurparetur cum Paschæ dies vel erat incerta, vel nondum innotuerat, idem omnino de formula *post* 1582 *consulatum* dicendum esse manifestum est. Unum enim cum altero componunt concilii Patres. Hæc sunt verba: *Formatæ, quæ a primatibus, vel a quibuscumque episcopis,*

Digitized by Google

clericis propriis dantur, habeant diem Paschæ. Quod si adhuc ejusdem anni Paschæ dies incertus est, ille præcedens adjungatur quomodo solet, POST CONSULATUM, *in publicis gestis ascribi.*

Est canon 106 codicis Africani, conditus in concilio Carthagine celebrato sub Aurelio primate anno 407. Quamobrem non debuerat a viro tam erudito ex concilio Milevitano secundo assumi; apud eruditos enim jam pridem constat farraginem viginti septem canonum quæ sub concilii Milevitani II nomine circumfertur, falsissime hoc titulo insigniri.

Verum cujuscumque fuerint verba illa, nullam Baluzio opem conciliant, cum toto cœlo a se invicem distent hæ duæ formulæ, *post consulatum*, et *anno quarto coss.* VI. Istam habet inscriptio, illam non habet, nec una ad alterius significationem arte ulla reduci potest. Deinde canon ipse quem in suæ præsidium opinionis advocat Baluzius contra illam militat. Sicut enim necesse erat Paschæ diem Formatis inscribi, quotiescumque certus erat et cognitus, ita consulum currentis anni nomina actis publicis inscribi necesse erat, cum illi designati erant, et in iis locis cogniti ubi acta conficiebantur. At quis vel somniando dixerit Zenonem et Posthumianum, qui anno 448 ordinarii consules fuerunt, nondum vel designatos vel pro talibus cognitos fuisse in Romana provincia, Romæ tam vicina, tertio kalendas Decembris ejusdem anni, quo die limen Narbonensis basilicæ positum est et sculpta inscriptio?

Profert urgetque exemplum Ephesinæ synodi, quarum actiones prænotantur hac formula : *Post consulatum Theodosii et Valentiniani imperatorum, cum tamen constet eodem anno consules creatos esse Bassum et Antiochum.* At singularis exempli singularis fuit ratio; ut enim synodus œcumenica, jussu et consulatu imperatorum indicta, eorumdem consulatu supernotaretur in cujusque actionis exordio in quo decreti eorumdem mentio fieri debebat, dignitati imperatoriæ concessum est a Græcis hominibus. Si hæc responsio viro erudito non satisfacit, recurrit semper responsio generalis eaque multiplex, nimirum longe diversæ formulæ sunt Ephesina et Narbonensis, illa *post consulatum* habet, hæc *anno* IV *cons. Valentiniano Augusto* VI, secundum Baluzianam interpretationem: quodque majoris adhuc est momenti, ut nonnumquam per illa tempora annus aliquis consulatu anni immediate superioris notetur, non raro occurrit; ut aliquis annus signetur consulibus jam ante tres aut quatuor annos magistratu illo defunctis, numquam et nusquam legit Baluzius. Et tamen de hoc vertitur quæstio, nihilque prorsus proficiet quamdiu geminam illam conditionem in suis exemplis non reperierit.

1583 Ad Onuphrium consequenter appellat vir doctus optime; hunc judicem non declino. Sic igitur Onuphrius *Comm. ad lib.* II *Fastor.* : *Cum deinceps frequens mentio futura sit annorum sine* CONSULIBUS, *quos per hæc tempora* POST CONSULATUS *appellabant, non alienum ab re erit pauca quædam de his annis tradere.* Vides de annis *sine consulibus* rem esse Onuphrio, eosque solos *post consulatus* appellatos ab eo dici, non alios; quod continuo multis probat idem fastorum pater. *Sæpe*, inquit, *accidebat ut ob bella civilia vel externa, principum cædes, pestilentias, vel alias causas annus* SINE CONSULIBUS *ordinariis esset, qui anno et fastis nomen dare solebant. Quod hoc anno propter Maxentii tyrannidem, qui in Urbe, ubi consules designari et consulatus auspicari mos erat, imperabat, factum fuisse existimo : tunc huic anno* II *consules qui superiore anno fuerant nomen dabant.* Denique, si pressius quid et clarius desideratur, pergat Onuphrius, audiat Baluzius. *Cum igitur dicitur :* POST CONSULATUM, *tantumdem est ac si dicas :* ANNUS SINE CONSULIBUS, *qui fuit post consulatum Diocletiani* X *et Maximiani* VII. En quas ob causas, judice Onuphrio, consulibus ordinariis notati anni non habeantur, quia sine consulibus anni erant. En cur annus ab Urbe condita 1061, seu a Christo nato 309, *post consulatum*, etc., dictus est, quia propter Maxentii tyrannidem consules ordinarii non fuere. Et tamen non dubitat scribere Baluzius noster : *Quod annus* 309 *et sequens notati a Cassiodoro reperiuntur post consulatum Diocletiani* X *et Maximiani* VII, *cum tamen, ut idem Onuphrius et Baronius observatum reliquerunt, anno* 309 *Maxentius et Maximus gesserint consulatum.* Maxentius, inquit, et Maximus hoc anno gesserunt consulatum, et hoc auctoribus Onuphrio et Baronio? Quam falsum de Onuphrio, ex verbis paulo superius descriptis abunde exploratum habetur. *Quod hoc anno,* inquit, *propter Maxentii tyrannidem, factum fuisse* (hoc est, *sine consulibus ordinariis fuisse*) *existimo.* Refert quidem Onuphrius librum Damasi in Vita sancti Miltiadis, Maxentii Aug. IV et Maximi consulum hoc anno suffectorum meminisse; sed tam istud non approbat Onuphrius, ut potius evertat toto sermone superius ex parte descripto, tum auctoritate Cassiodori, Cuspiniani, fastorum Græcorum, et libri de Præfectis, tum ipsius Damasiani libri in Vita sancti Marcelli PP.

Baronium quod attinet, constanter affirmat consules ordinarios hoc anno fastis neque Latinis neque Græcis inscriptos esse, sive quod revera creati non fuerint, sive quod propter tyrannidem Maxentii ejus nomen et consulatus a fastis abrasi fuerint : idem porro est quod ad notam consularem spectat, non creatum esse, et a fastis abrasum esse; hoc est, pro consule non haberi : et ideo annum *post consulatum* eodem modo annotari debuisse ac si consules ordinarii non fuissent.

1584 Alterum exemplum Baluzius ex anno Christi 351 repetit, quo anno *Magnentius et Gaiso consules*, inquit, *fuerunt, ut notat auctor libri de Præfectis apud Onuphrium. Et tamen liber Cuspiniani, Cassiodorus et Socrates, lib.* II, *cap.* 26, *huic ipsi anno ascribunt : Post consulatum Sergii et Nigriniani, qui superiori anno gesserant consulatum.* Adde etiam et librum fastorum et Idatium in fastis, ut quinque optimæ notæ scriptores habeamus quibus incerti auctoris liber de Præfectis opprimatur. Quis enim dubiam unius scriptoris ignoti auctoritatem quinque istis testibus adeo locupletibus anteponendam existimet? Socrates loco laudato : *Isti*, inquit, *post consulatum Sergii et Nigriniani, quo anno propter belli tumultus et seditiones* NULLUS CONSUL *consueta consulatus munera obire poterat, Sirmii congregantur.* Hæc procul dubio ex ipsis concilii Sirmiensis Actis hausit Socrates, qui hunc annum disertis verbis *sine consulibus* fuisse scribit, ac propterea concilii Acta *post consulatum* notata fuisse affirmat. Verum auctores istos omnes conciliat Onuphrius, quos Baluzius inter se committit : scilicet, in Oriente *post consulatum* annotabatur, quia in Oriente consules non erant, in Occidente vero Magnentius et Gaiso inscribit liber de Præfectis, quia isti in Occidente consulatum gesserunt : ac proinde tota corruit Baluzii argumentatio.

Notam consularem concilii Carthaginensis V dicti, quod anno 398 *post consulatum Atteci et Cæsarii* celebratum aiunt, tam falsam ac suppositam existimo, quam fictitia ipsa synodi Acta. Deinde, ut vera synodi Acta fingamus, Baluzii est certis argumentis probare consules istius anni ab Africanis tunc temporis fuisse cognitos, cum celebrata illa fuit : quo uno responso ehdimus vim omnem argumenti ex aliarum synodorum consularibus notis petiti. Quousque enim illud non probaverit Baluzius, cum præter morem *post consulatum* lego, tacitis consulum ordinariorum nominibus, hos nondum in provincias nuntiatos tunc esse pro jure meo assero, regulam secutus a Carthaginensi concilio commemoratam : ut si adhuc Paschæ dies incertus est, præcedens adjungatur, quomodo solet *post consulatum* in publicis gestis ascribi, quando consules anni currentis nondum sunt nuntiati. Nec mirum videbitur mensibus Maio, Junio, Juliove incertos persæpe in Africa consules Roma-

Digitized by Google

nos fuisse, cum certum sit olim mense Septembri vel Octobri initum esse a Romanis consulatum etiam ordinarium : nam de suffectis consulibus manifesta res est certis temporibus eos non cepisse magistratum. Frequentissimum autem fuit post Julii Cæsaris tempora, ut consules ordinarii integrum annum in dignitate sua non explerent, sed aliis sibi suffectis locum cedere cogerentur. Imo asserere Onuphrius non dubitat post Augusti imperium paucos admodum esse repertos qui anno integro consules fuerint. Etsi enim singularis imperii **1585** sui initio more majorum annuum consulatum per aliquot annos concessit, verum aliquibus interjectis annis ex annuo semestrem fecit, ita ut duo consules essent a kalen. Januarii ad kalend. Julias ; et rursus, his abdicantibus, duo alii a kalendis Julii ad anni finem. Tiberius Cæsar consulatum quadrimestrem fecit, qui postea a Claudio imperatore bimestris factus est. Immo cum venales dignitates sub Commodo imperatore factæ essent, uno anno XXV consules aliquando numeratos esse scriptum est.

Etsi vero Constantinus Magnus consulatum more veteri annuum fecerit, ex variis tamen rerum vicissitudinibus persæpe accidit ut vel tardius designarentur ordinarii seu majores consules, vel iis ablatis alii minores sufficerentur, vel unus in Oriente esset, nondum Occidentali designato, aut saltem nondum nuntiato ; quod contigit anno Christi 451, ad quem Antiochus mense Martio exeunte consul in Oriente nominatur in lege Theodosii hoc anno data, nondum Occidentali ab Orientalibus cognito x *kal. Aprilis. Antiocho v. c. cons., et qui fuerit nuntiatus ;* cum tamen jam Romæ utriusque consulis nominibus acta publica designarentur, ut patet ex Commonitorio Cœlestini PP. dato episcopis et presbyteris euntibus ad Orientem, quod legitur *datum octavo iduum Maiarum, Basso et Antiocho consulibus.* Inter hæc incerta et dubia nihil commodius certiusque ad bene consignanda tempora fieri poterat ab Africanis, quam ut ex certis anni proxime elapsi consulibus annus notaretur. Præsertim vero si Occidentis, a quo illi pendebant, imperii consul nondum fuerat nuntiatus.

Dixi ex *anni proxime elapsi* consulibus. Nam ut præteritis tribus consulum paribus qui more solito consulatu defuncti erant, annus qui proprios consules creatos nuntiatosque habebat, notatus fuerit per consulatum ante tres annos elapsum, nullo, quod sciam, illorum temporum exemplo demonstrari potest, nec ratione minus quam exemplo caret. Quamobrem prorsus monstro simile est quod in illa Narbonensi inscriptione factum contendit vir eruditus. Anno enim 448, quem a sexto Valentiniani consulatu quartum fuisse putat, fatetur ipse et constat Posthumianum et Zenonem consules fuisse, denique ordinarium, ut partim ex inscriptione veteri quam ad annum 423 refert Onuphrius, partim ex aliis monumentis palam fit; ac proinde kalendis Januariis, ut moris erat, erectum, aut saltem mense Martio, ut ex epistola S. Leonis ad Dorum Beneventanum perspicuum est. Ejus porro consulatum mense Novembri exeunte in Romana Galliarum provincia adhuc ignoratum fuisse, non opinor serio posse asseri. Sed demus ita contigisse, ac necessitatem nonnullam fuisse annum ex superioribus consulibus annotare hac formula : *Post* **1586** *consulatum ;* certe cum post sextum Valentiniani consulatum, qui in annum 445 incidit, consules in Occidente ordinarii fuerint, nimirum anno 446 Aetius et Symmachus, anno 447 Alipius et Ardabur, annus 448, si consulibus caruisset, per *consulatum Alipii et Ardaburis*, qui proxime hunc annum antecedebat, designandus erat, non vero per consulatum ante tres annos jam elapsum, tribus consulum paribus calcatis, fuit recurrendum.

Atque ex eo capite latissimum eruitur discrimen inter exempla omnia a Baluzio laudata et inscriptionis locum etiam Baluziano sensu intellectum : anni enim illi omnes a consulatu proxime antecedente numerantur, cum suum illum designatum fingat Baluzius a consulatu ante tres integros annos elapso.

Nihil igitur eorum probavit Baluzius quæ probare debuerat, ut suam inscriptionis illius explicationem defenderet.

In recensenda porro ista epistola usi sumus codicibus mss. Grimanico, Barberiniano, Corbeiensi, Trecopithœano, Victorino, Cantabrigiensi, Navarrico et quinque Thuaneis; non omissis Dionysii Exigui, Cresconii, aliorumque collectionibus, doctissimique Sirmondi emendationibus, quas ipse ope mss. codd. tomo I Concil. Gall. publicas fecit. Inquisitionum titulos, quos hic singulis capitulis præfixit, nos quoque editioni nostræ inseruimus, quia et eosdem ipsi ex mss. codd. eruimus, et lucem plurimam epistolæ intelligendæ conciliant. Ne tamen perirent omnino alii tituli, quos in fronte totius epistolæ mss. codices Griman. et alii, nec non Dionysius Exiguus et vulgatæ editiones exhibent, eosdem sub uno conspectu epistolæ præmitti posse putavimus, eo tamen rejecto qui in prioribus editionibus decimus quartus habebatur : quoniam in mss. Griman. et Barb. et apud Dionysium desideratur, et capitulum cui apponebatur adjectitium esse ostendemus suo loco.

2. *Hermes.* Is archidiaconi officio in Ecclesia Narbonensi diu perfunctus, postea in episcopum Biterrensem assumptus fuit atque ordinatus. Verum cum indigne, ut ipse conquestus, a Biterrensibus fuisset exclusus, a Narbonensi susceptus est Ecclesia suo Rustico tunc orbata, reclamante licet Hilaro papa, qui tamen agentibus apud ipsum Fausto Reiensi et Auxanio episcopis Gallis, tandem acquievit : de quo vide epistolas Hilari ad episcopos Gallicanos. Eumdem Hermetem commemorant inscriptio Narbonensis, Martyrologia Romanum, Gallicanum et Usuardi ad VII kalendas Novembris.

3. *Sabiniano et Leoni presbyteris actionis tuæ intelleximus fiduciam defuisse.* In vulg. edit. legitur *actionis suæ* (*a*); in mss. vero Griman., Barber., et Thuaneis tribus, **1587** *actionis tuæ ;* quibus succinit Dionysius Exiguus ; et ita corrigendum putavimus : quæ vox non de actione humana vel naturali intelligenda est, sed de actione judiciali seu de judicio vel persecutione, ac potestate aliquem pro delicto persequendi. Eodem fere sensu accipitur ea vox in epistola 12 (*nunc* 14) ad Anastasium Thessalonicensem : ubi Atticus Epiri veteris metropolitanus apud ipsum Leonem *de indignissima astrictione, quam pertulerat, lacrymabili* ACTIONE *conquestus esse* dicitur, coram astantibus Anastasii diaconis, qui querelis flebilibus nihil contra referendo, ea quæ ingerebantur, fide non carere monstrabant ; ubi *actio* pro libello querimoniæ vel accusatione judiciali sumitur.

4. *Ut vacationem ab episcopatus laboribus*, etc. Primus Innocentius III sanxit, *Tria hæc* (translationem, depositionem, aut cessionem episcopi) *institutione divina esse soli Romano pontifici reservata* (*C. inter corporalia, de Transl. episc.*). Abundant tamen ecclesiastica monumenta eorum exemplis qui vel nemine consulto onus episcopale abjecerunt, vel de hoc cum suæ provinciæ episcopis egerunt. Hujusmodi exempla vide, si lubet, apud Petrum de Marca de Concord. sacerd. et imp. lib. VI, cap. 8, et lib. VII, cap. 26, nec non in vita Domni Bartholomæi de Martyribus, Bracarensis archiepiscopi, lib. IV, cap. 11, auctore v. cl. D. Le Maître *de Sacy*. Vide et S. Augustinum epist. 261 ad Cœlestinum papam, et lib. II contra Cresconi. Grammat. cap. 11, Cyrillum Alexandrinum epist. ad Domnum Antiochenum, etc.

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Cur et quo sensu præ *suæ* legendum sit *tuæ*, exposuimus annot. 18 (*Col.* 1199, *n.* [n]) in hanc epistolam.

Digitized by Google

1588 *Nec a clericis sunt electi.* Vix opus est monere hanc vocem *clericus* non semper eum significare qui inferioribus ministeriis mancipatus est, quod vel ex hoc unico capite apparet, cum certum sit ad presbyteros maxime, cæterosque majorum ordinum ministros electionem episcopi pertinuisse. Immo plerumque omnium ordinum clericos designat, cum sine addito in antiquis scriptoribus reperitur : ut semel et iterum in hac inquisitione 1 ; item in inquis. 1, in epist. 10 ad episc. Vienn. prov. cap. 6, et epist. 3 (*nunc* 4) ad episcopos Camp., etc., cap. 3 et 4, ubi clericis usura interdicitur. Sæpe etiam majoris tantum ordinis clericos significat, ut cum Siricius P. R. epist. 1, cap. 14, ait : *Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum ;* sequentibus enim verbis indicat se de iis esse intelligendum qui *gerenda sacramentorum instrumenta suscipiunt ;* immo et apud S. Leonem epist. 12 (*nunc* 14) ad Anastasium Thessalon., cap. 4. Cum vero de inferioribus ministris intelligitur, ejus significatio aliqua adjectione restringitur, ut cum epist. 10 ad Viennenses, vocat *clericos minoris officii*, etc.

6. *Si qui autem clerici ab istis pseudo-episcopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, qui ad proprios episcopos pertinebant*, etc. Pro *qui ad proprios*, etc., ut est in mss. codd. Griman., Barber., quatuor Thuaneis, Threcopith. et Isidoriano ms. ad marginem Canisii, Crabbi, etc., nec non et apud Gratianum, 1, q. 1, habent, (*a*) *quæ ad proprios*, etc., vulgares edit. Dionys. Exiguus, Hincmar. Rem. opusc. 33, J. **1589** Sirmondus, tom. I Veterum Concil. Galliæ. Quæ tantula lectionis varietas latum parit in sensu discrimen. Si enim postrema lectio retinetur, particula *quæ* ad Ecclesias referenda est ; et eo devolvi quæstio videtur, utrum clericus in aliena Ecclesia ordinatus ab hujusmodi pseudoepiscopis in gradu ita accepto permanere possit ? Respondet ratam posse haberi talem ordinationem, duplici tamen conditione apposita, 1° ut judicio præsidentium ejusmodi ordinatio facta sit ; 2° ut in iisdem Ecclesiis in quibus ordinati sunt, tali modo ordinati clerici perseverent. Quæ conditiones si non adessent, irritam esse habendam decernit ordinationem, quæ *nec loco fundata est ;* quia si in Ecclesia in qua ordinatus est non perseveret, vagus erit, et contra canones nullius loci clericus, dejecto præsertim pseudoepiscopo ab ea cui male præpositus fuerat Ecclesia. *Nec item auctore munita* esset illa ordinatio, cum contra præsidentium nutum et consensum attentata sit. In quo concinit Leonis decretum canoni 8 concilii Arausicani I, qui ita se habet : *Si quis alibi consistentem clericum ordinandum putaverit, prius definiat ut cum ipso habitet ; sic quoque non sine consultatione ejus episcopi cum quo ante habitavit eum ordinare præsumat.*

Melius tamen retineri mihi videtur prior illa lectio ; ita ut particula *qui* ad clericos referatur qui ordinati sunt, et ad easdem illas Ecclesias pertinebant quæ tunc quidem *pseudoepiscopos*, olim autem habuerant et postea habituræ erant *proprios ;* ita enim opponuntur, ut puto, *pseudoepiscopi* et *proprii episcopi*. Hanc lectionem probat 1° omnium mss. codd. consensus. 2° Prior illa lectio supponit clericos ejusmodi in aliena Ecclesia fuisse ordinatos : alioqui falso diceret ordinationem illam loco fundatam non esse. Falso etiam timeretur ne clerici alio migrare auderent, et frustra perseverandi in eis Ecclesiis necessitas pro ratihabitionis conditione imponeretur : at raro admodum usurpatum in veteri Ecclesia ut episcopi in aliena Ecclesia ordinationes celebrarent ; nec minus rarum ut clericus in propria Ecclesia etiam ab alieno, etiam a falso episcopo ordinatus, de illa relinquenda cogitaret : ideoque supervacaneum fuerit eam conditionem adhibere quæ, ex communi omnium Ecclesiarum jure et ex canonum auctoritate etiam non expressa, numquam non subintelligebatur. Clericus vero in propria Ecclesia ab ejusdem pseudoepiscopo ordinatus, poterat propter ordinationis vitium a proprio episcopo in locum pseudoepiscopi subrogato deponi, seu pro non ordinato haberi ; Leo enim dicit *posse* ratam haberi ordinationem, non vero *debere ;* et præterea confirmata etiam ordinatione, in proprii episcopi potestate relinquitur, ut vel in Ecclesiæ suæ ministerio hujusmodi clericum retineat, vel ad eum a quo ordinatus erat, ubicumque habitasset, transferendum curet, ut expresse decernit Reiense conc. can. 4, in causa Armentarii **1590** Ebredunensis episcopi. Ordinatum enim suscipere et alere ordinans tenebatur : quo casu vagus fuisset clericus, si in ordine clericali permaneret ; tuncque verissime *nec loco fundata esset* ordinatio, *nec auctore munita*. Ita porro legimus, *auctore*,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Nisi omnium fere ac certe præstantiorum mss. diversæ originis exemplarium consensus *qui* prætulisset, in nostra editione recepissemus libenter emendationem *quæ* usitatæ Leonis syntaxi magis congruentem, cum præsertim vox *eis* hanc lectionem exigere videatur. At alii codices omittunt *eis*, alii habent *eorum*, ut suo loco notavimus. Hinc nihil mutare ausi sumus. Ad sententiam vero hujus loci quod pertinet, inter multas multorum opinationes, quas ipsa hujus loci difficultas peperit, hæc nobis videtur expeditior et probabilior. Cum Rusticus interrogavit *de presbytero vel diacono qui se episcopos mentiti sunt*, non intellexit de presbytero vel diacono qui episcopali charactere carent, nec de illis tantum intellexit qui ab uno vel duobus, non autem (ut disciplina vel tum exigebat) a tribus saltem episcopis a diaconatu vel presbyteratu ad episcopatum promoti fuissent, sed de iis quorum consecratio aliquo defectu canonico laboraret, quod nimirum a clericis non essent electi, vel a plebibus non expetiti, vel a provincialibus episcopis cum metropolitani judicio non consecrati. Hos enim omnes defectus Leonis responsio indicat. Ilos autem cum Rusticus pro veris episcopis non haberet, diaconos vel presbyteros tantum vocavit, qui sese episcopos mentirentur. Leo vero memoratorum defectuum causa eosdem inter episcopos non habendos rescribens, et pseudo-episcopos appellans, non ordine, sed jurisdictione tantum episcopali carere indicare voluit : quippe qui ab episcopis sine legitimis solemnitatibus consecrati, legitimum jus non percepissent. Ordine autem episcopali eos valide insignitos non dubitavit, ac propterea respondens ad alterum inquisitionis caput, *de his quos ipsi clericos ordinarunt*, affirmavit ratam haberi posse istorum ordinationem, si duo concurrant : 1° si consensu ac judicio præsidentium facta fuerit ; 2° si in Ecclesiis in quibus fuerunt ordinati perseverent ; secus vero ratam non fore, cum ex defectu consensus præsidentium, *auctore* seu legitima auctoritate careret ; ex dimissione autem Ecclesiæ in qua fuerunt ordinati, non esset *loco fundata*, quippe quod ex veteri disciplina nemo ordinaretur, nisi alicui Ecclesiæ esset addictus. Quæcumque porro lectio *qui* vel *quæ* magis arrideat, nostra hæc explicatio satis aptatur. Si enim præferatur *quæ*, sermo est de ordinatione clerici in Ecclesia diœcesis alienæ, cui episcopi proprii consensus accesserit. Si vero præeligatur *qui*, sermo esse potest de aliqua Ecclesia ejus diœcesis, cui quis illegitime episcopus præfectus fuerit : qui cum jurisdictione in eam careat, ut ordinatio clerici rata esse possit, eorum saltem consensus ac judicium a Leone requiritur, qui eidem Ecclesiæ præsidentes, jus aliquod habebant præsentandi clericos, qui in eadem Ecclesia ad aliquem ordinem erant ab episcopo promovendi.

Digitized by Google

cum mss. Griman., Victor., Trecopith., Thuaneis et Isidoro excuso; non vero *auctoritate*, ut habent Sirmondus tom. I Conc. Gall., Dionysius Exiguus, Hincm. Rem., Isidorus ms. et edit. vulg. Ex eisdem mss. in superiori linea lego *creatio*, non *ordinatio*, ut vulg.; vel *consecratio*, ut Dionys. et tres mss. codd.

Sed quoquo modo superiora legantur et intelligantur, gravis, ut ego reor, difficultas exsurgit: qua ratione nimirum eorum clericorum ordinatio *rata possit haberi*, qui ordinati sunt ab iis quos, ut ibidem diserte asserit, *nulla ratio sinit ut inter episcopos habeantur*; et quibus decernit *nequaquam esse tribuendum quod non docetur fuisse collatum*; quos denique *pseudoepiscopos* esse pronuntiat, quia videlicet *nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati*; ubi dubium non est quin de majoribus etiam clericis agatur, circa quos maxime difficultas versabatur; nec par est credere Leonem et Rusticum de minoris officii clericis qui a pseudoepiscopis ordinati erant sollicitos, de majoribus nihil omnino curasse, penes quos et ministerium altaris, et alia potiora Ecclesiæ munia residebant.

Longe major etiam difficultas, et cui solvendæ imparem me profiteor, si de iis pseudoepiscopis Leo debeat intelligi, qui nullam ab ullo episcopo manus impositionem accepissent qua episcopi fierent: quod innuere nonnullis videbuntur inquisitionis verba: *De presbytero, vel diacono, qui se episcopos esse mentiti sunt.* Verum vix ac ne vix quidem istum Leonis sensum esse mihi persuaserim.

Antequam hunc locum explanemus (quem miror Hallerio et Morino de sacris electionibus et ordinationibus Commentariis scribentibus prorsus esse intactum), revocandum est in mentem id quod supra delibavimus, et ex ista inquisitione ac responsione confirmatur: Rusticum videlicet, cum hæc Leoni proponebat, respexisse ad conciliorum Reiensis, Arausicani I et Arelatensis II canones, quibus palam fit passim per Gallias frequentari tunc illicitas ordinationes a duobus episcopis quæ occasioni fuere Rustico ut ea de re pontificem Romanum consuleret. Quamvis enim certa esset apud Gallos et publicis sancita conciliis ea disciplinæ regula, quæ tres ad minus episcopos ad episcopi consecrationem convenire edicebat, non parum tamen roboris Gallicanæ consuetudini addi videbat, si Romanæ, adeoque primariæ Ecclesiæ usus et sententia suffragarentur. Sed duo præsertim Rusticum anxium fecisse videntur: unum, quod Reiensis canonis 3 auctoritate Armentario pseudoepiscopo, utpote a duobus tantum ordinato, **1591** nonnulla episcopalia munia obeundi concessa facultas fuerat, qualis est neophytorum confirmatio; alterum, quod clericorum ab eo ordinatorum consecratio non in irritum missa fuerat, si nulla ordinato conversationis macula præjudicaret, ut canone 4 definitur. Quare S. Leonis responso lux ex canone Reiensi concilianda est, ex eoque et ex Arausicano et Arelatensi dicendum eos quos pseudoepiscopos appellat sanctus Leo, episcopali manus impositione vel unctione in episcopos fuisse ordinatos; sed quia a duobus tantum contra canones episcopis, vel ab iis qui comprovinciales non erant, et sine metropolitani judicio fuerant consecrati, inter episcopos non fuisse habitos, hoc est, ut loquitur S. Augustinus, lib. I de Bapt. contra Donatist. cap. 1, *non administrasse, sed sacramentum ordinationis suæ tamen gessisse*; vel, ut de Ephesino episcopo act. 12 Chalcedon. habetur, servato honore episcopatus esse dejectos; vel denique, ut ad hodiernum loquendi usum descendamus, charactere sacerdotali seu pontificali fuisse insignitos, qui post depositionem remanserit; omni vero fuisse jurisdictione spoliatos, quæ nimirum vitiose fuerat collata. Ad illud sufficit ut vel unicus adsit episcopus qui consecret; ad hoc ex placito Ecclesiæ necesse est ut duo vel tres consecranti assistant. Cujus ratio est, quod cum *unus sit episcopatus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus* (ut toties decantatum illud Cypriani axioma usurpem (*Epist. 52 ad Antonianum*), et unici illius episcopatus pars ab unoquoque in solidum teneatur, minime convenit ut invitis omnibus, vel non consentientibus episcopis, illius pars episcopatus in solidum pariter tenenda ulli concredatur, sed omnium potius consensus accedat, qui, si per se adesse omnes non possint ordinationem celebraturi, duorum saltem vel trium præsentia, cæteris annuentibus, comprobetur. (Septem etiam episcoporum præsentiam requisivit Arelatense concil. I.) Ut enim omnes unius provinciæ ecclesiasticæ episcopi omnes ubique terrarum diffusos repræsentant episcopos, ita duo vel tres cum metropolitano universorum ejusdem provinciæ antistitum vice funguntur in coepiscoporum consecratione: ne, ut ait Innocentius papa (*Epist. ad Vict. c. 1*), *furtivum beneficium præstitum videatur*, vel aliquid contra fidem, vel fidei causam ab uno vel altero male erga illam affecto tentaretur. Res attingenti, non tractanti, hæc sufficiant.

His a me ita scriptis, venit ex Anglia opus eximium Herberti Thorndicii viri eruditi, et, ut opus indicat, ecclesiasticæ unitatis studiosi. Editum est illud Londini superiori anno, seu 1674, cui titulus: *Origines ecclesiasticæ, sive de jure et potestate Ecclesiæ Christianæ Exercitationes.* Is porro nodum istum de ordinationibus pseudoepiscoporum **1592** ministerio celebratis aliter solvit; hæc enim habet cap. 20: *In ordinatione*, inquit, *cum duo esse ex dictis constet, auctoritatem ac jus Ecclesiæ in ordinante primum; tum consecrationis solemnitatem, quæ ministerio ordinis traditi auctorem Ecclesiam palam inscribit: tanto majoris est momenti Ecclesiæ auctoritas, quam consecrandi ritus, ut in irritum cadat rite ac more Ecclesiæ peracta consecratio, ad quam usurpata sit auctoritas Ecclesiæ. Nam etsi in perpetuum Deo sacrum sit quod semel Deo rite sacratum fuerit, non tamen Deo rite sacratum videri debet, quod non sit jure Ecclesiæ Deo consecratum, etsi servato ritu Ecclesiæ.* Et post paginam: *Itaque si dubium existat de auctoritate Ecclesiæ, non de ritu ordinandi, non est mirum, accedente auctoritate Ecclesiæ, valere ordinationem non jure factam, ad id ad quod valere eam vult accedens auctoritas Ecclesiæ. Pauca sunt hujus causæ exempla in rebus veteris Ecclesiæ: pauca quidem, sed sunt tamen, quæ eam dubiam esse non sinunt. In concilio Reiensi Galliæ irrita declarata est ordinatio episcopi Ebredunensis, cui tamen indulgetur, exemplo canonis Nicæni 8, chorepiscopum esse, strictis licet legibus, can. 2 et 3, puta eum, ut jam chorepiscopum, confirmare tantum potuisse. Non hoc vi irritæ ordinationis, nisi accessisset Ecclesiæ per hanc synodum consensus. Leo papa I, ad Rustici Narbonensis inquisitionem 1, ordinationes clericorum a pseudoepiscopis quibusdam factas, quas certum est seipsis irritas fuisse, ita ratas esse censet, si cum consensu episcoporum factæ fuerint.* (Leo non habet *episcoporum*, sed *præsidentium.*) *Sane cum nihil majus quæri in hac tota re possit, quam ut rata sint apud Deum quæ fideli plebi ministrantur ab iis quorum dubia sit ordinatio, nec plebis esse de rebus Ecclesiæ communibus judicium dictum sit, statuendum est non posse fidelibus fraudi esse ea apud Deum, in quibus sequuntur fidem Ecclesiæ.* Hunc explicandi modum a theologo extra Ecclesiæ castra militante suggestum, catholicis doctoribus discutiendum relinquo, eorumque in antecessum censuræ subscribo. Hoc in scriptore illo non laudo, quod *consensum episcoporum* dixerit, pro *consensu præsidentium*; hoc enim postremum, quod habet Leo, latius patet, ad clerumque se extendit, cujus auctoritate et judicio, episcopis aliquo impedimento ligatis, vel vacante sede, ordinationes in Ecclesia celebrantur.

7. *Alienum est a consuetudine ecclesiastica*, etc. Vide doctissimum Morinum nostrum abunde Disserentem de clericorum pœnitentia tum commentarii de Pœnit. lib. IV cap. 12 et seq., et alibi passim, tum Exercit. Ecclesiast. lib. II. Nonnulla tamen indicare operæ pretium erit.

Digitized by Google

Primum est, ex S. Leonis verbis erui, (*a*) minoris **1593** ordinis clericos, inter quos subdiaconi numerabantur, non semper agendæ pœnitentiæ lege exemptos fuisse : quod ex canone 2 concilii Carthaginensis v, vel potius ex commonitorio synodi Carthag. xvi kal. Julii an. 401, in cod. Afr. num. 62, quod **1594** Leonis decreto concinit, pariter evincitur, et expresse in Agathensi can. 5, Epaonensi can. 22, et aliis asseritur.

2. Quod hanc disciplinam (*b*) consuetudine **1595**

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Cum S. Leo de solis presbyteris et diaconis interrogatus responderit, non idcirco elicitur minores clericos (quos idcirco solum præterit, quia de his Rusticus non quæsivit) publicæ pœnitentiæ fuisse saltem aliquando subjectos. Nec canones deinceps a Quesnello allegati, qui clericos quibusdam criminibus irretitos peregrina seu laica communione donant, pœnitentiæ publicæ addictos significant. Adde quod canon Epaonensis 22 non de minoribus clericis, sed de presbyteris ac diaconis loquitur.

(*b*) Duo a S. Leone traduntur in responsione ad inquisitionem secundam. 1° Alienum esse a consuetudine ecclesiastica ut presbyteris aut diaconis pro B aliquo crimine manus imponantur in pœnitentiam; 2° hanc consuetudinem descendere a traditione apostolica. Ut primum sit verum, haud necesse est eam consuetudinem semper et ubique viguisse, cum satis sit ad veram consuetudinem astruendam, si aliquandiu ante Leonem inducta obtinuerit. Hujus autem disciplinæ consuetudinem jam vigentem testatur Siricius; qui tamen ne hujus disciplinæ auctor credatur, idipsum etiam antea obtinuisse discimus ex Optato, qui ante Siricium floruit. Hic enim sub finem libri secundi Donatistas reprehendens, eo quod diaconis, presbyteris et episcopis lapsis manus imponerent, *Multis*, inquit, *notum est et probatum, persecutionis tempore episcopos aliquos inertia a confessione Dei delapsos thurificasse; et tamen nullus eorum, qui evaserunt, aut manus lapsis imposuit, aut ut genua figerent imperavit.* Hæc de ipso persecutionis tempore plane evincunt, hanc disciplinam non inductam fuisse a Siricio, qui in epistola ad Himerium, n. 18, de re C jam recepta loquitur. *Sicut pœnitentiam* (subintelligitur *publicam*, quæ cum manuum impositione jungebatur) *agere cuique non conceditur clericorum, ita et post pœnitudinem ac reconciliationem nulli umquam laico liceat honorem clericatus adipisci.* Hæc quidem veterem consuetudinem astruunt, quæ ad vindicandam Leonis sententiam sufficit; ut ne movere debeat, si quando fortassis alicubi clericis manus imponerentur.

Aliud tamen non leve in Leone animadvertendum est, quod sententiam ejus multo magis explicat, atque generatim veram confirmat. Rusticus in inquisitione de iis diaconis et presbyteris loquitur, qui sponte sua pœnitentiam publicam postulabant, non autem eam subire ulla lege vel consuetudine cogebantur. *De presbytero*, inquit, *vel diacono, qui si cognito crimine suo pœnitentiam publicam petat, utrum ei per manus impositionem danda sit.* De crimine igitur sermo est quod publicæ pœnitentiæ canonibus non subjiciebatur, quodque per se clericum ab ordine non remo- D vebat; ac propterea eum in suo gradu et ordine relinquendum Leonis responsum præsumit. Quoad hos autem clericos *semper* alienum fuit a consuetudine Ecclesiæ ut manuum impositione subjicerentur pœnitentiæ publicæ, quæ ex constanti omnium temporum disciplina pœnitentes publicos a clero arcebat. Hinc quicumque clerici ab ipsa hæresi vel schismate redeuntes ad unitatem Ecclesiæ, si in suum gradum (dummodo non essent iterato baptismate tincti) bono pacis admittendi viderentur, sola idonea satisfactione atque cautione sine ulla manuum impositione recipiebantur. Vide annot. 25 (*Col.* 1138, *n.* 9), in epist. 159. Hinc S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, n. 13 : *Laicus*, inquit, *extra Ecclesiam fide baptizatus, pœnitens recipitur, Episcopus vero aut pœnitentiam non agit, et sacerdos est; aut si pœnitentiam egerit, esse episcopus desinit.* Nullum sane exemplum invenire licebit quo clerici in suo gradu recepti, aut ab eo non deponendi, manuum impositioni aut publicæ pœnitentiæ subjicerentur. Dum ergo de his S. Leo loquatur, propositio ejus generalis verissima est.

Adde quod nec illi quoque qui a suo gradu et clero dejiciebantur manuum impositioni seu publicæ pœnitentiæ subjici solebant, ne idem crimen præter depositionem publica etiam pœnitentia castigatum duplici pœna mulctaretur, uti traditur in canonibus apostolicis, cap. 25, et a S. Basilio in epistola ad Amphilochium, c. 3. Hinc etiam in concilio Carthaginensi apud Isidorum quinto habito an. 401, idibus Septembris canone 11, repetito in alia plenaria synodo anni 419, c. 27 cod. Africani de clericis a ministerio et gradu suo removendis hæc habentur : *Item confirmatum est, ut si quando presbyteri vel diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tamquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus laicis imponatur.* Duplicem hanc clericorum rationem, qui nunc in suo gradu recipiebantur, nunc autem ab eodem arcebantur, præclare distinguit Augustinus lib. 1 de Baptismo contra Donatistas c. 1, et neutris manus impositas indicat. Loquens enim de redeuntibus ad Ecclesiam, *Redeuntes*, ait, *qui priusquam recederent, ordinati sunt, non utique rursus ordinantur; sed aut administrant quod administrabant, si hoc Ecclesiæ utilitas postulat* (cum scilicet recipiebantur in suo gradu, quibus sane non imponebantur manus in pœnitentiam), *aut si non administrant* (cum scilicet in suo gradu non reciperentur), *sacramentum ordinationis suæ tamen gerunt, et ideo eis manus inter laicos non imponitur*, quia scilicet sicut laici non suberant pœnitentiæ publicæ. Hinc ea Augustini verba in epist. 185, ad Bonifacium, n. 44, quibus hæreticis conversis *post erroris sui pœnitentiam honorem clericatus vel episcopatus non ablatum* tradit, non de publica pœnitentia, quæ cum manuum impositione jungebatur, intelligenda sunt, sed de secreta, qua interioris compunctionis et necessariæ conversionis signa produntur.

Quod si aliquando clerici lapsi et ad unitatem redeuntes, non solum a suo gradu fuerunt exclusi, verum etiam subjecti fuerunt, æque ac laici, pœnitentiæ publicæ, ut S. Cypriani aliaque nonnulla testimonia innuunt; præterquam, quod id peculiare quorumdam locorum ac temporum fuit, numquam tamen invenietur, clericos ob crimen aliquod a suo gradu non dejectos nec dejiciendos publicam pœnitentiam subiisse : ac propterea cum de his Rustico inquirenti Leo responderit, jure *alienum* dixit ab ecclesiastica consuetudine ut hi *per manuum impositionem remedium accipiant pœnitentiæ.*

Hanc porro disciplinam, qua clerici suum gradum custodientes pœnitentia publica non plectebantur, originem ducere a traditione apostolica, qua clericos irreprehensibiles esse oportere, et ab omni nota ac infamia alienos, S. Paulus aperte tradidit, ipse Quesnellus fatetur.

His, quibus ab Ecclesiæ disciplina *alienum semper* fuisse affirmavimus clericos alicujus criminis reos manuum impositione seu per publicam pœnitentiam recipi, duo opponi videntur ex concilio Nicæno. Primum est canon ejusdem synodi octavus, quo statutum fuit ut Cathari impositionem manuum accipientes in clero manerent. Alterum est synodica Nicæna apud Theodoretum, qua concessum fuit ut qui a Meletio fuerant ordinati, impositione manuum firmati in suo gradu reciperentur. Sed cum in his Græcæ locutionis formulæ æquivocationi locum dedere, tum vero, si recte explicentur, hæc testimonia nihil officient. Utrobique sane manuum impositio exprimitur. Sed

Digitized by Google

ecclesiastica, immo ex apostolica traditione arcessit, benigne intelligendum est; nec enim de hac traditione quidquam uspiam apparet, cum potius tribus fere primis sæculis clericos etiam majores pœniten-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

Græca formula χειροτονία triplici sensu usurpatur, eo quod triplici occasione manus imponerentur, nimirum in chrismate, in ordinatione et in pœnitentia. Ubi autem sensus est multiplex, ille procul dubio in casu nostro eligendus est, qui communi ejus ætatis disciplinæ aliis testimoniis firmatæ haud contradicat. Porro cum alienum esset, ut vidimus, eos quibus manus impositæ fuerant in pœnitentiam, in clerum recipere; illud profecto sequitur manuum impositionem laudatis Nicænæ synodi locis indicatam, in pœnitentiæ significationem accipi nequaquam posse. Non desunt qui explicent de sacramento confirmationis, quod Catharos repudiasse Theodoretus tradit. At præterquam quod nemo alius Theodoreto anterior id prodidit, cum idem error Meletianis, qui erant integræ fidei, et solo schismate dissidebant, tribui nequeat, hæc interpretatio ipsis non congruit. Restat ordinationis significatio. Sed duplici ratione idipsum intelligi potest, nimirum vel de ordinatione jam suscepta, vel de nova ordinatione suscipienda; Græca enim formula utrumque sensum recipere potest. Vetus interpres auctor ejus versionis quæ, ab Isidoro suscepta, Isidoriana vocari solet, secundum sensum expressit can. 8, de Catharis seu Novatianis, his verbis: *Si qui voluerint venire ad Ecclesiam catholicam ex Novatianis, placuit sancto concilio ut ordinentur, et sic maneant in clero.* Hanc eamdem significationem ex eadem Isidoriana versione suscepit auctor collectionis Quesnellianæ, canone apud ipsum 14. In vulgata quoque versione synodicæ Nicænæ tomo secundo Conciliorum inserta, de Meletianis eadem sententia exprimitur: *Illi vero, qui ab eo* (Meletio) *in sacrum ordinem lecti sunt, simul atque sanctiore ordinatione confirmati fuerint, ad communionem posthæc admittantur, et permittatur illis quidem honoribus frui, et sacris muneribus fungi*, etc. Id autem abhorret omnino a Nicænorum Patrum sensu, qui non minus sacros ordines quam baptisma extra Ecclesiam valide collatos, nec iterandos, cum catholica Ecclesia crediderunt. Igitur de ordinatione jam suscepta utrumque testimonium intelligendum est: ita ut eos qui ante sive ex Catharis, sive ex Meletianis sacra manuum impositione fuerant ordinati, in suo quemque gradu recipi placuerit. Sic nimirum ad litteram reddendus canon 8, de Catharis: *Placuit sanctæ et magnæ synodo, ut qui manuum impositionem acceperunt, sic maneant in clero.* In alia quacumque interpretatione, sententia est prorsus absurda. Cum enim inter Catharos non soli essent clerici antea ordinati, sed etiam laici; nisi hæc nostra significatio canoni aptetur, dicendum esset Nicænos Patres generatim statuisse ut quicumque ex Catharis ad Ecclesiam venirent, sive clerici, sive laici, ii *manuum impositione accepta*, sive in pœnitentiam, sive per confirmationem, sive per ordinationem, *sic manerent in clero:* quod sane tam est absurdum quam quod absurdissimum. Ut igitur generale Catharorum nomen initio canonis usurpatum Nicæni Patres restringerent ad solos clericos quorum receptioni dispensatione quadam erat providendum (de laicis enim nulla erat difficultas), adhibuerunt verba χειροθετουμένους αὐτούς, id est, *qui manuum impositionem*, seu ordines *receperunt;* et de his præcepere, *sic in clero maneant*, nulla alia ab iisdem conditione expetita, nisi ut antequam sic reciperentur, idoneam cautionem et professionem rectæ fidei præberent, ut in hæreticis recipiendis semper usitatum fuit. In hanc quidem significationem hunc canonem intellexisse videtur Rufinus, cum sic illum compendio exposuit can. 9, ut in novissima Veronensi editione emendatum invenies: *Et ut Catharos, qui apud nos Novatiani sunt, si forte pœnitentes ad Ecclesiam convertuntur, confessos ecclesiastica dogmata, clericos in ordine quidem suo recipi debere, sed in ordinatione data.* Viden' *data*, inquit, non *danda?* Similiter in versione Philonis et Evaristi ab Attico Constantinopolitano episcopo ad Afros missa Augustini tempore, can. 8: *Si aliquando venerint ad catholicam Ecclesiam Cathari, placuit sanctæ et magnæ synodo eos ordinatos sic manere in clero.* Expressius vero in nostram explicationem Ferrandus diaconus Carthaginensis in Breviatione canonum n. 172, sic canonem refert: *Ut hi qui nominantur Cathari, accedentes ad Ecclesiam, si ordinati sunt, sic maneant in clero.* De hac quidem interpretatione, quæ novam ordinationem excludit, et antea receptam tantummodo respicit, ne dubitare quisquam queat, sequens contextus ejusdem canonis, quo ipsorum Catharorum recipiendorum modus præscribitur, plane evincet: *Ubi ergo omnes sive in vicis, sive in urbibus ipsi soli inveniuntur ordinati, qui inveniuntur in clero, erunt in eodem ordine. Si autem catholicæ Ecclesiæ episcopo vel presbytero existente accedunt aliqui, clarum est quod Ecclesiæ quidem episcopus episcopi dignitatem habebit; qui autem apud eos qui Cathari dicuntur, nominatur episcopus, presbyteri honorem habebit, nisi utrique episcopo placeat ipsum nominis honorem impertire. Si autem hoc illi non placeat, vel chorepiscopi vel presbyteri locum excogitabit, ut esse omnino in clero videatur.* Ita versio Gentiani Herveti ex Græco, cui concinunt etiam interpretationes Philonis et Evaristi, Dionysii Exigui, nec non illa Quesnellianæ collectionis, ac ipsa Græca lectio. Non dicitur ut ordinentur, sed ut qui *inveniuntur ordinati* in eodem gradu maneant, si soli in eo loco sint. Alias diversimode iis providendum traditur pro diversitate circumstantiarum, ut nullum tamen indicium sit sacri ordinis iterandi.

Hæc autem cum scripsissemus, observare contigit annotationes Guilielmi Beveregii in can. 8 Nicæn. tom. II, pag. 67, ubi miratus Christophorum Justellum aliosque hunc canonem interpretatos de ea manuum impositione, qua hæretici in Ecclesiam catholicam antiquitus recipiebantur, nostram sententiam mirifice confirmat. *Patres enim*, inquit, *non de quibusvis, sed de solis clericis Novatianis, qui canonicam minimum ordinationem ante acceperant, per totum hunc canonem agunt, statuuntque ad Ecclesiam conversos in eodem clericatus gradu manere, quo inter Novatianos constituti fuerant; ut ex ipsis etiam canonis verbis rite perpensis elucescit. Hic enim de Novatianis decernitur:* Ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. *Quo autem referatur illud* οὕτως *nisi ad* χειροθετουμένους? *Et quomodo illuc referatur nisi* χειροθεσία *ista præcessisset? Neque enim ita in clero manere possunt, nisi prius in clero fuissent; neque prius in clero esse poterant, nisi* χειροθετούμενοι *essent; ac proinde hæc Novatianorum* χειροθεσία *ipsorum ad catholicam Ecclesiam conversionem præcedat necesse est, non sequatur.* Addit Balsamonem et Zonaram (adjice et Aristenum) hunc canonem eodem sensu fuisse interpretatos, et post recitata antecedentia Rufini verba, observat Græcam canonis vocem χειροθετουμένους apte ab ipso redditam *clericos*. Hæc de Nicæno canone.

Synodicæ porro Nicænæ Græca verba de Meletianis, τοὺς δὲ ὑπ' αὐτοῦ κατασταθέντας μυστικωτέρα χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας, κοινωνηθῆναι ἐπὶ τούτοις ἐφ' ᾧ τε ἔχειν μὲν αὐτοὺς τὴν τιμὴν καὶ λειτουργεῖν, sic reddimus: *Illos vero qui ab ipso* (Meletio) *constituti sunt* (in Ecclesiis) *sacra manuum impositione firmati, in communionem* (statuit) *recipiendos hac conditione ut honorem ipsi quidem habeant, et operentur sacra.* Voces nimirum μυστικωτέρα χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας ad antecedentia τοὺς δὲ ὑπ' αὐτοῦ κατασταθέντας, non autem ad sequentia verba referendæ sunt; ordinationemque jam antea acceptam indicant, qua a Meletio clerici in Ecclesiis constituti fuerunt. Cæteræ igitur interpretationes, quæ impositionem manuum æquivoco vel

Digitized by Google

tiæ **1596** publicæ fuisse subjectos multis probet Morinus. Familiare est Leoni nostro ut cum de apostolica traditione sermonem habet, de ea loquatur quam ab apostolo Petro Ecclesiæ Romanæ relictam putabat. Eam vero **1597** ex B. Petri traditione descendere existimavit, quæ et olim observata et decretis sancita inveniebat eorum Ecclesiæ suæ pontificum, quorum monumenta supererant illa ætate. Constat autem tum ex Dionysii collectione, **1598** qui præteritorum sedis apostolicæ præsulum constituta quanta valuit cura diligentiaque collegit, et quotquot a se reperta sunt digessit, tum etiam aliis argumentis probabile nullius pontificis Romani **1599** Siricio ætate superioris decreta in Ecclesiæ Romanæ scriniis reperta fuisse tempore Leonis pontificatum subsequente: ut facile crediderim istam traditionem a Siricio Leonem hausisse. Revera hujus decretum, quod supra retulimus, exscripsisse videtur Leo, ejusque formam a Siricio conditam esse putavit secundum prædecessorum suorum constituta ac disciplinam. Sed cum aliter usurpatum esse aliquando, etiam in Ecclesia Romana, deprehendamus, nec non in Africana tempore S. Cypriani, quo diversa non erat utriusque Ecclesiæ istius disciplina, indulgentius explicandus est S. Leo, qui cum *sine dubio ex traditione apostolica descendere* hunc usum asserere contentus sit, nulla alia niti se probatione prodit, quam ea consuetudine quam sua in Ecclesia a Siricii ætate ad sua usque tempora viguisse noverat.

Hac unica via Leonis verba cum aliorum testimoniis conciliari posse existimamus. Alia quippe responsa, quæ peremptoria vocat Morinus, pace doctissimi viri dixerim, satisfacere non videntur. Quod enim ait, eam consuetudinem ex apostolica traditione derivatam, clericos scilicet a manuum impositione ad pœnitentiam eximendi, ferventium persecutionum temporibus observari non potuisse; indeque evenisse ut publicæ quoque pœnitentiæ succubuisse legantur clerici per illam tempestatem, non video qua ratione cuiquam arridere possit. Econtra enim si adversa sententia probanda incumberet, ex traditione scilicet apostolica inductam esse hanc Ecclesiæ disciplinam, ut clerici pœnitentiæ publicæ non aliter ac laici adjicerentur; huicque sententiæ objiceretur, id tribus primis sæculis non fuisse observatum, recte mihi viderer respondere posse, intermissam hanc per turbulenta persecutionum tempora consuetudinem: multo enim facilius sævientibus tyrannis, Christianis omnibus vix mussitare audentibus, multo, inquam, expeditius tunc erat clericos lapsos suoque dejectos officio ad privatam secessionem pœnitentiamque compellere, quam solemni manuum impositione ad pœnitentiam publicam adigere, cinere cilicioque indutos omnium fidelium pedibus advolvere, per omnes denique circumducere luctuosæ satisfactionis **1600** gradus. Certe si ex persecutionum procellis quærenda est hujus difficultatis elucidatio, melius dicetur subjectos tunc fuisse lugubri huic ac publicæ pœnitentiæ Ecclesiæ ministros, ut tantæ tamque insolitæ clericis impositæ pœnæ metu a lapsu deterrerentur presbyteri et diaconi, quorum ut opera tunc maxime indigebant Ecclesiæ, ita et magna erat ubique penuria, et lapsus nocentior.

Alterum responsum a Morino allatum hoc est: clericos solummodo suspensos hac Leonis sententia comprehendi, et a pœnitentiæ publicæ necessitate eximi. Verum cuilibet paulo attentius pontificis verba legenti luce clarius apparebit ejus responsum generale omnino et nulla conditione, nulla restrictione definitum, omnes prorsus clericos complecti, omnes qui crimen aliquod admiserint, *pro crimine aliquo suo*. Ubi cum inter crimina nullum discrimen faciat, nullum etiam excipi credendum est; decernendumque clericos, sive ea quæ suspensione sola plectebantur commisissent, sive quæ depositione, numquam secundum Leonem ad pœnitentiam publicam adactos fuisse; immo nec ultro eam petentibus esse concessam: de his enim manifestum est agi in hac Leonis responsione, ut inquisitionis titulus testatur, quod et habent canones 4 Arausicani concilii, et 29 Arelatensis II, ad quos Rusticum respexisse pluries monuimus; immo et Syricius ipse, qui de concessione sola meminit, non de coactione ad pœnitentiam.

Quod de traditione apostolica diximus, idem de consuetudine ecclesiastica dicendum, quam vel ubique vigere et semper viguisse credidit S. Leo, vel ab omnibus Ecclesiis suscipiendam esse autumabat: ita ut quidquid aliter in aliis ageretur, hoc inter morum ac disciplinæ corruptelas numeraret. Aliter tamen res se habebat, ut vel solo hoc exemplo declaratur. Quod enim Romæ numquam ulli majoris ordinis clerico pœnitenti concedebatur, optime quidem et sapienter fiebat; sed quod Gallicani pœnitentiam desiderantibus clericis non negandam esse putabant, ut ex Arausicani I et Arelatensis II canonibus patet, culpandum profecto **1601** non erat: *Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, et pro eorum inter quos vivitur societate servandum est*, ut Augustinus habet epist. 118 ad Januarium.

Tertium, quod observandum venit in hoc capite, istud est, Leonem cum probare vellet clerico manum ad pœnitentiam imponi non debere, ad hoc adducere isthæc verba: *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo* (I *Reg.* II, 25)? Cujus ratio est, vel quod sacerdotum supplicationibus a peccatis solvi dicebantur pœnitentes; vel quia numquam sine oratione manus imponeretur, sive ad confirmationem, sive propter ordinationem, sive denique ad pœnitentiam. Quæ manus impositio cum ex se indifferens esset, aliquando honorifica erat, ut in ordinatione; aliquando humiliationi ac dejectioni publicæ conjuncta, ut in pœnitentia, ad quem effectum ex oratione determinabatur: et propterea a levitis et sacerdotibus, qui-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

alio sensu reddidere, ad hanc sententiam revocandæ sunt. Hinc sane Innocentius I, in epist. 17 ad Rufum, post allatum canonem 8 Nicænum de Catharis, his verbis: *Placuit sanctæ et magnæ synodo ut accepta manus impositione, sic maneant in clero*, ita aliis verbis eamdem sententiam effert: *A Novatianis aliisque hæreticis revertentes debere in suo ordine recipi*, quibus acceptum ordinem ratum innuens, novam ordinationem satis excludit. Nihil igitur ex laudatis Nicænorum Patrum decretis nostræ sententiæ opponitur. Immo multum cohærent hæc loca cum constanti disciplina Ecclesiæ, qua publicis pœnitentibus a clero exclusis, clerici ad Ecclesiam redeuntes cum idonea professione fidei recepti fuerunt sine pœnitentia publica, immo et sine illa manuum impositione, quam absque exactione rigidioris pœnitentiæ impositam memorat Vigilius papa epist. 2 ad Profuturum n. 4, quamque dum *imaginem pœnitentiæ* appellat Innocentius I epist. 24 ad Alexand. n. 4, non in clericis, sed in laicis tantum excipiendis adhibitam prodit. Præclare S. Gregorius lib. XI, epist. 67 ad Quiricum tres recipiendorum hæreticorum ritus describens, *Et quidem*, inquit, *ab antiqua Patrum institutione didicimus ut quilibet apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur*. Tertium ritum, quo *sola professio fidei* exigebatur, proponit S. doctor pro Nestorianis clericis, de quibus recipiendis cum Quirico agens, eosdem si rectam professionem exhibeant, servatis *eis propriis ordinibus*, inquit, *in suo cœtu recipiat*. Vides *solam professionem fidei*, eamque a manuum impositione ita distingui, ut qui *sola professione fidei* recipiebantur, iis manus nequaquam imponerentur?

Digitized by Google

bus manus alias imponendi jus erat, removebatur; ne sacerdotali dignitati contumelia hoc modo irrogari videretur, et eo magis, quod pœnitentes non ad cleri modo, sed ad laicorum etiam genua advolvebantur in pœnitentiæ suæ decursu.

8. *Lex continentiæ eadem est ministris altaris.* Inter ministros altaris subdiaconum censeri, patet ex epist. 12 (*nunc* 14), ad Anastasium Thessalonicens., cap. 3, ubi distinctius de ejus continentia disserit, de qua et nos ibidem aliqua. Hic solum observo, mirum satis videri eamdem a Leone dici legem continentiæ ministris altaris impositam, præsertim in Ecclesia Romana, cum et semper et lege divina ad illam obligatos episcopos et presbyteros velit Siricius papa; subdiaconi vero ad continentiam tenerentur et ex lege tantum ecclesiastica, et ea quidem quæ vix tunc primum in lucem prodibat. Quotquot enim ante S. Leonem, vel conciliorum canones, vel pontificum etiam Romanorum decreta promulgata fuerant, solos presbyteros et diaconos legi continentiæ subjectos esse declarant. Vide Siricium, epist. ad Himerium Tarracon., cap. 7 et 9; Innocentium I, epist. ad Victricium Rothomag., cap. 9, epist. ad Exuperium Tolos., cap. 1. Immo apud Gallicanas Ecclesias etiam Leonis temporibus nulli clerici, præter presbyteros et diaconos, continentiam profiteri jubebantur. Testis est Arausicana I synodus, can. 22: *Sedit præterea*, inquit, *ut deinceps non ordinentur diacones conjugati, nisi qui prius conversionis proposito professi fuerint castitatem.* Et can. 23: *Si quis autem post acceptam benedictionem leviticam cum uxore sua incontinens invenitur, ab officio abjiciatur.* Demum cap. 4: *De his autem qui prius ordinati hoc ipsum inciderunt, Taurinatis synodi sequendam esse sententiam, qua jubetur non ulterius promoveri.* Suffragatur Arelat. II can. 42, cujus etiam can. 45 statuitur ut *qui internupta et duplicata matrimonia inciderunt non ultra subdiaconatum ecclesiasticas* **1602** *capiant dignitates. Quod si facti forsitan sunt, ab ecclesiastico removeantur officio.* Andegavense pariter concilium, anno 452, can. 11, de Digamis vel viduarum maritis ad diaconii vel presbyterii gradum non admittendis decernens, nihil de subdiaconis statuit; quos proinde inter minoris officii clericos ad continentiam non obligatos censeri voluit. Hoc etiam notandum in can. 22 Arausicano, quod ait *ut deinceps non ordinentur*; quasi nova tunc fuerit hæc circa diaconos constitutio, quod innuere pariter videtur canon 24: cum enim hac levissima pœna, *ut non ulterius promoverentur*, eos diaconos mulctandos censeat, qui ante hanc constitutionem ordinati, postea cum uxoribus suis se miscuissent; eos vero qui *deinceps* consecrarentur abjiciendos velit, si id ipsum inciderint; indicium est hoc passim per Gallias usurpatum antea fuisse, ut diaconi continentiæ legem non tenerent, sive id ex corruptela descenderet, sive ex indulgentia episcoporum Gallicanorum propter penuriam ministrorum, quam bellorum calamitas induxerat, introductum fuerit. Certe tantum abest ut ad continentiam subdiaconi tunc coacti fuerint in Galliis, ut ægre admodum huic jugo colla submiserint diaconi ipsi: quod Gallicanos antistites impulit ut frequenter de illorum incontinentia querelas emiserint, et eamdem legem multoties renovaverint in synodis, ut in Turonensi I, anno 461, can. 1 et 2 (quæ quidem celebrata est Leone vix tum e vivis erepto), et Agathensi, anno 506, can. 9.

Aliquid tamen, licet non omnino expresse, habetur in concilio Venetico, anno 465, eodem Perpetuo Turonensi præside, qui et Turonensi I synodo præfuerat. Nam can. 11, qui 39 est in Agathensi, hæc habet: *Presbyteri, diacones, subdiacones, vel deinceps quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia.*

Verum, quod fatendum est, ut varia erat pro variis orbis regionibus in hac re disciplina, sic etiam intra Gallias ipsas pro diversis provinciis et Ecclesiis A varietas erat non minima, quam nobis ob oculos ponit brevis epistola SS. Lupi Tricassini et Euphronii Augustodunensis episcoporum ad Talasium episcopum Andegavensem, in qua incertam et fluctuantem tunc cernimus in Galliarum Ecclesiis continentiæ clericalis disciplinam, quod saltem subdiaconatum et inferiores ordines attinet (*Tom.* I, *Concil. Gall., an.* 461).

Qua in epistola quam exacte, quam distincte singula explicentur, non abs re erit propius intueri: tum quia utile admodum erit ad concilianda varia et interdum contraria canonum vel pontificum decreta, quæ pro temporum, regionum, Ecclesiarumque diversitate varia sunt; tum quia nullus est testis locupletior disciplinæ Gallicanarum hujus ævi Ecclesiarum, quam Lupus Tricassinus, *Pater patrum, episcopus episcoporum, alter sæculi sui Jacobus, qui de quadam specula charitatis, nec de inferiore Jerusalem tota Ecclesiæ Dei nostri membra superinspiciebat;* **1603** *dignus qui merito ab omnibus consuleretur, Petri apostoli collega, primus omnium toto qua patet orbe pontificum, cujus prærogativæ subjiciebatur, cujus censuræ adtremebat etiam turba collegii* episcopalis, *in cujus gravitatis comparationem ipsa etiam grandævorum corda pueruscebant, sanctorum utriusque ordinis* (monastici et pontificalis) *conclamatissimus primipilaris, norma morum, columna virtutum, junior magis quam minor Moyses, per quinquennia decem et amplius non æquævis sacerdotalibus tantum, verum et antiquis antelatus* (*Apollin. Synod. Epist. lib.* VI, *epist.* 1; *lib.* IX, *epist.* 11).

Tantum virum par est audire de clericorum continentia disserentem, distinguentemque quid in sua Trecensi ageretur Ecclesia, quid in Augustodunensi, quid in universa; quid ex consuetudine, quid ex necessitate, quid de facto institueretur; quid in votis haberet, quid in aliis laudaret, quid denique ipse non auderet. Ipsa hujus epistolæ verba describenda primum, tum per partes discutienda.

De clericis, inquit, *bigamis usque ad ostiarios Ecclesia permittit et patitur: et quam quis sacerdotum regulam pro districtione sua assumpserit, jure custodiet. Exorcistas vero aut subdiaconos a secundis nuptiis penitus excludit. Generationem vero filiorum ab his quos conjugatos assumimus, melius esset, si fieri possit, arceri: quos melius est non assumi, quam de his postea sub diversa sensuum varietate certari: cum melius sit omnes disceptationum causas excludi; ut qui non vult in clericatu generari, non constituat in altario conjugatos. Hæc pro consuetudine Ecclesiarum nostrarum, quarum una est regula, paginæ hujus sermone texuimus. Si quid vero pro honore Domini potest districtionis accrescere, etsi imitari non possumus, pro Domini honore laudabimus. Nam jam Ecclesiæ obsequiis aggregatos ad secundas nuptias transire non patimur: quos postquam assumpti fuerint, etiam a primis penitus arcemus, exorcistas dumtaxat atque subdiaconos. In Augustodunensi autem Ecclesia, vel ostiarius in imo officio constitutus, si uxorem aliam acceperit, ab officio penitus abdicatur. Subdiaconos autem ad pacem inter se in sacrario oportet accedere; in altario autem, non nisi dum porrigunt pallas diacano, aut suscipiunt quod refertur; ad pacem autem nequaquam eis permissum est. Si autem illius amentiæ fuerit vel exorcista, vel subdiaconus, vel etiam, sicut supra memoratum est, ostiarius, ut secundis se nuptiis illigarit, non solum ab officio, sed etiam a communione penitus arcetur.*

Hoc ergo primum ex ista epistola elicitur: Ecclesiæ permissione ac tolerantia clericos minores, usque ad ostiarios inclusive, bigamos esse posse; id est, et assumi posse ad ostiarii et ad infimorum officiorum gradus qui conjugati erant vel fuerant, clericisque in hujusmodi muneribus constitutis licuisse **1604** et uxorem accipere, et ad secundas nuptias convolare, et liberis etiam procreandis operam dare. Hic est sensus verborum istorum epistolæ: *De clericis vero bigamis usque ad ostiarios Ecclesia permittit et patitur.*

Digitized by Google

2° Exorcistis et subdiaconis eadem omnino permissa esse, uno excepto, ne videlicet ad secundas nuptias transirent. Sic enim ait : *Exorcistas vero aut subdiaconos a secundis nuptiis penitus excludit.*

3° Hanc Ecclesiæ permissionem ita sequi liberum fuisse episcopis, ut tamen arctiorem disciplinam in suam quisque Ecclesiam posset pro arbitrio suo inducere : *Et quam quis sacerdotum regulam*, inquit, *pro districtione sua assumpserit, jure custodiet.*

4° Optassent sancti episcopi numquam conjugatos assumi ad exorcistarum et subdiaconorum officium : quoniam difficillimum erat quin inde multæ disputationes orirentur in Ecclesia, dum vix intra certos limites coerceri posset matrimonii usus in his qui matrimonio juncti ad Ecclesiæ officia assumebantur.

5° Saltem vero generationem liberorum, si fieri possit, arceri cupiunt ab iis qui conjugati assumuntur. Utriusque hujus partis sensus his verbis continetur : *Generationem vero filiorum ab his quos conjugatos assumimus, melius esset, si fieri possit, arceri; quos melius est non assumi quam de his postea sub diversa censuum varietate certari : cum melius sit omnes disceptationum causas excludi; ut qui non vult in clericatu generari, non constituat in altario conjugatos.*

6° Hæc, quæ prius observari docuere, usu recepta fuisse asserunt in utraque sua Ecclesia Augustodunensi, in Lugdunensi I, et Trecensi in Senonia seu Lugdunensi IV. *Hæc*, inquiunt, *pro consuetudine Ecclesiarum nostrarum, quarum una est regula, paginæ hujus sermone texuimus.* Sed pro jure, quod supra unicuique episcopo in sua Ecclesia competere agnovit, quam voluerit regulam pro districtione sua assumendi, testatur uterque ille episcopus strictiorem purioremque disciplinam in suas Ecclesias a se fuisse invectam, cum aliquo etiam unius ab altera discrimine, saltem quantum ad pœnam iis qui contra irent infligendam.

7° In Ecclesia enim Trecensi hoc S. Lupus sanciverat, ne quisquam aliquo in ea ministerio initiatus secundis se nuptiis implicare sineretur : *Nam jam*, inquit, *Ecclesiæ obsequiis aggregatos ad secundas nuptias transire non patimur*; quod de ultimis etiam gradibus intelligendum est; ita ut primo eisdem uxorem accipere liceret; quoad exorcistas vero et subdiaconos, si qui ante omne conjugium in iis gradibus collocarentur, iis ne semel quidem nubere permisit : *Quos postquam assumpti fuerint, etiam a primis penitus arcemus, exorcistas dumtaxat atque subdiaconos.*

8° In Augustodunensi autem Ecclesia in hoc severior ab Eupbronio sancita erat disciplina, ut depositionis pœna multaretur etiam **1605** ostiarius, qui omnium ordinum ultimus, si secundam uxorem accepisset, exorcistam vero et subdiaconum, qui idem fecissent, non solum a suo officio, sed etiam a communione arcerent. *In Augustodunensi*, inquit, *Ecclesia vel Ostiarius in imo officio constitutus, si aliam uxorem acceperit, ab officio penitus abdicatur; si autem illius amentiæ fuerit, vel exorcista, vel subdiaconus, vel etiam, sicut supra memoratum est, ostiarius, ut secundis se nuptiis alligarit, non solum ab officio, sed etiam a communione penitus arcetur.*

An vero illis quos hic vel a primis vel a secundis nuptiis prohibet, uxoribus quas ante ordinationem acceperant uti facultas erat relicta? Ita fuisse existimo, quemadmodum etiam ex Venetico et Agathensi canonibus supra laudatis habetur : quorum conciliorum Patres, exemplo proculdubio sanctorum Lupi et Eupbronii accensi, arctiores continentiæ leges altaris ministris præscripserunt, et ad eam disciplinam propius accedere cœperunt quam in Ecclesia Romana Leonis nostri temporibus viguisse videmus; a qua tamen adhuc in multis discrepabant, ut vel ex hac sancti Lupi epistola intelligere licet, si cum ista ad Rusticum, et aliis ad Anastasium Thessalonic., ad Italiæ episcopos, et ad Viennenses, conferatur. In quarum ultima, cap. 3, clericos etiam in minoribus officiis residere non patitur, qui fuerint plusquam unius uxoris viri.

Laxiorem porro disciplinam illam, qua, ut memoravimus, subdiaconi permittebantur uxoribus propriis commisceri, et corruptelam quæ ante Arausicanæ synodi primæ et Arelatensis II canones Ecclesias Gallicanas pervasisse videtur, ut diacones aliquando ordinarentur non ante professi conversionis seu continentiæ propositum, non ex morum solummodo corruptione, aut episcoporum negligentia descendisse putaverim, sed ex synodorum Orientalium canonibus, quibus (*a*) Gallicanus canonum codex ex parte compositus erat, quos inter Ancyranus 10 diaconum qui ordinationis tempore continentiam promittere noluerat ad nuptias sinebat transire, nec propterea gradum auferebat. Romana disciplina longe purior ac traditioni magis conformis, continentiæ legem diaconis semper indixerat; nec receperat Ancyranum canonem 10, nisi eum corrigendo et ad suum usum accommodando, ut in dissertatione ad antiquum nostrum Romanæ Ecclesiæ codicem diximus.

9. *Nec dimittere uxores.* Canon apostol. hoc vetat : *Episcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat; si vero rejecerit excommunicetur; sed et si perseveraverit, dejiciatur.* Huic Orientalis Ecclesiæ decreto concinunt plures Latinæ constitutiones, quibus tamen **1606** cautiori consilio provisum est ne clericus majoris ordinis conjugatus cum uxore in eadem domo habitet, nisi *sequestrato mansionis cubiculo, religione præmissa* (vel *promissa*), ut habet conc. Agathensis can. 16, postea quam pariter conversi fuerint.

10. *Christi et Ecclesiæ sacramentum.* Cur irritum sit matrimonium ingenui cum serva seu ancilla, non una afferri solet ratio, ea vero, quam ex ipsius sacramenti significatione repetit sanctus Leo, nescio an satis attendi soleat. Quod scilicet, præter voluntariam sexuum conjunctionem, necesse sit ut habeant matrimonia Christi et Ecclesiæ sacramentum; ut enim Christus liberam duxit Ecclesiam, seu ducendo

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Gallicani canonum codicis nomine Quesnellus ea suo sensu intelligit codicem, ut alibi appellat, *auctoratum*, qui a Gallicana Ecclesia receptus, apud Gallos auctoritatem haberet. Nullus autem ejusmodi codex canonum nobis innotuit. Solum codex Vat. Palat. 574 similis Morbacensi, quem P. Constantius aliique laudant, collectio est in Galliis compacta ante medium sæculum sextum, quippe quæ præter Nicænos et Sardicenses, solos canones conciliorum Galliæ complectitur. Ancyranos canones cum cæteris Græcis ignorat. In concilio etiam inscripto in vulgatis Arelatense secundum, quod est canonum collectio facta sub S. Cæsario Arelatensi eodem sæculo VI ineunte, nulli canones ex Græcis allegantur nisi Nicæni. Quod si qui codices apud Gallos continebant Latinam versionem aliorum canonum synodorum Orientis, privati erant studii, non publicæ auctoritatis. Codicem porro Romanæ Ecclesiæ, quem Quesnellus laudat, non esse Romanum, et Romanam quidem Ecclesiam non alios olim recepisse canones nisi Nicænos et Sardicenses, tom. III demonstrabimus. Idem Quesnellus hæc aliquando pervidit, et non obscure confessus est, cum dissert. 11, n. 6 scripsit : *Numquam a Romanis pontificibus Leoni vel æqualibus vel anterioribus alios canones citatos legimus præter Nicænos, vel Sardicenses pro Nicænis habitos ... nec particularium synodorum decreta* (Græcorum canones ex contextu intelligit) ..... *ante Chalcedonensem synodum apud plerasque Occidentalium partium Ecclesias in auctoritate recepta sunt.* Inanis est igitur Quesnelli conjectura, qua hoc loco laxiorem corruptelam in Galliis circa diaconorum continentiam ex Ancyranis canonibus Gallicano codici insertis derivasse existimat.

Digitized by Google

et redimendo liberam fecit, ejusque filii hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi facti sunt in hujus divinæ personæ societatem, et aliqua unigeniti jura asciti; ita necesse est ut mulier libera sit dum assumitur in uxorem, vel libera reddatur dum a sciente assumitur et redimitur : *Ingenua facta et dotata legitime, et publicis nuptiis honestata*, ut alias Leo. Quantum ad hanc *publicarum nuptiarum* conditionem, videtur eam necessarie requirere S. pontifex, ut rata sint et valida matrimonia : quod maxime favet nonnullorum doctissimorum juris canonici peritorum, qui clandestina matrimonia semper invalida irritaque fuisse autumant. Verum cum sacrosancta Tridentina synodus ea rata et vera fuisse censuerit, quamdiu ea Ecclesia irrita non fecit, satius est Leonis verba intelligere de solis ancillarum matrimoniis quæ non nisi publicarum nuptiarum solemnitate possint honestari et in libertatem vindicari. Vide sanctum Augustinum, de Bono Conjugali cap. 5, multo pauciora ad veras nuptias requirentem, tametsi dubitans loquatur. Porro quod de concubinis hoc capite dicitur, in malam partem accipiendum non est, sed de iis concubinis quarum usus tunc temporis licitus erat; quæque velut uxores erant, quamquam nec dotalibus instrumentis, nec solemniter ductæ, nec ingenuæ factæ, sed adhibitæ ad tempus maritali affectu, procreandorum liberorum causa. Ne materiem multorum tractatibus versatam inutiliter retractem, adeundi commentarii novi Emanuelis Gonzalez JC. in concilium Illiberitanum, cap. 8, subjecti antiquioribus Mendozæ Commentariis, ubi contrariam hujus sententiam refutat ille, expenditque fusius in quibus concubinatus hujusmodi et matrimonium vel conveniant vel discrepent.

11. *Paterno arbitrio*, etc. Membrum hoc cum præcedenti connectitur, non solum in collectionibus Dionysii Exigui, cap. 18, Isidori, Gratiani, 32, q. 2, *Non omnis mulier*, Burchardi et Yvonis; sed etiam in mss. codd. Corb., Grim., Victor. et quatuor **1607** Thuaneis. Unicum Thuaneum cum Barberiniano, Trecopithœano et Cantabrigensi secuti sumus, ut cum Sirmondo ejusque codicibus mss. distinctum caput faceremus, quoniam id res ipsa exigit : præcedenti enim capite de solis clericis filias tradentibus ad nuptias agitur; isto, de quavis fideli puella paterno arbitrio viro concubinæ prius conjuncto tradita. Hæc verba : *Quia aliud est nupta, aliud concubina*, quæ claudunt responsum ad inquisitionem 5, inchoant in Barber. inquisitionem 6, non malo sensu.

12. *Culpanda est sane*, etc. Apud eosdem collectores mox laudatos hoc caput cum superiori conjungitur : quibus et iidem mss. concinunt, exceptis Thuan. 1, Trecopith., Barber. et Cantabr. Latum materiæ discrimen distinguenda esse capita satis eloquitur. Immo sine distincto inquisitionis titulo hoc caput intelligi nequaquam potest.

13. *Horum causa*, etc. Jam indicavimus supra hunc Ecclesiæ Romanæ morem ab aliis plerumque Ecclesiis servatum non fuisse. De Carthaginensi testis concil. IV, si genuinum est, can. 74 : *Pœnitentes vero qui leges pœnitentiæ attente exsequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non potest, memoria eorum et oblationibus et orationibus commendetur*. De Gallicana testatur Vasensis I canon. 2, supra descriptus. De Hispanica, Toletana synodus, quæ dicitur undecima, an. 675 congregata, quamque authenticam vocat Innocentius, PP. in epistola ad Petrum Compostellanum. *De his autem*, inquit canon 12, *qui accepta pœnitentia, antequam reconcilientur ab hac vita recesserint, quamquam diversitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nos sententias placuit sequi, qui multiplices numero de hujusmodi humanius decreverunt; ut et memoria talium in Ecclesiis commendetur, et oblatio pro eorum dedicata spiritibus accipiatur*. Ubi synodus 16 (*a*) authentica Carthaginenses Gallicanosque antistites Leoni præferendos censet, quia multiplices numero : quemque in eodem canone secuta est definientem in epist. ad. Theodorum Forojul. non denegandam reconciliationem in periculo mortis, ab eo discedit cum in eadem epistola edicit mortuis in pœnitentiæ decursu communicandum non esse.

14. *Melius expetit ecclesiasticum quam forense judicium*. Quandoquidem hanc Leo ita optionem dat pœnitentibus, **1608** ut etiam magis approbet, si relicto sæculari judicio ad ecclesiasticum confugiant qualibet de causa, argumentum est etiam tum viguisse leges, quibus ab imperatoribus Constantino, ut testatur Sozomenus, lib. I, cap. 9, et ab Honorio data est episcopis potestas judicandi inter litigantes christianos etiam laicos vel pro rebus temporalibus.

15. Inquisit. 13. *De his qui post pœnitentiam uxores accipiunt, vel concubinas sibi conjungunt*. Videtur hæc Inquisitio ex can. 21 concil. Arelat. II nata; nisi quod hic de secundis tantum nuptiis et illicita commixtione est, sanctus autem Leo etiam a primis nuptiis excludit pœnitentes, in eo, ut in cæteris, minus quam Galli nostri indulgens.

16. *Virginitatis propositum*. Manifeste duo distinguit S. Leo, *propositum* cum habitu conjunctum, et *consecrationem*. Propositum erat vel solemne, per ingressum monasterii; vel privatum, per susceptionem virginalis habitus in propria domo, quod a puella duodenni præstari poterat : consecratio vero ante annum ætatis quadragesimum ne fieret sancivit Leo. *Hic quoque constituit*, inquit liber de Romanis Pontificibus, *ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate annis quadraginta*. Idem edixit Majorianus imperator an. Ch. 458, hortatu, ut par est credere, sancti Leonis : eodem edicto vetans ne quis filias invitas ad sacrum velum accipiendum cogeret. Idem tempus annorum 40 virginibus ante consecrationem probandis præscripsit Agathense concil. can. 19, cui præiverat Chalcedonense can. 15, idem de diaconissis statuens. Quam pœnam virgines a proposito resilientes sustinerent, non dicit sanctus Leo. Innocentius I eas aliquanto tempore debere pœnitentiam agere scribit in epistola ad Victricium Rothomagensem; eam autem, quæ et consecrationem nubendo violasset, pœnitentiæ post mortem mariti esse subjiciendam. Vide Ancyranum, can. 19. Consecratio vero ista solemnis nec ab alio quam ab episcopo, nec nisi majoribus solemnitatibus fieri debebat. Solis diebus Epiphaniorum, vel in Albis paschalibus, vel in natalitiis apostolorum dari sacrum velamen præcipit Gelasius papa epist. ad episcopos Siciliæ, Lucaniæ et Brutiorum. Liberius PP. Marcellinam sancti Ambrosii sororem,

BALLERINIORUM ANNOTATIONES

(*a*) Innocentius III, in epistola ad Petrum Compostellanum, ex hujus verbis non Toletanam, sed Emeritensem synodum *authenticam* eo sensu appellat, ut eam sinceram, seu non spuriam ostenderet : idque probavit ex collectione Hispanica, sive ex libro canonum apud Hispanicos recepto, *quem*, inquit, *Alexander papa per interlocutionem authenticum approbavit*. In re autem non præcepta omnibus, in qua diversa erat Ecclesiarum disciplina, nihil mirum si Toletanis Patribus Carthaginensium et Gallorum disciplina magis placuit. Vide autem ne hinc suspiceris Hispanos horum uti plurium auctoritatem prætulisse auctoritati Romanorum pontificum, quam semper maximi fecisse pluribus documentis liquet. Neque enim hic auctoritatis cum auctoritate comparatio fuit, sed præ rigidiori disciplina mitioris electio, in qua idcirco multorum exempla Toletani Patres allegarunt, ne relaxationem antiqui rigoris ipsi primi inducere viderentur.

Digitized by Google

aliasque virgines Deo consecravit **1609** in ipso Domini Natalitio, ad easque sermonem habuit, quem sanctus Ambrosius exscribit lib. III de Virginibus.

17. In omnibus editis exemplaribus sequitur hoc capitulum, quod etiam apud Gratianum 20, q. 1, reperitur.

Ambigi vero non potest crimen magnum admitti, ubi et propositum deseritur et consecratio violatur : nam si humana pacta non possunt impune calcari, quid eis (eos) manebit qui corruperint fœdera divini sacramenti?

Verum desideratur pars hæc integra in mss. codd. Griman., Barb., Victor., Trecopith., Navarrico et tribus Thuaneis, nec non apud Dionysium Exiguum, Burchardum et in Isidori collectione edita Parisiis an. 1524 et 1535, cura Margarini de la Bigne : ut dubium non sit hæc (*a*) vel Gratiani verba esse, vel alicujus studiosi, qui cum animadverteret in Leonis decreto de solis puellis agi, quæ propositum virginitatis emiserunt, ex inductione quid de consecratis statuendum esset, ad marginem annotavit, quod postea irrepsit in textum per scribarum imperitiam. Et certe hominem arguit ratiocinantem potius quam definientem pannus iste, nec a pontifice cum potestate loquente descendere videtur. In aliquibus exemplaribus unicum cum præcedenti caput componit, ut apud Gratianum et Sirmondum, qui inquisitionem huic respondentem nullam invenit : in aliis pro distincto capitulo habetur, ut in vulg. edit. et in mss. Thuan. duobus, et Cantabr. Cæterum ratio illa ex divini pacti sacramento petita, desumpta videtur ab auctore ex epistola Innocentii I, ad Victricium Rothomagens. cap. 13.

18. *Cujus fidei fuerint qui eos baptizaverunt*, etc. Eamdem definitionem habet Leo noster epist. 135 (*nunc* 166), cap. 2, et epist. 129 (*nunc* 159), cap. 7, ubi cum a quocumque hæretico baptizatum denuo baptizari vetet, cave ne Paulianistas, quorum baptisma irritum proclamavit Nicæna synodus, idoneis ab eo baptizatoribus accenseri putes. Paulianistæ enim, ut dicit Innocentius I, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti minime baptizabant :* ac proinde eorum baptisma (et si qui alii in nomine Trinitatis non tingebant) baptisma non erat : quia *formam baptismatis*, quam hic, *quolibet modo*, acceptam Leo supponit, non usurpabant. *Quis enim nesciat*, inquit Augustinus, lib. VI de Bapt. contra Donat., *non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?* Indiscrete tamen loquitur sanctus Leo, quoniam indiscrete plerumque locuti sunt alii sancti Patres : et quia *facilius inveniuntur* **1610** *hæretici, qui omnino non baptizent* (quod loco mox laudato ait Augustinus) *quam qui non illis verbis baptizent.*

19. *Possunt jejuniis et manus impositione purgari.* Vides hic (*b*) aliquid medium inter pœnitentiam publicam et solam manuum impositionem seu confirmationem. Per hanc solam catholicis copulabantur, qui ab hæreticis infantes baptizati erant, ut cap. præcedenti decernitur. Pœnitentiæ publicæ laboribus subjiciebantur, et ita ad communionem admittebantur ii qui, cum a catholicis baptizati et a gentilibus adhuc parvuli capti essent, idololatria, vel homicidiis, vel fornicationibus sese apud illos polluerant. Si vero iidem convivio gentilium solummodo et escis immolatitiis usi fuerant, nec pœnitentia publica multabantur, quoniam hoc ab eis adhuc juvenibus, in infantia raptis, quid agerent ignorantibus, et fame coactis admissum fuerat : nec item per manus impositionem, invocata virtute Spiritus sancti, seu per confirmationem : quia a catholicis baptizati, ab iisdem pariter Spiritus sanctificationem acceperant : sed *jejuniis et manus impositione* purgabantur. Hanc enim impositionem manus, nec de pœnitentia publica, nec de confirmationis sacramento intelligendam esse, planum mihi esse videtur ex contextu capitis et ex ipsa Inquisitione.

Aliquid severioris disciplinæ habere videtur idem Leo noster in epistola 129 (*nunc* 159), ad Nicetam Aquileiensem cap. 5, ubi hujusmodi cibis immolatitiis pollutos pœnitentiæ satisfactione purgari præcipit, sive hoc terror extorserit, sive fames suaserit : sed discrimen in pœna est, quoniam et in peccantibus erat : ibi enim de adultis et grandævis agitur. Adde quod non tamquam ex canonum auctoritate loquitur sanctus Leo, sed quasi ex proprio sensu : *Credidimus*, inquit (unde vel de publicæ pœnitentiæ satisfactione non loquitur, vel eam ex episcopi prudentia et arbitrio moderationem adhiberi vult), ut *non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione pensetur : cum hujusmodi cibus pro metu, aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumptus.*

Quod vero juniores illos *jejuniis et manus impositione* purgari mandat, etiamsi vix inter minima peccata numeranda videantur quæ admiserant, non mirabitur qui apud Augustinum (*Hom.* 50, *de Pœnit.*) legerit, quod *pro quotidianis peccatis etiam sacrificia eleemosynarum, jejuniorum, et ipsarum orationum ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cessat.* Nec difficultatem debet facere, quod de manus impositione mentionem facit, eo ipso enim confirmatur quod diximus : quia cum **1611** manus impositio solitarie ponitur, nullum significat sacramentum, multoque minus confirmationem; sed solummodo orationes et supplicationes manuum impositioni conjunctas, juxta illud ejusdem Augustini (*Lib.* I *de Bapt. con. Donat. c.* 10) : *Manus impositio, non sicut baptismus repeti potest. Quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?* Unde in hac ipsa epistola Leonis ad Rusticum inquis. 2, cum probare vellet clericos non debere pœnitentiam publicam accipere *per manus impositionem*, per quam luctuosum illud stadium dedicari solebat, adducit hæc Scripturæ verba : *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo?* I Reg. II, 25.

Postremo monebo per mediam illam pœnitentiam seu pœnitentiæ umbram, quam hic commemorat sanctus Leo, lucem afferri illis Innocentii I PP. verbis, quæ video a multis in alienos sensus detorqueri. ARIANOS, inquit, *laicos conversos ad Dominum* SUB IMAGINE PŒNITENTIÆ *ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus.* Quod enim hic imaginem pœnitentiæ appellat, idipsum esse arbitror quod sanctus Leo jejuniis et manus impositione comprehendit : quæ pœnitentia, si cum illis omnibus laboriosis pœnitentiæ gradibus conferatur, qui passim in usu erant in reconciliatione peccatorum, imago potius et umbra pœnitentiæ merito dicitur, quam pœnitentia. Etsi enim in illa publice credendum est impositam esse manum a supplicantibus sacerdotibus, publicæ tamen pœnitentiæ nomine non decorabatur, quia ab omni **1612** illa publice humilificandi disciplina immunis erat. Hujusmodi tenuem et mediam pœnitentiam susceptam esse videmus 1° ab iis adultis qui ad baptismi sacramentum et consecrationem sese accingebant, de qua sanctus Augustinus homil. 50 citata, ubi tres actiones pœnitentiæ recenset, quarum hæc prima est, *quæ*, inquit, *novum hominem parturit, donec per baptismum salutare omnium præteritorum fiat remissio peccatorum;* 2° ab iis de quibus Innocentius I, qui ab Arianis conversi per confirmationis sacramentum in catholica suscipiebantur : ad hanc enim sanctificationem spiritus sese per jejunia et orationes disponebant; 3° ab iis qui e captivitate re-

BALLERINIORUM ANNOTATIONES.

(*a*) Hoc additamentum vetustius multo quam Gratianus, ostendimus annot. 76 (*Col.* 1207, *n.* k) in præsentem epistolam.

(*b*) Videsis nostram annot. 25 (*Col.* 1138, *n.* q) in epist. 159, ubi germanus Leonis sensus exponitur, et quid in sequentibus Quesnelli conjecturis approbandum sit, satis exinde cognoscetur.

Digitized by Google

gressi, in qua immolatitiis se cibis contaminarant, sacramentorum Christi cupiebant esse participes, quorum illis prius communio non concedebatur, quin jejuniis, orationibus sacerdotalibus et manuum impositione purgati essent. Porro cum manuum impositionem hic lego, vix mihi tempero quin ad secretæ confessionis et sacramentalis absolutionis, ut hodie fit, ritum oculos mentis conjiciam : prodo suspicionem, sed nihil assero.

Antequam his observationibus finem imponam, operæ pretium est indicare nonnulla ex hujus epistolæ præfatione translata esse ad prologum fictitii rescripti Marci papæ ad Athanasium : aliqua etiam ex inquis. 13 in epistolam Julii papæ ad Orientales in causa ejusdem Athanasii. Alia sunt forsan in aliis Isidori pseudo-epistolis.

MONITUM.

Quesnelli observationem in epistolam apud ipsum 9, *ad episcopos Gallicanos Viennensis provinciæ, quam inter supposititias rejecimus, insertam invenies in admonitione eidem epistolæ præmissa. tom.* I, *col.* 1465 (*Supra. col.* 1235), *ubi nostras animadversiones adjecimus.*

INDICES

IN HUNC TOMUM I OPERUM S. LEONIS.

ORDO NOVUS SERMONUM S. LEONIS

Cum antea vulgato comparatus.

Ordo novus	Ordo Quesn. ed.	TITULI SERMONUM.		Col.
I	1	De Natali ipsius sermo.	I,	141
II	1	De Natali ejusdem.	II,	142
III	2	De eodem Natali	III	144
IV	3		IV	148
V	4		V	153
VI	5	De Collectis	I	157
VII	6		II	159
VIII	7		III	159
IX	8		IV	160
X	9		V	163
XI	10		VI	166
XII	11	De Jejunio decimi mensis	I	168
XIII	12		II	172
XIV	13		III	173
XV	14		IV	174
XVI	15		V	176
XVII	16		VI	180
XVIII	17		VII	182
XIX	18		VIII	185
XX	19		IX	188
XXI	20	De Nativitate Domini	I	190
XXII	21		II	193
XXIII	22		III	199
XXIV	23		IV	203
XXV	24		V	208
XXVI	25		VI	212
XXVII	26		VII	216
XXVIII	27		VIII	221
XXIX	28		IX	226
XXX	29		X	229
XXXI	30	In Epiphania Domini	I	234
XXXII	31		II	237
XXXIII	32		III	240
XXXIV	33		IV	244
XXXV	34		V	249
XXXVI	35		VI	253
XXXVII	36		VII	257
XXXVIII	37		VIII	260
XXXIX	38	De Quadragesima	I	263
XL	39		II	267
XLI	40		III	272
XLII	41		IV	274
XLIII	42		V	281
XLIV	43		VI	283
XLV	44		VII	288
XLVI	45		VIII	291
XLVII	46		IX	294
XLVIII	47		X	297
XLIX	48		XI	301
L	49		XII	305
LI	94	Homilia habita sabbato ante secundum Dominicam quadragesimæ, de Evangelio secundum Matthæum : *In illo tempore* assumpsit Jesus Petrum		308
LII	50	De Passione Domini.	I	313
LIII	51		II	317
LIV	52		III	318
LV	53		IV	322
LVI	54		V	325
LVII	55		VI	328
LVIII	56		VII	331
LIX	57		VIII	337
LX	58		IX	342
LXI	59		X	346
LXII	60		XI	349
LXIII	63		XII	353
LXIV	61		XIII	357
LXV	64		XIV	361
LXVI	62		XV	364
LXVII	65		XVI	368
LXVIII	66		XVII	372
LXIX	67		XVIII	375
LXX	68		XIX	380
LXXI	69	De Resurrectione Domini	I	385
LXXII	70		II	390
LXXIII	71	De Ascensione Domini	I	394
LXXIV	72		II	396
LXXV	73	De Pentecoste	I	400
LXXVI	74		II	404
LXXVII	75		III	411
LXXVIII	76	De Jejunio Pentecostes	I	415
LXXIX	77		II	418
LXXX	78		III	420
LXXXI	79		IV	420
LXXXII	80	In Natali apostolorum Petri et Pauli		423
LXXXIII	*App.* 4.	In Natali S. Petri apostoli		429
LXXXIV	81	In Octavis apostolorum Petri et Pauli		433
LXXXV	83	In Natali S. Laurentii martyris		434
LXXXVI	84	De Jejunio mensis decimi	I	437
LXXXVII	85		II	438
LXXXVIII	86		III	441
LXXXIX	87		IV	444
XC	88		V	447
XCI	89		VI	450
XCII	90		VII	453
XCIII	91		VIII	456
XCIV	92		IX	458
XCV	95	De Gradibus ascensionis ad beatitudinem		460
XCVI	93	Tractatus contra hæresim Eutychis		466

APPENDIX.

I	*Append.* 5.	Tractatus adversus errores Eutychis et alior. hæret.		477
II	*Append.* 2.	In Nativitate Domini		487
III	*Abest.*	De Quadragesima	I	488
IV	*Abest.*		II	490

Digitized by Google

Ordo novus.	Ordo Quesn. ed.	TITULI SERMONUM.	Col.
V	*Abest.*	De Passione Domini I	491
VI	*Abest.*	II	492
VII	*Abest.*		493
VIII	*Abest.*	De Resurrectione Domini I	495
IX	*Abest.*	II	497
X	*Abest.*	III	499
XI	*Append.* 5.	In Ascensione Domini	499
XII	*Abest.*	De Sanctissima Trinitate	500
XIII	*Append.* 1.	In Natali S. Vincentii martyris	501
XIV	96	In Cathedra S. Petri, suppletus ex codd. Vat	505
XV	*Abest.*	In Annuntiatione B. V. Mariæ	508
XVI	*Abest.*	In Natali SS. apostolorum Petri et Pauli	511
XVII	*Abest.*	In Natali B. Pauli apostoli	512
XVIII	*Abest.*	De S. Petro, quomodo de carcere eductus est	515
XIX	82	In Natali SS. septem fratrum Machabæorum	517
XX	*Abest.*	De Transfiguratione Domini	520

ORDO NOVUS EPISTOLARUM S. LEONIS

Cum antea vulgatis comparatus.

Ordo novus.	Quesnellian.	Ante Quesn.		
I.	6	86	Ad Aquileiensem episcopum.	593
II.	7	85	Ad Septimum Altini episcopum	597
III.	*post epist.* 2.	*post epist.* 63	*Paschasini ep. Lilybætani ad Leonem papam.*	606
IV.	3	1	Ad episc. per Campaniam, Picenum et Tusciam provincias constitutos.	610
V.	5		Ad metropolitanos per Illyricum	614
VI.	4		Ad Anastasium Thessalonicensem.	616
VII.	8	2	Ad universos per Italiam episcopos.	620
VIII.	*post epist.* 8.		*Novella Valentiniani Aug. contra Manichæos.*	622
IX.	11	81	Ad Dioscorum Alexandrinum episcopum.	624
X.	10	89	Ad Viennensis provinciæ episcopos.	628
XI.	*post epist.* 10.		*Novella Valentiniani Aug. adversus S. Hilarium.*	636
XII.	1	87	Ad episcopos Mauritaniæ Cæsariensis.	645 *et* 656
XIII.	13		Ad metropolitanos Illyrici.	665
XIV.	12	84	Ad Anastasium Thessalonicensem.	666
XV.	15	93	Ad Turribium Asturicensem de Priscillianistis.	677
XVI.	16	4	Ad episcopos Siciliæ.	695
XVII.	17	104	Ad eosdem Siculos.	703
XVIII.	14	3	Ad Januarium Aquileiensem.	706
XIX.	18	5	Ad Dorum Beneventanum.	709
XX.	19	6	Ad Eutychem CP. abbatem.	713
XXI.			*Eutychis ad S. Leonem epistola nunc primum inserta.*	715
XXII.	*post epist.* 33.	*post epist.* 8	*Flaviani episcopi Constantinopolitani ad S. Leonem.*	723 *et* 727
XXIII.	20	8	Ad Flavianum CP.	731
XXIV.	21	7	Ad Theodosium Augustum.	735
XXV.	*post epist.* 23.		*Petri Chrysologi episcopi Ravennatis ad Eutychem.*	739
XXVI.	*post epist.* 21.	*post epist.* 6	*Flaviani CP. episcopi ad S. Leonem.*	743 *et* 749
XXVII.	22		Ad Flavianum CP.	751
XXVIII.	24	10	Ad eumdem Flavianum.	755
XXIX.	26	12	Ad Theodosium Aug.	781
XXX.	30	18	Ad Pulcheriam Augustam.	785
XXXI.	27	13	Ad eamdem Pulcheriam.	789
XXXII.	28	14	Ad Faustum, Martinum et alios archimandritas CP.	795
XXXIII.	29	15	Ad synodum Ephesinam.	797
XXXIV.	31	19	Ad Julianum Coensem episcopum.	801
XXXV.	25	11	Ad eumdem Julianum.	803
XXXVI.	32	16	Ad Flavianum CP.	809
XXXVII.	33	17	Ad Theodosium Augustum.	811
XXXVIII.	34	20	Ad Flavianum CP.	812
XXXIX.	35	21	Ad eumdem Flavianum.	813
XL.	36	106	Ad episcopos Arelatensis provinciæ.	814
XLI.	37	90	Ad Ravennium Arelatensem.	815
XLII.	38	107	Ad eumdem Ravennium.	816
XLIII.	39	24	Ad Theodosium Augustum.	821 *et* 823
XLIV.	40	25	Ad eumdem Theodosium.	825
XLV.	41	26	Ad Pulcheriam Augustam.	831
XLVI.	*post epist.* 47.		*Hilari diaconi, postea pontificis, ad eamdem Pulcheriam.*	837
XLVII.	43	29	Ad Anastasium Thessalonicensem.	839
XLVIII.	44	30	Ad Julianum Coensem.	840
XLIX.	42	27	Ad Flavianum CP.	841
L.	45	22	Ad clerum et plebem CP.	841
LI.	47	23	Ad Faustum et cæteros archimandritas Constantinopolitanos.	843
LII.	*post epist.* 47.		*Theodoreti episcopi Cyri ad S. Leonem papam.*	845
LIII.	*post epist.* 51.		*Anatolii episcopi Constantinopolitani fragmentum epistolæ ad S. Leonem de ordinatione sua.*	853
LIV.	23	9	Ad Theodosium Augustum.	853
LV.	*post epist.* 47.		*Valentiniani Augusti ad Theodosium Augustum.*	857
LVI.	*post epist.* 47.		*Placidiæ Augustæ ad eumdem Theodosium.*	859
LVII.	*post epist.* 47.		*Eudoxiæ Augustæ ad eumdem Theodosium.*	861
LVIII.	*post epist.* 47.		*Placidiæ Augustæ ad Pulcheriam Augustam.*	865
LIX.	46	23	Ad clerum et plebem Constantinopolitanam.	865
LX.	48	31	Ad Pulcheriam Augustam.	873
LXI.	49	32	Ad Martinum et Faustum presbyteros.	874
LXII.	*post epist.* 47.		*Theodosii Augusti ad Valentinianum Aug.*	875
LXIII.	*post epist.* 47.		*Ejusdem ad Placidiam Augustam.*	877
LXIV.	*post epist.* 47.		*Ejusdem ad Eudoxiam Augustam.*	877
LXV.	*post epist.* 49.	108	*Episcoporum Arelatensi sedi faventium ad S. Leonem papam libellus, seu preces.*	879
LXVI.	50	109	Ad eosdem Gallicanos episcopos responsio.	883
LXVII.	51	110	Ad Ravennium Arelatensem.	888

Digitized by Google

Ordo novus	Quesnellian.	Ante Quesn.		Col.
LXVIII.	*post epist.* 76.	*post epist.* 98.	*Ceretii, Salonii et Verani, Gallicanorum episcoporum ad S. Leonem.*	887
LXIX.	52	33	Ad Theodosium Augustum.	890
LXX.	54	35	Ad Pulcheriam Augustam.	893
LXXI.	53	34	Ad archimandritas Constantinopolitanos.	895
LXXII.	57	98	Ad Faustum presbyterum.	897
LXXIII.	*post epist.* 57.		*Marciani ad S. Leonem.*	899
LXXIV.	55	56	Ad Martinum presbyterum.	899
LXXV.	56		Ad Martinum et Faustum presbyteros.	901
LXXVI.	*post epist.* 61.		*Marciani Augusti ap S. Leonem.*	903
LXXVII.	*post epist.* 58.		*Pulcheriæ Augustæ ad S. Leonem.*	905
LXXVIII.	58	38	Ad Marcianum Augustum.	907
LXXIX.	59	39	Ad Pulcheriam Augustam.	909
LXXX.	60	40	Ad Anatolium CP.	912
LXXXI.	61	41	Ad Julianum Coensem.	915
LXXXII.	62	42	Ad Marcianum Augustum.	917
LXXXIII.	63	44	Ad eumdem Marcianum.	919
LXXXIV.	64	45	Ad Pulcheriam Augustam.	921
LXXXV.	65	46	Ad Anatolium CP.	922
LXXXVI.	66		Ad Julianum Coensem.	924
LXXXVII.	67	48	Ad Anatolium CP.	926
LXXXVIII.	68		Ad Paschasinum Lilybætanum.	927
LXXXIX.	69	49	Ad Marcianum Augustum.	930
XC.	73	43	Ad eumdem Marcianum.	932
XCI.	70		Ad Anatolium CP.	934
XCII.	71		Ad Julianum Coensem.	936
XCIII.	72	47	Ad synodum Nicænam, postea Chalcedonem translatam.	935
XCIV.	74	50	Ad Marcianum Augustum.	941
XCV.	75	51	Ad Pulcheriam Augustam.	942
XCVI.	76	111	Ad Ravennium Arelatensem.	945
XCVII.	*post epist.* 77.	*post epist.* 52.	*Eusebii et synodi Mediolanensis ad S. Leonem.*	945
XCVIII.	*post epist.* 77.		*Synodi Chalcedonensis relatio ad S. Leonem Græca, cum versione Rustici.*	951
			Alia versio antiquior cum subscriptionibus.	959
XCIX.	*post epist.* 76.	*post epist.* 51.	*Ravennii Arelatensis et aliorum 43 episcoporum Galliarum ad S. Leonem.*	966
			Marciani Augusti ad S. Leonem.	970
C.	*post epist.* 77.		*Eadem epistola Græce cum nova versione.*	971
CI.	*antea inedit.*		*Anatolii Constantinopolitani ad S. Leonem.*	975
CII.	77	52	Ad Ravennium Arelatensem aliosque episcopos Gallicanos.	983
CIII.	82	94	Ad Rusticum aliosque episcopos Galliarum.	988
CIV.	78	54	Ad Marcianum Augustum.	991
CV.	79	55	Ad Pulcheriam Augustam.	997
CVI.	80	53	Ad Anatolium CP.	1001
CVII.	81	105	Ad Julianum Coensem.	1009
CVIII.	83	91	Ad Theodorum Forojuliensem.	1011
CIX.	*antea inedit.*		Ad Julianum Coensem.	1014
CX.	*post epist.* 88.		*Marciani Augusti ad S. Leonem.*	1017
CXI.	84	57	Ad Marcianum Augustum.	1019
CXII.	85	58	Ad Pulcheriam Augustam.	1023
CXIII.	86	56	Ad Julianum Coensem.	1024
CXIV.	87	61	Ad episcopos qui in synodo Chalcedonensi fuerant congregati.	1027
CXV.	89	59	Ad Marcianum Augustum.	1031
CXVI.	90	60	Ad Pulcheriam Augustam.	1035
CXVII.	88		Ad Julianum Coensem.	1037
CXVIII.	91	82	Ad eumdem Julianum.	1039
CXIX.	92	62	Ad Maximum Antiochenum.	1040
CXX.	93	63	Ad Theodoretum Cyri episcopum.	1046
CXXI.	94	64	Ad Marcianum Augustum.	1055
CXXII.	95	65	Ad Julianum Coensem.	1058
CXXIII.	96	66	Ad Eudoxiam Augustam.	1060
CXXIV.	97	83	Ad monachos Palæstinos.	1061
CXXV.	98	67	Ad Julianum Coensem.	1068
CXXVI.	99		Ad Marcianum Augustum.	1069
CXXVII.	100	68	Ad Julianum Coensem.	1070
CXXVIII.	101		Ad Marcianum Augustum.	1073
CXXIX.	103		Ad Proterium Alexandrinum.	1075
CXXX.	104	69	Ad Marcianum Augustum.	1078
CXXXI.	102		Ad Julianum Coensem.	1081
CXXXII.	*post epist.* 105.		*Anatolii Constantinopolitani ad S. Leonem.*	1082
CXXXIII.	*post epist.* 103.		*Proterii Alexandrini ad S. Leonem.*	1084
CXXXIV.	105	70	Ad Marcianum Augustum.	1094
CXXXV.	106	71	Ad Anatolium Constantinopolitanum.	1096
CXXXVI.	107		Ad Marcianum Augustum.	1098
CXXXVII.	108		Ad eumdem Marcianum.	1100
CXXXVIII.	109	93	Ad episcopos Galliarum et Hispaniarum.	1101
CXXXIX.	110	72	Ad Juvenalem Jerosolymitanum.	1101
CXL.	111		Ad Julianum Coensem.	1109
CXLI.	113		Ad eumdem Julianum.	1110
CXLII.	112		Ad Marcianum Augustum.	1110
CXLIII.	114		Ad Anatolium Constantinopolitanum.	1111
CXLIV.	*antea inedit.*		Ad Julianum Coensem.	1112
CXLV.	115	73	Ad Leonem Augustum.	1113
CXLVI.	116		Ad Anatolium Constantinopolitanum.	1115
CXLVII.	117		Ad Julianum Coensem.	1116
CXLVIII.	122	74	Ad Leonem Augustum.	1117
CXLIX.	118		Ad Basilium Antiochenum	1119

Digitized by Google

Ordo Novus.	Quesnellian.	Ante Quesn.		Col.
CL.	119		Ad Euxitheum Thessalonicensem, Juvenalem Jerosolymitanum, Petrum Corinthium et Lucam Dyrrachenum.	1120
CLI.	*antea inedit.*		Ad Anatolium Constantinopolitanum.	1121
CLII.	120		Ad Julianum Coensem.	1122
CLIII.	121		Ad Aetium presbyterum.	1123
CLIV.	123		Ad Ægyptios episcopos apud Constantinopolim constitutos.	1124
CLV.	124	76	Ad Anatolium Constantinopolitanum.	1125
CLVI.	125	75	Ad Leonem Augustum.	1127
CLVII.	126		Ad Anatolium Constantinopolitanum.	1132
CLVIII.	127		Ad episcopos catholicos ex Ægypto constitutos apud Constantinopolim.	1134
CLIX.	129	79	Ad Nicetam Aquileiensem.	1135
CLX.	130		Ad episcopos Ægyptios apud Constantinopolim constitutos.	1140
CLXI.	131		Ad presbyteros, diaconos et clericos Ecclesiæ Constantinopolitanæ.	1142
CLXII.	132	78	Ad Leonem Augustum.	1145
CLXIII.	128	77	Ad Anatolium CP.	1146
CLXIV.	133		Ad Leonem Augustum.	1148
CLXV.	134	97	Ad eumdem Leonem.	1155
CLXVI.	135	57	Ad Neonem Ravennatem.	1191
CLXVII.	2	92	Ad Rusticum Narbonensem.	1197
CLXVIII	136	80	Ad episcopos per Campaniam, Samnium et Tusciam constitutos	1209
CLXIX.	137	99	Ad Leonem Augustum.	1212
CLXX.	138	100	Ad Gennadium Constantinopolitanum.	1214
CLXXI.	139	101	Ad Timotheum Alexandrinum.	1215
CLXXII.	140	102	Ad Presbyteros et diaconos Alexandrinos.	1216
CLXXIII.	141	105	Ad Theophilum, et alios episcopos Ægyptios.	1217

De epistolis deperditis tum S. Leonis ad alios, tum aliorum ad S. Leonem, ac de aliis monumentis ad epistolas pertinentibus, dispositis ordine chronologico, DISSERTATIO, in qua tria etiam, quæ ex Leone supersunt, fragmenta inseruntur. 1217

DECRETA Leoni papæ tributa. 1235

APPENDIX PRIMA.

Epist. I. Apud Quesnellum 9, ad episcopos Gallicanos provinciæ Viennensis. 1237

II. Olim inter Leoninas 88, ad universos Germaniarum et Galliarum regionum episcopos. 1238

III. Leonis Bituricensis, Victorii Cenomanensis, et Eustochii Turonensis ad episcopos et presbyteros intra Tertiam provinciam constitutos, olim inter Leoninas 96. 1239

IV. Seu Sententia papæ Leonis *De Apocryphis Scripturis.* *Ibid.*

V. S. Turribii Asturicensis epistola ad Idatium et Ceponium, apud Quesn. post ep. 15. 1241

VI. Juliani episcopi Coensis epistola ad Leonem imperatorem apud Quesn. post epist. 141. 1243

VII. Anonymi epistola contra Eutychis epistolam ad S. Leonem. 1245

VIII. Seu Fragmentum Gestorum Constantinopolitanæ synodi habitæ anno 450, in qua lectaet recepta fuit S. Leonis epistola 28, ad Flavianum ex Vita S. Abundii episcopi Comensis. 1248

IX. Seu Actio XVI Chalcedonensis nunc primum edita ex mss. Græcis bibliothecæ Venetæ S. Marci, in qua lecta fuit epistola 93, S. Leonis ad ipsam synodum. 1249

APPENDIX SECUNDA.

Fragm. I. Leonis papæ ad Theodosium imperatorem, de divini Verbi incarnatione. 1248

II. Flaviani episcopi ad sanctum Leonem papam. 1250

III. Leonis papæ ad Anastasium episcopum Thessalonicensem. 1251

INDEX ALPHABETICUS EPISTOLARUM S. LEONIS MAGNI

Prior numerus Romanus epistolam, alter Arabicus columnam designat.

A

Achaiæ (*legendum* Illyrici) episcopis metropolitanis, XIII, *Col.* 663.

Ægyptius episcopis, CLIV, 1124; CLVIII, 1134; CLX, 1140; CLXXIII, 1217.

Aetio presbytero Constantinopolitano, CLIII, 1123.

Africanis episcopis Mauritaniæ, XII, 645 *et* 656.

Alexandriæ clero, CLXXII, 1216.

Anastasio Thessalonicensi episcopo, VI, 616; XIV, 666; XLVII, 839.

Anatolio episcopo Constantinopolitano, LXXX, 912; LXXXV, 922; LXXXVII, 926; XCI, 934; CVI, 1001; CXXXV, 1096; CXLIII, 1111; CXLVI, 1115; CLI, 1121; CLV, 1124; CLVII, 1132; CLXIII, 1146.

Anatolii CP. epistola ad S. Leonem, LIII, 855; CI, 975; CXXXII, 1080.

Anonymi epistola contra Eutychis epistolam ad S. Leonem. Append. VII, 1245.

Aquileiensi episcopo, I, 593.

Arelatensi sedi faventibus episcopis, XXXIX, 815; LXVI, 883.

Arelatensi sedi faventium episcoporum libellus seu preces ad S. Leonem, LXV, 879.

B

Basilio Antiocheno episcopo, CXLIX, 1119.

C

Chalcedonensis synodi relatio ad S. Leonem, XCVIII, 951 *et* 959.

Calchedonensi synodo, XCIII, 935; CXIV, 1027.

Campaniæ, Piceni, Tusciæ, etc., episcopis, IV, 610; CLXVIII, 1029.

Cassiani Joannis ad S. Leonem tunc diaconum, 115.

Ceretii, Salonii et Veriani, Gallicanor. episcoporum ad S. Leonem, LXVIII, 887.

Constantinopolitano clero et populo, L, 841; LIX, 865; CLXI, 1142.

Constantinopolitanis archimandritis, XXXII, 795; LI, 847; LXX, 893.

S. Cyrilli Alexandrini epistolæ fragmentum ad S. Leonem, 601.

D

Dioscoro Alexandrino episcopo, IX, 624.

Doro Beneventano episcopo, XIX, 709.

E

Ephesinæ synodo, XXXIII, 797.

Episcopis Ægyptiis, CLIV, 1124; CLVIII, 1134; CLX, 1140 CLXXIII, 1217.

— Campaniæ Piceni, etc., IV, 610; CLXVIII, 1209.

— Germaniarum et Galliarum. Append. II, 1238.

Digitized by Google

— Hispaniæ, CXXXVIII, 1201.
— Metropolitanis Illyrici, V, 614; XIII, 663.
— Universis per Italiam, VII, 620.
— Universis per Mauritaniam Cæsariensem, XII, 645 *et* 656.
— Viennensis provinciæ, X, 628; XXXIX, 813; LXVI, 883. Append. I, 1237.
— Universis Siciliæ, XVI, 695; XVII, 703.
Episcoporum Viennensis provinciæ ad S. Leonem, LXV, 879.
Episcopis Galliarum, XXXIX, 813; LXVI, 883; CII, 983; CIV, 991; CXXVIII, 1201.
Episcoporum 44 Gallorum ad Leonem, XCIX, 966.
Eudoxiæ Liciniæ ad Theodosium Aug., LVI, 859.
Eudoc æ Augustæ, CXXIII, 1060.
Eutychis ad S. Leonem, XXI, 713.
Eutyche archimandritæ, XX, 713.
Eidem Eutychi Petri Ravennatis epistola, XXV, 739.
Eusebii episcopi Mediolanensis et comprovincialium, XCVII, 945
Euxitheo Thessalonicensi episcopo, CL, 1120.

F

Fausto et aliis archimandritis CP., XXXII, 795; LI, 843; LXI, 874; LXXI, 895; LXXII, 897.
Flaviano Constantinopolitano episcopo, XXIII, 731; XXVII, 751; XXVIII, 755; XXXVI, 809; XXXVIII, 812; XXXIX, 813; XLIX, 841.
Flaviani ad S. Leonem, XXII, 723 *et* 727; XXVI, 743 *et* 749.

G

Galliarum episcoporum ad S. Leonem, LXV, 879; XCIX, 966.
Galliarum episcopis, XXXIX, 813; LXVI, 883; CII, 983; CIII, 988; CXXXVIII, 1201.
Germaniarum et Galliarum episcopis. Append. II, 1238.
Gennadio episcopo Constantinopolitano, CLXX, 1214.

H

Hilari diaconi postea pontificis ad Pulcheriam, XLVII, 857.
Hispaniæ episcopis, CXXXVIII, 1201.

I

Illyrici metropolitis, V, 614; XIII, 663; CL, 1120.
Italis episcopis, VII, 620.

J

Januario Aquileiensi episcopo, XVIII, 706.
Juliano Coensi episcopo, XXXIV, 801; XXXV, 803; XLVIII, 840; LXXXI, 915; LXXXVI, 924; XCII, 936; CVI, 1009; CIX, 1014; CVIII, 1024; CXVII, 1037; CXVIII, 1039; CXXII, 1058; CXXV, 1068; CXXVII, 1070; CXXXI, 1081; CXL, 1109; CXLI, 1110; CXLIV, 1112; CXLVII, 1116; CLII, 1122.
Juliani Coensis epistola ad Leonem Augustum. Append. VI, 1243.
Juvenali Jerosolymitano, CXXXIX, 1101; CL, 1120.

L

Leonis Bituricensis, Victorii Cenomanensis, et Eustochii Turonensis ad episcopos et presbyteros intra Tertium provincium constitutos. Append. III, 1239.
Leoni Augusto, CXLV, 1113; CXLVIII, 1117; CLVI, 1127; CLXII, 1143; CLXIV, 1148; CLXV, 1153; CLXIX, 1212.
Liciniæ Eudoxiæ ad Theodosium, LVI, 859.

M

Marciani Augusti ad S. Leonem, LXXIII, 899; LXXVI, 903; C, 970 *et* 971; CX, 1017.
Marciano Augusto, LXXVIII, 907; LXXXII, 917; LXXXIII, 919; LXXXIX, 930; XC, 952; XCIV, 941; CIV, 991; CXI, 1019; CXV, 1031; CXXI, 1055; CXXVI, 1069; CXXVIII, 1073; CXXX, 1078; CXXXIV, 1094; CXXXVI, 1098; CXXXVII, 1100; CXLIII, 1110.
Martino et Fausto, XXXII, 795; LXI, 874; LXXIV, 899; LXXV, 901.
Mauritaniæ Cæsariensis episcopis, XII, 645 *et* 656.
Maximo Antiocheno episcopo, CXIX, 1040.

N

Neoni Ravennæ episcopo, CLXVI, 1191.
Nicetæ Aquileiensi episcopo, CLIX, 1135.

P

Palæstinis monachis, CXXIV, 1061.
Paschasini Lilybætani episcopi ad S. Leonem, III, 606.
Paschasino Lilybætano, LXXXVIII, 927.
Petri Chrysologi Ravennæ episcopi ad Eutychen, XXV, 739.
Placidiæ Augustæ epistola ad Theodosium, LVI, 859; *ad Pulcheriam Augustam*, LVIII, 863.
Placidiæ Augustæ Theodosii epistola, LXIII, 877.
Proterii Alexandrini epistola ad Leonem, CXXXIII, 1084.
Proterio Alexandrino episcopo, CXXIX, 1075.
Pulcheriæ Augustæ epistola ad Leonem, LXXVII, 905.
Pulcheriæ Augustæ, XIX, 785; XXXI, 789; XLV, 831; LX, 873; LXX, 893; LXXIX, 909; LXXXIV, 921; XCV, 942; CV, 997; CXII, 1023; CXVI, 1035.
Pulcheriæ Augustæ Hilari epistola, XLVI, 857; *Placidiæ epistola*, LVIII, 887.

R

Ravennio Arelatensi episcopo, XLI, 815; XLII, 816; LXVII, 886; XCVI, 943; CII, 983; CIII, 988.
Ravennii Arelatensis aliorumque Galliarum episcoporum ad S. Leonem, XCIX, 1040.
Rustico Narbonensi, CIII, 988; CLXVII, 1197

S

Salonii episcopi ad S. Leonem, LXVIII, 887.
Septimo Altini episcopo, II, 597.
Chalcedonensis synodi relatio ad S. Leonem, XCVIII, 951 *et* 959.
Chalcedonensi synodo, XCIII, 935; CVIV, 1027.

T

Theodoro Forojuliensi episcopo, CVIII, 1011.
Theodoriti Cyrensis episcopi ad S. Leonem, LII, 845.
Theodorito Cyri episcopo, CXX, 1046.
Theodosii Augusti epistola ad Valentinianum, LXII, 875 *ad Placidium*, LXIII, 877; *ad Eudoxium*, LXIV, 877.
Theodosio Augusto, XXIV, 735; XXIX, 781; XXXVII, 811, XLIII, 821 *et* 825; XLIV, 825; LIV, 855; LV, 857; LVI, 859; LVII, 861; LXIX, 890.
Timotheo Alexandrino episcopo, CLXXI, 1215.
Turribii Asturicensis episcopi ad Idatium et Ceponium. Append. V, 1241.
Turribio Asturicensi episcopo, XV, 677.

V

Valentiniani Novella de Manichæis, VIII, 622; *alia adversus S. Hilarium*, XI, 636; *epistola ad Theodosium*, LV, 857.
Verani episcopi ad S. Leonem, LXVIII, 887.
Viennensis provinciæ episcopis, X, 628. Append. I, 1237.

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM MEMORABILIUM.

Numeri designant columnas crassiori charactere expressas a col. 141 *hujus voluminis usque ad* 1262. *Ad numeros autem crassiores quos textui a col.* 1263 *usque ad* 1506 *inseruimus non revocatur lector nisi in indice tomi sequentis.*

A

Aaron ordo et Melchisedech, et inter utrumque discrimen, 11, 21.
Abraham episcopus Ægyptius ordinator Timothei Solophacioli, 1437.
Abrahamius chorepiscopus Theodoriti Cyrensis episcopi ad Leonem legatus, 950.
Abrahæ qualis promissa successio, 118. Cur stellarum multitudini comparata, *ibid.* Promissio ei facta etiam impleta, 120. Ejus visio, 121. Spiritale Abrahæ semen, 203, 256.
Absolutio peccatorum. *Via.* Reconciliatio.
Abstinentia Domino viam parat et mentem erigit ad cœlestia, 58. Cum a licitis abstinetur, facilius illicitis resistitur, 355. Per abstinentiam vitiorum incentiva truncantur, 314. *Vid.* Jejunium.
Abundantia terræ quomodo utendum, 62. De vilitate pretii in abundantia non quærendum, 41, 42. *Vid.* Fecunditas.
Abundantius Comensis episcopus, 1081, 1083. Idem ac Abundius Leonis legatus, *ibid. not. Vid.* Abundius.
Abundius Leonis legatus ad Theodosium, 1007, 1010, 1012. Ejus et sociorum acta Constantinopoli, 1487. Nomina

Digitized by Google

Dioscori, Juvenalis, et Eustathii ad altare non recitanda dixerunt, idque S. Leo approbavit, 1040 *not.* Revertitur in Occidentem, 1080. Litteras Leonis defert ad Eusebium Mediolanensem, 1081. Interfuit synodo Mediolanensi, 1083.

Acatholici non sunt Ecclesiæ membra, 380.

Acetum a Christo in cruce gustatum mystice explicatur, 210.

Actionis qualitas ex voluntate pensatur, 364.

Adam in statu innocentiæ mereri potuit, 79. Angelici honoris cupidus, 86. Libere peccavit, 98.

Adami primi et secundi comparatio, 86, 270. Adæ peccato nulla poterant Sanctorum merita satisfacere, 248. Si Adam non peccasset, Verbum caro factum non fuisset, 309.

Adelphus episcopus laudatus a S. Petro Chrysologo fuit episcopus Aquileiensis, 586.

Admonitio salutaris in mercedem proficit monentis et moniti, 617.

Adeodatus Romanæ sedis diaconus Aquileia Romam regressus, 1330.

Adversa vel corrigunt, vel probant, 40. Non adversa tantum, sed etiam multos fidelium secunda corrumpunt, 164.

Ægyptios episcopos extorres causa fidei Leo consolatur, 1316, 1328, 1336. Ab Anatolio CP. suscepti, 1318. Libellum imperatori offerunt, 1319, 1324. Alium offerunt et Ægyptii Eutychiani sine ullo ipsorum nomine, *ibid.* Catholici alium libellum præbent Anatolio mittendum ad Leonem, 1326 *not.* Ægyptii Eutychiani novam synodum petunt, 1327. Leo renuit, *ibid.* Quidam clerici CP. his hæreticis favent, 1318, 1325.

Ægyptii negotiatores Romæ Eutychianum errorem spargentes rejecti, 372, 373.

Ætherius episcopus Galliarum, 1111. Alius Smyrnæ, 1103.

Aetius archidiaconus Constantinopolitanus ab episcopo Anatolio dejectus, quia presbyter ordinatus, 1186, 1188, 1190. Chartas Leoni direxit, quæ non pervenerunt, 1092. Discussus et purgatus in conventu CP., 1249. Ordinatio ejus sexta feria a Leone reprobatur, 1186 Aetius in Anatolii gratiam revocatus, 1262, 1278. Leoni Augusto a pontifice commendatur, 1325. Ei nonnulla a Leone commissa, 1315.

Africæ Cæsariensis Mauritaniæ disciplina perturbata, 658. Legationem et vicem apostolicam Leo committit Potentio episcopo illuc proficiscenti, *ibid.* Machabæorum solemnitas in Africa celebris, 451.

Aggarus episcopus Africanus ex laico et per tumultum ordinatus, 665. Ejus ordinationis examen Leo committit episcopis Mauritanis, sententiamque sibi reservat, 666.

Alexandrina Ecclesia a S. Marco fundata, 628, 629, 1139, 1167, 1255. Athanasius, Theophilus, Cyrillus ejus probatissimi præsules, 1159 Eorum doctrina laudata, 1254, 1257, 1258. Item Dioscorus, 628. Timotheus Solophaciolus, 1435. Alexandrino episcopo cura paschalis supputationis delegata, 1228 Per quem quotannis dies Paschatis sedi apostolicæ indicaretur, 1229. Alexandrinorum monachorum tumultus in ordinatione Proterii episcopi, 1192 *not.* Leonis instructio ad eos compescendos, 1254, 1257. Iidem tumultus aucti, et stragibus magis multo perturbata Alexandrina Ecclesia post Marciani mortem, 1299 *not.*, 1300, 1302, 1303, 1304, 1310, 1324, 1327, 1342, 1347. Proterius occiditur, 1299. *Vid.* Proterius. Leonis sollicitudo pro his turbis compescendis, *ibid.* Obtinet ejectionem invasoris, 1432. Timotheus catholicus episcopus eligitur, 1435 *seqq.*

Alhigaunensis episcopus Quintius, 1084.

Alienæ res, quæ bona fide ad nos pervenerunt, dominis reddendæ, 1331.

Alienatio bonorum Ecclesiæ vetita. *Vid.* Ecclesiastica bona.

Alypius monachorum exarchus legatus Theodoriti ad Leonem, 950.

Amandus episcopus Gallus, 1111.

Ambitus in ecclesiasticis reprehensus, 673.

S. Ambrosius a Leone allegatus, 1388. In synodica Mediolanensi laudatus, 1081.

Amor Dei dilectio justitiæ, 370. Terrena blandimenta non facile devitantur nisi per amorem Dei, 352. Amor directus in Deum non debet inter secunda superbire, nec inter adversa deficere, 42. Amor Dei et proximi unus est, 353, 365 Ex amore Dei et proximi totius justitiæ nascitur plenitudo, 337. In martyribus Dei amor sublimius clariusque fulget, *ibid.* Nemo sine amore Dei et proximi justificatur, 358. *Vid.* Charitas.

Amores duo Dei et mundi, ex quibus omnes prodeunt voluntates ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus, 352. Quesnelli postilla in hunc locum excussa, 498. Leonis sententia explicata, 501, 503. Amor mundi cum Dei amore non congruit, 371. Amat homo se ipsum cum Deum supra se et proximum amat secundum se, 65. Rationalis animus sine amore esse non potest, 353 Sine amore boni nullus est bonus, 349. Amor æternorum, 97. Bene orare est amare, quando, 303.

Amor quo Dominus nos redemit, nulla cujusquam benignitate potest æquari, 337.

Ananias ad S. Paulum missus *ovis* interpretatur, et lupum in ovem mutavit, 446.

S. Anastasiæ basilica, in qua S. Leo sermonem habuit, 372.

Anastasius Thessalonicensis episcopus petit et obtinet a Leone vicariatum Apostolicum in Illyricum, 617, 685. Fuit vocatus in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, 686. Qua potestate abusus, vim intulit Epiri metropolitæ, et ob id objurgatur a Leone, 683 *seqq.* Cum eo S. Leo gratulatur, quod Ephesinæ pseudosynodo non interfuerit, monetque ipsum ut Flaviano adhæreat fratresque confirmet, 929.

Anatolii CP. episcopi epistolæ fragmentum de ordinatione sua, 953. Hæc Leoni suspecta, et cur, 1185, 1188. Ideo cum eo communicare S. pontifex distulit, *ibid. et* 1005, 1009, 1012. Quid ab eo exegit, ut communionem ipsi impertiret, 1006 1007. Maximi Antiocheni episcopi ordinationem male sibi arrogat, 1161, *et ibid not.* Epistolam Leonis ad Flavianum subsignat, 1050. Legationem mittit cum litteris ad Leonem, 1039 Suspicio ordinationis ejus per fidei professionem sublata, 1186. Reconciliatur cum Leone, 1038, 1041. Ei ab hæreticis ordinato indulgetur, 1147. Favore imperatoris et assensu pontificis episcopatum obtinuit, 1149, 1189. Basilium et Joannem presbyteros CP., qui hæresis accusati Romam venerant rationem fidei suæ reddituri, Leo ipsi commendat, 1054.

Anatolius Constantinopolitanus subscriptus relationi synodi Chalcedonensis ad Leonem, confirmationem petit privilegii suæ sedis, seu primatus post Romanam, 1103. Idem postulat litteris privatis, 1150, 1134 Legatos ad Leonem hac de causa mittit, 1126 Legati Leonis huic privilegio contradixerunt, 1120, 1105, 1132, 1151. S. pontifex periter resistit, et ambitus notam Anatolio impingit, 1147, 1149, 1135, 1161 *seqq.*, 1171, 1197, 1199. Illyrici episcopos Anatolius solliciavit, ut sibi faverent, 1209. Intercessit imperator pro reconciliatione Leonis cum Anatolio, 1249. Quas conditiones pontifex exegit, *ibid.*, 1275. Satisfactio Anatolii litteris data, 1261. Quatenus Leoni satisfactum, 1277, 1280. Anatolius laudatur, et ut latentes hæreseos reliquias extirpet, excitatur, 1298. Alexandrinæ Ecclesiæ turbes Leoni significat, 1302. Debitam pontifici obedientiam ostendit, 1262.

Anatolius CP. Aetium archidiaconum catholicum bonoris specie dejicit, et presbyterum ordinat, et Andream diaconum Eutychianæ hæresis suspectum ad archidiaconatum promovet, 1186, 1188, 1190 Reprehenditur a Leone, *ibid.* Item ab imperatore, petente pontifice, 1191. Monetur a Leone de obligatione inquirendi in suos clericos, quorum aliqui Eutychianis connivere dicebantur, 1318.

Andreas Eutychianæ hæreseos defensor, 1186. Ab Anatolio ob id antea rejectus, 1186. Dein ad archidiaconatum promotus, *ibid*, 1190. Leone jubente ab officio remotus, 1262 *not.*, 1278, 1280 Eum, si Eutychianam hæresim damnet, Leo ad presbyteratum provehi jubet, 1278. Subscripserat epistolam Leonis ad Flavianum, 1262.

Andreas presbyter Juvenalis Jerosolymitani legatus ad Leonem, 1285.

Anemius episcopus Gallus, 1111.

Anima simul et creata et corpori infusa, 703. De ejus natura error Manichæorum et Priscillianistarum, 699, 702. Anima tanto fit purgatior, quanto substantia carnis afflictior, 314.

Anima Christiana diebus festis maxime purganda, 133.

Animam salvat, qui eam pro Christo perdere non timet, 194. Sine anima nihil caro desiderat, 59. Animæ est exteriora frenare, *ibid* Ei corpus debet esse subjectum. *ibid.*, 342. Plus est quod fidelis quisque in suo habet animo, quam quod miratur in cœlo, 90.

Annales Romani, in quibus notabatur dies Paschatis, 1248 *not.*, 1282.

Anni Hebræorum quales, 609. Annus communis et embolismalis, 601 *not.* Qui fuerint anni apud Hebræos, 609. Qui apud Alexandrinos, 601 *not.* Omnis pars anni divinis est repleta mysteriis, 184.

De Annuntiatione B. Mariæ plura, 438, 439, 440.

Antiochena Ecclesia, in qua primum prædicante B. Petro apostolo christianum nomen exortum est, 1167. In ea christiani nominis dignitas est orta, 324. A B. Petro fundata, 1215. In gradu tertio est collocata, 1167. Orientales

Digitized by Google

Ecclesiæ a Nicænis Patribus ei deputatæ, 1213. Ejus episcopi Theodotus, 948. Maximus, 1212. Basilius, 1309. Antiocheni episcopi ordinatio per episcopum CP. contra canones celebrata, 1153 Dissimulata tamen, *ibid.*

Antiochus unus ex metropolitanis Illyrici, 677.

Antiquitas servanda in fide et disciplina, 1255.

Auysius Thessalonicensis a Siricio vicarius in Illyrico constitutus, 620.

Apocrypha non solum interdicenda, sed et comburenda, 706, 707.

Apollinares ludi apud Romanos, 25. Quando et quomodo celebrati, 26.

Apollinaris insania et error, 81, 179, 573, 1236, 1557. Triplex ejus error distinguitur, 1179 *not.* Supposititia Julii papæ epistola, cujus fragmentum Eutyches subjecit suis ad Leonem litteris, Apollinari tributa, 743 *not.*

Apollonius unus et alter episcopi Ægyptii pro fide extorres, 1356.

Apostoli ante passionem Domini Spiritu sancto non carebant, 502. Postquam Spiritus sancti abundantia sunt repleti, ardentius velle et efficacius posse cœperunt, 504. Apostolorum tropidatio in ultima cœna, 221. Per Petrum firmitas fidei Apostolis collata, 18. Jus clavium per Petrum in Apostolos transivit, *ibid. Vid.* Petrus. Apostolorum paupertas, 567. Apostolicæ et episcopalis dignitatis distinctio, 22. Apostolicæ institutiones servandæ, 32, 34. Apostolicæ traditionis auctoritas, et unde noscatur, 316. De Apostolis antea piscatoribus, 442. Ad Apostolorum limina peregrinationes, *ibid.*

Apparitiones Dei, quæ in Scriptura habentur, non per angelos, sed per ipsum Deum peractæ, 85.

Appellationes ad sedem apostolicam ex Illyrico, 619, 622. Ex Gallia, 634. Earum consuetudo, *ibid.* Ex Africa, 668. Ex Thracia Eutychis, 765, 791. Flaviani episcopi CP., 906, 915, 962, 966. Ex Oriente Theoduriti Cyrensis episcopi, 947.

Aquileiensis episcopus, ad quem Leo scripsit primam epistolam, quis fuerit, 582. Vocatur metropolitanus provinciæ Venetiæ, 594. Aquileienses episcopi Adelphus, 586. Augustinus, 587. Januarius, 582 *seqq.*, 730. Maximus, 586. Nicetas, 1330. In Aquileiensi provincia Pelagiana hæresis, 587, 589. Cujus reliquiis Leone medium afferri jubet, 587, 590, 594, 730 *et not.*

Archelaus Cascharæ in Mesopotamia episcopus cum Manete publicam disputationem habuit, 490.

Archidiaconi munia Constantinopoli, 1188.

Areæ suggestus, 94, 471.

Arelas civitas Galliæ *Constantina* vocata, 995. Mater omnium Galliarum, 996.

Arelatensi Ecclesiæ addicti episcopi a Leone ejus principatum intra Gallias et privilegia confirmari petunt, 995. Hujus Ecclesiæ primus episcopus S. Trophimus a B. Petro missus, 994. Controversia inter Arelatensem et Viennensem de primatu in Galliis, 998, 999 *not.* Leo eam dirimens suos limites cuique assignat, 999. Episcopi Arelatenses: Patroclus, *vid.* Patroclus; Hilarius, *vid.* Hilarius; et Ravennius, *vid.* Ravennius.

Arii errores, 81. Unde errandi occasio Arianis, 74. Confutantur, 75, 84, 299, 698. Damnatus Arius in synodo Nicæna, 1165.

Arma Christianorum, 146.

Armentarius episcopus in Gallia, 998, 1110. Alius, 1111.

Arpocrates episcopus Ægypti pro fide exsul, 1336.

Ascensio Christi cur post dies quadraginta dilata, 290, 291. Nobis causa gaudii, 294. Quantum apostoli ex ea profecerint, *ibid.* Ascensionis Domini effectus, 424.

Asclepias diaconus CP. legatus Anatolii ad Leonem, 1039.

Asclepius episcopus Gallus, 890, 998, 1110.

Asinio episcopus Curiensis in Rhætia, 1083.

Aspar patricius Arianus. Cur ad eum S. Leo scripserit pro compescendis turbis Eutychianorum Alexandrinis, 1307, 1315.

Astensis episcopus Pastor, 1084.

Asterius episcopus legatus a Leone in Orientem, 1007, 1010, 1012.

Astrologiæ superstitio refellitur, 536, 695, 704.

Astrorum vana scientia, 217. Cultus superstitiosus, 94.

Athanasius Ægyptius episcopus pro fide extorris, 1336. Idem, vel alius ordinator Timothei Solophacioli, 1437.

S. Athanasii episcopi Alexandrini epistola ad Epictetum, quo usus S. Cyrillus in Ephesina synodo contra Nestorium, 1178. Eutychen etiam in illius temporis hæreticis debellavit, *ibid.* Eam S. Leo Eutychianis opponendam mittit. *ibid.* Ejus fragmentum subjecit epistolæ ad Leonem Augustum, *ibid. not.* Athanasii doctrina laudata, 1209, 1254, 1257. Erat superstes tempore paschali anni, 373. Proterio Alexandrino teste, 1268 *not.* Testimonium ejus a Leone Eutychianis objectum, 1388.

Atticus CP. episcopus laudatur, 1277.

Atticus Nicopolitanus veteris Epiri metropolita ad Leonem perrexit conquesturus de vi sibi illata ab Anastasio Thessalonicensi, 685.

Atticus presbyter CP. Eutychiana hæresi infectus, Anatolio discutiendus committitur, 1315. In Ecclesia contra fidem disputabat, 1327. Eum Leo deponi, et communione privari jubet, nisi errorem propria voce, et subscriptione damnaverit, et Chalcedonensem fidem publice in Ecclesia profiteatur, 1338, 1343. Scripta misit dubiæ fidei, et expressiorem professionem ab eo Leo postulat, 1343. Quæ hæc professio, *ibid. not.*

Attilæ irruptio indicata, 1190 *not.*

Avaritia quam perniciosa, 232.

Avarus justitiæ inimicus, 232. Decipit, cum beneficium præstare dicit, 53.

Auctoritatis nomen constitutionibus pontificiis speciatim attributum, 711 *not.* Etiam ab episcopis Gallicanis hoc nomen iisdem constitutionibus tributum, 995 *not.*

Audentius episcopus Gallicanus, 890, 998.

Augustalis episcopus Gallus, 890, 998.

Augustanus episcopus Euthasius, 1083.

Augustinus Aquileiensis, ad quem Pelagianorum libellus directus, non vero ad Zosimum Papam, 587.

S. Augustinus Hipponensis a Leone Eutychianis opponitur, 1391. Locus S. Augustini transcriptus, 824 *not* Libellus Leporii Augustino tributus, 1392 *not.* Sermo de Machabæis eidem vindicatus, 452. Item alius sermo de resurrectione, 417.

Auspicius episcopus Gallus, 890.

Auxilium Dei, *vid.* Deus.

B

Baccillus episcopus in Sicilia a Leone papa delegatus, 724.

Baptismus principale sacramentum, 716, 721. Quando ejus potentia sancita, 722. Duplex potestas, 723. Quæ olim præparatio ad baptismum, 725, 1429. Pactum, professio, et renuntiatio in baptismo, 257. In eo recitatio symboli, 1242. In quibusdam Ecclesiis lectum neophitis capitulum primum Evangelii S. Joannis 418. Baptismi effectus, 66, 93. In baptismo homines eo spiritu regenerantur, quo Christus fuit progenitus, 218. Mortis et resurrectionis Christi imitatio, 246, 274. Justificatio non meritis retribuitur, sed sola gratiæ largitate donatur, 186 Baptismi aqua est velut uterus Virginis, 80. Abluendo tollit peccatum, *ibid.* Non vero bigamiam, 618. In Baptismo trina demersio, 374, 719. Inter Baptismum Joannis et Christi discrimen, 722. In baptismatis Sacramento nulla discretio, 703. Corpus regenerati fit caro crucifixi, 246.

Baptismus in Sicilia solemniter celebratus in die Epiphaniæ, 716. Celebrandus in Paschate, 718. Et in Pentecoste, 719. Ex apostolico exemplo, 720. Norte paschali collatus, 418, 610. Leo vetat celebrari in Epiphania, 716. In natali martyrum, 1429. In necessitate omni tempore baptizandum, 721, 1430. Magnus baptizatorum numerus cujusque ætatis de omni hominum genere, 186. Quid agendum cum dubitatur, an datus sit baptismus, 1407, 1427. Quid cum ignoratur a cujus fidei hominibus datus, 1428. Quid cum ab hæreticis datum constat, 1334, 1408. Ejus iteratio quam grave crimen, 1407. Hoc crimine infecti non recipiebantur in clerum, 731. Sed publicæ pœnitentiæ subjiciebantur, 730 *not.*, 1334 *not.* Quid de rebaptizatis errore vel metu, 1332. Baptisma per solum oleum a Priscillianistis collatum, 713, 714.

Basilica S. Petri uni Deo dicata, 94. Hæc solem occidentem ab introitu respiciebat, 95 *not.* Ejus scala ad superiorem aream per triginta quinque gradus præbebat ascensum, 475. Hi gradus in quinque ordines distributi, *ibid.* Per hos gradus flexis genibus devotionis gratia ascendebatur, *ibid.*

Basilica S. Anastasiæ Romæ, 1032.

Basilica apostolorum Constantinopoli, 1032

Basilides hæreticus, 49.

Basilius Antiochenus episcopus, 372.

S. Basilius episcopus Cæsariensis in Cappadocia a Leone allegatus contra Eutychianos, 1395.

Basilius diaconus ad Leonem missus a Juliano Coensi episcopo, 875.

Basilius presbyter CP. cum Joanne Romam confugit rationem fidei suæ redditurus, 1054.

Basilius presbyter cum tribus aliis legatus ad Theodosium a Leone missus, 1007, 1010, 1012. Legatus Constantinopolim dirigitur cum Lucentio, 1046, 1048, 1052. Item ad synodum Chalcedonensem, 1065, 1069.

Beatitudines septem a Leone explicatæ, 366 *not.* Ordo earum varius, 369 *not.* Beatitudo non otiosis, sed laborantibus promissa, 130. *Vid.* Gloriæ cœlestis,

Digitized by Google

Benedictionis sacramentum, 629. Benedictionum sacerdotalium mysteria, 630.

Benedictus XIV hujus editionis auctor et opitulator, *in Epistola dedicatoria*. Laudatur, *ibid. et* 467.

Beneficia Dei tacere ingrati est, 7. Quis ex iis affectus concipiendus, 8. Beneficia diaboli quam pernitiosa, 276. Beneficiorum Dei contemplatio quantum prosit, 239. *Vid.* Dona.

Beneventanus episcopus Dorus, 752.

Bergomas episcopus Præstantius, 1084.

Bigami non ordinandi, 614, 618, 621, 636, 671, 687. Cum his non dispensat Leo nec in necessitate, 674.

Bona ecclesiastica non alienanda, 728. Imperatorem Leo rogat, ne judicium de rebus Ecclesiæ CP. ad publicos, sed ad ecclesiasticos judices pertineat, 1283. Contrarium esset novitas, *ibid.*

Bonifacius presbyter Ecclesiæ Romanæ legatus ad synodum Chalcedonensem, 1065, 1066, 1067, 1069, 1098, 1131.

Bonorum temporalium non tam possessio, quam dispensatio nobis est commissa, 34. Eorum usus, 60. Sunt viaticum itineris, non illecebra mansionis, 352. De bonorum temporalium augmento immoderato lætari non licet, 153. Nullus bonus sibi soli est bonus, 338. Sine amore boni nemo bonus, 349. Cur boni odio habeantur a malis, 178.

Breviarium fidei a Juliano Coensi ad Leonem missum, 1192.

Brixianus episcopus Optatianus, 1084.

Brixillianus episcopus Cyprianus, 1082.

Bucheriani Laterculi ætas ejusque auctor delegitur 496.

C

Caiphas, dum vestem suam scidit, sacerdotali se honore privavit, 211.

Canonum observantia pacis vinculum, 1155, 1217.

Canonum ignorantia in sacerdotibus non ferenda, 614. Statuta canonum servanda, 667, 1280. Dispensat Leo cum ordinatis contra canones, 664, 665. Non dispensat cum bigamis, 664. *Vid* Dispensatio. Quæ canonum reverentia apud sedem apostolicam, 1197. *Vid.* Nicænum concilium.

Cantus in ecclesiis, 434. Cantus psalmorum, 11. Per universam Ecclesiam, 21, 33, 353 *not.*

Caro jugiter castiganda, 320. Unde spiritus victoria adversus carnem, *ibid.* Carnis cum spiritu conflictus, 351. *Vid.* Anima.

Carosus unus e metropolitanis Illyrici, 677.

Carosum monachum, qui multos subvertebat, a Marciano compescendum Leo petit, 1281. Quis fuerit, 1297 *not.* Ex suo monasterio pulsus, *ibid.*

Carosus distinctus a præcedenti in fidei confessione correctus, sed ob simultatem cum Anatolio ab ejus communione desciscens, 1296. *Vid.* 1295 *not.*, 1298 *not.*

Cassianus Leoni tunc Romanæ Ecclesiæ diacono libros de Incarnatione Christi dedicat, *in Testim.*

Casterius presbyter Anatolii CP. legatus ad Leonem, 1039

Castitatis commendatio, 211. *Vid.* Continentia.

Catalogus Romanorum pontificum a Bucherio editus quo auctore scriptus, 496. Ordo episcoporum in catalogis antiquis exhibitus quanti faciendus, 1403. Cur non idem censendum de gestis et præcipue de tempore, quæ in iisdem catalogis notantur, *ibid.*

Catechumenatus disciplina, 723. *Vid.* Baptismus.

Cathedra S. Petri. Hujus solemnitas instituta ob Pontificium a Petro susceptum, 435. De hoc festo, 431, 498.

Cathedra primatus ecclesiastici divinitus sic Petro tradita, ut perpetua sit soliditate fundata, 436. *Vid.* Petrus. Duo cathedrarum genera, bonæ et malæ, 436. Quinam in cathedra pestilentiæ sedeant, *ibid.* Easdem pestilentiæ cathedras Christus subvertit, *ibid.*

Causæ graviores seu majores, et appellationes in Illyrico apostolicæ sedi reservatæ, 619, 622. Causæ episcoporum Illyrici, quæ in provinciis suis nequeant terminari, referantur ad episcopum Thessalonicensem vicarium apostolicum, ut dissidium componat, 678. In difficilioribus causis suspendendum judicium, et pontificis sententia expectanda, 683. Si nequeant hæ causæ a Thessalonicensi terminari, referendæ ad Romanum pontificem, 689 Idem agendum, si in concilio episcoporum sint divisæ sententiæ, 690.

Celidonii episcopi causa cum Hilario Arelatensi per appellationem delata ad S. Leonem, idemque absolutus, 655 *not.*

Ceponius episcopus Hispanus, 711, 1475.

Cerdonis error, 699.

Cerethius in Gallia episcopus, 1003. Leonis Epistolam ad Flavianum Eusebio episcopo mediolanensi communicat, 1081.

Chalcedonense concilium. In ejus indictione Marcianus imperator Leonis auctoritatem et assensum petit, 1019, 1025. Ex præcepto Christianorum principum et ex consensu Apostolicæ sedis congregatum, 1197. Item per Spiritum sanctum, 1301 Ob solum negotium fidei, 1163, 1217. Ipsi Leo papa in suis legatis tamquam caput membris præfuit, 1090, 1100, 1140, 1141. Actioni ejus sextæ non solum Marcianus imperator, verum etiam Pulcheria Augusta interfuit, 1127 *not.* Coactum, ut quæ Leo definierat, omnes episcopi declararent, 1025 *not.* Leo noluit disputari de definitis tamquam de re dubia, 1064, 1071. Quatenus liberum fuerit examen epistolæ Leonis ad Flavianum salva auctoritate sedis apostolicæ, 1220 *not.* Opus fuit, ut omnium Patrum intelligentia conveniret cum fide Leonis, 1126 *not.* Episcopis, qui hæresim non receperunt, in exsilium pulsis prospici, ac eos restitui Leo jussit, 1071. Concilii consensio in fide statuenda, 1138. Post multa certamina vera fides triumphavit, 1113. Fidei definitio instruente Spiritu sancto ad totius mundi salutem edita, 1300. Eadem definitio a Patribus subscripta, super altare S. Euphemiæ collocata, et exinde Augustis præsentibus ac petentibus tradita, 1128, 1129. Gestorum compendium ab Anatolio descriptum, 1126 *seqq.* Gesta ad Pontificem missa, 1087. Quædam partes a Leone recensitæ, 1125. Quid pro sede Constantinopolitana constitutum fuerit, 1095. 1118, 1129. Contradictio legatorum, 1097, 1120, 1132, 1151, 1163. Horum gestorum vis omnis et confirmatio latente Anatolio auctoritati Leonis fuit reservata, 1265. Hæc confirmatio, seu assensus Pontificis requisitus uti omnino liber a Patribus, 1197, 1099. Ab imperatore, 1113, 1120. Ab Anatolio, 1126 *not.*, 1134. Ne dubia quibusdam esset definitio ipsa concilii, pontificia expressa confirmatio uti necessaria petitur, 1182. Hanc definitionem Leo approbat specialibus litteris cum omnibus quæ ad fidem pertinent, 1195. Apostolicæ sedis eam firmavit auctoritas, 1343. Hæc pontificis confirmatio in universis Ecclesiis publicanda, 1182, 1201. Canon Chalcedonensis pro sede CP. editus a Leone rejicitur, 1151, 1153, 1163, 1172, etc. Si quæ etiam præter causam fidei gesta fuere assentientibus Leonis legatis, retractantur, cum ad solam fidei causam a S. Pontifice directi fuerint, ejusque assensum non obtinuerint, 1217. Nihil de definitionibus hujus concilii in causa fidei retractandum, 1301, 1304, 1306, 1310, 1222, 1338, 2340. Quatenus sub Leone Augusto novum examen institutum sine præjudicio auctoritatis synodi Chalcedonensis, 1221 *not.* Concilii hujus acta a Juliano colligi et Latine reddi cupit S. Leo. 1194. Numerus Patrum hujus synodi, 1100, 1137. *Vide* 1089 *not.* Relatio synodi ad Leonem cum amplioribus Patrum subscriptionibus, 1099. Ejus definitio ab omnibus recepta, 1147. Nihil huic addendum, vel minuendum, 1301, 1311.

Chalcedonensis concilii actio Græc. Lat. nunc primum edita, 1491.

Charitas summa virtutum, 183. Nullum habet terminum, *ibid.* Charitate a bestiis discernitur homo, 62, 63. Nil contra diabolum efficacius, 296. Charitas omnium virtutum mater, 142. Etiam ad infideles et inimicos se extendit, 73, 129, 142, 155 Facit omnia communia, 181. Sine charitate cæteræ virtutes ad salutem nihil proficiunt, 181, 296, 317. Charitatis et fidei nexus, ita ut ubi simul fueriut, simul desint, 171. Quatenus, seu quo sensu S. Leo id scripserit, explicatur, 482. Fides sine charitate esse potest, 51. Ad fidem et charitatem omnia præcepta reducuntur, 172. Sine charitate nemo filius Dei, 188. Qui in conscientia suis aliquid de fructibus charitatis repositum invenerint, Deum sibi inesse non dubitent, 183. Charitas erga Deum et proximum est virtus ac sapientia fidei Christianæ, 170. Est prima morum regula, 60 Charitas fidem et alias virtutes vivificat, easque facit utiles, 56. Charitatis lance opera pensantur, 32. Charitatis nulla major remuneratio quam ipsa charitas, 359. Charitate Dei et proximi omnes affectus dirigendi, et qua regula, 60. Forma diligendi proximi ab ea, qua nos Deus diligit, dilectioni sumenda, 65. Diligendus Deus toto corde, etc., 40. 89. Cum proximus diligitur, Deus diligitur, 365. In dilectione Dei nulla nimia, in dilectione mundi cuncta sunt noxia, 352. Nihil aliud est diligere Deum quam amare justitiam, 570. *Vid.* Amor Dei.

Chrismatis sanctificatio, 256, 1324. Sacramentum, chrisma salutis et signaculum vitæ æternæ, 81. Chrisma sanctificatur ab episcopo hebdomada sancta feria v, cujus sanctificatio Alexandriæ defecit occiso S. Proterio, 1324.

Christianus quo sensu rex et sacerdos, 15. Dignitas Christiani unde, 90, 203. Christiani membra sunt Christi, 77. Omnes sunt unum corpus, 155. Unus Christus caput et membra, 244. Quomodo Deo copulentur, 90. Sunt Dei co-

Digitized by Google

operatores. *ibid.* Cœlestis gloriæ hæredes, *ibid.* 266. Ad futura renati, 97. Christiani non sunt, nisi Christum imitentur, 87. In Christi crucifixione crucifixi, in resurrectione resuscitati, in ascensione collocati ad dexteram Patris, in nativitate congeniti, 88, 286. Christianorum arma, 146. Magni nominis militiam susceperunt. 203. Christianorum vita debet respondere professioni, 257. Est crux perpetua, 173. Hæretici Christianum nomen quid usurpant? 1238. Christianus nequit vocari qui deviat a fide, 1242. Deliciæ Christianorum quæ, 151, 191. Eorum desideria tendant in res æternas, 283. Qualis disciplina, 137, 138. Præcipua officia, 87. Quidam Christiani, qui orantes ad Orientem se vertebant, reprehensi, et quare, 94 *not.* Christiani de die in diem proficere debent, 148, 168, 190, 229. *Confer* observationes in hunc locum, 481 *Vid.* Justitia Christiana. Christiana libertas qualis, 348. Christiani in familia libertatis renati, 203. Ex Christianis alii justi, alii pœnitentes, et cathecumeni a Leone memorati, 170. Christiani in Judæorum locum adoptati, 210. In Christianis communio nominis Christi debet esse unio inseparabilis cum Christo, 285. Qua ratione cum Christo commoriuntur et resuscitant, 246. Vere Christiani quam pauci, et cur, 185. Pauci electi, *ibid.* Primitivi Christiani gaudebant nihil habere de mundo, et omnia possidere cum Christo. 268.

Christi Incarnatio ad salutem hominum decreta et necessaria, 65, 70, 75, 79, 86, 88, 92, 98, 136, 141, 176, 198, 199, 274, 310, 807, 855, 979, 1575, 1435. Si Adam non peccasset, Verbum incarnatum non fuisset, 309. Ab initio mundi incarnatio prænuntiata, 67, 76, 248, 980. Et promissa, 78, 244, 248. Incarnationis tempus promissum, 118. Cur incarnatio et redemptio dilata, *ibid.* et 76, 268. Diabolus eam ignoravit, 59. Cur, *ibid.* et 259. Incarnatio est ineffabilis, 73, 102, 106. Semper credita etiam ab antiqui testamenti Patribus, 76, 1377. In quibus eadem fides ac in Testamento novo, 204, 244. Illi credidere faciendum quod nunc credimus effectum, 76, 204, 256, 268. Fides ejus quid præstet, 123. Paucis profuit in lege veteri, innumeris in nova. 78. Fides incarnationis probatur et explicatur, 64, 68, 73, 75, 80, 84, 92, 98, 100, 107 *seqq.*, 173, 176, 179, 193, 204, 251, 803 *seqq.*, 854, 863, 879, 977, 1021, 1058, 1138, 1237 *seqq.*, 1289, 1395 *seqq.* In incarnatione quomodo Verbum caro factum, 92. Se exinanivit, 75, 84. Descendit in terras, *ibid.*, 978. Quatenus dicta missio, 83. Æquitatis mysterium, 64. Quam excellens, 108. Singulare, 109. Excedit omnia miracula, 76, 79. Incarnatio est sacramentum et exemplum, 86. Ejus fructus et effectus, 66, 71, 75, 84, 93, 110, 407. Etiam antiquis profuit, 199, 204, 256, 268. Cur hac via Deus hominum saluti consuluit, 67, 69, 78, 98. Nisi in virgine incarnatio Verbi fieri non potuit, 64, 69. Cur Filius Dei potius incarnatus, 248. Ad intelligentiam incarnationis quis perveniat, 1235. Cum hoc mysterium expenditur, non ratio, sed fides sequenda, 92. Sola Dei sapientia expenditur, non mundi, 85, 86. Christianis est materia illuminationis, hæreticis cæcitatis, 99. Quæ de Christo incarnato credenda, 176. Errores circa incarnationem, 74, 99, 107, 179, 336, 373, 1179, 1237, 1359. In incarnatione integer homo susceptus, 705 Christi corpus non prius formatum, et a Verbo assumptum, 98. Incarnationis novus ordo, 68. Sine terreni seminis contagio, 80, 85, 86, 89, 93. Sine peccato, 64, 70, 76, 86, 98, 223, 249, 310, 813 817, 1239.

Christi adventus contra Judæos probatur, 104.

Christi Nativitas. Omnibus natus, et causa lætitiæ, 64, 97. Natus ex Virgine, et cur, 60, 70 Homo sine patre, 98. Cur in Bethleem, 112. Natus in diversorio, 1289.

Christus factus est caro nostra nascendo, nos corpus ipsius renascendo, 77, 245. Christi generatio est origo Christiani populi, 88. Omnes generationes excellit, 108. Conditio servilis a Christo consilio pietatis accepta, 175. Circumcisio et oblatio in templo cur in eo impleta, 722. Infantia ejus est Dei gloria, 105. Honoranda, *ibid* Adorata, 122 Imitandæ infantis virtutes, 114, 138. Adoratio trium magorum, 115, 118, 119, 122, 128, 133, 136, 1289. *Vide* Magi. Fuga in Ægyptum cur, 115, 120. Baptismus cur ab eo susceptus fuerit, 722. Tentatio cur ab eo admissa, 145, 158, 159. Ordo tentationis explicatus, 159. Quibus armis superata, 145. Cur lapides in panem noluit convertere, 150. Causa nobis timendi, nosque cautiores reddere debet, 154. Utramque naturam probavit, 150. Christus se Deum non manifestavit diabolo, 159. Transfiguratio comprobavit in Christo veram divinitatem et humanitatem, 195. Cur una cum discipulis peracta, 194 In ea Moyses et Elias legem et prophetas significabant, 193 Utriusque fœderis paginæ Christo astipulantur, *ibid* Prædicatio, 366. Miracula cur patrarit, *ibid.* Pascha celebrat feria v, luna xiv, 1266. Eo tempore corporis et sanguinis sacramentum condidit, quo consilium de morte ejus habebatur, 220. Passio non Verbi pœna, sed carnis, 253.

Christum vere credit passum, qui credit incarnatum, 248. Figuræ passionis Christi, 231. Impletæ in ejus morte, 204. A Juda proditus, 199, 202, 205, 220. Cur timuit, 205. De ejus oratione, 213. Cur oravit, 223, 224. Captus a Judæis, 199. Pilato sistitur, 216, 225. Calumniose accusatur, 234. Condemnatur, 226. Judæorum et Pilati scelus comparatum, *ibid.* Cur crucem sibi bajulavit, 226, 227. In Simonem Cyreneum crux translata quid innuat, 227. Christus cur noluit mulieres flere, 235 Cur foris, et extra Jerosolymam crucifixus, 227. Crucifixio Christi grande mysterium, *ibid.* Novum et verum sacrificium, 266, 1363. Divinitas, quæ erat in Christo dolente, non erat in dolore, 264. Cur Christus, et quomodo derelictus a Patre, 263. Se ipse quadam ratione deseruit, 265 Cur clamavit in cruce, *ibid.* Ejus voces non querelæ, sed doctrinæ fuerunt, *ibid.* Passionis tempore legum severitas relaxata, 152, 485. Ejus historia lecta in Ecclesia, 198, 207, 212, 255, 272. Ejus participatio certam facit beatitudinis exspectationem, 177. Christi passio usque ad finem producitur mundi, quia in sanctis suis, qui pro justitia adversa tolerant, ipse compatitur, 275. De Christi vocibus *Consummatum est*, 210. Oratio in cruce pro crucifixioribus, et affectio, ex quibus multi conversi, 240, 1347. Nemo est cui non Christi auxilietur oratio, 257. In cruce traxit ad se omnia, 216, 228. Christi passio justior lætandi causa quam dolendi, 231. Christus regnavit a ligno, ut prædictum fuit, 209. Quid in Cruce egerit, 202. *Vid.* Crux Christi. In passione Christi utriusque naturæ opus, 199, 200. Mors Christi feria vi, luna xv, contigit, 1266. Cur mortuus in paschate, 218. Christus et Judæi eamdem mortem diverso fine quærebant, 273. Mortis Christi mysterium, 266.

Christus mortuus pro omnibus, 200, 205, 208, 225, 257. Præcipue pro iniquis, 229. Etiam occidentibus mors Christi profutura, si crederent, 205 Etiam Judæ, si non festinasset ad laqueum, 247. Virtus mortis Christi. 270. Duplex fructus, 262. Per Christi mortem a synagoga ad Ecclesiam, a multis sacrificiis ad unam hostiam evidens est facta translatio, 266. Cur velum templi scissum, *ibid.* et 237. Miracula in morte Christi, 202. Cur Christus dictus *primitiæ dormientium*, 254 In morte nec animam nec corpus Deitas dimisit. 282. Mors Christi Christifidelis liberat, Judæos accusat, 201. Sepultura in dubium vocata in Hispania, de quo Leo miratus est. 709. Ejus dies abbreviati propter discipulos, 282. Descensio ad inferos, 86, 419, 709, 1266. Nec anima Christi diu morsta est in inferno, nec caro in sepulcro, 282. Resurrectio peracta vespere sabbati illucescente Dominico luna xvii, 1266. Multis argumentis probata, 282, 283. Quæ commutatio in carne Christi per resurrectionem, 283. In resurrectione Christi forma immutationis carnis nostræ præcessit, *ibid.* Hæsitatio discipulorum de resurrectione Domini cur permissa, 290. Cum Christo resurgendum, 282. Christo commorimur et conresuscitamus, quando Deo credimus et diabolo renuntiamus, 216. Cur in nocte dominicæ resurrectionis alicubi legeretur capitulum primum Evangelii S. Joannis, 417. Cur clavorum et lanceæ servavit vestigia, 291. Cur a Magdalena tangi noluit, 295. Milites custodes sepulcri resurrectionis testes, 422. Ascensio Christi in cœlum cur post quadraginta dies dilata, 290, 293. Quid Christus hoc spatio egerit, 291. Ascensio Apostolos quantum confirmarit, 291, 294. In hoc festo lætandum, 293. Ascensio nostra est provectio : et ejus utilitas, 290, 293, 293, 294. In ascensione Christus nos non deseruit, 287. Cœpit esse divinitate præsentior, cum factus fuit divinitate loginquior, 294. Majus Christi miraculum fuit cum corpore surgere, et terram in cœlum levare, 423. Genealogiæ Christi cur ordo diversus in Matthæo et Luca, 111, 854. Naturæ duæ in Christo, et una persona, 65, 70, 92, 99, 101, 124, 150, 175, 179, 193, 204, 252, 274, 811, 1241, 1371. Deus sine matre, homo sine patre, 98. Matri et Patri consubstantialis, 110. Christi caro et anima nostris similes, 883. Cur oportuit divinam et humanam convenire substantiam, 212, 271. *Vide supra.* Incarnationis necessitas. Utriusque naturæ proprietates expensæ, 109, 175, 176, 250, 258, 264, 274, 574, 815, 1305, 1373. Utriusque unio inseparabilis, 110. Utriusque naturæ operationes distinctæ, non autem personæ, 204, 819. In Christo duplex voluntas et affectio, 213. Veræ et non simulatæ actiones humanæ, 222 Omnia Christi mysteria veram in eo carnem probant, 253, 254. Veritas carnis probata ex Scripturis, 823. Christus omnes infirmitates, quæ de peccato veniunt, absque peccati communione suscepit, 245. Sacerdotium Christi æternum, 21. Christus novum et verum sacrificium, 227. Adventus ejus ultimus : cur in eo aderit Angelorum multitudo, 295.

Christus verus patriarcha omnium gentium, 246 Via, veritas, et vita quo sensu, 285. Nemini unquam salus nisi per Christum, 111, 199. Etiam in veteri Testamento, *ibid.* Plus nobis Christus contulit, quam diabolus abstulit, 202.

Digitized by Google

Spoliavit diabolum potestate, 71. Quomodo minor sit Patre, 75, 85, 92. Christi vita lex est vivendi, 136.

Chrysophius episcopus Gallicanus, 890, 1111.

Ciborum natura omnis bona, nec cum Manichæis aliqui cibi damnandi : nimietas, non natura vitiosa, 160. Abstinentia et discretio ciborum usum moderatur, non naturam damnat, *ibid.*

Circensibus ludis Romani dediti a Leone reprehensi, 336.

Claves S. Petri, 17, 18. Clavium potestas portas misericordiæ reserat, 186.

Clerici. Qui admitti non debeant in clerum, 612 *seqq.* *Vid.* Ordinatio, ubi de impedimentis ad ordines Ecclesiam suam deserere nequeunt, 583. Clericum alienum nemo suscipiat invito suo episcopo, 689. Concessio Episcopi scripto danda, 679. Clerici ab hæresi, vel schismate redeuntes quatenus per indulgentiam et dispensationem in suum gradum recepti, 575. At ad altiorem gradum non promovebantur, 577. In iis recipiendis non adhibebatur impositio manuum, nisi essent rebaptizati, et cur, 1334 *not.* Non subjiciebantur publicæ pœnitentiæ, sed privatæ, 1421. Ignorantia in clericis non ferenda, 976 Ordinationis præcedentia intra eumdem gradum locum præcedentem tribuebat, quique ordinatione posterioribus locum suum cederent, reprehensi, 735. In clericis fenus præcipue vetitum, cum et in laicis sit illicitum, 613. Clerici a sanguine abhorrere debent, 1211. Clericorum continentia, 687, 688. *Vid.* Continentia.

Codices mss. in editionibus adhibendi, *præf. n.* 4. Quantum interest diversæ originis codices distinguere et invenire, 513. Quinam codices hujusmodi in sermonibus Leonis recolendis adhibiti, *præf. Quesn.* Quot diversæ originis recogniti in editione epistolarum, 514 *seqq.*

Codices Græci huic editioni utiles, et quæ in his peculiaria, 557.

Cœlestia corpora hominum militati serviunt, 65, 96. Cœleste regnum. *Vid.* Gloria cœlestis.

Coelectæ, de quibus S. Leo aliquot sermones habuit, unde institutæ, 23. In quem mensem incideret, quotque diebus fierent, *ibid.* In quem usum converterentur, *ibid.* Ad Ecclesias diaconales Urbis deferendæ erant, 58 *not.*

Collectiones partim editæ, partim ineditæ originis diversæ, in quibus Leonis epistolæ continentur, hæc in editione recognitæ, 513 *seqq.* I. Vaticana Reginæ Sueciæ, 514. II. Corbeiensis, *ibid.* III. Barberina et Vaticana, 515. IV. Lucensis et Colbertina, *ibid.* V. Quesnelliana, *ibid.* Quinque præcedentium collectionum præstantia, 518. VI. Dionysiana, 519. Cui conciliat Cresconiana ex Dionysio sumpta, *ibid.* VII. Hadrianea, quæ aliquid Dionysio adjecit, *ibid.* VIII. Additamenta uberiora posteriora Dionysio, 521. IX. Hispanica, *ibid.* Duo manuscriptorum genera hujus collectionis distinguenda, alterum pure Hispanicum, alterum ex Hispanico codice transcriptum in Gallia. Primum inventum in cod. Vindebonensi, secundum in Vaticano. In illo multæ lectiones mendosæ, sed quæ ad genuinam lectionem magis accedunt, inventæ sunt; in isto autem liberius emendata menda codicis prioris Hispanici, sed librarii arbitrio, quæ a genuina lectione discedunt, 523. Aliquot hujus rei exempla proferuntur, 696 *not.*, 701 *not.*, 702 *not.*, 703 *not.*, 709 *not.*, 775 *not.*, 918 *not.*, 922 *not.*, 983 *not.*, 1005 *not.*, 1045 *not.*, 1046 *not.*, 1051 *not.*, 1064 *notl.*, 1065 *not.*, 1072 *not.*, 1074 *not.*, 1165 *not.*, 1166 *not.*, 1174 *notl.*, 1176 *not.*, 1200 *not.*, 1201 *not.*, 1258 *not.*, 1259 *not.*, 1275 *notl.*, 1276 *not.*, 1359 *not.*, 1363 *not.*, 1366 *not.*, 1369 *not.*, 1381 *not.*, 1405 *not.*, 1407 *notl.*, 1416 *not.*, 1418 *not.*, 1429 *not.*, 1444. X. Isidoriana, quæ in epistolis Leonis sumpta est ex collectione Hispanica originis Gallicanæ, 525. Non est eadem ac collectio edita a Merlino, *ibid.* XI. Vaticano-Ottoboniana, Isidori collectione auctior, *ibid.* XII. Merliniana, 527. Sichardiana, 531. XIII. Florentina S. Marci, 531. XIV. Avellana, 533. XV. Arelatensis, *ibid.* XVI. Thessalonicensis, 535. XVII. Chalcedonensis, 537. In Græco textu est vetustissima omnium, ejusque tempus figitur, 539. De Latino ejus textu notabilia, 541. XVIII. Grimanica, 543. Hujus prærogativæ, 546. XIX. Ratisponensis, ejusque antiquitas atque præstantia, 547. Videtur illa, quam Vigilius papa ad Justinianum imperatorem misit, *ibid.* XX. Romana S. Crucis in Jerusalem, 549. XXI. Collectio epistolarum LVI S. Leonis diversæ originis a collectione XI, 551. XXII. Veneta S. Marci, *ibid.* XXIII. Alia Vaticano-Ottoboniana, 553. XXIV. Collectio epistolarum LXXI, *ibid.*

Comensis episcopus Abundantius, qui idem est ac Abundius, 1083 *not.*

Communio operum bonorum quomodo fiat, 346.

Communio sub utraque specie, et cur, 161. Communio sacramentorum per januam reconciliationis pœnitentibus tribuenda a sacerdotibus, 1174. Communio paschalis, 189. Manichæi communionem sanguinis declinabant, et cur 161.

Computi paschales Romanus et Orientalis diversi, 1282. *Vid.* Pascha.

Conciliorum provincialium utilitas, 622, 689, 724. Frequentanda, et quid in iis agendum, *ibid.* His etiam Spiritus sanctus adest, 679. Ab his sine causa legitima non licet abesse, *ibid.* Concilium Romæ quotannis celebratum XII kal. Octobris, 724. In die ordinationis S. Leonis, 6, 9. Nulla tamen lege cogente, 22 *not.* Conciliorum intermissio quæ damna pariat, 713. Sententia in hæreticum lata, nisi resipiscat, a nemine relaxari potest, 856.

Concilium generale quodnam vere sit, 1060, 1065 *not.* Quodnam proprium ejus opus, 1157. Pontificis assensus in indictione requisitus, 1019, 1025, 1197. Ejus præsidentia per legatos, 1062 *not.*, 1090, 1100. Confirmatio ejus requisita, *vid.* Chalcedonense.

Concilium Aquileiensis provinciæ contra Pelagianos a Leone præceptum, 590. Chalcedonense, *vid.* Chalcedonense. Constantinopolitanum in Eutychen, 739, 740, 756. Aliud, in quo lecta et recepta S. Leonis epistola, ad Flavianum, 1487. Constantinopolitanum sub Theodosio, 1096, 1113, 1130. Ejus præsides, 1130 *not.* Ejus canones ad Apostolicam sedem non missi, nec recepti, 1165. Ephesinum i laudatum, 1061, 1073, 1215. In eo Juvenalis ambitus ad Palæstinæ principatum, *ibid. et not.* Dux fuit S. Cyrillus, 742. Quo sensu præfuerit, 1073 *not.* Ephesinum, quod in latrocinium transivit, *vid.* Ephesinum II. Gallicanum, ex quo synodica ad Leonem, 1107. Mediolanense, ex quo alia synodica, 1080. Nicænum I contra Arium, 1323. Romanum contra Manichæos, 50 *not.*, 624, 626, 708. Aliud in causa Hilarii Arelatensis, 633. Aliud in quo Leo cavit de rebus Ecclesiæ Panormitanæ, 728. Aliud contra latrocinium Ephesinum, 909, 919, 937, 938. Aliud habitum in die Sancti Petri sacro, 962. Quæ esset hæc dies et annus, 959. Aliud ob quæstionem quamdam circa baptismum, 1406.

Concilium intra Italiam post Ephesinum latrocinium in remedium scandalorum petunt a Theodosio S. Leo, 906, 915, 923, 957; Valentinianus, 964; Placidia, 966; Eudoxia, 970.

Concionandi munus solis sacerdotibus competit, 1217, 1227. Non laicis, nec monachis, *ibid.*, 1211. Ab episcopis debitum, nec dimittendum, 118, 140, 218, 238, 1287. Consuetudo episcopalis concionis in Ecclesia Romana, 285.

Concubina an sit conjux, et quæ, 1422, 1423.

Concupiscentia, *vid.* Cupiditates. Multæ bonæ concupiscentiæ in animis hominum, 361.

Conditioni originali obligati qui intelligantur, 613 *not.*

Confessio, et in ea accusatio, 90, 1174. Liberat judicio, 190. Solis sacerdotibus fit, et secreta. 1451. Quidam pastores inter pœnitentiæ opera peccatorum publicationem præcipientes reprehensi, 1430 *not.* A sacerdotibus actio pœnitentiæ datur, et per januam reconciliationis ad sacramentorum communionem pœnitentes purgati admittuntur, 1174. Sacerdotis precibus collata remissio, *ibid.*, 1431. Per Ecclesiæ preces, 1435 *Vid.* Reconciliatio. Confessio nisi vera sit, peccati abolitionem non obtinet, 1062.

Confessorum coronæ, 1317. Confessionis gloria, 1377.

Confirmationis sacramentum chrisma salutis et signaculum vitæ æternæ, 81.

Conscientia quomodo discutienda, 148, 153, 165, 183, 453. Quidquid secretum conscientiæ maculat, diligentissimis emundationibus delentur, 190. Necesse est ut bonis actibus conscientia delectetur, ut libenter faciat quod fecisse se gaudeat, 533.

Consecrati appellati qui erant baptizati, 610, 611.

Consecratæ virgines, 1426.

Consecratio episcopi, presbyteri et diaconi, 622.

Constantianus episcopus Gallus, 1107, 1110, 1136.

Constantinopolitanum concilium, *vid.* Concilium. Constantinopolitani episcopi, Joannes Chrysostomus, Atticus, Proclus, 1277. Flavianus; *vid* Flavianus; Anatolius, *vid.* Anatolius; Gennadius, *vid.* Gennadius.

Constantinopolis civitas regia non potest fieri sedes Apostolica, 1149. Constantinopolitani clerici favebant Eutychianis sub Leone Augusto, 1318, 1325.

Constantinus episcopus Gallus, 890, 998.

Constantinus, qui primus imperio splenduit Christianus, 96.

Constantius episcopus Gallus, 998, 1107, 1110, 1136.

Constitutiones Innocentii, et prædecessorum Leonis servandæ, et qua pœna digni, qui eas infringunt, 616. Constitutiones Romanorum pontificum *auctoritates* appellatæ, 711 *not.*, 735. Etiam ab episcopis Gallis, 995 *not.* Dictæ quoque *apostolica decreta*, 663 et 665 *not.*

Continentiæ lex duplex, spiritus et corporis, 535, 565. Continentiæ laus, 190. Mater virtutum, 191. Ad virtutem continentiæ nihil potius pertinet, quam ab erroribus absti-

Digitized by Google

nere, 317. Clericorum continentia, 687, 688. Lex continentiæ imposita episcopis, presbyteris, diaconis, et quid de iis, qui ante ordinationem erant uxorati, 1421. Etiam subdiaconis præscripta, 687.]

Conversio non differenda, 1176. Sera quam est incerta, *ibid.*

Cor hominum de operum qualitate ostenditur, 135 Cordis ager quibus modis colatur et fecundetur, 44, 57, 58. Cordis oculus mundandus est, ut Deus videatur, 371.

Correctio morum est donum Dei, 144. Correctio proximi semper optanda, 172, 182. Nemo desperandus, quamdiu vivit, 1423. Correctio, cum spes non adest, omittenda, 1209 Sumenda etiam in perverse impios, 1180 Quomodo Christus Judam correxit, 220. In correctione dilectio servanda, 684. Pro diversitate personarum diversimode agenda correctio, *ibid.* Qui per correctionem alios ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat, 707. Quibus non prodest correctio, non parcat abscissio, 1318. Moderatio sedis apostolicæ hanc temperantiam servat, ut et severius agat cum obduratis, et veniam cupiat præstare correctis, 849. Quantum prælati ad correctionem obligentur, 1318. Segnis eorum indulgentia quantum damnabilis, 1319.

Creaturarum prædicatio gloriæ Dei, 59. Nulla creaturarum natura mala, 700. Quomodo creaturis utendum, 96. Creatura mutabilis est, etiam cum non mutatur, 705.

Cremonensis episcopus Joannes, 1084.

Crispinus episcopus Ticinensis, 1082.

Crux Christi veri altaris sacramentum, 209 Causa spei nostræ, 212. Crucis mysterium, 227. Sacramentum et exemplum, 283. Antiquitus præfigurata, 204. Non erubescenda, 197, 199. Crucis signum in fronte præferendum, 1243 Crucis quanta efficacia, 228 Effectus, 257. Est arma Christianorum pugnantium contra mundum, 287. Crux piis nunquam deest, 173. Quid sit crucem portare, 288. Crux, quam iniquitas Judæorum paravit ad pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam, 208 Crux aliis gloria, aliis pœna, 231 Crucis victoria nulli negata, 257. Ad crucem in tentatione recurrendum, 275. Crux Leonis tempore Jerosolymis, 1289 Num crucis particulam Juvenalis ad Leonem miserit, 1293 *not.*

Cultus Dei verus quis, 89

Cupiditates diabolo militant, 296.

Curiensis episcopus in prima Rhætia Asinio, 1085.

Cyclus decemnovennalis Alexandrinorum quos annos embolismales, et quos communes recipiebat, 601, 609. Num Nicæni Patres hunc cyclum probarint, 604 *not.* Ejus divisio in Ogdoadem et Hendecadem, 608 *not.*

Cyclus Latinorum annorum LXXXIV, 608 *not.* Quo anno inceperit, *ibid.* Romani Cycli paschales laudati a Leone, 1090 Fuerunt annorum LXXXIV, sed antiqui saltum lunæ recipiebant singulis duodecim annis, recentiores singulis annis quatuordecim, *ibid. not.*, 1230 *not.* Prosper emendationem induxit, 602 *not.*, 1055.

Cyprianus episcopus Brixillianæ Ecclesiæ, 1082.

Cyriacus episcopus Laudensis, 1083 Synodo Mediolanensi ad Leonem mittitur, 1081.

S. Cyrillus episcopus Alexandrinus synodo Ephesinæ I præfuit, 1073. Vicem gerebat Cœlestini Papæ, *ibid. not.* Cyrilli epistola in scrinio Romanæ Ecclesiæ servata, 1006, 1216. Ad Leonem tum R. E. diaconum scripsit de ambitu Juvenalis Jerosolymitani in Palæstinæ principatum, 1216. Duæ ejus epistolæ a S. Flaviano lau atæ, 754. Cur, *ibid. not.* Cyrilli epistola ad Nestorium Gallis a Leone proposita, 1001 Cur, *ibid. not.* Doctrina ejus laudata, 1006, 1010, 1139, 1254, 1257, 1258 Scribit ad Leonem de paschate anni 444, teste Paschasino. 608 *not* Fragmentum hujus epistolæ, 601. Ad Leonem papam datum, loqui de paschate anni 444 probatur, 595, 599. Testimonia ex ejus operibus a Leone excerpta, 1396.

D

Dacianus S. Vincentii martyris persecutor, 248.

Daniel episcopus Ægyptius ordinator Timothei Solophacioli episcopi Alexandrini, 1437.

Daniel presbyter ad Leonem missus ob ordinationem Timothei Solophacioli episcopi, 1436, 1437.

David rex vixit annis mille et amplius ante Christum, 260. Quomodo in Christo est passus, et Christus in David est carne crucifixus, *ibid.*

David episcopus Africanus a Leone remissus cum litteris, 666.

Dedicatio ecclesiæ dicta *ecclesiæ Natalis*, et festo celebrata, 453.

Dertonensis episcopus Quintus, 1082.

Desiderius abbas Montis Casini, cui postea fuit Victor III, 473.

Deus summe perfectus, 700. Omniscientissimus, 165. Ejus descriptio, 67. In Deo justitia et clementia, 40. Ejus justitia non debet displicere, 41. Dei præscientia, 260. Deus præsciendo quod est faciendum, non cogit ut fiat, 261. Apud Deum incommutabilis rerum ordo, 260. Ejus natura ineffabilis, 299. Dei facies, id est Divinitas, oculis corporeis videri nequit; posteriora ejus, seu humanitas, sicut in mundo fuit visibilis, ita et in cœlis, 453. Dei voluntatem ex ipsis etiam elementis disci, 57, 59, 385. Deus cur pater fidelium, 89. Deo gratiæ agendæ de omnibus, 48. Non tam in abundantia, quam in sterilitate, 41. Quid ei offerendum, 90. Dei verus cultus, 89. Quomodo Deus colatur, 60. Solus adorandus, 72, In sanctis honoratur, 275. Ejus honor ritibus infidelium non est miscendus, 95. Dei gratiæ voluntatique serviendum, 90. Deus imitandus, *ibid.*, 171, 370. Deus prior nos dilexit, 39. Omne bonum operatur in nobis, 20, 40. Dat velle et posse, 90. Per dona Dei meremur, 117. Dat Deus quod petitur, qui dedit unde peteretur, 135. Si est oneris auctor, est administrationis adjutor, 9. Signa habitationis Dei in nobis, 142. In Deo quid sit non pœnitere, 21. Gloriandum in Deo, 22. Cum Deus magister est, cito discitur quod docetur, 297. Accendit mentium nostrarum lucernas, et igne nos suæ charitatis inflammat, ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit diligamus, 40. Dei providentia cur divites et pauperes esse voluerit in sæculo, *vid.* Divites, *et* Pauperes. Deus leges generales administrat quas condidit, 48. Semper humano generi a Deo fuit consultum, 78. Benignitas Dei nulli misericordiam suam denegat, 130. Suspendit justitiæ suæ sententiam ut pœnitentia quæratur, 165, 189. Dei patientia non abutendum, 189. Suæ pietatis est denegare nocitura petenti, 213. Deus non est auctor peccati, 261. Quærendum a Deo præcipiente auxilium, *vid.* Oratio, Gratia Dei. Qui mundi videbunt Deum, 371.

Diaboli astutia, et artes, 93, 149, 179, 182, 217, 276, 341, 349. Diaboli organa quæ, 133. Utitur hominibus ad alios decipiendos, 94. Quomodo diabolus superandus, 133, 134 Quomodo infirmetur, 146. Diabolus maximam hominum partem sibi superstitionibus subdit, 30 Primum superbus ut caderet, deinde invidus ut noceret, 31. Olim non immerito sibi in homines jus tyrannicum vindicabat, 70. Illusus in nativitate Christi, 69, 70, 71. Destructus ejus principatus a Christo, 232, 249, 269. Victus in cruce, 256. Per quod vicit, victus a Christo, 243. Non potentia virtutis, sed justitia rationis ejus dominatio destructa, 248. Cur Christus tentarit, 159. Sanctificatione nostra torquetur, 45. Bene operantibus magis insidiatur, 45, 49, 149, 179, 186. Maxime in Christianos sævit, quia ei in baptismo renuntiarunt, 154. Ejus invidia in nos, 182. Quos non potest malis actibus corrumpere, impiis subvertit erroribus, 271. Hæretici ministri diaboli, 49. Tot habent species diaboli, quot simulacra mendacii, 271. Si diabolus animas justificatas negligentes repererit, sævioribus laqueis rursus innectit, 275. Diaboli beneficia nocentiora quam vulnera, 276. Nova ejus in Christianos persecutio, 134. Diaboli et Herodis similis insidiandi furor, 133. Quomodo primum hominem deceperit, et quibus orbarit, 67. Diaboli invidiam qui imitantur, 182. Sacramentum redemptionis latuit diabolum, 270. Priscillianistæ diabolum Dei opus esse negabant, 700. Dissensio inter homines et diabolum inveterata, 145.

Diaconiæ Urbis quæ et quot fuerint, 23. Collectæ eleemosynæ ad diaconales Ecclesias Urbis deferendæ, 38 *not.*

Diaconus minister sanguinis Christi, 427. Diaconi munus duplex, sacramenta ministrare, et ecclesiasticas dispensare substantias, 338. Diaconi ordinatio ex canone et traditione peragenda die Dominico, 622. Interdictum eis conjugium, 687, 1421.

Dictinius episcopus in Hispania tractatus scripsit Priscilliani dogmatibus infectos, 707. Ab errore discessit, *ibid.*

Dies Dominica dies salutis et lætitiæ nostræ, 161. Dies resurrectionis Dominicæ dicta, 630, 699. Unde ejus præstantia, 630. In hac mundus cœpit exordium, *ibid.* Hæc dies ordinationi disputata, 639.

Diebus festis vestitus nitidior et templa ornatiora, 153. Quomodo celebrandi, 454. Anima maxime purganda, 153. Cessandum a labore, 455.

Dilectio Dei, *vid.* Charitas.

Dimissoriæ clericis scripto dandæ, 679.

Diœcesis episcoporum regimini commissa in hodiernam vulgarem significationem, 1527.

Dionysius, Romanæ Ecclesiæ notarius, Leonis epistolam ad Constantinopolitanos attulit, 931, 976.

Dioscorus Alexandrinus episcopus, initio episcopatus a Leone laudatur, et instruitur, 628. In Ephesino concilio malæ ejus artes, 911. Impedivit lectionem epistolæ Leonis ad S. Flavianum, *ibid.* Tyrannis et impia gesta, *ibid.*, 921, 926, 929, 933, 946, 1040, 1092, 1222 *seqq.* Fidei et morum vastator, 1246. Inaudita et incredibili audacia excommu-

Digitized by Google

nicationem meditatus est contra S. Leonem, 1092, 1225 *not.* Ejus nomen ad altare non recitandum, 1040. Damnatus in concilio Chalcedonensi, 1094, 1126, 1139. Sententia in eumdem, 1142. Ejus mors, 1295.

Disciplina quomodo tempori accommodanda, 1330.

Dispensatio pontificia in canonibus, *vid.* Canones. Leo amore reparandæ fidei et pacis studio dispensavit cum Maximo Antiocheno episcopo contra canonum regulas ordinato, 1153. Dispensatio cum Andrea CP., ut ad presbyteratum promoveretur, 378. Aliæ dispensationes, *ibid.*, 664, 665. Dispensationes post factum ex causa, 664, 665. Dispensatio recusata etiam in necessitate cum bigamis, aut viduarum maritis, 674.

Disputationes cum hæreticis in rebus definitis, et tractatus novi vitandi, et cur, 1301, 1303, 1310, 1322, 1338, 1340, 1345.

Dives nemo sibi soli factus est, 27, 32, 61. Cur divites abundare Deus voluit, 27. 48. Quomodo divitiis uti debeant, 35, 38. Dives Dei minister et pauperum œconomus, 188. Habet partem pauperis, *ibid.* Neglectus pauperum non est venialis, 35, 37. Tam sunt iniqui qui non juvant pauperem quam qui opprimunt, 38. Parum est diviti non auferre aliena, nisi det et sua, 341. Boni divitis animus, 367, 368.

Divitiæ bonæ sunt, et quatenus, 34. Earum non tam possessio, quam dispensatio nobis commissa, *ibid.* Non bene expensæ causa peccati, *ibid.* Pereunt male conditæ, 35. Cui committendæ, ut æternæ sint, 53 Dum erogantur, augentur, *ibid.* Qua ratione in tuto ponantur, 338. Quem earum usum religio doceat, 339. In divitiis timenda elatio, 367.

Doctrina catholica nec maculam perfidiæ, nec rugam potest habere mendacii, 252. A doctrina evangelica ne uno quidem verbo licet dissidere, 1044.

Domini quomodo se gerere debeant erga servos et subditos, *vid.* Famuli.

Domitianus episcopus a Leone legatus in Orientem, 1344, 1433.

Donatista schismaticæ pravitatis, 665.

Donatus Salicinensis episcopus Africæ ex Novatiano conversus una cum sua plebe, 665.

Donorum cœlestium mensura ex operum nostrorum qualitate non pendet, 9. Dona sua non vult Deus otiosa, 341. Donis Dei est juste ac sapienter utendum, 34. Dona terrena et corporalia a Dei largitate proveniunt, 34. *Vid.* Beneficia.

Dorotheus monachus ablatus a monasterio, 1297.

Dorus episcopus Beneventanus, 732.

Dubia Romam frequenter delata, 1405, 1416. Decisa vel ex Scriptura, vel ex regulis Patrum, 1405. Leo de difficilioribus tractare voluit in synodo, et cur, 1406. Non definiendum ex suspicione ambigua, 1407. Quædam colloquiis aptius definienda, quam scriptis, 1419. Quænam regula in dubiis servanda, *ibid.* Episcopi Galli etiam post decisiones conciliorum Galliæ dubia ad apostolicam sedem detulere, et cur, 1414.

Dulcitius Romanæ Ecclesiæ notarius, 837. A Leone legatus ad Ephesinam II synodum, 865.

Dynamius episcopus Gallus, 1111.

E

Ecclesia supra fidem Petri fundata, 12, 239, 461. In Petri soliditate consistit, 634. Hanc soliditatem violat qui Petri potestatem tentat infringere, *ibid.* Pro tota Ecclesia Christus oravit, 289. Adversus eam nihil prævalere potest, 15. Distincta est ordinata gradibus, et ex diversis membris ejus integritas, 14. *Vide* Hierarchia Ecclesiastica. Extra Ecclesiam nihil est integrum, nihil castum, 317, 491. Ecclesia Christi libertatis familia, 203. Ecclesiæ unitas exigit concordiam sacerdotum, 691. Fides, et unitas Ecclesiæ custodiendæ, 1077.

Ecclesiæ ortus in nativitate Christi, 88. Inter persecutiones Ecclesia augetur, 134. Unde totius Ecclesiæ profectus, 58. Ejus unitas visibilis explicatur, 155. Una unius Ecclesiæ casta communio, 1039. Ecclesia est corpus Christi, 1040 Culpæ præsidentium sacerdotum integritati Ecclesiæ non præjudicant, 1157. Pietatis opera cum universa Ecclesia peragere quantum præstet, 345, 348. Horum operum unitas potentissima, *ibid.* Quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione apostolica et de sancti Spiritus doctrina dimanat, 316 *not.* Ecclesiæ lenitas etsi sacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum Principum constitutionibus adjuvatur, 696 Ecclesia nihil de hoc mundo metuit, vel concupiscit, 703. Ad Ecclesiæ pacem utriusque potestatis nexus necessarius, 983. Ecclesiam turbantes regia potestate coercendi, 1211.

Ecclesia luminaribus ornata, 434. Ornatior diebus festis, 153. *Vid.* Basilica, Dedicatio Ecclesiæ.

Ecclesiæ Romanæ laudes, 321, 374, 941 *seqq.*, 1222. In apostolicæ petræ arce fundata, 14. Ecclesiæ regionum Urbis, 29, 32. Ad quas collectæ publicæ afferebantur, in egenorum subsidium a præsidentibus distribuendæ, 38. Hæ Ecclesiæ quot essent diaconis assignatæ, 23.

Ecclesiarum privilegia quibus fundamentis nitantur, 1147. Non violanda, 1149.

Ecclesiastica bona non alienanda, 728. Quibus conditionibus concessa alienatio, *ibid.*

Electi et Electæ apud Manichæos, 50.

Electi sunt pauci, 185. Cur, *ibid.* Electi omnes et in Christo crucifixi, et in Christo coronandi, 271.

Electiones Ecclesiasticæ quam alienæ esse debeant a carne et sanguine, 11.

Eleemosyna. Ejus meritum et utilitas, 27, 28, 29, 32, 34. 36, 37, 48, 49, 53, 57, 61, 172, 343. Christo impenditur, 27, 28, 38 Est quidam baptismus, et alterum a peccatis lavacrum, 28, 63 Ejus purificatione mundantur peccata, 36, 63, 186, 316. In ea si non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas, 29, 39, 45, 47. Non census in ea, sed affectus pensatur, *ibid.*, 63, 346. Potest eorum esse par animus, quorum impar est census, 346 Ab omnibus est facienda, 30, 45, 169, 346. Etiam a pauperibus, 30, 63. Quidquid in eleemosynis impenditur, non minuitur, sed augetur, 183, 315. Est pia usura, 53. Orationem juvat, 48, 52. Cum jejunio copulanda, 343. Abundantiores sint eorum eleemosynæ, qui jejunare non possunt, *ibid.* Ejus omissio damnationis ratio, 35, 37. Quibus maxime danda, 33. Infidelibus etiam danda, 155. Fideles præfereudi, *ibid.*, 350. Verecundis ita danda, ut consulatur et paupertati et pudori, 33. Indigentibus danda antequam petant, 411. Qui dat eleemosynam est minister misericordiæ divinæ, 188. Eleemosynæ largitas sic temperanda ut de illa et pauperum refectio gaudeat, et domestica sufficientia non laboret, 347. Parum est non auferre aliena, nisi largiaris et propria, 341. Qui necessitatibus alienis non consulit, nihil distat a bestiis, 62.

Eparchius episcopus Gallus, 1111.

Ephesinum concilium I, *vid.* Concilium.

Ephesinum II indictum a Theodosio, 851, 856, 865. At requisita Leonis auctoritas ut indictio effectum consequeretur, 865. Latrocinium evadit, 1077. Quæ in eo perpetrata, 911, 912, 946, 974. 1077, 1322. Leonis epistola non recitata, 921. Ei latrocinio contradixerunt Leonis legati, 913, 921, 923, 928, 935. Gesta ejus a Leone reprobata, 904, 913, 923, 928. Et ab omni occidentali concilio, 928. Mali auctor Dioscorus episcopus Alexandrinus, 929. Nomen synodi non meretur, 1031, 1064. Detestandum judicium, 1287.

Epicarpius presbyter Beneventanus male antiquioribus præpositus, 735.

Epiphania est Christi manifestatio, 112, 115. A prophetis prænuntiata, 121. In Epiphania vocationis gentium inchoatio, 121. Quare hoc festum institutum, 128. Quomodo honorandum, 117. Epiphaniæ mysterium adhuc in Ecclesia adimpletur, 132, 140. Quidam putant hac die Dominum ad Joannis baptismum accessisse, ideoque baptismum conferunt, 722.

Epiphanius a Leone cum litteris missus Constantinopolim, 931, 976. Tribunus vocatur, 956.

Episcopi summi sacerdotes, 891. Super omnes gradus constituti, 671. Quæ eorum virtutes, *ibid.* Eorum est vigilare ne fidei unitas violetur, 1253. Omnes in Christo fuerunt edocti, 719. Non sola fides et doctrina episcopum facit, 1432. Ipsorum dignitas communis, non autem ordo, quo sensu intelligendum, 691 *not.*

Episcopi electio diu non differenda, 688. In electione cleri plebisque consensus requisitus, 637, 639, 679, 688, 1420. Nullus episcopus detur invitis, 679, 688 Si partium vota divisa sint, metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus et studiis juvatur et meritis, *ibid.* Qui, et qua probatione eligendi sunt, 659. Non ex laicis ordinandi, 662, 665. Ex presbyteris vel diaconis optimus eligatur, 688. Episcoporum unctio, 11, 228. Comprovinciales episcopi cum metropolitani judicio eos consecrent, 1420. Non ex bigamis, *vid.* Bigami. Anniversaria solemnitas celebranda, 10. Episcopi non facile a sede avellendi, 690 Episcoporum translationes reprobatæ, 689. Episcopi belli tempore ab Ecclesiis suis non debent abscedere, 1047. Quid de episcopis non laborantibus existimandum, 708, 709. Episcopis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præposita, 18. Episcopalis mansuetudo et lenitas quæ, 696. Episcopum difficultates et labores deterrere non debent, 1417. Episcoporum continentia, 688. Qui alios ab errore non revocat, errare se demonstrat, 707, 708. Negligentes in pascendo suum gregem reprehensi, 716. Inscientia in episcopis inexcusabilis, 614, 717, 1287.

Digitized by Google

Episcoporum est prædicare, *vid.* Concionandi.
Episcoporum constantia quam necessaria, 1311, 1314.
Episcoporum gradus quatuor, *vid.* Hierarchia.
Episcopi lapsus sedi ejus nocere non debet, 1167. Maxima episcoporum cura est observantia canonum, 735. Episcoporum judicia matura, 763. Eorum culpæ non præjudicant Ecclesiæ, 1157. Debitum eorum corrigendi, 1318. Segnis indulgentia, et dissimulatio quam in ipsis damnabilis, 1319.
Episcopi pro fide exsules revocati, 1032, 1046.
Epistolæ pacis, id est communionis, 1185.
Epistolæ plurali numero de unica epistola dictæ, 677 *not.*
Epistolæ Pontificiæ *auctoritates* appellatæ, 711 *not.* Item *apostolica decreta*, 663, 665. Quæ confirmabant synodum generalem, legendæ erant in Ecclesiis Orientis, 1182.
Errantes ex sanctorum traditione instruendi, 1257.
Errores veritati splendorem conciliant, 1112.
Eucharistia corporis et sanguinis Christi participatio, 247. Facit ut in id quod sumimus, transeamus, *ibid.* In ea veritas corporis et sanguinis Christi, 356, 977. Eutychiano errori opponitur, 336 *not.* Est sacrificium, 356. Accipientes eam respondebant *Amen*, 357. Parvulis data, 977. Manichæi communionem sanguinis declinabant, 161. *Vide* Communio.
Eudocia Augusta a Leone ex secreto imperatoris hortatu monita, et cur, 1209 *not.*
Eudoxia Licinia post latrocinium Ephesinum ad Theodosium scribit de turbatione Ecclesiarum, 968. Alia est ab Eudoxia, quæ Romæ S. Petri templum renovavit, 455 *not.*
Eugenius episcopus Gallus, 1111.
Eulalius episcopus Gallus, 1111.
Eulogius episcopus Iporiensis, 1083
Eunomius hæreticus, 49.
S. Euphemia. In ejus confessione Chalcedonensis synodi Patres definitionem fidei super altare posuerunt, 1128 *not.*
Euphratas accusator Flaviani episcopi CP. si satisfactionem det, presbyter ordinari a Leone permittitur, 1274.
Eupsychius Leonis epistolam ad Flavianum attulit, 889.
Eusebius episcopus Dorylæi contra Eutychem libellum Flaviano episcopo dedit in synodo Constantinopolitana, 739. Leonem adit, 1037. Multa discrimina laboresque causa fidei toleravit, 1041. Ejus Ecclesiam Leo commendat Anatolio CP. ne eo absente quid depereat, *ibid.*
Eusebius episcopus Mediolanensis synodum suæ provinciæ jussu Leonis coegit, ejusque synodica, 1080.
Eusthasius episcopus Augustanus, 1033.
Eusthatii episcopi Beryti nomen ad altare non recitandum, 1040. Innocentes et catholicos sua persecutione vexavit, *ibid.*
Eusthatius episcopus Gallus, 1111.
Eutyches ante sui erroris condemnationem ad Leonem scribens, quosdam Nestorianæ hæresis accusat, 737 *not.* Multum imprudens, et nimis imperitus, 801. Accusatus ab Eusebio episcopo Dorylæensi, et in synodo CP. damnatus, 739, 756, 763, 767, 786. Appellationem in synodo a se interpositam, et non susceptam prodit, 740, 741, 742, 763. In quo mentitus est, 786. Post damnationem scribit ad Leonem, 739. Appellationis libellum ad eum mittit, 742. Libellum fidei suæ edidit, *ibid. not.* Et ad Leonem direxit. *ibid.*, 1481. Obedientiam Leoni simulat, 741, 765, 841, 867. Scribit ad S. Petrum Chrysologum, qui eidem rescribit, 775. Gesta Constantinopoli contra eum ad Leonem a Flaviano missa, 755, 786. Eutychen, si errorem suum damnet, communioni restitui ac in suo gradu recipi Leo concedit, 835, 841, 851, 858, 861, 867, 870. Eum in remotiora loca ablegandum, et catholicum ejus monasterio præficiendum petit Leo, 1049. Perverse dogmatizat in exsilio, et ad longinquiora ac secretiora transferendus petitur, 1275, 1276. Hæresim specie pietatis tuebatur, 854. Anathematizatur ab Ecclesia CP., 1059. Adversus eum subscripserunt omnes Orientales ante concilium Chalcedonense, 1066.
Eutychis error, ejusque rejectio, 100, 179, 204, 288, 356, 373, 756, 784, 809, 833, 1049, 1138, 1158, 1214, 1223, 1238, 1357 Manichæis affinis, 976, 1179. Valentino et Apollinari, 756, 782. Arii errori favet, 978. Et Photini, 980. In aliis hæreticis jam olim damnatus, 373, 1036, 1038. Romæ a negotiatoribus Alexandrinis sparsus, 373 Quæ victoria Ecclesiæ in extinctione hujus erroris, 1145. Tractatus in errores Eutychetis, 365 *seqq.*
Eutychiani quomodo fallere studebant catholicos, 1058 *not.* Se defensores Nicænæ fidei venditabant, catholicos a Nicæna fide desciscere traducebant, 935 *not.*, 1323, 1339 *not.* Leoni papæ Nestorianismum impingebant, 1258. Ejus epistolam ad Flavianum obscuram traducebant, 1314. Hinc Leo primum credidit falsatam suam epistolam in Græca versione, *ibid.*, 1260. Dein detexit ex perversitate interpretantium id oriri, 1314 *not.* Eutychianorum turbæ post Martiani obitum et Constantinopoli, et Alexandriæ, 1299 *not.*, 1301 *not.*
Euxitheo Thessalonicensi episcopo Leo scribit, 1311.
Evangelium narrat quod prophetia prænuntiavit, 230. Ab evangelica doctrina ne ullo quidem verbo licet dissidere, 1044.
Examen epistolæ Leonis ad Flavianum in Chalcedonensi quatenus liberum fuerit salva auctoritate sedis apostolicæ, 1220 *not.* Examen conscientiæ, *vide* Conscientia.
Excommunicatio pro levibus non ferenda, 640. Nec ad indignantis episcopi arbitrium, *ibid.* Ejus effectus, *ibid.*, 859, 861 Cum rejectis ab unitate Ecclesiæ non communicandum, 374. Excommunicatio hæreticorum, *vide* Hæretici. Excommunicatio comminatoria, 1169.
Exemplum bonum præbere est, et sibi et aliis prodesse, 130 Boni exempli fructus, mali damna, 131. Exempla sunt validiora quam verba, 338.
Exorcismorum usus in Ecclesia, 342, 723.

F

Famuli et subjecti quo loco habendi, 152, 155, 173, 180. Cur alios alii subjici Deus velit, 188.
Faventius episcopus Rhegiensis, 1082.
Faustus abbas CP., ad quem Leo scripsit, 859, 937, 963, 1011, 1015.
Fecunditas terræ a Deo repetenda, 48. *Vide* Abundantia.
Festi dies, *vide* Dies festi.
Fideles pauci in veteri Testamento, multi in novo, 78. *Vide* Christianus.
Fides. Ejus virtus et meritum in iis quæ visui non subjacent constituta est, 268, 293. Fidei justitia, 21. Fides et impios ad justitiam, et mortuos revocat ad vitam, 193. Fides justificat 1012. Sine operibus mortua est, 36. Charitas robur fidei, fides fortitudo est charitatis, 171. Fidei et charitatis nexus, *vide* Charitas. Fides sine charitate esse potest, 31. Non sufficit ad salutem. 182. Quod fide creditur, opere imitari necesse est, 136. Fides quæque pretiosa efficit, 169. De fidei libertate frustra gloriatur, qui servit cupiditati, 135. In fide angusta via quæ ducit ad vitam, 83. Sine fide nihil sanctum, nihil castum, nihil vivum, 82. Explicatur, 493.
Fides catholica unde, 1061. Fidei fons et canalis, 1075. Ejus commendatio et unitas, 82, 839. Catholica fides, quæ vera et una est, nulla se patitur diversitate violari, 1338. Episcoporum est vigilare ne fides violetur, 1253. Tunc fides vera fructuosissime defenditur, quando etiam a sectatoribus suis opinio falsa damnatur, 835. Violari potest brevissima adjectione aut commutatione litterarum, 1254. Fidei nihil addi, nihil minui potest, 1237. Fides ratiocinio contrario non obnoxia, 1138. Humilitatem exigit, 1235. Semel definita non sunt in dubium revocanda, 1075 Nec retractanda, 1064, 1301, 1303, 1304, 1310, 1322, 1338, 1340, 1345. Vitandi concertationum et disputationum strepitus, et quatenus fides defendenda, 765, 1075, 1537, 1345 Nihil gloriosius quam fidem propugnare, 888.
Fidei constantia mirabilior facta ex difficultate credendi, 274 Fides antiqui et novi Testamenti eadem, 204, 244. Antiqui in fide Christi vixere et placuere, 199, 204, 244, 256, 268. Sola fidei luce attingi potest Christi Dei hominisque mysterium, 140. Fides ascensione Domini aucta, et Spiritus sancti munere roborata, 294. Hujus fidei mirabiles effectus, *ibid.* Caute de fide loquendum, 1225. Ad fidem multi veniunt Leonis tempore, 83. Fidei puritas splendescit, cum ab ea sordes separantur errorum, 935.
Fides Petri fundamentum Ecclesiæ, *vide* Ecclesia. Soliditas fidei Petri perpetua est, 12, 461. Eadem fidei soliditas in suos successores transfusa, 22.
Fides Romana ab Apostolo commendata, ac nulla hæresi violata, 274. Ab initio Evangelii in toto mundo prædicata, 14.
Filius Dei Patris unicus, 803. Patri consubstantialis, 110, 823. Consempiternus, 805. Verus Deus, 817. Numquam inferior Patre, 101. Illi est æqualis cum Patre divinitas, 823. Dei Filius ante sæcula a Patre genitus, et Patri sempiterna et consubstantiali æqualitate coæternus, 83. In nullo a Patre differens, et cur, 805 Manens in forma Dei fecit hominem, 813. Factus est homo, *vid.* Christus. Filii Dei apparitiones in veteri Testamento. 854.
Flavianus episcopus CP. in synodo Eutichem damnat, et acta ad Leonem mittit, 756, 786. Accusatur ab Eutyche quasi libellum appellationis a se oblatum noluerit recipere, 740, 742. Rescribit eum in hoc mentitum, 786. Quam necessarium duxerit quantique fecerit Leonis judicium,

Digitized by Google

788. Leonis epistolæ ad eum in hac causa, 767, 792, 801, 885, 887, 889, 951. Ejus zelus laudatus, 792, 887, 1036, 1156, 1277. In Ephesino latrocinio libellum appellationis ad apostolicam sedem legatis dedit, 906. 915. In eodem perverse damnatur, 946, legatis contradicentibus, 928. Dioscorus in eum immaniter sævit, 951. Leo jubet Constantinopolitanos Flaviano adhærere, 953, 957. Quod fecerunt, 975. In exsilio obiit, et tempus ac locus mortis, 952. Ejus corpus Constantinopolim cum honore allatum, et in basilica Apostolorum positum, 1032, 1036, 1046. Flaviani virtutes, quæ illum usque ad confessoris gloriam provexerunt, 1156. Flavianus *sanctæ memoriæ* appellatus, 1278, 1285, 1293. Memoria beati Flaviani, 1280. In sanctis commemorandus, 1090, 1101.

Florejus presbyter Ecclesiæ Iporiensis, 1082.

Florus episcopus in Gallia, 1110.

Fenus quam grave malum, 53, 54. Injustum, *ibid.* Etiam a divitibus perceptum, 467. Laicis et clericis interdictum, 615.

Fenus cum Deo pium quodnam sit, 55.

Fontejus episcopus Gallus. 998, 1111. Fuit episcopus Vasensis, 998 *not.*

Formatæ litteræ diei paschalis indices, a Romano pontifice quotannis missæ, 1079, 1260, 1283, 1297.

Fortitudo solida, quæ nulla inæqualitatum perturbatione quatiatur, paucorum est, 164.

Fraternus episcopus Gallus, 1111.

G

Galla Placidia, *vid.* Placidia.

Gallæciæ episcopi dicti *Gallicii*, vel *Gallici*, 710 *not.* Leo eis concilium cogendum indixit, *ibid.*, 711, ob Priscillianistarum hæresim in Gallæcia serpentem, *ibid*

Gallicanorum religio ex apostolica sede manavit, 1109. Innumeris relationibus Gallicani episcopi apostolicam sedem consulunt, 654. Appellationes ad sedem apostolicam ex consuetudine deferunt, *ibid.* De Gallicanis Ecclesiis plura S. Leo decernit, 635 *seqq.* Papæ sententia per Gallias valitura, 643. Valentiniani imperatoris sanctio, ne quid episcopis Gallicanis contra veterem consuetudinem liceat sine papæ auctoritate tentare, 644. Ravennii Arelatensis consecrationem Leo suo judicio roborat, 890. Pro sede Arelatensi contra Viennensem preces episcoporum ad Leonem missæ, 995. Controversia ab eo definita, et sui cuique metropoli limites assignati, 998. Leo ad Gallos episcopos mittit suam Epistolam ad Flavianum cum secretis mandatis, 1001. Quid spectarent hæc mandata, *ibid. not.* Quantum Gallicani deferant Romano pontifici, 1109 De accepta ejus epistola gratias agunt, 1108. Synodicam ad eum mittunt, 1107. Hæc a Leone mittitur Constantinopolim 1315.

Gallicanæ Ecclesiæ doctrina a pontifice laudata, 1137, 1315. Gallicani episcopi a Leone instruuntur de damnatione Dioscori, 1140. Tres Gallicani episcopi gratias agunt de accepta epistola Leonis ad Flavianum, quam et per omnes Ecclesias asserunt celebrari, 1003. Illius epistolæ exemplar a se descriptum mittunt ad Leonem ab eodem corrigendum, si quid librarii errore defuerit, et remittendum, 1004. Remissum fuit, *ibid. not.*

Gaudium, *vid.* Lætitia.

Gelasii epistola ad Dardanos duplici exemplo ab eodem pontifice scripta, 651.

Geminianus episcopus legatus Leonis ad Leonem Augustum, 1344, 1433.

Genealogia Christi duplex in Evangeliis, et quare, 854.

Generationes mirabiles omnium ætatum, 108.

Geneva Viennensi episcopo a Leone subjecta, 999.

Gennadius episcopus CP., 1433, 1479.

Gentiles vocati ad fidem, 103.

Gentilium furor in Christianos præsertim ordinis sacerdotalis, 338. Gentiles quæ sunt humana, in Christo contemnant, 212, 213.

Gennensis episcopus Paschasius, 1083.

Genus humanum. Hujus radix corrupta, 361. In damnationem nascitur, 86. *Vid.* Peccatum originale.

Georgius monachus præsumendo illicita, et propositum et nomen monachi amisit, 1211.

Gerontius episcopus Gallicanus, 1107, 1111, 1136.

Gerontius delator epistolæ Juliani episcopi ad Leonem, 1295, 1296. Remissus cum epistola Leonis, 1328.

Gloria cœlestis regni, 237. Ejus bonum æternum, 45, 48, 75, 97, 142, 185, 203, 343, 345, 352, 364, 1329. Pro spe æternorum levissimum ducendum est temporalium detrimentum, 194. Via ad gloriam, 271, 288, 341. Gloria confessoris Flaviani CP., 1156.

Gloria Dei. Ad Dei gloriam cuncta referenda, 318. Non in nobis, sed in Domino gloriandum, 22, 142, 318, 1219. Gloria nostra in gloria Dei agnoscenda, 173. Utendum bonis datis ad gloriam dantis, 60.

Gloria vana mundi non quærenda, 138, 359, 364. Magis timendum in gloriam suscipi quam in humilitate calcari. 455.

Græcam linguam quam pauci apud Latinos probe callerent, et exactam versionem ex Græco redderent: et similiter quam rari apud Græcos Latinam linguam perfecte tenerent, accuratamque interpretationem ex Latino proferrent, 557. Hinc de minus exacta Græca versione suæ ad Flavianum epistolæ Leo dubitat. 1258. Eam a perito utriusque linguæ græce reddi cupit, 1258, 1260. Difficultas apte transferendi in Græcum opera, quæ de rebus subtilibus agunt, 1257. Difficultas transferendi in Latinum, 1274. Multæ epistolæ Leonis Græce redditæ, et quando, harumque interpretationum auctoritas, 558, 559. Quædam Græcorum epistolæ ab initio græce et latine scriptæ, ac missæ in Occidentem, ac utraque exempla originalia habenda, 1112 *not.*, 557. Græcizantes Alexandriæ, 1274

Gradus varii in Ecclesia, 14. *Vid.* Hierarchia ecclesiastica.

Gratiæ divinæ laus, 59. Necessitas, 58, 141, 187, 1207. Non secundum merita hominum, sed secundum multitudinem divitiarum sapientiæ Dei misericorditer præparata, 261. Pelagianorum contrarius error damnatur, 591. Gratia excitans, 181. Gratiæ adjutorium, 211. Gratia Christi non solum excitat mentem, sed et adjuvat actionem, 985. Deus juste instat præcepto, qui præcurrit auxilio, 265. Gratiæ est inchoare et perficere, hominis voluntarie cooperari, 181. Cooperatores sumus gratiæ Dei operantis in nobis, 130. Qui dedit velle, donabit et posse, ut sinus cooperatores operum ejus. 90 Deus ad vincendum vires subministrat, 1357. Homo bona agens habet a Deo et effectum operis, et initium voluntatis, 141. Gratia operatur omnia in omnibus, 346 Omnis bonorum operum donatio, divina præparatio est, 592. Deus, qui præstitit velle, donat et posse, 187. Quomodo gratiæ cooperetur homo, ut interius renovetur, 163 Gratiæ opus latronis conversio, 202. Non prius quisquam justificatur virtute, quam gratia, quæ unicuique principium justitiæ et bonorum fons atque origo meritorum est, 592. Gratia quid maxime operetur in corde, 47, 48 In quo appareat mirabilior, 9. Gratiæ opus in Magis, 112, 123 Homo redemptus et renatus corrumperetur carnali desiderio, nisi spirituali munieretur auxilio: quia sicut illi numquam deest unde corruat, ita semper præsto est unde subsistat, 55.

Gratia antiquis Patribus data est eadem ac quæ nobis datur, 76. Semper per gratiam generi humano consultum fuit a bonitate divina, 78. Sed præcipue post incarnationem, *ibid.* Quid nobis divina gratia in incarnatione contulerit, 97. Nemo est credentium cui dona neganda sunt gratiæ, 245 Sine Dei adjutorio fortes esse non possumus, 353 *not.* Impossibilia ex infirmitate per opera, possibilia fiunt virtute gratiæ, 352. Dei gratia præteudit auxilium, et obedientia mollit imperium, 150. Gratiæ ne subtrahatur obedientia, 163. Implorandum adjutorium Dei, ut sine quo nihil possumus facere, per ipsum omnia valeamus implere, 187. Si quid impossibile aut arduum homo in præceptis invenit, ad jubentem recurrat, qui ideo dat præceptum, ut excitet desiderium, et præstet auxilium, 163. Ideo datur præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium, 187. Specialia gratiæ dona, 259.

Gratia donans victoriam, non aufert dimicandi materiam, 514. Hæc sanctis causa timendi, ne ipsis operibus pietatis elati, deseramur ope gratiæ, et remaneant in infirmitate naturæ, 141. Per Christum cuncta possumus, qui sine eo nihil possumus. 1418. Ejus tam potentia sunt adjutoria quam vera promissa, 1419.

Gratiarum actio Deo debita, 7, 20, 41, 48, 52, 62, 66, 72, 115, 121, 247, 986, 1042, 1076, 1109, 1139, 1154, 1172, 1206, 1246, 1256. Leo gratias agit Romanis ob favorem in electione ad pontificatum, 7.

Gratianopolis Viennensi episcopo a Leone subjecta, 999.

Gratus presbyter Euthasii Augustani episcopi vices gerit in concilio Mediolanensi, 1083.

Gratitudo, *vid.* Beneficia, Gratiarum actio.

S. Gregorii Nazianzeni testimonia Leo Eutychianis opponit, 1395.

Gulæ illecebræ, 159, 319. De illecebra edendi omnia vitia fuerunt infusa, 342. Malum intemperantiæ gulæ, 58.

H

Hæresis ex falsa religione descendit, 854. Ex privatis opinionibus et præsumptione docendi sine scientia, 108.

Digitized by Google

Cur a Deo permissa. 856. Quod malum pariat, 982. Christianæ religionis inimicissima, 1078. Opprimenda prius quam vires acquirat, 854. Primus ad hæresim gradus est hæreticos patienter audire, 710. Hæresum contra Incarnationem catalogus, 40, 81, 99, 107, 373. Hæreses latere non possunt, 372.

Hæretici sunt prodendi, et quibus denuntiandi, 33, 51, 161. Rei sunt de silentio, qui hæreticos non prodendos putant, 51. Ejecti sunt ab unitate Ecclesiæ, 374. Hæretici diaboli ministri, 49. Filii et discipuli diaboli, 150. Veniunt in vestimentis ovium, 49. Christianum nomen usurpant, 49, 271, 1212, 1213, 1238. Eorum artes deceptoriæ, 81, 82, 707. Ingenium, 1223. Sunt fugiendi, 81. Non tolerandi, 1178. Ab Imperatoribus reprimendi, 1306, 1320. Contra ipsos arma fidei arripienda, 33, 51. Eorum præsertim capita exsilio pellenda, 161. Jus non habent habitandi nec orandi in ecclesiis, 1320. Orandum pro hæreticis, 127. Ipsorum nomina ad altare non recitanda, 1040, 1051. Colloquia vitanda, 271, 375, 374. Neque in civilibus cum ipsis communicandum, 50. Se invicem anathematizant, 1213.

Hæretici correcti qua cautione in communionem suscipiendi, 589, 594, 665, 709, 751, 838, 851, 861, 867, 870, 1037, 1040, 1078. Metu in hæresim lapsi, conversi et suscepti, 1039. In eodem quo redeunt ordine relinquendi, 575, 577, 751. Dummodo non sint rebaptizati, 750 *not.*, 751. Eorum principes Leo sibi discutiendos reservat, 1051. Cum hæreticis damnatis de fide non disputandum, 1340. Hæ disputationes quam infelicem exitum habere soleant, 1322

Hæretici baptizant valide, 1334. Quo sensu ab his baptizati, conversi impositione manuum erant confirmandi, *ibid.* *not.*

Helladius episcopus Gallus, 1111.

Hel, idius episcopus Ægyptius pro fide extorris, 1336.

Herodes fuit alienigena, 118. Ejus sævitia, 113, 120, 128, 140. Cæcitas, 124. Herodis et diaboli similis insidiandi furor, 133. Christum natum mundo nuntiat, eum e mundo tentat auferre, 115. Ejus malitiam in infantium bonum Deus ordinat, 113. Herodes mystice quid, 128.

Hermes archidiaconus Narbonensis Rustici episcopi litteras ad Leonem affert, 1416.

Hierarchia ecclesiastica. Hujus gradus tres recensiti, levitæ, seniores, et sacerdotes, 228. Summi antistites, secundi ordinis sacerdotes, sacramentorum ministri, 181. Gradus quatuor, episcopalis, presbyteralis, leviticus, seu diaconorum, et subdiaconorum, 687, 688. Quatuor gradus hierarchici inter episcopos, episcopalis, metropoliticus, Exarchicus, et pontificius, 692. Quo sensu his gradibus dignitas, non autem ordo communis sit, 691 *not.* De primatu Romani pontificis in universam Ecclesiam, *vid.* Romani pontificis primatus. Intra eumdem gradum antiquior ordinatione non poterat juniori locum suum cedere, 735. Conversi ab hæresi et in suo gradu recepti ad primatum intra eumdem gradum non promovendi, 1278.

S. Hilarius Arelatensis episcopus deponit Celidonium episcopum, 635. In Projecti episcopi ægrotantis locum alium irregulariter ordinat, 636, 637. Ob Celidonii appellationem ad Romanum pontificem Romæ in concilio adest, 638. Dein se subduxit, 640. Privatur metropolitica potestate, 639, 699. Valentinianus legem fert hac de causa, 642 Defunctus *sanctæ memoriæ* a Leone vocatur, 890.

S. Hilarius episcopus Pictaviensis a Leone allegatus, 1383.

Hilarus episcopus Gallus, 1107, 1111.

Hilarus Romanæ Ecclesiæ diaconus legatus ad synodum Ephesinam a Leone, 837, 841, 851, 865, 870. Ne impiis gestis subscribere cogeretur, effugit, 911, 921. Protestatus est, 913. Omnia gesta nuntiavit Leoni, 907, 911, 921. 929. Scribit ad Pulcheriam Augustam, 926.

Hispanorum synodum Leo præcipit contra hæresim Priscilliani, 710. Hæc hæresis in Hispania a Turribio inventa, 712. Galli episcopi documenta a Leone accepta contra Eutychen ad Hispanos mittunt, 1002 *not.* Leo Gallicanis episcopis committit, ut victoriam fidei in concilio Chalcedonensi contra Eutychianam hæresim partam Hispanis episcopis nuntient, 1140. Formata de indictione Paschatis anni, 455. A Leone ad Hispanos missa, 1283.

Homo cur ad imaginem Dei conditus, 39, 62. Si permansisset in statu innocentiæ, non fuisset mortuus, 79, 1291. Ex primo homine condemnatio in omnes cum peccato transivit, *ibid.* Radix humani generis corrupta, 361. Hominis excellentia, 96. Indigentia, 700. Renovatus in Christo, 66. Natura hominis mutabilis semper potest recidere et crescere, 148. Nemo in hac vita immunis a tentatione, ac liber a crimine, 185. In hominibus attendenda est naturæ communio, 180, 182, 191, 192. Morum similitudo homines sociat, 40. *Vide.* Natura humana.

Honoratus episcopus Gallus, 1111.

Humilitatis et *humanitatis* voces promiscue a Leone adhibitæ, 83 *not.*

Humilitas est tota Christianæ vitæ disciplina, 137. Christi humilitas victrix et magistra, 136. Humilitatem Christus docuit, 114. Humilitatis remediis vulnera superbiæ curavit, 86. Humilibus et obedientibus nihil arduum atque difficile, 130. Humilitas Divinitatis nostra provectio est, 199.

Hypatius Chorepiscopus legatus Theodorîti ad Leonem, 930.

I

Idatius episcopus Gallus, 1110.

Idatius episcopus Hispanus, 711, 615, 1475.

Idolothytorum esus illicitus, 1332, 1428.

Illyrici metropolitis Leo scribit 617, 677, 1311. Illyricianorum dubitationem circa epistolam Leonis ad Flavianum Aetius et Theodoritus excludere nisi sunt, 1220 *not.*

Imperatores ad regnum evecti ea maxime de causa ut fidei et Ecclesiæ auxilium ferant, 1122, 1323, 1345. Hæretici ab iisdem cohibendi, 1306, 1327. Eorum est scandala contra fidem et disciplinam resecare, 1185, 1188, 1381. In honorem Dominicæ passionis et resurrectionis reos relaxabant, 152, 180, 485.

Impositio manuum varie accepta, 1334 *not.* Ritus pœnitentiæ et reconciliationis, *ibid.* Non adhibebatur cum clericis conversis, et cur, 1335 *not.* 1421.

Incarnatio Verbi. Dei consilium in incarnatione, 811. Incarnationis dogma astruitur, 84, 85, 1019, 1071. *Vid.* Christi incarnatio. Incarnationis qualis sit verus venerator, 92.

Infantia quam Christo sit grata, 138. Infantia Christiana, *ibid.* *Vid.* Pueri.

Inferi portæ contra quid prævalere non possint, 13. In inferno nulla est satisfactio, 131. Æterna mors, 63. Æternum supplicium, 1318. Æternus ignis, 36. Æterni cruciatus, 32.

Infidelitas omnium malorum mater, in multas opiniones distrahitur, 268. Polluit jejunantem, 317. Quo sensu, 492. Num S. Leo docuerit omnia opera infidelium esse peccata, 491. Infidelis exsors misericordiæ Christi, 168. Quo sensu Leo id scripserit, 486.

Ingenuus episcopus Gallus, 998, 1110, 1138. Fuit episcopus Ebredunensis, 1458. Ad Leonem legatus a Gallicanis, remittitur, 1139.

Ingratitudo quam periculosa, 333. Ingrati est animi beneficia tacere, 7.

Inimici diligendi, et cur, 41, 63, 147, 180. Ipsis est parcendum, 147, 166, 187.

Innocentia. Fideles ad perfectam innocentiam, et ad plenam debent tendere puritatem, 190.

SS. Innocentes veri martyres cœlo inserti a Christo, 113. Fuerunt consortes passionis Christi, 139. In ipsis cunctorum martyrum forma præcessit, 140. Felix eorum ignorantia, 116. Fuerunt multi, 1289.

S. Innocentii I Romani pontificis et decessorum decreta servari Leo jubet, 616.

Innocentius episcopus ex una suburbicariarum provinciarum Leonis epistolam in suam provinciam defert, 615.

Interstitia in ordinationibus servanda, *vid.* Ordines.

Invidiam diaboli qui imitantur, 182.

Iporiensis episcopus Eulogius, 1083.

Itali episcopi a Leone instructi, 625.

J

Jacob prophetat de Christo, 118.

Januarii episcopi Aquileiensis vigor a Leone laudatus, 729. Prima Leonis epistola ad episcopum Aquileiensem non fuit data ad Januarium, 581.

Jejunium utrique testamento congruit, 331. Jejunii præceptum non est abrogatum novæ legis gratia, sed confirmatum, sicut et præceptum dilectionis, 46, 52. Jejunium Christianorum si Judæis commune est in temporibus, non concordat in moribus, et cur, 348.

Jejunia Ecclesiæ auctore Spiritu sancto instituta, 313. Apostolicis sanctionibus disposita, 62. Ex Apostolica traditione, 168, 319. Jejunium statim ab apostolis celebratum, postquam Spiritu sancto fuere repleti, 314. Jejunium ex auctoritate indicitur, et ex charitate suadetur, 340. Ex apostolica institutione omnium virtutum regulæ a jejunio inchoandæ, 319. Jejunium Quadragesimæ, 189. *Vid.* Quadragesima.

Jejunium quatuor temporum ab Ecclesia per totum annum descriptum, 59. Cur institutum, 43, 48, 52, 62, 266, 315, 320, 363. Jejunium decimi mensis ex veteri Testamento assumptum, 46. Ecclesiasticis regulis adjunctum, 62.

Digitized by Google

Jejunium septimi mensis et apostolicis et legalibus institutis electum, 365. Jejunium quatuor temporum non ubique præceptum et custoditum, 56 *not.* Quatenus nihilominus de apostolica traditione hoc præscriptum dici potuit, 316 *not* Cur post festivitates Paschatis et Pentecostes fuerit ordinatum, 315, 320.

Jejunii laus et utilitas, 42, 43, 47, 58, 89, 143, 156, 317, 320. 342. Jejunio addenda eleemosyna, 43, 47, 63, 147, 151, 168, 183, 343. Et oratio, 42, 44, 48, 343. Aliæ virtutes, 146, 147, 151, 157, 162. Alia jejunia legitima, alia voluntaria, 340. Lege sancita quantum præstent, 347 *seqq.* Jejunium ab omnibus observandum, 184. Jejunium observatum etiam a Catechumenis, 165. Quale jejunium pertineat ad infirmos, 168. Qui jejunare non potest, suppleat eleemosyna, 343. Jejunium indictum refectis atque robustis, tenuibus atque pallentibus, 409. Jejunium pœnitentiæ necessarium, 351. Jejunium hilare esse debet, 347. Jejunandum est a cibis, sed multo magis ab erroribus, 355 Duplex jejunium, carnis et spiritus, 364. Spiritale jejunium in quo positum, *ibid* Jejunium corporale absque spirituali non prodest, 60, 364. Jejunium sanctum et spirituale, 174. A culpa jejunandum, 191. Jejunium sterile quod, et quo sensu, 343 *not.* Ciborum discretio in jejuniis, 160. Jejunia et alia pia opera publica efficaciora sunt quam privata, 56 *not.*, 345, 346, 348. Præcipue contra diaboli insidias. 56. Per jejunium omnia vitia expellenda, 342. Quidam dæmones non expulsi exorcismis, sed in oratione et jejunio, *ibid.* Israeliticus populus Deum non placavit nisi in jejunio, 344. Jejunia infidelium, *vid.* Infidelitas.

Jerosolymis habitans Christianus, quantum ipsorum locorum mysteriis eruditur, 1287, 1289.

S. Joannes Baptista prophetat in utero matris, 108, 128. Matrem Dei indicat, 108. Verum Pascha docuit impletum, 273.

Joannes Baptista Marus, *Pr. Serm.* § 7.

S. Joannes Chrysostomus laudatus, 1277. Testimonia ex ejus operibus a Leone excerpta, 1393.

Joannes decurio missus in Ægyptum pro causa fidei, 1296.

Joannes episcopus Cremonensis, 1084.

Joannes episcopus ordinator Timothei Solophatioli episcopi Alexandrini, 1437.

Joannes presbyter CP. ad Leonem recurrit, 1054.

Johas ordinator Timothei Solophatioli, 1437.

Judæorum cæcitas, 116, 119, 212, 236, 253. Impietas, 104, 219, 226, 236, 415. Blasphemiæ, 209. Crudelis et simulata clementia in Christum, 216. Obduratio, 236, 266. Punitio, 207, 257. Fuerunt famuli et stipendiarii diaboli, 269. Quod Judæi perdiderunt, assecuti sunt gentiles, 203. Ex Judæis multi conversi, 210. Pro Judæis orandum, quia ob eorum offensionem gratiam reconciliationis accepimus, 273. Curandum ut resipiscant, et quomodo, 129. Pro ipsis oratio Ecclesiæ tempore passionis, *ibid.* Nec ipsis negatum sacramentum salutis, *ibid.* Eorum sævitia conversa in causam salutis, 129, 201. Judæorum nudipedalia, 348 *not.* Quomodo in Scripturarum intelligentia Judæi a Christianis discrepent, 104. Quomodo Judæi se præpararint ad pugnam contra Philistæos, 143. Christi oratio in cruce pro Judæis, et effectus hujus orationis, 240. Judæi Christianis quomodo serviant, 119. Judæis veritas est scandalum, 129. Ad Christi agnitionem excitantur, *ibid.*

Judas omnibus sceleratior et infelicior, 215. Patrabat miracula, 262. In cœna corpus et sanguinem Christi accepit, 215. Cur non repulsus ab hoc sacramento, 220. A diabolo possessus, et quando, 221. A corpore apostolicæ unitatis abscissus, *ibid.* Privilegio perfidiæ obtinuerat in facinore comprehensionis Christi principatum, 213. Ejus pœnitentia infructuosa, et cur, 201. Tam perversa fuit ejus conversio, ut etiam pœnitendo peccarit, 214. Homo inconvertibilis, 205. Prius in desperationem transiit quam sacramentum generalis redemptionis Christus impleret, 240. Potuisset consequi remedium, si non festinasset ad laqueum, *ibid.* Christi misericordiam flexisset, si ejus non negasset omnipotentiam, 201. Merito Judæ pœna sibi commissa, quia in supplicium suum nemo ipso sævior potuit inveniri, 262. Etiam moriendo peccavit, 240. Ejus facinus omnem mensuram ultionis excesserat, 205.

Judicia Episcoporum sint matura, 763. Varii ecclesiasticorum judiciorum gradus, 689.

Judicii extremi forma, 31, 172. In hoc præcipue versabitur, num homines misericordes fuerint in pauperes, 36, 37. In judicio potestas Christi, 200. Judicii dies etsi est occultus, non dubitatur esse vicinus, 58 Cur dilatus, 130. Hæc dilatio peccatores decipit, *ibid* In eo aderit angelorum multitudo, et cur, 205 Judicii meditatio utilis, 30, 31. Suam sententiam quisque habet in manu, 191. Vindicta in alium est judicium in se, 188. Christus non est venturus ad judicandum, donec peragantur tempora multiplicandis Ecclesiæ filiis præstituta, 294.

Julianus episcopus Gallus, 1111.

Julianus Coensis episcopus patria Italus, 1042. Romæ nutritus, 1190. Ejus amicitia cum Leone, 1052. Leonis ad eum epistolæ, *Catal. alphab. Epist*, *Dissert. de ep. deperd.* Pulcheriæ commendatur, 1037. Et Anatolio CP., 1041, 1270. Auctoritate Leonis suffultus, 1042. Legati Leonis cum eo debebant participare consilia, 1043, 1052, 1053. Adjunctus legatis destinatis ad generale concilium. 1061, 1065, 1066, 1067. A Leone arguitur, quod intercederet pro privilegio sedis CP.. 1172. Legatus in comitatu vice Leonis, 1187, 1189, 1190. Ejus officium, 1189, 1191, 1205, 1276. Mittit ad Leonem Breviarium fidei, 1192. Injungit ei Leo collectionem et versionem omnium actorum Chalcedonensium, 1194 Interpretationem etiam epistolæ ad Flavianum, 1260. Leonis epistola XXXV Græce reddita aliquot locis detruncata, 875. Cur, 873. Leoni imperatori a Leone pontifice commendatur, 1325.

Julius episcopus Puteolanus legatus a Leone ad Ephesinam II synodum, 837, 867.

Julius idem, vel alius, cui Leo commisit exsecutionem epistolæ ad Dorum Beneventanum episcopum, 736.

Julii papæ epistola ab Eutyche allegata supposititia, Apollinarique tributa, 745 *not.*

Jus ligandi atque solvendi, quod fuit in Petro, manet in successoribus ejus, 22. Jura sedium non minuenda, 1214, 1267.

Jus Romanum, 1422.

Justianus episcopus Vercellensis, 1084.

Justificatio gratuita, 223. Non meritis retribuitur, sed sola gratiæ largitate donatur, 186. Justificationis auctor Deus, 262.

Justitia vere perfectorum quæ, 148. Justitiam amare est Deum diligere, 370. Justitiæ evangelicæ abundantia posita est in abundantia charitatis, 358. Justitiæ fames et sitis quæ, 370. Magis delectat justitia quam iniquitas, 362. Justitia Christiana quatenus supra Pharisaicam abundet, 358. Semper augenda, 168, 481. De sua justitia nemo præsumat, 9. Nemo timere debet pati pro justitia, 197.

Justis quæ causa tremendi, 141. Numquam se perfectos præsumant, 148. Obtrectationibus iniquorum obnoxii sunt, 164. Justitia quæ ad vitam ducit suavis, 186.

Justus episcopus Gallus, 890, 1110.

Juvenalis Jerosolymitanus episcopus Palæstinam sibi subjicere tentavit in Ephesina I synodo, 1215. Cui S. Cyrillus sese opposuit, et ad Leonem tunc Romanæ Ecclesiæ archidiaconum scripsit, 1216. In pseudosynodo Ephesina nimis temere se hæreticorum blasphemiis copulavit, et Eutychem Dioscorumque amplexus est, 1180, 1192, 1285. Innocentes et catholicos vexavit, 1040. Imperitiam ostendit, 1051 Ejus nomen ad altare non recitandum, 1040, 1051. Se postea consilio saniore correxit, 1180, 1287. Proindeque ab hæreticis e sede sua pulsus, 1180. In eam restitutus, 1245, 1246, 1280. Duos legatos cum litteris ad Leonem mittit, quibus Deo respondet, 1285.

L

Labia iniqua et lingua dolosa describuntur, 49. Diabolo æquiparantur, *ibid.*

Lætitia Christiana, 151, 231. Vera animi lætitia Deus, 360. Lætitia, seu gaudium mundi, 185. Lætitia cordis noxia, 362.

Latro usque ad crucem reus, et in cruce repente Christi confessor, 202. Ejus conversio opus gratiæ, *ibid.* Quam velox fidei ejus effectus, 210. Latrones duo figura electorum et reproborum, 208.

Laudensis episcopus Cyriacus, 1083.

Laudes non semper veræ, 163. Laus humana merces hypocritarum, 359. Laudé non caret, quod homo homini ut homini præstat, 172.

S. Laurentius præsul aerarii et ærarii ecclesiastici, 338. Ejus fortitudo, *ibid.* Supplicium, 339. Segnior fuit ignis qui foris ussit, quam qui intus accendit, *ibid.* Roma illustris Laurentio, *ibid.*

Lectores et subdiaconi uxores et filios procreare possunt, 1422.

Legati Leonis ad Ephesinum II concilium, 837, 867. Alii pro reparandis scandalis latrocinii Ephesini, et Anatolii CP. causa, 1007, 1010, 1012. Alii pro recipiendis lapsis, 1046, 1048, 1052. Alii duo legati his additi, et missi pro Concilio Nicæno primum in Licto, dein Chalcedone habito, 1061, 1064, 1066, 1069. Duo missi in Orientem petente Leone Augusto, 1344. Julianus legatus in comitatu, unde Nuntiorum apostolicorum origo, *vid.* Julianus Legati pontificis in conciliis ejus præsentiam exhibent, 1061, 1064. In ipsis pontifex concilio præsidet, 1063 *not.*, 1090, 1100, 1140, 1141.

Legati de latere pontificis missi, 859, 870. Unde hæc formula : est Leone anterior, 859 *not.*

Digitized by Google

Legitimus episcopus in una suburbicariarum epistolæ Leonis delator, 615.
Lenitas ecclesiasticorum quæ, 696, 1547, 1548.
S. Leo Magnus. Ejus patria Roma, 837. Archidiaconus Joannem Cassianum movit ad scribendos libros de Incarnatione contra hæresim Nestorii, qui eidem fuere nuncupati, *Testim.* Ad eumdem archidiaconum scribit S. Cyrillus, 1216. Absens eligitur Romanus episcopus, 7. Cunctis suffragiis, *ibid. not.* Consecrationis die brevem sermonem habet, in quo de electione gratias agit, 7. Non tam præsidere, quam servire gaudebat, 22. Anniversarium diem suæ consecrationis celebrat, 8 *seqq.* In quo episcoporum conventus habebatur, 13.
Leonis zelus in Pelagianos provinciæ Aquileiensis, 589, 594, 730 *not.* Alii Pelagiani et maxime Julianus a Leone contriti, 584. Roma evanescunt, *ibid.*
Leonis inquisitione Manichæi Romæ detecti, 50, 80, 127, 624. Conventum hac de causa habet, et gesta in eosdem, *ibid.*, 626, 708. Quo tempore, 584. Hæc gesta Leo transmittit ad Italos episcopos, 624. Et in Hispaniam ad Turribium, 708. Ob hos hæreticos profligatos Leonis zelus etiam in Oriente celebris, a Theodorito laudatur, 944.
Leo damnat Priscillianistarum errores, 695 *seqq.* Quid egerit in causa Eutychis, *vid.* Eutyches, *et infra.* A Theodosio imperatore invitatus ad Ephesinum ii cur eo non accesserit, 857. Concilium intra Italiam pro remedio scandalorum latrocinii Ephesini petit ab eodem Theodosio, 906, 915, 923, 937. Tractatum Romæ habet ob ordinationem Anatolii, 1000 *not.* Valentinianum et Augustas in die festo S. Petri monet ad concilium intra Italiam petendum, 962, 964, 968, 972. Quinam esset hic dies festus, 959. Invitatur a Marciano ad synodum in Oriente congregandam. 1025. Cur de hoc prius non respondit, 1034 *not.* Synodum differri optat, 1047. Legatos mittit vicem præsentiæ suæ impleturos, 1061, 1064, 1065. Quid egerit quoad concilium Chalcedonense, *vid.* Chalcedonense concilium. Ob negatam confirmationem canonis Chalcedonensis pro privilegio sedis CP. laudatur a Marciano Leonis constantia, 1184 *not.*, 1203. Quam fortiter restitit Anatolii ambitui, 1172. Marcianum deprecatur, ut ejus ambitum comprimat, 1151. Leoni quam cordi sit canonum observantia, 733. Pro Nicænis canonibus ejus reverentia, 1149, 1155, 1163, 1165, 1171, 1217. Quando credit posse dispensari, 1217. Invitatur a Leone Augusto in Orientem, 1321. Renuit cogi novum concilium ab Ægyptiis Eutychianis petitum, 1327. Legatos mittit non ad disputandum cum hæreticis de definitis, sed ad instruendos Ecclesiæ filios, 1341, 1344 *seqq.*
Leonis indefessa vigilantia præsertim cum de rebus fidei agitur, 1210, *et alibi sæpius.* Zelus contra hæreses et hæreticos, 1019, 1122. Laudatur ab episcopis Gallis, 997, 1109. Patrum traditionem sequitur, 1012 *not.*, 1059, 1293, 1379. Ex ipsa quæstiones propositas definit, 1405. Eutychianis prius opposuit symbolum apostolicum, 803. Dein etiam Nicænum, et cur, 956 *not.*, 1559 *not.*
Leo Sermones suos alicubi mutavit, vel auxit, et sic mutatos repetivit, 66 *not.*, 153 *not.*, 353 *not.*, 328. Ex sermonibus quædam capitula iisdem verbis transtulit in epistolas, 811 *seqq.*, 1239 *seqq.* Ex epistola ad Palæstinos aliquot capita in epistolam CLXV, ad Leonem Augustum, 1355. Epistolæ duplici exemplo scriptæ, ac in aliquibus mutatæ, vel auctæ, et cur, 654, 846, 898, 1285 *not.*, 1293 *not.*, 1294 *not.* Cur plures sermones in Lectionariis Leonis suppositi fuerint, 389. Unde dignoscendi, 380. Sermonum et epistolarum omnium Leoni collectio nulla cæva auctori, 509. Sermonum collectiones posteriores e Lectionariis dimanant, *Præf.* Plures epistolæ ad Chalcedonense concilium, et ad Eutychianam hæresim pertinentes Græce redditæ vivente Leone, 509. Eædem Latinæ circa Vigilii tempora collectæ, et præstantissimæ collectioni Ratisponensi insertæ, 547. Græca earum versio quantæ auctoritatis, 558, 559. Professio fidei a Græcis facta de Leonis epistolis, *ibid.*
Leonis epist. XXVIII, ad Flavianum, in omnibus Ecclesiis celebrata, 1004. A Gallis etiam laicis quanti habita, *ibid.* Ut fidei symbolum recepta, 1108 Totus mundus ea ditatus, *ibid.* Ejus prærogativæ et encomia, 793, 913, 1081. Omnes Orientales ei subscripserant ante Chalcedonense concilium, 1059 *not.*, 1066. In nonnullis Græcis canonum collectionibus inserta, 797. Epistola CLXV, ad Leonem Augustum, quam celebris, 1349.
Leonis Romani pontificis primatus in universam Ecclesiam asseritur a Theodorito episcopo Cyrensi, 942 A Valentiniano imperatore, 642, 962 A Placidia Augusta, 968, 974 *Vid.* Romani pontificis primatus. Leo caput universalis Ecclesiæ, Petri apostoli prælitus dignitate, 1144. Principatum in episcopatu divinæ fidei possidet, 1017. Ob principatum sacerdotii potest de fide et de sacerdotibus judicare, 962
Leonis jurisdictio et sollicitudo in universa Ecclesia, 617.—In provinciis suburbicariis. Dorum episcopum Beneventanum reprehendit, 733 Statuit de quibusdam presbyteris Beneventanis, qui juri suo cesserant, 734, 735. Executionem præcepti committit Julio episcopo, *ibid.* Campaniæ, Piceni, ac Tusciæ episcopos admonet et corripit de quibusdam abusibus, 612, 616. Discussionem circa quamdam corruptelam sibi reservat, 614. Episcopos ejusdem Campaniæ, Samnii, et Piceni ob alios abusus coarguit, et remedium præscribit, ultionemque inobedientibus minatur, 1429, 1430. Siculi episcopi consecrationis honorem ab apostolica sede recipiebant, 716. Eos Leo reprehendit, et admonet ob quorumdam abusus circa baptisma, *ibid.* Jubet ternos quotannis ad Romanam synodum accedere, 724. Statuit consulturus utilitati Ecclesiarum Tauromitanæ et Panormitanæ, 728. Decernit ne alienentur Ecclesiarum bona, *ibid.*—In provincia Ravennati metropolitæ subjecta. S. Petrus Chrysologus episcopus Ravennas Eutychi testatur se extra consensum Romani episcopi causas fidei audire et cognoscere non posse, 779. Definita in Romana synodo Leo mittit ad Neonem Ravennatem, 1405.—In provincia Mediolanensi subjecta. Jussu Leonis habetur synodus episcoporum hujus provinciæ, quæ litterarum Leonis formam secuta, modum præscriptæ ordinationis servans, Eutychianos damnat suo etiam consensu, apostolicæ sedis præcedente sententia, 1081.—In provincia Aquileiæ subjecta, in qua Septimus Altinas ad Leonem defert, quosdam Pelagianos male in communionem fuisse receptos, 589. Mox S. pontifex Aquileiensi episcopo præcipit, ut synodum cogat, et modum præscribit quo illi recipiantur, 590, 594. Vetat receptos ad altiorem gradum promoveri, 730. Nicetas Aquileiensis quæstiones aliquot Leoni proponit, et solutionem poscens, auctoritatem sedis apostolicæ expetit, 1330. Leo respondens jubet suam epistolam omnibus comprovincialibus communicari, ut in omnium observantia data prosit auctoritas, 1335.—In Galliis. Gallicani episcopi innumeris relationibus sedem apostolicam consuluere, et per appellationem diversarum causarum judicia vel confirmata, vel retractata fuerunt, 634. Multa in Hilario Arelatensi Leo reprehendit, 634 *seqq.* Privat illum honore metropolitico, 635. Celidonium episcopum, qui a sententia Hilarii appellaverat, in synodo discussum absolvit, 635. Projectus episcopus et sui cives de superordinatione alterius episcopi ab Hilario peracta apud Leonem per litteras conquerunter, 636. Valentiniani sanctio, ne quid episcopis Gallicanis liceat contra veterem consuetudinem sine Papæ auctoritate tentare, 644. Ravennii Arelatensis et aliorum episcoporum preces ad Leonem missæ pro privilegiis sedis Arelatensis contra Viennensem, 993. Definitio hujus controversiæ, et sui cuique metropoli limites a Leone assignati, 998. Theodorus Forojuliensis de quibusdam dubiis Leonem consulit, 1174. Leo jubet responsum in metropolitani notitiam ab eo perferri, ut exinde alii episcopi instruantur, 1176. Ad Gallicanos mittit suam epistolam ad Flavianum cum secretis mandatis, 1001. Synodicam remittunt, et excusant tarditatem, 1108. Rusticus Narbonensis Hermetem archidiaconum ad Leonem mittit cum aliquot inquisitionibus, ut quid sentiendum sit intelligeret, 1416, 1419. Etiam de iis inquisivit quæ definita fuerant in quibusdam synodis Gallicanis, ut ex apostolica auctoritate certior evaderet, 1413. S. Leonis responsa, 1420 *seqq.* Idem Rusticus mittit ad Leonem gesta habita in causa duorum presbyterorum, quærens quam formam et modum justitiæ tenere deberet, 1416. Hunc modum Leo Rustici moderationi remittens, egregiam moderationis regulam proponit, 1417.—In Hispania. Turribius episcopus Asturicensis Leonem et scripto, et per nuntios certiorem facit de Priscillianistarum reliquiis, erroribus, et libris in Hispania, 694, 695, 707. S. Leo errores condemnat, 695 *seqq.* Statuit de libris adulteratis, vel apocryphis, 706. Præscribit generalem omnium Hispaniarum synodum, 710. Gallæcos saltem synodum provincialem cogere jubet, 711.—In Africa. Leo delegat Potentium episcopum in Mauritania Cæsariensi, ut inquirat de aliquot abusibus in eadem provincia, 658. Is relationem de omnibus ad pontificem misit, *ibid*, 666. Leo corruptelas corrigit, 659 *seqq.* Quædam hac sola vice per dispensationem tolerat, 665. Examen et judicium de duobus episcopis committit comprovincialibus cum onere referendi post examen, ut scire possit quid de ipsis statuendum sit, 666. Restitutus episcopus queritur de episcopatibus in sua diœcesi erectis, qui ante non fuerant; et Leo prohibet ne ejusmodi erectiones fiant, 667. Lupicinus episcopus appellat ad Leonis judicium, eique communio redditur, 668.—In Illyrico. Anastasio Thessalonicensi vicario apostolico metropolitas Illyrici parere Leo jubet, 617, 618. Gratulatur de obedientia, 677. Præcipit, ut metropolitæ non ordinent episcopos suæ provinciæ sine consensu vicarii apostolici, et ut ordinationes

Digitized by Google

ipsorum metropolitarum eidem vicario reserventur, 618, 621. Causas graviores et appellationes per vicarii relationem ad sedem apostolicam mittendas decernit, 619, 622, 689, 690. Alia iisdem metropolitanis præscribit, 677 *seqq.* Episcopo Thessalonicensi petenti per nuntium vicariatum apostolicum in Illyrico, ipsum concedit, et instructionem mittit, 620. Alias instructiones dirigit ad eumdem, 687. Eum reprehendit, 683, 684, 686, 690. Atticus metropolitanus contra eumdem vicarium conquesturus de vi sibi illata, cum aliquot suis comprovincialibus Romam pergit, 683. Episcopus Thessalonicensis episcopum Romam mittit nuntium suæ ordinationis, 1209.—In Thracia. Eutyches archimandrita CP. Leonem monet de Nestorianis pullulantibus, ut provideat, 737. Condemnatus a Flaviano suo episcopo CP. apud eumdem Leonem conqueritur, 749. Et ad ipsum appellat, 739 *not.*, 742 *not.*, 763, 786. Pro Eutyche ad Leonem scribit imperator Theodosius, 761, 767. Leo monet Flavianum, ut plenissima relatione res gestas significet, 765, 768. S. Flavianus de Eutychis erroribus, ac de suo judicio refert, ac gesta ad ipsum pontificem mittit, 734 *seqq.* Monitus de Eutychis recursu ad Leonem iterum acta mittit, ac subsidio pontificis causam indigere profitetur, 782, 786. Celebre judicium Leonis in epistola dogmatica ad eumdem Flavianum, 801. Eutychis errorem a synodo CP. non confutatum damnandum monet, et damnat, 833, 881. Eutychen, si resipiscat, et plena satisfactione se corrigat, recipiendum in suo gradu clementer indulget, 835, 841, 851, 867, 870, 888. Ad omnem causam exsequendam legatos mittit, 835, 856. Anatolius CP. in S. Flaviani locum ordinatus suam ordinationem Leoni significat, 954. Similiter et imperator, et ordinatores ejus, 1012. Leo approbationem hujus ordinationis suspendit, et cur, 1185. Indicat conditiones quibus eam dabit, 1005, 1010, 1012. Hac de re legatos mittit, 1007, 1010, 1012. Anatolium data idonea satisfactione in communionem recipit, 1058. Modum disponit quo lapsi erant recipiendi, Anatoliumque in hanc rem speciali delegatione legatis suis adjungit, 1050 *not.* Sedi apostolicæ reservato judicio de principibus infandæ synodi Ephesinæ, ne eorum nomina interim ad altare recitentur, Anatolio prohibet, 1051. Anatolius Leoni reprehendenti suum ambitum, obedientiam et satisfactionem pollicetur, 1062. Qualiter satisfecerit, *ibid.*, 1277, 1280. Leoni obedions Andream diaconum Eutychianæ hæreseos defensorem dejecit, 1186. Actius de ablato sibi Constantinopolitanæ Ecclesiæ archidiaconatu ab Anatolio episcopo apud Leonem queritur, 1188, 1189. Leone jubente ab Anatolio in gratiam recipitur, 1262, 1278. Andream Eutychianæ hæreseos suspectum, et ad archidiaconatum CP. promotum, Anatolius Leoni satisfacturus suspendit, 1262. Quid de hoc, vel aliis clericis CP. Flaviano infensis agendum sit, Leonis placitum petit, 1263. Leo respondet Andream cum plenissima satisfactione presbyterum ordinandum, cæteros suis ordinibus reformandos, 1278. Basilius et Joannes presbyteri CP. hæreseos accusati Romam pergunt, de sua fide rationem reddituri : vindicati redeuntes Anatolio episcopo a Leone commendantur, 1054. Causa Attici presbyteri CP. a Leone Anatolio discutienda committitur, 1313, 1343. Hunc Atticum publice errores retractare, alias omni honore privari Leo imperat, 1328, 1338. Scripta dubiæ fidei mittit Romam, quæ Leo rejicit, et expressam plenamque satisfactionem præscribit, 1343. Anatolius reprehensus et admonitus a Leone de conniventia erga suos clericos suspectos, 1318, 1325.—In Asia. Ob controversiam de episcopatu Ephesino sæpe seque ad molestiam ad Leonis auctoritatem recurritur, 1006 *not.*—In Oriente. Maximi Antiocheni ordinationem ab Anatolio CP. peractam bono pacis et fidei Leo retractare cessavit, 1153. Idem Maximus legatos ad Leonem mittit ipsum consulturus, 1212, 1214. Leo quædam ei injungit exsequenda, 1217, 1227. Theodoritus Cyrensis episcopus depositus appellat ad Leonem, 948 *not.* Ob id legatos ad eum dirigit, 960.—In Ægypto. Dioscorum episcopum Alexandrinum Leo monet de quibusdam disciplinæ consuetudinibus, quæ vult custodiri, 629, 651. S. Proterius item episcopus Alexandrinus scribit ad Leonem de ordinatione sua, 1192. Leoni satisfacturus manifestiorem fidei suæ expositionem ad eum mittit, 1247 *not.* Per Nestorium episcopum, 1253, 1256, 1259. S. Leo eum ad vigilantiam hortatur, 1255. Perturbata Alexandrina Ecclesia post Marciani mortem, Leonis sollicitudo pro his turbis compescendis, pro excludendo invasore hæretico, et pro catholico episcopo eligendo, 1301, 1304, 1325, 1327, 1542, 1547. Invasor expellitur, 1432. Leo exigit, ne is, etiamsi fidei professionem faceret, ad Alexandrinam sedem remittatur, sed novus episcopus catholicus ordinetur, *ibid. et* 1454. Timotheus catholicus episcopus electus duos legatos ad Leonem mittit cum litteris ordinatorum et cleri, 1435, 1456, 1437, 1458.

Leonis auctoritas circa concilia generalia Ephesinum II et Chalcedonense, *vid.* Ephesinum II, *et* Chalcedonense concilium.

Leo in rebus historicis usus est Prosperi Chronico, 209 *not.*, 323 *not.*, 488.

Leo Augustus statim post electionem molimina Eutychianorum Constantinopoli excitata sponte reprimit, 1299 *not.*, 1301 *not.*, 1303, 1306. Novum concilium cogere utile credidit, 1301 *not.*, 1310 *not.* A sententia eum Leo papa removit, *ibid.* Scribit ad Leonem papam et omnes metropolitas, petens, ut de Timotheo Æluro Alexandrino Ecclesiæ pervasore, et de synodo Chalcedonensi sententiam scripto exponerent, 1319. Leonem papam invitat in Orientem, 1321. Dein petit legatos, 1341, 1344. Timotheum Ælurum Alexandria ejiciendum curat, 1452. Laudatur, *ibid.* Fuit synodi Chalcedonensis custos, 1316. Inter prædicatores Christi numerandus, 1325. Pene sacerdotum sollicitudinem superavit ejus fides, 1326.

Leo presbyter Narbonensis pudicitiæ zelo excedens, 1416.

Leonis Bituricensis episcopi et duorum aliorum epistola Leoni Magno perperam tributa, 1471.

Leontius antiquitate venerandus episcopus a Leone delegatus, pro convocandis conciliis plurium provinciarum Galliæ, 641.

Levitæ, *vid.* Diaconus.

Lex vetus quoad simplicem Dei cultum et morum regulas non est per novam destructa, sed aucta, 52, 245, 246, 358. Sed quoad cæremonialia cessavit, 386. Quid de lege veteri retinendum, 61. Legis veteris ab Evangelio differentia, *ibid.* Lex vetus figuras, nova res ipsas habet, 268

Lex peccati est Dei lege superanda, 369.

Libanius diaconus, 610.

Libertas Christiana legem non timore exsequitur, sed amore, 348. Vera est homini libertas et pax, quando et caro animo judice regitur, et animus Deo præside gubernatur, 144.

Litteræ dimissoriæ scripto dandæ, 679. Formatæ pro Paschate indicendo quotannis omnibus Occidentalibus episcopis a pontifice datæ, 1079, 1260, 1283, 1297.

Loca sancta Palæstinæ etiam ab antiquis venerata, 1289. Habitantes in locis sanctis quantum erudiantur, 1287, 1288.

Lucas unus ex metropolitanis Illyrici, 677, 1307, 1311.

Lucentius episcopus Asculanus a Leone legatus in Orientem, 1046, 1048, 1082. Et pro concilio œcumenio Chalcedone habito, 1061, 1064, 1066, 1069. Gesta Chalcedonensia cum relatione synodi Romam detulit, 1124 *not.*

Lucianus episcopus Byzæ subscriptus relationi synodi Chalcedonensis, 1104. Ab imperatore et Anatolio Romam missus pro obtinenda confirmatione canonis Chalcedonensis in favorem sedis Constantinopolitanæ, 1120, 1136. A Leone remittitur, 1153, 1158, 1169, 1201.

Lupicinus episcopus Africanus appellavit ad Leonem, a quo in communionem recipitur, ejusque causa in Africa dijudicanda decernitur, 668.

M

Macedonii et Macedonianorum error, 81, 299.

88. Machabæorum solemnitas celebris in Africa, 452. Non autem Romæ Leonis ætate, *ibid.* Sermo de Machabæis Leoni ascriptus, Augustino restituitur, *ibid.* Illorum martyrium describitur, 454. Quomodo eorum virtutes imitandæ, 455.

Magi tres ubi stellam viderint, 112. Ad intelligendum stellæ signum etiam prænuntiationibus Balaam potuerunt commoneri, 123. Sed magis adjuti a gratia intellexerunt, 112, 119, 125, 124, 128. Et puerum quæsierunt, 112. Unde venerint, 132. Cur illis stella apparuerit, 118, 119. Cur duxerit Jerosolymam, 116. Cur ibidem puerum quæsierint, 112, 123. Magorum vocatio vocationis nostræ primordia, 117, 121. Magi gentium personam gerebant, 129, 140. Ipsorum munera, 115. Mystice explicantur, 124. Quid significent, 113, 119. Quomodo a Christianis offerri possint, 135. Cur per aliam viam Magi redierint, 120.

Majorianus episcopus Placentinus, 1082.

Manes cur Manichæus sæpe appelletur, 304 *not.* Manetis hæresis, 307, 1238. Quo tempore damnandus innotuit, 303, 487 *seqq.* In Manete sanctum apparuisse Spiritum Manichæi credidierunt, nec prius descendisse, 304, 305. Manichæi eum adorabant sub Spiritus sancti nomine, 126. Manetis, seu Manichæi dementia, 375. Manes impietatis magister, 126.

Manichæorum errores, 53, 50, 72, 80, 81, 125, 126, 160, 161, 179, 709, 877, 976, 1359. In aliis hæresibus ali-

Digitized by Google

quod veri inveniur, in Manichæorum dogmate nihil, 81. Christum Manichæi colebant in sole et luna, 126. In honorem solis et lunæ prima et secunda sabbati jejunabant, 160, 699, 1270. Ideo bis impii, bis profani, 161. Prava et culpabilis eorum abstinentia, 127, 159. Christi corpus ore indigno accipiebant, 161. Sanguinem autem hauriredeclinabant, *ibid.* Ipsorum sacrificia, 50. Adorationes, 72. Eorumdem electi et electæ, 50. Quamplurium regionum perturbatores, *ibid.* Auctus Romæ eorum numerus, et quare, *ibid. not.* Eorum episcopus, *ibid.*, 50, 624. Inquisitione Leonis detecti, 50, 80, 127, 624. Quando, 684. Denuntiandi presbyteris, 35. Conventum Leo habet in eosdem, et quæ ibidem gesta, *ibid.*, 626, 708 Eorum hypocrisis, 127. Ab eorum consortio abstinendum, 50. Maxime feminis, 51. Multi ad pœnitentiam reducti, alii per judices perpetuo exsilio relegati, 624. Ob eos qui Roma fugerunt, Leo scripsit ad episcopos Italiæ, *ibid.* Contra ipsos statuta principum jam exstabant, *ibid*, 626 Valentiniani constitutio post Leonis judicium, 626 Priscillian istæ cum Manichæis concordant, 699, 701, 708. Error Eutychis Manichæis affinis, 976, 1179 Gesta a Leone in Manichæos ad Turribium missa, 708.

Marcianus imperator quando ad imperium ascenderit, 1019 *not.* Leoni suam electionem significat, consiliumque aperit de congregando concilio, 1017. Ut episcopi in eo declarent quæ Leo definivit, 1025 Ejus præcepto corpus S. Flaviani Constantinopolim cum honore relatum, et episcopi cum Flaviano depositi et exsules revocati, 1032. Concilium indicit, 1060, 1063 1063 *not.* Interest concilio actione sexta, 1094. Una cum Pulcheria conjuge, eisdemque definitio fidei data, 1128 Legatos ad Leonem mittit cum litteris confirmationem gestorum petens præsertim circa privilegium sedis CP., 1114 Confirmationem expressam definitionis Chalcedonensis uti necessariam postulat, 1182, 1184 *not.* Laudat pontificis constantiam, eo quod is noluit confirmare privilegium sedis CP., 1184 *not.*, 1205. Ipsi Leo commendat Aetium 1186 Suadetque ut Anatolium increpet, 1187. Hunc increpavit, 1191. Monachos Palæstinos contra definitionem Chalcedonensem tumultuantes cohibuit pariter et docuit. 1203 *not.*, 1207 *not.* 1208, 1245, 1246. Secreto a Leone petiit ut Eudoxiam Augustam monachorum patronam admoneret, 1209. Leo a Marciano postulat, ut apud Ægyptios vel alios peritos de Paschatis die anni ccccxv diligenter inquirat, 1231 *seqq.* Hæc de re idem imperator Alexandriam mittit agentem in rebus, 1276, 1282. Leonis exemplar secutus monachos Alexandrinos tumultuantes compressurus, Athanasii, Theophili, ac Cyrilli doctrinæ Chalcedonensem fidem cohærentem pronuntiavit, 1257 *not.* Rogatur a Leone, ut epistolam ad Flavianum diligenter transferri jubeat, et suo signaculo munitam tradi judicibus Alexandrinis, 1258, 1260. Præcepit ut Carosus et Dorotheus hæretici e suis monasteriis pellerentur, 1298. Scripsit ad Leonem de consecratione Basilii Antiocheni, 1509. Princeps ecclesiasticæ pacis studiosissimus, 1044. Custos fidei, 1277. Spiritus sancti virtute plenissimus, 1278. Venerabilis memoriæ, 1299. Sanctæ memoriæ, 1309. Beatæ memoriæ, 1340. Ejus beneficia in Ecclesiam, 1046. Ejus studio omnis pene hæresum conatus extinctus, 1281.

Marcion hæreticus, 49. Ejus error, 699, 1238.

S. Marcus evangelista Alexandrinam Ecclesiam primus gubernavit, 628. A S Petro ordinatus, 629. Nec aliud tradere potuit quam ab ordinatore suscepit, *ibid*, 1253.

S. Maria Virgo prius-concepit mente quam corpore, 63. Ejus fides Elisabeth miraculo confirmatur, 65. Ejus virginitas ante partum et in partu, *ibid.* 68, 72, 73, 74, 79, 80, 92, 109, 175, 817. Et post partum, 69. In incarnatione Verbi ministra tantum fuit corporeæ substantiæ, 8. Fuit virga de radice Jesse vaticinio Isaiæ prænuntiata, 78.

Marianus presbyter legatus Maximi Antiocheni ad Leonem, 1212.

Marion episcopus Ægyptius pro fide extorris, 1336

Martinus archimandrita CP. S. Flaviano adhærens, 859, 937, 983, 1011, 1019, 1021.

Martyres apostolicorum æmuli triumphorum, 826. Christo tam propinqui imitatione charitatis quam imitatione passionis, 337 Martyrum suppliciis Christianorum numerus auctus, 134, 325. Beatorum millia martyrum Romam ambiunt et coronant, 326. Innumera martyrum millia, 308. Martyres dici possunt doctores non verbo, sed opere, 338. Miracula per martyres, 22 Martyrum laus, 271. Præ cæteris venerantur in Ecclesiis, quas documentis erexerunt, 427. Gloria martyrii, 117, 133.

Martyria Ecclesiæ in honorem martyrum dicatæ, 336 *not.*

Matrimonium sacramentum, 1428. Indissolubile, 1331. Non est nisi inter ingenuos et æquales, 1422. Quomodo inter liberum et servum legitimum fiat, *ibid.* An pœnitentia functo licitum, 1331. Verum etiam ante baptismum, 621. Mulier viro in captivitatem abducto, alii juncta ad priorem redeat, 1350. Non culpabilis secundus maritus eo casu, 1331. Excommunicandæ quæ nolunt redire ad primum maritum, 1352.

Maximinus comes, 1022.

Maximinus episcopus Gallus, 1107, 1156.

Maximi tres episcopi Gallicani, 1107, 1110, 1136. Unus ex ipsis, vel alius quartus Maximus, 998.

Maximus Africanus episcopus Donatista ex laico ordinatus, data cautione conversionis, a Leone non repellitur, 685.

Maximus Antiochenus episcopus ab Anatolio CP. contra canones ordinatus, 1151, 1153, 1161. Per tractorias Leonis epistolam ad Flavianum ab episcopis suarum provinciarum subscribendam, et Nestorium ac Eutychen damnari obtinuit, 1039. Epistola Leonis ad eumdem, 1212. Et Orientales Ecclesiæ commendatæ, 1213. Accusatur, ejusque causa discutienda indicatur, 1296.

Maximus episcopus Ægyptius pro fide extorris, 1336.

Maximus episcopus Taurinensis, 1085.

Mediolanensis provinciæ episcopi jussu Leonis congregati, synodicam ad eum dirigunt, 1081. Eadem synodica a Leone missa Constantinopolim, 1315. Mediolanensis episcopus Eusebius, 1080.

Meditationibus sacris frequenter vacandum, 59.

Melchisedech ordo expenitur, 11. Cur ejus parentes in Scripturis non referantur, *ibid.* Ejus sacrificium fuit figura sacrificii Christi, 21.

Mens beata quæ est hospita terrenorum, 186. Menti majores datæ sunt deliciæ quam carni, 320.

Meritum ex voluntate pensatur, 59.

Metropolitani dicti primates, 1156, 1175. Majori cura eligendi, 622. Ordinant comprovinciales, 621. Jus habent primæ sententiæ, 619. Unde eorum orta prærogativa, *ibid.* Jus eorum servandum, 1167. Metropolita in dubiis ab episcopo consulendus, 1173. Metropolitæ minores majoribus obediunt, 685.

Miracula per martyres fere ubique ad eorum merita manifestanda, 22.

Misericordia Dei numquam humano generi negata, 322. Causa fuit reparationis nostræ, 39. Opus ejus mirabilius quod, 203, 204 Ea non abutendum, 189. Qui abutantur, *ibid.* Misericordia Dei inter adversa nobis prætenditur, 266. Miserendo est quærenda, 37. Misericordi præsto est, 166. De illa nemo diffidat, 9. Superat culpas delinquentium, 1069.

Misericordia in pauperes quam Deo grata, 185. Misericordiæ opera salvant homines, 32. Misericordes nos vult Deus, 370. Misericors est Dei imitator, 166. Misericordia et veritas Dei imitanda, et utriusque nexus, 471. Misericordiæ commendatio, 211. *Vide.* Eleemosyna.

Missa sacrificium, 631. In eadem basilica totties repetenda, quoties novus populus supervenerit, *ibid.* Oblatio corporis et sanguinis Christi nunc est pro omnibus antiquæ legis sacrificiis. 228

Mites qui, et quæ eorum merces, 369.

Modestia Christianorum qualis, 157.

Monachi an deserere possint propositum, 1426. An militare, vel nubere, *ibid* Eorum professio humilitatis propositum, 856. In fide et charitate maxime consistit, 937. Veri monachi qui, 1178 Monachorum propositum et professio, 1242. Non est ipsorum prædicare, sed sacerdotum, 1211, 1217, 1227

Mors pœna peccati, 71. Mors meditanda, ne sit improvisa, 354. Quomodo moriendum et resurgendum cum Christo, 18. Mors vivifica quæ, 281.

Morum regula in dubiis, *vid.* Dubia. Hominum mores sunt divinorum præceptorum lance pensandi, 187.

Mulier. Unius credulitate omnes homines perierunt, 51. Quo sensu serpentis caput conterendum ex semine mulieris, 67. Mulieribus maxime est cavendum ab hæreticis, 50.

Mundus conditus eodem mense quo redemptus, 232. Mundi sapientia nec Deum, nec veritatem cognoscere potest, 85, 176. Mundi pax quam periculosa, 275. Rebus mundi quomodo utendum, 96, 295.

Musæus episcopus ordinator Timothei Solophatioli, 1437.

Musicæ insidiosa modulatio, 349.

N

Narbonensis Ecclesiæ episcopus Rusticus, 1107, 1110, 1136, 1416, 1458.

Natale episcopi dicitur dies consecrationis, 7 *not.*

Nativitas Christi, *vid.* Christus.

Natura humana per peccati labem ad deteriora proclivis

Digitized by Google

85. Spiritali tamen auxilio fulcitur, *ibid.* Sublimata per Christum, 71, 75, 97, 202 Humanæ naturæ Deus plus dedit reparando quam creando, 79. *Vide* Homo.
Nectarius episcopus Gallus, 890, 998, 1110, 1136.
Negotiatorum periculosa conditio, 1424.
Neo episcopus Ravennas, 1405.
Neophytorum candida vestis, 420. Neophyti non ordinandi, 662, 687.
Nestorii error, 74 *not.*, 100, 288, 356, 847, 854, 1049, 1138, 1213, 1235, 1237, 1355. Nestorius anathematizatus a CP. Ecclesia, 1059. Ab Ephesina synodo prima, 1064. Qui ab Eutyche traducti fuerant uti Nestoriani, 738 *not.*, 870, 877. Adversus Nestorium simul et Eutychen subscripserant Orientales ante Chalcedonense concilium, 1066.
Nestorius episcopus Ægyptius Proterii Alexandrini epistolam ad Leonem attulit, 1253. Item epistolam imperatoris Marciani, 1256. Fuit pro fide extorris, 1336.
Nicæna synodus num præscripserit cyclum decemnovennalem, 604 *not.* Nicæni canones inviolabiles, et reverenter servandi, 687, 1155, 1163, 1165, 1171, 1214, 1279. Nicænum Symbolum a Leone descriptum, 1359. Cur illud Leo Eutychianis objecerit, *ibid. not.*
Nicetas episcopus Anquileiensis in aliquot dubiis judicium et auctoritatem quærit sedis apostolicæ, 1330.
Nicetas episcopus Gallus, 89.
Nicolaus presbyter legatus Anastasii Thessalonicensis ad Leonem papam, 619, 620.
Novariensis episcopus Simplicianus, 1084.
Novatiani dogma, 665.
Nuntiorum apostolicorum apud principes origo, 1187.
Nuptiæ legitimæ, 1422. Priscillianistæ cum Manichæis nuptias damnabant et usum matrimonii, 701. *Vide* Matrimonium.

O

Obedientibus et humilibus nihil difficile, 130 Dei gratia prætendit auxilium, et obedientia mollit imperium, 130.
Oblatio corporis et sanguinis Christi, 228.
Observantiæ nomen pro jejunio acceptum, 159 *not.*
Œconomi Ecclesiæ a laicis judicibus non audiendi, 1283.
Officii ecclesiastici antiquitas ex Leone comprobata, 148 *not. Vide* Scriptura sacra.
Olympius diaconus legatus Maximi Antiocheni, 1212.
Olympius subadjuva delator epistolæ Anatolii CP. ad Leonem, 1317. Remissus, 1328.
Operum bonorum necessitas, 46, 90, 117, 130, 1433. Cœlestium et terrenorum discrimen, 173. Opera bona cruciant diabolum, 29. Quatenus omnia bona opera omnibus fiant communia, 346. Opera bona gregis etiam pastoribus prosunt, 13, 14. Ex operum nostrorum qualitate non pendet cœlestium mensura donorum, 9.
Opera virtutum moralium in infidelibus num, et quatenus sint peccata, 491.
Optatianus episcopus Brixianus, 1084.
Orationis encomium, 42, 43. Orationis communis præstantia, 56, 57, 345. Orationem eleemosynæ juvant, 48, 52. Et jejunium, 42, 44, 48. Oratio jejunantis diabolo terribilis, 342. Necessaria contra vim tentationis, 213. In tentatione oratio adhibenda, 223. Deus jubet ut ad eum recurratur, 564. Ideo datur præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium, 187. Si quid in Dei præceptis videatur impossibile aut arduum, ad jubentem recurrendum, 163. Christianæ orationis conditio, 177, 187, 191. Potest peti quod non debet concedi, 213. Deus nocitura negando misereatur, *ibid.* Nemo orat, sicut oportet, sine Spiritu sancto, 303. Orare Orientem versus ex abusu Leo reprehendit, 94 *not.*
Oratio Dominica. Quomodo adventum regni Dei petamus, 333 Quomodo ut fiat voluntas Dei, *ibid*, 361. Quomodo ut Deus dimittat nobis debita nostra, 177, 187, 190
Ordinatio. Quid sit cito manum imponere, 619. Male ordinantis pœna, 660. Est sacramentum, *ibid.* Ordinandi in quo probandi, 621, 662. Cum grandi examinatione, 731, Non neophyti, *ibid. et* 687. Non servi, 612. Nulli originali conditioni obligati, nisi eorum voluntas accesserit, qui aliquid in eos potestatis sibi vindicant, 613. Non bigami, nec viduarum mariti, 614, 618, 621, 636, 671, 687. Non laici, 662, 665. Non cujus vita liberior, 614. A puerilibus annis instituendi ecclesiasticis disciplinis, 673. Romanæ Ecclesiæ disciplina ad ordines recipiebat eos tantum qui vel a pueris, vel inter adultos statim post baptismum clero se mancipaverint, 662 *not.* Non tamen universalis hæc disciplina, *ibid.* Merita laboris, etc., pensanda, 663. Cum bigamis non dispensat Leo, 674. An rata ordinatio clerici a pseudoepiscopo ordinati, 1420. Quædam illicitæ apud Afros ordinationes reprehensæ, 638. Mala ordinatio quam periculosa, 659. Nihil ambitioni, gratiæ, vel pecuniæ liceat, 621. Interstitia servanda, 623, 663. Per saltum nemo ordinandus, 623. Episcopi, presbyteri, et diaconi ordinatio appellata *consecratio*, 622, 1186. Sacratior noctis sacerdotum, 228.
Ordinatio sacerdotalis, vel levitica post sabbatum vel circa exordia noctis, quæ proxime succedit, vel mane ipso Dominico die celebranda, 629. Jejunium tum ordinatoris, tum ordinandi præcedat, *ibid.* Ordinationis dies Dominica, 622, 639, 1186. Ex apostolica traditione, 1186. Ordinatio presbyteri ab Anatolio CP. facta sexta sabbati, a Leone reprehensa, 1186. Dies ordinationis pontificum seu episcoporum *Natalis* vocatus, 7 *not.*
Origenis error circa animas, 881 Origenes principiorum scrutator, 775. Cur sic appellatus, 771.
Originale peccatum, *vid.* Peccatum originale.
Otii pericula, 134.

P

S. Pachomius fundator cœnobiorum Ægypti, 603.
Palæstinorum monachorum tumultus et violentiæ in catholicos, 1177 *notl.*, 1180, 1182, 1234, 1242. Ab imperatore cohibendi, 1178. Marcianus imperator, et Pulcheria Augusta litteras ad eos cohibendos et instruendos mittunt, 1203 *not.*, 1207 *not.*, 1208 *not.* Eudocia Augusta Jerosolymis degens eis favebat, 1209 *not.* Leo scribit ad Eudociam, ut eos ad sanam mentem reducat, 1234. Etiam ad ipsos monachos scribit, 1256. Marciani cura hæ turbæ sedatæ, 1245, 1246.
Palladius episcopus, Gallus, 998, 1111, 1136.
Panormitanæ Ecclesiæ diaconus Silanus, 607. Panormitani clerici de episcopo nuper defuncto conqueruntur apud S. Leonem in synodo Romana, 728.
Pansophius comes Leonis epistolam ad Flavianum CP. detulit, 786.
Paulvius episcopus ordinator Timothei Solophacioli episcopi Alexandrini, 1437.
Paphnutius episcopus ordinator ejusdem Timothei, 1437.
Parœciæ octingentæ Cyrensis episcopatus Theodoriti tempore, 947. Presbyteri curati in minoribus plebibus, 667. Parœciæ urbanæ Romæ, ad quarum presbyteros Manichæi erant deferendi, 33.
Pascha unde dictum, 609 Festorum maximum, 177, 180, 183, 189, 1079, 1282. Hic dies solus magnus dicendus, et cur, 422. Quomodo celebrandum, 274, 276, 287. Negligere paschale festum quam malum, 274. Paschalis communio, 189. In Paschate ab imperatoribus rei relaxati, 132, 180, 485. Pascha a Judæis dilatum tempore passionis Christi, credidisse videtur Leo, 219. Tales permanere debemus quales in die festo dignum est inveniri, 156.
Paschalis dies anni CCCCXVII tempore Zosimi per miraculum declaratur, 610. Paschalis supputationis cura Alexandrino episcopo delegata, 1228 *not.*, 1248. Quantum intersit in hoc die non discrepare, nec errare, 1233. Leo sollicitus circa diem paschatis determinandum, pro paschate anni CCCCXLIV scribit S. Cyrillo et Paschasino, a quibus rescriptum fuit, 608. In quo esset sita controversia de paschate hujus anni, 601 *not.* Pro paschate anni CCCCXLV scribit Paschasino Marciano, et Juliano, 1059, 1228, 1232, 1247, 1260, 1276. Proterii responsio, 1264. Quæ fuit controversia, 1035 Studio pacis S. Leo hoc anno adhæsit Orientalibus, 1282 *not.*, 1284, 1297. Paschalis dies omnibus Occidentalibus a Romano pontifice indictus, 1297. Formatæ litteræ paschatis indices, 1079, 1260, 1283. Cyclus paschalis, *vid.* Cyclus. Paschalis dies anni CCCCLII quis fuerit, 1079 Annis CCCCLII, CCCCLIV, quis, 1232.
Paschasinus episcopus Lilybætanus in ærumnis ob irruptionem Vandalicam a Leone adjutus, 607 *not.* In quæstione de paschate anni CCCCXLIV respondet Leoni, *ibid.* Decreta sua pro Siculis Paschasini curæ Leo committit, 724. Ipsum instruit de rebus Eutychianis, 1057. Eidem injungit ut de paschate anni CCCCLV diligenter inquirat, 1039. Destinatur legatus ad concilium Chalcedonense, 1061 Ut eidem vice pontificis præsideat, 1062.
Paschasius episcopus Genuensis, 1065.
Passio Christi, *vid.* Christus.
Pastor episcopus Astensis, 1084.
SS. Patres fidei et Scripturarum interpretes, 1044. Patrum traditionem Leo sequitur, 1012 *not.*, 1039, 1295, 1379. Ex ipsa quæstiones propositas definit, 1405. Traditio SS. Patrum fidei regula, 1006. Ex ipsa qui errant, instruendi, 1209, 1234, 1235, 1257. Doctrinam contra Eutychianam hæresim definitam S. Leo Patrum traditione ac testimoniis confirmavit, 1039 *not.*
Patriarchæ titulus Romano pontifici datus a Theodosio imperatore, 985, 989.
Patricius diaconus CP. Anatolii legatus ad Leonem, 1039.
Patripassiani merito nuncupantur discipuli Sabelli, 697.

Digitized by Google

Patroclus Arelatensis episcopus a sede apostolica auctoritatem habuit, quam nemo ante ipsum obtinuerat, 637.

S. Paulus ex persecutore prædicator factus, 443, 445. Gloriæ Petri consors, 325. Petro consociatus sub Nerone, 325. Pater et pastor Romanorum, 321. Quo sensu, *ibid. not.* Specialis magister gentium, 325. Quatenus Leo scripserit, SS. Petrum et Paulum *electio fecit pares*, intacto Petri primatu, 326 *not.* Pauli prædestinatio ante omnia sæcula, 446. Cur Pauli festum in alium diem translatum, 445.

Paulus episcopus Ægyptius pro fide extorris, 1336.

Pauperum et divitum una est natura, 58. Eorum neglectus an venialis sit, 35. Pauperes adjuvandi, 48. Maxime modesti et verecundi, 32. Quid sit intelligere super pauperem, 33. In pauperibus Christum pascimus, *ibid* Sine misericordia in pauperes nulla virtus prodest, 35 Pauperes ab eleemosyna faciendæ non exclusi, 30, 63, 158. Paucis indiget pauper, 45 Pauper Christianus semper dives, 157. Qui veri et evangelici pauperes, 368 Pauperes pro patientia coronandi, 48. Cur pauperes esse Deus voluit, *ibid.*

Paupertas spiritus, seu humilitas, primus gradus ad beatitudinem, 367. Paupertatis amica mansuetudo, *ibid.* Magnanima paupertas Christi et apostolorum, 368.

Pax cum Deo qualis, 89, 91. Pax vera quæ, 103, 614, 371. Pax nobis orta ex nativitate Christi, 90 Pax mundi qualis, 91. Qui sunt pacifici, filii Dei, 371. Pacis fraternæ necessitas, 188.

Peccato bene utitur Deus, 1220. Non omnia peccata sunt æqualia, 190. Peccati duplex remedium, 1174 Post peccatum cito pœnitendum, et cur, 284. Nemo est sine peccato, 20, 48, 137, 185. Nullum peccatum sine detectatione, 135. Peccata calumniatum sunt causa, 1190 Peccatores non sunt odio habendi, 182 Peccatorum remissio *vid* Reconciliatio. — Peccatum lethale, 170. — Peccatum originale, 79, 88, 186, 198 255, 269, 351, 361, 592, 703. Ex uno in omnes transivit, 79. Infirmitas et mortalitas pœna peccati, 286. — Peccatum levius, et quam hæc peccata diligenter delenda, 165, 345.

Pelagianorum errores, 591. Horum libellus oblatus Augustino Aquileiensi, 587. In Aquileiensi pro incia inventi, *ibid.*. 589 Horum reliquiis remedium Leo afferri jubet, 590, 594, 730 *not.* Alii Pelagiani, et maxime Julianus, contriti sub Leone, Roma evaserunt, 584.

Pentecostes. Cur quinquaginta diebus post Pascha Spiritus sanctus missus, 297. Hæc missio Spiritus sancti non fuit inchoatio muneris, sed adjectio largitatis, 302, 309. Patriarchæ et prophetæ, etc., eodem Spiritu vegetati, 302. Jejunium Pentecostes ex apostolica traditione, 300, 308.

Peregrinationes ad limina apostolorum, 444.

Perfectorum hæc vera justitia est, ut nunquam præsumant se esse perfectos, 148. Semper proficiendum in hac vita, *ibid.*, 168, 190 *Vid.* Justitia Christiana.

Persecutio patienter toleranda, 1328, 1336. Omnes boni persecutionem patiuntur, 271 Persecutionis Christianorum non una causa, 178 Prima generalis persecutio sub Nerone, 325. Persecutio octava, 305, 490. Auget Ecclesiam, 325. Quantum fidei contulerit, 134. Non deest in pace Ecclesiæ, 455. Persecutio in pace Ecclesiæ quæ, 1417.

Perseverantia in bono, 281.

Personarum distinctio in Trinitate, sed essentiæ unitas, 83, 196. Cur aliqua singulis personis tribuantur, 301.

Petra Ecclesiæ quæ, 461. *Vid* S. Petrus.

Petronianus vagus mentitur se esse Leonis diaconum per Gallias, 893.

Petronius episcopus Gallus, 1111.

Petronius presbyter legatus Gallorum episcoporum ad Leonem, 998. *Vid* Regulus.

S. Petrus primas omnium episcoporum, 13. Totius Ecclesiæ princeps, 19, 291. Vocationi gentium, omnibus apostolis et cunctis Ecclesiæ Patribus a Christo præpositus, 16. Primus in apostolica dignitate, 16, 17. Apostolici ordinis princeps, 323 Principatum apostolatus adeptus, 445. Princeps episcopalis coronæ, 642 In Petro episcopatus principaliter constitutus, 633. Primatus Petri merces ejus fidei, 617. Ecclesiastici primatus cathedra divinitus sic Petro tradita, ut perpetua sit soliditate fundata. 436. Petrus Christum confessus est, ut ad regimen totius Ecclesiæ præparatus primum disceret quod doceret, 239. Petrus dictus *petra* a Christo, quia Christi virtute solidatus, 17. Soliditatem petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur, accepit, 13, 193. Pro soliditate fidei, quam Petrus erat prædicaturus, audiit: *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc., 239 Præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, non erit stabilis ulla constructio, 1149. Catholicæ fidei petra Petri cognomen, 1213. Ecclesia super fidem Petri fundata, 12, 193, 461. In Petri soliditate a Christo constituta, 617, 633, 634. Firmitas per Christum Petro tributa, per Petrum apostolis est collata, 18. Soliditas Petri in suos transfusa hæredes, id est in Romanos pontifices, 22. Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit, 12. Pro fide Petri cur Christus rogavit, 18. In Petro omnium fortitudo munitur, *ibid.* Honor potestatis in Petro, 325. In Petri cathedra Christus et malas funditus evertit, et bonas æterna stabilitate firmavit, 436. Quis Petri potestatem tentet infringere, 634. S. Petri privilegia, 12. Claves eidem datæ, 17 Jus potestatis istius in Apostolos et alios episcopos transivit, sed cunctis Petri forma præposita, 18. Petri in hoc privilegium quale, *ibid.* Explicatur, 463. Petri confessio fidei exposita, 825, 863. Petri trina confessio amoris, 19 Petrus benigne correptus a Christo, 194. In passione Christi Petri animositas humana, 215. Fide et charitate fervens gladium exemit, 222. In lapsu Petro defuit constantia, non fides. 233. Cur permissus cadere, *ibid.* Petri lacrymæ sacri virtutem habuere baptismi, *ibid.* Petrus convertendus quibus oculis respectus a Christo, 206, 233. Cito in solidatem suam rediit, 233. Quomodo e carcere eductus sit, 447. S Petrus Antiochenam Ecclesiam fundavit, 324, 1167, 1213. Pontum, Galliciam, Cappadociam, Asiam, ac Bythiniam prædicando imbuit, 324, 325. Sub Claudio Romam venit, sub Nerone moritur, 324. Duplex ejus adventus Romam distinguendus, 325 *not.* Cur Romam destinatus, 325. Petri divitiæ et paupertas, 368. De die mortis SS. Petri et Pauli, 494 Petri corpus Romæ, 19, 332. Peregrinorum concursus ad limina apostolorum, 444. Cathedræ S. Petri festum, 432, 498. Quo die celebratum Romæ, *ibid.*, 959. Valde solemne, 962. Vigiliæ in eo habitæ, *ibid.*

Petrus Ægyptius episcopus pro fide extorris, 1336. Ordinator Timothei Solophacioli, 1457.

Petrus archimandrita CP., 937.

S. Petrus Chrysologus episcopus Ravennas scribit ad Eutychen, 775. Ejus epistola integra vindicatur, 769. Tempus, 773.

Petrus Corinthius episcopus, 1307, 1311.

Petrus diaconus legatus Juvenalis Jerosolymitani ad Leonem, 1283

Philocalus Furius Dionysius Bucherianilaterculi, et aliorum documentorum quarti sæculi auctor Romæ, 496.

Photini error, 49, 81, 373. Photiniani, 980.

Pilati ignavia magis quam potestate mortuus est Christus. 207 Ejus scelus et judicium, 225. Crudelis clementia, 226, 235.

Placentinus episcopus Majorianus, 1082.

Placidia Augusta pridie festi S. Petri Romam venit, 959 Petente S. Leone scribit ad Theodosium imperatorem, 964. Et ad Pulcheriam Augustam, 972.

Poemenius Ægyptius episcopus pro fide extorris, 1336.

Pœna cur a Deo dilata, 130.

Pœnitentia non differenda, 135, 1176. Ea nemo non indiget, 165. Etiam justis necessaria, 167, 170. Pœnitentiæ ordo, 1174. In pœnitentia decedentibus an communicandum, 1174, 1175, 1423. Quid de his qui post petitam pœnitentiam obmutescunt, 1176. Pœnitentiam primo recusantibus an postea danda, 1424. An pœnitentibus negotiari liceat, et litigare, *ibid.* An militare, 1425. Veniale et tolerabilius juveni post pœnitentiam nubere, *ibid.* Quæ penitentia immolatitiis cibis utentibus, 1332, 1428. Quæ idola adorantibus, homicidis, et fornicariis, 1428. Circa apostatas a fide, canonica regula servanda, 1176. Pœnitentiæ mensura compunctio cordis, 1332. Quæ danda baptizatis metu, *ibid.* Quæ baptizatis ab hæreticis, 1334. Tempus pœnitentiæ remissum judicio episcopi, qui senilis ætatis, periculorum, et ægritudinis rationem habere debet, 1333. Videndum ne difficultas veniæ curationem faciat tardiorem, 1437. *Vid.* Confessio, Impositio manuum, Reconciliatio. Lapsis presbyteris et diaconis publica pœnitentia non imponebatur, sed privata ex apostolica traditione, 1421. Nec aliis clericis, 1334 *not.*

Polemius scriptor, *vid.* Silvius.

Pontifex Romanus, *vid.* Romanus pontifex.

Possidonius presbyter Alexandrinus pluries Romam missus, 632 *not.*

Potentius episcopus Africanus delegatus a S. Leone, relationem mittit, 658, 666.

Præcepta legis veteris, *vid.* Lex vetus.

Præceptum cur datum, 163, 187, 364. Splendidissimum vitæ speculum, 187. Impossibilia ex infirmitate humana fiunt possibilia ex gratia, 362, 479. *Vid.* Gratia. In arduis recurrendum ad orationem, *vid.* Oratio.

Prædicatio sacerdotale officium, 140. *Vid.* Concionandi munus.

Præscriptio. Triginta annis humanæ leges humanas adimunt quæstiones, 775 *not.*

Digitized by Google

Præstantius episcopus Bergomas, 1084.
Præsumptio vitanda, 9. Præsumere de facilitate resistendi tentationibus peccatum est, 154.
Presbyteri ex apostolica traditione pœnitentiæ publicæ non subjacent, sed privatæ, 1121. Inter ipsos consecrationis ordo servandus, 735. Presbyteri titulares Romæ, 33. Presbyteri curati in minoribus plebibus, 667. Presbyter curatus in Ecclesia rurali, 610.
Principes coercere debent turbantes Ecclesiam, 1211. *Vid.* Imperatores. Principum vera dignitas Christo servire, 134.
Priscillianistarum secta pene omnium errorum sentina, 693. Sabelliani, 697. Ariani, 698. Pauli Samosateni et Photini virus suscepit, *ibid.* Cerdonis, Marcionis, et Manichæi, 699 Quam impie de Trinitate senserit, 697. Fatalem necessitatem ex astris induxit, 695, 704. Alii errores, 697 *seqq.* Episcopi hac hæresi infecti, 697. Baptizabant per oleum, 713, 714. Scripturas depravant, 697. Apocrypha fingunt, 714. In Hispania detecti, 695, 712, 715. Turribio episcopo deferente Leo hos errores damnat, 695 *seqq.* Concilia Hispanica præcipit, 710, 711.
Privilegia Ecclesiarum servanda, 1119, 1214.
S. Proclus Constantinopolitanus, 1277. Ejus sermo Latine redditus Leoni tributus, 585. Item alius Sermo, cujus antiqua versio antea inedita, exhibetur, 138.
Proculeianus episcopus Gallus, 1111, 1136.
Projecti episcopi Gallicani querela contra Hilarium Arelatensem, 636.
Prophetæ futura ut præterita locuti, 260.
S. Prosper emendavit cyclum paschale Latinorum, 602 *not.*, 1035. Leo in rebus historicis Chronico Prosperi usus, 239 *not.*, 323 *not.* Tres vel quatuor hujus Chronici editiones a Prospero factæ, 488. Libellis contra Pelagianos oblatis a Prospero, hi hæretici Roma evanuerunt, et quo tempore, 583.
Prosperitas iniqui scandalum aliquot justorum, 164.
S. Proterius episcopus Alexandrinus cum ordinatoribus et clero ad Leonem scribit de sua ordinatione, 1192. Leo illi respondet, *ibid.* Plenliores ab eo litteras exigit, 1247. Litteræ Leonis responsivæ ad eumdem, 1253. De fide ejus gratulatur, 1256, 1259. Scribit Proterius ad Leonem de die Paschatis anni CCCCLV imperatoris jussu, 1282. Ejus mors ab hæreticis, 1299 *not.* Crematum ejus corpus, et cineres dispersæ in contumeliam, 1325. *Sanctæ memoriæ* vocatus, 1304.
Providentia Dei, *vid.* Deus.
Proximus noster quis sit, 40. Diligendus, et cur, *ibid.*, 41
Psalmorum cantus, *vid.* Cantus. Locus psalmi XCV, *Dominus regnavit a ligno*, 209.
Pueri ut effici debeamus, 138, 139, 190.
S. Pulcheriæ Augustæ elogia, 849, 833, 919, 1009, 1035, 1036, 1048, 1076, 1158, 1188, 1206, 1207. Ejus zelum Leo sollicitat adversus novam Eutychis hæresim, 849, 856, 921. Ei specialiter apostolicam legationem apud imperatorem committit, 923. Epistola Hilari diaconi Romani ad eamdem, 926. Et Placidiæ Augustæ, 971. Pulcheriæ litteris lætificatur S. Leo, 982, 983. Nuntiat Leoni Anatolium CP. subscripsisse epistolam ad Flavianum, S. Flaviani corpus Constantinopolim honorifice translatum, et episcopos cum Flaviano pulsos fuisse revocatos, 1029, 1031 Leo ei commendat suos legatos, et Eutychem ad longinquiora transferendum petit, 1049. Interfuit cum Marciano imperatore synodo Calchedonensi, et in S. Euphemiæ confessione a Patribus fidei definitionem accepit, 1128 *not.* Monachos tumultuantes in Palæstina litteris instruit et increpat, 1207 *et* 1208 *not.*

Q

Quadragesima maximum sacratissimumque jejunium, 184, 156. Cur Paschæ præcedat, 181. Christianis utile ac necessarium, 163, 184. Oritur ex divina et apostolica institutione, 156, 168, 177. In toto mundo observabatur, 149. Hoc tempore diligentius Deo serviendum, et sanctius vivendum, 144, 149, 153, 157, 167, 175, 176, 183, 186, 191. Obtrectationi Ecclesiam objicit, qui sanctius non vivit in Quadragesima, 137. Est tempus reconciliationis et indulgentiæ, 135, 180, 183, 187, 188 Hoc tempore clementia principum imitanda, 152. Gravioribus insidiis hoc tempore diabolus utitur, 144. Alicubi inchoabatur a Dominica Quinquagesimæ, 408 *not.* In Quadragesima quibus studiis vacandum, 173.
Quæstiones variæ Romano pontifici frequenter propositæ, 1405, 1416. Unde decisæ, *vid.* Dubia.
Quesnellus confutatus, 5, 9 *not.*, 14 *not.*, 21 *not.*, 23, 38 *not.*, 95 *not.*, 192 *not.*, 259 *not.*, 279, 326 *not.*, 327, 334, 337 *not.*, 379, 433, 451, 461, 464, 467, 479, 480, 481, 482, 486, 488, 490, 491, 495, 498 *seqq.*, 502, 567, 574, 586, 626, 635, 636 *not.*, 639 *not.*, 645, 648, 651, 654, 663 *not.*, 665 *not.*, 666 *not.*, 671 *not.*, 678 *not.*, 680 *not.*, 681, *not.*, 725, 727 *not.*, 728 *not*, 730 *not.*, 754 *not.*, 745, 748, 754 *not.*, 775, 801 *not.*, 838 *not.*, 843, 852 *not*, 859 *not*, 871 875 *not.*, 885 *not*, 887 *not*, 889 *not*, 897, 917 *not*, 951, 959, 984, 992 *not.*, 1002 *not*, 1019 *not.*, 1013, 1020 *not.*, 1015 *not*, 1030 *not.*, 1061 *not.*, 1083 *not.*, 1132 *not*, 1215 *not.*, 1219 *not.*, 1229 *not.*, 1242 *not.*, 1251, 1257 *not.*, 1298 *not.*, 1304 *not.*, 1307, 1317 *not.*, 1333 *not*, 1346 *not.*, 1375 *not*, 1408 *not*, 1409, 1411, 1426 *not.*, 1429 *not.*, 1436 *not.*
Quintius episcopus Albigaunensis, 1084.
Quintus episcopus Dertonensis, 1082.

R

Ravennius Arelatensis episcopus post S. Hilarium, 890, 993. Leoni etiam probatus ante ipsius electionem, 890, 994. Leo electionem approbat, 890, 891. Postulat ab eo, ut Petronianum vagum, qui se dictitabat diaconum Romanum, ab omnium Ecclesiarum communione expellat, 891. Preces episcoporum Arelatensi sedi adhærentium ad Leonem missæ, ut Ravennio restituat prærogativas quas Hilario ademerat, 994. Viennensis episcopus apud Leonem queritur, Ravennium ordinasse Vasensem antistitem, 998. Leonis responsio atque judicium de hac controversia, 999. Leo ad Ravennium mittit epistolam ad Flavianum scriptam cum mandatis, 1000. Litteras formatas de paschatis die anni CCCCLV ad eumdem dirigit, 1079. Ravennius convocata synodo jussu Leonis, synodicam ad hunc mittit, 1107. Admonetur a Leone de gestis Chalcedonensibus, 1137 *seqq.* Per eum hæc notitia ad Hispanos erat transmittenda, 1140. Accipit a Leone exemplar sententiæ Chalcedonensis adversus Dioscorum, 1141.
Ravennates episcopi. S. Petrus Chrysologus, 775. Neo, 1405. Antiqui catalogi Ecclesiæ Ravennatis quoad solum ordinem episcoporum æstimandi, 1403.
Reconciliatio et remissio peccatorum sine Spiritus sancti advocatione non fit, 303. Peccata solvuntur sacerdotum supplicatione, 1174, 1175 Per Ecclesiæ preces, 1135. Apostolica clave reserante portas misericordiæ, 188. *Vid.* Confessio, Impositio manuum, Pœnitentia.
Redemptionis nostræ causa fuit misericordia Dei, 39, 255. Redemptio cur dilata, 118 Reparatio hominis mirabilior quam creatio, 255. Hominum nemo eam mereri potuit, *ibid.* Ad omnia retro sæcula etiam extenditur, *ibid.* In reparatione nostra Trinitas divisit sibi opus, quo sensu, 310.
Regiensis episcopus Faventius, 1082.
Regnum Dei laborantibus, non otiosis promissum, 117.
Regulus diaconus una cum Petronio presbytero preces episcoporum Galliæ ad Leonem detulit, 998 Leo eos Roma voluit interesse tractatui, 1000. Quis hic tractatus, *ibid. not.*
Relationes ad Romanam sedem toti Ecclesiæ utiles, 1298. Innumeris relationibus apostolica sedes consulta, 634 Ad sedem Petri ex toto orbe concurritur, 20. Mos erat ordinationem episcoporum majorum sedium ad Papam referre per litteras ordinati et ordinatorum ejus, 1309 *not*
Renatus Ecclesiæ Romanæ presbyter tituli S. Clementis legatus Leonis ad Flavianum CP., 837 Et ad synodum Ephesinam II, 841, 851, 863, 870. Ante synodum in litibere obiit, 941 *not.*
Restituendæ sunt dominis res quæ bona fide ad nos pervenerunt, 1331.
Restitutus episcopus Africanus apud Leonem queritur de episcopis ordinatis ubi ordinari non debuerant, 687.
Resurrectionis festivitas communis infernis simul et supernis, 419. *Vid.* Christi resurrectio. Resuscitata corpora ante Christi resurrectionem, 202.
Rodanus comes, 1214. Alius subadjuva, *ibid.*
Roma ex fratricida nomen accepit, 321. Arx Romani imperii, 323. Victoriis aucta jus imperii terra marique retulit, 322. Omnium gentium serviebat erroribus, *ibid.*, 323. Cur electa sedes Petri, *ibid* Per Petri sedem caput orbis effecta, latius præsedit religione divina, quam dominatione terrena, 322. Petrus Romam venit sub Claudio, 524. Petrus et Paulus Romæ mortui sub Nerone, *ibid.*, 523. Milita martyrum Romam ambiunt, 325. Eorum sepulcra, 944. Roma illustris S. Laurentio, 539. Roma quando occupata, et post depopulationem evacuata a Vandalis, 535. Ob hanc liberationem festum gratiarum actionis quotannis celebratum, sed postea neglectum, *ibid.* Roma Pelagiani evanuerunt, 585. Romæ Manichæi detecti, et eorum episcopus Romæ, *vid.* Manichæi. Romæ Ægyptii negotiatores Eutychis hæresim sparserunt, 572, 575. Collectæ peculiares Romæ, *vid.* Collectæ.
Romana cathedra dicta sedes Petri, 10. Festum Cathedræ S. Petri, *vid.* Cathedra S. Petri. Ad Petri sedem ex

Digitized by Google

toto orbe concursus, 20. Merito illic principatus constitutus, unde adhuc apostolici spiritus oracula reserantur, 1004. Cathedra primatus perpetua stabilitate fundata, 436. In hac Petri vivit potestas et excellit auctoritas, 12. Hujus sedis laudes, 942. Romana Ecclesia supra omnes totius mundi Ecclesias tenet principatum, 995. *Vid.* Ecclesia Romana. Romanæ Ecclesiæ prærogativa, 1222. Romana fides ab Apostolo commendata, 571, 944. Nulla hæresi violata, 374. Romana supputatio, 608. *Vid.* Cyclus Latinorum. Hebræorum supputatio Romanis ignota, 608.

Romania, 1427 *not.*, 1428.

Romanus pontifex honoris Petri consors, 9. Hæres Petri, 10, 43, 22. Eum Ecclesia tanquam Petrum suscipit, 10. Vicem Petri Romanus pontifex gerit, 13. Quo sensu, *ibid. not.* Eadem dignitas quæ fuit in Petro, est in Romano pontifice, 13. Petrus in Romanis pontificibus Ecclesiæ gubernacula non reliquit, 12, 13. In propria sede et vivit et præsidet, et præstat quærentibus fidei veritatem, 779 *not.* Doctrina pontificum Romanorum veluti a S. Petro suscipienda, 15. In eorum persona Petrus agnoscendus et honorandus, *ibid.* Romani pontifices judicium tota Ecclesia recipit, ut capiti membra concordent, 1219. Romani pontificis primatus, 962, 974, 1018. Per B. Petrum transmissus, 995. Divinitus institutus, 436. *Vid.* S. Leonis primatus, S. Petrus. Non est meri ordinis, sed præcipuæ jurisdictionis in universam Ecclesiam, *vid.* S. Leonis jurisdictio. Facultatem habet de fide et sacerdotibus judicare, 962. De appellationibus ad Romanum pontificem, *vid.* Appellatio. Auctoritas ejus circa concilia generalia, *vid.* Ephesinum II, Chalcedonense. Romanus pontifex ad Orientales partes causa synodi non pergebat, 887. Sed legatos eo mittebat, 1069. *Vid.* Legati. Omnibus Occidentalibus paschalem diem quotannis judicebat, 1289, 1297. *Vid.* Paschalis dies.

Rusticus episcopus Gallus ordinator Ravennii Arelatensis, 890.

Rusticus Narbonensis episcopus, 1107, 1110, 1136, 1140 *not.*, 1416, 1438. Secessum meditatus retinetur a Leone, 1417. Leoni papæ dubia proponit definienda, 1416 Cur quædam proposuerit etiam post decisiones conciliorum Galliæ, 1414.

S

Sabbati sancti jejunium apud Alexandrinos vespere solvebatur, 1267, 1270.

Sabellii error, 81. Ejus discipuli dicti Patripassiani, 697.

Sabinianus presbyter Narbonæ zelo pudicitiæ excedens, 1416.

Sabinus episcopus Gallus, 1110, 1136.

Sacerdotii veteris et novi discrimen, 11. Sacerdotii gradus quatuor, 687. Sacerdotes quales ordinandi, *ibid.* Eorum sanctitas, *ibid.* Inscitia in ipsis non ferenda, nec excusabilis, 717, 976. Solis sacerdotibus prædicare licet, 1217, 1227. Sacerdotes secundi ordinis quales, 181. Sacerdotes sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate corrumpi, 1139.

Sacrificium Christi juramento obfirmatum, 21. Eucharistiæ sacrificium, 336. Ejus oblatio Alexandriæ intervepta occiso S. Proterio, 1324.

Salonius episcopus Gallus, 1003.

Salus per Christum nullis sæculis defuit, 268.

Sanctorum intercessio et utilitas, 43, 51, 61, 320, 327, 336, 337, 339, 347, 350, 354, 361, 365. Eorum amicienda suffragia, 131. In ipsis Deus nobis constituit et præsidium, et exemplum, 339. In tribulationibus nobis adsunt, 337. In sanctis Deus honoratur, 275. Sanctorum pretiosa mors nullam potuit mundo afferre propitiationem, cur, 240. In sanctorum commemoratione lætandum, 336. Miracula per sanctos. Nemo tam sanctus qui melior esse non debeat, 168.

Sanguis Christi et pretium et poculum, 239.

Sapientia mundi cæcitas facta, 85, 86. Nemo sapiens sibi soli sapere debet, 336. Sapientioribus non cedere iniquum est, 803.

Sardicenses canones sub Nicænorum nomine citati, 898, 899, 917 *not.*, 986 *not.*

Satisfactio pœnitentiæ appellata, a prapositis Ecclesiæ imposita, 1174. *Vid.* Pœnitentia.

Scandalum. Qui publice in Ecclesia contra fidem disputavit, publice in Ecclesia se retractet, 1327, 1338, 1343. Iniqui prosperitas scandalum aliquot justorum, 164.

Scrinia apostolicæ sedis, 995, 1006, 1216.

Scripturæ sacræ auctoritas indubitabilis, 166. Ejus interpretes qui, 1044. Scripturæ lectio in Ecclesiis eadem quæ hodie, in Epiphania ex Apostolo, 114. In Dominica Sexagesimæ ex Genesi, 499 *not.* In Dominica prima Quadragesimæ Evangelium, 149, 156. In Dominica hebdomadis majoris Passio Domini, 198. Feria quarta ejusdem hebdomadæ, 207. In Pentecoste Evangelium, 311.

Secessus spiritualis necessitas, 345.

Sedes Apostolica, *vid.* Romana Cathedra.

Seditionum auctores gravius plectendi, 1211.

Sedulii versus antiquo sermoni inserti, 458.

Segetius episcopus in una suburbicariarum, 618.

Senator presbyter legatus a Leone in Orientem, 1007, 1010, 1012. Reversus ab Oriente Leonis litteras ad Eusebium episcopum Mediolanensem detulit, 1081.

Senecio metropolitanus in Illyrico, 677.

Septimus Altinas ad Leonem refert de Pelagianis in Aquileiensi provincia sine debita cautione susceptis, 583, 589. Leonis epistola ad eumdem, qui laudatur, 594.

Sermones Patrum auctoribus non suis unde attributi, 589, 590. Sermones in mss. male attributi S. Leoni, 581 *seqq.*

Servi cum libera matrimonium illicitum, 1422. Ordinatio vetita, 612.

Severianus episcopus Gallus, 998.

Siculis apostolica sedes sacerdotalis mater est dignitatis, 716. Eorum episcopi ab ea consecrationem accipiunt, *ibid.* Terni quotannis ad Romanam synodum debebant accedere, 324. Decreta pro Siculis, 716, 727. Sicilia a Vandalis vastata, 607. Bona Ecclesiæ fisco addicta, *ibid. not.*

Silanus Panormitanus diaconus Leonis epistolam ad Paschasinum Lilybætanum detulit, 607.

Silentium sæpe veritatem opprimit, 1221.

Silvius Polemius auctor Kalendarii veteris quis fuerit, 497.

Simoniaci reprehensi, et quem multi, 457.

Simplicianus episcopus Novariensis, 1084.

Sol Romæ a nonnullis superstitiose adoratus, 94 *not.*, 475, 476. Manichæorum cultus erga solem, *vid.* Manichæi.

Spectacula insana magis frequentata quam beata martyria, 536.

Spes nostra in Deo esse debet, 20, 21. Spes eadem in Christo nostra et antiquorum veteris Testamenti, 244, 256. Spei meritum et excellentia in quo sit, 295. De misericordia Dei nemo diffidat, 9.

Spiritus sanctus cur in igneis linguis apparuit, 298. Ejus divinitas et natura explicatur, *ibid.*, 301, 309. Est Spiritus Patris et Filii, 298, 301. Ab utroque procedit, 697. Macedonianorum error de Spiritu sancto, 81, 299. Peccatum in Spiritum sanctum cur irremissibile, *ibid.* Spiritus sancti elogia et effectus, 300. Datus in veteri Testamento, 302. Origo virtutum, bonorum inspirator voluntatum, et auctor actionum, 318. Septem Spiritus sancti dona, 306.

Status quanto eminentior, tanto magis casui obnoxius, 20.

Stella quæ Magis apparuit, *vid.* Magi. Stellarum potestas nulla, 164, 217. Stellarum effectibus tribuebant nonnulli impii Romæ liberationem a Vandalis, 536. Priscillianistæ fatalibus stellis homines subjiciebant, 704, 706.

S. Stephano Jerosolyma glorificata, 550.

Stephanus episcopus Gallus, 998.

Storatius, cui Leo scribebat, 1346.

Subadjuvæ, 1244, 1538.

Subdiaconorum continentia, 687.

Subditi, *vid.* Famuli.

Superbia omnium peccatorum origo, 169, 1159. Virtutibus insidiatur, 158.

Superstitiones variæ notatæ, 94.

Superventor episcopus Gallus, 998, 1110, 1136.

Symbolum Apostolicum, 81. Auctoritatis apostolicæ 238. Institutum ab apostolis, 373. Duodecim apostolorum totidem signatum sententiis, 898. Omnium hæreseon antidotum, 865, 898. Eutychianæ a Leone objectum, *ibid.* Est incommutabile, 1137. Ejus recitatio in baptismo, 1242.

Symbolum Nicænum, 1359. Ab Orientalibus in baptismo recitatum, *ibid. not.*

Synodi congregandæ modus et conditiones, 679. *Vide* Concilium.

T

Tamburinus cardinalis laudatur, *Præf. gen.* § 5, *et Præf. in Serm.* § 2.

Tarantasia Viennensi episcopo attributa, 999.

Tatianus præfectus Urbis Marciani imperatoris litteras ad Leonem attulit, 1044.

Taurinas episcopus maximus, 1083.

Tauromitani clerici de episcopo bona Ecclesiæ alienante apud Leonem in synodo conqueruntur, 728.

Temperantia quid indulgeat, quid neget, 283.

Templum Dei domus: in eo Jesus quærendus, 717. *Vid.* Basilica, Ecclesia. Templorum dedicatio, *vid.* Dedicatio Ecclesiæ.

Digitized by Google

Tentatio undique ingruit, 90, 93, 94, 163, 185, 190. A tentationibus nemo liber, 30, 46, 55, 145. Varia tentationum genera, 56, 158. Præcipue in otio, 56. Tota vita tentatio est, 134, 178. Licet sanctis suis quotidianam victoriam donet in tentationibus gratia divina, non aufert tamen dimicandi materiem, 314. Cur, 315, 1020. Tentationes necessariæ, 145. Quomodo superentur, 90. Quibus armis, 56, 57, 178. Vigilantiæ necessitas, 72. In tentationibus ad crucem Christi recurrendum, 275. Instandum orationi, 213. Prius tolerantia postulanda quam gloria, 196. Quos maxime diabolus tentet, 154. Tentari cur Christus voluerit, et quomodo pugnarit ac vicerit, 145 Quatenus tentatio in bonum cedat, 362 Præsumere de facilitate resistendi peccatum est; vinciturque qui vinci non timet, 154.

Thalassius episcopus Cæsareæ Cappadociæ a Leone notatus, quod quendam monachum illicita præsumentem malæ doctrinæ prædicare permiserit, 1211.

Theodoritus Cyrensis episcopus in pseudosynodo Ephesina depositus ad Leonem confugit, 946. Per appellationem, 947 *not* Annum episcopatus vigesimum sextum anno 449 agebat, 948. Suscepti ab eo labores pro Ecclesia, scripta contra hæreticos, Judæos gentiles, aliaque ejusdem gesta recensita, 947 *seqq*. Legatos ad Leonem dirigit, 950, 951 Nestorio olim favebat, sed postea ipsi anathema dixit, 1226 *not*. Theodoretum ab omni hæreseos macula immunem apostolicæ sedis judicium demonstravit, *ibid*. Leonis judicium in Chalcedonensi laudatum, *ibid. n t*. Illyricianis et Palæstinis ambigentibus de epistola Leonis ad Flavianum in concilio Chalcedonensi, dubitationem excludere visus est, 1220 *not*.

Theodorus Forojuliensis Leonem consulit de pœnitentia, 1173. Idem Theodorus, 998.

Theodosius imperator Chrysaphii opera Euthychis patrocinium suscipit, 762 *not*. Scribit ad Leonem de turbis Constantinopoli excitatis ob damnatum Eutychen a S. Flaviano, 761, 767. Synodum Ephesi voluit congregari, 859, 851, 856, 865, 870, 886, 902, 911. Post latrocinium Ephesinum Leo a Theodosio petit synodum intra Italiam, 915, 923, 957, 1008, 1011. Legatio apostolica hac de causa apud imperatorem Pulcheriæ Augustæ commissa, 923. Mortuo S. Flaviano quid Theodosius egerit pro successore subrogando, 954. Pro concilio in Italia cogendo Leone petente ad eum scribunt Valentinianus, 962. Placidia, 964; et Eudoxia, 967. Responsa Theodosii, 986, 989, 991. Scribit ad Leonem pro electione Anatolii confirmanda, 1005. Leo quatuor legatos ad ipsum dirigit, 1007. Theodosii mors, 1014.

Theodotus Antiochenus episcopus, 948.

Theodulus metropolitanus in Illyrico, 957.

Theonas episcopus Ægyptius pro fide extorris, 1336.

Theophilus Ægyptius episcopus ordinator Timothei Solophacioli, 1437.

Theophilus Alexandrinus episcopus a S. Proterio laudatus, 1265. Ejus laterculus, seu supputatio paschalis centum annorum, 1059 *not*., 1229 *not*., 1282. Defenditur, 1263. Ejus doctrina circa incarnationem ab Ecclesiæ doctrina non discordat, 1209, 1254, 1257 Testimonia ex eo a Leone excerpta contra Eutychianos, 1394.

Thessalonicensis vicariatus in Illyricum Anastasio datus, 617, 620. Crebra sedis apostolicæ auctoritate constitutus, 620, 678, 683. Anysio primum a Siricio papa concessus, *ibid* Eo inconsulto nemo ordinandus, 621, 688. De ordinatis ad eum referendum, *ibid* Metropolitanos ordinat, 618, 621, 688. Ad synodum vocat, 622, 679. Causæ quæ in provinciis suis nequeant terminari, ad eum referantur, et ab eo componantur, 678. Causæ quæ ab eo non possunt definiri, Romano pontifici reservantur, 622, 689, 690. Item maiores causæ, et appellationes, 619, 622.

Testamenti utriusque discrimen, 367. Totum vetus Testamentum in sacramenta Christi transivit, 256. Utriusque Testamenti eadem fides, 204, 244. Summa concordia, 230, 256. Vetus Testamentum figura, novum res ipsas habet, 268.

Tiberianus episcopus Africanus ex laico per tumultum ordinatus, 665.

Ticinensis episcopus Crispinus, 1082.

Timor duplex, alter fidem justificans, torquens alter conscientiam, 227. Timor non de pœnæ formidine, sed de Dei charitate conceptus quid operetur, 349. Timor judicii et inferni a Leone incussus, 32.

Timotheus Ælurus tyrannus et pervasor sedis Alexandrinæ, 1325, 1327, 1347, 1432. Quatuor soli episcopi ei adhærebant, 1327 Episcopos et clericos de Ecclesia suis depulit, 1348. Ejectus Alexandrina sede, 1432, 1434. Venit Constantinopolim, 1434. Expulsus et in longinquiora translatus, 1438.

Timotheus Solophaciolus episcopus catholicus electus ad Leonem scribit de ordinatione sua, 1437. Laudatus, 1438.

Timotheus diaconus ordinationis Solophacioli nuntius, 1436, 1437.

Traditionibus apostoli Ecclesias imbuerunt, 314. Traditionis apostolicæ auctoritas, 317. Traditiones apostolicæ servandæ, 29 Traditio jejunii mensis septimi, 363. Traditio apostolica de ordinatione peragenda die Dominico, 629. Item de baptizando in Paschate, 716, 1429. Quatenus quædam observantiæ Christianæ de traditione apostolica derivare dicantur, 316 *not*. Traditio sanctorum Patrum, *vid*. SS. Patres.

Transfiguratio Christi, *vid*. Christus.

Translationes episcoporum reprehensæ, 689.

Tribulationes fortiter ferendæ, 1336, 1337. Tribulatio vel corrigit, vel probat, 40. Numquam deest, si numquam desit observantia pietatis, 178.

Trinitatis mysterium explicatur, 248, 298, 299, 301, 309, 310. In Trinitate distinctio personarum, sed unitas essentiæ, 83, 312. De Trinitate quid cogitandum, 310, 311. Trinitas divisit sibi opus redemptionis nostræ, 310. Quam impie de Trinitate senserint Priscillianistæ, 697. In Trinitate dividere non debet intellectus, quod distinguit auditus 301, 393 Prima Trinitatis persona est mittens, secunda est missa, tertia est promittens, 509, 396. Cur aliqua singulis personis tribuantur, 301. Trinitatis opera indivisa, 309

Tristitia religiosa aut alienum peccatum luget, aut proprium, 369.

S. Trophimus primus Arelatensis episcopus, 994.

S. Turribius Asturicensis episcopus, ante episcopatum scribit ad Idatium et Ceponium episcopos contra Priscillianistas, 1475. Jam episcopus scribit etiam ad S. Leonem epistolam contra eosdem, atque commonitorium et libellum mittit, 695. Leonis responsio ad ipsum, *ibid* Maud ta, 710 Cur Leo Idatium et Ceponium eidem juxserit in sollicitudine adversus Priscillianistas, 1475.

U

Unctio sacerdotum, 228.

Ursus episcopus Gallus, 1110, 1136.

Usura, *vid*. Fenus.

Uxor quæ, 1422.

V

Valentia Viennensi episcopo attributa, 999.

Valentinianus III imperator post Leonis judicium contra Manichæos legem fert, 626. Alia ejusdem lex post Leonis judicium contra Hilarium Arelatensem, 642. Fuit lex non solum pro Galliis, sed generalis, *ibid not*. Romam venit pro die festo S. Petri, 962. Quod fuit hoc festum, 959. Rogatus a Leone et Romana synodo scribit ad Theodosium contra latrocinium Ephesinum, 962. Theodosii responsio ad eumdem, 985.

Valentinus hæreticus, 741, 756, 782, 1359.

Valerianus episcopus Gallus, 998, 1110, 1136.

Valerius episcopus Gallus, 1110, 1136.

Vana gloria, *vid*. Gloria vana mundi.

Vandalicæ irruptionis indicium, 334, 336.

Venerius episcopus Gallus, 1110, 1136, 1140.

Veranus Gallus episcopus scribit ad Leonem, 1005.

Verbum Dei, *vid*. Filius Dei.

Vercellensis episcopus Justianus, 1084.

Veritas quibus sit scandalum, 129. Veritatis cognitioni quis sit idoneus, 102 Ad eam mundana sapientia non pervenit, 176. Veritas semper sui similis, 268. Bene ambulatur cum per viam veritatis inceditur, 317. Veritas quomodo defendenda, 765. Pro veritate pati gloriosum, 939. Quæ optima ejus victoria, 1145. Veritatis victoria qualis in hoc mundo, 1227. Mundus veritatem non recipit, 1457. Divina veritas nobis semper loquitur, 39. Ubi veritas est magistra, numquam desunt divina solatia, 1020.

Verus episcopus Gallus, 1111, 1136

Vestitus nitidior diebus festis, 153.

Victurus episcopus Gallus, 1111.

Vidua Evangelica laudata, 157, 169 Sareptana, 42, 158. *Viduæ antequam nuptæ* quæ dici solebant, 667 *not*.

Viennensis episcopus per litteras et legatos ad Leonem missos queritur de episcopo Arelatensi, 998. Econtra Arelatensi adhærentes de Viennensi conqueruntur, 994. Qui episcopatus Viennensi subjiciantur, 999. Viennensis provincia, 633, 996, 998, 999 *not*.

Vigilantius unus e metropolitanis Illyrici, 677.

S. Vincentius martyr, ejusque martyrium sub Daciano, 248 *seqq* Quinam auctor sermonis de S. Vincentio, 378.

Vindictæ cupidus quam periculose dicat orationem Dominicam, 166. Sui ipse est judex, 188.

Virgines sine sua culpa per vim corruptæ cum incontaminatis se comparare non audeant, 666. Quo loco habendæ, 668. Virgines propria culpa corruptæ longæ pœniten-

Digitized by Google

tiæ subjectæ, *ibid. not.* Hæ vocari solebant viduæ antequam nuptæ, 667 *not.*

Virginum propositum et habitus et consecratio, 1426. Contra propositum continentiæ agentes, etiamsi non fuerint consecratæ, prævaricantur, *ibid.*

Virtutes tres theologicæ, 21, 58. Charitate virtutes fiunt utiles, 58. Sine charitate omnes sunt infructuosæ, 182. Non sunt virtutum opera sine tentationum experimentis, 145.

Visio intuitiva in cœlis reservata, 195.

Vita præsens perpetuus conflictus, 145, 154, 178. Vita Christiani crux perpetua, 173. Forma vivendi unde petenda, 171.

Vitiis gravioribus austerior medicina adhibenda, 168.

Vocatio omnium gentium, 121, 132, 186, 246.

Voluntates omnes ex altero duorum amorum prodeunt, 352. Leonis sententia explicata, 32, 501. Voluntas mala cujus ortus ex nobis est, 361. Ex voluntate pensatur actio, 364. Omne peccatum ex voluntate, 666.

Votum seu propositum Monachorum et Virginum, *vid.* Monachi, Virgines.

Y

Ynantius episcopus Gallus, 890, 998, 1112, 1136.

Z

Zosimi papæ tempore Baptisterium aqua repletum per miraculum, 610.

ORDO RERUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Epistola nuncupatoria. 9

Ballerinorum præfatio generalis. 15

Quesnelli præfatio generalis in suam editionem operum S. Leonis Magni. 31

Epistola nuncupatoria editioni Quesnellianæ præfixa. 47

Schœnemanni notitia historico-litteraria in S. Leonem Magnum. 49

OPP. S. LEONIS PRIMA PARS. — SERMONES.

Præfatio. 117

Admonitio in duos sequentes sermones. 137

SERMO PRIMUS. — S. Leo absens electus gratias pro beneficio rependit, et Ecclesiæ suæ preces sollicite postulat. 141

SERM. II. — I. Nemini vel de justitia sua præsumendum, vel de misericordia Dei diffidendum. — II. Conventus episcoporum in anniversario die consecrationis Romani pontificis, quem Petri hæredem Ecclesia tamquam Petrum susci, it. 142

SERM. III. — I. Ad Deum referendus honor sacerdotii. Hujus figura in Melchisedech præcessit; utriusque discrimen. — II. Quam sit tanto oneri humana infirmitas. Christus Ecclesiam semper regit. Soliditas fidei Petri permanet. — III. Petri elogia, qui Ecclesiæ curam etiam nunc non deserit. Quo sensu petra et fundamentum. — IV. Petrus in successoribus honorandus : Primas omnium episcoporum. Profectus gregis, laus pastoris. 144

SERM. IV. — I. Festivitatem hanc (*De natali suo loquitur*) omnibus esse communem Christianis, qui et reges sunt et sacerdotes. — II. Quanta Petro præ cæteris sint collata : Ecclesiam in Petro, et in ejus fide fundatam. — III. Transivit in alios apostolos potestas clavium quas Petrus accepit. Speciale privilegium Petri, cujus specialis cura a Domino suscipitur, et pro fide cujus proprie Christus oravit, ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur. — IV. Petri precibus et sollicitudini deberi quidquid boni a successoribus ejus agitur. 148

SERM. V. — I. Omnia in Deum esse referenda. — II. Quo quisque altiorem in Ecclesia tenet locum, eo magis illi timendum esse. — III. Christum verum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, et suæ semper adesse Ecclesiæ. — IV. Petrum Romanæ sedis semper curam gerere. — V. Illi potissimum honorem esse impendendum, cujus sedi successores ejus serviunt. 153

SERM. VI. — Eleemosynæ commendatione præmissa, Dominicam collectarum adesse monet. 157

SERM. VII. — Eleemosynam alterum esse lavacrum a peccatis, et opus maximæ charitatis. 159

SERM. VIII. — Collectas occasione paganarum superstitionum esse institutas, a quibus ne pauper quidem excluditur; eleemosyna cruciari dæmones; pauperes a collectarum fructu non esse alienos. 159

SERM. IX. — I. Evangelica luce gentilitiæ superstitionis tenebras repelli, a quibus omnia manant flagitia. — II. Ideo futurum judicium a Christo prædicitur, ut misericordiæ largitate peccata redimantur. — III. Collectas institutionis esse apostolicæ : occasione paganicæ superstitionis esse ordinatas; verecundos maxime pauperes esse sublevandos. — IV. Hæreticos prodere Deo in primis gratum. Manichæorum dogmata. 160

SERM. X. — I. Collectarum consuetudine ab apostolis tradita juvari fideles. Opes non tam possidendæ quam dispensandæ a Deo traditæ sunt. — II. Quam miseri qui opes suas in proprium tantummodo usum, non in pauperes expendunt. — III. Sine misericordia in pauperes, cæteras virtutes non prodesse. — IV. Fidem sine operibus mortuam esse, per charitatem vivificari. Eleemosynæ ac temperantiæ bona quæ? 164

SERM. XI. — I. Quantum ultima sententia judicis nostri misericordiæ commendet opera. — II. Unde collectarum consuetudo originem traxerit in Ecclesia. 166

SERM. XII. — I. Homo ideo conditus ut suum imitetur auctorem; et hoc Dei donum est. — II. Charitatem non Deum solum, sed et proximum complecti, ipsosque inimicos; quæ Christianæ charitatis latitudo est. — III. Omnibus Dei judiciis subditus quisque debet esse, nec minus de inopia quam de abundantia gratias agere. — IV. Jejunio, oratione et eleemosyna omnes virtutes comprehendi. 168

SERM. XIII. — Jejunium mensis decimi cur institutum; ejusdem et Christianæ erga pauperes misericordiæ laus 172

SERM. XIV. — I. Ager carnis quomodo colatur. — II. Diabolus tum maxime in fideles sævire cum bona opera exercent. 173

SERM. XV. — I. Triplex orationis, jejunii et eleemosynæ remedium adversus tentationes diaboli et vulnera peccati. — II. Jejunii præceptum, sicut et præceptum dilectionis, non esse novæ legis gratia abrogatum; eidem misericordiæ opera esse jungenda. 174

SERM. XVI. — I. Divites et Deo gratias agant, qui opes eis largitur, et has cum pauperibus communicent. — II. Cur institutum decimi mensis jejunium. Efficax oratio, cui eleemosyna suffragatur. — III. Hæreticos diabolo ad corrumpendos fideles famulari sub Christiano nomine. — IV. Manichæorum hæresis omnium sordium sentina. Quid in eos Leo gessit Romæ. — V. Eosdem esse et fugiendos, et prodendos. — VI. Zelo adversus hæreticos orationes fieri apud Deum orationes, jejunia, et eleemosynas. 176

SERM. XVII. — I. Jejunium a lege veteri in novam translatum et Deo ex grati animi sensu deberi, et orationem efficaciorem efficere. — II. Pium fenus cum Deo exercendum; fenus vero quam injuste et impie ab hominibus exigatur. — III. Quilibet sequatur ex fenore eventus, semper mala est ratio fenerantis. — IV. Aliquorum abundantiam et aliorum inopiam ad hoc esse ordinatam, ut dives Dei bonitatem imitetur. 180

SERM. XVIII. — I. Animam licet regeneratam, et ex se in deteriora declivem, et ex Dei benignitate piuribus munitam esse præsidiis. — II. Communem toti Ecclesiæ abstinentiam indici, ut et a parte et a soliditate diabolus superetur. — III. Sterilem arborem Christus damnavit, ut misericordiæ opera commendaret. Ut homo Christianus impugnetur assidue, quæque sint piorum arma contra invisibiles hostes. 182

SERM. XIX. — I. Abstinentia Domino viam parat, et mentem erigit ad cœlestia. — II. Cur Quatuor Temporum jejunia instituta, quibus et subjungendum jejunium a vitiis. — III. De cultu Dei, ac de usu bonorum temporalium. De duplici jejunio. 185

SERM. XX. — I. Alia in lege pro tempore instituta, alia etiam in nova lege permansura. Quale jejunium, et omnia præcepta moralia. — II. Jejunium decimi mensis ecclesiasticis regulis præscriptum pro agendis Deo de perceptis terræ fructibus gratiis. Terræ fecunditatem ubertas animorum æmuletur, ut Dei homo sit imitator. — III. Omnia præcepta continet charitas, qua homo a bestiis discernitur. Sic diligendus proximus a nobis, quomodo nos a Deo. A misericordiæ operibus ne pauper quidem excluditur. 188

SERM. XXI. — I. Nemhiem extraneum esse a lætitia Nativitatis Domini, quæ sola sine sorde peccati est. — II.

Digitized by Google

Miram esse hujus mysterii dispensationem. — III. Qui novum hominem vult induere, et veterem esse deponendum. 192

Serm. XXII. — I. Incarnatione Verbi primam Dei erga homines dispositionem compleri, sed sacramento occultiore. — II. Novo ordine, nova nativitate Filium Dei esse generatum. — III. Cur ex Virgine nasci Christus elegerit. — IV. Illusum esse diabolum per incarnationem ex Virgine. — V. Ideo natum esse Christum in carne, ut renascaremur ex Spiritu. — VI. Non Hominis Dei, sed novi solis ortum Manichæos colere. 193

Serm. XXIII. — I. Utramque Christi generationem esse inenarrabilem, et utramque naturam editam esse a Maria. — II. Error Arii unde? Incarnationis explicatur sacramentum. — III. Necessitas incarnationis, ut hominum errores et peccata auferrentur. — IV. Finem et virtutem incarnationis unam semper et eamdem fuisse quæ hodie. — V. Non carnali lætitia Dominicam Nativitatem, sed spirituali celebrandam. Quod Christus caro nostra fit nascendo, nos caro ejus renascendo. 199

Serm. XXIV. — I. Per Verbi incarnationem figuras et promissiones esse completas — II. Nisi Deus fieret homo, nullum hominis vulneribus remedium superesse. — III. Christum verum Deum esse et verum hominem, peccati originalis expertem; cujus nativitatis imago in baptismate. — IV. Ab hac alienos esse Manichæos Christum negantes corporaliter natum — V. Alios hæreticos nonnihil habere sani, Manichæos nihil non impium. — VI. Ab illorum ficta pietate cavendum; unitati fidei, sine qua nihil verum, inhærendum esse. 203

Serm. XXV. — I. Rudibus Ecclesiæ filiis debitorem se fatetur Leo. Non in sola mandatorum observantia, sed et in tramite fidei angustam esse viam. — II. Verbum Patri æquale et consubstantiale, per incarnationem Patre minorem factum quoad humanam naturam. — III. Profundum incarnationis mysterium expenditur. — IV. Christum in veteri lege prænuntiatum, in nova missum, nonnisi Spiritu Dei cognosci posse. — V. Nisi Verbum caro fieret, mors regnaret ab Adam. Filius Dei homo factus, ut homines fierent filii Dei. Virtus baptismatis. — VI. Incarnationem et mysterium esse et exemplum. 208

Serm. XXVI. — I. Nativitatis et infantiæ Christi mysteria nunquam non esse recolenda. — II. Ecclesiam, dum Christi ortum veneratur, suum celebrare. — III. Quæ sit pax quam Christus sine semine nascens largitur.—IV. Qui filius Dei est, Deum imitetur, Dei gratiæ voluntatique serviat. — V. Natalis Domini, natalis est pacis. Pax mundi et electorum qualis. 212

Serm. XXVII. — I. Æqualis esse periculi alterutram in Christo negare naturam. — II. *Verbum caro factum est*, quomodo intelligendum? Qui effectus? — III Diabolum varie homines tentare pro variis eorum affectibus et studiis. — IV. Quod soli orienti quidam Christiani se inclinant, ex superstitione esse. — V. Cœlestia corpora hominum utilitati servire. — VI. Quis rectus creaturarum usus. Homo ad præsentia natus, ad futura renatus. 216

Serm. XXVIII. — I. Quanta lætitia mysterium Christi nascentis sit excipiendum. — II. A carne animaque in Christo humana nullo momento Verbum abfuisse. — III In delendo peccato Adæ voluntario justitiam esse servatam.— IV. Varii errores circa incarnationem Domini.—V. Nestorii et Eutychis impia dogmata. — VI. Veritatem utriusque naturæ in Christo, in unitatem personæ convenire. — VII. Quomodo plenitudo Divinitatis corporaliter in Christo inhabitat et in Ecclesia. 221

Serm. XXIX. — I Quæ pax ab angelis nuntietur nascenti Christo. — II. Mysteria quoad dispensationem solum corporalem transisse. *Dixit Dominus Domino meo* expenditur. — III. In adoptantis misericordia gloriandum. Infantiam Christi esse honorandam. 226

Serm. XXX. — I. Utramque Christi generationem ineffabilem esse. — II. Diversi errores circa incarnationem Verbi. — III. Divinitatis plenitudinem corporaliter Christum inhabitasse. — IV. Conceptionem Christi inter omnes esse singularem. — V. Utriusque in Christo naturæ proprietates expenduntur. — VI. Christum Patri et matri consubstantialem, ex utroque nos salvare. — VII. Unam Christi fidem omnes omnium sæculorum fideles salvare. Genealogia Christi apud Matthæum et Lucam, cur diversa. 230

Serm. XXXI.—I. Christus natus ab omnibus vult agnosci, dat signum stellæ, simulque donum intelligendi et requirendi.—II. Frustra Herodes in Christum sævit. Magi fidem suam muneribus protestantur. — III. Militiam Herodis in infantium bonum Christus ordinat. Quas in Deo infante virtutes imitari debeamus. 234

Serm. XXXII.—I. Herodes Christum natum mundo nuntiat, cum e mundo tentat auferre. Christus in Ægyptum exsulans, saluti Ægyptum præparat. — II. Quantum debeamus Deo, cæcitas Judæorum demonstrat, qui non agnoverunt, ut crucifigerent. — III. Felicior infantium ignorantia quam sacerdotum Judæorum scientia. Christus infantiam parvulorum de se consecrat infantia. — IV. Magorum vocatio, vocationis nostræ primordia. Eorum munera quemque debet æmulari, ut Christo salutem nostram operanti cooperemur. 237

Serm. XXXIII. — I. Tunc Christus mundum liberaturus venit, cum omnes comitus erant sub peccato, ut nemo de suis meritis gloriaretur. — II. Cur sub Herode natus, cur stella demonstratus? Gratia intus operabatur, ut signum intelligeretur, et Christus inquireretur. — III. Quanta Judæorum cæcitas Christo nascente. Implet gentium vocatio promissionem Abrahæ factam. — IV. Cur magi, adorato Christo, per aliam viam revertuntur. Cur Christus in Ægyptum transferri voluit. — V. Gratiarum actione celebranda hæc festivitas, in qua vocationis gentium primitiæ. Quomodo stellam imitabimur. 240

Serm. XXXIV. — I. Magi a longinqua regione vocati, ut Christiana fides roboraretur, quæ Deum et hominem Christum credit. — II Magi prophetia Balaam edocti, Judæorum responso confirmati. Isti spe ducis temporalis decepti; Herodes timore consortis turbatus. — III. Magorum iter muneraque delectus gratiæ intus docentis opus fuere. Eorum diligentia filii unitæ servitutem. — IV. Manichæorum impietas incarnationis fidem ac veritatem evertit. — V. Manichæi vivendi; eorum sacrilegia detecta. Pro iisdemque aliisque hæreticis preces fundere, Ecclesiæ institutum. 244

Serm. XXXV. — I. Stella quæ magos efficaciter movit et perseveranter attraxit, quid significet. — II. Adhuc Herodes in diabolo sævit contra Ecclesiæ filios, et Judæi Herodi serviunt obcæcati, et omnis religionis experies facti; horum loco gentes succedunt. — III. Pro Judæis orandum esse. Gratiæ Dei strenue cooperandum. Gratia præstat auxilium : obedientia mollit imperium. — IV. Omnes Deus invitat beneficiis, cui si non obedit homo, sibi ipsa supplicium est mens dura et ingrata. Terrestria deserenda, cœlestia appetenda sunt, ut sanctorum societati jungamur. 249

Serm. XXXVI. — I. Mysteria semper honoranda; quæ et virtute remanent et adhuc in Ecclesia adimplentur. Gratia intus operatur quod exterius stella significat. Quomodo munera eadem offeruntur a fidelibus. — II. Adhuc diabolus Herodis personam gerit, in Judæis invidiam, in hæreticis fallaciam, in paganis sævitiam exercens. Sed et Christus per charitatem triumphat in suis membris. — III. Persecutionibus crevit Ecclesia. Gloria principum Christo servire. Timenda in pace Ecclesiæ cupiditatum persecutio, quibus dæmon colitur, non minus quam sacrificiis. — IV. Pœnitendum, dum pœnitentiæ locus est : nec difficultati cedendum, sed orandus Deus, qui dat unde petatur, et dat quod petitur. 255

Serm. XXXVII. — I. Opere imitari necesse est quod fide creditur. Mysteria Christi, et sacramenta sunt, et exempla. — II. Infantia Christi, quæ lex est vivendi, nihil nisi crucem et humilitatem prædicat. — III. Tota Christi fortitudo, humilitas; quæ tota sapientiæ Christianæ disciplina, et cujus infantia est magistra. — IV. In quo sita sit infantia Christiana, ad quam nos Christi infantia invitat. 725

Serm. XXXVIII. — I. Stella gratiam, magi omnes gentes, Herodes paganos, infantes occisi martyres figurant. Omnium est temporum præsens festivitas. — II Sola fidei luce attingi posse Christi Dei hominisque mysterium, reparando homini necessarium. — III. Gratiæ necessitas. Homo bona agens, a Deo habet et effectum operis, et initium voluntatis. Sanctis timendum ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ. Quibus signis quisque experiri potest an in ipso Deus habitet? — IV. Ex charitate in primis habitatorem cordis Deum cognovimus. Charitati quantum laborandum. 260

Serm. XXXIX. — I. Hebræorum exemplo esse jejunandum maxime contra hostes invisibiles. — II Quadragesimæ præsertim tempore parari insidias a dæmone. — III Cur Christus tentari voluerit, et quantæ sint hominis pugnæ in hac vita. — IV. Quanta invidia dæmonis. Quæ Christianorum arma. — V. Quæ potissimum virtutes jejunium comitari debeant. — VI. In misericordiæ maxime operibus verum jejunium esse. 265

Serm. XL. — I. Semper in hac vita proficiendum esse. — II. In id maxime eniteudum Quadragesimæ tempore, quo magis sævit diabolus. — III. Cur Christus esuriens non mutavit lapides in panem? — IV. Non sterilem esse debere Quadragesimæ inediam. — V. Miserationem et clementiam principum imitandum esse Quadragesimæ tempore. 267

Serm. XLI. — I. Quanta conscientiæ puritate jejunium

Digitized by Google

celebrari debeat? Quomodo se quisque examinare? — II. Audacia diaboli in tentatione Christi nos cautiores reddere debet, hoc præsertim tempore. — III. Miseratione jejunium sanctificari. 272

Serm. XLII. — I. Quadragesimam purgandis animarum sordibus salubriter esse institutam. — II. Omnibus virtutibus studendum hoc tempore, quæ ex voluntate pensantur. — III. Ex ipsa pietate insidiari diabolum; cujus tentationum erga Christum ordo et ratio explicantur — IV. De perversa Manichæorum abstinentia. — V. Eosdem in honorem solis et lunæ die Dominica et feria secunda jejunare, a participatione sanguinis Christi abstinere, *etc.* — VI. Uti per opera virtutum sanctificetur Quadragesima. 274

Serm. XLIII. — I. Quomodo gratiæ cooperetur homo, ut interius renovetur, quod nemini non est necessarium. — II. Paucos esse quos vel adversa non turbent, vel prospera non inflent. — III. Omnibus necessitatem penitendi incumbere. — IV. Maxime operibus misericordiæ deleri peccata. 281

Serm. XLIV. — I. Quadragesimæ maxime tempore purganda esse vetustatis vitia, a quibus nemo immunis. — II. Jejuniis conjungi debere animi integritatem, pacis unitatem, et elemosynæ largitatem, a qua nemo excluditur. III. Humilitatis et lenitatis spiritu superbiæ et vindictæ studium pellendum. 285

Serm. XLV. — I. Omnes, sive justos, sive peccatores, sive catechumenos, parare Domino viam debere per Quadragesimam. — II. Misericordiæ et veritati ad imitationem Dei, fidei et charitati instandum Quadragesimæ tempore. — III. Christo impendi, quod pro Christo præbetur. — IV. Omnium virtutum exercitio incumbendum hoc tempore. 288

Serm. XLVI. — I. Non solum vitia, sed et errores esse repellendos; geminamque aguoscendam in Christo naturam. — II. In omnibus actionibus Christi varia elucere utriusque naturæ testimonia. — III. Quæ de Christo incarnato sint credenda. — IV. Non solum eleemosynis, sed et offensarum remissione jejunium et orationem fructuosa reddi. 291

Serm. XLVII. — I Majorum, id est, quadragesimalium jejuniorum tempore per crucis tolerantiam ad paschale festum Christianos præparari. — II. Non solam probitatem servandam, sed et fidem; maxime vero Divinitatis et humanitatis in Christo. — III. Misericordia et offensarum maxime remissione Deum placari. 294

Serm. XLVIII. — I. Ad paschale sacramentum, quod alia omnia consecrat, omnes per quadraginta dierum jejunium præparare se debere. Gratiæ operatio et humana cooperatio. — II. Invidiam de bono proximi, quæ diaboli propria est, maxime esse cavendam. — III. Sine charitate nudas esse et infructuosas virtutes; nullum debere illius virtutis esse terminum. — IV. Misericordia quemque debere misericordiam promereri. — V. Eleemosynas abunde esse erogandas hoc tempore. 297

Serm. XLIX. — I. Jejunium Quadragesimæ maximum et sacratissimum omnibus sine exceptione indictum esse, quia omnibus necessarium, cum nemo sit immunis a culpa. — II. Quam pauci viam salutis intrant, quam multi temporalibus occupantur. — III. Sicut magis insidiatur et sævit diabolus Quadragesimæ tempore, ita magis Deo salutique suæ vacare Christianos debere. — IV. Ut paschali festo nos præparemus, exsequenda esse Dei mandata, quæ ideo dantur ut et gratia Dei quæratur, et propria vita velut in speculo conspiciatur. — V. Primum misericordiæ effectum, quod est oblivio delictorum, et optandum a Deo, et præstandum esse proximo. — VI. Eum qui filius haberi cupit debere fratris habere charitatem et eleemosynam largiri, ut misericordiæ divinæ ministrum. 301

Serm. L. — I. Ad paschale convivium debere quemque se præparare per discussionem conscientiæ et emendationem vitæ. — II. Misericordiam exercendam, a vitiis jejunandum, rebus cœlestibus esse inhærendum. — III. Ad paschale sacramentum quod in remissionem peccatorum conditum est, quemque præparari, cum illud remissione offensarum imitatur. 305

Serm. LI. — I. Fidem veram Christum et Deum confiteri et hominem: quæ in Petro magna potestate remunerata est. — II. Christum ob id maxime esse transfiguratum, ut veritatem et virtutem suæ carnis comprobaret. — III. Ut etiam crucis scandalum tolleret, spemque Ecclesiæ suæ confirmaret. — IV. Veteris et novi Testamenti de Christo concordiam per Moysis et Eliæ apparitionem significari. — V. Petri desiderium non improbum fuisse, sed inordinatum. — VI. *Hic est Filius meus*, etc., explicatur. — VII. *Ipsum audite* expenditur. — VIII. Hoc testimonio Patris omnium infirmitatem roborari. 308

Serm. LII. — I. Per solam Verbi incarnationem salutem homini contingere, cujus fides etiam in veteri Testamento et ante legem necessaria. — II. Per verbi potentiam et carnis humilitatem salutem pari. — III. Non spernendam ejus crucem et abjectionem, qui unico verbo in passione prostravit satellites. — IV. Ultro se Christum tradidisse morti, qui et Petri zelum repressit, et servi aurem restituit. — V. Morte Christi nos liberari, Judæos et Judam accusari; qui tamen etiam potuissent illa redimi. 313

Serm. LIII. — I. Conversionem latronis, qui ad crucem usque reus, repente confessor Christi factus est, gratiæ opus esse. — II. Omnes creaturas, cum testimonium Christo in cruce reddiderunt, sententiam in Judæos protulisse. — III Christianos humilitati et patientiæ Christi conformes fieri debere; nec aliam esse viam ad æterna. 317

Serm. LIV. — I. Crucis et redemptionis mysterium antiquitus præfiguratum, duas in Christo naturas exigere. — II. Distinctas esse utriusque proprietates voluntariasque humanæ passiones. — III. Quam inique de bonitate Domini diffidit Judas, quem a corporis et sanguinis sui communione non repulerat. — IV. Tristitiam et formidinem nostram voluntarie a Christo fuisse susceptas. — V. Petri conversionem interioris Christi intuitus opus fuisse. — VI. Quantorum malorum Judæis origo fuere clamores quibus Christum morti addixerunt. 318

Serm. LV. — I. De crucifixione Christi, in qua per latrones electorum et reproborum discretio figuratur. — II. Imperitas esse Judæorum in Christum blasphemias, cum prædictum esset, non eum descensurum, sed regnaturum a ligno. — III. In cruce, quæ veri altaris sacramentum est, sanguine Christi chirographum peccati esse deletum, et latronem mirabiliter conversum. — IV. De aceto degustato, verbo *Consummatum est*, inclinatione capitis et morte Christi. — V. Charitate et puritate parari corda ad paschale festum celebrandum. 322

Serm. LVI. — I. Salutem nostram esse in cruce positam; in qua æquitate et potentia, divinitate et humanitate certavit Christus. — II. De oratione Christi et duplicis voluntatis conflictu, qui ad nostram eruditionem ordinatus est. — III De Christi erga Judam lenitate, scelerata Judæ pœnitentia, et hominis per Christum redemptione. 325

Serm. LVII. — I. Christum voluntarie comprehensum noluisse defendi. — II. Christum iisdem verbis infidelium conscientias cædere, fidelium corda firmare. Caiphan, dum vestem suam scidit, sacerdotali se honore spoliasse. — III. Quæ cæcitas sacerdotum, qui linguis crucifigunt Christum, et manus retrahere a cæde videri volunt. Eorumdem circa peculiam Judæ cæca superstitio. — IV. Christum in cruce exaltatum omnes creaturas in suæ passionis communionem traxisse. — V. Christianos tanto pretio redemptos a diaboli laqueis cavere debere, qui vana astrorum scientia homines deludit. 328

Serm. LVIII. — I. Cur in solemnitate paschali pati Christus elegerit. — II. Judæos crimini intentos, ea quæ legis erant omisisse. — III. Christum eo tempore corporis et sanguinis sacramentum condidisse, quo consilium de morte ejus habebatur: ejusdem in Judam benignitas, et Judæ pertinacia. — IV. Judam corpore cœnæ affuisse, mente sceleri intentum. Christi sermo post cœnam, oratio in horto, commune cum Patre de morte sua consilium. — V. Christi orationem et trepidationem nostram formidinem pelli. 331

Serm. LIX. — I. Christum, depulsa trepidatione infirmitatis, se volentem trahi passum esse pro omnibus. — II. Quot præjudiciis Pilatum Judæi ad damnandum Christum impulerint: quanta ille ignavia cesserit clamantibus. — III. Pilati crudelitatem in Christum ex nonnulla clementia descendere; Judæos toto scelere gravari. — IV. Christum, dum lignum supplicii gestavit, in sceptrum convertisse. — V. Per Simonem Cyrenæum figuratas esse gentes ad fidem crucis Christi vocandas, et novo sacrificio sanctificandas. — VI. Interiori præsertim intuitu crucem Christi aspiciendam esse. — VII. Quomodo Christus exaltatus omnia trahat ad se? Quæ excellentia Christianæ religionis? Quanta crucis virtus? — VIII. Non nobis esse vivendum, sed Christo pro nobis mortuo. 337

Serm. LX. — I. Mysteria legis novæ in antiqua prænuntiata esse, et in Evangelio narrata. — II. Non mœste celebranda esse festa paschalia, quæ veram nobis redemptionem peperierunt. — III. Figuras impletas apparere in morte Christi, in qua diabolus sua fraude captus est. — IV. Quantopere cavenda avaritia ex lapsu Judæ: Petrum ex timore titubantem, ex charitate per interiorem Christi aspectum surrexisse. 341

Serm. LXI. — I. Quam vane de affectato regno accusatus est Christus. — II. Quidquid egit Christus, divinæ potestatis fuisse, non terreni regis. — III Cur Christus mulierum lacrymas compescuerit. — IV. Quomodo Christus supplicia in hostem suum retorserit. — V. Blasphemantes in Christum Judæos omnes creaturæ condemnant; et eos omnibus religionis sacramentis privatos velum scissum demonstrat. 346

Digitized by Google

Serm. LXII.—I. Quanta sit humani intellectus hebetudo ad mysteria contemplanda. — II. Fidem incarnationis per symbolum edoceri. Soliditas fidei Petri, ob quam petra Ecclesiæ fundamentum constitutus est. — III. Diabolum malignitate sua esse deceptum. Orationem Christi pro inimicis eos ad fidem, prædicante Petro, adduxisse. — IV. Christo pro omnibus impiis mortuo, Judæos etiam potuisse consequi remedium, si non festinasset ad laqueum. — V. mortem Christi in Judæorum mente crudelem, in mortis virtute esse mirabilem. 349

Serm. LXIII. — I. Non sola sua potentia pugnatum esse a Christo, sed ex humilitate nostra, ut justitia servaretur. — II. Quidquid habemus adimpletum, id antiquos habuisse obumbratum; unamque fidem ac spem esse omnium. — III. Inseparabilem esse unionem Christi cum utroque corpore suo, naturali et mystico. — IV. Hæc maxime Christiano enitendum, ut caput suum imitetur. — V. Sola præcepta cæremonialia esse mutata; gratiam autem data ad moralia. — VI. Christum innumeros sibi filios baptismo parere, in quo mortis et resurrectionis imago elucet. — VII. Omne Christiani meritum, gloriam esse Christi; qui quos carne sua pascit, spiritu etiam agit et regit. 353

Serm. LXIV. — I. Attente contemplandam esse Domini passionem, cujus fides ex fide pendet incarnationis. — II. Cur Filius, qui æqualis est Patri, et solus sine peccato, sit incarnatus, et non alia persona? — III. Quanti sint pretii mors et sacrificium Christi in cruce? — IV. Utramque naturam suas in Christo proprietates servantem, suas partes habere in mysteriis diversas. 357

Serm. LXV. — I. Eutychianos, cum veram carnem in Christo non agnoscunt, aut falsum in eo hominem credere, aut Deum passibilem. — II. Christum potentiam Deitatis continuisse, ut et salvaret et roboraret patiendo. — III. Veram fuisse Christi passionem; quem Deum negant Judæi, hominem Eutychiani. — IV. Omnia Christi mysteria veram in Christo carnem probant, sine qua non est primitiæ dormientium. — V. Nisi vera sit caro Christi, in eo Divinitatem inhabitare corporaliter non posse 361

Serm. LXVI. — I. Gratuitam esse reparationis gratiam: nullo exspectandam fuisse nisi a Christo, qui solus innocens solos in se credentes etiam in veteri Testamento justificavit. — II. Eadem mysteria in utroque Testamento; in uno velata, in altero revelata. — III. Pascha non rite celebrari nisi a credentibus. Miracula, quæ Christo moriente facta sunt, quemque eruditi. Mirabiles mortis Christi effectus. — IV. Quidquid factum est a Christo, nostri causa factum esse; a quo non infidelitas exsortes facit. — V. Christi inimicos per ejus gratiam esse destructos. 364

Serm. LXVII. — I. Quantum prosit beneficiorum Dei contemplatio, quorum prædictio fidem astruit. — II. Sic passionem Christi Dei consilio decretam esse, ut nec ipse sceleris auctor, nec Judæi excusabiles sint. — III. Nec ipsos interfectores Christi a redemptionis munere esse repulsos. — IV. Quam detestandum sit Judæ crimen: quanta criminis pœna. — V. Christum per voluntariam mortem et remedium dedisse et exemplum. — VI. Mortem Christi, omnem et superbiæ et desidiæ locum auferre; nec præcepta adimpleri, nisi per ipsum. — VII. Christum in membrorum suorum persona dixisse: *Quare me dereliquisti?* 367

Serm. LXVIII. — I. Inseparabilem a Christo Divinitatem eum derelinquere non potuisse. — II. Voluntariam Christi mortem pro salute mundi clamore demonstrari; nec blasphemantium vocibus potuisse impediri. — III. Spretis blasphemiis, sacrificium suum a Christo oblatum esse; veli etiam scissione significatum. — IV. Diabolum numquam non insidiari. Quæ utilitas jejunii quadragesimalis. 372

Serm. LXIX. — I. Ineffabilem esse mysterii crucis altitudinem. Fidem ejus tam unam esse quam infidelitas est varia et incerta. — II. Cessasse figuras, quia veritas illuxit, cujus fides eadem semper fuit. — III. Christum Deum et hominem voluntarie mortuum; diabolum in astutia sua deceptum fuisse. — IV. Diabolum, dum Christum occidit, liberandis hominibus locum dedisse et plenæ de morte et peccato victoriæ. — V. Sedulo insidias diaboli esse vitandas, ut cum Christo crucifixi per mortificationem, in ipso coronemur. 375

Serm. LXX. — I. Quam præsentem nobis faciat fides vera Christi passionem, quæ longe diversa est in Crucifixi mente et in crucifigentium opere. — II. Malitia Judæorum usum esse Christum ut morte sua verum Pascha immolaret, quo et ipsi occisores possent salvari. — III. Sapientiam mundi in mysterio crucis confundi, in qua et potentia, et infirmitas Christi nos salvat. — IV. Crucem jugiter ferendam, ut quod mysterio actum est in baptismate, opere compleatur. — V. Passionem Domini usque ad finem mundi perfici mortificatione ejus membrorum. Diaboli inimicitiam amicitiæ ejus præferendam. — VI. Vitiorum nostrorum mortificationem Christi virtutem esse et victoriam. 379

Serm. LXXI. — I. Curandum esse ne jejunii fructus evacuetur, ut qui mortui sunt cum Christo, etiam cum ipso resurgant. — II. Sepulturæ dies propter discipulos esse abbreviatos. — III. Multis suam resurrectionem Christum probasse argumentis. — IV. Quæ commutatio in carne Christi per resurrectionem facta fuerit. — V. Christianum, spretis terrenis, cœlestibus mente inhærere debere. — VI. Cavendum ne ad peccati voluptatem quis redeat post festum paschale 385

Serm. LXXII. — I. Crucem Christi nobis et sacramentum esse et exemplum. — II. Nostram naturam a Verbo in incarnatione esse susceptam, ut eam solveret in pretium. — III. Nos Christo commortuos et corresuscitatos, a Christo confortari nobiscum permanente in terris, et ad gloriam invitari regnante in cœlis. — IV. Ubique nobis et virtutem crucis et exemplum adesse, quo adversus cupiditates armemur. — V. Per terrenorum contemptum ad cœlestia tendendum, servata fide utriusque in Christo naturæ. — VI. Per Christi transitum, qui non est nisi in natura nostra, nobis ad cœlestia transitum præparari. — VII. Eutychianos paschalis festi exsortes esse, qui naturam nostram in Christo negant. 390

Serm. LXXIII. — I. Et moram Christi in terris post resurrectionem, et dubitationem discipulorum, ad fidem confirmandam dispositas esse. — II. Quanta his diebus a Christo facta fuerint. — III. Vulnerum suorum tactu trepidantia discipulorum corda confirmasse. — IV. Ascensionem Christi eos lætitia affecisse, quos et mors trepidos fecerat, et resurrectio dubios reliquerat. Ampliora per Christum esse collata quam per diabolum ablata. 394

Serm. LXXIV. — Ascensione et gaudium nostrum adimpleri, et fidem nostram spemque mirabiliores fieri. — II. Ut capaces essemus beatitudinis, Christus ascendit in cælum, ibi mansurus usque ad diem judicii. — III. Fidem ita ascensione esse roboratam, ut nullis potuerit tormentis superari, etiam in tenuibus pueris. — IV. Excellentis immutasse Christum per ascensionem, et præsentiorem fuisse Divinitate. Quid angelicum colloquium significet. — V. Excitat nos ascensio Christi ut terrena despiciamus tanquam peregrini, et charitate ditemur, sine qua ad Christum non itur. 397

Serm. LXXV. — Christianam Pentecosten Mosaicæ respondere. — II. Quam velociter ac mirabiliter a Spiritu sancto edocti sint discipuli. — III. Perfecta personarum in SS. Trinitate æqualitas explicatur. — IV. Macedonianorum error contra Spiritum sanctum, qui omnis boni fons et causa. — V. Omnia in Ecclesia per Spiritum sanctum sanctificari, ab eo et ipsa jejunia instituta. 400

Serm. LXXVI. — I. Et propter spiritales, et propter neophytos de Spiritu sancto esse disserendum. — II. Perfecte in omnibus æquales esse Trinitatis personas, etsi quædam singulis tribuantur. — III. In veteri Testamento datum esse Spiritum sanctum. — IV. Apostolis quoque ante Pentecosten fuisse datum, sine quo nemo bene orat. — V. Quid est quod discipuli portare nondum poterant? — VI. Quomodo ex Evangelio, Manichæorum stultitia refelletur: et quo tempore Manes vixerit. — VII. Quam latum est dicere Spiritu sancto usque ad Manen Ecclesiam caruisse. — VIII. Spiritum sanctum Ecclesiæ datum neget necesse est, qui veram Christo carnem abjudicat. — IX. Jejunia inter Spiritus sancti dona numerantur, et ex apostolica traditione indicuntur. 404

Serm. LXXVII. — I. Spiritum sanctum non inchoasse in Pentecoste sua dona, sed cumulasse, cum indivisa Trinitas operetur. — II. Ex peccato ortum esse, ut opus reparationis nostræ inter se dividerent personæ Trinitatis; et quomodo. — III. Eam partitionem nihil æqualitati et consubstantialitati personarum obesse. — IV. Nihil rebus creatis vel visibilibus affine cogitandum de Trinitate, quæ tota æqualis est. — V. Cur discipulos de ejus ascensione gaudere Christus velit. — VI. Tres personas unum esse habere, unumque operari. 411

Serm. LXXVIII. — I. Instituta esse, auctore Spiritu sancto, jejunia, ut adversus inimicos suos Christiani validius pugnarent. — II. Contra eum qui liber est a carnalibus desideriis, inermem esse diabolum. — III. Post festa institutum esse jejunium, ut, et illorum fructus percipiant et negligens circa illa plectatur. — IV. Jejunii, cui comes est misericordia, maximam esse vim. 415

Serm. LXXIX. — I. Jejunium Pentecostes, de traditione apostolica et institutione Spiritus sancti. — II. Quod discrimen inter fidelium jejunia et jejunia infidelium. — III. Quale jejunium, quod non a Spiritu sancto procedit, et ex quo gloria quæritur humana. — IV. Ad Deum referendum

Digitized by Google

esse jejunium, quia omnium desideriorum et operum bonorum auctor est. 418

Serm. LXXX.—Ita jejunandum esse, ut quod subtrahitur mensis, impendatur charitati, quæ jejunio præcellit. 420

Serm. LXXXI.—I. Peccati causam fuisse gulam, ideo abstinentia esse conterendum. — II. Tanto magis sapere interiorem hominem, quanto magis exterior a sensuum illecebris se contineat. — III. Post indulgentiæ tempora, ad jejunia recurrendum, ut negligentia vel castigetur, vel non obrepat. — IV. Per jejunium et bona opera mundari hominem a peccatis. *Ibid.*

Serm. LXXXII.—I. Quantum Romæ gloria per religionem, apostolorum ministerio, creverit. — II. Quomodo Romanum imperium Christi imperio servierit. — III. Cur Romæ primaria Ecclesiæ sedes constituta sit?—IV. Quanta Petri fortitudo et charitas Romam ingredientis. — V. Qui Petri labores antequam Romam veniret. — VI. Petrum et Paulum Petro consociatum, duo præclara divini seminis esse germina. — VII. In horum festo quantum lætandum. 421

Serm. LXXXIII.—I. Petri confessio et excellentia.—II. Quid ipsi Christus contulerit. — III. Pro ipsius fide oravit, et firmitatem fidei tribuit. Totius Ecclesiæ principem fecit. 429

Serm. LXXXIV.—I. Romanos Circensibus ludis deditos periculose beneficiorum Dei oblitos. — II. Romæ liberationem a barbaris non stellarum effectum, sed Dei esse donum grato animo recolendum. 433

Serm. LXXXV.—I. Quid intersit inter Christi et martyrum mortem. — II. Quæ utriusque efficacia.—III. Laurentii et facultates et fidem Ecclesiæ servantis fortitudo.—IV. Charitate Laurentium invincibilem factum. 435

Serm. LXXXVI.—I. Indicit jejunium ex auctoritate, suadet ex charitate, ut corpus castigetur et pauper adjuvetur. — II. Parum esse nulli auferre proprium, nisi et pauperi tuum largiaris. 457

Serm. LXXXVII.—I. Diabolo per continentiam esse resistendum, qui jacti in primis parentibus semenis fructum per illecebram edendi requirit in nobis. — II. Jejunium et alienæ et propriæ cujusque saluti plurimum prodesse. — III. Abundantiores sint eorum eleemosynæ, qui nequeunt jejunare. — IV. Divitias in tuto collocari et augeri, cum pauperibus eroganter. 438

Serm. LXXXVIII.—I. Jejunia, sine quibus antiquis justitia Dei non est placata, nobis quoque esse necessaria. — II. Multo potentiora esse quando ab omnibus simul fidelibus celebrantur. — III. Debere se quenque interdum curis subtrahere, ut saluti suæ intentus vacet. Unitas orationis quam potens sit. — IV. Plurimum valere apud Deum consensum bonorum. Animum, non censum in eleemosynis pensari. — V. Quemque debere pro facultate sua eleemosynas erogare sine diffidentia. 441

Serm. LXXXIX.—I. Jejunium a Christianis gratia Dei impletum quantum præstet observantia carnali Judæorum. — II. Commune et publicum privato esse antefferendum, ut majoris meriti et efficaciæ. — III. Innumera esse tela diaboli, quæ ab eo solo vitantur qui Deum super omnia diligit. — IV. Quædam tempora electa, ut ad divina respiremus. — V. Jejunio subjungendam eleemosynam maxime erga fideles.—VI. Pauperes patientia, divites misericordia salvandos. 444

Serm. XC. — I. Pœnitentiam semper esse necessariam propter continuas inimici insidias et concupiscentiam carnis. — II. Omnia impossibilia ex imbecillitate humana, esse possibilia ex virtute divina. — III. De amore Dei et mundi. — IV. Amorem Dei bonis operibus nutriri. Cur septimi mensis jejunium. 447

Serm. XCI. — I. Dei voluntatem ex ipsis etiam elementis edoceri, quæ et a cibis, et a mundana sapientia abstinere jubet. — II. Tam Nestorii quam Eutychis hæresim esse detestandam. — III. Veritatem carnis in Christo ex sacrificio Eucharistiæ et præcepto eleemosynæ probari. 450

Serm. XCII. — I. Præcepta legis moralia non abolita; neminem umquam sine charitate justificatum; abundantiam justitiæ evangelicæ in abundantia charitatis esse positam. — II. Jejunia novæ legis ex veteri assumpta, alio spiritu esse perficienda. — III. Deo soli placere quemque debere: talem esse cujusque thesaurum, quale est id cui corde inhæret. — IV. Septimum mensem jejunio, bonis operibus et ipso sui numero esse consecratum. 453

Serm. XCIII.—I. Finem legis esse amoris recti de pravo victoriam. De voluntate mala et bona. — II. Longe plus delectare justitiam quam iniquitatem, cujus lex Dei lege superanda. — III. Quantum prosit jejunium septimi mensis a lege et apostolis institutum. 456

Serm. XCIV. — I. Magis curandum esse jejunium spiritale quam corporale. — II. In quo spiritale jejunium sit positum, et quo auxilio implendum. — III. Cur quatuor temporum jejunium fuerit institutum. — IV. Deum diligi, cum proximus diligitur et juvatur. 458

Serm. XCV. — I. Christum per exteriores medelas animos ad interiores præparasse, quæ per lenitatem gratiæ fiunt. — II. Humilitatem, quæ omnium esse potest, primum esse gradum ad beatitudinem. — III. Ditissimam potentissimamque apostolorum, Petrique in primis fuisse paupertatem. — IV. Quis luctus iter ad beatitudinem? — V. Quænam terra mitibus promissa? — VI. Situm justitiæ aliud nihil esse quam Dei amorem. — VII. Misericordia hominem Deo similem effici. — VIII. Cordis oculum mundandum esse, ut Deus videatur. — IX. Quænam sit vera pax quæ hominem Dei filium efficit. 460

Serm. XCVI. — I. Monet ut symbolo apostolorum inhærentes caveant ab Alexandrinis negotiatoribus unicam in Christo naturam Romæ defendentibus. — II. Eutychem olim in aliis hæreticis esse damnatum. Decernendum esse in Christo quid ex deitate sit, quid ex humanitate. — III. Cum damnatis hæreticis non esse communicandum. Romanæ fidei laus. 466

APPENDIX AD PRIMAM PARTEM OPERUM S. LEONIS. 467

Præfatio. *Ibid.*

SERMONES S. LEONI ATTRIBUTI. 477

Sermo primus. — Tractatus adversus errores Eutychetis et aliorum hæreticorum. *Ibid.*

Serm. II. — In Nativitate Domini. 487

Serm. III. — De Quadragesima I. 488

Serm. IV. — De Quadragesima II. 490

Serm. V. — De Passione Domini I. 491

Serm. VI. — De Passione Domini II. 492

Serm. VII. — In Dominica Palmarum. 493

Serm. VIII. — De Resurrectione Domini I. 495

Serm. IX. — De Resurrectione Domini II. 497

Serm. X. — De Resurrectione Domini III. 499

Serm. XI. — In Ascensione Domini. *Ibid.*

Serm. XII. — De sanctissima Trinitate. 500

Serm. XIII. — In Natali S. Vincentii martyris. 501

Serm. XIV. — In Cathedra S. Petri. 505

Serm. XV. — In Annuntiatione beatissimæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ. 508

Serm. XVI. — In Natali SS. apostolorum Petri et Pauli. 511

Serm. XVII. — In Natali B. Pauli apostoli. 512

Serm. XVIII.—De sancto Petro Quomodo de carcere eductus sit. 515

Serm. XIX. — In Natali septem Machabæorum. 517

Serm. XX. — De Transfiguratione Domini. 520

OBSERVATIONES IN SERMONES S. LEONIS. 521-551

OPERUM S. LEONIS PARS ALTERA. — EPISTOLÆ. Præfatio. 551

Epistola prima, ad Aquileiensem episcopum. — I. Male Pelagianos in communionem recipi sine erroris abjuratione et fidei professione. — II. Synodum congregari præcipit, ut ab illis fidei professio exigatur. — III. Quid de gratia Christi sentiendum? — IV. Qui decretis Ecclesiæ de gratia non subjicitur, ab ea esse pellendum. — V. Cuilibet ibi esse permanendum, ubi ordinatus fuerit. 593

Epist. II, ad septimum Altinensem. — I. Pelagianos nonnisi cum erroris ejuratione esse recipiendos. — II. Unumquemque clericum in ea Ecclesia permanere debere, in qua est ordinatus. 597

Fragmentum epistolæ S. Cyrilli Alexandrini ad S. Leonem. 601

Epist. III, Paschasini episcopi Lilybætani ad Leonem papam. — Paschasinus de cyclo paschali a Leone consultus, post pauca de Siciliæ clade præmissa, Alexandrinam supputationem, Romana posthabita, retinendam esse probat, tum ex Hebræorum calculo, tum ex miraculo quod Zosimi papæ tempore contigit. 606

Epist. IV, ad episcopos per Campaniam, Picenum, Tusciam et unitas provincias constitutos. — I. Ut nullus episcopus servum alterius ad officium clericatus promovere præsumat. II. — Ut quicumque ad sacerdotium, vel viduarum mariti, vel habentes numerosa conjugia, promoti fuerint, ab ecclesiasticis officiis arceantur. — III. Quod usuras non solum clerici exigere non debeant, sed nec laici Christiani. — IV. Ut clericus nec suo, nec alieno nomine fenus exerceat. — V. Ut si quis sacerdotum contra interdicta fecerit, a suo submoveatur officio. 610

Epist. V, ad episcopos metropolitanos per Illyricum constitutos. — I. Illicitos contra canones conatus prudenter monitis præveniri. — II. Vices suas per Illyricum Anastasio Thessalonicensi more prædecessorum suorum committit. — III. Bigamos, viduarum maritos seu repudiatarum a sacerdotio ex canonibus arceri jubet. — IV. Ut provinciales episcopi ad metropolitanos, sic metropolitanos

Digitized by Google

ad exarchum seu vicarium pertinere. — V. Eorumdem esse metropolitanos ordinare, et de provinciarum statu ad sedem apostolicam referre. — VI. Causæ graviores vel appellationes Illyrici sedi apostolicæ reservantur. 613

Epist. VI, ad Anastasium Thessalonicensem episcopum. — I. Ut bonus pastor ad sollicitudinem coepiscoporum litteris compelli amat. — II. Vices suas per Illyricum Anastasio committit, Siricii secutus exemplum. — III. Canonum observantiam, præsertim in ordinationibus, commendat : a quibus arceatur bigami et viduarum mariti. — IV. A metropolitano comprovinciales episcopi conscio exarcho ordinentur; metropolitani ab ipso exarcho. — V. Ut omnes conveniant ad synodos; harum utilitas et auctoritas. — VI. Tam presbyteros et diaconos quam sacerdotes non nisi diebus Dominicis esse consecrandos. 617

Epist. VII, ad episcopos per Italiam. — Plurimos Manichæorum vigilantia sua in urbe Roma detentos esse, et pari ab eis sollicitudine investigantes admonet. 620

Epist. VIII, seu constitutio Valentiniani III. — De Manichæis. 622

Epist. IX, ad Dioscorum Alexandrinum episcopum. — I. De ordinatione episcoporum, presbyterorum et diaconorum, ut post sabbatum, vel circa exordia noctis quæ proxime succedit, vel mane ipso Dominico die celebretur. — II. De iteratione sacrificii, quod repetere oportet eadem festivitatis die, cum et basilica angustior est quam ut totum simul populum capere queat, et ingens fidelium multitudo convenit. 624

Epist. X, ad episcopos per provinciam Viennensem constitutos. — I. Ecclesia Christo instituente collocata in Petri soliditate, a qua non recedendum. Hanc ille violat qui ejus potestatem tentat infringere. — II. Hilarium arguit Ecclesiarum statum et concordiam perturbantem. — III. Celidonium ab Hilario depositum, retractato judicio, sedi suæ restitutum esse, exponit. — IV. Projectus episcopus, cui ægrotanti alterum idem Hilarius substituerat, in integrum restitutus. — V. Ordinationem episcopi provincialis metropolitano reservandam. — VI. Sine cleri plebisque consensu, et extra diem legitimum neminem ordinandum. — VII. Hilario metropolitani dignitas et potestas in provinciam Viennensem adempta. — VIII. Neminem pro levi causa communione esse pellendum. — IX. Ut præter Leontii antiquioris episcopi consensum alterius provinciæ concilium non indicatur. 628

Epist. XI, seu constitutio Valentiniani III Augusti. — De episcoporum ordinatione. 636

Epist. XII, ad episcopos Africanos provinciæ Mauritaniæ Cæsariensis. — I. Ordinationes per tumultum factas redarguit. — II. Quid sit cito manus imponere. — III. Nonnisi unius uxoris viros debere esse diaconos, presbyteros et episcopos. — IV. Non rudes ac neophytos ordinari debere. — V. Ex laicis ordinati tolerantur a Leone, non vero bigami. — VI. De Donato ex Novatianis converso, et Maximo ex Donatistis. — VII. De Aggæo et Tyberiano ex laicis, et per tumultum ordinatis. — VIII. Virgines per vim oppressas incontaminatis se comparare non debere. — IX. Hortatur ad obedientiam, et inobedientibus pœnas minatur. — X. Quibus in locis episcopi debeant ordinari, et de petitione episcopi Restituti. — XI. Quid agendum de memoratis virginibus vi barbarica oppressis. — XII. De causa Lucidini episcopi. — XIII. De causis ecclesiasticis ventilandis et ad sedem apostolicam referendis. 645

Epist. XIII, ad episcopos metropolitanos per Illyrici provincias constitutos. — I. Gratulatur Illyrici metropolitani se sub iciendibus auctoritati datæ Anastasio in majoribus præsertim causis. — II. Ut vocati ad concilium ab Anastasio venire non renuant, hortatur. — III. Ut nemo sine consensu plebis ordinetur episcopus. — IV. Ut nullus episcopus alterius inviti clericum sibi vindicet. 653

Epist. XIV, ad Anastasium Thessalonicensem episcopum. — I. Quod semper Thessalonicenses antistites vices apostolicæ sedis impleverint. — II. Ut metropolitanis sua jura serventur. — III. Ut a metropolitanis, non laici, non bigami, non viduarum mariti, sed irreprehensibiles ordinentur episcopi. — IV. Quod subdiaconis carnale connubium denegetur. — V. Ut nullus invitus ordinetur antistes. — VI. Ut metropolitanus Epiri de electo quem est ordinaturus in episcopum, ad Thessalonicensem pontificem referat; et de metropolitano electo similiter provinciales episcopi faciant. — VII. Ut bina per annos singulos episcoporum concilia celebrentur; et si res difficilis emerserit, quæ non possit Thessalonicensis judicio terminari, ad Romanum referatur antistitem. — VIII. Ut si quis episcopus suam deserens civitatem, majorem sedem ambitus causa petierit, non solum ecclesiam obtinere non poterit, sed et sua carere debebit. — IX. Ut nullus alienum clericum sollicitare vel tenere præsumat, suo episcopo non præbente consensum. — X. Ut in evocandis provincialibus episcopis, a Thessalonicensi pontifice moderatio conservetur, ne sub hoc colore sacerdotalis honor contumeliis addicatur; nec amplius quam bini de provinciis episcopi, quos metropolitani probaverint, dirigantur. — XI. Ut non amplius a statuto concilii tempore, quam dies quindecim remorentur episcopi. 666

Epist. XV, ad Turribium Asturicensem episcopum. — Contra Priscillianistas, qui sanctam Trinitatem, non personis, sed tantum nominibus distinguunt. — II. Adversus id quod Dei Filium posteriorem fuisse credunt quam Patrem. — III. Adversus id quod dicunt ideo poligenitum dici Christum, quia solus sit de virgine natus. — IV. De Natali Domini, quod in eo Priscillianistæ jejunia celebrent. — V. Adversus id quod aiunt animam hominis ex divina esse substantia. — VI. Contra id quod aiunt diabolum ex se vel ex chao esse, et propriam habere naturam. — VII. Contra illud quod nuptias et procreationes filiorum astruant esse peccatum. — VIII. Contra id quod corpora humana diaboli dicunt esse figmenta, et a dæmonibus in utero formari. — IX. Contra id quod filios reprensibilis ex Spiritu sancto dicunt esse conceptos. — X. Contra id quod animas in cœlestibus peccare credunt [*Al.* dicunt], et secundum qualitatem peccati in hoc mundo accipere sortem vel bonam vel malam. — XI. Contra id quod fatalibus stellis dicunt animas hominum obligatas. — XII. Contra id quod sub aliis potestatibus partes animæ, sub aliis corporis membra describant. — XIII. Contra id quod patriarcharum nomina per singula corporis membra disponunt. — XIV. Contra id quod duodecim signa, quæ mathematici observant, per corpus omne distinguunt. — XV. De apocryphis scripturis eorumdem Priscillianorum. — XVI. De libro Dictinii. 677

S. Turribii Asturicensis epistola. — De non recipiendis in auctoritatem fidei apocryphis scripturis, et de secta Priscillianistarum. 693

Epist. XVI, ad universos episcopos per Siciliam constitutos. — I. Quod prohibeatur in die Epiphaniorum baptisma celebrari. — II. Quod omnia nobis rerum ordine per incarnationem Domini nostri salutis sacramenta digesta sint. — III. Quod in baptismo mors proveniat interfectione [*Hisp.*, infectione] peccati, et sepulturam triduanam imitetur trina demersio, et ab aquis el vatio sit velut resurrectio de sepulcro. — IV. Quod beatus Petrus in die Pentecostes viginti tria millia baptizaverit. — V. Quod duo tantum tempora, id est Pascha, et Pentecostes, ad baptizandum a Romanis pontificibus sint præfixa. — VI. Quod omni tempore hi qui necessitate mortis urgentur, id est, ægritudinis, obsidionis, persecutionis, naufragii, debeant baptizari. — VII. Ut de Sicilia terni annis singulis episcopi ad diem tertium kalendarum Octobrium Romam seciandi, synodo indissimulantes occurrant. 695

Epist. XVII, ad universos episcopos per Siciliam constitutos. — Constitutione perpetua episcopis prohibet, quod in duabus Siciliæ Ecclesiis improbe gestum, injusteque per episcopos ibidem præsumptum est; qui Ecclesiarum suarum bona illicite alienaverant : cujus decreti violatores ordine et communione privandos edicit. 705

Epist. XVIII, ad Januarium episcopum Aquileiensem. — Quod omnis cujuslibet ordinis clericus, qui catholicam deserens, hæreticæ se communioni miscuerit, si ad Ecclesiam reversus fuerit, in eo gradu in quo erat (*Cresc.*, quo fuerat) sine promotione remaneat. 706

Epist. XIX, ad Dorum Beneventanum episcopum. — I. Dorum de perturbato presbyterii ordine, primosque presbyteros juri suo cedentes redarguit. — II. Suum cuique ordinem vindicat pro ordinationis tempore; primis, qui cesserant, ad infimum relegatis. 709

Epist. XX, ad Eutychen Constantinopolitanum abbatem. — Rescribit, sibi de Nestoriana hæresi reviviscente Eutychis litteris admonito, zelum illius placuisse. 713

Epist. XXI, Eutyches ad S. Leonem. — Epistola Eutychetis hæretici : ubi scribens ad papam urbis Romæ Leonem, negat in Christo duas naturas, id est Divinitatis et humanitatis. *Ibid.*

Epist. XXII, Flaviani episcopi Constantinopolitani prima ad Leonem papam. — I. De diaboli insidiis, quas vitat qui doctrinæ SS. Patrum adhæret. — II. De hæreticorum versutia, qua incautos decipiunt. — III. Eutychen renovare dogmata Valentini et Apollinaris. — IV. De depositione et excommunicatione ejus justissima, quam Occidentalibus notam a Leone fieri postulat. 725

Epist. XXIII, ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum. — Acceptis Eutychis querelis, conqueritur eum communione fuisse privatum a Flaviano. — II. De causa instrui se postulat, et in defendenda veritate charitatem maxime optat custodiri. 731

Epist. XXIV, ad Theodosium Augustum. — I. Laudata imperatoris fide querimoniam Eutychis exponit. — II. Silentium Flaviani arguit, instrui se postulat. 733

Digitized by Google

EPIST. XXV, PETRI CHRYSOLOGI RAVENNATIS AD EUTYCHEM PRESBYTERUM. — I. Jam olim præscriptum esse decet contra errores incarnationem Verbi impugnantes: nec discutiendam esse, sed cum honore et timore credendam. — II. Suadet Eutychi ut Romani pontifi is scriptis obedienter attendat, quia Petrus suæ sedis rectores dirigens, præstat quærentibus fidei veritatem. 739

EPIST. XXVI, FLAVIANI SECUNDA AD S. LEONEM. 743

EPIST. XXVII, AD FLAVIANUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM. — Flavianum de receptis ejus literis monet; gesta per eum adversus Eutychem laudat; sollicitudinem suam spondet. 751

EPIST. XXVIII, AD FLAVIANUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM CONTRA EUTYCHIS PERFIDIAM ET HÆRESIM. — I. Quod ignorantia sanctarum Scripturarum Eutychen hæreticum fecerit. — II. Contra eos qui in duos filios dispensationis Dominicæ mysterium scindere muntur. — III. Contra eos qui passibilem Divinitatem unigeniti Filii Dei audent asserere. — IV. Contra eos qui in duas naturas Christi temperamentum vel confusionem argumentantur. — V. Contra eos qui cœlestem aut alterius cujusque substantiæ existere formam servi, quam ex nobis assumpsit, insaniendo asserunt. — VI. Contra eos qui duas quidem ante adunationem naturas Domini deliraut, unam vero post adunationem confingunt. 756

EPIST. XXIX, AD THEODOSIUM AUGUSTUM. — Legatos vice sua destinat ad synodum Ephesinam, occasione Eutychis indictam. Deo quid meliora speret. 781

EPIST. XXX, AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — I. Christum nostri generis hominem esse. Nestorii et Eutychis errores. — II. Cum veritas carnis in Christo impetitur, totam fidem concuti. 785

EPIST. XXXI, AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — Pulcheriæ zelum adversus Eutychen sollicitat. — II. Humanæ saluti interesse, ut Christus non solum homo, sed ejusdem nobiscum generis homo sit. — III. Generationem Christiani ex Christi generatione fluere. Eutychetis pervicacia. Sedis apostolicæ moderatio. — IV. Ne concilio intersit Leo, vetant consuetudo, conditio temporis, concilium charitas. Symbolum apostolorum nova hæresi concutitur. 789

EPIST. XXXII, AD FAUSTUM, MARTINUM ET REL QUOS ARCHIMANDRITAS CONSTANTINOPOLITANOS. — Sensum Eutychis exsecratur, ipsum ad saniorem mentem redire cupit, et sic communioni restitui. 795

EPIST. XXXIII, AD EPHESINAM SYNODUM SECUNDAM. — I. Incarnationis fidem ex confessione Petri probari. — II. Concilium ad errorem abolendum et reducendos errantes convocari. 797

EPIST. XXXIV, AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM. — I. Eutychen ab unitate fidei excidisse dolet. — II. Legatos ad synodum a latere mittit. 801

EPIST. XXXV, AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM. — I. Eutychen spem Christianam omnipotentiæ mysteriorum veritatem perimere. — II. Utriusque naturæ proprietates in Christo servari. — III. Animam Christi non præexstitisse corpori, nec corpus ex nihilo conditum; sed utrumque ejusdem nobiscum esse naturæ. 803

EPIST. XXXVI, AD FLAVIANUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM. — Litteras et gesta synodi adversus Eutychen se accepisse monet. 809

EPIST. XXXVII, AD THEODOSIUM AUGUSTUM. — Fidei et confessionis unitatem esse servandam. Legatos ad synodum Ephesinam missos, ad quam ut se conferret, necessitas non sinit. 811

EPIST. XXXVIII, AD FLAVIANUM EPISCOPUM CP. — Eum de receptis litteris monet; de fide defensa laudat; ad misericordiam, si hæreticus resipiscit, hortatur. 812

EPIST. XXXIX, AD EUMDEM FLAVIANUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM. — De ejus silentio conqueritur, cujus causa Leoni tunc ignota erat Ephesina deprædatio. 813

EPIST. XL, AD EPISCOPOS PER ARELATENSEM GALLIÆ PROVINCIAM CONSTITUTOS. — Gaudet de bona ac pacifica electione Ravennii: eum ut bonæ de eo conceptæ opinioni satisfaciat, exoptat. 814

EPIST. XLI, AD RAVENNIUM ARELATENSEM EPISCOPUM. — Ravennio in episcopum electo gratulatur; virtutes episcopales commendat; ut ad ipsum sæpius scribat hortatur. 815

EPIST. XLII, AD EUMDEM RAVENNIUM ARELATENSEM EPISCOPUM. — De Petroniano vago et diaconum se Leonis mentiente admonet, eumque ab omnium Ecclesiarum communione expelli postulat. 816

EPIST. XLIII, AD THEODOSIUM AUGUSTUM. — I. De Ephesino latrocinio conqueritur apud imperatorem. — II. Postulat ut in eodem statu res maneant quo ante pseudosynodum erant. — III. Supplicat ut concilium intra Italiam celebrari jubeat imperator. 823

EPIST. XLIV, AD EUMDEM THEODOSIUM AUGUSTUM. — I. Pseudosynodum Ephesinam, cum privatis odiis favet, omnia perturbasse in Ecclesia; ab ea apostolicæ sedis scripta rejecta; omnia vi acta esse; Hilarum unum vix evasisse ex legatis qui contradixerunt; nunquam a sede apostolica recipiendam istam synodum. — II. Omnia usque ad majoram synodum in eodem statu permanere postulat a Theodosio cum omnibus Occidentalibus. — III. Generalem intra Italiam synodum petit. 825

EPIST. XLV, AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — I. Mittit exemplar epistolæ a se ad eam scriptæ ante synodum. — II. Pseudosynodi infausta gesta deplorat. Mittit exemplar epistolæ ad Theodosium scriptæ. Concilium in Italia petit. — III. Legationem apostolicam apud Theodosium Pulcheriæ committit. 831

EPIST. XLVI, HILARI ROMANÆ ECCLESIÆ TUNC DIACONO, POSTEA EPISCOPI, AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — I. Sibi per Dioscori improbos ausus non licuisse eam adire, et litteras sancti Leonis reddere. — II. Se Dioscori ereptum fusibus Romam venisse: Ephesinam pseudosynodum a Leone reprobari. 837

EPIST. XLVII, AD ANASTASIUM EPISCOPUM THESSALONICENSEM. — I. Quod pseudosynodo non interfuerit gratulatur. — II. Monet ut fidem servet, Flaviano adhæreat, fratres confirmet. 839

EPIST. XLVIII, AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM. — Post Ephesinam cladem consolatur, hortaturque ut fidem teneat. 840

EPIST. XLIX, AD FLAVIANUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM. — Flavianum, in quem Dioscorus immaniter sævierat, consolatur, eique opem promittit. 841

EPIST. L, AD CONSTANTINOPOLITANOS, PER EPIPHANIUM ET DIONYSIUM ROMANÆ ECCLESIÆ NOTARIUM. — I. Post pseudosynodum Ephesinam hortatur Constantinopolitanos ut fidei et Flaviano adhæreant. — II. Consolatur de Flaviani injusta depositione. *Ibid.*

EPIST. LI, AD FAUSTUM ET CÆTEROS ARCHIMANDRITAS CONSTANTINOPOLITANOS. — Adhortatur eos ad constantiam in omni bono, maxime fidei et charitatis, et detestatur acta secundi concilii Ephesini. 843

EPIST. LII, THEODORITI EPISCOPI CYRI AD S. LEONEM PAPAM. — I. Merito se accurrere ad apostolicam sedem, tot prærogativis supra cæteras eminentem. — II. In laudes S. Leonis excurrit, commendatque zelum in Manichæos, et epistolam ad Flavianum. — III. Quam immerito depositus fuerit, nec in jus vocatus, conqueritur. — IV. Susceptos a se pro Ecclesia labores enumerat. — V. Orat ne sedem apostolicam appellans repellatur; cui fidem suam probari optat ex scriptis suis, quæ indicat. — VI. Sibi a Leone cupit induci quid de Ephesina sententia agere deheat. — VII. — Legatos suos Leoni, seque ejus precibus ac sollicitudini commendat; se aliosque litteris imperatoriis retineri, ne ad pontificem se conferant. 845

EPIST. LIII, seu EPISTOLÆ ANATOLII CONSTANTINOPOLITANI EPISCOPI AD S. LEONEM FRAGMENTUM. — De ordinatione sua. 853

EPIST. LIV, AD THEODOSIUM AUGUSTUM. — Nicænæ fidei se inhærere scribit; Eutychen non minus quam Nestorium esse damnandum; concilium intra Italiam haberi postulat. 855

EPIST. LV, VALENTINIANI AD THEODOSIUM. 857

EPIST. LVI, GALLÆ PLACIDIÆ AD THEODOSIUM. 859

EPIST. LVII, LICINIÆ EUDOXIÆ AUGUSTÆ AD EUMDEM THEODOSIUM. — De Eccl siæ catholicæ turbatione. 860

EPIST. LVIII, GALLÆ PLACIDIÆ AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — Concilium Ephesinum secundum detestatur. 863

EPIST. LIX, AD CLERUM ET PLEBEM CONSTANTINOPOLITANÆ URBIS. — I. Gratulatur quod et Flaviano semper adhæreant et errori resistant. — II. Veritas carnis in Christo ex mysterio Eucharistiæ probatur. — III. Probatur etiam ex ejus super universa provectione, et ex actionibus passionibusque ejus corporeis. — IV. Ex necessitate incarnationis ad culpam Adæ eluendam, et prophetiis illam prænuntiantibus. — V. Varii errores contra incarnationis fidem. 865

EPIST. LX, AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — Per Eutychen fidei fundamenta concuti; adversus quem concilium generale Pulcheria annitente celebrari cupit. 873

EPIST. LXI, AD MARTINUM ET FAUSTUM PRESBYTEROS. — I. De litteris ad eos scriptis monet. — II. Hortatur ut fidei causam adjuvent, iisque sollicitudinem suam spondet. 874

EPIST. LXII, THEODOSII IMPERATORIS AD VALENTINIANUM AUGUSTUM. — Respondet epistolæ LV. 875

EPIST. LXIII, THEODOSII AD GALLAM PLACIDIAM. — Respondet epistolæ LVI. 877

EPIST. LXIV, EJUSDEM THEODOSII AD LICINIAM EUDOXIAM. — Respondet epistolæ LVII. *Ibid.*

EPIST. LXV, seu PRECES MISSÆ AB UNIVERSIS COMPROVIN-

Digitized by Google

CALLISTO EPISCOPO METROPOLIS ARELATENSIS AD S. LEONEM PAPAM. — I. Præmissis nonnullis de Ravennii electione ac moribus, antiqua Ecclesiæ Arelatensis privilegia a Leone redintegrari postulant. — II. Eadem ex variis hujus Ecclesiæ prærogativis confirmant, ac præsertim ex S. Trophimi in Gallias adventu. — III. Civilia Arelatensium jura ac privilegia imperatorum commemorant. — IV. Variis officiorum testimoniis Leonem demulcent. 879

EPIST. LXVI, SANCTI LEONIS PAPÆ AD PRÆCEDENTES COMPROVINCIALIUM EPISCOPORUM METROPOLIS ARELATENSIS PRECES RESPONDENTIS. — Sententiam suam S. Leo interponit super antiqua controversia inter Arelatensem et Viennensem Ecclesias, et cuique suos limites assignat. 883

EPIST. LXVII, AD RAVENNIUM ARELATENSEM EPISCOPUM. — Mittit Ravennio celebrem suam ad Flavianum epistolam de incarnatione Verbi Dei adversus Eutychem, ut pro defensione fidei, per eum hæc, vel Cyrilli Alexandrini epistola cunctis Galliæ episcopis fideliter innotescat. Secreta etiam mandata legatis commissa indicat. 886

EPIST. LXVIII, CERETII, SALONII ET VERANI, EPISCOPORUM GALLORUM, AD S. LEONEM PAPAM. — I. Pro accepta ejus ad Flavianum epistola gratias agunt, quam et per omnes Ecclesias asserunt celebrari. — II. Illius exemplar a se descriptum mittunt, a Leone corrigendum ac remittendum. 887

EPIST. LXIX, AD THEODOSIUM AUGUSTUM. — I. Consensum suum ad ordinationem Anatolii CP. suspendit; professionem fidei exigit. — II. Petit ut idem hæreticorum communionem abdicet, communi fidei subscribat. Legatos mittit. Synodum postulat intra Italiam fieri. 890

EPIST. LXX. AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — Anatolii professionem fidei se exspectare. Legatos a se missos in Orientem. Per concilium generale removenda esse omnia scandala. 893

EPIST. LXXI, AD ARCHIMANDRITAS CONSTANTINOPOLITANOS. — De silentio Anatolii et ordinatorum ejus circa errorum abdicationem conqueritur. De missis legatis pro causa fidei certiores eos facit. 895

EPIST. LXXII, AD FAUSTUM PRESBYTERUM. — Fidem ejus laudat; ad sollicitudinem hortatur. 897

EPIST. LXXIII, VALENTINIANI ET MARCIANI AD ARCHIEPISCOPUM ROMÆ LEONEM. — De electione sua et de concilio celebrando. 899

EPIST. LXXIV, AD MARTINUM PRESBYTERUM. — Quam bonum sit pro veritate pati, cujus unitatem locorum spatia non scindunt. De legatis meutio. *Ibid.*

EPIST. LXXV, AD FAUSTUM ET MARTINUM PRESBYTEROS. — I. Intolerabile esse scribit Occidentalibus episcopis, quod Ephesi contra fidem actum est. — II. Antichristo militare tam Nestorium quam Eutychen; contra quos Ecclesia profitetur non unam naturam, sed unam se adorare personam. 901

EPIST. LXXVI, MARCIANI IMPERATORIS AD ARCHIEPISCOPUM ROMÆ LEONEM. 903

EPIST. LXXVII PULCHERIÆ AUGUSTÆ AD SANCTISSIMUM ARCHIEPISCOPUM ROMÆ LEONEM. 905

EPIST. LXXVIII, AD MARCIANUM AUGUSTUM. — Pro datis litteris et fidei defensa gratias agit. 907

EPIST. LXXIX, AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — I. De repressis ejus auctoritate Nestorio et Eutychete gratias agit. — II. De legatis adjutis, reductis ad sedes suas sacerdotibus, revocatis in urbem Flaviani reliquiis, et lapsis, si subscribant fidei, recipiendis. — III. De Eusebio communione sedis apostolicæ fruente, et Juliano Coensi; et de clericis CP. Flaviano faventibus. 909

EPIST. LXXX, AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM. — I. De fide ejus scriptis missis probata — II. De his qui metu in hæresim lapsi sunt, ut si conversi fuerint recipiantur. — III. De nominibus hæreticorum ad sacrum altare non recitandis. — IV. De commendatione [*Al.* commemoratione] Juliani episcopi, vel eorum clericorum qui Flaviano episcopo in fide adhæserunt. 912

EPIST. LXXXI, AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM. — Julianum diu per Dioscori improbitatem vexatum monet lapsos in communionem recipi non debere, nisi perfidia cum auctoribus damnata. 915

EPIST. LXXXII, AD MARCIANUM AUGUSTUM. — I. Pro conservatione catholicæ fidei gratulatur, cui pax imperii reperditur. — II. De solis errantibus agendum esse, non de fide vel Scripturis, quas aliter quam SS. Patres interpretari nefas sit. 917

EPIST. LXXXIII, AD EUMDEM MARCIANUM. — I. Pro patefacta Anatolii fide, Eutyche represso, revocatis episcopis, reductis in urbem S. Flaviani reliquiis, gratulatur. — II. Legatos se mittere pro reconciliandis lapsis episcopis. Concilio convocando opportunum tempus non esse. 919

EPIST. LXXXIV, AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — I. Legatos mittit qui cum lapsis summa prudentia et moderatione agant. — II. Extra unitatem fieri qui naturam nostram in Christo negat. — III. Rogat ut Eutyches ad longinquiora transferatur, ejusque monasterio catholicus præficiatur. 921

EPIST. LXXXV, AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM. — I. Ut qui hæreticorum erroribus metu, non voluntate implicati sunt, per satisfactionem et non dubiam professionem suscipiantur. — II. Principes hæreticorum sibi reservat discutiendos; eorum nomina ad altare interim recitari vetat. — III. De commonitorio ei respondet; ad sollicitudinem hortatur; cuncta sibi referri postulat. 922

EPIST. LXXXVI, AD JULIANUM COENSEM EPISCOPUM. — Pro communi amicitia et Ecclesiæ bono sollicitudinem Juliani legatorum suorum curæ jungi postulat ad reliquias hæreticorum exstinguendas. 924

EPIST. LXXXVII, AD ANATOLIUM EPISCOPUM CP. — Ei commendat Basilium et Joannem presbyteros, qui hæresis accusati Romam venerant rationem fidei suæ reddituri. 926

EPIST. LXXXVIII, AD PASCHASINUM EPISCOPUM LILYBÆTANUM. — I. Mittit ad Paschasinum celebrem suam ad Flavianum CP. epistolam, qua legatus in synodo futurus instrueretur. — II. Duplicem in Christo asserit naturam adversus Eutychen. — III. Testimonia SS. Patrum de incarnatione Domini mittit, nuntiatque Orientalis diœcesis episcopos subscripsisse eidem epistolæ ad Flavianum. — De Paschate anno 455 diligentius inquiri postulat. 927

EPIST. LXXXIX, AD MARCIANUM AUGUSTUM. — De legatis ad concilium generale missis vice ejus acturis; ubi omnia ad fidei et pacis unitatem revocanda. 930

EPIST. XC, AD EUMDEM MARCIANUM AUGUSTUM. — I. Concilio generali congregando annuit, etsi propter temporis perturbationem in aliud maluisset differri. — II. Fidem in illo tractandam non esse ut dubiam, nec a Nicæna discedendam. 932

EPIST. XCI, AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM. — Etsi brevius spatium cogendo concilio datum esset, se tamen legatos mittere vicem suam impleturos. 934

EPIST. XCII, AD JULIANUM COENSEM EPISCOPUM. — Ut Julianus legatis ad concilium generale missis curam suam consiliumque impertiat, mandat pontifex. 936

EPIST. XCIII, AD SYNODUM, QUÆ NICÆAM PRIMUM INDICTA, POSTEA VERO CHALCEDONE CONGREGATA EST. — I. Necessitatem temporis et consuetudinem vetare ne interesse synodo; se tamen per legatos quos mittit præsentem futurum. — II. Disputandi contra fidem audaciam esse comprimendam. — III. Episcopos propter fidem electos esse restituendos, manentibus contra Nestorium in Ephesino decretis. *Ibid.*

EPIST. XCIV, AD MARCIANUM AUGUSTUM. — Legatos quos ad synodum mittit, commendat Augusto, postulatque ne disputatio de fide illic instauretur. 941

EPIST. XCV, AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — I. Ad concilium legatos se misisse, licet in Italia congregari optasset. — II. Servandam esse in causis ecclesiasticis moderationem quæ procul ab Ephesino latrocinio abfuit. — III. Numquam se correctis veniam denegasse. — IV. Etiam hæresiarchas indulgentiam poscentes reficiendos non esse, etsi non temere recipiendos. 942

EPIST. XCVI, AD RAVENNIUM ARELATENSEM EPISCOPUM. — Unitatem in celebrando Paschate maxime servandam; quam solemnitatem ad Romanum pontificem pertinet indicare. 945

EPIST. XCVII, SYNODICA EUSEBII MEDIOLANENSIS EPISCOPI AD S. LEONEM PAPAM. — I. Gaudet de reditu fratrum suorum ex Oriente. — II. Epistolam ad Flavianum in synodo Mediolanensi lectam esse et approbatam. — III. Se cum suis Eutychianorum damnationi subscribere profitetur. *Ibid.*

EPIST. XCVIII, SANCTÆ SYNODI CHALCEDONENSIS AD SANCTISSIMUM PAPAM ROMANÆ ECCLESIÆ LEONEM. — I. Leonem synodus laudat vocis B. Petri omnibus constitutum interpretem, quem in suis legatis præluisse declarat. — II. De Dioscori Alexandrini tyrannide et impiis gestis. — III. Quid circa eum actum sit, ac de definitione fidei. — IV. Canonis de prærogativa sedis Constantinopolitanæ edendi causam exponit, et confirmationem petit. 951

EPIST. XCIX, SYNODICA RAVENNII ALIORUMQUE EPISCOPORUM GALLORUM AD S. LEONEM PAPAM. — I. Tarditatem suam in rescribendo excusant. — II. Omnes in Gallia Leonis epistolam ad Flavianum, ut fidei symbolum recepisse. — III. In ea fidelibus et infidelibus arcanum incarnationis mysterium retegi. — IV. Nuntiis ex Oriente allatis se a scribendo ad imperatorem abstinuisse. — V. Leonem pontificem a Deo datum esse Ecclesiæ gratulantur. 966

EPIST. C, MARCIANI IMPERATORIS AD LEONEM PAPAM. — I. De fide apud Chalcedonem roborata et pace Ecclesiæ restituta gratulatur. — II. Fidem juxta litteras S. Leonis a synodo esse expositam. — III. Petit ut sedi CP. secundus locus

Digitized by Google

juxta statuta secundæ et quartæ synodi tribuatur. — IV. Per Lucianum et Basilium consensum ejus super eodem negotio postulat. 970

EPIST. CI, ANATOLII EPISCOPI CONSTANTINOPOLIS AD S. LEONEM ARCHIEPISCOPUM ROMÆ. — I. Leonis zelus contra hæreticos quos prostravit. De actis Chalcedone Romam allatis. — II. Legati Anatolii cum aliis actis Romam missi. De damnatione Dioscori. — III. De epistola Leonis recepta ab omnibus, et de definitione fidei edita in synodo Chalcedonensi. — IV. De aliis gestis Chalcedonensibus post definitionem fidei, primum quoad canones, dein quoad particulares causas ecclesiasticas. Tandem de privilegio Ecclesiæ Constantinopolitanæ. — V. Contradictio legatorum Leonis huic privilegio. Confirmatio ejus petitur. 975

EPIST. CII, AD EPISCOPOS GALLIARUM. — I. Se Gallorum episcoporum epistolam cœlesti doctrina plenam accepisse nuntiat. — II. De synodo œcumenica. Humanis de fide ratiociniis locum esse non debere.—III Nestorii et Eutychetis dogmata pariter esse fugienda.—IV. Synodum et epistolæ Leonis consensisse, et Dioscorum proscripsisse. — V. De his omnibus gratias Deo esse agendas; pro legatorum reditu orandum; victoriam fidei Hispanis per Gallos esse nuntiandam. 985

EPIST. CIII. AD EPISCOPOS GALLIARUM. — Reversis legatis a synodo Chalcedonensi, acceptisque gestis, et sententia adversus Eutychen et Dioscorum prolata, hujus exemplar mittit ad Gallicanos episcopos. 987

EPIST. CIV, AD MARCIANUM AUGUSTUM. — I. De fidei victoria, et errorum utilitate in Ecclesia. — II. Multa ex Anatolii ambitu mala exsurgere. — III Constantinopolitanam sedem, quæ regia est, non apostolica, aliarum depressione attolli non posse. — IV. Rogat Marcianum ut Anatolii cupiditatem comprimat. — V. Ex prioribus excessibus Anatolium animos sumpsisse. 991

EPIST. CV, AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — I. Plenam esse fidei victoriam in qua superant tam qui ceciderunt quam qui steterunt. — II. Nihil valere posse contra canones Nicænos, qui soli firmandæ paci sufficiunt. — III. Anatolio Flavianum exemplo esse debere; et per se ruere quod Nicænæ synodo contrarium est. — IV. Ut ipsa Anatolium a proposito revocet hortatur. 997

EPIST. CVI, AD ANATOLIUM EPISCOPUM CP. — I. Anatolii fidem esse laudandam, cupiditatem damnandam. — II. Nicæni concilii prærogativa, quam Anatolii ambitus petit — III. Chalcedonensi synodo in solo negotio fidei convocata eum abuti. — IV. Numquam se in præjudicium Nicæni concilii illicitis ausibus consensurum.—V. Canones synodi CP. ad sedem Romanam numquam missos, Anatolio male patrocinari.—VI. Satius esse ut cupiditatem deponat, charitatem sectetur. 1001

EPIST. CVII, AD JULIANUM COENSEM EPISCOPUM. — I. Nicæni concilii auctoritas quanti facienda sit.— II. Julianum arguit quod Anatolio CP. faveat.—III. Contra universalis Ecclesiæ statum, sine reatu utriusque ipsorum, nec sibi licere quidquam concedere, nec ei obtinere. 1009

EPIST. CVIII, AD THEODORUM FOROJULIENSEM EPISCOPUM. — I. Unumquemque episcopum ad metropolitanum in dubiis recurrere debere. — II. Duplex esse peccati remedium; et quis reconciliationis ordo esse debeat. — III Pœnitentem, qui ante reconciliationem decedit, reconciliari post mortem non posse. — IV. Nemini in extremis posito et reconciliationem petenti eam esse denegandam.—V. Quam periculose in finem pœnitentia reservatur. Nemini per signa poscenti negandam esse, observatis circa apostatas canonicis regulis. — VI. Ut cum metropolitano responsa ad consultationem communicet. 1011

EPIST. CIX, AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM. — I. De Palæstinorum monachorum turbis et violentiis, quibus catholicos exagitabant, ac in Eutychianam hæresim assensum extorquebant, queritur. — II. Eos ab imperatore cohibendos, et pertinaces in exsilium pellendos. — III. Epistolam S. Athanasii ad Epictetum eisdem opponendam mittit. — IV. De Juvenali episcopo Hierosolymorum ab eisdem pulso, et de alio ei subrogato. 1014

EPIST. CX. MARCIANI AUGUSTI AD LEONEM PAPAM. — Confirmationem synodi Chalcedonensis a pontifice uti necessariam petit. Ejus constantiam in vindicandis canonibus et reprimenda novitate laudat. 1017

EPIST. CXI, AD MARCIANUM AUGUSTUM. — I. Ordinationis Anatolii suspicionem per fidei ejus professionem esse sublatam. — II. Male ab eo Aetium ab archidiacono officio esse submotum. — III. Marcianum rogat ut Anatolium ab illicitis retrahat, et faveat Juliano. 1019

EPIST. CXII, AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — I. Andream ecclesiasticis rebus, amoto Aetio, præpositum esse conqueritur. — II. Omnia in statum pristinum restitui postulat. 1023

EPIST. CXIII, AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM. — I. Quod ipsi multa patienti compassus sit, gratias agit, simul de Aetii dejectione expostulans. — II. Julianum CP. in speculis esse vult pro causa fidei. Anatolium ab imperatore esse increpatum. — III. De tumultu monachorum Ægyptiorum et Palæstinorum. — IV. De epistola sua et de actis Chalcedonensis synodi in Latinum convertendis. 1024

EPIST. CXIV, AD EPISCOPOS QUI IN SANCTA SYNODO CHALCEDONENSI CONGREGATI FUERUNT, DIRECTA. — I. Se consentire his quæ Chalcedone circa fidem constituta sunt.—II. Numquam id a se ratum esse habendum, quod adversus Nicænos canones ibidem actum est. 1027

EPIST CXV, AD MARCIANUM AUGUSTUM.—I. De pace Ecclesiæ reddita, compressis hæreticorum reliquiis, et Anatolio increpato gratias agit. — II. De monachis a Marciano cohibitis, et approbatione Chalcedonensis synodi per se ad episcopos missa. 1031

EPIST. CXVI, AD PULCHERIAM AUGUSTAM. — I. Pro vigore fidei et sanctionibus contra rebelles monachos editis gratias agit. — II. Se ad Chalcedonenses episcopos litteras dedisse consensus sui testes. 1035

EPIST. CXVII, AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM. — I. Se ut imperatori satisfaceret et occasionem hæreticis auferret, ad episcopos Chalcedonenses de consensu suo litteras dedisse. — II. De monachis edicto Marciani repressis, et archimandritis Pulcheriæ responsione increpatis. — III. De Eudocia a Leone monita ex secreto imperatoris mandato. —IV. Aetii dejectionem patienter habendam esse, ne aliarum Ecclesiarum regiminî se immiscens mensuram propriam videretur excedere. — V. Anatolium ab Illyrici minis subscriptionem in sui ambitus patrocinium elicere voluisse. De epistola ad Chalcedonenses episcopos scripta. 1037

EPIST CXVIII, AD EUMDEM JULIANUM COENSEM EPISCOPUM.— I. Nihil se pro causa fidei et Ecclesiæ omisisse.—II. Prædicandi munus solorum sacerdotum, non monachorum esse; contra parricidas Alexandrinos imperatoris zelum accendendum esse. 1039

EPIST. CXIX, AD MAXIMUM ANTIOCHENUM EPISCOPUM. — I. Fidem inter duo extrema mediam esse. — II Maximum in Orientalibus Ecclesiis pro fidei puritate vigilare debere. — III. Ecclesiarum privilegia inconcussa esse oportere.— IV. Anatolii conatus Nicænis canonibus adversos, irritos fore. — V. Si quid legati in synodo approbarent præter fidei causam, esse rescindendum. — VI. Nemini præter episcopos prædicandi munus esse concedendum. 1040

EPIST. CXX, AD THEODORUM EPISCOPUM CYRI — I. Hæreses non sine Ecclesiæ utilitate ortas irretractabili judicio comprimi. — II. Christi esse victoriam, quam de hæreticis Ecclesia reportat. — III. Dioscori pervicacia etiam adversus Leonem sævientis. — IV. Scribentibus de rebus fidei sua verba esse libranda. — V. Theodoritum ab omni hæreseos macula mundum esse demonstratum ab invincibili veritate. — VI. Vigilandum esse etiam post victoriam. Neminem sive monachum, sive laicum, præter sacerdotes, prædicandi munus arrogare sibi debere. 1045

EPIST. CXXI, AD MARCIANUM AUGUSTUM.—I. Curam paschalis cycli Alexandrino episcopo olim esse demandatam. — II. Quid difficultatis ex illo ortum sit. — III. Ut de hac difficultate jubeat inquiri, postulat. 1055

EPIST. CXXII, AD JULIANUM EPISCOPUM. — Rogat eum ut de controversia Paschatis anni sequentis diligentius inquirat, rescribatque. 1058

EPIST. CXXIII, AD EUDOCIAM AUGUSTAM. — I. Rogat ut curam suam reducendis ad fidem et quietem monachis Palæstinis impendat. — II Recepta Chalcedonensi synodo tam Eutychen quam Nestorium exsecrentur, si catholici videri volunt. Quid autem profecerit exhortatio Eudociæ, ipsius litteris instrui cupit. 1060

EPIST CXXIV, AD MONACHOS PALÆSTINOS. — I. Ex perversa epistola S. Leonis ad Flavianum interpretatione impositum esse Palæstinis. — II. Tam Eutychen, qui naturas confundit in Christo, quam Nestorium, qui personas geminat, esse detestandos. — III. Christi non esse participem qui nostram in eo naturam non confitetur. — IV Illos solum Christi sanguine mundari, in quorum corpore oblatus, passus et mortuus triumphavit. — V. Utriusque ejus naturæ proprietates ex operum qualitate declarari. — IV. Utramque inconfuse in una persona convenire. — VII. Nihil Filio Dei accessisse de novo nisi in forma servi. — VIII. Cum iisdem monachis de scandalis ipsorum furore ortis expostulat. — IX. Ut resipiscant et fidem communem amplectantur, exhortatur 1061

EPIST. CXXV, AD JULIANUM COENSEM EPISCOPUM. — Per comitem Rodanum De silentio Juliani amice expostulat; de omnibus vult instrui. 1068

EPIST. CXXVI. AD MARCIANUM AUGUSTUM — Gratias agit pro sedatis Palæstinæ tumultibus, et restituto in suam sedem Juvenali Jerosolymitano; Dioscorum etiam ejusque sequaces Ægyptios perstringens. 1069

EPIST. CXXVII, AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM. — I. De restituto Jerosolymitano episcopo, conversis Palæstinis

Digitized by Google

monachis et receptis Proterii litteris. — II. De Paschate anni 455 diligentius inquiri capit. — III. De epistola sua ad Chalcedonenses episcopos lecta CP. Aetii discussione, et variis ep stolis ultro citroque scriptis. 1070

EPIST. CXXVIII, AD MARCIANUM AUGUSTUM. — Laudata principis fide ac religione testatur se libenter Anatolium in gratiam suam recepturum, modo satisfaciat canonibus, et sacerdotum jura non convellat. 1073

EPIST. CXXIX, AD PROTERIUM EPISCOPUM ALEXANDRINUM. — I. Episcoporum esse vigilare ne fidei unitas violetur, quod vel litterulæ immutatione fieri potest. — II. Ex traditione SS. PP. et suam epistolam catholicam, et docendos esse populos, asserit. — III. Fidem, disciplinam et privilegia Ecclesiarum ex norma vetustatis esse servanda. 1075

EPIST. CXXX, AD MARCIANUM AUGUSTUM. — I. De fide Proterii Alexandrini episcopi gratulatur. — II. Alexandrinos ex suæ Ecclesiæ traditione ab illo esse edocendos. — III. Ut epistola Leonis ad Flavianum ab hæreticis falsata in Græcum transferatur de novo, et Alexandrinis publice recitetur. 1078

EPIST. CXXXI, AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM. — I. Julianum de receptis Proterii Alex. litteris monet; suam ad Flavianum epistolam ex Latino in Græcum ab eodem trans erri cupit ac mandat, quam sub signaculo Augusti missam Alexandrinæ plebi in Ecclesia recitari vult. — II. De Paschate sequentis anni ut rescribatur. 1081

EPIST. CXXXII, ANATOLII EP SCOPI CONSTANTINOPOLITANI AD LEONEM PAPAM. — I. De intermisso litterarum commercio amice conqueritur. Debitam pontifici obedientiam ostendit. — II. Aetium restitutum esse, Andream vero depositum scribit. — III. Litteris sancti pontificis recreari peroptat. — IV. Ambitionis culpam a se amolitur, eamque in cleri sui episcoporumque Orientalium studium refundit. Gestorum Chalcedonensium confirmatio pontificiæ auctoritati reservata traditur. 1082

EPIST. CXXXIII, SANCTI PROTERII ALEXANDRINI EPISCOPI AD BEATISSIMUM PAPAM LEONEM ROMÆ URBIS EP SCOPUM. — 1084

EPIST. CXXXIV, AD MARCIANUM AUGUSTUM. — I. Laudato Marciano, promittit Anatolio gratiam suam, si resipiscat. — II. Rogat ut Eutychen virus suum in exsilio spargentem ad secretiora loca releget. — III. De paschalis diei inquisitione gratias agit, et ut catholicis faveat precatur. 1091

EPIST. CXXXV, AD ANATOLIUM EPISCOPUM. — I. Intermissi litterarum commercii rationem reddit. — II. De destituto Andrea archidiacono et aliis in Ecclesia CP. restitutis laudat. — III. Majorem in agnoscenda culpa sinceritatem desiderat. 1096

EPIST. CXXXVI, AD MARCIANUM AUGUSTUM. De correctione Anatolii. — I. Cur Anatolio scribere intermiserit. — II. Quibus conditionibus illi reconcilietur. — III. De Andrea ab archidiaconatu dejecto, et Juliano commendato. — IV. Ut Carosus monachus compescatur. 1098

EPIST. CXXXVII, AD EUMDEM MARCIANUM. — I. Gratias agit pro perfecta inquisitione de die paschali, de qua Proterii litteris se accepisse significat. — II. OEconomorum Ecclesiæ rationes, non judicum, sed sacerdotum examine discutiendas esse. 1100

EPIST. CXXXVIII, AD EPISCOPOS GALLIARUM ET HISPANIARUM. — Hanc formatam paschalis diei indicem ad Gallicanos episcopos mittit, per eosdem ad Hispaniarum Ecclesias transmittendam; ubi et controversiæ status exponitur. 1101

EPIST. CXXXIX, AD JUVENALEM HIEROSOLYMITANUM EPISCOPUM. — I. Ipsum in sedem suam receptum esse gaudet, non dissimulata priori ejus tergiversatione. — II. Eumdem ipsis mysteriorum locis edoceri. — III. Ex veritate crucifixionis veritatem nostræ in Christo carnis defendi. — IV. Errantes circa incarnationem Domini ex utriusque Testamenti paginis instrui. 1102

EPIST. CXL, AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM. — Faciliorem fore deinceps errantium correctionem, Dioscoro sublato, cujus mortem Julianus Leoni nuntiaverat. Eumdem monet ut de statu Alexandrinæ Ecclesiæ scribat. 1109

EPIST. CXLI, AD EUMDEM JULIANUM. — I. De Carosi monachi correctione et Joannis decurionis in Ægyptum legatione. — II. De Maximo Antiocheno episcopo criminis alicujus accusato, quid evenerit, ut rescribat. 1110

EPIST. CXLII, AD MARCIANUM AUGUSTUM. — I. Fide Augusti laudata, iterum de consensu suo circa diei festi celebrationem dato certiorem eum facit. — II. Gratias agit pro ablatis Caroso et Dorotheo e suis monasteriis. 1110

EPIST. CXLIII, AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM. — Ne hæreticorum reliquiæ in urbe latentes nimia lenitate foveantur ac revalescant. 1111

EPIST. CXLIV, AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM. Nunc primum edita ex ms. Ratisponensi. — Ejus diligentiam laudat. Eutychianorum nisus post Marciani mortem. Ipsorum tumultus Alexandriæ. 1112

EPIST. CXLV, AD LEONEM AUGUSTUM. — I. Rogat ut perturbatæ Alexandrinorum Ecclesiæ succurrat. — II. De fide bene definita disceptandum denuo non esse; et ut catholicus Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus præficiatur. 1113

EPIST. CXLVI, AD ANATOLIUM EPISCOPUM CP. — I. Hæreticorum furore apud Alexandriam perpetrata in excidium Chalcedonensis synodi tendere ex occasione mortis Marciani imp. — II. Se ad Leonem Aug. pro servandis synodi decretis scripsisse. 1115

EPIST. CXLVII, AD JULIANUM EPISCOPUM COENSEM, ET AETIUM PRESBYTERUM. — I. De silentio conquestus curam et Ecclesiæ commendat. — II. Ut statuta synodi Chalcedonensis inconcussa permaneant, et Alexandriæ catholicus episcopus eligatur. 1116

EPIST. CXLVIII, AD LEONEM AUGUSTUM. — Gaudet Augustum synodi Chalcedonensis esse custodem, et ab eodem pertinacem et insidiosam hæreticorum contentionem compesci postulat. 1117

EPIST. CXLIX, AD BASILIUM EPISCOPUM ANTIOCHENUM. — I. Præmissa de non misso ordinationis nuntio querela, hortatur ut resistat Eutychianorum furori, qui cæso apud Alexandriam Proterio episcopo, synodum novam, posthabita Chalcedonensi, instaurari poscebant. — II. Leone imper. laudato, omnia in episcoporum constantia posita esse asserit, ne novi tractatus ineantur. 1119

EPIST. CL, AD EUNITHEUM EPISCOPUM THESSALONICENSEM, ET A PARI AD JUVENALEM HIEROSOLYMITANUM, PETRUM CORINTHIUM, ET LUCAM DYRRACHENUM. — Hortatur ut sceleratis ausibus Eutychianorum, qui Proterium Alex. episc. occiderant, strenue resistant; nec patiantur synodum alteram congregari; sed sua Chalcedonensi firmitas asseratur. 1120

EPIST. CLI, AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM. — Nunc primum edita ex ms. Ratisponensi. — Ipsum laudat, et ut Ecclesiam Constantinopolitanam ab hæresi purget hortatur. De Attico presbytero discutiendo. 1121

EPIST. CLII, AD JULIANUM COENSEM EPISCOPUM. — Monet ut epistolæ præcedentes ad metropolitanos scriptæ, ad unumquemque Juliani cura vel Aetii perveniant; episcopalem ante omnia requiri constantiam; nihil esse in sua epistola vel novi, vel obscuri, vel dubii. 1122

EPIST. CLIII, AD AETIUM PRESBYTERUM CP. — I. Ut litteras in Orientem scriptas unicuique dirigat. — II. Se pariter misisse litteras a Gallis et Italis ad se scriptas. Item et de aliis. 1123

EPIST. CLIV, AD EPISCOPOS AEGYPTIOS. — Episcopos Ægyptios pro fide exterres consolatur, et ut pro incarnationis mysterio patienter adversa tolerent, hortatur. 1124

EPIST. CLV, AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM. — Eum ad vigilantiam contra hæreticorum conatus incitat. — II. Conniventiam clericorum Constantinop. arguit, circa quos vigorem in Anatolio desideret pastoralem. 1125

EPIST. CLVI, AD LEONEM AUGUSTUM. — I. Post Chalcedonensem synodum nihil esse denuo tractandum circa fidem. — II. Antichristum eum esse qui veritatem ab Ecclesia declaratam rursus examinat. — III. Parricidas Alexandrini episcopi Ecclesiæ præsidere nefas esse. — IV. Preces Leoni Augusto oblatæ tam a catholicis quam ab hæreticis, in quo differant. — V. Omnia Christianæ religionis officia et mysteria apud Alexandriam esse intercepta. — VI. Scripta de fide prolixiora promittit, Anatolii incuriam taxat, catholicos commendat. 1127

EPIST. CLVII, AD ANATOLIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM. — I. Ut apud imperatorem, quem laudat, pro comprimendis hæreticis strenue agat; idque curet ut Chalced. synodus firma permaneat, et pax Ecclesiæ Alexandrinæ restituatur. — II. Ut parricidæ ab ea pellantur, et afflicti Ægypti episcopi adjuventur. — III. Profugis ex Ægypto episcopis opem esse ferendam; synodi adversariis constanter resistendum esse. — IV. De Attico presbytero et Andrea, ut vel corrigantur, vel repellantur ab Ecclesia. 1132

EPIST. CLVIII, AD EPISCOPOS CATHOLICOS AEGYPTI APUD CONSTANTINOPOLIM CONSTITUTOS. — Consolatur episcopos pro fide exterres, et ad patientiam hortatur spe cœlestis retributionis objecta, et promissa sua apud imperatorem actione. 1134

EPIST. CLIX, AD NICETAM EPISCOPUM AQUILEIENSEM. — I. Quod debeant feminæ quæ, captis viris, nuperant aliis, regressis de captivitate viris prioribus conjungi, ut quod suum est unusquisque recipiat. — II. Quod non probetur esse culpabilis qui uxorem captivi in matrimonium videtur esse sortitus. — III. Ut si viri de captivitate regressi intemperantia uxorum offensi non fuerint, et voluerint eas in conjugium retinere, liberam habeant facultatem. — IV. Ut si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiæ ecclesiastica communione privandæ sint. — V. Captivis sua terrore [al., errore], aut fame, non veneratione, cibos immolatitios edere compulsis, pœnitentia concedenda est. — VI. Quod

Digitized by Google

hi qui ad iterationem baptismi, vel vi vel errore coacti, animos inclinarunt, sint sublevandi remedio, ita ut senilis ætatis, periculorum quoque et ægritudinum, cæterarumque necessitatum habeatur sollicita consideratione respectus. — VII. Ut qui ab hæreticis baptizati sunt, sola sancti Spiritus invocatione firmentur. 1135

EPIST. CLX, AD EPISCOPOS ET CLERICOS CATHOLICOS EX ÆGYPTO APUD CONSTANTINOPOLIM CONSTITUTOS. — I. Consolatur exterres Ægypti episcopos et clericos, monetque de suis legatis in Orientem ex imperatoris voluntate mittendis. — II. Hortatur ut omnem novum de fide tractatum amoveant, sufficiente synodi auctoritate. 1140

EPIST. CLXI, AD PRESBYTEROS, DIACONOS ET CLERICOS ECCLESIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ. — I. Ut in fide stabiles et ab hæreticorum societate alieni perseverent hortatur. — II. Ut novum judicium non instauretur, et ut Atticus et Andreas ordinis sui honore priventur, nisi voce scriptoque fidei Chalcedonensi adhærere se profiteantur 1142

EPIST. CLXII. AD LEONEM AUGUSTUM. — I. Ut fidem semel definitam ad examen revocari non sinat. — II. Se nec posse hæreticis communione sociari, nec definitis a synodo dissentire. — III. Legatos a se mittendos, non ut disputent, sed ut instruant. — IV Fugiendos hæreticos, quibus et pœnam imminere significat. 1143

EPIST. CLXIII, AD ANATOLIUM CONSTANTINOPOLITANUM. — Quod sua monita Anatolio displicuerant expostulat monetque ut Atticus presbyter propria subscriptione publice recitanda Eutychianum damnet errorem, si catholicus videri velit. 1146

EPIST. CLXIV, AD LEONEM AUGUSTUM. — I. Legatos mittit vice sua pro ecclesiæ libertate acturos, rogatque ne bene definita ad novum tractatum revocentur — II. Semper disputationi locum fore, si humano ratiocinio et rhetorum loquacitate expendi mysteria sinantur. — III. Quam Evangelio et humanæ saluti inimicum sit Eutychianorum dogma a synodo proscriptum; cui nulla disputatione derogari debet. — IV. Parricidas Alexandrinos omni indulgentia indignos esse; quibus tamen, si resipiscant, de misericordia non desperandum. — V. Legatos commendat, quos mittit non disceptaturos, sed supplicaturos; quænam pro pace Ecclesiæ sint agenda; correctis pœnitentiam non negandam, obduratis sub synodali sententia remanentibus. 1148

EPIST. CLXV, AD LEONEM AUGUSTUM. — I. Promissa prius scripta adversus Eutychianum dogma se mittere indicat. — II. Nestorii et Eutychetis dogmata exponuntur, quorum hic Apollinarem, Valentinum et Manichæum æmulatus est. — III. Nicæno Symbolo omnia hæc hæresum monstra confodi. — IV. Reconciliationem hominum ex incarnatione pendere, sine qua nec mediatoris nec redemptoris officium Christus implet — V. Solo Christi sacrificio vel reconciliatum Deo fuisse mundum, vel justificatos peccatores. — VI. Utriusque in Christo naturæ proprietates ex diversis ejus actionibus manifestari. — VII. Veritatem carnis in Christo ex veritate mortis, sepulturæ et resurrectionis comprobari. — VIII Christi exaltationem nisi in vera hominis natura perfici non potuisse — IX. Sub specie Deitatis honorandæ magna eam injuria affici, cum sub mendacio phantasmatis latuisse asseritur — X. Ex SS. Patrum traditione catholicam fidem inconcusse firmari, quam tueri imperatore in primis dignum. — XI. Testimonia SS. Patrum tam Græcorum quam Latinorum pro asserenda veritate carnis in Christo. 1155

EPIST. CLXVI, AD NEONEM RAVENNATEM EPISCOPUM. — De his qui de captivitate redeuntes, incertum habent utrum ante captivitatem baptisma consecuti sint. — I. De parvulis qui in captivitatem devenerunt, et baptismi gratiam non reminiscuntur. — II. Ut ab hæreticis baptizatus, per manus impositionem accipiat Spiritum sanctum. 1191

EPIST. CLXVII. AD RUSTICUM NARBONENSEM EPISCOPUM. — I. Quod non habeantur episcopi quos nec clerus elegit, nec populus exquisivit, nec provinciales episcopi consecraverunt. Si qui tamen clerici ab his pseudo episcopis ordinantur, rata potest ordinatio talis existere. — II. Quod presbyteri aut diaconi, si in aliquo crimine detecti fuerint, non possint per manus impositionem pœnitentiæ remedium consequi. — III. Quod diaconi, sicut episcopus et presbyter, cessare debeant ab opere conjugali, non tamen repudiare conjugia. — IV. Quod aliud sit uxor, aliud concubina; nec erret quisquis filiam suam in matrimonium tradiderit ei qui habuit concubinam. — V. Quod non sit conjugii duplicatio, quando ancilla rejecta, uxor assumitur. — VI. De his qui communione privantur, et ita moriuntur. — VII. De his qui pœnitentiam agere differunt. — VIII. Quod oporteat eum qui pro illicitis veniam poscit, etiam a licitis abstinere. — IX. Quod pœnitenti nulla negotiationis lucra exercere conveniat. — X. Quod ad militiam sæcularem post pœnitentiam redire non debeat. — XI. Quod adolescens, si urgente quocumque periculo, pœnitentiam gessit, et non se continet, uxoris possit remedio sustineri. — XII. Quod si quis propositum monachi deseruerit, publicæ sit pœnitentiæ satisfactione purgandus. — XIII. Quod puellæ quæ, non coactæ, sed voluntate propria virginitatis propositum susceperunt, peccant, si nupserint, licet nondum fuerint consecratæ. — XIV. De his qui dubitant utrum baptizati sint, necesse est eos baptizari. — XV. Quod eos qui se baptizatos agnoscunt, sed in qua professione nesciunt, per manus impositionem suscipi conveniat. — XVI. De his qui convivio gentilium et escis immolatitiis usi sunt. 1197

EPIST. CLXVIII, AD UNIVERSOS EPISCOPOS PER CAMPANIAM, SAMNIUM ET PICENUM CONSTITUTOS. — I. Ut non omni tempore baptismi regeneratio detur, nisi in Pascha et Pentecoste, et nisi periculosa infirmitas oppresserit. — II. De pœnitentia fidelium, ut confessio eorum non publicetur. 1209

EPIST. CLXIX, AD LEONEM AUGUSTUM — I. De ejecto Timotheo Æluro ab Alexandrina Ecclesia, et catholico præsule in ejus locum eligendo. — II. Et fidei integritatem et probitatem morum in sacerdote requiri. — III. Impium Ælurum, etsi fides ejus forte integra, restitui non posse. 1212

EPIST. CLXX, AD GENNADIUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM. — Queritur quod Timotheus Constantinopolim venire sit permissus; nullam ei restitutionis spem esse relinquendam; cavendumque ne se publicis privatisve colloquiis immisceat. 1214

EPIST. CLXXI, AD TIMOTHEUM EPISC. ALEXANDRINUM. — I. De electione ejus gratulatur, charitatemque commendat. — II. Ut fidei rebus invigilet, frequenterque ad ipsum scribat. 1215

EPIST. CLXXII, AD PRESBYTEROS ET DIACONOS ECCLESIÆ ALEXANDRINÆ. — Ad concordiam in Ecclesia Alexandrina servandam augendamque invitat; et ut qui ab hæreticis seducti sunt, ad pœnitentiæ remedium provocentur. 1216

EPIST. CLXXIII, AD QUOSDAM ÆGYPTI EPISCOPOS. — De electo Timotheo catholico in locum Timothei Æluri gratulatur; unitatem commendat, et ut sollicitudinem suam ejus curæ jungant ad reducendos errantes, invitat. 1217

DISSERTATIO de Epistolis deperditis tum S. Leonis ad alios, tum aliorum ad S. Leonem, ac de aliis monumentis ad epistolas pertinentibus. 1217

APPENDIX PRIMA ad secundam partem operum S. Leonis. — EPISTOLÆ SUPPOSITITIÆ. 1235-1258

APPENDIX II. — Quædam fragmenta. 1253-1263

QUESNELLI OBSERVATIONES ET NOTÆ in Epistolas S. Leonis Magni. 1263-1506

FINIS TOMI QUINQUAGESIMI QUARTI.

Digitized by Google